

COLLEGIUM

UNIVERSI JURIS CANONICI,

ANTEHAC

JUXTA TRIPLEX JURIS OBJECTUM PARTITUM;

Nunc verò Servato ordine Decretalium accuratius translatum, & Indice copioso locupletatum.

OMNIBUS TAM IN FORO, QUAM IN SCHOLIS apprimè utile, ac necessarium.

AUCTORE

P. LUDOVICO ENGEL,

EX MONASTERIO EXEMPTO MELLICENSI Ordinis S.P. BENEDICTI Infer. Austriæ, I.U.D. Eminentissimi Celsissimi ac Reverendissimi Principis & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliario Ecclesiastico, & in Alma Universitate Salisburgensi Procancellario ac SS. Canonum Professore Ordinario.

EDITIO SEPTIMA

Prioribus longè accuratior,

CUI PRÆTER TRACTATUM DE PRIVILEGIIS MONASTERIORUM novissimè accessit aureus liber ejusdem Auctoris, qui inscribitur MANUALE PAROCHORUM.



VENETIIS, MDCCXXXIII.

Apud Josephum Bettinelli.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

6-65.

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.



Uarta vice ex prælo tibi produco *Collegium Juris Canonici* Admodum Reverendi, Clarissimi & Consultissimi D. P. LUDOVICI ENGEL p. m. postquàm trium Editionum exemplaria pleraque jam distracta sunt. Merebatur Operis dignitas, quod omnium ferè manibus cum laude teritur, & à multis adhuc desideratur, repetitam editionem. Verùm quædam in ista observes velim. Prodiit primò ex Auctoris dispositione non secundùm Ordinem Titulorum Juris Canonici in Decretalibus comprehensum, sed singulari & artificioso Ordine secundùm tria Juris objecta *Personarum*, *Rerum*, *&* *Actionum* distributum. Deinde maxima Pars libri II. Decretal. *de Matrimonio* tractans in priori prælo prætermissa est, indice tantùm quodam inserto, quo in Manuali Parochorum priùs edito quæri & reperiri possent. Idem in aliis quibusdam Titulis, ut de *Sepulturis*, *Decimis &c.* factum erat, ne scilicet antea jam dicta & tractata repeterentur. In tertia verò, & præsenti inprimis omnes Tituli in Ordinem in Corpore Juris Canonici servatum translati & regesti sunt, insuper omnes prædicti Tituli, qui ibi desiderabantur, & ex aliis Authoris Tractatibus petendi erant; pro levando studiosi Lectoris labore in locum suum restituti sunt. Nec putes, hac ratione corrigere in animo fuisse Sapientissimi Auctoris Judicium: quasi ille minùs rectè primum Ordinem disposuerit. Fatendum est, illum, si Doctrinæ modum, & rerum tractandarum ordinationem spectemus, pulcherrimum esse & utilissimum, verbo, Auctore suo dignum. Quia tamen facilior modus plerisque videtur, si Titulos hujus Collegii cum Titulis Decretalium in situ & loco suo congruentes cernere, & Jura ipsa cum Commentario suo, sine frequentiori quærendi labore, comparare possint, communi Genio & Voluntati obsequi placuit. Nam non tantùm in Cibis, sed & Libris varii gustus sunt, & quamquam singulis satisfieri non possit, tamen pluribus serviendum. Præterea ad calcem accessit Tractatus Ejusdem Authoris *de Privilegiis Monasteriorum*, & proximè etiam subsequetur * *Manuale Parochorum*. Accipe proinde, Candide Lector, iteratum Magni Viri Partum, & ex ejus frequenti & diligenti studio gustum & fructum cape: imò ad Jurisprudentiæ Canonicæ Apices enitere. Vale.

* *Manuale Parochorum*, de quo hic mentio, in superioribus Editionibus hactenus desideratum, in hac nostra, quæ Septima est, ad calcem adjectum reperies.

APPROBATIO FACULTATIS
THEOLOGICÆ SALISBURGENSIS.

PRodit iterum COLLEGIUM Adm. R. Clariss. P. LUDOVICI ENGEL, quod antea per *Partes*; nunc totum, plena facie *Collegialiter* collectum, unum *Corpus*, *Corpori* Juri conformatum, in lucem venit. Quamquam autem jam trinis prius Approbationibus Theologicis; imò communi Doctorum expectatione, calculo, plausu, receptum, probatum, in schola, foro, libris allegatum, approbatione non egebat: tamen, quod in *majori forma* prodit; etiam in *majori & meliori* forma, in *Folio* nempe (quidni & ex folio Sibyllæ?) commendari debuit. Ego uno verbo absolvo. *Angelicum* ab *Auctore*, doctrina, puritate, & claritate, sive *Corpus* (si sic loqui liceat) sive *Collegium*, dico. Dignum non tertio tantùm, sed centesimo prælo. Sic sentio: sic, quod bis olim probavi, approbo & judico. Salisburgi, 1. Januarii 1681.

In vicem spectabilis D. DECANI Facultatis.

P. JOSEPHUS MEZGER, Ord. S. Benedicti ad S. Petrum Salisb. Professus & Prior, SS. Theol. & J. U. D. in Universit. Salisb. Procancellarius & S. Scripturæ Professor Ordinarius.

APPROBATIO FACULTATIS
JURIDICÆ SALISBURGENSIS.

PRæsens Liber nunc secundùm ordinem Decretalium distributus commendatione non indiget, quia ipsum Excellentia Authoris *Angeli* abundè commendat, qui magnum Universitatis hujus lumen, & ingens Facultatis nostræ decus extitit, jure proinde optimo Opus hoc *Angelicum* toties desideratum & publicè utile publicam lucem meretur. Ita censet

Salisburg. 14. Januarii. Anno 1681.

JOANNES BAPTISTA MOSER, J. U. Doct. Pandectarum Professor Ordinarius, & p. t. Facult. Jurid. Decanus.

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, e Approbazione del *P. F. Tomaso Maria Gennari Inquisitore*, nel Libro intitolato: *Collegium Juris Canonici* &c. *Cui accedit Manuale Pastorum* &c. *Auctore* P. LUDOVICO ENGEL, *Ordinis S. Benedicti* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo Licenza a *Gioseppe Bettinelli* Stampatore, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data 9. Aprile 1732.

(
(Alvise Pisani Kav. Proc. Refor.
(Z. Piero Pasqualigo Refor.

Agostino Gadaldini Segretario.

SERIES

SERIES TITULORUM IN LIBRIS DECRETALIUM GREGORII IX.

LIBER I. DECRETALIUM.

LIBER II. DECRETALIUM.

LIBER III. DECRETALIUM.

LIBER IV. DECRETALIUM

LIBER V. DECRETALIUM.

IN-

INDEX
RUBRICARUM DECRETALIUM,
SEU TITULORUM,

In his quinque Decretalium Libris contentorum
Ordine Alphabetico congestus.

IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM LOCUPLETISSIMUS

Prior numerus Librum, alter Titulum, tertius Numerum marginalem denotat.

Allo-

propter

Index Rerum & Verborum locupletissimus:

compe-

Emphyteusis.

Emptio & venditio.

Epikia.

Episcopus.

Error.

Eucharistia.

Exceptiones.

Exceptiones contra testes, v. Testis.
Excessus Prælatorum.

Executio sententiæ, v. Sententia.
Exemptio, Exemptus.

utrum-

Index Rerum & Verborum locupletissimus.

quid

Præ-

Index Rerum & Verborum locupletissimus.

Se-

Vaca.

F I N I S.

PROOE.



PROŒMIUM,

DE JURIS CANONICI ORIGINE, Divisione, & Authoritate.

SUMMARIA.

1 *JUS Canonicum quid?*
2 *Qua ejus origo?*
3 *Corpus Juris Canon. habet VI. partes.*
4 *De Decreto Gratiani.*
5 *Qualem authoritatem habeat, discutitur latè.*
6 *De Paleis.*
7 *Alii antiquiores Gratiano SS. Canon. Collectores.*
8 *Decretales Greg. IX. earumque divisio, materia, & obligatio.*
9 *Sextus Decretalium.*
10 *Clementina & Extravagantes.*
11 *Septimus Decretalium, & quanam ejus authoritas?*
12 *De Concilio Trident. & an obliget, ubi non receptum?*
13 *Bullarium & ejus authoritas.*
14 *Regula Cancellaria.*
15 *Declarationes Cardinalium.*
16 *Debent habere III. requisita, ut obligent.*
17 *Rota Romana, & ejus authoritas.*
18 *De Canonum contrarietate.*
19 *De confœderatione & contrarietate Juris Canonici & Civilis.*


Legantet monet J. C. Cajus *in L. 1. ff. de Orig. Juris* inconveniens esse interpretationem promittentibus, omissis initiis, atque origine non repetita, & illotis, ut ita dixerim, manibus protinus materiam interpretationis tractare, cùm præfationes libentiùs nos ad lectionem propositæ materiæ inducant, & cùm eò ventum est, evidentiorem præstent intellectum. Hujus celeberrimi Jurisperiti consilium sequentes, antequàm ad specificas Juris Canonici materias descendamus, priùs quædam scitu necessaria de Jure Canonico in genere, ejusque Origine, Divisione, & Authoritate præmittemus.

JURI *operam daturum* inquit Ulp. *in L. 1. ff. de Just. & Jure, prius nosse oportet, unde nomen* JURIS *descendat. Est autem à justitia appellatum, & est ars æqui & boni. Justitiam namque colimus*, pergit Ulp. *æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes: veram, nisi fallor, Philosophiam, non simulatam affectantes*. Unde & *Justitiam* definit Imp. *in princ. Institut. de J. & J.* quod sit *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*. Et mox *in §. 1.* describit *Jurisprudentiam*, quòd sit, *divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia*. Circa quas definitiones seu descriptiones plures speculativas quæstiones passim accumulant Interpretes, quibus, utpote non multum utilitatis habentibus, supersedemus. Illud verò se ipsum insinuat, quòd *Jus* aliquando accipiatur pro ipsis legibus seu constitutionibus, aliquando pro legum notitia & scientia, & aliquando pro materia & objecto legum, ut in illis verbis: *Jus suum cuique tribuendi*. JURIS, quatenus pro lege seu constitutione accipitur, varias divisiones in sequentibus trademus; ad propositum verò, & quatenus sive pro legibus, sive pro legum scientia sumitur, nota & vulgaris est divisio in Jus *Canonicum & Civile*: istud in *Corpore Juris Civilis* sedem habens suis Expositoribus relinquimus; illud, quantum cum DEO poterimus, fundamentali brevitate explicaturi.

Engel in Decret. Lib. I.

IGitur Jus CANONICUM, si nominis Etymon 1
spectes, à græca voce *Canon*, quæ regulam significat, denominatum est, *cap. 1. dist. 3.* Unde definiri solet Jus Canonicum, quòd sit jus ex sacris Canonibus, id est, regulis Ecclesiasticis collectum, & ad rectè vivendum æternamque salutem acquirendam institutum.

Porrò prima origo Juris Canonici non ineptè a 2
DEO desumi posse videtur, qui primus præcepta Decalogi, aliasque rectè vivendi regulas hominibus præscripsit, quas deinde summi Pontifices in suis Canonibus circa singulos casus & hypotheses latiùs exposuerunt V. G. præceptum divinum est, *non occidere, non furari, usuras non exercere, &c.* sed quando, & qualiter in singulis factis contra hæc præcepta peccetur, & peccatum puniendum sit, Canones declararunt, ut propterea non immeritò studium Juris Canonici *studium divini Juris* appelletur *in cap. 2. de Privilegiis in 6.* Canones autem isti jus Divinum declarantes, & reliqua ad gubernationem Christiani populi pertinentia statuentes in nova lege primùm ab Apostolis introducti, & à Clemente I. Romano Pontifice (qui sedit circa annum Domini nonagesimum primum) in unum congesti, Canones Apostolorum nuncupati sunt, iique in Decreto Gratiani ad finem ponuntur. Postea Successores Apostolorum SS. Pontifices alias & alias constitutiones, & sanctiones Canonicas addiderunt, ex quibus Corpus nostrum *Juris Canonici* compositum est, cui novissimè Concilium Tridentinum & Bullarium accessit.

Ad *Corpus Juris Canonici* quod attinet, facilè pate- 3
bit inspicienti, illud dividi in VI. partes: videlicet in *Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX. Sextum Decretalium Bonifacii VIII. Clementinas Clementis V. Extravagantes Joannis XXII. & demùm Extravagantes Communes.*

DECRETUM GRATIANI à suo Authore 4
Gratiano Ordinis S. P. Benedicti ex Monasterio S. Felicis Bononiensis nomen traxit, qui anno 1150. tempore Eugenii III. hoc opus ex diversis summorum Pontificum & Conciliorum decretis, SS. Patrum scriptis, Imperatorum etiam legibus & sanctionibus compilavit, ac *Concordiam discordantium Canonum* appellavit. Solet Gratianus in hoc suo opere dubias quæstiones ab initio proponere, & pro utraque contradictionis parte di-

versas authoritates adducere, atque in fine conciliare; ut cautè advertendum sit legenti, ne indifferenter decisionem firmam ex primis occurrentibus Capitulis desumat, sed etiam reliqua diligenter perlustret.

Constat GRATIANI DECRETUM ex IV. partibus. *Prima pars* habet 101. *Distinctiones* divisas in *Canones* sive *Capitula*. Ex qua parte sic allegari solet, *cap. omnes leges dist.* 1. *Secunda pars* continet 36. *Causas* (id est casus & controversias juridicas) divisas in *Quæstiones*, subdivisas in *Capitula*. Ubi citandi modus talis est : *cap. Si quis suadente causa* (quod vocabulum tamen plerumque omitti & subintelligi solet) 16. *quæst.* 4. *Tertia pars* est Tractatus *de Pœnitentia*, qui includitur in *Causa 33. quæstion.* 3. & habet 7. *Distinctiones*, divisas in *Capitula*. Ex quo loco talis est citatio, *c. Cogitationes dist.* 1. *de Pœnitentia*, quæ ultima verba ad differentiam primæ & ultimæ partis etiam *in Distinctiones* divisæ adduntur. *Quarta* denique *pars* Decreti tractat *de Consecratione*, & continet 5. *Distinctiones*, divisas in *Capitula*, citatio fit hoc modo : *c. Solemnitates. dist.* 1. *de Consecratione*.

5 Circa hanc primam Juris Canonici partem non levis est inter DD. altercatio, qualem in scholis & utroque foro authoritatem habere debeat? Quidam existimant, cùm hoc opus à privato Doctore privata tantùm industria compositum sit, non majorem habere authoritatem, quàm cujuscumque alterius Doctoris nominati, scilicet *probabilem* tantùm, cui Magister in schola, vel Judex in foro, sive interno sive externo inhærere necessariò non teneatur, si putet pro sua sententia in contrarium meliores esse rationes, & juris fundamenta : nec allegationes Canonum Pontificalium in eo esse infallibiles, nisi quatenus cum originali, unde desumptæ sunt, correspondeant, siquidem plurimos errores in hoc Gratiani volumine præter Felinum *in capit.* 2. *de Rescriptis num.* 43. alii passim adverterint.

Neque obstat huic primæ opinioni, quòd *Decretales Gregorii IX.* à Raymundo ejusdem Pontificis Capellano & Pœnitentiario; IV. *Libri institutionum Imperialium* à Triboniano & Dorotheo Magistris & DD. (ut notat Gothofredus *in proœmio Institutionum* §. 3. *verbo Antecessoribus*) compositi sint; qui tamen libri indubitanter legis obtinent authoritatem : etenim isti libri non ab his privatis compilatoribus, sed à Pontifice & Imperatore, quorum & jussu mandato compositi sunt, (ut *ex proœmiis Decretalium & Institutionum* apparet,) suam authoritatem desumunt, qualem authoritatem Gratiano in componendo suo libro non constat datam fuisse. Ita etiam antiquitùs certi Jurisperiti & DD. fuerunt, quibus ab Imperatore authoritas *de Jure respondendi*, & dubias quæstiones decidendi dabatur, eorumque decisiones *Responsa Prudentum* dicebantur, & pro Lege custodiebantur §. 8. *Inst. de Jure Nat. Gent. & Civ.* quibus *Prudentum Responsis* L. Digestorum libri repleti sunt. Cæteri verò DD. qui talem potestatem à summo Principe non habent, per suas responsiones jus aliquod facere non possunt, sed tantùm præexistens allegare, & probabilibus rationibus confirmare.

Alii directè contrarium sentiunt existimantes totum hoc *Gratiani Decretum* esse authenticum, & vim legis obtinere, idque non tantùm usu scholarum & judiciorum, sed etiam ab ipsis summis Pontificibus, qui illud in suis posterioribus Constitutionibus allegarunt, pro tali habitum esse *arg. c. Cum apostolica* 7. *de his, quæ fiunt à Prælatis c. Per tuas* 40. *de Sent. excom. Clem. unica ibi : Secundùm formam in decretis &c. de jurejurando*.

Et quòd *Decretum Gratiani* antehac multis erroribus depravatum opera Cardinalium & aliorum doctissimorum Virorum à Sede Apostolica ad id deputatorum vetustissimis Codicibus undique conquisitis, authoribusque ipsis, quorum testimoniis usus erat Gratianus, perlectis, emendatum & perfectum redditum ac diligentissimè retineri jussum sit, extant Litteræ Papales Gregorii XIII. hodie ad principium Decreti impressæ.

Sed communiùs receptum est, quod cum pluribus citatis tradit Barbosa *in Collect. DD. ad proœmium Decreti numer. 6. & seq.* ut hæ duæ inter se pugnantes sententiæ per tertiam mediam aliqualiter concilientur, & dicatur, non constare quidem, quòd *Decreto Gratiani* universim authoritas legis attributa sit; propter emendationem tamen & approbationem Pontificis Gregorii XIII. mereri fidem, quòd Canones ibidem allegati cum suis originalibus sine errore aut falsitate correspondeant: de reliquo autem eos Canones *revocari ad primævam authoritatem*, idest, illam, quam à suis Conditoribus acceperunt.

Quare si Gratianus referat *summorum Pontificum, vel Conciliorum generalium Constitutiones*, illæ habent authoritatem legis, seu *decisivam*; si referat *Leges civiles* & constitutiones Imperatorum, illæ eatenus in foro Ecclesiastico observandæ erunt, quatenus supplent defectum juris Canonici, & non contrariantur immunitati Ecclesiasticæ; si *propriam sententiam* ponat Gratianus, ea probabilis solummodò habebitur; si *dicta SS. Patrum* v. g. Ambrosii, Hieronymi, Augustini adducat, magnæ quidem authoritatis, non tamen absolutè infallibilia & decisiva censebuntur, nisi quatenus à SS. Pontificibus recepta & approbata sunt : cùm in materiis disputabilibus & judicialibus sancti Patres plerumque ut privati DD. locuti, & sæpius sibi invicem contradicentes fuerint, ut *ex c.* 1. *&* 2. *dist.* 26. ac pluribus aliis locis apparet.

Speciale dubium est, quid statuendum de illis Ca- 6
nonibus Decreti, qui *Palea* inscribuntur? Quid denotetur per hoc vocabulum *Palea*, & qualem hi Canones nullius certi Authoris potestatem habeant? Diversi diversa sentiunt. Quidam hoc nomine res viles & inanes, alii ex Greco *Ta Palaa*, id est, *antiqua*, alii *additiones* à græco adverbio *palin*, quod *rursum* significat, denominari putarunt, alii a suo authore quem ajunt *Protopaleam* Cardinalem dictum fuisse, qui hos Canones Decreto Gratiani adscripserit, derivant. Sed hac in re observandum est,
quod traditur in *Præfatione* ad Decretum Gratiani 7
circa finem, has *Paleas* in quibusdam vetustissimis Decreti exemplaribus non extare, ex eoque colligi posse, esse *additiones* non eodem tempore factas, sed ad primam collectionem Gratiani in margine primum adscriptas, ac nonnullas fortassis ab ipsomet Gratiano, quas deinde librariorum quidam omiserint, quidam in contextu posuerint, interdum conjunctas cum prioribus capitibus, interdum separatas. Falsam vero esse illorum opinionem, qui has *Paleas* tanquam res leves contemnendas putant, ex eo constat, inquit citata *Præfatio*, quòd multæ in Decretalibus & apud vetustiores Gratiano Collectores habeantur. Ut propterea non incongruè utraque suprapposita Græca derivatione & significatione retenta *Palea rerum antiquiorum additiones* dici posse
videantur. Quòd item *Palea* de rebus levibus non sint, 8
legenti facilè patebit, prout in specie *Palea*, quæ est *in c.* 13. *&* 14. *dist.* 96. totum Regnum Romani Pontificis Sylvestro Papæ à Constantino Imperatore donatum concernit.

Dixi, sæpe memoratas *Paleas* apud *antiquiores* 9
Gratiano Collectores haberi; nam hic obiter adnotandum, multis temporibus ante Gratianum fuisse aliquem Codicem Canonum, de quo fit mentio *in c.* 1. *dist.* 19. & alias Papalium Constitutionum collectiones factas ab Isidoro, Burchardo Vormatiensi, Ivone Carnotensi Episcopo, Anselmo & aliis, sed isti præcipuè in colligendis Decretis & Constitutionibus laborarunt. Gratianus verò deinde præter collectionem Canonum in conciliandas dissensiones operam impendit, ut *in cit. præf.* habetur.

Secunda pars Corporis Canonici sunt DE- 10
CRETALES jussu Gregorii IX. à Raymundo ejusdem Pontificis Capellano & Pœnitentiario (quem ex Ordine Prædicatorum post obitum à Clemente VIII. in Sanctorum numerum relatum fuisse refert

Bar-

Barbosa *ad proœmium Decretalium n. 4.*) conscripti. Isti Decretales libri à *decernendo* sive statuendo sic dicti constant potissimùm ex *Decretalibus epistolis*, quas diversi summi Pontifices in dubiis quæstionibus juris interrogati se consulentibus rescripserunt, quæ jam in Corpus juris relatæ authoritatem publicæ & universalis legis obtineut, ad eum modum, quo Codex Justinianæus in Corpore Juris Civilis majori sua parte ex diversorum Imperatorum ad dubios Juris articulos rescriptis compilatus est.

Dividuntur autem *Decretales in V. Libros*, libri in *Titulos*, & tituli in *Capitula*. In citatione initium, vel numerus *Capituli* & *Titulus* allegatur, ex. g. *Venerabilem. de Electione*. Qui titulus, in quo libro, & quoto ejus libri numero sit positus, in proprio *Indice titulorum*, qui ad principium Decretalium habetur, inquirendus est.

Antiquitùs, quando soli erant *Decretales* Gregorii IX. iique separatim, & *extra Decretum* Gratiani, semper ad allegationem tituli solebat addi hæc particula *extra* v. g. *cap.* 1. *extra de Electione*, & in typo denotari hoc signo X. quæ particula etiamnum hodie, quando in uno Corpore Juris sunt *Decretum* & *Decretales*, nonnunquam usitari solet, & propriè *Decretales* Gragorii IX. ad distinctionem aliarum partium indicare, quod observandum, ne quis existimet, per illam particulam *extra* Extravagantes significari.

Materiam *Decretalium* Glossa proœmialis memoriæ causa sequentibus versiculis comprehendit.

Pars prior Officia parat, Ecclesiaque Ministros:
Altera dat Testes, & catera judiciorum:
Tertia de Rebus, & Vitas Presbyterorum:
Quarta docet, quales sint Nexus Conjugiorum:
Quintaque de Vitiis, & Pœnis tractat eorum.
Et brevius hoc versiculo.
Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen,

Etenim in libro primo *Decretalium*, postquàm S. Pontifex de *Constitutionibus*, *Rescriptis*, & *Consuetudine*, adeòque in genere de obligatione Juris scripti, & non scripti, sive consuetudinarii præmisit, mox tractat *de Electione Prælatorum*, *Ordinatione Clericorum*, *Potestate & Jurisdictione Judicum Ordinariorum*, *Delegatorum & Arbitrorum*, *item de Pactis*, *Transactionibus & Restitutionibus judicialibus*. In secundo libro totus *Processus judiciarius* in I. & II. instantia traditur, qui propter bonum ordinem, & æquitatem in utroque foro, tam Sæculari, quàm Ecclesiastico observatur. In lib. III. agitur *de Vita Clericorum*, *de Beneficiis Ecclesiasticis*, *de Feudis*, & *plerisque Contractibus*, *tam super rebus Ecclesiasticis*, *quàm profanis & laicalibus*; *item de Decimis*, *Sepulturis*, *alisque Juribus & Immunitatibus Ecclesiarum*. In quarto Causæ, & Quæstiones *Matrimoniales* deciduntur. In quinto denique diversa *Delicta* cum modo *accusandi*, *inquirendi*, *ac puniendi* recensentur, Quæ omnia in utroque foro versantibus scitu utilissima, & necessaria sunt.

Tertia pars inscribitur SEXTUS DECRETALIUM, quòd post V. libros *Decretalium* Gregorii IX. in lucem editus sit à Bonifacio VIII. summo Pontifice. Subdividitur etiam in V. libros, quorum tituli habent easdem rubricas, & materias, quas *Decretales* Gregorii IX. id quod etiam in sequentibus, scilicet *Clementinis* & *Extravagantibus* observatum est. Citatio ex hac parte fit, ut citetur initium vel numerus *Capituli* & *Titulus* cum addito *in 6.* ex. g. *c. Ut animarum*, *de Constitutionibus in 6.*

Quarta pars sunt CLEMENTINÆ, sic dictæ à suo Authore *Clemente V.* hujus nominis Pontifice, qui multas Constitutiones tum in Concilio Viennensi in Gallia, tum etiam ante & post illud Concilium à se editas in unum congessit Volumen, quod tamen morte præventus in lucem edere non poterat. Quare Joannes XXII. ejus successor dictas Clementinas evulgavit, & Apostolica authoritate pro judiciis & scholis roboravit, ut patet ex *Proœmio Clementinarum*. Continentur autem *Clementinæ* in V. libris divisis in *Titulos* & *Capitula*; ad differentiam priorum additur citationi in *Clementinis*, vel loco Capituli ponitur *Clementina* v. g. *Clementina. Romani. de Jurejurando*.

Quinta & sexta pars Corporis Canonici sunt EXTRAVAGANTES JOANNIS XXII. & EXTRAVAGANTES COMMUNES, sic dictæ, quòd antehac *extra* Corpus Juris incerta quasi sede *vagarentur*, & licèt postea juxta ordinem Librorum & Titulorum, qui habetur in *Decretalibus* Gregorii IX. in Corpus Juris redactæ sint, pristinum tamen nomen retinuerint. Citandi modus rursus talis est, qui in *Clementinis*, ut vel addatur *in Extravagantibus Joannis XXII.* aut *inter Communes*; vel loco *Capituli* ponatur *Extravagante* cum addito, *Joannis XXII.* vel *inter Communes*. Istæ *Extravagantes*, quamvis non satis constet, an alicujus summi Pontificis decreto publicatæ, & in Corpore Juris circumferri mandatæ sint, quia tamen sunt decisiones diversorum summorum Pontificum, famosorum Jurisconsultorum Romanorum glossis & notis illustratæ, & à multis temporibus possessionem in Corpore juris acceperunt, passim apud DD. pro authenticis habentur.

Novissimè in lucem prodiit, & in recentioribus ex- 11
emplaribus Corporis Canonici annexus est *Septimus Decretalium*, opera (ut testatur ejusdem libri Præfatio) Petri Matthæi Jurisconsulti Lugdunensis, qui varias Bullas Constitutiones Pontificias congessit, & secundùm formam Decretalium in *Libros*, ac *Titulos* digessit. Porro hoc opus etsi meras Constitutiones Pontificias contineat quia tamen sine mandato, aut approbatione alicujus summi Pontificis privata tantùm industria non ita pridem editum est, non censetur ex omni parte *authenticum*. Nam hujusmodi *Extravagantes bullæ*, quas non constat debito modo promulgatas, vel in usum deductas fuisse, vel an cum suis originalibus in omnibus & per omnia (una enim aliquando particula omissa maximæ considerationis esse potest) correspondeant, in rigore non obligant, nisi producantur in forma autentica cum plumbo & subscriptione, per ea, quæ notantur *in proœmio Clementinarum ad finem*, & tradit Franciscus de Pavinis *in Præludio ad Extravagantes Joannis XXII. versiculo Debent autem*.

Extra Corpus Juris plures alii libri sanctiones Ca- 12
nonicas habentes extant: scilicet *Concilium Tridentinum*, *Bullarium*, *Regula Cancellaria*, *Declarationes Cardinalium*, & *Decisiones Rota Romana*: de quorum singulorum authoritate breviter etiam aliqua dicemus.

CONCILIUM TRIDENTINUM sub tribus summis Pontificibus, scilicet Paulo III. Julio III. & Pio IV. in Spiritu S. legitimè congregatum de anno 1546. usque in annum 1564. continuatum plurimas Ecclesiæ Catholicæ, & toti Christianitati saluberrimas, ac maxima maturitate deliberatas Constitutiones tum Articulos fidei, tum morum reformationes concernentes complectitur, & propterea non est dubium, quin legis universalis authoritatem obtineat: & cùm omnia exemplaria Concilii ubilibet impressa sint uniformia, meritò eis fides tribuitur.

Quòd verò dici solet, Decreta *Concilii*, quæ non sunt *Dogmatica*, & fidem concernentia, non esse ubique *recepta*, id quidem de facto verum est, an autem etiam de jure procedat, dependet ab eo, an in tali loco, ubi non receptum dicitur Concilium, fuerit illud debitè aliquando promulgatum, an justa causa non recipiendi, an consuetudo in contrarium non sit potiùs corruptela, & ad malos mores inducens? qua de re inferiùs *in tit. de Constitutionibus & consuetudine*, ubi de promulgatione, receptione, & abrogatione legum tractabitur. Sanè nonnulli frequenter in materia sibi favorabili, & aliorum præjudicium in jure ex privilegio vel præscriptione quæsito concernente aliis seriò Concilium Tridentinum inculcant, & si ipsimet ex eodem Concilio Tridentino super aliis causis redarguantur, mox id non esse receptum, ac stylum & praxim curiæ suæ in contrarium reponunt. Sed hi meliùs observare deberent illud juris axioma, quod habetur *in lib. 2. ff. Tit. 2. Quod quisque juris in al-*

terum statuit, *ut eodem ipse utatur*, neque enim Legislator censendus est, unum potiùs quàm alterum obligare voluisse.

13 BULLARIUM ROMANUM seriem omnium summorum Pontificum, eorumque diversas Bullas & Constitutiones complectitur, primùm opera Laertii Cherubini Jurisconsulti Romani compilatum, deinde ab Angelo MARIA Cherubino ejus filio Monacho Cassinensi tempore Urbani VIII. cum novissimis Bullis denuo editum. Est quidem hoc opus Urbano VIII. dedicatum, ut in præfatione ad Lectorem refertur, & quòd ductu & auspicio Sixti V. Laertius Cherubinus Id primùm evulgarit; sed nulla appatet expressa & authentica alicujus summi Pontificis approbatio, vel de eo recipiendo decretum, nisi in principio libri solùm privilegium Urbani VIII. concessum Bibliopolæ, ne boc opus aliquis sine ejus licentia imprimat, aut vendat, quod utique nullam specialem authoritatem libro tribuit; aliàs enim etiam *Praxis Criminalis Prosperi Farinacii*, de qua idem privilegium loquitur, authoritatem consequeretur, & omnes libri, qui Romano Pontifici dedicantur, vel ejus hortatu in lucem eduntur, aut simile privilegium typographicum ab Imperatore vel Pontifice habent, inter Canonicos & legales libros numerandi forent, quod haud dubiè nemo conceder. Quare ego existimo, Bullis in *Bullario* contentis posse quidem in scholis probabilem fidem adhiberi, cæterùm autem censeri nomine *Extravagantium*, quę in judiciis, ubi de rebus magni momenti, & præjudicii ageretur, non aliter facerent plenam probationem, quàm si ab allegante in authentica forma producerentur, per ea, quæ superiùs de authoritate *Septimi Decretalium* diximus.

14 REGULÆ CANGELLARIÆ sunt certæ quædam Constitutiones Pontificiæ majori ex parte causas beneficiales concernentes, quas primus omnium Joannes XXII. edidisse, & boc nomine appellasse dicitur. Easdem deinde Successores Pontifices auxerunt, & declararunt, Harum natura est, ut cum morte summi Pontificis exspirent, & nullam vim habeant Sede Papali vacante (quod secùs est in aliis Legibus & Canonibus, qui etiam post mortem Legislatoris durant) sed à quolibet novo Pontifice reassumuntur, & renovantur.

15 DECLARATIONES CARDINALIUM à S. Congregatione Cardinalium Conc. Tridentini Interpretum proficiscuntur. Cùm enim experientia doceat, per diversas Glossas textum frequenter confundi, & contra mentem Legislatoris explicari, S. Pontifex Pius IV. in Bulla confirmatoria Concilii Trid. graviter sub censuris, Prælatis quidem sub pœna interdicti ingressus in Ecclesiam, aliàs verò quibuscumque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibuit, ne quis sine authoritate & licentia S. Pontificis audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, vel quodcumque interpretationis genus in dictum Concilium Trid. edere; statuit verò, ut controversiæ & dubia inde oriunda ad Sedem Apostolicam pro declaratione & decisione deferantur, ad quam declarationem faciendam postea Congregatio Cardinalium erecta est.

16 De istarum porrò *Declarationum* authoritate graves DD. inter se dissentiunt: quidam *probabilem* tantùm & *doctrinalem* asserunt, atque ad summum habere vim *decisivam* in casu illo particulari, qui fuit sacræ Congregationi propositus, & respectu illarum personarum tantùm, quæ proposuerunt. Alii rectiùs *Declarationibus Cardinalium* authoritatem *legis universalis* adscribunt, *& responsis prudentum* comparant, quibus olim à Principe dubias juris quæstiones decidendi potestas data fuit *§. 8. I. de I. N. G. & C.* Non enim credibile est, quod summus Pontifex non majorem potestatem dederit Cardinalibus quàm illam, quam habent privati Classici DD. qui per suam doctrinam possunt sententiam probabilem constituere; neque opus fuisset Collegium Cardinalium instituere, Glossas & Commentarios in Concilium Tridentinum probibere, si relicta declaratione Cardinalium tanquam solùm *probabili*, non *necessaria* liceret cuilibet privato Doctori aliam confingere.

Interim tamen, ut hæ *Declarationes Cardinalium* vim legis obtineant, tres potissimum conditiones concurrere debent. *Prima* est, ut fiant consulto S. Pontifice: quia Sixtus V. in facultate interpretandi Concilium Congregationi Cardinalium concessa expresse addit clausulam: *Nobis tamen consultis &c.*

Secunda, ut Cardinales solùm *declarent*, & interpretentur, non verò dispensent, aut ultra verborum proprietatem legem augeant, nisi desuper habito speciali mandato S. Pontificis; cujus specialis mandati etiam in declaratione mentio inseratur, sicut hanc formam Pius V. & Greg. XIII. in suis Bullis Congregationi præscripserunt.

Tertia, ut appareant *in authentica forma* cum solito sigillo & subscriptione Cardinalis Præfecti ac Secretarii ejusdem Congregationis. Nam quia compertum est, plurimas falsas *Declarationes*, & nonnunquam in eadem quæstione sibi contrarias circumferri, mandavit Urbanus VIII. ne *Declarationibus Cardinalium* sive impressis sive manuscriptis fides adhibeatur in judicio vel extra, nisi, ut præmissum, in authentica forma appareant. Qua de re videri poterit Barb. *Jus Ecclef. univers. lib. 1. cap. 4. n. 81. & seqq.* & alii apud eumdem citati. Quòd si *Declarationes* omnia prædicta requisita habeant, licèt ad instantiam particularium personarum emanarint, nihilominus pro lege communi aut declaratione legis observandas esse, sicut alias summorum Principum in caussis particularibus controversis decisiones, rectè docet Garc. *de Beneficiis in proœmio*. Et probant textus notabiles *in cap. In caussis. 19. de Sententia & re judicata, & in L. ultima in principio C. de Legibus.* 17

ROTA ROMANA est summi Pontificis in caussis litigiosis tribunal sive judicium. *Rota decisionibus* nonnulli authoritatem legis communis adscribunt, & textus in *cit. c. in caussis, & in L. ult.* non tantùm de decisione ipsius Principis, sed etiam Senatus ejus accipiunt. Barb. *in eodem c. in caussis num. 3.* Gutyerez *pract. quæst. l. 3. q. 16. numero* 74. & alii. Verùm extra statum & territorium summi Pontificis, quamvis magna authoritas tribuatur decisionibus Rotæ Romanæ, potiùs tamen receptum est, quod docet Franciscus de Pavinis *in preludio Extravagantium Ioann. XXII. vers. decisiones* quòd *Decisiones Rota Romana* faciant quidem jus inter ipsas partes litigantes, sed non jus universale; nec alii Judices præcisè secundùm eas teneantur judicare, nisi quatenus meliora juris fundamenta aliunde adduci non possunt, sed habeantur pro decisionibus magistralibus, imò ipsa Rota sæpiùs contra eas judicet teste Cardinale *in c. pastoralis 8. de Fide instrum. in ultima q.* quia præcitati juris textus *in cap. in caussis, & in L. ult.* de ipsius Principis non Senatus ejus, vel Vicarii Judicis decisione loquuntur. Subinde tamen si super eadem juris quæstione uniformes, & sæpius repetitæ sint *Rota* decisiones, faciunt consuetudinem, stylum in curia Romana. *L. si de interpretatione 37. ff. LL.* quòd vero in fine *citati preludii* additur, tales uniformes Rotæ decisiones extra curiam Romanam haberi pro *Responsis Prudentum*, haud facilè concederem: quia non constat in forma authentica, quod summus Pontifex judicibus *Rota* dederit potestatem, jus aliquod novum condendi, qualis olim *Prudentibus* à Principe data fuit. Prout in simili de decisionibus Cameræ Imperialis Spyrensis communiter sentiunt DD. quòd Assessoribus Cameræ ab Imperatore fuerit data potestas *secundùm leges* judicandi, non verò novas faciendi. Interim nisi Judex consideratis particularibus circumstantiis caussæ coram se agitatæ habeat valde urgentes rationes, & aliorum DD. authoritatem in contrarium, non deberet facilè à decisione & præjudiciis tantorum tribunalium recedere.

Hactenus de libris Canonicis, eorumque autho- 18
ritate dictum. Quòd si in recensitis juris Canonici partibus constitutionum *antinomia* sive contrarietas reperiatur, eaque sit in unius Pontificis seu Authoris compilatione, v. g. si uterque contradicens Canon sit in *Decretalibus*, vel in *Sexto*, aut *Clementinis*, per congruam interpretationem conciliatio facienda est, quia in una eademque legum compilatione non debet esse contrarietas, *L. 2. §. contrarium 15. C. de Vet. jure enucl.* & notat Glossa *in proœmio Decret. verbo Contrarietatem*. Nisi Canon expressè terminos correctorios

ctorios

ctorios alterius Canonis habeat, sicut in *cap.* 2. *&* 3. *de Censibus in* 6. Si verò inter priores & posteriores sit contrarietas v. g. inter *Decretales* & *Sextum* & *Clementinas*, *&c.* eaque manifesta sit, stabitur posteriori decisioni, quia jus posterius derogat priori, *cap. ult. in princ. de Sent. excom. in* 6. Si dubia sit contrarietas, quæ commoda aliqua interpretatione salva verborum proprietate ac ratione recti sermonis conciliari possit, expedit jura juribus concordare, ut evitetur jurium correctio, & contrarietas, *cap. cum expediat.* 29. de *Election. in* 6.

19 Præterea cùm inter jus Canonicum & Civile quandoque confoederatio, quandoque pugna sit, pro ejus rei notitia sequentes regulæ communiter à DD. traduntur.

Prima Quoties casus aliquis dubius est in jure Civili, jure autem Canonico clarè decisus, hæc Pontificii juris decisio etiam in foro Civili observanda est.

Secunda è converso, si quid jure Canonico dubium & obscurum (sicut præsertim circa contractus & pacta perpaucæ sunt in Canonibus decisiones) Jure autem Civili clarum, ejusque materia sit profana, non spiritualis, in foro Ecclesiastico etiam Juri Civili locus est. Utraque hæc regula confirmatur *ex cap.* 1. *&* 2. *de Novi operis nunciat.* Ubi summus Pontifex ait: *sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari: ita & sacrorum Canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur.* Imò quandoque etiam in materia spirituali leges in foro Canonico procedunt, non tamen aliter, quam si expresse à SS. Canonibus recipiantur, sicut infra in Lib. IV. *Tit.* 12. *de Cognatione Legali*, quæ oritur ex adoptione, & constituit impedimentum dirimens matrimonium, pluribus explicatum.

Si ergò tanta sit inter Jus Canonicum & Civilè confoederatio, mirabitur fortasse nonnemo, cur *in cap. ultim. ne Clerici vel Monachi*, *&c.* sub pœna excommunicationis interdicatur personis Ecclesiasticis studium Juris Civilis? Respond. Id intelligi de tali studio, quod abstrahit à vita Ecclesiastica, & fit intentione subeundi munera & officia sæcularium Advocatorum, vel Judicum, non autem quod fit in ordine ad perfectam Juris Canonici intelligentiam, Joan. Hon. *in dicto tit. ne Clerici vel Monachi num.* 10. Ad majorem tamen cautelam Universitates solent à S. Pontifice expressum privilegium admittendi Clericos ad publicas legum civilium lectiones impetrare, quale etiam huic nostræ Universitati concessum est.

Tertia regula est, si inter jus Canonicum & civile sit pugna & contrarietas, vel diversitas, eaque sit de re profana, nec attingat conscientiam, vel peccatum, ut circa solemnitates testamentorum, judiciorum, contractuum, aliorumque similium actuum *quodlibet jus in suo foro servandum est*; nimirum in terris summo Pontifici subjectis Jus Canonicum, in terris Imperii sæcularis Jus Civile, *capit. Cùm ad verùm* 6. *distinct.* 96. In caussis tamen Clericorum etiam temporalibus & extra territorium Romani Pontificis Juri Canonico est insistendum, *cap. quod Clerici* 9. *de Foro competent.* Sed hic textus juxta singularem interpretationem Barbosæ *in eodem capit.* 9. *numer.* 5. non procedit eo casu, quo Clericus actor convenit Laicum coram judice sæculari, quo casu, sicut Clericus actor forum rei Laici, ita etiam ejusdem fori leges sequi debet, ut proinde illa verba *in cap.* 9. posita, *si Clerici contra aliquos, vel aliqui contra ipsos causas habuerint &c.* intelligantur in eum sensum, si Clerici Parisienses (de quibus illud cap. inscriptum est) contra aliquos alios Clericos coram Judice tamen Ecclesiastico actionem instituant.

Quarta regula est, ubi *de re conscientia, & materia peccati* agitur, si inter Jus Canonicum & Civile differentia sit, *tenendum est Jus Canonicum etiam in terris Imperii*; quidquid enim sit de illa quæstione, an S. Pontifex absolutè sit major & superior Imperatore, quam tractant interpretes *ad capit. solita* 6. *de Majorit. & obed.* certè universi Catholici DD. fatentur saltem in spiritualibus, & ubi de salute animæ agitur, S. Pontificis Jurisdictionem tanquam Christi Vicarii, & communis animarum pastoris etiam in terras imperii & totum mundum extendi. Text. *in d. cap. solita vers. quod autem*, *& in cap. novit.* 13. *de Judiciis Extravag. Unam sanctam*, *de Majorit. & obed.* Exemplum ad hanc regulam est *in cap. ult. de Præscript.* ubi corrigitur Jus Civile permittens præscriptionem longissimi temporis cum mala fide. *In cap. ult. de Sepult.* & in *cap. in literis* 5. de raptoribus, ubi statuitur, hæredes defuncti, qui aliis lo vitam damnum intulit, ad exonerandam consc[illegible]am ejus; (neque enim dimittitur peccatum nisi [illegible]uatur ablatum, *cap. peccatum* 4. *de Reg. juris in* 6.) teneri juxta vires hæreditatis ad se devolutæ illud damnum resarcire, contra leges civiles, quæ non obligant hæredem ad damnum à defuncto datum, nisi in quantum ex tali damno v. g. futuro, aut rapina ad eum pervenit, vel lis cum defuncto jam contestata fuerint, *L. unica c. Ex delictis defuncti &c.* Denique ut plurima alia exempla, quæ in diversis titulis occurrunt, prætereamus, leges Civiles permittentes impunè concubinatum, *in t. t. ff. & C. de Concubinis*, *& in Nov.* 18. *cap.* 5. per SS. Canones abrogatæ sunt, *cap. audite* 6. *dist.* 34. & qualiter adversus concubinarios locorum Ordinarii per censuras & invocationem brachii sæcularis procedere debeant, traditur in Concilio Trid. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 8. *& Sess.* 26. *cap.* 14. Non obstat *c. is qui* 4. *& c. Christiano* 5. *d.* 34. ubi ex sententia antiquorum Patrum Christiano una tantùm aut uxor aut concubina permittitur: quia ibi nomine *concubina* non intelligitur scortum (quod Sancti Patres contra prohibitiones Juris divini permittere utique non potuissent) sed uxor ducta quidem per verum consensum matrimonialem (qui ante Concilium Tridentinum absque alia solemnitate sufficiebat ad valorem matrimonii, *cap. is qui* 30. *de Sponsalibus*) at clandestinè sine dotalibus instrumentis, qualis uxor in foro externo, ubi de matrimoniali consensu legitimè non constabat, concubina præsumebatur, *arg. cap. aliter* 1. *causa* 30. *quæst.* 5. & dicebatur: uti in annotatione *in dicto cap. is qui distinct.* 34. rectè exponitur.

Quinta regula est, *in materia Spirituali & Sacramentorum* neglecta dispositione Juris Civilis *universim ad Jus Canonicum recurrendum est*: hæc enim tractare & definire non ad sæcularem sed Spiritualem & Ecclesiasticam potestatem pertinet *c. decernimus* 2. *de Judiciis*.

Quare licet jure civili invalidum sit matrimonium, quod filii familias contrahunt sine consensu parentum, in quorum potestate existunt. *L. nuptia* 2. *&* 18. *ff. de Ritu nuptiarum.* Jure tamen Canonico, & Concilii Trident. *Sess.* 24. *de Reform. matrim. cap.* 1. si non simpliciter licitum, saltem validum pronunciatur, prout infra in lib. IV. ad Tit. *de Desponsatione impuberum* §. 2. expositum.

Sexta regula est, quòd *leges Civiles disponentes de personis & rebus Ecclesiasticis ex defectu jurisdictionis invalidè reputentur*, tametsi favorem Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum concernant, *c. denique* 5. *cum seq. dist.* 96. *c. Ecclesia* 10. *de Constitut.* etenim personas Ecclesiasticas & res earum Jure Divino à sæcularium dominorum potestate exemptas esse, apertè à summis Pontificibus, & Conciliis Universalibus (quibus utique competit de jure Divino cognoscere) declaratum est *in c. nimis* 30. *de Jurejurando c. quamquàm*, 4. *de Censibus in* 6. & in Concil. Trident. *sess.* 25. *de Reform. cap.* 20. quod prolixè tractat Mattha *de Jurisdictione parte* 2. *cap.* 6.

Dixi tametsi leges civiles Ecclesiæ *favorabiles* sint, ne prætextu favorabilis constitutionis Principes & potestates sæculares Jurisdictionem in Ecclesiasticos usurpent, *d. c. Ecclesia*. Sed hoc ita accipiendum est, si lex *favorabilis* contineat aliquam obligationem, sive mandatum & jurisdictionis speciem, prout *in l. jubemus*, 14. *C. de SS. Eccl.* de alienatione bonorum Ecclesiasticorum, in *l. sacris* 47. *C. de Episcopis & Cler.* de electione

Abbatum statuitur, & forma præscribitur, quæ leges non aliter vim habent, quàm quatenus à SS. Canonibus receptæ sunt. At verò si leges nullam habeant annexam obligationem, sed sint merè favorabiles, & pura privilegia, non est dubium, quin valeant & subsistant, ne quod in favorem Ecclesiarum est introductum, quòd legibus sæcularium non subjaceant, in earum odium retorqueatur, si nullo sæcularium Principum privilegio affici possent, contra *c. quod ob gratiam, de Reg. juris in 6.* Tale privilegium est *in auth. quas actiones. C. de SS. Ecclesiis*, ubi contra Ecclesiam Romanam tantùm *centenaria*, contra alias *quadragenaria* præscriptio admittitur. In *auth. item nulla communitas. C. de Episc. & Cler.* ubi Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ ab exactionibus & oneribus realibus per sæculares Magistratus imponendis liberæ pronunciantur. In *Nov. 5. cap. 5.* quòd bona ingredientium monasteria sine prævia dispositione Monasteriis acquirantur. Plura alia similia in primis titulis Cod. & Nov. passim occurrunt.



LIBER



LIBER I.
DECRETALIUM.
TITULUS I.
DE SUMMA TRINITATE & Fide Catholica.

SUMMARIA.

1 *Authoritas S. Scripturæ & sensus Ecclesiæ de SS. Trinitate.*
2 *Pater cur prima persona?*
3 *Filii Generatio duplex.*
4 *Filius quo sensu alibi à Spiritu Sancto, & alibi à tota Trinitate incarnatus dicatur?*
5 *Spiritus Sanctus vivificans, & ex Patre Filioque procedens.*
6 *Fides Catholica, quæ?*
7 *Verba Sacræ Scripturæ non applicanda ad vana, scurrilia & impia.*
8 *Libri non imprimendi sine nomine authoris, & licentia Ordinarii.*
9 *Ad Professionem Fidei qui teneantur.*
10 *De obligatione cujuslibet hominis circa internam vel externam fidei confessionem remissive.*
11 *Transiens per loca hæreticorum cum periculo an possit in die jejunii vesci carnibus.*



A Sanctissima TRINITATE Fonte & origine omnis sapientiæ & justitiæ scientiam Juris Canonici & titulos auspicamur, atque à cujus divinissima gratia accepimus, ad Ejusdem honorem, & gloriam referimus, illius humillimè imploramus auxilium, illi consecramus labores.

Porrò Mysterium Sanctissimę Trinitatis prolixius tradere ad Theologiam speculativam pertinet; Ejus immensitatem capere, supra humani intellectus caliginem, & angustias est, neque in *ullius rei quàm hujus omninò altissima, ac difficillima notitia ac explicatione* (ait Catech. Roman. Pii V. c. 3.) *aut periculosius versari, aut gravius errare possimus*: qui enim *scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria. Proverb.* 25. *vers.* 27. Captivemus igitur
1 intellectum nostrum in obsequium fidei, & credamus, Trinitatem unius & individuæ substantiæ esse; idque ex Divino Evangelii Oraculo Matth. 28. *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*, juncto cap. 16. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi vobis, quia Spiritus veritatis de me accipiet & annuntiabit vobis*. Item Epistola 1. Joan. *cap.* 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*. Credamus, quòd sancta Mater Ecclesia à Sancto Spiritu omnem veritatem edocta in Conc. Lateran. quod habetur in *c.* 1. *hoc tit.* confitetur, & declarat, hanc sanctissimam Trinitatem secundùm communem essentiam individuam, & secundùm personalitates proprias distinctam esse. PATREM à nullo, FILIUM à PATRE genitum, & SPIRITUM SANCTUM ab utroque procedentem, consubstantiales, coæquales, coomnipotentes, & coæternos, unum universorum visibilium, & invisibilium, corporalium & spiritualium principium.

2 PATER *prima persona* dicitur, non quod in TRINITATE aliquid majus aut minus, prius aut posterius tempore sit, sed quòd ipse sit principium sine principio FILIUM ab æterno generans.

3 FILII nativitas, seu generatio duplex est, una (circa quam nihil terrenum aut mortale cogitandum) secundùm *Deitatem*, qua ab æterno, & ante omnia sæcula Deus de Deo ex PATRE natus est ejusdem naturæ, potestatis & sapientiæ cum PATRE. Nativitatem istam licet potiùs sancta fide credere quàm perfectè intelligere valeamus, *generationem enim ejus quis enarrabit? Esaia* 53. pro humana tamen capacitate aliqualiter adumbrare possumus per illam similitudinem, quæ ab animi nostri cogitatione sumitur; ut enim mens nostra se ipsam quodammodo intelligens sui effingit imaginem, quam Theologi *verbum mentis* appellant, ita Deus (quantum tamen divina humanis conferri possunt) se ipsum intelligens *Verbum æternum* generat, & inde in Evangelio *Joan.* 1. *Verbum fuisse apud Deum, & Deus Verbum, & Verbum Incarnatum*, dicitur. Altera præterea Nativitas FILII est, qua propter nostram salutem de cœlo descendens, divinam ac humanam naturam conjungens *incarnatus de Spiritu Sancto, & homo factus est*. Cùm enim homines omnes in prævaricatione Adę innocentiam perdidissent, facti ut Apostolus *ad Ephes.* 2. *vers.* 3. inquit, *natura Filii iræ*, sub potestate diaboli, & mortis, misit cęlestis Pater misericordiarum Filium suum multis ante temporibus sanctis Patribus in veteri Testamento promissum ad hominum redemptionem, & viam vitę ęternę demonstrandam.

4 Quod verò FILIUS in symbolo fidei tantum *à Spiritu Sancto*, & in dicto *c.* 1. *hoc tit.* communiter *à tota Trinitate* incarnatus dicatur, ita intelligendum est, quòd licet omnes Divinæ TRINITATIS Personæ concurrerint secundùm Christianæ fidei regulam *quod omnia, quæ Deus extra se in rebus creatis agit, tribus personis communia sint, neque una magis, quàm alia, aut una sine alia agat*, sacræ tamen literæ earum rerum, quæ omnibus tribus personis communes sunt, aliam aliis tribuere soleant, ut rerum omnium potestatem PATRI, sapientiam FILIO, amorem SPIRITUI SANCTO, & ideò cùm Divinæ Incarnationis Mysterium immensum Dei erga nos amorem ostendat, hoc opus cooperante tota TRINITATE factum, peculiaris amoris consideratione SPIRITUI SANCTO adscribatur.

5 Tertia ergo in Trinit. Persona est SPIRITUS SANCTUS ab inspirando, vel quòd Spiritualem vitam (unde in symbolo fidei *vivificans* dicitur) in nos infundat, sic appellatus. Hunc DEUM esse atq; unius cum PATRE & FILIO substantiæ, præter loca scripturæ superius allegata apertè probat illud *Act.* 3. *vers.* 3. *Cur tentavit Satanas*

cor suum, *mentiri te* SPIRITUI SANCTO? *non es mentitus hominibus*, *sed Deo*. Item 1. *ad Corinth.* 12. *verf.* 6. ubi Apostolus *divisiones*, inquit, *operationum sunt*, *idem verò Deus*, *qui operatur*, & mox *verf.* 11. subjungit; *hæc autem omnia operatur unus atque idem* SPIRITUS. Præterea in Symbolo fidei SPIRITUM SANCTUM à PATRE & FILIO procedentem credimus, quod iterum ex Sacris literis manifestum redditur, in quibus SPIRITUS SANCTUS interdum *Spiritus Patris* vocatur, interdum *Spiritus Christi*, & modò a PATRE, modo à FILIO mitti dicitur *ad Galat.* 4. *juncto cap.* Matt. 10. *&* *cap.* 15. Joan.

6 Circa alteram partem rubricæ, quæ *de Fide Catholica* inscribitur, breviter adnotandum est, quòd *Fides Catholica* dicatur, quam Ecclesia Catholica (id est universalis) Romana, cujus caput est Romanus Pontifex, Vicarius Christi, & D. Petri successor nobis proponit, atque teste D. Paulo *ad Hebr.* 11. *verf.* 1. *sperandarum substantia rerum*, *argumentum non apparentium*. Hæc continetur partim in Sacris Scripturis sive libris Biblicis, partim in Traditione & definitione Ecclesiæ; quænam verò Scripturæ & libri Biblici haberi debeant pro Sacris, Canonicis & Authenticis; declaravit Concilium Tridentinum *sess.* 4. *de Canon. Script.* ubi etiam *in ead. sess. in Decret. de edit. & usu Sac. lib.* severè prohibet sub poenis juris & arbitrariis per Ordinarios infligendis, ne quis publicè aut privatim Sacram Scripturam contra commu-
7 nem Ecclesiæ sensum interpretari audeat, aut verba Sacræ Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos famosos &c. applicare vel usurpare præsumat.

8 Item ne quicunque libri sine nomine Authoris, atque approbatione Ordinarii, quæ in scriptis & gratis detur, in principio vel fine libri apponenda imprimantur; Regulares verò ultra approbationem Ordinarii etiam licentiam suorum Superiorum impetrare teneantur.

9 Præterea ex Conc. Trid. *sess.* 24. *de Ref. c.* 1. professionem *fidei Catholicæ* facere tenentur promoti ad Episcopatum. Atque *in ead. sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. statuitur, *ne provisi de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus Episcopi*, *vel eo impedito coram Generali ejus vicario seu Officiali orthodoxæ suæ fidei publicam faciant professionem*, *& in Romanæ Eccl. obedientia se permansuros spondeant ac jurent*. *Provisi autem de Canonicatibus*, *& Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus*, *non solum coram Episcopo*, *seu ejus Officiali*, *sed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes provisi fructus non faciant suos*, *nec illis possessio suffragetur*.

Quibus Concilii Constitutionibus Pius IV. in bulla, *Injunctum*, & Pius V. in bulla. *In sacrosancta* addidere, ut eadem *fidei professio* etiam fieret ab illis, qui de Monasteriis, Conventibus, domibus & aliis quibuscumque bonis Regularibus, quorumcunque Ordinum etiam militarium, quocunque nomine vel titulo providerentur. Item ut ad hanc fidei professionem teneantur omnes Doctores, Magistri, Regentes & alii cujuscunque artis & facultatis Professores sive Clerici sive Laici, vel cujuscunque ordinis Regulares sint, qui docere vel promoveri voluerint, *Declarat. Card. ad d. sess.* 26. *Trid. c.* 1. Zyp. *in Anal. h. t. n.* 1.

10 Qualiter verò, & quando quilibet homo vel Christianus obligetur ad internam vel externam fidei confessionem vid. D. Th. 2. 2. *q.* 1. *& seqq.* Sanchez *lib.* 2. *Mor. c.* 3. *& seqq.* Paul. Laym. *in Theol. Mor. lib.* 2. *tract.* 1. *c.* 9. *& seqq.* ubi etiam *cap.* 11. docet, quod quamvis nullo casu licitum sit, externa voce, aliove signo veram fidem negare, aut falsam profiteri juxta illud Matth. 10. *verf.* 33. *Qui negaverit me coram hominibus*, *negabo & ego eum coram Patre meo*; præceptum tamen de facienda positiva externa fidei confessione esse ex præceptis *affirmativis*, quæ regulariter obligant quidem *semper*, sed non *ad semper*. Ideoque ex gravi causa & imminenti periculo, ac ubi ex fidei professione nulla spectatur secutura utilitas, sed magis perturbatio, licitum esse quandoque fidem tacere & dissimulare. Atque *n.* 5. inter alia exempla ponit
11 de transeunte cum periculo loca hæreticorum & de vescente carnibus in die jejunii, si talis comestio ab ipso non petatur expressè in contemptum fidei: aliàs enim comedere carnes actus indifferens est, & præceptum Ecclesiasticum abstinendi in die jejunii tanquam humanum non obligat cum tanto periculo. Cætera quoque, quæ ad fidem Catholicam, & authoritatem Universalis Ecclesiæ, Romanique Pontificis spectant, ad Theologiam & Controversias fidei, item ad alios Titulos Juris Canonici, ubi de administratione Sacramentorum, de Majoritate & Obedientia, de Hæreticis &c. agemus, remittimus.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

§. I.

Quid & quotuplex sit constitutio ac quænam ejus causa?

SUMMARIA.

1 *Quid & quotuplex Jus naturæ?*
2 *Quid & quotuplex jus gentium?*
3 *Quid Lex positiva?*
4 *De Lege Divina.*
5 *Leges Veteris Testamenti quales, & an etiam hodie obligent?*
6 *De Lege Divina Novi Testamenti, & Epistolis Apostolorum.*
7 *Quid Lex humana positiva & quotuplex?*
8 *De conditionibus & causis legum humanarum.*

C*Onstitutio* à constituendo sive statuendo dicta in sensu ordinario solùm legem positivam & scriptam denotat, & non nisi valdè impropriè *Jus naturæ* vel *Consuetudo* constitutio diceretur. Est enim *Jus* 1
naturæ, inquit Isid. in c. 7. dist. 1. *commune omnium nationum*, *ex instinctu naturæ*, *non constitutione aliqua procedens*. Et Consuetudo, quæ non de statuto, *sed moribus solùm tracta est*, *c.* 4. *e. dist.* 1. Quia verò in constitutionibus frequens *Juris naturalis* mentio fit, & plerque leges ac constitutiones in Jure naturæ fundamentum aliquod habent, ideo prænotare oportet, hoc *Jus Naturæ* dividi solere in *Primævum* & *Secundarium*. *Primævum* sive *materialiter sumptum* est, quod natura omnia etiam bruta animantia docuit, ut maris & fœminæ conjunctionem, prolis educationem, contra violentiam defensionem &c. *Secundarium* autem, quod à ratione dependet, & hominibus proprium est; uti sunt liberorum hereditaria saltem in legitima successio, pactorum & contractuum observatio, alieni injusti damni evitatio. Unde non ineptè Gratianus: *in princ. dist.* 1. summam juris naturalis in illo Evangelii precepto *Matth.* 7. *verf.* 12. contineri asserit, quo *quisque jubetur alii facere*, *quod sibi vult fieri*, *& prohibetur alii inferre*, *quod sibi nolit fieri*. Dummodo ea interpretatio adhibeatur, ut illa voluntas, qua sibi quis vult aliquid fieri, vel non fieri, sit secundùm rectam rationem, & circa talem rem, in qua quis, si casum in propria sua persona fingeret, debitum justitiæ agnosceret; non verò ex inordinato affectu vel habendi cupiditate. E. g. debeo Titio centum ex mutuo, quod ille, quia nullum habet à me chirographum, probare non potest, cogito, an tenear solvere? Invertam casum, & ponam Titium mihi debere mutuum, quod probare nequeam, mox dictabit naturæ instinctus, quid vellem mihi fieri, quod justum & æquum sit, ergo idem in eodem casu & iisdem circumstantiis faciam alteri &c. Aliud est, si cuperem à Titio mihi donari centum, non ego propterea teneor Titio donare centum, quia hæc voluntas circa alterius bona cum damno ejus vel non est secundùm rectam rationem, vel per se clarè constat, quòd non habeat materiam debiti & obligationis. Unde etiam Lex naturalis apud Theologos *recta hominis conscien-*

conscientia & participatio quadam Legis æterna in creatura rationali convenienter appellatur.

2 Porro Jus naturale *secundarium* etiam *Jus gentium* vocatur, quòd omnibus gentibus inditum sit, Hinc in Jure obligationes ex contractibus, item modi acquirendi, qui habentur *in lib. 2. Instit. t.* 1. promiscuè & Juris naturalis & gentium dicuntur. Sed & *Jus gentium* dividi solet, quòd aliud sit *Primævum*, aliud *Secundarium*, sive aliud *rationis*, & aliud *ratiocinationis*. Jus gentium *Primævum* & *rationis* est ipsum Jus *naturale secundarium*, sive illa ratio æquum ab iniquo dijudicans à natura, sive Deo Authore naturæ hominibus infusa. Jus verò gentium *Secundarium* est, quod ex ratione non simplici, sed *ratiocinata*, & per discursum practicum necessitate hominum ita exigente introductum est. Quò pertinere videntur ea, quæ referuntur *in c. Jus gentium 9. dist.* 1. nimirùm *sedium occupatio, munitio, bella, captivitates, postliminia, Legatarum non violandorum religio* &c. Similiter quæ ponit J.C. *in l. ex hoc jure 5. ff. de J. & J. Ex hoc jure gentium*, inquit, *introducta bella, discretæ gentes; regna condita, dominia distincta: agris termini positi, ædificia collocata; commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes instituta exceptis quibusdam, quæ à jure Civili introducta sunt.* Unde consensum & obligationem ex contractu Jure *naturæ & gentium primario* stringere, modum autem contrahendi *Jure gentium secundario* introductum, stipulationem verò, & literarum obligationem, item & præscriptionem juris Civilis inventum esse dicimus. Et hoc jus gentium non tam constitutionibus, quàm consuetudini & mori, sive usui hominum annumerandum est: nisi quòd multa, quæ juris naturæ & gentium sunt, lege etiam positiva & constitutione Imperatoria vel Pontificia confirmentur.

Plurimùm autem interest, sitne aliquid præcisè Juris positivi humani, vel etiam Juris naturalis. Nam quæ juris naturæ sunt, contraria institutione vel consuetudine abrogari nequeunt, *§. sed naturalia 11. I. de J. & J. N. G. & C. c. ult. de Consuet.* Secùs vero illa, quæ Juris tantùm humani sunt, *c. 1. hoc t. in 6.* Quod verò Ulp. *in l. Jus Civile 6. ff. de J. & J.* dicit, juri naturali a jure Civili addi & demi posse: non intelligendum est eo sensu, quòd pro arbitrio jus naturale abrogari valeat; sed quòd Legislatores propter certas circumstantias in materia vel objecto possint declarare hunc vel illum casum sub præcepto juris naturalis non comprehendi: v. g. præscriptionem sub illo præcepto, *ne quis cum damno alterius locupletetur*: eò quòd hoc præceptum tantùm intelligatur *de injusta locupletatione*, præscriptio autem propter publicam utilitatem, & ad incertitudinem dominiorum, ac copiam litium evitandum non est *injusta*. Item quæ Juris naturæ sunt, semper in conscientia stringunt, *d. c. ult. de Consuet.* Leges verò humanæ quandoque solùm in foro externo, non interno obligant, ut si merè pœnales, si in falsa præsumptione fundatæ sint &c. qua de re inferiùs *in §. 3.* plura tractabimus.

3 Lex *positiva* est constitutio scripta, ait Isidorus *in c. 3. dist.* 1. unde & secundùm aliquos Lex *à legendo*, cum *in scriptis* proponatur: vel secundùm alios *à ligando*, quod populos *liget*; aut ab *eligendo*, quò sit electa vivendi norma, denominatur. Nam cùm effrænata hominum cupiditas in vitia & jurgia prona sit, ideò legem dare necesse fuit, ait Pontifex *in proœm. Decret.* ut appetitus noxius sub Juris regula limitetur, per quam genus humanum, ut *honestè vivat, alterum non lædat, jus suum cuique tribuat*, informetur.

4 Est autem constitutio *positiva* duplex, *Divina & Humana*: Divina, quæ à DEO lata est; & hæc rursus subdividitur, quòd alia sit Veteris, alia Novi Testamenti. Inter Leges veteris Testamenti denuò discrimen est constituendum: aliæ enim sunt *Cæremoniales*, aliæ *Judiciales*, & aliæ *Morales*. *Cæremoniales* sunt, quæ ad cultum Divinum & ritus sacrificiorum Judaicorum pertinent: *Judiciales* quæ circa causas judiciales & debitum ordinem ac æquitatem in populo Judaico servandam præscriptæ erant: *Morales*, quæ ex dictamine & instinctu naturæ procedunt, uti sunt Decalogi præcepta.

5 Leges *Cæremoniales & Judiciales*, quia vel specialiter pro gente Judaica eorumque moribus latæ, vel præfigurativæ Christi, & *umbra futuri luminis* erant, per Adventum Christi & veri luminis disparuerunt, & vim obligandi amiserunt, ut ex D. Paulo *ad Gal. 3. & 4.* satis probatur, & docent Interp. communiter *ad cap. un. de Purif. post partum*. Imo *Cæremonialium* legum observatio non tantùm mortua, sed etiam mortifera & interdicta est Christianis. *Judiciales* verò licèt ex se non obligent tempore gratiæ, propter moralem æquitatem tamen vel honestatem possunt etiamnum hodie vel constitutione introduci *c. 1. de Homicidio c. 1. & seqq. de Injuriis.* Illæ quoque leges *Cæremoniales*, quæ non tam mysteria nascituri Christi præfigurabant, uti sunt immolatio Agni, circumcisio &c. quàm potiùs ad devotionem & cultum Dei decenter peragendum pertinebant, veluti vestes Sacerdotales &c. etiam in nova lege per Ecclesiam repeti possunt, ita tamen ut non ex Lege Divina, sed Ecclesiastica obligent. *Moralia* præcepta veteris Testamenti adhuc vim habent, & perpetuò habebunt, non tam ex auctoritate veteris Legis, quàm ex eo, quòd sint à natura ipsa instituta & à Christo in Evangelio passim præcepta & *mandata servare* jubente repetita; Demum aliquæ sunt leges *Mixtæ*, quæ partim sunt *Cæremoniales* vel *Judiciales*, & partim *Morales*, cujusmodi sunt *Decimæ*, quæ quò ad quantitatem, scilicet decimam partem, legibus *Judicialibus*, quoad congruam sustentationem ministrorum Ecclesiæ *Moralibus* rectè annumerantur, ut infra *ad Tit. de Decimis n. 2.* dicetur. Idem *Sabbathi sanctificatio*, quæ quoad idem Sabbathinum *Cæremonialis*, quò ad cultum Divinum, qui aliquibus saltem diebus soli Deo debetur, *moralis* est. Istæ leges *Mixtæ* non obligant quidem hodie ex jure Divino, in quantum sunt *Cæremoniales* vel *Judiciales*, sed in quantùm sunt *Morales*, qua de re videri poterit Cov. *Variar. resolut. l. 1. c. 17.*

6 Leges Divinæ novi Testamenti sunt, quæ à Christo Domino circà Fidem, Sacramenta, & Sacrificium constitutæ sunt, atque ab ipso, vel ab Apostolis promulgatæ. Circà epistolas & scripta Apostolorum advertendum est, quòd illa tantùm ibi contenta sint Juris Divini, quæ talia esse ex verbis Apostolorum sufficienter colligi potest, v. g. Apostolus dicat. *Ego accepi à Domino Dominus ordinavit &c.* Cæterùm verò ipsi Apostoli tanquam suo tempore Primates & Antistites Ecclesiæ multa separatim à præceptis Divinis pro rationabili fidelium directione, sicuti hodie solent SS. Pontifices & Episcopi, statuerunt. Ita præter Canones Apostolorum exemplum est in Epistola 1. Pauli *ad Tim. c. 3. & ad Tit. c. 1.* ubi Apostolus prohibuit ordinari Episcopum, vel Presbyterum, qui sit *Bigamus, criminosus, percussor*, & tamen id solùm pro lege Ecclesiastica agnoscitur, & ideò in bigamia summus Pontifex, in criminibus non valde enormibus post peractam pœnitentiam aliquando Episcopus dispensare potest, *c. & si Clerici 4. 5. de adulteriis de Judiciis.* Hen. Zoes. *ad tit. de Bigamis non ordinand. n. 14.*

7 Lex *humana positiva* describi potest, quod sit, *recta agendorum ratio à publica potestate communitati denunciata cum voluntate eam perpetuo obligandi*. Dividitur in *Ecclesiasticam & Sæcularem*, illa à potestate Ecclesiastica, hæc à Magistratu sæculari descendit. Utraque subdividitur in *Generalem & Particularem*; *Generalis*, quæ ordinario nomine Legis vel Canonis appellatur, est illa, quæ à summo Pontifice vel Principe Ecclesiastici vel sæcularis status lata universim in tota Ecclesia Catholica, vel toto Imperio obligat: *Particularis* verò, quæ communiter *statutum* vocari solet, ab inferioribus Episcopis aut Prælatis vel Principibus superiorem recognoscentibus promanat.

8 Dixi I. Legem esse, *rectam agendorum rationem*; quibus verbis causa *materialis & finalis* legum insinuatur, *Erit enim Lex*, ait iterum Isidorus *in cap. 2. dist. 4. honesta, justa, possibilis, secundùm naturam, secundùm patriam consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta*. In dubio autem, si de manifesta legis injustitia non constet, sicut aliàs mandatum superioris præsumitur justum, ita etiam à subditis lex justa censeri debet, licet fortassis aliquæ rationes in contrarium opponi possent: cogitandum enim, à prudente Legislatore inter diversa rationum momenta ad tollendam ambiguitatem & disputationis materiam illa selecta fuisse, quæ pro Republica utiliora visa sunt: *Cor enim Regis in*

manu

manu Dei est, & per *sapientiam Divinam Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt. Prov.* 8. Unde & D. August. *in c. in istis 3. dist. 4. In istis temporalibus legibus*, inquit, *quamquam de his homines judicent, cum eas instituunt, cum tamen fuerint instituta, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas*, adde textum *in L. non omnium 20. cum L. seq. ff. de Legibus.*

Dixi II. à *publica potestate:* ex quo causa *efficiens* legum colligitur; nam in statu Ecclesiastico, & circa spiritualia, ac ecclesiastica negotia nunquam potestas legem ferendi penes privatos & populum fuit: in statu autem sæculari & veteri Imperio Romano populus quidem auctoritatem leges & plebiscita faciendi habebat, *c. 1. & 2. dist. 2. L. de quibus 32. ff. de ll.* postquam verò populus sibi Reges, & Imperatores constituit, omnem illam auctoritatem à se abdicavit & Lege Regia in Principes suos transtulit. *L. 1. ff. de Constit. Principum.*

Dixi III. *cum voluntate eos obligandi:* quibus verbis *forma* & *effectus* legum denotatur: ad formam enim legis pertinet, ut Legislator per apta verba declaret mentem suam, quòd non tantùm consuetudo, vel suadendo aliquid dicat (quale consilium necessarium obligationem non habet, nec transgressores ejus regulariter peccatum vel pœnam incurrunt) sed jubendo & præcipiendo, & ita quidem clarè, ne Lex per obscuritatem captionem aliquam contineat, *d. c. 2. dist.* 4. Cum autem circa causas præsertim *materialem & efficientem* plura adhuc notatu digna occurrant, sit.

---

§. II.

De Causa materiali & efficiente Legum.

SUMMARIA.

CUm legis virtus sit *imperare, vetare, permittere* & *punire*, teste Jurisconsult. *in l. 7. ff. de LL.* ideò legum debet esse *materia*, quæ justè *imperetur, prohibeatur, vel permittatur.*

9 Possunt igitur imprimis præter actus justitiæ, & ut suum cuique reddatur, etiam opera aliarum virtutum, ut Temperantiæ, Continentiæ, Religionis &c. & quæ ad has virtutes consequendas tanquam media sunt, ut certarum dierum jejunium, decens in vestitu incessus, concionum & Missarum frequentatio, *imperari & præcipi*, dummodo virtutes non sint tales, quarum sectatio populo sit nimis ardua, & difficilis, prout forent actus consiliorum Evangelicorum, nimirum paupertas, cælibatus &c. hæc enim, licet ex post factò rectè præcipiantur illis, qui ad eorum observationem se priùs per votum, aut per professionem religiosam voluntariè obligarunt, universaliter tamen & ante spontaneam obligationem rationabiliter præcipi non possent.

10 Ex adverso *prohibitoria* legis materia sunt omnia illa, quæ justitiæ aliisque Virtutibus, quarum observatio Reipublicæ utilis & facilis est, contrariantur. Nec interest, an jam priùs lege Divina, aut Naturali similes actus præcepti vel prohibiti existant: nihil enim impedit, quin idem actus pro meliori Juris Divini aut Naturalis observatione, vel declaratione, jure insuper humano contineatur.

11 *Permitti* per leges possunt ea, quæ justa, quæ honesta sunt. Imò etiam aliquando injusta & inhonesta ad evitationem majoris mali, si utrumque in Republica post omnem possibilem diligentiam nequeat evitari, non quidem approbando minus malum tanquam licitum, sed dissimulando ejus pœnam. Ita multi existimant *Deut. 23.* concessum fuisse Judæis exercere usuras cum extraneis, ne cum suis fratribus exercerent: ita ad præcavenda majora & atrociora carnis delicta apud quasdam calidiores nationes minora, ut fornicationes tolerantur, & exempla sunt *Genes. 19. vers. 8. & Judicum 19. vers. 24.* Textus quoque notabiles *in c. 1. & 2. dist. 13. c. 12. 32. quæst. 7.*

12 *Puniunt* demùm leges malefactores in Republica. Et si lex simpliciter aliquid prohibeat, quamvis pœnam determinatam non addat, ejus tamen violator Judicis prudentis arbitrio punietur: frustra enim leges prohibitoriæ ederentur, nisi malefactores formidine pœnæ coercerentur. Julius Clarus *lib. 5. sen. quæst. 83. & ibi additio prima* Menoc. *de Arbitrar. lib. 2. cas. 365. n. 2.*

13 Sunt autem quædam delicta *mixti fori*, quibus tam à Jure Canonico, quàm Civili certæ vel arbitrariæ pœnæ præstitutæ sunt. Et in his inter Judicem Ecclesiasticum & sæcularem locus est præventioni: ita tamen ut in majoribus criminibus, in quibus jure Canonico pœna plerumque potius *medicinalis*, quam *vindicativa* infligitur, punitus in foro Ecclesiastico adhuc ad terrorem malis hominibus incutiendum in foro sæculari puniri possit. *cap. 2. de Maledicis, cap. felicis 5. vers. per hoc quoque, de Pœnis in 6. l. placeat 5. C. de SS. Eccl.* De consuetudine in enormibus criminibus circa Laicos Ecclesia ordinariè totam punitionem Judici sæculari relinquit. Plura de punitione delictorum in lib. V. Decretalium, atque in Tit. *de Pœnis* traduntur.

14 Difficilis est quæstio, an & qualiter actus *interni* vel *occulti* hominis materia legum humanarum esse possunt? Etenim *in l. 18. ff.* de *Pœnis in c. cogitationis 14. de Pœnit. dist. 1.* dicitur, quòd *cogitationis pœnam* (intelligere in foro externo) *nemo patiatur*. In *c. sicut 6. c. tua nos 34. de Simonia* in Trident. *Sess. 24. de Refor. matr. c. 1.* habetur, quòd *Ecclesia de occultis non judicet*. Item, *in lib. V. Decretalium* docebimus, simoniacum, hæreticum, vel usurarium *purè mentalem* pœnas juris non incurrere. Econtra in *c. dolentes 9. de Celeb. Miss.* præcipit Pontifex, ut officium Divinum à Clericis *devotè* recitetur; *devotio* autem & *elevatio mentis* ad Deum actus utique *internus* est. Similiter in *Clem. 1. §. verum de Hæret.* excommunicatio statuitur in eos, qui ex odio, gratia, vel avaritia omittunt inquisitionem contra hæreticos, cùm tamen odium, gratia, vel avaritia actus plerumque *interni & occulti* sint. Item in Concilio Trid. *sess. 24. de Reform. c. 6.* privilegium datur Episcopis, ut possint absolvere à censuris & irregularitatibus ex delictis *occultis* provenientibus. Demum quis neget, peccaturum contra præceptum Ecclesiæ, qui diebus jejunii clam & nemine vidente comederet carnes, Clericum, qui occultè omitteret recitare Divinum officium, &c. aliàs haud dubiè futurum, ut subditi obedirent suis Superioribus ad oculos, & privatim omnia mandata ecclesiastica & sæcularia violarent.

In hac celebri quæstione utendum est distinctione. Nam alii sunt actus *merè interni & per se* occulti, qui in solo animo & cogitatione mentis consistunt; atque hi ordinariè soli Deo subjecti sunt, humanum autem judicium eos cognoscere non potest, & consequenter nec præcipere, nec punire, Quo faciunt exempla de simoniacis, hæreticis, & usurariis purè mentalibus. Alii sunt *externi*, qui præter animi cogitationem etiam ad opus vel actum

externum

externom processerunt; & hi licet sint *per accidens* occulti, quia secretò facti, testibus vel aliis documentis probari non possunt, subjacent tamen jurisdictioni & potestati legislativæ, quamvis ex defectu probationis aliquando per accidens judicium humanum effugiant. Sic si Episcopus censuram ferat, *ut quisquis furtum sacrilegum fecerit, excommunicationem incurrat*, in hanc censuram incidet, qui etiam nemine vidente furatus fuerit. Pariter qui libros hæreticos clam legerit, excommunicationem Bullæ Cœnæ (supposito quòd ea Bulla in illo loco recepta sit, de quo dubitari potest in Germania, vid. quæ dixi *in Man. Paroch. part. 3. c. 2. circa* 1. *casum Bullæ*) incurret: tametsi interim tales in judicio externo ob defectum probationis puniri non possint, quod per accidens contingit. Alii denique sunt actus *mixti*, partim *externi*, partim *interni*, in quibus præter actum externum etiam interna animi præparatio sive intentio concurrit, & ad operis externi moralem perfectionem, & substantiam necessaria est, ut in Sacramentorum administratione, perceptione, & celebratione Divini officii &c. Propterea si Ecclesia præcipere potest opus externum v. g. celebrationem Missę, Sacramentorom administrationem & perceptionem &c. potest etiam saltem *indirectè* præcipere id, quod est necessariò connexum, & sine quo opus externum *validè & rectè* non perficitur, ut devotionem, intentionem consecrandi, contritionem &c. *de connexis enim idem est judicium*, & homo non tantùm quo ad directionem corporalium & materialium externarum actionum; sed etiam quo ad directionem animæ Superioribus subjectus est juxta illud Apostoli *ad Rom. 13. vers. 1. Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, & paulò post, *ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram* (scilicet Judicis externi) *sed etiam propter conscientiam &c.* & *ad Hebr. 13. vers. 17. Ipsi* Superiores *pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Præterea sicut lex pręcipere potest actum internum concomitanter cum externo, ita etiam actum malum internum punire valet, quatenus operi externo connexus est; quo sensu interpretandus est textus *in dicta Clement. 1. §. verum, de Hæreticis*. Et exemplum in Jure Civili est ex tit. *de injuriis*, ubi tunc demum injuria ponitur, si ex *animo & intentione injuriandi* processerit *l. si non convitiis 5. C.* de *Injuriis*.

15 Causa *efficiens* legum humanarum, uti jam in priori §. insinuatum, publica potestas est, quæ in statu Ecclesiastico penes summum Pontificem, & reliquos Prælatos, in statu sæculari penes Imperatorem & alios Principes ac Dominos residet; ita tamen, ut quilibet Legislator pro modo tantùm & termino suæ jurisdictionis legem ferre possit, *extra territorium enim & supra jurisdictionem suam jus dicenti impunè non paretur, l. ultima ff.* de *Jurisdictione*.

16 *Summus Pontifex* in materia spirituali & concernente salutem animæ, ac rectam Ecclesiæ gubernationem in toto orbe Christiano legem ferre potest: quia ipsi omnium suarum ovium curam in Beato Petro Christus commisit, *Matth.* 16. Porrò etiam Heretici, quamvis de facto resistant, de jure tamen lege Pontificia obligantur; non item Judæi & Gentiles, nisi quatenus illa lex jus Divinum vel Naturale contineret, ex ea differentiæ ratione, quòd Hęretici per Baptismum in Ecclesiam ingressi, ejus subditi, licet rebelles, effecti sint. Unde etiam DD. inferunt, quòd ad fidem Ecclesiæ Catholicæ suscipiendam, sicuti rebelles subditi ab obedientiam, compelli possunt; secus verò Judæi & Gentiles, quibus nunquam per Januam Baptismi in Ecclesiam ingressis rectè accommodatur illud Apostoli 1. *ad Corinth. 5. Quid mihi de iis, qui foris sunt* (idest extra Ecclesiam) *judicare, nam eos Deus judicabit &c.* Quid verò de hæreticorum matrimoniis, vel quæ in in locis hæreticorum à Catholicis contrahuntur, dicendum, tradėmus in *Lib. IV. ad Tit. de Clandestina desponsatione num.* 20. Plura item de S. Pontificis authoritate inferius hoc libro in tit. de *Majoritate & obedientia*, explicabuntur.

17 Cæterùm quòd de summo Pontifice, etiam de *Conciliis generalibus Oecumenicis* sentiendum est: nam & his jurisdictio in totam Ecclesiam & omnes Christianos competit, neque aliter legitima sunt, quàm si authoritate Romani Pontificis congregentur & confirmentur *c. significasti 4. de Elect.* Alia sunt Concilia *Provincialia*, quæ Archiepiscopi una cum suis Suffraganeis in suis Provinciis instituunt. Alia *Diœcesana* vel *Synodalia*, quæ Episcopi celebrant in suis Diœcesibus. Et hæc quidem potestatem leges & statuta condendi habent, sicut ipsi Archiepiscopi, & Episcopi, sed ita, ut eorum jus & obligatio ultra terminos Provinciæ, aut Diœcesis non extendatur: adeò ut tametsi in Decreto Gratiani quidam Canones ex aliquo Concilio Provinciali vel Diœcesano allegentur, eos tamen non esse universaliter obligatorios, omnes illi adnotarint, qui nobiscum docent, Decretum Gratiani ad primævam suam authoritatem revocari. Deinde etiam advertendum est, quòd inferiores Prælati, nec soli, nec in Conciliis sine licentia summi Pontificis aliquid statuere valeant contra jus commune Canonicum. Inferior enim legem Superioris abrogare non potest; & condere ac tollere legem ab eadem potestate procedunt. *Clemen. Ne Romani 2. in princ. de Electione*. Circa ea proindè solùm leges ferre possunt, quæ ad reformationem morum, vel cultum divinum pertinent, aut quæ jure communi apertè decisa non sunt.

Non obstat vulgare dictum, quòd Episcopus in sua 18 Diœcesi possit ea, quæ Pontifex in tota Ecclesia: quia id universaliter concedendum non est, sed cum dependentia & subordinatione ad Papam tanquam Superiorem, & salvis illis, quæ summo Pontifici specialiter reservata sunt: nam Ecclesia Romana, quæ prima est, & Diœceses ac Episcopatus inferiores divisit, & ita reliquis Ecclesiis, earumque Prælatis vices suas largita est, ut in partem vocaret sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis *cap. qui se 12. causa 2. quæst. 6.*

Quærit ad propositum hujus loci Panormit. *in c. ult. de* 19 *Consuet. num. 9.* quare Imperator potiùs Principibus sæcularibus concedere soleat, ut in suis terris possint facere statuta contra jus commune Civile, quàm Pontifex Episcopis? Item quare in aliqua Diœcesi possit introduci consuetudo contra jus commune Canonicum, & non etiam statutum? Responderi potest ad primum, quia majus est periculum in abrogatione Juris Communis Ecclesiastici: hoc enim cùm principaliter ordinetur ad finem salutis æternæ, timendum foret, ne forsan cum periculo animarum erraret Episcopus, dum contra S. Pontificis Christi Vicarii & Pastoris universalis judicium & legem suo arbitrio statuere permitteretur. Jus autem sæculare ordinatur principaliter ad statum externum politicum, quem inferiores Principes possunt secundum naturam & mores singulares nationum sine gravi periculo faciliùs dirigere. Quod si etiam lex communis Ecclesiastica non possit certo populo cum fructu accommodari, S. Pontifex ea de re informandus est, atque ejus desuper cognitio, & motatio vel remissio legis exspectanda. Responderi potest ad secundum cum eod. Panorm. quòd consuetudo, si sit tamen rationabilis, habeat tacitum consensum summi Pontificis, rationabiles enim consuetudines tolerantur ex *tot. tit. de Consuet.* quem consensum S. Pontifex potiùs (saltem per modum dissimulationis) factis rationabilibus hominum impendit, quàm statutis Episcoporum, eò quòd uti potestate legislativa contra Papam ita decreta etiam ex causa rationabili videatur sapere aliquam ambitionem, quæ successivè aperit viam ad plures inobedientias. Addi etiam potest, quod plerumque difficilius sit impedire consuetudinem, quæ ex diuturno tempore & inveteratis moribus processit, quàm statutum vel legem particularem.

Legati Sedis Apostolicæ etiam statuta facere possunt 20 in provinciis & locis suæ legationis, quæ durant etiam post officium eorum finitum, *c. ult.* de *Officio Legati*.

Capitula Cathedralium Ecclesiarum, sede Episcopali 21 vacante, etiam statuta & constitutiones facere possunt, quia succedunt in jurisdictionem Episcopi, ex qua dimanat potestas statuendi. Et illa statuta etiam durant in tempus futuri Episcopi: quamvis enim jurisdictio Capituli sit tantum temporalis, quamdiu sedes vacat, quod tamen ex ea rectè gestum est, perpetuum habere debet, *argum. c. fi.* de *Officio Legati & c. factum legitimè. 73. de R. J. in 6.* Sed Capitulum sede vacante potest quidem statuere circa ea, in quibus tunc habet jurisdictionem, ut circa negotia ipsum Capitulum concernentia, circa reformationem morum, causas judiciales

&c.

&c. non verò circa talia, per quæ præjudicetur juri, authoritati, vel redditibus successuri Episcopi, ut si vellet statuere, quòd *Charitativum* subsidium totum, vel pro parte minueretur, quòd redditus Episcopales essent inter Capitulares distribuendi &c. nam in personam Episcopi ejusque jura & redditus Capitulum nullam habet jurisdictionem, consequenter in iis statuere nihil potest. Episcopus quoque successor potest ex causa rationabili statuta à Capitulo sede vacante facta revocare, non secùs ac alia statuta suorum Antecessorum, quia Capitulum vel Antecessor non potest Episcopo successori legem perpetuam præfigere, *cùm par in parem non habeat imperium* aut jurisdictionem, *c. innotuit.* 20. *de Electione*: Videatur Quarant. *in summa bull. verbo, Capitulum sede vacante*. Frid. *de sen. conf.* 16. & Pavin. *in speciali tractatu, de Potestate Capituli sede vacante*.

22 Aliquando autem Capitulares sede vacante, speciali pacto aut juramento se obligant, ut quisquis in Episcopum eligendus fuerit, certa statuta inviolabiliter observare debeat: quæ pacta aut juramenta obligant nnvum Episcopum ad præstationem fidei interpositæ, nisi foret manifestè in præjudicium Canonum, vel Ecclesiæ, vel animarum, vel dignitatis Episcopalis, *c. ult. de Pactis*, textus ad propositum notabilis, ubi Panormi. & Barb. *in c. sic ut nostris* 27. *de Jure jurando*.

23 *Ordines etiam Religiosi*, eorumque *Prælati* leges & statuta facere possunt juxta consuetudines suas, privilegia & modum suæ Regulæ. Utrùm autem Religiosi teneantur semper acceptare nova statuta Reformatoria? Respondeo esse distinguendum, an tales reformationes
24 sint contra pravas consuetudines, quæ tendunt ad dissolutionem disciplinæ monasticæ, violationem votorum, & scandalum aliorum hominum? & haud dubiè dicendum est, Religiosos teneri, ac compelli posse ad necessarias istas reformationes acceptandas, quæ tamen primam Regulam duriorem non constituant, *c. relatum* 7. *& ibi Gloss. ne Clerici vel monachi c. unico de Statu Regular. in 6*. An verò reformationes fiant contra consuetudines, & mitigationes rationabiles, quæ primævum Regulæ rigorem juxta patriæ & hominum naturam citra animarum periculum temperarunt, v.g. quòd matutinum oretur de mane, quòd liceat carnibus vesci &c.? & probabiliùs videtur, quòd Religiosi similem reformationem acceptare non teneantur: quamvis enim simpliciter professionem fecerint secundùm Regulam, tamen nec in novitiatus experientia, nec in professione intentio fuit aliter se obligandi, quàm ad Regulam juxta præsentem usum rationabiliter mitigatam: neque enim perfectio religiosi hominis in maximo rigore & vitæ austeritate consistit, quam multi sine corporis & etiam frequenter animæ ac desperationis periculo ferre non possent, sed in perfectione amoris Dei, & in *declinando à malo*, ac *faciendo bonum*, ad quod assequendum etiam in ordine mitigatiore sufficientissima media sunt, & considerandum, quòd sæpè primi Regulæ Fundatores certæ nationi & terræ, ubi vixerunt, regularia statuta accommodarint, quæ alibi ob diversam terræ & hominum naturam utiliter observari non possunt. Si quis verò aliter, quàm per austeritatem se minimè perfectionem consecuturum credat, is vel rigorosas sui mortificationes voluntarie & privatim suscipere, vel secundum *c. licet* 18. *de Regularibus*, etiam post professionem ad alium strictiorem Ordinem transire valebit.

25 *Conventibus & Capitulis Regularium, ac Collegiatarum Ecclesiarum sede vacante* jurisdictionem (ex qua potestas statuendi deducitur) aliqui negant, aliqui tribuunt, ut inferiùs in Tit. *Ne sede vacante &c. lib.* 3. dicemus, ideò consuetudo locorum præcipuè attendenda erit. Cæterùm si quid ab his statuetur, vel mediante pacto aut juramento firmaretur circa successorem prælatum, ejusque revocandi potestatem, illa huc accommodari possunt, quæ superiùs de statutis *Capituli Cathedralis Ecclesiæ sede vacante* tradita sunt.

§. III.

De Obligatione Legum in utroque foro.

SUMMARIA.

26 *An Legislator teneatur suis legibus?*
27 *Princeps tenetur stare suo pacto.*
28 *An & quatenus peregrini & viatores teneantur legibus loci?*
29 *Hispanus an extra suam Patriam possit diebus Sabbathinis edere intestina animalium?*
30 *Absens modico tẽpore quando habeatur pro presente?*
31 *Peregrini probabiliter non obligantur particularibus statutis.*
32 *Excipiuntur casus aliquot.*
33 *Respondetur ad contraria.*
34 *An peregrini teneantur alibi legibus domesticis?*
35 *Clerici quatenus ligentur legibus laicorum?*
36 *Lex humana quatenus obliget in conscientia?*
37 *De lege fundata in præsumptione.*
38 *Hæres non conficiens inventarium, an in conscientia teneatur ultra vires hæreditatis?*
39 *Litterarum obligatio, de qua* in tit. Inst. de Litt. oblig. *an procedat in conscientia?*
40 *Leges in præsumptione fundata, qua ratione sint justa in foro externo:*
41 Fictio & præsumptio *juris differunt, illa etiam in Conscientia locum habet.*
42 *De lege pœnali, quando obliget in conscientia.*
43 *Ad pœnam incurrendam quando requiratur sententia judicis declaratoria, & quid intersit inter sententiam judicis condemnatoriam & declaratoriam.*
44 *Pœna corporales quatenus obligent.*
45 *Incarceratus etiam justè an possit fugere?*
46 *Ad tributa & vectigalia an quis teneatur in conscientia.*
47 *Leges infirmantes actus inter vivos aut ultimarum voluntatum quanda procedant in foro interno.*
48 *Pacta nuda obligant in conscientia.*
49 *Actus illicitus non semper est invalidus.*
50 *Si lex actum prohibeat, an in dubio censeatur etiam invalidasse.*
51 *Actus aliquando invalidatur civiliter tantum.*
52 *Lex potest actum invalidare civiliter & naturaliter, & ibi exempla.*
53 *Ex S.C. Vell. & Maced. non est obligatio in conscientia.*
54 *Potissima difficultas, quando irritatio fit propter omissas solemnitates juris.*
55 *Lex est domina rerum.*
56 *Ad Actus valorem requiritur voluntas & potentia agentis.*
57 *Illegitimitas occulta impedit in conscienita à dignitate.*
58 *Prohibitio de rebus Ecclesiæ non alienandis etiam in conscientia stringit.*
59 *Legum Civilium, quæ relicta in testamento non solenni & soluta repeti negant, vel solvi jubent, singularis interpretatio.*
60 *Relictum in testamento non solenni an possit retineri usque ad condemnationem judicis?*
61 *Solennitates actuum non fundantur in præsumptione.*
62 *Actum invalidare, & denegare actionem, differunt.*
Alia Summaria sub §. 4.

QUæritur I. utrum Princeps vel Legislator ipsemet sua lege obligetur? Pro negativa est textus in *l. Princeps* 31. *ff. De Legibus* ubi dicitur, *Principem legibus solutum esse*. Et facit ratio, quòd leges ferantur & dirigantur in subditos, non in Legislatorem: *sibi enim imperare nemo potest* teste J.C. *in l. penult. ff. de Recept. qui arbitr. & c.* & sicut aliàs *nec par in parem*, Ita nec quisquam *in se ipsum* habere jurisdictionem videtur. Econtra pro affirmativa adducitur *L. digna vox* 4. *C. de LL.* ubi imperatores rescripserunt, *dignam esse vocem Majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri, & majus imperio esse, submittere legibus principatum,* 26
Isi-

Isidorus quoque *in c. justum 2. dist. 9. justum est*, inquit, *Principem legibus obtemperare suis, tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse eis reverentiam prabet*, & *in l. ex imperfecto testamento 23. ff. de Legat. 3.* ait Paulus J. C. *ex imperfecto testamento legata Imperatorem vindicare inverecundum est: decet enim tantam majestatem eas servare leges, quibus ipse solutus esse videtur*.

In hac q. respondeo & dico I. Princeps & Legislator simpliciter obligatur illis legibus, quæ continent jus *Divinum* aut *Naturale*: quia hæc jura, cùm à Deo Authore naturæ procedant, supra Principem sunt, quamvis ab eo populo proposita & declarata. Unde qui Princeps suo contractui vel pacto stare debeat, non eximitur per plenitudinem potestatis suæ propter consensum præstitum, qui Jure naturæ servandus est *l. 1. ff. de Pactis*. And. Gail. *Pract. obser. lib. 2. observat. 55. n. 7.*

Dico II. in legibus *verè positivis* humanis, sive Civilibus, sive Ecclesiasticis, quædam sunt, quæ propriè tantùm ad populum feruntur, & Principis sive Legislatoris personam propter ejus eminentiam, aut aliam specialem rationem non concernunt. Et hæ sine dubio Principem non obligant; ut si prohibeatur populo armorum aut vestium nimis pretiosarum gestatio &c. & exemplum esse potest *in l. sancimus 34. C. de Donationibus*, ubi prohibetur donatio ultra *quingentos solidos*, sive aureos sine insinuatione apud Magistratum, excipitur autem ibidem donatio à Principe facta.

Dico III. in legibus merè positivis, quarum observatio æquè Principem decet ac populum, uti est frumenti & aliarum mercium taxatio, solemnitates actuum inter vivos & ultimatum voluntatum, jejunium Ecclesiasticum, confessio annua &c. communis est DD. distinctio inter vim *coactivam* & *directivam*, ita ut Princeps vel alius Legislator *vi coactiva* non teneatur stare suis legibus: cùm nemo sit, qui eum cogat, & is potestatem mutandi, vel abrogandi legem babeat; teneatur autem (nisi habeat rationabilem causam excusantem) *vi directiva*, hoc est, non ex vi jurisdictionis propriè dictæ, quam in se ipsum nemo propriè exercet, sed ex dictamine & directione rectæ rationis, qua se Princeps tanquam caput & membrum principale toti corpori communitatis conformat: nam teste August. *in c. quæ contra 2. dist. 8. turpis est omnis pars suo universo non congruens*; & ne etiam à populo facilè violentur leges, si ipse Legislator omnium primus in easdem committat. Minor tamen culpa, & sæpe cessante scandalo tantùm venialis, si legislator contra suam legem veniat, quàm si populus: quia ille tantùm ex congruentia, hic autem etiam ex obedientia ad servandas leges obligatur.

28 Quæritur II. utrùm Peregrini & Viatores obligentur legibus illius loci, per quem transeunt, si non ibidem intendant habitare? Si de legibus *juris divini aut Naturæ* loquamur, res dubio caret: quia istæ leges ubique terrarum obligant. Idem est, si loquamur de *legibus humanis* Juris communis: nam & his Peregrini in omnibus locis obligantur, in quibus illæ leges vigent & observantur, quia istarum legum communium subditi sunt. Imò si ponamus, aliquam legem Juris Communis in Patria non observari, sed observari in loco peregrinationis, per quem aliquis transit, tenebitur Peregrinus ad hujus legis observationem: quia consuetudo contra jus commune, cùm sit odiosa, restringitur ad locum, & extra eum non extenditur; sicut statutum vel aliud privilegium locale.
29 arg. *c. 2. hoc tit. in 6.* Undè licèt in Hispania moris sit, diebus sabbathinis comedere intestina animalium, si tamen Hispanus per alias Regiones transeat, eum ad abstinentiam à Jure communi Ecclesiastico præscriptam sub peccato teneri cum plerisque DD. docet Navar. *in Man. Confess. c. 23. n. 120.* & Paulus Laym. *de Legibus c. 12. num. 3.*

30 Non obstat, quòd absens modico tempore fictione juris reputari soleat pro præsenti in illo loco, à quo abest, & consequenter etiam illius loci privilegiis & consuetudinibus gaudere possit, sicut in contrarium argumentatur Sanch. *de Matrim. Libro 3. disp. 18. q. 1. n. 7.* quia illa fictio juris non procedit in omnibus, sed in certis tantùm casibus in jure expressis, ut si Canonici vel Beneficiati à residentia suorum Beneficiorum modico tempore absint juxta Trid. *sess. 23. de Refor. c. 1.* aliàs etiam procederet in casu *dicti c. 2.* & excommunicatione per statutum Episcupi lata teneretur, qui extra Diœcesim ejus modico tempore existens delinqueret: item à secularibus Judicibus capi non posset malefactor, si extra Ecclesiam immunitate locali gaudentem mox reversurus exiret, quod certè contra communem doctrinam & praxim est. Interim licèt hæc sententia, Navarri & aliorum ordinariè, maximè ad evitationem scandali tutior sit; propter authoritatem tamen Sanch. & aliorum virorum DD. qui eum sequuntur, non auderem semper alicujus gravis peccati damnare eum, qui contrariam teneret, præsertim rationabili aliqua causa v. g. conservandæ valetudinis accedente, & remoto scandalo, ut si Germanus tempore quadragesimæ in Italia privatim comederet ova, caseum, & alia lacticinia, quæ prohibentur *in c. denique 6. Vers. par autem dist. 4.*

Potissima igitur difficultas quæstionis nostræ est de le- 31
gibus & statutis particularibus locorum. Respondeo, probabiliorem esse sententiam, quam præ cæteris diligenter examinat, & sequitur Sanch. *d. disp. 18. q. 1.* Peregrinos & Forenses non obligari particularibus statutis, vel consuetudinibus loci, in quo per modum hospitum reperiuntur. Ratio est: ubi deficit ordinaria jurisdictio, deficit legum obligatio, quæ jurisdictionem supponit, sed in peregrinos ob brevem hospitii moram deficit ordinaria jurisdictio *arg. l. hæres absens 19. §. 2. ff. de Judiciis*, ergo &c.

Attamen hæc regulariter procedunt: nam ab hac re- 32
gula aliquot casus excipiuntur, ut I. si ex transgressione legum loci aliis detur scandalum; quod tamen scandalum plerumque evitari potest, inquit Sanch. *c. l.* vel transgrediendo occultè, vel admonendo adstantes, se legibus loci ex communiori DD. sententia adstrictum non esse.

II. Si mora in aliquo loco sit longior, usus communis docet, tales Peregrinos debere se accommodare legibus & consuetudinibus loci, præsertim in rebus spiritualibus, ut observatione festorum, jejuniorum &c. tum quòd id exigat quies Reipublicæ, quæ aliàs ex diversis hominum moribus perturbatur; tum quòd habitatores ad tempus longius in aliquo loco ibidem quasi domicilium & forum competens sortiantur.

Quantum autem tempus requiratur ad hanc obligationem inducendam, DD. inter se non conveniunt: mihi videtur probabiliùs maximè circa leges Ecclesiasticas, quod cum Navar. *in Tract. de Jubil. not. 32. n. 43.* docet Laym. *d. l. n. 1.* sufficere, quòd aliquis non merè tanquam Viator mox pertransiens in loco sit, sed ibidem certo permanendi proposito etiam ad breve tempus, aliquot v. g. septimanarum aut mensium alicujus negotiationis causa habitationem aliquam fixerit vel conduxerit *d. l. hæres absens §. proinde 2. ff. de Judiciis*, & tunc statim prima die, qua cum hoc proposito habitationem sibi constituit, tenebitur: nam sicut ad *verum*; ita etiam ad *quasi* domicilium constituendum, & sequentem obligationem ac fori competentiam inducendam nullius certi temporis lapsus, sed *animus* tantùm habitandi & *factum* ipsum habitationis inchoatæ requiritur, ut ex *l. domicilium 20. ff. Ad municipalem*, in *Tit. de Foro comp.* trademus.

III. Contractuum, aliorumque actuum solemnitates etiam à Forensibus instituendæ regulantur secundùm leges loci, ubi celebrantur *l. si fundus 6. ff. de Evictionibus l. 1. C. de Emancip. liber.*

IV. Ob bonum publicum & ad evitandum damnum possunt Viatores certis legibus constringi v. g. ut solvant vectigalia, ne frumentum aut arma vel armorum materiam extrahant, ne ultra triduum in loco commorentur, &c. Hæc exceptio passim quidem à DD. traditur, sed quare vel quomodo in hoc casu jurisdictio in Viatores detur, non assignant. Forsan ista ratio non incongruè statui potest, quòd jure naturæ & gentium teneatur aliquis evitare alterius damnum; & qui sentit commodum transitus, sentire etiam debet onus legum pro bono publico introductarum. Item quia transitus non aliter à Magistratu conceditur, quàm sub conditione observandarum talium legum, hinc qui transire volunt, ipso facto in se prorogant, & agnoscunt. Magistratus jurisdictio-

ctionem *arg. l. 5. ff. de Judiciis*. Accedit etiam consuetudo locorum, quæ dare potest in multis casibus jurisdictionem *c. dilecti 4. de Arbitris*.

Quintam exceptionem aliqui addunt in *vagis hominibus* nullum certum domicilium habentibus: Sed hos non improbabiliter excusat Less. *Lib. 4. c. 2. n. 49.* ex eadem ratione, qua alios Peregrinos, quòd scilicet non sint propriè subditi illius loci, per quem transeunt, & non sit in eos jurisdictio nisi ex causa *delicti* vel *debiti*, propter quod ubique in jus trahi possunt ob publicam utilitatem, ne à delicto impunes, vel à solutione immunes evadant.

33 Porrò contra datam responsionem ad principalem quæstionem contrariæ sententiæ Authores, quibus absolutè placet, Peregrinos omnibus legibus loci adstringi, plura argumenta opponuntur, quæ Sanch. *disp. 18. n. 4.*, adducit & *n. 16.* resolvit, ex quibus duo tantùm principaliora referam.

Primum est *ex c. illa 11. dist. 12.* ibi *cùm Romam venio jejuno Sabbatho: cùm Mediolani sum, non jejuno. Sic & tu ad quamcumquè Ecclesiam veneris, ejus morem serva.* Respondetur hunc textum in primis esse SS. Patrum Augustini & Ambrosii, quorum authoritas magna quidem est, sed non semper *decisiva*, ut dixi *in Proœmio*, & textus est notabilis *in c. 5. dist. 9.*; vel posse explicari, ut contineat consilium, non præceptum, quatenus scilicet utiliter tanquam opus bonum suaderi potest hominibus, ut secundùm particulares loci usus festum aut jejunium observent, non imperati; vel intelligi de casu conjuncto cum scandalo, vel quo aliquis moram longiorem in aliquo loco trahit.

Secundum argumentum sumitur ab instantia, quòd nimirum peregrinus Sacerdos, si veniat ad locum interdictum, non possit ibidem Divina celebrare, aut mortuus sepeliri; ergo sequitur, quòd leges loci obligent etiam Peregrinos. Respondeo negando consequens, quia antecedens non provenit ex directa obligatione interdicti respectu Peregrinorum, sed ex incapacitate ipsius loci, qui tali interdicto directè affectus est, qua de causa ne quidem infantes vel amentes (qui tamen interdicti & censuræ incapaces sunt) in loco interdicto sepeliri possunt, tasta Cuv. *in c. Alma mater de Sent. excomm. in 6. parte 2. §. 4. n. 6.* Reliqua argumenta pleraque dissolvuntur per exceptiones supra positas, ut de illis casibus exceptis explicentur.

34 Quæritur III. an peregrini teneantur legibus domesticis suæ Patriæ, quamdiu in externis locis versantur? Respondeo negativè, quia statuta particularia etiam respectu subditorum non extenduntur ultra territorium statuentis *c. 2. hoc tit. in 6. l. fin. ff. de Jurisd.* Quare non peccabit, qui festum aut jejunium in sua Patria ab Episcopo statutum alibi non servat, ubi festum aut jejunium secundùm jus commune non est; nec incurret censuram Episcopi per statutum latam, qui extra Diœcesim delinquit. Dico si censura *per statutum* lata sit: nam specialiter *per sententiam* in personam lata subditum etiam extra territorium stringit, ut *in Titulo de Sententia excommunicationis* explicavi. Exceptio est, nisi statuti transgressio vergat in detrimentum vel injuriam loci; v. g. Si statutum sit, ne quis verba injuriosa contra Principem vel Magistratum sub certa pœna loquatur &c. *arg. l. ult. ff. de Decret. ab ord. faciend.* Qua ratione etiam statutum, quod Clerici absentes certo anni tempore ad synodum vel Ecclesiam comparere debeant, sustinetur, *c. ex tua 11. de Clericis non resid.* cùm enim quilibet civis, & incola naturali quadam æquitate teneatur defendere commodum suæ Patriæ, honorem sui Magistratus, hinc est, quòd ad eum finem legibus rectè constringi valeat, tametsi extra Patriam existat.

Sed quid si Jus Commune in Patria observetur, in loco autem transitus contraria consuetudine abrogatum sit? etiam hoc casu Peregrinum, quamdiu in tali loco vivit, non teneri ad observationem juris, cum aliis tradit Sanch. *d. disp. 18. n. 18. & seq.* & Suar. *Lib. 2. de Fest. c. 14. in fine*, eo quòd hoc sit quasi privilegium *locale*, quo gaudent etiam Advenæ & Peregrini, & quilibet possit (quamvis non semper teneatur) se consuetudini locorum accommodare. Unde inferunt, Germanum v. g. transeuntem per Hispaniam posse die sabbathi intestina comedere.

35 Quæritur IV. an & quatenus Clerici legibus vel statutis sæcularibus Magistratuum obligentur; Respondeo regulare esse quòd sæculares Magistratus suis legibus directè obligandi Clericos, & personas Ecclesiasticas, vel ipsas Ecclesias potestatem non habeant, *c. Ecclesia 10. hoc tit.* propter defectum jurisdictionis, à qua Clericos jure Divino exemptos esse sæpiùs alibi probavimus *cap. nimis 30. de Jurejur. cap. quamquam 4. de Censibus in 6.* præsertim si in specie, & nominatim de Clericis disponant, quamvis in eorum favorem v. g. ne alienatio rerum Ecclesiasticarum valeat &c. *d. c. Ecclesia* nisi dispositio esset in *merum* favorem vel privilegium sine omni obligationis, aut præcepti onere annexo v. g. ut Ecclesia gaudeat quadragenaria præscriptione, vel alia immunitate &c. Idque ex veriori DD. sententia extenditur, ut ne quidem circa bona patrimonialia *allodialia* (secus est de *feudalibus*, quæ non absolutè, sed sub certis reservationibus & salvo jure feudali in Clericos transeunt *cap. ex transmissa 6. de foro comp.*) statutis Laicorum Clerici subjaceant; tum quòd exemplo & argumento ducto à Levitis Veteris Testamenti Clerici non tantùm in personis, sed etiam rebus suis exempti sint, *d. c. quamquam &c. ultimo ubi Gloss. notabilis in verbo. suis facultatibus de Vita & honest. Cleric.* tum etiam quòd lex civilis non possit aliquid statuere in bona, nisi obligando simul personas ad ejusmodi statuti observationem, sed personæ Clericorum à sæcularibus obligari non possunt, ergo nec bona. Quæ ampliùs confirmantur ex vulgatis juris regulis, quòd *accessorium sequatur suum principale*; quòd *quæ Religiosis adhærent, religiosa censeantur*; quòd *de connexis idem sit judicium &c.*

Non obstat, quòd alia sint privilegia Ecclesiarum & Ecclesiasticorum bonorum, quæ bonis patrimonialibus Clericorum non competunt, uti quadragenaria præscriptio, restitutio in integrum, & similia: non enim est bona consequentia, si privilegium unum scilicet exemptionis est communicatum bonis patrimonialibus Clericorum, ergo omnia debent esse communicata: aut econtra, si aliqua non sunt communicata, ergo nullum est communicatum: à particularibus namque ad universale regulariter non est bona illatio. Sanè licèt Clerici quoad suas personas indubiè exempti sint, sicut Ecclesiæ, non tamen sequitur, quòd Ecclesiarum instar habeant Privilegium immunitatis localis, ut maleficos ad se confugientes semper protegere possint; quod majorennes in judicio, vel contractu læsi in integrum restituantur.

Dixi autem Clericos regulariter & *directè* non obligati sæcularibus legibus: obligantur tamen *indirectè* communibus legibus Reipublicæ, in qua ipsi etiam tanquam membra & concives censentur, in quantum tales leges non repugnant SS. Canonibus, aut immunitati Ecclesiasticæ, quales sunt leges contractuum, taxatio mercium, restitutio ex causa læsionis sive delicti &c. est tamen hæc obligatio non ex radice sæcularis jurisdictionis, sed solùm secundùm vim directivam, quatenus tales leges in æquitate naturali fundatæ sunt, & congruentia est, ut ad communem pacem in Republica servandam omnes inibi degentes communibus legibus utantur: item quia leges, & constitutiones Principum sæcularium in defectu canonum generaliter à summis Pontificibus recipiuntur in *c. 1. de Novi oper. nunciat.* Unde etiam secundùm vim *coactivam* Clerici à Magistratibus secularibus ad observationem legum sæcularium constringi, aut ob transgressionem puniri non possunt; hoc enim esset in eos directam jurisdictionem exercere. Imo etiam leges, quæ pœnam aliquam continent, & irritant testamenta, contractus, vel reddunt homines inhabiles ad contrahendum vel testandum ob admissum crimen, non obligare Clericos, eo quòd contineant vim *coactivam*, cum communi docet Navar. *de Constitut. consilio 43. n. 5.* nisi à jure Can. receptæ sint.

Quæritur V. An, & quando leges humanæ sive Eccle- 36
siasticæ sive Civiles obligent in conscientia; Respondeo sicut subditi tenentur in conscientia obedire suis superioribus, & Magistratibus, tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis justa præcipientibus, ita etiam leges Ecclesiasticæ, & sæculares, si sint justæ in foro externo, regulariter sunt etiam justæ in foro interno sive conscientiæ. *Omnis anima*, inquit Paulus *ad Rom. 13. vers. 1. sublimioribus potestatibus subdita sit: non est enim potestas nisi à DEO; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et paulo inferiùs: *Judex Dei Minister est, vindex in iram ei, qui malè agit, ideo necessitate*

ſtate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Et S. Petrus *in Epiſtola* 1. *c.*2. *verſ.* 13. *Subjecti igitur eſtote*, ait, *ſive Regi, quaſi præcellenti; ſive ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei*, &c.

Videtur quidem circa leges civiles in contrarium obſtare, quòd leges ſicut alii actus non agant ultra Legislatorum & agentium intentionem, arg. *cap. ult. de Præbendis & l. non omnis* 19. *ff. de Rebus creditis*; ſæcularium autem Legislatorum intentio non ſit, ferre leges in ordine ad Conſcientiam, ſed tantùm ad externum ſtatum politicum.

Reſponderi tamen poteſt, licèt leges ſæculares non ſemper obligent ex intentione Legislatoris ſecundi in conſcientia, qui eſt Magiſtratus ſæcularis, obligent tamen ex intentione, & voluntate Legislatoris primi, qui eſt Deus, ſecundùm allegata Scripturæ loca; hinc S. Thomas 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. ait: leges hominum juſtas habere vim obligandi in conſcientia à lege æterna DEI, à qua mediatè derivantur.

37 Verùm ab hac recepta ſententia, quòd leges juſtæ in foro externo, ſint etiam juſtæ in foro interno *duæ* communiter ſtatuuntur *exceptiones*. Prima eſt, *ſi lex ſit fundata in præſumptione*: tunc enim non aliter obligat in conſcientia, quàm ſi id, quod lex præſumit, in rei veritate ſubſit
38 v. g. in *Novel.* 1. *c.* 2. hæres non conficiens inventarium tenetur creditoribus ultra vires hæreditatis etiam emergentia debita ſolvere, quamvis tot & tanta bona in hæreditate non invenerit, quia præſumptio juris eſt, quòd cùm non confecerit inventarium, clam aliqua bona de hæreditate ſubtraxerit, ut ex textu *dicti cap.* 2. non obſcurè colligitur, ibi in principio: *& non perca, quæ forte ſurripiunt, aut malignantur &c.* item in *§.* 2. *dabit eis pœnam exactio ſuæ malignitatis &c.* propterea ſi revera hæres non conficiens inventarium nihil in hæreditate *ſurripuerit aut malignatus* fuerit, ex communiori DD. ſententia ultra vires hæreditatis in conſcientia non obligabitur. Licèt verò aliqui exiſtiment conſtitutionem Novellæ fundari potiùs *in quaſi contractu* aditæ hæreditatis, quòd hæres adeundo hæreditatem cenſeatur tacitè promittere creditoribus omnibus ſatisfactionem, & conſequenter ex hac promiſſione in conſcientia obligetur, priùs tamen, quod de præſumptione fraudis dictum, probabilius videtur: eo quòd omnis *quaſi contractus* ſupponat intentionem ſe obligandi ad naturalem æquitatem: nemo autem in dubio cenſeri poſſit ſe velle obligare cum tam gravi ſuo damno; nec æquitas naturalis id ſuadeat; creditores quoque multùm conqueri haud poſſunt, quia ſi confectum fuiſſet inventarium, ipſi non plus, quàm in hæreditate repertum, accepiſſent. Similiter, ut innumera alia prætereamus quorum aliqua ex *libro II. Decretal. ex titulo de Præſumpt.* deſumi poſſunt, familiare exemplum eſt ex *Inſtit. de Liter. oblig.* ubi relinquens chirographum ſuum, in
39 quo ſe debitorem fatetur, per integrum biennium apud creditorem non accepta pecunia, poſteà in foro externo ſimpliciter ad ſolvendum condemnatur, nec ampliùs cum exceptione *non numeratæ pecuniæ* auditur. Quia tamen hæc obligatio, quæ ex *ſolemnitate litterarum* oritur, non habet æquitatem naturalem nec conſenſum, niſi ſub tacita conditione: ſi pecunia numerata fuerit, & in foro externo præſumptio ſit, numeratam fuiſſe, quòd aliàs tanto tempore debitor litteras ſuas apud creditorem non reliquiſſet, ideò ſi veritas hujus præſumptionis à parte rei non ſubſit, & debitor nihil acceperit, in conſcientia quoque ad nihil reſtituendum tenebitur.

40 Non tamen idcirco ejuſmodi leges in præſumptione fundatæ in foro externo tanquam iniquæ reprobandæ ſunt: quia licèt in uno vel altero particulari caſu ob defectum veritatis præſumptæ materialiter injuſtæ eſſe poſſint, formaliter tamen, & in genere regulariter juſtæ ſunt; nam ad tollendum aliquod malum, vel procurandum bonum in Republica (v. g. ut in exemplis propoſitis hæredibus malignandi & debitoribus debita injuſtè negandi occaſio ſubtrahatur) leges rectè ob defectum vel difficultatem aliarum probationum in præſumptione ſe fundare poſſunt: quia & præſumptio probationis ſpecies eſt.

41 Præterea etiam hic advertendum, quòd ea, quæ de *præſumptione* juris dicimus non ſint pariter de *fictione juris* accipienda: nam *præſumptio* ſupponit veritatem, *fictio* autem etiam cognita falſitate aliquid certum ſtatuit, ut propterea lex *in fictione* fundata, ſi de cætero manifeſtè injuſta non ſit, etiam in conſcientia locum habeat. Ita Canonicus & alius Clericus de jure communi ex legitima cauſa à ſuo beneficio abſens, qui fictione Juris pro præſente habetur, optima conſcientia tanquam præſens fructus ſui beneficii lucratur; ita ratihabitio etiam quo ad effectus fori interni *fictione Juris* retrotrahitur, & mandato æquiparatur *cap.* 10. *de Regulis juris in* 6. ſi v. g. procurator Titii ſine mandato ejus fundum aliquem vendiderit, quam venditionem Titius primùm poſt annum vel biennium ratam habeat, emptor non tantùm à die ratihabitionis, ſed primæ emptionis fructus ex tali fundo perceptos in conſcientia etiam ſuos faciet.

Altera exceptio eſt, quòd *lex mere pœnalis* ante Judi- 42
cis ſententiam non obliget in conſcientia, poſt ſententiam verò latam obliget ad non reſiſtendum, & ſuſcipiendam pœnam: cùm enim lex debeat moribus & naturæ hominum eſſe congrua, plerumque non foret rationabile, ut Legislator aliquem obligaret, ut ſui ipſius eſſet accuſator, reus, Judex & executor, quod naturæ admodum grave, & contrarium exiſteret.

Sed ad hujus exceptionis plenum intellectum ſciendum eſt, leges pœnales alias eſſe *merè & purè* pœnales, alias verò *mixtas*. Lex *purè pœnalis* eſt, quando Legislator non intendit ad culpam vel reatum in conſcientia obligare, ſed tantùm ad pœnam: quod ordinariè contingit circa tales actus, qui abſolutè non contrariantur Juri Divino aut naturali, ſunt tamen contra bonos mores politicos, & eorum intermiſſio confert ad Reipublicæ ſtatum tranquillum & pacatum conſervandum, v. g. ne quis noctu ſine lumine ambulet, certum veſtium ornatum portet, &c. ſicut etiam in Religioſorum Ordinum ſtatutis quædam cenſentur *merè pœnalia*, quæ ad peccatum grave non obligant (neque enim conſultum, imò nec ſemper juſtum aut validum eſt, ut in materia leviori Prælati conſcientias ſuorum ſub gravi culpa onerent) ſed tantùm ad pœnam ob meliorem diſciplinæ monaſticæ conſervationem v. g. ne Religioſi certo tempore loquantur, opus quamvis honeſtum, ſibi tamen eo tempore non conceſſum faciant &c. Dices, quomodo in hujuſmodi actibus vel legibus poteſt ſtatui pœna, ſi nulla ſit culpa aut peccatum: cùm tamen pœna deſcribatur eſſe noxæ, delictorum, & peccatorum vindicta, ac coercitio, *in l. aliud* 131. *in princ. &* §. 1. *ff. de Verb. ſignif.* Reſpondetur, hic quidem non intervenire culpam vel peccatum, quod ſignificet defectum coram Deo culpabilem, intervenire tamen culpam & peccatum ſignificans defectum in genere moris, & contra laudabilem Reipublicæ ordinationem. Aliquando verò etiam accidere poteſt, ut tranſgreſſio legis pœnalis inducat verum peccatum coram Deo, ſi ſcilicet fiat ex contumacia & contemptu Magiſtratus cum aliorum ſcandalo vel perturbatione in Republica.

Aliæ ſunt leges *pœnales mixtæ*, quando aliquid prohibetur ſub culpa, & pœna, quod ut plurimum accidit in illis delictis, quæ juri divino aut naturali adverſantur, ut in furto, homicidio, & ſimilibus. In his porrò duplex eſt obligatio, una ad culpam etiam in conſcientia, altera ad pœnam, quæ regulariter ante Judicis & Juris ſententiam non obligat in conſcientia, neque tenetur aliquis ſui ipſius eſſe accuſator, Judex & executor. Dico autem *regulariter*: nam aliquæ pœnæ ſunt, quæ ipſo jure, & ipſo facto admiſſi criminis incurruntur; & iſtæ, ſi aliam executionem externam non requirant, ſtatim ut factum illud, cui talis pœna ipſo Jure annexa eſt, committitur, in conſcientia locum habeant, uti ſunt cenſuræ & irregularitates, quæ ipſo facto incurruntur, inhabilitas vel impedimentum ad electionem activam vel paſſivam, ad contrahendum matrimonium &c. Si verò pœnæ ipſo Jure illatæ 43
etiam externam aliquam exceptionem requirant, veluti amiſſio dominii, confiſcatio bonorum juxta *cap. cum ſecundùm leges* 19. *de Hæret. in* 6. privatio beneficii aut fructuum beneficialium &c. tunc ad obligationem in conſcientia producendam ſententia Judicis *declaratoria* requiritur, ut rectè docet Sanch. *Lib.* 2. *Moralium cap.* 6. *n.* 11. niſi lex in ſpecie addat clauſulam: *alia etiam declaratione non ſecuta*, ut in Concilio Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *verſiculo, ſi quis autem:* ibi *eum* (ſcilicet Epiſcopum vel cura-

tum

tum non residentem legitimo tempore,) *pro rata temporis absentia fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta illos sibi detinere posse.* Ex quo textu bonum argumentum desumitur, quod sicut aliàs *exceptio firmat regulam in casibus non exceptis*, ita etiam hic exceptio specialis & insolita clausula, *alia declaratione non secuta*, circa hunc casum arguit & confirmat, quòd aliàs ad pœnas etiam ipso jure inflictas in conscientia præstandas sententia *declaratoria* requiratur.

Si quæras, quæ sit ergo in effectu differentia, an per sententiam Judicis *condemnatoriam*, vel an *per declaratoriam* inferatur pœna, ne gratis alia pœna per Judicem, alia per ipsam legem imponatur? Respond. hanc esse differentiam, quòd pœna illata per sententiam Judicis debeatur primùm à die sententiæ, pœna autem illata à Jure & postea per sententiam declarata debeatur non tantùm à die declarationis, sed retrò a die commissi criminis ipso jure pœnam annexam habentis. Sed ait, ergo saltem frustraneum est illud jus retinendi pœnam v. g. fructus beneficiales ipso jure amissos in conscientia, si post declarationem omnes etiam retrò percepti restitui debent? Respond. quòd illud jus retinendi in conscientia hoc opererur, quòd res aut fructus ipso jure amissi non extantes, sed interim consumpti, sive eorum æstimatio aut pretium, si exinde possessor tempore declarationis non sit locupletior effectus, in restitutionem non veniant, sicut de confiscatione bonorum ipso jure statuta ob crimen hæresis vel aliud tradit Syl. *verbo Hæresis* 1. *q.* 8. *vers. Probis*.

44 Quòd si pœna mortis, aut mutilationis, vel alia corporis afflictiva statuta sit, non potest, quidem Reus obligari, ut directè tales pœnas exequatur, v.g. ut venenum bibat, famis inedia se ipsum conficiat &c. quia talis obligatio, utpote naturæ sui conservativæ valde contraria, censeretur moraliter impossibilis; tenetur tamen post sententiam non resistere executioni, & debet etiam indirectè cooperari, quatenus est necessarium ad executionem faciendam v.g. scalas ascendere, collum præbere &c. Non esset tamen gravis peccati arguendus, qui potiùs naturali mortis aut suplicii horrore, quàm ex contemptu Magistratus executioni minùs promptè obsequeretur.

45 Imò etiam fugientem ex carcere declinandi gravis supplicii causa, quamvis justè incarceratum, quàmplurimi DD. à peccato excusant, nimis enim durum videtur obligare homines in conscientia, ut media salvandi vitam suam, quæ juri divino non repugnant non adhibeant; licèt per accidens custodes carcerum damnificarentur; tum quòd id eorum culpa eveniret; tum etiam quòd utens jure suo non censeatur alicui injuriam vel injustitiam facere *l. nullus videtur* 54. *ff. de Regulis juris*, qua de re videri poterit Paulus Lay. *de Legibus c.* 15. *n.* 7. & alii apud eum citati.

46 Quæritur VI. an leges tributorum & vectigalium, quæ à Dominis Territoriorum imponuntur, obligent in conscientia? Non desunt apud Cov. *in Relect. c. peccatum de Regulis juris in 6. p.* 2. §. 5. qui simpliciter negant, tales leges in conscientia obligare, adeòque vectigalium & tributorum defraudatores in foro interno tutos esse, & tantùm in foro externo, si deprehendantur, pœna commissi vel confiscationis mulctari posse. Fundamentum eorum est, quòd omnes leges humanæ habentes aliquam pœnam annexam non obligent in conscientia: cùm Legislator annectens pœnam videatur oon iotendere ad culpam & reatum conscientiæ obligare, sed sola pœna contentus esse. Verùm contraria sententia, quam tenet Cov. *c. l. n.* 5. & P. Lay. in Theol. mor. *l.* 3. *tract.* 3. *p.* 1. *c.* 3. *num.* 5. & alii communiter, probabilior & tutior est, quòd nimirum leges tributorum & vectigalium, si justæ sint, hoc est, si latæ ab habente authoritatem, si ex justa causa, & secundùm quantitatem communem non iniquam, obligent in conscientia non tantùm ad solvendum, sed etiam ad non solutum seu defraudatum restituendum. Ratio est: quia lex vectigalium & tributorum fundatur in justitia commutativa, ex qua Principi vel Magistratui pro sua sustentatione debetur compensatio, & redditus annuus propter onera publica & curam regiminis publici ab iis, quorum gratia sustinetur. Id quod valde efficaciter confirmatur ex sententia Christi de tributo à Judæis interrogati *Matth.* 22. *vers.* 21. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Item ex verbis Apostoli *ad Rom.* 13. *vers.* 5. *Necessitate subditi estote etiam propter conscientiam: ideò enim* (nota connexionem cum eo, quod dixit de conscientia) *& tributa præstatis, Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes; reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, &c.* Non obstat ratio in contrarium allata: quia illud fundamentum ita generaliter positum communiter à DD. rejicitur, præsertim circa leges, quæ ex æquitate naturali aut justitia commutativa procedunt; cùm in similibus additio pœnæ principalem obligationem & præceptum non infirmet, sed potiùs ejus gravitatem arguat, & declaret, mentem Legislatoris fuisse sub gravi culpa adstringere. Licèt interim ipsa pœna in conscientia ante Judicis sententiam non obliget, & quamvis in conscientia sit obligatio solvendi tributum, non tamen tenetur defraudans, antequàm condemnetur, bona sua proprio motu in commissum dare, vel pœnam statutam exsolvere.

Addunt verò præcitati DD. & cum illis Syl. *verbo Gabella* 3. *n.* 17. si vectigal vel tributum communi fama vel persuasione populi reputetur iniquum, aut sub prætextu sustentationis congruæ, vel alterius necessitatis impositum in usus non necessarios ad nutriendam pompam superfluam vel avaritiam cederet, non oriri conscientiæ obligationem. Quòd si consideratis omnibus dubitetur de justitia tributi aut vectigalis, maximè si fuerit noviter impositum, & à non antiqua consuetudine introductum, monet Syl. *d. l. n.* 29. Mol. *Tom.* 3. *disp.* 674. *n.* 7. *&* 9. ut confessarii ante factum inclinent Populum ad solutionem faciendam, ne se periculo injustitiæ erga Principem exponant, sicut & aliàs in dubio ad obedientiam & reverentiam Principi præstandam inducendus est populus: post factum autem nec semper gravis peccati arguant, nec cogant restituere, quia in dubio melior esse potest possidentis conditio. Minor plerumque videtur difficultas facienda cum forensibus & externis, quibus ob solum transitum per aliquem locum vectigalia ac pedagia imponuntur: his enim minor est obligatio conservandi alienum Principem, quàm subditis suum proprium, nisi in quantum cura alieni Principis etiam in istorum commodum redundat, videlicet ex reparatione viarum, pontium, securitate itinerum, vel quòd in tali loco tutò merces emi & avehi possint, Syl. *dict. l. n.* 18. Ubi etiam *n. seq.* resolvit, eos, qui exigunt vectigalia à transeuntibus teneri ad satisfactionem, si per suam negligentiam itinera & loca sui Territorii minùs tuta conservarint, & exinde transeuntibus damnum evenerit. Et generaliter communis est sententia imponentam nova atque injusta tributa ac vectigalia ad restitutionem, vel aliam æquivalentem compensationem teneri. Qua de re plura apud prænominatos authores videri poterunt.

47 Quæritur VII. an leges infirmantes contractus vel testamenta, aut aliàs defunctorum ultimas voluntates propter omissam solemnitatem, vel aliam causam, etiam locum habeant in foro interno, ut ex tali contractu vel testamento infirmato nihil in conscientia debeatur, aut retineri possit?

In celebri hac controversia DD. tam Theologi, quàm Jurisperiti in diversas sententias abierunt. Oportet autem prænotare, in quo conveinant, & in quo dissentiant, ut status quæstioois & difficultas accuratiùs percipiatur.

48 Conveniunt igitur I, si contractus vel alius actus jure naturæ aut gentium valeat, eumdem verò lex civilis seu positiva non approbet quidem, sed nec improbet, quod tunc non detur actio in foro externo ad multitudinem litium evitandam, sit tamen naturalis obligatio etiam in conscientia stringens, & in foro externo exceptionem patiens, eò quòd jure naturæ talis actus vel pactum subsistat, prout circa pacta nuda concorditer tradunt Interpretes: *Instit. ad tit. de Obligationibus, & ad tit. Decret. de Pactis*.

49 Conveniunt II. quod aliquando lex expressè prohibeat contractum, vel alium actum, celebratum tamen non irritet, & annullet, adeòque faciat quidem *illicitum*, sed non *invalidum*, cujus propterea observatio etiam in conscientia obliget, quod patet ex *c. ad Apostolicam* 16. *de Regularibus*, ubi dicitur, *quòd multa fieri prohibeantur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*; sicut ibidem deciditur, quòd professio religiosa non debeat fieri ante annum probationis expletum, facta tamen valeat, & sustineatur. Quod ante Concilium Trid. ita obtinuit; in eo-

in eodem verò Concilio *sess. 25. de Regular. c. 15.* omnis professio facta ante annum 16. ætatis, vel unum probationis expletum non tantùm prohibita, sed etiam annullata est. Sic matrimonium contractum non præmissis in Ecclesia denunciationibus, vel in fraudem priorum sponsalium de futuro, vel cum voto simplici castitatis, aut alio impedimento impediente, illicitum est & peccaminosum, non verò invalidum, prout *in Lib. IV. Tit. de Matr. contrah. contra interdict. Eccl.* §. 1. explicatur.

50 Imò communiter receptum est, quòd in dubio, quando ex verbis aut circumstantiis aliter de mente Legislatoris non apparet, leges *prohibitoria* ita exponi possint, ut actum solummodò, *prohibeant*, non *invalidum* reddant, si de cætero juri naturæ, aut bonis moribus non repugnet, teste Suar. *lib. 5. de Legibus cap. 25. & 29. per notata marginalia ad Gloss. in l. 6. C. de Pactis num. 3.* tum argumento *d. c. ad Apostolicam*; tum etiam ob vulgata juris axiomata, quòd abrogatio Juris communis & præsertim naturalis sit strictè interpretanda, neque in dubio inducenda; quòd infirmatio contractus sit odiosa, & præjudicans: in similibus autem, ubi jura non sunt clara, quod *minimum*, hoc est, *minoris præjudicii, vel minoris pœna*, sit tenendum *per regulam 30. & 49. de Regulis juris in 6.* Verùm huic sententiæ obstat textus valde clarus *in l. non dubium 5. C. de Legibus*. Ubi imperator expressè rascribit: ea, quæ *lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam haberi, licèt Legislator fieri prohibuerit tantùm nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est*. Idque confirmatur *ex l. 6. C. de Pactis*, *ex c. imperiali 13. Causa 25. quæst. 2. ex cap. quæ contra 63. de Regulis juris in 6.* in quibus locis simpliciter asseritur: *quæ contra legis prohibitionem fiunt, inutilia, infecta, & sine viribus æstimanda esse*. Quare ego magis credo juri conformem doctrinam Gloss. & Hont. Can. *in dicto cap. quæ contra 64. de Reg. jur. in 6.* quòd regulariter actus contra juris prohibitionem celebratus etiam invalidus sit, nisi speciali aliquo jure sustineatur, vel ex circumstantiis, aliisve conjecturis colligi possit, mentem Legislatoris fuisse, actum solummodò prohibere, non irritare, ut in exemplis superius adductis. Ad rationes in contrarium faciliùs est respondere, quàm ad textus juris claros pro hac parte allegatos; nam quod dicitur *in cap. ad Apostolicam 16. de Regularib.* obtinet in casibus, in quibus habetur juris decisio, vel de mente Legislatoris præsumptio; Alia verò juris axiomata possunt intelligi, quando dubitatur, an certus aliquis contractus propter particulares circumstantias in specie cadat sub juris prohibitionem, si autem constet, esse prohibitum, jam propter *cit. L. non dubium cum concordantibus* non videtur ampliùs esse dubitandum de ejus invaliditate.

51 Conveniunt III. quod lex humana possit invalidare actum *civiliter* tantùm, denegando actionem, vel concedendo rescissionem ejus per officium Judicis manente interim *naturali obligatione*, usque dum actus in foro externo rescindatur: veluti si minor tutore authore hæreditatem lucrosam repudiarit, aut damnosam adierit, & postea restitutionem in integrum postulet *l. 1. & seq. C. Si tutor vel curat. interven.* si v. g. prohibeatur sub certa pœna venditio frumenti aut aliarum mercium extra territorium &c. in similibus casibus is, qui accepit rem alienam, retinere potest usque dum à Judice revocetur; dummodo contra justitiam commutativam ob defraudationem justi pretii, vel metum illatum nihil peccatum sit: tunc enim in foro interno etiam ante sententiam judicis restitutio facienda est, & quidem ex sententia Sanch. *de Matrim. lib. 4. disp. 9. n. 4.* tametsi metus fuerit levior, qui in foro externo non meretur restitutionem, modò fuerit causa, *sine qua non* fuisset contractum. Ille verò, qui promisit, & necdum tradidit, nec in foro externo, nec in interno obligatur; est enim illa naturalis obligatio propter justam prohibitionem fori externi inefficax, & etiam in foro externo parit justam exceptionem contra adversarii petitionem, sicut regulariter, cui competit actio ad dati repetitionem, vel contractus rescissionem; eidem multò magis datur exceptio ad retinendum *l. nihil interest 112. & l. invitus 156. §. 1. ff. de Regulis juris*, & dolo petitur, quod mox restitui debet *l. dolo 8. ff. de Doli mali, & metus exceptione*.

Conveniunt IV. quòd lex humana possit actum aliquem jure naturæ, vel gentium subsistentem ita annullare, ut nulla prorsus nec naturalis, nec civilis sive in foro externo sive interno obligatio inde nascatur; imò nec tuta conscientia in tali actu persisti, aut aliquid exinde retineri possit. Ita Concilium Tridentinum annullavit contractum matrimonii sine Parocho & testibus celebratum. Ita lex civilis irritat contractum à pupillo infantiæ proximo sine authoritate Tutoris initum, *l. quod pupillus 41. ff. de Condict. indeb. l. pupillus 59. & ibi Gothof. ff. de oblig. & act.* etenim jus naturę in genere quidem producit obligationem ex consensu, non simpliciter, sed quatenus consensus est *justus*: in quibus autem particularibus casibus consensus justus, vel injustus sit, lex humana declarare & decidere potest. 52
* Hucque referri potest privi- 53
legium *S. C. Vellejani* fœminis concessum, ne pro aliis efficaciter intercedere seu fidejubere valeant. Item constitutio *S. C. Macedoniani*, ex qua filiusfam. non tenetur reddere Mutuum acceptum, nisi cum consensu patris acceptum, vel in rem seu utilitatem ejus, aut sumptus aliàs a patre suppeditandos versum sit. Molina *de J. & J. tom. 2. disp. 30. n. 2.* Less. *l. 2. c. 20.*

Sed jam in *quinto* magna est dissensio, quando lex hu- 54
mana præscribit certam formam actui v. g. electioni, alienationi rei Ecclesiasticæ, testamentis aut codicillis &c. qua forma non servata actus in foro externo invalidus reputatur, utrùm in tali casu ob omissam formam actus non tantùm *civiliter*, sed etiam *naturaliter* annullatus sit, ut nec in foro interno ullum effectum habeat, ut qui v. g. ex non solemni electione dignitatem, ex mala alienatione rem Ecclesiasticam, ex imperfecto testamento hæreditatem, vel legatum consecutus est, ne quidem in conscientia retinere possit.

Sanè Fachin. *L. 4. controv. c. 5.* acriter contendit, solemnitates testamentorum nullam vim habere in foro interno, si constet de voluntate defuncti, adeòque institutum vel legatarium in testamento non solemni in conscientia tutum esse, imò hæredem ab intestato in conscientia obligari, ut sequatur voluntatem defuncti, quamvis deficiat juris positivi solemnitas. Argumentum est, quòd ex voluntate defuncti etiam *non solemni*, dummodò ex sana & deliberata mente procedat jure naturæ, & ex naturali obligatione debeatur id, quod defunctus voluit, licèt in foro externo pro eo consequendo actio non detur: id quod non leviter hoc modo probatur. Ubi solutum repeti non potest, ibi saltem naturalis est obligatio, ubi enim nulla prorsus solvendi est obligatio, quocumque errore solutum repeti potest *l. quod indebit. 7. & l. quod pupillus 41. ff. de Condict. indeb.* sed relicta in testamento non solemni, & soluta repeti non possunt, *l. 2. C. de Fideicommissis leg. non dubium 16. C. de Testamentis*, ergo naturali obligatione debentur. Eamdem opinionem alio fundamento adjuvat Panorm. *in cap. cum esses 10. de Testamentis, & in c. quia plerique 8. de Immunit. Eccles.* quòd solemnitatem actuum, & testamentorum à jure civili ex præsumptione & evitatione fraudis, quæ circa talia committi solet, inductæ sint; leges autem fundatæ in præsumptione locum non habeant in conscientia, quando de veritate & ei [illegible] voluntate defuncti constat *per text. notab. in l. fin. C. de Fideicom.*

His tamen non obstantibus probabilius videtur, quod docet Covar. *in dicto c. cum esses de Testam. n. 12. & seq.* solemnitates testamentorum (idem est de aliorum actuum vel contractuum substantialibus solemnitatibus, quibus non observatis in foro externo annullantur) etiam in foro animæ vim & effectum suum habere, neque retineri posse in conscientia, quod ex contractu vel testamento nullo (citra spontaneam agnitionem hæredis, de qua infra) acceptum est; è contra tutum esse hæredem ab intestato, si testamentum defuncti nullum expugnaverit, utcumque de voluntate ejus constiterit.

Ratio est I. quòd leges & præcepta Legislatorum atque etiam judicum justa in foro externo, etiam sint justa in foro interno, ut superiùs *in q. 5.* probavimus; neque esset conveniens ut Judex alicui in foro externo justè adjudicaret hæreditatem contra voluntatem defuncti in testamento non solemni expressam, & tamen in conscientia accipiens tutus non esset.

55 II. Lex est domina terum, & potest ex causa uni dominium auferre, & contra voluntatem ejus in alium transferte, ut accipiens etiam in conscientia tutus sit, sicut in jure *præscriptionis*, *& usucapionis* manifestum est. Ergo multò magis ex defectu solemnitatum ob publicam utilitatem iotroductarum poterit impedire dominii translationem contra voluntatem transferte volentis, & aliis, scilicet legitimis hæredibus, & præsertim filiis (quibus jure naturæ & gentium potiùs, quàm extraneis debetur, *l. cum ratio ff.7. de Bon. dam.*) adjudicare: cùm minus præjudicii sit noo acquirere quàm acquisitum perdere.

56 III. Ad valorem cujusque actus etiam in foro interno duo requiruntur; scilicet *voluntas & potentia* per tex. *in cap. cum super 23. de Offic. Deleg.* prout in Physicis non movetur ex mea *voluntate* lapis, si pondus vitium *potestati* resistat. Quidquid ergo testator in testamento non solemni *voluerit*, effectum non habebit, si *potestas* id faciendi jure prohibente non fuit, *l. hac consultissima 21. §. 1. Cod. de Testamentis* ibi: *ex imperfecto testamento voluntatem teneri defuncti non volumus, &c.*

57 IV. In *c. innotuit 20. de Electione* non obscurè colligitur, quòd illegitimè natus absque dispensatione electus non possit salva conscientia dignitatem acceptare, licèr hoc impedimentum illegitimè nativitatis jure tantùm humano statutum sit.

58 V. In *extravag. ambitiosæ. de Rebus Ecclesiæ non alien.* non tantùm alienans res Ecclesiasticas sine solemnitate, sed etiam malè alienatas recipiens excommunicationem incurrit, quod fieri non posset si accipiens in conscientia non peccaret; siquidem excommunicatio non nisi ob peccatum mortale incurratur. Quæ duæ postremæ rationes valdè obstant illis, qui putant, electionem vel alienationem rei ecclesiasticæ contra jus tantùm humanum celebratam in conscientia observari posse.

59 Ad primum & potissimum argumentum in contrarium respondet Cov. non esse *naturalem* sed *moralem* tantùm & *honestatis* obligationem. Mihi salvo meliori judicio videtur etiam dici posse, non probari absolutè in allegatis legibus, nec *in ult. C. de Fideicommiss.* quòd relicta in testamento non solemoi & per errorem soluta repeti nequeant; cùm regulate sit, quòd ex omnibus causis, quæ jure non valuerunt, vel non habuerunt effectum, soluta per errorem repeti possint *l. ex his omnibus 54. ff.*
60 *de Condict. indeb.* * Sed hoc, quòd hæres, de cujus principali præjudicio agitur, possit suo juri, quod haberet contra testamentum non solemne, renunciare, & *agnoscere* (quod verbum in sensu juris significat *acceptationem, consensum &c.* prout DD. *agnoscere & acceptare* Legatum in testamento relictum pro synonymis accipiunt. Harp. *ad §.2. I. de Legatis num. 34.*) voluntatem defuncti, idque juris interpretatione censeatur facere solvendo minus solemniter relicta, post quam agnitionem non sit ampliùs locus pœnitentiæ *juxta reg. 21. in 6. quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.* Ita non obscurè colligitur ex ipsis textibus allegatis, *in d. l. non dubium 16. C. de Testament.* ibi: *Et si voluntas defuncti circa legata, & fideicommissa legibus subnixa non sit, tamen si hæres sua sponte agnoverit, implendi eam necessitatem habeat.* Similis textus est *in l. 2. C. de Fideicommiss.* ubi hæres comperiens voluntatem defuncti non solemnem, & tamen solvens, juris interpretatione censetur eadem approbare. Denique *in l. fin. C. eod.* quæ clariùs repetitur *in §. fin. I. de Fideicommiss. hæred.* dicitur, quod testator *fidem hæredis elegerit, &c.* ideòque supponendum, quod hæres de præstando fideicommisso fidem suam interposuerit: aliàs enim, si contradixisset, non potuisset testator *ejus fidem elegisse*. Et hoc, si de foro *externo* loquamur.

Quantùm ad forum *internum* quæstio eò recidit, an dicta *juris interpretatio*, ex qua solvens inutile relictum censetur approbare voluntatem defuncti, in effectu sit *præsumptio*, aut potiùs *fictio*, juxta tradita superiùs *quæst. 5.* quod cùm dependeat à voluntate legislatoris, quæ diversimodè à DD. explicatur, ideo non est facilè certum aliquid statuere. Ferme mihi videtur, dictam interpretationem in effectu *fictioni* comparari, quia leges citatæ simpliciter volunt, ut defuncti voluntas semel agnita firma maneat, ex aliquali obligatione inde exorta. Nolim tamen contrarium erroris damnare; nam ista verba *in leg. 2. C. de Fideicommiss. cum non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi defuncti voluntati satisfactum esse videatur*, valde etiam probabiliter de *præsumptione*, quòd scilicet hæres sponte renunciaverit juri suo voluntatem defuncti sequendo, & fideicommissum ioutiliter relictum præstando, intelligi possunt: qualis *præsumptio* in foro quidem externo foret *juris & de jure* non admittens probationem in contrarium per text. *in d. l. 2.* ibi: *frustra ab hæredibus ea de re* (scilicet de præstito fideicommisso inutiliter relicto) *tibi quæstio movetur*; in foro autem interno cederet veritati, si tale fideicommissum hæres non cum animo renunciandi juri suo, sed merè ex errore juris solvisset.

Cæterùm verò si ponatur casus, quòd hæres non habuerit certam scientiam voluntatis defuncti, sed solummodò confisus scripturæ, aut depositionis testium (quæ à parte rei potuit esse falsa, subornata, contra vel præter mentem defuncti) non solemniter relicta per errorem juris solverit, an tunc repetitionem non habeat? id in dictis legibus non deciditur; neque etiam an ex sola conscientia voluntatis defuncti, qui necdum solvit, ad solvendum teneatur? licèt enim ex voluntate defuncti sive naturalis sive moralis obligatio nascatur, ea tamen (*sine spontanea agnitione hæredis d. l. non dubium 16. Cod. de Testam.*) inefficax est, sicut obligatio pupilli sine tutoris authoritate. * Quod autem quidam 61
ajunt, hanc obligationem operati retentionem per remedia juris etiam in conscientia avocabilem, puto ita intelligendum, quòd rem ex testamento non solemni sive vi aut fraude obtentam liceat quidem retinere, quamdiu dubium aliquod de valore testamenti, vel an hæres ab iotestato secuturus sit, & agniturus voluntatem defuncti, superesse potest, non autem si manifestè constet de invaliditate testamenti, & simul de facto hæres ab iotestato declararit voluntatem suam, quòd jure ex lege sibi competente contra voluntatem defuncti uti velit, tametsi decretum Judicis non intervenerit; cùm enim sciam me perditurum causam in judicio, planè æquitas naturalis non admittit, adversarium justam causam foventem per molestam litem cum jactura temporis, expensarum, amicitiæ, & animi pacationis vexare.

Ad alterum respondetur negando, quòd leges præscri- 62
bentes actibus formas substantiales fundentur in præsumptione, licèt motivum condendæ legis fuerit evitatio fraudis. Neque cessante ratione legis in particulari casu cessat lex generalis formam actui statuens, nisi ratio generaliter cesset, sicut si matrimonium hodie post Concilium Tridentinum coram centum testibus absque Parocho contraheretur, non ideò valeret, tametsi in hoc casu periculum abnegandi matrimonium cessaret. * A-
lias instantias, quas adducit Fach. *loc. cit.* quòd multa ne- 63
gantur in foro externo, quæ non obligant in foro interno, sicut exempla ponit de denegata actione ob læsionem infra dimidium justi pretii, de actione *quanti minoris*, vel *redhibitoria* ultra annum vel medium non extensa, facilè est resolvere ex superiùs dictis, quòd nempe aliud sit ad minuendas lites actionem in foro externo denegare, & aliud ipsum actum ejusque obligationem annullare.

---

§. IV.

De promulgatione, acceptatione, & abrogatione Legum.

S U M M A R I A.

63 *Scriptura non est de Substantia legis.*
64 *Publicatio legum qualiter fiat.*
65 *Scientes legem non obligantur ante lapsum 2. mensium.*
66 *Constitutiones inferiorum ligant etiam ante duos menses.*
67 *Leges Pontificiæ Romæ tantùm promulgatæ quo sensu de Stylo ligent ubique?*
68 *Legis effectus an dependeat à populi acceptatione.*

69 *Contra legem dissimulante legislatore non acceptatam currit consuetudo.*
70 *Legem abrogare quis possit?*
71 *Statuta inferiorum à S. Pontifice confirmata quis possit abrogare?*
72 *Derogatio legis quid sit?*
73 *Declarare legem quis possit?*
74 *Regula quadam utiles circa declarationem & interpretationem legum.*
75 *Mens legis praferenda est verbis.*
76 *Epikia seu interpretatio ex bono & aquo cui competat?*
77 *Æquitas rigori juris praferenda.*
78 *Epikia non admittitur circa solemnitates substantiales actuum.*
79 *Cessante ratione legis, quando cesset ipsa lex?*
80 *Odia restringenda, favores ampliandi.*
81 *Correctio juris strictè accipienda.*
82 *Ex paritate rationis potest aliquando fieri extensio juris.*
83 *Verba legis non facilè impropriianda.*
84 *Jura juribus concordanda.*
85 *Dispensatio quid?*

63 QUamvis absolutè ad substantiam legis non desideretur, ut in scripturam redigatur, & lex vel constitutio positiva tantùm accidentali, & extrinseca denominatione, *Jus scriptum* dicatur ad distinctionem juris consuetudinarii, quod absque constitutione per mores hominum inducitur, sicut cum communi tradit Harp. *ad §.*
64 *9. Inst. de I. N. G. & C.** requiritur tamen, ut sive per scripturam publico loco affixam, sive per præconis proclamationem ita publicetur, ut in hominum ex lege obligandorum notitiam devenire possit; *cur enim culpabimus eos* inquit Imperator *in Nov. 66. cap. 1. qui positas ignoraverint constitutiones*. Porrò de promulgatione legum Imperialium habetur *in d. 66. Nov.* quòd non obligent; nisi postquàm fuerint promulgatæ in cujusque Provinciæ Metropoli, & insuper duo menses elapsi, ut intra hoc temporis spacium sufficiens notitia haberi possit.

65 Quare tametsi aliquis priùs in notitiam talis legis devenerit, tamen ante lapsum duorum mensium ad ejus observationem non adstringetur. Quod generaliter obtinet, quoties Legislator ad obligationem suæ legis vel longiorem vel breviorem terminum non præscripsit, prout in Concilio Trident. *Sess. 24. de Refor. Matr. c. 1. in fine* statuitur, quod irritatio matrimonii clandestini primùm post 30. dies à die promulgationis vim habeat.

Non ignoro, quòd multi DD. contrarium doceant apud Barb. *in cap. 2. hoc tit. num. 6.* existimantes, quòd lex sive imperialis, sive alia habens certum tempus annexum obliget eos, qui ante finitum illud temporis spatium notitiam legis acquisiverunt per textum *in cap. 1. de Postulat. Pral.* ibi: *sufficit, ut ad constitutionis observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publicè promulgatam &c.* cui addi potest *regula 31. juris in 6. quod certus certiorari ulteriùs non debeat*. Sed recto juris & verborum sensui magis consona est nostra sententia, quam præter alios etiam docet Nav. *de Constitutionibus cons. 1. n. 8.* Menoch. *de Arbitrariis Judicum lib. 2. casu 185. n. 7.* etenim *in cit. Nov. 66.* dicitur, leges primùm *post duos menses valere*: in citato loco Concilii, quod decretum de reformatione matrimonii primùm *post 30. dies robur habere incipiat*: In Bulla Pii IV. super declaratione temporis ad observanda decreta Concilii Trid. *jure communi sancitum est*, ait Pontifex, *ut constitutiones nova vim non nisi post certum tempus obtineant &c.* quæ sanè verba in propria significatione satis indicant, quòd tempus legi adjectum universim sine distinctione tam respectu scientium, quàm ignorantium obligationem suspendat. Accedit, quòd mens Legislatoris tempus legi adjicientis fuerit, tollere confusionem in populo, ne alii propter scientiam priùs, aliqui propter ignorantiam setiùs obligentur; quæ confusio minimè tolletur, si tempus adjectum respectu scientium obligationem legis non remoretur.

Ad Contraria respondetur, ea procedere ex supposito jam negato, quòd lex ante lapsum temporis obligare inceperit: neque enim *in cap. 1.* propositum fuit summo Pontifici nostram quæstionem decidere, sed aliam: nimirum, quòd ad obligationem legis sufficiat promulgatio in communi, & non requiratur, ut singulis per mandatum speciale insinuetur.

Deinde *illud cap.* loquitur de constitutione alicujus Cardinalis; qua in re est advertenda communis doctrina tradita à Panor. *in c. 2. hoc tit. n. 7.* quòd in constitutionibus Legislatorum inferiorum à summo Principe non habeat locum illa *Novell. 66.* sed si tempus certum expressum non habeant, obligent scientes statim, ignorantes verò post tempus arbitrarium, quo rationabiliter potest præsumi de ipsorum notitia, & post quod tempus non debuissent constitutionem ignorare sicut dicitur *in cap. 1. de Concess. prabend. in 6.* 66

Speciale est de stylo Curiæ Romanæ circa Bullas summi Pontificis, quòd vim habeant obligandi, quàm primùm in eadem Curia Romana publicantur, & in *arce campi Flora*, ac ad valvas Basilicæ Apostolorum affixæ sunt, & in Cancellaria Apostolica pro publicatis habentur, teste Barb. *d. l. n. 9. cum citatis ibidem*. Attamen hic stylus limitandus est, ut in primis potissimùm procedat circa causas beneficiales & similes, in quibus S. Pontifex liberam potestatem habet, non autem circa ea, quæ proximè conscientiam tangunt, ut circa censuras Ecclesiasticas, jurisdictionem Confessariorum in foro pœnitentiali, &c. nam similia debent etiam in partibus innotescere & publicari, ne ignorantes peccati arguantur, vel periculum animarum incurrant *arg. cum infirmitas 13. de Pœnis*. Præterea si v. g. circa beneficiales causas aliquid novi Romæ constituatur, habebit quidem effectum, si causa ex partibus Romam perveniat; si verò in partibus præsertim oltromontanis agitetur; secundùm jus ordinarium & consuetudines ibi vigentes judicabitur, si talis Bulla ibidem publicata, & recepta non sit: nam stylus Curiæ non in omnibus extenditur extra Curiam, maximè cùm naturali æquitati sit conveniens, ut leges non publicatæ, adeòque ignoratæ, non ligent, & Pontifex per generales leges non intendit semper particularibus locorum statutis, & consuetudinibus derogare, nisi exprimat *cap. 1. hoc tit. in 6.* 67

De *acceptione* legum quotidiana quæstio & controversia est, an legis effectus & obligatio à populi acceptatione dependeat, & qualiter illud accipiendum sit, quod vulgò circumfertur, legem non acceptatam non obligare? Enim verò aliqui cum Navar. *hoc tit. consilio 1. quast. 5.* simpliciter asserunt, vim & substantiam legis à populi acceptatione pendere, & omnes leges habere tacitam conditionem, *si acceptentur*; pro quibus facit textus *in cap. in istis 3. in §. leges, dist. 4.* ibi *leges instituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cùm moribus utentium comprobantur*. Item *in l. de quibus 32. ff. de Legibus*, *ista leges*, ait J. C. *nulla ex causa nos tenent, quàm quòd judicio populi recepta sunt*. 68

Verùm rationi magis consentaneum est, quòd, cùm populus in omnibus justis præceptis obedientiam Legislatori tam in foro interno, quàm externo debeat, ut in priore §. demonstratum, non sit in potestate populi, an legem acceptare vel rejicere velit: non acceptari autem aliquando legem posse vel ex ignorantia, quia v. g. Romæ tantùm lata per Ordinarios locorum in partibus nunquam promulgata fuit; vel ex causa, quia continet aliquod notabile gravamen, propter quod utiliter in singulis locis observari non potest, & insuper Legislator, qui non ignorat, vel facilè scire potest neglectum suæ legis, saltem tacitè connivendo acquiescit. Vid. etiam text. *in cap. si quando 5. de Rescriptis*, ubi declarat S. Pontifex, quòd justè suspendatur executio Mandati Apostolici si videatur continere aliquod notabile gravamen, usque dum S. Pontifex ea de re certioratus obligationem aut remittat, aut repetat. Similes textus sunt *in c. pastoralis 8. de Fide instrum. c. cùm teneamur 6. de Prab.*

Non obstant, quæ in contrarium allata sunt, nam ille textus *in d. §. leges* in primis est Gratiani, cujus authoritas non est decisiva. Deinde explicari potest de confirmatione legum *extrinseca* & accidentali, non *intrinseca* & substantiali, quatenùs scilicet leges moribus utentium receptæ extrinsecam suam perfectionem, & vigorem consecutæ sunt, non verò quòd ante hanc receptionem vim propriam obligandi ex se non habuerint.

buerint. Alter textus *in l. de quibus 32.* de *L.* procedit de illo antiquo tempore, quando poteſtas leges ferendi, & magna pars imperii penes populum Romanum, fuit; poſteà verò, quando populus *lege Regia* poteſtatem ſuam in Principem transtulit *juxta l.1. ff. de Conſt.* nulla fuit reiicta populo authoritas legem aut ferendi, aut approbandi. Maximè autem in cauſis Eccleſiaſticis & ſpiritualibus *dicta lex 32.* locum non habet: quia in iſtis poteſtas ferendi legem immediatè à Chriſto Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus data eſt, & nunquam penes populum fuit.

69 Illud quoque circa acceptationem legum advertendum eſt, quòd ſi lex diſſimulante Legislatore non obſervata ſit, lapſu 10. annorum aboleatur: ſed hoc, ſi nunquam recepta ſit; ſi verò aliquando recepta, & poſtea per contrarium uſum intermiſſa, ad eam tollendam, ſi *eccleſiaſtica* ſit, 40. annorum ſpatium requiritur. Laym. *in Theol. mor. tract.4. cap.3. n.4.* Garc. *de Benef. p.7. cap.1. n.137.* Qua de re inferiùs *in Titulo de conſuetudine* plura dicemus. Sin autem Legislator inſtet & urgeat, legem ſuam recipi, non obſtante gravamine à populo propoſito, nec iniquitas legis manifeſta ſit, ſecundùm obedientiam ei debitam parendum erit: ſæpe enim homines veteres corruptelas & malas conſuetudines difficulter relinquunt, non tamen propterea ſemper eis indulgendum, ſi aliud pro Reipublicæ utilitate expedire Principi videatur.

70 Inter *Abrogationem*, *Derogationem*, *Declarationem legis & Diſpenſationem in lege* differentia facienda eſt, Nam *abrogatio* ſignificat totalem caſſationem & ſublationem legis. * Fit autem *abrogatio* aliquando per conſuetudinem contrariam, de qua inferiùs: aliquando per ipſum Legislatorem, vel ſucceſſorem ejus ob mutatas circumſtantias temporum, rerum & cauſarum: *nonnunquam enim*, ait Joannes XXII. *in extrav. 2. de Verb. ſignif. quod conjectura profuturum credit, ſequens experientia nocivum oſtendit, ideò non debet reprehenſibile judicari, ſi Canonum Conditor Canones à ſe, vel ſuis Prædeceſſoribus editos revocare ſtudeat, ſi obeſſe potiùs viderit, quàm prodeſſe.* Dico etiam per ſucceſſorem poſſe revocari conſtitutionem anteceſſoris: idque tametſi haberet clauſulam, *hac immutabili & in perpetuum valitura lege ſancimus &c.* cùm enim par in parem, aut anteceſſor in ſucceſſorem æqualis dignitatis non habeat imperium vel juriſdictionem, ideò etiam lex aliqua ſucceſſori ab anteceſſore præſcribi non poteſt, à qua ei recedere non liceat *cap. innotuit 20. de Elect.*

Et hoc non tantùm de conſtitutionibus Imperatoriis, aut pontificiis, ſed etiam inferiorum Principum & Legislatorum accipiendum eſt, prout ſuperiùs diximus, ſtatutum predeceſſoris Epiſcopi vel Capituli ſede vacante poſſe à ſucceſſore Epiſcopo revocari.

71 Sed quid, ſi talia ſtatuta inferiorum Legislatorum à ſummo Pontifice vel Imperatore confirmata ſint, anne nihilominus ab inferioribus revocari poterunt? Diſtinguendum putat Decius *in c. cùm acceſſiſſent 8. hoc tit. n.18.* an ſtatuta inferiorum ſint ita *contra jus commune*, in quibus propterea ex defectu poteſtatis ſtatuendi confirmatio ſuperioris fuit neceſſaria; vel an ſtatutum fuerit *præter jus*, & per ſe validum, ac confirmatio ſuperioris tantùm accidentalis & corroborativa? illo caſu cenſet, ſtatutum ab inferiore ampliùs revocari non poſſe, cùm per confirmationem, à qua totam ſubſtantiam accepit, facta ſit lex ſuperioris, cui inferior derogare non poteſt. *Clement. ne Romani 2. in princip. de Elect.* ſecus verò in caſu poſteriori, in quo ſtatutum ſubſtantialiter eſt inferioris. Sed quia huic diſtinctioni obſtat textus in eodem *cap. acceſſiſſent*: ubi ſuppreſſio *Primiceriatus* in Eccleſia Cathedrali, & ejus fructuum inter Canonicos diſtributio fuit ſtatutum Capituli *contra jus commune* teſte Gloſſ. *ibidem in V. confirmatum*: cùm jure communi non liceat Capitulo præbendam canonicalem, præſertim verò dignitatem ſupprimere, & tamen hoc ſtatutum, licèt à Summo Pontifice neceſſariò confirmatum, potuit à Capitulo ipſo facto conveniendo revocari: ideo circa primum diſtinctionis à Decio aſſignatæ membrum alia diſtinctione utitur Abbas *in dicto cap. cùm acceſſiſſent num.2.* quam etiam probat Fag. *in eodem cap. num.12.* nimirùm, ſi ſtatutum confirmatum à ſuperiore concernat favorem publicum, vel aliorum, quàm ſtatuentium, non poſſit revocari ab inferiore: poſſit autem, ſi concernat principaliter favorem ipſorum ſtatuentium, *ut in d. cap. cùm acceſſiſſent*, ubi redditus dignitatis ſuppreſſæ accreverunt reliquis Capitularibus: eo enim caſu fit revocatio ad illum modum, quo quilibet poteſt favori, aut privilegio ſuo renunciare.

Derogatio ſignificat particularem legis imminutionem, 72 quæ ſe habet vel ex parte ipſius legis, quando Legislator unum legis articulum mutat, vel à generali conſtitutione certos caſus ſpeciales excipit; vel ex parte ſubditi, quando eidem Legislator reſcriptum, privilegium, aut diſpenſationem contra legem concedit.

Declaratio eſt vera legis interpretatio ſecundùm men- 73 tem Legislatoris. Hæc etiam aliquando inferioribus in lege ſuperioris competit. Sic Summus Pontifex, quamvis inferior ſit jure divino & naturali, & illud abrogare, vel in eo diſpenſare nequeat, declarare tamen poteſt, & verum ejus ſenſum exponere. Licèt verò etiam alii viri docti poſſint interpretationes legum Divinarum & humanarum facere, eæ tamen probabiles ſolummodò ſunt, non authoritativæ & deciſivæ, ſicut Summi Pontificis.

Cæterùm circa hanc privatam interpretationem, 74
quam faciunt privati DD. aliquot utiles regulæ traduntur, quæ tum in judiciis, tum in ſcholis frequentiſſimè adduci ſolent. Ut I. quòd *interpretatio* legum potiùs menti, quàm verbis Legislatoris convenire debeat, *non enim debet intentio verbis, ſed verba intentioni deſervire cap. ſecundò requiris 41. de Appell.* Et *ſcire leges non eſt verba callere, ſed vim & poteſtatem l. ſcire 17. ff. de Legibus.* Textus notabilis *in l. ſcire 13. §.2. ff. de Excuſ. tutorum*: ibi * *ſed & ſi maximè verba Legis hunc habeant intellectum, tamen mens Legislatoris aliud vult.* Unde *in l. contra legem 29. ff. de Legibus* in fraudem le-
gis facere dicitur, qui *ſalvis verbis legis mentem ejus cir-* 75
cumvenit; ut in vulgari exemplo, ſi prohibitus noctu ambulare ſine lumine, lumen quidem deferat, ſed ita abſconditum, ut à nemine agnoſcatur, &c. & in *cap. ult. de R. J. in 6. certum eſt*, ait Pontifex, *quòd is committat in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.*

II. Juxta veroſimilem mentem Legislatoris leges uni- 76 verſales, vel admodum rigoroſæ nonnunquam benigna aliqua interpretatione ſecundùm *bonum & æquum* * explicandæ ſunt, & ab his aliqui caſus in ſpecie excipiendi ob rationabiles conſiderationes, de quibus ſi Legislator interrogatus fuiſſet, ipſemet excepiſſet, non enim poſſunt omnes caſus legibus comprehendi, ſed illi qui plerumque & ordinariè accidunt, *l. non poſſunt 12. l. nam ad ea 5. ff. de Legibus* atque iſta interpretatio ſecundùm *bonum & æquum Epiekia*, aut præſumpta mens Legislatoris vocatur.

Huc etiam pertinet textus in *l. placuit 8. C. de Judiciis*, 77 ubi Imperator reſcripſit, * quòd *in omnibus cauſis potior eſſe debeat æquitatis, quàm ſtricti juris ratio.* Verùm quia in *l.1. C. de Legib.* idem Imperator interpretationem *inter æquitatem & jus ſtrictum* ſibi reſervavit, & in *l. proſpexit 12. in fine ff. Qui & à quibus manumiſſi l. C.* vult legem etiam *duram* obſervandam eſſe, ſi *ita ſcripta* ſit; & Aug. *in c.3. diſt.4.* ait: *non de legibus, ſed ſecundùm leges judicandum eſſe*, ideò Fach. *lib.1. Cont. cap.3.* ſequenti diſtinctione rem componit, vel enim verba legis, ejuſque mens adeò clara ſunt, ut ſalva ratione recti ſermonis non poſſint aliam interpretationem habere; & ſervanda eſt lex *quamvis dura*: vel verba legis ſunt generalia, quæ in particularibus caſibus ſalva verborum generalitate & ratione recti ſermonis poſſunt habere interpretationem ex bono & æquo? & procedit *d. l. placuit*: vel denique dubitatur, quid juſtum, quid æquum ſit? & juxta *d. l.1. C. de LL.* Princeps conſulendus eſt.

Præterea in legibus, quæ formas ſubſtantiales actibus 78 præſcribunt, ex communiori DD. ſententia Epiekia, aut interpretatio contra verba & formam legis admittenda non eſt: quia rigor talium legum bonum publicum concernit, niſi aliter mens legislatoris colligi poſſit. Ita docent non valere matrimonium etiam quacumque urgente neceſſitate ſine Parocho & teſtibus contractum, Barb. *ad Concil. Trid. ſeſſ.24. cap.1. n.160. de Matrim. lib.3. diſp.17.*

III. Similiter ob ceſſantem rationem legis rectè non- 79 num-

numquam fit interpretatio ex mente legislatoris cessare ipsam legem, *cap. cum cessante 60. de Appell. l. adigere 6. ff. de Jure patronatus*. Quod tamen ita intelligendum est, ut si totalis & adæquata (non particularis aut impulsiva solum) legis ratio generaliter cesset, tunc etiam lex generaliter cessare dici possit, si verò ratio in particulari tantùm casu cesset, frequens est, ut præsertim in legibus formas substantiales præscribentibus, vel aliàs conformitatem publicam respicientibus obligatio legis adhuc etiam in illo particulari casu perseveret. Si verò ex non observatione legis, cujus ratio in particulari cessat, nullum oriatur in communi scandalum, ut maximè accidit in legibus in falsa præsumptione fundatis, dicendum etiam est, talem legem in particulari casu, præsertim verò in conscientia non obligare.

80 IV. Leges pœnales, odiosæ, aut magnum præjudicium afferentes sint strictæ interpretationis, & non ulterius, quàm secundùm verborum strictam proprietatem sonant, etiam ex paritate rationis extendendæ: è contra leges favorabiles ampliori interpretatione adjuvandæ *cap. in pœnis 49. cap. odia 15. de Regul. jur. in 6.*

81 V. Etiam leges exorbitantes à jure communi, & aliarum legum correctoriæ strictè interpretandæ sunt, neque regulariter censetur plùs de priore lege mutatum, quàm expressum *l. præcipimus 32. C. de Appell.* & si ex pluribus prioris legis articulis unus solus mutatus, aut una sola exceptio addita, in reliquis lex immutata manet juxta dictum Gloss. communiter receptum *in l. in his 15. de Legibus: quòd exceptio firmet regulam in casibus non exceptis.*

82 VI. Ex paritate rationis, rerum, personarum & aliarum circumstantiarum, quod decisum est in uno casu, per interpretationem etiam ad alios casus dubios & non decisos extendere oportet juxta vulgare, quod ubi eadem est ratio (adæquata scilicet sine apparente disparitate) eadem sit juris constitutio *l. non possunt 12. cum l. seq. & l. ideo 27. ff. de LL.*

83 VII. Verba legis accipienda sunt secundùm propriam significationem & non impropria nda, nisi aliter constet de mente Legislatoris, *l. non aliter 69. ff. de Legati 3.* in dubia autem & ambigua significatione verbi præferenda est, quæ communi hominum acceptioni, vel menti legis aut æquitati magis correspondet, vel ad pœnas & odia minuenda, favores autem ampliandos magis convenit.

84 VIII. Correctio jurium non facilè admittenda, sed si Canones, aut leges inter se discrepantes proferantur, nec ex contextu de manifesta correctione appareat (solet enim quandoque jus posteriùs derogare priori) de aliqua conciliatione seu concordia cogitandum, *cap. cum expediat 29. de Elect. in 6.* Quid autem, si inter jus Canon. & Civile discrepantia sit? superiùs in proœmio *sub n. 19.* dictum est.

Demùm consuetudo, præsertim secundùm quam jam aliquando in contradictorio judicio judicatum est, optima legum interpres censetur, *l. si de interpretatione 37. ff. de Legibus.*

85 *Dispensatio* est relaxatio legis in aliquo speciali casu, vel particularibus personis publica authoritate facta. Hæc regulariter illi tantùm competit, qui supra legem est, scilicet Legislatori vel successori ejus; inferioribus tamen etiam nonnumquam vel ex speciali privilegio, aut consuetudine, aut ex præsumpta mente superioris ob magnam causam & data morali impossibilitate superiorem adeundi conceditur. Qua de re inferiùs hoc eodem libro in Tit. *de Majoritate & obedientia*, plura dicemus, præsertim in §. 4. ubi de potestate dispensandi, quæ competit Episcopis, agemus. De dispensatione etiam circa impedimenta Matrimonii dicemus in Lib. IV. Tit. XVI. *de Matrim. contract. contra interdict. §. 3. n. 11.* Et ad dispensationes pertinent multa, quæ paulò post in seq. titulo *de Rescriptis*, & infra Lib. V. *de Privilegiis*, trademus. In aliis quoque specialibus titulis de particularibus dispensationum casibus tractandi occasio se offert.

Si denique casus aliquis in materia dispensationis difficilior emerserit, videri poterit Thomas Sanchez. *de Matrim. toto lib. 8.* Suarez *de Legibus lib. 6.* Paulus Laym. *in Theol. Moral. lib. 1. tract. 4. c. 22.*

TITULUS III.

De Rescriptis.

SUMMARIA.

1 *Rescriptum quid?*
2 *Rescriptum aliud Gratiæ, aliud Justitiæ.*
3 *Differentia inter Rescripta, Privilegia, & Mandata.*
4 *In quibus conveniunt rescripta gratiæ & justitiæ.*
5 *Excommunicatus an & quale rescriptum impetrare possit?*
6 *Rescripta constant narratione, supplicatione, & conclusione.*
7 *Rescripta Pontificia habent tacitam conditionem, si* preces veritate nitantur.
8 *Narrativa qualiter probanda, & ibi quòd narrata à Papa non probent, si desuper non fundetur principalis intentio ejus.*
9 *Narrata, super quibus fundatur intentio Papæ, qualiter probanda.*
10 *Narratarum probatio quando non requiratur, & ibi de clausula:* si est idoneus.
11 *Exponitur text.* in c. super litteris h. t.
12 *An etiam conveniat rescriptis gratiæ?*
13 *Error latinitatis quando vitiet rescriptum.*
14 *Fratres & Filii qui appellentur à Papa.*
15 *Rasura quando vitiet rescriptum.*
16 *Rescripta non valent in præjudicium reip. vel tertii.*
17 *Rescripta gratiæ & Justitiæ in quibus differant.*
18 *In Rescriptis gratiæ attenditur tempus* datæ, *in justitia,* præsentatæ.
19 *Rescripta justitiæ fiunt inter partes communia.*
20 *Rescripta gratiæ non exspirant morte concedentis.*
21 *Rescripta quatenus transeant in Successorem.*
22 *Rescriptum posterius non faciens mentionem de priori quando validum.*
23 *Rescripta justitiæ & gratiæ quando de Jure communi & ex concordatis Germaniæ præsentanda.*

Rescriptum in genere describi potest cum Hostiensi *in* 1
Summa hoc tit. quòd sit illud, quod à Papa vel Principe rescribitur ad consultationem, relationem, vel supplicationem alterius. Sunt enim rescripta directè in favorem tantùm privatorum, qui ea à Principe impetrant, ordinata: quædam tamen etiam in consequentiam jus commune faciunt, quando nimirum Princeps super dubio aliquo juris articulo à privatis consultus suam sententiam edicit, *c. in causis 19. de Sent. & re iud. l. ult. in princ. C. de LL.* ex qualibus Rescriptis Decretales Pontificiæ, & Codex Justinianeus majori ex parte compositi sunt. At in præsenti titulo de illis potissimùm rescriptis negotium est, quæ ad supplicationem pro impetrando beneficio; vel alia gratia, aut pro obtinenda causæ judicialis delegatione conceduntur.

Hinc rescripta communiter per Interpretes in duas clas- 2
ses distinguuntur, quòd scilicet alia sint *rescripta gratiæ*, quæ dantur ad beneficia, & similes gratias; ac alia *rescripta Justitiæ*, quæ dantur ad lites & decisionem, vel delegationem causarum * Faciunt quidem Doctores in 3
rigore differentiam inter *rescripta*, *privilegia*, & *mandata*, quòd *rescriptum* propriè fit ad juris observantiam, quo præscribitur forma, causam secundùm jus dicendi: *privilegium* verò contra jus, & *mandatum*, quo jubet Pontifex alicui provideri de beneficio vel præbenda, sicut pluribus explicat Petrus Rebuffus *in Praxi beneficiorum tit. Differentia inter privilegium, rescriptum & mandatum*: sed rectè etiam ista communi *rescriptorum* appellatione veniunt, & ad prædictas duas species, rescripta nimirum *justitiæ & gratiæ* reducuntur, ut per eumdem Rebuffum in tit. *Divisio rescriptorum* apparet. Si utriusque rescripti, gratiæ scilicet & justitiæ convenientias ac differentias enarravero, totam rescriptorum materiam complexus ero.

4 Conveniunt igitur *rescripta justitiæ & gratiæ* I. quòd ea impetrare possit omnis, qui jure prohibitus non est, sive sit sui, sive alieni juris liber, vel sub potestate dominica, patria aut Prælati constitutus; non reperitur autem facilè aliqua prohibitio teste Sylvest. *in verbo rescriptum num.* 2. nisi circa hæreticos, *l. a. in princ. C. de Summa Trinitate*, & excommunicatos, *c. dilectus 26. hoc*
5 *tit. c. ult. de Procuratoribus* & * rescriptum impetratum ab excommunicato super alio, quàm excommunicationis, vel appellationis pro sui defensione articulo, sicut & processus, & quidquid indè secutum est, ipso jure nullum, & invalidum habetur *c. 1. hoc tit. in 6.* Quod etiam in excommunicatis non denuntiatis post Concilium Constantiense procedere dicendum est, quia eodem Concilio ipsis excommunicatis nulla gratia facta est, ut in *Tit. de Sententia excommunicationis* explicabimus. Sed hodie de stylo Curiæ Romanæ plerisque rescriptis soler inseri absolutio à censuris quoad effectum illius rescripti dumtaxat consequendum. Videatur Barb. *in eod. c. 1. hoc tit. in 6.*

6 Conveniunt II. quòd utrumque rescriptum tribus partibus constat, *narratione*, *supplicatione*, *& conclusione*. Priores duæ partes supplicantem respiciunt; *conclusio* verò ad ipsum rescribentem sive concedentem refertur, quam ultimam partem Practici vocant *dispositivam* eo quòd ibi rescribens faciat dispositionem cum clausulis sibi placitis.

7 Conveniunt III. in *narrativa*, & ejus probatione: nam rescripta pleraque pontificia diriguntur ad Ordinarios locorum, vel si sint rescripta justitiæ, ad ipsos judices delegatos, ut super veritate narratorum cognoscant: etenim rescripta pontificia, etsi non semper expressè, semper tamen tacitè annexam habent clausulam, *si preces veritate nitantur c. 2. hoc tit.* rescripta verò Cæsarea (si de jure communi loquamur) non aliter valent, quàm si hanc clausulam expressam habeant. *L. fin. in prin. C. de Divers. rescriptis:* Quando ergo & qualiter rescriptum impetrans narrata in eo probare debeat, videamus.

8 Sciendum in primis, quòd narrativa alia sit Summi Pontificis, seu rescribentis, & alia ipsius supplicantis, Quantum ad narrativam rescribentis habetur *in Clem. un. de Probat.* narrata etiam Summi Pontificis nihil probare, si super iis non fundetur intentio, hoc est, si incidenter tantùm quædam narraverit, nec propter talia narrata rescriptum dederit. Sic si quem sub titulo cujusvis dignitatis honoret, seu quovis modo tractet, per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligitur, aut quicquam ei tribuere novi juris, *Clem. si summus* 4. *de Sententia excomm.* Similiter si Papa in aliquo privilegio vel scriptura non facta principaliter super exemptionis causa, aliquam Ecclesiam ad jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere dicat, non propterea illius Ecclesiæ exemptio est probata, nisi aliter demonstretur *c. si Papa* 10. *de Privilegiis in 6.* quia hujusmodi qualitates præsumuntur rescribenti in supplicatione suggestæ; neque etiam ab ipso supplicante probandæ erunt, si ad causam principalem rescripti vel litis non faciant.

9 Quòd si verò super narratis fundetur intentio Papæ, sive Rescribentis, tria membra distinguenda sunt: vel enim rescribens narrat de illis, quæ propriè ad suam scientiam pertinent, vel de facto alieno, motu tamen proprio, vel de facto ad instantiam & præviam narrationem supplicantis? Primo casu, si v. g. narret de facto proprio, aut alieno secum gesto, vel de facto sui antecessoris, vel de jure, quod totum in scrinio pectoris habere censetur, *cap. 1. de Constit. in 6.* hæc narrativa alia probatione non indiget; imò regulariter probationem in contrarium propter authoritatem narrantis non admittit, nisi probatio sit talis, quæ non impugnet narrationem, sed tantùm doceat de jure probantis v. g. si Papa beneficium conferat, quod narrat per resignationem sibi factam vacare; non prohibeor probare, quòd hoc beneficium ad me, & non ad resignantem pertineat.

Secundo casu, quando Papa vel alius rescribens motu proprio narrat de facto alieno, fidem facit præsumptivè, ita tamen, ut probatio in contrarium admittatur, quæ incumbet illi, qui tale rescriptum impugnare contendit, quia pro impetrante est præsumptio ex authoritate narrantis. Gloss. *in Clem. unica in v. fecisse narramus de Probationibus*, Mynsing. *Cent.* 5. *observ.* 34. *n.* 10.

Tertio casu, quando narratio rescribentis processit ad præviam insinuationem vel suggestionem supplicantis (quod in dubio præsumitur, & arguunt illa verba de stylo Curiæ in litteris Apostolicis poni solita: *ut asseritur*) ex se nihil probat, sed probanda est à supplicante. Si tamen ex narratione rescribentis appareret, narrata non simpliciter ab ipso impetrante asserta esse, sed eum solummodò retulisse, ita ab aliis asseri, sufficeret assertionem communem, sive famam licet de veritate dubiam probare.

Hæc porrò narratio in hoc ultimo casu comprehensa etiam *narrativa supplicantis* dici potest, eaque, ut dictum, regulariter ab ipso supplicante ad consequendum effectum rescripti probanda est, prout exemplum habetur *in cap. Susceptum 6. hoc tit. in 6.* ubi si Pontifex provideri mandet de beneficio, quod impetrans narravit per mortem vacare, & alius super eodem beneficio posterius impetret rescriptum, narrando illud vacare per resignationem, & non per mortem prioris beneficiati, posterior impetrans & narratum probans præ altero priore assequetur.

Sunt tamen casus, in quibus probatio narrativæ non re- 10
quiritur, ut *primò*, si supplicans narraverit se idoneum ad beneficium, & impetraverit beneficium cum clausula, *si fuerit idoneus*: præsumetur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur *cap. dudum fin. de Præsumptionibus*. Sed hoc Doctores intelligunt de idoneitate intrinseca, quæ consistit in dispositione animi & devotione, non autem si beneficium quasdam qualitates extrinsecas, certam nimirum litterarum scientiam vel gradum requireret, circa quæ alia probatio necessaria foret. Barb. *in eodem cap. fin. n.* 2.

Secundò, si supplicans duo narraverit, v. g. dicendo eum, cujus beneficium petit, esse illegitimum, & beneficium ipsum violenter occupasse, & Pontifex utrumque narrationis punctum sub alternatione repetat, scilicet si possessor sit illegitimus, vel beneficium violenter occupaverit, sufficiet per impetrantem alterutrum probari, quamvis in probatione unius defecerit *c. inter cæteras* 4. *hoc tit.*

Tertiò in remedio recuperandæ possessionis, etsi spoliatus narraverit rei spoliatæ dominium, vel jus in beneficio violenter ablato pertinere ad se, sufficiet probare spolium, sine probatione dominii, aut juris, propter privilegium spoliati, nec audietur pars adversa ante restitutionem volens probare liberam cessionem juris post spoliationem factam, quia non est verisimile, quòd liberè renunciet, qui renuntiat spoliatus *c. 2. de Restit. spoliat.* vid. Joan. Hon. *h. t. n. 8. & seqq.* ubi multa allegat.

Conveniunt IV. in dispositione *capituli super litteris* 11
20. *hoc tit.* ubi deciditur quæstio non tantùm in jure Canonico, sed etiam Civili ex *l. 2. & 5. C. si contra jus, vel utilitatem publicam.* moveri solita, quid sentiendum sit de rescriptis *obreptitiè* vel *subreptitiè* impetratis? Hæc autem verba quamvis promiscuè à Doctoribus accipiantur; magis tamen communiter *obreptitiè* impetratum dicitur, quod est impetratum per falsa narrata, *subreptitiè* verò, quod est impetratum per tacitam sive occultatam veritatem, circumstantiam, aut qualitatem, quæ rescribenti exprimi debuisset. Barb. *in eodem c. super litteris n. 3.*

In hac igitur quæstione ex sententia Pontificis (quæ etiam ad Jus Civile accommodari poterit, cùm ibidem tam clara decisio non habeatur) distinctio facienda est, utrùm narrata falsitas, vel occultata veritas fuerit per malitiam & dolum, vel utrùm per ignorantiam aut simplicitatem? priori casu mendax precator, ait Pontifex, & Imperator *in d. l.* 5. carere debet penitus impetratis, & nullum commodum ex talibus litteris consequi. Quod Doctores communiter intelligunt, ut licèt rescriptum habuisset plura capitula separata, & dolosa *ob* vel *subreptitio* fuisset causa tantùm partis rescriptis, sive unius, aut alterius capituli, nihilominus in pœnam mendacii in totum vitietur, & corruat rescriptum, propter illa verba generalia: *penitus & nullum commodum &c.* quæ exceptio propterea etiam specialis esse potest ab illa regula, quòd in his, quæ separantur, utile per inutile non vitietur, Panorm. *in eod.*

in eodem c. super litteris n.2. Barb. *ibidem n.4.* Imò aliquando non tantùm effectu suæ petitionis carere debet mendax precator, sed etiam, si nimia inveniatur mentientis improbitas, arbitrio Judicis condigna pœna mulctari *in d. l. 5.* ab Imperatore jubetur.

Altero casu, quando falsitas expressa, aut veritas occultata fuerit per ignorantiam vel simplicitatem, rursus subdistinguendum est, an talis fuerit suggesta falsitas, aut veritas occultata, quæ etsi fuisset tacita vel narrata, nihilominus rescriptum saltem in forma communi concessum fuisset; & tunc Judex in tali rescripto datus non sequens formam in litteris appositam secundùm ordinem juris communis in causa procedere debet: veluti si quis per ignorantiam, vel simplicitatem narrasset Papæ, quòd in sua patria omnes causa summariter expediantur, & ideò Papa delegasset causam cum clausula: *processus summarii, & appellatione remota &c.* si illa narratio falsa esset, tunc à delegato non forma hujus rescripti, sed ordinarius processus juris observandus foret. Si verò cognita, *ob*, aut *subreptione* nullas rescribens litteras dedisset (ut si quis post desertam appellationem, aut transactionem interpositam litteras, & delegationem causæ impetret, nulla desertionis, vel transactionis facta mentione) Judex in rescripto datus non debet ulteriùs procedere, quàm ut partibus ad suam præsentiam convocatis de precum qualitate & veritate cognoscat; ac si falsas noverit, rescriptum invalidum declaret, nec se ampliùs in causa intromittat.

12 Hæc porrò decisio propriè quidem tantùm de rescriptis *justitia* loquitur, & ideò non desunt, qui velint aliud in rescriptis *Gratia*, & privilegiis obtinere, ut in his quæcumque *ob*, vel *subreptio* etiam per simplicitatem aut ignorantiam facta rescriptum vitiet, & inutile reddat, *argum. cap. non potest 21. &c. si metu 23. de Præbendis in 6.* ubi rescriptum gratiæ ad beneficium obtinendum irritum declaratur, si impetrans quantumcumque modicum beneficium priùs habitum reticeat, licèt summus Pontifex illis, qui modicum beneficium habent, aliud super addere soleat; neque ibi distinguitur, an per ignorantiam, vel malitiam hæc reticentia contigerit. Ita docet Gloss. *in eodem cap. si metu. in verbo taceatur.*

Sed probabilius videtur cum Joan. Honorio *hoc tit. n. 8.* Prospero Fagnano *in d. c. super litteris num. 54.* quòd prædicta decisio litteris quoque gratiosis conveniat, eatenus saltem, ut gratia per ignorantiam, aut simplicitatem subreptitiè obtenta non vitietur, si rescribens aliàs non obstante subreptione concessisset. Idque ex diversis juris Canonici textibus non obscurè colligitur, nimirùm ex *cap. dudum 14. vers. considerantes, de Præbendis in 6.* ubi valere dicitur rescriptum Papale super beneficio, licèt taceatur, quòd sit de collatione Episcopi, vel alterius habentis privilegium conferendi illud; quod tamen hodie in Germania non procederet propter Concordata, in quibus S. Pontifex pollicetur, quòd non velit turbare ordinariam collationem, qua de re plura inferiùs in *Tit. de Præbend.* ubi ex instituto de Concordatis Germaniæ. Deinde in *c. si pro Clericis eodem tit.* tacitus defectus Ordinum necessariorum ad beneficium non vitiat rescriptum, si impetrans intra tempora à jure statura potest ordinari. Item in *c. gratia 7. hoc tit. in 6.* dicuntur valere litteræ à Papa impetratæ super beneficio licèt mentionem non fecerint de alio beneficio, quod impetranti absenti, & ignoranti interim per Episcopum collatum est.

13 Ad textus contrarios responderi potest dupliciter: vel quòd procedant, si non ex ignorantia, sed ex proposito & dolo *ob*, vel *subreptio* contigerit, *arg. à contrario, in d. cap. gratia*, vel quòd procedant in illis circumstantiis & qualitatibus, quæ de jure, consuetudine, aut stylo Curiæ Romanæ, vel imperatoriæ specialiter exprimendæ sunt, prout in lib. IV. Decretal. *de Matrim. contracto contra interdict. Eccl. §.3. n.10.* diximus, circa dispensationes in impedimentis Matrimonii certas circumstantias esse S. Pontifici explicandas, quibus tacitis dispensatio invalida censetur; sicut latè tractat Sanch. *de Matrim. lib.8. disp.21. & seqq.*

Cæterùm licèt aliqui inter causas beneficiales, & privilegia differentiam facere velint, ut privilegia etiam non dolosa subreptione obtenta indistinctè invalida sint, rectiùs tamen hanc differentiam reprobat Fagnanus *cit. l. n.79.* eò quòd in materia subreptionis beneficia, & privilegia parificentur, & utraque ad rescripta gratiæ pertineant teste Innoc. *in cap. cum dilecta 22. hoc tit. num. 3.*

Demùm & illud adhuc observandum est, quòd si falsa narratio, sive ex proposito, sive ex ignorantia facta nec directè nec indirectè concernat materiam in rescripto contentam, aut ejus causam, ut si impetrans rescriptum justitiæ falsò dixerit, se nobilem, graduatum &c. non vitietur rescriptum. Innoc. & Host. in *cap. ex litteris 6. de Transactionibus.*

Conveniunt V. RESCRIPTA *gratia & justitia*, quòd vitientur vel saltem falsificata censeantur propter manifestum latinitatis errorem: cùm enim multorum Officialium manus transeant, non est verisimile, eos patentem errorem incorrectum reliquisse *cap. ad audientiam 11. & ibi. Gloss. & DD. hoc tit.* Quod ex eadem ratione etiam de rescriptis sæcularium Principum intelligunt Panorm. & Barb. *in eod. cap. in fin.* Non obest. *L. qui habebat 54. ff. de Manumissis testamento l. si in nomine 4. & l. errore 7. C. de Testamentis* ubi error scribentis non præjudicat reliquæ dispositioni, quando de voluntata disponentis apparet; quia hoc procedit in testamentis, vel aliis instrumentis contractuum, quæ alicui tabellioni vel privato sine antecedente revisione aliorum Officialium scribenda committuntur, in quibus propterea facilè aliquis error intervenire potest.

Deindè licèt multi Doctores cum Gloss. *in d. cap. 11.* & Romano *Consilio 376. n.11.* teneant, ex manifesto latinitatis errore resultare de falsificatione litterarum præsumptionem *juris, & de jure*, contra quam non admittatur probatio propter illa verba generalia *in cit. cap.* posita, *fidem te nolumus habere*; videtur tamen satis probabilis & æqua sententia Laurentii, quem allegat Gloss. *cit. l.* hanc præsumptionem esse *juris tantum*, & illa verba: *fidem te nolumus habere:* intelligi, quamdiu aliunde de veritate litterarum non apparet. Cur enim non evenire possit, ut quod in Curia Romana ab uno privato scribitur, quamvis aliorum manus pertranseat, non ita tamen accuratè quoad singula verba, ob multitudinem rerum, & occupationum observetur, & supponatur secundùm solitam formam scriptum esse, quo sensu etiam accipi possunt leges prææliegatæ, & facit textus *in l. illicitas 6. §. veritas ff. de Officio Præsidis*, quòd *veritas rerum gestarum erroribus vitiari non debeat.* Præterea, si latinitas in rescripto sit minùs elegans, vel dubia, & excusabilis, vel apud alios authores & scriptores ita nonnunquam, quamvis barbare, usitari solita, aut sit defectus unius litteræ, vel syllabæ, non ideo rescripto fides deroganda est *c. indignum, 13. dist. 38. c. ex parte 11. de Fide instrumentorum d. l. qui habebat 54. ff. de Manumissis testamenta.*

14 Conveniunt VI. quòd, cùm Apostolica sedes in suis litteris consuetudinem hanc teneat, ut Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos *Fratres*, cæteros autem Reges, Principes, vel alios cujusvis ordinis *Filios* appellet, & cùm uni tantùm personæ litteræ scribuntur, nunquam sit usus pluralis numeri, ideò si in aliquibus rescriptis hæc observata non fuerint, & inferior Episcopo, vel sæcularis Princeps *Frater* appelletur, aut singulari personæ *vos* sive *vester* scribatur, tale rescriptum sive *gratia* sive *justitia* falsum reputabitur *c. quàm gravi 6. de Crimine falsi*, ubi Summus Pontifex in fine monet, litteras Apostolicas diligenter inspiciendas esse, tam in bulla, filo & charta, quàm in stylo, seu modo dictaminis à curia usurpato, nè falsæ pro veris admittantur: uti etiam *in c. licèt ad regimen. 5. eodem tit.* plerosque modos, quibus litteræ, & bullæ falsificari possunt, enarrat.

15 Conveniunt VII. in illa quotidiana & practica quæstione, an & quando rasura, vel deletio litterarum in rescripto inventa illud vitiet, vel saltem de falsitate suspectum reddat? Cujus quæstionis decisio non tantùm rescriptis, sed aliis etiam scripturis, & instrumentis accommodari poterit. Dicendum proinde, quòd regulariter quidem ex rasura vel deletione litterarum oriatur falsitatis præsumptio *d. c. licèt ad regimen. 5. de Crimine falsi c. cum olim 12. in fine de Privilegiis c. cum*

venerabilis 7. de Religiosis domibus lib. 3. & ibi DD. C. de Edicto D. Adriani tollendo.

Sed ab hac regula aliquot sunt exceptiones; ut I. si rescriptum fuerit clausum, & signatum coram Ordinario exhibitum, tunc enim potiùs præsumatur rasura in Cancellaria, quàm ab impetrante facta fuisse. Ita Joann. Honorius *hoc tit. n. 20.*

II. Si rasura non sit in loco substantiali, hoc est, in tali rescripti vel instrumenti articulo, unde potissima quæstio dependet quod plerumque accidit, si rasura sit in parte narrativa facti, non in dispositiva juris, & rescribentis *c. ex litteris 3. de Fide instrumentorum.*

III. Si rasura sit modica paucarum litterarum, quæ non mutet ordinem sive ordinarium sensum.

IV. Si ex antecedentibus & consequentibus, vel aliis consimilibus instrumentis satis constet, rasuram suspectam non esse, neque aliter scribi debuisse.

V. Si rescriptum vel instrumentum repetiatur penes adversarium litis, rasura vel deletio in dubio dolo ejus censetur contigisse. Baldus *in l. 1. C. de Fide instrumentorum.* Joan. Honorius *cit. l.*

VI. Si scriptura abrasa in parte substantiali per manum cognitam ejusdem Notarii vel scriptoris, qui primum rescriptum vel instrumentum conscripsit, restituta sit. Sed quia non pauci dexterè aliorum manus in aliquibus præsertim verbis imitari noverunt (quæ causa etiam fuit, quòd hodie *comparatio litterarum* semiplenam tantùm probationem in judicio faciat, *authent. at si contractus. C. de Fide instrumentorum*) ideò Panorm. *in c. cum venerabilis 7. de Religiosis domibus num.* 8. putat, hanc cautelam esse adhibendam, ut Notarius vel scriptor in eadem charta attestetur, rasuram, & scripturæ repositionem sua manu factam esse, circa quam Panorm. cautelam accuratè observat Mascardus *de Probat. vol. 3. concl. us.* 1251. quòd saltem in instrumentis publicis super contractibus & similibus negotiis confectis debuerit illa rasura, reparatio Scripturæ, & cautela fuisse de corpore instrumenti, id est, facta in continuo, antequàm testes, & partes instrumento præsentes discederent, & aliis solemnitatibus instrumentum expeditum esset: nam, quod ex post facto per solum Notarium adscribitur, non statim publicam fidem meretur, quæ potissimùm præter personam Notarii aliis etiam solemnitatibus ad publicum instrumentum requisitis tribuitur.

16 Conveniunt VIII. RESCRIPTUM quodcumque *gratia* aut *justitia* invalidum censeri, si in præjudicium vel Reipubl. vel alicujus tertii non facta speciali de illo præjudicio mentione impetratum sit. Ita *in l. fin. C. Si contra jus &c.* monentur Judices, ut nullum rescriptum, quod generali juri vel utilitati publicæ adversum videatur, proferri patiantur. Ita *in cap. cum ordinem 6. loc. cit.* dicitur, quod Cistercienses Religiosi (idem est de aliis) non teneantur respondere rescriptis Apostolicis contra sua privilegia impetratis, si eorum privilegiorum mentionem non faciant. Ita denique rescripta inutilia censentur, quæ contra transactiones, vel appellationes desertas, vel lite pendente, nisi circumstantiis omnibus expressis, & per viam restitutionis in integrum impetrantur *l. causas 16. C. de Transactionibus l.* 1. 2. *& 3. C. Ut lite pendente.*

27 Verùm RESCRIPTA *gratia* & *justitia* ut in multis conveniunt, ita in multis quoque discrepant, ac inter plurimas differentias, quas colligit Petrus Rebuffus *in Praxi Beneficiorum in tit. Differentia inter rescripta gratia & justitia*, notabiliores sunt sequentes.

I. Quòd discrepent ratione formæ extrinsecæ, quòd rescriptis *gratia* apponatur filum sericum, litteris verò *justitia* filum canapis, in quo plumbum pendet. Unde *in d. c. quam gravi 6. de Crimine falsi*, dicitur, ad deprehensionem falsi *filum* Bullarum diligenter, inspiciendum esse.

II. RESCRIPTA *justitia* tantùm ab ipso Domino seu Principali in negotio, super quo rescriptum desideratur, vel saltem mandato ejus, aut per conjunctam personam; item & superiorem Prælatum valent impetrari, *c. nonnulli* 28. *§. fin. hoc tit. Clem.* 1. *Eodem*; in rescriptis verò *gratia* ad beneficia vel privilegia pro alio obtinendis mandatum non exigitur. Gloss. *fin. in d. c. nonnulli.*

III. RESCRIPTA *gratia* per sub, aut obreptionem obtenta sunt nulla ipso jure, rescripta verò *justitia* tantùm ope exceptionis, & si adversarius contra ea non exceperit, censebitur in eadem consensisse. Rebuffus *d. l. num.* 1. *&* 12.

18 IV. In RESCRIPTIS *gratia* attenditur tempus *data*, hoc est, quòd effectus earum dependeat ab eo tempore, quo tales litteræ *data* sunt. Sicut exemplum habetur *in c. si eo tempore 9. hoc tit. in 6. Si eo tempore*, inquit Pontifex *quo tibi de beneficio cum cura, vel sine cura provideri mandavimus, ad obtinendum curatum beneficium idoneam non habebas ætatem* (scilicet 25. annorum) *tibi, licèt nunc legitimæ effectus sis ætatis, authoritate litterarum hujusmodi, (cum tempore data ipsarum adhuc non esses idoneus) de beneficio curam animarum habente, nequaquam poterit provideri, beneficium autem sine cura, (cum ad ipsum tunc sufficientem ætatem haberes,) per eas licitè poteris obtinere.* Simile exemplum est in *capit. eam te. 7. hoc tit.* ubi rescriptum gratiæ ad beneficium pro executione directum ad unum ex Canonicis, ad quem collatio illius beneficii pertinebat, debet per illum executioni mandari, etiamsi tempore, quo ipsi rescriptum offertur, sit factus Episcopus, si tempore *data* fuerit adhuc Canonicus.

Secùs est in rescriptis *justitia*, in quibus tempus *præsentata* inspicitur *c. ut debitus 59. & ibi DD. de Appellat.* ubi ordinarius Judex non tenetur supersedere processu, licèt pars coram eo conventa dicat, se rescriptum justitiæ, sive delegationem causæ ad alium Judicem à superiore impetrasse, antequàm litteræ fuerint actualiter delegato Judici præsentatæ Item ponamus in rescripto *justitia* fuisse delegatum constitutum à S. Pontifice quemdam Prælatum Ecclesiasticum, eum verò suæ prælaturæ ante *præsentatas* litteras renunciasse, vel illa privatum fuisse, ulterius officium delegationis suscipere non poterit; quia tempore *præsentata* dignitate excidit, officium autem delegationis aliis committi, vel ab aliis recipi non potest, quam in dignitate, personatu, seu Cathedralis Ecclesiæ canonicatu constitutis *c. statutum 11. hoc tit. in 9.*

19 V. RESCRIPTA *justitia* singulare habent, quòd rescriptis *gratia* non æquè semper accommodari potest, quòd Judici præsentata & citato adversario ad respondendum contra ea, fiant inter partes communia, ita quidem, ut impetrans reo invito non possit illis ampliùs renunciare, aut declarando restringere: sed si rescriptum habeat plures articulos, poterit adversarius illo rescripto in aliis articulis etiam contra impetrantem uti *cap. 1. & 2. de mutuis petit.* Joann. Honor. *hoc tit. num.* 14.

20 VI. RESCRIPTA *gratia* perpetua sunt, adeò ut nec ipsa gratia, nec potestas data gratiæ executoribus morte concedentis etiam re integra, sive antequàm gratia executioni mandari cœperit, exspiret *c. si cui nulla 36. de præbendis in 6. cap. decet. 16. de R. J. in 6. cap. si super 9. de Officio delegati in 6.* Gonzal. *de Reg. 8. Cancell. Gloss. 12. num. 44.* Gutier. *pp. l. 1. q. 64.* quod tam in beneficiis, quàm privilegiis, dispensationibus aut aliis gratiosis licentiis, & facultatibus valdè notandum est. Et dicam inferiùs *in Lib. V. in Tit. de Privilegiis §. 3.*

RESCRIPTA verò *justitia* intra annum præsentanda sunt, postquàm copiam Judicum habuerit impetrans, *cap. si autem: 9. cap. plerumque 23. hoc tit.* & re integra morte concedentis expirant *cap. gratum. 20. cap. licet 30. de Officio delegati*, ne tamen ex hac extinctione partes detrimentum patiantur, facta est regula Cancell. 12. *De Revalidatione litterarum, &c.* in qua novus Pontifex *revalidat litteras gratia & justitia per prædecessorem intra annum ante diem obitus concessas, & debitis temporibus earum executoribus non præsentatas, ut per executores prædictos, vel ab eis subdelegatos perinde ad ipsarum executionem procedi possit, ac debeat. ac si executio hujusmodi temporibus prædictis inchoata fuisset.*

Quare ex hac regula executor litterarum *gratia* (intellige si gratia sit nondum *facta* sed *facienda*, ut mox dicam) & *justitia* non potest quid sede Papali vacante

cante procedete, quia litteræ expitarunt, poterit tamen novo Pontifice electo inchoare suum officium fine aliarum litterarum impetratione, tunc enim reviviscunt regulæ Cancell. & cum regulis litteræ. Glossa Alphonsi *ad d. c. reg. 12. apud* Joan. à Chokiet.

Sed circa id, quod dictum est, delegatam *gratia* executionem non expirare etiam re integra morte concedentis, videtur esse quædam apetta contradictio inter *d. c. si super 9. de Officio delegati in 6. & cap. si cui nulla 36. vers. secus de Prabend. in 6.* Placet breviter conciliatio Gloss. *in eod. cap. si cui nulla in v. moriatur* quòd *d. cap. si super*, procedat, si gratia & beneficium cèrtum de facto conferatur certæ personæ per superiorem aut Summum Pontificem, & tantùm ejus executio alteri committatur, quo casu gratiato est jus ad illud beneficium quæsitum; secus verò juxta *d. c. si cui nulla* si per Summum Pontificem nulla adhuc sit facta actualis gratia, & provisio de certo beneficio, sed tantùm datum mandatum de providendo & *facienda gratia*, ubi se facultas obtulerit; quo casu, quia gratiato nullum jus ad certum beneficium quæsitum est, talis executor comparabitur aliis delegatis, quorum officium re integra morte concedentis exspirat; nisi delegatio favorem actualem ipsius delegati concernat, ut si ipsi in genere detur jus conferendi beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta vel reservata talibus personis, quas ipse dignas judicaverit, sicut *in sapè d. cap. si cui nulla* habetur.

21 VII. RESCRIPTA *gratia* ad beneficia Ecclesiastica successori, vel hæredi non prosunt: nam in beneficiis non datur hæreditaria successio: *cap. ex transmissa 7. de Filiis Presbyterorum*, neque beneficium aliter quàm per canonicam institutionem obtineri potest *cap. 1. de R. J. in 6.* Dico *ad beneficia Ecclesiastica*: rescripta verò privilegiorum (si privilegia aliàs realia & non merè personalia sint, de qua distinctione in tit. *de Privilegiis* dicetur) ad successores transeunt, nisi privilegiatus tempore dati privilegii jam fuisset mortuus, tunc enim hæredi non prodesset. *L. Neratius. 191. ff. de R. J. non enim videtur Princeps*, inquit ibidem J. C. *beneficium, sive privilegium, quod ei, quem vivere existimabat, concessit, defuncto concessisse*: hoc est, quatenus il[l]ud ad hæredes sit extendendum, ut explicat Gottofr. & tradit Panorm. *in cap. significavit 36. hoc tit. num. 7.*

Verùm rescripta *justitia* saltem re non ampliùs integra, & quando in judicio producta fuit, eorumque authoritate citatus adversarius fuit, transeunt in & contra successorem universalem sive hæredem *arg. à contrario in d. c. significavit.* Si verò res adhuc integra sit, non transeunt in successorem, nisi fuerint impetrata sub nomine dignitatis, vel contra dignitatem in re vel causa non tam personam, quàm v. g. Episcopatum, Prælaturam, Principatum concernente *c. dilecti 17. de Foro comp.* sicut claré docet Innoc. *in c. gratum 20. de Officio Delegati.* Videatur etiam Panorm. *in d. c. significavit.*

22 VIII. RESCRIPTUM *justitia* ab adversario secundò impetratum, si non faciat mentionem de priori, & insuper de notabilioribus ejusdem clausulis, est nullum, & invalidum quidem *c. caterum 3. hoc t.* sed ex probabiliori sententia tantùm *ope exceptionis*, & si primus impetrans contra exceperit: si enim primus impetrans suo rescripto uti intra annum neglexerit, secundum valebit, etsi de primo mentionem non faciat *c. si autem 9. c. plerumque 23. hoc tit.* quod fieri non posset, si rescriptum secundum ipso jure nullum esset, juxta vulgatam regulam, *quod ab initio non valet, tractu temporis convalescere non potest cap. non firmatur 18. de R. J. in 6.*

RESCRIPTUM autem *gratia* ab adversario secundò impetratum contra id, quod priùs obtinuit, si non faciat de meo priori mentionem, censebitur subreptitiè obtentum, & sicut alia rescripta *gratia* subreptitia, ipso jure nullum, *c. constitutus 19. hoc tit. cap. cum olim 12. de Sent. & re jud.* Prosper Fagnanus *in d. cap. caterum, numer. 5.* neque rescribens censetur derogare juri, aut privilegio alterius jam priùs quæsito, nisi id in specie exprimat; vel nisi prior gratia sit generalis & secunda specialis, cùm in toto jure generi per speciem derogetur *c. 1. hoc tit.* ut si uni sit data facultas conferendi omnia beneficia certi loci, & alteri perpetua collatio specialis unius vel alterius beneficii illius loci sit concessa. Prædictis non obstat *cap. tibi 12. in fine hoc tit. in 6.* ubi etiam posterior impetrans rescriptum gratiæ sine mentione prioris, potest eo uti, quando prior in utendo suo rescripto fuit negligens: quia in facti specie illius *cap.* rescripta duobus concessa, ut uterque in aliqua Ecclesia reciperetur in Canonicum, non videntur contraria; quando Ecclesia plures Canonicos admittere potest licèt circa præventionem lis suboriatur.

IX. Hinc DD. insuper differentiam inter rescripta ju- 23
stitiæ & gratiæ addunt: quòd rescripta *justitia* juxta dicta præsentanda sint intra annum: Rescriptis verò *gratia* non sit certum tempus ad præsentandum assignatum, *cap. si autem 6. & ibi DD. hoc t.* Fatentur tamen, etiam rescripta *gratia* aliquando vim suam amittere, & posteriorem impetrantem beneficium præferri, si prior suo rescripto per negligentiam aut malitiam uti longius postposuerit *arg. cap. si Clericus 11. de Prabend. in 6.* tempus autem præsentationis esse superiori arbitrarium, concludunt, Gloss. *in d. c. si Clericus 11. in v. negligentiam.* Panorm. *in d. c. si autem num. 4.* Staphil. *de Literis gratia tit. quibus modis exspirent.*

In Concordatis Germaniæ *§. de Cætero*, habetur: quòd si beneficium vacaverit in mense Papali, & intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii non apparuerit, quòd alicui de illo Apostolica authoritate provisum sit, ex tunc, & non antea Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinet, providere possit.

Quia verò circa illa verba: *si non apparuerit intra tres menses à die nota vacationis in loco beneficii, &c.* frequens dubium occurrebat, & ordinarii Collatores illa in præjudicium collationis Papalis interpretabantur, ideò Gregorius XIII. in bulla, *Qua in Ecclesiam &c. 41.* super iisdem verbis declarationem edidit his formalibus: *Nos indignum rati, quod temporis mora, quod ad perscrutandum accuratiùs talium* (scilicet providendorum) *probitatem, industriam, & alia requisita intercedere pro utilitate Ecclesia necesse est, locum injuriis aperiat, attendentesque verba pradicta:* IN LOCO BENEFICII *cum verbis:* NOTÆ VACATIONIS, *qua protinus antecedunt, conjungi, & ad illa dumtaxat referri, ac voluntatem concedentis, sensumque concessionis, & litterarum pradictarum sic esse: ut dispositio beneficii intra tres menses à die nota* VACATIONIS IN LOCO BENEFICII, *à Sede pradicta fieri, neque gratia facta alicubi apparere debeat, quemadmodum re inter Juris utriusque Interpretes jam pridem controversa summa ratione judicatum apparet. Vix enim est, ut itineribus non modo infestis, aut probibitis, quod ferè semper aliquo modo contingit, sed etiam expeditis quis ex tam longinquis Regionibus ad dictam sedem profectus, & in ea ad expediendum negotium vel paulisper moratus in easdem se recipere tanta temporis angustia possit. Quocirca æquitate & justitia suadentibus prasentium authoritate declaramus, concessionem Nicolai Papa* (qui erexit concordata Germaniæ) *& litteras pradictas locum omnino non habere, quòd Ordinarii, aut alii Collatores pradicti post lapsum trium mensium ex die nota vacationis in loco beneficii disponere possint de ullis beneficiis pradictis, aliàs sub concessione & litteris pradictis comprehensis extra Rom. Curiam in mensibus pradictis quoquo modo vacantibus vel vacaturis, de quibus intra dictum tempus trium mensium per Romanum Pontificem ac dictam Sedem qualiscumque gratia, vel dispositio aut concessio facta fuerit. Ne tamen cuiquam licitum sit, factam à Sede pradicta dispositionem in longum obtegere; illi, quibus deinceps gratia hujusmodi concedentur, etiam concessionum fidem & testimonium intra tres menses à die nota vacationis in loco beneficii hujusmodi vel dictis collatoribus significare, vel in ipso beneficii loco publicare quoquo modo teneantur.*

Sed quomodo dicit Pontifex, quòd propter difficultatem itineris, distantiam loci &c. multoties contingat, ut in tanta temporis angustia (videl. 3. mensium computandorum à die notæ vacationis in loco beneficii) impetrans ad Sedem profectus ex longinquis regionibus, & ibidem ad expediendum negotium vel paulisper moratus ad easdem se recipere non possit: & tamen mox subjungit, quòd intra tres menses a die

notæ

notæ vacationis in loco beneficii ordinario Collatori significare collationem, vel in ipso beneficii loco publicare quoquo modo teneatur. Doctores, quos videre potui, ita declarationem explicant, quòd valeat collatio Pontificia, dummodò intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii sit facta, & provisus teneatur intra eosdem tres menses provisionem Ordinario significare, aut publicare in loco beneficii, si commodè possit, & temporis angustia non coarctetur. Georg. Branden. *super Concord. German. post quæst.* 12. *notab.* 1. *num.* 6. & *notab.* 2. *num.* 4. Paulus Laym. *Theol. Moral. lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 10. *n.* 3. Henricus Vvagnereck *in Exegesi Tit. de Præbendis super §. 5. Concord. pag.* 120.

Forsan etiam insinuare voluit Gregor. non esse captandum ab Ordinariis illud verbum: *si non apparuerit &c.* quasi requiratur personalis apparitio provisi coram Ordinario intra tres menses, sed sufficere, ut significationem vel publicationem *quoquo modo*, id est, prout commodiùs potest, etiam per litteras exequatur.

An autem omittens significationem vel publicationem provisionis coram Ordinario intra tres menses cadat propterea jure suo? non est satis, in d. Bulla Gregoriana expressum, nec invenimus hactenus auctorem, qui id affirmaret, benè autem qui neget, Branden. *d. Notab.* 2. *numer.* 5. ubi expressè sentit, propter omissam publicationem intra tres menses non esse provisionem à Gregorio annullatam: quod confirmari potest ex eo, quòd rescripta gratiæ ex sua natura sint perpetua, cùm deceat concessum à Principe beneficium esse mansurum c. *decet* 16. *de R. J. in* 6. Joann. Honor. *ad hunc tit. num.* 11.

Et si consentientibus DD. rescripta gratiæ longè sunt favorabiliora rescriptis justitiæ seu ad lites, inconveniens videretur, ut rescripta justitiæ retinerent effectum suum per annum c. *si autem* 9. *cap. plerumque* 23. *hoc tit.* rescripta autem gratiæ intra tres menses amitterent.

Adde, quòd ex communi sententia non nisi ex causis à jure expressis privatio beneficii obtenti inducatur. Garc. *de Benef. p.* 11. *cap.* 10. *in princ.* Honor. *ad tit. de Præbend. p.* 3. *n.* 1.

Dices, si provisus potest impunè negligere publicationem intra tres menses, ergo iste terminus gratis fuit positus in Bulla Gregoriana, cùm tamen verba Papæ aliquid operari debeant *cap. si Papa* 10. *de Privileg. in* 6.

Responderi potest 1. cùm hæc constitutio provideat utilitati Ecclesiarum, quæ nonnunquam ex diuturniori vacatione damnum accipiunt, *c. ne pro defectu* 41. *de Elect. c. quàm sit* 6. *eodem tit. in* 6. & ideò æquitati naturali sit consona, obstringet provisos etiam in foro interno, ut si commodè possint, provisionem intra tres menses Ordinario notificent, juxta receptam doctrinam, quòd lex justa in foro externo obliget etiam in interno, DD. communiter cum D. Thoma 1. 2. *q.* 96. *art.* 4.

2. Quòd negligenti publicationem possit etiam in foro externo pœna arbitraria dictari, juxta receptam pariter doctrinam, quod ubi lex prohibet actum sine determinatione pœnæ, pœna sit Judici & Superiori arbitraria; Julius Clarus *Lib.* 5. *Sentent. q.* 83. *& ibi additio prima*. Menoch. *de Arbitr. c.* 381.

3. Quòd culpari graviter non posset Ordinarius Collator, si elapsis tribus mensibus & nulla sibi de provisione Papali facta notitia beneficium conferret, præsumendo, vel provisum aliquem non esse, vel saltem non intra tempus legitimum, quamvis ad hoc præceps & festinus esse non debeat, ne litem seminet inter eum, cui ipse contulit, & provisum Apostolicum, qui si ex post facto apparuerit, & causas rationabiles non factæ publicationis celeris attulerit, haud dubiè illo, qui collationem ab ordinario accepit, potior erit dummodò intra legitimum tempus Romæ provisus fuerit. Si verò justam causam non habuerit, sed ex negligentia vel malitia publicationem longiùs distulerit, erit in superioris arbitrio uter in beneficio præferendus, juxta dicta in in principio hujus quæstionis. Nec videtur multùm obstare, quòd in d. Bulla Gregor. XIII. *Quæ in Ecclesiam in princ.* redarguantur Ordinarii, qui elapsis tribus mensibus mox beneficia non apparentibus provisis Apostolicis conferre contendebant; quia ex contextu sequenti colligi potest, quòd Ordinarii non tantùm conferebant, sed nullum prorsus Apostolicæ provisioni post trimestre tempus sibi oblatæ, & quacumque de causa eousque dilatæ locum faciebant. Consultiùs tamen fuerit, ut jam præmonitum, ordinarium collatorem post lapsum trium mensium non illicò ad collationem procedere propter multa inconvenientia, quæ inde sequi possunt; sed potiùs adhuc per tempus Vicarium in beneficio deputare.

Demùm an iste terminus trium mensium computandus à die notæ vacationis loco beneficii pro exbibitione provisionis Apostolicæ præfixus, habet etiam locum circa provisionem aliorum beneficiorum non solùm in mensibus, sed quomodocumque reservatorum? ex sæpè dicta Bulla Gregor. satis decidi non potest, quia contextus est solùm de beneficiis vacantibus in mensibus Papalibus. Interim quia ratio Bullæ est generalis: ne cuiquam licitum sit factam à sede dispositionem in longum obtegere: & tendit in utilitatem Ecclesiarum, quibus citiùs de Rectoribus providetur, tollit incertitudinem Juris conferendi, & nihil disponit contra jus commune, profectò erroris damnari non posset, qui id ipsum probabiliter affirmaret, ex vulgato juris axiomate: ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio; & quoties aliquid lege introductum est, bona occasio est cætera quæ tendunt ad eamdem utilitatem, vel interpretatione, vel jurisdictione supplere. *Text. in l. non possunt* 12. *& l. nam ut ait* 13. *ff. de LL.*

TITULUS IV.

De Consuetudine.

SUMMARIA.

1 *Consuetudo jus non scriptum.*
2 *Traditio & consuetudo qualiter differant.*
3 *Traditiones in Ecclesia magna authoritatis ad probandam fidem.*
4 *Judæi cur tolerentur à Deo?*
5 *Consuetudo & Præscriptio qualiter differant.*
6 *Consuetudo quotuplex.*
7 *Consuetudo valet etiam contra legem.*
8 *Ad Consuetudinem requiritur actuum frequentia.*
9 *Actus meræ facultatis non inducunt consuetudinem vel præscriptionem.*
10 *Actus an debeant esse in contradictorio judicio obtenti?*
11 *Consuetudo debet esse rationabilis.*
12 *C.* fin. h. t. *explicatur.*
13 *Parochi sine approbatione Episcopi secundùm consuetudinem saltem facti ab inferioribus Prælatis expositi, an validè administrent?*
Communis error jus facit. *ibid.*
14 *Quantum tempus requiratur ad consuetudinem inducendam.*
15 *Consuetudo dicitur tantùm impropriè præscripta, nec in ea Titulus aut bona fides requiratur.*
16 *Fallit in Legibus obligantibus sub peccato:*
17 *Lex mixta potest per consuetudinem fieri merè pœnalis, & è contra.*
18 *In Sacramentalibus, & impedimentis matrimonii dirimentibus qualiter admittatur consuetudo? remissivè.*
19 *Consensus superioris in ipsa lege vel Canone datus an sufficiat ad Consuetudinem?*
20 *Consuetudo non debuit fuisse interrupta.*
21 *Consuetudo debet esse circa talia, quæ possunt præscribi.*
22 *Lex generalis tollit Consuetudinem generalem contrariam, sed non particularem, nisi exprimat.*
23 *Clausula:* nulla obstante Consuetudine *intelligitur de præsenti, non de futura.*

POstquàm hactenus *de jure scripto* multa explicavimus, superest, ut etiam quædam scitu necessaria de

jure

jure non scripto seu *consuetudine* adjungamus.

Diuturna consuetudo, ait Juris Conf. *in l. 33. ff. de LL. pro jure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet*, & Isidorus *in cap. 5. dist. 1. consuetudo*, inquit, *est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur*. Est igitur consuetudo jus non scriptum da moribus hominum tractum. Non tamen repugnat consuetudini, si ex post facto in scripturam redigatur, prout *jus feudale* adhuc hodie consuetudinarium dicitur, & illi *Libri feudorum*, qui in Corpore juris Civilis habentur *consuetudines feudales* appellantur: sufficit enim, quòd tale jus in primo sui initio non ex scripto, sive præcepto alicujus legislatoris, sed ex usu, & moribus descenderit neque postea tanquam nova lex per aliquem legislatorem præceptum sit.

2 Differt CONSUETUDO à *traditione*, quòd illa regulariter introducat & constituat novum jus, hæc verò supponat jus antiquum, & potiùs vices promulgationis subeat: cujusmodi sunt illa, quæ circa jus Divinum & sacras leges ab Apostolis & Ecclesia accepimus. *Tenete*
3 *traditiones*, ait Apostolus 2. *ad Thessalon. c. 2. vers. 14. quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*. Unde graviter errant hæretici, qui *traditiones* Ecclesiæ contemnunt; sine his enim difficulter sanè sacra Biblia esse Sacram Scripturam à DEO descendentem probare possent. In ipsa quidem sacra Scriptura sæpiùs ita legitur: *hæc dicit Dominus, verbum Domini stat in æternum &c.* si quis tamen (qood absit) de his ipsis verbis dubitaret, profectò præter aliqua motiva credibilitatis intrinseca maxima probatio ex authoritate Ecclesiæ, ejusque traditione petenda foret, nam utique hæretici ex ore Dei ea non audiverunt. Zoes. *h. t. n.* 15. ubi *n.* 18. allegat dictum Tertull. *lib. 2. de Corona militis, si legem postulas, Scripturam nullam* (intellige originalem immediatè à DEO scriptum & nostris temporibus extantem) *invenies, traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix*, & S. August. *Evangelio*, inquit, *non crederem, nisi me Ecclesia Catholica moveret authoritas*. Vid. Bellarm. *Controv. tom.* 1. *de Verbo Dei lib.* 4.

4 * Hinc etiam planè credibile est, quòd Deus gentem Judaicam non penitùs deleri, sed toto orbe dispergi voluerit, cùm ritus Judaici Evangelicam veritatem adumbrent, & gens Judaica, quæ ita constanter suam progeniem, & traditiones suas à Moyse & Patriarchis derivat, testimonium assiduum præbeat S. Scripturæ, ne ab atheis hominibus tanquam figmentum exploditur. *Quid est aliud hodie gens ista*, ait D. August. contra Faust. *c.* 23. *nisi quædam scriniaria, bajulans legem & Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per Sacramentum, quod nunciat per litteram*.

5 Differt quoque CONSUETUDO à *præscriptione*, quòd hæc fit inter privatas particulares personas, cum unius damno alterius lucro, illa verò fit usus & observatio totius populi vel communitatis cum æquali omnium damno vel lucro, licèt interim etiam consuetudo alicubi dicatur *præscripta*, de quo tamen inferiùs dicemus.

6 Est autem consuetudo triplex, una *secundum legem*, qua lex superioris in usum deducitur, *cap. in istis 3. §. leges dist.* 4. vel inter diversas interpretationes, quæ ad illam legem adferri possent, ad certum modum observatur, in qua locum habet, quod dicitur, consuetudinem esse optimam legum interpretem *l. si de interpretatione 37. cum l. seq. ff. de Legib.* Altera *præter legem*, procedens in illis casibus, qui à jure scripto decisi non
7 sunt. * Tertia *contra legem*, qua lex scripta vel usu non recipitur, vel recepta denuò abrogatur & tollitur, quæ & *desuetudo* appellari solet. Non obstat *cap. 2. & 4. dist. 11. lex 2. C. Quæ sit longa consuet.* in quibus consuetudo legi repugnans reprobari videtur: nam interpretatio istorum textuum potest sumi ex *cap. cum tantò 11. hoc tit. Consuetudo longæva*, inquit ibidem Pontifex, *licèt non sit vilis authoritatis, non tamen est usque adeò valitura, ut juri positivo debeat præjudicium generare, nisi* (hic notetur interpretatio), *fuerit rationabilis, vel legitimè præscripta*.

8 * Porrò ad consuetudinem *præter & contrà* legem (nam de illa, quæ *secundum legem* est, parum difficultatis esse potest) sequentes conditiones requiruntur, * I. quòd actus ex quibus inducitur consuetudo, fuerint sæpiùs frequentari, & ita notorii, ut in majoris partis populi notitiam devenerit *l. 1. C. Quæ sit longa consuetud.* Panorm. *in cap. ult. h. t.*

Quotnam autem actus ad inducendam consuetudinem desiderentur, non est una omnium sententia. Plerique cùm lex actuum pluralitatem requirat *in dicta l.* 1. pluralis autem locutio in dubio ad duo restringatur, *c. pluralis, 40. de R. J. in 6.* duos saltem actus necessarios statuunt. Sed rectiùs id arbitrio Judicis relinquitur, qui cùm de consuetudine quæstio movetur, ex qualitate actuum judicare debet, an majori parti populi innotuerint, & ita quidem, ut non tantùm aliqui, vel singuli actum resciverint, sed ut etiam alii de populo aliis non contradicentibus eumdem actum imitati fuerint. Quod satis colligitur ex dicta *l. 1. ibi: probatis his, quæ frequenter servata sunt, causa cognita statuet &c.* Menoch. *de Arbitr. lib. 2. cas.* 81. Mynsing. *Cent. 7. observ. 41. n. 7.* Notat quoque Abb. *in cap. ult. h. t. numer. 17. & 19.* si actus perpetuitatem habeat, unicum sufficere posse; veluti cùm pons publico loco ædificatus à populo toleretur.

Debent tamen tales actus fieri cum animo obligationis, aliàs enim locum habebit, quod dici solet, *in actibus meræ & liberæ facultatis non induci consuetudinem vel præscriptionem arg. l. 2. ff. de Via publica &c. Abbate* 25. *de V. S.* Gloss. & Abb. *in d. c. fin. h. t.* Suarez. *de Leg. lib. 7. cap. 14. num.* 5. Laym. *Lib. 1. tract. 4. cap. 24. sub num.* 2. Arnold. Rath. *in tr. de Usucap. cap. 4. assert.* 5. Censentur autem *actus meræ facultatis*, qui nullam juris ne putativam quidem obligationem aut necessitatem habent, sed pro cujuslibet arbitrio fieri vel omitti possunt v. g. auditio Missæ die non festivo, peregrinatio ad loca sancta &c. qua de re etiam inferiùs in tit. *de Præscript.* dicendi occasio recurret. 9

Item quæritur, an tales actus debeant esse *in contradictorio judicio* obtenti? Rationem dubitandi facit *l. cum de consuetudine 34. ff. de LL. Cùm de consuetudine*, ait ibidem Juris Conf. *confidere quis videtur, illud explorandum arbitror, an etiam contradictorio aliquando judicio firmata sit*. Nihilominus veriùs est *extrajudiciales actus* sufficere, quia etiam in ais consensus & usus populi verificatur. Dicta autem *lex* 34. loquitur de *confirmatione* non de *introductione* consuetudinis, id est, quòd allegans consuetudinem, quam aliàs tanquam *rem facti* per testes probata deberet, relevetur ab onere probandi, si talis consuetudo jam aliquando in judicio recepta, & pro ea judicatum sit. Imò si indifferenter actus judiciales ad introducendam consuetudinem requirerentur, tunc jure Civili lapsu 10. annorum consuetudo contra legem introduci non posset, quia sententiæ judiciales contra legem latæ sunt ipso jure nullæ, & possunt usque ad 30. annos nullitatis argui. 10

II. Requiritur ad introducendam consuetudinem, ut sit *rationabilis*: nam *& consuetudo præcedens, & ratio, quæ illam suasit, custodienda est*, rescribit Imperator in *sæpe dicta l. 1. C. Quæ sit longa consuet.* & textus sunt *in l. quod non ratione 39. ff. de LL. cap. ult. hoc tit. c. 2. eodem in 6.* Ea autem consuetudo *rationabilis* non est, quæ vel juri naturali, aut divino adversatur, adeòque periculum salutis inducit *d. c. ult. hoc tit. c. fin. de Præscript.* vel jure Canonico reprobatur; prout in Sacris Canonibus sæpiùs hæc vel similia verba leguntur: *nulla obstante consuetudine, quæ potiùs corruptela est dicenda, cap. cum Venerabilis 7. hoc tit. c. 1. eodem in 6.* vel ad peccandum occasionem & viam aperit *cap. ex part. 10. cum suo summario hoc tit. cap. finali, de Præscript.* vel denique Ecclesiis aut aliàs communi Reipubl. utilitati perniciosa est *c. 1. hoc tit.* 11

Dices, omnem consuetudinem contra legem introductam esse *irrationabilem*, hoc ipso, quòd lex debeat esse *rationabilis*, & proinde, quod contra legem rationabilem inducitur, irrationabile censeri debeat. Respond. hoc argumentum solvendum esse ex iis, quæ superiùs *in Tit. de Constitution.* de *abrogatione* legum diximus, quòd nimirum omnis lex debeat esse rationabilis secundùm considerationes & circumstantias ejus temporis, quo fertur, & secundùm mores certi saltem populi, non autem quòd debeat esse rationabilis secundùm omnes considerationes & circumstantias etiam in futurum

emer-

emergentes, vel secundùm omnes populos. Videatur *textus in cap. alma mater 24. de Sent. excom. in 6. in Extravag. un. Joan. XXII. de Torneamentis & in Extravag. 2. & 3. de Verb. signif.* Imò faciliùs tolli, quàm introduci posse legem, notavit Suarez *de Legibus lib. 7. c.* 18. *numer.* 9. quòd ad introductionem requiratur positivè, ut ad publicam utilitatem conferat, ad ejusdem verò abrogationem sufficiat, ut publicæ utilitati non adversetur.

12 Dicet iterum, *in c. fin. hoc tit.* ait Gregorius Papa, quòd *consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen valitura contra legem, nisi sit rationabilis &c.* si consuetudo *rationabilis* non est, inquies, *authoritatem* aliquam habere non potest; si sit *rationabilis*, hoc ipso etiam *contra legem valebit*, consequenter vel priora vel posteriora verba *citati c.* gratis & superfluè ponuntur. Diversas solutiones ad hanc objectionem affert Glossa *in dict. cap. fin. in V. vilis authoritas.* & Panorm. *in eodem c. fin. n.* 4. Mihi videtur fuisse sensus summi Pontificis, consuetudinem aliam *facti*, aliam *juris* adstruere, ideoque consuetudinem in prioribus verbis sumere latiùs pro quolibet usu longævo, qui ante cognitionem superioris habeat *authoritatem de facto* apud eos, apud quos viget, non autem *de jure*, nisi sit *rationabilis*. Unde etiam propter illam authoritatem *facti*, quam habet consuetudo contra legem (dummodò ejus irrationabilitas, & peccatum manifestum ac notorium non sit) excusantur legis humanæ transgressores à pœna fori externi, & plerumque etiam à reatu conscientiæ, si communem observantiam & usum bona fide imitentur usque dum consuetudo (*de facto* nimirum talis) à superiore tanquam irrationabilis tollatur.

13 Non malè quoque dici potest, tali consuetudini *de facto* addi nonnunquam per accidens aliquem legis effectum propter communem hominum utilitatem; velut si confessarii sine approbatione Episcopi exponantur ab inferioribus Prælatis secundùm consuetudinem loci, validè absolvent, etsi supponeretur illa consuetudo esse tantùm *de facto* talis, dummodò illius validitatem populus bona fide crederet, nec esset à superiore causa cognita sublata, communis enim error jus facit, *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prat.* quando enim Prælati sunt in longissimi & multò magis, si in immemorialis temporis possessione exponendi Parochos & Vicarios ad Parochias suis Ecclesiis unitas, tales expositi habent titulum non tantùm coloratum, sed etiam verum administrandi Parochialia, & communi hominum existimatione (ut suppono) habentur pro legitimis Parochis aut Vicariis; licèt verò approbatio Episcopi ex Concilio Trident. requisita deficiat, quia tamen iste defectus juris naturalis aut divini non est, sed Ecclesiastici, per ea quæ docet Chassaing. *de Privileg. Regular. tract. 4. cap. 2. propos.* 1. Imò jus approbandi ad curam animarum etiam inferioribus Prælatis ex Privilegio vel præscriptione competere potest, teste Panorm. *in capit. cùm non liceat* 12. *circa fin. de Præscript.* Barb. *de Offic. Episc. alleg. 72. num.* 185. *& alleg. 127. num.* 12. lex Ecclesiastica propter communem hominum utilitatem & salutem animarum, suppleret jurisdictionem, itaut etiam secuta sententia Judicis, qui approbationem deincept ab Episcopo peti juberet, priores tamen absolutiones, & alia actitata Parochialia retractari non deberent. Vid. Laym. *in Theol. mor. lib.* 1. *tr. 4. cap. 22. num.* 9. Tannet. *de Pœnit. disp. 6. quæst. 9. dub. 3. sub num.* 53. Truienb. *in Praxi ref. Sacram. lib. 4. cap. 9. dub. 5. num.* 23. ideò ante sententiam non sunt Parochianis periculosi scrupuli injiciendi, & pendente lite nemo est commodo suæ possessionis privandus *cap.* 1. *& 2. Ut lite pendente.*

14 Requiritur III. ad consuetudinem constituendam diuturnitas temporis, quo aliquid observatum vel practicatum est. Sed circa hoc requisitum distinguere oportet inter statum *Popularem & Monachorum*. In statu *Populari*, ubi summa Imperii & potestas leges ferendi est penes populum, certum tempus non requiritur, sed sufficit populi consensus *l. de quibus 32. ff. de Legibus.* In *Monarchico* autem statu, ubi superior populi est Princeps & Legislator, plerique Recentiores fatentur, non esse jure determinatum certum tempus, & ideo Judicis arbitrio relinquendum censet Menoch. *de Arbitr. lib. 2. cas. 83. num.* 6. qui juxta levitatem vel parvitatem materiæ, super qua consuetudo introducta prætenditur, etiam contra Ecclesias aliquando decem, aliquando 40. & aliquando tempus immemoriale determinare debeat: Interim juxta communem de jure *Civili*, sive præter, sive contra legem introducatur consuetudo, *decennium* requiritur, hoc enim jura consuetudo *longa* dicitur *C. Quæ sit longa consuetudo:* longum autem tempus 10. annorum censetur. *C. de Longi temp. præscript.* Neque hic distinguendum est inter *præsentes & absentes*, sicut in præscriptione, cùm populus vel civitas nunquam dici possit *abesse*. De jure *Canonico*, si *præter jus* introducenda sit consuetudo, *decem anni* desiderantur, si *contra jus*, *quadraginta*, sicut contra alia jura Ecclesiastica, Gloss. *in cap. fin. hoc tit.* Quòd si lex nunquam ab initio usu recepta sit, eam tam jure Canonum, quàm Civili aboleri lapsu decennii tradunt Garc. *de Benef. p. 7. cap. 1. n.* 137. Navar. *in Man. confess. cap. 23. n.* 40. *&* 41. Laym. *in Theol. mor. lib. 1. tract. 4. c. 3. n.* 4. Zoes. *h. t. n.* 14. Eras. Chokier *de Jurisd. Ordin. in exempt. p. 1. quæst. 50. n.* 26.

Consuetudo autem *interpretativa* legis nec jure Canonico, nec Civili certi temporis lapsum requirit, sed sufficit actuum frequentia secundùm certam interpretationem practicata; veluti si dubitetur, in quibus consensus vel consilium Capituli ab Episcopo requiri debeat, quod in jure non satis clarè expressum est: Menoch. *d. l. n.* 10. Panorm. *in c. cùm dilectus 8. h. t. n.* 7.

Cæterùm consuetudo licèt jure Canonum dicatur præscripta *in d. c. ult. hoc tit. & c. 3. eodem in 6.* id tamen in rigore accipiendum non est, sed potiùs latè & impropriè, sicut de jure Civili potiùs consuetudo *longa & longæva* vel *diuturna*, quàm *præscripta* dicitur: etenim in præscriptione longi temporis ordinariè *titulus* requiritur, & etiam in præscriptione longissimi temporis, si jus resistat præscribenti *c. 1. de Præscript. in 6.* in consuetudine verò consensus populi & rationabilitas consuetudinis sive præter sive contra legem introducatur loco *tituli* est: quia illi tituli *empti*, *donati*, *privilegii &c.* ordinariè inter privatos tantùm procedunt, toti autem populo haud faciiè accommodari possunt. 15

Imò tametsi lex haberet aliquam clausulam consuetudini adversantem v. g. *nulla imposterum valitura consuetudine &c.* tamen ex nova rationabili causa à Legislatore verisimiliter non prævisa contraria consuetudo introduci posset; quia hæc ipsa clausula juris tantùm humani & positivi est, universim autem contra legem humanam consuetudo rationabilis admittitur *in sæpe dicto cap. ult. h. t.* Panorm. *ibid. n.* 20. *&* 24.

Deinde etiam in præscriptione *bona fides* requiritur, & nulla valet quanticumque temporis absque bona fide præscriptio, *cap. ult. de Præscrips.* sed cùm *bona fides* nihil sit aliud, quam *ignorantia probabilis juris alieni*, consuetudo autem contra jus & legem superioris etiam ex certa scientia illius juris cæteris paribus introduci possit, Gloss. *in dicto cap. ult. in verbo præscripta hoc tit.* ideò bona fides ordinariè non requiritur, sed iterum supplet causæ rationabilitas. Illæ tamen leges, quæ sub peccato obligant, uti sunt leges festorum, decimarum, jejuniorum &c. eatenus *bonam fidem* requirunt, ut transgressores talium legum à peccato excusentur, aliàs ex actibus illorum peccaminosis nulla induceretur consuetudo. Unde in talibus vix aliter quàm tempore immemoriali consuetudo introduci potest, attendendo scilicet non actus primorum, qui legem fortassis culpabiliter non servarunt, sed sequentium, qui bona fide imitati sunt exemplum suorum majorum, supponentes, suos antecessores legitimam causam vel remissionem ad non servandam legem habuisse. Syl. *verbo Consuetudo num.* 12. & Panorm. *in cap. 1. de Treuga & pace, num.* 4. 16

Adnotavit etiam Suarez. *de L. L. d. L. 7. cap.* 19. *num.* 11. & ex eo Laym. *in Theol. mor. d. tract. 4. cap. 24. sub num.* 12. quòd per desuetudinem ex lege humana mixta possit fieri purè pœnalis, & cessante reatu conscientiæ manere sola pœna fori externi, *& sic fortasse*, inquit Suar. *multæ leges Civiles imponentes exactiones, vel prohibentes venari, ligna scindere vel aliquid ex regno* extra-

extrahere, licèt in principio directiva fuerunt, potuerunt usu fieri merè pœnales, & quasi naturam mutare, quia non aliter sunt observata, & vice versa etiam abrogata pœna v.g. Censura ipso jure annexa, poterit manere sola obligatio quoad culpam, vel neutrum.

18 Demùm etiam in Sacramentalibus & aliis ad Sacramentorum substantiam non pertinentibus consuetudinem etiam contra jus commune induci posse, v.g. ut secundæ nuptiæ benedicantur &c. tradit Laym. *d. n.12. cum citatis ibidem arg. c. de trina* 80. *dist.4. de Consecr. & cap.2. de Temp. ordin.* An autem impedimentum dirimens matrimonii consuetudine introduci, vel tolli possit? vid. Laym. *d. l. n.13.* Sanch. *de Matrim. lib.7. disp.*14. ubi plures utrinsque sententiæ authores referuntur.

19 IV. Extra statum popularem requiritur consensus superioris; cùm enim consuetudo sit lex, aliter quàm cum authoritate ejus, qui habet potestatem legis condendæ, introduci non potest. Sed hic quæritur, an in singulis particularibus casibus requiratur scientia & tolerantia superioris, vel utrùm sufficiat consensus ille generalis, qui in utroque jure in ipso titulo *de Consuetudine* omnibus co. suetudinibus rationabilibus datus est? Veriùs & communiùs receptum est, hunc generalem consensum sufficere, & consuetudinem etiam ignoranta superiore introduci posse: tum quòd *in cap. fin. hoc tit.* solùm requiratur, ut consuetudo sit *rationabilis & præscripta*, *præscriptio* autem etiam contra ignorantem procedat: tum etiam ex textu *cap.1. de Constitut. in 6.* ubi dicitur, quòd Papa plerumque ignoret statuta & consuetudines locorum. Panormit. *in eodem cap. fin. numer.* 13. Putant quidem aliqui, quòd si sciente & patiente legislatore actus contra legem fiant, tunc minus spatium ad introducendam consuetudinem requiratur: sed id de lege aliquando *recepta* non admittit Panorm. *c. l. numer.* 14. eò quòd lex recepta debeat per præscriptionem aboleri, scientia autem ejus, contra quem describitur, de jure non minuat præscriptionis tempus; quo facit etiam textus *in cap. cum jam dudum* 18. *de Prabendis*, quòd *multa per patientiam tolerentur, quæ in judicium deducta tolerari non debebunt*; admittit v..o *in cap.1. de Treuga & pace num. 4. vers. Ego sic distinguerem &c.* in lege *recipienda*, ita ut tunc non requiratur certum tempus, sed sufficiat binus aut trinus actus publicus in contrarium sciente & non contradicente legislatore factus, quòd hoc casu non agatur de tollenda (ubi præscriptione opus est) sed impedienda obligatione legis, quam legislator tolerans actus contrarios remisisse præsumi potest, præsertim lapsu longi temporis scil. 10. annorum accedente, ut superiùs dictum.

20 V. Requiritur, ut consuetudo ante completum præscriptionis tempus, vel per ipsum populum, exercendo actum contrarium etiam unicum; vel per superiorem, puniendo transgressores legis, non sit interrupta; aliàs enim post talem interruptionem denuò inchoanda foret. Si verò tempus consuetudinis jam esset completum, unus actus in contrarium non noceret, sed deberet consuetudo tolli eo modo, quo mox dicemus. Abbas *in dicto c. final. n.* 19. Paulus Laym. *de Legibus cap. ult. n.* 14.

21 VI. Demum requiritur, quòd consuetudo sit circa talia, quæ præscribi possunt: sicut ergo Laici spiritualia jura præscriptione ex defectu possessionis acquirere non possunt, ita nec consuetudine etiam immemoriali. Quare illa regula, quæ traditur à Gloss. & DD. *in cap. super quibusdam 36. de Verb. signif.* quòd *acquisibile per Privilegium possit etiam acquiri per consuetudinem vel præscriptionem temporis immemorialis*, tantùm procedit in iis, in quibus non datur incapacitas possessionis. Plerumque etiam concurrit ad impediendam tali casu consuetudinem, quòd ea rationabilis non sit, vel in detrimentum Ecclesiarum tendat. Gloss. & Panor. *n.15. in d. c. fin. hoc tit.*

Tollitur consuetudo semel legitimè constituta & introducta non per unum solum actum contrarium, sed per consuetudinem aut legem contrariam. * & quidem lex *generalis* tollit consuetudinem *generalem* contrariam, sed non *particularem*, quæ in uno vel altero particulari loco viget, nisi id ipsum exprimat *per textum not. in c. 1. de Constitutionibus in 6.* Probabiliter autem censetur satis exprimere per clausulam illam generalem: *nulla obstante consuetudine &c.* ut enim ista clausula habeat aliquem effectum, debet posse intelligi non de consuetudine generali, utpote quæ etiam sine hac clausula per legem generalem abrogatur; sed etiam de particulari, cùm omnis consuetudinis sit derogativa, sicut aliàs dicere solemus, qui omne dicit, nihil excludit &c. quod tunc minus dubii habere videtur, si lex addat *nulla obstante consuetudine, privilegio vel statuto &c.* tunc enim cum Statuti & Privilegii (quæ particulares & privatæ leges sunt) quoque meminerit, etiam consuetudinem particularem intellexit. * Cæterùm hanc clausulam, *nulla obstante consuetudine*, magis communiter DD. cum Gloss. *in Clem. statutum 7. de Elect. in verb. Consuetudine* accipiunt de consuetudine præsente, quæ viget tempore novæ legis conditæ, non autem de consuetudine imposterum inducenda. Gloss. *in d. Clem. statutum v. Consuetudine de Elect.* Laym. *d. cap. 24. n.7. vers. Tunc verò.* Si tamen lex consuetudinem improbaret tanquam prorsus irrationabilem & *corruptelam*, tunc ex defectu rationabilitatis contraria consuetudo, nisi ex nova causa, introduci non posset, ut paulò superiùs *in 2. & 3. requisito* dictum.

TITULUS V.

De Postulatione Prælatorum.

SUMMARIA.

1 *Postulatio quid?*
2 *Qualiter differat ab electione.*
3 *Postulato non acquiritur jus, nec potest simpliciter consentire.*
4 *Postulatio potest revocari nondum præsentata superiori; & quid si præsentata postulatio, isque consenserit.*
5 *Expensæ intuitu postulationis vel electionis factæ an & quando repetantur?*
6 *Postulatus quot vota habere debeat, & ibi, quid si postulatio concurrat cum electione?*
7 *Votum confundens electionem cum postulatione quando reprobatur?*
8 *Postulatio quotuplex, & ad quem spectet ejus admissio?*
9 *In postulatione non requiritur accurata observatio c.* quia propter de Elect.
10 *Postulantes indignum privantur jure eligendi pro ea vice.*
11 *Postulatio vel electio authoritate Papæ cassata inducit reservationem beneficii.*

IN 4. Titulis præcedentibus quædam veluti Prolegomena de Jure Divino, naturali & humano præmissa sunt. Nunc Compilator transeundo ad magis particularia incipit agere de Jure personarum Ecclesiasticarum, scilicet de earum constitutione & obligatione. Quia verò in Hierarchia Ecclesiæ militantis alii sunt subditi, alii Prælati, qui aliis & dignitate & potestate præeminent, primò de Prælatorum creatione, quæ vel per Postulationem, vel Electionem vel etiam Translationem fieri solet, tractatur.

Est igitur postulatio alicujus personæ ad Prælaturam 1
sive dignitatem erga superiorem destinata petitio, ut eam dispensativè admittere velit; per quæ ultima verba principalis differentia inter electionem & postulationem denotatur. * Nam electio est personæ habilis 2
ad dignitatem: postulatio verò est personæ aliquo impedimento laborantis, & propterea dispensatione opus habentis. Ex quo mox altera differentia consequitur, quòd electus electionem de cætero Canonicam simpliciter acceptare valeat, atque inde jus acquirat, ut ei confirmatio à superiore ex justitia debita sit; * postulatus 3
verò non nisi sub conditione dispensationis obtinendæ in postulationem consentire possit. Passer. *in Tract. de elect. c. 24. q. 8. numer. 13. quæst. 14. numer. 50.* & ipsam

quo-

quoque postulationem à superiore admitti res gratiæ potiùs, quàm justitiæ sit, nec injuria fiat postulato, si etiam non vocatus rejiciatur, cùm denegare gratiam in potestate superioris sit *cap. 3. & penult. hoc tit.* unde & in terminis juris postulatio *admitti*, electio *confirmari* dicitur: quod enim *confirmatur*, jus aliquod præexistens supponit; habet tamen ea admissio vim electionis & confirmationis. Passer. *d. l. q. 3.*

Aliquando tamen, sicut ob justam, & præsertim publicam causam dispensatio in votis, irregularitatibus & similibus nonnunquam ex officio debita esse potest, ut in Libro III. in Tit. *Ne sede vacante.* dicemus: ita etiam admissio postulationis, si ea secundùm formam juris concorditer facta sit, vel necessitas & utilitas Ecclesiæ exigat. Quamvis etiam hoc casu postulantibus, vel postulato non tam propria actio contra denegantem admissionem, quàm imploratio officii apud superiorem Judicem competere videatur. Panorm. *in cap. bona 3. hoc tit. n.* 14. Laym. *in qq. Can. de Præl. Eccl. Dilingæ disp. q.* 8. Glossa *in d. c. bona. V. gratia.*

4 Est & tertia differentia inter postulationem, & electionem, quòd electio post publicatum scrutinium ab eligentibus revocari, vel mutari non possit *c. publicatio 58. de elect.* & dicetur *Tit. seq.* postulatio autem ut cumque fuerit publicata, vel etiam ad superiorem destinata, dummodò actualiter superiori præsentata non sit, revocari possit: quia, ut dictum, per eam nullum jus acquiritur postulato, & gratiam petere nemo cogitur. Si verò actu superiori præsentata foret postulatio, non aliter quàm cum consensu ejus revocari posset. Host. *hoc tit. num.* 12. Joann. Andr. & Panorm. *in cap. bona* 4. *h. t.* Passerin. *d. cap.* 24. *q.* 9. ubi *numer.* 17. quærit, an revocari possit, si postulatio saltem ipsi postulato præsentata, ab eoque consensus illi conditionatus desuper præstitus fuit? Ratio dubitandi est, quòd illa præsentatio, & consensus videatur habere naturam pacti irrevocabilis. Sed quia DD. generaliter admittentes revocationem hanc exceptionem non statuunt, nullum se legisse testatur Passer. *d. l.* qui hoc dubium tractaret, ideò videntur hic affirmativam supponere. Neque consensus postulati requiritur per modum pacti, sed tanquam conditio, sine
5 qua non potest postulatio superiori præsentari. Planè idem sensisse Panorm. *in d. c. 4. h. t. n.* 31. satis colligitur, dum ibidem docet cum Innoc. & aliis, quòd si postulatus fecisset aliquas expensas intuitu postulationis, licèt cum consensu & præscitu postulantium; non possit eas à postulantibus, vel Ecclesia propter revocationem & variationem postulationis repetere: tum quòd suum, non Ecclesiæ negotium, & quidem satis ambitiosum contendendo ad dignitatem sibi non debitam gesserit: tum quòd sibi imputare debeat expensas factas, cùm nullum jus ex postulatione se habere, ac postulantes variare posse scivetit aut scire debuerit. Ergo supponit Panorm. quòd etiam post consensum postulati detur variatio: quis enim faciat expensas ad prosequendam postulationem, nisi prius, imò hoc ipso facto in eam consenserit? Quamvis circa hoc punctum expensarum cum consensu postulantium factarum æquiùs censeat Passer. *d. q. 9 num.* 20. cum Sylv. & aliis earum refusionem Postulantibus incumbere; tùm quòd earum causa fuerint: tum quòd postulatus cum consensu postulantium faciens sumptus in prosecutione postulationis, ipsorum quoque postulantium negotium gesserit, nec propterea de ambitione notandus sit. Quandonam autem universim prosequentes, vel impugnantes electionem aut postulationem valeant expensas repetere, videatur Gloss. fin. *in c. cupientes 16. in V. judicabit. de Elect. in 6.* Breviter dicendum, quòd illi tantùm ordinariè consequantur expensas, qui obtinent contra electionem minùs Canonicam vel damnosam Ecclesiæ: quia isti censentur utile negotium Ecclesiæ gerere. Cæterùm vero qui succumbunt in impugnatione, vel electionem aut postulationem propriam prosequuntur, regulariter non repetunt: quia vel negotium Ecclesiæ non utiliter, vel suum tantùm negotium gessisse censentur, nisi Regularis sit, cui, cùm bona propria non habeat, ne jura sua aut Ecclesiæ pereant, ex bonis Ecclesiæ succurrendum est *arg. cap. ex parte 11. de Accus.* Item si electio & postulatio in concordia facta sit, possunt ipsi eligentes & postulantes sumptibus Ecclesiæ petere confirmationem electionis, & admissionem postulationis.

Quarta quoque differentia est circa numerum suf- 6
fragiorum: etenim in electione semper sufficit, ut major pars Capitularium in electum consentiat *c. quia propter 42. de Elect.* postulatio verò si, concurrat cum electione, & aliqui ex Capitularibus postulent, aliqui eligant, hoc habet speciale, ut non sufficiat, quòd major pars postulaverit, sed requiritur, ut postulantium numerus sit duplo major, quàm eligentium, & ita duæ tertiæ Capitularium v. g. ex 30. 20. stent pro postulato, aliàs rejecto postulato electio etiam à minori parte Capituli (dummodò illa superet unam tertiam) confirmabitur, *c. scriptum 40. & ibi* Gloss. & Panorm. *de Elect.* Sentiunt tamen DD. quòd *de c. scriptum* admittens electionem minoris partis, quando pars major non elegit, nec postulavit indignum, sit quædam specialis decisio contra communes juris in materia electionis regulas, funderturque potissimùm in consensu Capitularium, qui simul postulationem & electionem superiori præsentarunt, atque eo ipso consentire censentur, ut vel postulatio ipsorum admittatur, vel aliorum electio confirmetur; ut proinde in arbitrio Confirmatoris positum videatur, ut consideratis circumstantiis & qualitatibus personarum vel postulationem admittat, vel electionem confirmet, vel utramque rejiciat, adeò ut ne electo quidem in casu isto jus aliquod ante acquiratur, quàm confirmationis assensus accesserit. Ita Laym. *in qq. Can. de Prælat. Eccl. Dilingæ disp. q.* 7. & notat in Gloss. *in d. c. scriptum V. Confirmes.* Passer. *d. cap.* 24. *q.* 15. *num.* 61. *& seqq.* arg. text. *in d. c. scriptum* ibi: *& si partes consenserint procedas hoc modo.* Si verò postulatio cum electione non concurrat (quòd tunc evenire potest, si omnes Capitulares postulationem, sed circa diversas personas instituant) prævalebit pars major Capituli, quamvis ex duabus tertiis non constet: quia regula est generalis, quòd major pars Capituli totum Capitulum repræsentet, à qua regula tantùm excipitur hic casus specialis, si postulatio cum electione concurrat, proinde in aliis regula firma manet.

Potest hic adnotari, quòd *in c. un. h. tit. in 6.* repro- 7
bentur tales eligendi aut postulandi formæ, & actus inde secuti annullentur: *eligo postulando, & postulo eligendo:* aut *eligo postulandum, sive postulo eligendum*; eò quòd contineant verborum contrarietatem; sicut & aliàs si postulandus eligatur, electio canonica non est, utpote facta de persona ob defectum canonicum indigna *c. cùm Wintonensis 25. c. congregato 53. de Elect.* Item *in eodem cap. un.* etiam hæc forma rejicitur: *eligo & postulo, prout de jure meliùs fieri potest*; nisi quando probabiliter dubitaretur, utrùm quis sit eligendus, vel postulandus: cùm forsan de defectu ejus aliquæ conjecturæ, sed non veritas habetur; quo casu sic postulatus vel electus antequàm consensum suum præstet, alterutram viam postulationis vel electionis amplecti debet, neque una via electa ad alia redeundi potestatem habet. Utrùm autem e contrà, quando certò eligibilis postulatur, actus sit nullus, non secùs ac si postulandus eligatur? pro utraque sententia allegat Passer. *d. cap. 24. quæst.* 12. *num.* 24. & ipse arbitrio confirmatori remittit. Posset addi ratio differentiæ, quòd si postulandus eligatur, injuria fiat Ecclesiæ, dum eligentes volunt inhabili jus ad Prælaturam tribuere: in altero autem casu injuria, si qua est, potiùs persona postulati, quam Ecclesiam respiciat.

Postulatio solet à DD. dividi in *solemnem & non solem-* 8
nem. Solemnis est, quæ dirigitur ad eum, qui potest in impedimento postulati dispensare. Hinc est; quòd licèt confirmatio electionis de jure ad proximum superiorem pertineat (nisi quòd hodie in Concordatis Germaniæ confirmationes Episcoporum sunt S. Pontifici reservatæ) admissio tamen postulationis etiam ipso jure plerumque ad S. Pontificem spectet, cùm ipsi regulariter soli (nisi inferior speciali privilegio vel consuetudine munitus sit) dispensandi potestas competat.

Et huic *solemni* postulationi propriè conveniunt 9
ea, quæ hactenus dicta sunt. Cùmque ejus admissio pendeat merè ex gratia superioris, ut sæpius repetitum, ideò neque formam *cap. quia propter de Elect.* accuratè

per

per omnia observare esse de necessitate, quamvis tutius fateatur, docet Passer. *d. cap. 24. quæst. 7.* nisi ut in postulationibus Regularium vota secreta dentur: quia Concilium Trident. *Sess. 25. de Reg. cap. 6.* ex identitate rationis etiam de postulatione S. Congregatio interpretata est.

Postulatio *non solemnis* est, in qua non petitur dispensatio contra jus, & relaxatio legis, sed licentia solùm & consensus superioris, veluti si Abbas vel Præpositus aut privatus Religiosus in Episcopum, vel in alterius, quàm sui proprii Monasterii Prælatum assumatur cum licentia illius superioris, cui immediatè subest: & propterea talis postulatio non est tam postulatio quàm electio, & nihil interest, an Capitulares electionis vel postulationis vocabulo utantur: nam sacri Canones omnibus Regularibus concedunt, ut non tantùm ad alia Monasteria quàm propria, sed etiam ad Episcopatus Ecclesiarum Cathedralium, quamvis sæcularium, eligi vel assumi liberè & licitè possint, dummodò ex post facto consensus superioris accedat. Et quidem si privatus Religiosus sit, qui eligitur, consensus sui Abbatis (sine quo Religioso consentiente irritatur electio, non tamen requiritur consensus Capituli) si Abbas, consensus Episcopi, vel si exemptus fuerit, consensus S. Pontificis, vel Legati ejus de laterè requiritur, *cap. Religiosus 27. cap. si Abbatem 36. de Elect. in 6. Clem. 1. eodem tit.* Aliud est, si Episcopus unius diœcesis eligatur in alterius diœcesis Episcopum, vel Archiepiscopum: talis enim è vinculo spiritualis conjugii, quo adstrictus est suæ Ecclesiæ Cathedrali (quod vinculum non est propriè inter Abbatem & Monasterium) tantùm à S. Pontifice absolvi, & proinde solemniter postulari debet *cap. ult. hoc tit. c. inter corporalia 2. Vers. sicut autem de Translatione Episc.*

10 Demum quia postulantes indignum privantur pro ea vice potestate postulandi & eligendi, ut cum Innoc. *in cap. 1.* & Panorm. *in c. ult. hoc t.* notant communiter DD. omnis autem postulatus defectu canonico laborans videatur indignus, ideò hac in re tres regulæ traduntur; *Prima* est, quòd si postulatus sit indignus indignitate indispensabili, ut quia criminosus, impœnitens, hæreticus, infamis, omnino illiteratus &c. tunc privatio electionis & postulationis pro ea vice ipso jure inducatur. *Secunda* est, si indignitas sit quidem dispensabilis, attamen non soleat dispensari, (quod ex stylo Curiæ desumendum est) tunc postulatio non est ipso jure nulla, sed per sententiam annullanda, neque pœna privationis ipso jure incurritur, nisi quòd in *Extravag. ad Regim. 13. de Præbendis inter Com.* & Concord. German. *§. 2.* digni-
11 tates illæ in quibus postulationes, vel electiones factæ tanquam minùs canonicæ authoritate Papæ, ad quem spectat earum admissio vel confirmatio, rejiciuntur, Sedi Apostolicæ reserventur. *Tertia* denique regula ex præcedentibus infertur, quòd illi proinde postulabiles censeantur, qui tali defectu canonico laborant, in quo possit & soleat dispensari: uti est vinculum alterius Ecclesiæ, Ordinum, vel ætatis defectus &c. Panorm. *in d. cap. fin. num. 8.* Barb. *Jur. Eccles. univers. cap. 19. num. 6.* Laym. *d. loco quæst. 2.* Passer. *d. cap. 24. quæst. 12. num. 28. & seqq.*



TITULUS VI.

De Electione & Electi potestate.

SUMMARIA.

1 *Quid sit Electio?*
2 *Alia est activa, alia Passiva.*

POstulatio, de qua dictum, est modus extraordinarius creandi Prælatos, qui innititur gratiæ, subsequitur ordinarius, qui Juri innititur nempe Electio. Et quia hæc Jus tribuit electo, etiam de electi potestate agitur.

Electio describi potest, quòd sit *Persona idonea ad Ecclesiam vacantem per vota Capitularium, seu eligentium Canonica vocatio.* Dico *persona idonea:* ut differat electio à *postulatione*, quæ est de persona impedimento canonico laborante, ut *præcedenti tit.* diximus. Dico, *per vota Capitularium*, ut differat electio à collatione, institutione, commenda, præsentatione, & aliis similibus modis acquirendi beneficium: qui in *Lib. III.* tractantur; quare potissima vis & ratio electionis in votis Capitularium seu eligentium consistit. Et hæc sunt duplicia: * alia *activa*, scilicet illorum, qui eligere pos- 2
sunt; & alia *passiva*, illorum, qui possunt eligi, & dignitatis electivæ capaces sunt, velut in Trident. *Sess. 25. de Regul. cap. 2.* statuitur: ut Religiosus contra voluntatem Superioris proprietarius biennio activa & passiva voce carere debeat, quod de voce in Capitulo intelligendum est. Si verò aliquis simpliciter tantùm per Canones voce privetur, id in dubio de activa tantùm, quæ propriè vox est, non etiam de passiva accipitur: sicut exemplum habetur in eodem Trident. *Sess. 22. de Reform. cap. 4.* & ibi tradit Barb. *num. 14.* de illis, qui in Subdiaconatus saltem Ordine constituti non sunt, ut vocem in Capitulo non habeant. Videamus igitur de *voce activa & passiva* eligentium, de *modo & forma* electionis, ac demùm de illis, quæ ad electionem factam consequuntur.

---

§. I.

Quinam vocem activam in Electione habeant?

SUMMARIA.

1 *Jus eligendi competit propriè illis, qui sunt de Collegio, & quibus modis possit acquiri extraneis?*
2 *Qualiter acquiratur consuetudine, vel præscriptione.*
3 *Qui sunt in quasi possessione juris eligendi, debent admitti ad electionem; & quot actibus acquiratur quasi possessio?*
4 *Laici sunt incapaces juris eligendi, & admissi faciunt electionem nullam, nisi habilitentur ex privilegio Papæ.*
5 *Novitii & Conversi nequeunt eligere, nisi Monasterium constaret ex Conversis.*
6 *Qui non est saltem Subdiaconus, hodie eligere non potest, & an id quoque procedat in Monasteriis?*
7 *Censuris Ecclesiasticis irretiti, an & quando eligere possint; & quid hodie post Concilium Constant.*
8 *Religiosi proprietarii nequeunt per biennium eligere.*
9 *Indignum eligentes quo sensu* pro ea vice *jure eligendi priventur.*
10 *Absentes an & qualiter per Procuratorem, vel per litteras eligere valeant.*
11 *Absentes qui vocandi ad electionem, & vel unus vocandus non vocatus potest irritare electionem.*
12 *Unus residuus de Collegio retinet jus eligendi, & qualiter possit electionem instituere.*
13 *Jus eligendi amittitur lapso tempore à jure præfinito; & quod sit illud, ac qualiter computetur.*
14 *Electio facta post terminum an subsistat; & an Episcopus possit prolongare vel restringere terminum juris?*
15 *Episcopo non utente jure electionis ad se devoluto, id non devolvitur ad Capitulum, sed ad superiorem.*

DE jure communi illi solùm eligere possunt, & vocem 1
activam habent, qui sunt membra illius Collegii, cui jus eligendi competit, *cap. ult. 16. quæst. 7. cap. 1. hoc tit. cap. cùm Ecclesia 3. de Causa poss. & propriet.* Alii verò extranei non nisi speciali jure hanc eligendi potestatem consequuntur.

Et quidem personæ Ecclesiasticæ, quæ de corpore vel gremio Collegii non sunt, possunt acquirere jus eligendi. I. Ex privilegio S. Pontificis, qui pro plenissima sua in omnibus Ecclesiis & beneficiis potestate eligendi jus concedit, & aufert, ut ex diversis juris

Cano-

Canonici locis, præsertim verò ex Regulis Cancellariæ docemus.

II. Ipsi eligentes possent in aliquem extraneum v. g. Episcopum compromittere, & totum jus suum eligendi saltem pro una vice in eum conferre, ut ille solus valeat eligere, & constituere Prælatum in Ecclesia vacante, *cap. causam* 8. *hoc tit.* Universim autem & in perpetuum jus electionis Capitulares à se abdicare, & in alium transferre non possunt: quia jus electionis non tam favore eligentium, quàm ipsius Ecclesiæ, cui meliùs per electionem, quàm aliam provisionem consultum est, conceditur.

III. Ex unanimi consensu possunt eligentes etiam extraneum Clericum secum ad Capitulum & electionem admittere *c. scriptum* 40. *hoc tit.*

IV. Patronus Ecclesiasticus potest sibi in fundatione Ecclesiasticæ Collegiatæ jus eligendi reservare: quia in fundationibus Ecclesiarum honestæ conditiones admittuntur, ut major sit hominum ad Ecclesias fundandas promptitudo, *c. præterea* 23. *de Jure patron. cap.* 4. *de Condit. appos.* Si in fundatione nihil reservatum sit, vel si ex Ecclesia simplici patronata facta sit Ecclesia Collegiata, tunc patroni consensus non in ipsa electione, sed primùm post illam, & quidem magis de honestate quàm necessitate requiretur. Text. & DD. *c. nobis* 25. *de Jure patron.*

2 V. Consuetudine vel præscriptione etiam jus eligendi acquiritur *c. cùm Ecclesia* 3. *de Causa poss. & propriet.* spatio scilicet 40. annorum: quia præscriptio & consuetudo contra Ecclesiam & Canones est. Atque præscribens jus *eligendi* etiam jus *postulandi* præscripsisse censentur, quamvis intra tempus præscriptionis nunquam se casus postulationis obtulerit, ex generali regula, quòd illi, qui eligere etiam postulare valeant *cap.* 4. *de Postul. Prælat.* Non obest, quòd præscriptio sit strictæ interpretationis; non extendatur de casu ad casum; nec censeatur plùs præscriptum, quàm possessum &c. nam ista locum non habent in his, quæ connexa sunt, & ad unum finem tendentia, de connexis enim idem est judicium; unde & qui in quasi possessione juris eligendi est, per consequens etiam & connexionem jus postulandi possidere intelligitur.

Sed utrùm ad præscriptionem istam juris eligendi titulus requiratur, dubitari solet? Quidam affirmant, eò quòd præsumptio juris sit contra præscribentem, quo casu aut tempus immemoriale, aut titulus requiritur *cap.* 1. *de Præscript. in* 6. Probabiliùs tamen videretur cum Panorm. *in d. cap. cùm Ecclesia num.* 3. solùm exercitium eligendi cum lapsu temporis quadragenarii absque alio titulo sufficere; tum quòd in eodem *c. cùm Ecclesia* præter tempus & possessionem nullius tituli mentio fiat, cùm tamen ibidem tam super petitorio (in quo regulariter necesse est monstrare titulum) quàm possessorio actum fuerit: tum quòd in *incorporalibus juribus* plerumque scientia & patientia adversarii loco tituli habeatur. *L. si quis diuturno* 10. *ff. Si servitus vendic. L. si ego* 11. *ff. de Publiciana in rem act.* Citatum verò *cap.* 1. *de Præscript. in* 6. accipiendum est non de simplici solùm præsumptione, quæ est contra præscribentem, sed de præsumptione cum forti resistentia propter grave præjudicium, vel inconvenientiam ex præscriptione emanantem, ut si contra Parochum decimæ præscribantur, sicut explicat Covar. *Var. Resol. cap.* 17. *num.* 7.

3 Cæterùm etiam ante completum præscriptionis tempus illi, qui in pacifica possessione juris eligendi sunt, ad electionem admitti debent: quia pendente lite non debet aliquis commodo suæ possessionis privari *dict. c. cùm Ecclesia &c.* 1. & 2. *Ut lite pendente &c.* Putat quoque Gloss. *in sæpe d. c. cùm Ecclesia in V. trium Episcoporum*, quasi possessionem juris eligendi per unum etiam actum acquiri, adeò ut accedente lapsu 40. annorum, quibus fortè electus vixit, ipsum jus præscriptum censeatur, nisi ex adversa parte probari possit, illum primum actum vi aut precariò exercitum fuisse, ad exemplum servitutis rusticæ ducendi aquam per fundum alienum, cujus possessio uno actu acquiritur. *L.* 1. *§. quæsitum ff. de Aqua quotid. & æstiva*, quod sanè non est absque difficultate, cùm jus eligendi magis assimilari videatur, servitutibus discontinuis, itineri, actui & similibus, in quibus frequentia actuum ad acquirendam possessionem requiritur. *L.* 1. *§. hoc interdicto ff. de Itinere, actuque privato.* & maximè si de consuetudine loquamur, satis receptum est, ad eam introducendam actuum pluralitatem desiderari, & colligitur ex *d. cap. cùm Ecclesia*, ubi prætendentes præscriptionem juris eligendi tres actus possessorios allegarunt. Similes textus sunt *in cap. cùm olim* 7. *de Causa poss.* ibi: *duobus Archidiaconis*. & *in cap. querelam* 24. *in fine hoc tit.* ibi, *pensio annuatim per multa tempora persoluta &c.* Et ideò ad acquirendam quasi possessionem eligendi, præsentandi, conferendi &c. duos saltem actus desiderat Roman. *Consil.* 70. *num.* 13. & Flores de Mena *Quæst. var. quæst.* 2. *numer.* 25. citati apud Barbos. *in Collect. ad d. cap. cùm Ecclesia num.* 10. ipse tamen Barbosa *d. l.* cum pluribus, quos allegat, &, ut asserit, communiori sententia, censet ex unico etiam actu quasi possessionem juris eligendi & præsentandi & similium jurium incorporalium acquiri; quòd Innoc. *in eod. cap. cùm Ecclesia, num.* 5. & Panorm. ibidem. *numer.* 22. intelligunt circa incorporalia jura, quæ non solent alicui facilè concedi, nisi quasi ex debito, quod ut plurimum judici arbitrarium existimat. Verùm ad complendam præscriptionem juris eligendi satis apertè consentit Barbosa *dict. leg. num.* 11. *vers. tertio responderi*. plures actus possessorios debuisse juxta textus præallegatos intervenisse: non enim videtur satis continuata possessio, quæ non nisi semel exercita fuit, & tamen ex ipsa rei natura importat actus reiterabiles; neque satis potest argui patientia adversarii, quando occasio impediendi non fuit, dum scilicet electus, in cujus electione prima vice possessio cœpta est, 40. annis vixit, & intereà nullus alius casus electionis evenit.

Notanter autem hactenus de extraneis *Clericis* locutus sum, quatenùs illi jus eligendi acquirere possunt. *Laici* verò juris eligendi, sicut & aliorum jurium spiritualium regulariter incapaces sunt *c. decernimus* 2. *de Judiciis* ideoque in primis ex conventione vel pacto Capitularium admitti nequeunt: imò qui laicales personas, sive abusum sæcularis potestatis ad eligendum admiserint, faciunt electionem nullam, per triennium ab officio, & beneficio, consequenter etiam à jure eligendi suspenduntur, *c. quisquis* 43. *c. Massana* 56. *hoc tit.* quam tamen suspensionem non esse latæ, sed ferendæ sententiæ putat Joan. Andreas *in eodem c.* 43. *in fine* & ibi etiam Gl. & Innoc. *in V. suspendantur.*

Licèt verò sæcularis potestas quandoque electionibus ritè & laudabiliter assistat contra alios, qui eorum electionem turbare nituntur, præsentiam tamen physicam in ipso actu & loco electionis, licèt citra votationem, exhibere non debet, aliàs ex multorum sententia, quam pluribus propugnat, & à S. Congregatione confirmatam refert Fagnan. *in c. quis num.* 32. & *seq.* electio invalida redderetur. Ratio est, quòd sola etiam præsentia Principis, vel sæcularis potestatis, vel nunc, vel successu temporis eligentibus formidinem incutere, & libertatem eligendi forsan contra intentionem Principis tollere valeat, nec sit conveniens coram sæculari Principe tractatum, & scrutinium habere de meritis & defectibus eligendorum. Si autem persona Laici intervenientis non esset formidabilis, sed necessaria pro teste, vel Notario, magis communiter receptum est, admitti posse. Fagnan. *d. l. n.* 20. Si per violentiam se intruserit sæcularis potestas, non obstabit electioni, præsertim si protestatio aliqua à Capitularibus interponatur.

Deinde nec consuetudine, nec præscriptione etiam temporis immemorialis jus eligendi sæculares acquirunt, quia possessionis incapaces sunt, sine qua non currit præscriptio, sicuti in simili alibi diximus de præscriptione jurisdictionis Ecclesiasticæ, juris conferendi beneficia, juris decimandi & similium. Illa tamen consuetudo non est prorsus improbanda, quòd mors Prælati nunciari debeat Principi, aut Patrono sæculari, ejusque consensus aut potiùs patrocinium, ac defensio peti ad novam electionem instituendam. Item ut electio facta Patrono aut Principi insinuetur, ejusque consensus desuper requiratur, quem tamen negare non potest, nisi ob Canonicum impedimentum electi. Hostien. *hoc t. §. quis possit eligere*. Text. *in c. cùm inter* 18. *juncta Gl. in V. vice*

Re-

Regia, *&c. sacrosancta* 51. *h. t.* Innoc. *in c. quod sicut* 28 *eodem*.

4 Ex privilegio etiam S. Pontificis sæcularibus jus eligendi competere potest, quia non excedit potestatem S. Pontificis Laicos secundùm quid Clericis æquiparare, & ad jura spiritualia habilitare, prout de facto ad jus patronatus (quod spirituale est, & absque simonia vendi non potest *c. de jure* 16. *de Jure patronatus*) omnes sæculares habilitati sunt. Difficiliùs autem jus eligendi, quàm præsentandi conceditur: quia jus eligendi est potentius, & majus jus tribuit electo, ac plerumque est circa Prælatos Ecclesiasticos, quorum authoritas in spiritualibus non debet à sæcularibus dependere.

5 Porrò etiam inter eos, qui de corpore & Collegio Ecclesiæ vacantis, sunt, qui vocem activam in electione non habent, ut I. Novitii, licèt quoad privilegium Canonis, & fori accenseantur corpori Monasterii, jus tamen eligendi non habent, antequàm tacitam vel expressam professionem emiserint *c. ex eo* 32. *in Ecclesiis hoc tit. in* 6.

II. Conversi Laici, qui Ordines Clericales non habent, una cum Clericis Religiosis ad electionem admitti non debent *d. §. in Ecclesiis* ubi Gl. *in V. cum Clericis* notat, si in aliquo Ordine vel Hospitali soli essent Laici conversi, illis non denegandum fore jus eligendi sibi superiorem.

6 III. Nec ipsi Clerici eligere possunt, nisi ad minùs in sacro Subdiaconatus Ordine constituti sint, ut enim tantò majus ad suscipiendos Ordines sacros incitamentum sit, & præcludatur via post plurium annorum fructus Ecclesiasticos perceptos deserendi statum Clericalem, statuitur *in Clem. 2. de Ætate & qualit. &c.* & in Trident. *sess.* 22. *de Reform. cap.* 4. ut nullus in Cathedrali, Collegiata, sæculari, vel Regulari Ecclesia vocem in Capitulo habeat, qui saltem in subdiaconatus Ordine constitutus non sit. Existimant quidem aliqui has constitutiones non procedere circa illas Regulares Ecclesias, in quibus vi Regulæ Ordinis omnes omninò Religiosi, etiamsi in sacris Ordinibus non sint, ad Capitulares actus, & electionem admittuntur, eò quòd lex generalis non tollat statuta particularia, nisi in quantum exprimit *c. 1. de Constit. in* 6. Sed vereor, ne contrarium communius tam inter DD. quàm usu (in illis saltem locis, ubi Tridentinum observatur) receptum sit, & generaliter de electione Abbatum tradit Tambur. *de Jure Abbatum tom. 1. disp. 5. quæst. 8. num.* 8. quia statutum illud Regulæ nihil continet speciale, sed ante Tridentinum & Clementinas fuit juri communi conforme *c. Abbatem 3. cum seq. causa* 18. *q.* 2. ergo per contrarium jus commune sublatum intelligitur. Nihil tamen obest, quin consuetudine alicujus loci adhuc jus antiquum in Monasteriis præsertim retineri valeat secundùm ea, quæ de authoritate consuetudinis tradidimus: quia potissima intentio Concilii fuit, providere Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis sæcularibus, ut Canonici sacros ordines susciperent, quò minùs post plurium annorum perceptos fructus beneficio & Clericatui renunciare valerent. Nec est irrationabile, etiam juniorum vota audire, quibus teste S. Patre Benedicto Deus sæpius suam mentem revelat.

7 IV. Eligere non possunt, qui censura excommunicationis, suspensionis, interdicti, aut irregularitatis notati sunt *c. un. Ne sede vac. in* 5. *c. cum dilectus* 8. *vers. quia nobis de Consuetud. c. cùm inter* 16. *h. t. c. is qui* 18. *§. is verò de Sent. excomm. in* 6. Verùm hic aliqua advertenda sunt, & inprimis, quòd *excommunicatio* tantùm *major* privet electione, *minor* autem privet voce passiva tantùm, non activa *c. ult. de Clerico excom.* Cui non resistit *c. illa* 39. *h. tit.* ubi dicit Innocentius III. Se ex plenitudine potestatis supplere defectum, si quis esset, quòd electio ab excommunicato minore excommunicatione celebrata fuisset: nam communis est DD. interpretatio cum Gl. *in eodem c. in V. supplentes*, quòd hæc suppletio defectus non fuerit simpliciter necessaria, sed superabundans ad omnem dubitationis scrupulum tollendum, & quod tempore Innoc. III. non fuit satis in jure expressum, id Greg. IX. *in d. c. ult.* apertiùs declaravit.

Deinde *suspensio à beneficio* non impedit jus eligendi: quia eligere propriè loquendo non est effectus beneficii, sed potiùs actus officii aut jurisdictionis. *Suspensio* autem *ab officio* propriè impedimentum electionis ponit, & quò minùs actus officii rectè exerceri valeant. Gl. *in c. cùm Vuintonensis*, 25. *V. admiserunt. & ibidem* Panorm. *n.* 10. *h. tit.*

Interdictum quoque *locale* non videtur obstare electioni, quia importat solùm administrationem prohibitam quorumdam Sacramentorum, & sepulturæ Ecclesiasticæ, de quibus non est electio, sed *interdictum personale*, quod importat suspensionem, *arg. c. cum inter*, 16. *h. tit.* qui verò violat interdictum locale in loco interdicto sine speciali privilegio celebrando, efficitur irregularis, & ab electione tam activa quàm passiva removetur, *c. is qui* 18. *§. is verò*, *de Sent. excomm. in* 6.

Demùm hodie post Concilium Constantiense, & Extravag. Martini *V. Ad evitanda*. (de qua in *Lib. V. de Sent. excomm.* pluribus agemus) excommunicati, suspensi, & interdicti, nisi sint denuntiati, aut notorii Clericorum percussores, sicut ab aliis fidelibus requisiti officium suum etiam in spiritualibus exercere, & cum eis communicare possunt, ita pariter ad electionem activam non improbabiliter admitti posse videntur. Nec obstat, quòd in d. Concil. Constantiensi ipsis censuratis nulla gratia sit facta; quia electio activa non tam gratiam & favorem eligentis, quàm principaliter favorem electi & Ecclesiæ concernit. Zoes. *h. tit. n.* 10.

V. Eligere per biennium nequeunt Religiosi proprieta- 8
rii, sive qui votum paupertatis violasse, retinendo aliqua bona contra voluntatem superiorum expressam, vel saltem rationabiliter præsumptam convincuntur. Trid. *Sess.* 25. *de Regul. c.* 2. qua de re infra *in Lib. III. in Tit. de Statu Monachorum*, tractabimus.

VI. Qui indignum scienter elegerunt, perdunt pro ea 9
vice jus eligendi: & si electio in Cathedrali Ecclesia celebrata sit, insuper a beneficiis, quæ in eadem Ecclesia obtinent, per triennium ipso jure suspensi sunt, *cap. cum in cunctis* 7. *§. Clerici*, *h. tit. cap. si compromissarius*, 37. *eodem in* 6.

Quod autem dicitur eligentes indignum *pro ea vice* jure eligendi privatos esse, hanc interpretationem habet, quòd *illa vice*, qua hic & nunc electio de indigno à majori parte Capituli celebrata, publicata, ac insuper publicæ seu communis electionis decretum (de quo in §. 3. *num.* 39.) desuper formatum est (tunc enim propriè perfecta est, & dicitur electio, *c. Perpetuo*, 7. *hoc tit. in* 6.) tota potestas Capitularis in minore parte eligentium residea, ita ut hi, si concordes fuerint, suam electionem renovare & publicare, vel novo scrutinio in aliquem dignum convenire valeant. Videatur text. Gl. Panorm. *in c. congregato* 53. *hoc tit.* Si verò contingeret, hunc à minore parte electum non acceptare, mori, vel occulto impedimento laborare, & ita nova electio formanda esset, jam alii Capitulares, qui priùs indignum elegerunt, excludi ampliùs non possent. Gl. *in c. cum Vuintonensis*, 25. *V. tertia hoc tit. & in c. si electio* 26. *V. integrum eodem in* 6. Laym. *in qq. can. Diling. disp. de Prælat. Eccles. q.* 64. Si denique omnes omnino Capitulares in indignum scienter consenserint, jus eligendi pro ea vice ad superiorem devolvitur, *c. bona* 23. *hoc tit.* Panorm. *in d. c. cum Vuintonensis* 25. *num.* 6. *hoc tit.* Est tamen hic notabile, quod cum aliis contra alios docet Passerinus *in Tract. de elect. cap.* 29. *num.* 94. *& seq. & c.* 31. *num.* 25. quòd hæc pœna privationis ob electionem indigni tantùm habeat locum in electione ad Episcopatum, non verò ad inferiores dignitates, præsertim Regularium, sed tales eligentes puniendi sint alia pœna arbitraria, *arg. c. si compromissarius* 37. *hoc tit. in* 6. Item *d. c.* 29. *num.* 97. tradit Passerinus, quòd pœna eligentium indignum duntaxat intelligatur de indigno ex his 3. causis, scil. ob defectum *Natalium*, *scientiæ*, & *morum*, secùs vero si fuerit indignus, vel ineligibilis ex alia causa, v. g. quia est corpore vitiatus, neophytus, bigamus, vel aliàs irregularis absque delicto, &c.

VII. Eligere non possunt *absentes*, qui personaliter in loco electionis non comparent, si justum ali- 10
quod veniendi impedimentum non habeant: si verò justo aliquo impedimento detenti sint, Procuratorem ad dandum votum constituere possunt. Et hic Procurator regulariter debet esse unus de Collegio, sive Capitu-

pitulo, ac petentibus reliqois Capitularibus in animam principalis jurare, quòd is personaliter accedere non valeat, *c. quia propter*, 42. *§. illud autem*, *h. t.* Dico, *petentibus reliquis*: quia Capitulares, si velint, possunt acceptare Procuratorem etiam à non impedito, & etiam aliquem extraneum Clericum, qui non sit de Capitulo, cùm hæc dispositio juris sit in ipsorum favorem, cui propterea renuntiare non prohibentur. Panorm. *in d. §. illud autem*, *c. si quis justo*, 46. *§. absens*, *h. tit in 6.*

Portò Procurator simpliciter constitutus non potest alium suo, & alium principalis nomine eligere, eadem enim conscientia, qua tenetur *digniorem* suo nomine, tenetur etiam eligere nomine principalis, nisi habuerit mandatum speciale de certa persona eligenda: quia tunc non tenetur suum judicium conformare judicio principalis, *d. cap. si quis justo*, *§. porrò*, *& ibi Gl. in V. nihil agit. h. tit. in 6.*

Per litteras autem absens suum votum dare non potest, quamvis nullus sit è Capitulo, qui Procuratoris officium subire velit, & Capitulum nolit extraneum admittere, quia de forma scrutinii est, ut vota dentur sigillatim & secretò in ipso scrutinio; tales autem litteræ deberent in primis legi, & tanquam propria manu scriptæ cognosci à Capitulo, & deinde votum suum in litteris exprimens ipsum scrutinium præveniret *d. c. si quis justo*, 46. *§. absens*. Docet tamen Laym. *in qu. Canonicis*, *de Prælat. Ecclesiast. qu.* 44. in electionibus Regularium, in quibus forma scrutinii exactè non servatur, sed schedulæ obsignatæ in unam urnam conjiciuntur, nihil obstare, suffragium ita scriptum ab absente, vel infirmo ad Capitulum mitti.

Sed & illud observatione dignum est, quòd à S. Congregatione decisum referunt Garc. *de Benef. p. 5. cap. 4. n.* 200. & ex eo Barb. *ad Trident. Sess. 25. de Regul. c. 6.* quòd in electionibus Regularium (in quibus per *d. c. 6.* Trid. sub pœna nullitatis statuitur, ut fiant *per vota secreta*, quæ cum nominibus eligentium nunquam publicentur) non possit constitui procurator de conventu *cum speciali mandato* de certa persona eligenda, sed benè cum mandato *generali* de persona incerta, quæ ipsi Procuratori digna visa fuerit.

11 Cæterùm ad electionem vocandi sunt omnes Capitulares etiam absentes, qui *debent vocari*, *& volunt*, *ac commode possunt interesse*, *d. c. quia propter* 42. *h. tit.* nisi essent valdè remoti, *c. cùm inter*, 18. *h. tit.* quandonam autem dicantur *valdè remoti*, ex consuetudine locorum desumendum erit, quæ aliquando habet, ut omnes, qui in eadem Provincia, imò in eodem Regno sunt, vocentur; aliàs ex eo, an commodè ob distantiam loci in termino electionis comparere valeant. *Gl. in d. c. 19. in V. remoti &c. in Genesi* 65. *h. t.* Quòd si vel unus, qui de jure aut consuetudine vocari debuisset, vocatus non sit, potest agere de contemptu, & irritare electionem, nisi ob bonum pacis velit expressè, aut tacitè renuntiare juri suo, & electioni consentire, *c. quòd sicut*, 28. *c. bona* 36. *h. tit.* Abbas *in d. c. quod sicut*, *n.* 10. Zoes. *h. tit. num.* 56. *& seq.*

12 Si verò aliqui vocati nolint interesse, aut ob impedimentum non possint, tunc totum jus eligendi apud residuos præsentes est, idque etiam apud unicum, sicut alia Collegii aut Univertatis alicujus jura etiam in uno conservantur, *arg. l. sicut*, 7. *§. 2. ff. Quod cujuscumque Universit. nom.* hic autem unicus, licèt seipsum ob notam ambitionis eligere nequeat, potest tamen aliud idoneum ex suo vel alio Capitulo nominare, & superiori præsentare ad confirmationem, vel certè in superiorem ipsum, aliumve Clericum unum vel plures compromittere, ac jus eligendi conferre, à quibus deinde etiam ipse, si idoneus fuerit, eligi poterit. Laym. *de Prælatis Eccles. qu.* 36. cum Panorm. & Innoc. *in c. cum nobis*, 19. *h. tit.*

13 VIII. Demùm eligere nequeunt Capitulares, si tempus electioni à jure præscriptum per negligentiam elabi patiantur: ne enim ex defectu Prælati damnum temporale aut spirituale Ecclesiis eveniat, statutum est *in c. ne pro defectu*, 41. *hoc tit.* ut in Ecclesiis Cathedralibus & Regularibus intra tres menses nova electio instituatur. Portò cùm ibidem tantùm *de Cathedralibus & Regularibus Ecclesiis* mentio fiat, communis est DD. sententia, quod electio in *Ecclesiis Collegiatis*, in quibus sæculares Presbyteri degunt, sicut aliorum beneficiorum etiam dignitatum in Ecclesiis Cathedralibus existentium electio vel collatio, terminum sex mensium habeat *c. 2. de Concess. Præbendæ* ex ea etiam specialitatis ratione, quòd in Ecclesiis Collegiatis sede quoque completa potissima jurisdictio in Clericos sæculares competat Episcopo, ut proindè ejus sedis vacatio non tam periculosa sit Ecclesiæ, quàm in Ecclesiis Cathedralibus & Regularibus. Notat tamen Panorm. *in d. c. ne pro defectu* 41. *num.* 5. quòd si Prælatus alicujus Ecclesiæ Collegiatæ etiam sæcularis haberet ex jure speciali jurisdictionem generalem sicut Abbas, tunc in tali Ecclesia ex identitate rationis deberet observari trimestre. Si ergo prædictum trimestre, aut semestre Capitulares negligentes elabi permittant, privantur pro ea vice jure eligendi, quod ad superiorem, ad quem aliàs electionis confirmatio pertinet, devolvitur, *qui Deum præ oculis habens*, ait Pontifex *in d. c. ne pro defectu*. *non debet differre ultra tres menses cum consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentium viduatæ Ecclesiæ, de persona idonea, ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonicè providere, si canonicam voluerit evadere ultionem.* Atque hæc electio competit Episcopo seu superiori jure devoluto, confirmatio autem jure proprio. Sed an uno actu vel diversis electio devoluta & confirmatio electi expedienda? diversæ sunt DD. opiniones apud Panor. *in d. cap. ne pro defectu* 41. *n.* 4. quia tamen ante confirmationem Prælatorum solent præmitti certa examina, edictalis citatio contradictorum, si qui fuerint, ideò vix commodè uno actu res expediri posse videtur, quin potiùs priùs facienda electio, & posteà præmissis præmittendis confirmatio.

Dixi: *si per negligentiam* tempus elapsum sit; aliud est, si ob justum impedimentum, v. g. belli, pestis &c. electio retardata fuerit *d. c. ne pro defectu*. *ubi Gl. in V. justo impedimento*. Imò tametsi ex propria Capitularium culpa tale impedimentum provenerit, ut quia suspensionis, vel aliam censuram contraxerunt, à qua absolutionem intra trimestre obtinere non potuerunt, tempus electionis stante tali impedimento non computatur *c. quia diversitatem* 5. *de Concess. Præb.*

14 Currit etiam terminus electionis non præcisè à die *vacationis*, quo Prælatus mortuus est, sed à die *scientiæ*, quo mors ejus (qui fortè in remotis agebat) Capitulo per certum nuntium innotuit, *d. c. quia diversitatem in fine*. Sed & si electio effectum non habuerit, ut quia electus acceptare noluit, vel ante confirmationem mortuus est, aut renuntiavit, vel occultus ejus defectus Canonicus obstans electioni proditus est, conceditur Capitularibus à die renuntiationis, mortis, vel detecti impedimenti integrum tempus ad novam electionem faciendam, dummodò nihil fraudulenter egerint in præmissis *c. si electio* 26. *hoc t. in 6.* ubi Gl. *in V. fraudulenter* ponit exemplum, si v. g. ultima die trium mensium Capitulares qui hactenus convenire non potuerant, studio eligant talem, quem sciunt dissensurum, & non accepturum electionem, ut tempus tantùm electionis renovetur, quæ fraus ipsis patrocinari non debet, sed potiùs devolutio electionis ad superiorem fieri, ita tamen si fraus & dolus contra Capitulares perspicuè probatus fuerit, in dubio autem dolus non præsumitur. *L. dolum* 6. *C. de Dolo.*

Quid autem dicendum, si Capitulares post lapsum terminum de facto aliquem elegerint, annè hæc electio prorsùs nulla à superiore declarari debeat? Respond. de rigore juris esse invalidam, utpotè factam eo tempore, quo jus eligendi à Capitularibus ablatum ipso jure ad superiorem devolutum est *c. licèt* 5. *de Suppl. negl. Prælat.* de æquitate tamen sustineri posse à superiore, si nemo se opponat electioni, & electus aliàs idoneus sit *c. litteras* 4. *de Suppl. negl. Prælat.* Cùm ergo Episcopus vel alius Superior jus confirmandi habens possit tolerare electum post terminum elapsum, non videtur improbabile, quin eodem modo possit jus ad se devolutum Capitularibus cedere, illisque tempus sibi competens ad eligendum assignare, ut non tam jure proprio, quàm superioris nomine eligant. Restringere autem terminum electionis à jure Capitularibus indultum inferior S. Pontifice, nisi ex publica causa, & ob moram Ecclesiæ valdè damnosam non posset, quia jus commune tollere, & juris beneficio

ali-

aliquem privare, ad solum Legislatorem ordinariè spectat.

15 Quòd si Episcopus jure electionis ad se devoluto non utatur intra trimestre *juxta cap. ne pro defectu 41. h. tit.* devolutio ulterior non fiet ad Capitulum ejus, sed ad proximum superiorem, scilicet Archiepiscopum, vel alium, si Episcopus sub Archiepiscopo non sit: quamvis aliter se res habeat in aliis beneficiis non devolutis, sed immediatè ad collationem Episcopi pertinentibus, ut docet Panorm. *in c. cum in cunctis 7. §. Clerici & in d. c. ne pro defectu 41. n. 6. h. tit.*

---

§. II.

De Electione passiva, & quinam ad dignitates Ecclesiasticas eligi possint, vel non.

S U M M A R I A.

16 *Laicus eligi non potest.*
17 *Eligendus quas ordines habere debeat.*
18 *Electus post electionem contrahens impedimentum, quò minus debito tempore ordinari possit, an confirmandus?*
19 *Eligendus in Abbatem debet esse expressè vel tacitè professus, nisi Ecclesia sit simul Cathedralis.*
20 *Eligi potest etiam ex alieno gremio, idque consuetudine introduci.*
21 *Electionem faciendam ex alieno gremio an possit Episcopus statuere, vel jubere?*
22 *Eligendus debet esse ejusdem Ordinis,*
23 *Censurati, irregulares, & infames non possunt eligi, & ibi, an monialis bigama, vel vidua, aut corrupta possit eligi in Abbatissam?*
24 *Illegitimè nati sunt ineligibiles, & quid de legitimatis?*
25 *Quid de hæreticis, eorumque fautoribus & descendentibus; item schismaticis, & ordinatis ab iis.*
26 *Neophyti non possunt eligi.*
27 *Nec Simoniaci.*
28 *Ætas quæ requiratur in eligendo?*
29 *Scientia quæ?*
30 *Episcopus unius Ecclesiæ non potest eligi ad aliam, sed postulari, secus in Abbate ejusdem Ordinis.*

26 PLures sunt, qui à sacris Canonibus electionis passivæ, & ad dignitates electivas inhabiles declarantur, quos per ordinem enumerabimus.

I. Sicut aliorum beneficiorum nullus Laicus, qui tonsuram aut clericales Ordines non habet, capax est, ita & multò minùs ad Prælaturam sive dignitatem Ecclesiasticam eligi valet; & licèt in quibusdam Episcopatibus Germaniæ Laici, & A catholici Episcopatus teneant, id tamen de facto solùm, ac per potentiam, & intrusionem hæreticorum, non de jure contingit. Item non excedit potestatem S. Pontificis, quam habet in omnibus beneficiis, alicui Principi, vel alteri Laico domino fructus de Episcopatu vel Prælatura aliqua ad tempus vitæ concedere, qui tamen propterea non erit propriè Prælatus illius Ecclesiæ dicendus. Sed & Commendatarii Episcopi vel Abbates, qui plerumque Principes vel magni domini sunt & quidem sæculares, tonsuram saltem Clericalem aut Minores Ordines accipere debent.

17 II. Eligendus ad Cathedralem Ecclesiam, vel Episcopatum non sufficit, quòd Clericus sit in Minoribus, sed ex Trident. *Sess. 22. de Reform. cap. 2.* debet in sacro Ordine Subdiaconatus saltem sex mensibus priùs fuisse. Imò juxta Bullam Gregorii XIV. quæ incipit: *Onus Apostolicæ servitutis &c.* ajunt ob pluralem Ordinum mentionem ibi factam requiri, ut priùs constitutus fuerit 6. mensibus in omnibus Ordinibus, sicut refert Barb. *in Collect. ad d. cap. 2. Trident. n. 2.* Loquor de eligendo ad Episcopatum, aliud est, si per dispensationem alicui in Commendam concedatur, ut dictum.

Circa Abbatias, vel Regulares dignitates non habetur in jure expressum, quod eligendus ad easdem debeat esse in majoribus Ordinibus, sed sufficit, si sit annorum 25. inchoatorum, & ut primo anno numerando à die adeptæ possessionis, vel quo adipisci potuit, sacerdotium suscipiat *c. 1. de Ætate & qualit. c. cùm in cunctis 7. §. inferiora h. tit. cap. licèt Canon. 14. c. commissa 35. eodem in 6.* Est tamen hic annus non continuus, sed utilis, qui non currit justè impedito. Si verò cessante impedimento elapsus fuerit, ipso jure privatio dignitatis inducitur: nec ita privatus per novam electionem assumi poterit, ne constitutio juris eludatur *d. c. commissa.*

18 Sed quid, si electus post electionem in tale impedimentum incidat, quod ultra annum & diutiùs duraturum sit, anne dignitate privandus erit? Respond. si impedimentum tantum sit, ut physica vel morali certitudine sit perpetuum, vel plures annos sine certo fine duraturum, privati posse electum *d. c. 1. de Ætate & qualit.* in casu tamen necessitatis, quo aliquis æquè idoneus haberi non posset, dispensativè admitti valeret in Abbatem etiam non sacerdos, *c. tuam 10. d. tit. de Ætate & qualit.* & quia hoc ita jure communi decretum est, ideo in tali casu dispensationem competere Episcopo cum Hostiens. tenet Panor. in *d. c. tuam in fin.* Extra casum necessitatis autem solùm S. Pontifex, qui supra Canones est, dispensare deberet. Si verò impedimentum sit physica vel morali certitudine tantùm temporale, licèt ultra annum extendatur, dummodò non ad multos annos, non erit electus dignitate privandus, *arg. d. commissa h. t. in 6. & Clem. 2. de Ætate & qualit.* Alia autem distinctione utitur Gl. *in d. c. 1. de Ætate & qualit. in V. amittant.* & ibidem Fagn. *num. 34.* cum Innoc. Hostien. & aliis. An nimirum post electionem aliquis propria culpa inciderit in impedimentum, ut quia fortassis pugnando manum amisit, vel an sine culpa sua? ita ut priori casu privandus sit dignitate, non autem posteriore, ne afflicto addatur afflictio, *arg. c. 1. de Cler. ægrot.* Hæc distinctio rectè teneri potest, si ponamus, quòd aliquis non solum electus, sed etiam confirmatus sit, & ita jus plenum in beneficio acquisierit: si verò electus tantùm esset, non videtur ob impedimentum sacerdotii perpetuum, tametsi sine culpa contractum, Ecclesiæ expedire, ut confirmatio impendatur: beneficium enim datur propter officium, officium autem Prælati consistit non tantùm in œconomica administratione, sed etiam divinorum officiorum digna celebratione. Quòd si impedimentum tantùm temporale, & brevi duraturum esset, non putarem distinguendum, sua vel aliena culpa electus in id incidisset: quia non agitur de notabili damno Ecclesiæ, & non est absolutum officii, ergo nec beneficii impedimentum, sicut etiam docet, & priorem distinctionem nostram veram asserit Laym. *de Prælatis Ecclesiasticis q. 186.*

19 III. In Ecclesiis Regularibus ad Abbatissas eligi non possunt, qui Ordinem professi non sunt, *cùm in Magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus, qui subesse non novit,* ut dicitur in *c. cùm in magistrum 49. h. tit.* Neque sufficit *tacita* professio, sed *expressa* requiritur *in cap. nullus 28. & ibi Gl. in V. expressè h. tit. in 6.* Trid. *Sess. 25. de Regul. cap. 21.* nisi Ecclesia illa Regularis esset simul Cathedralis, ita ut eligendus quis foret ad Episcopatum: tunc enim ad talem Ecclesiam etiam novitius eligi valeret, *d. c. nullus in fin.* Cæterùm non sufficit simul profiteri, & in Abbatem eligi, eò quòd talis potiùs amore dignitatis, quàm Religionis & vitæ conversionis professionem facere censeatur, cùm nullam spem, vel promissionem habens, ut Abbas fiat, monachari debeat, ait Pontifex, *in c. cum ad nostram 37. hoc tit.* Imo etiam plerumque requirit, ut notabile aliquod tempus post professionem in Religione transactum sit, *arg. d. c. cùm in Magistrum*, quia teste D. Hieron. multo tempore discendum est, quod postmodum doceatur *c. sic vive 26. causa 16. q. 1.* qua tamen in re plurimum superioris confirmantis arbitrio tribuendum est, qui admittere poterit electum non ita pridem professum, si utilitas, aut necessitas Ecclesiæ id exigere videatur.

20 IV. Eligi non possunt, qui ex gremio Ecclesiæ, de cujus Capitis electione agitur, non sunt *c. nullus in vitiis 13. dist. 61.* sed hoc potiùs in favorem Capitularium, & de decentia, ne invitis extraneus obtrudatur, quàm de absoluta necessitate constitutum est. Qua-

ta non prohibentur Capitulares huic favori renuntiare, & aliquem extraneum eligere, *c. cùm nobis*, 19. *c. cùm inter* 21. *h. tit.*

Consuetudine quoque & præscriptione introduci posse, ut una Ecclesia teneatur sibi eligere Abbatem, vel Prælatum de gremio alterius Ecclesiæ, textus sunt, *in c. cum dilectus* 8. *de Consuet. c. Abbati*, 25. *de V. S.* qua tamen in re attendenda sunt ea, quæ circa præscriptionem in actibus *meræ facultatis* in tit. *de Præscript.* traduntur.

21 Licèt verò quidam cum Innoc. *in eodem c. cùm dilectus*, *n.* 2. existiment, etiam Episcopum cum consensu Capituli posse statuere, ut Religiosi Monasterii teneantur eligere Abbatem de alio Monasterio, eò quòd hoc ipsum præscribi possit, & non sit contra; sed præter jus; nihilominus id rectiùs cum Gl. *in d. c. cùm dilectus*, *in V. constitutum*, negatur: quia ex sacris Canonibus Religiosis est jus quæsitum, ut de suo gremio possint aliquem eligere: ergo ne quidem ex causa potest ipsis hoc jus ab alio auferri, quàm ab eo, qui supra jus est. Non obstat, quòd præscriptio auferri possit: quia præscriptio authoritate juris communis, & S. Pontificis concessa est. Certè si mihi à S. Pontifice privilegium concessum, vel quidpiam donatum sit, id præscriptione amittere possum, non tamen propterea Episcopus etiam ex causa auferre valet; non enim sola causa sufficit, sed & potestas disponendi contra jus superioris requiritur; & si in *d. c.* 13. *dist.* 61. generaliter statuitur, ne invitis Capitularibus Prælatus ex aliena Ecclesia obtrudatur, non video, quomodò non sit contra jus, si Episcopus per statutum Religiosis necessitatem imponat extraneum eligendi.

22 Quòd si Religiosi ex alio monasterio sponte Abbatem elegerint, necesse est, ut sit ejusdem Ordinis, & Religionis; non enim convenit, ut homines disparis professionis vel habitus in iisdem Monasteriis socientur, ut dicitur *in Clem.* 1. *hoc tit.* S. Pontifex, qui supra Canones est, potest quidem de absoluta sua potentia etiam alicui Clerico sæculari Monasterium in commendam dare, sed id in primis adversatur Trident. *Sess.* 25. *de Regul. c.* 21. & Insuper concordatis Germaniæ, ex quibus, ut in Tit. *de Præbendis*, dicetur, monasteriis liberum Jus eligendi in Germania relictum est; nec dictis Concordatis sine consensu Nationis Germanicæ & extra generale Concilium derogatur, ut in Bulla Concordatorum Nicolai V. habetur.

23 V. Eligi nequeunt, qui sunt irretiti censuris Ecclesiasticis, scilicet *excommunicatione* sive majore sive minore, *c.* 7. *& c. ult. de Cler. excomm.* Item *suspensione* sive ab officio, *d. c. ult.* sive à beneficio Gl. *in c. cupientes*, 16. *§. cæterùm in V. beneficiis*, *h. tit. in* 6. ne suspensio reddatur elusoria, si privatus officio, aut beneficio id per electionem denuo consequeretur. *Interdicto personali*, qualiter interdicti similes sunt suspensis ab officio. Nec interest circa electionem passivam (quàmvis aliud sit circa activam, ut dictum) an prædicti censurati *denuntiati* sint; quia electio passiva tendit in electi magnum favorem, constitutio autem Concilii Constatiensis, & extravag. Martini V. *Ad evitanda scandala*, non vult censuratis aliquem favorem præstare.

Censuratis etiam quoad hunc effectum annumerandi sunt *irregulares:* beneficium enim datur propter officium, irregularis autem cùm inhabilis sit ad officium, à beneficio quoque excluditur, Covar. *in c. Alma mater p.* 1. *§.* 7. *n.* 1. prout in specie de irregularitate contracta ob violationem interdicti localis, aut personalis statutum est, *in c. is qui*, 18. *§. is verò de sent. excom. in* 6.

Quæri posset hoc loco, an Monialis bigama sit eligibilis in abbatissam, si aut *veram bigamiam* contraxit nubendo pluribus maritis, aut *interpretativam* nubendo viduo, aut *similitudinariam*; post professionem nuptias attentando? Respondetur, ratione bigamiæ præcisè non prohiberi: quia in fœminas non cadit irregularitas, quæ tantùm respicit Ordines Clericales, quorum incapaces sunt.

Verùm an Monialis intra vel extra Matrimonium corrupta, adeoque etiam vidua monogama possit in Abbatissam eligi, saltem ubi Abbatissæ non datur specialis benedictio virginum, major est inter DD. concertatio? Id quidem aliquot graves DD. affirmant, eò quòd in jure non habeatur expressa prohibitio, nisi *in cap. juvenculas*, 12. *causa* 20. *quæst.* 1. cujus intentio videtur fuisse solùm juvenculas prohibere, non viduas honestas, *arg. cap. fin. eod. quæst.* 1. Attamen plures numero DD. suffulti declarationibus Cardinalium negativam sequuntur, cùm ob honorem virginitatis, & prærogativam, præter alias etiam considerationes, non deceat, ut virginibus corrupta præponatur. Limitant verò non pauci, ut procedat in ea, quæ est notoriè corrupta, vel saltem pro tali habetur, non verò in ea, quæ est corrupta occultè, & publicè creditur virgo, præsertim si citra periculum diffamationis Abbatiam recusare nequeat: cùm hoc impedimentum non sit de jure Divino, & sanctitas vitæ, ac prudentia in regendo supplere possit virginitatis defectum, nullumque adsit scandalum in foro externo. Vid. Pasq. *ad Laur. de Franch. p.* 1. *num.* 690. *& seqq.* Passer. *in Tract. de Elect. cap.* 40. *numer.* 49. *& seqq.* Adde hic, quæ tradit Paul. Laym. *in Theol. Moral. lib.* 3. *sect.* 4. *n.* 9. ubi tractat, quando occultè corrupta possit ut virgo consecrari. Sed & *infames* irregularibus accensentur, ideoque non solùm de infamibus *infamia juris*, sed etiam *infamia facti* accipiendum est: neque enim famosis & notatis, & *quos scelus & vitæ turpitudo inquinat*, & *quos infamia ab honestorum cœtu segregat*, *dignitatis portæ patebunt*, ait Imperator, *in L. 2. C. de dignitat.* cui per similia verba consentit Pontifex *in c. inter dilectos*, 11. *de Excess. Prælat. & in Reg.* 87. *juris in* 6. Quænam autem dicatur infamia *juris*, *& facti*, tractant Interpp. *ad tit. ff. de his, qui notantur infamia*, & alibi etiam in Tit. *de Testibus* dicemus.

VI. Electionem nullam reddit natalium defectus, *c. cum in cunctis*, 7. *juncto c. innotuit*, 20. *h. tit.* Licèt verò illegitimitas tollatur per ingressum in Religionem ad sacros Ordines suscipiendos, non tamen ad prælaturas & dignitates, *c.* 1. *& ibi DD. de Filiis Presbyt.* Item licèt Episcopus ad minores Ordines, & simplex beneficium cum illegitimo dispensare valeat, ad majores tamen Ordines & benficia curata, ac dignitates tantùm Sum. Pontifex dispensat, *cap.* 1. *jam d. tit. in* 6. *& d. cap. innotuit*. 24

Præterea *legitimati per rescriptum Principis* sæcularis ex communiori sententia ad dignitates Ecclesiasticas promoveri nequeunt citra Pontificis dispensationem, teste Covar. *in Tract. de Sponsal. & Matrim. p.* 2. *cap.* 8. *§.* 8. *num.* 47. cum Gloss. *in cap.* 1. *in V. divisis dist.* 10. *& in cap. si officia*, 2. *dist.* 59. Legitimati autem per subsequens matrimonium quoad omnia, etiam honores & dignitates (excepta Cardinalitia dignitate ex constitutione Sixti V. quæ incipit; *Postquam &c.*) legitimè natis æquiparantur, *c. tanta*, 6. *& ibi* Barb. *num.* 24. *Qui filii sint legit.*

VII. Dignitatis Ecclesiasticæ, sicut & cujusvis beneficii incapaces sunt, qui ex genere maculato sunt circa fidem, hoc est, non tantùm Hæretici, sed etiam *ex Hæreticis*, eorumque *receptatoribus*, *defensoribus & fautoribus* descendentes, qui usque *ad secundam generationem ex linea paterna*, & usque *ad primam ex linea materna* ad nullum beneficium Ecclesiasticum promoveri possunt, nisi parentes eorum ante mortem pœnituerint, & Ecclesiæ Catholicæ reincorporati fuerint, *cap. statutum*, 16. *de Hæret. in* 6. In Germania tamen, ac aliis partibus, ubi hæresis liberiùs grassatur, hæc constitutio circa hæreticorum liberos, si ipsi boni Catholici sint, & nihil aliud eis obsistat, non videtur recepta. *Schismatici* quoque eligi prohibentur, postquàm tamen ad Ecclesiæ unitatem redierunt, electio dispensativè confirmari permittitur in *cap. quia*, 5. *hoc tit.* Sed propter illud verbum *dispensativè*, *in c.* 5. positum plures censent; quòd dispensatio S. Pontificis requiratur; magis autem placet doctrina Abbatis *in eodem c.* 5. & Garc. *de Benefic. part.* 11. *cap.* 1. *§.* 1. *numer.* 164. quæ in aliis quoque materiis communiter à DD. recipitur, quòd, ubi dispensatio in aliquo Canone permittitur, cum ea non possit rationabiliter intelligi data S. Pontifici, cui aliàs competit, censeatur data & permissa etiam inferioribus Episcopalem jurisdictionem habentibus. 25

Ordinatus à Schismatico denuntiato, cùm hoc ipso suspensus sit, *cap.* 1. *&* 2. *de Schismat.* eligi non potest.

VIII. Eli-

26 VIII. Eligi non debent *Neophyti*, qui primùm ad fidem Christianam & Catholicam conversi sunt. Ratio sumitur tum ex S. Paulo 1. *ad Timoth.3. Oportet*, inquit, *Episcopum non esse Neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli*: tum ex eo, quòd non expediat fieri Doctorem vitæ Christianæ, qui primùm discipulus esse cœpit *arg. cap. cùm in magistrum 49. h. t.* Quantum autem tempus sufficiat exegisse in fide Catholica, ut Conversus eligi possit, superioris arbitrio consideratis personæ qualitatibus, meritis, & circumstantiis relinquendum erit.

27 IX. Invalida est electio ejus, qui mediante pecunia aut alia re temporali *simoniacè* vota consecutus est, licèt eo ignorante ab amicis ejus pecunia data sit, adeò quidem ut nec per novam electionem immediatè sequentem possit assumi, nisi persona media intervenerit, quæ electa renuntiaverit, aut mortua sit. Item nisi ab aliis pro eligendo in fraudem ejus data sit pecunia, tantùm ut electio annulletur, vel certè ab amicis quidem, sed electo expresse in contrarium protestante *c. penul. hoc tit. cap. nobis 27. cap. sicut, 33. de Simonia*. Circa hoc punctum autem videri debent ea, quæ in Tit. *de Simonia* traduntur.

28 X. Eligi non possunt, qui requisitam *ætatem* non habent. In Episcopo requiritur, quòd *trigesimum annum* exegerit; in inferioribus dignitatibus *viginti quinque anni, saltem inchoati* ex communiori sententia sufficiunt *c. cum in cunctis 7. & ibi Glos. & DD. h. tit.*

Circa Abbatissas constitutum habetur in Trident. *Sess. 25. de Regul. cap.7.* ut nulla eligatur, quæ sit minor *quadraginta annis*, & non saltem post expressam professionem *octo annis* in Monasterio laudabiliter vixerit. Si nulla sit in eodem Monasterio illis qualitatibus prædita, alia ejusdem Ordinis accipienda erit. Si & hoc incommodum superiori, qui electioni præest, videatur, concedit Concilium, ut ex eodem Monasterio eligatur una, quæ *annum trigesimum* excesserit, & *quinque* saltem *annis* in Monasterio laudabiliter vixerit.

29 XI. Ineligibiles sunt, qui requisitam *scientiam* non habent, *cap. cum cunctis, 7. h. tit.* requiritur autem in Trident. *Sess.22. de Reform. cap.2.* ut eligendus ad Cathedralem Ecclesiam ante in universitate Studiorum Magister sive Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico meritò sit promotus, aut saltem publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Hæc verò constitutio cùm tantùm de eligendis ad Episcopatus loquatur, non est extendenda ad Abbatias, & inferiores Prælaturas, in quibus propter minorem gubernationem non requiritur tam eminens doctrina, sed magis prudentia & industria, qua electus suis præesse possit, consideratur.

30 XII. Demum impedit electionem *vinculum alterius Ecclesiæ*: nam Episcopus unius Ecclesiæ non potest eligi in Episcopum alterius Ecclesiæ, sed postulari debet, & priùs per dispensationem S. Pontificis obtinere absolutionem à vinculo, quo priori Ecclesiæ tanquam spirituali sponsæ suæ adstrictus erat. Quo sensu etiam à quibusdam accipi solet dictum Apostoli 1. *ad Tim.3.* quòd Episcopum oporteat esse *unius uxoris virum*, sicut in *Tit. sequenti* tradémus.

Inter Abbates verò, aliosque inferiores Prælatos, ac monasteria & Ecclesias suas non est propriè spirituale, ac indissolubile conjugium, quod per consecrationem imprimentem Characterem Ordinis Episcopalis propriè contrahitur, & consummatur; ideoque Abbas unius monasterii rectè ad illud ejusdem Ordinis eligi poterit: licentiam tamen transeundi petere debet, non quidem à S. Pontifice per viam dispensationis, sed ab immediato suo superiore, Episcopo scilicet, nisi exemptus sit, qui tamen hanc licentiam sine urgenti & gravi causa denegare non potest. Gl. communiter recepta *in c. si abbatem, 36. h. tit. in 6.*

§. III.

De Ordine & forma Electionis.

S U M M A R I A.

31 *Electio non instituenda ante tertium depositionis diem & exequias defuncti Prælati, valet tamen instituta.*
32 *Quænam alia præmittenda ante actum electionis.*
33 Inspiratio vel quasi, *quomodò fiat?*
34 Scrutinii *forma.*
35 *Vota qualiter ab eligentibus exquirenda.*
36 *De publicatione electionis, & mutatione voti, & collatione votorum.*
37 *Pluralitas votorum debet esse absoluta, non respectiva.*
38 *Consuetudo qualiter probanda.*
39 *Electionis communis decretum qualiter formandum.*
40 *Vota debent esse majora & saniora copulativè, & ibi de pluralitate votorum in Electione Abbatissarum. Item de accessu post publicatum scrutinium,*
41 Compromissi *forma; & an valeat in electionibus Regularium.*
42 *Compromissarii possunt unum ex se ipsis eligere, & hic acceptando potest facere majora.*
43 *Compromissum quibus modis finiatur.*

POstquàm vidimus de eligentibus, & eligendis, nunc ad ipsum electionis processum deveniendum est. Ante actualem igitur electionem quædam præmitti solent.

I. Exequiæ defuncti Prælati: * Neque enim ante tertium depositionis diem electio instituenda est, *c. nullus, 7. dist.69. c. bona memoria, 36. V. electionem, h. tit.* Communiter tamen DD. sentiunt, valere electionem etiam ante sepulturam defuncti Prælati institutam, præsertim justa aliqua causa accelerationis accedente; & quòd Pontifex *in d. c. 36.* pro causa irritatæ electionis adduxerit præproperam electionem ante sepulturam institutam, non fuisse causam principalem, ut ex contextu liquet, sed fuisse comtemptum alicujus, qui electioni interesse debuisset, nec tamen citatus fuit. Gl. *ibid. in V. tractatum.* & Barb. *n.2.* 31

II. In ipso die electionis (qui ab Ordinario Superiore cum consensu Principis terræ assignari solet) celebratur missa de spiritu S. sub qua omnes eligentes, etsi presbyteri sint, sacram Communionem accipiunt, eaque finita ad locum electionis hymnum de S. Spiritu clara voce recitant. 32

III. Qui præest electioni, nomine totius Capituli protestatur, nolle se quemquam ad electionem admittere, qui de jure eligere non possit. An autem aliquando Capitulares possint absque præside eligere, vide Passerinum *in Tract. de Elect. c.11. n.69.*

IV. Si Legatus Apostolicus, vel Ordinarius Episcopus intersit electioni, solet præmittere absolutionem Capitularium à censuris Ecclesiasticis, quatenùs illæ possent Canonicam electionem impedire.

V. Vel tunc, vel priùs Capitulariter deliberatur, quam eligendi formam & modum eligentes observare velint. Forma autem electionis triplex traditur *in cap. quia propter, 42. h. tit.* scilicet *Inspiratio vel quasi, scrutinium, & Compromissum.*

De Inspiratione, vel quasi sciendum est, quòd electio aliquando fiat per *veram inspirationem*, aut veram revelationem Spiritus S. qua certa persona à DEO electa designatur, ut fuit electio S. Matthiæ in Apostolatum, S. Nicolai in Episcopatum, &c. & hæc legi humanæ non subjacet, nec confirmationem requirit. Alia est autem, quæ dicitur *quasi inspiratio*, quando nimirum *nullo præcedente tractatu vel nominatione super speciali persona eligenda* omnes Capitulares nullo excepto in unum conclamant & consentiunt; ob quam singularem concordiam talis quasi per Inspirationem Sancti Spiritus electus creditur. Requiritur tamen superioris cognitio, an sine fraude vel simonia, & liberè omnibus ac singulis consentientibus talis electio 33

facta sit. Item & confirmatio requiritur: quia hæc forma non est simpliciter à DEO, sed *quasi*, id est, creditur & præsumitur esse à DEO. Panor. *in d. cap. quia propter 42. vers. nisi num. 1. & seqq.* Hostien. *ibidem numer.* 31. Ait quoque Prosper Fagn. *in eodem c. quia propter numer.* 25. in electionibus Regularium, in quibus juxta constitutionem Trident. *Sess.* 25. *de Regul. cap.* 6. electio debet fieri *per vota secreta* & eligentium nomina nunquam publicari, non habere ampliùs locum hanc eligendi formam per quasi Inspirationem, & consentit Barb. *in Collect. ad d. c.* 6. *Trident. num.* 15. cum aliis ibidem cit. ubi referunt ita à Cong. Cardinalium declaratum fuisse. Dissentit tamen Layman in *qq. Canon. de Prælat. Eccles. Diling. disp. quæst.* 230. cujus sententia (abstrahendo à declaratione Cardinalium) facilè defendi posset; tum, quòd abrogatio juris veteris non præsumatur, nisi quatenus exprimitur, & Concilium Trident. statuens vota secreta & omissionem publicationis explicari possit de forma scrutinii; tum quòd in electione per quasi Inspirationem videatur cessare ratio occultandorum votorum; quia vix potest esse ansa inimicitiarum, quando omnes unanimi consensu in unum conclamarunt. Si verò dicta declaratio Card. in forma authentica appareat, eidem acquiescendum est.

De Scrutinio.

34 AD electionem per scrutinium requiritur, ut *præsentibus omnibus, qui volunt, debent, & possunt interesse, eligantur tres de Capitulo fide digni, qui secretò, sigillatim, ordinatè ac diligenter exquirant vota cunctorum, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, ut is Collatione habita eligatur in quem major & sanior pars Capituli consenserit*: Ita *d. c. quia propter* 42. *hoc tit.*

Dicitur I. *præsentibus omnibus &c.* quia vel unus etiam non vocatus, qui de jure aut consuetudine vocari debuisset, potest agere de contemptu, & irritare electionem, nisi malit pro bono pacis eam ratam habere *cap. bonæ memoriæ* 36. *h. tit.* & dictum est superiùs in *§.* 1. *num.* 11.

Dicitur II. *eligantur tres de Capitulo*: invaluit tamen consuetudo, quòd vel ex communi consensu Capituli, vel ordinatione Superioris alii viri idonei, ut in electione Regularium alii Prælati, vel Consiliarii Episcopi scrutatores deputentur, quam consuetudinem etiam probat Panorm. *in d. cap. quia propter num.* 13. In quibusdam etiam locis & Ecclesiis usu receptum est, ut scrutatores ante omnia juramentum præstent, quòd fideliter agere & secretum, ubi opus fuerit, servare velint.

35 Dicitur III. *secretò esse exquirenda vota cunctorum*, ut quisque liberiùs dicat, quòd in conscientia sentit; idque dupliciter fieri potest, vel ut eligens accedat, & viva voce scrutatoribus eligendum nominet, vel ut nomen ejus in scheda descriptum offerat.

Additur quoque: *ordinatè ac diligenter*: Ita nimirum, ut scrutatores de Capitulo assumpti omnium primò à se invicem vota exquirant, & duo suscipiant votum tertii, ne si post omnium aliorum Capitularium excepta vota ipsi scrutatores sua addant, alicujus electionem pro arbitrio, per additionem aut denegationem votorum suorum confirmare, vel infirmare possint. *Diligenter* etiam exquirenda sunt vota, quia non sufficit purum nomen electi accipere, sed insuper rationem indagare necesse est, quare eligens hunc potiùs, quàm alium electum velit, ex quo deindè collatio *Zeli ad Zelum*, *meriti ad meritum* habeatur, & non tantùm *major*, sed & *sanior* pars appareat.

Attamen in electionibus Regularium, in quibus *ex d. c.* 6. *Trident. Sess.* 25. vota omnia secreta esse, & eligentium nomina nunquam publicari debent (quia hæc publicatio in Congregationibus propter necessitatem simul vivendi nonnunquam periculosa foret) ista forma non ita rigidè observatur, sicut docet Fagn. *in eodem cap. quia propter num.* 23. & Laym. *de Prælatis Ecclesiasticis quæst.* 73. sed potiùs receptum est, ut electores singuli nomen eligendi in scheda scribant, eamque clausam in urnam vel calicem conjiciant, ita quidem ut nec scrutatoribus innotescat, cui singuli sua vota dederint. Collatio verò *Zeli ad Zelum* suppletur tum ex præsumptione, quòd Regulares propter incapacitatem proprietatis non facilè obnoxii simoniæ aliquem bono Zelo elegerint; tum ex prævia visitatione monasterii, vel inquisitione super persona electi, ejusque scientia & meritis postmodum instituenda.

Dicitur IV. *vota singulorum in scriptura redigenda* 36
(quod per scrutatores, aut tabellionem faciendum est,) & sic redacta mox *in communi publicanda esse*, hoc est, ut scrutatores palam coram Capitulo electum, vel si plures fuerint, electos, antequàm ad alium actum procedant, nominent & pronuntient. Hujus publicationis iste est effectus primarius, quòd eligentes censeantur functi suo officio, & votum datum ampliùs mutare non possint; priùs verò antequàm publicatio fiat, locus est pœnitentiæ & mutationi, *c. publicato*, 58. *hoc tit.* De *accessu* autem minoris partis ad majorem, vel æqualis ad alteram mox inferiùs *sub num.* 40. *vers. illud etiam*, dicetur. In postulatione verò etiam publicato scrutinio variare licet, usque dum superiori postulatio præsentetur; quia in postulatione nullum jus acquiritur postulato, sicut ex receptiori sententia tradit Barb. *in Collect. ad d. c. publicato*, *n.* 3.

Dicitur V. ut *collatione habita is eligatur*, *in quem* 37
major & sanior pars consenserit. Igitur post publicationem, si plures electi sint, & vota eligentium in plures divisa, collatio est instituenda à scrutatoribus, & hæc est triplex. * *numeri ad numerum*, *Zeli ad Zelum*, *meriti ad meritum*. Numeri ad numerum, ut inde resultet majoritas votorum; ubi de jure non sufficit habere majora vota comparatione partis minoris, & coelectorum, sed requiruntur majora vota respectu totius Capituli, ut si v. g. sint 20. eligentes, electus debeat habere ad minus 11. vota, aliàs non potest dici major pars Capituli, quia Capitulum ex supposito consistit in 20. & si v. g. tres essent electi, & unus haberet 8. alius 7. alius 5. vota; nullius electio valeret, *cap. Cumana*, 50. *cap. Ecclesia* 48. *cap. in Genesi*, 55. *hoc tit. cap. si cui* 23. *Eod. in* 6. Asserit quidem Zypæus *in Analitica jur. Pont. lib.* 3. *in tit. De his quæ fiunt à majori parte Capit.* quòd passim in Ecclesiis seu Capitulis non servetur iste rigor Juris Canonici, sed sufficiat habere majora vota comparatione partium minorum; at consuetudo contra jus, licèt cæteris paribus valere possit, non tamen ita facilè probatur, * cùm *in facto* consistat, & secundùm veriorem 38
sententiam per Doctorem etiam eximium de consuetudine attestantem non censetur satis probata consuetudo, quæ cùm sit facti, una cum suis qualitatibus probanda est, an habuerit actuum frequentiam, an tempus legitimum, an causam rationabilem, an nunquam per contrarios actus interrupta sit? sicut docet Jason *in L. de quibus*, *ff. de LL.* & Myns. *Cent.* 6. *observ.* 66. de quibus conditionibus superiùs in tit. *de Consuetudine* dictum.

Illud etiam adnotandum est, quòd vota alternativa; v. g. *eligo Petrum vel Paulum, mihi perinde est*; conditionata: *eligo Petrum si illum Paulus, vel potior pars Capituli elegerit*; incerta: *illum eligo, quem Paulus eligit*, pro non datis habeantur, & si post factam electionem instituatur collatio numeri ad numerum, talia vota non computentur, *c.* 2. *h. tit. in* 6.

Zeli ad Zelum collatio facienda; quòd *in d. cap. quia propter. & passim alibi* copulativè requiratur, ut *major & sanior pars* consenserit, ut scilicet electus aliquis sit ab illis, qui sunt prudentia & pietate magis conspicui, &c. *Meriti ad meritum* collatio ipsos electos concernit, uter nimitum majoribus meritis, scientia, aliisque virtutibus præpolleat.

Collatione ita peracta debet formari communis e- 39
lectio nomine totius Capituli, & per unum ex scrutatoribus, vel alium ad hoc deputatum pronunciari, qui solus pro electo exclusis aliis habendus sit, *c. sicut*, 21. *hoc tit. in* 6. Formam hujus communis electionis brevem & usitatam ponit Laym. *de Prælat. Eccles. quæst.* 77. videlicet: *ego Nomine meo, & eli-*

gen-

gentium, mihique consentientium invocata gratia Sancti Spiritus in Episcopum vel Abbatem hujus Ecclesiæ eligo, & electum coram vobis pronuncio N. in nomine Patris, &c.

Quòd si collatione habita vota reperiantur ita dispersa, ut nullus majora respectu totius Capituli habeat, aut duo sint in votis æquales, decretum electionis, sive communis electio formari non potest, sed nova electio instituenda erit: quia prior in effectu non fuit electio Capituli, cùm nullus ex supposito à majore parte Capituli electus fuerit, quare quod *in c. p. publicato* 58. *hoc tit.* dicitur, post publicationem non licère vota mutare, intelligendum est, si ex priori scrutinio cum effectu secuta sit electio, nisi tamen jam trimestre elapsum esset, tunc enim devolutio ad superiorem fieret. Cautos ergo oportet esse Capitulares, ne electionem ad finem trimestris differant, ne fortassis ob emergentes electionis discordias tempus deficiat.

40 Demum licèt *in sæpè dict. cap. quia propter* 42. copulativè requiratur, ut aliquis electus sit a *majori & saniori* parte Capituli, ac si unus majora, alter saniora habeat, neutrius electio valeat *cap. Ecclesia* 57. *h. tit.* si tamen majora in duplum superent, alia collatio Zeli ad Zelum non instituitur, sed hoc modo per majora electus simpliciter confirmatur *capit. si quando* 9. *h. tit. in* 6.

Specialis dubitatio est circa electionem Abbatissæ ex *cap. indemnitatibus* 43. *§. sanè hoc tit. in* 6. an ad ejus valorem præcisè requiratur, ut duæ partes Monialium consentiant, vel sufficiat habere majora vota? Sed si textus rectè expendatur; id solùm dicit, quòd electa à duabus partibus debeat statim confirmari nulla admissa contradictione ante confirmationem, Ita tamen ut post confirmationem, & benedictionem, adhuc salva maneat accusatio, & denunciatio, si qua sit, contra eamdem: at verò si aliqua tantùm habuerit majora vota, & sint opponentes contra illam, debebunt audiri summariter sine strepitu judicii ante confirmationem. Pasqual. *ad Laur. de Franch. p.* 1. *n.*685. Passer. *Tract. de Elect. cap.* 40. *num.*35.

Illud etiam admodum notabile est, quòd licèt in electionibus virorum non haberet locum *accessus* post publicatum scrutinium, quia tunc vota mutare non licet, ut putat Passer. *d. cap.*40. *num.*38. *arg. cap. publicato* 58. *hoc tit.* locum tamen habere in electione Abbatissæ seu Monialium, & per eum constitui posse duas partes ad effectum, de quo supra, statuitur *in d. c. indemnitatibus* 43. *§. sanè hoc tit. in* 6. Imò Panorm. *in d. cap. publicato num.*7. generaliter docet in electionibus post publicatum scrutinium posse fieri *accessum* à minori parte ad majorem; vel si vota sint æqualia, ab una ad alteram: ideòque text. *in d. c. publicatio* intelligi tantùm de variatione in præjudicium electi jus ex datis votis habentis.

Quid autem speciale sit in electione S. Pontificis, vide infra in tit. *de Major. & Obed. §.*2.

De Compromisso.

41 Electio per *compromissum* fit quando Capitulares facultatem eligendi in unum, v. g. Episcopum, vel plures idoneos viros conferunt. Nec interest, an compromissarii de Capitulo sint, nec ne, *cap. causam* 8. *hoc tit.* dummodò Clerici & Viri prudentes sint, qui possint utiliter Ecclesiæ prospicere. Quòd si Capitulum in eligendis compromissariis difficulter conveniat, potest aliquos eligere, per quos ipsi compromissarii eligantur. Passerin. *Tract. de elect. cap.* 22. *num.* 3. In Laicos verò, quibus negotium electionis tractare non convenit, haud rectè compromitteretur *arg. cap.* 2. *de Judic.* Debet autem hæc potestas eligendi committi de unanimi totius Capituli consensu nemine prorsus discrepante: unius enim contradictio potest impedire compromissum, cùm hic de jure singulorum agatur, ne quis invitus sua voce Capitular. in electione privetur, Panorm. *in cap. scriptum*, 40. *n.*3. *& in cap. quia propter*, 42. *§. vel saltem*, *n.*2. *h. tit.* Joan. Honor. *hoc tit. num.*7. Passerin. *in Tract. de Elect. cap.*21. *num.*19. ubi tamen apud eum aliqui exceptionem statuunt in compromisso *limitato*, de quo mox; cùm in isto non fiat singulis tantum præjudicium, ideoque sufficiet in hoc compromissum à majori parte consentiri.

Engel in Decret. Lib. I.

Compromissum duplex est, absolutum & limitatum. Absolutum est, quando generaliter omnis eligendi potestas compromissariis conceditur, sive eligendus de gremio sit, sive non. Limitatum verò communiter DD. asserunt, si sub hac forma compromittatur, ut Compromissarius exquisitis secretò singulorum votis illum eligere debeat, quem invenerit à majori parte Capituli nominatum, *cap. cùm dilectus*, 32. *hoc tit. & cap. cùm expediat*, 29. *Eod. in* 6. Non valeret autem compromissum istud, ut is eligeretur, quem pars major non respectu totius Capituli, sed comparatione partium minorum nominasset, *c. si cui*, 23. *hoc tit. in* 6. Unde hanc formam esse mixtam ex scrutinio & compromisso, in eoque formam scrutinii à Compromissario observandam esse, cum Gl. *in d. c. cùm expediat*, & aliis tradit Passer. *d. Tract. de Elect. c.* 22. *n.* 6. ita ut parum vel nihil à scrutinio differat. Sed Laym. *in qq. Can. de Prælat. Eccles. q.*85. alias etiam conditiones in compromisso limitato admittit, v. g. ut unus ex Capitularibus eligatur, aut unus eligatur, qui non sit ex compromissariis.

Utrùm autem vigore Concilii Trident. *Sess.*25. *de Regul. cap.*6. in electionibus Regularium forma *compromissi* sublata sit, dubitatur? Et pro affirmativa allegantur declarationes Cardinalium à Passer. *d. Tract. cap.* 1. *num.* 159. quæ si appareant in forma authentica cæteris paribus, utique iis parendum est juxta dicta in *Proœmio num.* 15. Aliàs vero negativa non improbabiliter teneri potest cum Miranda, *in Man. tom.* 2. *quæst.* 23. *art.* 3. *concl.*2. Paschal. *in Addit. ad Lauret. de Franch. p.* 1. *n.*33. & pluribus aliis, quos etiam refert Passer. *d. cap.* 1. *num.*55. abrogatio enim juris non censetur nisi expressa, & mens Concilii tantùm videtur fuisse ut in casu, quo Capitulares dant vota, illa nunquam publicentur propter occasionem inimicitiarum inter confratres, quæ occasio hoc ipso cessat per compromissum ab omnibus approbatum, saltem in extraneos compromissarios factum.

Compromissarii, quibus simpliciter jus eligendi concessum est, etiam *postulationem* facere possunt, si ita videatur Ecclesiæ expedire; cui enim datur jus eligendi, eidem etiam jus postulandi concessum intelligitur, *cap. in causis*, 30. *ubi Gl. & Innoc. h. tit.*

Sed & juxta probabiliorem sententiam relatam à Panorm. *in cap. cùm in jure*, 33. *h. t.* ex seipsis compromissarii aliquem eligere possunt, ne eis officium suum damnosum sit.

Quòd si disparia fuerint vota compromissariorum, potest nonnunquam accidere, ut ille ex compromissariis, in quem aliqua vota directa sunt, acceptando talem electionem hoc ipso majora efficiat, v. g. si tres sint compromissarii, unus nominet suum coelectorem, & alter extraneum; ille coelector ab uno nominatus acceptando hanc nominationem in effectu censetur habere duo vota, & prævalebit extraneo unico tantùm votum habenti, *d. c. cùm in jure*, 33. *h. tit.* 42

Non obest, quòd eligentes seipsos reputentur ambitiosi, & vel ideò inelegibiles, *cap. in scripturis*, 9. *Caus.* 8. *quæst.* 1. Respond. enim quòd talis acceptatio non sit directa sui electio, sed consensus in electionem aliorum jam priùs de se factam, qualem consensum etiam alii electi præstare possunt. Ante electionem autem aliorum nullus compromissarius citra notam ambitionis seipsum nominare valet; aut si unus solus sit compromissarius sub quacumque forma, ut quemlibet idoneum eligere possit constitutus, sibi tamen votum directè non rectè attribuit, sicut nemo à se ipso oriri potest, & nemo sibi ipsi sumit honorem, nisi qui vocatur à DEO, sicut Aaron teste Apostolo *ad Hebr.*

In forma quoque *Scrutinii* hæc res locum habere vix potest, licèt fortè unus ex coelectis medietatem votorum Capitularium pro se habeat, & unum tantùm deficiat ad majorem Capituli partem constituendam; neque enim propterea talis acceptando hanc electionem majora efficere potest, cum ante pu-

blicationem Scrutinii incognitus sit numerus votorum, & electio de ipsius persona; post publicationem autem non admittatur sine novo Scrutinio votorum commutatio, ut supra dictum, nisi forsan unus ex scrutatoribus fuisset coelectus, qui ante publicationem scira posset sui electionem & murando votum suum acceptaret; quem casum relinquo considerandum, quia non habeo in terminis alium ejus authorem, ducor tamen argumento à simili, quod docet Passerin. *d. Tract. cap. 22. numer.* 42. posse dari casum etiam in *scrutinio*, si forma *d. cap. quia propter*, non exactè observanda foret, & vota darentur vel publicè, vel etiam secretò, sed post publicationem liceret mutare votum per accessum, tunc enim electus à medietate posset mutaodo votum acceptare.

43 Expirat compromissum non tantùm per electionem factam, sed etiam aliis modis, ut I. si tempus ad finiendam electionem à Capitulo Compromissariis præfixum elapsum, ut *in c. cum veteri*, 52. *hoc tit.* II. Possunt Capitulares mandatum eligendi compromissariis datum re integra, antequàm substantialia, scilicet tractatus & nominatio de aliqua persona eligenda intervenerit, revocare; dummodò revocetur à majore parte Capituli: quia licèt unus possit ab initio impedira compromissum, revocare tamen non potest: consensum enim semel præstitum aliquis tam facilè mutare non potest in præjudicium majoris partis Capituli, *c. in causis* 30. *& ibi Gl. hoc. tit.* III. Expirat compromissum, si electio compromissariorum non habuerit effectum, ut si electus noluerit acceptare, vel mortuus sit, aut à compromissariis postulatio instituta, eaque ante præsentationem superiori factam revocata: his enim casibus censentur Compromissarii functi suo officio, ut illud sine nova commissione saltem tacita, quæ resultat ex tolerantia Capituli, reassumere non possint. IV. Si tempus juris videlicet trimestre Compromissarii sine electione elabi permiserint, expirat compromissum, & jus eligendi ad superiorem devolvitur: quia sibi imputare debent Capitulares, quòd in negligentes compromiserint, aut citiùs mandatum non urserint, aut revocaverint, *c. si Compromissarius* 37. *hoc tit. in* 6. V. Si compromissarii elegerint indignum, sive scienter, sive ignoranter, functi sunt suo officio, & finitur compromissum, sed jus eligendi redit ad Capitulum, nisi ipsum quoque electionem de indignoratam habuerit, *d. c. si Compromissarius.*

---

§. IV.

De Consensu, Confirmatione, & Consecratione Electi.

SUMMARIA.

Post electionem factam incumbit eligentibus, ut quàm 44
citiùs commodè poterunt, electionem electo præsentent, & consensum ejus desuper requirant quem electus *intra mensem* præstare tenetur, aliàs jure ex electione quæsito hoc ipso privatus erit, nisi fortè ea sit electi conditio, ut sine superioris licentia consentire nequeat; quo casu idem electus, seu eligentes loco ipsius consentiendi licentiam ab ejus superiore cum illa celeritate, quam superioris præsentia vel absentia permiserit impetrare debebunt *c. quam sit* 6. *h. tit. in* 6.

Et quidem si Religiosus electioni in alio monasterio da sa factæ consensum ante Abbatis sui impetratam licentiam (quam Abbas etiam irrequisito conventu dare potest) præstiterit, in pœnam electio eo ipso viribus evacuatur, *c. si Religiosus* 27. *hoc tit.* 6. Licentiam quoque generalem a superiore concessam Religioso, ut electioni vel provisioni cuilibet de se faciendę suum possit impendere assensum, cùm ambitionis vitio viam paret, reprobat, & invalidam declarat Pontifex *in Clement. ult. hoc titul.*

Portò quia *in d. cap.* 6. *h. tit. in* 6. cuilibet electo mensis 45
deliberatorius concessus est, quo citra ambitionis notam uti non possunt, quorum consensus à superioris licentia dependet, ideo istis prædictus mensis tunc primùm currere incipit, quando superioris licentiam impetrarunt. Joan. Honor. *h. tit. n.* 15.

Quid autem si electus occultum aliquod impedimentum habeat, v. g. irregularis, vel illegitimus sit, &c. potestne salva conscientia dignitatem oblatam acceptare, absque eo quòd tale impedimentum manifestet? Ratio dubitandi est, quòd regulariter nemo ad sui diffamationem & honoris in communi hominum æstimatione habita jacturam faciendam obligetur, ut per Gl. *in c.* 2. *de Confessis in* 6. Item quòd constitutio Ecclesiastica ad occulta non porrigatur, nec Ecclesia de occultis judicet.

Respond. Ordinariè non posse acceptari dignitatem, antequàm super occulto impedimento dispensatio impetrata sit, ut probatur *ex c. innotuit* 20. *h. tit.* ubi ponitur casus de quodam occultè illegitimo electo, & dicit ibidem Pontifex, quòd spontè ac humiliter suum maluerit confiteri reatum, & impetrare dispensationem, *quàm læsa conscientia thronum conscendere pastoralem*: Canones enim constituentes impedimenta electionis justi sunt in foro externo, consequenter etiam in interno. Et licet subinde pœnales sint, tamen pœna ipso jure illata, quæ aliam ex ratiorem executionem non requirit, ut censura, inhabilitas, etiam in conscientia locum habet, ut superiùs in Tit. *de Constitutionibus* explicavimus.

Non obest allata dubitandi ratio: quia infamia evitari potest dignitatem recusando sine expressione occulti impedimenti. Si taman poneretur casus in quo vel propter instantem metum, vel propter publicam Ecclesiæ utilitatem non posset facilè recusari dignitas, excusaretur à culpa, qui dissimulato impedimento acceptaret dignitatem, & clam impetraret dispensationem, & reconvalidaret titulum. Innoc. *in d. cap. innotuit*, *num.* 1. Lex enim humana constituens impedimentum non obligat in casu tam extraordinario, & cum sui gravi detrimento. Ad alteram rationem dicitur, quòd Ecclesiastica constitutio non porrigatur ad occulta per se, quæ sunt merè interna in cogitatione persistentia, benè autem ad occulta per accidens ex defectu probationis, de quibus quidem Ecclesia non judicat in foro externo, quamdiu occulta sunt, valet tamen Constitutio, aut pœna desupar lata, quatenus in actum externum prodierunt, quæ responsio declarari potest ex illis, quæ in eodem *Tit. de Constit.* de *materia Legum* diximus.

Cæterùm sicut beneficium invito non datur, & quili- 46
bet juri suo renunciare, ita quilibet electionem oblatam recusare potest, adeò ut ne quidem Religiosus à superiore

riore ad ei assentiendum cogi valeat cùm jure suo, quod in Monasterio per professionem quæsitum habeat privari non debeat nisi quòd subinde lex charitatis obliget ad acceptandam electionem, si ita exigat Eccl. utilitas, & alius æquè idoneus non adsit juxta illud Christi: *Petre si diligis me pasce oves meas, &c.* imò licèt alius æquè idoneus adsit, rectè tamen faciet electus assentiendo, quòd præ altero vocationem divinam habere censeatur.

47 Sed quid, si *dignus* electus sit omisso *digniore*, valebitne, & acceptari poterit electio? Respond. Licèt Sacri Canones desiderent, ut dignissimus eligatur; non tamen irritant electio de *digno* factam, ideoque & talis electionem acceptari poterit, *arg. c. cum nobis, 19. vers. illius, hoc tit.* plerumque tamen eligentes peccant, præsertim si odio aut favore personam dignioris prætereant. *Dignioritatem* autem non præcisè ex doctrina, nec probitate, sed etiam ex prudentia & aptitudine ad regendum æstimare debemus. Videatur Zoes. *h. t. n. 45. & seqq.* prolixè Passerin. *in tract. de elect. c. 30.* Tambur. *de Jure Abb. tom. 1. disput. 5. q. 13.*

43 Demum adnotandum, quòd si electus recuset, vel post consensum præstitum juri suo renunciet, aut moriatur, vel electio propter ejus occultum vitium irritetur, eligentes habeant à dissensu, renunciatione, morte, aut irritatione tempus trimestre integrum ad aliam electionem faciendam, *c. si electio, 26. h. t. in 6.*

De Confirmatione.

49 POst consensum electioni præstitum debet electus confirmationem *intra tres menses* à die consensus numerandos petere; quòd si justo impedimento cessante intra hoc tempus petere omiserit, tacitè juri suo renunciasse censetur, & electio eo ipso viribus evacuatur, *c. quàm sit 7. in fin.* & *ibi Gl. h. t. in 6.*

Speciale est circa electos in Cathedrali, vel Regulari Ecclesia, quorum confirmatio spectat ad Sedem Apostolicam, ut intra unum mensem à præstito consensu ad ipsam sedem (etiam cum vacat *Clement. ne Romani* a. *§. fin. hoc tit.*) iter arripiant, & ad conficiendum tantum temporis sumant, quantum necesse erit pro locorum distantia, aut certò, si ex justa causa personaliter comparere nequeant, procuratorem de omnibus sufficienter instructum mittant, *c. cupientes 16. & c. si postquam 33. hoc tit. in 6.* Usu receptum est, ut super electione facta conficiatur instrumentum publicum à Capitularibus, vel Scrutatoribus subscriptum vel subsignatum, ex quo S. Pontifex de valore electionis informetur.

50 Debet autem confirmatio peti à superiore, & quidem de jure communi gradatim per modum appellationis à proximo superiore, ut confirmatio Abbatis ab Episcopo, vel sede vacante à Capitulo, Episcopi ab Archiepiscopo, *c. mos antiquus, 6. dist. 65. c. cum dilectus, 32. hoc tit. cum olim 14. de Majorit. & obed.* Barb. *de Offic. Episc. p. 1. tit. 3. c. 4. num. 5.* hodie verò per *Reg. 3. Cancel. & Concordata* Germaniæ confirmatio Episcoporum indistinctè S. Pontifici reservatur. Utrùm autem per ista Concordata sublatum sit Privilegium Legatorum *de Latere*, quod habetur *in c. si Abbatem, 36. hoc tit. in 6.* ubi iisdem conceditur omnium Episcoporum & exemptorum electiones confirmare, stylus & usus Curiæ Romanæ consulendus est.

51 Antequàm confirmatio impetretur, electus se nullatenus immiscere debet administrationi; quòd si fecerit sub quocumque prætextu, etiam nomine œconomi, ipso jure est privatus jure ex electione quæsito, redditurque imposterum ineligibilis, *c. qualiter, 17. hoc 8. c. avaritia, eodem in 6. Extravag. 1. h. t. inter Com.*

Dicitur autem electus se immiscere administrationi, recipiendo à Clericis & Laicis Juramenta, & homagia, census & debita, excommunicando, absolvendo, judicando, &c. non autem si tantùm præparatoria facit ad futuram administrationem: quia verba maximè legum pœnalium accipienda sunt cum effectu, Glossa *in d. cap. avaritia, hoc tit. in 6.* Aliquando tamen licita est administratio ante confirmationem, ut I. si fiat de licentia Confirmatoris. Glossa *in d. c. avaritia*. II. Si ex privilegio vel consuetudine competat. III. Omnibus electis in concordia extra Italiam, quorum confirmatio ad Sedem Apostolicam spectat, conceditur interim administratio in spiritualibus & temporalibus, ita tamen ut nihil de rebus Ecclesiasticis alienent, *c. nihil 44. & ibi* Joan. And. *hoc tit.* Sylvest. *v. confirmatio, num. 2.* Joann. Honor. *hoc tit. n. 19.* Layman *in qq. Can. de Prælat. Eccles. quæst. 112.* Quod tamen ad postulatos, quibus per postulationem ante superioris admissionem nullum jus acquiritur, non videtur extendendum. Joan. And. & Panorm. *in c. quanto, 3. de Translatione Episcopi.* Imò etiam circa electos, an *d. c. 44.* adhuc in vigore sit, dubium mihi movet, quòd audierim Episcopos Germaniæ etiam in concordia electos ab administratione abstinuisse, antequam cum *placet* (ut vocant) licentiam administrandi Roma acceperint. Imò Passerinus *in tract. de Elect. cap. 22. num. 35.* docet, per *extravag. injunctæ, 1. hoc tit. inter Com.* hodie sublatum esse illud indultum ex *d. c. nihil 44.* ut electi sine licentia S. Pontificis, vel *absque litteris eorum promotionem, confirmationem, consecrationem seu benedictionem continentibus*, (si hæc ad Sedem Apostolicam pertineant) *ad Ecclesias*, ad quas promoti sunt, *accedere*, vel *administrationem accipere* non possint; quam constitutionem ait Passer. *d. l.* etiam de remotissimis Prælatis intelligendam, quòd tamen ibidem non satis exprimi videtur & aliàs de jure veteri non censetur plus correctum, quàm expressum, *l. præcipimus, 32. in fine C. de Appell.* Neque illa *Extravag.* est valde nova constitutio, sed Bonifacii VIII. qui est Author Sexti Decretalium, ideoque contrariis DD. non incognita. Defendit verò Passer. *d. l. num. 36.* valere consuetudinem administrandi ante confirmationem. Vid. etiam Panor. *in d. c. nihil, num. 10.* ubi defendit, valere posse consuetudinem, ut electio sine omni confirmatione plenum jus tribuat; sed loquitur de inferioribus Dignitatibus & beneficiis: nam in majoribus Prælaturis, ubi majus est periculum, ne indignus vel simoniacus cum damno & scandalo Ecclesiæ eligatur, non putarem talem consuetudinem fore rationabilem.

Confirmanti porrò incumbit, ut personam, qualitates & mores electi, actumque sive processum electionis diligenter exploret; quòd si electus coelectum, aut alium electionis suæ adversarium habeat, is ante confirmationem in specie citandus erit; aliàs generale & peremptorium edictum in Ecclesia, in qua electio celebrata, est proponendum, quo contradictores, si qui sint, moneantur, & evocentur, eaque observatione omissa confirmatio irrita censeri debet, *c. ult. h. t. in 6.* 52

Sed quid dicendum, si major pars Capitularium contradicat, se in electum minimè consensisse, sed in alium sua vota direxisse, Scrutatoribus contrarium affirmantibus, anne Capitularibus, vel Scrutatoribus magis credendum? Respond. Scrutatoribus, si duo saltem ex illis juratò deposuerint pro præsente electo, eò quòd scrutatores sint contestes, capitulares verò, à quibus vota secretò exquiruntur, & alter alterius votum ignorat, sint testes singulares, quorum etiam Centum regulariter non faciunt plenam probationem; nec admittuntur, si ex adverso probatio magis juridica per contestes haberi possit, *c. cum dilectus 32. & in* Glossa *in vers. Et si tres, & in v. Probatio. Et* Panorm. *num. 12. hoc tit.* Innoc. *ibidem num. 7.* ubi notat, quòd isti scrutatores non sint testes in causa propria, sed in facto coram se acto in causa aliena, cui testi creditur. Censet tamen Panorm. *d. num. 12.* in rigore non esse omni exceptione majores, cùm ob contradictionem eligentium & suspicionem falsi agatur de honore & infamia scrutatorum, non autem sit testis idoneus, ad quem ex testimonio laus aut vituperium redundat, ideoque potissimùm ob difficultatem probationum admitti. Consentit quoque Glossa & Innoc. *d. l.* 53

Præterea confirmatio contradictore non apparente est voluntariæ jurisdictionis, & extra diœcesim quoque, ac territorium confirmantis fieri potest, *arg. L. 2. ff. de Offic. Proconf.* Joann. Honor. *hoc tit. num. 25.* Tempus tamen ad dandam confirmationem in jure determinatum non reperitur teste Panorm. *in c. 3. hoc tit. num. 8.* sed si nimis diu protrahatur, vel injustè denegetur, ad superiorem confirmantis appellatio dabitur.

Pœna Confirmantis indignum est, ut confirmatione cassata ipso jure privatus sit potestate confirmandi pro- 54

ximum

ximum successorem, & à beneficio per sententiam suspendatur, pœna graviori arbitrio superioris mulctandus, si non ex negligentia, sed malitia id fecerit, *d. c. nihil* 44. *& ibi Gl. h. tit.* Quòd si contingat, confirmationem cassari ob non servatum juris ordinem, non propterea cassabitur electio, nisi & in hac, vel ob personam electi, vel processum electionis vitium appareat, *& si confirmationem* 49. *h. t. in* 6.

De Consecratione & Benedictione.

55 Confirmatio quamvis tribuat jus in beneficio, ita ut confirmatus administrare, & ea, quæ jurisdictionis sunt exercere valeat, quæ tamen ad potestatem Ordinis spectant, exercere non potest, antequàm Ordinem Episcopalem & consecrationem acceperit. *cap. transmissam* 15. *c. quod sicut* 28. *§. super eo, h. t.* Interim ante consecrationem similia delegare, & alteri Episcopo licentiam dare in sua Ecclesia Pontificalia exercendi, non prohibetur, quia delegare est actus jurisdictionis.

56 Electi igitur ad Cathedrales Ecclesias sive Episcopatus necesse habent suscipere consecrationem, & si *intra tres menses* non susceperint, tenentur ad restitutionem fructuum, & intra 6. (numerandos à die confirmationis) sunt ipso jure privari dignitate, nisi justo & rationabili impedimento excusentur, Trid. *sess.* 23. *de Reform. c.* 2.

Episcopus de jure communi ab Archiepiscopo, vel cui Archiepiscopus commiserit, consecrandus est; Archiepiscopus verò ab omnibus suis suffraganeis *c. si Archiepiscopus*, 6. *& c. seq. de Tem. Ordin.* Hodie vero Confirmatio & Consecratio Episcoporum S. Pontifici est reservata, quæ in partibus solet delegari. Ante consecrationem fit certa quædam inquisitio & examen super persona consecranda, & exiguntur ab ea articulatæ promissiones de bona administratione, & pastoralis officii executione, de quibus videri potest Barb. *de Offic. & potest Episc. p.* 1. *tit.* 1. *c.* 5.

Debet autem fieri consecratio de jure in die Dominica, & quando cantatur Hora Tertia in choro, *cap.* 1. *in princ. dist.* 75. & à tribus saltem Episcopis, *cap. porrò*, 2. *dist.* 66. *d. c. si Archiepiscopus*, adeò ut consecratio à minore numero Episcoporum facta invalida censeatur, *cap. Archiepiscopus*, 1. *dist.* 66. Barbos. *dist. l. sub num.* 5. apud quem tamen tradunt DD. quòd hic numerus Episcoporum non sit à Christo, sed ab Apostolis determinatus, ideoque ex causa dispensare possit S. Pontifex, ut consecratio vel ab uno Episcopo solo, vel cum assistentia Abbatum, aut aliorum in dignitate Ecclesiastica constitutorum peragatur. Ordinariè quoque consecratio, si extra Curiam Romanam fiat, in illa Ecclesia, ad quam aliquis promovetur, instituenda est, si commodè fieri possit, aut saltem in provincia. Trident. *Sess.* 23. *de Reform. c.* 2. Cætera, quæ ad ritum consecrationis pertinent, ex Pontificali Romano legi possunt.

Post consecrationem, vel tempus consecrationis præfixum elapsum (quod etiam in translato jam consecrato procedit, Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 57. *num.* 67.) beneficia priùs obtenta vacant ipso jure, ut collator ea liberè conferre possit, *c. cùm in cunctis* 7. *§. cùm verò & ibi Glos. & DD. hoc tit.* De stylo autem Curiæ ajunt beneficia statim vacare tempore promotionis seu translationis, si tamen Papa in promotione vel translatione consistorialiter decernat beneficia statim tunc vacare, aliàs inhærendum juri communi. Vid. Garc. *de Benef. par.* 11. *c.* 6. *num.* 5. 6. 14. Barb. *in Collect. ad d. §. cùm verò, num.* 29. Paris. *de Resign. benef. lib.* 3. *quæst.* 1. *num.* 76. Sunt autem Beneficia, quæ promoti per S. Pontificem ad Episcopatus tempore promotionis obtinent, reservata in *Extravag. ad regimen.* 13. *de Præb.* in Regulis Cancellariæ & Concordaris Germaniæ, ut *in Lib. III. Tit. de Præbendis*, dicemus.

58 Ad similitudinem *Consecrationis* instituta est *Benedictio* Abbatum, quæ etiam aliquando, sed minùs propriè consecratio dicitur, ut *in cap. alienationes*, 37. *causa* 12. *q.* 2. Hæc propterea Abbatibus impenditur, quòd in honore proximè ad Episcopos accedant, & quædam etiam de Episcopalibus insignibus, & officiis participent.

Differt tamen *Benedictio à Consecratione*, quòd *Benedictio* non imprimat characterem ordinis, sed sit tantùm deprecatoria manuum impositio, *c.* 1. *dist.* 69. *c. manus*, 74. *causa* 1. *quæst.* 1. neque etiam Abbatissæ dari potest, *c. meminimus*, 13. *de Accusat. Clem. attendentes*, 2. *§. statuimus*, *de Statu monach.* nec fiat benedictio cum assistentia duorum Episcoporum, sed duorum Abbatum, nec ad executionem officii Abbatialis sit substantialis, sed tantùm accidentalis. Unde si Episcopus tertiò cum humilitate rogatus benedictionem sine rationabili causa dare recuset, vel si absens & brevi tempore rediturus non sit, Abbas interim ritè electus & confirmatus omnia ad suum officium pertinentia exercere potest, *cap. cùm contingat* 11. *& ibi Gl. de Ætat. & qualit. c.* 1. *de Suppl. negl. Prælat.* Neque omnes Abbates vel Abbatissæ benedicuntur, sed ubi moris est. Colligitur ex *d. c. alienationes*, 37. *& ex Clem. cit.* In eo tamen convenit Benedictio cum consecratione, quòd reiterari non debeat, si Abbas de uno Monasterio ad aliud eligatur adinstar benedictionum nuptialium, quæ non repetuntur in secundis nuptiis, *c.* 1. *& 3. de Secund. nupt.* Barb. *de Offic. Episc. pag.* 2. *alleg.* 17. *num.* 51.

An autem sicut Consecratio ita etiam Benedictio tantùm die Dominica facienda sit, non habetur ita in Jure declaratum, ideò communiùs sentiunt DD. apud Barb. *d. l.* quòd etiam alio die festo rectè instituatur; & Gl. *in d. Clem. attendentes, in V. Benedici*, asserit, illis quoque diebus fieri posse, in quibus Ordines conferentur, & Benedictionem Abbatissæ, cùm nullam specialem potestatem tribuat, & ideo potiùs rationem simplicis benedictionis habeat, quolibet die rectè dari. Vid. Tamb. *de Jure Abb.* 1. *tom. disp.* 11. 59

Porrò de exercitio Pontificalium, benedictionibus & consecrationibus paramentorum & vasorum ad Sacrificium Missæ pertinentium, collatione item minorum Ordinum, an & quatenus Abbates Presbyteri & benedicti facere possint & soleant, aliqua dixi in Libello de *Privileg. Monast. privileg.* 49. sed copiosissimè & utilissimè videri poterit Tamburinus *de Jure Abbatum tom.* 1. *disp.* 21. 22. *&* 23. & circa potestatem ordinandi idem Tamb. *tom.* 2. *disp.* 2. cujus materiæ sedes in Decretalibus esse potest partim in hoc *Lib. I. in Tit. de Temp. Ord.* partim in *Lib. III. in Tit. de Consecratione Ecclesiæ vel Altaris.* Item in Tit. *de Celebratione Missarum*, si cui tractare placuerit. 60

TITULUS VII.

De Translatione Episcopi.

SUMMARIA.

1 *Translatio quid, & quis possit transferre?*
2 *Indulta transeundi ad alium Episcopatum, vel etiam retinendi priorem simul cum altero quid operentur?*
3 *Transferri an possit invitus?*
4 *Translationis causa.*
5 *Translati prior Ecclesia, & alia beneficia à que tempore vacare incipiant?*

Translatio hoc loco est *de sede in sedem Authoritate superioris facta commutatio ex causa justa & legitima*, si nimirùm Episcopus de uno Episcopatu ad alium postuletur, & transeundi licentiam obtineat. 1

Dico I. Ad hanc translationem requiri *Superioris Authoritatem*: quod ita accipiendum est, ut in Episcopis transferendis ipsius Papæ consensus requiratur, qui eos à vinculo spiritualis matrimonii, quo priori Ecclesiæ adstricti erant, absolvat. Imò etsi aliquo casu confirmatio Episcopi ad Archiepiscopum pertineat, tamen is à vinculo absolvere talem Episcopum non valeret, *cap.* 1. *hoc tit.* sicut nec Legatus *de Latere*, quamvis aliàs in multis Sedis Apostolicæ potestate utatur, quin hoc speciali-

cialiter summò Pontifici reservatum est, *c. 3. & 4. de Officio Legati*.

Et hoc non tantùm procedit, si Episcopus in priori Ecclesia consecratus sit, sed etiam si electus tantum & confirmatus, *cap. inter corporalia*, 2. *hoc tit.* Quòd si quis propria authoritate ad aliam Ecclesiam transierit, utraque privandus erit, *c. quanto*, 3. *h. t.*

2 Sed quid operatur induitum, quod aliqui Episcopi, quia in aliis Ecclesiis simul sunt Canonici, impetrant a summo Pontifice, ut si ad alium vocentur Episcopatum, aut dignitatem, eamdem valeant assumere, vel ad illam transire, vel cum priori retinere? Respond. Plerosque Doctores cum Innoc. *in c. ult. t. per textum ibidem* velle, quòd talis nihilominus saltem pro tutiori *postulandus & non eligendus* sit; tum quòd post tale indultum adhuc remaneat Episcopus indigens absolutione à vinculo Ecclesiæ; tum quòd examinatio postulationis ejusmodi ad Sedem Apostolicam pertineat. Joan. Honor. *h. t. n.* 5. In eo tamen melioris conditionis est, qui simile induitum habet, quam alii postulati, quòd postulationem de se factam simpliciter acceptare possit, atque inde ei jus ad confirmationem quæratur, cùm tamen alii postulati ante superioris dispensationem nullum jus habeant, & sine injuria rejici possint, imò priùs simpliciter in postulationem consentientes hoc ipso tanquam ambitiosos in Curia repelli, cum Host. & Joann. Andrea attestatur Fagnanus *in c. ult. de Postulatione Prælatorum.* Imò si indultum ipsum utatur verbo *electionis*, ut nimirum Episcopus liberè possit *eligi* ad aliam Ecclesiam, non sunt reprehendendi Capitulares, si in scrutinio etiam verbum electionis assumant.

Est autem tale indultum, utpote contra jus strictæ interpretationis, ideoque dispensatus, ut possit transire ad majorem dignitatem, non potest transire ad parem, quia ad parem, sive æqualem dignitatem transitus non ita facilè conceditur, *d. c. ult. & ibi Gl. h. t.*

3 Invitus autem Episcopus regulariter transferri non debet, nisi id exigeret ingens Ecclesiæ utilitas, vel necessitas, cùm jus suum nemini sine culpa, aut causa publica auferendum sit. Privatos tamen Clericos, qui tantam cum suis præbendis conjunctionem non habent, nec inter eos aliquod spirituale Matrimonium contrahitur, ex faciliori causa possunt per Episcopum etiam inviti de uno loco in alium transferri, ut qui uni loco minùs sunt utiles, alibi se valeant utiliùs exercere, *cap. quæsitum*, 5. *& ibi* Panorm. *de Rerum permut.* Abbates quoque & inferiores Prælati, si de una dignitate ad aliam eligantur, cum consensu solius Episcopi vel immediati sui Superioris transire possunt, ut in *præcedente Tit. n.* 30. dictum est.

4 Dico II. translationem debere fieri *ex justa causa*: sicut enim Matrimonium carnale absque causa dissolvi nequit, ita neque spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam, *c. sicut vir.* 11. *causa* 7. *q.* 1. *d. c. inter corporalia*, 2. *h. t.* Referuntur autem justæ causæ ad duo capita, scilicet *utilitatis*, si ex translatione vel universali vel particulari Ecclesiæ major fructus eveniat: & *necessitatis*, si v. g. ex persecutione hostili, vel alia causa aliquis in propria Ecclesia commorari tutò non possit.

5 Quando autem vacet prior Episcopatus, à quo quis transfertur, videatur Barb. *in Collect. ad c.* 1. *hoc tit. n.* 5. ubi dicit, quòd licèt olim dubia fuerit quæstio, hodie tamen extet declaratio Cardinalium, quòd vacet ab eo tempore, quo Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ: & postea quam hujus absolutionis notitiam Episcopus habuerit etiam ex testimonio seu documento Secretarii Collegii Cardinalium, illicò teneri eum abstinere ab exercitio Ordinariæ Jurisdictionis, eamque transire in Capitulum tanquam sede vacante, &c. nisi forsan S. Pontifex aliter disposuerit. De aliis beneficiis translatis quando vacent, dictum est *in Tit. præced. n.* 57.

TITULUS VIII.

De Authoritate & Usu Pallii.

SUMMARIA.

1 *Pallium quid?*
2 *Cur dicatur de Corpore D. Petri?*
3 *Quibus competat?*
4 *Quid denotet?*
5 *Archiepiscopus quæ possit vel non sine pallio?*
6 *Pallio quando uti liceat?*
7 *Pallii usus ubi concedatur?*
8 *An etiam in loco exempto?*
9 *Archiepiscopus & Episcopus qualiter possit Pontificalia exercere in loco exempto, & quid, si exempti resistant.*
10 *Pallium cohæret Personæ, & loco.*

P*Allium* est *singulare ornamentum desumptum ex Cor-* 1
pore D. Petri, & à summo Pontifice Archiepiscopis datum, designans plenitudinem pastoralis & Archiepiscopalis officii, quo Archiepiscopus certis solùm diebus, & intra Ecclesiam uti potest.

Dicitur I. Pallium esse *de Corpore D. Petri*, *c. signi-* 2
ficasti, 4. *de Electione*, vel quòd consecratum deferatur ad altare D. Petri in memoriam Corporis ejus, & inde tradatur Archiepiscopis, aut Procuratoribus eorum, ut existimat Glossa & Barb. *in d. cap. significasti*, vel quòd indicet veluti partem Ecclesiasticæ potestatis, quæ de Corpore D. Petri, hoc est, de universali regimine Ecclesiæ Archiepiscopis conceditur, sicut putat Hostiensis, *in c. ad honorem*, 4. *h. t. n.* 3.

Dicitur II. *Pallium dari Archiepiscopis*: & in primis 3
quidem Summo Pontifici competit, quia Ipse Archiepiscopus Romanus, id est, Princeps & Episcopus Episcoporum omnium habetur; deinde Patriarchis & Archiepiscopis inferioribus: aliquando etiam ex speciali gratia & privilegio quibusdam Episcopis datur.

Hæc portò concessio Pallii impediri non potest per criminis aut defectus objectionem, nisi objiciens intra bimestre tempus probationes paratas exhibeat. *Extravag. un. h. t. inter Com.*

Dicitur III. per Pallium *plenitudinem Pastoralis* (qua 4
de causa ex *ovium lana* conficitur) & *Archiepiscopalis officii designari*: etenim electus ad Archiepiscopatum, tametsi confirmatus vel consecratus sit, Archiepiscopum tamen se nominare non potest ante acceptum Pallium, nec ea, quæ Archiepiscopalis officii sunt, exercere, *c.*
3. hoc tit. Licèt verò per consecrationem acceperit pote- 5
statem & characterem Ordinis Episcopalis, nihilominus hanc Ordinis potestatem, quæ inter Missarum solemnia, vel in Pontificalibus ornamentis peragitur, ut conficere chrisma, consecrare Ecclesias, ordinare Clericos, ante acceptum pallium exercere non debet, cùm id non tantùm simplex Episcopus, sed ut Archiepiscopus facere videatur, *cap. quòd sicut* 28. *vers. præterea*; *de Electione*. Actus verò jurisdictionis, ut audire causas, delegare, censurare, &c. exceptis illis, qui Archiepiscopo sunt proprii, ut visitare Provinciam, vel Concilium provinciale congregare, post obtentam confirmationem facere non prohibetur. Extra provinciam quoque suam, ab alieno Episcopo invitatus ibidem actus Ordinis exercere potest, quia cùm extra provinciam Pallio uti nequeat, ut mox dicemus, censebitur tales actus facere, ut quilibet alius simplex Episcopus. Ea etiam, quæ sine missa, & in Stola tantùm ab Episcopis fieri solent, ut sacra vasa, aut paramenta, vel cæmeteria benedicere, Baptizatos confirmare, &c. ante acceptum Pallium exerceri posse, præsertim consuetudine accedente, putat Hostiensis *hoc loco sub num.* 1. & quòd generaliter Archiepiscopus actus Ordinis, quos ante acceptum *pallium* ipse facere nequit, alteri Episcopo delegare & committere valeat, cùm delegatio sit actus jurisdictionis, non Ordinis, satis colligitur ex *c. suffraganeis*, 11. *de Electione*.

Dicitur IV. usum *Pallii* tantùm *certis diebus licitum* 6
esse:

esse: quamvis enim solus Papa inter Missarum solemnia semper, & ubiquentatur *Pallio*, cùm ipse solus vocatus sit in plenitudinem pastoralis officii respectu universalis Ecclesiæ, inferiores autem Episcopi, qui in *partem tantùm sollicitudinis*, respectu particularium Ecclesiarum vocati sunt, statutis solùm diebus juxta tenorem privilegiorum suorum, & consuetudinem locorum in festis principalioribus Ecclesiæ universalis, vel suæ particularis (quæ in Calendario Ecclesiastico specialiter annotari solent) item & in Anniversario Consecrationis suæ, ac in Ordinationibus Clericorum, Consecrationibus Ecclesiarum *Pallio* utuntur, *cap. 4. & ult. cùm Gl. ibidem h. t.*

7 Dicitur V. gestationem *Pallii* tantùm *intra Ecclesiam suam* Archiepiscopo permissam esse, nomine autem Ecclesiæ tota ipsius provincia intelligitur, *c. 1. hoc tit.* Privilegio tamen Apostolico etiam acquiri potest jus extra provinciam *Palli*a utendi, dummodò licentia Episcopi, cujus est diœcesis aliena in ordine ad Pontificalia exercenda, & consensus Archiepiscopi, cujus est Provincia in ordine ad usum *Pallii* accedat. Consuetudo verò utendi *Palli*a extra Provinciam invalida & corruptela declaratur, *in cap. ex tuarum 5. hoc tit.* nisi fortè justo titulo, aut fama saltem privilegii adjuvetur.

3 An autem si Archiepiscopus in loco exempto suæ Provinciæ divina officia in pontificalibus celebret, sicut ei permittitur *in Clem. 2. de Privilegiis*, licitè utatur Pallio? quæri posset. Respond. cùm Glossa ibidem affirmativè, tum quod in dicta *Clem.* generaliter concedatur celebratio in Pontificalibus sine exceptione *Pallii*, tum quòd locus exemptus (qui speciale Territorium non habet, & *nullius diœcesis* non est) reputetur *in diœcesi & Provincia*, quamvis non *de diœcesi & Provincia*, ut infra *Lib. V. Tit. XXXIII. de Privilegiis §. ult.* explicabimus.

9 Hoc loco obiter adnotandum est, quòd Archiepiscopus possit quidem propria Authoritate in loco exempto Missam solemniter celebrare, vel coram se ab alio, sine Pontificalibus tamen, facere celebrari, qui actus honoris censetur, non tamen possit sine licentia exemptorum ea, quæ sunt officii, & jurisdictionis, ut ordinare, judicare &c. Item si exempti indebitè resistant Episcopo volenti celebrare in eorum Ecclesiis, non poterunt propterea ab eodem Episcopo puniri, sed à legitimo suo superiore. Fagnan. *in c. 1. hoc tit. num. 18. & 19.* ubi in fine dicit, sic omnes DD. tenere.

10 Cæterùm Pallium ita cohæret personæ, ut alteri cedi vel commodari nequeat, sed cum eo quisque sepeliendus sit, *cap. 2. hoc tit.* Quòd si contingat, aliquem de uno Archiepiscopatu ad alium transferri, novum Pallium impetrare debet retento etiam veteri, quo quidem ampliùs non utitur, cùm sit specialiter pro priori tantùm Ecclesia datum, in sepultura tamen ipsi adjungitur, *c. bonæ, 4. in fin.* & ibi Gl. *in v. Pallium, de Postulat. Prælat.* Innoc. & Panorm. *in d. c. 2. h. t.*



TITULUS IX.

De Renuntiatione.

SUMMARIA.

1 *Renuntiatio quid?*
2 *Renuntiatio tacita quæ?*
3 *Renuntiatio expressa.*
4 *Renuntiatio quando fieri possit sine superioris authoritate.*
5 *Beneficia ingredientis religionem quando vacent.*
6 *Renuntiatio debet fieri ex causa, & quali.*
7 *Episcopus vovens ingredi religionem an teneatur resignare Episcopatum & ingredi.*
8 *De resignatione conditionali in favorem alterius; & coram quo fieri possit.*
9 *Resignatio facta coram Episcopo in favorem tertii cum clausula* non aliter &c. *an possit acceptari rejecta conditione.*
10 *Resignans an possit sibi reservare fructus vel pensionem ex beneficio.*
11 *De renuntiatione permutationis causa remissivè.*
12 *Resignans beneficium an & quando possit pœnitere.*
13 *De resignatione facta per Procuratorem, & qualiter ejus mandatum revocetur.*
14 *Regula Cancel. de Infirmis resignantibus; ubi & de resignatione beneficiorum facta ante promotionem. Item de publicatione resignationum, remissivè.*
15 *Resignatarum beneficiorum fructus ad quem pertineant.*

Renuntiatio unius plerumque facit locum promotioni alterius: ipsique Prælati promoti, ad novam dignitatem, priora beneficia dimittere debent, ut supra vidimus. Hinc subjungitur in præsenti, de renuntiatione, seu ut vulgò appellatur, resignatione dignitatis vel beneficii.

Renuntiatio, seu *resignatio* est *spontanea beneficii dimissio*. Dicitur *spontanea*, ut excludatur legitima privatio; nisi quòd subinde ad honoris conservationem beneficio vel dignitate privandus ad liberam resignationem ex gratia Episcopi admittatur. Item etiam dolus & metus in resignatione abesse debet, aliàs resignatio irritanda, & resignans ad beneficium restituendus erit, *cap. 3. & 4. De his, quæ vi metusve &c.* 1

Renuntiatio duplex est, tacita & expressa. *Tacita*, quæ fit facto aliquo resignationem significante, vel ex dispositione juris importante, ut si Clericus in minoribus constitutus matrimonium contrahat *cap. 1. & passim de Clericis conjugatis.* Si quis alterum beneficium cum priore incompatibile suscipiat, *cap. de multa 28. de Præbendis, & extravag. execrabilis, 22. eodem.* Item exemplum habetur *in cap. ex ore 3. De his, quæ fiunt à majore parte capit:* ubi habetur jus ex litteris Apostolicis ad quamdam præposituram, dicitur juri suo renuntiasse, quòd illi, quia à Capitulo in Præpositum electus fuit, reverentiam Præposito debitam exhibuerit. Quando autem aliquis habens litteras pro beneficio ad collationem Capituli pertinente submittit se gratiæ Capituli, per hoc non videtur renuntiasse juri litterarum suarum, ut notant Doctores communiter *in c. veniens, 13. hoc t.* quando enim adversarius est potens, videntur hæc verba esse potiùs urbanitatis, & habere in se tacitam protestationem ut si non gratiæ, tunc juri locus esse debeat. Panorm. *in d. c. veniens, n. 5.* 2

Expressa renuntiatio est, quæ fit verbis expressis coram legitimo superiore eam acceptante; igitur regulariter beneficium sine superioris consensu dimitti non debet, & dimittens per censuras ad reassumendum (nisi superior malit renuntiationem ratam habere, quia renuntiatio valet in præjudicium renuntiantis, non superioris) compelli potest, & alia pœna arbitraria puniri, *cap. admonet, 4. & ibi gloss. & DD. hoc tit.* adeò ut consuetudo contraria invalida, & corruptela censenda sit, *cap. cum venerabilis 7. de Consuetudine.* Et quidem consensus immediati superioris Ecclesiastici requiritur, quo nomine etiam inferior Episcopo venit, si ad eum jure speciali institutio & destinatio in beneficio pertineat. Panorm. *in c. quod in dubiis, 8. hoc tit. numer. 6.* In manibus autem laici licèt is Notarius Curiæ Ecclesiasticæ sit, vel Patronus beneficii, renuntiatio fieri non potest: & sic renuntians in pœnam est beneficio privandus, *d. c. quod in dubiis, & ibi* Barb. *n. 3. hoc tit.* 3

Dico *regulariter* ad renuntiationem requiri superioris authoritatem. Excipitur I. Summus Pontifex, qui cùm superiorem in terris non habeat propria authoritate renuntiare potest, *cap. 1. hoc tit. in 6.* II. Excipiuntur, qui plenum jus in beneficio non habent, ut sunt electi tantùm, & necdum confirmati, vel habentes litteras Apostolicas ad beneficium vacans vel vacaturum. III. Qui habent jus litigiosum, possunt recedere a lite, & dimittere jus suum, si priùs non fuerunt in pacifica possessione, non autem propterea beneficium sic dimissum acquiretur litis adversario, nisi probet justum titulum: quia beneficium per transactionem, vel compositionem absque canonica institutione obtineri non potest, *c. 1. de R. J. in 6.* in curia tamen si unus ex collitigantibus cedat, vel decedat lite pendente, tunc ad succidendas lites solet 4

let alter collitigans potiùs, quàm extraneus in beneficio surrogari juxta Reg. Cancel. *ae Surrogandis collitigantibus*. IV. inferiores beneficiati (secus est de Episcopis *c. nisi*, 10. *hoc tit.*) ad religionem petita tantùm licèt non obtenta licentia sui Ordinarii transire possunt, *arg. cap. licèt*, 18. *de Regularibus*, *cap. duæ sunt*, 2. *causa* 19. *q.* 2. Gloss. *in d. cap. admonet*, 4. *v. inconsulto*, *hoc tit.* beneficia tamen ipsorum non vacant, nisi secuta professione, quod multi Doctores volunt procedere, tametsi prius intuitu ingressus in religionem ea resignarint, ne à licito regressu impediantur. Videatur text. in Concilium Trid. *Sess.* 25. *de Regularib. c.* 16. & DD. ibid. cit. apud. Barb. *n.* 13. *&c.*

5 Porrò resignatio coram superiore ex legitima & gravi causa fieri debet, quæ causæ recensentur in *cap. nisi*, 10. *hoc tit.* juncta Bulla Pii V. *Quanta Ecclesia*, & ob faciliorem memoriam per Interpretes sequentibus versiculis comprehenduntur.

Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis.
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

6 Est autem harum causarum cognitio facienda, talis enim *debilitas* ob senium, vel morbum esse debet, quæ impotentem reddat ad officium pastorale; aliàs locum habebit, quod dicit Pontifex *in c.* 1. *hoc t.* quòd *vergente deorsum conditione corporea, fervor spiritus in sublime conscendat*. Deinde talis *ignorantia* intelligitur, qua cum ipsam Ecclesiam utiliter regere nequeat; cæteroquin competens scientia toleratur, *& imperfectum scientiæ* inquit Innoc. III. *in d. c. nisi*, *potest supplere perfectio charitatis*. Item talis conscientia *criminis* facultatem resignandi præbet, propter quod ipsius officii executio etiam post peractam pœnitentiam suspenditur, uti crimen homicidii, simoniæ & alia criminia probata in judicio, ex quibus sequitur infamia, arg. *cap. fin. de Temp. ord.* Gloss. *in d. c. nisi*, *in V. sed dumtaxat*. Illa quoque *irregularitas* solùm causa renuntiationis est, in qua non solet facilè dispensari ut in bigamia, homicidio voluntario, &c. Secus in illegitima nativitate, si ea sit occulta, & aliquis non sit imitator paternæ incontinentiæ, *d. c. nisi*. Istæ verò causæ tam ponderantes, *in sup. d. cap. nisi*, principaliter circa Episcopos (quorum resignationem tantùm Summus Pontifex recipere potest ob vinculum spiritualis matrimonii) requiritur. Sed Pius V. in Bulla quæ incipit: *Quanta Ecclesia Dei*. idipsum ad resignationes quorumlibet beneficiatorum a.:tendisse videtur, adeò ut resignationes sine justis causis in *d. Bulla* expressis ab Ordinariis receptæ nullæ & invalidæ sint: attamen hanc Bullam non esse ubique usu receptam testatur Zypæus *in Analysi Jur. Pont. h. t. sub n.* 1. Præsertim cùm hodie non sit Clericorum penuria, & jure communi non videatur in inferioribus beneficiatis specialis aliqua causa ad resignationem desiderata, ideò consuetudo obtinuit, ut etiam sine graviori causa ax libera voluntate resignationes admittantur.

7 De Episcopo vovente Religionem bo... solet moveri quæstio, an teneatur resignare Episcopatum, & implere votum? Ratio dubitandi est, quòd tale votum sit in præjudicium melioris boni, cùm pastorale officium videatur opus magis meritorium, quàm via contemplativa Religiosorum, ut colligitur ex textu *d. c. nisi* 10. *h. t.* Tale votum valere quidem, sed habere in se conditionem affirmativam, si Papa consenserit, & ideò teneri voventem, quantùm in se est, hunc consensum petere, cum pluribus aliis docet Barb. *in Collect. ad c. pen. de Voto*, *sub n.* 5. Ad rationem dubitandi potest dici, ex judicio Summi Pontificis pendere, quinam singulis casibus, consideratis personæ qualitatibus, & circumstantiis sit status melior, & ad æternam salutem securior, magisque meritorius. Quod verò dicitur, Episcopatum esse statum perfectiorem, id DD. intelligunt de perfectione activa, quatenus Episcopo incumbit per rectam gubernationem sibi subditos ad perfectionem vitæ Christianæ deducere: non autem de perfectione passiva, quæ est in ipsa Episcopi persona, quæ potiùs supponitur, quàm quòd Episcopatus ad eam directè promoveat, ut ait Paul. Laym. *in Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 2. *n.* 14. *in fin.*

8 Renuntiatio expressa subdividitur in *puram & conditionalem*: *pura* est, quæ fit simpliciter sine reservatione aut restrictione aliqua: *conditionalis* verò, quæ fit sub certo modo aut conditione. Talis resignatio *conditionalis* est I. quæ fit in personæ certæ favorem, ut illi, & non alteri conferatur beneficium renuntiatum. Hæc renuntiatio coram Episcopo, vel alio Ordinario, excepto Summo Pontifice, fieri nequit, ne resignationes beneficiorum speciem quamdam hæreditariæ successionis, quam Sacri canones semper detestantur, volentes beneficia secundùm merita personarum distribui, acquirant. Parisius *de Resignat. benef. lib.* 2. *q.* 3. *n.* 1. ubi dicit, hanc sententiam esse communem omnium doctrinam & in praxi observatam.

Quòd si quis simpliciter resignaverit, & per modum recommendationis potiùs, quàm rigorosæ obligationis Episcopo certam aliquam personam nominaverit, non esse jure prohibitum, quin Episcopus possit personæ commendatæ, si idonea fuerit, illud beneficium conferre, docet Zoesius *ad tit. Decretal. de Simonia numer.* 72. Covar. *Var. Resol. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. necessitate autem aliqua non obstringetur Episcopus, nec injuriam faciet nominato, si alteri conferat: cùm enim resignatio in favorem tertii sit prohibita, non potuit illi nominatio jus aliquod ex hac nominatione acquisitum fuisse, & consequenter nec injuria per denegatam collationem irrogari. Ad Bullam Pii V. quæ incipit: *Quanta Ecclesia*, & prohibet omnem successoria in beneficio designationem, respondet Zoesius *d. loco* eam explicari posse de ipsis collatoribus, ut nulli firmam aliquam promissionem vel obligationem de succedendo in beneficio faciant. Item quòd ex eadem Bulla Pii V. juxta declarationem Cardinal. apud Garc. *de Benef. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 211. *part.* 11. *cap.* 3. *numer.* 266. beneficia resignata non possint conferri vel admittentium resignationem, vel resignantium consanguineis; vide, quæ dicemus infra *ad Tit. de Filiis Presbyterorum sub n.* 3.

9 Quid autem si resignans addiderit clausulam, quòd *non aliter intendat resignare, quàm in favorem tertii*, anne Episcopus poterit talem resignationem acceptare, & rejecta conditione sive clausula, alteri quàm designato conferre? Ita existimat Covar. *d. loc.* eò quòd Episcopus talem conditionem utpote contra jura non teneatur observare. Verùm probabilius censeo cum Zoesio, *loc. cit. num.* 73. talem resignationem ab Episcopo acceptari, vel acceptari & conditionem rejici non posse. Ratio prioris est, quia juxta dicta resignatio in favorem tertii cum aliqua obligatione coram Episcopo fieri non potest. Ratio autem posterioris datur à Zoesio, quòd actus conditionatus, cùm suspendat voluntatem, debeat vel totus ut ponitur acceptari, vel totus rejici. Videtur mihi addenda & alia ratio, quòd *conditiones impossibiles* (quales etiam sunt, quæ contra jura ponuntur ut hic *l. filius* 6. *ff. de condition.* 15. *Institutionum*) vitient, & irritos reddant regulariter (excepto matrimonio *cap. ult. de conditionibus appos.*) omnes contractus, & actus inter vivos, quamvis in ultimis voluntatibus, quibus quantùm ad favorem quoad hoc annumeratur matrimonium, vitientur & rejiciantur, *§. si impossibilis*, 11. *Instit. de Inutilibus stipulationibus*, *l. non solum* 31. *ff. de oblig. & act.*

10 II. Fit resignatio *conditionalis*, si resignans reservet sibi fructus aut pensionem ex beneficio resignato, vel expensas in obtentione aut lite circa beneficium factas. Hæc resignatio etiam coram Episcopo, vel alio collatore, quàm Summo Pontifice, regulariter fieri non potest, idque ex duplici capite; tùm quòd beneficia Ecclesiastica debeant *sine diminutione*, hoc est, sine cujuslibet novi oneris impositione conferri, ut dicemus infra *Lib. III. in Tit. Ut Ecclesiast. benef. sine dimin. confer.* tum, quòd talis resignatio in effectu sit permutatio beneficii pro parte fructuum, & redditurum, fructus autem & redditus à beneficio separati, cùm sint res temporales, esset permutatio rei spiritualis pro temporali, consequenter simoniaca. Interim tamen quia præter Summum Pontificem etiam certis casibus Episcopus potest pensiones in beneficiis constituere, ut si ætate decrepitus aut infirmus, vel habens beneficium litigiosum, pro bono pacis resignare velit, teste Barb. *de Officio Episc. allegat.* 85. *sub numer.* 11. ideò nihil obstabit, quin Episcopus possit simpliciter & purè resignanti talem pensionem ex causa constituere, vel ipsa resignaturus, ut securior sit, eam ob rem ante resignationem supplicare Episcopo.

Quod

Quòd si pensio sit erecta vel erigenda in titulum cum obligatione aliqua Divini Officii v.g. certarum missarum, Breviarii, Horarum, B.Virg.&c. tunc sicut talis pensio beneficii nomine censetur, ita etiam beneficium resignatum rectè pro ea commutari potest. Videatur Suar. *de Simonia lib.* 4. c. 35. *n.* 21. *& seqq.* Layman *in Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 10. *c. ult. §.* 5. *n.* 52. *& seq.*

11 III. Renuntiatio *conditionalis* est ex causa permutationis; quando enim Clerici sua inter se beneficia permutare volunt, necesse habent, ut ea priùs in manus Ordinarii sui resignent exprimentes, quòd hæc resignatio non sit absoluta, sed sub conditione permutationis, qua de re infeliùs in Lib. III. in Tit. *de Rerum permutatione* tractabimus.

12 Porrò renuntiatione facta, & à superiore admissa non est ampliùs locus pœnitentiæ, sed resignans etiam invitus compelli potest ad dimittendam beneficii possessionem, *c.* 5. *c.* 6. *&* 12. *hoc tit.* Dico *renuntiatione admissa:* antequàm enim superior acceptarit, & res integra esse desierit, potest resignans pœnitere, c. *lecta*, 14. *h. t.*

13 Si procuratorem aliquis miserit ad resignandum potest quidem etiam re integra pœnitere, & mandatum procuratoris revocare, ita tamen ut hæc revocatio Procuratori intimetur, aliàs validè procedet ad resignationem, licèt in absentia ejus mandatum revocatum sit. *Clem. un. hoc tit.* quamvis secus sit in matrimonio, ad quod contrahendum missus procurator, etiam in absentia & inscius revocari potest ob favorem libertatis matrimonialis, c. *fin. de Procurat. in* 6. In aliis autem contractibus non ita se habet, *L. si præcedente*, 58. *ff. Mandati*, & mandatum Procuratoris non interna solùm, sed etiam externa voluntate principalis, & quidem ipsi Procuratori innotescente revocari debet, ne aliàs principales allegando internum vel occultum dissensum quosvis suorum procuratorum contractus facilè impugnare, & evertere cum magno aliorum præjudicio valeant.

Morte principalis quoque revocatur mandatum Procuratoris §. *item*, 10. *Institut.* de *Mandato*. *Clem. fin.* de *Procurat.* quod quidem dubium non habet, si res adhuc integra sit, & Procurator nihil circa renuntiationem egerit; quòd si verò jam libellum renuntiationis superiori porrexerit, adeòque in negotio processerit, insinuat quidem textus *d. Clem. fin. ibi: etiam quoad negotia jam incœpta*, mandatum Procuratoris nihilominus exspirare. Contrarium tamen observari in Curia ex decisionibus Rotæ, & quibusdam extravag. Alexandri VI. & Leonis X. tradit Parisius *de Resignatione beneficiorum lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 14. *& seq.* Sed quid si principalis mortuus fuerit re integra, & Procurator hujus mortis ignarus processerit? Videbitur forte validè processisse ad resignationem, ut beneficium non per mortem sed per resignationem, ponamus in favorem tertii, vacare intelligatur: tum argumento è revocatione non intimata, de qua paulò ante dictum; tum quòd ita jure civili *dicto* §. 10. constitutum sit, & procedenti detur mandati actio. Nihilominus invalidam esse resignationem communiùs receptum est, teste Parisio *dicto l. num.* 3. quia post mortem principalis nihil ampliùs est in ejus vel hæredum potestate, quod resignari possit, cùm beneficium vacans statim devolvatur ad ordinarii collatoris potestatem. Non obstat paritas ducta à revocatione non intimata: nam quando vivo beneficiato mandatum procuratoris revocatur, beneficium est adhuc penes principalem, ergo nihil obest, quin à Procuratore jure sic permittente *in Clem. fin. h. t.* resignari possit. Jus civile verò *in dicto* §. 10. accipiendum est de aliis rebus nostri patrimonii, quæ ad ipsos hæredes transeunt.

14 Speciale est circa resignationes beneficiorum ex regula Cancellariæ: *De viginti*, sive *De infirmis resignantibus*, quòd si quis infirmus resignet beneficium, & intra 20. dies moriatur, beneficium vacet non per resignationem, sed per mortem: quod propterea sic statutum est, ne infirmi in præjudicium Ordinariorum, vel habentium gratias exspectativas possint per resignationem talia beneficia in tertium fraude plerumque interveniente transferre; de qua regula videatur prolixè Parisius *lib.* 12. *per totum*, & quæ dicemus inferiùs in Lib. III. in Tit. *de Præbend.* §. 3. *n.* 29. *& seq.* Item de resignatione beneficiorum, quæ fiunt ante promotionem, *d.* §. 3. *num.* 36. Item & de publicatione resignationis facienda per eum, cui beneficium resignatum collatum, vid. in dict. tit. *de Præbendis sub n.* 17. *vers. octavo*.

Fructus beneficiorum post resignationem vel mortem beneficiati ad quem pertineant, tradit Joan. Honorius *hoc tit. sub n.* 14. *vers. fructus* cum cit. ibidem, nimirum quòd fructus naturales, & industriales à solo separati usque ad diem admissæ resignationis debeantur resignanti, etiam si prædia frugifera essent locata, & dies solutionis nondum advenisset, quia sufficit, quòd fructus, quorum causa solutio facienda est, tempore prædicto essent collecti: fructus verò civiles, qui proveniunt ex re non producente naturaliter fructus, ut ex locatione ædium, quorum dies solutionis tempore acceptatæ resignationis nondum advenit, sicut & fructus naturales pendentes, qui censentur pars fundi, debeantur successori. Vid. Hon. *d. l.* & citati apud eumdem. 15

TITULUS X.

De Supplenda Negligentia Prælatorum.

SUMMARIA.

NE per negligentiam, & incuriam Prælatorum Ecclesiis aut subditis temporale aut spirituale damnum eveniat, rectè tum hic in præsenti tit. tum sæpiùs alibi jure constitutum est, ut officium, potestas, & jurisdictio inferiorum Prælatorum in illo casu, in quo sunt negligentes, ad Superiorem devolvatur. 1

Porrò capitula potiora in hoc tit. posita loquuntur de supplenda negligentia, quæ in collatione beneficiorum committitur; etenim ex Concilio Lateranensi beneficia intra 6. menses computandos à die innotescentis vacationis conferenda sunt, quo termino elapso ab inferiore Prælato v. g. Abbate, Præposito, cui jus conferendi ex privilegio, vel præscriptione competit ad Episcopum, ab Episcopo ad Capitulum, à Capitulo ad Archiepiscopum, ab hoc denique ad Summum Pontificem devolutio fiet, ut traditur *in Lib. III. Decretalium*, *in Tit. de Præbendis*.

Præterea Episcopi in pluribus aliis causis præter beneficiorum collationem inferiorum Prælatorum negligentiam supplere possunt, & debent, & frequenter etiam *Exemptorum* tanquam *Sedis Apostolicæ delegati*, quæ causæ in aliis titulis pro exigentia materiæ enarrantur, & summatim tradit Barb. *de Officio Episcopi*, *par.* 2. *in princ. à num.* 85. ubi, *num.* 102. addit, quòd Episcopus negligentiam Delegati Papalis authoritate ordinaria supplere possit juxta causam notabilem *in cap. significavit*, 6. *de Officii Ordinarii*, ubi causa super incestu duorum ab Episcopo excommunicatione punita, & propter appellationem excommunicatorum à Summo Pontifice delegata rediit ad Episcopum, quòd delegatus in administranda Justitia negligens fuerit. 2

Sed & Archiepiscopus Episcopi non exempti negligentiam supplet, ejusque jurisdictionem ad se devolutam exercet, ut si testes suæ Jurisdictioni subjectos in judicio coram Archiepiscopo ventilato necessarios ad requisitionem debitam non exhibuerit; si præsentatos à Patronis non instituerit; si crimina suorum Diœcesanorum noto- 3

nutoria non emendaverit; si ultimas voluntates defunctorum executus non fuerit; si dispensationem aut absolutionem debitam negarit &c. Barb. *de Officio Episcopi par.* 1. *t.* 4. *n.* 19. Quòd si Episcopus eacommunicatus aut ab hostibus captus vel mortuus fuerit, non propterea Jurisdictio ejus ad Archiepiscopum, sed Capitulum devolvitur, *c.* 1. *& 3. h. t. in* 6.

Controversia est inter Doctores, utrùm Jurisdictio contentiosa Episcopi ob causam negligentiæ citra appellationem devolvatur ad Archiepiscopum, ita ut omissis appellationibus sive appellationis solemnitatibus, mox per viam simplicis querelæ, vel denegatæ, aut protractæ Justitiæ adiri possit? Extra casus specialiter in jure expressos non devolvi Jurisdictionem ad Archiepiscopum cujuscumque negligentiæ prætextu citra viam appellationis concludit Barb. *de Officio Episcopi p.* 3. *alleg.* 126. *numer.* 6. eò quòd generaliter Archiepiscopus careat Jurisdictione in subditos suffraganeorum, nisi quatenus ei expresso jure conceditor; quòd confirmat textus *in c.* 1. *hoc tit, in* 6. ibi: *cùm id non inveniatur à jure concessum &c.* Alii è contra apud eumdem Barb. *n.* 10. docent, universim ex negligentia Episcopi ad Archiepiscopum ipso jure devolvi jurisdictionem. Verùm hac in re videtur mihi valde rationabilis distinctio, quam ex praxi Cameræ Imperialis tradit Andreas Gaill. *Lib.* 1. *observ.* 28. an nimirùm causa coram Superiore judice cæpta, & pendens sit, vel an res adhuc sit integra: Priore casu appellatione opus erit, arg. *c. ex parte*, 67. *de Appellat.* quia prima instantia semel occupata per litis contestationem non est transitus ad superiorem judicem, nisi per secundam instantiam, adeòque per appellationem. Altero vero casu, si judex inferior, sive Episcopus debitè saltem semel requisitus Justitiam denegarit, generaliter devolvetur Jurisdictio primæ instantiæ ad Superiorem, ut etiam per viam simplicis querelæ adiri possit. Textus *in novell.* 16. *c.* 3. ubi enim prima instantia ab inferiore denegatur, necessario debet apud Superiorem quæri, & quidem sub ratione primæ, quia non est secunda sine prima. Quamvis autem aliàs in decernendis processibus sive admissione litis regulariter credatur soli relationi supplicantis, & actoris, exceptio tamen est in casu *denegata Justitia*, ut de denegatione debeat priùs per publicum instrumentum, vel alia a legitimas probationes constare.

5 Differentia quoque notanda est inter *denegatam*, & *protractam justitiam*, quòd, postquàm Judex inferior verbis aut factis apertè denegavit Justitiam, statim suscipiatur causa in superiori tribunali; postquàm verò acceptavit quidem causam, sed *protraxit*, & neglexit finire, priùs decernantur à superiora judice *promotoriales*, ut Practici appellant, in quibus assignatur terminus, & certum tempus inferiori judicio pro justitia administranda, & post illum terminum primùm Jurisdictio devoluta censetur. Gaill. *d. l. n.* 7. Mynf. *Cent.* 2. *obs.* 34.

6 Cæterùm ex allegato textu *in d. c.* 1. *hoc tit. in* 6. existimat quidem Barbos. *d. l.* cum aliis ibidem cit. quòd nec ex rei natura aut rationis paritate & pondere circa actus tam contentiosæ, quàm voluntariæ Jurisdictionis ob negligentiam Episcopi fiat devolutio ad Archiepiscopum, nisi quatenus specialiter in jure concessum est. Magis tamen placet aliorum sententia, quis generaliter ex negligentia Episcopi devolutionem concedunt cum Gloss. *in d. c.* 1. *in v. culpis*. Hostiensi *in Summa in tit. de Officio Ordinarii*, *post. n.* 7. Azotio *Inst. mor. p.* 2. *lib.* 3. *c.* 34. *q.* 10. Ratio est: I. quia Rubrica hujus tit. est generalis, & quæ sub ea ponuntur exempla, sunt declarantia, non restringentia. II. Ratio legis est generalis, ut nimirùm universim utilitati Ecclesiarum & subditorum prospiciatur, ne ex negligentia Episcopi damnum accipiant, ergo etiam
7 Lex generalis. Optimè ad propositum J. C. *in leg.* 13. *ff. de Legibus*. *Quoties*, inquit, *unum vel alterum Lege introductum est, bona occasio est, cætera, quæ tendunt ad eamdem utilitatem, vel jurisdictionem vel interpretationem supperere.* In Legibus quidem merè pœnalibus non solemus argumentari à paritate rationis, at verò Lex *de supplenda Prælatorum negligentia* pœnam præcisè non continet, sed utilitatem publicam respicit. III. Quia textus allegatus non loquitur de Episcopo negligente, sed delinquente, & censuris innodato, ut sensus sit; quamvis ex negligentia Episcopi devolutio fiat ad Archiepiscopum (aliàs enim inconvenienter illud capitulum fuisset sub Rubrica hujus tit. positum) non tamen ex culpa Episcopi, cùm hoc non sit in jure expressum, &c. Ex quo apparet, quòd interpretatio Adversariorum, quasi nunquam ex negligentia Episcopi devolvatur Jurisdictio ad Archiepiscopum nisi in casibus expressis, sit contra verba & mentem capituli, contra generalitatem Rubricæ, contra *d. l.* 13. *ff. de Legibus*, & demum contra utilitatem publicam. Si tamen de negligentia Episcopi sufficienter non constaret, & protracta potiùs, quàm denegata Justitia foret, monitio & assignatio termini præcedere deberet, antequàm ipsa causa principalis ab Archiepiscopo susciperetur.

Specialis dubitatio movetur ex *c. nullus*, 17. *de Jure* 8
Patronatus: an si Laicus velit donare decimas justè possessas alicui loco Religioso, & Episcopus nolit dare consensum, possitne hoc Episcopi officium Archiepiscopus, vel tantùm Summus Pontifex supplere? Pro Summo Pontifice est textus *in d. cap. nullus*, & tradit Panorm. *ibid. n.* 25. Barb. *d. loc. n.* 23. sed rectè videtur dici posse cum Calderino apud Panorm. *d. loco.* non propterea, quòd textus loquator de Summo Pontifice, exclusum fuisse Archiepiscopum, quia textus non utitur particula aliqua exclusiva, *tantum*, vel *dumtaxat &c.* aliunde autem ostendimus, quòd regulariter negligentia inferioris per proximum superiorem suppleatur. Preterea cùm in *d. c. nullus*, non fuerit principaliter quæstio mota, quis debeat in proposito alterius negligentiam supplere, sed tantùm, quòd Laicus spiritualia jura sine consensu Episcopi loco etiam Religioso donare nequeat, ideo illud *c.* in genere de Episcopis (inter quos etiam Archiepiscopi in suis Diœcesibus numerantur) loquitur, ut illis negligentibus ad S. Pontificem recurratur, sine aperta decisione, an in hoc recursu non debeat regularis Ordo de Episcopo ad Archiepiscopum reservari.

TITULUS XI.

De Temporibus Ordinationum, & Qualitate Ordinandorum.

CUm Prælatorum Ecclesiæ sit Ordines Clericales conferre & officia Clericorum ordinare: post præcedentia hic tam de Ordinationibus, quàm ordinationum requisitis vel impedimentis in hoc & seqq. Tit. subjungitur.

---

§. I.

Generalia de Sacramento Ordinis.

SUMMARIA.

1 *Unde Sacrificium & ejus Ministri?*
2 *Ordo est verum Sacramentum imprimens Characterem,*
3 *Ordines alii majores, alii minores.*
4 *Episcopatus an distinctus Ordo à Sacerdotio?*
5 *Subdiaconatus hodie etiam Ordo sacer.*
6 *Prima tonsura an sit ordo?*
7 *Minores Ordines cur dicantur non sacri, & an cum iis matrimonium consistere possit.*
8 *Minores Ordines etiam sunt Sacramentum.*
9 *De Materia & forma singulorum Ordinum.*
10 *An requiratur contactus Physicus materiæ.*

DEo Creatori & Conservatori omnium debitum esse 1
aliquod Sacrificium tum pro invocatione sancti Nominis ejus, tum pro grata recognitione acceptorum, tum etiam pro criminum expiatione, Lex

natu-

naturæ primos parentes docuit, *Lex veteris Testamenti* Judæos instituit, & Lex *gratiæ* cum traditione sacræ Eucharistiæ confirmavit. Ubi autem Sacrificium est, ibi & certos Sacrificii Ministros, qui certo ordine suis officiis fungantur, esse oportet; quam Ministrorum creationem *ordinationem*, & ministerii potestatem *Ordinem* in Ecclesia appellamus.

2 Docet præterea Ecclesia Catholica in Concil. Trident. *Sess.* 23. *de Sacramento Ordinis, cap.* 3. *&* 4. Ordinem esse verum Sacramentum novæ legis à Christo institutum; quod insuper sicut in Baptismo, & Confirmatione imprimat *Characterem*, hoc est, signum aliquod invisibile, & indelebile in anima suscipientis, propter quod iterari non possit: ubi enim est externum symbolum cum promissione gratiæ, est Sacramentum, sed in ordinatione est externum symbolum, videlicet manuum impositio, aliæque ceremoniæ, & promissio gratiæ juxta illud Apostoli; *ad Timotheum* 4. *vers.* 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, cum impositione manuum Presbyterii. &* 2. *ad Timoth.* 1. *vers.* 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*, ergo est verum Sacramentum.

Ex quo damnatur Hæreticorum error, qui sicut gens temporalibus tantùm cupiditatibus immersa, sine sacrificio, & reverenti DEI cultu sunt, ita etiam negant Ordinis Sacramentum, asserentes, Novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantùm potestatem habere, iterum Laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant.

Similiter damnantur, qui omnes Christianos promiscuè Novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmant contra doctrinam Apostoli 1. *ad Corinth.* 12. & *ad Ephes.* 4. cùm in corpore Christi, seu Ecclesia, sicut in Corpore physico certa debeat esse membrorum, & operationum Spiritus Sancti distinctio, & Christus *alios dederit Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*.

Quoniam igitur in Novo Testamento sacræ Eucharistiæ sacrificium visibile Ecclesia accepit, fateri etiam debemus, in ea novum esse visibile sacerdotium, in quod Veteris Testamenti sacerdotium translatum sit; hoc autem Novum Sacerdotium à Christo institutum esse, atque ab Apostolis, eorumque Successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi & ministrandi Corpus & Sanguinem Christi, nec non & peccata dimittendi, sacræ litteræ *Matth.* 26. *& Joan.* 20. ostendunt, ac Ecclesiæ Catholicæ traditio semper docuit.

Quia verò divina res est tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, inquit Concil. Trident. *d. Sess.* 23. *c.* 2. quò digniùs & cum majori veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures, & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdoti ex officio deservirent.

3 Porrò prima Ordinum dispositio & divisio est in *majores & sacros*, ac in *minores & non sacros*. *Majores* ordines sunt Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus.

4 De Episcopatu quidem discrepantia est inter Doctores, an separatum & à Presbyterio distinctum ordinem constituat? Alii Affirmant eò quòd Episcopi habeant quasdam functiones speciales, ut ordinandi Clericos, consecrandi Ecclesias, quæ Presbyteris non competunt, sicut in eodem Concil. Trident. *d. l. Can.* 7. anathema dicitur illis, qui asserunt, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel eam quam habent potestatem esse cum Presbyteris communem. Alii negant, eò quòd ordo Episcopalis essentialiter includat ordinem Presbyterii; nec consecrari possit Episcopus, qui Presbyter non sit, & minor censeatur potestas ordinandi Clericos, & consecrandi Ecclesias, quàm Corpus & Sanguinem Domini, & propterea illæ functiones Episcopales accidentales tantùm ordini Presbyterali existimari debeant. Unde ulteriùs docent, quòd consecratio Episcopi sit quidem sacramentalis, non tamen distinctum Sacramentum à Presbyterio, neque distinctum Characterem imprimat, sed impressum augeat, perficiat, & consummet. In hac controversia, quæ ad effectus juris non multum confert, teneri potest conciliatio utriusque discrepantis sententiæ, quòd nimirum Episcopatus compleè sumptus, prout supponit, & includit ordinem Presbyterii, atque consideratur ad principale Sacrificium Eucharisticum, non sit distinctus ordo à Presbyterio, secus autem, si sumatur incompletè, quo ad particulares functiones Episcopis proprias ordinandi, consecrandi, & in Ordine ad Hierarchiam Ecclesiasticam, juxta quam Episcopi majores & superiores Presbyteris existunt.

5 Subdiaconatus, quamvis primis temporibus inter sacros Ordines numeratus non fuerit, postea tamen etiam his accessit, *c. à multis*, 9. *de Ætate & qualitate*, *c. miramur*, 7. *de Servis non ordinandis*. Dicuntur autem Ordines sacri, quibus votum continentiæ ex institutione Ecclesiæ annexum est, per quod ordinari ita DEO & Ecclesiæ consecrantur, ut matrimonium & statum Laicalem in perpetuum evitare teneantur.

6 *Minores Ordines* habet *Ostiarius*, *Lector*, *Exorcista & Acolythus*. Aliqui minoribus ordinibus addunt etiam *primam tonsuram*; arg. textus *in cap. cùm contingat*, 11. *de Ætate & qualitate*. Sed cùm prima tonsura non conferat per se speciale ministerium, potiùs verò initium, & habilitatio sit ad Ordines & Clericatum, ideò minùs propriè ordo nuncupari poterit. Idque colligitur ex Concilio Trident. *Sess.* 23. *de Reform. c.* 6. ibi: *nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus, constitutus &c.* nec non *in c.* 10. *eadem Sess.* in illis verbis; *tonsuram vel minores Ordines conferre*, ut satis appareat Concilium inter *tonsuram & minores* differentiam facere.

7 Dicuntur autem minores Ordines non sacri; tum quod quòd non ita proximè ad Eucharistiæ ministerium accedant; tum quòd votum castitatis annexum non habeant, & cum illis matrimonium consistere possit, prout in eodem Trid. *Sess.* 23. *de Reform. c.* 17. statuitur, ne minores Ordines ab hæreticis tanquam otiosi traducantur, ut quantùm fieri potest, ministeria Ecclesiastica quatuor minorum Ordinum per constitutos in illis Ordinibus exerceatur, & si Clerici cælibes præsto non sint, assumi possint etiam conjugati, dummodò non bigami, & qui tonsuram habitumque Clericalem in Ecclesia gestent. Aliàs verò Clericus in minoribus contrahens matrimonium eo ipso privatur beneficio, si quod habuit, *c.* 1. *& passim, de Clericis conjugatis*. Quodnam autem sit officium singulorum Ordinum, inferiùs in tit. *de Scrutinio in Ordine faciendo*, tradémus,

8 Cæterùm non tantùm Ordines *majores*, sed etiam *minores* esse Sacramentum, & imprimere characterem, atque conferre gratiam tanquam veriorem sententiam (contra illos, qui tenent, quatuor minores non esse Sacramentum, sed sacramentale) amplectitur Barb. *de Officio Episcopi p.* 3. *alleg.* 3. *n.* 21. cum pluribus ibidem cit. eò quòd Florent. & Trident. Concilium indefinita propositione concludant: *Ordinem esse Sacramentum*, & Tridentinum postquàm *Sess.* 23. *de Sacramento Ordinis, c.* 2. recensuit nomina singulorum Ordinum, etiam *minorum*, statim in *c.* 3. absolutè pronuntiat, *Ordinem esse Sacramentum*. Neque propterea plura, quàm unum Ordinis Sacramentum est: licèt enim singuli Ordines per se sint Sacramentum, censentur tamen unum Sacramentum in unitate generis proximi, & quia ad unum finem principalem, scilicet confectionem Corporis Christi omnia referuntur.

9 Solet etiam hic à Doctoribus, & in examine Ordinandorum communiter inquiri de materia, & forma Ordinum, & quidem, nescio ex qua jam inveterata corruptela, ita anxiè & scrupulosè, ut quidam examinatores rei summam in his scholasticis quæstiunculis ponentes, nihil prorsus investigent de aliis qualitatibus in ordinando requisitis (de quibus inferiùs in Tit. *de Scrutinio in Ordine faciendo*) præsertim de vitæ & morum testimonio, unde fit, ut qui *de materia, & forma* benè respondent, nonnunquam tamen materialiter, & formaliter informes fiant Clerici.

Ut breviter dicamus; in genere *materia cujusque Ordinationis est signum aliquod visibile; forma autem verba ab Ordinatore prolata*. Sic materia *Subdiaconatus*, est, *traditio calicis vacui cum patena superposita*: forma autem sunt illa verba Episcopi: *videte, cujusmodi ministerium vobis traditur, &c.*

Dai-

Diaconatus materia est *impositio manuum Episcopalium cum traditione alicujus rei visibilis, quam Ecclesia determinavit ad librum Evangeliorum*: forma illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.*

Sacerdotium sicut duplicem potestatem confert, nimirum *in Corpus Christi verum*, quæ est potestas *consecrandi*, & in *Corpus Christi mysticum*, scilicet in populum fidelem, cujus tanquam membrorum Christus Caput est, quæ est potestas *absolvendi*, & *ligandi*, ita etiam per duas particulares ordinationes perficitur. Prioris ordinationis materia est, *traditio calicis cum vino, & patena cum pane*: forma verò: *Accipite potestatem offerendi sacrificium*. Posterioris autem ordinationis materia est *impositio manuum Episcopalium*; forma illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.*

Ordinis Episcopalis materia est *impositio manuum*, & forma in illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, &c.*

10 In dubium etiam movetur, an rectè ordinatus sit, qui fortassis per incuriam aut distractionem materiam Ordinationis v. g. calicem aut librum realiter & physicè non attigit? Quidam negant, eò quòd verbum *accipe*, prolatum ab Episcopo in traditione materiæ significet jussum capiendi, tangendi, &c. Verùm quamvis curandum sit, ut juxta ritum Ecclesiæ materia contingatur, si tamen contacta non fuerit, dummodò per Episcopum exhibita, probabiliùs videtur, quod docet Laym. *in Theol. mor. de sacramento Ordinis, cap. 5. numer.* 4. Ordinem nihilominùs rectè collatum esse, quia nec ex divina, nec ex humana lege habetur, contactum physicum ad substantiam Ordinis requiri, Illud verbum, *accipe*, potest & debet intelligi in sensu juris de acceptione potestatis ministrandi. Ita in simili traditio dominii, quod venditor habuit in domo vendita, potest fieri ostensa solùm domo, & data licentia capiendi possessionem. *L. clavibus* 74. *& ibi DD. ff. de Contrah. empt.*

---

§. II.

De Ministro Ordinis & temporibus Ordinationum.

SUMMARIA.

11 *Minister Ordinis Episcopus. An etiam aliquando inferiores Prælati?*
12 *Privilegium conferendi majores Ordines datum non Episcopo, an validum?*
13 *Episcopus non potest ordinare extra suam Diœcesim.*
14 *Tempora ordinationum quæ?*
15 *Ordinatorum extra tempora pœna.*
16 *Ordinatus non incurrit suspensionem ipso Jure.*
17 *Ordinatum extra tempora à suspensione quis absolvat?*
18 *Privilegiatus ut possit ordinari in quolibet die Festo potest etiam quando solum est festum Chori.*
19 *Uno die non licet plures Ordines suscipere.*
20 *De interstitiis in ordinationibus observandis, & quis in illis dispensare valeat?*

11 MInistrum sacri Ordinis esse *Episcopum*, definitum est in Trident. *Sess. 23. de Sacramento Ordinis Can. 7. Tonsuram* verò, & *minores Ordines* ab Abbatibus quoque Presbyteris & benedictis usum mitræ, & Baculi habentibus Regularibus suis etiam novitiis, & alienis subditis cum licentia propriorum Prælatorum conferri posse, tradidi *de Privilegiis Monasteriorum Privileg.* 49.

12 De *majoribus Ordinibus* controvertitur, an eorum collatio ex commissione vel privilegio Summi Pontificis alicui Abbati, aut Sacerdoti non Episcopo competere valeat? Negat cum pluribus Zoesius *hoc tit. num.* 7. ex eo, quòd *majorum Ordinum* collatio sit proprius actus Ordinis Episcopalis: Item, quòd in Tridentino statuatur, ut quilibet *à proprio Episcopo* ordinetur. Sed quia apud Rodericq. *Tom. Regular. quæst.* 18. *art.* 2. referuntur talia privilegia Abbatibus Ordinis Cistercieinsis, &c. concessa conferendi Ordinem etiam Diaconatus, & ipse scio quædam Monasteria Ordinis S. Benedicti similia habere, non audeo S. Pontificem erroris arguere, cùm sententiam affirmativam doceat Gloss. & Panorm. *num. 9. in cap. 4. de Consuetudine*, & saltem quoad Subdiaconatum, & Diaconatum (de Presbyteratu autem communior sententia refragatur, nec exemplum aliquod habetur) tanquam probabile admittit Barbos. *in eodem cap. 4. sub numer.* 5. si enim potest summus Pontifex Abbatem vel Sacerdotem habilitare ad consecrationes Ecclesiarum, Altarium, confirmationes Baptizatorum, ut similia exempla in confesso, & frequentia sunt, cur non etiam ad ordinationes; siquidem tam illi, quàm isti sint actus Ordini Episcopali reservati; nam licèt similes actus sint reservati Episc. non tamen reperiuntur jure divino ita reservari, quin ex potestate Papali possint etiam Ordini Sacerdotali (a quo substantialiter non differt Ordo Episcopalis, ut dictum) committi. Concilium autem Tridentinum intelligendum est, quòd ordinatio jure ad Episcopos sacrorum Ordinum collatio pertineat.

Porrò non quilibet Episcopus, sed proprius tantùm cui Ordinandus subditus est, Ordines conferre potest. Quot modis autem quis subditus efficiatur in *§. seq.* trademus.

13 In propria quoque solùm Diœcesi Episcopus Ordines conferre debet; quamvis enim ordinatio sit *voluntariæ* jurisdictionis, quæ regulariter etiam extra territorium rectè exercetur, ut notatur *in l. 2. ff. de Officio Proconsulis*, specialiter tamen ad conservandos Diœcesium limites, & propriam cujusque Episcopi authoritatem, statutum est in Tridentino *Sess. 6. de Reform. cap.* 5. ut nulli Episcopo cujusvis privilegii prætextu liceat pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia; aliàs Episcopus ab exercitio Pontificalium, & ordinanti ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.

14 Ad tempora ordinationum quod attinet, sciendum est, *quatuor minores Ordines* quolibet die Dominico, aut festo conferri posse *cap. 3. hoc tit.*

Majores Ordines tantùm Sabbatis quatuor temporum, item Sabbato Passionis & Sabbato Sancto conferuntur, *d. c. 3. c. fin. & ibi Gloss. dist.* 75. ob causam tamen rationabilem, v. g. ob multitudinem ordinandorum, infirmitatem ordinantis vel ordinandi &c. non est prohibitum ordinationem in diem Dominicam differre, vel continuare, si jejunium in Sabbato eousque fuerit extensum, quia tunc vespera Sabbati, & matutinum Dominicæ in statu Ecclesiastico reputantur pro una die, *arg. cap. litteras* 13. *& ibi Gloss. hoc tit.* Cur autem potiùs prædictis temporibus, quàm quolibet alio die utcumque festivo sacra ordinatio concedatur? ratio est, ut solemnibus illis jejuniis, quæ prædictis temporibus instituta sunt, adjuvantibus etiam fidelium precibus major à DEO gratia ordinandis impetretur, & exemplum Apostolorum, qui cùm Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad prædicandum gentibus mitterent, priùs jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus *cap. quæst. d. die 5. dist.* 75. Quòd autem in Sabbato instituatur ordinatio, rationem congruentiæ assignant Barbos. *de Offic. Episc. part. 2. alleg.* 17. *num.* 3. quòd Sabbatum significet requiem & DEI cultum, requies verò à laboribus & negotiis sæcularibus, atque DEI adoratio Clericis maximè conveniat.

15 Tempus ordinationis à jure præscriptum, quamvis non sit de substantia Ordinis, & etiam ordinatus extra tempora recipiat characterem, non tamen recipit executionem, & incurrit suspensionem, nisi privilegium aliquod Pontificium ei suffragetur. Et quidem ex Bulla Pii II. quæ incipit: *Cum ex sacrorum*: talis suspensio ipso jure incurritur, ut de jure communi probabiliter teneri posset, hanc suspensionem non esse *latæ*, sed *ferendæ* sententiæ *arg. cap. cum quidam* 8. *& cap. consulta-*

16 *tiani* 16. *hoc tit.* * Contra ordinatorem verò nec jure communi, nec in d. Bulla Pii reperitur censura ipso jure statuta, sed per sententiam inferenda *c.* 2. *& d. c. cum quidam hoc tit.* Neque Episcopi aliquam de jure generaliter statutam censuram incurrunt, nisi specialis illorum mentio fiat *cap.* 4. *de Sententia excom. in* 6. Videbitur forsan prima fronte in contrarium facere *c.* 8. Trid. *Sess.* 23. *de Reform.* ubi suspensio per annum ordinatori infligitur; sed cùm leges pœnales strictè sint interpretandæ, & dictum *caput* 8. habeat duas diversas dispositiones, ideò dicendum, prædicta verba in fine posita ad posteriorem tantùm dispositionem *de ordinatione alieni subditi* spectare. Habetur etiam constitutio Sixti V. incipiens: *Sanctum & salutare*: per quam ipsi quoque ordinatores suspensionem incurrunt; ea tamen per aliam Constitutionem Clem. VIII. quæ incipit: *Romanum Pontificem*, revocata est. Zyp. *in Anal. Juris Pont. tit. de Temporibus ordin.*

17 De absolutione à suspensione ordinatorum extra tempora dubitatur, ad quem pertineat? Tantùm ad Summum Pontificem pertinere arguit textus *in d. c. cùm quidam hoc tit.* & docet Barbos. *d. l. num.* 17. ex ea ratione, quòd ista suspensio indefinitè prolata sit perpetua, & consequenter *irregularitas*, à qua (nisi casus fuerit occultus juxta Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 6.) nemo præter Summum Pontificem absolvit. Verùm magis mihi placet, quod docet Innoc. *in d. cap. cùm quidam*, ab hac suspensione etiam absolvere posse Archiepiscopum, quasi ab ipso jure ad hanc absolutionem Summi Pontificis delegatum constitutum, authoritate *cap. consultationi* 16. *& ibidem etiam* Innoc. *hoc tit.* idque non parum confirmat, quòd in Bulla Pii II. nullo verbo suspensio Sedi Apostolicæ reservetur. Quod verò dicitur suspensionem sine præfixo tempore prolatam, esse irregularitatem, haud facilè concederem, neque id aliquo jure probatur; nec est secundùm regulas Logicæ bona conversio, omnis irregularitas est suspensio sine præfixo tempore, ergo omnis suspensio indeterminata est irregularitas: rectè enim negatur consequentia, cùm possit esse, & plerumque sit suspensio indeterminata, ad beneplacitum & arbitrium superioris absolventis. Imò de natura censuræ propriè dictæ tanquam pœnæ medicinalis est, ut sine præfixo tempore feratur; sicut in tit. *de Sententia excom.* §. 1. tradidimus & in eodem tit. ex Suarezio docet Zoesius *num.* 156.

18 Circa privilegia, quæ subinde vel ipsis ordinatoribus vel ordinatis conceduntur, ad Ordines etiam extra tempora diebus Dominicis, vel aliis festivis conferendos aut recipiendos, notandum est, quòd nomine diei festivi ex probabili sententia, quam cum aliis tenet Barb. *d. alleg.* 17. *num.* 7. etiam veniat festum chori, quòd sub ritu duplicis celebratur, licèt non sit festum fori, quo populus à laboribus cessat.

19 Sub pœna etiam suspensionis prohibitum est, ne plures sacri Ordines, vel etiam minores cum Subdiaconatu eodem die recipiantur *capit. litteras* 13. *& capit. dilectus* 15. *hoc tit. capit.* 2. *&* 3. *Deeo, qui furti. Ordinem susc.* Trident. *Sess.* 23. *de Reform. cap.* 13. *in fine*. Estque hæc suspensio per dictum *cap.* 13. *&* 15. reservata Pontifici, sicut docent citati apud Barbos. *in Collect. ad cap.* 13. *Trident.* Videtur tamen probabiliter teneri posse cum Gloss. *in d. cap. dilectus in fine*, *& in cap. consultationi eodem tit.* quòd ex commissione & authoritate juris etiam Archiepiscopo absolutio concedatur. Glossa quidem de Episcopo loquitur, sed debet intelligi de illo Episcopo, cui dictum *cap. consultationi* inscribitur, quem fuisse Archiepiscopum inspicienti inscriptionem patebit. Episcopus enim ordinans cùm sit author delicti, non convenit, ut in eodem delicto Judex constituatur *cap. diversis* 5. *in fine de Clericis Conjug.* Cætera etiam, quæ in *lib. V. in Tit. de Sententia excomm.* ad incurrendam censuram requiruntur, hic attendi debent.

Consuetudinem quoque in quibusdam locis practicatam, ut eodem die, vel eadem ordinatione alicui *quatuor minores*, & *subdiaconatus* conferantur, non esse contrariam Tridentino, quod tantùm de duobus *sacris Ordinibus* loquitur, quamvis sit contraria juri communi, & propterea excusare à censura cum Navarro *in Manuali Confess.* 25. *num.* 71. communiter admittunt Doctores.

Præterea de jure Concilii Tridentini *d. Sess.* 23. 20
cap. 13. *&* 14. constitutum est, ut in Ordinibus conferendis certa *temporum interstitia* serventur, neque Diaconus ordinetur, qui non priùs per annum in subdiaconatu, neque Presbyter, qui non similiter per annum in diaconatu versatus fuerit. Minores etiam Ordines non omnes eodem die, sed per temporum interstitia (saltem arbitrio Episcopi, cùm determinata non sint) conferri mandavit Tridentinum *d. loco cap.* 11. Potest tamen Episcopus, si ita Ecclesiæ expedire viderit, hæc interstitia tam *majorum* quàm *minorum* Ordinum remittere & circa minores Ordines consuetudo passim obtinuit, ut nulla interstitia serventur, sed simul eadem die conferantur, quod etiam ante Tridentinum licuisse, & practicatum fuisse docet Glossa *in c.* 3. *in V. ad minores, hoc tit.* Vallensis *eodem tit. numer.* 7. Quæ quidem consuetudo in minoribus Ordinibus tolerari potest; sed quod etiam in plerisque Diœcesibus ad *majores Ordines* trahatur, & passim sine delectu personarum, ac necessitate Ecclesiæ nedum intra annum, sed etiam intra unam quadragesimam omnes *sacri Ordines* alicui conferantur, & in Sacerdotem, ac Magistrum vitæ spiritualis promoveatur, qui vix discipulus esse cœpit, nec mundanos mores deposuit, plurimum videtur repugnare debitæ dispositioni ad Sacerdotale officium, & salubri, utique ex malis effectibus ob tam præproperam ordinationem natis provenienti constitutioni Concilii Tridentini, ac consequenter vix rationabilis censeri potest.

Præter Episcopum etiam Vicarius generalis, & Capitulum sede vacante illis saltem casibus, quibus litteras dimissorias, vel alieno Episcopo licentiam ordinandi dare possunt (quod *in sequenti* §. trademus) ex causa in interstitiis dispensant.

Abbates, quamvis cum suis Religiosis super interstitiis dispensare nequeant (exceptis interstitiis minorum Ordinum) sed id ad Episcopum pertineat, debet tamen Episcopus quoad causam dispensationis formare judicium suum ex attestatione ipsorum Abbatum, quia ad hos primò spectat judicare de Religiosis suis, & utilitate Ecclesiarum suarum. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 18. *num.* 6. *&* 10.

Quod si ex aliena Diœcesi aliquis cum litteris dimissoriis adveniat, in quibus non est dispensatum super interstitiis, non potest de jure Episcopus ordinans dispensare sine proprii Episcopi consensu; tum quòd dispensatio sit actus jurisdictionis, qui in proprios tantùm, non alienos subditos rectè exercetur; tum etiam, quòd ad proprium Episcopum pertineat judicare, an dispensatio suæ Ecclesiæ vel saluti ordinandi conducat, atque ita communiter servari, & à sacra Congreg. Cardinalium decisum refert Piasecius *in Praxi Episcop. parte* 1. *cap.* 2. *numer.* 12. Unde & stylus est, ut dimissorialibus inseratur clausula: *etiam non servatis interstitiis, super quibus tecum dispensamus*. Non obstat, quòd ordinandus *in se proroget* jurisdictionem ordinantis: quia *prorogata jurisdictio* sine consensu proprii Judicis non habet locum; ubi agitur de jure superioris, & in causis spiritualibus, vel causa Ecclesiæ aut animæ *arg. cap. si diligenti* 12. *de Foro competent.* Zerola *in Praxi Episc. V. Vicarius in dub.* 5. *circa finem*.

Sed quid, si de consuetudine universim in illa Diœcesi, ex qua ordinandus advenit, non serventur interstitia? Respond. per superius dicta, talem consuetudinem potiùs esse corruptelam, & reprobandam quàm observandam. Interim non videtur prorsus improbabile, quin saltem ex tali consuetudine possit præsumi de consensu proprii Episcopi, & per aliquam *Epikejam* dari dispensatio, si ordinandus legitimas causas haberet, ob quas per interstitia expectare non posset: quando enim consensus non est de forma substantiali actus (sicut ex communi est consensus proprii Parochi, si alienus Sacerdos velit matrimonio assistere) tunc ordinariè etiam consensus rationabiliter præsumptus sufficit.

Demùm circa interstitia notandum, quòd annus interstitialis non debeat mathematicè computari, ut præcisè contineat 365. dies, sed Ecclesiasticè v. g. de prima ordinatione Quadragesimæ ad eamdem ordinationem anni

anni sequentis, licèt anno sequenti Quadragesima citiùs veniat. Riccius *in Praxi aurea*, *p*. 4. *resol*. 213.

---

§. III.

De Qualitate Ordinandorum.

S U M M A R I A.

21 *Ordinandus debet esse baptizatus & confirmatus.*
22 *Confirmationis Sacram. potest aliquando dari alieno subdito.*
23 *Ordinandus debet esse mas, non fœmina, & ibi, quid olim Presbytera, Diaconissa, &c.*
24 *Infanti validè confertur ordo, sed non licitè.*
25 *Ordinandus debet esse subditus ordinantis, & quot modis aliquis dicatur subditus?*
26 *Ratione* Originis *ubi suscipiantur Ordines?*
27 *Ubi ratione* domicilii?
28 *Ubi ratione beneficii?*
29 *Ratione triennalis familiaritatis seu commensalitatis qualiter quis ordinari possit?*
30 *Ubi ordinandus, qui nullam ex prædictis causam habet?*
31 *In recipiendis ordinibus an liceat variare Episcopos.*
32 *Ordinatus à Papa ab alio sine ejus licentia ordinari non potest.*
33 *Exempti à quo ordinandi?*
34 *Novitii ubi ordinandi.*
35 *Ordinantis alienum subditum pœna.*
36 *Dimissorias qui concedat.*
37 *Arctati qui dicantur?*
38 *Dimissoria non expirant morte concedentis.*
39 *Dimittendus priùs examinandus, si præsens sit.*

21 PLures qualitates in ordinandis desiderantur. I. Ut sit *baptizatus*, qui Ordines suscipere cupit, est enim Baptismus janua ad Ecclesiam, & Ecclesiastica Sacramenta, quæ sine eo nec licitè, nec validè suscipiuntur, *toto tit*. & ibi Interpretes, *de Presbytero non baptizato*.

22 II. Ut sit *confirmatus*. Tridentinum *Sess*. 23. *de Reform*. *c*. 4. omissa tamen confirmatio non vitiat Ordinem, quia non est substantialis; & potest aliquando conferri alieno subdito ab ordinante ex præsumpta licentia proprii Episcopi, veluti si quis cum dimissoriis veniat ad ordinationem, qui non sit confirmatus. Laym. *in Theol. mor. de Sacramento confirmat. c*. 6. *n*. 2.

23 Ut sit mas, non fœmina: Clericatus enim quædam dignitas, & præeminentia est inter cæteros fideles non conveniens mulieribus, quæ teste Apostolo 1. *ad Corinth*. 14. debent esse *viris subditæ*, & *turpe est eis in Ecclesia loqui &c*. multò proindè magis indecens, viris divina ministrare. Hinc est, quòd licèt beatissima Virgo quantùm ad Sanctitatem fuerit excellentior omnibus Apostolis, non tamen illi, sed istis claves Ecclesiæ à Christo commissæ sint, sicut dicitur *in c. nova*, 10. *de Pœnit. & remiss*. Imò adeò mulieribus interdictum est Ecclesiasticis ministeriis, ut de jure intra Cancellos altaris consistere, aut Presbytero ministrare, vel sacra vasa contingere non audeant, licèt Sanctimoniales sint, *cap*. 1. *in fine*, *de Cohabitat. Clericorum*, & *mulierum*, *cap. sacratus*, 25. *dist*. 23. *cap*. *in Sancta*, 51. *cap. vestimenta*, 52. *dist*. 1. *de Consecrat*. Frequens quidem in statu primitivæ Ecclesiæ mentio est, *Presbyterarum*, & *Diaconissarum*, attamen hæc appellatio non ab Ordine aliquo proveniebat, sed quod essent uxores Presbyterorum, vel Diaconorum ante Ordinationem ductæ, quæ postea cum suis viris in perpetua continentia vivebant, *cap. Presbyter* 18. *dist*. 32. Item & viduæ seniores perpetuis orationibus deputatæ Presbyteræ olim dicebantur, *cap. ult. dist*. 32. Diaconissarum quoque nulla fuit olim ordinatio, sed ob majorem decentiam, & honestatem præerant foribus Ecclesiæ, per quas ingrediebantur mulieres, & fœmellas in Baptismo sustentabant Bellarm. *de Pontificatu Romano*, *lib*. 3. *c*. 24.

24 IV. Ut sit capax rationis & non minor septennio; Infanti enim quamvis validè conferatur ordo, ut ex Divo Thom. cum communi tradit Sylvest. *verbo Ordo*, 4. *sub n*. 1. non tamen licèt, *c. nullus Episcopus*, 4. & *ibi Gl. h. t. in* 6. quænam verò sit legitima ætas ad singulos Ordines, inferiùs in Tit. *de Ætate & qualitate &c*. dicemus.

V. Ut non sit illegitimè natus, obligatus, corpore vitiatus, infamis, vel alio modo irregularis, de quibus in seqq. tit. agemus.

VI. Ut sit subditus Episcopi ordinantis & de hoc requisito cum compilatore in hoc §. tractandum. Quilibet igitur a proprio suo Episcopo ordinandus est, aliàs Episcopus alienum subditum sine litteris dimissoriis scienter vel affectata ignorantia ordinare præsumens à collatione Ordinum per annum, & sic ordinatus ab executione Ordinum susceptorum, quamdiu proprio ordinario videbitur, ipso jure suspensus est. Licentia etiam datur omnibus subditis talis Episcopi suspensi, ut suspensione ejus manifestata, & durante, liberè à vicinis Episcopis sine litteris etiam dimissoriis valeant Ordines accipere, *c*. 2. *hoc tit. in* 6. Trident. *Sess*. 23. *de Reform. c*. 8. Bulla Pii II. *Cum ex sacrorum &c*. 25

Sunt autem de jure quatuor modi proditi, ex quibus aliquis subditus Episcopi quantùm ad Ordines recipiendos censetur, nimirum. I. ratione *Originis*. II. ratione *Domicilii*. III. ratione *Beneficii*. & IV. ratione *triennalis familiaritatis*, seu *commensalitatis* cum Episcopo, *c*. 1. & 3. *h. t. in* 6. Trident. *d. Sess*. 23. *c*. 9.

Ratione *Originis* potest quisque ordinari in loco ubi natus est, licet alibi domicilium, aut beneficium possideat, *d. cap*. 3. dummodò sit natus ex constituto ibidem parentum domicilio; qui verò in aliquo loco nascitur in transitu, & peregrinatione parentum, non ibi sed in loco domicilii, vel beneficii, aut etiam in loco paternæ originis ordinari debet, vel in loco originis maternæ, si fuerit naturalis tantùm, sive illegitimus, casu quo ad Ordines legitimaretur, *L*. 1. §. 2. *L. ejus* 9. *ff. Ad municipalem*, quia filius naturalis non paternam, sed maternam originem sequitur. Riccius *in Praxi aurea*, *parte* 1. *resol*. 269. Præterea quia textus *in dicto cap*. 3. non præcisè dicit, aliquem in Diœcesi debere esse *ortum*, sed *oriundum*, ideo Doctores communiter cum Riccio *d. loc. numer*. 5. docent ordinari filium posse in loco paternæ originis, licèt ipse alibi natus sit. *Arg. L. assumptio*, 6. §. 1. *ff. Ad municipalem*, addunt tamen exceptionem, si modò filius non fuerit conceptus, atque natus postquàm pater ejus locum originis deseruit, domicilium aliò transferendo: ob quam exceptionem vix aut rarò potest dari alius casus, quàm ille, quem mox de filio nato in transitu posuimus, ut consideranti patebit. 26

Ratione *domicilii* recipiuntur Ordines ab Episcopo, in cujus Diœcesi ordinandus habitationem perpetuam constituit: dico, *perpetuam*; nam aliud est *quasi domicilium*, sive habitatio tantum temporalis ad plures annos, vel etiam saltem ad majorem anni partem, v. g. certi negotii expediendi causa, quod licèt ad percipienda alia Sacramenta sufficiat, ad Sacramentum tamen Ordinis ex concordi Doctorum sententia verum domicilium requiritur. 27

Constituitur autem verum Domicilium *animo & facto*, animo nimirum perpetuò permanendi in loco (perpetuitate saltem propositi, quamvis ex post facto hoc propositum sicut & domicilium mutari possit) & facto, scilicet capiendo possessionem, transferendo res suas *L. Domicilium* 29. *ff. Ad municipalem*, *L. cives*, 7. *C. de Incolis*. Neque hic certi alicujus temporis lapsus ad constituendum domicilium requiritur, sed prima etiam die constitutum censetur, quo quis in locum animo perpetuò habitandi advenit. Panorm. *in c. fin. de Parochiis*. Sanch. *de Matrim. lib*. 3. *disp*. 23. *num*. 2. & communiter alii. Quod verò Imperator *in l*. 2. *c. de Incolis*, scribit, eos, qui studiorum causa aliquo loco morantur, domicilium ibi non habere, nisi 10. annis transactis eo loco sedes sibi constituerint; non est intelligendum, quòd ad constituendum domicilium requiratur *decennium* vel ex decennali habitatione constitutum censeatur, sed quòd ex lapsu tanti temporis præsumptio juris de constituto domicilio oriatur, nisi aliunde appareat de animo, v. g. post absoluta studia discedendi, quem textum cum

Gloss. *in d. l. a.* ita interpretatur Sanch. *d. l. n. 1.* consistentia enim quanticumque temporis in loco non facit verum domicilium, si animus perpetuò habitandi absit, teste Barb. *de Offic. Episc. alleg. 4. num. 25.*

28 Ratione *beneficii* ordinari quis potest ab Episcopo, in cujus Diœcesi beneficium possidet *cap. cum nullus 3. hoc tit. in 6.* Porrò cùm textus non distinguat inter qualitates beneficii, existimant Doctores, nec nos distinguere debere, *arg. L. de pretio 8. ff. de Publiciana*, & ideò probabiliter docent, obtinentem beneficium, quod certum tantùm ordinem, fortè subdiaconatum requirat, licèt personalem residentiam non habeat, vel tenue & modicum sit, loco illius beneficii ordinari posse. Quia beneficium quodcumque tribuit Episcopo jurisdictionem in beneficiatum, & locum facere videtur, *d. c. cum nullus* generaliter & sine distinctione loquendi, præsertim in materia tali, quæ ordinanti & ordinato est favorabilis. Riccius *in Praxi aurea parte 1. resol. 27. & 272.* Barb. *ad Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 8. n. 22. cum pluribus ibidem cit.*

29 Ratione demum *Triennalis familiaritatis* potest Episcopus ordinare sibi aliàs non subditum, qui per triennium in ipsius familia, sive servitio ejus sumptibus vixit, & ita quasi commensalis fuit. Trident. *Sess. 23. de Reform. cap. 9.* quia tamen Concil. mandat, ut Episcopus tali familiari ordinato quàm primùm beneficium conferat, ideò Episcopus *Titularis*, & qui nullam Diœcesim actu habet, prætextu triennali commensalitatis neminem ordinare potest; cùm ipsi beneficium aliquod nequeat conferre, & generaliter omnis ordinatio alicui subdito sine licentia proprii Prælati bis Episcopis *titularibus* interdicta est in eodem Concil. Trident. *Sess. 14. de Reform. cap. 2.*

Cæterum quamvis requiratur, quòd hoc triennium continuò cum Episcopo transactum sit, nec sufficiat si familiaris in alio loco (nisi forsan modico tempore) sumptibus Episcopi vixerit, cùm aliàs Episcopo non possint esse satis cogniti mores ordinandi, ob quam rationem Concil. ordinationem familiaris potissimùm induisit; non tamen requiritur, quòd illud triennium cum Episcopo, ut Episcopo, transactum sit; sufficiet, si inceptum sit ante Episcopatum, dum Episcopus adhuc Canonicus erat. Riccius *in Praxi aurea p. 1. resol. 276. & 278.* Illud quoque communiter notant Doctores, quòd Episcopus cum familiari suo aliàs non subdito in interstitiis vel aliis impedimentis Canonicis nequeat dispensare, nisi priùs aliquod ei beneficium conferat, ex quo tanquam in subditum Ecclesiasticum veram jurisdictionem consequatur. Riccius *d. l.* Barb. *de Officio Episcop. 2. alleg. 5. n. 14.*

30 Quid, si quis nec domicilium originis (paternæ vel avitæ quia & pater & avus vagi fuerunt) nec proprium, nec beneficium, nec triennalem familiaritatem cum Episcopo habeat? Respond. Talem probabiliter ordinari posse in illa Diœcesi, in qua invenitur, quia non est magis subjectus uni, quàm alteri Episcopo. Tiberius *in Instruct. ordin. c. 7. quæst. 46.* natus verò vel habitans in loco nullius Diœcesis à viciniori Episcopo ordinandus. Tiberius *dict. lib.* Piatecius *in Praxi Episcop. part. 1. c. 1. n. 10.*

31 Disputant etiam Doctores, an si Clericus v. g. Subdiaconatum receperit ab Episcopo originis, liceat ipsi variare, & reliquos ordines ab Episcopo domicilii vel beneficii recipere? pro negativa, quam tenet Riccius *d. l. resol. 275.* facit, quòd regulariter concessa electione, & re non ampliùs integra denegetur variatio, veluti contractus ab initio omnes sunt liberæ voluntatis & electionis, postquàm autem contractum est, fiunt necessitatis, & non datur variatio. *L. sicut 5. C. de Obligat. & act.* Resignatio beneficii libera est, facta autem invariabilis, ut in tit. *de Renuntiatione* traditur. Nihilominus cùm hic simus in materia favorabili, ubi de extensione potestatis Episcopalis, & excusatione à censuris malæ ordinationis agitur, contrarium satis probabiliter teneri potest cum Francisco Zypeo *in consult. Canon. Tit. de Ætate & qualitate ordinand. Consult. 3.* Zoesio *hoc tit. num. 26.* eò quòd in jure talis variatio circa Ordines prohibita non inveniatur & textus sine distinctione ex allegatis quatuor caussis ordinationem concedat. Quod verò opponitur, electione permisse variationem esse prohibitam, intelligendum est, circa eamdem materiam & subjectum, non circa diversa; ordo ab ordine vero numero & specie distinguitur. In simili, qui Titium convenit in loco contractus ob debitum, non prohibetur utique eumdem convenire in loco rei sitæ, vel domicilii ob prædium &c.

Speciale est in ordinato à Summo Pontifice, quòd ab alio sine ejus licentia ordinari non possit: sicut traditur *in cap. in distribuendis 12. hoc tit.* idque ob specialem reverentiam ordinantis; unde & tali ordinato, quamvis non sit à jurisdictione Episcopi exemptus, debetur tamen inter cæteros Clericos major honor. *c. per tuas 7. de Majoritate & obedientia.* 32

Regulares etiam Ordinum exemptorum debent recipere Ordines ab Episcopo Diœcesis; in qua illud Monasterium est situm, vel à viciniori, si locus sit nullius Diœcesis; si verò Episcopus Diœcesanus non habeat Ordinationes, licet Abbati vel superiori Regulari dare dimissorias ad quemcumque alium Episcopum. Ita in hac Diœcesi servatur, & de mandato Clementis VIII. à sacra Cong. declaratum refert Tamburinus *de Jure Abbatum tom. 2. disp. 2. quæst. 25. numer. 3.* Barbos. *ad Concil. Trident. Sess. 23. de Reform. cap. 10. num. 11.* In quibusdam tamen locis hæc declaratio circa monasteria exempta non est usu recepta, & practicatur sententia Navarri *hoc tit. Consilio 36.* quod *dimissorias* concedere simpliciter ab Abbatem exemptum pertineat; tum quod superior exemptus sit propriè ordinarius habens Jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos Regulares; tum etiam quòd in Trident. *d. c. 10.* tantùm prohibeatur Abbatibus exemptis, ne dimissorias *subditis Sæcularibus* concedant: unde à contrario rectè inferri videtur, quòd *Regularibus subditis* concedere valeant. Non obstat illa clausula consilio Navarri in fine ab aliquo extraneo (ut diversitas characteris arguit) annexa, quòd hoc sit intelligendum, si Prælatus habet privilegium, nam rationes Navarri non loquuntur de privilegio, sed de jure communi, & supposito privilegio nulla est dubitandi ratio. 33

Novitios Monasteriorum posse ordinari in illa Diœcesi, in qua novitiatum agunt, licèt alibi sint nati, valde probabiliter cum Riccio, & aliis docet Barbos. *de Officio Episcopi p. 2. alleg. 4. numer. 36.* quia ingrediens Monasterium animo faciendi professionem, & perpetuò ibi manendi satis convenienter dici potest ibidem domicilium constituisse, undè & quoad *competentiam fori*, privilegium *Canonis*, aliosque juris effectus ordinariè de corpore Monasterii censetur. Nec refert, quòd Novitius possit redire ad sæculum, debet enim attendi principalis intentio faciendi professionem, prout non ideo minùs verum Domicilium est, quòd ex post facto contra primam intentionem mutari potest. 34

Porro Episcopus alienum Diœcesanum, qui ex quatuor recensitis modis sibi subjectus non est, absque litteris dimissoriis ordinare non potest licitè (quamvis validè) aliàs pœnam suspensionis à collatione ordinum incurrit, nisi ignorantia probabili (v. g. ex assertione aliorum credendo ordinandum esse de sua Diœcesi) vel bona fide & præsumpta ratihabitione proprii Prælati excusetur: rectè tamen monet Barbos. *de Officio Episcopi parte 2. alleg. 8. numer. 4.* non esse facilè aliquem extraneum ordinandum sub spe ratihabitionis, quia in his, quæ tangunt alterius jurisdictionem, non est facilè præsumenda ratihabitio, & ne sub hoc colore passim alieni subditi ordinentur. 35

Dimissorias concedere potest omnis Episcopus, qui ex quatuor caussis allegatis potest ordinare, juxta regulam, *quod quis per alium facit &c.* nisi fuerit excommunicatus, tunc enim dimissoriæ ejus non valent, sed subditi sine his ab alio Episcopo ordinari possunt *cap. 2. hoc t. in 6.* 36

Vicarius Episcopi sine speciali mandato dimissorias concedere nequit, nisi Episcopus *in remotis* agat *cap. cum nullus 3. hoc tit. in 6.* ubi Gloss. dicit, Episcopum *in remotis* censeri, si sit extra provinciam, vel ultra duas dietas à loco residentiæ. Sede vacante Capitulum, vel is ad quem tunc temporis pertinet Spiritualium administratio, dimissorias concedit *d. cap. 3.* sed hodie Concil. Trident. *Sess. 7. de Reform. cap. 10.* constituit, ut 37

cujus-

cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore non liceat Capitulis infrà annum à die vacationis dimissorias concedere, nisi *arctatis beneficii recepti*, *aut recipiendi causa*; quando nimirum beneficium certum Ordinem tequirit, cujus susceptio ultra annum differri non potest. Huic constitutioni Capitulom contraveniens sub, jacet Ecclesiastico interdicto, & ordinatus, si in minoribus est, non gaudet privilegio Clericali; in majoribus, est ipso jure suspensus ad beneplacitum futuri Prælati.

Memini persæpè quæsitum, an *arctatus* dici possit, qui licèt non speret beneficium, expectat tamen certò aliam conditionem ad honestam sui sustentationem, quam non nisi habitis ordinibus obtinere potest? putarem affirmativam ex paritate rationis in theorica valdè probabiliter sustineri posse *arg. l. 12. & 13. ff. de LL.* maximè in Germania, ubi rarò ad beneficia, potiùs verò *ad titulos mensa* (ut vocant) ordinantur Clerici, & aliundè sibi de necessariis providere debent. Prætetea hic agitur de modico præjudicio futuri Episcopi, è contra de magno commodo & necessitate ordinandi, ac ampliande potestate Capituli, quid ergo prohibet, interpretationem favorabiliorem facere *cap. odia 15. de Reg.* r. *in 6.* ut beneficii nomine largiùs sumpto & per Epikiam seu benignam interpretationem ex bono & æquo, quæ rigori est præferenda, *l. placuit 8. C. de Judiciis* intelligatur etiam alia gratia, vel conditio, sustentatio, aut alimentatio benevolè oblata, quæ in effectu & ratione finis (qui est servitiom in divinis, & alimentatio Clerici) beneficio comparari potest; quemadmodum idem Concilium Trident. *Sess. 21. de Reform. cap. 2.* constituit, ne quis sine *beneficio pacificè possesso* & ad victum honestum sufficienti ordinetur, & tamen passim in Germania ad solum *titulum mensa* (qui utique beneficium propriè non est, ut *in lib. 3. tit. de prabend.* videbimus) Clerici ordinantur. Idem putarem de privilegiis ordinandi extra tempora, quæ respectu *arctatorum* conceduntur, quia tamen hujus sententiæ authorem hactenus ad manus non habeo, Ordinariorum judicio relinquo, quid lo praxi tenendum arbitrentur.

38 Litteræ *dimissoria* ab Episcopi Vicario vel Capitulo semel concessæ non expirant, licèt per mortem vel alium casum beneficium concedentis cesset, nisi expressè per successorem tevocentur, sunt enim gratia & privilegium, quod non expirat morte concedentis. Zabarella communiter receptus *in Clem. fin. de Elect. post numer. 9. quæst. 5.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 12. num. 36.*

39 Demùm licèt ex Trident. *Sess. 24. de Reform. cap. 3. & Sess. 23. cap. 3.* Episcopus ipse qui dimissorias concedit, dimittendum priùs examinare & approbare debeat, hoc tamen intelligendum videtur, si dimittendus aliàs in loco consistat, & dimittatur, quia Episcopus impeditur ordinationes habere: si verò dimittendus absens sit, nec facilè ad suum Episcopum accedere valeat, usus obtinuit, ut Examen committatur Episcopo ordinanti, ejusque desuper conscientia oneretur.

TITULUS XII.

De Scrutinio in Ordine Faciendo.

SUMMARIA.

1 *Scrutinium quid & quotuplex?*
2 *In Scrutinio qua examinanda?*
3 *Ab hæreticis eorumque fautoribus descendentes ordinari prohibentur.*
4 *Filii quare puniantur, in hæresi & læsa majestatis crimine?*
Engel in Decret. Lib. I.
5 *Judæi & gentilium liberi cur non prohibeantur ordinari?*
6 *Ordinandus quæ scire debeat?*
7 *Neophytus quando ordinari possit?*
8 *Tertium scrutinium quale?*

Scrutinium à scrutando, sive interrogando dicitur examen ordinandorum, idque triplex est, primum & secundum quod ante ordinationem, & tertium quod in ipsa ordinatione peragitur. Primum habetur ex decreto Concil. Trident. *Sess. 23. de Reform. cap. 5.* ubi statuitur ut hi *qui ad singulos majores Ordines sunt assumendi per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, Ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat, & testimonium inquisitionis mox ad Episcopum transmittat.* quod licèt usus in Germania non receperit, expediret tamen tam salubrem constitutionem observare, ut secundùm præceptum Apostoli *nemini citò manus imponatur*, priusquàm de ipsius statu, vita & moribus sufficiens informatio habeatur. 1

Alterum scrutinium est, quod Episcopo secundùm statuta antiquorum Canonum *dist. 24. & Trident. d. Sess. 23. cap. 7.* incumbit, ut omnes ad ordinem accedere volentes *feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem Sacerdotalibus aliisque peritis viris sibi adjunctis ordinandorum genus, personam, atatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet.* Singula, quæ SS. Canones & Trident. examinari volunt, breviter percurramus. 2

Itaque ad examen *generis* pertinet inquirere, an ordinandus sit ex genere maculato circa fidem; quia sacri Canones ab ordinibus excludunt descendentes ab hæreticis, ac fautoribus, & defensoribus eorumdem, usque ad secundum gradum per lineam masculinam, & usque ad primum per fœmininam, nisi eorum parentes ante mortem pœnituerint, & Ecclesiæ reincorporati fuerint. Barbos. *in Collect. ad Trident. d. cap. 7. numer. 5.* & hæc hæresis pœna est, quæ ad instar criminis læsæ majestatis etiam in filiis punitur *cap. vergentis, to. de Haret. E. quisquis, 5. Cod. Ad L. Juliam Majestat.* tum ad execrationem sceleris, ut parentes saltem in pœna filiorum terreantur; tum etiam, quòd filii interdum hæredes non tantùm bonorum, sed etiam vitiorum paternorum præsumantur, ideòque puniantur sine culpa sua quidem, sed non sine causa. In Germania tamen ubi hæresis licentiosiùs grassatur, non est tam accurata hujus pœnæ observatio, dummodò descendentes ex hæreticis ipsi probi Catholici reperiantur. 3 4

Judæi autem & gentiles per januam Baptismi nunquam in Ecclesiam ingressi, sicut extra jurisdictionem Ecclesiæ constituti ob infidelitatem puniri nequeunt, ita etiam eorum liberi à sacris Ordinibus non prohibentur. 5

In *persona* examinatur ordinandus, sitne servus, obligatus, bigamus, legitimus, aut corpore vitiatus, ut in sequentibus tit. videbimus. Item de ætate ordinandi & institutione (id est titulo, Gloss. *in cap. quando, dist. 24.*) in Tit. *de Ætate & qual.* tractabimus.

Mores probare debet ordinandus per testimonium Parochi & Magistri scholæ, juxta Trident. *Sess. 23. cap. 5.* Unde infamia juris aut facti laborantes, & publicè pœnitentes ordinandi prohibentur, *cap. fin. de Tempor. ordinandorum capit. ex pœnitentibus, 55. dist. 50.*

Doctrina requisita excludit illiteratos, *c. fin. de Ætate & qualitate, cap. illiteratos, 1. dist. 36.* ad primam tonsuram sufficit, si ordinandus fidei rudimenta, item legere & scribere (quod de materna tantùm lingua, cùm Concilium aliam non expresserit, Doctores intelligunt) sciat. 6

Ad alios minores Ordines promovendi præter latinam linguam (quam in specie requirit Trident. *Sess. 23. capit. 11.*) etiam quæ sui suot Officii nosse debent,

debent, nimirùm quòd ad ostiarium spectet Ecclesiam custodire, dignos admittere, indignos excludere: ad Lectorem facta lectione fidelium animos ad pietatem excitare: ad Exorcistam super energumenos, & catechumenos invocare: ad Acolythum lumina, vinum & aquam ad sacrificium deferre.

Ad sacros Ordines assumendi scire debent ea, quæ exercendo eorum Ordini conveniunt, ut quòd Subdiaconus in solemni officio calicem ad altare deferre, Epistolam canere, & juxta ritum Ecclesiæ mediante Diacono in altari ministrare, præterea etiam ad deferendum habitum, & tonsuram Clericalem, recitandum Breviarium, & servandam castitatem ex voto sacris Ordinibus annexo obligatus esse debeat. Quod ad Diaconum spectat, Sacerdoti solemniter celebranti immediatè in omnibus ministrare, Evangelium canere, populo prædicare, aliquando etiam ex commissione Sacerdotis instante causa necessitatis, ubi Sacerdos præsens non est, baptizare, etiam solemniter. Ad Presbyteratum denique talis scientia requiritur, ut ordinatus Sacramenta administrare & populum in his, quæ ad salutem scitu necessaria sunt, instruere valeat. Trident. *d. l.*
7 *c. 13. & 14.*

Circa *vitam* requiritur, ut ordinandus non tantùm alienus ab Ecclesia Catholica, sed etiam *neophytus*, hoc est recenter conversus non sit, erit tamen penes arbitrium Episcopi, conjicere ex moribus, & pietate conversi, intra quantum tempus noviter conversus inter veteranos Christi milites, & ad Ordines dignus censeri possit, teste Covar. *in relect. Clem. si furiosus parte* 2. §. 2. *n.* 7. *vers. tertia conclusio.*

8 Tertium demum scrutinium, quod fit in ipsa ordinatione, & de quo loquitur *cap. un. hoc tit.* illud est, quando Episcopus in actu ordinationis quærit, utrùm Ordinandi digni sint, ut ad Ordines assumantur? cui quæstioni olim quidem respondebat Archidiaconus (ad cujus Officium spectabat ordinandos examinare, & ad Ordines Episcopo præsentare) quòd *quantum humana fragilitas nosse sinit, sciat & testificetur illos dignos esse.* Verùm id ipsum hodie in desuetudinem abiit, & usus obtinuit, ut Capellanus vel Diaconus Episcopo ordinanti ministrans loco Archidiaconi per illa verba respondeat.



TITULUS XIII.

De Ordinatis ab Episcopo, qui Renuntiavit Episcopatui, vel ab Excommunicato.

SUMMARIA.

1 *Episcopus renuntiare potest vel loco, vel dignitati.*
2 *Loco tantùm renuntians retinet potestatem ordinandi, si ab alio invitetur.*
3 *Qui de facto tantùm loco pulsus est, nihil juris amittit.*
4 *Renuntians dignitati, licitè ordinare non potest exceptis minoribus Ordinibus, si fuerit invitatus.*
5 *Ordinatus ab excommunicato recipit quidem Characterem, sed non executionem, & quis possit absolvere.*
6 C. 1. 2. & 3. caus. 9. q. 1. *explicantur.*
7 *Defenditur Gratiani interpretatio.*
8 *Episcopus in heresin lapsus & necdum denuntiatus an retineat exercitium potestatis suæ.*

1 Circa materiam hujus tit. prænotandum est, quòd duobus modis Episcopus suo Episcopatui renuntiare possit, nimirum *loco* vel *dignitati*. Loco, si v. g. ob hostilitatem aut aeris intemperiem Diœcesin renuntiando dimittat, retineat tamen Episcopalem titulum, & authoritatem. *Dignitati* verò, si forsan ob zelum ingrediendæ Religionis, vel ut præveniat depositionem promeritam, ipsum Episcopale officium, nomen ac dignitatem resignet.

2 Quòd si igitur Episcopus *loco* tantùm cesserit, ab alio Episcopo invitatus quoscumque Ordines legitimè conferet, nimirum subditis Episcopi invitantis, proprios enim quos habuerat per renuntiationem à sua jurisdictione dimisit.

3 Contingit tamen aliquando, quòd Episcopus citra renuntiationem, de facto tantùm ob metum hostium, vel recuperandam sanitatem extra Diœcesin moretur, quo casu nihil juris in suos subditos amittit, sed eos etiam in aliena diœcesi cum licentia Diœcesani Episcopi (quę semper ad exercenda Pontificalia in aliena diœcesi requiritur) rectè ordinat.

4 Si *dignitati* quoque renuntiavit Episcopus, Characterem quidem Ordinis Episcopalis indelebilem à se abdicare non potuit, & inde de facto ordinans validè ordinat; sed quia executionem Ordinis ipse ampliùs non habuit, aliis dare etiam de licentia proprii Episcopi haud potuit; ideò si ab eodem sacros Ordines scienter quis receperit citra summi Pontificis dispensationem, non habebit sui officii executionem; si ignoranter, poterit quidem Episcopus proprius dispensare, nisi crassa & supina ignorantia fuerit. Minorum tamen Ordinum collatio, quæ aliquando non Episcopis, veluti Abbatibus competit, cum licentia propriorum Prælatorum tali Episcopo renuntianti non denegatur *cap.* 1. *hoc tit. & ibi* Panorm. aliique Doctores.

5 Similiter etiam dicendum circa ordinatos ab Episcopo *excommunicato*, qui characterem quidem, sed non executionem recipiunt, & ideò si per ignorantiam fuerint à tali Episcopo ordinati, poterit cum eis per suos Episcopos dispensari: si scienter aut ex crassa ignorantia, dispensatio ad Summum Pontificem pertinebit; nisi religionem ingrediatur ordinatus, quo casu proprius Prælatus Ordinis dispensare poterit *c.* 2. *& ibi* Barb. *n.* 2. *h. t.*

Quòd si Episcopus excommunicatus proprium subditum hujus excommunicationis ignarum ordinaverit, tunc dispensatio, inquit Vallensis *hoc tit.* ad summum Pontificem pertinebit, ne Episcopus videatur dispensare super proprio defectu; sed non est improbabile, quod docet Panorm. *in cap.* 2. *hoc tit. num.* 5. quòd vel successor Episcopus, vel etiam ipse Episcopus ordinans post absolutionem censuræ obtentam id possit, sicut Sacerdos potest absolvere peccatum suo mandato commissum. Hodie post Concilium Constantiense observanda est Extravagans Martini V. *Ad evitanda scandala &c.* ex qua Constitutione excommunicatus *non denuntiatus*, nisi fuerit notorius percussor Clerici etiam in divinis vitandus non est, sicut hac de re prolixiùs in *lib. V. in tit. de Sententia excommunicationis* dicemus.

6 Præmissis de ordinatione ab Excommunicato facta, quòd imprimat Characterem, videntur obstare difficiles textus *in cap.* 1. 2. *&* 3. *causa* 9. *quæst.* 1. ubi talis ordinatio omninò nulla & invalida declaratur: sed dicendum est cum Gloss. & Gratiano ibidem, quòd hæc capitula non loquantur de quibuscunque excommunicatis, sed tantùm de hæreticis illis, qui nunquam Catholici fuerunt, adeòque potestatem ordinandi non acceperunt; vel certè, si de omnibus excommunicatis, aut prolapsis in hæresin loquantur, tunc hæc fuerit quorumdam antiquorum Patrum, & Doctorum opinio posteriori Pontificum & Doctorum censura corre-
cta. Circa hanc quidem interpretationem erroris at- 7
guit Gratianum Layman. *in Theol. morali: de Sacram. Ordinis cap.* 9. *num.* 5. eò quòd similia capitula possint faciliùs explicari, quòd ordinatio sit invalida solùm quoad effectum executionis, non quoad impressionem Characteris: attamen non possum adstipulari viro cæteroquin doctissimo, quia in allegatis capitulis expressè dicitur, quòd talis ordinatio tanquam à non habentibus potestatem *facta pro infecta habenda sit, & per manus impositionem potiùs vulnus inflictum censeatur: unde & iterari necesse sit, quod minimè probatur esse collatum &c.* Si ordinans potestatem non habuit, si reiterari debet talis ordinatio, & habetur tanquam non facta, & vulnus infligens, ergo non impressit Characterem: indu-

bitatum

bitatum enim est quòd actus Sacramentalis utcumque illicitè factus imprimens Characterem reiterari nullo modo possit, ut inferiùs in Tit. *de Sacramentis non iterandis* tra- demus.

8 Cæterùm Episcopus ritè in Ecclesia consecratus retinet Characterem Ordinis Episcopalis, licèt in hæresim labatur, & ideò aliquem saltem validè ordinare potest, etsi non licitè, nec executionem dare. Sed utrùm ei suffragetur Extravagans. *Ad evitanda.* si denuntiatus non sit, dubitatur? Affirmat Navarrus *conf. 19. de Hæreticis* quòd non fiat exceptio *in d. Extravagante*. In contrarium inclinat Zoesius *hoc tit. num.* 4. eò quòd hæreticus amittat jurisdictionem ex duplici causa, scilicet propter hæresim, & propter excommunicationem, unde licèt retineat tantisper ob excommunicationem non denuntiatam, non tamen ob hæresim. Hæc posterior sententia est tutior, & ante factum tenenda, post factum tamen videtur ordinatus secundùm authoritatem Navarri tolerari posse in Ordine suscepto.

TITULUS XIV.

De Ætate, Qualitate, & Ordine præficiendorum.

§. I.

De Ætate & Titulo Ordinandi.

SUMMARIA.

1 *Ætas quæ requiratur in Minoribus?*
2 *Quæ in majoribus?*
3 *Annus ultimus sufficit inchoatus.*
4 *Natus ad initium septimi mensis censetur legitimus.*
5 *Quid de defectu unius diei, vel horæ, vel bissextilis.*
6 *Ordinatus ante legitimam ætatem recipit characterem, sed non executionem.*
7 *Quid si fuerit in bona fide, vel etiam absolutus à suspensione ante legitimam ætatem celebraverit?*
8 *Bullæ Extravagantis est tolerabilis ignorantia.*
9 *Ordinatus bona fide ab excommunicato non incurrit suspensionem, quæ sit censura.*
10. *Ordinatus Sacerdos ante legitimam ætatem etiam mala fide, an hoc ipso efficiatur irregularis, quòd Episcopo ordinanti concelebret? Alia Summaria post n. 10.*

TRactat quidem compilator in hoc tit. principaliter de *ætate, qualitate & ordine* eorum, qui dignitatibus præficiuntur; ut tamen in materia ordinationis pergamus, priùs de *ætate* & *titulo* sive beneficio ordinandi videbimus.

1 Ætas alia in *majoribus*, alia in *minoribus* ordinibus requiritur. Ad *minores* quod attinet, communior est Doctorum sententia apud Barb. *de Officio Episcopi, parte 2. Alleg. 31. num. 1.* quòd prima tonsura, Lectoratus, Ostiariatus, & Exorcistatus *septem*, Acolythatus autem *duodecim* annos completos requirat, sicut colligitur ex textu & Gloss. *in c. de iis 5. dist. 28. & c. in singulis 2. dist. 77.* Si qui autem Canones majorem ætatem in his ordinibus præscribant, ut *in cap. nemo 2. dist.* 78. illi explicandi sunt, ut loquantur non de receptione, sed de exercitio Ordinum, ut scilicet nullus assumatur ad exercendos illos Ordines, nisi saltem arbitrio Episcopi fuerit in ætate idonea constitutus.

2 Subdiaconatus olim annos *Octodecim*, & Diaconatus *viginti* requirebat. *Clement. ult. hoc tit.* hodie autem ex Trid. *Sess. 23. de Reform. c.* 12. nullus potest promoveri ad *subdiaconatum* ante annum *vigesimum secundum*, & ad *Diaconatum* ante annum *vigesimum tertium*. Sacerdotium olim, sicut & Episcopatus *triginta* annos desiderabat *cap. 1. 2. & 4. dist.* 78. Exemplo Christi, ut existimant Doctores, qui teste Luca, *cap. 3. triginta* annorum cùm esset, incepit prædicare, & docere. Postea verò hæc ætas licèt fuerit in Episcopis retenta, in Sacerdotibus tamen ad 25. annos restricta est *d. Clem. ult. hoc t. &* Trident. *d. c.* 12.

Est autem inter Doctores & in praxi receptum cum 3
Gloss. *in d. Clem. ult.* quòd isti anni in majoribus Ordinibus non requirantur completi, sed sufficiant incepti, quia enim Canones non determinant, utrùm anni cæpti, vel completi esse debeant, in dubio quod favorabilius, & quod minimum est, sequimur, *juxta Regulam 30. juris in 6.* Barb. *in Collect. ad d. cap. 12. Trident. num.* 2. & cum hac sententia rectè consistunt verba Concilii
Trident. quia non ordinatur v. g. *ante vigesimum secun-* 4
dum ætatis annum, qui eumdem agere inceperit, prout de jure Civili *septimo* mense natus legitimus partus habetur. *L. septimo 12. ff. de statu hom.* tametsi 182. die & ita (computando juxta morem Græcorum 30. dies pro uno mense) ad initium septimi mensis natus fuerit *l. 3. §. 12. & ibi nota Godofredi ff. de Suis & legit. hered.*

Addit etiam Barb. *c. l. n. 3.* quòd licètè si in ætate ad Or- 5
dines requisita unus dies aut una hora desideretur, quominùs penultimus annus completus & ultimus inchoatus sit, Ordines licitè conferri nequeunt, dies tamen *bissextilis* non computetur.

Cæterum ordinatus ante legitimam ætatem recipit qui- 6
dem Ordinis Characterem, sed ex Bulla Pii II. quæ incipit; *Cum ex sacrorum*, est ipso jure suspensus; & si in tali suspensione ministraverit, irregularis efficitur. Porrò licèt hæc suspensio probabiliùs reservata non sit, sed ab ea etiam privatus Sacerdos absolvere possit, ut docet Cardinal. de Lugo *in Responsis Moralibus. Dubio* 10. *in fine* quamdiu tamen ordinatus ad legitimam ætatem non pervenit, nec quidem cum licentia Episcopi ministrare valet; esset enim talis licentia dispensatio super ætate contra Canones, quæ regulariter tantùm S. Pontifici competit; atque ita à S. Cong. declaratum refert Garcias *de Beneficiis, parte 3. c. 9. numer.* 51.

Sed quid, si de facto celebraret, vel ministraret, num- 7
quid irregularis efficeretur? Ex ea dubitandi ratione, quòd usque ad legitimam ætatem fuerit à ministerio altaris suspensus, adeòque in suspensione ministraverit, *cap. 1. de Sentent. & re jud. in 6.* Nihilominus negativè respondendum est, si vel ob bonam fidem, qua credidit se tempore ordinationis in legitima ætate constitutum nullam censuram incurrerit, vel certè, si quam ob malam fidem incurrerit, ab ea absolutus fuerit: nam quòd de cætero ante legitimam ætatem probibeatur ministrare, non est censura propriè dicta, quæ ob contemptum & contumaciam infligitur, sed impedimentum tantùm, & obstaculum Canonicum, consequenter si nulla censura contempta, nulla etiam irregularitas introducta fuit, Covar. *in Relect. Clem. si furiosus parte 1. §. 1. num.* 4. Barb. *de officio Episcopi parte 2. Allegat.* 16. *num.* 22.

Notandum præterea, quòd jam insinuavi, nimirum 8
ordinatum bona fide, & qui post diligentem inquisitionem credidit, se ætatem legitimam habere, non incurrere suspensionem; loquitur enim constitutio Pii II. de illis, *qui præsumunt* ante legitimam ætatem ordinari, id est, qui dolosè, & ex contemptu Canonum agunt. Navar. *in Manuali cap. 17. num.* 155. Zypæus *in Analysi Juris Pontific. de ordinandis num.* 8. Imò & si quis mala fide & scienter ante legitimam ætatem ordinatus sit, si tamen ex ingnorantia tolerabili dictæ Bullæ ministraverit, probabile est, eum nec censuram nec irregularitatem incurrisse ex iis, quæ in tit. *de Sententia excom.* traduntur, quòd ignorantia censuræ excuset à censura, & in hac specifica materia docet Navar. *d. loco* Covar. *in Relectione Clem. si furiosus d. parte 2. §. 1. num.* 4. Accedit, quod ignorantia Bullæ Extravagantis, sicut est dicta constitutio Pii II. censeatur tolerabilis, excuset à peccato, consequenter à censura. Navar. *de officio delegat. consilio 4. num.* 2. Huc etiam transferantur, quæ superiùs in *Proœmio Decret.* dicta sunt de obligatione, & authoritate Bullarum Extravagantium, etsi in Bullario habeantur, & præsertim Bullæ continentes censuras non videntur obligare, nisi vel usu receptæ, vel à locorum Ordinariis promulgatæ sint argum. *cap. cum infirmitas 13. de Pœnit. & Remiss.*

Dices I. non tantùm in Bulla Extravag. sed etiam jure communi prohibitam esse ordinationem ante legitimam ætatem. Respond. de jure communi magis docere Interpretes, ob ordinationem ante tempus non incurri censuram ipso facto, sed per sententiam Judicis.

9 Dices II. si ignorantia probabilis excusat a censura, quomodò ergo ordinatus ignoranter ab excommunicato incurrit nihilominùs suspensionem, ut in tit. *præced. de Ordinatis ab Episcopo, qui renunc.* dicimus. Respond. quòd illa suspensio ordinati ignoranter ab excommunicato non sit propriè censura, quæ requirit contumaciam: qualis non ponitur in ignorante. *L. si ignorans* 50. *ff. Locati* sed tantùm defectus in dante, sive ordinante, qui id, quod ipse non habuit, scilicet executionem Ordinis, dare haud potuit. *L. nemo plus juris* 54. *ff. de R.J.*

10 Demùm quod aliqui docent cum Barbos. *de Officio Episc. p. 2. Alleg. 16. numer.* 16. Presbyterum ordinatum mala fide ante legitimam ætatem in ipsa ordinationis missa vigore d. Bullæ Pii II. effici suspensum, & irregularem, eò quòd jam tunc Episcopo celebranti concelebrarit, non putamus recipiendum; quia Ecclesia illam Missam, in qua Presbyteri ordinantur, respectu illorum non habet pro actu celebrationis, sed pro actu ordinationis, ne unus idemque actus duplici pœna suspensionis, & irregularitatis puniatur. facit textus *in cap. Et si Clerici* 4. *§. de Adulteriis. de Judiciis*. Et si in pœnalibus termini sunt strictè & propriissimè accipiendi, certè non dicitur propriè celebrare, aut legere Missam, qui tantùm concelebrat, ad altare non accedit, corpus Domini non pertractat, nec se ipsum sub utraque specie communicat. Usus quoque Ecclesiæ id confirmat, ubi prima Missa Presbyteri dicitur non illa, in qua quis ordinatus est, & in qua principalis celebrans est Episcopus, sed quam deinde per se solus & immediatè celebrat. Hanc sententiam sustinet Zypæus *d. l. num.* 8. Quaranta *in Summa Bullarii V. Ordo. vers. ampliatio illa*, & alii quamplurimi apud Barbos. *d. n.* 15. *citati*.

De Titulo.

SUMMARIA.

11 *Titulus quid, cur, & ad quos Ordines requiratur?*
12 *Sublatis titulis antiquorum Canon. hodie de Concil. Trident. ordinandus debet beneficium pacificè possidere.*
13 *Non requiritur, ut beneficiatus tempore collationis habeat Ordinem beneficio annexum.*
14 *De titulo mensæ.*
15 *Titulus mensæ an debeatur illi, qui non potest acquirere beneficium?*
16 *Pereunte titulo unde alendus Clericus.*
17 *Titulus mensæ non potest constitui super sola obligatione personali, sed reali.*
18 *In Ecclesiis collegiatis & monasteriis requiritur consensus Capituli.*
19 *Titulus mensæ an possit constitui à Civitatibus & oppidis?*
20 *Clericus suspensus vel depositus an gaudeat titulo?*
21 *Ad titulum Patrimonii quando quis ordinari valeat?*
22 *Quantum debeat esse Patrimonium?*
23 *Filius an possit ordinari ad hæreditatem Patris viventis?*
24 *Sicut pater tenetur dare donationem propter nuptias, ita tenetur aliquid assignare filio ordinando.*
25 *Religiosi non habentes vota perpetua tenentur habere titulum, item & invalidè professi.*
26 *Quid speciale in* Societate?
27 *Quales pœnæ sint tum de Jure antiquo, tum hodierno Concilii Trident. circa ordinationes sine titulo.*

11 CUm non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, ut cum Ordinis dedecore mendicent, aut sordidum aliquem quæstum exerceant, ideò de jure nemo ad sacros Ordines admittendus est, nisi titulum seu causam & medium se honestè alendi, ostendere possit *cap. neminem* 1. *cap. sanctorum* 2. *dist.* 70. *cap. accepimus* 13. *hoc tit. cap. cum secundùm* 14. *& cap. tuis* 23. *de Præbendis*, Dico *ad sacros Ordines*: ad *minores* enim ex communi sententia, & usu receptum est, contra Gloss. *in d. cap. neminem*, non requiri titulum, quia Clerici in minoribus, si se clericaliter sustentare nequeant, liberè possunt a statu Clericali recedere, alia negotia exercere, propterea & constitutio Tridentina (de qua mox dicemus) de *sacris* tantùm Ordinibus loquitur. Joan. Honorius *de Temporibus ordin. n.* 11. Garc. *Benef. parte* 2. *n.* 5.

Quamvis autem de jure antiquo ad diversos titulos aliquis ordinari potuerit, veluti ad titulum beneficii, patrimonii, hæreditatis paternæ, stipendii ab Episcopo sibi assignandi super fructibus suæ mensæ. Item & ad titulum pensionis, vel stipendii à Laico assignandi super bonis suis, ut notatur in allegatis Capitulis: hodie verò constituit Concil. Trident. *Sess.* 21. *de Reform. cap.* 2. *Ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros Ordines promoveatur; nisi prius legitimè constet eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestum sufficiat, pacificè possidere; id verò beneficium resignare nequeat, nisi facta mentione, quòd ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admitti validè possit, nisi constiterit quòd resignans aliunde habeat, unde commodè vivat.* 12

Posset quidem alicui mirum videri, quommodo præcisè ad titulum beneficii pacificè possessi voluerit Concil. aliquem ordinari, cùm tamen ante susceptos Ordines Laicus beneficium Ecclesiasticum possidere non possit? Sed sciendum est, quòd minores Ordines rectè suscipiantur absque titulo, ut dictum, in minoribus autem regulariter quilibet beneficii Ecclesiastici capax sit, etsi illud beneficium Ordinem Sacerdotalem requirat; dummodò intra annum beneficiatus ad Ordinem requisitum promoveri valeat, vel etiam post annum, si justo impedimento retardetur *cap. licèt* 14. *de Elect. n. 6. cap. 2. de Instit. in 6. & cap. si pro Clericis 8. ubi Gl. de Præbend. in 6.* 13

In Germania quidem, ubi præsertim in Parochiis opus est pluribus Cooperatoribus, nec beneficia simplicia adeò frequentia sunt, usus obtinuit, ut ad solùm *titulum mensæ* absque alio beneficio Clerici ordinentur; qui usus posset exigente sic necessitate tolerari, inde abusus nisi subintraret, ut non tantùm Clerici, penes quos spes bona promotionis est, sed sine delectu quicumque absque beneficio & spe beneficii ordinarentur, qui deinde, cùm ante defectum virium ad *titulum* non recipiantur, miseram plerumque & scandalosam vitam agunt. 14

Porrò de isto *titulo mensæ* vix est aliquid apud Authores reperire, & tamen nonnunquam gravis quæstio incidit; veluti. I. an Clericus ordinatus, si beneficium acquirere non possit, debeat intereà ex titulo alimentari, tametsi infirmus vel ætate decrepitus non sit? Respond. Si Clericus valeat se Missarum lectione, vel quocumque alio honesto negotio, & statum Clericalem non dedecente alere, non debet necessariò ali ex titulo, quemadmodum nec pater tenetur filio præstare alimenta, qui se ipsum alere potest. *L. si quis 5. §. sed si filius 7. ff. de Agnoscendis & alendis liberis*. Quòd si autem Clerico reverà omnia media se alendi desint, & *titulus mensæ* sit in terminis generalibus conceptus, tunc Clerico ex *titulo* alimenta in subsidium præstanda sunt, ne in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogatur. Si verò *titulus* sit specialiter limitatus, & restrictus in casum tantummodò infirmitatis, vel senectutis, nec concedens *titulum* facilè persuaderi possit, ut ex misericordia talem recipiat, tunc quia verba non obligant ultra intentionem proferentis, & aliàs limitata causa limitatum producit effectum, videtur plane Episcopo ordinanti, vel successori ejus saltem de bonis Ecclesiarum onus alendi incumbere, usque dum Clerico de beneficio provideatur. Etenim ad Episcopum pertinet consulere honori Ordinis Clericalis, 15

sibique

ſibique imputare debet, quòd ordinarit illum, qui per ſufficientem titulum in omnem caſum proviſus de alimentis non fuit, argum. *cap.2. 4. 16. de Præb.* Undè fiet, ut Epiſcopi reddantur cautiores, ne quoſcumque tam facilè ad Clericatum recipiant, & ne uni plura beneficia, quàm honeſta ejus ſuſtentatio requirat, conferant.

16 II. Quæritur, quis debeat alere Clericum, ſi ob interitum bonorum, ſuper quibus titulus fundatus eſt, vel ob bellum aut peſtem titulo frui nequeat? Reſpond. ſimiliter ab Eccleſia alendum eſſe, ſi enim Eccleſia in neceſſitate debet alere pauperes etiam Laicos, moltò magis Clericos tanquam propriè ad ſuam curam pertinentes: *aurum Eccleſia habet*, ait D. Ambroſius *in cap. aurum 70. cauſa 12. qu.2. non ut ſervet, ſed ut eroget & ſubveniat in neceſſitatibus.*

17 III. Quæritur, à quibus & ſuper quibus rebus *titulus menſæ* concedi debeat? Reſpond. *titulum* quidem æquè à perſonis Laicis, quàm Eccleſiaſticis conſtitui poſſe, non tamen ſuper ſola obligatione perſonali, quia mortua perſona concedentis, & forſan hæreditate nulla, aut tenui relicta Clerico deperiret *titulus*. Debet ergo *titulus* aſſignari cum obligatione reali, & hypotheca bonorum tot & tantorum, ut ex eorum redditibus Clerico poſſit eſſe ſufficienter proviſum, quod ex prudenti arbitrio Epiſcopi dependet; qui & illud diligenter advertere debet, ne hujuſmodi bona ſint priùs ære alieno gravata. Cæterum titulus ſuper bonis ita fundatus eſt onus reale, & tranſit ad quemcumque poſſeſſorem jure ordinario hypothecæ.

18 Quòd ſi à Monaſteriis vel Eccleſiis collegiatis concedatur *titulus*, non requiritur quidem hypotheca, quia bona Eccleſiarum non poterunt regulariter alienari; requiritur tamen conſenſus Capituli, aliàs enim ſucceſſor in dignitate non tenetur ſtare obligationi ſui anteceſſoris ſine utilitate vel neceſſitate Eccleſiæ contractæ, per ea quæ traduntur *in cap. pen. de Fidejuſſor. & cap. 1. de Solut.*

19 De Civitatibus & Oppidis non videtur ſatis ſecurè acceptari titulus à ſolo Magiſtratu, & Senatu civico ſubſcriptus, niſi vel is in cujus dominio eſt locus, vel major pars Civitatis convocatæ conſenſerit, vel ſtatutum aut conſuetudo ſit in loco, ut ſolus Magiſtratus poſſit Civitatem vel Oppidum obligare, aut certè magiſtratus ſe ſuoſque hæredes, & bona in ſubſidium obligarit: regulariter enim Civitas ex contractu quorumdam non obligatur, niſi in dictis circumſtantiis, vel ſicut in mutuo probetur verſum in ejus utilitatem, aliàs verò non civitas, ſed illi, qui contraxerunt, tenentur. *L. Civitas, 27. ff. de Rebus creditis*; Rheyger *in Theſauro juris. Verbo, Civitas n.6.*

20 Quæritur IV. an Clericus, qui ob delictum ſuſpenſus vel privatus eſt beneficiis, aut depoſitus verbaliter, debeat ali ex *Titulo?* Reſpond. Eſſe diſparitatem, an perſiſtat in contumacia ad petendam abſolutionem, vel diſpenſationem, aut non? Si prius, non debent ipſi alimenta, ne non curet abſolutionem, cùm poſſit per eam ſibi proſpicere. Si poſterius, docent communiter cum Gloſſ. *fin. in cap. ſtud. 39. diſt. 50.* & Panorm. *in cap. paſtoralis 53. §. verùm de Appellat. n.16.* quòd ne cogatur mendicare, debeant ipſi ex beneficio, à quo ſuſpenſus vel privatus eſt, relinqui alimenta, ſi non integra, ſaltem in ſupplementum, in quantum ea ex lectione Miſſarum, vel alio honeſto labore habere non poteſt, ſicut in ſimili tradit Godofred. *ad d. l.5. §.7. ff. de Agnoſcendis liberis*. quòd ſi filius poſſit ſe ex ſuo opificio ſaltem pro parte alere, non teneatur pater integra alimenta præſtare.

Sed quid, ſi ſuſpenſus ab officio vel depoſitus nullum priùs habuerit beneficium præter *titulum menſæ*? Puto in primis repetendam eſſe modò datam diſtinctionem; an ſit in contumacia nec ne? ſi illud, per denegationem alimentorum urgeri debet ad reſipiſcentiam, & petendam abſolutionem; ſi iſtud, quia ob delictum Clericus non debet fieri mendicus ob honorem Ordinis Clericalis, planè exiſtimo, eſſe huc accommodanda, quæ ſuperiùs in prima & ſecunda quæſtione dicta ſunt.

21 Præterea quia nonnunquam contingit ordinari, qui ex proprio *patrimonio*, penſione vel ſtipendio vivere poſſunt, ideò de his rurſus ſtatuit Trident. *d. Seſſ. 21. cap.2. ut patrimonium vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum; eo quoque priùs perſpecto, patrimonium illud, vel penſionem verè ab illis obtineri, quaque à ſe alienare, vel abdicare non valeant, niſi aliunde oſtendant, ſe habere, unde vivere poſſint, &c.* Debet autem *patrimonium* fundari ſuper rebus immobilibus, vel talibus, quæ immobilibus comparantur, uti ſunt cenſus & annui redditus. Si contingat neceſſitatis, vel utilitatis cauſa bonum patrimonii vendi, aut cenſum redimi, id non aliter quàm cum licentia Epiſcopi fieri poterit, qui & curabit, ut pecunia rurſus vel in immobilia, vel alios cenſus collocetur.

22 Ipſa verò quantitas patrimonii determinata in ſpecie non eſt, ſed in genere, ut ſit tanta, quæ ad victum honeſtum ſufficiat. Uſu apud nos receptum eſt, quòd capitale *mille* imperialium reputetur ſufficiens patrimonium; & nomine *patrimonii* intelligitur non tantùm, quod filius ex hæreditate paterna, ſed ex quocumque alio titulo ceu ſuum, & proprium poſſidet, vel etiam in uſumfructum ad vitam habet. Videatur Barb. *in Collect. DD. ad c.2. Trident. Seſſ. 21. n.36. & ſeqq.*

23 De filio eſt quæſtio, an ad futuræ hæreditatis paternæ titulum ordinari valeat, ſi de facto nulla alia bona habeat? Ratio affirmandi videtur, quòd filius ſit hæres certus & neceſſarius, ac jam in vita parentis *quaſi Dominus* bonorum paternorum fictione juris habeatur *§. ſui autem 2. Inſtit. de Hæredum qualit. & diff.* Item quòd patri incumbat onus alendi filium. Nihilominùs negativa tenenda eſt cum Ugolino *de Epiſcopi officio c.29. §.9. n.3.* Garcia *de Benefic. par.2. c.5. n.92.* quia Trid. vult ab ordinandis *patrimonium verè*, & non fictè obtineri; bona enim paterna incerta ſunt; poteſt enim pater in vita dilapidare, totus obæratus decedere, filium ex cauſa ſuperveniente exhæredare. Alimenta quidem debentur filio à patre, quamdiu pater vivit, ſi præmoriatur, facilè evenire poteſt, ut ob æs alienum, vel juſtam exhæredationem filius ſine alimentis ſit.

24 Docent tamen Authores, quòd ſicut pater tenetur filio aut filiæ profanas nuptias habituris ſubſtantiam de bonis ſuis *in donationem propter nuptias*, aut *dotem* aſſignare. *L. fin. Cod. de Dotis promiſſione.* ita ſimiliter quid teneatur facere, ſi filius aut filia ſpirituales nuptias per ſuſceptionem ſacrorum ordinum, aut ingreſſum religionis celebrare intendant. Barb. *de Officio Epiſcopi par.1. Alleg. 99. n. 63.* Sanch. *de Matrim. lib.4. diſp.26. n.7.*

25 Licèt porrò allegata Concilii conſtitutio tantùm de Clericis ſæcularibus loquatur, & non de Religioſis, qui per profeſſionem in Monaſterio hoc ipſo jus ad alimenta perpetua acquirunt, declaravit tamen Pius V. in Bulla, quę incipit: *Romanus Pontifex* eadem conſtitutione etiam comprehendi cujuſcumque Ordinis Clericos Religioſos, ſive ſæculares modo Religioſorum in communi viventes, qui profeſſionem, ſtabilitatem perpetuam in Ordine non faciunt, ita ut ſine ſpeciali titulo ordinati ſuſpenſionem incurrant. Inſuper ſacra Cong. Card. interpretata eſt, hanc Pii conſtitutionem habere locum in illis, qui in quacumque Religione profeſſionem invalidam ſcienter, & mala fide emittunt.

26 Patribus *Societatis* à Gregorio XII. in Bulla: *Aſcendente Domino* conceſſum eſt, ut tametſi vota tantùm ſimplicia emittant, nec ſtabilem faciant ab initio ante quartum votum profeſſionem, nihilominùs ſine alio *Titulo* ordinari poſſint. Sed quia frequenter contingit ordinatos è Societate dimitti, tunc Prælatos ejuſdem Societatis teneri, dimiſſo de victu honeſto providere, uſque dum ſufficiens beneficium aſſequatur, ex Declaratione Sixti V. tradit Barb. *in Collect. ad dictum c.2. Trident. Seſſ. 21. n.6. & de Officio Epiſcopi par.2. Alleg. 19. n.7.*

27 Poſtremò Concil. Trid. *ſæpe d. cap.2.* contra promotos ſine Titulo innovat pœnas antiquorum Canonum. Et quidem de jure communi ordinator tenetur alere ordinatum ſine titulo, uſque dum beneficium conſequatur *cap. 2. 4. & cap. cum ſecundùm Apoſtolum 16. de Præbendis* & ſi fecerit cum eo pactum de non petendo aliquid, ſuſpenditur per triennium à collatione Ordinum *cap. ſi quis ordinaverit 45. de Simonia.* ordinatus verò ſine titulo incurrit ſuſpenſionem ab officio *cap. neminem 1. cap. Sanctorum 2. diſt. 70.*

Sed controverſia eſt inter Doctores, an omnes hæ pœnæ ſint per Conc. innovatæ? Una eſt opinio affirmantium, eò quòd Concilium loquatur generaliter *de*

pœnis

penis antiquorum Canonum, & ne aliàs ordinans vel ordinatus impunis esset, cùm tamen uterque delinquat. Rectè verò huic sententiæ additur limitatio, nisi alterutet culpa vacaret, ut si ordinans ab ordinato per exhibitionem falsi tituli fuisset deceptus, aut ordinatus sub promissione beneficii, aut alimentationis ad suscipiendos Ordines inductus, tunc enim is, qui sine culpa esset, pœna afficiendus non foret.

Altera est opinio asserentium, solummodò pœnam *d. c. cum secundum. de Prabendis*, *& c. si quis. de Simonia* esse innovatam, neque ordinatum sine titulo regulariter suspensionem incurrere, utpote, quæ ab antiquioribus quidem Canonibus lata, in *d. c. cum secundum* jam sublata fuit, ut ex textu patebit. Et hanc partem DD. magno numero citati apud Barb. *d. par.* 2. *Alleg.* 20. *n.* 27. tuentur, & à Sac. Cong. ita decisum referunt. Puto igitur & ipse, hanc posteriorem sententiam ob authoritatem Doctorum satis tutè teneri posse, eamque hac ratione adjuvari existimo, quòd pœna debeat tendere ad conservandum, non ad avertendum finem legis, sed si ordinatus *sine titulo* suspenderetur ab officio, sæpè everteretur finis legis, qui est, ne Clericus mendicet, si enim Episcopus esset deceptus, si difficilis conventionis, Clericus suspensus, non posset obtinere alimenta, aut ex celebratione Missarum sustentationem habere, adeòque mendicare deberet; meliùs igitur videtur, ut relicto ei officio suo, si quid in ordinatione sine titulo deliquit, alio modo juxta arbitrium Ordinarii sui puniatur. Constitutionem Sixti V. *Sanctum & salutare* in qua contra ordinatorem, & ordinatum pœna suspensionis reservatæ lata est, Clem. VIII. in Bulla: *Romanum Pontificem.* ad terminos juris communis revocavit.

---

§. II.

De Ætate, Qualitate, & Ordine præficiendorum Beneficiis Ecclesiasticis.

S U M M A R I A.

28 *Qua atas requiratur ad beneficia simplicia?*
29 *Fundationi non censetur derogatum per Trid.*
30 *Episcopus an possit dispensare circa atatem?*
31 *Ad pensionem probabiliter sufficit septennium.*
32 *Beneficia curata requirunt atatem 25. annorum inchoatorum.*
33 *Catera dignitates vel personatus incurati 22. annos.*
34 *Ad Canonicatus Cathedral. Eccles. qualis atas requiratur.*
35 *Hodie ex Trid. singulis Canonicatibus debet esse sacer Ordo annexus.*
36 *Ob neglectam ordinationem intra annum non inducitur privatio Canonicatus ipso jure.*
37 *Resignans Canonicatum non recepto Ordine an teneatur ad restitutionem fructuum perceptorum.*
38 *Doctoribus vel Licentiatis in Theologia, aut Jure Canon. hortatur Concilium Trid. conferri Canonicatus.*

CUm ordinati vel ante ordinationem, vel pòstea de beneficiis Ecclesiasticis sibi providere debeant, ex quibus sua alimenta percipiant, & in quibus officia sacrorum Ordinum exerceant, ideò in hoc tit. cum Compilatore breviter aliquid de ætate & qualitate requisita ad beneficia dicendum erit, cætera ex *Lib. III. ex tit. de Prabendis* sumenda.

28 Notandum igitur I. licèt de jure antiquo dubium fuerit, quænam ætas ad beneficia simplicia requireretur, & etiam infra pubertatis annos præbendas, imò & Canonicatus tunc obtineri potuisse docuerit Gloss. *in cap. Ex eo* 32. *de Electione in* 6. hodie tamen apertiùs statuit Conc. Trident. *Sess.* 23. *de Reform. c.* 6. ut nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in Minoribus constitutus *ante decimum quartum atatis annum* beneficium possit obtinere. Hunc autem annum non requiri completum, sed inceptum sufficere à sacra Cong. decisum referunt citati apud Barbos. *ad dictum capit.* 6. *n.* 2.

29 Notandum II. Si in fundatione beneficii cautum, ut etiam impuberi rectè conferri possit, tali fundationi non censebitur derogatum per præsentem Concilii constitutionem, quia non exprimitur, & aliàs fundationum abrogatio sine gravi causa fieri nec potest, nec solet. Gonzalez. *ad Regulam* 8. *Cancell. Gloss.* 5. *n.* 91.

30 Notandum III. Episcopum non posse dispensare, ut minor annis 14. habeat beneficium, quia dispensatio contra Canones & Conc. regulariter tantùm summo Pontifici qui supra leges est, competit. Azot. *Instit. Moral. p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *quast.* 9.

31 Ad pensionem tamen non pauci existimant sufficere ætatem *septem annorum*, nec in ea procedere dispositionem Concilii, eo quòd pensio minùs propriè sit beneficium, & dispositiones odiosæ, præsertim juris antiqui correctoriæ, in propriissimis terminis sint accipiendæ.

32 Nota IV. Neminem ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest (quod etiam de cura jurisdictionali, & fori externi rectè intelligit Navar. *hoc tit. Consilio* 4. *numer.* 2.) promovendum esse, qui saltem *vigesimum quintum sua atatis* annum non attigerit, & in Clericali Ordine versatus doctrina ad suum munus necessaria, ac morum integritate commendetur *cap. cum in cunctis* 7. *de Electione*. Trident. *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 12.

33 Nota V. ad cæteras dignitates (impropriè seu nomine tenus tantùm tales) vel personatus, quibus cura animarum nulla subest, Clericos alioquin idoneos, & viginti duobus annis non minores assumendos esse. Trident. *d. cap.* 12. Dispensare tamen posse Episcopum cum eo, qui vigesimum annum compleverit ad dignitatem, vel personatum sine cura valdè probabiliter docet Zoesius *hoc tit. n.* 2. eò quòd id olim licuerit *ex cap. Unico. Eodem in* 6. cui concilium expresse non derogavit, jus autem novum non plus censetur de priori tollere, quàm exprimat *l. Pracipimus* 32. *in fine. Cod. de Appellat.*

34 Not. VI. non satis expeditam quæstionem esse, qualis ætas requiratur *ad Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum?* Quam quidem quæstionem tractat Barb. *de Offic. Episc. p.* 3. *alleg.* 60. *num.* 70. ubi censet, nisi Canonicatui sit saltem Ordo subdiaconatus annexus, non reperiri, quòd aliquid sit per Trident. circa Canonicatus mutatum, quominùs 14. anni sufficiant. Etenim *in Sess.* 24. *de Reform. cap.* 12. tantùm ad *dignitates*, & *personatus*, quibus cura animarum nulla subest; ætas *viginti duorum annorum* statuitur: *Personatum* autem & *Canonicatum simplicem* (præsertim in materia juris veteris correctoria, ubi termini sunt propriè & strictè accipiendi ad correctionem jurium evitandam *c. cum expediat.* 29. *de Elect. in* 6.) esse diversa passim, apud DD. legitur, nam *dignitas & personatus* significant specialem præcedentiam & eminentiam præ reliquis Canonicis, Barb. *in Collect. ad d. cap.* 12. *Trident. num.* 15. Tamb. *de Jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 1. *quast.* 2. *n.* 3. Attamen idem Barb. *d. alleg.* 60. *n.* 70. aliquot declarationes Cardinalium adfert, per quas ætas 22. annorum ad Canonicatus desideratur, addit verò in fine: nisi illas declarationes intelligamus, ubi Canonicatus solent esse sacris Ordinibus annexi ante factam illorum distributionem.

35 Nota VII. quòd Concilium Trident. *in eodem c.* 12. statuerit, *ut nemo ad dignitatem, Canonicatum aut portionem recipiatur, nisi qui eo Ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, vel prabenda requirit, aut saltem intra annum initiari valeat.* Item, *ut in Ecclesiis omnibus Cathedralibus omnes Canonicatus ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyteri, Diaconatus, vel Subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio Capituli designet, ac distribuat, quibus quisque Ordo ex sacris annexus imposterum esse debeat, ita tamen, ut dimidia saltem pars Presbyteri sint, cateri verò Diaconi, aut Subdiaconi. Ubi autem consuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes ex Canonicis sint Presbyteri, ea omninò observetur.*

36 Notandum VIII. Licèt in beneficiis curatis statutum sit, ut qui intra annum ad Ordinem Sacerdotii cessante justo impedimento promotus non fuerit, elapso anno ipso jure beneficio privatus sit *cap. licèt, Can.* 14. *& cap. commissa* 35. *de Elect. in* 6. attamen in Canonicatibus simplicibus non inducitur propterea ipso jure privatio, sed Canonico non suscipienti Ordinem requisitum

sub-

subtrahenda erit dimidia pars distributionum quotidianatum, & crescente contumacia per sententiam demùm privari poterit. *Clem.2.h.tit.* Barb. *in Tractatu de Canonicis, & dignitatibus c.16.n.*10.*&* 20.

37 Quæstionem hoc loco movent Doctores, an accipiens Canonicatum sine intentione suscipiendi illud Ordinem, qui Canonicatui annexus, peccet, & teneatur ad restitutionem fructuum, si v. g. posteà Canonicatum resignet non suscepto Ordine? Aliqui simpliciter utrumque affirmant, propter textum *in d.c.commissa §.cæterum, de Electione in 6.* qui licèt de Parochiali Ecclesia loquatur, eadem tamen est ratio de Canonicatu, agitur enim contra mentem fundationis, & collationis beneficii, ideòque non tam ex pœna, quàm ex defectu justi tituli videtur talis Canonicus privari fructibus.

Alii contra sentiunt, peccatum quidem mortale tali casu committi, sed non esse obligationem restituendi, secundùm receptum Juristarum axioma, quòd lex pœnalis non extendatur ultra casus expressos. Utramque sententiam distinctionis fœdere conciliat Barb. *d.c.16.n* 22. ut prior procedat, si quis ab initio positivam & fraudulentam intentionem habeat, vel habuerit non suscipiendi Ordines, sed perceptis fructibus post aliquod tempus à Canonicatu recedendi. Facit textus *in d.c.commissa*, ibi: *cum eos receperis fraudulenter*. Altera verò sententia obtineat, si quis non habuerit simpliciter intentionem non suscipiendi, sed tantùm differendi usquedum per superiorem cogeretur.

38 Denique in *sæpè dicto cap.12.* Trident. hortatur S. Synodus, ut in Provinciis, ubi id commodè fieri potest, dignitates omnes, vel saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus conferantur tantùm Magistris & Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel jure Canonico.



TITULUS XV.

De Sacra Unctione.

SUMMARIA.

1 *Unctio sacra quando adhibeatur, & de antiquissima ejus traditione.*
2 *Oleum simplex & Chrisma cur ab Ecclesia consecrentur?*
3 *Unctio Sacerdotum non est de substantia Ordinis.*
4 *Unctio Imperatoris & Regum hodie fit in brachio.*
5 *Imperium Romanum quomodò ad Germanos translatum?*
6 *De Electione Imperatoris.*

1 QUia Presbyteri in sua Ordinatione Chrismate unguntur, propterea in tractatu de Ordinibus intromiscetur hic tit. in quo de diversis sacris unctionibus in Ecclesia Catholica fieri solitis tractatur.

Impenduntur hujusmodi unctiones in Baptismo, Confirmatione, Consecratione Episcopi, Ordinatione Sacerdotum, in Coronatione Imperatoris, & Regum, in extrema Unctione, consecrationibus Ecclesiarum, Altarium, & vasorum sacrorum. De singulis his unctionibus licet textus apertos sacræ Scripturæ non habeamus, antiquissima tamen, & ab Apostolis continuata ejus rei Ecclesiæ Catholicæ est traditio, ut dubitare fas non sit, quin ex instituto Christi, vel ex instinctu Spiritus Sancti per Apostolos in Ecclesiam introductæ sint; non enim omnia quæ fecit Christus, scripta sunt in lib. Evangeliorum, teste Joanne Evangel. *c. Ultimo v.* 25. quemadmodum & plures fidei articulos, & imò ipsam sacram Scripturam, quòd talis sit, ex traditione & authoritate Ecclesiæ magna ex parte probare debemus, uti supra *in Tit.4. de Consuetudine: in princ.* diximus. Sanè oleum sacrum fuisse in Ecclesia tempore Apostolorum, probatur luculenter ex Epistola S. Jacobi *c.* 5. vers. 14. Ibi: *Infirmatur quis ex vobis inducat Presbyteros Ecclesia, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, &c.*

2 Consecratur autem per Ecclesiam in primis *Oleum Olivarum simplex*, quod *oleum Catechumenorum, & infirmorum* appellatur, quia per id baptizandi, & infirmi agonizantes unguntur. Deinde conficitur *Chrisma ex oleo, & balsamo*, quod etiam adhibetur in Baptismo, Confirmatione, Consecratione Episcopi, Ecclesiæ, Altarium. Habent istæ unctionum materiæ suas mysticas significationes, nam per *oleum* nitor bonæ conscientiæ significatur, juxta illud Evangelii: *prudentes Virgines acceperunt oleum cum lampadibus*. Item & promptitudo ad pugnandum pro fide Catholica, & contra inimicos invisibiles, prout olim ad luctam inungebantur Athletę: per *balsamum* verò odor bonæ famæ intelligitur, secundùm illud Apostoli. *Christi bonus odor sumus, & Ecclef. 24. v.20. Sicut balsamum aromatizans odorem dedi, &c.*

Solemnitates porrò & modos unctionum ex Pontificali & Pastorali libro desumere oportet; & mysticam rationem ac internam, & Spiritualem unctionum operationem disertè describit Pontifex *in c. unico h.t.* Omissis aliis unctionibus ad alios titulos pertinentibus, hic de unctione Sacerdotum, ac Imperatoris, & Regum breviter aliquid dicemus.

3 Ad unctionem Sacerdotum in manibus eorum per Episcopum fieri solitam, sciendum est, non esse de substantia Sacramenti Ordinis Sacerdotalis, sed esse tantùm de necessitate præcepti, & Ecclesiæ Cæremoniam: potestatem autem Sacerdotalem per aliam materiam & formam conferri: nimirùm *potestatem consecrandi* per traditionem calicis cum pane, & illa verba: *Accipite potestatem offerendi Sacrificium Deo*; & potestatem *remittendi peccata*, per impositionem manuum cum illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata &c.* quare si contingeret, per infirmitatem ordinati, vel ordinantis impediri unctionem, non propterea tota ordinatio nulla, & reiteranda esset, sed illa tantùm Cæremonia unctionis supplenda foret, ut *in titulo sequenti* explicabimus.

4 Circa unctionem Imperatoris & Regum (propter quam Imperator *Sacratissimus* dicitur) notandum est in primis, in Veteri quidem Testamento Reges unctos fuisse in capite, hodie verò post Adventum Christi, qui Caput est Ecclesiæ, cujusque personam Pontifices repræsentant, tantùm Pontifices & Episcopos ungi *in capite*, Principis autem unctionem *ad brachium* esse translatam, per *brachium* enim Principatus, & Regimen congruè denotatur, prout Samuel poni fecit armum in convivio ante Saul, quem unxit in Regem, 1. *Reg* 9. Ungitur autem Imperator à S. Pontifice, vel cui is commiserit *c. venerabilem* 34. *de Elect.* Reges verò à suis Metropolitanis. Sicut refert Hostiensis *in Summa hoc tit. n.8.* quòd olim Reges Germaniæ unxerit Archiepiscopus Coloniensis, Reges Angliæ Cantuariensis.

5 Sciendum quoque *ex d. c. venerabilem* quòd Imperium Rom. per Leonem III. summum Pontificem à Græcis ad Germanos in Personam Caroli Magni translatum fuerit: nam quia tunc temporis Græci Imperatores Ecclesiam Romanam in Occidente à Longobardis, aliisque hostibus infestam partim non potuerunt, partim Hæretici noluerunt defendere, necesse fuit alium Ecclesiæ defensorem, & patronum inquirere, quam defensionem victoriosè præstitit Carolus Magnus origine & sanguine Francus propè Moguntiam natus, ideoque Romæ à Leone III. In die Natalis Domini Anno Christi DCCC. Imperator declaratus, salutatus, & coronatus est. Annal. Eccl.Cæs. Baron. *anno Christi* 800. Gloss *in d.c. venerabilem* Bellarm. *de Transl. Imper. lib.* 1. Quòd autem Summus Pontifex habeat jus in mundo supra Imperatorem, & sit *constitutus super gentes, & regna, ut evellat, & dissipet, & ædificet, & plantet*, quatenus agitur de salute animarum & recta Ecclesiæ gubernatione, in Titulo *de Majoritate & Obedientia* traditur. Hinc etiam est, quod *Sacrum Imperium Romanum* dicatur, non solùm quòd per successionem à Romanis Imperatoribus Julio, Augusto, & cæteris acceptum sit, sed etiam quòd Imperator speciali obligatione, & juramento Ecclesiæ Romanæ Advocatus & Patronus habeatur. *Clem. Romani de Jurejurando d. cap. venerabilem*. Eoque sensu *in c. die 15. de Consecratione, dist.* 5. & in Gloss. *in d.c. venerabilem in V. transtulit*. Teutonici di-

cun-

cuntur habere *Regimen Ecclesiæ Romanæ*, scilicet in temporalibus.

6 Præterea summus Pontifex jus eligendi Romanorum Regem & Imperatorem (qui sit unus ex Germanorum gente, & familia, neque hæreticus, aut excommunicatus vel aliàs ad regendum inhabilis, Text. & Abb. *in sæpe d. c. venerabilem*) Principibus Germaniæ concessit, fuitque hoc jus Electionis ab initio penes omnes Principes, deinde successu temporum ob difficultatem conventionis ex Principum consensu ad VII. Electores restrictum est. Videatur Baron. *in Annal. Ecclesiast. Anno Christi 996.* sibi verò Pontifex examen, confirmationem, coronationem, & unctionem Electi Imperatoris reservavit: item etiam, ut si Electio de duobus in discordia contigerit, & Electores admoniti præfixo termino non convenerint, litem dirimere, & alterutri Electo favere possit. Non tamen videtur ob Electionem indigni, v. g. excommunicari, aut aliàs inhabilis jus eligendi pro ea vice amissum, & ad Papam pertinere, sicut in Electione Prælatorum Ecclesiasticorum: nam hoc in Electione Imperatoris non reperitur statutum, nec in pœnalibus debet fieri extensio, nisi Electores moniti nollent aut diu differrent alium eligere. Plura in hac materia ex jure publico, & Aurea Bulla Caroli IV. desumenda sunt.



TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

SUMMARIA.

1 *Quæ Sacramenta nequeant iterari?*
2 *Character quid?*
3 *Irregularitas quæ contrahitur ex rebaptizatione, an etiam ex iterata Confirmatione?*
4 *Chrisma an sit de substantia Confirmationes?*
5 *Si in confirmatione pro Chrismate oleum fuerit adhibitum, qualiter debeat hic defectus suppleri?*
6 *Manuum impositio in ordinatione Presbyteris omissa qualiter supplenda.*
7 *Conciliatur* cap. 1. hoc tit. *cum* cap. Subdiaconus dist. 23.

1 TRia sunt ex Sacramentis, quæ *Characterem* invisibilem in anima suscipientis imprimunt, nimirum *Baptismus, Confirmatio, & Ordo*, ac propterea sine sacrilegio reiterari non possunt, Trid. *Sess. 7. Can. 9.* Quòd si verò in eorum collatione aliqua cæremonia, quæ non est de substantialibus, omissa sit, illa proximo tempore supplenda erit.

2 Est autem Character, quem dicta Sacramenta imprimunt, *signum Spirituale, & indelebile animæ impressum, quo suscipiens Christo duci Principi, summoque Sacerdoti unitur & in illius Servum, Militem, Ministrum ad divinum cultum deputatur, & consignatur: Baptismo* namque consignatur in servum Christi, & domesticum Dei: *confirmatione* in militem, ad confirmandam, tuendamque illius fidem: *Ordine* deputatur in dispensatorem mysteriorum Dei; cujus rei testimonium habemus apud Apostolum 2. *ad Corinth. 1. vers. 22.* ibi. *Qui unxit nos Deus & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* & ad *Ephes. 3. vers. 30. Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in diem Redemptionis.* Ubi per *signationem*, de qua loquitur Apostolus, SS. Patres & Ecclesiæ Doctores unanimiter *Characteris impressionem* intelligunt.

Cætera Sacramenta, nimirum *Pœnitentia, Eucharistia, Matrimonii, & Extremæ unctionis* reiterabilia sunt; tum quia Characterem non imprimunt; tum quia propter fragilitatem humanam illis sæpiùs indigemus.

3 Dubitatur I. Utrùm sicut ex reiteratione Baptismi baptizans, & baptizatus fiunt irregulares, quominùs ad Ordines promoveri possint, *c. 2. de Apostatis c. qui in qualibet 10. caus. 1. quæst. 7. cap. eos quos 118. de Consecr. dist. 4.* ita etiam ex reiteratione *Confirmationis* (ut sæpè apud plebejos contingit) vel *Ordinis*? Affirmativè ex paritate rationis quidam respondent cum Navarr. *in Manuali c. 27. n. 247.* Negativa tamen ferè communior est, quia irregularitas non ex paritate rationis tanquam pœnalis, sed ex textu expresso desumenda est *c. is qui 18. de Sententia excom. in 6.* Covar. *in Relect. Clem. si furiosus in princ. primæ partis n. 8. de Homicid.*

Utrùm autem irregularitas ex Baptismo reiterato, etiam ab ignorantibus contrahatur? videantur pro utraque sententia Navar. & Covar. *cit. locis* & Layman. in Theol. mor. *de irregularitate c. 2. n. 2.* ut propterea in casu contingente ad cautelam Episcopus tanquam in jure dubio dispensatione, vel declaratione uti possit, per ea, quæ tradit Garcias *de Beneficiis par. 7. c. 2. n. 10.*

Dubitatur II. Utrùm *Confirmatio* reiterari debeat, si 4
Episcopus per errorem non *Chrismate* sed *oleo benedicto* confirmandum unxerit? Nihil tali casu esse iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuit omissum, expressè respondit Pontifex, *in cap. 1. hoc tit.* Unde plerique Canonistæ inferunt, non esse de essentia Sacramenti Confirmationis, sed tantùm de necessitate præcepti, quòd confirmandus præcisè *Chrismate* & non *Oleo* ungatur, aliàs propter omissionem *Chrismatis Confirmatio* nulla, & omninò reiteranda foret. Navar. *in Manuali c. 22. n. 8.* Covar. *Variar. Resolut. l. 1. c. 10. n. 4.* Sed inquies, suppletio in hoc casu solo *balsamo* fieri non potest, quia hoc esset contra morem Ecclesiæ, ut quis solo *balsamo* ungatur, & balsamum non commixtum oleo non est Chrisma, & consequenter primùm *oleo*, & deindè *balsamo* separatim unctus, necdum dicetur *Chrismate* unctus; si verò *Chrisma* denuò adhibeatur, erit utique reiteratio Sacramenti? Respond. hanc suppletionem faciendam esse per Inunctionem Chrismatis, sed verba *Confirmationis* vel adhibenda non esse, sicut videtur tenere Covar. *cit. loco* vel adhibenda esse sine intentione tamen reiterandi Sacramentum, & solummodò cum intentione *supplendi defectum*, ubi docet Navar. *h. t. Consilio primo in fine.*

Dubitatur III. quomodo intelligendum sit, quod *in c. fin. hoc tit.* dicitur, si in ordinatione Presbyteri *manus impositio* omissa sit, nihil innovandum, sed illam tantùm supplendam esse, cùm tamen *manus impositio* non sit mera cæremonia, sed materia & substantiale quid illius ordinationis, qua Sacerdoti datur potestas remittendi peccata? Duæ responsiones adferuntur: primò quòd non sit reiterandum totum Sacramentum Ordinis, sed supplenda illa tantùm *manuum impositio* omissa, quia Sacerdotium ex duabus partialibus ordinationibus perficitur: per primam *cum traditione Calicis, & patena* datur potestas in *Corpus Christi verum*, scilicet consecrandi illud: per alteram *cum impositione manuum* datur potestas in *Corpus Christi mysticum*, scilicet *ligandi & solvendi &c.* Hæc posterior potestas quamvis sine illa consistere nequeat, sed eam necessariò præsupponat, illa tamen potestas consecrandi potest stare sine hac posteriori, prout Christus utramque potestatem diversis temporibus contulit, illam in *Cœna*, istam post resurrectionem suam. *Jon. 20.* 5

Altera responsio est, quòd *cap. fin. hoc tit.* loquatur de 6
manuum impositione, quæ in prima particulari ordinatione ante traditionem calicis & patenæ adhibetur, quæ tantùm cæremonia est, & nihil substantiale.

Dubitatur IV. quomodo *in cap. Subdiaconus 15. dist.* 7
23. dicatur, Subdiaconum non accipere manus impositionem, cùm tamen contrarium asseratur *in cap. 1. hoc tit.* Respond. quòd Subdiaconus non accipiat manus impositionem consecratoriam, seu per quam ipse Ordo confertur, sed benedictoriam. Gloss. & Panor. *in d. cap. 1. hoc tit.* Alii putant errore Typographorum *in eodem cap. 1.* pro Diaconatus scriptum esse Subdiaconatus, & ita ex quibusdam Exemplaribus demonstrari posse. Barb. *ibidem sub n. 1.*

TITU-

TITULUS XVII.

De Filiis Presbyterorum ordinandis vel non.

SUMMARIA.

1 *Filius Presbyteri etiam legitimus vel legitimatus non potest succedere in beneficio patris.*
2 *Illegitimi quamvis ad Ordines dispensati, non possunt habere etiam dissimile beneficium, in eadem Ecclesia, ubi Pater habuit, nec quovis modo ministrare.*
3 *An successio in beneficio etiam respectu Patris, collateralium & nepotum interdicta sit? & quid speciale in resignatione ex Bulla Pii V.*
4 *Nepotes ex filiis illegitimis Presbyt. an eodem jure censeantur, quo filii?*
5 *Expositi possintne admitti ad Ordines?*
6 *Quis possit cum illegitimis dispensare ad Ordines & beneficia.*
7 *Dispensatio super Natalibus & beneficiis per illegitimum obtinendis est stricta interpretationis.*
8 *Illegitimus dispensatus ad Ordines, an censeatur dispensatus ad beneficium.*
9 *Cum illegitimis an dispensare possit Episcopus, quando illegitimitas est occulta.*
10 *Legitimati an sint ad Ordines admittendi.*

AGitur in hoc tit. generaliter de *Illegitimis*, quatenus Irregulares, & ad sacros Ordines inhabiles sint; tùm quòd reputentur personæ viles, quibus indignum est conferri Clericalem, & sacerdotalem dignitatem; tum ad execrationem paterni delicti, cujus memoriam continuò per liberos in Ecclesia repræsentari indecens est; tum denique quòd paternæ incontinentiæ imitatores existimentur. Syl. *Verbo Illegitimus num.* 1. Materiam istam totam aliquot quæstionibus magis practicis explicabimus.

1 Quæritur I. quare hic titulus *de filiis Presbyterorum* inscribatur, cùm tamen non solùm isti, sed alii quicunque illegitimi à sacris Ordinibus excludantur? Respond. quòd in *Capitulis* sub hac Rubrica positis potissimùm agatur de filiis Presbyterorum, non tantùm quatenus illegitimi & inhabiles sunt ad Ordines, sed etiam quatenus legitimi (puta ante Clericatum ex uxore legitima nati) legitimati vel dispensati non possunt obtinere beneficium, quod pater eorum immediatè ante (secus si media aliqua persona extranea intercesserit, *c.7. hoc tit.*) habuit, ne successio quasi hæreditaria in beneficiis introducatur, cùm impiorum illa vox sit, *hæreditate possideamus Sanctuarium Dei Ps.82. v.13. c. ad extirpandas*, 11. *& passim, hoc tit.*

2 Specialiter, ut paternæ incontinentiæ memoria à locis sacris, quæ maxima puritas sanctitasque decet, arceatur, circa filios Clericorum illegitimos, quamvis ad Ordines dispensatos, constitutum est, ut in Ecclesia, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, aut in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare (ne quidem ut musici simplices. Card. declaratio apud Garciam *de Beneficiis, p.7. c.3. num.68.*) nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere valeant, *c.2. cùm decorem*, 15. *c. ad abolendam*, 16. *h. tit.* Tridentin. *Sess.25. de Reformat. c.15.*

3 Quæritur II. an à successione in beneficio non tantùm filius, sed etiam pater, frater vel nepos prioris beneficiati excludatur? Ratio dubitandi est, quòd etiam his competat hæreditaria successio *Juxta Nov.* 118. Respond. de patre, fratre, aliove collaterali communiùs receptum esse, non excludi, eò quòd jura de his non loquantur, & aliàs odiosa, & restringenda sint. Neque jus successionis ita propriè in ascendentibus, & collateralibus sicut in descendentibus (quos ipsa naturalis ratio ad successionem vocat. *L. cùm ratio, 7. ff. de Bonis damnatorum.*) esse intelligatur. Barb. *in Collect. ad d. cap.15. Trident. n.7. & 8.* De nepote est aliqua distinctio facienda, nimirum, ut non possit ei beneficium conferri, si suo patre mortuo immediatus hæres Avi sit; tunc enim propriè jure hæreditario veniret, & haberet locum, quod dicitur: appellatione filiorum etiam nepotes contineri; possit autem conferri, si beneficium avi petat, patre suo vivente: quia tunc in gradu remotior id jure hæreditario petere non censeretur. Innoc. *in c. ad extirpand. h. tit.* Zoes. *eod. tit. n.10.*

Quid verò speciale sit, circa beneficia resignata, ut ea non possint consanguineis admittentium conferri, videatur Bulla Pii V. *Quanta*. Et licèt Bulla tantùm utatur termino *admittentium*, admittere autem resignationem, & resignare, utique diversa sint, præsertim in materia odiosa & juris communis ac Ordinariorum restrictoria, possitque specialis ratio esse circa admittentium consanguineos, ne in favorem illorum directè vel indirectè adigatur quis ab ipsis admittantibus ad resignandum; nihilominus apud Garc. *de benef. p.9. c.2. n.211. & p.11. c.3. n.266.* refertur declaratio Cardinalium, in qua pro termino *admittentium* ponitur, *vel suis resignantium consanguineis &c.* quia verò illa Bulla habet plura alia Capitula, nimirum ut resignationes beneficiorum non nisi ex causis ibi expressis admittantur; item ne vel signo aut nutu successor in beneficio resignato denotetur &c. quæ non ubique practicantur; hinc eam non ubique receptam esse tanquam Ordinariorum facultates multum restringentem testatur Zypæus in *Annal. Jur. Pon. Tit. de Renuntiatione, sub n.* 1. & supponit Paulus Laym. *in Theol. mor. de benef. Eccles. c.17. sub n.6.* qua de re videri poterunt, quæ superiùs *in Proœmio, & in Tit. de Constitut.* de authoritate ac receptione Bullarum extravagantium, & declarationum Card. dicta sunt.

Quæritur III. quid de nepotibus ex filiis illegitimis Presbyterorum dicendum, anne idem, quod de filiis eorum mox dictum est. Constitutionem Concilii Trid. *d. c.15.* non comprehendere nepotes Presbyterorum ex filio illegitimo, docent quamplurimi apud Barb. *in Collect. ibidem n.6.* citati, eò quòd in materia pœnali appellatione liberorum non veniant nepotes, sed solùm in materia favorabili, ex doctrina Bartholi *in L. liberorum*, 220. *ff. de Verborum signific.* Alii è contra apud eumdem Barb. contrarium tenent putantes, nepotes quoscumque etiam legitimos (id est à filio illegitimo ex legitimo matrimonio natos) comprehendi. Et hæc sententia videtur mihi menti legis conformior, saltem eo casu, quo avus adhuc viveret, in eadem Ecclesia beneficium aliquod obtineret; vigeret enim tunc ratio Concilii *ut paternæ incontinentiæ memoria, quam longissime arceatur.* Ad rationem prioris sententiæ dici potest, constitutionem Concilii non esse tam in pœna, quàm in decentia & honestate congruente locis sacris fundatam. Videatur Garcias *de Beneficiis, p.7. c.3. n.21.* 4

Quæritur IV. Utrùm *expositi* seu in plateis aliisve locis reperti, quorum parentes ignorantur, sint legitimi, & habiles ad Ordines suscipiendos censendi? Quidam affirmant cum Felino *in c. cùm deputati*, 16. *de Judiciis n.* 8. Paleoto, *in Tractatu de filiis nothis c.63.* Piasecio *in Praxi Episcoporum par.1. c.1. n.27.* tum argument. *d. cap. cùm deputati*, tum quòd in dubio pro legitimitate filii tanquam pro parte favorabiliori præsumatur. Verùm negativa probabilior videtur, eò quòd præsumptio in dubio desumatur ex illis, quæ communiter, & quasi certò accidunt; communiter autem, & ordinariè quotidiana experientia teste accidit, ut illi tantùm exponantur, qui ex illegitimis congressibus nati sunt. Nec obest *d. c. cùm deputati*, quia loquitur de toto alio casu, & ubi agitur non tam de quæstione natalium legitimorum, quàm de patria & ætate, ut ex Gloss. *ibidem, in V. nationis*, apparet. Ad rationem allegatam Respond. eam in primis absolutè veram non esse teste Alciato, *in Regula 3. de Præsump. n.12.* & deinde unam præsumptionem per aliam fortiorem elidi, *c.4. de Procurat. l. divus, 7. ff. De in integrum. rest.* pro hac opinione videatur Covar. *in Relect. Clem. si furiosus, de homic. p.1. in princip. n.9.* Garc. *d. par.7. c.2. num.8.* Fatetur quoque Piasecius, *d. loco in fine*, hanc posteriorem sententiam esse communem, & se vidisse in curia pro expositis dispensationes ad Ordines expediri. 5

Covar.

Covar. tamen *cit. loco*, putat, propter authoritatem DD. prioris sententiæ, expositum aliquem de facto promotum in Ordinibus administrandis tolerari posse.

6 Quæritur V. Quis possit cum illegitimis dispensare? Respond. cum irregularitas hæc humani potiùs, quàm naturalis juris sit, aut divini, ideò dubitandum non est, quin S. Pontifex circa eam dispensare possit, & soleat, *cap. innotuit* 20. *de Elect.* & quidem ad *sacros Ordines*, & majora sive curata beneficia regulariter nulli alii dispensatio competit, quàm Papæ, & cui is speciali privilegio concesserit, sicut Nuntiis suis, & Legatis concedere soler. Ad *minores* autem Ordines, & beneficium simplex etiam Episcopus dispensare potest, *c.* 1. *hoc tit. in* 6. & sede vacante etiam Capitulum, quod in jurisdictionem Episcopi succedit. Navar. *Consilio* 7. *hoc tit.* Declarant verò Doctores *d. c.* 1. *h. tit. in* 6. tantùm procedere in beneficiis simplicibus minoribus, non autem majoribus, scilicet dignitatibus, personatibus; & similibus, licèt curam animarum actu non habentibus. Imò nec in Canonicatibus Cathedralium Ecclesiarum plerique admittunt; qui propter specialem prærogativam majoribus beneficiis accensentur, *arg. c. quamvis* 4. *de Prabendis in* 6. *c. statutum* 15. *de Rescriptis*, *in* 6. præsertim hodie post Trid. ubi Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum requirunt sacrum Ordinem, ad quem Episcopus cum illegitimis dispensare non potest. Barb. *de Officio Episcop. p.* 2. *Alleg.* 46. *n.* 19.

7 Quæritur VI. An dispensatio Pontificia cum illegitimis sit latæ vel strictæ interpretationis? Respond. ex communi sententia esse strictæ; quia relaxat juris vinculum, quod optimis rationibus in principio hujus tit. adductis illegitimos ordinari prohibuit; ideoque dispensatio simpliciter ad beneficia non intelligitur de beneficiis curatis vel dignitatibus, & probabiliter nec etiam de Canonicatibus, nisi quatenus specialiter fuerit expressum; & dispensatio simpliciter prolata super curatis non intelligitur de dignitatibus, vel etiam Canonicatibus Cathedralium Ecclesiarum. Barb. *d. loco n.* 7. *& seqq.* est enim circa hæc beneficia specialis ratio indecentiæ, quòd in dignitate aut cura animarum sit, cui macula illegitimæ nativitatis, & præsumptio incontinentiæ adhæret.

8 Utrùm autem dispensatio simpliciter ad sacros Ordines, extendatur saltem etiam ad beneficia? diversæ sunt opiniones. Negativa multis placet, *arg. c.* 2. *hoc tit.* & quòd in his, quæ separabilia sunt dispensatio non trahatur de uno ad alterum. Garcias *de Beneficiis p.* 1. *c.* 6. *n.* 70. Affirmativa tamen videtur mihi probabilior cum Abbate *in c. ult. h. tit. n.* 2. quia dispensatio licèt sit strictæ interpretationis, debet tamen explicari secundùm verisimilem mentem dispensantis; verba enim debent intentioni deservire, *c. Secundò requiris*, 41. *de Appellat.* qui ergo vult posse aliquem suscipere sacros Ordines, vult etiam posse habere beneficium, ne cogatur mendicare. Et si Episcopus potest conferre illegitimo beneficium, qui est in minoribus, juxta *c.* 1. *h. tit. in* 6. ergo multò magis poterit, si sit in majoribus, quia iste pro sustentando statu Clericali, à quo ampliùs recedere non potest, magis indiget. Non obest *d. c.* 2. nam fundatur in dolosa subreptione, ex qua litteræ subreptitiè impetratæ carent omni effectu, *cap. super litteris* 20. *de Rescriptis*. Rationi adjunctæ dicitur, quòd Ordo & beneficium sint quidem separabilia, *physicè* loquendo, non autem *canonicè*, cùm de Jure Canonico, nullus sine beneficio ordinari debeat. Trident. *Sess.* 21. *de Reform. c.* 2.

9 Quæritur VII. An saltem eo casu, quo illegitima nativitas est occulta, possit Episcopus ad sacros Ordines dispensare vigore Concilii Trident. *Sess.* 24. *de Reform. c.* 6. ubi Episcopis datur potestas dispensandi in omnibus censuris, & irregularitatibus ex delicto *occulto* (excepto homicidio voluntario) provenientibus? Quidam negant cum Navarr. *in Manuali c.* 27. *n.* 194. & Piasecio *in Praxi Episc. p.* 1. *c.* 5. *n.* 56. eò quòd irregularitas ista non proveniat ex delicto ipsorum illegitimorum, sed aliis caussis, ut dictum. Nihilominus affirmativa satis probabiliter sustineri potest cum Barb. *Jur. Eccles. univ. lib.* 5. *c.* 51. *num.* 556. cùm hæc irregularitas proveniat saltem mediatè ex delicto parentum illegitimi, & illa dispositio Concilii sit aliquod privilegium Episcopo concessum nemini præjudicans, adeoque latiùs interpretandum, *cap.* 4. *de Prabendis in* 6. *c. odia*, 15. *de R. J. in* 6. Non obstat, quòd dispensatio cum illegitimis sit strictæ interpretationis, ut præcedente quæstione explicatum; quia aliud est dispensatio, aliud privilegium dispensandi: nam potestas dispensandi concessa Episcopo concernit plurimum favorem, quorum interest, ne cogantur cum magnis impensis & molestiis Romanam curiam accedere pro dispensatione obtinenda. Videantur etiam ea, quæ in *Tit. de Major. & Obed.* §. 4. de dispensatione Episcoporum *ex d. c.* 6. *Trident.* competente dicentur.

Quæritur VIII. An illegitimè nati *legitimati* habiles sint ad Ordines suscipendos? Respond. I. Legitimatos per *rescriptum Principis*, vel *Comitem Palatinum* non posse absque dispensatione sacros Ordines suscipere. Panorm. *in c. venerabilem*, 13. *Qui filii sint legitimi*, *n.* 29. *Imperiali enim judicio non possunt Ecclesiastica jura* (prohibentia illegitimos ab Ordinibus) *dissolvi*, *c.* 1. *dist.* 10. & legitimatio per unum Principem facta non prodest quoad effectus, qui pertinent ad jurisdictionem alterius Principis, sicut in proposito ad cognitionem & jurisdictionem Ecclesiasticam. Fachin. *Lib.* 3. *Controver. c.* 58. 10

Dices: sicut Dominus per manumissionem servi tollit impedimentum ejus, & facit habilem ad Ordines, ut sequenti tit. dicemus, ita etiam Imperator legitimando illegitimum.

Respond. I. Irregularitatem servi non esse absolutam, sed tantùm respectu Domini ob præjudicium & interesse illius, secus irregularitas illegitimitatis; quæ se tenet absolutè ex parte personæ illegitimæ, & provenit ex aliis causis in principio tituli allegatis, quas dijudicare, an & quatenus obstent Ordinibus, vel num in tali persona attendendæ non sint, non est in potestate Imperatoris, vel Comitis Palatini, sed superioris Ecclesiastici.

Respond. II. Ad principalem quæstionem, *legitimatos per subsequens matrimonium* comparari legitimè natis, etiam quoad Ordines, & dignitates, *c. tanta*, 6. *Qui filii sint legitimi*. Gloss. & Panorm. *in c. innotuit*, 20. *de Elect.* sed de hac materia videri debent tradita *in lib. IV. Decret. in d. tit. Qui filii sint legitimi*.

TITULUS XVIII.

De servis non ordinandis, & eorum manumissione.

SUMMARIA.

1 *Servi qui dicantur?*
2 *Servo ordinato quid juris?*
3 *Quid si Religionem ingrediatur?*
4 *Regula*, quod semel DEO dicatum, &c. *qualiter intelligatur?*
5 *Servitus qualiter hodie sublata?*
6 *Adscriptitii, Originarii, & homines proprii, qui dicantur?*
7 *Filiusfam. an possit sine licentia Patris ordinari?*
8 *Filiifam. bona post Clericatum acquisita censentur esse quasi Castrensia.*

SErvi in jure dicuntur, non famuli, qui nobis pro annua mercede serviunt, & in sensu ac usu juris verè liberi sunt; sed qui jure gentium, contra naturalem libertatem dominio nostro subjiciuntur, cujusmodi erant, qui olim in bello capti, aut ex matre serva nati fuerant, sicut tradunt Doctores *ad tit. Instit. de Jure personarum*. 1

Servorum igitur Ordinatio prohibetur ad præjudicium & injuriam Domini; propterea si contingat, servum de facto ordinari, distinguendum in primis est, an sciente vel ignorante Domino id factum sit, si *sciente* & non *contradicente*, servus ordinatus statim liber efficitur; si *contradicente*, deponitur, & Domino restituitur, nisi jam in presbyterum sit promotus, tunc enim propter dignitatem Ordinis Sacerdotalis liberatur à servili conditione, & serviet domino in divinis tantùm officiis missas v. g. legendo &c. 2

Si ignorante Domino servus ordinatus sit ad minores Ordines, in servitutem revocatur: si ad majores, subdistinguitur, an Episcopus sciverit, servum esse, vel non? si scivit, statim fit liber, in officio permanet, & Episcopus tenetur Domino dare duos servos æquè bonos vel eorum æstimationem; si ignoravit Episcopus, tunc Subdiaconus, & Diaconus ordinatus vicarium (id est alium servum) sui loco Domino præstat, vel pretium, aut in horum defectu in servitutem revocatur. Sacerdos autem statim liber fit, sed peculium, si quod habet, amittit, idque Domino cedit; si peculium non habeat, serviet Domino in divinis. Perimitur autem hæc actio, quæ Domino datur ad repetendum servum post annum lapsum à die, quo scivit ordinationem factam. Videantur *textus hujus tit. & in tota dist.* 54.

3 Quid verò juris, si servus Religionem inscio Domino ingrediatur? Et quod intra triennium repeti possit manente nihilominus servo votis obligato (nisi Monasterii culpa scientis servitutem vel negligentis inquirere admissus fuerit servus ad professionem, quo casu non repetetur servus, sed præstabitur à Monasterio æstimatio ejus arbitrio boni viri) tradit Gloss. & Barb. *in c. 2. h. tit.* Miranda *in Man. Prælat. tom. 1. qu. 17. artic. 2.*

4 Prædictis non obstat, quod semel Deo dicatum non debeat ampliùs ad profanos usus transferri, *c. semel* 51. *de R. J. in 6.* cui objectioni respondetur apud Barb. *in d. c. 2. n. 5.* quòd tantùm procedat in inanimatis consecratis, in quibus consideratur consecratio in superficie, ut à Laicis contingi non debeant. Sed meliùs mihi videtur dici posse, quòd regula procedat in illis, quæ pleno jure Deo dicata, ab eoque acceptata fuerunt; consecrationem autem, votum, & oblationem personæ in alterius dominio constitutæ, censetur quidem Deus acceptare, in quantùm persona sibimet præjudicare potest, non autem in præjudicium alterius sive Domini.

5 Porrò licèt hodiernis Christianorum moribus servitus usitata non sit, nisi circa eos, qui ex Barbaris, aut infidelibus capiuntur, qui quidem à nobis, & nostri apud ipsos capti pro servis ab ipsis habentur, nostros autem ab infidelibus captos à nobis quoque quoad effectum juris v. g. amissionem testamenti factionis, patriæ potestatis &c. de consuetudine pro servis haberi non crediderim, ob dignitatem Christiani nominis, & ne ipsi videamur tyrannidi infidelium subscribere, quidquid olim de jure Romano receptum fuerit.

6 Extenditur tamen hæc juris Canonici dispositio secundùm terminos habiles, & quantùm fieri potest saltem ad interesse Domini resarciendum etiam ad *adscriptios*, qui alicui fundo colendo in perpetuum adscripti sunt, & *originarios*, qui ex talibus adscriptitiis nati sunt (de quibus *in tit. C. de Agricolis. Censitis, & Colonis*) omnesque illos, qui alicui conditioni perpetuò obligantur, *c. quis aut leges*, 11. *c. generalis*, 12. *c. admittuntur*, 21. *c. fin. & ibi Gloss. d. dist.* 54.

Præsertim verò videtur comprehendi illud genus servorum, quod in quibusdam Germaniæ partibus reperitur, quos proprios homines vel mancipia, *Leibeigene* vocamus. Plerique enim istos homines *adscriptitios*, vel *originarios*, aut saltem de eorum natura participantes existimant teste Gail. *Lib. singul. de Pignorat. observat.* 8. *n.* 1. unde & praxis est, ut tales homines consensum suorum Dominorum, vel aliquam manumissionem, id est liberationem in scriptis Episcopo exhibere debeant.

7 Quid demùm de filiofamilias dicendum, an is sine licentia patris ad sacros Ordines promoveri valeat? Respond. utique valdè decens esse, ut filius consensum patris requirat; interim tamen patrem impedire non posse, quin filius ordinetur, quia hoc in jure Canonico statutum non reperitur, neque etiam de jure Civili tanta est patri concessa potestas; imò si concessa foret, tanquam disponens de re Ecclesiastica, attendi non deberet. Et probat simile, quòd Religiosus sine patris sui spiritualis, Abbatis scilicet, obtenta venia possit zelo Religionis ad strictiorem Ordinem transire, *c. licet*, 18. *de Regular.*

8 Illud quoque observatione dignum est, quòd ex speciali privilegio à Justiniano Imperatore Clericis indulto omnia bona post Clericatum à filiofamilias acquisita in numerum *quasi Castrensis peculii* redacta sint, ita ut de his liberè disponere & testari valeant *auth. Presbyteros. C. de Episcopis & Clericis*, quamvis de cætero, & quoad bona prius acquisita, Clericatus (excepta dignitate Episcopali) à patria potestate non liberet *L. Sacrosancta*, 34. *cum auth. seq. C. de Episc. & Cler.*

TITULUS XIX.

De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non.

SUMMARIA.

1 *Obligati ad ratiocinia qui, & cur ab Ordinibus prohibeantur?*
2 *Clerici possunt esse tutores & curatores miserabilium personarum.*
3 *Satisfactio tollit impedimentum obligationis.*
4 *Sponsalia an impediant Ordinationem.*

O*Bligati ad Ratiocinia* dicuntur, qui generalem ali- 1
quam administrationem habent, vel habuerunt, & inde principalibus suis ad reddendas rationes tenentur, quales sunt Procuratores, actores, executores, tutores & similes, qui omnes ante redditas rationes, & plenam liberationem à suis principalibus obtentam ordinari prohibentur; partim quòd magis intentione fugiendi ratiocinia, & forum Civile, quàm amore religionis ad clericatum transire præsumantur; partim etiam quòd infamaretur Ecclesia, & exosa fieret, si tales in suum gremium cum principalium damno reciperet, qui essent ære alieno, & magnis litibus obnoxii, Clerici enim facti ad forum civile ampliùs trahi, & plena executio contra eos fie- 2
ri non posset, sed *beneficium competentiæ*, & congrua sustentatio eis relinqui deberet *c. 3. de Solution. c. unico h. t.* Curam tamen gerentes miserabilium, aut Ecclesiasticarum personarum etiam in officio perseverantes rectè ordinantur: quia Clerici tutelam miserabilium personarum suscipere, & gerere possunt *c. pervenit. 26. dist. 86. c. in nova. 22. caus. 16. q. 7.*

Illi quoque ad ratiocinia obligati ab Ordinibus prohi- 3
beri non debent, qui principalibus suis idoneè caverunt, se satisfacturos, *vice enim solutionis est*, inquit Ulpianus *in l. rescripto 6. §. 1. ff. de Muner. & honor. ut quis aut pignoribus, aut fidejussoribus idoneè caveat.*

De eo controvertitur, qui alicui fœminæ sponsalibus 4
seu promissione matrimonii obligatus est, an illa invita possit ad Ordines admitti? Negativa probabilior est, quam tenet Sanch. *de Matrim. lib. 1. disp. 47. n. 3.* Ratio est, ex generalitate regulæ *in h. t.* traditæ, ut nemo cum gravi alterius præjudicio ordinetur; & speciale Religionis (utpote quæ morti naturali omnia solventi magis assimilatur) privilegium est, ut per ingressum ejus sponsalia & matrimonium ratum, etiam invita altera parte dissolvantur, quod non est Clericatui sæculari concessum, *Extrav. Antiquæ de Voto & voti redemp.*

Dices, sicut votum non obligat in præjudicium melioris boni, ita nec sponsalia in præjudicium status melioris, scilicet sacerdotalis. Respond. esse disparitatem: quia votum fit directè Deo, à quo non censetur acceptari in melioris boni præjudicium; sponsalia autem fiunt homini, à quo simpliciter acceptantur, & exinde simpliciter nascitur obligatio. Dices iterum, sponsalia habere tacitam conditionem, *rebus sic stantibus, & nisi notabilis mutatio interveniat, c. quemadmodum 25. de Jurejurando*, & sicut per votum simplex postea emissum ex sententia multorum Doctorum sponsalia solvenda sunt, ita etiam ex susceptione sacrorum Ordinum. Respond. dictam conditionem tacitam esse intellendam tantùm de mutatione casuali, non voluntaria, quam regulariter nemo potest ponere in alieni juris præjudicium. Unde etiam verius est, ne quidem votum castitatis simplex in præjudicium sponsæ valere, sicut docet Sanch. *d. l. disp. 46. n. 7.* non enim licet vovere ea, quæ in voventis potestate non sunt. Est tamen contraria sententia etiam non omninò improbabilis propter authores a Sanch. *dictis locis* allegatos.

TITU-

TITULUS XX.

De corpore vitiatis ordinandis vel non.

SUMMARIA.

1 *Corpore vitiati qui dicantur?*
2 *Debiles & deformes etiam aliena culpa ita facti prohibentur.*
3 *Claudicans an prohibeatur ordinari?*
4 *Quanta debeat esse debilitas vel deformitas in arbitrio est Episcopi.*
5 *Carens uno tantum oculo an sit irregularis?*
6 *Lusci aut oculum fictitium habentes an prohibeantur ab Ordinibus?*
7 *Mutilantes se ipsos, aut mutilationem sine causa justa procurantes in quacumque parte corporis sunt irregulares.*
8 *Non est licita castratio ad tuendam castitatem.*
9 *Mutilatus ex justa causa morbi, aut invitus alieno facto non est irregularis, si membrum non sit ad executionem Ordinis necessarium, vel inde resultet deformitas.*
10 *Castratus non tenetur partem abscissam in collo portare.*
11 *Insignis disputatio, an castratus propter vocem sit irregularis?*
12 *Castrationem propter vocem qui doceant esse licitam?*
13 *Contrarium probabilius.*
14 *Usufructuarius qualiter possit rem usufructuariam meliorare.*
15 *Vitiatus post susceptos Ordines quando debeat prohiberi a Ministerio.*
16 *Quid de Epilepticis & Energumenis?*
17 *Quid de Abstemio?*
18 *Quid de Hermaphrodito?*
19 *Cum mutilatis quis dispenset?*

1 Corpore vitiati regulariter ad Ordines admittendi non sunt *dist. 55. per totam & X. h. tit.* Sunt autem corpore vitiati in triplici differentia: alii enim sunt *debilitati*, alii *mutilati*, alii *notabiliter deformes*.

Debilitati dicuntur, qui membrum aliquod ad sacrum Ministerium necessarium inutile habent, aut qui continuo, & gravi aliquo morbo laborant. *Mutilati* dicuntur, qui aliquo membro carent. *Deformes* denique, qui enorme habent vitium; defectum vel maculam in exterioribus membris, unde sine notabili horrore, irrisione, vel scandalo conspici nequeunt.

2 *Debiles & deformes*, sive sua, sive aliena culpa debilitati aut deformati sint, non debent ad Ordines promoveri, ut satis probatur, *ex c. fin. dist. 55.* ubi Pontifex *Illi*, inquit, *cui erutus est oculus, non possunt secundum Canones Sacerdotii jura concedi, neque enim aliquid ei prodest, quòd oculum invitus amiserit, &c.*

3 Claudicatio tamen licèt videatur esse deformitas, non tamen impedit ab Ordinibus, dummodò claudicans ad solemnia Missarum baculo non indigeat *c. si quis 10. dist. 55. juncto c. nullus Episcopus 57. dist. 1. de Consecrat.*

4 Generaliter autem quanta debeat esse deformitas, vel debilitas, ut in casibus in jure non expressis causet irregularitatem, arbitrio Episcopi relinquitur. Innoc. & DD. communiter *in c. 1. & 2. h. tit. c. communiter 3. dist. 33.* Piasezius *in Praxi Episc. part. 1. c. 1. n. 36.*

5 Circa defectum oculorum adhuc quæritur, sitne distinguendum, an quis dextro vel sinistro oculo careat? Item an alteruter oculus planè erutus, an verò pupilla integra tantùm virtus visiva in illo destructa sit? R. I. quia oculus erutus præter defectum visus causat simul deformitatem, ideò de jure sive dexter sive sinister sit, irregularitatem inducit, *neque enim Canones aliquem casum in amissione oculi, qui ad Sacerdotium adipiscendum non impediret, suis expressisse regulis invenimus*, ait Pontifex *in d. c. fin. d. 45.*

Interim tamen siquis oculum sinistrum salvum & integrum haberet, (qui de stylo curiæ solet *oculus Canonis* appellari, quòd per illum Canon Missæ legi debeat) faciliùs à summo Pontifice dispensationem impetraret. Zoesius *hoc tit. n. 2.*

Respond. II. Qui oculum sinistrum bonum & videntem, dextrum autem integrum quidem, sed virtute visiva destitutum haberet, ex communi Doctorum opinione irregularis non esset. Imò id ipsum non improbabiliter procederet, si in solo oculo dextro videns sine indecora faciei ad populum conversione *Canonem Missæ* legere valeret. Barb. *Juris Eccles. univ. lib. 1. cap. 33. n. 140.* Navar. *in Manuali cap. 27. n. 199.*

Quid de luscis, aut tortos seu obliquatos oculos habentibus sentiendum? Respond. deformitatem istam arbitrio Episcopi considerandam esse, ita ut tales, si immodicam corporis inclinationem ad legendum requirerent, vel populo risum, aut illusionem causarent, admittendi non sint. Zoesius *hoc tit. n. 10.* 6

Quid de habente oculum fictitium, vitreum, lapideum; Putarem sine dispensatione facilè ordinandum non esse; quia revera oculus naturalis est erutus, & in Canonibus non ponitur hæc exceptio ob restitutionem oculi ficti, & deinde ille oculus artificialis facilè potest adverti, excidere, aut perire, & deficere occasio reparandi, ut appareat deformitas.

Inter *mutilatos* distinctio est facienda, an se ipsos mutilarint, vel mutilationem sine causa procurarint; an verò ab aliis casu aut ex causa necessitatis, infirmitatis, vel persecutionis sint mutilati? Priore casu, quòd quis mutilationem fecit sine causa, sive in magno, sive parvo membro etiam in parte cujuslibet digiti, ab Ordinibus arceri debet: neque enim in eo tam consideratur defectus, quàm sævitia, & mala voluntas ausa sibi ferrum injicere, *c. qui partem, 6. dist. 55.* sicut de illis frequentia etiam ponunt exempla Canones, qui non per disciplinam Religionis, & abstinentiam, sed per abscissionem Plasmati à Deo corporis existimantes, posse à se carnales concupiscentias amputari, castraverunt se qui sui homicidiæ, & Dei conditionis inimici vocantur, *c. si quis, 4. c. 5. & 9. dist. 55. c. significavit, 4. h. t.* 7

Posteriore casu, quando nimirum quis ex justa causa, vel certè alieno facto non affectato mutilatus est in tali membro, quod ad exercitium Ordinum necessariò requiritur, vel ejus defectus notabilem deformitatem inducit, ut amputatio manus, nasi &c. tali casu ordinari non debet, *c. exposuisti 6. hoc tit.* Si verò membrum sine culpa amputatum non impediat usum divini Ministerii, tunc nec etiam susceptionem Ordinum impediet; sicut exemplum habetur *in c. Thomas, 7. hoc tit.* ubi instrumentum ferreum alicui super dextræ pollicem fortuito cadens ab eo ungulam, seu priorem articulum avulsit: & deciditur ibidem, non esse impedimentum Canonicum, si mutilatus in reliqua parte pollicis sufficientem habeat ad frangendam hostiam fortitudinem. 8

Similiter, qui a Medicis propter ægritudinem, vel à Barbaris, aut Dominis suis inviti castrati fuerunt, aut Eunuchi nati sunt, ad Clericatus officium admittuntur, *cap. Si quis, 7. cum seqq. dist. 55. c. ex parte 3. X. hoc tit.* Vulgi autem error est, quòd castratus, si vel de jure, vel ex dispensatione ad sacros Ordines admittatur, debeat partem exsectam in pulveres redactam in collo portare, quia non ideò minùs foret integritate corporis, & virilitate destitutus, ut advertit Gloss. *in cap. Eunuchus 8. dist. 55.* Covar. *in Relect. Clem. Si furiosus de Homicid. part. 1. c. 1. num. 5.* 9

De eo dubitari posset, qui propter solam vocem musicam castratus est, an irregularis censeri debeat? vel an licita sit talis propter vocem castratio? 10

Et quidem quod attinet ad irregularitatem, si puer in cunis, vel ante septennium, & usum rationis, aut invitus per violentiam, aut dolum potu somnifero sopitus sectus esset, res minoris difficultatis foret, nam contra voluntatem secti non efficiuntur irregulares. At verò si sciens, volensque castratus aliquis fuerit, non satis constat, quid de jure respondendum sit, & tamen frequenter apud aulas Principum hæc quæstio movetur. Ferdinandus de Castropalao *in Opere suo* 11

mo-

morali, part. 6. puncto 12. *num.* 4. summariter insinuat, non videri improbabile, vocis retinendæ causa castratum irregularem non esse, eò quòd hæc irregularitas in jure statuta non legatur, aliunde autem constet, irregularitatem sine textu expresso induci non debere, *c. Is qui* 18. *de Sentent. excomm. in* 6.

12 Item addi posse videtur alia ratio, quòd ex sententia Pasqualigi, & Salonii, quos refert, & sequitur Caramuel *in Theologia fundam. fundamento* 45. *§.* 19. castratio propter vocem licita asseratur; tùm quòd suavis vox, maximè ad divinum cultum ordinata, sit perfectio corporalis, quæ pluribus membris, præsertim habita status consideratione minus necessariis præstat; tum quòd homo, licèt non sit *dominus* membrorum suorum. *L. liber homo* 13. *ff. Ad l. Aquil.* sit tamen *usufructuarius*, qui potest rem *usufructuariam* meliorem facere, v.g. inutiles arbores excidendo, meliores inferendo, &c. *L. si cujus rei* 13. *§. fructus* 4. *ff. de Usufructu.* tum denique, quòd talis castratio magnam utilitatem importet; promerendo Principum gratiam, & stipendia cantoribus præstari solita. Demum etiam juvat, quòd in castratis per se non videatur considerari aliquis defectus virilis formæ, aliàs nec invitè, vel ex causa ægritudinis incisi ordinari possent.

13 Verùm licèt diffiteri nequeam, hujusmodi castratum de facto ordinatum probabiliter tolerari, & ordinantem excusari ob adductas rationes posse, cùm & nonnunquam Episcopus in dubio jure dispensare valeat, ut alibi diximus: magis tamen existimo, in hoc casu simpliciter irregularitatem statuendam esse, ut etiam insinuat Salonius, apud Caramuelem *d. l.* Bonac. *de Censuris disp.* 7. *q.* 2. *n.* 34. Si enim voluntariè procurans incisionem propter castitatem servandam, & sic propter finem supernaturalem est irregularis, ut dictum; ergo multò magis propter utilitatem humanam, & finem minùs excellentem.

Deinde mutilatio sui illicita causat irregularitatem, sed mutilatio ob vocem servandam ex magis communi frequentiori Doctorum sententia est illicita, ergo: hæc minor propositio probatur authoritate Divi Thom. 2. 2. *q.* 65. *art.* 1. Dianæ *part.* 3. *Tract.* 5. *Resolut.* 38. *& part.* 6. *Tract.* 8. *Resolut.* 36. Bonac. *d. l.* & aliorum plurium apud hos & Caramuelem *loc. cit.* Item *in Novell.* 142. generaliter sub pœna talionis, & bonorum confiscationis prohibuit Imperator hominum castrationem sine causa necessitatis intentatam. Adde *L.* 4. *§.* 2. *ff. ad L. Corn. de Sicariis*. Ratio est, quòd cùm nemo sit membrorum suorum dominus, nemo potest in eorum abscissionem consentire, nisi quatenus id exigit conservatio totius corporis, vel membri principalis, & quia castratio importat præsens vitæ periculum, *ut in d. Novell.* dicitur, nemo potest se vitæ periculo sine causa necessitatis, aut Reipublicæ exponere. Aliæ rationes in resolutione contrariorum patebunt.

Igitur ad primum argumentum contrarium respondetur, suavitatem vocis muliebris neutiquam esse perfectionem corporis virilis, & evitationem plerumque apud homines rideri, & probro duci; quamvis autem suavitas vocis applicetur ad cultum divinum, non est tamen cultui divino necessaria; ut nihil dicamus, quòd fermè frequentiùs extra Ecclesiam, aut nonnunquam etiam intra ad lasciviam deserviat.

Ad alterum argumentum dicitur, de jure usufructuarium rem meliorem facere posse, si id faciat sine mutatione prioris status, non autem posse, auferendo rem etiam minùs utilem (quæ simpliciter & absolutè inutilis non sit, ut arbor arida,) & reponendo meliorem, quàm quatenus id gratum sit domino. *Textus apertus in corpore Gotofredi in l.* 7. *in fine, cum l. seq. & l.* 11. *ff. de Usufructu*, sed non videtur gratum Deo; qui est Dominus nostri corporis sine causa necessitatis mutilare partem corporis à se plasmati, cùm tales abscissores *Dei conditionis inimici* dicantur, *in sæpè d. dist.* 55. ergo.

14 Ad tertium reponitur, ex causa utilitatis temporalis, & lucri pecuniarii non licere amputare membrum, tum quòd nemo sit dominus membrorum suorum, quæ pro suo arbitrio pro lucro computare valeat; tum etiam quòd corpus liberi hominis non recipiat æstimationem. *L.* 3. *ff. Si quadrupes pauperiem. l.* 1. *§.* 5. *& l. ult. ff. de his qui effuderint, vel dejecerint.*

Cæterum si quis post susceptos Ordines vitiatus fuerit, sua culpa, aut facto proprio, ab Altaris Ministerio debet removeri, *cap. significavit* 4. *hoc tit.* si verò non sua culpa, sed alieno facto mutilatus, debilitatus aut deformatus quis fuerit, in illis poterit officiis ministrare, ad quæ propter talem vitiationem non est inhabilitatus, *c. Presbyterum*, 2. *de Clerico ægrot.* Garcias *de Beneficiis*, *p.* 7. *c.* 12. *n.* 101. 15

De *Epilepticis & Energumenis*, sive à Dæmonibus obsessis statutum est, ut tamdiu censeantur ab officio suspensi, usque dum unius anni spatio per discretionem Episcopi à malo suo inveniantur liberati, *cap. communiter* 3. *dist.* 33. *c.* 1. 7. *q.* 2. 16

Abstemius licèt ad Presbyterium ascendere nequeat, ex probabiliori tamen sententia ad Subdiaconatum vel Diaconatum reputandus non est inhabilis, quia inferiores Ordines dantur quidem in ordine ad ministerium Sacerdotii, sed non ad necessarium ascensum ad Sacerdotium. Ita plures sunt tituli Cardinalium, & plures præbendæ in Ecclesiis Cathedralibus, in quibus solùm Ordo Subdiaconatus sufficit. Zypæus *in Analysi Juris Pont. tit. de Ordinandis in num.* 12. Navarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 204. 17

Hermaphroditus, licèt, si in eo sexûs virilis, prævaleat, viris annumeretur, *L. quæritur* 10. *ff. de Statu hominum*, non tamen videtur ad Ordines admittendus propter moralem indecentiam & monstruositatem, cùm non sit vir simpliciter, sed naturam fœminæ participet. Navar. *dicto loco num.* 203. Videatur etiam Zoesius, *hoc tit. num.* 12. 18

Postremò *in hoc tit.* sciendum est, quòd cùm mutilatis vel deformatis irregularibus ordinariè tantùm S. Pontifex dispenset. Covar. *in Relect. Clem. si furiosus de Homic. p.* 1. *in princ. num.* 7. possit tamen Episcopus inprimis declarare, an defectus sit talis, & tantus, qui indigeat dispensatione. Deinde possit Episcopus subinde deformato, qui in publico honestè apparere nequit, dare licentiam celebrandi in privatis Cappellis teste Innoc. *cap.* 1. *hoc tit.* quod intelligendum, si post Ordines susceptos aliquis deformetur, priùs enim deformatus admitti non deberet. Denique, si irregularitas proveniat ex mutilatione illicita occulta, poterit Episcopus dispensare authoritate Conc. Trid. *Sess.* 24. *de Reform. c.* 6. 19

Quandonam autem mutilationi vel occisioni alienæ causam præbentes fiant irregulares, *in Lib. V. Tit. de Homicidio*, tractatur.

TITULUS XXI.

De Bigamis non ordinandis.

SUMMARIA.

1. *Bigamia quid, & cur inducat irregularitatem?*
2. *Bigamia vera quid?*
3. *Quid interpretativa, & quibus casibus contrahatur?*
4. *Cum vidua nulliter contrahens an efficiatur bigamus?*
5. *Quid si matrimonium fuerit nullum ex defectu consensus?*
6. *Peccans cum corrupta, vel cum pluribus non est irregularis.*
7. *Ducens à se priùs corruptam non est irregularis.*
8. *Bigamia in infidelitate contracta an noceat post conversionem?*
9. *Bigamia similitudinaria quid?*
10. *Explicatur* c. un. hoc tit. in 6.
11. *In bigamia quis dispenset?*
12. *Apostolorum dicta non omnia faciunt jus divinum.*

B*igamia* nihil est aliud, quàm Matrimonii reiteratio; & quamvis mortua prima uxore licitum sit ad alias nuptias transire (non verò plures uxores simul retinere, quod peccatum *Polygamia* dicitur, ut *in*

Lib. IV. tit. ult. traditur) causat tamen bigamia irregularitatem, quòd Apostolus, *1. ad Timoth. 3. vers. 2.* Episcopum jubeat, *unius uxoris virum esse*. Licèt autem Apostolus de Episcopo loquatur, nihilominùs eodem vocabulo etiam Presbyteros intellexisse communis sanctorum Patrum sententia est, & Concilium Nicænum addidit, nec ad quemcumque Ordinem Clericalem bigamum promovendum esse, *c. cognoscamus* 14. *dis. 34.* Ratio est non solùm ex eo, quòd in primitiva Ecclesia etiam Presbyteri Episcopi nomine fuerint quandoque compellati, *c. 1. dist. 21. cap. legimus 24. dist. 93.* sed etiam, quòd generaliter à sacris Canonibus inconveniens existimetur, ut quis ad Sacramenta fidelibus ministranda ordinetur post conjugium priùs habitum, si ipse in Sacramento Matrimonii defectum passus sit. Patitur autem *bigamus* defectum in Sacramento Matrimonii quoad ejus significationem; nam Sacramentum hoc significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, teste Apostolo *ad Ephes. c. 5.* Christus autem uni tantùm se conjunxit sponsæ Ecclesiæ, bigamus vero duabus &c. *c. debitum*, 5. *hoc t.* Propterea bigamia communiter à Doctoribus dividitur in *veram*, *interpretativam & similitudinariam*.

2 *Vera bigamia* uno modo contrahitur, quando scilicet quis successivè duas legitimas uxores habuit, & ambas cognovit. Text. Gloss. & Interpp. passim *in dist. 26. & 34. & tit. toto præsenti*.

3 *Bigamia interpretativa* tribus casibus committitur: I. quando Matrimonium celebratur cum corrupta, sive jam illa vidua sit, *cap. si quis viduam*, 13. *dist. 34. cap. de bigamis*, 3. *& cap. debitum* 5. *hoc tit.* sive per copulam fornicariam deflorata, *cap. curandum 9. cap. præcipimus* 10. *dist. 34.* etenim licèt Matrimonium contractum cum corrupta verum sit Sacramentum, repræsentans per mutuum consensum conjunctionem Christi, & animæ justæ, non est tamen quoad significationem omninò perfectum Sacramentum, quippe quòd minimè significet conjunctionem Christi cum unica & immaculata Sponsa Ecclesia, sive ut loquitur Summus Pontifex *in d. c. debitum*, *hoc tit.* corrupta in uxorem ducta non est unica unici. Si vero primum Matrimonium, quod vidua contraxit, consummatum non fuisset, nec illa aliàs virginitatem amisisset, absque bigamiæ irregularitate posset in uxorem duci, *d. c. debitum*, *in fine*.

II. *Interpretativa* bigamia contrahitur, quando maritus reddit debitum conjugi adulteræ, etiamsi ignoret illam adulteram esse, aut debitum pendente lite ad præceptum Ecclesiæ reddat, *cap. si cujus* 11. *& seq. dist. 34.* Zoesius *hoc tit. num. 6. & aliis passim*, neque enim necesse est, ut quis bigamus dicatur, quòd scienter contraxerit bigamiam, quia bigamia non in pœnam contrahentis, (ubi sine dubio propositum & scientia desideraretur) sed propter defectum Sacramenti, quem etiam ignorans patitur, impedimentum facit ordinando, ut benè notat Joann. Honorius *hoc tit. num. 3.* Patitur autem defectum in Sacramento is, qui conjugem suam adulteram cognoscit, quòd ipsius Matrimonium cesset significare conjunctionem Christi cum Ecclesia unica unici,

III. *Interpretativè* bigamus efficitur, qui in figura & specie Matrimonii viduam, vel plures mulieres tanquam uxores suas cognovit, quamvis à parte rei propter impedimentum aliquod dirimens uxores legitimæ non fuerint, tales enim bigami censentur, non quidem propter defectum significationis Sacramentalis, cùm ex supposito nullum Matrimonium, aut Sacramentum fuerit, *sed propter affectum intentionis*, *cum opere subsecuto*, quia quantùm in ipsis fuit, secundas mulieres matrimonialiter sibi junxerunt, *cap. nuper 4. & cap. fin. hoc tit.* Unde hæc est specialis exceptio ab illa regula, quòd *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum*, omnes enim regulæ generales procedunt regulariter, & cedunt constitutionibus specialibus. Requiritur autem in omni casu bigamiæ perfecta copula, & non sufficit nudus contractus Matrimonii.

4 De eo, qui cum vidua nulliter contraxit, putat Navar. *in Manual*, *cap. 27. num.* 195. probabiliter dici posse, non contraxisse irregularitatem, quòd *cap. fin. hoc tit.* tantùm de Clerico loquatur, de Laico autem sic contrahente nulla juris dispositio habetur. Nihilominus probabilius videtur, non esse hac in parte inter Clericum Laicum differentiam faciendam, quia ratio constitutionis, scilicet intentio sive affectus Matrimonialis cum opere subsecuto in utroque locum habeat; ubi autem est eadem ratio, eadem debet esse juris constitutio. Zoesius *hoc tit. n.* 12. Covar. *in Relect. Clem. si furiosus*, *de homicid. part. 1. §. 1. n. 2.*

5 Quid autem si Matrimonium cum corrupta fuerit nullum, non tantùm ob impedimentum consaguinitatis, aut aliud dirimens, sed ex defectu consensus, cùm ille, qui contraxit, tantùm ad habendam mulierem simulavit Matrimonium? Etiam hoc casu contrahi irregularitatem, censet Zoesius *hoc tit. num.* 11. eò quòd Ecclesia attendat exteriorem consensum; qui ponit indecentiam, & arguitur ex *cap. hoc tit.* quòd loquitur de Sacerdote contrahente, qui utique non potest habere verum consensum in Matrimonium. Libenter quidem subscribo huic opinioni eo casu, quo constat, aliquem de facto contraxisse cum corrupta, & non satis constat de defectu intentionis, quæ cùm sit de internis, facile apparere non potest. Attamen cessante scandalo, & casu occulto posito, ubi verbi gratia aliquis cum corrupta contraxisset, quæ tamen publicè Virgo credebatur, putarem, valde probabiliter talem ab irregularitate excusari: quia Canones non quamcumque conjunctionem, sed cum intentione maritali requiritur, & cùm aliàs irregularitas sit strictæ interpretationis, *cap. si qui 18. de Sententia excomm. in 6.* non videtur ultra verborum proprietatem extendenda. Neque hic in foro externo poneretur indecentia aut scandalum, cùm supposita virginitatis existimatione nulla crederetur inducta irregularitas. Instantia etiam de Sacerdote allata non convincit, licèt etiam Sacerdos, de quo *in cap. 4. h. t.* non potuerit habere intentionem contrahendi Matrimonium Canonicam & juris, potuit tamen habere intentionem naturalem & facti.

6 Hinc etiam est, quòd ex defectu consensus Matrimonialis, & sacramenti bigamus reputandus non sit, qui extra Matrimonium cum corrupta peccavit, vel plures concubinas habuit, *cap. quia circa 6. hoc tit.* Sed cur magis sit irregularis ducens corruptam, quam corruptus ipse, rationem assignant, quòd sicut motus specificatur à terminis, ita etiam actus contrahendi matrimonium & vitium corruptionis non cadat supra seipsum, sed supra alterum conjugem, & consequenter, si etiam mulier esset capax Ordinis, ducendo corruptum efficeretur irregularis. Hanc rationem à Divo Thoma assignatam communi consensu approbari testatur Covar. *d. l. sub num. 3.* Aliæ rationes videantur apud Gloss. *in c. debitum*, 5. *hoc tit.*

7 Quòd si quis à se tantùm priùs corruptam in uxorem duxerit verius est cum Gloss. fin. *in d. cap. debitum*, & Covar. *cit. loc.* non censendum irregularem, quia talis adhuc est *unica unici*, & Matrimonium subsequens quoad forum externum tollit præcedentem maculam, ac fictione juris habetur perinde, ac si copula in Matrimonio contigisset. *DD. in c. tanta 6. Qui filii sint legitimi*.

8 De infidelibus ad fidem conversis dubitatur, an si priùs in infidelitate corruptam duxerint, vel plures uxores habuerint, hæc polygamia causet irregularitatem? In hac quæstione SS. PP. Hieronymus, & Augustinus olim, in diversas sententias abierunt, ut videre est *in c. 1. & seq. dist. 26.* magis tamen recepta est sententia affirmativa, quæ fuit S. Augustini, Ambrosii, & Innoc. eò quòd hæc irregularitas non fundetur in aliqua culpa, quæ per baptismum tolli possit, sed in ratione & defectu significationis Sacramenti Matrimonialis sæpius insinuata. Nec etiam obest, quod jus Pontificium non liget infideles, quia saltem ligat post conversionem, quando ratio irregularitatis ex actibus in infidelitate factis adhuc perdurat, Covar. *in Relect. Clem. si furiosus part. 1. §. 2. num. 5. de Homic.*

9 *Similitudinariam* demum bigamiam contrahit, qui priùs per votum solemne Religionis, aut sacris Ordinibus annexum spirituale matrimonium cum Deo vel Ecclesia contraxit, & postea Matrimonium carnale de facto attentare præsumpsit. Dicta est hæc *similitudinaria* bigamia à similitudine, quam inter se habet spirituale & carnale conjugium, *cap. quæ Christo 10. caus. 27. q. 1. c. 1. & c. 2. Qui Clerici vel voventes*, *c. fin. hoc tit.*

Dubi-

Dubitari etiam posset, quomodo intelligendum sit *c. unicum hoc tit. in 6.* ubi declarat Pontifex, bigamos omni privilegio clericali esse nudatos, & jurisdictioni fori sæcularis esse addictos, prohibitos quoque sub anathemate deferre habitum, & tonsuram clericalem: Respond. interpretationem esse desumendam ex *cap. unico, de Clericis conjugatis in 6.* ubi Clericus in minoribus constitutus, si cum unica & virgine contraxerit, dicitur gaudere omni privilegio clericali, & Trident. *Sess. 23. de Reform. cap.* 17. voluit si deficiant clerici cælibes pro exercitio minorum Ordinum, Clericos conjugatos saltem in Ecclesia habitum clericalem gestantes constitui. Quòd si ergo Clericus in minoribus constitutus bigamiam contraxerit, ipso jure perdit clericalia privilegia; in sacris autem Ordinibus constitutus non perdit privilegium clericale, sed si ante Ordines susceptos contraxerit bigamiam, manet irregularis, & suspensus usque dum dispensationem impetrarit: si postea de facto attentarit Matrimonium, & sic *bigamiam similitudinariam* incurrerit, poterit ab Episcopo dimissa uxore absolutione obtenta, & peracta longiori arbitrio Episcopi infligenda pœnitentia, certaque emendatione apparente officio suo restitui, & etiam ad ulteriores Ordines promoveri, *c. sane 4. & ibi* Gloss. de *Clericis conjug.* dummodò non cum vidua, vel corrupta, aut pluribus uxoribus contraxerit, *cap. nuper 4. & c. fin. hoc tit.* Barb. *in d. c. 4. n. 2.*

11 Sciendum ultimò, quòd hæc irregularitas ex communi Doctorum sententia tantùm juris positivi sit, & consequenter in ea summus Pontifex dispensare valeat, non obstante, quòd *in c. 2. & seq. hoc tit.* dicatur, *doctrinam Apostoli esse, ne bigamus ordinetur, & ideo in bigamia dispensare non licere:* quia Doctores hæc verba de difficultate dispensationis, & præsertim non supposita satis
12 justa causa intelligunt. Cæterum autem non omnia, quæ Apostoli constituerunt, juris divini sunt, nisi aut subjecta materia, aut verba Apostoli insinuent, quòd ex DEO acceperint, quia & ipsi Apostoli tanquam suo tempore Primates & Antistites Ecclesiæ multa separatim a præceptis divinis pro rationabili fidelium directione, sicut hodie solet summus Pontifex, & Episcopi, statuerunt; prout Apostolus in eodem contextu, *1. ad Tim. 3.* ubi de *bigamo* loquitur, etiam prohibuit, ne percussor, vel criminosus ordinetur, & tamen *in cap. & si Clerici 4. §. de Adulteriis, de Judiciis* conceditur Episcopo, post peractam pœnitentiam in adulteriis, & aliis minoribus delictis dispensare, & optimè confirmant verba Apostoli *1. ad Corinth. 7. vers. 12. cæteris ego dico, non Dominus, &c.*

Episcopo autem non nisi in similitudinaria bigamia dispensare conceditur, vel si casus necessitatis ob penuriam Clericorum & difficilem accessum ad summum Pontificem daretur, & ex jure novissimo Conc. Trid. *Sess. 24. de Ref. c. 6.* si bigamia sit occulta, & simul ex delicto contracta, uti est illa, quæ oritur ex duplici Matrimonio, utroque vel saltem alterutro invalido. Barbos. *de Officio Episcopi part. 2. Alleg. 49. num.* 25. Vide tamen, quæ dicam inferiùs *in Tit. de Major. & obed. §.* 4. ubi conabor probare idem esse, de qualibet bigamia occulta etiam sine delicto contracta.

Superiores Regularium habentes jurisdictionem quasi Episcopalem possunt in illis casibus dispensare cum suis Regularibus, in quibus Episcopi; per solum autem ingressum in Religionem non tolli hanc irregularitatem, neque dispensari posse à Prælato non exempto carente Episcopali jurisdictione, fermè communiùs receptum est, quòd id in jure statutum non sit. Vid. Barbos. *d. l.*

TITULUS XXII.

De Clericis Peregrinis.

SUMMARIA.

1 *Clerici peregrini sine testimonio Episcoporum de sua ordinatione non sunt admittendi ad sacra saltem publicè.*

2 *In defectu testimoniorum qualiter probentur Ordines?*

3 *Cognitio de Ordinibus circa Clericum peregrinum pertinet privativè ad Episcopum.*

Contingit non raró, ut se divinis ministeriis ingerant, qui aut ritè ordinati non sunt, aut certè aliqua censura Ecclesiastica excommunicationis, suspensionis, interdicti, vel irregularitate affecti existunt, ideo hic & sequentes tituli materiæ ordinationis annectuntur.

In hoc itaque tit. prohibetur Episcopis, ne Clericos 1
peregrinos, id est incognitos & alienigenas publicè in Ordinibus ministrare permittant, vel ad altiores Ordines promoveant, etiamsi juramento assererent se rite ordinatos, & ab omni censura liberos esse, nisi id ipsum per suorum Episcoporum scriptum testimonium, aut testes fide dignos ostendant, præsertim antequàm per aliquod tempus ipsorum vita & boni mores approbati fuerint, *cap. 1. & 2. hoc tit.* faciliùs tamen in privata Capella ex devotione Sacerdos peregrinus celebrare permitti potest, si de illo nulla alia gravis suspicio habeatur, *c. 3. h. t.* Quòd si de facto Clericus peregrinus sine licentia Episcopi celebraverit, nullam suspensionem aut irregularitatem ex hoc incurreret, cùm id jure expressum non sit. Barbos. *in Collect. DD. ad d. c. 3. num. 4.*

Quid autem si Clericus per injuriam belli exul, nec 2
instrumenta, nec testes de sua ordinatione producere possit? Item quid, si suas litteras aliquo casu perdiderit, numquid sufficiet, si juramento se ordinatum probaverit? Respond. quamvis in *c. 2. h. t.* dicatur, non esse credendum Clerico juranti se ordinatum, nisi aliundè probet, id tamen intelligendum de eo, qui omissa petitione litterarum à suo Episcopo, quas facilè habere potuisset, discessit, cujus fides plurimum suspecta redditur, si se tam facilè ad juramentum offerat, ad instar testis, qui non requisitus pronus est ad deponendum. Panorm. *in d. c. 2. num.* 2. Verùm si Clericus peregrinus justas causas probaverit, ob quas legitimum testimonium de sua ordinatione producere nequeat, tali casu, quia de nullius gravi præjudicio agitur, etiam per famam, bonam conversationem, item quòd communiter reputetur pro Clerico, & alia indicia, ac insuper per juramentum ab Episcopo delatum Clericatus aut Sacerdotium probari rectè poterit, Panorm. *d. l.* Garc. de *Benef. part. 7. cap. 5. numer.* 138. Quid juris autem sit circa fori competentiam, quando captus à Laico judice se Clericum esse prætendit, vid. text. *in c. si judex Laicus*, 12. *de Sent. excomm. in 6.* & trademus ad Tit. *de Foro compet.*

Notat quoque Panorm. *in cap. 4. hoc tit. num.* 5. Joann. 3
Honor. *eod. tit. num.* 6. ex text. *cap. fin. hoc tit.* quòd inferiores Prælati habentes jus instituendi in quibusdam Parochiis vel Beneficiis non debeant Clericum peregrinum instituere, antequàm coram Diœcesano Episcopo exhibuerit suas dimissorias, aut probaverit se Sacerdotem, quòd hæc cognitio privativè ad Episcopum de jure pertineat.

TITULUS XXIII.

De Officio Archidiaconi.

SUMMARIA.

1 *Archidiaconus quis, & quod ejus officium?*
2 *Archidiaconus de quibus causis judicare non possit?*
3 *Explicatur* c. referente 7. de Præbendis.
4 *Archidiaconis solet in hac Diœcesi major jurisdictio demandari.*
5 *Archidiaconus quæ prohibetur facere?*
6 *Archidiaconus non habet jurisdictionem in Monasteriis.*
7 *Archidiaconus an possit excommunicare?*

1 ARchidiaconus græca significatione *primus*, seu *Princeps ministrorum* dicitur, *archos* enim *primum*, & Diaconus *ministrum* denotat, *cap. 1. dist.* 23. Unde de jure antiquorum Canonum Archidiaconatus prima dignitas erat post Episcopum, sicut probat Barbos. *Jur. Eccles. univ. lib. 1. c. 24. n. 2. & 3.* hodie tamen usus primum Ministerium *Vicario generali* attribuit, ut dicetur ad *Tit. de officio Vicarii num. 2.*

Officium Archidiaconi de jure est I. Clericis & ministris Ecclesiæ, quæ facienda sunt, præcipere, Ecclesiasticum & divinum officium disponere, lectiones assignare, Acolythos constituere, *cap. 1. & 2. hoc tit.* II. Primariam sacrorum vasorum & Ecclesiæ custodiam habere, c. *ex quæst. 3. hoc tit.* III. Loco Episcopi per Episcopatum prospiciens corrigere debet, quæ corrigenda sunt, nisi adeò fuerint ardua negotia, quæ absque Episcopi præsentia nequeant terminari, unde & *oculus Episcopi* dicitur *c. Ad hæc 7. hoc tit. & in* Trident. *Sess. 24. de Reform. cap.* 12. in quo Trident. *l.* etiam requiritur, ut Archidiaconus si fieri possit, Magister in Theologia, aut Doctor vel Licentiatus in Jure Canonico existat. IV. De tertio in tertium annum, si Episcopus non possit, diœcesim visitet, *c. 1. hoc tit.* quæ tamen hodie visitatio singulis annis per Episcopum ipsum, aut eo impedito, per Vicarium generalem fieri deberet, & intra annum, vel saltem, si nimis ampla sit diœcesis, intra biennium compleri. Trid. *Sess. 24. de Reform. cap. 3.* V. Ecclesias sui Archidiaconatus semel in anno visitare, nec sæpius, nisi ex causa necessitatis, *cap. mandamus, 6. hoc tit.* Addit quoque Concil. Trident. *d. c. 3.* quòd Archidiaconi, Decani, & alii inferiores in Ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitimè consueverunt, debeant assumpto Notario, de consensu Episcopi deinceps per se ipsos tantùm ibidem visitare, ac visitationis factæ infra mensem rationem reddere, & depositiones testium ac integra acta eidem Episcopo exhibere, non obstantibus quacumque consuetudine, exemptione, vel privile-
2 gio. VI. Demum causæ Ecclesiasticæ coram Archidiacono ventilantur, *d. c. Ad hæc 7.* Concilium tamen Trident. *Sess. 24. de Reform. c.* 20. excepit causas *matrimoniales*, & *criminales*, majores scilicet, sed & causæ *beneficiales*, aliæque *altioris indaginis* videntur esse supra jurisdictionem Archidiaconi, per text. *in d. c.* 20. Trident. & quæ ibi notat Barbos. *in Collect. n. 6.* nam & de jure communi tantùm de modicis jurgiis, & causis Clericorum, præsertim pecuniariis competere Archidiacono cognitionem notavit Gloss. *in d. c. Ad hæc in v. jurgia*, & textum *in c. referente 7. de Præbend.* ubi Archidiaco-
3 nus Clericum beneficio privavit, & in eo alium instituit de jure speciali scilicet consuetudine, vel privilegio ex quo illud beneficium pleno jure ad Archidiaconum pertinuit, interpretatur Panorm. *ibid. n. 2.* vel quòd id factum sit authoritate Episcopi censet Barbos. *d. tit. 24. num.* 28.

4 Verùm in quibusdam Diœcesibus, ut in hac Salisburgensi, Archidiaconis, etiam de matrimonialibus, & aliis causis in prima instantia judicare concessum, ex speciali commissione Episcoporum, quam jam longior consuetudo confirmavit. Quare in similibus causis, quæ Archidiaconis non competunt vi sui officii, & ex jure communi, sed ex speciali commissione non tam Archidiaconi, quàm *Vicarii foranei* (de quibus inferiùs in tit. *de Vicario* dicemus) censendi sunt.

Diximus hactenus, quæ Archidiaconus vi sui officii 5
facere potest, & debet ex præscripto juris; nunc subsequenter videamus, quæ facere prohibeatur. Et quidem I. sine mandato Episcopi alicui curam animarum committere non potest, & sic non habet institutionem, quam vocant *Authorizabilem*, *cap. cùm satis, 4. hoc tit.* Institutio tamen *corporalis*, sive actualis beneficiati in possessionem introductio ad eum pertinet, *d. c. Ad hæc 7. hoc tit.* sicut & actualis Abbatum, & Abbatissarum in sedem collocatio, c. *ut nostrum*, *9. hoc tit.* Non obstat *c. Licèt Episcopus 28. de Præbendis in 6.* ubi responsum est, missionem in possessionem beneficiorum ad Episcopum pertinere; quia potest intelligi de sententia seu decreto judiciali, non verò de ipsa executione, seu, ut vulgò loquitur, installatione. II. Archidiaconus sine licentia Episcopo *dimissorias* dare nequit ordinandis, *c. Significasti 8. hoc tit.* III. Multò minùs ex defectu Ordinis Episcopalis Ordines conferre potest; examinare tamen debet ordinandos, & Episcopo præsentare, *d. c. Ut nostram 9.* quæ tamen hodie præsertim post Trident. ubi examinatores ab Episcopo deputantur, aliter usu observantur. 6
IV. In Monasteria juridictionem non habet, nisi quantum tribuit ei generalis vel specialis consuetudo, *c. Dilecto 10. hoc tit.* V. Excommunicare non potest *c. Archidiacono 5. hoc tit.* Nisi & hoc ipsum habeat vel ex authoritate Episcopi, vel ex consuetudine, quo sensu intelligitur *d. c. referente 7. de Præbendis & c. 2. de eo qui furtivè ordinem suscepit*. Nec movet, quòd Archidiaconus sit judex ordinarius, quilibet autem ordinarius ipso jure potestatem excommunicandi habeat, sicut videtur tenere Innoc. *in d. c. Archidiacono arg. c. 3. de Officio jud. ordin.* nam potest responderi, excommunicationem esse actum majoris Jurisdictionis, & quæ non nisi in gravioribus causis ferri solet. Archidiacono autem tantùm competere minorem jurisdictionem in levioribus causis, ut dictum, sicut ergo in statu sæculari potest dari jurisdictio ordinaria minor (quam Practici *bassam* vocant) sine jure gladii temporalis, ita etiam in statu Ecclesiastico potest esse jurisdictio quædam inferior ordinaria sine jure gladii spiritualis. Denique in variis Diœcesibus circa Archidiaconos plurima in desuetudinem abierunt, vel certè per Vicarium, aut alios Ministros expediuntur.

TITULUS XXIV.

De Officio Archipresbyteri.

SUMMARIA.

1 *Archipresbyter quis? Et subest Archidiacono.*
2 *Archipresbyter urbanus & ruralis.*
3 *Archipresbyter an habeat jurisdictionem.*
4 *Archidiaconus & Archipresbyter debent suscipere Ordinem suo nomini congruentem.*

ARchipresbyter, quasi primus Presbyterorum, 1
dicitur ille, qui præest Presbyteris & Presbyteralibus officiis, *cap. 1. hoc tit.* alioque nomine etiam Decanus quandoque vocari solet *cap. Ad hæc 7. de Officio Archidiaconi*. Subest Archidiacono *cap. 1. hoc tit.* licèt enim sit ordine major tamquam Sacerdos, cùm non requiratur, ut Archidiaconus sit Presbyter; est tamen inferior jurisdictione, quia ad Archidiaconum totius Diœcesis sollicitudo de jure antiquorum Canonum pertinet, unde & *Vicarius natus* à Doctoribus appellatur, de qua præcedentia inter Archidiaconum & Archipresbyterum videri potest Barbos. *Juris Eccles. univers. lib. 1. cap. 24. & seqq.*

Sunt autem Archipresbyteri alii *urbani*, seu *ci-* 2
vita-

vita tenses, alii *plebani*, sive *rurales*. *Urbani sunt*, qui in Ecclesia Cathedrali horis Canonicis præsunt, & Episcopi vicem in divino supplent officio. *Rurales*, qui curam animarum in plebe exercent, & super alios Parochos, ac Presbyteratos, qui per minores titulos habitant, inspectionem gerunt, circa quos inferiores Clericos ea quidem, quæ minora sunt absque figura judicii disponere & componere possunt, majora verò omnia,
3 & ea, quæ sine judicii figura expediri nequeunt, ad Episcopum referre debent. Imò nec inobedientes, & negligentes vel delinquentes sine authoritate Episcopi punire valent *c. officium 3. c. fin. ubi* Glossa, *in v. referant*, & Abbas *hoc tit.* Riccius *in Praxi aurea*, *par. 2. Resol. 93.* Barb. *Jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 25. n. 32. & seqq.* Hinc est quòd Archipresbyter non habeat propriè dictam jurisdictionem, & nec propriè sit judex ordinarius. Contrarium quidem insinuat Innoc. *in c. Archidiacono, 5. de Officio Archidiaconi*, eò quòd in *cap. 3. de Officio Jud. Ord.* supponatur, Archipresbyterum posse sententiam excommunicationis ferre; verior tamen est Interpretatio Gloss. & Barb. *in eod. cap. 3.* quòd plebanus, de quo fit mentio in illo *cap. 3.* ex consuetudine, (quæ aliquando dat jurisdictionem, *cap. dilecti*, 4. *de Arbitris*) vel alio speciali jure, aut privilegio habuerit majorem potestatem, quàm aliàs de jure communi Archipresbyteris competit.
4 Porrò Archidiaconi, & Archipresbyteri admonendi sunt, ne solum nomen, sed etiam ordinem nomini congruentem suscipiant; unde nisi Archidiaconus intra annum à die suscepti officii ordinem Diaconatus, & Archipresbyter Presbyteratus consequantur, amittunt officium, *cap. 1. dist. 60. cap. 1. X. & Clem. 2. de Ætate & qualitate.*

TITULUS XXV. XXVI. XXVII.

De Officio Primicerii, Sacristæ & Custodis.

Primicerius dicitur, quasi primus in choro & primus ratione cantus, atque alio nomine *Præcentor* vocatur secundùm Hostien. *in Summa hoc. tit.* Officium enim cantandi, & psallendi, atque alios in eadem re instruendi illi principaliter de jure incumbit, & inferioribus Clericis lectiones ad maturinum, & modum cantandi assignare debet, *c. 1. §. ad primicerium, dist. 25. c. unico hoc tit.*

Sacrista dicitur, ad quem propriè sacrorum vasorum, & thesauri Ecclesiastici cura spectat, unde etiam *Thesaurarius* vocatur *d. dist. 25. c. 1. in fine.*

Custos est quasi Minister Sacristæ Gloss. & Panorm. *ad Rubric. tit. de Officio Custodis.* Ad ejus Officium pertinet jussu Archidiaconi ad horas canonicas pulsare, pallia & linteamina altaris & reliqua utensilia Ecclesiæ diligenter custodire, & quæ ad Sacrificium Missæ necessaria sunt, parata habere, *c. 1. & 2. de Officio custodis.*

Istæ quidem officiorum distinctiones, & subalternationes de jure traduntur; hodie verò in diversis Ecclesiis diversi mores, ac ritus reperiuntur, itaut titulum, vel præbendam talium officiorum Canonici obtineant, ipsius vero officii executio per Vicarios, etiam Laicos, & Ecclesiarum famulos expediatur.

Præterea olim in Ecclesiis Cathedralibus unus constituebatur, qui Clericos inferiores latinum sermonem, cantùm, & alias artes, ac disciplinas docebat, atque inde *Scholasticus* dicebatur, de quo etiam statuit Trid. *sess. 23. de Reform. c. 18.* ut Doctor vel Licentiatus Theologiæ, aut Juris Can. esse debeat, qui valeat per se ipsum id Scholasticæ munus implere. Sed & hoc officium hodie non exercetur, dum Clerici in Gymnasiis & Universitatibus artes liberales & scientias addiscunt; nomen tamen adhuc retinetur in Ecclesiis Cathedralibus, & sibi appropriat, qui *Scholasticus* appellatur.

Engel in Decret. Lib. I.

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarii.

SUMMARIA.

1 *Vicarius alius natus, alius datus.*
2 *Vicarius alius generalis, alius foraneus.*
3 *Vicarius Generalis potest esse tantum in Spiritualibus.*
4 *Vicarius foraneus quis?*
5 *Vicarius Generalis & foraneus in pluribus differunt.*
6 *A Vicario Generali non appellatur ad Episcopum.*
7 *Ponitur exceptio.*
8 *Excommunicato Episcopo an suspendatur Jurisdictio Vicarii.*
9 *Vicarium an teneatur habere Episcopus, & an possit esse Religiosus, vel Laicus.*
10 *Vicarius in quibus debeat habere speciale mandatum latius expenditur.*
11 *Vicarii officium qualiter finiatur?*

Quamvis Archidiaconus & Archipresbyter Vicarii Episcoporum dicantur; *c. 1. de Offic. Archidiacon.* tum quia in divinis officiis vices Episcopi; tum in inspectione Diœcesis curam gerunt; quia tamen isti in minoribus tantùm causis potestatem habent, ideò jure & moribus receptum est, quòd Episcopus soleat alium *Vicarium* deputare, qui in ejus tribunali universim jus & justitiam administret, atque principalis Episcopi Minister existat. Unde & Barb. *de Offic. Episc. alleg. 54. n. 16.* Archidiaconos & Archipresbyteros vocat *Vicarios natos*, quibus ipso jure, & unà cum officio Archidiaconali vicariatus quasi agnoscitur, & alios *vicarios datos*, qui ab Episcopo creantur: sicut infra dicetur alium esse *legatum natum*, alium *missum*; & de jure civili tutor alius *legitimus*, alius *dativus*, juxta text. & Interp. *in tit. Inst. de legitima agn. tut. & Tit de Attil. tutore*

Vicarius Episcopi vel *generalis* est, vel *foraneus*: generalis qui & *Officialis* Episcopi dicitur, est ille, qui generale mandatum habet ad totam Episcopi Jurisdictionem (specialibus tantùm quibusdam exceptis) in civitate, & tribunali ipsius Episcopi exercendam, adeoque & propter præeminentiam sui officii in dignitate constitutus esse censetur, *Clem. 2. de Rescriptis, cap. statutum, 11. de Rescriptis in 6.* eumque principalem Episcopi ministrum appellat, & præ omnibus aliis Canonicis, & Clericis saltem absente Episcopo habere præcedentiam dicit Riccius *in Praxi aurea parte 4. resolut. 391.* in qua tamen præcedentiarum materia ad consuetudines locorum potissimùm attendendum est. 1

Dubitant Doctores, an ut aliquis dicatur Vicarius Generalis, debeat non tantùm habere administrationem in *spiritualibus*, puta circa Clericos, beneficia, curam animarum, aliasque spirituales causas, sed etiam in *temporalibus*, nimirùm circa bonorum temporalium alienationem, elocationem, redituum collectionem? Utramque administrationem requirit Rebuffus *in Praxi beneficiorum*, *in Tit. Forma vicariatus*, *numer. 16.* Azot. *part. 2. lib. 3. capit. 43. quæst. 7.* Contraria tamen opinio, & quòd sola administratio *spiritualium* sufficiat, probabilior, & receptior est, arg. text. in Trident. *sess. 15. de Reform. cap. 2.* ibi: *seu illius etiam vicario in Spiritualibus generali*, & *in cap. cum nullus 3. de Temporibus ordinat. in 6.* ibi: *ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis &c.* Garc. *de Benef. part. 5. cap. 8. num. 122.* Barb. *de Officio Episcopi part. 3. Alleg. 54. num. 57.* Ulteriùs hæc posterior opinio non parùm confirmatur ex Trident. *sess. 24. de Reform. cap. 16.* ubi statuitur, ut Capitulum sede vacante infra 8. dies post mortem Episcopi Vicarium (utique *generalem*, quia ad totam Capituli jurisdictionem exercendam deputatur) constituat, vel existentem confirmet, & præter istum Vicarium voluit tamen etiam deputari *œconomum*, qui fructus & redditus Ecclesiæ colligat, utrumque autem 2 3

 futu-

futuro Episcopo rationem reddat, ille de justitiæ, hic de temporalium administratione facta sede Episcopali vacante. Ex quo satis clarè colligitur administrationem temporalium ad officium *Vicarii Generalis* ipso jure non pertinere.

4 Vicarius *foraneus* est, quem Episcopus habens amplam diœcesim in certa aliqua ejus parte constituit. *Foraneus* dicitur, quòd *foris* extra civitatem Episcopi constitutus sit. Gloss. *in c. Romana, 1. in vers. foraneus, de Officio Ordinarii, in 6.* Concludit quoque Barb. *d. loco, numer.* 126. quòd Episcopus quidem in civitate, ubi ipse residet, possit duos *Vicarios Generales* creare, ut causarum expeditioni faciliùs consulatur, non autem in diversis locis, & extra civitatem suam, ita quidem, ut etsi Episcopus haberet duas diœceses æquè principaliter unitas (idem videtur, si una diœcesis extendatur in duas diversas Provincias) non tamen posset duos *Vicarios generales* constituere, sed ille qui foret in civitate, ubi Episcopus residet, esset *generalis*, alter *foraneus*. Verùm hæc sententia apud nos recepta non videtur, solent enim Episcopi habentes amplas diœceses ad diversas Provincias extensas plures *Vicarios Generales* constituere. Hæc quidem propositio in jure fundata est: *Omnis Vicarius foraneus constituitur extra civitatem Episcopi*; at forsan non ista universalis conversio: *ergo omnis, qui extra civitatem Episcopi constituitur, est foraneus.* Erit tamen talis Vicarius non generalis simpliciter, sed cum addito, *in tali Provincia districtu*; & si ab ipso ad Episcopum appellatio concederetur, tunc in effectu parùm differret à foraneo, & erit potiùs Vicarius *generalis titularis*.

5 Interest autem in effectu, an quis sit Vicarius *generalis* vel *foraneus*. I. Si in jure vel rescripto Apostolico aliquid *Vicariis generalibus* committatur, ad *foraneum* non pertinebit. II. *Vicarius generalis* est in dignitate, & propterea habilis, ut sit delegatus, vel executor causarum Papalium, non verò Vicarius *foraneus Clem. 2. de Rescript. juncto cap. statutum, 11. eod. tit. in 6.* Est enim dignitas administratio cum jurisdictione, & præcedentia, qualis præcedentia singularis de jure Vicario *foraneo* non competit, adeò, ut nec Præpositos Collegiatarum Ecclesiarum præcedat; & propterea magis officium quàm dignitatem habere censeatur, teste Barb. *d. loc. numer.* 140. nisi consuetudine fortè Vicarius *fora-*
6 *neus* pro dignitate haberetur. III. Vicarii *generalis* tribunal est ipsum tribunal Episcopi; ideò à Vicario *generali* non ad Episcopum, sed Archiepiscopum appellatur, ne ab eodem ad eumdem appelletur *cap. 3. de Consuet. in 6. cap. Romana, 3. de Appellat. in 6.* At verò à Vicario *foraneo*, qui separatum tribunal habet, ad Episcopum appellari posse, probabilius est, cum Gl. *in dict. cap. Romana, in princ. in explicatione §. fin.* & *in dict. Clement. 2. in vers. foraneo*, idque etiam apud nos usu receptum, ubi Archidiaconis (quos habere cognitionem causarum matrimonialium, & criminalium de jure communi præsertim Concil. Trident. eis non competentem & ideò rectè Vicariis *foraneis* annumerari, superiùs dictum est) ad Episcopum appellatio interponitur.

7 Interim circa Vicarium *generalem* non pauci Doctores concludunt, quòd licèt à sententia *definitiva* Vicarii generalis ad Episcopum non appelletur, appellari tamen possit ab *interlocutoria*, Item etiam de nullitate sententiæ coram Episcopo agi. Zerola *in Praxi Episcoporum, v. Vicarius*. Joan. Honorius, *hoc tit. num. 13. & alii ibidem cit.* Ratio esse potest, quòd Vicarius interloquens, aut sententiam de jure *nullam* proferens officio suo planè functus non sit, ac consequenter jurisdictionem Episcopi necdum exercuerit per totius causæ definitionem, ut propterea nihil obstet, quin in eadem causa ab Episcopo exerceri valeat.

Sed & si ab Episcopo una specialis causa, quæ ordinario jure & ex generali mandato (de quo mox dicemus) Vicario non competit, eidem delegatur, ab eo ad Episcopum appellandum erit, seu à delegato ad delegantem. *L. unica, Cod. Qui pro sua jurisdictione.* Si tamen detur potestas Vicario talem causam quandocumque emergentem semper imposterum tractandi, non erit Vicarius simpliciter delegatus, sed *delegatus ad universitatem causarum*, & coadunabitur hæc potestas accessoria cum potestate ordinaria in ordinario tribunali Episcopi exerceri solita, juxta *c. Accessorium, 42. de R. J. in 6.* & non ampliùs ad Episcopum, sed ejus superiorem appellatio dabitur.

Prætereà etiam videtur probabiliter dici posse, quòd 8
excommunicato Episcopo non suspendatur jurisdictio Vicarii *foranei*: nam Gloss. & Doctores *c. 1. hoc tit. in 6.* de Vicario *generali* accipiunt, & quidem ex hac causali, quòd idem cum Episcopo tribunal habeat, quæ ratio deficit in Vicario *foraneo*, ut etiam in delegato notavit Gloss. *in eodem c. 1. in v. ipsius*.

Quæritur etiam, an Episcopus teneatur creare Vica- 9
rium, & an possit Laicum vel Religiosum Vicarium constituere?

Respond. I. si Episcopus velit, & sufficiat causas per se tractare, non posse cogi ad Vicarium constituendum, quia ipsi Episcopo principaliter competit jurisdictio, & exercitium ejus; secus verò si ob amplitudinem Diœcesis, aliasque occupationes sive difficultates id facere nequeat; tunc enim ratio naturalis id exigit, ut justitiæ, litigantibus, & statui Ecclesiastico per deputationem Vicarii consulatur; quo modo conciliari posse videntur diversæ de hac quæstione Doctorum opiniones relatæ à Barb. *d. Alleg.* 54. *n.* 122.

Respond. II. de Religioso communiter affirmari cum Navar. *in Commentario 2. de Regularibus, n. 68.* Azor. *part. 2. lib. 3. c. 43. quæst.* 10. quòd cum licentia sui Abbatis possit esse Vicarius Episcopi. Excipiunt tamen Religiosum de *Ordine mendicantium* propter text. *in Clem. §. ad Prioratus de Regularibus.* Item & Religiosum illegitimè natum, qui licèt per ingressum in Religionem legitimetur quoad Ordines, non est tamen capax dignitatum. Majolus *de Irregularitate, lib. 1. c. 3. n.* 10.

Respond. III. de Laico communiter negari, quòd Vicarius Episcopi esse valeat, quia utique inconveniens est, ut Laicus personam Episcopi repræsentet, in ejus tribunali præsideat, & omnem spiritualem jurisdictionem exerceat, contra *cap. 2. de Judiciis*. Unam tamen vel alteram causam pecuniariam, & civilem Laico delegari posse ab Episcopo, non improbabiliter docet Glossa *in d. c. 2. in v. non præsumant*. Panorm. *ibid. n. 9. & 13.* Assessorem quoque sive Consiliarium Episcopi in caussis Ecclesiasticis posse esse Laicum non tantùm inter Doctores, sed etiam in praxi receptum est. Vicarium etiam Episcopi in *temporalibus* tantùm, nimirum ad colligendos ejus redditus (qui potiùs œconomi officium habet) Laicus esse non prohibetur.

Cæterum Vicarius *generalis* licèt habeat generale 10
mandatum, non tamen potest omnia facere, quæ Episcopus: sunt enim multa, quæ *speciale mandatum* requirunt. Imò etsi Episcopus constituendo Vicarium diceret: *do sibi potestatem, omnia meo nomine exercendi, etiam quæ speciale mandatum requirunt*: adhuc tamen talis clausula in jure pro non sufficiente, & nimis generali haberetur, adeòque adhuc procederet regula 18. *juris in 5.* quòd *in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter non esset in specie concessurus.* Ut ergo Episcopus cum effectu possit constituere Vicarium etiam *ad specialia*, debet aliqua *specialia* nominatim exprimere addita dicta clausula & *omnia alia &c.* & tunc quidem Vicarius poterit omnia *minora* expressis, non autem majora: ita enim in mandato Procuratoris (à quo bonum est argumentum ad mandatum Vicarii, qui quodammodò est Procurator Episcopi) satis apertè patet ex *c. qui ad agendum, 4. de Procuratoribus in 6. juncta Clem. 2. eod. tit.* Garc. *de Beneficiis part. 5. cap. 8. nu. 68.* & communiter alii.

Verùm quænam sint illa omnia, quæ speciale mandatum requirunt, difficile est, aliqua generali regula complecti propter diversas Doctorum sententias & opiniones. Unam regulam ponit Garc. *d. l. num. 46. & 63.* quòd ea quidem, quæ sunt *de justitia* necessariò administranda, ut decisiones causarum litigiosarum, institutio præsentatorum, &c. regulariter possit Vicarius, non verò ea, quæ sunt *meræ gratiæ*, ut dispensare, conferre beneficia &c. nisi utrobique speciali jure exceptio ponatur.

Attamen etiam hæc regula non est infallibilis,
vel

vel apud omnes recepta. Etenim circa *actus justitiæ*, ut plura alia omittamus, docet Rebuffus *in Praxi beneficiorum in tit. Forma Vicariatus*, *n.*126. quòd Vicarius præsentatos à patronis sine speciali mandato instituere non possit. Item *n.*155. quòd causas matrimoniales tractare nequeat, licèt interim in utroque puncto communior opinio sit in contrarium apud Barb. *d. Alleg.*54. *n.*70. *&* 74. Circa actus etiam *gratiæ*, ut dispensationes, remissiones denuntiationum matrimonialium, & similes, plures contrarium sentiunt apud eumdem Garc. *d. l. n.*54. *cit.* Quare potiùs videtur dicendum cum Sanc. *de Matrim. l.*3. *disp.* 59. *q.*2. *n.*1. *& seq.* quòd, cùm Vicarius utatur jurisdictione, & tribunali Episcopi, regulariter, quæ conceduntur Episcopo, etiam ipsi concessa intelligantur, nisi fuerint specialiter in jure excepta, vel res arduæ, & magni præjudicii, quæ verisimiliter Episcopus nollet sine suo præscitu expediri.

Excipitur autem specialiter in Jure, I. Quòd licèt in Vicarium ex generali mandato transferatur causarum cognitio, id tamen potiùs *de civilibus*, quàm *criminalibus* intelligendum sit, adeòque sine speciali mandato Vicarius non habeat potestatem inquirendi, puniendi, beneficiis, officiis vel administrationibus privandi *c.*2. *hoc tit. in* 6.

Excipitur II. collatio beneficiorum, quæ est species donationis: donationes enim rei alienæ administrator facere nequit, etiamsi illi libera administratio concessa sit, *cap.*3. *eod. tit. in* 6. Quod tamen, ut dictum, communiùs de *collatione libera*, non de *institutione* accipiunt: nam *institutio* propterea non habet speciem donationis, cùm præsupponat jus petendi in præsentato, cui ex præsentatione Patroni jus acquisitum fuit.

III. Vicarius Episcopi non potest sine speciali mandato dare *dimissorias litteras*, nisi Episcopo in remotis agente, *c. cùm nullus* 3. *de Temporibus ordinat. in* 6. Unde & stylus est, quòd Vicarii dantes *dimissorias* inserant nominatim clausulam, *ex speciali mandato*, *&c.* Quandonam autem Episcopus dicatur in remotis agere, tractat ibidem Glossa, *in v. remotis*, ubi postquàm diversas sententias retulit, nimirùm quòd aliqui censeant, si absit extra Provinciam, *arg. L. ult. Cod. de Præscript. long. temp.* vel si ultra duas dietas à sua Civitate *arg. c. nonnulli* 28. *de Rescriptis*, denique concludit, hoc esse arbitrarium, scilicet pro majori, vel minori difficultate conveniendi Episcopum.

IV. Licèt Episcopus in omnibus irregularitatibus & censuris ex delicto occulto provenientibus (excepta ea, quę oritur ex homicidio voluntario & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum) dispensare possit, juxta Trid. *Sess.*24. *de Reform. c.*6. Id tamen Vicario absque *speciali mandato* non conceditur, ut apparet ex illis verbis *in cit. loc.* Trident. positis: *per se aut Vicarium ad id specialiter deputandum*, *&c.* in hæresis autem crimine Conc. *d. loco* Episcopis tantùm, non eorum Vicariis absolutionem concedit. Nondesunt tamen Interpretes, quorum meminit Sanch. *de Matrimonio*, *lib.*2. *disp.*40. *n.*18. qui putant, etiam casum hæresis posse specialiter Vicario delegari, dummodò illa delegatio non sit perpetua, sed ad unum, vel alterum præsentem casum restricta: durum enim videtur, ut Episcopis delegandi potestas à communi jure concessa universim adimatur, adeòque benigniori interpretatione opus est.

V. Non potest Vicarius sine speciali mandato absolvere à casibus Episcopo reservatis, *c.*2. *de Pœnit. & remiss. in* 6.

VI. Vicarius sine licentia Episcopi alium Vicarium substituere nequit: nam is tantùm mandare jurisdictionem potest, qui eam suo jure, non alieno beneficio habet. *L. more majorum* 5. *ff. de Jurisdictione*, mandatam autem jurisdictionem ipsemet habens, sicut Vicarius, caret propria jurisdictione, & aliena utitur, scilicet ipsius Episcopi, *l.*1. *de Officio ejus*, *cui mandata est*, consequenter alteri mandare non potest. Est autem *mandare jurisdictionem*, universitatem causarum alicui committere, ut *in sequenti titulo* explicabimus. Unam verò vel alteram particularem causam Vicarius Episcopi, & quicumque *mandatam* jurisdictionem habet, etiam sine mandato speciali delegare non prohibetur. *L. cùm Prætor* 12. *§.*1. *ff. de Judiciis*. Gloss. *in c.*1. *in vers. ipsius hoc tit. in* 6.

VII. Sine speciali commissione Diœcesim visitare non potest Vicarius: hoc enim onus principaliter Episcopo incumbit, nisi justo aliquo impedimento detineatur, *c. si Episcopus* 6. *& ibi*. Gloss. *in V. permittitur*, *de Officio Ordinarii in* 6. Et hæc sunt quæ textibus clarioribus innituntur. Multa verò alia refert Barb. *de Off. Episc. Alleg.* 54. quæ Vicario prohibita sunt, in quibus tamen sæpè reperiuntur discordes opiniones Doctorum, & alia regula dari vix potest, quàm ex arbitrio prudentis viri, an nimirum casus emergens sit similis, vel major illis, qui in jure expressi sunt, & quem Episcopus verisimiliter nolit sine suo præscitu expediri: v. g. authoritatem, in alienatione rerum Ecclesiasticarum majoris momenti interponere, resignationes beneficiorum recipere, pensionibus vel collectis, aut charitativo subsidio onerare beneficia & Clericos, concedere alieno Episcopo licentiam actus Ordinis in Diœcesi exercendi, relaxare censuras ab Episcopo latas, & similia. In praxi rariùs est difficultas, quia si Episcopus sit præsens, negotia magis ardua ad ipsum referuntur; si sit absens, solet dare plenius mandatum etiam *ad specialia* ipsi Vicario; & deinde consuetudo & stylus judicii plerumque declarat, in quibus Vicarius Episcopi sine *speciali mandato* procedere valeat.

Finitur officium Vicarii revocatione Episcpopi. Item 1
morte vel excommunicatione, sicut in Episopo tollitur jurisdictio, ita etiam in Vicario, qui non censetur habere propriam, sed mandatam & Episcopi jurisdictionem *cap.*1. *h. t. in* 6. Zoes. *h. t. n.*12.

TITULUS XXIX.

De Officio & Potestate Judicis Delegati.

SUMMARIA.

1 *Judex delegatus quis?*
2 *Delegati alii ad universitatem causarum, qui propriè dicuntur habere mandatam Jurisdictionem: alii ad particularem causam, qui propriè delegati sunt.*
3 *Inter mandatam & delegatam Jurisdictionem, quæ sint differentia.*
4 *Alii delegati à Jure, alii ab homine.*
5 *Quatuor modis Episcopo tribuitur specialis Jurisdictio & potestas.*
6 *Delegatus ab homine debet edere suam commissionem.*
7 *Qui possint delegare: & quid de minoribus Judicibus?*
8 *Examinatur exactiùs illa quæstio, an delegatus Principis possit subdelegare, etsi impeditus non sit?*
9 *An à subdelegato ad delegatum vel primum delegantem appelletur? distinguitur.*
10 *Delegatus non debet excedere fines suæ commissionis, potest tamen prorogationem quamdam facere ex consensu partium, & causa exigente.*
11 *Delegatus Papæ debet esse in statu digniori quàm inferiorum delegati.*
12 *Item potest exequi suam sententiam, non delegati inferioris.*
13 *Omnes delegati habent aliquam coercitionem contra contumaces: Delegatus autem Papæ ampliorem.*
14 *Quando delegatus Papæ non possit subdelegare?*
15 *Quilibet delegans potest dare potestatem subdelegandi suo nomine & aliàs quivis delegatus unum causæ articulum subdelegare potest.*
16 *Quid Juris si delegatio unius causæ sit facta pluribus?*
17 *Quomodo finiatur delegatio?*
18 *Qualiter in causa suspecti Judicis procedatur?*

POst Vicarios, qui generaliter vices alienas gerunt, 1
rectè agitur de delegatis, qui in judiciis in una vel

certis causis vices alterius subeunt. Est igitur Judex *delegatus*, qui in legibus *Judex datus* appellatur, ille, qui ex commissione alterius causæ alicujus judicialem cognitionem consequitur. Spec. *in princ. hujus tit.* creatur enim *delegatus*, quando Judex, coram quo aliàs ordinario jure partes instare deberent, vel non vult, vel impeditus non potest causam per se tractare, quam propterea alteri tractandam committit. Unde & Practici tales delegatos *commissarios* appellant; & de illis specialem tractatum edidit Rutgerus Rulandus.

2 Sunt autem delegati varii. Quibusdam delegatur in universum jurisdictio, ut de Jure Can. *Generali Vicario* Episcopi; de jure Civili olim *Legato Proconsulis*. *L.4. §. 6. & L. Legati, 13. ff. de Officio Proconf.* hodie Præfectis castrorum, & oppidorum ad dominos temporales pertinentium; vel certum saltem genus causarum, v. g. matrimonialium, aut criminalium, ut *Vicario foraneo*. Tales vocantur *delegati ad universitatem causarum*, & secundùm proprios juris terminos dicuntur habere *mandatam jurisdictionem*. Quibusdam verò committitur una tantùm, vel altera particularis causa hic & nunc emergens cognoscenda, aut terminanda, & isti propriè, & simpliciter *delegati* sunt, de quibus potissima *capitula hujus tituli* loquuntur.

3 Quæ differentia inter *mandatam & delegatam* jurisdictionem ad intellectum jurium diligenter est advertenda. Mandatam enim jurisdictionem habentes magis ordinariis judicibus comparantur, ut dicemus infra *in Tit. de Officio Judicis ordin. num.3*. Deinde alii effectus *mandatæ*, alii *delegatæ* jurisdictioni attribuuntur, prout in *L. fin. ff. de Officio ejus, cui mandata est jurisdictio & in L. more majorum 5. ff. de Jurisdictione* dicitur, quòd mandare jurisdictionem nequeat, qui ipse tantùm *mandatam* habet, sed in *L. cum Prætor 12. §.1. ff. de judiciis* conceditur potestas *dandi judicem* (id est *delegandi* ad particularem causam) etiam ei, qui *mandatam* jurisdictionem habet. In *L.1. ff. quis, à quo appelletur*, non rectè ab habente mandatam ad mandantem appellatur, sed ejus superiorem. At verò in *L. unica. Cod. Qui pro sua jurisdictione*. admittitur appellatio à delegato ad delegantem. Videatur Fachinæus *Lib. 1, Controv. c. 28. & lib. 12. cap. 89.* Interim circa punctum appellationis videtur probabiliter textus accipiendus de *mandata* jurisdictione *universali*, quæ exercetur in tribunali mandantis, sicut habet Vicarius *generalis*, ne ab eodem tribunali ad idem appelletur, non autem de *particulari* in separato tribunali exerceri solita, prout de Vicario *foraneo* dictum,

4 Rursus alii sunt *delegati ab ipso jure, alii ab homine* constituti. *Ab ipso jure* constituti delegati censentur Episcopi, quibus jus in certis casibus contra exemptos privilegiatos ad conservandam disciplinam Ecclesiasticam jurisdictionem delegatam delegatione *clausa in corpore juris* concessit, cujus rei exempla plura sunt tum de jure antiquo *in cap. irrefragabili, 13. §. cæterum de Officio Ordinarii. Clem. unica, de Suppl. negl. Prælatorum & sæpius alibi*, tum in Conc. Trid. *Sess.5. de Reform. cap. 2. sess.6. de Reform. c.2. & seq. & passim in aliis sessionibus*, qui casus à nobis juxta materiæ qualitatem in propriis titulis traditi sunt, & congesti videri poterunt apud Azor. *Inst. moral. p.2. lib.3. c.54.* Est autem hoc loco advertendum, Episcopo tribui specialem jurisdictionem, & potestatem à jure quatuor fermè modis.

I. Simpliciter cum clausula: *Authoritate Apostolica*, vel *tanquam Sedis Apostolicæ delegato, &c.* Et hoc casu Episcopus erit delegatus, ab eoque ad delegantem Pontificem appellabitur.

II. Clausulæ additur particula *etiam*, v. g. ut procedere possit *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus* ut in Trid. *sess.6. de Ref. c.4. & sess.22. c.10.* cujus particulæ is est effectus, ut Episcopo censeatur data utraque potestas, ordinaria, & delegata, qua maluerit uti. Volunt autem Doctores, quòd in dubio potiùs censeatur uti delegata, cùm propter appellationem ad summum Pontificem sit ei magis honorifica, & rariùs contingat appellari.

III. In concessione jurisdictionis quandoque solùm removentur obstacula ordinariæ jurisdictionis, puta, cùm dicitur, *non obstantibus privilegiis*, ut in *sess.5. d. cap. 2. vers. quæstores, sess.7. cap. 5. & 7. Clem. unica de Testamentis* & tali casu non censebitur facta delegatio, sed revocata privilegia, & excitata jurisdictio ordinaria.

5 IV. Denique aliquando Episcopis datur specialis potestas v. g. absolvendi, & dispensandi, &c. sine ullius clausulæ adjectione, ut in Trid. *sess.24. de Reform. c.6.* & tunc censebitur talis potestas eis data speciali jure ordinario. Videatur Barb. *de Offic. Episc. p.3. alleg.92.* Sanchez in Decalogo *tom.2. lib.7. c.29. n.181.*

6 *Ab homine* constituti delegati sunt, quibus à summo Pontifice, Imperatore, vel aliis inferioribus Prælatis, & Principibus, vel Judicibus causæ committuntur, quorum Jurisdictio, cùm non sit in jure fundata, sed per specialem delegationem data, non priùs arctat citatum, quàm si Judex delegatus citans copiam saltem authenticam suæ commissionis citato transmiserit, & comparenti, ac petenti originale exhibuerit: nam aliquem delegatum esse quid facti est, facta autem non præsumuntur, nisi probentur. Gaill. *l.1. observat.48. num.17.* Mynf. *Centur.3. obser.1.* quamvis ab Ordinariis magistratibus, item & delegatis à jure constitutis, quorum jurisdictio in jure fundata est, citatus simpliciter comparere debeat, & exceptionem declinatoriam fori, si quam habet, proponere, *L. si quis ex aliena, 5. ff. de Judiciis*, nisi hæc ipsa exceptio in jure communi fundata sit, uti est exceptio Clericorum respectu sæcularis Judicis; Studiosorum respectu alterius magistratus, quàm Academici; quo casu etiam ab ordinario magistratu alieno citatus comparere non tenetur, non enim debet Judex jus certum & regulare ignorare.

7 Delegare causas possunt magistratus ordinariam, aut etiam mandatam jurisdictionem habentes, *L. unica, C. Qui pro sua jurisd. d. l. cum prætor, 12. §.1. ff. de Judiciis*. Minores tamen judices v. g. municipales, qui tantùm de causis levioribus judicare valent, an delegare possint, controversia est inter DD. Negativa tamen sententia cum Fachinæo *L.12. Controv. cap.29.* videtur usui, & juri magis conformis, quia textus *in L. eum qui 13. ff. de Jurisd. & in d. L. cum prætor 12. §.1. ff. de Judic.* majoribus tantùm magistratibus imperium & potestatem (quæ in jure sunt quasi synonima *L. potestatis, 215. ff. de Verb. signif.*) habentibus declarationem concedunt. Non obstat *Lex. 1. & 3. ff. de Jurisd.* ad concordantiam enim jurium debent explicari non de qualibet jurisdictione sed de jurisdictione majore conjuncta cum imperio; minores autem magistratus imperium non habent, *L. nec magistratib. 32. ff. de Injuriis.*

8 Ipse quoque Judex delegatus alium delegare potest, si tamen fuerit delegatus summi Principis, Pontificis, vel Imperatoris, *l. unica, C. Qui pro sua jurisd. c. pastoralis 28. hoc tit.* qua de re in Disputatione *de Foro competenti:* ubi etiam ex Pan. *in d. cap. pastoralis numer.6.* docetur, delegatum principis posse subdelegare, etiamsi impeditus non sit per se tractare causam; eò quòd in *d. l. unica*, generaliter & sine mentione justæ causæ dicitur, delegatum Principis subdelegare posse. Et in *d. c. pastoralis* tantùm excipitur casus, si delegatus subdelegando *malitiosè exonerare se vellet*, quæ verba intelligit Panorm. *d. loco*, si subdelegatio tendat in fraudem subdelegari, & eum exponat inimicitiarum vel alterius mali periculo, hac ergo fraude absente videtur libera esse subdelegandi potestas. Unde re denuo considerata hanc sententiam ob authoritatem Panorm. satis quidem probabilem, contrariam tamen juri, & rationi fermè magis conformem existimo: etenim *in c. si pro debilitate 3. hoc tit.* text. Gloss. Barb. & Interpretes communiter supponunt, ad subdelegationem causam impedimenti, vel aliam justam requiri, quominùs primus delegatus possit causam per se tractare; si enim suo arbitrio delegatus subdelegare posset, non fuisset dubitandi, vel decidendi ratio *in d. cap. 3.* quòd *ex causa* posset subdelegare, & frustra S. Pontifex *gravis causa* mentionem fecisset; debent autem leges accipi de casibus dubitatis. Item *in L.2. juncto summario, & Gloss. C. de Pedaneis Judicibus* rescripsit imperator præsidibus Provinciarum (qui tamen magistratum, & ordinariam majorem jurisdictionem habent) non licere causas nisi solùm minimas citra justum

Im-

impedimentum delegare; cùm ergò jura juribus concordare, textum minùs explicitum per alium clariorem explicare conveniat, ut evitetur jurium correctio: *c. cùm expediat 29. de Electione in 6.* rectè d. Lex *unica* & *cap. pastoralis* juxta *dictum c. 3. & l. 2.* suam interpretationem recipient, ut & hoc ipso se *malitiosè exonerare* censeatur, qui sine causa subdelegat, sicut alii apud Panorm. citati exponunt.

Neque ideo minùs differentia erit inter delegationem Principis, & inferioris Judicis, quia delegatus inferioris ne quidem ex causa subdelgare permittitur, licèt sit delegatus Legati Sedis Apostolicæ. Zoesius *hoc tit. num. 6.*

Ratio verò hujus posterioris sententiæ est, quòd non videatur conveniens sine causa munus à Principe delatum recusare. *Toto t. ff. de Muner. & honor.* Est autem *judicandi necessitas* inter *munera personalia* computanda. *L. munerum 18. §. judicandi 14. ff. jam dicto tit.* & cùm delegatus possit cogi ad suscipiendum judicium *d. c. pastoralis*. vix apparet, cur non etiam primus delegatus, si justam causam excusationis non habeat; in dubio tamen creditur, & præsumitur, quòd subdelegans justam habuerit subdelegandi causam, nisi contrarium doceatur. Barbos. *in d. cap. 3. & in 6. cap. pastoralis n. 5. hoc tit.*

9 A subdelegato, an ad delegatum, vel primum delegantem appelletur, distinctio est facienda juxta *cap. super quaest. 27. §. Porrò hoc tit.* nempe, ut si delegatus à Papa totam causam subdelegarit, nihil sibi reservando, tunc ad Papam; si verò aliquid sibi reservarit, certi v. g. articuli cognitionem, tunc ad ipsum subdelegantem appelletur, cùm enim delegatus non babeat aliam in causa, quam delegatam jurisdictionem, si eamdem per subdelegationem totam à se abdicet, non erit, quo jure recipiat appellationem.

10 Fines porrò sui mandati, seu commissionis diligenter custodire debet delegatus, nec prorogare jurisdictionem ad alias personas in litteris commissionis non comprehensas *cap. 40. hoc tit.* potest tamen prorogare ex consensu partium de tempore ad tempus, de re ad rem, de loco ad locum; item etiam de connexis, & sine quibus causa principalis terminari non potest; jus dicere valet, & cogere partes parere suis mandatis per censuras Ecclesiasticas, vel alia media compulsorialia, invocationem brachii &c. etsi litteræ id non exprimant. Si dubitet delegatus, an actus aliquis suæ potestatis sit, *secundam jussionem* (ut practici appellant) à delegante impetrare debet.

11 Inter delegatum S. Pontificis, vel alterius summi Principis, & inter Delegatum inferiorum judicum notabiles sunt differentiæ. Nam I. S. Pontifex nunquam solet (quamvis utique possit) causas aliis personis delegare, quàm in dignitate Ecclesiastica aut personatu constitutis, & etiam Cathedralium Ecclesiarum Canonicis; Unde Rescriptum, in quo aliis quàm hujusmodi personis delegatio facta est, de falsitate suspectum censetur *cap. statutum 11. de Rescript. in 6.* Episcopus verò, & alii Judices inferiores (excepto Legato Pontificii *d. cap. statutum*) cuique Clerico aut Viro docto causas delegare possunt, quia illi meliùs norunt qualitates privatorum Clericorum, quàm S. Pontifex, & propter authoritatem delegantis major status eminentia in Delegato Pontificis, quàm inferioris desideratur.

12 II. Delegatos inferioris Judicis sententiam quidem ferre potest (nisi eamdem sibi delegans reservaverit) ejus tamen executionem deleganti remittere debet *l. à Divo Pio 15. in princ. ff. de Re Jud.* Delegatus autem Papæ quamvis possit executionem Ordinario demandare, *cap. significasti 7. & cap. pastoralis 28. §. quia verò hoc tit.* eamdem tamen ipsemet rectè facit, atque potestas ejus circa executionem faciendam non ad tempus quadrimestre restringitur, sed ad annum integrum extenditur *cap. quaerenti 26. h. tit.* An verò possit alicui etiam ab inferiore Judice executio, *merum* aut *mixtum Imperium* delegari, suo loco dicetur.

13 Licèt autem communiter, ut ante insinuatum, concessa jurisdictione illa quoque concessa intelligantur, sine quibus jurisdictio expediti non potest *L. 2. ff. de Juris dict. L. fin. ff. de Offic. ejus &c.* specialiter tamen circa delegatum Pontificis statutum est, quòd omnes jurisdictionem suam impedientes, vel in judicium venire detrectantes, Ecclesiastica districtione coercere possit, etiamsi litteræ commissionis id non contineant, vel persona coercenda Episcopus sit, aut in sua dignitate major delegato: nam cùm Delegatus vices Papæ agat, meritò in illa causa superior omnibus aliis censeri debet, & major illis, quorum causam suscepit terminandam; ita ut Episcopo resistenti vel ingressum Ecclesiæ, vel sacerdotale officium interdicere, aut etiam pro gravitate contumaciæ terram illius interdicto supponere valeat *cap. præterea 5. hoc tit. cap. sanè 11. cap. pastoralis 28. &c. ex litteris 29. hoc tit.*

III. Delegatus à Papa sicut de Jure Civili Delegatus à summo Principe potest causam *subdelegare*, saltem 14
ex causa, ut supra dictum est. Quòd si tamen à S. Pontifice alicui non jurisdictio super tota causa, sed certum tantummodò ministerium delegatum esset, v. g. prædicare crucem, excommunicare, absolvere, dispensare, injungere pœnitentias &c. ad tale ministerium delegatus, qui non foret simul Legatus Sede Ap. subdelegare non posset. Sicut & tunc delegato subdelegatio negatur, quando ei inquisitio in crimina, vel ut Ecclesiæ de Prælato aut Ministris provideat, vel alia gravis causa, quæ sine ipso commodè tractari non potest, committitur, quòd tali casu industria personæ delegatæ electa censeatur *cap. fin. §. is autem hoc tit.* Delegatus verò ab Episcopo aliisque inferioribus Judicibus (imò etiam ab ipso Legato Sed. Apost. Zoes. *hoc tit. num. 6.*) alium subdelegare non potest, cùm id soli Delegato Principis concessum sit, *cap. cum causam 62. in fin. de Appell. L. à Judice 5. C. de Jud.* potest tamen delegans dare delegato potestatem, ut ipsius delegantis nomine subdeleget, quasi tunc censeatur ipse delegans noviter delegare, juxta regulam, *quod quis per alium &c.* Felin. *in cap. super q. 27. §. Porrò num. 18. hoc tit.* Sanch. *de Matrim. lib. 3. d. 31. num. 6. & 8.* Deinde unum causæ articulum, v. g. examen testium, posse à Delegato inferioris Judicis subdelegari, veriùs censeo cum Barth. *in L. more 5. ff. de Jurisdict. om. jud.* contra Fachin. 1. *controver. cap. 46.* quia tali casu magis intelligitur dare auditorem, quàm Judicem *arg. c. super q. §. verum.*

Cæterùm delegatio fieri potest, non tantùm uni, 15
sed etiam pluribus, cùm magis integrum sit judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur, *cap. prudentiam 21. h. tit.* Verùm delegatione pluribus facta numquid omnes delegati simul adesse & judicare debebunt? Respond. Attendendum esse, cum qua clausula delegatio facta sit. Quandoque enim delegata causa pluribus *simpliciter* sine omni clausula; & tunc nisi simul omnes delegati adfuerint, vel absentes vices suas aliis, vel ipsis conjudicibus subdelegatint, processus validus non erit, *c. causam 16. hoc tit. L. duo 39. ff. de Re jud.* Quandoque autem adjicitur *clausula*, & hæc in duplici differentia. Prima *clausula* est concepta his vel similibus verbis: *quòd si omnes interesse nequiverint, reliqui exequantur*; & hoc casu valebit id, quod ab aliquibus ex condelegatis gestum est, qui etiam cogi non poterunt admittere absentium subdelegatos, dummodò constet de impedimento absentium. Ista porro conditio: *si nequiverint*, involvit etiam conditionem: *si noluerint*, adeòque condelegatis *nolentibus* interesse, reliqui procedere poterunt, *d. cap. prudentiam §. adjicimus.* Altera *clausula* singulos Delegatos *in solidum* constituit, si nimirum scribatur, *ut omnes Condelegati*, vel *duo*, aut *unus exequatur*. ideò si vel unus solus hoc casu negotium irrequisitis aliis tractare cœperit, is solus exequetur, nec alii se ulteriùs intromittent, nisi infirmitate, vel alia justa de causa illum, qui negotium inchoavit, impediri, vel spontè cedere contigerit, *c. cum plures 8. junct. Gl. in v. liberè hoc tit. in 6.* Istud quoque hic notabile est, quòd si duo Condelegati diversas sententias proferant, utraque in pendenti futura sit, donec delegans alterutram confirmet *cap. fin. de Sentent. & re jud. d. l. duo judices 28. ff. de re jud.* Quamvis in Judicibus ordinariis diversas sententias proferentibus prævaleat, quæ est pro reo vel causa favorabili *d. cap. fin. l. inter partes 38. ff. de re jud.*

De-

Demùm ſciendum, quòd Delegatio expiret.

I. Revocatione, aut morte delegantis vel ſubdelegantis re integra ante citationem *c. gratum* 20. *hoc tit. juncto cap. fin. de Officio Legati c.* 6. *&* 7. *hoc tit. in* 6.

II. Morte Delegati, neque tranſit ad ſucceſſores, niſi facta ſit delegatio non ſub nomine proprio, ſed ſub nomine dignitatis v. g. tibi Abbas, tibi Epiſcopo delegamus, &c. *c. quoniam* 14. *hoc tit.* Zoeſ. *eod. tit. n.* 33.

III. Si Delegatus pronuntiaverit ſibi juriſdictionem non competere propter delegationem invalidam, *cap. ſignificantibus* 38. *hoc tit.*

IV. Lapſu temporis ad delegationem expediendam præfiniti, niſi conſenſu partium prorogetur *cap.* 4. *ubi Gl. cap. conſuluit* 24. *hoc tit. l.* 2. *§.* 2. *ff. de judic.*

V. Poſtquàm judex delegatus per ſe vel per alium ſententiam executionis mandaverit, aut mandari præceperit, *cap. in litteris* 9. *hoc tit.*

18 Ult. Denique recuſatione ſuſpecti: *cap. cauſam* 17. *& cap. inſinuante* 25. *hoc tit.* Recuſationis autem cauſa ita tractatur: ſi Delegatus Papalis ſit, qui ſuſpectus dicitur, & is condelegatum habeat cum clauſula, *quod ſi non omnes &c.* cauſa ſuſpicionis ab hoc condelegato cognoſcatur. Sin minùs, Arbitri communiter eligentur, qui cognoſcere & pronuntiare debebunt, verane ſit, & legitima cauſa ſuſpicionis, *cap. ſuſpicionis* 39. *& ibi DD. hoc tit.* ita ut ſi pronuntiaverint juſtam, expiret delegatio, ſi injuſtam, delegatus valeat ut priùs procedere, *cap. ſecundo* 41. *§.* 2. *de Appellat. & cap. legitima* 2. *eod. in* 6. poterit quoque Delegatus, antequàm ſuſpicio contra ipſum proponatur, cauſam ſubdelegare: poſtquàm verò ſuſpicio propoſita eſt, non aliter valebit ſubdelegatio, quàm cum conſenſu recuſatoris. Imò ſi jam pronunriatum ſit, veram eſſe cauſam ſuſpicionis, tunc ne quidem cum conſenſu recuſatoris ſubdelegatio fieri poterit, quia per talem ſententiam protſus deſiit delegati (non ordinarli, ut ſuo loco dicetur) juriſdictio, *cap. judex* 5. *hoc tit. in* 6. Et hæc ita ſe habent, ſi Delegatus Papalis ſit. Si verò Delegatus ſit vel Officialis Epiſcopi, qui ut ſuſpectus recuſatur, hujus recuſationis cognirio ad Epiſcopum pertinebit, *cap. ſi contra* 4. *hoc tit. in* 6. De hoc plura infra *in Tit. de Appellat. Lib.* 2.

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

SUMMARIA.

1 *Legati qui dicantur?*
2 *Legati Sedis Apoſt. triplices.*
3 *Legatorum officium.*
4 *Legati de Latere poteſtas.*
5 *Legatorum de latere circa beneficia poteſtas in Germania.*
6 *Nuntii Apoſtolici poteſtas.*
7 *Nuncius* cum poteſtate Legati de latere *miſſus quid poſſit?*
8 *Legatum ſe dicens debet probare, niſi fuerit Cardinalis.*
9 *Nuntii Apoſtolici ambientes litteras recommendatitias à Principibus excommunicantur.*
10 *Legati nati poteſtas.*
11 *Legati hodie in prima inſtantia non debent impedire Ordinarios.*
12 *Exempti poſſunt prorogare juriſdictionem Legati nati.*
13 *Legati officium qualiter finiatur?*

1 Legatus aliter in Jure Civili, aliter in Jure noſtro Canonico accipitur. Etenim in Jure Civili Legati dicuntur non tantùm miſſi ad pacem vel aliud arduum negotium inter Principes tractandum (quorum violatio juri gentium adverſatur, *cap. jus gentium* 9. *diſt.* 1.) ſed etiam vicarii præſidum & proconſulum, quibus ab ipſis præſidibus & proconſulibus juriſdictio mandata fuerat *l. vicarius* 13. *ff. de Legation. & tot. tit. ff. de Legato proconſ.* Verùm in Jure Canonico Legati S. Pontificis non tantùm *mandatam* & vicariam, ſed ordinariam juriſdictionem habent, & ipſis præſidibus & proconſulibus, qui olim apud Romanos ad regendas provincias deputati fuerant, comparantur *c.* 2. *h. t. in* 6. quorum Auditores, quos tales Legati conſtituere ſolent in provinciis ſibi commiſſis, potius *legatis proconſulum* acceſeri poſſunt.

Sunt autem *Legati Apoſtolici* in triplici differentia; 2
quando enim Papa unum ex Collegio Cardinalium ſuorum quaſi *à latere ſuo* (cui Cardinales ſemper aſſiſtunt) ad aliquam provinciam dimitti, dicitur *Legatus de latere*: quando alium Clericum, Epiſcopum, vel Prælatum non Cardinalem dimittit, dicitur *Nuncius Apoſtolicus*, vel *Legatus miſſus*: quando denique titulus legati alicui Archiepiſcopatui vel alteri Eccleſiæ annexus eſt, dicitur *Legatus natus*, circa hos igitur.

Quæritur I. quodnam ſit Legatorum officium? Re- 3
ſpond. Officium omnium Legatorum eſſe, in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis negotiis ſupremam in provinciis Eccleſiæ catholicæ gubernationem & inſpectionem habere, Principes, & populos in fide, & affectione erga Sedem Apoſtolicam conſervare, Conſtitutiones Pontificias in uſum deducere, aut quominùs juxta ſtatum provinciarum deduci poſſint, ſummum Pontificem informare, aliaque, quæ pro utilitate Eccleſiæ expedire viderint, ad ipſum referre, & ideo Præſidibus & Pronconſulibus comparantur, quibus olim Imperatores provincias regendas diſtribuebant, ut tantò faciliùs univerſum populum Romanum in obedientia continerent.

Quæritur II. qualis poteſtas competat *Legato de latere*? 4
Reſpond. Eum dignitate & poteſtate cæteros legatos longe antecellere, *cap.* 1. *hoc tit. in* 6. nam in primis præſente *Legato de latere* alii legati non debent uti inſignibus, aut officio ſuæ legationis, propter reverentiam enim majoris judicis ſuſpenditur juriſdictio minoris, textus & Gloſſ. *in cap. volentes* 8. *hoc tit.*

II. Legatus *de latere* ipſo jure poteſtatem habet judicandi exemptos, & Abbatum exemptorum electiones confirmandi *cap. ſi Abbatem* 36. *§.* 1. *de Electione in* 6. Gloſſ. *in c.* 2. *v. univerſas hoc tit.*

III. Abſolvere poteſt percuſſores clericorum undecumque advenientes à cenſura reſervata *cap. ad eminentiam* 20. *de Sententia excom. c.* 4. *& penult. ubi* Gloſſ. *in v. mittuntur hoc tit.*

IV. Circa diſpenſationes, abſolutiones, matrimonii ſolemnizationes habet concurrentem juriſdictionem cum quolibet Ordinario ſuæ provinciæ. Barboſ. *Juris Eccleſia. univerſ. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 72.

V. Poteſt in provincia ſua concedere indulgentias *centum dierum*, quæ etiam durant finito officio legationis. Barboſ. *d. loco n.* 5.

VI. Poteſt facere ſtatuta obligantia provinciam circa negotia ſpiritualia & eccleſiaſtica, quæ durant in perpetuum etiam poſt deceſſum ſuum, uſque dum ab alio majore, vel ſimili poteſtate prædito revocentur, quæ tamen poteſtas generaliter Legatis, adeòque etiam aliis, quàm *de latere* attributa eſt *cap. fin. hoc tit. cap.* 2. *eodem in* 6.

VII. In conferendis beneficiis *Legato de latere* ampla poteſtas conceſſa eſt, nimirum conferendi quælibet etiam ad Sedem devoluta beneficia ſuæ provinciæ, ita ut inter ipſum & ordinarium Collatorem locus ſit præventioni, ſed & vacatura ſuæ collationi reſervandi, dummodò non reſervet pro ſpeciali perſona (ob periculum ſcilicet captandæ mortis) vel eumdem collatorem bina reſervatione non impediat, aut gravet, *c.* 1. 3. *&* 4. *hoc t. in* 6. *c.* 2. *de Prabendis in* 6. Item dummodò non ſint dignitates, vel beneficia electiva *d. cap.* 4. aut de jure patronatus laicorum competente ex fundatione, conſtructione, vel donatione, cui nec ipſe Pontifex ſolet derogare. Barb. *d. loco num.* 49. In uniendis quoque Epiſcopatibus, vel transferendis Epiſcopis, eximendis Eccleſiis,

& aliis,

& aliis, quæ in signum præeminentiæ sunt reservata Sedi Apostolicæ, Legatus potestatem non habet *c. 3. & 4. x. hoc tit.*

5 Quæritur autem III. an etiam in Germania talis potestas conferendi beneficia *Legatis* competat? Respond. quia in *Concordatis Germaniæ* inter Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum Imperatorem, aliosque Principes & Prælatos Germaniæ initis disertè promittit summus Pontifex, quòd in mensibus Ordinariorum & beneficiis non reservatis nolit eorumdem Ordinariorum collationem impedire, ideo Legatus Pontificis id facere nullatenus potest, cùm non sit supra jus, neque aliquid valeat, quod juri deroget, præsertim pactis, & contractibus, teste Barbos. *d. cap. 5. n.* 10. Ad summum igitur Legatis in Germania jus remanet conferendi beneficia ex negligentia inferiorum ad Sedem Apostolicam devoluta; non item beneficia reservata, nisi ex speciali privilegio, Gloss. *in c. 1. in v. ampliori hoc tit.* Imò si beneficium ex negligentia Abbatis exempti esset ad Episcopum, seu Sedis Apostolicæ delegatum devolutum, *juxta Clem. unicam de Sup. negl. Prælatorum*, communiter sentiunt Authores teste Erasmo à Chokier. *de jurisdictione Ordinarii in exemptos parte* 2. *quæst.* 2. *n.* 18. *& seqq.* quòd Legatus *de Latere* in hoc casu Episcopi collationem impedire non possit, quia Legatus habet Privilegium conferendi beneficia generale, Episcopus verò hoc casu speciale, in omni autem jure generi per speciem derogatur. *c. 2. h. t. c. generi* 34. *de Reg. Juris in 6. Leg. in toto* 80. *ff. eodem tit.*

6 Quæritur IV. qualem potestatem habeat *Nuntius Apostolicus*? Respond. totam potestatem *Nuncii Apostolici* esse potissimùm desumendam ex ejusdem commissione vel privilegio. Etenim de jure communi neque in beneficiis c. 1. *hoc tit. in 6.* neque in causis exemptorum, *cap. si Abbatem* 36. *vers. hujusmodi de Electione in 6.* vel aliis singularis potestas ipsi attributa reperitur, nisi quod *in cap. penult. hoc tit.* absolutio à percussione Clerici, circa subditos tamen solummodò suæ provinciæ, concedatur. & *in cap. fin. hoc tit. & cap. 2. eodem in 6.* Judex *ordinarius* pronuntietur, Specialiter verò.

Quæritur V. quid censendum de *Nuntiis*, qui ad Imperatorem, aliosque Reges mittuntur cum Titulo: *Nuntius Apostolicus cum potestate Legati de latere*, quæ clausula de stylo curiæ Romanæ solet addi Legatis, quibus S. Pontifex viva voce legationem demandavit, teste Hostiensi *in princ. hoc tit.* Nihil interesse, an quis Legatus *de Latere* sit, vel *cum potestate Legati de latere* mittatur, docet Zoesius *hoc tit. n.* 15. Garc. *de Beneficiis parte 5. cap. 3. num.* 82. *arg. legis 1. ff. de Tutoribus datis* ubi Proconsul, & *proconsulari potestate præditus* æquiparari videntur.

7 Verùm mihi semper probabilius visum est, tantùm interesse inter verum Legatum *de Latere*, & Nuntium missum *cum potestate Legati de Latere*, quantum interest, an quis habeat jurisdictionem ordinariam à lege, vel tantùm specialiter demandatam; an quis sit Episcopus vel tantùm Vicarius Episcopi; Cardinalis, vel vices gerens, Dominus, vel tantùm Procurator cum generali mandato. Etenim hic Titulus cùm sit de jure scripto incognitus, & tantùm de stylo Curiæ usitatus, ideo etiam de jure nulla specialis potestas ipsi adscripta est, & sicut Vicarius Episcopi cum generali mandato ut possit omnia, quæ Episcopus, Procurator ut possit omnia, quæ Dominus, non potest quædam majoris præjudicii, quæ Episcopus, vel Dominus non fuisset verisimiliter in specie concessurus, *cap. qui ad agendum 4. de Procuratoribus in 6.* sic nec *Nuntius*, cui data est potestas omnia faciendi, quæ Legatus *de latere*. Ita sanè Piasecius *in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. num. 9.* expressè docet, quòd *Nuntius cum potestate Legati de Latere* missus beneficia conferre nequeat, nisi ex speciali privilegio, & rectè allegat textum *in cap. 5. hoc tit. in 6.* ubi legato, qui Cardinalis non sit, denegatur potestas conferendi beneficia, *quantumcumque*, ait ibidem Pontifex, *plenam legationem obtineas*. Ipsi quoque prioris sententiæ Authores, Garzias *d. cap. 6. numer.* 53. de stylo Curiæ magnam differentiam inter Legatos *veros de latere* & *Nuntios* cum simili potestate missos admittere debent, quòd illi regulariter omnia beneficia, isti verò tantùm simplicia, quæ valorem 24. Ducatorum non excedunt, conferre permittantur. Ex quo etiam à minori ad majus inferre licebit, quòd similes *Nuncii* neque in exemptos habeant jurisdictionem sine speciali mandato; nam beneficia tantùm de Episcopi, Exemptorum autem causæ de præjudicio Papæ sunt. Sed nec Legatus *natus* præsente tali Nuntio verisimiliter sua insignia, purpuram scilicet & alia, quæ enumerat Barb. *d. loco n.* 22. deponeret. Non obest *d. l. 1. ff. de Tutoribus datis*. Quia ibi non dicitur, quòd Vices Proconsulis aut Præsidis gerens omnia possit, quæ Præses, vel Proconsul, sed tantùm agitur de datione Tutoris; à particulari autem ad universale non est bona illatio, eadem enim datio tutoris *in d. l. 2. §. 1.* etiam Legato Proconsulis permittitur, qui tamen utique potestate minor est Proconsule. Item non obstat *c. si Papa 10. de Privilegiis, in 6.* ubi dicitur, quòd verba Papæ aliquid operari debent, nihil autem operarentur, si Nuntius *cum potestate Legati de latere* missus non haberet majorem potestatem quàm alius Nuntius. Respond. enim talia verba operari relativè, quia se referunt ad mandatum Pontificium, & privilegium, quod in ampliori forma datur talibus Legatis, quàm aliis, & ut compendio dicam, potestas istorum Legatorum non ex Titulo seu clausula, sed Titulus ex potestate in litteris commissionis inserta desumitur.

Quæritur VI. an asserenti se Legatum à summo Pontifice missum, credi debeat citra exhibitionem mandati Apostolici? Respond. esse distinguendum inter Legatum Cardinalem, & Nuntium Apostolicum: Cardinali enim asserenti se Legatum (dummodò noscatur esse Cardinalis) creditur sine alia probatione, eò quòd Cardinales non soleant à Curia abesse sine officio Legationis, nisi tamen aliqua à jure communi sibi non concessa prætenderet, qualia non præsumerentur aliter; quàm ex mandato Apostolico probata. Inferiori autem Clerico vel Prælato asserenti se Nuntium Apostolicum non habetur fides, nisi ostensis litteris Papalibus. Textus & Gloss. *in c. fin. dist. 97. c. cum in jure 31. de Officio delegati*. Azor. *Institut. moral. parte 2. lib. 5. cap. 27. quæst. penult.* Idemque dicendum, tametsi asserat se Nuntium *cum potestate Legati de latere:* adhuc enim Cardinalis non est, & consequenter illam præsumptionem pro Cardinalibus militantem non habet, generaliter autem Nuntium esse, vel cum simili potestate missum quid facti est, facta autem non præsumuntur, sed probari debent arg. *L. 2. ff. de Juris & facti ignor.* 8
Incidenter hic adnotari potest in Bulla Pii 9
IV. quæ incipit: *Et si Romanorum, &c.* excommunicationem esse latam contra quemcumque Nuntium Apostolicum, qui à Principibus, ad quos mittitur, dignitatis, aut gradus v. g. Cardinalatus alteriusque officii, vel beneficii in curia obtinendi causa litteras commendatitias quovis modo ambierit, sive eorum studio, & favore pro se aut consanguineis suis usus fuerit; non tamen additur in d. Bulla hanc censuram esse reservatam.

Quæritur VII. quam potestatem habeat Legatus *natus*? 10
Respond. de jure communi nec circa collationem beneficiorum, nec circa absolutionem à violenta manuum injectione in Clericum Legato *nato* quatenus tali competere facultatem *c. penult. x. & c. 1. hoc tit. in 6.* neque jurisdictionem in exemptos, sed totam ejus potestatem ex forma Privilegii, in quo talis legatio concessa fuit, vel aliis subsequentibus dependere, teste Gloss. *in c. 1. v. universas x. hoc tit.* Prout & Celsiss. nostro Archiepiscopo Salisburgensi varia concessa sunt privilegia, absolvendi ab hæresi, conferendi beneficia in mensibus Papalibus, ordinandi extra tempora, dispensandi in tertio & quarto gradu ad Matrimonium cum illis, qui labore manuum victum quærunt &c.

Quæritur VIII. quomodo intelligendum sit, *d. cap. 1. hoc tit.* ubi dicitur, quòd Archiepiscopus, qui simul est Legatus, à subditis Suffraganeorum possit sive per appellationem, sive per querimoniam adiri? Respond. Legatos quosque de jure habere concurrentem jurisdictionem cum Ordinariis suæ provinciæ, etiam in causis fori contentiosi, ita ut licèt Archiepiscopus aliàs regulariter non habeat jurisdictionem in subditos sui Suffraganei Episcopi extra causam visitationis, appellationis vel negligentiæ, si tamen sit Legatus possit mox in prima instantia à subdito Suffraganei adiri.

Verùm

Verùm hodie in Trident. *Seff.* 24. *de Reform. cap.* 20. ſtatutum eſt, ut cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes in prima inſtantia coram locorum Ordinariis dumtaxat cognoſcantur, neque Legati etiam *de latere*, Nuntii, Gubernatores, aut alii quatumcunque facultatum vigore Epiſcopos in prædictis cauſis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem præcidere, aut turbare præſumant, vel contra laicos, aliaſque perſonas Eccleſiaſticas, niſi Epiſcopo priùs requiſito, eoque negligente procedant.

12 Exempti quamvis jurisdictionem alterius judicis in præjudicium S. Pontificis prorogare nequeant, Legati tamen nati jurisdictiooem eos poſſe prorogare, inſinuat Gloſſa *in d. c.* 1.

13 Quæritur denique qualiter finiatur officium Legati? Respond. finiri I. translatione negotii ad Papam per relationem vel appellationem, *cap. licet* 5. *h. t. l.* 1. *C. de Relat. l. ex illo*, 13. *C. de Appellat.*

II. Revocatione Legati per Papam, poſtquàm hæc revocatio Legato innotuit; aliàs geſta per ipſum valent, uſquedum habeat revocationis ſcientiam; imò revocatus non videtur amittere jurisdictionem, priuſquàm actualiter provinciam exceſſerit *arg. L.* 3. *ff. de Officio Præſidis.*

III. Per mortem Legati, ſi legatio perſonæ, ſecùs ſi dignitati annexa ſit. Per mortem autem S. Pontificis non extinguitur officium Legati, quia Legatus eſt Judex Ordinarius *c. Legatos*, 2. *h. t. in* 6.

TITULUS XXXI.

De Officio Judicis Ordinarii.

SUMMARIA.

1 *Quis dicatur Ordinarius?*
2 *Mandata Jurisdictio an ſit ordinaria, vel delegata?*
3 *Referenda eſt ad ordinariam, non tamen in rigore.*
4 *Vicarius Epiſcopi non tantum generalis, ſed etiam foraneus eſt ordinarius.*
5 *Quid interſit in effectu, an quis ſit ordinarius vel delegatus.*

1 JUdicem ordinarium appellamus eum, qui *ordinariè* in cauſis controverſis adiri & judicare poteſt. Hæc enim eſt differentia inter *Delegatum* & *Ordinarium*, quòd Jurisdictio Delegati ſit reſtricta ad particularem cauſam v. g. quæ hic & nunc vertitur inter Titium & Sempronium, & regulariter data non habenti de cætero jurisdictionem; Ordinarii verò jurisdictio competat *jure Magiſtratus*, quando nimirum aliquis à Principe, Rep. Univerſitate aut Collegio honeſto tale officium conſecutus eſt, cui de Jure ſcripto vel de conſuetudine aliqua jurisdictio generalis eſt annexa, ex qua talis Judex in omnibus controverſiis, vel certo ſaltem cauſarum genere judicare valeat.

2 Sed quid *de mandata jurisdictione* dicemus; anne ordinariam vel delegatam appellabimus? Sanè inter *mandatam jurisdictionem*, & *delegatam*, neceſſariò differentiam eſſe conſtituendam, diverſa Juris loca evincunt, quæ ſine manifeſta contradictione cæteroquin conciliari vix poſſent. Etenim *in l. fin. ff. de Offic. ejus cui mand. &c.* negat J. C. quòd mandatam Jurisdictionem habens eam alteri demandare poſſit. Econtra *L. eum Prætor.* 12. §. 1. *ff. de Jud.* dicitur, etiam eum, cui mandata eſt jurisdictio, Judicem dare poſſe. Item *in l.* 1. *ff. Quis à quo appell.* dicitur, quòd ab eo, cui mandata eſt Jurisdictio non detur appellatio ad mandantem, ſed ad mandantis ſuperiorem; è contra *in l. unica C. Qui pro ſua Jurisdictione*, raſcribit Imperator à Delegato rectè appellationem ad Delegantem interponi. Quam ob rem rectiſſimè præter alios notavit Fach. 1. *Cont. c.* 78. *& lib.* 12. *cap.* 89. Georg. Obrech. *de Jurisd. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 7. quòd mandare Jorisdictionem & delegare plurimùm inter ſe differant: nam in propriis terminis tunc dicitur *Jurisdictio mandata*, quando ea in *univerſum ad omnes generaliter*, vel *ſaltem ad omnes unius generis cauſas* committitur, puta quando quis ad totam mandantis Jurisdictionem ejus nomine exercendam, vel ſaltem in omnibus cauſis Civilibus tantùm, aut Criminalibus tantùm Judex creatur; *l. ſolet*, 16. *tum l. ſeq. ff. de Jurisdict.* Cujuſmodi mandatam jurisdictionem de Jure Canonico habet Vicarius Epiſcopi, de Jure Civili Legatus Proconſulis, *l.* 4. §. 6. *& l. legati*, 13. *ff. de Offic. Proconſulis.* Delegatum verò propriè accipimus, qui ad unam tantùm particularem cauſam terminandam Judex conſtituitur, iſque in Jure Civili quandoque *Judex datus*, quandoque Delegatus appellatur, *d. l. eum Prætor. ff. & l. à Judice C. de Judic.*

3 Igitur cùm ex iſtis liquidò appareat mandatam jurisdictionem non eſſe delegatam, niſi habentem mandatam jurisdictionem *Delegatum ad univerſitatem cauſarum* dicere velimus, ideò mandatam jurisdictionem ad ordinariam referendam eſſe putamus; tùm quòd mandatam habens *ordinariè* tanquam Judex adiri poſſit, tùm quòd mandata jurisdictio cenſeatur propria ipſius mandantis, non mandatarii, *l.* 1. §. 1. *ff. de Offic. ejus &c.* & conſequenter ordinaria, cùm non niſi ordinariam jurisdictionem habens eam alteri demandare poſſit, *l. more majorum* 5. *ff. de Jurisd.* tum denique quòd illa, quæ de Judice Ordinario ad differentiam Delegati dicuntur, etiam habenti mandatam jurisdictionem rectè conveniant. Gaill. *lib.* 1. *obſ.* 97. *num.* 12. Quamvis interim libenter concedamus, eum, qui mandatam jurisdictionem habet, non eſſe ordinarium, ſi propriiſſimè, & in rigore loquamur; quia eam non habet jure proprio, & à lege, ſed alieno beneficio, nec eam demandare poteſt, atque per mortem mandantis revocatur; quæ omnia aliter ſe habent in ordinario propriiſſimè dicto.

4 Hinc inferimus non tantùm Vicarium Epiſcopi Generalem Ordinarii nomine venire, ut cum Gl. *in c. Romana*, 3. *in v. generaliter*, *de Appell. in* 6. docent Garc. *de Benef. part.* 5. *cap.* 8. *num.* 21. Zoeſ. *de Offic. ord. n.* 11. & communiter alii. Sed etiam Vicarium Epiſcopi *Foraneum*, qui in certa tantùm parte Diœceſis conſtitutus eſt. Sylv. V. *Vicarius*, *q.* 4. quidquid doceat Molina *de J. & J. tract.* 5. *diſp.* 10. *num.* 3. *&* 6. Sanch. *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 29. *num.* 10. Singularis quidem eſt controverſia, an Vicarius etiam in iis, quæ ipſi per ſpeciale mandatum committuntur, ſit Ordinarius? In qua, omiſſis aliorum opinionibus, quæ videantur apud Sanch. *d. l. num.* 6. nos convenienter noſtris fundamentis ſemel poſitis, ita diſtinguimus: ſi Vicario per ſpecialem commiſſionem data ſit poteſtas illa ſpecialia ſemper impoſterum exercendi, tali caſu Vicarius ex doctrina ſupra poſita erit *Delegatus ad univerſitatem cauſarum*, & conſequenter ordinarius, & coadunabitur hæc commiſſio ſpecialis cum prima generali *juxta cap. acceſſorium* 42. *de R. J. in* 6. Si verò per ſpeciale mandatum detur ſolummodo poteſtas limitata, hic & nunc unum ſpeciale emergens peragendi, cenſemus Vicarium in tali caſu eſſe ſimpliciter delegatum, & proinde ab ipſo ad Epiſcopum rectè appellari; cum utique non ſit ordinarius, qui non poteſt ordinariè in ſimilibus cauſis adiri. Lapus, Ancharanus & Dominicus apud Sanch. pro noſtra ſententia *d. num.* 6.

Porrò an quis ſit Ordinarius vel delegatus, non eſt tantùm quæſtio de nomine, verùm in re ipſa plurimùm intereſt.

Nam I. Delegatus, qui non ſit ſummi Principis, cauſam ſibi commiſſam alteri delegare non poteſt, Ordinarius verò regulariter jus delegandi habet.

II. Judex Ordinarius, quamvis ut ſuſpectus ſaltem de Jure Canonico *c. ſi quis*, 4. *de For. comp. & c. ut debitus*, 59. *de Appell.* recuſari poſſit, tamen illæ cauſæ, ex quibus poſſet recuſari Delegatus, non ſemper ſufficiunt ad recuſandum ordinarium, ſed debent eſſe de cauſis gravioribus. Vid. Hoſtienſ. *in Summa in tit. de Offic. Jud. Delegati ſub rubr. de recuſ. jud. deleg. & in Tit. de Appell. ſub rubr. de recuſ.*

III. Delegatus ab alio quàm à ſummo Principe, non poteſt exequi ſuam ſententiam, ſed debet executionem Deleganti remittere, *ut ex d. c. ſi quis*, 4. *de For. comp. & L. à D. Pio* 15. *in princ. ff. de Re jud.* communiter traditur, quod ſecus eſt in Judice Ordinario, qui ſi mixtum habeat imperium, ſententiam ſuam executioni man-

mandare potest, & debet Vallens. *de Off. jud. deleg. §. 4. num. 7.*

IV. Citatus ab ordinario, si dubitet de Jure citantis, venire debet & exceptionem suam proponere *L. si quis ex aliena 5. de Jud.* citatus verò à Delegato comparere non tenetur, nisi sibi de delegatione priùs fides fiat. Gail. *1. obs. 48. n. 17.* Mins. *Cent. 3. observ. 1.*

V. Quando jura aliquid committunt Ordinariis locorum, tunc appellatione Ordinariorum veniunt omnes habentes ordinariam jurisdictionem, nisi ex subjecta materia appareat tantùm Episcopos intellectos fuisse, vel nisi expressè nomen Episcopi, vel Diœcesani appositum fuerit, Gl. *in c. Ordinarii, 3. de Offic. Ord. in 6.* Joan. Honor. *eod. tit. n. 1.* Notanter dico: nisi *ex subjecta materia* aliud appareat, unde quamvis licentiam matrimonium contrahendi vagis juxta Trid. *s. 24. de Ref. matr. c. 7.* præter Episcopum etiam Vicarius concedere possit, Sanch. *de Matr. lib. 3. disp. 25. n. 10.* Archidiacono tamen hæc potestas non videtur concedenda, cùm ad eum cognitio causarum matrimonialium non pertineat. Trid. *s. 24. de Ref. c. 20.* Concederem tamen, si hæc ei cognitio in prima instantia per Episcopum demandata esset, tunc enim tanquam mandatam jurisdictionem habens in causis matrimonii Ordinarii nomine veniret.

VI Denique Delegatio expirat, si Delegans re integra moriatur, non verò officium Judicis Ordinarii, etiamsi Princeps, qui ipsum Ordinarium constituit, moriatur *c. 2. de Off. Leg. in 6.* Quod tamen patitur limitationem in Vicario Episcopi & omnibus illis, qui mandatam jurisdictionem habent. ex speciali ratione, quòd illa jurisdictio sit propria ipsius mandantis, & consequenter unà cum ipso etiam extinguatur. *L. & q. 6. ff. de Jurisd.* Sanch. *de Matrim. lib. 3. disp. 30. n. 7.* Quæ de judicibus Ordinariis in specie hic subnecti solent, dicemus infra in *Tit. de Majorit. & Obedient.*

TITULUS XXXII.

De Officio Judicis.

SUMMARIA.

1 *Quid sit Judex?*
2 *Servi prohibentur esse judices: communis tamen error in hoc & aliis casibus jurisdictionem tribuit, ita ut acta valeant.*
3 *Fœminæ regulariter non debent esse judices: fallit in illustribus quibusdam & in Abbatissis.*
4 *Minores quatenus possint vel non possint esse judices.*
5 *Infames quoque prohibentur, item excommunicati, suspensi hæretici & schismatici, & n. 6.*
6 *Judex quomodò debeat esse vir bonus?*
7 *An Judex in favorem amici possit judicare.*
8 *Inter duas æqualiter probabiles sententias eligere potest Judex, quod juxta arbitrium boni viri videbitur.*
9 *Judex à muneribus abstinere debet.*
10 *Esculenta & poculenta Judex potest recipere à partibus: consultius tamen est abstinere.*
11 *Quid de sportulis?*
12 *Quæ sit differentia inter sportulas & munera?*
13 *Judex an possit esse, qui Juris peritus non est?*
14 *Cur medicus malè curans, & advocatus malè consulens ex imperitia teneatur ex vero delicto, non autem Judex malè judicans per imperitiam.*
15 *Potestas Judicis dividitur in Imperium & Jurisdictionem. Item Imperium in merum, & mixtum: & quid sit merum Imperium.*
16 *Tres gradus meri Imperii.*
17 *De Iure Canonico datur etiam merum Imperium.*
18 *Quid sit mixtum Imperium.*
19 *Iurisdictio simplex, in quo consistat, & quomodò penes Iudices delegatos sit.*
20 *Quæ differentia inter officium Iudicis nobile & mercenarium.*
21 *Quibus modis acquiratur* Imperium *& Iurisdictio; estque alia ordinaria, alia delegata.*
22 *Merum & mixtum Imperium ac Iurisdictio præscriptione acquiri possunt.*
23 *Quantum temporis ad talem præscriptionem requiratur.*
24 *An præscriptio immemorialis circa res & Iura ad summum Principem pertinentia requiratur, remissivè.*
25 *An concesso castro simpliciter, censeatur per hoc concessum merum ac mixtum Imperium.*
26 *De Iure Civili merum Imperium delegari non poterat: secus de hodierna consuetudine: & quid de Iure Canonico.*
27 *An mixtum Imperium possit delegari? Regulariter affirmatur.*
28 *Num Academiis competat merum Imperium: & quid de nostra Salisburgensi.*
29 *Prorogatio jurisdictionis quid sit & quot modis fiat.*
30 *Qualiter fiat de persona ad personam.*
31 *Non habet locum in Iudice delegato, in Clerico respectu Laici, nec in foro pœnitentiali, nec ad declinandam jurisdictionem alicuius patrimonialem.*
32 *Non potest fieri à studiosis ad declinandam jurisdictionem Rectoris.*
33 *Qualiter fiat prorogatio de re ad rem, de loco ad locum, & ad tempus.*
34 *Prorogatio necessaria est reconventio.*

POstquàm de Delegatis & Ordinariis Judicibus dictum est, etiam de ipso Judicis officio in communi meritò hic subnectitur. Et quidem Judex quasi jus dicens appellatur, & describi potest, quod sit *persona legitima, & vir bonus, juris & æqui peritus, de negotiis, sive controversiis litigatorum cognoscendi pronuntiandique ius habens. cap. forum. 10. de verbo. signif.* Harp. *ad tit. Inst. de Officio iudicis.* 1

Dico I. *Iudicem* debere esse *personam legitimam*, quæ scilicet à lege non sit prohibita officium Judicis suscipere.

Prohibentur autem I. Servi. *L. cum prætor. 12. §. 2. ff. de Iudiciis. l. servitutem 209. ff. de Reg. Iur.* si tamen servus communi hominum opinione pro libero habitus Judicis munere fungatur, ejus acta ob utilitatem publicam hominum, qui non debent in rebus magni momenti decipi, sustinentur, ut est notabilis textus *in l. Barbarius. 3. ff. de Officio prætorum.* Licèt autem hodiè sublata servitute inter Christianos hic casus sit ratus, nihilominus dictum textum Doctores communiter extendunt ad alios etiam profanos, & ecclesiasticos, ubi Judex sive fori externi, sive interni ex causa aliqua illegitimus pro legitimo habitus fuit, & pro axiomate dicere solent: *communis error ius facit.* Videatur Thomas Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp. 22. n. 49.* 2

II. Prohibentur Fœminæ, quæ partim ob verecundiam sexus, partim ob inconstantiam, & imbecillitatem judicii à publicis muneribus arcentur, *c. mulierem. 17. caus. 33. q. 5. l. Fœmina. 2. ff. de Reg. Iur. l. alienam. 18. Cod. de Procurat.* Toleratur tamen consuetudo Regni, in quo Fœminæ majoris dignitatis jurisdictionem habent, præsertim si talis jurisdictio administrationi Bonorum, seu Castrorum, in quæ Fœminæ jure hæreditario, vel etiam feudali, deficientibus masculis, si feudum fœmininum sit, vel mixtum, succedunt, cohæreat, *cap. dilecti. 4. de Arbitris.* Item & Abbatissis ratione dignitatis aliquam jurisdictionem concedunt Doctores. Panorm. Barb. & Glos. per textum *in c. dilecta. 12 de Maioritate & obedientia.* Ita tamen, ut quod ibidem dicitur, Abbatissam posse suas Canonicas & Clericos suæ jurisdictioni subjectos *ab Officio, beneficioque suspendere* non sit accipiendum de suspensione propriè dicta, quæ sit censura, & cujus transgressio irregularitatem inducat; cùm fœminis non sint concessæ claves ecclesiæ, *cap. nova 10. de Pœnitentiis & remiss.* sed de simplici prohibitione celebrandi divina, & fructuum subtractione. Deinde notat Panorm. *in cap. dilecti. 3. de Arbitr. n. 1.* quòd fœmina ex privilegio, vel consuetudine habens jurisdictionem possit eam per se exercere, & sententiam ferre. Ita Angelus *in leg. cum Prætor. 12. ff. de Iudiciis* dicitur, se vidisse Joannam Reginam Neapolis sedentem in solio regio; & ferentem sententiam capitalem. Ita 3 4

Debora

Debora Prophetissa judicavit populum Israeliticum *Judic.* 4. Interim ut fæminæ jurisdictionem habentes passim per se solas judicent sine consilio virorum prudentum non putarem aliqua consuetudine introduci posse, & facit textus *in d. c. dilecti*, non enim foret consuetudo rationabilis, quia adversaretur verecundiæ, & honestati sexus muliebris, & traheret secum quotidianum periculum multorum errorum cum gravi partium damno ex infirmo fœminarum judicio, multis insuper passionibus (utpote plerumque amore, aut odio infectarum) obnoxio, Illa propterea omnium receptissima est consuetudo, ut fœminæ jurisdictionem suam Jurisperitis delegent, quos præfectos suos, Administratores & Judices constituunt.

4 III. Natura (scilicet ex defectu naturalis judicii) prohibentur esse Judices surdi, muti, furiosi, & impuberes ait JC. *in d. l. cum Prætor*, §. 2. Sed quid de Minore 25. annis dicendum? Resp. de Jur. Can. Judicem dari posse, qui 20. annum complevit, infra annum autem 20. non posse dari Judicem, nisi à Principe, aut certè ex consensu partium eum, qui saltem 18. annos compleverit, *cap. cum vigesimum*, 41. *de Officio delegati*. De jure Civili *in l. quidam consulebant*, 57. *in princ. ff.* de *Re judicata*, generaliter dicitur, eum qui complevit 18. annum Judicem esse posse, & notat Gloss. *in d. l. cum Prætor, V. impubes*. Si jure hæreditario, aut feudali competat jurisdictio cohærens Bonis (sicut competit Principibus, aliisque Dominis temporalibus) ea etiam in pupillum, & alios utcumque natura prohibitos transit, sed per Tutores; Curatores, vel Administratores exercetur. Schraderus *de Feudis p.* 10. *Sess.* 4. *n.* 54.

5 IV. Prohibentur esse Judices infamia juris notati *d. l. cum Prætor*, *& ibi interpretes*.

6 V. Excommunicati, Suspensi, Hæretici, & Schismatici, *cap. quod sedem*, 9. *de Officio Jud. Ordin. capit. audivimus*, 4. *causa*, 24. *q.* 1. *c. excommunicamus*, 13. *§. credentes. de Hæreticis*. Excommunicatio enim suspendit quamcumque jurisdictionem, ita ut nec delegari possit. quia & delegatio actus jurisdictionis est, *cap.* 1. *de Officio Vicarii*, *in* 6. Qua de re videantur tradita *in Tit. de Sentent. excomm.* ubi habetur, quòd hodie post Concilium Constantiense excommunicatus non amittat jurisdictionem, nisi fuerit per Episcopum denuntiatus, vel notorius percussor Clerici, Covar. *in Relectione c. alma mater*, *de Sentent. excomm. in 6. par.* 1. §. 7. *nu.* 9. Item etiam, quòd absolutio à censura, quam tribuunt Confessarii privilegiati vel alii, regulariter tantùm prosit quoad forum internum, nimirum recuperationem sacramentorum, & suffragiorum Ecclesiæ, non verò quoad recuperationem communicationis fori externi, & jurisdictionis externæ, nisi consuetudo habeat, ut talis absolutio etiam pro foro externo acceptetur, vel in foro externo absolutio data sit ab Ecclesiastico Judice.

7 Dico II. *Judicem* debere esse *virum bonum*, Idest incorruptum, prudentem & constantem. Unde inprimis vitabit, ne in judicando respectum personarum habeat, aut affectum privatum sequatur; nam *quicumque aut consanguinitate, aut amicitia, vel è contrario hostili odio in judicando ducitur, pervertit Judicium Christi, qui est Justitia, & fructum illius vertit in damnationis amaritudinem*, ait divus Augustinus *in c. quicumque*, 79. *causa* 11. *qu.* 3. Neque etiam *quid durius, aut remissius constituere debet, quam causa deposcat; ne aut severitatis, aut clementiæ gloriam affectare videatur, sed perpenso judicio, prout quæque res postulat, statuet. l. prospiciendum* 11. *ff.* de *Pœnis*. Item *in cognoscendo neque excandescere adversus eos debet, quos malos putat, neque precibus calamitosorum illacrymari*, *id enim non est constantis, & recti Judicis, cujus animi motum vultus detegit*; ait JC. *in l. observandum*, 19. §. 1. *ff. de Officio præsidis*. Notanter autem dicit JC. *in cognoscendo* non debere Judicem *excandescere*, nam ubi delictum probatum est, & de ejus correctione agitur, stylus Judiciorum est, ut nonnunquam in delictis minoribus loco pœnæ exprobratio gravior & invectio Judicis in delinquentem, vulgo *ein Bermeig.*, statuatur, & notatur *in l. interlocutio*. 19. *Cod. Ex quibus causis infamia irrogetur.*

Quærunt Doctores: An Judex ita debeat affectum privatum seponere, ut nullo casu possit in favorem amici judicare?

Non dubito, quin Judex certum jus, aut saltem probabiliorem opinionem derelinquere, & injustam sententiam, vel minùs probabilem pro favore amici ferre non possit. Item non dubito, aliquando pro favore certæ personæ posse judicium ferri, si ille favor non sit privatus, sed juris; ita enim in dubio jure pro reo potiùs, quàm pro actore, pro causa pia, pro persona miserabili, pro possessore, pro agente ad valorem matrimonii judicandum esse, vulgò innotuit. *c. fin. de Sentent. & re jud. cum concord.*

Tota igitur est difficultas, quid si controversia aliqua ita sit apud Doctores disputata, ut revera utraque contradictionis pars fermè aquali probabilitate nitatur, sicut multæ sunt controversiæ, quæ Principis decisione indigerent; an inquam tali casu liceat Judici pro favore amici, quàm maluerit sententiam sequi, licèt is de cætero nullum specialem favorem in jure mereatur?

Non posse Judicem data utrinque æquali probabilitate causæ alterutri pro suo arbitrio, & multò minùs propter respectum amicitiæ adjudicare, censet Laym. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *sub numer.* 16. *contra* Valent. Sayr. *&* Sanchez *ibidem cit.* sed si post accuratam discussionem neutra pars superare videatur, debere vel causam ad superiorem remittere, vel arbitros partium consensu statuere, vel compositionem aut transactionem suadere, vel imperare, vel demùm rem inter litigantes dividere, *arg. cap. afferte*. 2. *de Præsumpt.*

Verùm ego quidem consentio, nihil omninò tribuendum esse privato affectui, induendoque personam Judicis, exuendam esse personam amici, neque in judiciis acceptionem personarum habendam, *juxta Regulam* 12. *Juris. in* 6. cæterum autem planè opinor inter duas æquales probabilitates posse Judicem alterutram seligere juxta boni viri arbitrium, licèt ista electio per consequens cedat in utilitatem amici, dummodò amicitia ad hoc modo eligendum principaliter non moveat; imò si de facto ex respectu amicitiæ moveretur, crederem quidem peccaturum peccato acceptionis personarum ob inordinatum affectum, non verò contra justitiam, eo quòd supposita æquali probabilitate eligendo alterutram partem nihil contra Jura agat. Ita sanè habet praxis omnium penè Dicasteriorum, ut in quæstionibus maximè controversis alterutram sententiam pro suo arbitrio teneant. Idque confirmatur ex *Novell.* 125. ubi Imperator jubet, ut causas quantumcumque difficiles non ampliùs judices ad Imperatorem referant, sed ipsimet, prout eis justum legitimumque videbitur, decernant, reservato parti, quæ se gravatam putabat, appellationis remedio. Quòd verò Laym. putet deductis utrinque æqualiter probationibus juris vel facti, aut transactionem partibus imperandam esse, aut rem dividendam; priùs quidem ex sententia Panorm. *in cap. cum inter R.* 16. *de Elect. numer.* 9. Barbos. de *Officio Episcopi alleg.* 79. *numer.* 9. aliquando fieri potest, dissentiente tamen Baldo *in l. ex stipulatione* 7. *Cod. de Sententiis, & interloc.* Suttingero *in Processu Judiciario Observ.* 47. contractus enim ab initio sunt liberi *l. sicut* 5. *Cod. de Oblig. & act. l. invitum* 11. *Cod. de Contrahend. empt.* sed non est necessarium; imò nonnumquam minus Judici honorificum, quasi videatur nescire in causa difficili sententiam ferre. Alterum verò, scilicet necessitas *dividendi*, non habet solidum in jure fundamentum; vel enim probationes *juris*, idest, allegationes legum & Authorum sunt æquales, vel probationes *facti*, idest, productiones testium & instrumentorum? Si prius, Judex potest alterutram sententiam eligere, ut præmissum; & cum sententia Judicis debeat esse *conformis libello*, satis videtur incongruum, ut is, qui totum petit, & probationes respectu totius in judicio produxit, tantùm partem ferat. Neque aliquid evincitur ex *dict. cap. afferte. de Præsumptionibus*: quia ibi non dicitur, litigiosam rem esse inter partes dividendam, sed solùm refertur exemplum Salomonis ex *lib.* 3. *Regum cap.* 3. inter duas mulieres super uno infante litigantes judicium facientis, ubi tan-

tantùm simulabat divisionem infantis, ut ex affectu compassionis super filio occidendo veram matrem agnosceret. Si posterius; & probationes *facti* sint omninò & per omnia æquales (quod tamen vix unquam contingit, ut non sit ex una parte plenior probatio, & testes producti numero plures, opinione integriores, præsumptionibus majoribus adiuti, *juxta cap. in nostra. 32. de Testibus*) tunc probationes probationibus enervantur, & in pari causa pro reo, vel pro possessore erit pronuntiandum *juxta Regulam* 11. *&* 56. *Juris in 6.* Si uterque litigans personam rei, vel possessoris sustineat, e.g. si duo vicini super jure venandi, piscandi, aut pascendi litigent, & uterque de possessione docuerit, præfertur is, cujus possessio est antiquior, vel titulo munita; quod si utrobique sit paritas, cuilibet possessio pro indiviso, & communiter adjudicanda erit, servando formam Interdicti, *uti possideris, ita possideatis*; quòd si uterque sine periculo armorum possessionem communem ità à Judice assignatam continuare nolit, sequestranda erit possessio, usque dum alteruter dimisso possessorio petitorium instituat, & ibidem de justo titulo privativè quoad alterum doceat, vel succumbat, aut certè inter se amicabiliter componant, prout hac de re agunt prolixè Interpretes *in tit. de Causa possessionis & proprietatis, & in c. licèt causam, 9. de Probat.*

Prætetea ad *bonitatem* Judicis pertinet, ut ab *acce-*
10 *ptione munerum* abstineat, *munera enim excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum, Exod. 23. vers. 8. & Deuter. 16. vers. 19.* Atque Judicem accipientem munera ad restitutionem teneri, & graviter pro delicti circumstantia puniendum esse, textus sunt *in tit. ff. & Cod. ad l. Juliam repetundarum*: nam opera justitiæ venialia non sunt, nec justitia est materia vendibilis, *qui rectè judicat* ait Divus Gregorius *in c. qui rectè, 60. causa 11. quæst. 3. & præmium remunerationis expectat, fraudem Deo facit, quia justitiam, quam gratis impartiri debuit, vendidit.* Unde & J. C. *in l. 2. §. 2. ff. de Condictione ob turpem caus.* respondit, crimen esse, si detur Judici, ut etiam in bona causa secundùm dantem sententiam ferret, & propterea de rigore juris eum, qui dedit, causam perdere; tum quòd, ut dictum, justitia venalis non sit; tum quòd, hæc datio ex præsumptione juris tendat in corruptionem Judicis, qui ob respectum muneris libertatem cognoscendi de veritate causæ amittit: neque enim semper causa illa justa est, quam pars litigans talem esse asserit.

Ex quo ulteriùs regulam constituunt Doctores, quòd datum ob causam necessariam, ad quam aliàs ex præcepto justitiæ tenetur recipiens, sit omninò restituendum, & quidem danti, nisi & is propter aliquam admixtam dationi turpitudinem (nimirum si in specie ad corrumpendum Judicem dederit, quo casu fiscus vindicabit datum, vel in causis Ecclesiasticis superior Judex jubebit applicari pauperibus, vel Ecclesiæ) lege humana jure repetendi privetur. Videatur Covar. *in Relect. c. peccatum, de Reg. Juris in 6. p. 2. §. 3.*

11 Esculenta tamen & poculenta sine ulla exactione à partibus oblata Judex acceptare non prohibetur, quia ex his minutis non præsumitur inflecti animus boni viri, *cap. statutum, 11. §. insuper, de Rescriptis, in 6. l. plebiscito. 18. ff. de Officio Præsidis l. solent. 6. §. 3. ff. de Officio Proconsulis.* Sed & hic ad cavillationes, detractiones, & suspiciones partium litigantium, quæ non semper cum sententia Judicis quamvis æquissima contentæ sunt, evitandas longè meliùs facit Judex etiam à similibus abstinendo, monente Isa. *c. 33. v. 15. justum debere excutere manus ab omni munere*, & Apostolo, quòd *multa liceant, quæ non expediunt.*

Nunquid autem saltem pro suo labore Judex ab utraque parte sportulas, seu certam quotam pecuniæ exigere potest.

12 Resp. esse differentiam faciendam inter Jus Can. & Civile, etiam de Jure Can. nec Ordinarius, nec Delegatus sportulas exigere potest: quia regulariter solet esse persona Ecclesiastica, quæ sufficientem sustentationem ex suis beneficiis habere præsumitur, ut propterea gravari non debeat justitiam administrare gratis, expensis tamen exceptis, quas delegatus petere potest, si fortè ad alium locum in causa partium & ad expediendam commissionem suam proficisci debeat; modò partes pauperes non sint, quia tunc nec has rectè peteret. Item pro suo Assessore, si eo indigeat delegatus, quod ipsemet sufficientem jurisdictionem non habeat, moderatas sportulas à partibus ditioribus exigere valet. Text. & Gloss. *in capit. cum ab omni. 10. de Vita, & honest. clericarum, d. c. statutum, §. insuper & seq. de Rescript. in 6.* De Jure similiter Civili *Ordinarius*, qui plerumque aliunde, scilicet à Principe, Republica, vel Domino ipsum constituente salarium habet, sportulas accipere non potest, *Delegatus* autem potest, si summa pro qua litigatur 100. aureos excedat, ita tamen, ut in principio litis tantùm duos, & in fine etiam duos accipiat, *Novel.* 82. c. 9. *& ibi Gottafredus*, Sylv. *Verbo, Judex, qu. 13. n. 33.*

An autem consuetudine possit introduci, ut vel de Jure Civili liceat *Ordinario*, vel de Jure Can. *Ordinario*, & *Delegato*, sportulas exigere, dubitat Sylv. *d. loco* & negativè concludit. Sed cùm consuetudo rationabilis habeat vim legis, *L. diuturna, 33. ff. de Legibus*, non video, quare jus merè positivum circa sportulas per consuetudinem immutari cæteris paribus non possit. Neque enim est irrationabile, ut Judex, qui maximam quandoque molestiam habet, in audiendis partium altercationibus, legendis libellis, diuturnis sessionibus, evolvendis legibus, & Authoribus, pro tanto labore moderatum quid à partibus exigat, *arg. l. quarta §. in judicia, ff. Finium reg.* Cavar. *de part. secunda capit. 3. sub numer.* 2. maximè si Clericus beneficiatus, qui Judex est, jam propter beneficium alia onera scilicet exercendi curam, legendi missas &c. imposita habeat, vel Judex civilis non satis magnum stipendium à constituente percipiat.

Dices: si licèt Judici accipere sportulas pro labore, 13
quem subit judicando, licebit ei etiam sub hoc pretextu accipere munera? Resp. Inter sportulas, & munera magnam esse disparitatem; nam in primis munera ex intentione dantium non solent dari pro labore, sed pro sententia favorabili, quàm proinde quasi venalem faciunt. Deinde munera, cùm proveniant ex liberalitate dantis, trahunt secum aliquam antidoralem gratitudinis obligationem, quæ judicem plùs æquo inclinat erga dantem, sportulæ verò exiguntur ab utraque parte æqualiter, & quidem ex debito, & sic earum datio non inclinat, vel obligat Judicem ad specialem favorem dantibus præstandum.

Dico III. *Judicem* debere esse *Juris & æqui peritum*: 14
oportet enim ut secundùm Baldum *in leg. 2. Cod. de Sententiis ex breviculo recitandis* habeat duplicem salem in mente sua, scientiæ scilicet & conscientiæ, ne sine scientia sit insipidus, & sine conscientia diabolicus. Sed hinc.

Quæritur: An Judex esse possit, qui juris & legum ignarus est? Resp. Regulariter quidem non debere alium Judicem, si haberi possit, constitui, nisi insignem juris peritiam habeat *juxta Nov. 82. & princ. Inst. de Officio Judicis.* attamen absolutè loquendo ista Juris peritia de essentia non requiritur, dummodò cæteroquin vir prudens sit, & saltem juris consuetudinarii vel statutarii, aut eorum negotiorum, supra quæ Judex constitutus est, notitiam habeat, & in rebus arduis maximè ex jure scripto dependentibus assessorum, vel prudentiorum consilio utatur; sicut videmus in personis Illustribus, & Prælatis Ecclesiasticis. quibus hodie jurisdictio una cum dignitate & hæreditaria successione agnoscitur; item in Judicibus militaribus, Judicibus mercatorum, & similibus, qui rarò juris peritiam habent, *L. certi Juris, 17. Codic. de Judiciis. L. ultim. Codic. de Jurisdict.* Hottomanus *Illustrium quæstionum. quæst. 38. &* Matthæus Stephani *de Officio Judicis lib. 1. c. 5. n. 20. & seqq.*

Ex quo etiam resolvitur illa quæstio, cur Medi- 15
cus malè curans, vel Advocatus malè consulens ex imperitia teneatur actione *legis Aquiliæ* ex verò delicto in solidum. Textus & Doctores *in 6. & 7. Inst. de Lege Aquilia.* Judex verò per imperitiam malè judicans teneatur tantùm ex *quasi delicto*, nec in solidum, sed quan-

quantum superiori æquum videbitur. *juxta princ. Inst. de Obligat. quae ex quasi delicto*: Nam respondetur, ideò Medicum vel Advocatum teneri ex vero delicto, quòd imperitia culpæ annumeretur in iis, qui artem aliquam profitentur, maximè si spontè sua serviant, & pro mercede operas suas elocent: at verò Judex nec artem juris necessariò profitetur, ut dictum, nec sponte sua, sed superioris plerumque Imperio jus dicit. Harp. *in d. principio Inst. de Oblig. quae ex quasi delicto n.* 8. Revideantur etiam tradita. *in Tit. de injuriis, & damno dato*. ubi diximus, Medicum vel Advocatum nonnunquam à restitutione excusari, si in casibus controversis probabilem Doctorum opinionem sequendo consilium dederit, quòd præter intentionem ipsius malum eventum habuit.

Dico IV. *Judicem* debere habere *potestatem cognoscendi & pronuntiandi de controversiis litigantium*. Hæc porrò *potestas* dividitur in *Imperium* & *jurisdictionem*.

16 *Imperium* pro jussu, coercitione, & executione accipitur, atque subdividitur in *Imperium merum*, & *mixtum*. Imperium merum vocat Ulpianus *in l. 3. ff. de Jurisdictione* habere *jus gladii ad animadvertendum in facinorosos*. Aliter *merum* imperium describit Gloss. *in prolocutione ad tit. ff. de Jurisdictione*, quòd nimirum sit *potestas, quæ officio Judicis nobili per accusationem exercetur publicam utilitatem respiciens*. Dicitur *merum* imperium; quòd ibi potissimum & principale officium Judicis in jussione, coercitione, & executione consistat, lege ipsa dictante pœnam, & quasi exercente jurisdictionem, præmissa tamen cognitione super facto, ut potestas Judicis ab executione ministrorum ejus distinguatur. Rem declarat J. C. *in l. 5. §. 4. ff. ad Senatus Cons. Turpilian. Si Judex*, inquit, *contra calumniatorem in judicio pronunciaverit, calumniatus es, condemnavit eum; & quamvis nihil de pœna subjecerit, tamen legis potestas adversus eum exercebitur; nam facti quidem quæstio in arbitrio judicantis est, pœna verò persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis Authoritati reservatur*. Unde fit, quòd de jure communi civili nullus Judex inferior summo Principe possit pœnam ordinariam legis remittere, nisi id jure regalium, seu privilegio aut consuetudine habeat, vel lex ipsa ex circumstantiis ætatis, imprudentiæ, aliisque similibus remissionem concedat, ut *in tit. de Pœnis*. dicetur.

17 Porrò tres gradus *meri imperii* tradit Matthias Stephani. *de Officio judicis lib. 3. c. 7. n. 46. Primus* continet pœnam mortis naturalis. *Secundus* pœnam mortis civilis, qua nimirum alicui jus civitatis Romanæ & vita civilis aufertur, ut si deportetur in metallum, ad perpetuos carceres damnetur &c. *Tertius* gradus est pœnarum non capitalium, uti sunt mutilatio membri, fustigatio, relegatio, bonorum publicatio, aliave pœna pecuniaria.

18 De Jure Canonico nullum esse *merum imperium* putat Zoesius *ad tit. de Officio judicis delegati. numer.* 18. eò quòd hoc Jure pœna gladii, & sanguinis nulli irrogetur, sed in delictis atrocioribus traditio fiat per Ecclesiam judicio sæculari cum intercessione tamen pro vita & membris rei traditi. *cap. cum non ab homine*. 10. *de judiciis cap. novimus*. 27. *de Verborum signif.* & licèt Episcopi, ac Prælati habeant etiam sua judicia sanguinis, ea tamen non habent jure Canonico, vel quatenus Ecclesiastici, sed jure feudali; quatenus Domini & Principes territoriarum, atque vasalli Imperii. Andreas Gall. *Practicarum observat*. 30. *numer.* 4. Verùm hoc Zoesii dictum non est ita generaliter, ut ponitur, admittendum, quia de particulari infert ad universale. Mala haud dubiè consequentia est, de Jure Canonico primus gradus meri Imperii, vel aliqua species tertii gradus scilicet pœna sanguinis non est, ergo nullum merum Imperium est. Sanè sicut de Jure Civili exercitatio *gladii temporalis* est, ita de Jure Canonico *gladii spiritualis*, excommunicationis scilicet, quæ pœnis capitalibus comparatur, quia vitam spiritualem hominis tollit; item & potestas degradandi, confirmandi, corporaliter castigandi, perpetuis carceribus mancipandi &c. Rectè proindè etiam hoc jure *merum imperium* statuendum est cum Gloss. *in cap. quod sedem*, 10. *de Off. Ordinarii*, & utique etiam in foro Ecclesiastico officium Judicis nobile ad publicam utilitatem per accusationem, vel inquisitionem exercetur, quod proprium est *meri* Imperii. Sed & de Jure Civili *merum* Imperium quandoque alicui confertur non secundùm omnem latitudinem; sed secundùm gradus tantùm inferiores, & pœnas non capitales, sicut habent Nobiles in suis castris, vel pagis jus puniendi minora delicta, quàm Practici *jurisdictionem bassam* appellant, quæ jurisdictio, nòn utique simplex, sed ad Imperium idque merum referenda est, ut ex dictis, & dicendis apparebit.

19 *Mixtum imperium* dicit J. C. in *leg. 3. ff. de jurisdictione*, esse illud, cui inest jurisdictio, *mixtum* quasi & compositum ex *jurisdictione*, & *imperio* & Gloss. Civilis *dict. loco* describit *mixtum imperium*, quòd sit *potestas, quæ à nobili officio judicis exercetur privatam respiciens utilitatem*. Est enim *mixtum* Imperium circa causas civiles, vel criminales civiliter intentatas, ac sicut in *mero* Imperio principale est ipsa executio, & jus inferendi pœnam, ut publicæ quieti, & utilitati consulatur, accessorium autem cognitio facti, ita è contra in *mixto* Imperio principale est juris redditio & definitio controversiæ; executio verò partibus ipsis principaliter incumbit & injungitur, Judici autem tantùm in defectum & accessoriè, ubi partes non paruerint.

20 *Jurisdictio simplex* in cognoscendo, pronuntiandoque consistit absque jure exequendi, prout habere solet Judex Delegatus, cui datur quidem potestas sententiam ferendi, sed executio Deleganti reservatur, *c. quisquis*, 59. *causa 2. q. 6. l. à divo Pio*. 15. *in princ. ff. de re judicata*, nisi fuerit Delegatus summi Principis. *c. quæremi*, 26. *de Officio Delegati*. Interim cùm quilibet Judex etiam Delegatus modica coercitione uti possit contra non obtemperantes mandatis suis, dum eos ad judicium vocat &c. cum enim jurisdictio datur, ea quoque concessa intelliguntur, sine quibus jurisdictio expediri non potest *l. 2. ff. de jurisdictione*. *l. fin. de Officio ejus &c.* ideo ordinariè *simplex* etiam *jurisdictio* aliquid saltem *mixti imperii* annexum habet, & secundùm actum cognoscendi, pronuntiandique dicetur *jurisdictio*, secundùm actum verò coercendi dicetur *imperium*. Matthias Stephani. *d. c. 7. n. 3*. Hic iterum Gloss. Civilis *ad dictum tit. de jurisdictione* describit *jurisdictionem simplicem*, quòd sit illa potestas, quæ ab officio judicis *mercenario* expeditur privatam respiciens utilitatem.

21 Est autem inter Officium judicis *nobile* & *mercenarium* cujus hactenus mentionem fecimus, ea differentia, quòd *nobile* illud dicatur, quod Judex quasi motu proprio præter actionem institutam, & ut solemus loqui, *ex Officio*, jure aut æquitate ita suadente, exequi solet. Ita in causis criminalibus accusator non debet in libello concludere ad pœnam, sed Judex *ex Officio* eam inferet à lege determinatam. Ita Judex *ex Officio* inquirere potest in delinquentes, *cap. qualiter, & quando*. 17. *de Accus. l. 3. ff. de Off. Præsidis*. In civilibus quandoque *ex Officio* Judex deputat parti pauperi Advocatum, qui gratis serviat; judicat de expensis litis, aut fructibus rei restituendæ; supplet ea, quæ ab Advocatis ex jure minùs deducta sunt, juxta *l. unicam Cod. ut quæ desunt Advocatis &c.* sed jussus, executio, missio in bonorum possessionem ad hoc officium pertinet, quia ab Imperio pendent. *Mercenarium* autem officium dicitur, quod ordinariè actioni institutæ inhæret, quando nimirum Judex actione proposita consideratis circumstantiis, causæque meritis statuit, & judicat præcisè, prout jus illius actionis, & merita causæ allegata postularint. Unde si actor in libello fructus, & expensas non petierit, non tenebitur Judex ex officio *mercenario* de his pronuntiare, nisi *nobile* ejus officium per generalem libellorum clausulam imploratum sit.

22 Acquiritur Imperium & Jurisdictio ex concessione Principis, Legis, Consuetudinis, vel etiam ex Delegatione: est enim Jurisdictio alia *Ordinaria*, alia *Delegata*; *Ordinaria* dicitur, quæ jure magistratus, & publico judicandi officio competit, & *Ordinarius judex* est, qui ordinariè in causis controversis adiri potest; *Delegata* verò, quæ ex speciali commissione Ordinarii ad singulares & particula-

culares causas conceditur. Sed circa hæc ulterius.

23 Quæritur I. An *merum & mixtum* Imperium, item & *jurisdictio* præscriptione acquiri possint.

Respond. Affirmativam esse communem, & inter Doctores receptam, teste Covar. *in Relectione cap. possessor de Reg. jur. in 6. parte 2. §. 3. arg. cap. irrefragabili 13. in princip. Vers. excessus de Officio Ordinarii cap. cum contingat 13. de Foro comp. l. viros 8. Cod. de Diversis Officiis.* Licèt verò isti, & similes textus tantùm de consuetudine loquantur, inter consuetudinem autem & præscriptionem sit differentia, nihilominùs, quando per consuetudinem jus alicui particulari, vel privato acquiritur, potiùs præscriptio quàm consuetudo (utpotè quæ propriè accepta commune omnium commodum vel damnum concernit, est enim quasi lex communis) censeri debet.

Si etiam ex communi Doctorum sententia *in cap. super quibusdam 36. de Verb. signif.* cum Panorm. *in d. c. cum contingat & c. cum vobis* 14. *de Præscript.* Covar. *d. parte* 2. *§. 2. num.* 12. alia regalia Principis (quæ ei non competunt in signum supremæ eminentiæ, uti est suprema appellatio, vis condendi legem universalem, &c. sed tantùm ejus dignitati sunt reservata) e. g. collectarum, aut vectigalium exactio, tabellionum institutio, jus monetam cudendi, & alia, quæ enumerantur *in tit. feudorum: Quæ sint regalia*, & ibi notat Godofredus, præscribi possunt, non apparet, cur non etiam *merum* ac *mixtum Imperium*, & quævis Jurisdictio.

24 Quæritur autem II. quantum temporis spacium ad istam præscriptionem requiratur.

Respond. Esse distinguendum, an præscriptio fiat contra ipsum Principem vel contra alium privatum, qui priùs similia jura obtinebat? In primo casu tempus immemoriale vel quadraginta annorum cum titulo requirit Covar. *d. parte* 2. *§. 3. num.* 4. quòd præsumptio juris sit contra præscribentem ea, quæ dignitati Principis sunt reservata, ideoque procedat dispositio *cap. 1. de Præscript. in 6.* Altero autem casu censet Covar. ordinarium tempus ad præscribenda jura incorporalia sufficere, additque jurisdictionem annumerari servitutibus habentibus causam continuam: quia radicatur principaliter in persona, cujus animo retinetur continua possessio, quamvis facti exercitium non sit continuum. Qualiter verò præscriptione acquirantur servitutes videri poterit apud Harprecht. *ad tit. Inst. de Servitutibus prædiorum §. ult. numer. 6. &* 10. quòd scilicet nullo personalium, realium, continuarum vel discontinuarum servitutum discrimine habito longo tempore, nimirum 10. annorum inter præsentes, & 20. inter absentes præscribi possint *l. ult. in fine Cod. de Præscr. longi temporis.*

Non obest difficilis textus in *l. servitutes* 14. *ff. de Servitutibus* ubi dicitur, quòd servitus v. g. itineris, quæ non habet continuam possessionem, cùm nemo continuò ire possit, non præscribatur longo tempore. Ex quo multi Doctores tenuerunt cum Gloss. *in eadem leg.* 14. ad præscriptionem servitutum discontinuarum tempus immemoriale requiri. Respondetur enim, quòd procedat de jure antiquo, & lege Scribonia, quæ usucapionem servitutum, & jurium incorporalium, cùm propriè possideri non possent, sustulerat *l. 4. §. ult. l. 10. §. 1. ff. de Usurpat. & usuc.* quod deinde per posteriores leges immutatum est *ut ex dict. leg. fin.* de usufructu causam etiam discontinuam habente apparet: nam licèt quædam servitutes naturaliter continuò possideri nequeant, possunt tamen civiliter, ut dictum. Id verò advertendum, quòd in præscriptione longi temporis requiratur titulus, vel (quæ in incorporalibus loco tituli censetur, Harp. *d. l. num.* 15.) scientia & patientia adversarii; sine his verò tempus longissimum scilicet 30. annorum requiratur. *L. sicut 3. L. omnes 4. Cod. de Præscript. 30. annor.*

25 Verùm quamvis hoc secundùm distinctionis membrum ita expeditum sit, circa primum tamen non est levis difficultas; cùm enim *dictum cap. 1. de Præscript. in 6.* cui principaliter innititur Covar. sententia, tantùm de rebus Ecclesiasticis loquatur, ingens dubium relinquitur, quid de rebus, & juribus ad Principem sæcularem scilicet Imperatorem, vel alium superiorem non recognoscentem pertinentibus dicendum sit? Quod quia latiorem indaginem requirit, ad suum proprium *titulum de præscript. in lib. 2.* remittimus. Videri etiam poterit Covar. *sæpe d. part. 2. §. 2. num. 7.* ubi hanc quæstionem specialiter examinat; item & Fachinæus *lib. 8. Controv. cap. 23.* Interim cùm hodie usu præsertim Germaniæ *merum Imperium & Jurisdictio* castris ipsis inhæreat, & quasi pars illorum in quosvis possessores transiens censeatur, neque ut olim singulari privilegio eligendo personæ industriam conferatur, putarem ad quartam speciem bonorum Principis à Covar. *sub numer.* 14. relatam annumerandum esse, ita ut illud etiam sine titulo 40. annorum spatio ex sententia ejusdem Covar. præscribatur.

Quæritur III. An concesso alicui castro simpliciter hoc ipso censeatur etiam *merum*, ac *mixtum* Imperium concessum? Ratio dubitandi est, quòd in generali concessione non veniant ea, quæ speciali commissione dari solent *c. qui ad agendum 4. de Procurat. in 6.* merum autem Imperium solet dari per specialem commissionem eligendo personæ industriam *L. 1. ff. de Officio ejus.* Ergo. 26

Respond. Esse distinguendum. Si jurisdictio adhæreat castro, ita ut semper ante hac possessores talis castri jure proprio exercuerint jus gladii, & reliquam jurisdictionem: hoc casu una cum castro censebitur etiam *merum*, ac *mixtum* Imperium transire, tanquam accessorium, *vulg. c. accessorium 42. de Regul. Juris in 6.* & Princeps judicans personam habilem ad possidendum castrum, judicat etiam habilem ad exercendum merum Imperium; vel si perpetuò annexuit Imperium castro, non videtur ad personæ industriam respexisse. Si verò in castro concesso priùs Princeps quà Princeps, & non quà possessor exercebat jurisdictionem, vel merum Imperium, principaliter consideranda erunt verba concessionis, ut si dixerit: *concedimus castrum cum omni vel totali jurisdictione*, aut similia ampla verba adjecerit, censebitur etiam *merum* Imperium translatum. Gloss. *notabilis in Clem. unica in V. omnimodam de Foro compet.* Imò Covar. *quæst. c. 1. sub num. 10. circa finem*, universim docet concessionem jurisdictionis esse favorabilem, & latioris interpretationis, ita ut in genere concessa Jurisdictione etiam merum ac mixtum Imperium concessum intelligatur, nisi præjudicium aliorum (qui forsan priùs in tali loco merum imperium exercuerunt) interveniat, vel ex circumstantiis, & subjecta materia colligi possit, mentem concedentis tantùm de simplici jurisdictione, vel ad summum de mixto Imperio fuisse, quod in praxi ex modo, & litteris concessionis, ac re concessa non difficulter apparebit.

Quæritur IV. An & qualiter *merum*, ac *mixtum* Imperium delegari possit? 27

In hac quæstione juris Civilis & Can. Interpretes non satis conveniunt. Etenim de jure Civili res in confesso est, quòd merum Imperium, in cujus concessione industria personæ olim eligebatur, & tantùm Præsidibus, Proconsulibus, & majoribus officialibus dabatur, nequeat de Jure scripto Justinianæo delegari, nisi aliquando ex justa causa absentiæ *l. solent 6. ff. de Officio Proconsulis l. 1. ff. de Officio ejus, cui mandata est jurisdictio.* Hodie tamen merum Imperium ipsis bonis, & castris frequenter annexum est; & ideò cùm personæ industria electa non sit, Domini castrorum, & territoriorum suis præfectis id rectè delegant.

De Jure Canonico in primis merum Imperium sive jus gladii temporalis, si Prælatis Ecclesiasticis tanquam Dominis temporalibus, & vasallis Imperatoris competat, ab ipsis Prælatis delegari potest sæcularibus Judicibus, non enim convenit, ut personæ Ecclesiasticæ causas sanguinis per se tractent *cap. ult. Ne Clerici vel Monachi in 6.* sed hoc merum Imperium non est propriè Juris Can. ut supra dictum.

De eo igitur mero Imperio, quod propriè ad Jus Canonicum pertinet, tota difficultas est, scilicet de potestate censurandi, deponendi, degradandi, &c.

Univerſim neutro jure merum Imperium esse dele-

gabile censet Fachinæus *lib. 9. Controv. cap. 99.* quia sine textu aperto talis differentia concedenda non est, cùm expediat jura juribus concordare. *cap. cum expedias 29. de elect. in 6.*

Verum puto esse distinguendum inter merum Imperium, quod jure ordinario magistratus competit Episcopo, & illud, quod ex speciali privilegio, commissione, vel delegatione datur Vicario Episcopi, vel alteri inferiori Prælato; casu priori, censeo, id merum Imperium delegari posse cum multis citatis à Covar. *Varia resolut. lib. 3. cap. 20. num. 2.* & præ cæteris videtur mihi probare textus *in cap. licèt 2. de Officio Vicarii in 6.* ubi indistinctè permittitur Episcopo cognitionem & punitionem causarum criminalium delegare: & ita etiam consuetudo, optima Legum interpres, declarat, quòd Episcopi etiam sine gravi causa negotia otcumque ardua suis Vicariis committant. Respondet quidem Fachinæus, propterea Vicario delegari posse causas criminales, quòd is sit Ordinarius. Sed non rectè: sive enim Vicarius sit Ordinarius, sive delegatus, saltem Episcopus non per se ipsum exercet merum Imperium, & sic evertitur finis legis, quæ prohibet merum Imperium delegari. Quemadmodum de Jure Civili Legatus Proconsulis habet mandatam & ordinariam jurisdictionem, sicut Vicarius Episcopi, tamen J.C. *in L. solent. 6. ff. de Officio Proconsulis* apertè dicit, ordinariè & regulariter non posse Legato ea, quæ sunt *meri imperii* delegari. Deinde si, quod frequenter contingit, Episcopus unam excommunicationem, depositionem, incarcerationem in singulari casu deleget Vicario, non poterit is sanè in hac causa dici Ordinarius, cùm ordinario jure ad ipsum hæc non pertineant, & non sit Ordinarius, cui particularis tantùm causa committitur.

Altero autem casu, quando Episcopus suo Vicario demandat merum Imperium, vel summus Pontifex ex privilegio concedit, id alteri delegari non poterit, quia non jure ordinario magistratus, sed speciali commissione competit, & circa Vicarium industria personæ electa censetur.

28 De *mixto Imperio* est controversia inter Doctores, an delegari possit? Negativam de Jure Civili certiorem supponit Cov. *d. loco n. 2.* cum Barth. *in L. 1. ff. de Officio ejus*, Fundamentum est *in l. 2. ff. jam d.* ubi decreti interpositionem ad vendendas res pupillares Prætor mandare non potest. Item *L. nequicquam 9. §. 1. ff. de Officio Proconsulis L. omnia 71. ff. de Reg. Juris.* ex quibus legibus nequ unt delegari, quæ plenā causæ cognitionē desiderāt.

Nihilominus juri, & praxi magis conforme est utroque jure *mixtum imperium* delegari posse, si casus specialiter exceptus non sit: Juri quidem, propter textus satis claros *in L. 1. §. ult. & L. ult. ff. de Officio ejus &c.* ubi J. C. dicit, *imperium, quod non est merum mandari posse*; quòd *non est merum*, utique *mixtum* est & *L. in 4. §. 1. ff. eodem*, mandari posse dicitur immissionem, quam tamen constat ad *mixtum imperium* pertinere, *L. 3. ff. de Jurisdictione*. Fachinæus *d. l. 9. cap. 28.* Praxi autem conformis est hæc sententia, cùm quotidiana experientia doceamur, quod Episcopi suis Vicariis, aut aliis etiam Clericis à se delegatis; Domini & Judices sæculares suis Commissariis causarum civilium etiam arduarum cognitionem simul, & executionem (in quibus mixtum Imperium per dicta consistit) committant.

Ad rationes in contrarium respondetur, quòd Interpositio decreti in alienatione rerum pupillarium sit casus specialiter à lege ipsis præsidibus, & Prætoribus reservatus, de cætero autem exceptio ista firmat regulam in casibus non exceptis. Ad dictam *l. ne quicquam & l. omnia* negatur, quòd sit mens legis, negotia requirentia plenam cognitionem delegari non posse, sed tantùm dicitur ea per libellum non posse expediri, hoc est, non sufficere, solam partium supplicationem si (v. g. decreto in alienatione opus sit juxta *l. 6. C. de Præd. minor.*) sed alias probationes & cognitiones adhibendas esse.

29 Cæterum insignis & famosa est quæstio, utrùm Academiæ, vigore auth. *habita C. Ne filius pro Patre*, merum Imperium & *Jus gladii* prætendere possint?

Sanè cùm per *d. auth.* in quocumque *negotio* (quo nomine etiam causas criminales denotari palam est. *l. in criminali negotio 5. C. de Jurisdictione*) & propter *cujuscumque provinciæ delictum vel debitum* Studiosi coram Magistratu Academico conveniri jubeantur, ideò Matt. Steph. *de Jurisdictione lib. 3. parte secunda cap. 12.* & Joan. Jacob. *Frisch. in sua speciali Resolut. jurisd. hujus quæst.* Academiis merum imperium competere egregiè defendunt nisi in fundatione aliter cautum sit. De nostra Universitate Salisburgensi res dubio caret, quia in statutis & privilegiis ejusdem *§. de Judicialibus*, , apertè provisum est, ot de causa *criminali capitali* loco Magnif. Rectoris, utpote Clerici, Decanus Facultatis Juridicæ; vel si ipse quoque Clericus sit, ejus immediatus Antecessor cognoscere debeat. An verò Studiosus alibi delinquens ad Rectorem, vel ab hoc ad locum delicti remittendus sit, *in Tit. de Foro competenti* dicetur.

Denique præter supradictos modos acquiritur Jurisdictio, per prorogationem. Est autem *prorogatio Jurisdictionis* nihil aliud, quàm extensio ejus de consensu partium ultra limites, intra quos coercita est. Et fit hæc extensio 4. modis, videl. *de persona ad personam, de re ad rem, de loco ad locum de tempore ad tempus.* 30

De persona ad personam fit prorogatio, quando litigantes libero suo consensu se subjiciunt Judici de cætero in se jurisdictionem non habenti *l. si convenerit 18. ff. de Jurisdictione & l. si quis in scribendo 51. C. de Episc. & Cler. l. pen. C. de Pact.* Nec opus est, ut ille consensus partium verbis expressus sit; sed sufficit, si ipso facto declaretur, quando nimirum partes *scienter* (non ex errore) Judicem incompetentem adeunt omissa fori præscriptione *l. 1. & 2. de Judic.* Sed ad hanc prorogationem duo principaliter requiruntur. I. ex parte *Judicis*, ut is jam ante præsit jurisdictioni, nam aliàs privatorum consensus judicem facere non potest *l. 3. C. de Jurisdictione* & quidem *ordinaria* non *delegata*, quia *delegata* jurisdictio ultra personas in rescripto comprehensas non extenditur *cap. P. & G. 40. in fin. ubi Gl. de Officio Deleg.* II. Ex parte *prorogantium* requiritur, ut non sint à jure impediri seu prohibiti, quin prorogare possint. Etenim *Clerici* jurisdictionem Judicis laici in se nunquam, Judicis autem *Ecclesiastici* incompetentis non aliter, quàm cum consensu proprii Ordinarii prorogare possunt *cap. si diligenti 12. & c. significasti 18. de Foro comp.* Similiter in *foro Pœnitentiali* nulli conceditur incompetentis Confessarii jurisdictionem prorogare sine licentia proprii pastoris saltem certis casibus rationabiliter præsumpta, quia ubi de salute animæ agitur, proprius Pastor est adeundus, qui primariò pro ea est rationem redditurus. Barbos. *in dicto cap. significasti sub num. 8.* 31

Imò hodie generaliter etiam in foro sæculari rarò, aut non nisi cum consensu propriorum Dominorum prorogationem admitti, ex Joanne Monach. in *Tract. de Prorogat. jurisd. cap. 2. n. 6.* tradit Matth. Steph. *de Officio jud. parte 1. lib. 1. cap. 6. n. 65.* eò quòd Dominis territorium hodie pleniori jure, quàm olim, scilicet *patrimoniali* aut *feudali* competat jurisdictio, quam per factum subditorum interturbari non sinunt. 32

Quid de *Studiosis* dicendum, anne alterius, quàm Judicis *Academici* jurisdictionem in se prorogare poterunt? Putamus id negandum cum Vult. *in tit. Cod. de jurisd. num. 168.* Matth. Steph. *de jurisd. Lib. 3. parte 2. cap. 12. n. 51.* quod competentia fori apud Rectorem Academiæ non tam favore privato Studiosi, quàm favore Corporis & Universitatis Academiæ publico introducta sit. Unde & causam etiam de facto coram alio Judice pendentem à Magistratu Academico avocari posse, tradunt DD. *cc. ll.* 33

De re ad rem fit prorogatio, quando Judex certarum causarum jurisdictionem habens ex consensu partium de aliis quoque causis judicium assumit, sive deinde Ordinarius sit, sive Delegatus *cap. cum olim 52. ubi Gl. in V. procurator. de Offic. deleg. l. de qua re 74. §. 1. ff. de Judic.* Debent tamen hujusmodi res sive causæ habere aliquam similitudinem in suo genere; nam de criminalibus ad civiles, vel è contra prorogatio non admittitur: ubi enim specialis jurisdictio requiritur, & illa deficit, extendi utique non potest *l. solemus 61. in fin. ff. de Judiciis.* Gail. *de Pace publ. lib. 1. cap. 12. num. 11.* 34

De loco ad locum prorogatur jurisdictio, si Judex Dele-

Delegatus, cùm non debeat extra civitatem vel Diœcesim, in quibus deputatus est, partes citare, de consensu partium alibi jus dicat, *cap. statutum: 11. §. in nullo. de Rescript. in 6.*

Denique *de tempore ad tempus* dicitur fieri protogatio, cùm partes tempus illud, quod Judici pro ferenda sententia assignatum est, ulteriùs extendunt. Sed debet hæc extensio fieri antequàm tempus actu elapsum sit, nam elapso tempore expirat jurisdictio, & consequenter extendi non potest. *c. de causis. 4. de Officio Deleg. l. 2. §. 2. ff. de Judiciis.*

Porrò hæc *Prorogatio*, de qua hactenus diximus, *voluntaria* est, ex consensu partium dependens. Alia autem est protogatio *necessaria*, quæ fit ex authoritate & necessitate legis, cogens aliquem etiam invitum coram Judice non suo respondere, & proprio nomine *Reconventio* appellatur, de qua infra *Lib. II. in Tit. de Mut. petit.*

TITULUS XXXIII.

De Majoritate & Obedientia.

§. I.

SUMMARIA.

1 *In Ecclesia triumphante & militante est certa Hierarchia.*
2 *Papatum esse de jure Divino institutum probatur.*
3 *Papa quis & quantus?*
4 *Papa quatenus major Imperatore.*
5 *Papa an in temporalibus habeat jurisdictionem super omnes Mundi Principes?*
6 *Papa à nemine judicatur.*
7 *Papa tanquam summus Princeps est jure positivo solutus.*
8 *Papa an dispenset in jure divino?*
9 *Papa potestas alia ordinaria, alia absoluta seu plenitudo potestatis.*
10 *Papa etiam in arduis non adstringitur consensui vel consilio Cardinalium.*
11 *De Constantini donatione facta Sylvestro.*
12 *Probatur donasse.*
13 *Potuisse donare.*
14 *Rectè donasse.*
Alia Summaria post. §. 2.

1 Majoritas hoc loco dicitur prærogativa, qua præstat major minori, ex qua etiam nascitur *Obedientia*, quæ majoribus debetur. Etenim sicut in illa felici Ecclesia cœlesti *triumphante* est certa Angelorum Hierarchia, Principes, Potestates &c. ita isthæc *militans* tanquam *acies ordinata* suam habet Prælatorum Hierarchiam, sive subordinationem, ut juxta dictum Apostoli *ad Rom. 13. v. 1. Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit; & qui potestati resistit, Dei Ordinationi resistit.* Postquàm igitur de prælatorum Electione & creatione in præcedentibus egimus, nunc de eorum in Ecclesia Majoritate, Officio, & Jurisdictione dicemus.

Licèt verò huc spectent plerique Tituli præcedentes hujus Libri, quia tamen in specialibus Rubricis eos jam tractavimus, placuit in præsenti de illis præcipuè Prælatis tractare, de quibus alibi speciales Tituli & Rubricæ non extant. Incipiamus ergo à Capite.

§. I.

De Summo Pontifice.

2 De fide Catholica credimus, Papatum jure divino in D. Petrum & Successores ejus à Christo fuisse *Engel in Decret. Lib. I.* institutum; quamvis enim quoad ordinariam baptizandi, prædicandi, solvendi, ligandique potestatem Episcopi, & Sacerdotes in Apostolorum locum successerint. *capit. in novo 2. dist. 21. c. quorum vices 6. dist. 68.* & omnium Apostolorum quoad hoc par fuerit potestas, quoad potestatem tamen extraordinariam, & majoritatem, ac Primatum Petrus cæteris Apostolis fuit semper prælatus secundùm apertissimos Evangelii textus *Joan. 21.* ubi ter geminata vice curam suarum ovium specialiter Petro Christus commendavit, & *Matth. 16. Super hanc Petram ædificavit Ecclesiam suam.* Enimverò caput visibile in Ecclesia esse debere constanter hactenus obtinuit: ita enim fuit in Synagoga Judaica (quæ erat Figura Ecclesiæ) summus Sacerdos: ita ante Ascensionem Christi ipse Christus, posteà Petrus & Successores ejus, ut quidquid in contrarium pugnarint hæretici, tamen revera *nec porta inferi* juxta Christi promissionem. *d. c. 16. Matt. potuerint prævalere.* Quis namque doceat oves errantes? quis interpretetur genuinum Scripturæ sensum ab Hæreticis toties discerptum, & perversè expositum? quis reparet lapsos, si pastor visibilis non est? Hinc fit quòd Hæretici potestati Ecclesiæ, & Dei ordinationi resistentes in infinitas sectas, & errores abeant, & quisque sibi fingat fidem, & doctrinam secundùm pessimam proprii cordis concupiscentiam. Sed hæc ad controversias fidei remittimus.

Ad nostrum propositum nullum est dubium, quin 3
Papa (sic dictus à Græca voce, *pappos*, id est, *pater patrum.* Gloss. *in proœmio Clem. V. Papa*) tanquam caput omnes Dignitates & Ordines Hierarchiæ Ecclesiasticæ præcedat; unde & Ordinarius Ordinariorum dicitur, ac cum quolibet Ordinario aut Prælato inferiori concurrentem jurisdictionem habet, ita ut quilibet omisso suo Ordinario possit immediatè Romæ apud summum Pontificem agere, *cap. cuncta per mundum 17. capit. per principalem 21. caus. 9. quæst. 3.* Gonzalez *ad Regulam 8. Cancellariæ in proœmio §. 1. n. 8.*

Sed hic ingens disputatio inter Politicos, & Ecclesia- 4
sticos movetur, numquid Papa etiam major sit Imperatore tam dignitate, quàm jurisdictione?

Si de sola præeminentia dignitatis loquamur, satis declaratum est. *in cap. duo sunt 10. dist. 96. in cap. solita 8. hoc tit.* dignitatem Pontificiam præstare Imperatoriæ sicut solem lunæ. *Nosse debueras*, rescripsit Innocentius III. Imperatori Constantinopolitano *in d. cap. solita, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli; luminare majus, ut præesset diei; & luminare minus, ut præesset nocti; utrumque magnum sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis Authoritas, & Regalis potestas, sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor, ut quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.*

Et quid mirum si in Christianitate Caput & Christum repræsentans ejus Vicarius in majore præ reliquis omnibus dignitatibus censeatur?

Verùm nodus est intricatior, utrùm majoritas Pontificis eo usque protendatur, ut ipsius jurisdictioni Imperator, non tantùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus subjectus sit? Tres sunt in hac materia diversæ Doctorum opiniones. *Prima* est absolutè negantium; & fundatur *in capit. suscipitis 6. c. quoniam 8. dist. 10. capit. cum ad verum 6. d. 96. convenior 21. caus. 23. quæst. 8.* in quibus locis videtur Imperatori propria, & Papæ non subjecta potestas assignari; ita in *d. cap. cùm ad verum Christum ventum est, nec Imperatores jura Pontificis arripuisse, nec Pontifices Imperatorum usurpasse*, quamvis priùs Romani Imperatores & Pontifices maximos sese intitularent.

Altera sententia affirmat, Papam habere etiam temporalem, & laicam superioritatem in toto mundo majorem, quàm habeat Imperator, & etiam in ipsum Imperatorem saltem *habitu*, quamvis *actu* non semper exerceat, pro qua opinione allegant *extrav. unam Sanctam hoc tit.* ubi dicitur: *omnem humanam creaturam summo Pontifici subesse, & Petro utrumque gladium spiritualem & temporalem concessum, & oportere gladium*

 sub

sub gladio esse, & temporalem Authoritatem spirituali subjici potestati. Atque hinc factum ajunt, quòd authoritate Papæ Imperium à Græcis ad Germanos in personam Caroli magni circa annum salutis 776. translatum sit secundùm text. & Gloss. *in cap. venerabilem 34. de Electione*. Item hinc fieri, quòd Papa Imperatorem electum confirmet, confirmatum coronet, & coronatum rursus ex justa causa deponat; sicut *in cap. ad Apostolica 2. de Sententia & re judicata in 6.* habetur sententia, qua Innocentius III. Fridericum II. Imperatorem deposuit. Pluribus argumentis hanc sententiam propugnat Azorius. *Inst. moral. p. 2. l. 10. cap. 6.*

Tertia sententia utramque præcedentem non nihil conciliat, ex qua conceditur summo Pontifici gladius & jurisdictio etiam *temporalis* super omnes mundi Principes, non tamen absolutè, sed in suffragium solummodò *spiritualis*, quatenùs scilicet ea jurisdictio est necessaria, vel saltem utilis ad rectam Ecclesiæ & animarum gubernationem. Proinde quia plurimùm Ecclesiæ interest habere bonos Imperatores, non tyrannos, non hæreticos, non aliis flagitiis immersos, ne ad exemplum Regis totus orbis corrumpatur, ideò ajunt, rectè convenit, Papam habere potestatem approbandi Imperatorem, confirmandi, imò & ex justa causa deponendi. Cæterùm autem, si prædictus finis de Ecclesiastica indemnitate servanda non subsit, Papam nec posse, nec velle jura Imperatoria extra suum Romanum Territorium sibi arrogare (nisi fortè tantùm casualiter, quando aliquis Princeps absolutus ipsius jurisdictione, se ultrò subjicere vellet (colligitur *ex cap. per venerabilem 13. Qui filii sint legitimi ex cap. novit. 13. de Judiciis*, & notanter *ex c. si duobus. 7. de Appell.* in quo dicitur, appellationem de rigore juris non valere, quæ à Judice sæculari ad Papam interponitur, cum tamen valere deberet, si Papa etiam absolutè laicalem superioritatem obtineret. Videatur latè Martinus Nav. *in Relectione, d. cap. novit. in tertio notabili*. Martha, *de Jurisdict. part. 1. c. 36.* & Covar. *in Relectione, cap. peccatum. de Reg. Juris, in 6. parte 2. §. 9. n. 7.* Humilius agnosco judicium meum, quàm ut summorum principum potestati limites ponere ausim. Sufficiat proinde ad præsens institutum meis Studiosis aliorum DD. opiniones & sententias prælegisse.

6 Præterea summus Pontifex à nemine judicatur, sed tota ipsius causa Dei judicio reservatur. Unde in Judiciis, nec ut suspectus recusari, nec ab eo appellari potest, quia Papa Vicarius Christi in terris idem cùm Christo in terris tribunal habere creditur, ideoque ab eo ad Christum appellari non potest, sicut nec à Vicario Episcopi ad Episcopum. *cap. si Papa, 6. dist. 40. c. aliorum. 14. caus. 9. quæst. 3.* Barbosa. *Juris Eccles. lib. 1. c. 2. num. 86. & 92.* Item à sententia Papæ ad Concilium Generale appellantes incidunt in *Bullam Cœna*. & excommunicationem ibidem Papæ reservatam incurrunt: est enim Authoritas summi Pontificis supra Concilium, & in omnibus Conciliis excepta intelligitur. *c. significasti. 4. de Elect.* Opponitur autem hoc loco textus in *cap. nos si incompetenter. 41. caus. 2. quæstion. 7.* ubi Leo Papa in querelis contra se propositis subjecit se judicio Imperatoris Ludovici, & Legatorum ejus. Sed respondendum est, quòd illa subjectio non fuerit ex necessitate juris, sed virtute humilitatis; nec tam Imperatori fuerit data jurisdictio in Pontificem, quàm potiùs Pontifex ad tollendum scandalum diffamationis suam coram eo innocentiam demonstrare voluerit, ut propterea ille terminus *judicium* in *d. cap.* positus, non sit accipiendus de judicio propriè dicto.

7 Est quoque summus Pontifex in statu Ecclesiastico summus Princeps, & jure positivo solutus, *L. princeps. 31. ff. de Legibus*; ita ut vi *coactiva* non teneatur, cùm nullum habeat superiorem humanum Legislatorem, cui obedientiam debeat, & cum quo non eadem vel majori potestate fungatur. *cap. innotuit. 20. de Electione*. Quamvis interim quoad vim *directivam* & secundùm dictamen naturalis rationis, ut *quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem utatur*, etiam summus Pontifex legibus positivis morem gerere debeat, quatenùs causa legis in ipso est. Hinc summus Pontifex potest in omnibus canonibus juris positivi dispensare, licet illi canones à Concilio generali conditi essent, quia est supra Concilium *d. cap. significasti. 4. & cap. innotuit. 20. de. Electione*. Trident. *Sess. 24. de Reform. cap. ult.*

8 Quid autem dicendum de *Iure Divino*, anne etiam in isto dispensare potest Pontifex? Distinguendum inprimis inter jus Divinum absolutè, & de se omnes obligans, & inter jus Divinum, quod obligat tantùm ex præsupposita voluntate humana, ut in voto, & juramento. Quando igitur Papa in voto aut juramento dispensat, non est propriè dispensatio in jure Divino, sed tantùm relaxatio ipsius voti & juramenti, quo sublato hoc ipso cessat obligatio juris divini; jus enim divinum in hoc casu tamdiu obligat voventem, quamdiu votum durat, cessante ergo vel sublato voto cessat etiam juris Divini obligatio. Quòd autem summus Pontifex ex rationabili causa possit votum tollere, non est aliquid exorbitans, aut insolitum: quia etiam sine authoritate Pontificis aliis pluribus casibus voti obligatio cessare potest, puta si votum uxoris, filii familias, aut Religiosi, à marito, patre vel Abbate irritetur; aut si materia voti ex postfacto deficiat, majus bonum impediat &c.

Verùm circa jus Divinum absolutè, & per se omnes obligans, diversæ sunt Doctorum opiniones. Nam aliqui, quos refert, & sequitur Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 6. num. 5.* affirmant, posse summum Pontificem jus Divinum non tantùm declarare, sed etiam ex gravi causa in eo dispensare; quam dispensandi potestatem ex commissione Dei eidem datam existimant: quemadmodum, inquiunt, recta Ecclesiæ gubernatio petit, ut Prælatis Inferioribus commissa sit facultas verè ac propriè dispensandi in legibus Pontificiis in casu aliquo particulari, quando necessitas occurrit, nec potest commodè adiri S. Pontifex, ita eadem recta gubernatio desiderat, commissum esse Pontifici, ut in lege aliqua Divina verè dispensare possit ob necessitatem occurrentem, idque eò magis, quòd in priori casu possit adiri Papa, quamvis non ita commodè, at in posteriori non possit adiri Deus pro dispensatione.

Alii è contra communius docent, summum Pontificem in jure Divino propriè dispensare non posse, nam dispensatio cùm sit actus jurisdictionis, requirit, ut dispensans sit superior lege, in qua dispensat. *Clem. ne Romani. 2. in princ. de electione*. Papa autem non est supra legem Divinam. Item ille tantùm potest tollere legem, qui tulit, sed Papa legem Divinam non tulit, ergo &c. Videatur Barbosa *Juris Eccl. lib. 1. cap. 2. num. 120.*

Si Sanchez, & ejus asseclæ admittant, sicut admittere debent, esse quædam præcepta juris Divini ita universaliter & rigorosè obligantia, ut nulla possit dari sufficiens causa, quæ tollat turpitudinem orientem ex transgressione illorum præceptorum, cujusmodi præceptum est, *honorare parentes &c.* in aliis autem præceptis divinis non nisi dispensationem ex gravi causa concedant, sanè mihi videtur hæc quæstio ut plurimum esse de nomine. Sufficit, si Pontifex me possit eximere ob justam causam ab obligatione legis Divinæ (v. g. à residentia in beneficio curato, quæ in Trident. *Sess. 23. de Reform. c. 1.* dicitur jure Divino præcepta) sive deinde per istam exemptionem dicatur dispensasse, sive declarasse jus Divinum in tali circumstantia locum non habere: & ideo ne etiam potestatem summi Pontificis in tam accuratam quæstionem vocem, cuilibet liberum relinquo, quid hac in parte sentire velit. Si cui verò placuerit ulteriùs disputare contra Sanchez, legat. Barb. *d. l.* ubi fundamento Adversariorum respondet, quòd propterea in jure positivo aliquando liceat Inferiori dispensare in Lege Superioris, quia Legislator humanus non potest omnes casus prævidere. *L. 10. cum seq. ff. de Legibus*. quòd de Deo non videtur congruè dici posse, tanquam de perfectissimo rerum omnium provisore, & prævisore.

9 Cæterùm potestas summi Pontificis communiter distinguitur in *ordinariam & absolutam*. *Ordinaria* dicitur, quando Papa juxta vim *directivam* incedens statutis Canonicis morem gerit, & vel secundùm ea disponit, vel contra ea quidem, sed non nisi ex urgente causa dispen-

dispensat. *Absoluta* verò potestas, quæ & alio nomine *plenitudo potestatis* appellatur, est, quando Papa juxta summam authoritatem, quam supra Canones habet contra eos pro suo arbitrio disponit, aut dispensat. Porrò si summus Pontifex absoluta potestate utatur, & nulla prorsus subsit justa ratio, valet quidem actus ita factus, quia Papa absolutè supra Canones est, sed tamen ita indifferenter uti plenitudine potestatis non licet: imò non desunt, qui ipsum tali casu peccati mortalis reum arguunt, quamvis alii benignius sentiant, & secluso scandalo, ac gravi alterius damno tantùm venialiter peccare judicent. Laym. *Lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 13. Illa prætereà dicitur *plenitudo potestatis* & clausula *ex plenitudine potestatis* uti solet summus Pontifex, quando ex justa causa dispensat, sed in casibus extraordinariis, in quibus aliàs non solet facilè dispensatio concedi, ut in secundo gradu consanguinitatis, ad plures Cathedrales Ecclesias, &c.

10 Ulterius licèt Papa soleat ardua expedire cum consilio Cardinalium, in alienatione bonorum adhibere subscriptionem, & consensum eorum, tamen absolutè non obligatur; imò nec consuetudine introduci posse, quòd Papa solus nequeat ardua facere, tenent Allegati apud Tuschum. *littera S. conclus.* 5. *n.* 12. non enim esset rationabile, ut Papa subjaceret inferiori, & hoc ipso subjectus legi foret quoad vim *coactivam*, quia sub pœna nullitatis cogeretur adhibere solemnitates, &c.

11 Pro coronide hujus §. breviter aliquid dicendum de illa quæstione, quam quidam Doctores præsertim hæretici movent Romano Pontifici, utrùm donatio Territorii Romani Silvestro Papæ à Constantino Imperatore facta, ut refertur, *in cap. Constantinus* 13. *dist.* 96. sit vera, & valida?

Ratio Negantium est, quòd cùm Historici, qui res gestas Constantini Imperatoris accuratè scripserunt, hujus donationis minimè faciant mentionem, sed potiùs, quòd idem Imperator testamento facto hanc partem Italiæ, quam Pontifices possident, inter filios distribuerit; ideo dictum *c.* 13. præsertim cùm sit *palea*, & incerti authoris, de falsitate suspectum videatur. Deinde non potuisse, existimant, Constantinum Imperatorem tantam Imperii partem abalienare. Addunt Hæretici Christum non elegisse sibi Vicarium potentem dominum, sed piscatorem pauperem, &c.

Verùm hæc tanti non sunt, ut valeant jus Romani Pontificis evertere. Tria ergo probabimus contra Adversarios I. Quòd *Imperator Constantinus territorium Romanum donavit Papæ*. II. Quòd *potuerit donare*; & III. quòd *rectè donaverit*.

12 Quod attinet ad primum punctum, probatur hæc donatio non tantùm ex *d. c.* 13. Gratiani, sed etiam ex Decreto Constantini, quod integrè traditur primo Conciliorum Tom. ab Ivone Carnot. *Lib.* 4. *tit. de Dignitate Rom. Eccl.* ab Isid. *in Tract. de Synodo tit. de Nicæna Synodo* Castald. *in Tract. de Imperio quæst.* 51. ubi testatur, quòd hoc Decretum græce & latinè fuerit repertum in Bibliotheca Constantinopolitana, Palatina, & Vaticana Romana, & plures alii ex antiquis Scriptoribus hujus Decreti testes sunt apud Covar. *Var. Resol. l.* 4. *cap.* 16. *sub num.* 8. & Barbos. *in Collect. ad dict. cap.* 13. *num.* 5. & qualiter Carolus Magnus, aliique ejus successores hanc donationem expressè & solemniter confirmarint, habetur *in Clem. unica circa fin. de Jurejurand.* & *in cap. Ego Ludovicus* 30. *dist.* 63. Videant Acatholici in Chronico hoc nostro sæculo à Joan. Lud. Gottfrid. cum figuris Matthæi Meriani Francofurti Germanico idiomate à suismet fautoribus editum, ubi in secunda parte Monarchiæ Romanæ inter gesta Pipini & Caroli Magni disertè refertur, qualiter iidem Principes S. Pontificem defenderint, & ditiones ac territoria Romanæ Ecclesiæ à Longobardis violenter occupata militari manu recuperarint, ac eidem Ecclesiæ restituerint. Quare præfata testimonia de donatione Constantini etiam confirmat antiquissima & inconcussa Romanorum Pontificum possessio: quod autem pro possessore sit juris præsumptio, rem quam possidet esse ipsius, usque dum Adversarius contrarium ostendat, notorii juris est, & possessio relavat, ab onere probandi, transferque in Adversarium. Imò tot sæculorum possessio non tantùm *præsumptionem*, sed plenissimam *præscriptionem* & securitatem meritò operata fuisset.

Non obstat, quòd Historici dicti non meminerint hujus donationis (quod fortassis exinde provenit, quòd hæc donatio longiùs in effectum deducta non fuerit, neque commodè deduci potuerit ob potentiam adhuc Gentilium, & Hæreticorum, & Gothorum item & Barbarorum in Italia grassationem) eam tamen etiam non negant, & ex sola omissione non infertur, quòd facta non fuerit. Licèt verò aliqua conjectura ex hac omissione oriatur, testimonium tamen tot aliorum Scriptorum accedente tanti temporis possessione istam conjecturam prorsus enervat, prout aliàs præsumptiones præsumptionibus eliduntur. *Leg. Divus septimo ff. de in integrum restit*, & in antiquis ob difficultatem probandi etiam imperfectas probationes admitti, sæpius alibi traditum est. De testamento Constantini æquè non constat authenticè, imò potius & magis specificè de donatione, cujus verba formalia apud Authores habentur. Posito etiam, quòd tale testamentum factum esset, adhuc incertum fuisset, an per id Imperator donationem semel legitimè factam revocare potuisset.

13 Alterum membrum, quòd Imperator *potuerit donare* territorium Romanum Pontifici, exinde probatur, quòd Imperium Orientale fuerit vera Monarchia, ubi populus omnem suam potestatem in Principem transtulit. *L.* 1. *ff. de Constitutionibus Principum*. Et Imperator fuerit supremus terrarum sui imperii Dominus, adeòque potuerit etiam de re sua pro arbitrio disponere; prout Adversarii concedere debent, qui testamentum Constantini asserunt, & propugnant. Neque tunc fuerunt tales Imperii Principes, quorum consilio, & consensui Imperator fuisset alligatus, sed tantùm Administratores, & Præsides Provinciarum. Imò ut nihil deesse videretur, Constantinus hanc donationem fecit cum omnibus Satrapis, & universo Senatu, Optimatibusque suis, & cuncto populo Romano, qui omnes eam donationem utilem judicarunt, sicut *in dict. cap.* 13. ubi verba Constantini referuntur, expressè habetur. Deinde hodierni Imperatores Germani non tantùm hactenus, saltem plerique de hac donatione conquesti non sunt, sed insuper eandem verbis & factis abundè confirmarunt, ut etiam superiùs allegatum, utique considerantes, quòd & ipsi Imperium suum Occidentale mediante Pontifice Rom. acceperint, juxta textum & Interpretes in *c. venerabilem*, 34. *de Electione*, & sicut ipsi potuerunt Episcopis, & Archiepiscopis territoria donata, aut saltem in feudum concedere, ita etiam Constantinus Papæ. Prætereà per donationem Ecclesiæ factam non est considerandum Imperii temporalis præjudicium, sed potiùs utilitas, cùm, quæ Ecclesiæ donantur, Deo donari censeantur, ex quo gratia major ad reportandos triumphos de devictis hostibus Imperatori accrescit. Videatur textus elegans, *in d. c. Constantinus*.

14 Quòd autem 3. Imperator *rectè donarit* Silvestro Papæ territorium Romanum, monstratur, tum ex hac laudabili in Deum pietate, juxta illud 1. *Paralipom. cap. ult. v.* 14. *Tua sunt omnia, Domine, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*; tum quia id factum est pro exaltatione Ecclesiæ Catholicæ, munitione contra Hæreticorum invalescentiam, & libertate in consulendo ac prospiciendo communibus Ecclesiæ necessitatibus remoto sæcularis potestatis metu & impedimento meliùs tuenda, *c. fundamenta* 17. *de Elect. in* 6. tum denique quòd ita merebatur ingens beneficium Constantino Imperatori à Silvestro Papa in curanda ejus lepra, conversione ad fidem Catholicam, & sacro Baptismo præstitum, de quo videatur Covar. *d. loco*.

Nihil verò movere debet inane Hæreticorum argumentum, quòd Petrus fuerit pauper piscator &c. quia id Christus fecit, ut ostenderet suam divinam virtutem non initi humanæ sapientiæ, juxta illud Psalm. *Ex ore infantium perfecisti laudem tuam*, & illud Pauli 1. *ad Corinth.* 1. 27. *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes*: postea verò ex hoc ipso enituit divina virtus, quòd Ecclesia tam tenuibus initiis cepta, tanta & tam crebra tyrannide impugnata, in tantum excreverit, ut quasi medullam humanæ potestatis, scilicet Romanum

Imperium possideret; etiam *portis inferi non prævalentibus*, & verè impletum sit illud Isaiæ. *c.61. v.6. Vos sacerdotes Domini vocabimini: ministri Dei nostri dicetur vobis: fortitudinem gentium comederis*, (fuit autem omnibus Historicis testibus Urbs Romana vere *fortitudo gentium*) *& in gloria eorum superbietis*; quod ultimum verbum non de *superbia* peccaminosa, sed exaltatione gloriosa intelligendum. Prolixiùs de hac quæstione & materia etiam videri poterit Martha. *de Jurisd. p. 1. c. 30. & seq.* De potestate autem S. Pontificis congregandi Concilium Generale & authoritate vid. infer. *in §. 5. n. 43.*

---

§. II.

De Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ,

S U M M A R I A.

15 *Cardinales unde dicti, & quando inceperint.*
16 *Cardinales creat solus Papa, aliquando tamen ad nominationem Regum, ex omni Natione.*
17 *Cardinales cur utantur colore rubro?*
18 *Cardinales precedunt omnes alias dignitates Ecclesiasticas.*
19 *Cardinalium potestas enumeratur.*
20 *Cardinales soli hodie eligunt Papam; & ibi refertur* c. Hadrianus. *dist. 63.*
21 *Papalis Electionis specialia.*
Alia Summaria post. §. 4.

15 Cardinales dicti sunt, quasi Romanæ Ecclesiæ, in quibus volvatur & regatur, *Cardines*: seu quia Sedi Apostolicæ, quæ axis est, & cardo aliarum Ecclesiarum, inserviunt. Gloss. *in Extravag. execrabilis. 4. in v. Cardinalibus de prebendis.* Originem videntur habere Cardinales *figuraliter* quidem à Sacerdotibus Levitici generis, qui in veteri Testamento summo Sacerdoti ministrabant; *exemplariter* verò ab Apostolis qui Christo Domino summo novi Testamenti Sacerdoti semper adfuerunt. Quamvis autem credibile sit, semper ab exordio Ecclesiæ penes summos Pontifices fuisse quosdam de Clero, qui ipsi ope & consilio in rebus arduis succurrerent, Cardinalis tamen nomen ante tempora Sylvestri Papæ extitisse non constat: unde & ab ipso creditur inventum, qui in sexta Synodo Romana, quam post Constantini Imperatoris conversionem celebravit, ita legitur statuisse: *à subdiacono usque ad Lectorem omnes subditi sint Diacone Cardinali.*

16 Cardinales creare ad solum Romanum Pontificem pertinet, ita tamen, ut & Imperatori, & aliis Regibus jus nominandi certas qualificatas personas ipsi Pontifici competat; quibus deinde Pontifex, si dignas comperit, Cardinalitiam dignitatem conferat, ad similitudinem juris nominandi, præsentandi, instituendi, quod in inferioribus Beneficii locum habet.

Sunt autem Cardinales ex omni natione viri selectissimi assumendi, ut unaquæque natio suum habeat in curia Romana Patrem tutelarem & Patronum.

17 Utuntur Cardinales galero & vestitu rubro, quo designatur, quòd usque ad mortem & sanguinis effusionem pro exaltatione sanctæ fidei, & statu Ecclesiæ Romanæ se intrepidos exhibere debeant, uti habetur ex formula illius Cæremoniæ, cum qua Cardinali galerus rubeus datur.

18 Prætereà licèt Cardinales non sint omnes Episcopi, sed quidam *in suis Titulis* tantùm Cardinales Presbyteri, Diaconi, aut Subdiaconi, nihilominus sunt Episcopis Archiepiscopis & Patriarchis propter officium digniores: quia isti unius privatæ patriæ, illi totius populi Christiani utilitati præsunt, prout declaravit Eugenius IV. in sua *Bulla*, quæ incipit: *Non mediocri*. Nequa inconveniens est, quòd Cardinales quantùm ad Officium præponantur Episcopis, quamvis Ordine sint inferiores: nam & Archidiaconus ratione sui officii præponitur Archipresbytero, licèt ille tantùm Diaconus, hic Presbyter sit, c. 1. *de Offic. Archipresb.*

19 Cæterùm circa potestatem, & prærogativam Cardinalium multa scripsit Barbosa *Juris Eccles. Universi l. 1. cap. 3. & 4.* inter quæ sunt præcipua.

I. Quòd Cardinales in Ecclesiis, quarum sunt Titulares, & aliis eorum Titulis subjectis habeant jurisdictionem Episcopalem. *c. bis qua 11. h. tit.*

II. Ex communi opinione Cardinales, etsi non sint Episcopi, possunt conferre minores Ordines in propriis Titulis suis subditis, ac familiaribus. Tamburin. *de Jure Abbatum, tom. 2. disp. 11. qu. 4. n. 4.*

III. Privilegium ex consuetudine introductum habere dicuntur, quòd ad supplicium ductum possint veste aut pileo tegendo liberare. Plures cit. apud Barb. *d. c. 4. num. 61.*

IV. A sententia ex voto Cardinalium & consensu lata non datur appellatio.

V. Cardinales orto schismate Concilium congregare possunt, ut ita Ecclesiæ pax restituatur, quamvis alias sine Authoritate Papæ Concilia generalia convocare non liceat, ut inferiùs *in §. 4.* dicemus. Non tamen potest Collegium Cardinalium Sede Apostolica vacante quidquam potestatis vel jurisdictionis ad Papam pertinentis exercere, nisi aliquod tam grande vel evidens immineret periculum, ut omnibus & singulis Cardinalibus præsentibus videretur leviter occurrendum. *Clem. Ne Romani. 2. de Electione & Bulla* Pii IV. quæ incipit. *In eligendo.*

VI. Cardinalibus data est potestas interpretandi Tridentinum Concilium, de quibus Declarationibus *in Proœmio.*

VII. Jus eligendi Romanum Pontificem hodie penes solum Collegium Cardinalium est, quamvis olim pro diversitate temporum ad electionem Pontificis quandoque totus Clerus, & populus Romanus adhibitus fuerit. *c. 5. 7. quæst. 1.* id tamen & posteà immutatum est, ut dicemus. Imperatori quoque Carolo Magno ob insignia ejus in Ecclesiam merita datum esse privilegium, ut posset eligere Romanum Pontificem, traditur *in c. Adrianus 22. dist. 63.* neque enim excedit vires Pontificis Laicum ad jus Spirituale per privilegium habilitare, prout ad jus patronatus omnes Laici habilitari sunt. Non desunt tamen Doctores, qui cum Azor. *Inst. Moral. part. 2. lib. 4. cap. 2. quæst. 3.* & Baronio *in Annalibus Ecclesiasticis Anno Christi 774. nu. 10.* censeant, hoc privilegium vel commentitium, vel eo Imperatores non usos fuisse; sed fermè probabilius est, quòd Pontifices non tolerassent in Decreto Gratiani præsertim jam jussu Greg. XIII. emendato & correcto illud *Cap. Adrianus*, nisi dictum privilegium Imperatori revera datum fuisset. Demum autem cùm experientia doceret, ex tanta multitudine eligentium, item & Imperatorum nimia potestate turbatam sæpe potius quàm expeditam summi Pontificis electionem, ea per posteriores Pontifices, & Concilia generalia solis Cardinalibus concessa est, privilegium enim propter abusum & publicam utilitatem revocari posse, traditur *in Titulo de Privilegiis.* 20

Porrò electio summi Pontificis habet ista specialia. 21

I. Quod non vocentur absentes Cardinales, sed tantùm expectentur per 10. dies computatos à morte Pontificis.

II. Quòd Cardinales eligentes, & præsentes à dictis decem diebus includantur *in Conclave*, singuli per singulas cellas, & cubilia.

III. Nisi intra tres dies, postquàm *Conclave* ingressi sunt, elegerint Pontificem, tunc per spatium quinque dierum sequentium tam in prandio, quàm in cœna uno solo ferculo, & post hos dies sine electione etiam elapsos, solo pane, vino & aqua debeant esse contenti.

IV. Licèt in aliis electionibus sufficiat, ut *major & sanior pars Capituli* in electum consentiat, in electione tamen Pontificia *dua tertia* Cardinalium; seu duæ partes, si totum Collegium in partes tres dividatur, requiruntur.

V. Ut ista fideliter à Cardinalibus observentur, executores, & compulsores à jure, & authoritate pontificia constituti sunt præcipui Magistratus, & Domini loci illius, sive Romæ sive alibi, ubi electio Pontificis celebratur, prout ista habentur *in c. licet. de Electione, cap. 3.*

cap. 3. eodem tit. in 6. tradit etiam Barb. *Juris Eccles. lib. 1. cap. 1. nn. 39.* ubi *num.* 58. exemplis, & ratione comprobat, quòd non requiratur, ut eligendus in Pontificem sit de numero Cardinalium, sed possit esse quicumque extraneus idoneus: quia *in d. cap. licet*, dicitur, quòd nulla exceptio opponi possit ei, qui à duabus partibus Cardinalium electus est.

Solemnitatem autem, quæ fit Romæ cum noviter electo S. Pontifice, ex Authore SS. Cœremoniarum prolixè refert Majolus *in diebus Canic. tom. 2. colloq. 6.*

---

§. III.

De Legatis Sedis Apostolicæ.

Quia de Legatis Sedis Apostolicæ supra speciali Titulo *de Officio Legati* actum est, eò me remitto.

---

§. IV.

De Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis.

S U M M A R I A.

22 *Patriarcha qui, & quot?*
23 *Primates qui?*
24 *Patriarcharum Potestas.*
25 *Archiepiscopus quis?*
26 *Archiepiscopi superioritas & potestas.*
27 *Archiepiscopi jurisdictio in suffraganeos an sit tantùm in casibus specialiter à jure permissis?*
28 *Archiepiscopus post Concil. Trid. qualem habeat jurisdictionem in criminalibus & civilibus Suffraganeorum causis.*
29 *Archiepiscopus potest censuras ferre in Suffraganeos per se, non per Vicarium.*
30 *Archiepiscopus in subditos Suffraganeorum regulariter jurisdictionem non habet.*
31 *Fallit casibus hic expressis.*
32 *Judex potest punire injuriam sibi tanquam judici illatam.*

Quamvis olim post Summum Pontificem ante Cardinales primum locum obtinuerint *Patriarcha*, hodie tamen Cardinales de consuetudine, & juris ratione præsunt Patriarchis tanquam unum Corpus constituentes cum summo Pontifice, & Primarii Ecclesiæ Catholicæ Directores.

22 Patriarcha græcè *Summus*, seu *Princeps patrum* appellatur teste Isidoro *in cap. Clericos 1. vers. Patriarcha dist.* 21. sunt autem Patriarchæ alii principales, alii minùs principales. Principales in Ecclesia sunt quatuor, nimirùm Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hyerosolimitanus; quorum tres posteriores tempore quidem priores sunt, sed Constantinopolitanus primus nominatur propter residentiam Imperatorum Græcorum in urbe Constantinopolitana. Minùs principales Patriarchæ dicuntur, qui inter Latinos Romani Pontificis indulgentia, vel ex inveterata consuetudine Patriarchale nomen sibi vendicant. Ejusmodi sunt Patriarcha Aquilejensis, Venetus, Æthiopiæ, & Indiarum.

23 *Primates*, qui à nonnullis Patriarchæ subinde dicuntur, sunt quidam Archiepiscopi potentiores, & majores Metropoles regentes, ut in Hispania Toletanus, in Germania olim Madgdeburgensis, hodie verò Celsissimus noster Salisburgensis. Sed quòd aliquis *Patriarcha minor* vel *Primas* appelletur, nihil in effectu tribuere, sed tantùm augere titulum, quæ verò aliàs in jure de Patriarchis leguntur, de quatuor principalibus intelligi debere, notavit Barb. *d. tr. c.* 8. *n.* 10. & 49.

24 Porrò potestas Patriarchatum maximè in eo consistit, quòd Ordinarii habeantur omnium Archiepiscoporum & Episcoporum sui districtus, atque ab his appellationes jure recipiant, & crucem non tantùm in suo Patriarchatu (sicut Archiepiscopi in sua Provincia) sed ubique extra Præsentiam summi Pontificis, vel Legati ejusdem *de latere* præferre possint. *cap. antiqua.* 23. *& Clem. Archiepiscopo.* 2. de *Privilegiis* Barb. *d. capit.* 6. Verùm quia hodie juxta Prophetiam. *Psal.* 78. *Venerunt gentes in hereditatem Domini*, & primi quatuor Patriarchatus Græci non ampliùs in potestate Christianorum sunt, ideò qualem jurisdictionem, & authoritatem nostri Patriarchæ Latini habeant, ex specialibus eorum privilegiis, & consuetudine singulorum locorum petendum erit.

25 Archiepiscopus Princeps Episcoporum dicitur, *Archos* enim græcè *primum* vel *Principem* sonat. *Metropolitanus* quoque à mensura, sive multitudine civitatum (dicitur autem *civitas* frequenter in Canonibus *Diœcesis Episcopalis*, sumendo partem pro toto, sive residentiam Episcopi pro toto ejus districtu) suæ provinciæ nuncupatur *cap. 1. dist.* 21. & quamvis textus *in d. cap.* 1. videatur aliquam differentiam habere inter Archiepiscopum & Metropolitanum, tamen communis est opinio, nullam esse, nisi fortè alicubi reperiatur Archiepiscopus, qui nullum sub se Episcopum suffraganeum habeat: hic enim Archiepiscopus, non verò Metropolitanus, & Archiepiscopus potiùs titularis, quàm verus dicendus esset.

26 Obtinet autem Archiepiscopus duplicem superioritatem.

I. Respectu suæ immediatæ Diœcesis, in qua habet illa jura, quæ cuivis alteri Episcopo competunt.

II. Respectu sui Archiepiscopatus, sive *Provinciæ*; & dicitur *Provincia* collectio omnium diœcesium inferiorum Episcoporum Archiepiscopo subjectorum, qui & Episcopi Suffraganei dicuntur, quòd suffragentur Archiepiscopo in officio Episcopali, in consecrationibus, conciliis, aliisque negotiis ipsum adjuvent.

Circa istam superioritatem Archiepiscopi respectu Provinciæ notanda sunt sequentia.

27 I. Quòd præstantia Archiepiscopi non sit in sacro Ordine, seu in charactere spirituali, sed in dignitate majoris Officii; hoc tamen officium quatenus complectitur jura præcisè Archiepiscopalia exercere non potest ante susceptum Pallium; sicut supra in tit. *de Authoritate, & usu Pallii*, diximus.

II. Archiepiscopus est Ordinarius omnium Episcoporum suæ Provinciæ. Non desunt autem, qui doceant, Archiepiscopum in Episcopos nullam habere potestatem, nisi in casibus à jure nominatim expressis, per textum in *cap. 2. §. sed neque de Translatione Episcopi*, ibi: *quia nonnunquam intelligitur prohibitum, quod non invenitur concessum*. Ita Hostiensis & alii citati à Quaranta *in Summa Bullarii. Verbo Archiepiscopi Authoritas. n.* 10. Sed non video quomodo hoc jure defendatur: si enim Archiepiscopus Ordinarius dicitur Suffraganeorum, teste ipso Quaranta. *d. loco. arg. capit. cognovimus.* 6. *causa* 10. *quæst.* 3. *c. quia pastoralis.* 11. *in princ. ubi* Abbas *n.* 2. & Barbosa *in Collect. num.* 4. *De Officio Ordinarii. cap.* 1. *Eodem in* 6. quomodo non habet fundatam intentionem in jure, sicut quilibet ordinarius Judex, qui regulariter potest omnia, quæ ad jurisdictionem ordinariam pertinent, nisi specialiter reperiantur excepta? Quòd si tantùm posset specialiter permissa, potiùs delegatus à jure, quàm Ordinarius dicendus esset; Textus verò *in d. cap.* 2. nihil probat: quia ibidem Pontifex non facit enunciationem universalem, sed dicit *nonnunquam*, id est, aliquando, & in materiis specialiter summo Pontifici reservatis, sicut ibi de translatione Episcoporum sermo est, intelligi prohibitum, quod non invenitur concessum.

Hodie tamen noviter constitutum est per Trid. *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 5. quòd causæ criminales Episcoporum graviores tantùm à summo Pontifice, minores verò tantùm à Concilio provinciali, vel ab illo deputandis terminentur.

Hanc Trident. constitutionem à S. Congr. Card. etiam ad causas *civiles* extensam refert Barb. *d. lib.* 1. *cap.* 7. *sub num.* 46. & *in Collect. ad Trid. d. c.* 5. *numer.* 7. Sed antequàm dicta Card. declaratio in forma authentica exhibeatur non possum adduci, ut credam Concilii Congregationem hoc statuisse, idque ex sequentibus. Enim verò ante

Concilium indubitatum & apud Doctores receptum fuit, Archiepiscopum tanquam Judicem ordinarium posse cognoscere de causis civilibus suffraganeorum. Abb. & Barb. *in d. c. pastoralis. 11. de Officio Ordinarii.* Scaccia *de Appell. quæst. 8. n. 98.* Concilium autem Trident. nec verbo causarum civilium exceptionem fecit; cùm ergò tantùm causarum criminalium meminerit, potiùs infertur, quòd exceptio de causis criminalibus firmet regulam in causis civilibus non exceptis: neque enim plus de jure veteri censetur correctum, quàm expressum. *L. præcipimus. 32. in fine. Cod. de Appellat.* & quòd Cardinales possint quidem Concilium declarare, non verò ultra proprietatem verborum extendere. *in Proœmio Decretalium* dictum est. Præsertim verò hæc Cardinalium declaratio in istis locis, ubi rarissima sunt Concilia provincialia practicari non posset, & per quam difficile foret in quacumque causa Romanum Pontificem accedere, partes sumptibus gravare, & jus Metropolitani intervertere.

29 III. In casibus ad jurisdictionem Archiepiscopi pertinentibus, cùm rationabilis causa fuerit in suos suffraganeos censuras ferre potest, ita tamen, ut non statim ad excommunicationem deveniat, sed priùs ingressum in Ecclesiam interdicat, ne per excommunicationem Episcopi mox sua jurisdictione cum Ecclesiæ dispendio priventur. Item ut per se Archiepiscopus censuras ferat, non per Vicarium: quia Vicarius in Episcopos Suffraganeos censuras ferre prohibetur propter reverentiam Pontificalis officii, nisi Archiepiscopus in remotis existat. *c. 1. de Officio Ord. in 6.*

30 IV. In subditos Suffraganeorum Archiepiscopus regulariter nullam jurisdictionem habet. *c. pastoralis. 11. de Officio Ordinarii. cap. venerabilibus. 7. de Sententia excomm. in 6.* Quare nec eos in prima instantia judicare potest. *cap. duo simul. 9. de Officio Ordinarii;* Et censet Panorm. *in d. capit. pastoralis, num. 2.* si Episcopus contra suum subditum litem habeat, quòd non debeat eum convenire coram Archiepiscopo, qui non est judex immediatus illius subditi; neque tamen etiam ipse Episcopus debeat esse Judex in causa propria, sed coram arbitris electis res expedienda sit; à quibus tanquam arbitris juris & necessariis dabitur ad Archiepiscopum appellatio arg. *cap. ab arbitris. 21. de Officio Deleg. in 6.* Insuper non potest Archiepiscopus compellere subditum sui suffraganei, ut testimonium coram se dicat, sed debet id facere per litteras requisitorias, seu *mutui compassus*, quia testis non potest compelli, nisi a suo immediato Judice *cap. 1. §. neque de Foro competenti in 6.* Quaranta *d. loco n. 12.* Verùm hæc regula hujus notandi quarti habet aliquas exceptiones.

31 Nam V. in appellatione propter effectum notorium devolutivum & in visitatione Provinciæ Archiepiscopus acquirit jurisdictionem in subditos suffraganeorum. *c. Romana, 3. de Appell. in 6. c. fin. de Censibus in 6.* ubi dicitur, quòd Archiepiscopus, dum visitat Provinciam, possit confessiones subditorum Suffraganeorum, audire, & absolvere à casibus suo Episcopo reservatis, & à censuris.

VI. In Vicarium Episcopi Suffraganei Archiepiscopus etiam jurisdictionem habet, si delinquat in Officio sibi commisso, si impediat causam appellationis delatam ad Archiepiscopum, si utatur jurisdictione sui Episcopi excommunicati, si non servet privilegia Sedis Apostolicæ. *cap. 1. & ibi Gloss. in v. rationabili. de Officio Vicarii. in 6.*

VII. Crimina notoria, quæ commiserunt subditi Suffraganeorum, Archiepiscopus punire potest etiam extra visitationem, & appellationem *cap. 1. §. sanè de Censibus in 6.* quod tamen Sylvester *V. Archiepiscopus.* rectè putat procedere, si Suffraganeus in puniendis illis criminibus fuerit negligens; videtur proinde monitio Archiepiscopi præcedere debere.

VIII. Potest punire subditos Suffraganeorum, qui sibi, nuntiis, aut familiæ suæ in exercitio jurisdictionis
32 injuriam intulerunt. *cap. 1. de Pœnis in 6.* Quaranta. *d. loco n. 23.* sicut Judex quilibet potest punire injuriam sibi illatam propter reverentiam Judicis, ne cogatur coram alio Judice litigare *L. nullum. 14. Cod. de Testibus* Gail. *lib. 1. Observ. 39.*

IX. Archiepiscopus potest præcipere Suffraganeis, ut per suas diœceses servent ea, quæ ipse servat in sua; modò sint fundata in jure communi, vel statuta in Concilio provinciali; unde & potest pravam consuetudinem tollere, & contravenientes suo mandato punire, quia ad ipsum sollicitudo totius Provinciæ pertinet *cap. Dilectus. 50. de Simonia.* & Quaranta. *d. n. 23.*

X. Potest alicui Prædicationis officium in tota sua Provincia, adeòque etiam in diœcesibus Suffraganeorum interdicere & malefactorum promeritum extra totam suam provinciam relegare *cap. tuarum. 11. de Privileg. cap. 2. & ibi.* Barb. *num. 4. de Arbitris.*

XI. Supplet negligentiam, vel Jurisdictionem, si Episcopus Suffraganeus subdito denegat absolutionem, dispensationem juxta circumstantias rei, & personæ de æquitate debitam, executionem ultimæ voluntatis, institutionem ad præsentationem Patroni &c.

XII. Potest concedere indulgentias, nimirum in dedicatione Ecclesiæ cujuslibet annum unum, in anniversario dedicationis 40. dies, quæ prosint etiam subditis Suffraganeorum ad eas lucrandas advenientibus, *juxta cap. cum ex eo. 14. & c. seq. de Pœnitentia & remiss.*

Demum ratione rei sitæ, contractus ac delicti non est dubitandum, quin subditus Suffraganei coram Archiepiscopo rectè conveniatur, si in ejus diœcesi contraxerit, deliquerit &c. *c. fin. de Foro competenti.* quando verò Archiepiscopus Concilium Provinciale convocare, aut Provinciam visitare debeat, *§. sequenti* dicemus.

---

§. V.

De Episcopis, eorum Officio, & Potestate.

SUMMARIA.

33 *Episcopus unde dictus?*
34 *Episcopi potestas diverso respectu à Christo & à Papa.*
35 *Episcopus potest in sua diœcesi, quod Papa in Ecclesia, qualiter intelligendum?*
36 *Episcopi potestas alia Ordinis, alia jurisdictionis.*
37 *Lex jurisdictionis, & lex diœcesana.*
38 *Episcopus non consecratus potest ea, quæ sunt Ordinis delegare.*
39 *Episcopus circa jura Episcopalia habet fundatam intentionem in jure.*
40 *Diœcesium limites determinare tantum potest Papa & ibi casus notabilis.*
41 *Episcopus qualiter teneatur visitare Diœceses.*
42 *Appellatio à visitatione & correctione quando detur.*
43 *Concilia generalia convocat Papa & qualiter?*
44 *Concilium non est supra Papam, nec à Concilio dependet.*
45 *Constitutioni Conciliari non derogatur sine speciali mentione.*
46 *Concilia Provincialia convocat Archiepiscopus, quando & qualiter?*
47 *Concilium diœcesanum quando & qualiter convocet Episcopus?*
48 *Dispensare contra Canones regulariter non competit Episcopo.*
49 *Dispensare quando possit Episcopus?*
50 Trident. sess. 24. de ref. cap. 6. *explicatur contra communem aliorum, quoad verba,* ex delicto.
51 *Irregularitas vel delictum quatenus debeat esse occultum, ut vigore Trident. dispensari possit?*
52 *Delictum quando dicatur deductum ad forum contentiosum.*
53 *Episcopus aliquando dispensat per Epikiam in re levi, & ubi periculum est in mora?*
54 *Dispensatio an competat Episcopo, quando est dubium an res egeat dispensatione?*
55 *Dispensari an possit Episcopus secum ipso?*
56 *Episcopus præcedit omnes sæculares dignitates.*
Alia Summaria post. §. 6.

QUamvis nomen *Episcopi* antiquissimum sit, non 33
solùm in veteri Testamento (juxta illud *Psalm.*

108.

108. *Episcopatum ejus accipiat alter*) sed etiam apud Ethnicos Jurisconsultos usitatum, *L. munerum* 18. *§.* 7. *ff. de Muneribus & honoribus*, hodie tamen proprium factum est Christianæ Religionis, veteri nihilominus sensu servato, ut adhuc significet præcedentiam & præfecturam, qua Episcopus Clero ac populo præest. Unde Episcopi alio nomine etiam Speculatores, *in cap.* 1. *dist.* 21. & Superintendentes *in c. qui Episcopatum* 11. *caus.* 8. *quæst.* 1. appellantur: *Epi* enim Græcè *super*, & *scopus* idem, quod *intentio* significat.

Credit porrò Ecclesia Catholica juxta superiùs dicta ad principium hujus tituli, esse quamdam Hierarchiam Ecclesiasticam, in eaque Episcopos suo loco divinitus à Christo institutos, & majores tum ordine, tum jurisdictione esse Presbyteris, & sicut in Evangelio legitur, Christum alios Apostolos, alios Discipulos elegisse. *Luc.* 6. & 10. ita in locum Apostolorum Episcopos, & Discipulorum Presbyteros, aliosque Ecclesiæ Ministros successisse *cap. in novo* 2. *dist.* 21. *cap. quorum vices* 6. *d.* 68. licèt interim in primitiva Ecclesia, ubi fides Christiana nec dum erat in multas orbis partes diffusa, Episcopalis dignitas non ita enituerit, & Episcopi tunc Presbyterorum officio functi, Presbyteris è contra potestas Episcopalis communicata, & propterea frequenter Presbyteri Episcoporum nomine appellati fuerint.

34 Quare ulteriùs, si potestatem Episcopi in se consideremus, ea à Christo data est; si verò spectemus quo ad certas Diœceses, & districtus ac populos Episcopis subjectos, à summo Pontifice descendit, ad quem pertinet limites Diœcesium assignare, & populo de idoneis pastoribus providere: quia ipse est Pastor universalis vocatus in plenitudinem potestatis, Episcopi verò tantùm in partem sollicitudinis *cap. qui se* 12. *caus.* 2. *q.* 6. *cap. ad honorem* 4. *de Authoritate & usu Pallii*.

Unde quod communiter Doctores solent dicere cum Abbate *in c. etsi Clerici* 4. *§. de adulteriis de Judiciis* quòd Episcopus possit in sua Diœcesi, quæ S. Pontifex in tota Ecclesia, nisi reperiantur specialiter excepta, intelligendum est cum debita subordinatione ad summum Pontificem, & salvis legibus, ac constitutionibus Papalibus, quibus Episcopus subesse debet *d. c. qui se & seq. & Clem. ne Romani* 2. *de Elect.*

35 Dividitur autem *potestas* Episcopi in potestatem *Ordinis*, & potestatem *Jurisdictionis*; Potestas *Ordinis* dependet ab Ordine & charactere Episcopali, hic verò à Sacerdotio, & consecratione. Et hæc potestas consistit potissimùm in tribus, scilicet in confirmando, ordinando, & consecrando, soletque exerceri in vestibus & ornamentis pontificalibus.

36 Potestas *jurisdictionis* est, per quam Episcopus constituitur Judex, & Pastor Ecclesiæ suæ, ut possit decidere lites, conferre beneficia, visitare, corrigere &c. & datur hæc Potestas per Canonicam electionem secuta confirmatione.

37 Aliquando tamen hoc vocabulum *jurisdictionis* latiùs accipitur, ut etiam ea, quæ Ordinis sunt, comprehendat, quatenus nimirùm Episcopus non alienis, sed suis tantùm subditis, regulariter actus Ordinis impertiri valet. Hinc *in c. dilectus* 18. *de Officio Ordinarii* potestas Episcopi dividitur *in Legem Jurisdictionis*, & *Legem Diœcesanam*, & teste Gloss. ibidem per Legem *Jurisdictionis* intelliguntur omnia ea, quæ *in dando* consistunt, sive deinde ex *Ordine*, sive ex *Jurisdictione* Episcopi procedant ut dare Ordines, confirmationem, consecrationem, beneficia, sententias & similia. *Ad legem Diœcesanam* autem referuntur, quæ consistunt *in recipiendo*, id est, quæ Episcopus à suis subditis exigere & recipere potest, ut cathedraticum, charitativum subsidium & portionem canonicam &c. Ita etiam intelligendum est, quod dici solet, omnia Monasteria regulariter esse exempta à *Lege Diœcesana Episcopi*, excepta procuratione visitationis *c. venerabili* 24. *de Censibus*, & portione canonica, *cap. requisivisti*, 15. *vers. secus autem de Testamentis*, non verò à *Lege Jurisdictionis*, nisi speciali privilegio vel præscriptione munita sint. Qua de re dixi *de Privilegiis Monasteriorum. Privilegio* 3.

38 Licèt porrò Episcopus non consecratus ea, quæ sunt *Ordinis*, per se exercere nequeat, potest tamen alteri Episcopo delegare seu licentiam concedere, ut loco sui ordinationes, consecrationes, aliaque quæ Ordinis Episcopalis sunt, peragat. Textus & Interpretes *in cap. suffraganeis* 11. *de Electione*; est enim delegatio actus jurisdictionis, quam Episcopus per canonicam electionem, institutionem, & confirmationem citra etiam consecrationem consequitur. Non obstant regulæ juris, quod quis per se non potest, id etiam non potest per alium. Item nemo potest plus juris in alium transferre, quàm ipse habeat. *L. nemo plus juris* 54. *ff. de R. J.* Nam Respond. cum Panorm. *in c.* 1. *de Translatione Episcopi n.* 20. has regulas procedere, si delegatus id, quod facit, ex mero jure delegantis facere debeat, ut si alicui de cætero nullam jurisdictionem habenti Episcopus causam judicialem committat; secus verò, si Delegatus habeat priùs propriam potestatem & habilitatem ad actum exercendum, & tantùm desit ipsi licentia respectu loci.

39 Quòd si Episcopo ab alio æquali vel inferiori Prælato intra fines suæ Diœcesis super illis, quæ ad ordinem vel jurisdictionem Episcopalem pertinent, lis moveatur prætendendo aliqua Episcopalia juria, vel exemptionem à jurisdictione Episcopi, onus probandi non incumbet Episcopo, quamvis actor sit, sed alteri adversario suo, quia Episcopus habet fundatam præsumptionem in jure pro se, quòd omnia ista ad ipsum pertineant, nisi contrarium ostendatur, *c. Conquerente* 16. *de Officio Ordinarii c. cùm non liceat* 12. *c. cùm olim* 18. *de Præscript. cap. cùm persona* 7. *de Privilegiis in* 6.

40 Limites autem & fines Diœcesium assignare, restringere, vel extendere nec ad Episcopum, nec Archiepiscopum, sed ad Summum Pontificem pertinet. Ideo notabilem decisionem ponit Aloysius Riccius *in Praxi fori Ecclesiastici dec.* 642. *in veteri editione*, quòd Archiepiscopus Neapolitanus non potuerit concedere domum Episcopo Aversano in Civitate Neapolitana, eamque efficere Diœcesis Aversanæ, ut Episcopus Aversanus in tali domo Neapoli ob majorem suam commoditatem habitando diceretur residere in loco suæ Diœcesis ad evitandas pœnas juris præsertim Concilii Trident. *Sess.* 23. *de Reform. c.* 1. contra non residentes Episcopos latas.

41 Præterea cùm Episcopi & Ecclesiarum Prælati per sanctum Spiritum constituti sint, ut evellant & dissipent vitia subditorum, econtra ædificent, & plantent virtutem, & religionem Christianam, ideò de jure incumbit Episcopo, ut propriam Diœcesim per seipsum, aut si legitimè impeditus fuerit, per suum generalem Vicarium singulis annis visitet, & si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare nequeat, saltem majorem ejus partem visitare non prætermittat, ut tota visitatio biennio compleatur. Trident. *Sess.* 24. *de Reform. c.* 3. Sed quia hoc decretum licèt saluberrimum Ordinariis satis molestum, & Ecclesiis ob procurationem, seu sumptus visitantibus præstandos nonnihil grave videtur, propterea hæc Diœcesis in plurimos Archidiaconatus & Decanatus distributa est, in quibus Archidiaconi, & Decani certis temporibus debent synodos & visitationes peragere, ac omnia acta, & qualiter cura animarum ubique administretur ad Consistorium transmittere, quo remedio adhibito possunt Ordinarii excusari rariùs generales visitationes instituendo, dummodò non prorsus tollantur.

A Metropolitanis verò etiam post plenam, & totaliter visitatam propriam Diœcesim non debent visitari Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses suorum suffraganeorum, seu Comprovincialium, nisi ex causa, quæ in Concilio Provinciali priùs cognita & approbata fuerit. Trident. *d. c.* 3.

Cæterum quia sæpe fit, ut rei criminum ad evitandas pœnas & Episcoporum subterfugienda judicia querelas & gravamina simulent, ac per appellationem ad superiorem Episcopi processum impedire nitantur, ne remedio ad innocentiæ præsidium instituto ad iniquitatis defensionem abutantur, constituit idem Concil. Trid. *Sess.* 13. *de Reform. c.* 1. ut causas visitationum, correctionum morum, aliasque criminales ante deffinitivam sententiam nulla appellatio impediat, vel suspendat, nisi tale gravamen alicui inferatur, quod per deffinitivam nequeat reparari.

Item etiam, si Episcopus procedat contra exemptos, aliosque privilegiatos in casibus à jure non permissis, dari, & admitti debere appellationem refert Barbos. *in Collect. ad d. c.* 1. *n.* 5. Videatur quoque elegans textus & adhor-

adhortatio ad Episcopos in *eodem cap.* 1. qualiter in correctione juxta monitum Apostoli debeant potiùs esse pastores, quàm percussores, arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, & patientia, nisi quatenus delicti gravitatis, vel delinquentis contumacia ad aliorum terrorem acriorem subinde castigationem requirit. Alia de visitationum materia *in Tit. de Censibus* traduntur.

43 Ulteriùs ad officium Episcopi pertinet Synodum, seu Concilium convocare. Sunt autem Concilia alia *Generalia*, sive *Oecumenica* totius Ecclesiæ, alia *Provincialia*, & alia *Diœcesana*. Concilia *generalia* Authoritate summi Pontificis legitime congregantur, quibus extra urbem non solet per se, sed per Legatos suos interesse; aliter verò congregata Concilia illegitima & nullius authoritatis habenda sunt. Legitur quidem aliquando ab Imperatoribus congregata fuisse Concilia, id tamen vel de facto attentatum fuit, vel Ecclesia præcipiente, rogante, vel approbante, ut patet *ex dist.* 17. *per tot.* ut nimirum Imperatores sua potentia, & brachio sæculari Concilii libertatem & authoritatem manutenerent, ac defenderent.

Si contingeret, quòd absit, Papam de hæresi diffamatum vel suspectum esse, nolleque Concilium generale convocare, vel schisma in Ecclesia oriri, tunc Concilium per Cardinales, vel saltem duas eorum partes, illisque negligentibus vel recusantibus per Patriarchas, & his etiam nolentibus per Imperatorem, & alios Prælatos Ecclesiasticos convocari posse tradit Sylvest. V. *Concilium n. 6. & 7.* ubi etiam dicit, videri quidem esse in arbitrio Papæ quos & quot velit ad Concilium vocare, nec esse curandum de diminuto numero propter illud Christi: *Matth.* 18. *v.* 20. *ubi sunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum ego, &c.* si tamen causa fidei ad extirpandas hæreses, & schismata tractetur, omnes tunc Catholicos Episcopos vocari debere ait, cùm omnes tangat & concernat.

44 Cæterùm verò Concilium non est supra Papam, sed ab ejus Authoritate & approbatione dependet, nec ei potest legem præfigere, nec appellationem ab eo recipere *c.* 4. *de Elect. junct. Bulla Cœna Domini*, nec etiam absolutè loquendo in definitione Articulorum fidei necessariò à Concilio dependet, ut tradunt communiter Doctores apud Cajetanum *Opusculo de Authoritate Papæ*, quia Christus, dum *Matth.* 16. *v.* 18. promisit *Ecclesiam suam fundare supra Petrum, contra quem Portæ inferi*, & consequenter errores, *non prævalerent*, non restrinxit potestatem Petri, & successorum ejus ad generale Concilium; solent tamen Pontifices pro majori populi Christiani ædificatione, & fiducia Conciliorum sententiæ plurimum tribuere, nec facilè ab ea recedere, neque eorum decretis sine speciali clausula, & mentione derogare. Unde communiter etiam dicunt Doctores, quòd constitutioni vel Canoni in aliquo Concilio generali edito non censeatur per rescriptum Pontificium contrarium derogatum, nisi quatenus de eo mentionem facit. Colligitur *ex c. nonnulli* 28. *ubi* Felinus *n.* 3. *Rescriptis* Sanch. *de Matrim. lib.* 3. *disp.* 26. *num.* 7.

45 Concilia provincialia convocat Metropolitanus per se ipsum, aut eo legitimè impedito, suffraganeus antiquior singulis trienniis post octavam Paschæ, aut alio commodiore tempore pro more cujuslibet Provinciæ.

46 Ad hoc Concilium vocandi sunt omnes Suffraganei Archiepiscopi. Item Episcopi nulli Archiepiscopo subjecti aliquem vicinum Metropolitanum semel eligere, in ejusque Synodo Provinciali cum aliis interesse, & quæ ibi ordinata fuerint, observare debent. Tridentinum. *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 2. Præterea etiam vocandi sunt alii omnes, quibus de jure vel consuetudine competit ut intersint, Trident. *d. loc.* competit autem Cathedralium Ecclesiarum Capitulis, maximè circa illa negotia, quæ ipsa Capitula principaliter concernunt, *cap. fin. de his, quæ fiunt à Prælatis.* Ne tamen Ecclesiæ divino officio destituantur, si omnes Canonici ad synodum Provincialem abirent, ideo sufficit nomine Capituli mittere Procuratorem *d. c. fin. ubi* Panorm. *n.* 4. hunc verò Procuratorem non habere in Concilio vocem *decisivam*, quæ tantùm Prælatis competit, sed *consultivam* cum pluribus tenet Quaranta *in Summa Bullarii, v. Concilium Provinciale v. quarto.* Abbates ad Concilium Provinciale regulariter quidem cogi non debent, *cap. Episcopus* 51. *dist.* 58. sed pertinent ad synodum Diœcesanam; expedit tamen eis ut veniant propter statuta, quæ ibidem fiunt quandoque in eorum præjudicium, quæ præsentes tunc faciliùs impedire, quàm ex post facto in Synodo diœcesana reclamare possunt. Joan. Honorius *in Tit. de Constitut. n.* 6. Illi verò Abbates, qui habent populum, & territorium proprium, & jurisdictionem quasi Episcopalem intra ambitum alicujus Provinciæ, etiam ad Concilium Provinciale comparere debent, ita intelligendus est textus *in c. ut Apostolica* 6. *de Privilegiis in* 6. Quaranta *d. loco vers. quæro tertio.*

Concilium Diœcesanum celebrare debet Episcopus in 47
sua diœcesi, in primis ad recipienda Concilii Provincialis decreta intra sex menses, postquam Synodus Provincialis absoluta fuit, & deinde singulis annis. Trident. *d. loco c. fin. dist.* 18. Ad hanc synodum tenentur accedere omnes Abbates, qui nec populum, nec jurisdictionem quasi Episcopalem habent, propter quæ ad Provincialem vocentur. Imo etiam Abbates exempti, si membra habeant, id est, capellas, vel Parochias non exemptas, eorum membrorum intuitu ad Synodum Diœcesanam accedere, & Episcopo pro non exemptis membris reverentiam, & obsequium exhibere tenentur, honore tamen sibi præ aliis Abbatibus servato, ut primum post Episcopum locum obtineant *c. ex ore.* 17. *de Privilegiis.* Porrò materia in his Conciliis tractanda est reformatio, vel conservatio status Ecclesiastici, & rectæ administrationis curæ animarum, ut motum fiat moderatio, excessus corrigantur, controversiæ componantur, & Ecclesiarum indemnitati consilio salubri provideatur. Ritus autem & cœremoniæ faciendi Synodum diversæ sunt pro locorum diversitate, & videri poterunt apud Barbos. *de Officio Episcopi p.* 3. *alleg.* 93. Quaranta *V. Concilium provinciale, & Verb. Synodus Diœcesana.*

Pertinet etiam ad officium, & potestatem Episcopi 48
quandoque in jure dispensare, circa quam potestatem aliqua notanda sunt.

I. Quamvis nonnulli cum Gloss. *in cap. etsi clerici* 4. §. *de Adulteriis de Judic.* & Piasecio *in praxi Episcoporum part.* 1. *c.* 1. *sub num* 60. censeant, Episcopum posse dispensare in omnibus casibus, in quibus non est ei expresse prohibitum, probabiliùs tamen est, & receptius, Episcopum in Jure communi dispensare non posse citra juris permissionem, privilegium, vel consuetudinem: si enim juxta notam juris regulam, *res eo modo dissolvi debet, quo colligata est, l. nihil tam naturale* 35. *ff. de R. J.* sanè quia Episcopus legem Canonicam non tulit, eam dissolvere non poterit; nec congruit, ut inferior subditus Legislatori, & qui ejusmodi legi obedire tenetur, pro suo arbitrio in lege dispenset *c. cum inferior* 16. *hoc tit. cap. dilectas* 15. *de Temporibus ordinat. Clem. ne Romani* 2. *in princ. de Electione.* Illud quoque dictum inter Doctores vulgare, quòd Episcopus in sua Diœcesi possit ea, quæ S. Pontifex in tota Ecclesia, intelligendum est cum debita subordinatione; ut jam superiùs explicatum est.

II. Tunc igitur regulariter, & sepositis specialibus 49
privilegiis & consuetudinibus dispensatio competit Episcopo, quando ei à lege sive Canone *expressè*, vel *tacitè* permittitur. *Expressæ* permissionis exempla habentur *in c.* 1. *de Filiis Presbyterorum in* 6. *c. sanè* 2. *de Cleric. conjug. cap. & si clerici* 4. §. *de adulteriis de Judic.* in Trid. *Sess.* 24. *de reform. c.* 6. & pluribus in aliis locis. Ex quo ipso argumentum satis luculentum pro priori assertione desumitur; frustra enim canones in certis casibus expressè dispensationem concederent, si aliàs de jure Episcopo competeret. *Tacitè* permissam dispensationem Episcopo censent Doctores, quando textus Canonis *impersonaliter* loquitur v. g. *dispensetur, dispensativè, possit dispensari &c.* non adjiciendo per Sedem Apostolicam, vel Romanum Pontificem, ut in *c. præterea*, 5. *de Ætate & qualitate c. veniens* 2. *De eo, qui cognovit & cap. postulastis* 7. ubi Gloss. & Doctores *de Clerico excommunicato:* tunc enim, quia gratis concederetur dispensatio Papæ, cui aliàs competit, & leges accipi debent de casibus dubitatis, *L.* 2. *ff. Ad municipalem.* censetur propterea illa facultas dispensandi data inferioribus Prælatis, quibus de jure non competeret. Panorm. *in cap. ultimo de Postulat. Prælat.* Barbos. *de Officio Episcopi part.* 2. *allegat.* 34. *num.* 21.

In allegato porrò *c.* 6. *Trid.* ubi notabilis & ampla pote- 50
stas dispensandi *in omnibus censuris & irregularitatibus*

ex de-

ex delicto occulto provenientibus, excepto *occulto homicidio voluntario*, & *aliis deductis ad forum contentiosum* conceditur Episcopo, advertendum est, quod ad hanc facultatem tria concurrere debeant.

I. Ut irregularitas sit ex delicto, ideoque ex communi interpretatione apud Barb. *in Collect. ad idem caput. 6. numer.* 24. Episcopus dispensare non poterit, si aliunde proveniat v. g. ex bigamia, ex judicio sanguinis justo, ex illegitimis natalibus. Nomine quoque delicti etiam levissima culpa intelligitur tanquam in ordine ad dispensationem & materiam favorabilem. *L. in lege. 44. ff. ad L. Aquiliam*, Sed planè existimo, aliquem erroris damnati non posse, qui generaliter doceret, Episcopum in quacumque *irregularitate occulta* rectè dispensare; cum enim hæc facultas dispensandi sit privilegium nemini præjudicans, Episcopis & dispensandis favorabile, latiùs interpretari convenit, ut *delicti* nomine non tantùm veniat peccatum in genere moris, vel contra præceptum, sed etiam defectus in virtute, perfectione, lenitate, & similibus, ut in Bigamo, Judice sanguinis &c. & delictum non tantùm ipsius irregularis sed etiam alterius, qui irregularitati causam dedit, sicut de dispensatione super illegitimis natalibus superiùs conclusimus. Aliàs manifestè sequeretur aliquod juris inconveniens, quòd nimitum delinquens ex delicto commodum reportaret, & esset melioris conditionis, quàm irregularis non delinquens. e. g. qui semel tantùm ceu assessor in judicio sæculari votum justum in causa sanguinis dedisset ad summum Pontificem, ille verò, qui aliquem, non quidem voluntariè sed culpa saltem levi occidisset, ad Episcopum pro dispensatione mittendus foret; similiter qui duas uxores legitimas duxisset, non posset dispensari ab Episcopo ad ordines suscipiendos, & tamen posset, qui unam legitimam, & alteram de facto duxisset per polygamiam.

Dices, si hoc voluisset Concilium, non fecisset *delicti* mentionem, sed generaliter dixisset Episcopum in irregularitatibus dispensare posse. Respondeo mihi videri id maximè ex ea causa factum esse, quòd Trident. ibidem non tantùm de *irregularitatibus*, sed simul *censuris* Papalibus loquatur, quæ *sine delicto* & quidem mortali non incurruntur, ut propterea vocabulum *delictum* censuras maximè respiciat.

51 II. Requiritur ut irregularitas sit *occulta*, ubi licèt Garcias *de Benef. parte 7. cap. 11. numer.* 46. & alii censeant; *delictum occultum* in præsenti materia dici, quod non potest probari juridicè per testes duos; benignior tamen, & magis communis est sententia cum Navar. *in Manu. cap. 27. sub num.* 254. Piasecio *d. n.* 56. hoc loco dici *occultum*, quod arbitrio prudentis Viri non est notorium apud plerosque & divulgatum, licèt possit probari per aliquot testes, & sufficit tergiversatione aliqua celari posse. *arg. cap. fin. de Cohab. Cleric.* Item *radicem delicti* esse attendendam, & ideò Episcopum dispensare posse in irregularitate, quam contrahit excommunicatus celebrans, quando excommunicatio est occulta, licèt celebratio sit manifesta, cum communi docent Nav. *Cons. 2. de Clerico non ordinato ministrante*, & Piasecius *d. loco*.

52 Quòd si delictum sit publicum in loco, ubi commissum, sed occultum in loco, ubi dispensatio petitur, an tunc Episcopus dispensare possit, diversæ sunt Doctorum opiniones apud Barb. *in Collect. ad dictum cap. 6. Trid. num.* 26. Putarem ad mentem verosimiliorem Concilii has discordantias in hunc ferè modum componi posse, ut si dispensandus regressurus sit ad locum delicti, & ibi victurus, obtineat sententia *negativa*: foret enim nonnihil scandalosum, publicè ibidem scire delictum, & irregularitatem, & non scire canonicam dispensationem; *affirmativa* verò, si vel in loco dispensationis, vel alibi in divinis ministraturus sit, ubi arbitrio Episcopi non esset proximum divulgationis periculum, aut delictum valde grave & enorme.

Tertium requisitum est, *ne delictum sit deductum ad forum contentiosum*, id est, quòd irregularis non sit conventus in judicio; vel criminaliter, vel civiliter; subest namque periculum, ne reus condemnetur, & ita delictum ejus fiat notorium notorietate juris. Dubitant quidem hoc loco Doctores, an ut dicatur delictum ad judicium deductum, debeat non tantùm citatio, sed etiam litis contestatio intervenisse? Mihi tamen probabilius videtur, solam citationem sufficere; tum quod regulariter per citationem dicatur judicium cœptum *cap. relatum. 19. c. gratum. 20. de Officio Deleg. juncto cap. fin. de Officio Legati.* tum quòd utique periculum divulgationis apertè subsit, quando quis ex causa delicti in judicium vocatur. Verùm hic notandum est, ad Episcopum redire jus dispensandi, si judicium quoquo modo progressum non habeat actore fortè ab agendo desistente, vel reo ex defectu probationum absoluto, eò quòd tali casu nulla subsecuta sententia delictum occultum maneat. Riccius *in Praxi fori Ecclesiastici. part. 1. Resolut.* 459.

III. Per quandam *Epikiam*, seu benignam interpre- 53
tationem, & tacitum sive præsumptum consensum Pontificis dispensare potest Episcopus, tametsi nec expressè nec impersonaliter concedatur, quando materia & negotium, de quo quæritur, esset leve, & parvi momenti; & quando, si expectandus foret Papalis consensus, magnum timeri posset scandalum, vel animarum periculum, vel aliàs urgens necessitas difficilis ad Papam aditus, vel notoria supplicantis paupertas subesset. Nav. *in Manuali. c. 22. num.* 86. Zerola. *in Praxi Episcoporum Verbo dispensatio. quæst.* 4. prout in impedimentis matrimonii, postquàm bona fide *contractum est*; vel ubi periculum in mora dispensare posse Episcopum *in Lib. IV. in titulo* 26. tradémus. Imo etiam ad Matrimonium *contrahendum* ex his principiis dispensare posse Episcopum docet Sanchez *de Matrimonio lib. 2. disp. 40. num.* 7. saltem in casu maximæ necessitatis, ubi v. g. ex imperitia mulieris impedimentum criminis, aut affinitatis ex copula fornicaria hactenus dissimulatum circa diem nuptiarum omnibus jam paratis Confessario detegeretur, nec possent nuptiæ sine infamia differri, aut alius modus evadendi arbitrio prudentis viri inveniri.

IV. Quando dubium est juris aut facti, an res egeat 54
dispensatione militantibus in utramque partem probabilibus, rationibus, licere Episcopo dispensare secundum probabilem quorundam sententiam tradit Eman. Sa. *verbo Dispensatio num.* 1. sed nullam in hoc casu propriè dictam dispensationem, tanquam à legibus non concessam, solam verò declarationem ad evitandum scandalum & meliorem cautelam admittit Sanch. *de Matrim. lib. 8. disp. 6. num.* 27. qui duas limitationes potissimùm circa dubium facti apponit: nimitum *primo*, ut si majores præsumptiones sint pro Impedimento, non possit Episcopus declarare; v. g. si aliqui testes deponant, nullam esse inter contrahentes consanguinitatem, alii verò plures numero, opinione integriores & pluribus indiciis adjuti affirment consanguinitatem. *Secundò*, ut etiam semel data declaratione nullum esse impedimentum, si ex postfacto appareat, revera subesse impedimentum, debeat de novo dispensatio impetrari ab eo, qui dispensandi potestatem habet. Posset tamen pro priori sententia dici, dispensationem in materia dubia concedi Episcopo per quamdam Epikiam & præsumptam mentem S. Pontificis ob communem hominum utilitatem: si enim in dubio conceditur Episcopo declaratio, nimis grave & cum frequenti scandalo conjunctum videtur, ut apparente ex post facto certitudine omnes illi actus ad talem declarationem præviam bona fide celebrati invalidi proclamentur.

Sed quid si Episcopus ipsemet contrahat irregularita- 55
tem, censuram, vel casum occultum indigentem dispensatione, & in quo cum subdito dispensare posset, annè etiam secum ipso dispensare poterit?

Ratio dubitandi est, quòd nemo regulariter possit jurisdictionem in se ipsum exercere, sicut nec sibi ipsi beneficium conferre *c. fin. de Institutionibus*.

Nihilominus dicendum est, Episcopum in tali casu non habere necesse, ut in se ipsum propriè jurisdictionem exerceat, sed posse declarare per quamdam præsumptionem & benignam Canonum interpretationem, quòd non sit obligatus illa lege, à qua posset suum hic & nunc subditum immunem pronunciare: ne sit deterioris conditionis, quàm subditus, qui tali casu non tenetur Romæ dispensationem impetrare; securius autem erit, si Episcopus suo Confessario potestatem se absol-

solvendi dederit: quamvis enim nemo possit in se jurisdictionem exercere, alteri tamen potestatem in se exercendi dare potest, sicut idem facit S. Pontifex, cùm non habeat in terris superiorem, cujus jurisdictioni subsit, dat suo Confessario in se jurisdictionem. Videatur Laym. *in Tract. Legum c. 22. n. 30. & seqq.*

56 Episcopos cæterùm in suis Diœcesibus honorare & revereri ut Patres & Pastores debent non tantùm Principum ministri, sed & ipsi Principes quicumque sæculares. Prout Concilium quoque Trid. *sess. 25. de Refor. cap. 17.* mandat, ut Episcopi hunc suum honorem & prærogativam omni meliori modo conservare studeant, ne quid Episcopali dignitati decedat.

---

§. V.

De Protonotariis Apostolicis & aliis inferioribus Prælatis & Clericis.

SUMMARIA.

57 *Protonotarii qui & quæ participantium prærogativa?*
58 *Protonotarii Titulares.*
59 *Protonotariorum beneficia sint ne reservata?*
60 *De Vicario, ejusque præcedentia.*
61 *Capituli Cathedralis Ecclesiæ præcedentia.*
62 *Abbatum prærogativa, & ibi de Præpositis, & Decanis.*
63 *Clericorum inferiorum prærogativa inter se.*
64 *Ordinum Regularium inter se prærogativa.*
65 *Præcedentiarum lites inter personas Ecclesiasticas componit Episcopus.*

57 POst Episcopos in Curia Romana dignitati proximi sunt *Prothonotarii Apostolici participantes, à proto* græcè, id est, *primus* latinè. Undè & S. Stephanus Proto Martyr dicitur. Creduntur primitus à Clemente I. ad conscribenda SS. Martyrum gesta instituti.

Dico autem *participantes* in isto gradu constitutos, qui scilicet actu serviunt, & Romæ expediunt Bullas Ecclesiarum ac Monasteriorum. Horum Collegium olim ex 7. constiterat, hodiè verò per Sixtum V. in Bulla *Romanus Pontifex*, ad 12. ampliatum est. Idemque Pontifex in alia Bulla, quæ incipit, *Laudabilis*. diversis privilegiis hos Protonotarios honoravit, ut privilegio creandi Doctores, & Notarios publicos, legitimandi spurios, testandi de bonis Ecclesiasticis, exemptionis, plenæ præcedentiæ & pluribus aliis.

58 Alii autem sunt *Protonotarii* non *participantes*, sive honorarii, & titulares, quibus non competit tanta prærogativa ante alios Prælatos; præferuntur tamen Clericis inferioribus specialem prælaturam vel dignitatem non habentibus. Conceditur quoque ipsis facultas deferendi aliquem habitum Prælatorum, gestandi rochetum & mantelletum tam nigri coloris, quàm violacei, utendi pileo super suis insigniis gentilitiis; & censentur etiam in aliqua dignitate, ita ut *juxt. c. statutum. 11. de Rescriptis in 6.* causæ Papales iis delegari possint. Subsunt tamen jurisdictioni Episcopi, saltem Sedis Apostolicæ Delegati. Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 11.* Neque etiam possunt uti annulo in missa; nec paramenta sumere de altari, sed in sacristia; nec benedictiones paramentorum facere, vel aliis cæremoniis Abbatum & Prælatorum propriis uti. Videatur Cassaneus *in Catalogo gloria mundi part. 4. consideratione 29.* Barb. *Jur. Ecclef. univ. lib. 1. cap. 23.* ubi *num. 37.* docet Protonotariorum beneficia, etiamsi illi non sint de numero participantium, sed ad instar, vel à Legatis creati, esse reservata per Extravag. *ad Regimen. 13. de Præbend. & dignitat. inter Comm.* & *Reg. 1. Cancell.* firmatque ex variis Rotæ decisionibus. Verùm licèt d. Extravag. generaliter nominet *Notarios Sedis Apostolicæ*; Quia tamen verba sumenda sunt cum effectu. *c. relatum. 4. de Cler. non resid.* & in propria significatione, præsertim in tali materia, quæ facultates Ordinariorum circa collationem beneficiorum restringit; Protonotarii autem titulares non participantes non videantur Prothonotarii cum effectu, cùm officium non gerant, dubito, utrùm tam larga d. Extrav. interpretatio ubique recepta sit. Usus locorum hac in re attendendus erit.

De Vicario Episcopi.

60 VIcario Episcopi tanquam principali ejusdem ministro de jure deberi præcedentiam ante omnes alios Canonicos & Clericos etiam in dignitate constitutos, notat Navar. *Consilio 1. h. tit.* Consuetudo tamen in variis locis invaluit, ut Canonici Cathedralis Ecclesiæ Vicarium præcedant; vel certè, si ipse quoque Canonicus sit, propter hoc officium specialem præcedentiam non habeat, eamque consuetudinem valere defendit Navar. *d. l.* consequenter etiam dicendum, quòd Abbates in his locis & casibus, in quibus juxta mox dicenda præcedunt Canonicos, præcedant quoque Vicarium, secundùm vulgatum axioma: *si vinco vincentem te, multò magis vinco te.* præsertim verò Vicarius foraneus non potest talem præcedentiam prætendere, cùm non dicatur propriè in dignitate constitutus *Clem. 2. de rescriptis.*

Cætera, quæ ad Officium Vicarii pertinent, supra speciali *Titulo* 28. tradita sunt.

De Capitulo Cathedralis Ecclesiæ.

61 CApitulum Cathedralis Ecclesiæ, quia unum corpus cum Episcopo constituit, eoque mortuo in Episcopalem jurisdictionem succedit, reliquis Ordinibus & statibus Ecclesiasticis inferioribus supereminet, nisi quidam inferiores Prælati ex privilegio vel præscriptione anteponantur; sed hoc si Capitulum sit collegialiter congregatum: singulis verò & separatis Canonicis ratione dignitatis & muneris pastoralis præferuntur Abbates & Præpositi, ut mox dicam. Alia quæ ad potestatem & jura Capitulorum pertinent in *Lib. III. tit. 9. & 2. seqq.* explicabuntur.

De Abbatibus, Præpositis, & Decanis.

62 ABbates propter jurisdictionem Ordinariam, quam habent in suos subditos, & usum Pontificalium, cùm multùm eleventur super cæteros Presbyteros & Clericos, & valde propè ad Episcopos accedant, præferuntur cæteris Clericis etiam in dignitatibus sæcularibus inferioribus ab Episcopo constitutis, & ipsis quoque Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, *si singulariter* & non, ut paulò ante dictum, *collegialiter* sive *capitulariter* incedant, Pan. & Dec. *in cap. decernimus 2. de Jud.* Cassan. *in Catal. gloria mundi p. 4. consil. 32.* Nav. *hoc tit. Cons. 4. numer. 4.* Inter ipsos autem Abbates præferuntur exempti non exemptis & habentes insignia pontificalia mitram & baculum illa non habentibus *ex arg. c. 17. de Privil.*

Inter pares præcedunt priùs ad Abbatias promoti, sicut inter pares Episcopos de jure (nisi consuetudo aliud introduxerit) præcedere debet, qui priùs in Episcopum ordinatus est, tametsi Ecclesia postea promoti dignior sit. Barb. *ad Conc. Trid. sess. 25. de Regularibus c. 13. n. 2.* Huc pertinent ea, quæ de jurisdictione aliisque Abbatum juribus tradidi in Libello *de Privilegio Monasteriorum*; Interim ubi casus evenerit recurrendum erit ad Tamburinum, qui insignes Tractatus *de Jure Abbatum*, & *Abbatissarum* conscripsit.

Porrò quod de Abbatibus dicitur, etiam intelligendum est de *Præpositis* Regularium Ecclesiarum, qui Abbatum loco habentur.

Præpositi quoque Ecclesiarum sæcularium & Collegiatarum habent dignitatem & jurisdictionem in illos, qui sunt de illa Ecclesia. Barb. *Jur. Eccles. univ. Lib. 1. cap. 28. num. 19.* docet tamen Panorm. *in c. si quis contra. 4. in 2. repet. num. 50. de Foro comp. post Innoc. in cap. 3. num. 5. & cap. 7. nu. 2. de Offic. Ord.* quòd cum Prælatis sæcularium Ecclesiarum concurrentem Jurisdictionem habeat Episcopus, nisi jure speciali vel consuetudine talis Prælatus haberet Jurisdictionem generalem sicut Abbas.

Abbas. Panorm. *in cap. nec pro defectu 41. sub numer. 5. de Elect.*

De Decanis vid. Barbos. *d. l. c. 26.* ubi dicit eos de jure communi non habere propriè dictam jurisdictionem, sed sæpiùs ex consuetudine locorum. Videantur etiam, quæ dicuntur ad Tit. *de Offic. Archipresb.*

De Inferioribus Clericis & Religiosis.

63 INter Clericos sæculares, qui sunt inferioris gradus illi præferuntur, qui vel dignitate & officio, aut sacro ordine reliquis majores sunt; idem judicium esto de Regularibus Ordines Clericales habentibus. Imò dignitas ordinantis aliquando honorem præ cæteris confert ordinato, ut *in cap. tuas hoc tit.* dicitur, decens esse, ut Episcopus illis Clericis inter alios suos subditos honorem deferat, quos ipse S. Pontifex collatione ordinis honoravit, Canonici quoque Cathedralium Ecclesiarum, non tantùm si Collegiati Capitulum constituant, sed etiam ut singuli reliquis Clericis anteponuntur, & in speciali honore sunt, ita ut eis causæ per sedem Apostolicam delegati possint, quod non fit inferioribus Clericis *cap. statutum 11. de Rescriptis in 6.* de quibus plura *in L. III. in Tit. de Clericis non resid.*

64 Circa præcedentiam Ordinibus Regularium competentem plures observationes ponuntur à Doctoribus, ita ut una Religio dicatur excellentior & dignior altera ratione finis, secundùm quem multorum judicio præstantior habetur Religio, quæ ordinatur ad prædicandum & docendum, quàm quæ in sola contemplatione quiescit: quia quamvis prædicare & docere sit actus vitæ activæ, procedit tamen ex plenitudine contemplationis. Et facit illud Evangelii: *qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur.* Item excellentia Religionis aliquando judicatur à dignitate ejus, qui instituit, & etiam à pluralitate Religiosorum, qui sub aliqua Regula, vel in aliquo Monasterio vivunt. Maximè autem in ordine ad præcedentiam consideratur Religionis antiquitas, & prior à Sede Apostolica approbatio, ut videre est apud Cassaneum *sæpè d. p. 4. consideratione 52. & sequenti:* Mendicantes quoque debere dare præcedentiam Ordinibus non mendicantibus, ex decisione Congregationis Rituum refert Barb. *de Offic. Episcopi alleg. 78. n. 37. in fine.* Specialiter circa præcedentiam Ordinum mendicantium inter se, & etiam Confraternitatum Laicorum in processionibus extat declaratio Greg. XIII. quam refert Quaranta: *in Summa Bullarii in verbo Præcedentia* quòd videlicet illi præcedere debeant, qui sunt in quasi possessione juris præcedendi, (possessio enim & consuetudo in materia præcedentiarum plurimùm attenditur) quòd si nulla possessio probari possit, tunc ex Ordinibus mendicantium prærogativam habent, qui priùs in illo loco monasterium obtinuerunt: ex Confraternitatibus verò præcedunt illæ, quæ priùs factis usæ sunt, val in loco erectæ.

65 Ex Constitutione Concil. Trid. *sess. 25. de Regularibus cap. 13.* Episcopus, potest & debet controversias omnes quæ sæpè oriuntur, cum scandalo inter Ecclesiasticas personas tam Sæculares, quàm Regulares, tam in processionibus publicis, quàm in aliis actibus amota omni appellatione & non obstantibus quibusque componere. Videatur Barbos. *d. alleg. 78. n. 27.*

---

§. VII.

De Obedientia.

SUMMARIA.

66 *Obedientia debetur Superiori, etiam cum dubitatur de justo mandato.*
67 *Non autem, si constet esse injustum.*
68 *Obedientiam in dubio præstandam esse limitatur.*
69 *Obedientia non debetur Superiori ultra terminos suæ jurisdictionis præcipienti.*
70 *Obedire qualiter debeat, qui plures habet Superiores simul præcipientes.*

PRocotonide hujus tituli, qui *de Majoritate & Obe-* 66
dientia inscribitur, breviter aliquid notandum est circa obedientiam, quam inferiores debent majoribus, quibus subjecti sunt.

Generaliter itaque dicendum, quòd subditus teneatur 67
obedire suo Superiori non tantùm cum justa præcipit, quòd certum, sed etiam cùm dubium, qui in dubio præsumi debet pro superiore, qui est in possessione imperandi & præcipiendi. Et quamvis nemo cum dubio practico agere possit, tenetur tamen subditus tale dubium practicum in materia obedientiæ deponere, ita docet Molina *de Justitia & jure. Tom. 1. tract. 2. d. 113.* quòd subditi & milites conducti dubitantes de justitia belli, ad quod ex præcepto domini & ducis vocantur, possint sumere arma, & pugnare.

Verùm si certò constaret, injustum essa, vel peccatum 68
etiam tantùm veniale, vel in damnum proximi injustum cessurum, quod mandat superior, ipsi obediendum haud foret: tunc enim haberet locum illud *Actorum 5. vers. 29. obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*, & *cap. inquisitioni 44. de Sententia excommunicationis.* Deinde quoque aliis modis prædictum assertum, quod generaliter & in dubio obediendum sit, limitat Lessius. I. si subditus non tantùm dubitet de materia præcepti, an justa sit, sed de potestate præcipientis, an sit legitimus superior, nisi fuerit in possessione superioritatis & communi existimatione pro tali habitus *arg. l. si quis ex aliena 5. ff. de Judiciis.* Aliàs melior erit subditi suam libertatem possidentis conditio. II. Si ex præcepto, de quo dubitatur, an sit justum, alteri, vel subdito grave immineat damnum, ex non obedientia autem nihil mali sequatur. Sed hæc posterior limitatio in materia executionis judiciariæ exaudienda non erit secundùm ea, quæ traduntur per textum difficilem & Interpretes in *c. pastoralis 28. §. quia verò de Offic. Deleg.*

Advertendum prætereà inferiorem in iis tantùm teneri obedire suo superiori, in quibus illi subest ut servus Domino in servilibus, filius Patri in rebus domesticis; miles Duci in rebus bellicis: & ideo, qui plu..es habet superiores, cuilibet eorum obedire debet pro modo suæ superioritatis, sive in quantum habet potestatem imperandi. Unde quia Papa habet concurrentem & simul superiorem potestatem cum & præ omnibus inferioribus Prælatis, illi etiam præ omnibus aliis obtemperandum est. 69

Archiepiscopus verò, quia tantùm certis casibus habet jurisdictionem in subditos Suffraganeorum, isti non aliter ejus mandatis obedire tenentur, quàm si in casu sibi permisso præceperit. Similiter Regularis expositus ad parochiam Episcopo subditam, tenetur Episcopo obedire circa curæ animarum administrationem; circa observantiam autem Regularem Abbatis mandatum suscipere, & delinquens extra curam animarum non ab Episcopo, sed ab Abbate (nisi Abbas punitionem negligenter omiserit) corrigendus & puniendus est. 70

Notabile denique est, quod ex Hostiensi docet Sylv. V. *Obedientia n. 10.* Si Clericus duobus Episcopis ratione Beneficii vel alio respectu promiserit obedientiam, & simul & semel utrique obedire nequeat, possit obedire ei, cui primò promisit obedientiam, vel illi in cujus Diœcesi percipit majus & utilius Beneficium *arg. c. cùm in officiis 7. de Testamentis*, quòd si omnia sint paria, locus erit electioni, sive gratificationi, cui obedire maluerit. *L. si quis in gravi 3. §. si cùm omnes 4. ff. ad S. C. Syllan.* Volunt etiam DD. inter pares potestate Superiores ei obediendum esse, qui præcipit ad nobiliorem finem; sic si pro eodem tempore pater præcipiat filio circa rem domesticam, & dux, ut pro Republica pugnet, & magis Duci, quàm Patri obedire tenetur: quia publicum privato præferendum est.

TITU-

TITULUS XXXIV.

De Treuga & Pace.

SUMMARIA.

1 *Quid Pax & Treuga?*
2 *Treuga alia conventionalis, alia Canonica.*
3 *Treuga Canonica usu abrogata.*
4 *Ad bellum requiritur duplex justitia in genere belli, & in genere causa.*
5 *Bellum per se licitum, per accidens potest fieri illicitum.*
6 *An summus Pontifex possit, vel debeat bellantes ad pacem compellere?*
7 *Ex causa magna utilitatis licet in die festo bellare.*
8 *Quomodo Principi Christiano liceat infideles in auxilium vocare, vel eos bello juvare?*
9 *Quatenus innocentes occidere liceat in bello, aut bona eorum diripere?*
10 *Obsides occidi non possunt, etiam fide à dantibus non servata; nisi & ipsi nocentes sint.*
11 *An & quando oblata satisfactione justa Princeps teneatur à bello desistere?*
12 *An & quomodo in tractatu pacis possit Princeps damna subditis illata remittere?*
13 *Damna Ecclesiis illata sine superiorum Ecclesiasticorum consensu à Principe Laico remitti non possunt.*
14 *Pax ex nova belli causa tollitur: secut est in treugis.*

1 HIc titulus ea occasione subnecti hic videtur, quòd Prælatorum munus sit, discordantes ad pacem, & concordiam reducere, & ad pacem servandam auxilium præstare *c. 1. v. quoniam h.t.* Est autem Pax totalis & perpetua discordiæ peremptio voluntariè inter litigantes facta; Treuga verò est tantùm temporalis cessatio à lite vel bello, quam aliàs armistitium vel inducias appellant.

2 Porrò Treuga alia est Conventionalis, ex libera voluntate litigantium inita, & alia Canonica. Ista authoritate *c. 1. h. tit.* à quarta feria post occasum solis usque ad secundam feriam in ortum solis, & ab adventu Domini usque ad octavam Epiphaniæ, & a Septuagesima usque post octavam Paschæ sub pœna excommunicationis ab Episcopo post tertiam monitionem infligendæ, atque
3 ab omnibus debet inviolabiliter observari. Verùm hoc *c. 1.* sicut & sequens, quod statuit, ut tempore belli personæ Ecclasiasticæ & rustici, eorumque animalia, quibus arant, plena gaudeant securitate, usu non esse receptum, Gloss. & Panorm. ibidem affirmant: quis enim hosti nec Pontificia, nec Cæsarea statuta curanti legem præfigat? quando inter arma silere leges satis experientia testatur. In *c. 1. h. t.* statuitur, quòd Episcopi sub pœna amotionis propriæ dignitatis teneâtur sibi mutuum consilium & auxilium impendere, ut inter dissidentes tam Clericos, quàm Laicos pax firma efficiatur & custodiatur. Cæterùm hujus tituli occasione de materia belli aliquæ notabiles quæstiones occurrunt.

4 Quæritur itaque I. quandonam dicatur bellum justum, ut illud suscipere, & in eo pugnare liceat? Respond. ad bellum duplicem justitiam requiri, ut illud suscipere liceat, vel in eo fiant capta capientium, nimirum justitiam in genere belli & in genere causæ. In genere belli justum est, quod geritur à Principibus superiorem non recognoscentibus: inferiores enim sine consensu supremi Principis bellum gerere non possunt, nisi contra subditos rebelles, & defensivum ab aliis invasi. Ita Molina de *J. & J. tract. 2. disp. 10.* In genere causæ justum est, quod fit ex causa legitima pro persecutione juris vel injuriæ: quod enim inter privatos judex, hoc inter Principes est gladius. Potest ta-
5 men aliquando bellum licitum per se fieri illicitum per accidens, si facilè prævideantur damna eventura, quæ longè pluris sint, quàm æstimatio rei debitæ. Boni etiam Principes, quamvis superiorem non habeant, solent tamen magis judicem compromissarium, sive arbitrum aliquem potentem principem vel plures assumere, quàm cruento bello jus suum vindicare.

Quæritur II. An Papa possit, aut debeat Principibus 6
bellantibus pacem imperare, & causam discordiæ sua sententia terminare, atque renitentem censuris compescere? Respond. quamvis summus Pontifex per ea, quæ *Tit. præced.* diximus, habeat potestatem causas inter summos Principes vertentes sua sententia terminandi, si ita expediat, vel necessarium sit Ecclesiæ ad evitanda maxima damna, quæ ex litigio & bello in fideles & Ecclesiam redundant, tamen ut id faciat, non tenetur Pontifex, imò plerumque ne faciat, consultius est, teste Molina *d. loc. disp. 103. numer. 12.* quoniam id occasio esse posset multorum malorum, cùm qui damnaretur, facile in periculosum odium S. Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ exardesceret; potiùs proinde expedit, ut tanquam pater & mediator amicabilem pacem & compositionem procurare studeat.

Q. III. An Catholicis licitum sit, in die festo bellare 7
non tantùm ex causa necessitatis, juxta *c. si nulla 15. causa 23. q. 8.* sed etiam commoditatis? Respond. Affirmativè: quia lex Ecclesiastica de servando festo non tantùm non obligat ob magnum damnum emergens, sed etiam magnum lucrum cessans, *arg. c. licèt 3. de Feriis*, ubi permittitur in die festo captura piscium, qui non nisi certo tempore anni capiuntur.

Q. IV. An liceat Principi Christiano infideles in auxilium invocare, vel eos in bello juvare? Respond. Si 8
bellum geratur contra alios infideles, communiter conveniunt DD. quòd liceat auxilio infidelium uti, aut iisdem subministrare, dummodò tale auxilium Christianis per accidens ob perversionem, vel alias circumstantias periculosum non sit, & magna subsit causa, ex qua lex Canonica prohibens conversationem cum infidelibus *cap. 5. de Judæis & Saracenis*, cesset tantisper obligare. Sed quid si Princeps Christianus bellum gerat contra alium Principem Christianum? Generaliter id licitum esse per se spectando advocare infideles in subsidium, sicut licitum est conducere milites pro defensione sui ac rerum suarum, & sic quasi instrumento justæ defensionis eorum opera uti, docet Molina *d. loco disp. 102.* dummodò malæ & periculosæ circumstantiæ absint, scilicet corruptio morum, ut fidei christianæ vel abductio Christianorum in captivitatem infidelium.

Q. V. An in bello justo liceat occidere, vel spoliare in- 9
nocentes? Respond. I. Innocentes per se & directè occidere nunquam licet, quia intrinsecè malum est, juxta illud *Exod. 23. v. 7. justum non occidens*, indirectè verò, & per accidens quandoque licet, quatenus victoria aliter obtineri non potest, quàm v. g. per subversionem civitatis, aut submersionem navis, in qua nocentes cum innocentibus pereunt, concesso enim fine principali, conceduntur omnia ad alium finem obtinendum necessaria. Cæterùm verò, si innocentes non dantes causam belli veluti Infantes, fœminæ, Ecclesiastici servari possint citra victoriæ dispendium, nequeunt salva justitia occidi.

Respond. II. Idem, quod de vita, fermè esse judicium de bonis innocentium, ut devastari vel diripi possint secundùm belli indigentiam, & ne hostibus prosint ad impugnationem, vel injustam defensionem; Item etiam si innocentes sint partes & membra Reipublicæ, cui pro debito bellum infertur, eorum bona capi possunt juxta quantitatem debiti.

Respond. III. Obsides, si fides ex parte dantis non fua- 10
rit servata, occidi non possunt, si sint innocentes in causa belli, sed captivari tantùm, & (si fuerint infideles) servituti subjici, secus verò si fuerint & ipsi nocentes, & culpa morte digna extiterit. Cov. *in Relectione c. pactum §. 3. p. 2.* ubi adnotari potest, promissiones & pacta etiam hosti servanda, quia jure naturæ & gentium obligant.

Q. VI. An Princeps teneatur desistere à bello, & acceptare justam satisfactionem, si ea ab Adversariis offeratur? Multi Doctores distinguunt, an oblatio talis satisfactionis fiat ante vel post bellum inceptum; si ante, plerisque placet, teneri Principem ad acceptationem, dummodò non sit periculum, ne hostis fraudulenter id faciat, & ex post facto accepta meliori occasione perturbet pacem. Quòd si verò post bellum jam inceptum satisfactio offeratur, non est eadem omnium sententia, an acceptanda sit nec ne? Cajetanus *in verbo bellum* putat non esse necessariò acceptandam satisfactionem, eò quòd

Prin.

Princeps bellum gerens fungatur vice judicis injuriam ulciscentis, judex autem non teneatur cœpta causa desistere à punitione rei, quamvis satisfactionem offerat pro delicto. Contrarium tamen probabilius tenet Molina *d. loco disp. 103. n. 33.* si modò digna satisfactio offeratur: quia per dignam satisfactionem tollitur injuria & actio, juxta *princ. Instit. Quibus modis tollitur obligatio*. sublata autem injuria & actione non est ampliùs belli causa. Instantia quoque de judice non est certa; & deinde longè diversa est ratio inter punitionem unius particularis personæ, & illationem belli: quia in priori casu solus patitur reus sine præjudicio punientium, sed quando infertur bellum, non tantùm patiuntur hostes, sed etiam illi, qui contra eos bellum gerunt. Unde Princeps saltem propter suos, si non propter hostes satisfactionem debet acceptare. Si verò injuria sit tam atrox, ut adversarius, vel saltem plures de ipsius subditis fuerint mortem promeriti, quia forsan Principem, patrem, fratrem, aliumve propinquum contra jus fasque occiderunt, eo casu putant Doctores; non teneri offensum desistere à bello, nisi satisfactio illa offeratur, quæ de summo justitiæ rigore debetur, ut scilicet præter compensationem interesse totius, etiam traditio ad mortem fiat nocentium. Verùm & hoc punctum ex æquitate, & pio arbitrio boni Principis temperandum est & habenda ratio maximorum damnorum ex bello provenientium, & ne contra admonitionem S. Augustini, *can. quid culpatur 4. caus. 23. q. 1.* in bello nimia ulciscendi cupiditas, & animus implacabilis interveniat.

12 Q. VII. An in tractatu pacis princeps remittere possit damna subditis illata sine ipsorum consensu? Respond. satis convenire Doctores, quòd inprimis, si Princeps contra voluntatem suorum subditorum bellum injustum inchoaverit, teneatur subditis propter damna illata etiam de suo satisfacere; si autem bellum justum fuerit, debeat quidem omni modo laborare, ut damna subditis compensentur (nomine autem damnorum tantùm intellige devastationes, non verò impensas) si tamen pax aliter haberi non possit, quàm remissis damnis, & Reipublicæ multùm interesset, pacem iniri, poterit Princeps etiam invitis subditis eam remissionem facere; partim quòd Princeps censeatur utile negotium subditorum gerere, ut ab ulterioribus belli gravaminibus subleventur, partim etiam, quòd Princeps habeat jus in bona subditorum, quoties id publica utilitas, quæ privatæ anteponenda est, postulabit. Eamdem verò remissionem quoad Ecclesias, & damna illis illata sine Superiorum Ecclesiasticorum consensu fieri non posse, utpote de quibus Princeps laicus disponere nequit, docet Mynf. *Singular. observ. cent. 4. observ. 9.*

13 Quæritur ultimò: An non minùs treuga, quàm pax ex nova causa violari possit? Indubitatum est apud omnes, pacem ex nova belli causa tolli, & novum bellum indicere licere: quia omnis promissio intelligitur facta rebus sic stantibus & permanentibus, aliàs per pacificationem daretur alteri libertas novas offensiones impunè inferendi. Inter causas verò novi belli præcipuè numeratur, si pax priùs ab Adversario violata sit: nam frangenti fidem fides in eadem refrangitur. Quamvis autem Gail. *de Pace pub. l. 1. c. 4. n. 46.* idem putet in treugis obtinere, ut & istæ ex nova causa rumpi possint; Mynsingerus tamen *Singul. observ. cent. 4. observ. 7.* dicit, contrarium in Camera & consuetudine receptum esse, ex ea differentiæ ratione, quòd in treugis lapsus temporis præfixi expectari possit, sitque convenientius, ut expectetur, ut omnis violati fœderis indecentia apud violatorem sit: quod utique intelligendum est, si periculum non sit tantum, quin moram patiatur. Hactenus de Jure & officio Prælatorum & Judicum Ecclesiasticorum actum est. Ab his antequàm ad ipsa judicia fiat transitus, præparatoria judicii præmittentur, qualia sunt Pacta, Transactiones & Arbitria; nec non personæ in judiciis intervenientes, scilicet Advocati, Procuratores, & Syndici, aliaque, quæ ad finem usque hujus libri tradentur.

TITULUS XXXV.

De Pactis.

§. I.

De Pacto, & Pollicitatione, utriusque differentia & Obligatione.

SUMMARIA.

1 *Pactum quid, & qualiter differat à pollicitatione?*
2 *Pollicitatio absenti facta ei notificata per tertium sine mandato non obligat.*
3 *Pollicitatio etiam jure Canon. ante alterius acceptationem revocari potest.*
4 *Excipiuntur piæ & favorabiles causæ.*
5 *An pollicente ante alterius acceptationem mortuo obligetur hæres ejus?*
6 *Quid in casu converso? si it, cui facta est pollicitatio præmoriatur, an possit hæres ejus acceptare invito promissore.*

PActum definit J. C. *in l. 1. ff. hoc t.* quòd sit *duorum vel plurium in idem placitum vel consensus.* Per hæc definitionis verba notatur differentia inter *pactum & pollicitationem*, quòd pactum sit duorum in idem consensus, pollicitatio autem *solius offerentis promissio l. 3. ff.* de *Pollicitationibus*. In effectu quoque non parum interest: quia pactum simul ac perfectum est, statim Jure naturæ obligat, *nihil enim tam fidei humanæ congruit*, ait J. C. *cit. l. quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare*; Pollicitatio verò non priùs obligat promittentem, quàm si ab altera parte fuerit acceptata, ideoque promittenti ante acceptationem pœnitere, & pollicitationem revocare licebit *l. 2. §. sed quis donaturus 6. & l. absenti 10. ff. de Donat. l. nuda pollicitatione 5. C. de Contrahenda stipulatione.* 1

Præterea ut pollicitatio absenti facta irrevocabiliter obliget, non sufficit, quòd alius quiscumque audiens absenti notificaverit, isque acceptaverit, sed requiritur, ut ipse promittens per nuntium à se destinatum, vel epistolam promissionem absenti insinuarit; ut enim pollicitatio obliget irrevocabiliter, debet induere formam pacti, quæ fit per voluntatum unionem; non uniuntur autem perfectè duorum voluntates, nisi promittens ipse per se, vel per alium à se destinatum suam voluntatem alteri notificet. Sanch. *de Matrim. lib. 1. disp. 6. n. 3.* Julius Clarus *§. donatio q. 12. num. 2.* 2

Videtur quidem Panorm. *in cap. 3. hoc tit.* velle universim de jure Canonico non procedere potestatem revocandi pollicitationem propter textum *in eodem cap. 3.* ubi omne promissum jubetur impleri. Sed verius est, nihil hac in parte de Jure Canonico mutatum fuisse, & ad concordationem Jurium *dictum cap. 3.* accipi debere de promissione completa, & acceptata, sicut regulariter verba legum accipienda sunt cum effectu. *L. 1. §. hæc autem verba, ff. Quod quisque juris &c.* Nec fuisset sufficiens ratio à Jure Canonico contrarium statuendi: quia æquitas, quam Jus Canonicum considerare potuisset, ideò non subest, quòd pollicitatio ex se non producat naturalem obligationem, quæ tantùm ex consensu duorum oritur, aliàs ne quidem de Jure Civili potuisset pollicitationis revocatio concedi, sicut non fuit concessa in pacto nudo; & rectè dicit Layman *in Theol. moral. lib. 3. Tract. 4. c. 1.* omnem promissionem esse respectivam, ejusque vim & obligationem ab alterius partis acceptatione tanquam à forma procedere. 3

Specialis autem & notabilis limitatio est apud DD. ut pollicitatio (quæ tamen sit vera promissio, non solùm propositum aliquid dandi vel faciendi, & simul etiam fiat ob DEI honorem & salutem animæ, quod in dubio præsumitur) facta Ecclesiæ, pauperibus, vel piæ causæ statim obliget etiam nemine acceptante; quia censetur principaliter fieri Deo, à quo, si sit bona, ad instar voti statim acceptatur. Et si de Jure Civili pollicitatio facta civitati vel Reipublicæ ex aliqua causa, puta ad reparationem incendii, aut ruinæ, vel gratitudine ob honorem 4

fibi

ſibi decretum, aut decernendum, ſtatim irrevocabiliter obligat. *l. 1. & paſſim ff. de Pollicitationibus*; planè ſimile erit judicium de pollicitatione facta Eccleſiæ, aut alteri piæ cauſæ ex cauſa ſalutis acquirendæ, vel in illius piæ cauſæ ſubſidium & emolumentum; cùm à Republica, & Civitate ad Eccleſias & pias cauſas bona ſit argumentatio in favorabilibus, ſecundùm Jaſonem & Doctores *in l. pen. C. de SS. Eccleſ.* Felinus *in c. 1. h. t.* Barboſa *Jur. Eccl. univ. lib. 2. c. 13. n. 29.*

5 Quid dicendum, ſi pollicitationem abſenti per nuntium faciens moriatur, antequàm abſens de ea certioretur & acceptet; anne eam nihilominùs poſt mortem promittentis acceptare poterit? Si quis Procuratori mandarit, ut abſenti Principalis nomine donaret, omnes facilè conveniunt, poſt mortem donari, vel acceptari non poſſe; quia mandatum morte mandantis re integra regulariter expirat, *l. ſiquidem 8. C. de Obligationibus l. mandatum 15. Cod. Mandati*. Excipiuntur tamen piæ cauſæ iterum, in quarum favorem mandatum etiam poſt mortem mandantis ſuſtinetur, argumento ducto à dote & libertate *l. ſi ego 9. §. 1. ff. de Jure dot. l. ſi Pater. 4. ff. de Manumiſſ. vind.* Covar. *Var. Reſol. lib. 1. c. 14 n. 16.* Item ſi quis tantùm voluntatem ſuam declaravit, nullum verò adhuc nuntium ad inſinuandum miſerit, poſt mortem ejus ab alio inſinuari vel acceptari non poteſt per ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt.

Tota igitur & difficilis controverſia eſt, ſi quis actualem promiſſionem, ſeu circa donationem, venditionem, locationem, feudum aliumve contractum per litteras aut nuntium abſenti inſinuari de facto curarit, ſed antequàm acceptarit abſens, promiſſor mortuus fuerit? Nihilominùs acceptari promiſſionem, nec ab hærede promittentis revocari poſſe, docet Sanc. *d. diſp. 6. ſub n. 5.* eò quòd hæc promiſſio vel donatio ex parte promittentis jam fuerit in vita perfecta, *arg. l. nec ambigi 6. C. de Donationibus*, ejuſque voluntas in litteris & nuntio etiam poſt mortem perduret, ut acceptari rectè valeat, ad eum modum, quo gratiæ morte concedentis non expirant *c. ſi ſuper gratia 9. de Officio Delegati in 6.*

Verùm hanc ſententiam licèt ob authoritatem & rationes Sanch. exiſtimem valdè probabilem, contrariam tamen cenſeo in theoria probabiliorem, & textibus Juris ac rationi magis conformem, quam tenet Andr. de Iſernia, Tyraquellus, Decius, Caſſanæus, & alii apud Sanch. *d. l.* citati Paulus Layman. *in Theol. mor. de Pactis & contractibus c. 1. n. 5.* ubi dicit magis communem. Textus inprimis *in l. 2. §. ſi quis donaturus 6. ff. de Donationibus* qui non loquitur de mandato donandi, ſed perferendi ad abſentem; & quamvis J. C. utatur verbo futuri temporis, *ſi quis donaturus*, id tamen accipiendum, vel ut donatio ſumatur pro traditione rei donatæ, vel ut ſignificetur, donationem ante alterius acceptationem perfectam non eſſe. Deinde etiam optimè confirmat textus *in l. ſi ego 9. ff. de Jure dotium*, ubi tantùm fit exceptio favore dotis, conſequenter exceptio iſta firmat regulam in caſibus non exceptis *l. qui teſtamento 20. §. mulier 6. ff. Qui teſtamenta facere poſſ.* In qua *l. ſi ego* etiam pulchra ratio aſſignatur: quia in vita promittentis promiſſio non fuit perfecta, utpotè pro forma & ſub tacita conditione alterius acceptationem requirens; poſt mortem autem promittentis dominium rei promiſſæ aut donatæ ſtatim tranſit ad promittentis hæredem, *à quo invito diſcedere non poſſe, fatendum eſt*, ait ibid. J. C. Accedit alia ratio, quòd regulariter circa actus inter vivos, qui in conſervari dependent à voluntatis continuatione, per mortem interrumpatur voluntas *c. ſi gratioſè 5. de Reſcriptis in 6. l. 4. ff. Locati* & proinde poſt mortem promittentis duorum voluntates ampliùs non uniantur, debet enim unus in ſua voluntate continuare & perdurare, uſquedum etiam alter conſentiat.

Non obſtat dicta *l. nec ambigi C. de Donationibus*: quia ibi non dicitur, donationem eſſe perfectam ante alterius acceptationem, ſed inter abſentes fieri poſſe.

Nec etiam obſtat *d. c. ſi ſuper gratia*: quia accipi debet de privilegio aut gratia Principis, quæ non tranſit propriè in naturam pacti vel contractus. Denique non obſtat, quòd hæres repræſentet perſonam defuncti, ejuſq; factum præſtare debeat: nam id regulariter de actibus & obligationibus in vita defuncti perfectis & completis procedit.

E converſo ſi donatarius, vel is, cui pollicitatio facta 6 eſt, ante acceptationem moriatur, num hæres ejus acceptare poſſit, iterum diverſæ ſunt Doctorum opiniones apud Sanch. *cit. loc. n. 6.* ubi ipſe affirmativam amplectitur: quòd hæres defuncti perſonam repræſentet. Nihilominus negativa mihi probabilior videtur, quòd hæres invito promiſſore pollicitationem acceptare nequeat; deficit enim unio perfecta & directa voluntatum inter principales perſonas: & cùm in vita defuncti ante certiorationem & acceptationem nullum fuerit ei jus quæſitum, nullum etiam potuit in hæredem transferre, neque promiſſor ejus ſemper animi eſt, ut quod defuncto, idem hæredi offerre velit, cujus perſonam fortè exoſam habet. Quando verò obligatio jam in vita defuncti completa fuerit, hæres non immediatè à promiſſore, ſed à defuncto acquirit. Ad rationem in contrarium, & qualiter hæres defuncti perſonam repræſentet, paulò ante reſponſum.

---

§. II.

De Pacto nudo, & veſtito.

S U M M A R I A.

7 *Pactum nudum & veſtitum quid.*
8 *Pacta qualiter veſtiantur.*
9 *Pacta nuda dant exceptionem, non verò actionem.*
10 *Quid de jure Canonico.*

REdeundo ad Rubricam noſtri Tituli, ſciendum eſt, 7 pactum in genere ſignificare omnem conventionem duorum, & dividi in pactum *nudum & veſtitum*. Pactum *nudum* dicitur, quod non habet proprium Juris nomen, & obligationis cauſam præter ſolam conventionem, ita ut, ſi quis interrogetur, quid ſit inter partes actum, nihil aliud poſſit dicere ſpecialius, quàm pactionem & conventionem eſſe factam, ut deſcribit Duarenus *in l. 7. §. 4. ff. h. t.* Pacti *veſtiti* in Jure quidem mentio non fit; ſed quia in *d. l. 7.* nudam pactionem vocat J. C. quæ cauſam non habet, ideò Interpretes ad diſtinctionem pactum cum cauſa *veſtitum* appellant, idque magis proprio nomine *Synallagma*, vel *Contractus* dicitur *d. l. 7. §. 1.*

Veſtiuntur autem pacta ab auctoritate Juris pactum 8 approbantis, ex eoque actionem concedentis, quod aliquando *rei*, de qua pactum eſt, *actualem interventionem* tanquam cauſam reſpicit: ut in Mutuo, Commodato, Depoſito, & Pignore, & in Contractibus innominatis. (Dico *actualem interventionem*; unde pactum de mutuando vel commodando ante rei traditionem eſt tantùm pactum nudum.) Aliquando *ſolemnitatem verborum*, ut in Stipulatione; aliquando nihil præter *conſenſum*, ut in Emptione, Locatione, Societate & Mandato, item & Donatione, quæ hodie quoque actionem parit ex *l. ſi quis argentum 35. C. de Donationibus*; aliquando *adhærentiam cum pacto veſtito*, ſicut omnia pacta nuda, quæ in continenti apponuntur contractibus bonæ fidei, cenſentur iis contractibus ineſſe, & producunt actionem *d. l. 7. §. 5. l. in bonæ fidei 13. C. eod.* quod etiam obtinere in contractibus ſtricti Juris ex *l. lecta 40. ff. de Rebus creditis* defendit Fachin. 2. *Controv. c. 99.* & demùm per *juramentum* veſtiri pactum, & parere actionem probat Covar. *in Relect. cap. quamvis de Pact. in 6. parte 1. §. 2. n. 3. & 4.* Molina *de J. & J. tr. 2. diſp. 256.* præſertim ſecundùm Jus Canonicum, quod omne juramentum non vi, aut fraude extortum, & quod ſine diſpendio ſalutis ſervari poteſt, in utroque foro ſervari jubet c. *cùm contingat 28. de Jure jurando*. Qualiter verò vocetur hæc actio vide infra *in Lib. III. in Tit. de Precariis n. 7.*

Pacta autem *nuda* Jura non approbant, nec iis actio- 9 nem accommodant, ne cùm ſint frequentiſſima, occaſione illorum tribunalia litibus abundent; quia tamen etiam non reprobant; idcircò ex pacto *nudo* non quidem actio, ſed naturalis obligatio propter conſenſum mutuum Jure naturæ & gentium etiam in foro interno ſtringentem, & inde exceptio naſcitur *leg. 7. §. 4. ff. hoc tit.* impedit ſoluti repetitionem *lex quibus 51. leg. ſi quid*

Do-

Dominus 64. *ff. de Condictione indebiti*, admittit compensationem, *l. 6. ff. de Compensationibus*. Fidejussores etiam & pignora accedere possunt, contra quos, & pro quibus actio vera competit, *§. 1. Inst. de Fidejussoribus l. quaesitum* 14. *in fin. ff.* de *Pignoribus & hypoth.*

10 Vulgaris est disputatio, an *pacta nuda* de Jure Canon. producant actionem? Negativam tuetur Fachin. *Lib.* 2. *Controvers. c.* 100. eò quòd sine textu expresso inter Jus Canon. & Civile non sit differentia statuenda, *cap.* 1. *de Novi op. nunc.* & ratio minuendarum litium utroque Jure subsit, *arg. c. finem litibus* 5. *de Dolo & contum.* affirmativa sententia magis inter Canonistas recepta est, eamque docent Gloss. Panorm. Felinus & alii *in c. h. tit.* Cov. *d. l. p.* 2. *§.* 4. *n.* 14. Molina *d. Tract.* 2. *disp.* 257. *n.* 2. Ratio est, quòd in *c.* 1. & 2. *h. t.* omnia pacta servari jubeantur, & consequenter, approbentur, & vestiantur. Sed quia haec ratio planè convincens non est, cùm in Jure Civili *in l.* 1. *ff. eod.* pacta generaliter servari jubeantur, & tamen ex pacto nudo denegetur actio, ideò additur alia ratio magis urgens, quòd nimirùm pactum nudum circa materiam gravem & notabilem obliget in conscientia sub peccato propter consensum Jure naturae obstringentem, Ecclesia autem & Jus Canonicum salutem civium principaliter pro fine habens de peccato judicium suum interponit, *cap. novit* 13. *de Judiciis*, & consequenter actionem pro tali judicio exercendo concedit. Advertunt tamen citati Doctores, ut quis ex pacto nudo agere possit, non sufficere simpliciter allegare certae rei promissionem, sed insuper causam ejus saltem donationis & liberalitatis exprimendam, & probandam esse *arg. si cautio* 14. *de Fide instrumentorum l. cum de indebito* 25. *§. ult. ff. de Probat. l. generaliter* 13. *Cod. de non numerata pecunia*. Si dicis pactum cum causa vocari *synallagma & contractum*, atque ex se producere actionem, ut praemissum: Respondeo, id de causa intelligi actualiter executioni mandata, ut in mutuo per numerationem pecuniae, vel alias habente Juris assistentiam.

Ad rationes Fachinei reponi potest, & quidem ad primam, quòd differentia inter Jus utrumque circa judicium e.. causa obligatae conscientiae diversis textibus juris Can. probetur, ut *in d. c. novit* 13. *de Judic. c. ult. de Sepult. c. cu literis* 5. *de Raptor*. Ad alteram, quòd Jus Canon. non tam studeat alicui actionem & jus suum adimere, quàm litium ambages, protractiones & superfluas solemnitates amputare sicut probat textt. *in d. c. finem litibus*, & *Clem.* 2. *de Judic. Clem. saepè* 2. *de V. S.*

---

§. III.

De Contractibus nominatis, & Innominatis.

SUMMARIA.

11 *Contractus alii nominati, alii innominati.*
12 *In contractibus innominatis quando liceat poenitere?*
13 *An etiam huic poenitentiae sit locus de Jure Canonico?*

11 Portò pacta *vestita*, sive Contractus dividuntur in Contractus *nominatos & innominatos*. *Nominati* sunt, qui speciale nomen à Jure sortiuntur, ut Emptio, Locatio & similes. *Innominati*, quos Jus non speciali sed generali tantùm nomine ob nimiam negotiorum multitudinem, & varietatem notavit, & ad quatuor classes revocavit: scilicet *Do ut des*, *Facio ut facias*, *Do ut facias*, *Facio ut des*.

12 His contractibus hoc tribuitur de Jure Civili singulare, quòd re integra poenitere & à contractu discedere liceat; imò etiam re non integra illi, qui contractum ex sua parte implevit, antequàm alter impleat, e. g. si dedero alicui 100. ut pro me Romam iret, possum poenitere, antequàm iverit refusis tamen expensis, si quas intuitu hujus itineris fecerit, *l. si pecuniam* 5. *ff. de Condictione causa data l. ex placito* 3. *C. de Rer. permut.*

In contractibus autem *nominatis* regulariter poenitentiae locus non est, & ab initio quidem sunt voluntatis, posteà verò fiunt necessitatis *l. sicut* 5. *C. de Oblig. & act.* excepto Mandato, Deposito, & Precario, de quibus suis locis.

Sed & in contractibus *innominatis* aliquas exceptiones ponunt Doctores. Ut I. quòd re ex parte unius non ampliùs integra, ei tantùm, qui dedit, non autem qui accepit, poenitere liceat: quia huic non fuit aequè favendum, cùm rem semel acceperarit ab altero, ideoque actione *praescriptis verbis* cogi possit ad contractum implendum. Textus *in dict. l. si pecuniam & ibi.* Glossa *in Verbo sed cùm liceat poenitere*. Petrus Vvadingus *Tractatu de Contractibus disp.* 6. *dub.* 1. *§.* 2. *n.* 2. II. Favore piae causae multorum est sententia apud Tyraquellum, *de privilegiis piae causa privilegio* 534. non concedi poenitentiam, sicut nec favore dotis, vel libertatis, & sequitur etiam Gottofredus *in Notis ad d. leg. si pecuniam*. III. Si contractus fuerit juratus, vel aliàs poenitentiae renunciatum. IV. Si contractus nominatus fuerit transactio super lite dubia: expedit enim lites finiri. Vvadingus *dicto loc. cum* Jasone *ad l. si pecuniam num.* 2. *limit.* 12. apud quem plures aliae limitationes videri poterunt, sicut & apud Gottofredum & Jasonem.

Movetur hìc iterum non levis difficultas, an sicut de Jure Civili, ita etiam de Jure Canonico & in foro conscientiae, in contractibus innominatis poenitere liceat? 13
Negativè concludit Molina *dict. tract.* 2. *d.* 285. *num.* 8. eò quòd contractus innominatus ante impletionem utriusque saltem sit pactum nudum, quod obligat in conscientia, & de Jure Canonico producit actionem.

Felinus *in cap.* 1. *hoc tit. sub n.* 13. existimat, tunc esse licitam poenitentiam de Jure Canonico, si pars altera nolit fidem servare; sed hoc nihil esset speciale in contractibus innominatis: quia generaliter omnes contractus mutuo dissensu dissolvi possunt, nihil enim tam naturale, quam ut res eo modo dissolvatur, quo colligata est, *§. fin. Instit. Quibus modis tollitur obligatio. leg. nihil tam naturale* 25. *ff. de Regulis Juris*.

Valdè probabiliter docent alii apud Felinum *dict. leg.* Gottofredus, *ubi supra*, Vvadingus *dict. dubio* 1. *§.* 3. *n.* 2. non esse in hoc puncto differentiam inter Jus Canonicum & Civile constituendam, sed Contractus innominatos ex sua natura, & Juris dispositione habere tacitam conditionem, nisi ante implementum contractus intervenerit poenitentia. Idque mihi videtur ex eo plurimùm colligi, quòd jura concedant in contractibus innominatis repetitionem rei jam traditae *d. l. si pecuniam*. Si enim voluissent simpliciter contractus innominatos regulariter obligare sicut pacta nuda, tunc accipiens, quamvis non habuisset actionem, tamen contra repetentem habuisset retentionis exceptionem, *juxta l.* 7. *§.* 4. *ff. h. tit.*

---

§. IV.

De substantialibus, Naturalibus, Solemnibus, & Accidentalibus Contractuum. Item de Stipulatione tertio facta.

SUMMARIA.

14 *Contractuum substantialia, naturalia, solemnia, & accidentalia quae dicantur.*
15 *Stipulatio tertio facta de jure civili est inutilis.*
16 *Quid de jure Canonico?*
17 *Stipulari tertio cur non liceat, cùm tamen liceat tertii conditionem meliorem facere?*

Dictum est *in praecedenti §.* poenitentiam esse *de natura* contractuum innominatorum: Pro cujus meliori intelligentia advertendum est, quòd in contractibus quaedam vocentur à Doctoribus *substantialia*, quaedam *naturalia*, quaedam *solemnia* & quaedam *accidentalia*. *Substantialia* sunt, quae formam & essentiam constituunt, sine quibus contractus subsistere non potest, neque ea ex voluntate partium mutabilia sunt.

Ita in contractibus & pactis est consensus utriusque; in stipulatione interrogatio unius, & responsio alterius in continenti subsequens.

Naturalia contractuum dicuntur, quæ contractui tacitè insunt, licèt expressa non sint; & hæc possunt pacto convenientium removeri valido nihilominus manente contractu. Ita venditor ex natura venditionis tenetur emptori de evictione, si res ab aliquo tertio vendicata fuerit, *l. ex empto* 11. *§. 1. & 2. ff. de Actionibus empti*, & tamen partes conventione obligationem evictionis tollere possunt, *d. l. ex empto §. qui autem* 18. In contractu depositi lata, in locato levis, & in commodato levissima culpa præstatur, & tamen conveniri potest ut major vel minor culpa præstetur, *cap. un. de Commodato l. 1. §. si convenit 6. ff. Depositi*, atque hoc sensu procedit illud axioma Juris, quòd *contractus ex conventione legem accipiant cap. contractus* 85. *de R. J. in 6.* & hoc modo intelligendum est quod superiùs diximus, contractibus innominatis ex sua natura inesse jus pœnitentiæ.

Solemnia contractuum vocantur, quæ de jure requiruntur, ut legitimus contractus censeatur; & ex his aliquæ *solemnitates* sunt *substantiales*, sive *intrinseca*, sine quibus contractus validus non est veluti consensus Capituli & Superioris in alienatione rei Ecclesiasticæ immobilis; præsentia Parochi, & testium in matrimonio &c. Aliæ *extrinseca*, sine quibus actus quidem non *licitè*, sed tamen *validè* celebratur, ut trina denuntiatio ante contractum matrimonialem; benedictio nubentium in templo suscipienda.

Accidentalia demùm nuncupantur, quæ pactis contrahentium præter ordinariam eorum naturam adjiciuntur, quomodo superiùs dictum, pacta contractibus bonæ fidei adjecta vestiri, & actionem producere.

15 Inter *Substantialia* stipulationis requisita (quæ fit interrogatione præcedente, eamque responsione congrua in continenti subsequenti, qua respondens interroganti ad aliquid dandum vel faciendum obligatur v. g. promittisne mihi 10. altero respondente promitto, DD. *ad Tit. Instit. de Verb. oblig.*) etiam de Jure Civili numeratur, ut suum quisque ex ea commodum, non alicujus tertii quærat: alteri enim stipulari nemo potest, inquit Imperator *in §. alteri 19. I. de Inutil. stipul.* inventæ enim sunt hujusmodi stipulationes ad hoc, ut quis acquirat sibi, quod sua interest. Licèt igitur dicam ad Cajum, promittisne Titio, vel amico meo 100. & ille respondeat, promitto; non erit utilis stipulatio. Excipitur tamen nisi stipulator alterius Juri subjectus sit, ut filius vel servus; vel speciale mandatum stipulandi à tertio habeat; aut aliàs ipsius stipulanti interesse concurrat, aut generalis rei alienæ administrator existat, veluti Tutor, Curator, Prælatus vel denique persona stipulantis sit publica, puta Judex, vel Notarius DD. in *§. si quis alii 4. I. de Inutil. stipulat. l. 1. §. exigere 15. ff. de Magistratibus conveniendis*. Vid. Sanch. *de Matrim. lib. 1. disp. 7. num. 4. & seq.* Laym. *in Theol. mor. li. 3. tract. 4. c. 1. num.* 4. Imò nec Pater filio aliter stipulando acquirere potest, quàm in iis, quæ juris sunt, & mediante filio patri acquiruntur; factum autem & quæ præcisè personam filii concernunt, v. g. ut filio rem tenere, ire, agere liceat, inutiliter stipulari, textus est *in l. quod dicitur 130. ff. de Verb. obligat.*

16 Ex quo denuò disputant Doctores, an quæ hucusque circa stipulationem de Jure Civili dicta sunt, similiter de Jure Canonico procedant, ut etiam hoc Jure alicui tertio stipulari præter casus exceptos permissum non sit? Differentiam inter Jus Canonicum & Civile circa hanc materiam admittunt plures apud Covar. *in Relectione c. quamvis de Pactis in 6. parte 2. §. 4. n.* 2. quòd ex sententia Glossæ & Bartholi *in l. 1. ff. hoc tit.* stipulatio tertio facta sit pactum nudum, nudum autem pactum de Jure Canonico producere actionem, & stringere in conscientia, jam explicatum est.

Nullam esse differentiam veriùs censet Panorm. *in c. si cautio 14. de Fide instrum.* Jason. *in l. stipulatio ista 38. §. alteri 17. ff. de Verb. obl.* eamque sententiam magis communem testatur Cov. *d. §. 4. n. 5. v. hanc opinionem* quamvis ipse *n. 13.* contrariam teneat. Harp. *ad d. §. si quis alii 4. de Inutil. stipul. n.* 5. Sanch. *d. l. 1. disp. 7. n.* 20.

Ratio est, tum quòd sine textu sufficienti non sit inter jus utrumque dissidium introducendum, *vulg. cap. 1. de Novi operis nunciat*, tum quòd *in c. 2. Usuris in 6.* satis hæc sententia confirmetur, ubi restitutionem usurarum à moribundo usurario ad obtinendam sepulturam Ecclesiasticam absentibus debitoribus per usuras læsis, vel eorum hæredibus tantùm personæ publicæ veluti Ordinarius, Parochus cum testibus, Notarius stipulari posse dicuntur. Ad rationem in contrarium responderi potest per superius dicta, pactum nudum & obligationem naturalem nonnisi ex consensu duorum principalium oriri; principalis autem dicitur is, qui obligant, & alter, cui obligatur, non autem si tertius, cujus non interest, nec à principali mandatum habet, consentiat & absentis nomine acceptet. Interim non est improbabile, talem stipulationem valere saltem ut pollicitationem tertio vel absenti factam, ad hunc effectum, ut eam illi tertius, cui promissio facta est præsens vel absens ab ipso pollicente vel de ipsius voluntate certioratus acceptare possit, vel piæ causæ facta revocari nequeat. Sanch. *de Matrim. d. l. 1. d. 7. n.* 10. per regulam, *si actus non valeat, ut ago, valet omni meliori modo, & utile per inutile non vitiatur*, *arg. §. fin. Institut. de Adoptionib.* ubi adoptio servi valet in vim manumissionis. Ideoque quod de Jure Civili dicitur, stipulationem alteri per alterum factam non valere, intelligendum, non valere ut stipulationem statim irrevocabilem, ex qua tertio directa actio quæratur.

Si circa pias causas instes, *in d. c. 2. de Usuris in 6.* agi de pia causa, videlicet de obtinenda sepultura, & exoneranda conscientia usurarii, & tamen ibi requiri acceptationem, vel per ipsos debitores, vel personas publicas. Resp. *in eod. c. 2.* stipulationem quidem fieri ex causa pia, sed non causæ piæ, cujus loco Deus acceptet, ut superiùs dictum de ipsis debitoribus eorumque hæredibus, qui profani sunt, vel supponuntur.

Ex quibus principiis etiam dependet illa quæstio, de qua dicetur in *Lib. IV. Tit. 2. §. 2.* an valeant sponsalia, quæ cognati vel amici pro absente sine ejus mandato contrahunt? Et regulariter non valere respondetur.

Illud etiam hic advertendum, cùm dicimus stipulantis debere proprium interesse in stipulatione versari, non intelligi de interesse affectionis, qua erga tertium ducitur, vel quòd vicissim ab eo speret beneficium, sed de interesse præsenti pecuniario, ut quia creditori meo stipulor solutionem, vel etiam si in stipulatione tertio facta pœnam mihi solvendam adjiciam, nisi promissum servetur. Harp. *ad d. §. 4. I. de Inutil. stip. n.* 12.

Attamen difficilis adhuc restat objectio, cur de jure concedatur alterius etiam ignorantis conditionem meliorem facere, licèt mea non intersit, pro altero etiam invito solvere, eique acquirere liberationem, *l. solvendo 39. ff. de Negotiis gestis*, possessionem alterius nomine ingredi vel accipere, & ita possessionem atque etiam dominium alteri acquirere, *l. 1. C. Per quas personas nobis acquiratur*, & cur non similiter per stipulationem? Resp. Jura quidem concedere alterius conditionem meliorem facere, quatenus id fieri possit sine onere, aut præjudicio tertii, ut verò obligatione nova onerem promissorem ob commodum alterius, cùm mea nihil intersit, jura non satis æquitati consentaneum reputarunt, & contra humanæ societatis officium, ex qua ita debemus unius commodum desiderare, ne tamen quæramus alterius damnum & diminutionem. Si pro alio solvam, non officio, sed proficio Creditori, qui suum exinde consequitur; si possessionem alterius nomine ingrediar vel accipiam, supponitur, rem vel non esse in dominio prioris possessoris, vel jam priùs ex alia causa alteri ad tradendam obligatam. Videatur de tota hac materia stipulationis tertio factæ insigniter eam tractans Hugo Donellus *in Commentario ad l. stipulatio ista 38. §. alteri 17. ff. de Verborum obligat.* 17

§. V.

§. V.

De contractibus bonæ Fidei & stricti Juris.

S U M M A R I A.

18 *Contractus bonæ fidei & stricti juris qui dicantur, & quid in effectu intersit?*

19 *Dolus dans causam contractui bonæ fidei annullat illum, secus in stricti juris.*

20 *An contractus de Jure Canonico sint omnes bonæ fidei?*

18 De hac contractuum divisione prolixè & ex instituto agunt Interpretes *ad §. actionum 28. Instit. de actionibus*, in quo §. omnes contractus & actiones *bonæ fidei* enumeratæ, & quæ ibi positæ non sunt *stricti Juris* censentur, veluti Mutuum, & Stipulatio &c. & hic *bona fides* non accipitur prout opponitur *malæ fidei* cùm nullus contractus debeat esse malæ fidei, & fraus ac dolus pactis & conventionibus, quàm maximè adversentur, *l. 1. & 1. 2. ff. de Dolo malo*, sed prout opponitur *stricto Juri*.

Enim verò in *bonæ fidei* contractibus, si iis oriatur, judicium fertur ex *bona fide*, id est ad sensum hujus loci, *ex bono & æquo*, etiam ultra id quod in contractu nominatim à partibus expressum est. Dummodò tale sit, quod si contrahentibus in mentem venisset, utique expressissent *§. conductor 5. Institut. de Locat. & conduct. §. 3. Instit. de Obligationibus ex consensu*. In *stricti Juris* autem contractibus, judicatur præcisè de iis, quæ nominatim in contractu expressa sunt. *L. quia tantundem 7. ff. de Negotiis gestis*.

Et ad hanc differentiam generalem videntur aliquo modo reduci posse plures aliæ, quas DD. accumulant. Ut quòd in *bonæ fidei* judicia veniant fructus, usuræ, & accessiones à tempore moræ: in *stricti Juris* autem solùm à tempore litis contestatæ. Quòd stipulans fundum non consequatur fructus pendentes, nisi eorum mentionem fecerit in stipulatione: secus autem si emerit fundum, cui hoc ipso etiam fructus pendentes cedunt, *l. 3. §. 1. & l. Julianus 13. §. si fructibus 10. ff. de Actionibus empti*. Item quòd in *bonæ fidei* judicia veniant etiam ea, quæ sunt moris & consuetudinis in loco, licèt à partibus non sint in contractu expressa: secùs in contractibus *stricti Juris*, de quibus differentiis videri poterit Mynsingerus, Harpreсhtus, Hottomanus, & alii passim *ad d. §. actionum*.

19 Inter cæteras differentias illa est etiam specialiter notanda, quòd in contractibus *bonæ fidei* dolus dans causam contractui *bonæ fidei* (id est, si quis aliquem dolosa persuasione induxerit ad contrahendum aliàs non contracturum) faciat contractum nullum; *per text. & Interpret. in l. & eleganter 7. ff. de Dolo*, nisi tamen dolo inductus ultro Juri suo renuntiare, dolum remittere, & contractum ratum habere velit, *arg. l. 4. C. de his, quæ vi, metusve causa gesta sunt*. Secus autem est in contractibus *stricti Juris*, ubi solùm de dolo temporalis prætoria datur actio. Dixi, *si dolus det causam contractui*: nam si quis non inductus, sed aliàs contracturus dolum patiatur (qui *dolus incidens* dicitur) ut quia v. g. rem vitiosam emit &c. habebit quidem etiam actionem ad rescindendum contractum ex Ædilitio edicto, ut inferiùs dicemus, sed etiam solùm temporalem intra sex menses exercendam dum è contra, si contractus sit ipso Jure nullus, civilis & perpetua, scilicet 30. annorum actio competat.

20 Utrum autem de Jure Can. etiam differentia inter contractus *bonæ fidei & stricti Juris* constituenda sit? diversæ sunt DD. opiniones. Ratio dubitandi est, quòd hoc Jure non attentis juris Civilis subtilitatibus solùm ex bono & æquo procedatur, arg. textus *in c. sæpe 18. de Restitutione spoliat.* Quòd autem aliqui contractus dicantur bonæ fidei, & alii stricti Juris, sit solùm Juris Civilis subtilitas: eò quòd Prætores, qui ob multitudinem causarum non poterant omnia per se expedire, suis Pedaneis judicibus sive delegatis certam formam procedendi, seu pronuntiandi præscripserint, & in quibusdam contractibus usu humano frequentioribus, & in quibus solent plerumque multa concurrere, vel ex postfacto evenire, quæ ab initio prævideri, & unâ oratione seu conventione expediri non possunt, demandarint liberiorem ex bono & æquo arbitrio cognoscendi, pronuntiandique facultatem, in aliis verò strictiorem, precisè secundùm ea, quæ nominatim in contractum deducta essent, restatur Covar. *in Relectione capituli. Possessor. de Reg. Jur. in 6. p. 2. §. 6. n. 4.* In cujus rei confirmationem est, quòd donatio, quæ jure Civili stricti Juris censetur. *L. cum qui 22. ff. de Donation.* jure tamen Can. aliquando accipiat largam interpretationem, *c. cum dilecti 6. X. de Donationibus*.

Unde de Jure Canonico omnes contractus esse *bonæ fidei*, docuit Baldus *in cap. 1. in fin. de Plus petitionibus*, Jason. *in §. actionum. Institutis de Actionibus n. 4.*

Alii è contra fermè communiùs sustinent, nullam inter Jus utrumque sine textu expresso esse differentiam faciendam, *arg. c. 2. de Novi operis nunciatione*, imò in ipsis SS. Canonibus non obscurè distinctionem inter contractus bonæ fidei, & stricti juris insinuari, ut *in c. cum venerabilis 6. versic. ad hæc de Exceptionibus c. fin. de Deposito*. Item etiam Jure Civ. ajunt, æquitatem rigori esse præferendam *l. placuit 8. Cod. de Judiciis*, non tamen inde sequitur, contractus bonæ fidei & stricti juris confusos. Atque hanc sententiam videntur supponere Gloss. *in d. c. cùm venerabilis verbo bonæ fidei: & ibidem*. Panor. *n. 15.* & expressè, tenet Covar. *d. §. 6. n. 5.* Harprecht. *in d. §. actionum n. 54.* fatetur tamen Covar. *in fine n. 8.* in foro conscientiæ ad hanc differentiam & subtilitatem Juris Civil. non æquè attendendum esse.

Huic posteriori sententiæ ipse magis accedo, ut credam, inter contractus & actiones *bonæ fidei*, ac *stricti juris* differentiam non esse de Jure Canonico totaliter sublatam. Etenim consentio quidem, contractus *stricti juris* innotuisse per illam formulam à Prætore Judicibus Pedaneis præscriptam; non tamen credo, quòd Prætor solam aliquam subtilitatem attenderit; sed potiùs æquitatem etiam hujusmodi contractibus cohærentem, propter quam *stricti juris*, seu *strictæ interpretationis* sint, quia in iis largior interpretatio plerumque sine damno alterius fieri non posset: v. g. si Judex in mutuo usuras non promissas adjudicaret; si in donatione pateretur alicui suam libertatem esse damnosam; aut in stipulatione aliquem verborum facilitate plus æque damnificari. Proinde etiam hoc respectu distinctioni inter contractus bonæ fidei, & stricti Juris de Jure Canonico locum esse existimo. Nec moveor textu *d. c. cùm dilecti X. de Donat.* quia ibidem casus ponitur de donatione facta ad pias causas à viro quodam Nobili, ubi quis præsumitur vel esse vetus benefactor, & non *parcè seminare* pro fructu animæ suæ, præsertim considerato honore dignitatis, & status sui, sicut & beneficia Principum (ipsorum tantùm, & non tertii præjudicium concernentia) sunt latissimæ interpretationis, *cap. olim 16. de Verb. sig. leg. 3. ff. de Const. Princ.* At verò textus Juris Civ. *in d. leg. 1. 2. ff. de Donat.* intelligitur de donationibus profanis inter privatos. Gotof. *ibid.* quæ non cadunt sub illam Regulam, quòd *in beneficiis sit plenissima interpretatio facienda*, quia in rigorosa & communi significatione *beneficia* vocantur à majoribus Dominis concessa, ut beneficia feudalia, Ecclesiastica, privilegia &c.

Cæterùm verò, ut in contractibus *stricti Juris* prorsus ligatæ debeant esse manus Judicis, & omnibus interpretatio ex bono & æquo excludi, puto Jure Civili potissimùm in Pedaneis Judicibus, quorum delegata, ideoque intra certos mandati fines restricta erat potestas, processisse, respectu autem ipsius Prætoris & cujuscunque Ordinarii Judicis locum habere debere, quòd generaliter rescripsit Imperator *in d. l. placuit 8. Cod. de Judiciis in: omnibus rebus præcipuam esse Justitiæ, æquitatisve quam Juris stricti rationem*. Et quòd in stipulatione quæ tamen inter contractus *stricti Juris* fermè præcipuo loco numeratur) non ita rigidè secundùm externum verborum sonum, quàm etiam secundùm sensum æquitati, & intentioni contrahentium magis conformem judicandum sit, probant textus, *in leg. quero 54. §. 1. ff. Locati l. quoties 80. & l. continuus 137. §. 2. ff. de Verb. oblig. l. rogasti 11. §. 1. ff. de rebus creditis*, idque tantò magis de jure Canonico obtinebit, quia hoc jure æquitas præ subtilitate & forum conscientiæ,

(in quo circa contractus strictum Jus, juxta subtilitates Juris Civ. ex doctrina Covar. *cit. l.* non attenditur) præ foro externo magis consideratur.

§. VI.

Quotuplex Obligatio oriatur ex Pacto.

S U M M A R I A.

21 *Obligatio nata ex pacto est vel naturalis tantùm, vel civilis tantùm, vel naturalis & civilis simul.*

21 PRæterea sæpiùs hactenus insinuatum est, ex pacto oriri obligationem, quæ describitur, quòd sit *juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvenda*. Hæc obligatio pro diversitate pactorum aliquando est *naturalis* tantùm, aliquando *civilis*, aliquando *naturalis & civilis simul*: vel enim pactum habet pro fundamento obligationis solum consensum, cui lex nec assistat, nec resistat; & producit obligationem *naturalem tantùm*, sive ex solo jure naturæ, & gentium, jubente pacta servari, sicut de pactis nudis dictum: vel pactum agnoscit lex, eique assistit, ut in contractibus & pactis vestitis; & oritur obligatio *efficax*, *sive naturalis & civilis simul*: vel lex expressè resistit pacto tanquam rei turpis, vel contra bonos mores, ut *in cap. fin. hoc tit.* & tunc ex illo nec *naturalis*, nec *civilis* oritur obligatio: quòd si lex solam solemnitatem juris consideret, nulla subsistente naturali æquitate, dicitur obligatio *civilis tantùm*, quæ quidem actionem parit, sed non exactionem, sive executionem; veluti si alicui dedero chyrographum, in quo confiteat, me accepisse mutuum, per hanc solemnitatem litterarum obligor ad reddendum mutuum, etiamsi non acceperim, sed civiliter tantùm, proinde quamvis eo nomine contra me actio intentetur, illius tamen actionem per exceptionem *non numerata pecunia* impediam, sicut *in Tit. Instit. de Litterar. oblig.* traditur. Similiter si alicui obligatus sim ex solemni stipulatione vel alio contractu, isque mihi fecerit *pactum nudum de non petendo*, tollitur quidem per tale pactum *naturalis* obligatio, sed non *civilis*, quæ per actum contrarium à jure civili approbatum (qualis non est pactum nudum) perimi debet, nimirum per solutionem, vel acceptilationem. *Institut. Quibus modis tollitur obligatio*, manet propterea etiam actio, quæ juris Civilis est, sed quia pactum nudum saltem exceptionem parit, per hanc tolletur exactio, sive actionis executio. Quæ circa *civilem* obligationem ita potissimùm advertenda ad intelligendos diversos juris Civilis textus, quamvis hujusmodi subtilitates in Canonibus non æquè attendatur, ubi sicut pactum nudum producit actionem, ita etiam videtur dici posse, perimere omnem obligationem.

---

§. VII.

De Præstatione Doli, Culpæ, & Casus in Contractibus.

S U M M A R I A.

22 *Dolus in omni contractu præstandus.*
23 *Culpa quotuplex.*
24 *De culpa præstatione generalis regula.*
25 *Casus quando præstandus.*
26 *Mora nonnunquam excusationem admittit.*
27 *Casus an præstetur in commodato.*
28 *Culpa in Contractu allegata cui incumbat probatio.*

22 SI res, quæ in obligationem deducta est, ante traditionem vel postea deterior fiat, vel omninò intereat, videndum est, quis teneatur damnum luere & sentire? Distinguendum, an res *dolo*, *culpa* vel *casu* deterioretur, aut, pereat? Si *dolo*, non est dubium, quin is debeat præstare damnum, qui dolo fecit: factum enim cuique suum, non alteri nocere debet; neque alteri per alterum iniqua conditio inferenda, secundùm vulgatas Juris regulas. Dicitur autem hoc loco *dolus* non tantùm callida machinatio & circumventio, sicut describitur in *l. 1. §. 2. ff. de Dolo*, sed omnis voluntaria læsio, sive deinde fiat per tectam fraudem, vel per apertam vindictam, vel per petulantiam, &c.

Culpa est negligentia in custodienda vel conservanda re aliena commissa. Et hæc est triplex, *lata*, *levis*, & *levissima*. *Lata* culpa dicitur, quando quis non adhibet eam diligentiam in rebus alienis, quam communiter homines ejusdem conditionis, professionis & ætatis solent adhibere in suis propriis, ut si res facilè auferenda in loco, quo passim hominibus etiam ignotis patet accessus, relinquatur. *Levis*, quando non adhibeatur diligentia, quam boni & solertes ejusdem conditionis homines adhibere solent, qui non tantùm rem in domo sua diligenter conservant, sed ubi opus fuerit, etiam ostia claudunt, & observant. *Levissima*, quando omittitur diligentia, quam solent adhibere solertissimi, ut si januam quidem clausisti, sed non iteratò tentasti, an sera benè obfirmata fuerit &c. quæ tamen omnia in singulis factis arbitrio prudentis viri, aut Judicis juxta circumstantiarum qualitatem consideranda sunt, quia utique in re pretiosa major diligentia requiratur, quàm in re vili, item in loco, ubi v.g. milites grassantur, quàm ubi quieta & secura sunt omnia. 23

Casum denique vocamus rei inopinatæ eventum, & qui sine omni nostra culpa accidit, ut si domus conducta fulmine tacta conflagret.

Circa præstationem culpæ generalis regula traditur, quòd si contractus cedat *in utilitatem solius dantis*, ut in Deposito, præstetur tantùm *dolus & lata culpa*, quæ in contractibus dolo comparatur *l. quod Nerva 32. ff. Depositi*. Si *in utilitatem solius accipientis*, ut in Commodato, præstetur *levissima culpa* (excepto *Precario*, de quo suo loco.) Si *in gratiam utriusque*, ut in locato & conducto, *levis* tantùm culpa, non *levissima* præstanda, sicut inferiùs circa singulos contractus in specie pluribus trademus, & text. est in *l. si ut certo 5. §. 2. ff. Comod.* 24

Casus verò regulariter non præstatur; excipitur tamen I. Nisi aliquis fuerit debitor *generis* (quod Logici *speciem*, hoc Juristæ *genus*, quod illi *individuum*, hoc isti *speciem* appellant) *genus* enim perire non potest. Ita quocunque casu pecuniæ mutuatæ apud mutuatarium pereant, tenetur ad restitutionem; tum quòd post mutui acceptionem fuerit factus illius pecuniæ Dominus, & res soleat perire suo Domino; tum quòd non sit debitor illius pecuniæ in specie sive individuo, quam mutuò accepit, sed alterius in genere in eadem quantitate, §. *item is 2. Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio*. Si verò Promissor vel contrahens debitor fuerit certæ speciei, v. g. hujus equi bucephali, tunc interitu ejusdem casu contingente liberatur, nec tenetur rem aliam loco intereuntis tradere, *l. in quod 7. ff. de Periculo & commodo rei vendita*. II. Excipitur nisi aliter conventum sit, & debitor periculum rei perituræ in se susceperit: pacta enim ex conventione legem accipiunt, *cap. un. de Commodato & l. 1. §. si convenit 6. ff. Depositi*. III. Si culpa casum præcesserit, ut quia commodatarius cum equo meo relicta via tutiore ivit per viam ob insidias latronum magis periculosam. IV. Si debitor legitimè interpellatus, ut rem debitam traderet, vel solveret, fuerit in mora tradendi, vel solvendi, hæc mora & interitus rei post moram contingens ipsi nocet juxta *cap. mora 25. de Reg. Juris in 6.* 25

Traduntur tamen à Doctoribus præsertim Theologis, hujus quartæ exceptionis ex bono & æquo duæ limitationes. Prima, ut exceptio procedat, si mora fuerit culpabilis, secus si traditio constituto tempore physicè vel moraliter impossibilis, & debitor legitimè impeditus, quominùs traderet, prout ex *Regula 66. Juris in 6.* conditio habetur pro impleta, quando non stat per obligatum, qui minus impleretur. Text. & Gloss. *in l. quod te 5. ff. de Reb. cred.* Gloss. *in d. cap.* 26

d. cap. mora. Covar. *in Relect. cap. quamvis de Pact. in 6. pars. 2. §. 5. numer. 4.* Molina *de J. & J. tom. 2. disp. 317.* Andr. Gail. 1. *Obs.* 142. *num.* 2. Altera, si res post moram fuisset æquè apud creditorem peritura, puta ob generale civitatis incendium, ruinam aut incursum hostilem: tunc enim non videtur æquum, debitorem ad præstandum casum obligare, cùm ex mora vel culpa ipsius reverà Creditori damnum non acciderit, cùm periculum evadere minimè potuisset, tametsi rem ipsemet habiturus fuisset, Sylv. *V. Mora q. 4.* Navat. *in Manuali c. 17. numer.* 80.

27 Sed nunquid è converso in omni interitu casuali penes commodatarium contingente conqueretur forsan commodans, nisi equum commodassem non periisset domi; officium igitur meum non debet mihi esse damnosum, & potiùs ille debet sentire damnum, qui inde utilitatem percepit. Hæc querela posset videri prima fronte satis æqua, & movere, ut diceremus, tunc casum fortuitum in commodato præstandum, si res non fuisset æquè apud commodantem peritura. Nihilominùs video Doctores esse valdè concordes, ut etiam in commodato generaliter doceant, non præstari casum fortuitum, sine distinctione, an res apud commodantem fuisset æquè peritura. Barbos. *in Collectaneis ad dict. cap. un. de Commodato numer. 6. & 7.* quam distinctionem tunc tantùm adhibent, quando Commodatarius fuit in mora restituendi, vel re commodata aliter, aut aliorsum usus est, quàm sibi concessum. Molin. *dict. tom. 2. d.* 259. *numer. 3. & 4.* Quare responderi poterit Commodanti, ut Juris decisione sit contentus, quod ita voluit alterum alterius Officio juvari, ne Commodatarius exinde nimium gravaretur, si v. g. propter usum equi ad unum diem sibi concessum mox deberet totum equum sine culpa sua pereuntem solvere, quod damnum non esset utilitati ex equo perceptæ proportionatum. Et sicut hæc Juris constitutio in uno casu gravis videtur commodanti, ita vice versa in alio casu, ubi ipse ab altero commodatum accipiet, idque casu peribit, admodùm grata & utilis eveniet, prout in simili de jure præscriptionis dicere solemus, ut quamvis habeat gravamen in uno casu, quo contra me præscribitur, contineat tamen utilitatem in alio, quo ego contra alium præscripsero.

28 Cui verò incumbat onus probandi, si Commodans, Locator, Emptor, & cæteri dicant, damnum accidisse culpa, econtra Commodatarius, Conductor aut Venditor casu, vel tali ex culpa, ad quam præstandam jure contractus non teneatur? videatur Mascard. *de Probationibus vol. 1. conclus.* 468. Breviter dicendum, si damnum sit tale, quod plerumque sine culpa utentis accidit, ut si equus ex interno morbo, aut vitio, domus aut murus vetustata & imbecillitate corruat, non præsumi culpam, nisi ab allegante probetur; si verò damnum tale, quod ordinariè ex negligentia, vel culpa utentis accideere solet, veluti incendium aut furtum, præsumi culpam utentis, nisi suam diligentiam in custodiendo per contrarias probationes, aut præsumptiones, quales saltem in tam difficili probatione habere poterit, ostenderit, *l. 3. §. 1. ff. de Offic. præfecti vigilum leg. cum duobus 52. §. damna 3. ff. Pro socio* Fachin. 1. *Contr. cap.* 87. qua de re dicemus inferiùs in Tit. *de Locato & Conduct.* Demum quando de culpa loquimur, non esse intelligendam semper culpam Theologicam, quæ constituat peccatum coram Deo, sed civilem sufficere, quæ ex quacunque omissione, v. g. propter oblivionem coram Deo non peccaminosa oritur, notavit Layman *Lib. 3. tract. 4. cap. 7. sub numer.* 2.

§. VIII.

De Personis, quæ pacisci possunt, vel non possunt, & inprimis de Pupillis & Minoribus.

S U M M A R I A.

29 *Contrahere regulariter omnes possunt, nisi specialiter in jure prohibiti.*
30 *Pupillus sine tutore contrahens, an obligetur naturaliter, & in conscientia?*
31 *Ludens cum pupillo an possit ab eo lucrari?*
32 *Minorennes sine Curatore qualiter obligentur?*

PErsonæ, quæ contractus & pacta inire possunt, sunt regulariter omnes usu rationis præditi, & liberam suorum bonorum administrationem habentes, adeò ut nec excommunicati, nec deportati excludantur; quia hi non amittunt ea, quæ sunt Juris naturalis & gentium, siculi pacta & contractus, licèt pro his actionem formalem instituere non possint, quæ est Juris civilis, possunt tamen implorare officium Judicis, & conveniri, ac uti exceptione, ut in materia Judiciorum dicemus; ratione autem sufficienti, & administratione destituti, ut Pupilli, Minorennes, Amentes. Prodigi quibus bonis interdictum est aliter quàm interveniente authoritate suorum Tutorum aut Curatorum contrahere non possunt, qua de re agunt Interpretes Juris Civilis in materia *Tutelarum* & in *Tit. Instit. Quibus alienare licet*. 29

Juris Canonici & etiam Theologiæ Doctores specialiter inquirere solent, an Pupillus vel Minorennis, aut Prodigus sine Tutore aut Curatore contrahens saltem naturaliter, & in conscientia obligetur, ita ut talem contractum majorennis factus implere teneatur? Circa naturalem Pupilli sine tutore contrahentis obligationem constat, esse difficilem legum antinomiam: quod enim *in l. pupillus 59. ff. de Oblig. & act. & in l. quod pupillus 41. ff. de Conditione indebiti*, negatur pupillum naturaliter obligari, id affirmatur *in l. 1. §. 1. ff. de Novationibus l. Marcellus 25. ff. de Fidejuss.* 30

Sanè in eo satis conveniunt Doctores, quòd Pupillus Infans, vel Infantiæ proximus *§. sed quod diximus 10. Inst. de Inutil. stipul.* qui necdum implevit annum decimum cum dimidio (primum septennium infantia censetur, alterum dividitur, & medietas ad infantiam, altera ad pubertatem accedit) item etiam qui cum ipso Tutore contrahit, nec quidem naturaliter obligetur, nisi alterius contutoris, vel judicis auctoritate interveniente; leges enim tali contractui resistunt, *l. 1. & l. pupillus 5. ff. de Author. Tut. l. non licet 46. ff. de Contrahenda emptione*, sicut & tunc, si super bonis suis immobilibus, aut mobilibus, quæ servando servari possunt, alienandis sine tutore & judice Pupillus vel Minor contraxerit, *tot. tit. Cod. de Prædiis & aliis rebus minor.* E contra quoque conveniunt, quòd Pupillus obligetur, quatenus ex contractu factus est locupletior, & pecunia, v. g. mutuò accepta adhuc penes eum extat, vel in res ejus versa est, *d. l. pupillus 5. §. pupillus 1. ff. de Author. Tit.* De dolo etiam quandoque conveniri potest, ut si doli capax rem sine Tutore in depositum acceperit, eamque dolo perdiderit; sicut universim Pupillus rationis, etiam peccati capax esse censetur, *l. 1. §. an in pupillum 15. ff. Depositi*.

Tota igitur quæstio est de Pupillo proximo pubertati, factum, aut res servando non servabiles promittente, nec inde locupletato? cujus resolutio potissimùm in conciliatione supra allegatarum legum Civilium consistit. Sunt enim non pauci Doctores, qui Pupillum in his circumstantiis, si verè consenserit, nihilominùs naturaliter & in conscientia obligari volunt, Sanch. *de Matrimonio l. 6. d. 38.* & alii Azor. *par. 3. lib. 6. cap. 14. qu. 10.* Molina *d. tom. 2. disp.* 224. Negat autem naturalem & conscientiæ obligationem, nisi in quantum Pupillus locupletior factus fuerit, *Covar. ad dict. c. quamvis de Pactis in 6. §. 4. n. 10.* Cujac. *ad l. 127. ff. de V. O.* Petrus Vvadingus *de Contract. disp. 2. dub. 4. n. 3.* & alii ibidem citati, ideoque contrariantes leges ci-

viles per distinctionem, sitne pupillus ex contractu locupletantus nec ne, conciliandas existimat.

Inclino quidem etiam magis in hanc sententiam: irritatio enim contractuum regulariter de foro quoque interno intelligitur, nisi aliter constet de mente Legislatoris & frustra propter bonum publicum plerumque esset irritatio contractuum in foro externo tantùm, si bonus Christianus eos in conscientia servare teneretur, sed quia dictæ conciliationi apertè obstat textus *in l. cum illud* 25. §. 1. *ff. Quanda dies legati*; ideò de alia conciliatione cogitandum; nam postquàm J. C. *in c. l.* dixit, legatum ejus rei, quam pupillus sine tutoris auctoritate debet, *nec inde locupletior factus est*, nullius esse momenti, quia pupillus nihil debet, subjunxit, si verò testator naturalem pupilli obligationem & futuram solutionem cogitarit, legatum habere tacitam conditionem, si pupillus solverit; ex quo apertè videtur inferri pupillum etiam non locupletiorem factum naturaliter obligari. Minimè verò satisfaciet responsio aliquorum dicentium, mendam irrepsisse in hunc textum, ac in Florentinis Exemplaribus omissa particula: *Nec* legi, *& locupletior factus est &c.* Nam si hæc responsio valeret, malè dixisset J. C. quòd pupillus ex contractu locupletior factus nihil debeat, & inutile ejus rei legatum sit, sicut vel parum consideranti textum patebit. Quare magis mihi placet alia conciliatio, quam tradit Layman *d. L. 3. tr. 4. c. 9. sub num.* 8. quòd pupillus obligetur quidem naturaliter propter leges id ipsum affirmantes, sed hujus obligationis effectum & executionem leges negantes etiam in foro conscientiæ, & circa pupillum proximum pubertati impediant, nisi pupillus sui juris factus ultrò huic suo favori renuntiare, & quasi ex debito honestatis solvere velit, qui sensus optimè accomodati potest *d. l. cum illud* 25.

Dices, qualis est obligatio, si nullum habet effectum? Respondeo, habere quoad alios suum effectum, nimirùm ut cum majorenne intra ex parte majorennis teneat, *l. obligari* 9. *ff. & princ. Inst. de Authoritate Tutorum*, item ut fidejussor pro pupillo accedere possit, *d. l. Marcellus* 25. *ff. de Fidejussoribus*, quòd verò in persona pupilli effectum non habeat, & executionem, non propterea nullo modo dici potest obligatio; sicut obligatio merè civilis obligatio dicitur, & tamen effectum non habet, ut superiùs præmissum.

31 Ulteriùs illud notabile est, quod ponit Vvadingus *dicta loco numer.* 5. ludentem cum pupillo & lucrantem ab eo summam notabilem (quæ ipsi ex consensu Tutoris saltem tacito ad ludendum, & honestam recreationem pro conditione personæ non est concessa) non posse in conscientia illam retinere, saltem si sciat, pupillum velle eam recipere, quia pupillus sine tutore non potest dominium rei suæ transferre, vel efficaciter obligari, §. 1. & ibi Doctores. *Inst. Quibus modis re contrahitur obligatio.*

Sed & prioris sententiæ Auctores, qui obligationem naturalem & in conscientia ex contractu pupilli sine tutore admittuntur, concedunt tamen, hanc obligationem remedio extraordinario *restitutionis in integrum*, vel irritatione & revocatione tutoris posse annihilari. Quid autem censendum sit de sponsalibus & matrimoniis, quæ impuberes contrahunt, traditur *in Libro IV. Decretal. in tit. de Dispensatione impuberum.*

32 Alia nonnihil ratio est circa *Minorennes*, qui quidem annos pupillares excesserunt, sed infra 25. ætatis annum constituti sunt: hi enim quamvis nullum contractum, etiam quoad forum internum, sive efficacem obligationem validè inire possint sine authoritate Curatoris, qui tendat in alienationem bonorum. Textus & Doctores, *in l. si curatorem* 3. *Cod. de in integrum restitutione Minor. & tit. Cod. de Prædiis minor.* possunt tamen se obligare in his, quæ præcisè suam personam concernunt, e. g. si minor artifex, vel opifex sit, & operas suas alteri locatit; sicut ita textum in *l. puberes* 101. *ff. de Verborum obligationibus* exponit Fachin. *Lib. 3. Controv. cap. 9.* & Matrimonium contractum sine curatore valet *l. sciendum* 20. *ff. de Ritu nupt.* Curator enim magis bonis, quàm personæ datur.

Minoribus quoque assimilantur prodigi, postquam ipsis à Magistratu bonis interdictum est, & curatores bonorum dati sunt. Interim negandum non est, quin minor contra suum contractum, si læsus videatur, restitutionem in integrum petere possit ex *tot. tit. ff. de Minoribus*, eaque tanquam justo juris privilegio etiam in conscientia rectè utatur, in Matrimonialibus tamen non dari restitutionem in integrum, docet Sanch. *de Matrimonio l. 7. disp. 37. n. 21. & seq.* de quo alibi dicemus.

Si curatorem non habuerit minorennis, nihilominùs prohibetur ipsi bonorum immobilium alienatio sine decreto Judicis, tametsi veniam ætatis impetrarit à Principe, ut pro majorenne haberetur, *l. non solum* 4. *l. minorum* 6. *Cod. de Prædiis minorum l. 2. Cod. De his qui veniam ætatis impetr.* Vid. Fachin. *d. l.* ubi contra quosdam idem censet de mobilibus pretiosis, & quæ servando servati possunt.

In testamento autem, item ante Professionem in Religione non prohibetur minor de omnibus bonis suis etiam sine curatoris auctoritate disponere: tunc enim cessat ratio legis, cùm ob vitæ vel status mutationem iis non ampliùs uti concedatur, ideòque exinde non damnificetur. Cujac. *in Comment. ad d. l. puberes* 101. *ff. de Verb. obl.* Panorm. *in c. in præsentia 8. de Probat.* Addit etiam Lessius *d. dub. 8. sub n.* 62. minoribus sub curatore constitutis in bonis *Castrensibus, vel quasi*, liberam esse administrationem, & se obligandi potestatem, salvo tamen in casu læsionis restitutionis beneficio.

---

§. IX.

De Pactis Filiorumfamilias ubi de S. Consulto Macedoniano,

SUMMARIA.

Quid autem de *Filiisfamilias* sive liberis in potestate Patris constitutis dicendum? Supposita distin- 33
ctione quadruplici peculii scilicet *Profectitii*, quod ex re & bonis patris provenit, & totum patris est; *Adventitii*, quod filius aliunde, quàm ex re patris, nimirùm ex hæreditate materna vel aliorum, opificio aut negotiatione, quoad proprietatem sibi, quoad usumfructum patri acquirit; & *Castrensis*, quod intuitu militiæ armatæ, & *quasi Castrensis*, quod ex militia togata, sive publico munere, videlicet Judicis, Advocati, Professoris Academici, Tabellionis &c. adipiscitur, idque pleno Jure quoad dominium, usumfructum, & administrationem filii esse censetur. Supposita, inquam, hac distinctione, quam prolixiùs exponunt Doctores ad *Tit. Instit. de Patria potestate* & ad Tit. *Per quas personas nobis acquiritur.*

Generaliter inprimis tenendum est, Filiumfamilias pu- 34
berem eatenus ex suis contractibus sine authoritate patris obligari, quatenùs potestati patriæ & juri, quod pater in ipsum, & bona sive peculium ejus habet, non præjudicat, *§. item inutilis* 6. *Inst. de Inutil. stipul. l. Filiusfamilias* 39. *ff. de Obligat. & act.*

Dico I. De filiofamilias *pubere*: nam *impubes* ne 35
quidem authore patre obligari potest, *§. sed quod diximus* 10. *Instit. de Inutilibus stipulat.* Rationem disparitatis, cur pupillus authore Tutore possit efficaciter obligari, & non item Filiusfamilias impubes authore Patre diversimodè assignant DD, vel enim hoc ideò constitu-

tum

tum est, quod pupillo ex contractu damnificaro detur adversùs tutorem actio *t. t. ff. de tutela & rat. distrab. & tit. Cod. si Tutor vel Curator interven.* non item filio adversùs patrem, *l. 4. ff. de Judic. l. ult. §. fin. autem as alienum 4. in fine. Cod. de Bonis qua liberis*: vel quia aliàs pupillis esset omni commercio interdictum, nisi saltem authnre tutore obligari possent. Filiusfamilias autem, cùm contrahendo patri acquirat, & econtra pater filio, *§. si quis alis 4. Inst. de Inutil. stipulat. d. L. ult. §. ubi autem puerilis. 6. C. de Bonis qua liberis*, potest pater sine filio contrahere.

Dico II. *Filiusfamilias* puberem eatenùs obligari, quatenùs non præjudicat patri: unde vota realia sine consensus parris eum emittere non posse, ut infra *in Tit. de Voto & voti redempt.* dicetur. Item adventitia quorum usufructus apud patrem est, alienare prohibetur, *d. leg. ult. §. Filius autem fam.*

36 Præterea in contractu mutui circa filiumfamilias specialis exceptio de Jure Civili ponitur, quæ dicitur exceptio *Senatusconsulti Macedoniani*, pront habetur *in tit. t. ff. & C. ad Senat. C. Maced.* Contingit enim aliquando Romæ, quòd quidam Macedo usurarius filiisfamilias copiosè pecuniam mutuam dederit, qui posteà abutentes pecuniis non tantùm corruptos mores induebant, sed etiam ære alieno oppressi vitæ parentum insidiabantur, ut ex hereditate paterna possent debita solvere. Quare Senatusconsulto, cautum fuit, ut si quis filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, ei non daretur actio, vel repetitio, ne quidem post mortem patria, ejusdemque Senatusconsulti exceptio etiam filiabusfamilias, & parentibus, & hæredibus, & fidejussoribus filiorum prodesset, *l. t. 7. 9. §. 4. ff. ad S. C. Maced.*

37 Sunt tamen casus, in qnibus non habet locum Senatusconsultum, ut I. Si filio sint bona castrensia vel quasi, *l. fin. §. 1. C. d. Tit.* II. Si communi errore credebatur non esse filiusfamilias, sed sui juris: tunc enim nihil est, quod Creditori imputetur, *l. si quis 3. ff. & l. t. Cod. eod.* III. Si mutuum non constiterit in pecunia numerata, sed in re alia fungibili, ut in vino, frumento, vel similibus; vel fuerit debita ex alio contractu, puta emptionis, stipulationis aut simili: quia præcipuè pecunia periculosa parentibus visa est, utpote, quàm filius perdat, aut malè impendat faciliùs, nisi res aliæ in fraudem legis filio datæ sint, ut is rebus venditis pretium haberet in mutui vicem, *l. si filiusfamilias. 4. §. is autem solus 3. ff. d. tit.* IV. si sciente, mandante, aut ratum habente patre pecunia mutuata sit, *l. si tantùm 12. & l. si filiusfam. 16. ff. & l. fin. Cod. ad S. C. Maced.* V. Si in rem vel utilitatem patris pecunia versa, aut studiorum causa in probabiles expensas filio data sit, quas patris pietas rationabiliter recusare non potuisset, *l. item si filiusfam. 7. §. quod dicitur 13. ff. d. tit. l. 5. Cod. eod.* VI. Limitatio potest addi ex Molina *de Just. & Jure t. 2. d. 301. n. 2.* si filius vel filia juxta consuetudinem terræ, (sicut in Hispania & in plerisque partibus Germaniæ) per nuptias soleant liberari ex patria potestate, ut mutuum, quod post contractas nuptias accipiunt, ad instar aliorum hominum sui juris reddere teneantur. Et hæc in foro externo ita indubitatè procedunt.

38 Sed an idem obtineat in foro animæ, ut filiusfamilias ne quidem in conscientia (extra casus jam enumeratos) mutuum acceptum reddere teneatur, celebris est inter DD. controversia. Non esse huic S. Consulto locum in conscientia existimat Fach. *Lib. 2. Controv. cap. 62. in fin.* cum Covar. *in Relectione cap. quamvis, de Pactis in 6. part. 2. §. 3. num. 4.* eò quòd filiusfamilias saltem naturaliter obligetur; tum ob text. expressum *in l. quia naturalis, 10. ff. S. C. ad Maced.* tum quia filiusfamilias, quod omissa Senatusconsulti exceptione solvit, repetere non potest, *leg. sed si paterfamilias 9. §. 5. cum l. seq. ff. eod.* cùm aliàs quod nec civiliter, nec naturaliter est debitum, quocunque errore solutum rectè reputatur, *l. quod in debitum 7. & l. quod pupillus 41. ff. de Condict. indeb.* aliam rationem addit Fach. quòd nimitùm æquitati non conveniat, filiumfamilias cum alterius damno locupletari.

Verùm altera sententia, quæ docet, filiumfamilias exceptione Senatusconsulti etiam in conscientia tutum esse videtur ab authoritate & ratione magis probari. Ab *authoritate* quidem Innoc. *in cap. quia plerique 8. de*

Engel in Decret. Lib. I.

Immun. Eccl. Panorm. *in cap. fin. de Præscript. num. 27. & 29.* Antonii Gomez *Var. Resolut. Tit. de Contractibus cap. 6. nu. 2.* Molinæ *d. disp. 301. nu. 2.* Lessii *de J. & Justit. l. 2. c. 20. dub. 2. vers. notandum 2.* Vvading. *de Contract. disp. 6. dub. 4. §. t.* eamque communem dicit Layman *in Theol. moral. de Pact. cap. 15. n. 5.* *A ratione* verò, quia utique lex & potestas publica ex justa & publica causa potest contractum irritare, actionem denegare, dominium de uno in alterum transferre, sicut ex præscriptionis lege, jure confiscationis, irritatione testamenti non solemnis, contractus pupillaris &c. aliisque exemplis probari potest: quæ irritatio & constitutio, si fuerit justa in foro externo, meritò etiam ad forum conscientiæ porrigitur, uti supra in *Tit. de Constitut. §. 3. num. 36.* pluribus declaratum est: modicum enim aliàs haberent tales leges inter Christianos effectum, & parùm consultum foret Reipubl. per rationabilia statuta, si quos lex civilis ab obligatione absolvit, lex conscientiæ sub salutis periculo constringeret.

Ad primum A. A. argumentum responderi potest: Filium accipiendo mutuum contrahere quidem naturalem obligationem, sed hujus obligationis effectum à lege quoad utrumque forum impediri: quamvis enim lex humana non possit in thesi jus naturale mutare totam præceptionem ejus abrogando, *§. sed naturalia 11. Instit. de Jure Nat. Gent. & Civilis*, potest tamen in hypothesi, sive in particularibus casibus & circumstantiis declarare, an & qualiter locum habeat. Deinde, quod de soluti denegata repetitione dictum, possumus ad id respondere: nil esse inconveniens, si lex aliquos obligationis effectus tollat, aliquos toleret, sicut paulò ante de obligatione naturali pupilli dictum, quòd certos habeat effectus: periculum enim, quod Senatusconsultum consideravit, tunc potissimùm subest, si filiusfamilias mutuum recipiat, & cogatur ad solvendum, non autem si spontè solutum repetere nequeat.

Alterum argumentum Fach. novam movet difficulta- 39
tem, an, si filiusfamilias pecuniam mutuatam non inutiliter perdiderit, vel expenderit, sed post mortem patris adhuc penes se habeat, vel in alias res commutatit, adeoque exinde locupletior factus sit nihilominùs exceptione Senatusconsulti quoad forum internum præcipuè se tueri valeat? Etenim de Jure Civili res satis est expedita *in l. sed si 9. §. 2. ff. ad S. C. Maced.* ubi J. Consultus affirmat, dari exceptionem Senatusconsulti, licèt filiafamilias ex pecunia mutuata ornamenta compararit, aut apud filium in peculio existat. Ratio etiam superiùs assignata, quòd lex sit Domina rerum, & authoritas publica supremi Legislatoris dominium ex causa publica uni auferre & alteri adjudicare possit, etiam huic Juris Civilis decissioni non incongruè accommodatur.

In foro tamen conscientiæ quid dicendum, plerique DD. prætereunt: apud Layman verò *cit. cap. 15. sub. n. 3. v. Cæterum non dubito &c.* invenio, quòd is (nullum quidem alium Doctorem allegans) indubitanter teneat, (quidquid de Jure Civili sit dispositum) filium vel patrem ex mutuo locupletatum naturali jure, consequenter in conscientia ad restitutionem obligatum esse. Quam sententiam opinor practicè magis tutam & tenendam esse, ac naturali æquitati, quæ neminem vult cum alterius jactura locupletari, *juxta regulam 48. Juris in 6.* conformiorem: in tali namque casu potest dici tantò magis naturalem obligationem filiifamilias habere suum ordinarium effectum, quò magis cessat ratio Senatusconsulti: si enim pecunia adhuc extet, vel locupletior inde filius factus sit, sanè nil causæ subest, cur propter solutionem debeat vitæ parentis insidiari, neque malis moribus corruptus est, qui pecuniam servavit, aut utiliter & fructuosè impendit.

Non obstat, quòd lex alicui possit dominium auferre, & alteri adjudicare: quia procedit, si apertè constet de voluntate legis, sicut in præscriptione; in proposito autem causa locupletationis dubium est, an lex voluerit irrevocabile dominium pecuniæ mutuatæ filiofamilias concedere, vel an tantùm mutuanti denegare actionem in foro externo, relicta interim naturali obligatione: in dubio autem ordinariè melior solet esse conditio ejus, qui certat de damno vitando, quàm qui de lucro captando.

40 Rursus quæstio est, quid si is, qui pecuniam mutuam dedit, bona fide egerit, ignorans Senatusconsulti Macedoniani constitutionem? Neque Doctores obvii sunt etiam in hac quæstione, licèt in praxi frequentissima. Censeo plerumque cessare Senatusconsultum, præsertim si persona sit talis, quæ Juris ignorantia excusetur, ut minorennes ante 25. ætatis annum, de quibus quoad hoc Senatusconsultum est textus specialis, *l. verum. 11. §. planè 1. ff. de Minoribus, & in l. Regula. 9. ff. de Jur. & facti ignor.*

Item mulieres, milites, rustici, aliique forensium rerum inexpertes, & simplices ac plebei homines, *l. cùm de indebito 25. §. 1. ff. de Probat.* Generaliter quoque traditur *in l. 7. & 8. ff. de Juris & facti ignorantia*, quòd error Juris non possit quidem in lucro, seu acquirere volentibus (v. g. si quis putaret ex errore Juris, possessionem longi temporis sine bona fide aut titulo sufficere ad præscriptionem) excuset tamen à pœna, & non noceat in damnis amittendæ rei suæ.

Dices: si per errorem Juris omnes æqualiter in damnis & poenis excusantur, ergò non fuisset opus in allegatis LL. à Senatusconsulto singulariter minorennem ob Juris ignorantiam excipere. Sed Resp. duas esse differentias circa ignorantiam juris inter minores (quibus assimilantur etiam mulieres, milites, cæterique enumerati) & inter viros majorennes prudentes. *Inprimis* quòd minorennes non obligentur ad scientiam Juris & legum, majorennes verò ad omnium constitutionum scientiam adstringantur, *in l. penult. C. de Juris & facti ignorantia.* Ideòque nisi eorum ignorantia tolerabilis fuerit, (puta quia constitutio aliqua parùm observatur, est obscura, anceps, controversa, vel à paucissimis scitur in loco, ubi degunt) sed crassa & supina, ne quidem in poenalibus excusantur, *arg. c. 2. de constit. in 6. & leg. 1. ff. de LL. Secundò* quòd in minoribus, mulieribus, militibus, rusticis aliisque rudioribus præsumatur Juris ignorantia, *d. l. cùm de in debito*, in majorennibus verò præsumatur scientia, nisi ab ipsis probetur tolarabilis ignorantia: non enim foret rationabile, ut Jura in eo ignorantiam præsumerent, & tolerarent, quem ipsum ad scientiam obligant & adstringunt. illa verò Juris *Regula 47. in 6.* quòd *præsumatur ignorantia, ubi non probatur scientia*, de ignorantia facti, non juris accipienda est.

Quòd si mutuans occasionem mali filiofamilias dederit, ejusque peccato cooperatus fuerit, non ignorans eum pecunia abusurum, quamvis ignorarit Senatusconsultum, non putarem, ei contra Senatusconsulti constitutionem subveniendum: quia scivit rem esse malam, & contra Jus naturæ dare filio occasionem mali; licèt verò ignorarit poenam Senatusconsulti, tamen quia malitiam peccati novit, ex sola ignorantia pœnæ non solet à poena (excepta censura, de qua alibi) excusari, per tradita Molluæ *de Justitia & Jure Tr. 6. d. 71. num. 9.* & vidatur etiam insinuare J. C. *in d. l. regula*, per illa verba: *mulieribus succurritur, sicubi non est delictum, sed Juris ignorantia*, atque à simili non parum probatur ex *l. 2. C. De in jus vocando*, ubi libertus, qui patronum sine venia in jus vocavit, ponitur pœna Edicti, scilicet 50. solidorum, nec excusatur ob rusticitatem sive Juris ignorantiam. Ad quem text. dicit Gloss. *in l. error, 9. in verb. nocet ff. de Juris & facti ignorantia*, quòd sufficiebat liberto scire, hoc esse contra naturalem æquitatem, licèr prohibitionem Juris cum pœna ignorarit.

Oppones, si constitutio Senatusconsulti est pœnalis, ergò filiusfamilias se eadem tueri in conscientia non poterit ante sententiam judicis saltem declaratoriam, cùm pœna non priùs obliget alterum ad amissionem rei suæ, per ea, quæ *in Tit. de Constit. §. 3.* dicta sunt. Respondetur, quòd hæc pœna sit de illis, quæ ad sui executionem nullum externum factum hominis requiritur, hoc ipso, quòd per contractum mutui dominium & possessio pecuniæ mutuatæ jam sit in filiumfamilias translata, cujus tantùm repetitionem leges denegant, quales pœnæ ipso jure & facto illatæ non requirunt aliam Judicis sententiam, ut etiam *in d. §. 3. sub n. 42.* tradidimos.

41 Demum quæritur, nunquid filiusfamilias Senatusconsulto vel simpliciter, vel saltem juramento renuntiare possit?

De simplici renuntiatione unanimis est DD. opinio, eam nullatenus subsistere: quia hoc Senatusconsultum non tam in favorem filii, quàm parentum & publicæ utilitatis ad evitanda multa mala in Republica atque in odium Creditorum est introductum. Nec obstat, quod filius ipso facto possit renuntiare, nimirum solvendo, quod accepit, *l. sed si 9. §. penult. ff. S. C. Maced.* nam periculum, quod subest in obligatione, cessat in solutione, ut paulò anta declaratum est.

De renuntiatione *jurata* dissensio est, quidam enim affirmant valere, ut filius saltem post mortem patris solvere teneatur, propter vulgatam regulam, *cap. cùm contingat. 28. de Jurejurando*, quòd omne juramentum nec vi, nec fraude extortum servandum sit, si citra dispendium salutis servari possit. Covar. *in d. Relect. cap. quamvis. hoc tit. in 6. part. 2. §. 3.* Less. *d. lib. 2. cap. 20. dub. 2. num. 9.* quæ sententia propter reverentiam juramenti est tuta & probabilis. 42

Altera sententia est negantium, tale juramentum valere, inter quos est Panorm. *in cap. cùm contingat. 28. de Jurejurando, nu. 23.* Vvading. *de Contract. disp. 6. dub. 4. §. 1. num. 3.* cùm enim tale juramentum ad omnia pericula & incommoda inducat, quæ evitare voluit Senatusconsultum, videntur habere locum aliæ regulæ: quòd *juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis, nec sit obligatorium, quod contra bonos mores, vel in præjudicium tertii*, scilicet parentis *præstitum est cap. veniens, 16. de Jurejur. cap. non est obligatorium, 58. de Reg. in 6.* Neque difficile est disparitatem aliquam assignare inter pacta successoria, quæ juramento confirmantur, *capit. quamvis, 2. de Pact. in 6.* & mutuum filiifamilias: quia in iis potissima prohibitionis causa est, sola mortis captatio, cujus periculum inter Christianos præsertim Germanos minus est, & vel ideò minùs, quia non habet causam nisi appetitum lucri: at verò in mutuo in primis instans & urgens creditor cursusque usurarium filium familias faciliùs ad malum adigere possent: & deinde præter periculum captandæ mortis etiam subest periculum corrumpendorum morum &c. Quapropter hæc sententia sua non caret probabilitate, & posset fortè deservire, ut Judex Ecclesiasticus aliis præsertim circumstantiis concurrentibus tantò faciliùs juramentum relaxare valeret, ut docet Less. *d. loc.*

Mihi videtur ad conciliationem utriusque sententiæ quoddam medium amplectendum, ut siquidem periculum mali tantùm in genere subfuerit, in specie autem circa hunc filium jurantem nullum, tunc procedat prior opinio & regula, *dict. c. cùm contingat.* si verò in specie etiam filius ob renuntiationem juratam inclinaretur ad malum, puta, quia instante creditore cogeretur quærere media etiam illicita solutionis, quia mutuum, quod de facto ad malos usus applicuit, alter à creditore obtinere non potuit, quàm per juratam renuntiationem, tunc debeat altera sententia prævalere: quamvis enim lex possit ex certa causa actum irritare & annullare, nec illicò cesset lex, licèt cesset ratio legis in particulari (nisi fuerit lex in mera præsumptione fundata) dummodò non cesset universim; prout non ideò valet testamentum sine septem testibus, quamvis nullus in eo dolus commissus sit, matrimonium sine parocho & testibus, estò nunquam abnegandum, sed id potissimùm in legibus certas formas substantiales præscribentibus procedit, in aliis verò legibus, quæ simpliciter actum prohibent, vel aliud disponunt, obtinet nonnunquam etiam in particulari casu illud axioma, quòd cessante ratione legis cesset ipsa lex *c. cùm cessante. 60. de Appellat. & l. adigere. 6. ff. de Jure patron.* ita quoque propter religionem juramenti, & ne Deus temerè in testem vocatus sit, servandum, quod promissum est, si hic & nunc nullum peccatum involvat, tametsi lex communis, quæ periculum mali in genere consideravit, adversetur, *d. cap. cùm contingat. 28. & cap. quamvis. 2. h. tit. in 6.*

§. X.

§. X.

De Pactis, quæ ineunt generales rerum Administratores.

SUMMARIA.

43 *Ecclesia vel Civitas quando teneatur ex mutuo per Prælatum vel Administratores contracto?*
44 *Quid si consensus Senatus, vel Capituli accesserit?*

GEnerale rerum alienarum Administratores hoc loco vocamus Prælatos & Rectores Ecclesiarum, Magistratus & Syndicos Civitatum vel aliarum Communitatum, Procuratores cum generali mandato, Tutores & Curatores &c. Porrò circa Prælatos & Rectores Ecclesiarum videri debent ea, quæ in Tit. *de Peculio Clericor.* & in Tit. *de Reb. Ecclesiæ non alien.* & in Tit. *de Donation.* dicentur.

43 Specialiter hic circa contractum mutui etiam valde notabile est, quòd Civitas, Ecclesiæ, Monasteria, aliave pia loca ex mutuo, quòd eorum Rectores & Administratores susceperunt, tunc solùm obligentur, si Creditor probarit pecuniam in Civitatis aut piorum locorum utilitatem conversam fuisse, aliàs soli Administratores conveniri poterunt, *l. civitas ff. de Rebus creditis, auth. hoc jus porrectum. Cod. de SS. Eccles. cap. hoc jus. 2. causa* 10. *qu.* 2. *cap. penult. de Fidejuss. cap.* 5. *de Solut.* Quare pro cautela duo consulerem. *Primò*, ut chyrographo expressè & in præsentia testium curaret inseri causam, in quam mutuum impensum sit. *Secundò*, ut non esset contentus solo chyrographo, neque etiam pignore, utpotè quòd in præjudicium horum locorum à solis Administratoribus sine debitis Juris solemnitatibus constitui nequit) sed requireret sibi dari Fidejussores idoneos, qui nominatim pro ipso Administratione pecuniam mutuanto in omnem casum fidejuberent.

Interim tamen etiam æquum videtur non requiri exactissimam probationem Creditoris, quòd pecunia in utilitatem Civitatis vel Ecclesiæ sit versa, quæ plerumque foret nimis difficilis: quis enim semper investigare posset, an & qualiter Administrator has vel alias pecunias impenderit? sufficiet proinde etiam minùs perfecta probatio ex conjecturis & circumstantiis arbitrio Judicis ponderanda, nimirùm quòd tunc temporis Ecclesia aliis mediis destituta ædificarit, prædia emerit, & alia similia Reduamus *de Reb. Eccles. non alien. quæst.* 66. Tenebitur quoque Ecclesia, si Prælatus vel Rector Ecclesiæ contraxit debita pro sua sustentatione, vel infirmitate: quia pro necessitate Ecclesiæ videtur contraxisse, cùm Ecclesia teneatur ipsum alere. Barb. *in Collect. ad c.* 5. *de Solution. n.* 3. ubi plures allegat.

Quòd si pecunia mutuò accepta penes Administratorem casu v. g. incendio aut furto perierit, veriùs est Ecclesiam vel Civitatem nihilominùs ad instar alterius cujuscunque mutuatarii (cui pecunia mutuata tanquam Domino perit) teneri ad solutionem, dummodò ab initio saltem pecuniam ex causa legitima Administrator susceperit: ita enim de servo & procuratore, qui in rem domini pecuniam mutuam accepit, eamque casu fortuito perdidit, ut ad tale mutuum dominus teneatur, responsum est *In l. servus* 17. *ff. De in rem verso.* Jura enim præcipuè voluerunt Ecclesiis & Civitatibus contra malitiam Administratorum, non verò adversus casus fortuitos providere. Item in aliis contractibus, qui fiunt in utilitatem utriusque, velut in Locatione, Venditione & similibus non habere locum hanc constitutionem, ut v. g. in ordine ad obtinendum pretium probet venditor mercem venditam in utilitatem civium vel Religiosorum pervenisse, tradunt DD. Innoc. & Pan. *in c.* 1. *de Depos.* Jas. *in d. l. civitas, num.* 54.

44 An autem teneatur Civitas vel Ecclesia; si Administrator cum consensu Senatus, aut civium, Prælatus cum consensu Capituli mutuum acceperit, absque ulteriori probationi Creditoris rem in Utilitatem loci conversam esse difficilis quæstio est? De Civitate communiùs affirmant cum Barth. *In d. l. civitas* & Molin. *Tom.* 2. *disput.* 300. Si modò Civitas in administratione & alienatione rerum suarum non dependat ab aliquo alio superiore Domino.

Circa Ecclesiam distinguit Panor. *in c. penul. de Fidejussoribus*, an solutio possit fieri per res mobiles, vel an debeat fieri per res immobiles, aut mobiles pretiosas alienari prohibitas? Priori casu affirmat quæstionem: posteriori negat, eò quòd alienatio rei immobilis aut mobilis pretiosæ sine evidenti utilitate, aut necessitate Ecclesiæ non concedatur, non est autem utilitas vel necessitas Ecclesiæ, si pecunia in rem ejus conversa non sit.

Sine distinctione ista simpliciter debere mutuum ab Ecclesia restitui, docet Fach. *lib.* 2. *Controv. c.* 77. argum. à contrario sensu *in d. c. penult. ubi* Gloss. *in verb. in utilitatem de Fidejuss.* & ad rationem Panormitani respondet, ipsam exsolutionem æris alieni esse justam causam rerum immobilium alienandarum. *Can. hoc jus.* 2. *in princ. ibi: excipitur si debitum urget, causa* 10. *qu.* 2.

Verùm si res accuratè ponderetur, *d. c. penult. de Fidejussoribus*, loquitur de mutuo à Religioso privato contracto; adeòque verisimiliter non in specie tantæ quantitatis, ut propterea necesse sit, res immobiles, Ecclesiæ alienare. Quòd autem dicitur ipsam exsolutionem æris alieni esse justam alienationis causam, intelligitur de debito: ad quod Ecclesia indubitanter tenetur, quale an sit, quando non probatur pecunia versa in utilitatem, adhuc in quæstione & controversia est. Accedit, quòd minor restituatur in integrum, si pecunia mutuò accepta in ejus utilitatem versa non sit, *l.* 1. *&* 2. *Cod. Si adversus creditorem*, licèt authore tutore contraxerit, *l.* 3. *Cod. Si tutor vel curator intervenerit.* Ecclesiam verò uti jure minoris constat, *ex c.* 1. *de in integrum restitutione.* Interim inficiari non possum sententiam Fach. habere plurimùm æquitatis, nec facilè damnandum Judicem, qui eam sequeretur, æquitatem rigori præferendo juxta *l. placuit.* 8. *Cod. de Jud.* plerumque enim creditor extraneus post longum tempus probare non potest, quorsum pecuniæ mutuatæ impensæ sint, præsertim si mutuum non Ipse, sed ejus Majores & antecessores dedissent. Magis etiam & rationabilius esse videtur, ut Conventus vel Capitulum (cum cujus consensu mutuum acceptum est) attendat administrationi sui Prelati, quàm alius extraneus. Redundaret quoque in non leve præjudicium Ecclesiæ, cui nemo facilè dare vellet mutuum, si ad recuperandam pecuniam tam grave onus probandi mutuanti incumberet. Ad restitutionem in integrum, quod attinet, in primis requiritur ut minor vel Ecclesia probet læsionem, *l. verum.* 51. *§. sciendum.* 3. *ff. de Minoribus, textus in d. l.* 3. *Cod. si tutor vel curator &c. ibi qua tutores malè gessisse probari possunt.* Deinde restitutio est ex causa æquitatis, arbitrabitur proinde judex, circumstantiis omnibus attentis, an major æquitas pro Ecclesia, an pro creditore milite. Vid. etiam Covar. *Var. Resol. lib.* 2. *cap.* 57. *n.* 3. Mascard. *de Probat. concl.* 1565. *à n.* 17.

Qualiter verò isti rerum alienarum Administratores transigere possint, tum qualiter pacta & transactiones obligent Successores, dicemus *in Tit. sequenti*, Vide etiam in Lib. III. *Tit. de Solutionibus in fine.*

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

SUMMARIA.

1 *Transactio est pactio de re dubia.*
2 *Post latam sententiam non valet transactio, nisi ab ea sit appellatum,*
3 *Transactio debet esse aliquo dato, aliquo retento.*
4 *De spiritualibus non potest fieri transactio, quod limitatur n.* 5.
5 *Circa bona Ecclesiastica temporalia potest fieri transactio, adhibitis tamen, ubi opus, solemnitatibus ad alienationem requisitis.*

7 Su-

7 *Super matrimonio non admittitur transactio: sed benè super sponsalibus.*
8 *Super relictis in testamente non transigitur, nisi tabulis inspectis, & quare?*
9 *Quomodo super alimentis possit transigi?*
10 *De crimine capitali transigi potest: secus in aliis criminibus publicis pœnam sanguinis non inferentibus.*
11 *Transactiones non debent regulariter rescindi: & contra transactionem juratam veniens fit infamis.*
12 *An idem sit in fide imposita?*
13 *Transactio etiam ob causam gravis læsionis non rescinditur, nisi dolus intervenerit.*
14 *Resolvitur celebris controversia de rescindenda transactione, si læsio sit ultra dimidium.*
15 *Quando Judex partes cogere possit ad transigendum?*
16 *Tutores, Administratores, aut Prælati Ecclesiarum qualiter possint transigere?*
17 *Pacta & transactiones obligant successores hæreditarios. Secus de aliis successoribus in efficio vel beneficio, si pactum sit successivum.*
18 *Pactum nomine dignitatis initum obligat successorem.*

TRansactio communiter describitur, quòd sit *de re dubia determinanda pactio non gratuita.*

1 Dico I. esse pactionem *de re dubia*: si enim fiat conventio circa rem non dubiam, vel non litigiosam, erit tantùm pactio in genere, vel permutatio, aut contractus innominatus, *facio ut facias, do ut des &c.* non verò transactio in specie, & consequenter jura de transactione loquentia in tali pacto non obtinebunt per text. & DD. *in l. 1. ff. h. tit.* Imò tametsi super re aliqua lis Adversario mota fuerit, & transactio secuta, si tamen ex post facto appareat litem tantùm fuisse calumniosam sine justa litigandi causa intentatam, transactio nulla censebitur, & si quid eo nomine datum sit, repetetur, *l. in summa, 65. §. 1. ff. de Condictione indebiti*. Similiter si transigatur post latam sententiam parte victrice ignorante se senten-
2 tiam obtinuisse (puta quia absentes Principales per procuratores litigarunt) parte verò victa id sciente, transactio non valebit, sed ad instantiam victoris proceditur ad executionem sententiæ. Mynsing. *Cent. 4. observ. 47.* Sed hoc, quod post sententiam transigi non potest, videtur potissimùm intelligendum, si ea ob neglectam vel denegatam ulteriorem appellationem in rem judicatam transierit: facit enim res judicata causam certam inter partes, tex. *in l. post rem judicatam, 11. ff. h. t.* secùs, si per appellationem legitimè interpositam continuanda sit controversia, vel ratione etiam executionis litigium aliquod movendum.

3 Dico II. in definitione transactionis, quòd sit *pactio non gratuita*: quia ad substantiam transactionis pertinet, ut fiat aliquo dato atque retento, *l. transactio 38. C. eod.* Unde distinguitur à compositione propriè dicta, quòd per hanc gratis & amicabiliter discedatur à lite; quamvis compositio in latiori significatione etiam pro transactione accipiatur.

Porrò transactio licèt regulariter de omni re litigiosa fieri possit, excipiuntur tamen certæ materiæ, tum de jure
4 Can. tum Civili. De *Jure Can.* quidem transactio super re spirituali sine labe Simoniæ fieri nequit: sed tantùm gratuita & amicabilis compositio, *cap. super eo. 7. h. tit.* Verùm id ipsum DD. communiter limitant, ut procedat, si per viam transactionis aliquid temporale datur vel re-
5 tineatur pro re spirituali, valere autem transactionem & nullam fieri seu committi simoniam sentiunt, si res spiritualis compensetur largitione vel cessione alterius rei aut juris proportionati, v. g. si inter litigantes decima controversæ pro medietate dividantur, si Religiosi pro jure decimandi se obligent ad faciendas conciones, vel administranda Sacramenta in certa Ecclesia. DD. *ad d.*
6 *cap. super eo.* Circa bona autem Ecclesiastica temporalia valet quidem transactio, sed ita, ut si propter eam debeat deveniri ad alienationem alicujus rei immobilis aut mobilis pretiosæ, solemnitates ad alienationem requisitæ necessariò adhibendæ sint; juxtà eam tamen moderationem, quæ traditur *in Lib. III. in tit. de Rebus Eccl.* 7
alienandis. In causa etiam matrimoniali, si de nullitate matrimonii agatur, nulla admittitur transactio, sed expectanda est Judicis Ecclesiastici sententia; cùm non sit in potestate partium in matrimonio nullo perseverare, vel ab eo recedere, *cap. ult. h. tit.* Aliud est in sponsalibus de futuro, quando ab una parte negantur, ab altera asseruntur: tunc enim super illis valet transactio, per quam vel ratificentur sponsalia, vel ab illis discedatur, cùm ex libero consensu aut dissensu partium dependeat, supposito quòd de cætero nullum subexistat matrimonii impedimentum.

De *Jure Civili* inprimis super re testamento relicta 8
aliter transigi non potest, quàm inspectis cognitisque testamenti tabulis, eò quòd ejusmodi transactiones sint captiosæ, & facilè aliquis inducatur, ut modico præsente contentus magna relicta sive legata, utpote alieno labore parta & inexpectatò advenientia facilè repudiet *l. cùm hi 8. ff. hoc tit.* Accedit, quòd publicè privatimque intersit, ne ultimæ voluntates testantium depereant, sed quoad fieri potest, conserventur, *l. 1. Cod. de SS. Ecclesiis.* Quare specialiter etiam circa alimenta in testa- 9
mento relicta statutum est in *d. l. 8.* ut de iis sine authoritate prætoris transigi non possit. Quia tamen in alimentis specialiter consideratur eorum favor & grave damnum, quod imminere posset alimentando ex eorum subtractione, ideò prædicta constitutio tantùm intelligitur, ut super alimentis in futurum transigi non possit; possit autem super præteritis, quòd hæc non ampliùs veniant nomine alimentorum: cùm is, cui relicta sunt, hactenus aliunde alitus supponatur, sed cedunt in purum & simplex debitum, *l. de alimentis, 8. Cod. hoc tit.* Item & de alimentis, quæ aliquis sibi inter vivos constituit, rectè transigitur: cessat enim tunc favor testamentorum & præsumptio captationis, censetur enim aliquis æquè benè sibi in transactione quàm acquisitione prospecturus. *d. l. cùm hi. ff. eod.*

Prætereà de eodem Jure civili transigere quidem de 10
crimine capitali permissum est; quia licet unicuique proprium sanguinem quovis modo redimere. Et transigens magis ob declinandum gravissimum periculum, quod ipsi etiam innocenti ex falsis & subornatis probationibus, carcere, tormentis, &c. imminere potest, quàm conscientia facinoris transigere censetur, *l. transigere 18. Cod. h. tit.* In aliis tamen criminibus publicis pœnam sanguinis non irrogantibus transactio non conceditur, *d. l. transigere.* Et quidem etiam in ipsis delictis capitalibus transactio quoad unum accusatorem prodest, quoad alios non prodest, quò minùs novam accusationem instituere possint. Imò tacente omni accusatore, si indicia appareant, Judex ex officio super commisso crimine inquirere poterit, *l. C. de Abolitionib.* Fach. *lib. 1. Controv. c. 9. circa fin.* Quòd si quis in aliquo judicio famoso etiam ex privato delicto, v. g. furti, injuriarum descendente transigat post litem contestatam, censetur confiteri crimen, & notatur infamia *l. 4. §. fin. cum leg. seq. ff. de his, qui notantur infamia.* secùs, si ante litem contestatam: tunc enim creditur magis facere ad vexam litis redimendam, quàm ex proprii delicti confessione. Is quoque infamiam non incurrit, qui transigit in actione quidem famosa, sed quæ ex contractu v. g. depositi, tutelæ, mandati vel pro socio oritur: quia in his transactio super contractu principaliter fieri intelligitur, quamvis Reus conventus de dolo commisso arguatur: *§. penult. Instit. de Pœna temerè litigantium l. in actionibus 7. ff. de his qui notantur infamia.*

Cæterùm si transactio omnibus requisitis concurren- 11
tibus perfecta sit, semper quàm firmissimè est observanda; quia valde curandum, ne lites transactione sopitæ resuscitentur. Quare transactio non minorem vim quàm res judicata habere, nec Imperiali rescripto aut alio prætextu rescindi debere dicitur *in l. causas 16. in L. non minorem 20. & l. sub prætextu 39. Cod. hoc tit.* Id quod adhuc magis procedit, si transactioni juramentum accesserit: notabilis enim est constitutio *in l. si quis major 41. Cod. eod.* quòd major 25. annis veniens contra transactionem juratam Judicem interpellando vel supplicando Principi, vel implendo promissa per talem conventionem reddatur infamis, & privetur rerum ex trans-

actio-

actione acceptarum proprietate, quæ patti adversæ
12 transactionem servanti applicatur. Eandem constitutionem non tantùm in juramento propriè dicto, sed etiam in sola fide interposita (sicur in Germania præsertim à personis illustribus fieri solet, ut per fidem suæ nobilitatis promittant) procedere sentit Glossa fin. *in cap. provenit 2. de Fidejussoribus*, eò quòd juramentum, & fides interposita maximè à personis illustribus æquiparentur. Quam sententiam in Camera receptam esse testatur Andr. Gail. *Lib. 2. Pract. Observ. 59.* Alii tamen fermè probabiliùs cum Covarr. *de Pactis parte 1. §. 2. num. 3.* fidem interpositam & juramentum distinguunt, negantes in pœnalibus (quæ sunt strictæ interpretationis nec ultra casus expressos extendenda, vulgato *cap. odia 15. de Reg. Jur. in 6.*) de uno ad alterum fieri argumentationem & conclusionem. imò non desunt, qui putent, hanc legem utpote valde severam in praxi, maximè in foro Can, non esse receptam.

13 Quæres I. An contra transactionem saltem ob causam gravis læsionis venire liceat? Inter omnes convenit, quòd propter læsionem etiam gravem, sed quæ non sit ultra dimidiam partem justæ æstimationis, nec dolo formali facta, in nullo contractu, minùs in transactione, quantùm ad forum externum (in interno enim quævis læsio debet compensari) detur actio, ne quotidie nuvæ lites oriantur, & omnes contractus passim impugnentur. Dico propter læsionem sine dolo formali factam non dari actionem, propter læsionem etiam gravem, quæ præter propositum contrahentium re ipsa concurrit. Sin autem dolus formalis sive ex proposito interveniat, puta si Adversarius meus instrumenta, quibus causam probare potuissem, mihi clam subtraxerit, & ita me ad transigendum coegerit, de dolo actio competet. *L. sub prætextu 19. Cod. hoc tit.*

14 Celebris autem est controversia, an si sine dolo in transactiona læsio ultra dimidium intervenerit, ea perinde rescindi possit, quàm venditio, in qua venditor ultra dimidiam partem justi pretii deceptus est, juxta *L. 2. Cod. de Rescindat. vend.* Pro negativa fortissimè stringit text. *in L. Lucius 78. §. ult. ff. ad S. C. Trebellianum*, ubi negatur rescissio transactionis super fidei commisso factæ, etiamsi ex instrumentis postea appareat quadruplo plus in hæreditate fuisse, cui adstipulatur. *d. L. sub prætextu 19. & 29. Cod. hoc tit. L. à divo Pio 15. §. pignora 3. 3. ff. de re judicata* & plures aliæ, quas refert Fachinæus *lib. 2. Controv. cap. 6.* E contra pro affirmativa facit dicta *l. in summa 65. §. 1. ff. de Condictione indebiti*, ubi propter immodicam læsionem aut evidentem calumniam permittitur quis adversùs transactionem venire.

Sententia negativa fermè pluribus juris textibus & DD. calculis munita est. Nihilominùs tamen cum Fach. *d. loc.* sententia affirmativa videtur magis tenenda; quia æquitati naturali, ne quis cum alterius jactura locupleretur, & justitiæ commutativæ, quæ æqualitatem inter contrahentes desiderat, est conformior, præsertim si de Jure Can. loquamur, quod ubique maximè circa forum internum æquitatem attendit, & etiam de Jure Civili in omnibus rebus præcipuam esse debere justitiæ & æquitatis, quàm stricti Juris rationem, statuerunt Imperatores *in l. placuit 8. Cod. de Judiciis*. Interim tamen notandum est, in æstimatione læsionis debere haberi considerationem dubii litis eventus; unde rarissimè continget, ut pars, quæ se prætendit læsam ex transactione, possit probare læsionem ultra dimidium, quia cùm transactio debeat fieri super re dubia & litigiosa, propter incertitudinem victoriæ potuisset forsan in Judicio minus vel etiam nihil consequi, ut monet Fach. *cit. loc.* Ad LL. contrarias superiùs allegatas dici potest, eas non loqui expressè, nec etiam *in d. l.* de casu læsionis ultra dimidium, ideòque nec illuc extendendas; & in *l. Lucius*, quæ maximè pro altera sententia stringit, ponit quidem J. C. casum, quo quadruplo ampliùs in hæreditate fuit, quàm ab initio expressum; sed non explicat, quòd nomen transactionis datum vel retentum sit, quàm dubius tunc temporis fuerit illius litis eventus. Quòd verò dicitur transactionem habere vim juramenti, sententiæ, vel rei judicatæ, contra quod non est remedium, ut argumentatur Gail. *lib. 2. pract. observ. 10.* Responderi potest, retorquendo argumentum, quòd contra hæc omnia sit ex causa magnæ iniquitatis remedium, ergo etiam contra transactionem. Contra juramentum quidem, quod quia non debet esse vinculum iniquitatis, & non extenditur ad non prævisa seu præcogitata, retractatur ex causa perjurii. Contra sententiam est notum remedium appellationis. Contra rem judicatam exceptio, si modus in exequendo excedatur. Item si sententia dicatur nulla ob causam manifesti erroris aut aliam. Si tamen læsionis probatio in continenti fieri non posset, sed requireret altiorem & longiorem indaginem, non malè faceret Judex priorem sententiam amplectendo, ne lis ex lite cum magno damno & sumptu suscitaretur.

Q. II. An & quando judex cogere vel inducere possit par- 15
tes litigantes ad transactionem?

Respond. Satis receptum esse, quòd ad officium quidem Judicis pertineat adlaborare, ut partes inter se transigant, aut amicabiliter componant, ne lites cum maximis earum expensis atque offensionibus protelentur, absolutè tamen ad transactionem cogere non possit, sicut regulariter nemo invitus contrahere aut jure suo privari potest, *l. invitum, 11. Cod. de Contrahenda emptione l. id quod nostrum 11. ff. de Reg. Jur.* Sunt tamen DD. qui in causa valde intricata & diu durante volunt, Judicem per media compulsorialia posse partes adigere ad transactionem *arg. cap. placuit 9. dist. 90.* Panorm. *in cap. cùm inter de Elect. num. 9.* Barbos. *de Officio Episcopi, parte 3. alleg. 79. numer. 9.* qua tamen in re repetenda sunt ea, quæ *suprà in tit. de Officio Judicis* tradidimus. Sed nunquid poterit judex suadere transactionem, si alterutrius partis Jura sint clara?

Respond. Negativè, ne videatur de jure unius dare alteri sine causa; cùm cuique dare debeat, quod suum est. Limitatur, nisi aliæ circumstantiæ aliud suadentes concurrerent: ut si partis condemnatæ appellatio sumptuosa (quamvis fortè frivola) vel novæ lites aut difficultates circa executionem sententiæ timerentur. Panorm. *in cap. fin. hoc tit. num. 7.*

Q. III. An & qualiter Tutores, Curatores, Eccle- 16
siarum, vel aliorum locorum Administratores, aut Prælati in rebus alienis suæ curæ commissis transigere valeant?

Respond. Cùm transactio sit species alienationis, qua vel jus vel rem nobis competentem, aut quam credimus competere, dimittimus *arg. l. 1. §. utrum 6. juncto §. 9. ff. Si quid in fraudem*. Ideòque hæc quæstio ab ea dependet, an & qualem personæ enumeratæ in rerum suæ curæ commissarum alienationibus potestatem habeant? Et sicut Tutores ac Curatores bona immobilia & alia servando servabilia suorum pupillorum sine decreto Magistratus alienare non possunt, nec Prælati bona immobilia aut mobilia pretiosa suarum Ecclesiarum sine debitis solemnitatibus, ita nec super his transigere. Videatur Gail. *lib. 2. observ. 72.*

Q. IV. An pacta & transactiones obligent etiam succes- 17
sores?

Respond. Distinguendo inter successorem hæreditarium & successorem ex officio: nam ille, qui jure hæreditario succedit, dubio procul contra factum defuncti cæteroquin validum venire & pactum vel transactionem tollere non potest, quia hæres succedit in omnia jura defuncti tam activa, quàm passiva. Successor autem in dignitate vel officio regulariter non aliter tenebitur stare pacto vel transactioni sui antecessoris, quando exinde sibi vel Ecclesiæ præjudicium generatur, quàm si pactum illud cum authoritate superioris factum sit: res enim inter alios acta aliis obesse non debet. Neque hic successor habet causam vel titulum à suo antecessore, sicut hæres, sed à collatione aut institutione collatoris seu superioris. Unde si v. g. Beneficiatus alteri censum annuum in suo beneficio sine consensu Episcopi constituat, ipse quidem in vita sua obligabitur, non verò etiam successor ejus. *Cap. de cætero 5. hoc tit.* Item si cum parocho super decimis fiat aliqua compositio sine authoritate Episcopi, ea personalis tantùm; non realis nec in successorem transitoria censebitur. *Cap. venien. 8. eod. tit.* locationem quoque à prædecessore factam à successore, etiam nondum elapso locationis tempore

revo-

revocare posse, docet Covar. *Var. Resol. lib.* 2. c. 15. *num.* 6. Sed hoc intelligendum videtur, si sit pactum successivum, quod etiam successorem ad aliquid de facto præstandum vel tolerandum onerarer: secus, si simul & semel expeditum, sicut in alienatione rei, quæ potest sine solemnitate alienari: nam tunc statim transfertur dominium & succedit regula, *quod nostrum est, ampliùs sine facto nostro nobis auferri non potest*. Item quòd Princeps, qui superiorem non recognoscit, si nomine dignitatis faciat pactum, id etiam successorem obliget, tradit Panorm. *in c.* 1. *de Probat. num.* 1. Barbos. *ibi num.* 7.

TITULUS XXXVII.

De Postulando.

SUMMARIA.

1 *Quid sit postulare?*
2 *Postulantes alieno nomine sunt Advocati.*
3 *Advocatus debet aliquando gratis advocare.*
4 *Qui postulare non possint?*
5 *Clerici postulare prohibentur in judicio sæculari: & Religiosi absolutè nisi de licentia speciali sui Prælati.*
6 *Quænam sint personæ conjunctæ, pro quibus Clerici postulare possunt?*
7 *Clerici quibuscunque dare possunt consilia.*
8 *In advocatos non passim recipiuntur, nisi in Jure versati & graduati.*
9 *Advocati ab injuriis debent abstinere.*
10 *Prohibetur eis pacisci de quota litis; non de salario: & quæ ratio differentiæ.*
11 *Exponitur text.* In L. per diversas, C. Mandati *circa redemptiones alienarum litium.*

1 IN hoc titulo notandum est I. quòd *postulare* sit desiderium suum vel sui amici, cujus negotium geritur, in judicio exponere, vel alterius desiderio contradicere, nam & qui contradicit, postulat aliquid, nimirum ut à petitione, quam Adversarius intentavit, absolvatur. *L.* 1. *§.* 2. *ff. hoc tit.*

2 Notandum est II. quòd postulantes alieno nomine *Advocati* dicantur, quos aliquando litigantes sibi ipsis constituunt, aliquando iis constituunt, aliquando iis petentibus, vel etiam ex officio Magistratus ordinarius decernit, veluti si partes principales propter impedimentum juris aut facti per se ipsas postulare, vel propter notoriam egestatem Advocatum acquirere non possint. *L.* 1. *§. ait prætor.* 4. *ff. eod.*

3 Not. est III. quamvis Advocati non teneantur gratis litigare, & servitium suum alteri impendere, si tamen tenuiores sint litigantes, quàm ut sumptus suppeditare valeant, potest judex ex officio (ut dictum) aliquem advocatum deputare, isque gratis advocare debebit, & poterit ad hoc compelli sub pœna pecuniaria, & etiam privationis officii, per text. in *L. providendum* 7. *C. hoc t.* prout Medicus ægrum pauperem gratis curare & præmium à Deo expectare debebit. Sed & illud hoc loco observandum, quod Advocatus, aut hæres ejus totius anni salarium exigere possit, si per eum non steterit, quò minùs officium suum exhiberet, vel æger in initio aut medio anni mortuus sit. *L. post duos* 15. *§. his quoque Cod. de Advocatis.*

4 Not. IV. præter eos, qui Jure civili à postulando prohibentur, uti sunt minores, surdi (qui jussus Magistratus exaudire non possunt, intelligendo, quòd secundùm stylum Judicii postulatio debeat verbaliter & præsentialiter fieri) fœminæ, quarum verecundiæ non convenit virilia officia subire, aut alienam defensionem suscipere, infames & cæteri, qui enarrantur *in tit. ff. & Cod. h. t.*

5 Insuper de Jure Can. interdictum est Clericis etiam in minoribus ordinibus constitutis, si stipendiis Ecclesiasticis sustententur, ne in sæcularibus negotiis aut coram sæculari judice postulare præsumant, nisi pro se aut pro sua Ecclesia vel pro conjunctis aut miserabilibus personis *cap.* 1. *h. t.* Religiosis verò nequidem pro utilitate sui monasterii aliter postulare permissum est, quàm si specialem licentiam Abbatis obtinuerit, *c.* 2. *eod.* cum hac tamen licentia non tantùm pro ipso monasterio, sed etiam pro amicis monasterii justa aliqua de causa etiam in foro sæculari regulares postulare posse, tradit Barbos. *ad dict. c.* 2. *n.* 2. cum Innoc. *in c.* 22. *de Sent. & re judicata.*

Not. V. Quia Clericis tantùm prohibitum est, ne in foro sæculari postulent, ideò à contrario sensu in foro Ecclesiastico non tantùm pro se, sed etiam pro aliis extraneis postulare posse, communiter innuunt DD. idque consuetudine Curiæ Romanæ receptum esse testatur idem Barb. *ad c.* 1. *h. t. num.* 7.

Not. VI. Appellatione conjunctarum personarum, pro 6 quibus Clerici in foro etiam sæculari postulare possunt, secundùm probabiliorem sententiam non venire nisi conjunctas conjunctione sanguinis, non verò conjunctione affectionis. Unde quamvis appellatione fratris quandoque intelligatur amicus fraterna charitate dilectus *l. nemo dubitat* 58. *§.* 1. *ff. de Hæredibus instituendis*, & favores ampliandi videantur: id tamen procedit, nisi per talem extensionem sequatur vel saltem facilè sequi possit notabilis inconvenientia, nimirum ut Clerici sub prætextu amicitiæ pro quibuslibet postulent & se sæcularibus litibus immiscendo à divinis abstrahantur. Verùm licèt Clerici non 7 possint more Advocatorum agere causas in judicio sæculari, ad se vel suos non pertinentes, possunt tamen facere & dare partibus consilia: quia consulentes non veniunt nomine Advocatorum, cùm nihil in judicio postulent, nec lites per se exerceant. Text. & Barth. in *L.* 1. *§. Advocatos* 11. *ff. de Variis & extraordinariis cognitionibus.* Panorm. *in rubr. hoc tit. num.* 2.

Not. VII. Circa Advocatos debere Judicem aliqua at- 8 tendere: nimirum:

I. Ne advocationis officio se ingerant, qui in jure periti non sunt; imò hodie ex Recessibus Imperii & consuetudine generali omnium ferè majorum Tribunalium non permittuntur advocare, nisi qui gradum saltem Licentiæ in Jure & specialiter facultatem advocandi à Judice obtinuerint. Indeque in multis locis belli partium non recipiuntur, nisi ab aliquo Advocato recepto subscripti sint, ne quibuslibet concedatur libellos, & scripturas facere, qui fortè justitiam causæ ob imperitiam vel malitiam non expendunt.

II. Ne peritissimi Advocati ab una stent parte, sed ut æqualiter utrinque distribuantur, ne alterutra pars ob inopiam boni Patroni succumbat *d. l. providendum* 7. *C. h t.*

III. Ne Advocati conviciis se invicem onerent, famo- 9 sas scripturas conficiant; in quo si excesserint pœna pecuniaria secundùm arbitrium Judicis & qualitatem excessus puniantur, *l. quisquis* 6. *§.* 1. *C. eod.* Et si (quod nonnunquam imprudentiores solent) in ipsum Judicem injurias effuderint ab eodem taliter injuriato puniri possunt arg. *c.* 1. *de Pœnis, in* 6. *& l. nullum* 14. *C. de Test.*

IV. Ne Advocati de quota litis, id est, certa parte in ca- 10 sum victoriæ sibi attribuenda paciscantur, & multò magis ne alienas lites redimant, id est, ne causas litigiosas emant, aut quocunque modo sibi acquirant; & sic dubias & intrincatas actiones à Principalibus fortè nunquam intentandas ipsi suscitent, & pacem inter homines perturbent, *L. si qui* 5. *Cod. hoc tit.*

Sed cur licet pacisci de salario, & non de quota litis? 11 Respond. propter majus periculum promovendi calumniosas lites, quia si paciscens de quota litis non obtinuerit victoriam, nihil habebit, salarium autem debetur Advocato sive vincenti, sive victo. Circa redemptiones alienarum litium est notabilis constitutio *l. per diversas* 22. *& seq. C. Mandati*, quòd reus debitor, si perdiderit causam, quam alius emit, non teneatur plus solvere emptori litis, quàm is pro pretio dedit venditori, sive vero creditori; solent autem tales causæ litigiosæ propter dubium litis eventum minimo pretio emi. Excipitur tamen ibidem simplex & gratuita actionis litigiosæ donatio, dummodò nil in fraudem litis attentetur, ut scilicet simulata donatione externa clam verus emptionis contractus celebretur.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

SUMMARIA.

1 *Quid sit Procurator? Estque alius judicialis, alius extrajudicialis.*
2 *Advocati solent simul constitui Procuratores.*
3 *Quinam sint Procuratores in rem suam?*
4 *Dare Procuratores Domini rei, de qua agitur, non tutores, curatores vel Syndici ante litem contestatam: sed benè post.*
5 *Minores mente capti, excommunicati ad agendum non possunt dare Procuratorem.*
6 *Procuratores dari non possunt, mulieres, milites, potentes, redemptores aliarum litium.*
7 *De Jure Canon. infames Procuratores esse non possunt, & si secus sit de Jure Civilis.*
8 *Nec Religiosi sine licentia Prælati, nec minores 25. annis.*
9 *Procurator ad litem post litem contestatam, & Procurator ad negotia quandocunque alium sibi potest substituere, extra causam matrimonii contrahendi.*
10 *Idem quod in matrimonio in aliis gravioribus causis obtinet.*
11 *Procurator in judicio debet exhibere mandatum à suo principali, exceptis quibusdam casibus.*
12 *Procurator, seu defensor rei, quomodo sine mandato admittatur.*
13 *In quibusdam causis & articulis non sufficit generale mandatum.*
14 *Limitatur, quando datum est mandatum* cum libera.
15 *Littera Credentiales in quantum obligent scribentem.*
16 *Gesta per falsum Procuratorem sunt irrita, nisi ante sententiam ratificentur.*
17 *Negligentia Procuratoris nocent Domino, ita tamen ut Procurator maneat obligatus Domino ad interesse.*
18 *Quomodò cesses officium Procuratoris per revocationem.*
19 *Morte mandantis finitur mandatum re integra: secus re non integra.*
20 *Fallit tamen hac regula certis in casibus hic enumeratis, & in specie in mandato ad pias causas, ut num. 21.*
21 *Per mortem Procuratoris etiam expirat mandatum: item per ejus renunciationem.*

1 P*Rocurator est*, qui aliena negotia mandato Domini administrat, estque alius Procurator *extrajudicialis*, qui Procurator ad negotia, & alius *judicialis*, qui Procurator ad lites dicitur. Differt autem *procurator ad lites à Postulatore sive Advocato*, quòd Advocatus solummodò jus, & causæ merita alleget, Procurator verò personam principalis actoris, vel rei subeat, sumptus litis suppeditet, pro Principali in judicio compareat, sententiam excipiar, & reliqua, quæ ad instructionem seu prosecutiona causæ maximè ex facto pertinent, ipse peragat. Hodie tamen plerumque Advocati solent simul
2 constitui Procuratores; quia faciliùs est partibus, tum ad sumptus, tum ad alias incommoditates vitandas eundem habere Procuratorem & Advocatum, sicut in Camera Spitensi receptum esse testatur Gaillius *Lib. 1. Observ. 44. num. 8.*

Portò ex Procuratotibus aliqui dicuntur in *rem suam*
3 constituti, quo nomine intelligunt illi, qui aliquam obligationem, debitum, aut actionem liquidam (non litigiosam, nisi fortè ex divisione hæreditatis, vel immissione in possessionem bonorum sibi obtingentem *l. per diversas 22. C. Mandati*) emerunt, aut quoquo modo sibi compararunt. Cum enim per cessionem rantùm utiles actiones transeant, directæ verò penes cedentem maneant, talis cessionatius non propriè Dominus dici potest, sed Procuratot, cum addito tameu, *in rem suam* (quod enim obtinuerint, ipsi acquiritur) appellatur. Circa Procuratores tam *judiciales*, quàm *extrajudiciales* aliqua pro usu quotidiano breviter notanda sunt.

Not. igitur I. Quòd dare Procuratores omnes possint, 4
qui Domini sunt rei, de qua aliàs agitur, & aliàs facultatem habent illam administtandi. Unde è contrario Syndici universitatis, Tutores & Curatores non Procuratorem judicialem, sed actorem, & Advocatum tantùm constituere debent usque post litem contestaram: tunc autem utpote Domini litis effecti ad exemplum aliorum Procuratorum alium Procuratorem rectè substituere possunt *l. neque tutores 11. C. hoc tit.* Item Pupilli, 5
Minores, Furiosi, mente capti & similes, licet domini sint, quia tamen rerum suarum administrationem non habent, Procuratorem constituere non possunt. Excommunicatus etiam, quia agere non potest, Procuratorem ad agendum non rectè constituit, *cap. fin. hoc tit.* cùm tamen conventus ab alio defendere se possit *cap. dilecti 8. de Except.* ideò Procuratorem ad defendendum non prohibetur. Quòd si universitatis alicujus civitatis, vel collegii Rectores vel Jurati sint excommunicati, nihilominus poterunt reliqui de universitate ipsius universitatis nomine dare Procuratorem, dummodò ipsi excommunicati in litteris procuratoriis expressi non sint, vel ipsorum authoritate instutio non fiat *d. cap. fin hoc tit.*

Not. II. Quod dari procuratores *ad negotia* generaliter possint omnes, qui sunt capaces illius negotii exequendi. Ad *lites* autem aliqui specialiter prohibentur, ut.

I. De Jure Civili mulieres, quæ propter beneficium Se- 6
natusConsulti Vellejani pro aliis efficaciter intercedere non possunt *l. alienam 18. C. hoc tit.*

II. Milites, ne à castris abstrahantur, *leg. 7. Codic eod.*

III. Potentiores, qui propter suam potentiam formi- 7
dolosi sunt Adversario, *tit. Cod. Ne potentiores.*

IV. Redemptores alienarum litium, *l. 15. Cod. hoc tit.* Non tamen infames, estò postulare non possint, quia postulario est dignitas quædam, procuratio autem vilius officium *§. fin. Instit. de Exceptionibus* de Jure Can. tamen infamis pro clerico non potest dari Procurator, sed pro laicis. Panorm. *in cap. imperatorum 4. num. 9. de Juramento calumnia c. 1. & 2. causa 3. quæst. 7.*

V. de Jure Canon. Religiosus sine licentia Prælati 8
non potest dari Procuratot, ne quidem pro Religioso sui vel alterius monasterii, nisi pro suo in eadem lite consorte. Unde tametsi, qui Religiosum Procuratorem constituit, eidem det licentiam vel per se tractandi, vel alium substituendi, nihilominos Religiosus sine licentia Prælati tale mandatum suscipere non potest. *Clem. 3. hoc tit.*

VI. Quidquid sit de Jure Civili, an major 17. annis possit dari Procurator ad lites, prout disputant Interpretes ad §. *eadem lege 4. Institut. Quibus ex causis manumittere non liceat* de Jure Canon. est certum, quòd minor 25. annis Procurator non possit dari, *cap. qui generaliter 5. in fin. hoc tit. in 6.* ne scilicet propter beneficium restitutionis in integrum elusorium reddatur judicium *l. minor 51. ff. eod. tit.* Cæterùm illud de eodem jure Canon. expressum est, quò Procurator generaliter datus ad negotia etiam in judicio agere possit. Exceptis his, quæ speciale mandatum requiruot, *d. cap. qui generaliter.*

Not. III. Quòd quamvis Procurator *Judicialis*, ante- 9
quàm per litis contestationem fiat Dominus litis, alium substituera non possit, nisi sit Procuratot *in rem suam*, vel à Domino substituendi potestatem acceperit; Procuratores tamen ad negotia possint liberè quandocunque
alium substituere, *cap. 1. §. licet hoc tit. in 6.* Excipitur 10
tamen Procurator ad mattimonium contrahendum, qui propter magnum mattimonii præjudicium sine speciali mandato Principalis sui alium substituere non potest *c. fin. eod. tit. in 6.* Licèt verò in hoc *c. fin.* tantùm causa mattimonialis excipiatur, paritas tamen & æquitas rationis idem suadere videtur in aliis quoque negotiis magni momenti, & ubi de gravi præjudicio agitur, tunc enim censebitur in Procuratore electa industria personæ, & pro-

& proinde substitutioni locus haud erit, ut dicit Menoch. *de Præsumpt. præs.* 38.

11 Not. IV. quòd Procurator *Judicialis*, antequam admittatur ad agendum, debeat suum mandatum, per quod constitutus procurator sit, exhibere. Sunt tamen certi casus, in quibus mandatum præsumitur, saltem eatenus, ut sufficiat, si procurator cautionem de rato præstet, hoc est, assecurationem faciat, Principalem totum, quod gerendum est, ratum habiturum, idque tunc maximè procedit, si Principalis longè sit absens, & negotium celerem expeditionem desideret. Casus autem tales sunt. I. In quo præsumitur mandatum ex conjunctione sanguinis *l. sed, & hæ* 35. *ff. hoc tit.* II. si constet Dominum esse præsentem neque contradicere procuratori, *l. qui patitur* 18. *ff. mandati*. III. in marito agente in rebus uxoris *l. maritus* 21. *Cod. hoc tit.* IV. si quis instrumenta habeat
12 ad causam pertinentia. V. Etiam procurator Rei sive Defensor etiam sine mandato admittitur, dummodò præter cautionem de rato insuper caveat *judicatum solvi*, idest, promittat per fidejussores vel pignora se soluturum in casum condemnationis, quod per sententiam pronunciatum fuerit: quia faciliùs admittitur procurator ad defendendum, quàm agendum, cùm defendere sit necessitatis, agere voluntatis *arg. l. servum.* 33. *§.* 2. *ff. hoc tit.* Verùm in
13 certis negotiis & causæ articulis majoris momenti & præjudicii, ut in delatione juramenti, item in juramento in animam Domini præstando, in petitione restitutionis in integrum, in transactione & similibus, non sufficit aliquem generaliter esse constitutum procuratorem, & multò minùs in istis mandatum præsumitur, quantumvis persona conjuncta sit. Imò tametsi dixerit Principalis: *Constituo te Procuratorem etiam in iis, quæ speciale mandatum requiruntur*, nihilominus hæc clau-
14 sula adhuc nimis generalis est, & procedit regula, quòd *in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter non fuisset in specie concessurus*. Quòd si autem insuper quædam in specie expresserit, tunc procurator minora quidem poterit, majora verò non poterit, *cap. qui ad agendum* 4. *hoc t. in* 6. Limitatio tamen communis ponitur, nisi mandatum generale fiat cum potestate plena ac libera, quale mandatum sit clausulatum habens procurator *cum libera* vocatur, atque ea etiam, quæ aliàs speciale mandatum requirunt, regulariter facere potest, nisi valdè ardui præjudicii sint, de quibus probabiliter non fuit cogitatum tempore mandati; sicut etiam talis procurator donare res principalis non potest *d. cap. qui ad agendum in fin. l. filiusfamil.* 7. *in pr. ff. de Donat.* Tex. & DD. *in l. procurator cui generaliter* 58. *ff. hoc tit.* Garc.
15 *de Ben. p.* 5. *c.* 8. *num.* 72. Hoc apponi potest, quod in simili docet Bartol. *in l. Lucius ff. de Fidejussoribus*; quòd litteræ credentiales (quæ dari solent Legati & etiam procuratoribus à magnis Dominis missis) in quibus generatim continetur, ut offerenti eas plena fides habeatur, non obligent in omnibus, & per omnia ipsum scribentem, si procurator vel Legatus aliqua præter vel contra mandatum dixerit aut egerit; secus verò si fides litteris habenda magis specificata sit, v. g. *latori huic plenè à me informato habebis omnem fidem, vel fidem ei habebis in omnibus meo periculo &c.*

16 Not. V. quamvis gesta in Judicio per falsum procuratorem, id est, non habentem legitimum mandatum, vel non legitimè constitutum, ipso jura irrita sint *l. licet* 24. *Codic. hoc tit. cap. in nostra* 4. *eod.* si tamen ante sententiam definitivam dominus ea rata habuerit, retrotrahetur hæc ratihabitio, & fictione juris censebuntur omnia ab initio valuisse: ratihabitio enim mandato comparatur.

17 Not. VI. quòd negligentia procuratoris noceat Domino: sibi enim imputare debet, qui negligentem procuratorem constituit; sed id verum est quoad adversarium, ut causa per negligentiam procuratoris perdita, maneat perdita, non verò quoad ipsum procuratorem, à quo per actionem mandati Dominus sua consequi possit. Si autem procurator solvendo non sit, tunc ex æquitate Domino petenti in integrum restitutio conceditur, si nulla ei culpa possit imputari, quòd negligenti procuratori non meliùs invigilarit; idque ex generali clausula Prætoris, ut docet Gail. *Lib.* 4. *Obser.* 45. Circa Advocatos constitutum est, quod illorum error non noceat parti principali, nisi præsens fuerit & intra triduum non contradixerit, vel debito tempore non appellaverit *toto tit. C. de Errore advoc.*

Not. VII. quòd officium procuratoris expiret in pri- 18
mis per revocationem principalis factam re integra, & quidem ante litis contestationem dominus procuratorem etiam sine causa; post litem verò contestatam non aliter, quàm ex legitima causa revocare potest *cap.* 2. *hoc tit. in* 6. *L. post litem* 17. *cum seqq. ff. hoc tit.* Unde si post litis contestationem fiat revocatio, necesse est, ut judex de causa cognoscat, & procuratorem revocandum citet & audiat, num fortè ipsius intersit non revocari mandatum. Potest autem interesse procuratoris propter expensas in litem factas, quas ei Principalis refundere tenetur, tametsi causa, sine culpa tamen procuratoris, malum exitum sortita sit, Barbos. DD. *in cap. cum pro causa* 6. *hoc tit.* vel quia ipsi tota aut pars actionis cessa est; vel quis ob revocationem periculum famæ patietur; propter salarium autem regulariter interesse non potest: quia mandatum de sua natura est contractus gratuitus nisi Dominus velit remunerationem voluntariam facere. Si fiat pactio de mercede vel salario, potest quidem interesse, sed tunc magis erit operarum locatio, quàm simplex mandatum procuratorium, *§. fin. Instit. de Mandato*, *l.* 6. *in princ. ff. eod.* Causa verò revocationis potissima est suspicio collusionis v. g. propter affinitatem, vel singularem amicitiam cum adversario supervenientem, aut negligens vel morosa prosecutio. Imò cùm mandatum de sua natura potiùs onerosum, quàm lucrosum sit, hoc ipso suspicio contra procuratorem oritur, si id deponere post revocationem sine legitima causa tenuat *l. quæ omnia* 25. *ff. hoc tit.* Gloss. *in cap. mandato* 13. *Verbo revocato eod.*

Quòd si procurator, dum negotium Principalis ageret, casu fortuito velut per latrones, res suas amiserit, Dominum non teneri, docet Panorm. *in c. cùm pro causa* 6. *h. t.* Sylv. *Verb. Procurat. vers. sed nota Text. in L. inter causa* 26. *§. non omnia* 6. *ff. Mandati*. Non obstat regula: *quòd officium suum nemini debeat esse damnosum*: quia intelligitur quoad damnum directè ex officio, non ab extrinseco proveniens, prout in simili; quamvis res commodata non fuisset peritura casu fortuito apud commodantem, nisi eam commodasset, non tamen propterea commodatarius ad restitutionem hujus damni obligatur. Præterea hic subnotandum, quòd procurator, qui ignorat revocationem factam (forsan quia litteras revocatorias non accepit) validè procedat in negotio (excepto matrimonio) *c. auditus* 8. *h. t. c. fin. eod. in* 6. Imò tenet Judicium actum cum procuratore revocato, si revocatio soli quidem procuratori, non etiam Judici ad adversario innotuerit, sibique imputabit Principalis, quòd de revocatione Judicem vel Adversarium non certioravit *c. mandato* 3. *h. t.* Gloss. *ibid. in verb. revocato, &c. quamvis* 2. *revocari eod. in* 6.

Not. VIII. mandatum etiam morte mandantis solvi, 19
re integra, antequàm negotium inchoatum, vel lis contestata sit. Unde hæredes mandantis non tenentur de actu procuratoris, quem is gessit post mortem mandantis, dummodò mors ista procuratori cognita fuerit, *d. l. inter causas* 26. *in princ. & l. si præcedente* 58. *ff. Mandati*. Post litem autem contestatam, si mors principalis evenerit, procurator ad lites, utpote jam Dominus litis effectus, rectè procedere potest *l. nulla dubitatio* 23. *C. h. tit.* Verùm hæc regula, quòd morte mandantis revocetur officium procuratoris, si res sit integra, (secus si non fue-
rit integra) fallit *primò* in procuratore Prælati vel Cleri- 20
ci cujuscunque in causa Ecclesiæ vel beneficio constituto: nam is per mortem Prælati aut Clerici censentur revocatus etiam quoad negotia jam cœpta, & actiones, quibus lis fuerat per ipsum procuratorem ante mortem sui principalis contestata, *Clem. ult. hoc tit.* succedit enim tunc alius in dignitate vel beneficio, qui non tenetur factum vel contractum sui antecessoris præstare: quod non tantùm de morte naturali, sed etiam civili, depositione scilicet Prælati intellexit Rota Romana *dec.* 28. *Secundò*, ex probabili sententia non revocatur mandatum morte mandantis, si factum sit ad pias causas: puta, si quis pe-

cuniam

cuinam alicui dedisset pauperibus distribuendum, & ante distributionem mortuus esse. Iste mandatarius deberet peccuniam etiam post mortem dantis in pauperes distribuere, argumento ducto, ab aliis favorabilibus causis, in quibus mandatum morte mandantis non finitur, velut si quis jusserit puellæ dotem dare, aut servo libertatem *l. si ego. 9. ff. de Jure dot. l. si pater* 4. *ff.* de *Manumissis vindicta*. Covar. *Var. Resol. lib. 3. cap.* 14. *Tertiam*, fallentiam ponit Mynf. *Cent. 2. observ.* 84. si Dominus satisdedit de judicatum solvendo procuratore consentiense, ubi præterea ex Bartolo *in l. si defunctus*. 15. *ff. h. t.* dicis, quòd mors Principalis hodie ferè nunquam procuratorem revocari faciat, propter clausulam satisdationis, quæ instrumentis procuratoriis semper solet adjici.

Not. ultimò, quòd per procuratoris mortem mandatum quoque expiret, cùm industria personæ electa censeatur, ideoque hæres ejus sine nova voluntate principalis
22 in officium procuratoris non succedit. *leg. si quis*. 27. *§. morte*. 3. *ff. Mandati*. Vallens. *hoc tit. §*. 7. *n*. 5. Es denique procurator adhuc in vivis existens mandatum suum Domino renuntiare potest, dummodò tempestivè renuntiet, ut Domino adhuc integrum sit sine suo damno alium procuratorem constituere: si verò procurator post moram longiorem illam renuntiationem facere vellet, non aliter audiendus foret, quàm si legitimam causam v. g. adversam valetudinem, inimicitiam novam cum Principali allegare posset. *l. si mandavero* 22. *§. finali, cum l. seq. ff. Mandati*.

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

SUMMARIA.

1 *Universitates loco procuratoris constituunt Syndicum, & quid sit hic Universitas?*
2 *Quomodo hic differat ab administratore vel Oeconomo, aut auctore universitatis.*
3 *Regulares non possunt esse Syndici.*
4 *Quomodo constituatur Syndicus?*
5 *Syndicum ab universitate constitutum solus etiam Prælatus revocare potest.*

1 UNiversitas (quo nomine quælibet collectio hominum unum morale corpus constituens, ut Civitas, Oppidum, Monasterium, Collegium Studiosorum, Civium aut Opificum intelligitur) nec agere nec utiliter conveniri potest, nisi communi nomine unam certam personam pro se constituat. Unde sicut is, qui ad negotia vel litem alicujus privati gerendam constitutus est, Procurator dicitur, ita deputatus ab aliqua Universitate
2 *Syndicus* appellatur. Differt autem *Syndicus* ab Administratore vel Oeconomo, quòd hic in administratione pecuniæ aliorumque negotiorum extrajudicialium, ille in litibus prosequendis versetur. Differt etiam ab *Actore* universitatis, quod *Actor* ad certam tantùm, *Syndicus* ad omnes causas detus. Sed tamen Actor & Syndicus inter se frequenter in Canonibus & legibus confunduntur.
3 In Regularibus est speciale, quòd quidem Actores seu Procuratores in aliqua particulari causa cum licentia Prælati esse possint, non verò Syndici etiam proprii Monasterii, sed Prælatus debeat aliquem extraneum constituere, ne per se forenses lites nimirum abstrahantur. *c. un. h. t.* Porrò an in instrumento, in quo constituitur Syndicus debeant singulorum nomina, qui sunt de Universitate, inscribi, & quid circa subscriptionem nominum generaliter dicendum in omni instrumento nomine Universitatis confecto, variè sentitur. Alii cum Bart. *in l. 1. ff. de Albo scribendo*. distinguunt inter alienationem factam ab Universitate, & alios actus. In alienatione singulorum nomina requirunt: in aliis actibus subdistinguuntur, an Universitas sit parva, vel populosa? Si parva, etiam singulorum nomina petunt, non verò si populosa. Solam quoq; sigilli appressionem sine subscriptione sufficere docet Panorm. *h. t. n.* 9. & Consilium sive Senatum alicujus Universitatis posse constituere Syndicum, quia repræsentat ipsam Universitatem, ita dit Castrens. *in l. nulli 3. ff. Quod cujusque universitatis nomine*. Qua tamen in re potissimùm ad consuetudinem locorum attendendum est, quæ plerumque habet, ut præcipui alicujus Universitatis Officiales sive in alienatione sive aliis negotiis subscribant, aliàs enim sigillum sine subscriptione solet dici testis mutus, qui nihil loquitur, & experientia constat, sigilla aliorum facilè ab aliis posse subduci, aut effingi.

Notat demum Panorm. *h. t. n.* 6. quòd Syndicum cum 5
consensu Abbatis & Capituli constitutum possit solus Abbas revocare; cùm enim ipse solus possit agere in causis sui Monasterii. *c. edoceri* 25. *de Rescript.* potest etiam solus revocare Syndicum, & in se assumere actionem.



TITULUS XL.

De his, quæ Vi, Metusve causa fiunt?

SUMMARIA.

1 *Quid vis sit & metus?*
2 *Acta ex metu rescinduntur, non autem sunt ipso Jure nulla.*
3 *Quæ differentia inter metum & dolum in contractibus bonæ fidei.*
4 *Juramentum metu extortum valet, sed ab eo petitur absolutio.*
5 *Non tamen confirmat contractus aliàs invalidos.*
6 *Matrimonium ex metu gravi contractum est nullum, & idem est de sponsalibus, & in quibusdam aliis casibus ut n. 7.*
8 *Actio metus causa datur, non tantùm contra metum inferentem, sed etiam contra tertium possessorem.*
9 *Etiam per levem metum extorta, in judicio animæ sunt restituenda.*
10 *Quædam ex metu gesta rescindi non possunt.*
11 *Metus ut actionem pariat, debet esse cadens in constantem virum.*
12 *Quis metus dicatur justus?*
13 *Ob metum non licet facere peccatum mortale, imò nec veniale.*
14 *Leges humanæ in gravi metu per se non obligant: secus est, si in contemptum Ecclesiæ incutiantur.*
15 *Metus reverentialis per se non est justus metus.*
16 *Quomodò metus debeat esse præsens?*
17 *Remedium Juris contra minas est cautio de non offerendo.*
18 *Metus debet esse ab extrinseco, non ab ipso metum passo proveniens.*
19 *Et debet esse pro obligatione elicienda incussus.*

INtes causas, quæ homines ad judicia trahunt, non infrequens est vis, vel metus alicui illatus, de quibus propterea post liberas actiones pacti, transactionis, aut mandati hic agitur. Quamvis autem omnia, quæ ex *violentia* alicui illata fiunt, *metu* quoque facta censeantur, non tamen è contra, quæ *metu* fiunt, etiam *vi* facta intelliguntur. *c. sacris* 5. *hoc tit.*

Est igitur *vis* majoris rei impetus, qui repelli non po- 1
test, *l. 2. ff. Quod metus causa*. Et distinguitur à DD. *in vim veram & modificatam*. Vis *vera* est corporalis quædam coactio ad faciendum id, quod jubetur: puta, ut si jusso flectere ante Idolum, per violentiam incurventur genua, adeòque merè se habet in externa actione. Vis *modificata* dicitur à particula *modali; ut*, quando videlicet externa violêtia adhibetur, ut voluntas, quę propriè cogi nõ potest cùm sit intrinseca, ad aliquid consentiẽdum eliciatur.

Metus dicitur *mentis trepidatio* instantis vel futuri periculi causa, quæ trepidatio non tantùm propter violentiam de facto illatam, sed etiam inferendam contingere potest. Porrò quæ fiunt *vi metusve causa*, dicit Prętor *l. 1. ff. Quod*

ff. Quod metus causa, se ratum non habiturum. Unde communis est Interpretum sententia, quòd gesta ex metu ipso jure valeant, sed tantùm per sententiam Judicis rescindantur: habent enim causam obligationis, nimirum consensum (nisi propter vim veram sine omni consensu aliquid actum esset) cùm etiam voluntas coacta sit voluntas. *Si metu coactus adii hareditatem*, inquit IC. *in l. si mulier*. 21. *§. penult. ff. Quod metus causa, puto me haredem effici, quia quamvis, si liber essem, noluissem, tamen coactus volui; sed per prætorem restituendus sum*.

2 Dicens *in l. qui carcerem*. 22, *ff. eod. tit.* simpliciter dicitur obligationem metu extortam *nullius esse momenti*, ergo non indiget rescissione Judicis. Resp. illa verba, *nullius esse momenti*, debere intelligi, non quòd ipso Jure sit nulla obligatio, sed quoad futurum rescissionis effectum. Ut enim leges legibus concordentur, quandoque verbum aliquod in diverso sensu, & non ita rigidè accipiendum est *l. 2. §. contrarium*, 15. *C. de Veteri Jure enucl.*

3 Dices iterum: contractus *bonæ fidei* metu initi sunt ipse jure nulli, quia *dolus* dans causam contractui *bonæ fidei* facit contractum nullum, ut notant communiter DD. *ad l. 7. ff. de Dolo*. at verò, qui metu facit, etiam dolo fecisse intelligitur. *l. item 14. §. cum* 13. *ff. h. t.*

Resp. Circa metum non fieri distinctionem inter contractus *bonæ fidei & strictus Juris*, neque inter metum *incidentem* in contractum, & *dantem causam* contractui, teste Henr. Zoes. *h. t. n. 3*. Non obstat, quòd in metu dolus insit; quia hoc procedit, quatenus dolus in genere significat omnem malignam alterius *læsionem*, non autem quatenus magis propriè & specificè significat callidam *machinationem, & circumventionem*, quæ circumventio propterea magis potest annullare contractum; quia occultando objectum tollit consensum: cùm enim in contractibus bonæ fidei consensus habeat implicitam conditionem, *si ita est, ut dicis*, ergo si res per dolum aliter sit, deficit conditio, & consequenter etiam consensus in metu autem objectum consensus plenè ponitur, v. g. ut aliquis teneatur certam summam pecuniæ numerare, vel aliud quid facere, & tantùm coactio ad consentiendum adhibetur, quæ coactio causat solùm involuntarium *secundùm quid*, non simpliciter.

4 Hinc etiam Juramentum gravissimo metu extortum validum dicitur *in c. si verò 8. de Jurejurando*. dummodò aliàs *sine peccato* observari possit & non vergat *in damnum animæ*, vel proximi; potest tamen ab eo peti absolutio, quo sensu etiam intelligendum est *c. cùm contingat*, 28. *eod. tit.* ubi dicitur, *juramentum vi extortum non esse servandum*, scilicet mediante absolutione. Adverten-
5 dum autem est, quòd tale juramentum metu extortum non confirmet contractum *aliàs invalidum*; quia unum juramentum non potest sanare (ut DD. loquuntur - *duplex vitium*, scilicet vitium *involuntarii & nullitatis contractus*, Atque ita intelligi debet *c. quamvis*. 2. *de Pact. in 6*. Sanchez *de Matrimon. l. 4. disp.* 20. *numer. 3. & seqq.*

6 Communis autem est exceptio in matrimonio, ob cujus favorabilem libertatem non qualiscunque voluntas sufficit, sed omnino libera requiritur, ideo metu initum ipso jure nullum est. Tex. & Panorm. *in c. de muliere 6. & c. cùm locum 14. de Sponsal. & Matrim.* quòd idem etjam ad sponsalia extendit Sanch. *d. loc. disp.* 19. Interest verò in sponsalibus, an ipso jure valeant, vel irrita sint propter impedimentum publicæ honestatis, quod non oritur ex sponsalibus ipso jure nullis, Trid. *sess. 24. de Reform. matr. c. 3.*

7 Plures etiam alios casus, ut circa vota, electiones, dotis promissionem, authoritatis tutoriæ, aut Jurisdictionis expressionem, seu extorsionem, in quibus ex multorum sententia nullitas obligationis propter metum consurgit, tradunt DD. *citati hoc tit.* & Glossa *in cap. 2.*

8 Porrò actio ad repetendum id, quod metus causa datum est, non tantùm competit contra eum, qui vim intulit, sed etiam contra quemcunque possessorem, qui eam rem detinet. *d. l. item 14. §. in hac 3. ff. Quod metus causa*. Si promissum tantùm sit & necdum datum, exceptio datur metum passo, ne solvere teneatur petenti.
9 *tot. T. ff. de Doli mali, & metus except.* Docet idem Sanch. *d. l. 4. disp. 9. n. 4* etiam per levem metum extorta in animæ judicio restituenda esse, si ille metus fuerit causa, sine qua non fuisset contracta obligatio, quamvis in foro externo ad minuendas lites ob similem metum actio non concedatur: sicut nec in deceptione infra dimidium justi pretii, non tamen exinde tollitur injustitia contractus.

Quædam verò sunt, quæ metu inita rescindi non possunt, ut baptismus & ordo: cùm enim metus non tollat voluntatem, ut dictum, non impedit etiam indelebilem characteris impressionem. Volunt tamen DD. quod ordinatus per justum metum non teneatur ad cælibatum ex voto (utpote quod metu extortum non valet) sed tantùm ex præcepto Ecclesiæ. Vid. Henric. Zoes. *hoc tit. num.* 20. 10

Cæterùm ut ea, quæ de metu in jure dicuntur, locum habeant, quatuor potissimùm concurrere debent. I. Ut sit metus justus. II. Præsens. III. Ab extrinseca violentia. IV. Ad eliciendam obligationem directè incussus. De singulis his requisitis breviter videamus. I. igitur justus metus non est timor meticulosi hominis, sed qui in virum constantem cadit. *Cap. ad audientiam. 4. h. t. 6. C. eodem*. cujus metus plura passim in Jure enumerantur exempla; videlicet carceris, servituris, mortis &c. Licet autem jura loquantur de metu in virum cadente; nihilominus conditio personarum attendenda erit, itaut levior metus in femina vel puero, quàm viro sufficiat, & ideo ex parte mulieris v. g. requiretur metus, qui cadat in constantem mulierem, teste Panorm. *in d. c. cum locum* 14. *de Sponsal. n. 6*. Deinde nomine justi metus is intelligitur, qui contra bonos mores irrogatur, non quem Judex aut Magistratus pro sua Jurisdictione facit, ut si aliàs obligatum, convictum, condemnatum ad solutionem & executionem rei judicatæ per media violenta compellat. Quòd si tamen per injuriam aliquid fecerit Magistratus, puta si mortis aut verberum timore vel terrore pecuniam alicui contra jus extorserit, non minus, quàm in privatis edicto prætorio locus erit, *l. 3. §. 1. ff. eod.* Nec interest, an sibi vel liberis suis metus inferatur, cùm pro affectu paterno in liberos magis in eorum quàm propria persona parentes terreri soleant. idem ad uxorem, parentes & consanguineos extenditur, Innoc. *in d. c. cùm locum* 14. *de Sponsal. n. 2*. Felinus *in c. Ecclesia*. 10. *de Constit. nu. 99*. Zoes. *hoc tit. nu.* 16. Notabilem denique ponit doctrinam Barb. *ad dict. cap. sacris. 5. h. t. n. 9. vers. pro resolutione*; quòd ille dicatur justus metus, per quem aliquis eligit minus malum ad vitandum majus malum, idque forsan insinuavit. J. C. *in l. metum 5. ff. h. t. Metum*, inquit *accipere debemus non quemlibet, sed majoris mali*. 11

Est tamen notandum, quòd prohibetur *in d. c. sacris* 5. *h. t.* quòd ob nullum metum liceat peccatum mortale committere, etsi videatur majus malum, aut mors propterea subeunda foret: præstat enim hanc eligere, quàm Deum offendere, idemque de peccato veniali tradunt cit. apud Sanch. *d. l. 4. disp. 3. n. 2*. Text. est. *in cap. si quis 17. causa 22. q. 2*. Sed hoc, si transgressio ex metu deberet fieri contra legem Divinam, secus si contra legem humanam Ecclesiasticam, quæ in casu tam extraordinario & cum magno alicujus damno non censetur obligare, ideoque nec peccatum transgrediendo committi, arg. *c. 1. dist. 4. & l. nam ad ea 5. ff. de LL.* nisi transgressio legis petatur in contemptum Ecclesiæ: quo sensu accipiendum est *dict. c. sacris*. ubi dicitur, quòd propter nullum metum liceat communicare cum excommunicato, cùm tamen communio ista tantùm lege Ecclesiastica prohibita sit; nam cooperari ad formalem contemptum Ecclesiæ utique etiam Juri divino repugnat juxta illud Christi *Matth. 18. v. 17. Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, &c.* 13

De metu reverentiali etiam hic disputant DD. de quo dicemus in Lib. IV. *Tit. 1. §. 5. nu. 4* quòd sola reverentia Parentibus vel Dominis debita non sit justus metus ad irritandos contractus, nisi concurrentibus aliis adminiculis: ut sunt minæ atroces, importunæ persuasiones. 14

II. Presens metus requiritur & non sufficit aliqua tantùm suspicio futuri seu inferendi metus. *l. metum 9. ff. h. t.* Quare si quis propter solas minas & in futurum imminens malum aliquid dederit aut fecerit, restitutionem ex causa metus non habebit, nisi minæ factæ fuissent ab eo, qui frequenter solet eas exequi, vel propter temeritatem minantis morale vel præsens fuerit periculum. *l. si donationis 7. & l. metum 9. Cod. eod.* Aliàs contra minitationes notum est remedium, requirere Judicem, ut minantem citet, eique severè inhibeat, ne quid violentiæ aut injuriæ attentare ausit, nec discedere patiatur, antequam

ver-

verbis vel juramento, aut etiam pignioribus (prout qualitas personæ exegerit) Adversario securitatem promittat, quæ vulgò *cautio de non offendendo* dicitur, Treutlet. *Volum.* 1. *disp.* 11. *Thes.* 4. Neque etiam præteritus metus sufficit: pone enim, quòd ad obligandum te metu coactus sis, si tamen postea sponte sine ulla coactione solveris, metum illum præteritum ad impetrandam repetitionem soluti ampliùs allegare non vales, pro voluntaria enim solutione exceptioni metus ipso facto renuntiasti. *l. cum te* 2. *C. h. t.*

18 III. Metus debet esse *ab extrinseco*, sive ab extrinseca violentia illatus. Unde in casu mulieris, quæ contra Patronum suum ingrata facta ei aliquid dedit, ne in servitutem revocaretur, respondit J. C. *in l. si mulier* 21. *ff. h. tit.* non esse locum repetitioni, *eo quòd mulier hunc metum sibi ipsa intulerit*. Similiter sua bona vendens propter timorem, ne ad civitatis officia vel munera nominaretur, dicta bona repetere volens, non auditur *in l. cum te* 8. *C. eod.*

19 IV. Denique metus ad *eliciendam obligationem*, & quidem ab eo, vel alio ejus nomine, cui obligatio facta est, incussus esse debet. Unde si captum à Latronibus liberem, qui mihi pro hoc obsequio promittat aliquid, non se, quò minus id præstet, per metum excusare poterit: quia ego causa hujus metus non fui, sed operæ meæ, quam in liberando præstiti, mercedem accepi, *l. metum* 9. *§.* 1. *ff. h. t.* Similiter etiam vota in periculo mortis emissa ex omnium DD. sententia firmiter obligant, quamvis metu mortis emissa sint.

TITULUS XLI.

De in integrum Restitutione.

SUMMARIA.

1 *Restitutio in integrum est remedium extraordinariū.*
2 *Remedium Juris extraordinarium, quando est pinguius, datur etiam existente ordinario.*
3 *Remedium restitutionis datur Minoribus, Ecclesiæ, piis locis, Reipublicæ & Civitati.*
4 *Quæ differentia inter Restitutionem Majorum, & Minorum?*
5 *Mulieribus quoque, Rusticis, & Militibus datur restitutio. Item Hæredibus, minorum, & aliorum, quibus hoc beneficium aliàs competit.*
6 *Minor etiam contra minorem, & Ecclesia contra Ecclesiam restituitur: & quomodo privilegiatus utatur privilegio contra privilegiatum?*
7 *Restitutio coram Judice ordinario rei habente administrationem peti debet.*
8 *Qui judices dicantur habere administrationem?*
9 *Quando Restitutio dicatur peti incidenter.*
10 *Restitutione petita ordinariè suspenditur executio; nisi præsumptio malitiæ sit contra petentem.*
11 *Quadriennium Restitutioni petendæ præfixum currit à die scientiæ de læsione.*
12 *Quadraginta tamen annorum lapsu præscribitur huic beneficio.*
13 *Qui restitutionem petit, probare debet, se læsum esse.*
14 *Restitutio minoris vel Ecclesiæ prodest majori, seu Laico, si causa sit individua, aliàs non.*
15 *Læsio, ut causet restitutionem, non debet esse fortuita.*
16 *Procurator, nisi sit cum libera, aut mandatum speciale habeat restitutionem principaliter petere non potest, benè tamen incidenter.*
17 *Tutores, Curatores, Oeconomi, Prælati, & similes habentes administrationem, mandato non indigent.*
18 *Restitutione impetrata, cum re etiam fructus sunt restituendi.*
19 *Exponitur textus in* c. ad nostram. de Reb. Eccles. non alien.
20 *Qui scit Restitutionem peti posse, an habeatur malæ fidei possessor?*
21 *Clericus minorennis in resignatione beneficii læsus potest restitutionem petere.*
22 *Idem obtinet, etsi beneficium resignatum alteri jam de facto sit collatum.*
23 *In spiritualibus, scilicet Matrimonio aut professione religiosa quoad substantialia non datur restitutio.*
24 *Regularis contra quinquennium ad proponendas causas nullitatis à Concil. Trid. præfinitum, ex causa potest restitui.*
25 *In contractibus juratis potest etiam dari restitutio ex causa emergente.*
26 *Minor contra confessionē suam quomodò restituatur?*

Sicut ex causa metus, sic etiam ex aliis remedium sæpè 1
à Judice petendum est, quod *Restitutio in integrum* appellatur. Hæc est remedium jus extraordinarium, quo læsi in eum statum, in quo ante læsionem fuerunt, per officium Judicis reducuntur. Dico esse remedium *extraordinarium*: quia tunc primùm datur, quando ei, qui se læsum dicit, nulla ordinaria actio superest. *l. in causa* 16.
ff. de Minoribus. Verùm hanc regulam, quod remedium 2
extraordinarium non detur, nisi ordinariò deficiente, limitant DD. nisi extraordinarium sit pinguius, unde subsequenter inferunt quòd Minor vel Ecclesia ultra dimidium læsa possit omisso remedio ordinario ex *L.* 2. *Cod. de Rescindenda vend.* restitutionem in integrum petere; cùm hoc sit pinguius remedium; partim, quia in petita restitutione in integrum non est necesse probare læsionem ultra dimidium, quæ est difficilis probationis, cum pretia rerum habeant diversos æstimatores, sed sufficit probare gravem læsionem; partim etiam, quia si emptor ex *d. L.* 2. conveniatur, erit in ipsius arbitrio, an rem redhibere vel justum pretium supplere velit. Si verò restitutio in integrum contra ipsum postuletur, poterit præcisè ad restitutionem rei emptæ compelli.

Restitutio in integrum pluribus datur, qui se in judicio 3
vel extra illud læsos fuisse affirmant. Et primò quidē datur de Jur. Civ. hujus restitutionis remedium Minoribus 25. annis non tantum, dum in minori ætate constituti sunt, sed etiam per quadriennium, postquam majorennes esse cœperunt, non quidem respectu actuum in majorennitate gestorum; sed quos priùs in minorenni ætate cum suo damno vel detrimento inierunt. Deinde exemplo Minorum etiam Ecclesia utitur jure minoris *c.* 1. *hoc t.* nomine autem Ecclesiæ etiam Capitulum alicujus Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ intelligitur, si læsio toti Capitulo, & non uni vel alteri particulari de Capitulo evenerit. Innoc. *in c. nisi* 12. *de Præb.* Præterea etiam datur Hospitalibus & aliis piis locis. Valens. *hoc tit. §.* 1. *num.* 8. Item Reipubl. & Civitati hujus restitutionis beneficium datur. *L.* 4. *C. Quib. ex causis mai.* Quod nonnulli etiam ad Castra habentia subditos & jus territorii extendunt, ut & hæc jure Reipublicæ gaudeant. Gail. *L.* 2. *obs.* 52. *n.* 3. Majores quoque 25. annis quandoque in integrum restituuntur, quia Prætor in *L.* 1. *in fin. ff. Ex quibus causis majores* ge-
neraliter dicit: *si qua mihi justa causa videbitur, in inte-* 4
grum restituam. ad quam clausulam Prætoris toties veniendum esse, quoties æquitas restitutionem suggerit, notanter monet Ulpian. *in l. sed etsi* 26. *§. fin. ff. eod.* Ea tamen in restitutione Majorum & Minorum subest differentia, quòd in majoribus non sufficiat læsio, sed etiam requiratur probatio justæ causæ arbitrio Judicis ponderandæ, ob quam iis læsio minùs imputari debeat, v. g. si propter Rempub. aut captivitatem absentes erant; & interea alii ipsorum bona possiderint, atque usu cœperint *20. ff. Ex quibus caus. majores*. In minoribus autem sufficit probare minorem ætatem & læsionem. Panorm. *in c. ex litteris*. 4. *hoc tit. n.* 5. Sed & illa est differentia, quòd Minores restituantur, quamvis tutore vel curatore interveniente læsi sint, habeantque electionem, an magis tutelæ actione contra tutorem expediti, vel contra lædentem *restitutionem in integrum* petere velint. *L.* 1. &
2. *C. Si tutor, vel curator interven.* Majores verò absen- 5
tes, si procuratores ad sua negotia vel lites dimiserint, non habent restitutionis beneficium, sed contra procuratorem agere debeant *leg. fin. hoc. tit.* aliquando tamen procuratore non existente solvendo ex causa æquitatis Domino restitutionem in integrum succurri, traditum est superiùs in tit. *de Procurator.*

Matrim. l. 7. d. 34. num. 22. In contractibus quoque juratis, licet regulariter non detur in integrum restitutio *L. 1. cum sua auth. Cod. Si adversus venditionem*, datur tamen nonnunquam ex causa nova, vel noviter emergente, quæ tempore præstiti juramenti non fuit prævisa, nec verisimilis intentio jurantis erat, ad talem causam se obligare, ut *in cap. quemadmodum. 25. de Jurejurando* dicitur, quòd sponsalia etiam jurata ob mutationem notabilem supervenientem, v. g. quia sponsa deformata aut fornicata fuit, dissolvi possint.

25 Utrum autem minor restituatur adversus suam confessionem, si v. g. sponsalia, matrimonium, delictum aut debitum, antequàm hæc contra eum legitimè probarentur, ultrò confessus sit, diversæ sunt DD. sententiæ, ut videre est apud Sanch. *d. l. 7. disp.* 552. *num.* 57. Fach. *Lib.* 1. *Controv. cap.* 72. affirmantium fundamentum est *in L. certum. 6. §. penult. ff. de Confessis*, ubi dicitur, minorem à confessione sua restituendum. Mihi magis placet minorem non aliter restitui, quam si priùs docuerit saltem ex præsumptionibus urgentibus confessionem ex errore processisse, aut ex metu vel alio gravi respectu aut præcipitantia juvenili falsum dixisse, atque ita intelligo text. *in d. §. penult.* Ratio mihi videtur: quia minoribus non subvenitur ex eo precisè quòd læsi sint, aliàs deberet eis subveniri, tametsi per legitimas probationes convicti vel ob casum fortuitum damnum acciperent, sed si contra Justitiam læsi sint. *L. verùm 11. §. 4. ff. de Minoribus*: non læditur autem contra Justitiam, qui verum, quod in conscientia tenebatur dicere, edixit. Deinde minorem adversus confessionem veritatis restituere, esset nihil aliud, quam ei dare mentiendi & litem protelandi occasionem, quòd utique rationi & æquitati non correspondet.

TITULUS XLII.

De alienatione Judicii mutandi causa facta.

SUMMARIA.

1 INter causas restitutionis in integrum etiam hæc est: si adversarius rem, super qua conveniri posset, ante acceptum judicium dolo malo alienarit in personam potentiorem, vel quæ sit alterius fori, ut actori duriorem litem constitueret. Propterea sicut in *ff. & Cod.* post Tit. *De in integrum restitutione* hæc rubrica ponitur: ita etiam fecit Decretalium Compilator. Et meritò ante initium processus judicarii ponitur: quia, ut dictum, ante acceptum judicium plerumque hæ alienationes in fraudem fiunt, cui speciali Juris remedio occurri, æquum fuit.

2 Si igitur pro re alienata *personalis* actio competat. v. g. exempto, donato, locato, &c. tunc quia actio personalis contra tertium possessorem, cum quo nihil contractum est, non datur, Prætor æquitate motus concessit actionem *in factum* contra alienantem ad consequendum id, quòd sua interest, rem alienatam non fuisse *l. 1. & passim ff. eod. Si realis* fuerit actio vel vindicatoria, liberum est actori, an eam contra possessorem, vel contra alienantem, qui dolo desiit possidere, & ideo fictione juris pro possessore habetur, intentare velit. *l. un. Cod. eod.* Nihil quoque impediet actionem *realem* contra possessorem, & *personalem* in factum contra alienantem instituere; quia tendunt ad diversos fines, illa ad rem recuperandam, ista ad obtinendum id, quod actoris propter majores expensas & incommoda interest, cum alio potentiori Adversario, vel in alieno foro litigare.

3 Dixi autem constitutionem hujus tituli procedere, si ante *Judicium acceptum, & causa futuri judicii* res alienata sit: nam si alienatio facta sit, postquam alienans in litem vocatus est, vel preces principi oblatæ & alienanti cognitæ sunt, *Auth. litigiosa. C. de Litigiosis.* actio in factum, vel vindicatio contra novum possessorem necessaria non est; sed cum alienante perinde agi poterit, ac si alienatio facta minimè fuisset: talis enim alienatio rei *litigiosæ* ipso jure nulla est; & siquidem emptor sciverit rem esse *litigiosam*, carebit pretio, idque fisco inferetur; si verò ignorans deceptus sit, pretium integrum & insuper tertiam partem ejus ab alienante recipiet *l. fin. C. d. t.*

De Jure Canon. in hoc tit. duo notabilia proponuntur. 4
Primum est, quòd etsi rescripta Justitiæ non extendantur ad personas in iis non comprehensas, si tamen ad elusionem rescripti Apostolici res, de qua movetur controversia, in extraneum alienata sit, poterit hic extraneus etiam vi illius rescripti coram delegato judice in eo rescripto dato conveniri.

Alterum est, quod approbentur leges Civiles, quæ prohibent alienas lites redimi (de qua redemptione etiam superius in titulo *de Procuratoribus* aliquid diximus) & maximè Clericis sub censuris inhibendum dicitur, ne emant, vel sibi cedi faciant res litigiosas & causas sæculares, ut laicos actores in suum forum Ecclesiasticum trahant. Vide text. *cap. 1. & 2. hoc tit.*

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

SUMMARIA.

HIc titulus in *ff.* inscribitur *de Receptis, qui arbitrium receperunt*, in *Cod. de Receptis arbitris*, quare si in hac materia dictum fuerit *ff*, vel *Cod. eod. tit.* in indice ad eas Rubricas erit recurrendum.

Arbitri dicuntur ab arbitrando, seu æstimando: est 1
enim *arbiter* vir bonus ad aliquod negotium æstimandum & terminandum electus. Horum usus propter utilitatem inventus est: nam ita lites faciliùs expediuntur, si extra tribunal ordinarium per aliquot viros bonos, in quos partes compromittunt, quod eorum sententiæ & arbitrio seu judicio stare velint, componantur. Si eligendi sint plures arbitri, expedit eos esse in impari numero ut faciliùs majoritas votorum haberi possit. *L. item si unus. 17. §. 6. ff. hac tit.* quippe si in duos compromissum sit, frequenter sine exitu futura est, ob natu-

naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem.

2 Quòd si plures arbitri electi in decernenda aliqua quantitate pecuniaria discordent, ea sententia obtinebit, in quam major pars convenerit. Si verò unus v. g. 15. alter 10. tertius 5. pronunciet, prævalebit minima quantitas pronuntiata: cùm enim minor summa contineatur in majori, pronunciantes majorem implicitè etiam censentur in minorem consensisse *cap. 1. hoc tit. in 5. L. diem proferre 27. §. ff. eod.* Verum non malè advertit Covar. cum aliis, hanc decisionem cautè ad praxin esse deducendam, quia non satis firma ratione stabilitur: major enim summa continet quidem minorem ut suam partem, non autem ut formaliter seu separatim spectatam, e. g. si equum volo vendere 30. fl. volo quidem etiam vendere 20. sed quatenus isti viginti includuntur in iis triginta, minimè verò quatenus specialem summam faciunt. Deinde quis non videt maximas posse committi iniquitates, si unus arbiter condemnaret debitorem meum in summam minimam v. g. 2. aut 3. florenorum, quem alii de culpa majoris summæ debitorem agnoscerent. Minus placet, quòd cum Gloss. *fin. in d. c. 5. hoc tit. in 6.* & aliis pluribus, docet ibid. Barbos. *n. 3.* decisionem hujus textus habere locum, quamvis arbiter, qui majorem summam pronunciavit, protestetur, quod nolit consentire in minorem, eò quòd consensus in minorem summam sit ex dispositione juris introductus, & ideo protestatio in contrarium nihil operetur. Non placet (inquam) hæc sententia: quia nec rationi nec æquitati benè convenit, ut ostensum. Scire autem leges non est verba callere, sed vim ac potestatem, id est, mentem legislatoris, equitati conformem. *L. scire leges 17. ff. de Leg.* Unde ipse existimo dictam decisionem J. C. & Pontificis tunc demum procedere, si minor summa sit intra terminos æquitatis, & qui majori summam pronunciat, possit rationabiliter præsumi non esse invitus contra summam minorem tanquam injustam, quemadmodum justum rei pretium non est indivisibile, quin secundum diversorum judicium pluris aut minoris æstimetur.

3 Circa plures arbitros electos, quorum aliqui tempore ferendi judicii se absentant, differentia inter jus Civile & Can. reperitur. Nam de jure civili non valet processus nisi omnibus præsentibus, *d. l. item si unus 37. §. fin. cum l. sequenti ff. h. t.* de Jure autem Can. sufficit adesse majorem partem, v. g. duos ex tribus. Dico majorem partem: non enim sufficeret è duobus unum, è quatuor duos adesse, *cap. 2. & ibi* Gloss. *in Verbo pro præsente h. t. in 6.* In caussis profanis quodlibet jus in suo foro observandum. In caussis autem Ecclesiasticis aut Clericorum prævalet Jus Can. *cap. quod Clerici 9. de Foro compet.*

4 Porrò compromissum ordinariè tantùm admittitur in caussis bona & patrimonium nostrum concernentibus; in aliis verò, quæ non sunt in nostro arbitrio, & dispositione, sed cognitionem majorum Judicum requirunt, compromissum fieri non potest. Uti sunt causæ *matrimoniales*, & *criminales*, *cap. pen. De in integ. rest.* nisi *civiliter* ageretur de crimine. *L. quid ergo 33. §. ex compromisse. 5. ff. de his qui not. infam.* Causæ *exemptionum*, ubi de præjudicio Papæ agitur. *c. 5. h. t.* Item & *beneficiales*: quia ad Ordinarium spectat cognoscere de titulo canonico, & idoneitati beneficiati, Spec. *hoc tit. §. 4.* Quid de caussis Ecclesiarum vel Pupillaribus dicendum, anne super iis à Prælatis aut Tutoribus compromitti poterit absque decreto Superioris vel Judicis? Quod affirmamus, *arg. L. Præses 12. C. de Transact.* ita tamen, ut si arbitrium vel arbitramentum tendat ad alienationem rei non alienabilis, ejus executio sine decreto & ordinaria solemnitate juris fieri non possit. Lanfranc. de Orian. *Tract. de Arbit. sect. 3. n. 4.*

5 Sed advertere oportet, complures esse differentias inter *Arbitrum* & *Arbitratorem*, quas enumerat Panorm. *in cap. Quintavallis 23. de Jurejur.* Nam I. *Arbiter* procedit juris ordine servato; *Arbitrator* verò merè extrajudicialiter procedit, & ex bono & æquo controversiam componit, potestque de Jure unius dare alteri. Text. & Gloss. *in c. nisi 21. de Prebend.* Unde an aliquis arbiter vel arbitrator sit, non tam attendendum erit, quo nomine eum partes compellaverint, quàm qualem procedendi formam eidem præscripserint. Gail. *Lib. 1. Observ. 150. n. 4.* Quòd si in aliquem compromissum sit tanquam in *Arbitrum* & *Arbitratorem*, utramque viam tenere poterit; in dubio autem, ut valeat processus, censebitur processisse ut *Arbitrator*, Panorm. *d. l. n. 42.*

II. *Arbitratores* semper ex libera voluntate partium assumuntur, *Arbitri* verò aliquando sunt *Juris* & *Necessarii*, ut in causa suspecti Judiciis, *cap. suspicionis 39. de Offic. Deleg. L. apertissimi. de Judiciis.*

III. Propter solemnitatem Judiciariam (quæ ab Arbi- 6
tris observatur, *L. 1. ff. h. t.*) non possunt esse *Arbitri* foeminæ, *L. fin. C. hoc t.* nisi forsan aliquæ in majore dignitate positæ ex consuetudine loci jurisdictionem habeant. *c. Dilecti 4. hoc tit.* Privati Religiosi absque utilitate Monasterii, & consensu Prælati *cap. Monachi 35. causa 16. quæst. 1.* Spec. *d. l. sequuntur num. 29.* Laici in spiritualibus, nisi conjunctim cum Clericis, & ex authoritate Judicis Ecclesiastici, *cap. contingit 8. & c. per tuas 9. hoc tit.* Verùm officium *Arbitratoris* (penes quem mera est extrajudicialis compositio, Innoc. & Panorm. *in d. cap. Quintavallis.*) regulariter omnes suscipere possunt. In Judicem quoque ordinarium tanquam in *Arbitratorem* rectè compromittitur, *Auth. si verò contigerit. C. de Jud.* Spec. *d. l. §. 2. n. 6.* An etiam tanquam in *Arbitrum* ad effectum non appellandi, & petendi *pœnam*; De jure Canon. quidem id videtur affirmari posse *c. cum tempore 5. ubi* Gloss. *lit. B. h. tit.* secus de jure Civili *l. sed si 9. §. 2. ff. h. t.* Nos id utroque jure negamus; & quia in jure Canon. *Arbitratores* & *Arbitri* plerumque inter se confunduntur. arg. *cap. nisi 21. de Preb.* ideo dubios textus Juris Can. ex clariori Juris Civili Interpretamur cum Gloss. *in d. l. 9. §. 2.*

IV. *Arbiter* debet unicuique parti reddere, quod suum est, quia assumit partes Judicis, *l. Pomponius. 113. §. recepisse ff. eod.* *Arbitrator* verò, cùm sit mediator & transigens, potest per modum transactionis de jure unius alteri dare pro bono concordiæ. text. & Glos. *in d. c. nisi de Preb.* Glos. *in l. sed si servum 9. §. si quis. Judex ff. h. t.*

V. Denique (ut plures alias differentias minùs consi- 7
derabiles præteream, quas vide apud Panor. *in d. c. Quintavallis. de. J. I.*) sententiæ *Arbitri* stari oportet, sive æqua, sive iniqua sit, *l. diem proferre 27. §. stari ff. eod.* nisi Arbiter Juris & Necessarius fuerit, à quo datur appellatio, *cap. ab Arbitris 21. de Offic. Deleg. in 6. l. 9. ff. Qui satis d. cog.* Mynſ. *Cent. 4. Obs. 98.* Item si iniquitas sit notoria & manifesta, non tantùm poterit ex officio Judicis revocari, sed etiam contra executionem dabitur exceptio *doli*: quia omnis iniquitas notoria habet dolum præsumptum, ut not. *in cap. 2. de Præsumpt. l. 3. Cod. h. t.* Abbas *in cap. 2. hoc tit. n. 14. & 15.* Sententia autem *Arbitratoris* propter quancunque gravem læsionem, quàm pars parata est probare, reduci potest ad arbitrium *boni viri*, quo nomine ex recepta magis opinione intelligitur Judex ille, qui aliàs in causa ordinarius & competens esset. Text. & Barth. *in l. societatem 76. §. arbitrorum cum ll. seqq. ff. pro socio.* Gail. 1. *Obs. 149.* Ratio hujus differentiæ forsan hæc est, quòd licèt utrobique partes non videantur conqueri contra iniquitatem Judicis, quem ipsæmet elegerunt, magis tamen succurrendum fuit in *arbitramento*, ubi sine ordine judiciario faciliùs iniquitas committitur, & *Arbitrator* non tam secundùm jus, quàm *suo arbitratu* pronunciat. Panorm. *in d. c. Quintavallis n. 30.* Sed circa hanc *Reductionem*.

Quær. I. Quanto tempore peti possit? Varii varia as- 8
signant tempora. Quidam 3. annos cum Gail. 1. *Obs. 150.* Quidam unum autem cum Barth. *in d. §. arbitrorum*. ubi censet hanc questionem Principis decisione indigere. Nos solummodò 10. dies statuimus cum Panorm. *in d. c. Quintavallis sub n. 16. arg. l. pen. C. h. t.*

Quer. II. Utrum testes apud *Arbitratorem* producti, vel 9
Confessio apud eundem emanata faciant fidem coram Judice *Reductionis*? Respond. Circa testes peti posse, ut in judicio *Reductionis* de novo sub juramento examinentur, quia cum coram arbitratore nec sit judicium, nec quasi judicium, tales testes non sunt recepti in forma judicii, & perinde est, ac si fuissent recepti coram honestis personis carentibus jurisdictione, qui fidem non faciunt, ut notant Gottofr. & DD. *in l. 3. Gabinio. 4. ff. de Test.* Si tamen in compromisso dictum fuisset, ut ad abbreviandam litem Reductio petatur ex iisdem probationibus & actis coram Arbitratore factis, tunc testes reproduci in judicio non

possent: quia fides testium ex pacto & acceptatione partium roboratur. Text. *in l. fin. C. de Test.* Ad *Confessionem* quod attinet, quamvis coram *Arbitratore* facta judicialis non sit, si tamen præsente Adversario emanarit, ex hoc capite etiam in judicio reductionis plenè probabit per ea, quæ docet Masc. *de Probat. concl.* 346.

10 Quær. III. An detur appellatio à sententia Judicis, qui *arbitramentum* tanquam *bonus vir* reduxit? Affirmat Covar. *Lib. 2. Var. Res. c. 12. n. 4.* Gail. 1. *Obs.* 149. *num.* 5. Nos negamus cum Barth. in *l. 1. ff. de Leg. 2. n. 18.* Panor. *d. l. sub n. 40.* ne detur reductionis, reductio & lis ex lite oriatur. Neque verum est, quòd Judex absolutè procedat ut ordinarius, & consequenter ab eo rectè appelletur, quin potius officium Judicis est mixtum partim Ordinarii, partim Arbitratoris; imò prævalet officium Arbitratoris (à quo non datur appellatio) unde nec rigorem aut processum juris ordinarium in omnibus observare tenebitur, sed ea debebit uti æquitate, qua usurus esset juxta compromissi formam ipse Arbitrator, sicut fatetur etiam Covar. *d. l. n. 5. vers. secundo.*

11 Quær. IV. An pars contraveniens sententiæ Judicis reducentis committetur *pœnam* compromisso adjectam? Negat. Barth. *in l. multa. 6. ff. de Condit. & demonst.* cum in pœnalibus non fiat extensio de persons in personam. Nos affirmamus cum Bald. *in l. fin. C. de Contrah. empt.* Lanfranc. *de Arbit. divis. 7. n. 60.* quia compromissum ex intentione partium habet istum sensum, ut sub pœna solvatur, quidquid vel bonus vir *electus*, vel bonus vir *Legatis*, id est, Judex pronunciarir.

12 Quær. V. Utrum is, qui petit reductionem, Incidat in pœnam, quasi controveniens *arbitramento*? Pro affirmatione faciunt duo text. difficiles *in l. qui Romæ* 122. *§. fin. & l. quidam cum filium.* 132. *ff. de V. O.* Verùm nos distinguimus, an petens reductionem habuerit probabilem causam suæ petitionis, vel non? priori casu negamus, posteriori affirmamus *arg. d. l. 132. & l. quæro* 54. *§. 1. ff. Locati.* Lanfr. *d. l. n. 62.*

13 Quær. VI. An *Reductioni* renunciari possit in compromisso? Respond. affirmativè, ita tamen, ut talis renunciatio non extendatur ad eum casum, quo una pars vel dolo arbitratoris, vel aliàs enormiter & ultra dimidium læsa est, quod dolo futuro renunciari non possit. *l. si unus* 27. *§. 3. ff. de Pact.* tum etiam, quòd renunciatio ex mente partium non intelligatur de læsione enormi, arg. *cap. veniens* 16. *de Jurejur.*

14 Finitur compromissum I. Morte Arbitri *l. 45. ff. h. tit.* II. Morte unius ex compromittentibus ante sententiam, nisi in compromisso hæredum mentio facta sit. Text. & Pan. *in c. fin. hoc tit. l. sed & 49. in fin. ff. eod.* III. Recusatione Arbitri suspecti, *l. 9. §. 3. l. non distinguemus* 32. *§. cum quidam* 14. *ff. d. tit.* IV. Ubi dies sententiæ dicendæ præfixa elapsa est. *l. 1. C. hoc tit.* nisi in compromisso dictum fuisset, ut Arbiter diem proferre posset. *l. Arbiter intra* 42. *ff. h. t.* V. Postquam sententiam Arbiter præsentibus litigatoribus dixerit. *l. diem proferre* 27. *§. si quis* 4. *ff. eodem.* Ad sententiam autem dicendam, ubi semel compromissum receperit, Arbiter per Judicem suum cogi poterit. *l. 3. §. 1. & tot. t. ff. hoc t.* Dictam verò sententiam revocare aut mutare non potest: quia expiravit ejus officium *l. qualem* 19. *§. 2. cum ll. seqq. ff. d. t.*

Demùm executio compromissi per ordinarium Judi- 15 cem fieri debet, non per Arbitrum, qui *jurisdictionem* propriè non habet, sed tantùm aliquam *notionem l. 3. C. de Jurisdict.* Aliter autem jus agendi ex compromisso datur ex Legibus antiquis & aliter ex novis. Etenim de jure veteri, si *pœna* fuisset adjecta (puta is, qui compromisso non pareret, 100. solveret) agebatur ad *pœnam*; si minùs, non dabatur actio ad id, quod Arbiter pronunciavit *l. 2. ff. hoc tit.* nisi stipulatione interveniente ad interesse. *l. diem proferre* 27. *§. ult. ubi* Gottofr. *ff. hoc tit. c. per tuas* 9. *eod.* Nomine autem *interesse* non ipsa res, quæ petitur, sed expensæ factæ, vel in nova lite faciendæ communiter intelliguntur. Panormit. *in d. c. per tuas n. 17.* Hodie verò, licet *pœna* vel *stipulatio* compromisso adjecta non sit, si tamen sententia sive laudum *expressè* per subscriptionem partium, vel *tacitè* per lapsum 10. dierum *homologatum*, id est, confirmatum sit, dabitur actio *in factum*, ut vocat Justin. vel *condictio ex lege* coram ordinario Judice ad arbitrii executionem, *l. pen. Cod. hoc tit.* Illud prætereà advertendum est, quòd si *pœna* sit compromisso adjecta, tunc compromissum fiat conditionatum, seu alternativum, ut scilic. stetur compromisso, vel solvatur *pœna*, utrum condemnatus elegerit; nisi *pœnæ* superaddita sit clausula: *rato manente pacto*: tunc enim ad *pœnam* & ad rem ipsam agi potest, ejusdemque clausulæ vim & effectum habere juramentum, tradit Panorm. *in d. cap. per tuas n. 13.* Sed intra 16 quantum tempus committetur *pœna*, si non detur id, quod Arbiter dari jusserit? Respond. esse distinguendum, utrum certa dies sit solutioni adjecta, vel non? Priori casu committetur pœna, si cessante legitimo impedimento intra diem præfixum solutio facta non sit. Si tamen etiam post terminum solutio ab altera parte acceptata sit, petitioni pœnæ renunciatum censetur, *l. Celsus* 23. *in pr. ff. h. t.* Altero autem casu modicum tempus & arbitrio boni viri commodum ad solvendum conceditur; quod si præterierit, pœna quidem statim peti potest: si tamen debitor ante judicium acceptum solverit, *pœna* liberabitur. *l. quid tamen* 21. *§. fin. ff. eod. tit.* Lanfr. *in a. 7. divis. numer.* 20.

Quid autem, si arbitramentum habeat v. g. 4. capitu- 17 la, & pars contraveniat in uno, an committetur tota pœna, vel tantùm pro rata, scil. quarta parte? Hoc posterius æquitati conformius asserimus, nisi aliter expressè conventum sit, *l. si servus* 9. *§. 1. ff. Si quis cautionibus, &c. l. si procurator* 18. *ff. Rem ratam haberi.*

FINIS PRIMI LIBRI.

LIBER



LIBER II.
DECRETALIUM.
TITULUS I.
De Judiciis.

SUMMARIA.

1 *Quid sit judicium?*
2 *In judicio tres sunt personæ principales, Judex, actor & reus.*
3 *Agere prohibentur minorennes sine auctoritate tutorum vel curatorum, & filiifamilias sine consensu parentum exceptis causis beneficialibus & spiritualibus.*
4 *Religiosi agere non possunt sine licentia Abbatis: nisi degant extra Monasterium.*
5 *Prælatus potest agere sine consensu Capituli: nisi causa sit valdè ardua.*
6 *Qui possunt esse Rei?*
7 *Quidam possunt esse Rei, qui non possunt esse actores.*
8 *Qui sint Assessores, & quinam Judices eos habere possint?*
9 *Assessores non habent Jurisdictionem.*
10 *Auditores qui sint?*
11 *Judicium aliud sæculare, aliud Ecclesiasticum.*
12 *Aliud ordinarium, aliud summarium: quod in certis causis Ecclesiasticis servandum: item, in causis miserabilium personarum & similibus.*
13 *Quomodo in judicio summario procedatur?*
14 *Judicium aliud criminale, aliud civile.*
15 *Civile aliud petitorium, aliud possessorium.*
16 *Monitum utile & Christianum de non temerè instituendis litibus.*



B hoc titulo incipit hic Liber secundus Decretalium materias judiciales complectens, qualiter judicia instituenda, tractanda & finienda sint. Idcircò Compilator tit. de *Judiciis* in genere præmittit, ubi Interpretes de variis judiciorum divisionibus agunt, quos etiam ut imitetur, aliquot ejusmodi divisiones assignavimus. Priùs tamen de personis judicialibus nonnulla præmittemus. Excusatus autem sim, si in hac practica materia processus judiciarii assumptam methodum certa ab incertis separandi non æquè observavero; nam propter diversissimos judiciorum stylos & varias DD. interpretationes (quibus quisque stylum Curiæ suæ defendere nititur) res plurimùm confusa est, ita ut vix aliquid certi statui possit. Dicam proinde, quæ magis sunt fundamentalia, & magis inter AA. recepta, reliqua usus & practica forensis docebit.

1 Judicium nihil est aliud, quàm legitima controversiæ, quæ est inter actorem & reum, apud Judicem disceptatio, & dijudicatio. Hæc judiciorum observatio necessariò constituta fuit, ne quis propria authoritate, sed per Judicem injuriam divertat, suumque reposcat, & ita plurima mala & perturbationes in republica evitentur. Dixi, quòd judicium sit disceptatio inter actorem & reum apud judicem: tres enim sunt personæ
principales, ex quibus judicium constituitur, vide- 2
licet *Judex*, *Actor*, & *Reus*. *Judex* quis sit, & quod ejus officium, supra in *T. de Officio Judicis* tractavimus, & infra etiam *in Tit. de sentent. & re judicata* aliqua addemus.

Actor ab agendo dictus, est is, qui actionem intendit, sive in judicio quid à parte adversa petit, & consequenter agere pro se ex jure competente possunt o-
mnes, qui non prohibentur. Prohibentur autem Mino- 3
rennes sine authoritate tutorum vel curatorum; Filiifamilias sine consensu parentum; & cæteri de quibus *in tit. Cod. Qui legitimam personam standi in judicio habeant.* De jure tamen Canonico in beneficialibus & spiritualibus causis, atque dependentibus ab iis, major 14. annis, & etiam filiifamilias sine consensu parentum ad agendum & defendendum admittuntur, *cap. fin. hoc tit. in 6.*

Religiosi quoque sine licentia Abbatis agere non pos- 4
sunt, nisi de ejusdem Abbatis licentia extra Monasterium degant: nam ex quo habent licentiam commorandi extra Monasterium (e. g. in studiis aut Parochiis) per consequens censentur habere licentiam faciendi ea, sine quibus ibi esse non possunt, ait Speculator *in tit. de Actor. numer. 5. arg. l. si longius, 18. §. 1. ff. hoc tit.*

De Prælato dubitatur, an sine consensu Capitu- 5
li agere valeat? Respond. Communior est sententia contra Gloss. *in cap. 1. de Procurat.* quòd sive bona Capituli & Prælati sint distincta, sive communia, dummodò Prælatus generalem desuper administrationem habeat, possit irrequisito Capitulo in judicio agere & conveniri, nisi arbitrio judicis causa esset valdè ardua; unde generalem ponunt doctrinam, quòd personæ quæcunque legitimam & universalem administrationem habentes possint sine consensu alterius actionem instituere & excipere, Innoc. Fel. Bath. & communiter alii in *cap. edoceri 21. de Rescriptis*. Facit *cap. quis generaliter 5. de Procurat. in 6. l. fin. ff. Quod cujusque Universitatis nomine.*

Reus à re, ratione cujus convenitur, appellatur, 6
estque is, contra quem in judicio agitur. Rei fieri omnes possunt, ita tamen ut quidam non propria, sed aliena authoritate defendantur, cujusmodi sunt

pupilli, minorennes, & usu rationis destituti. Item si contra Monasterium detur actio non Conventus, sed Abbas conveniendus erit. Innoc. *in d. c. edoceri num.* 30. Imò sunt nonnulli, qui licèt agere prohibeantur, tamen Rei personam jure sustinent, ut sunt excommunicati, *cap. cum inter* 5. *de Except.* quibus annumerantur deportati ex generali ratione, quòd per excommunicationem aut deportationem adimatur quidem actio, quæ est juris civilis, non verò defensio, quæ est juris naturalis: & deinde excommunicatio vel deportatio cederet in commodum excommunicatorum vel deportatorum, è contra verò in damnum aliorum, qui res suas ab iis petere non possent.

Præter istas tres personas principales Judicem, Actorem & Reum, aliæ insuper adhibentur in judicio, ut id faciliùs & rectiùs expediatur, nimirum *Assessores*, *Auditores*, *Scribæ* & *Viatores*.

8 *Assessores* sunt, qui judici assident, eumque suo consilio in judicando adjuvant, unde & *Consiliarii* dicuntur, *l. penult. ff. de Officio assess. & in l. consiliarios* 3. *C. de Assessor.* Assessores habere possunt judex tam Ordinarius, quàm Delegatus; qui si propter suam insufficientiam revera indigeat assessore, potest illum assumere, & partes litigantes debebunt illi sportulas, seu salarium præstare quamvis delegatus ipse gratis justitiam administrare debeat, *cap. statutum* 11. *§. assessorem de Rescriptis in* 6. Ordinarius autem, si velit habere assessorem, debet ipsi de suo dare salarium, si de foro Ecclesiastico loquamur, ubi judex ipse, qui in Ordinarium constitutus est, debet scire Canones *cap.* 1. *de Consanguinitate & affinitate*, sed in foro sæculari, in quo judex non tenetur scire leges, sed tantùm habere experientiam de causis, *l. certi juris* 17. *C. h. tit.* non est improbabile, quòd as-
9 sessorem ex sumptibus litigantium habere possit. Sylvest. *verb. Judex §.* 3. *n.* 15. Porro assessores nullam jurisdictionem habent, unde absente judice sine ejusdem commissione statuere nihil possunt, *l. nunquam* 13. *C. de Assessoribus*, sed nec Judex ipsorum consilium necessariò sequi tenetur, aliud est enim requirere alicujus consilium aliud sequi consilium; prius facit Judex, non posterius, *arg. cap. cum olim* 7. *de Arbitris*. Speculator *in Tit. de requisitione consilii numero* 10. *& in Tit. de sent, §.* 8. *n.* 3.

10 *Auditores*, qui præsertim in curia Romana & apud Legatos Sedis Apostolicæ usitati sunt, illi dicuntur, quibus vel tota causa vel certus causæ articulus examinandus committitur, eo fine ut post factum diligens examen rem omnem judici exponant, ejusque decisioni relinquant. Hi Auditores habent quidem jurisdictionem in cognoscendo, ita ut partes ad audientiam citare testes, & probationes admittere possint &c. in decidendo autem seu sententiando jurisdictionem non habent, nisi hoc ipsis specialiter à principali delegetur, Sylvest. *verbo Auditor.* Speculator & Bal. *in Tit. de Audit. De Scribis*, qui alio nomine *Notarii* aut *Secretarii*; item de *Viatoribus*, qui vulgò *Pedelli*, *Cursores*, vel *Executores* appellantur, dicemus, cùm de fide instrumentorum, citatione & executione rei judicatæ tractabimus. Modò ad judiciorum divisionem transeamus.

Judicium in primis aliud est *Sæculare*, cui præest Laicus vel etiam Clericus ratione patrimonii, territorii, alteriusve potestatis sæcularis, in quo causæ inter Laicos &
11 Laicos agitatæ deciduntur. Aliud *Ecclesiasticum*, *cui* præest Clericus potestate ab Ecclesia sibi facta, in quo causæ ecclesiasticæ inter ipsos Clericos controversæ dirimuntur, *c. decernimus* 2. *hoc tit.*

12 Rursum *Judicium* aliud est *Ordinarium*, quando judex cum ordinaria figura & strepitu judicii juxta præscriptum juris procedit. Aliud est *Summarium*, quando judex omissis ambagibus & ordinariis judiciorum solemnitatibus summatim de causa cognoscit. Hoc summarium judicium est necessarium in causis electionum, provisionum, matrimonii, usurarum & similibus, ubi periculum aliquod in mora positum est, veluti est in electionibus & provisionibus, ne Ecclesiæ detrimentum patiantur defectu administratoris. In matrimoniis est periculum incontinentiæ, in usuris periculum damnificandi eos, quibus restitutio fieri debet. Ex eadem ratione in benè constitutis tribunalibus summariter tractantur causæ paupe-
rum, alimentorum, carceratorum, spolii, depositi, pupillorum, viduarum, mercedis, forensium seu peregrinorum, & rerum levis momenti. Suting. *in Processu judiciario observ.* 3. Proinde in enumeratis causis judex 13
etiam tempore feriarum ob hominum necessitates indultarum cognoscet, & dilationes amputando, exceptiones & appellationes frustratorias repellendo, litem, quantum poterit, faciet breviorem, *Clement.* 2. *h. t. & Clement. sæpè* 2. *de Verb. signif.* Interim tamen probationes necessariæ, defensiones, legitimæ, citationes, præstatio juramenti calumniæ & malitiæ etiam in processu summario omitti non debent. Vallens. *h. t. §.* 6. Quòd si judicium multis litibus occupatum fuerit, & causa summariter tractanda incidat, quæ non possit ita velociter expediri, rectè facit judex, si quosdam de suis assessoribus ad illam causam terminandam Delegatos seu Commissarios constituerit. Suting. *d. observat.* 3. *n.* 5.

Præterea *Judicium* aliquando sumitur pro ipsa actione, 14
quæ instituitur, & sic judicium aliud est *Criminale*, aliud *Civile*. Criminale est, quando agitur de crimine ad vindictam publicam; Civile verò quando non agitur super crimine, sed super re aliqua aut jure debito, vel si quidem agatur super crimine, non tamen ad vindictam publicam, sed ad interesse privatum; ita si injuriatus agat ad recompensationem damni vel pœnam pecuniariam sibi applicandam, dicitur civiliter agere, *§.* 10. *& ibi DD. Instit. de injuriis* & maritus propter adulterium uxoris agens ad divortium & lucrum dotis etiam civiliter agit. *c. tua* 5. *de Procurat.*

Judicium civile subdividitur, quòd aliud sit *Petitorium*, aliud *Possessorium*. *Petitorium* est, in quo de pro- 15
prietate rei aut juris agimus; *Possessorium* verò, in quo omissa quæstione proprietatis tantùm litigatur, cui pro tempore sola rei possessio adjudicanda sit. Circa hæc duo judicia infra *in Tit. de Causa possessionis & proprietatis* plura dicentur.

Antequam verò ad ulteriorem judicii processum pro- 16
grediamur, non possum non monere, cautè & conscientiosè, non temerariè & contra Christianam charitatem actionem institui debere, atque illud vulgi proverbium benè observandum esse, quòd tenuis transactio plerumque præstet pingui sententiæ; nam expertus quidam pro posteriorum cautela rectissimè scriptum reliquit, in causarum controversiis capitales inimicitias oriri, fieri amissionem expensarum, laborem animi exerceri, corpus quotidie defatigari, multa & inhonesta crimina inde consequi, bona & utilia opera postponi, & qui sæpè credunt obtinere, succumbere, & si obtinent, computatis laboribus & expensis, nihil acquirere.

TITULUS II.

De foro competenti.

SUMMARIA.

1 *Fori competentia ex tribus principiis inducitur.*
2 *Quid sit avocatio causæ, quæ etiam fori competentia inducitur.*
3 *Quinam causas avocare possint?*
4 *Aliud genus avocationis quando superior subditum incompetenter litigantem ad se avocat.*

FOri competentia deducitur ex tribus potissimùm principiis; videlicet I. ex persona *Judicis ejusque Jurisdictione*. II. ex persona *Rei conventi*. III. ex *qualitate causæ*. 1

Ex persona *Judicis* competit forum, quia est *Ordinarius*, vel *Delegatus*, vel *Compromissarius*, vel quia *prorogata est ejus jurisdictio*, aut quia *merum vel mixtum Imperium habet*. Ex persona *Rei*, cujus forum actor sequitur, datur fori competentia ubi reus habet *domicilium*, aut *res*, quæ petitur, *sita est*, vel ubi *contraxit*, aut *deliquit*: Item quia *Clericus & Ecclesiasticus* est: vel *quia præventus* est. Ex qualitate denique *causæ* competens est forum, si causa sit *Ecclesiastica* vel *sæcularis*, si *mixta*, si *connexa*,

si *sen-*

si feudalis . Verùm de Judice *Ordinario* , *Delegato* , *& Compromissario*, eorumque jurisdictione & jurisdictionis *prorogatione* jam in superiori Libro competentibus Titulis dictum est, quos hic circa *competentiam fori* ex persona *Judicis* supponimus . Solùm breviter adnotandum est, aliquando dari *competentiam fori* apud Judicem superiorem , quia is causam ab inferiore Judice avocavit. Est igitur *avocatio* vel *evocatio* nihil aliud , quàm litis pendentis coram inferiore ad superiorem , à qua potestatem judicandi accepit, citra appellationem facta translatio in eo statu , in quo apud Inferiorem reperitur.
3 Texr. & DD. *in cap. ut nostrum* 56. *de Appell. l. judicium solvitur* 68. *ff. de Judic.* Cujusmodi *Superior* est S. Pontifex respectu inferiorum Prælatorum; quilibet Imperii Status in suo territorio, Vult. *ad tit. Cod. de Juris d. numer.* 173. Episcopus respectu Vicarii, Covarr. *pp. qq. cap. 9. nnmer.* 1. Ordinarius quilibet respectu delegati, *d. l.* 58. *ubi* Gloss. Covar. *d. num.* 1. Non autem *Subdelegans* respectu *Subdelegati*, nisi in re integra ante citationem revocaverit, quia per subdelegationem , qua jam usus est subdelegatus, cessat jurisdictio in delegato *cap. 6. & 7. de Offic. Deleg. in 6.* Nec Archiepiscopus respectu Episcopi suffraganei, quia non est Judex competens in causis subditorum sui suffraganei extra Appellationem. Covar. *d. l. nnmer.* 2. nec Legatus Sedis Apost. respectu Episcopi. Trident. *Sess.* 24. *de Reform. capit.* 20. Ipse quoque Imperator , propter specialia pacta cum Statibus Imperii inita, causas ab iisdem avocare non potest ; imò nec à Camera Spitensi , quamvis ipsius sit judicium . *Ord. Cam. p. 2. t. 26.* Gail. 1. *O.* 41. Harp. *in Thes. sen conclus. de Juris. num.* 78.

4 Alia autem *Avocatio* , quando nimirum unus Judex ab alio pari vel superiori subditum suum incompetenter litigantem avocat, ut cùm jurisdictio illius Judicis prorogari non potuit (de quo supra *in Tit. de Officio Judic. n.* 30. *& seqq.* dictum) non est propriè *avocatio* , sed potiùs *exceptio declinatoria fori*, quæ si non admittatur, dabitur appellatio : nam *avocatio* non potest fieri à pari vel superiore , sed tantùm ab inferiore , cujus jurisdictio aliquo modo ab avocante dependet , Gail. *d. O.* 41 *nnmer.* 7. *& seqq.* Vult. *d. l. nnmer.* 174. His ita præmissis de *competentia fori* ex persona *Rei* & ex *qualitate causa* exactiùs agetur.

PARS PRIMA.

De competentia Fori ex parte Rei conventi.

CUm generalis regula sit , quòd Actor forum Rei sequatur , *cap. 5. & 8. hoc tit.* videamus, ex quibus causis Reus forum competens sortiatur . Id verò variis modis fieri potest : nempe ratione *Domicilii* , *Rei petita* , *Contractus* , *Delicti* , *Praventionis* , *Privilegii* maximè Clericalis . Quibus specialiter aliqua addemus de foro *Legis diffamari* . *Cod. de Ingen. & manumiss.*

---

§. I.

De Foro Domicilii .

SUMMARIA.

5 *Quid & quotuplex sit Domicilium?*
6 *Non est in usu, ut aliquis in loco originis conveniatur.*
7 *Domicilium habitationis perpetua facit forum competens, & qualiter constituatur?*
8 *Quasi Domicilium tribuit forum pœnitentiale.*
9 *Studiosi ubi conveniantur.*
10 *Quasi Domicilium an fundet jurisdictionem fori externi?*
11 *Vagi propriè dicti possunt ubique in jus trahi.*
12 *Filius non sequitur Domicilium Patris.*
13 *Studiosi etiam de gestis alibi in loco studiorum conveniri decent.*
14 *In loco Domicilii potest quis conveniri super re alibi sita, aut gesta.*

DOmicilium in genere dici potest locus habitationis, 5 dividiturque communiter à DD. in Domicilium *naturale seu originis* , in Domicilium *accidentale seu habitationis perpetua*, & in *quasi domicilium seu habitationis temporalis* .

Domicilium *originis* illud appellatur , ubi quis natus 6 est. Et si quidem Reus tempore actionis institutæ ibidem habitet, non est dubium , quin eo loco rectè conveniatur . Sin autem habitationem suam aliò transtulerit, tunc jus conveniendi aliquem in loco originis ab usu recessisse tradit Colet. *in Tract. de Process. exec. p. 2. c. 2. n.* 17. Matth. Steph. *de Offic. Jud. p. 1. lib. 1. cap. 8. n.* 28.

Domicilium *habitationis perpetua*, quod propriè fo- 7 rum competens facit, dicitur ille locus , ubi quis bona & res suas collocavit , animo ibi perpetuò commorandi ; ille verò , qui ad locum aliquem se confert etiam ad longius tempus, sed non perpetuò ibi mansurus , is in tali loco neutiquam Domiciliarius & incola , sed hospes tantùm & peregrinus habebitur *l. cives 7. Cod. de Incolis.* Menoch. *de Arbitr. jud. lib. 2. cent. 1. cas.* 86. *numer.* 7. Proinde constituitur Domicilium *animo* (scilicet perpetuò habitandi in loco) & *facto* (scilicet transferendo possessiones & actualem habitationem) nec solo *animo* , nec solo *facto l. Domicilium 20. ff. Ad munic. junct. d. l. 7. Codic. de Incol.* Quod tamen non eo sensu accipiendum est , quasi nunquam ampliùs liceat de loco domicilii recedere : etenim ad rationem domicilii sufficit perpetuitas *proposita* , quamvis hoc *propositum* simul & *domicilium* ex post facto mutetur ; quemadmodum nuptiæ de jure Civ. dicuntur *omnis vita* consortium , *l. 1. ff. de Ritu nupt.* non obstante , quòd de illo jure post contractas nuptias frequentissima fuerint divortia , quæ vera divortia non habebantur , nisi facta fuissent animo constituendi *perpetuam* dissensionem . *l. g. 3. ff. de Divort.* Præterea notandum est , quòd ad constituendum domicilium nullus certi temporis lapsus requiratur , sed constitutum censeatur , simul ac quis re ipsa & facto declatarit , se animo perpetuò hic habitandi advenisse ; nisi quòd aliquando in dubio , quando non constat de mente adventantis , ex diuturnitate temporis , videl. 10. annorum , præsumatur domicilium constitutum . *l. 2. Codic. de Incolis* , quæ tamen præsumptio probationem in contrarium admittit Menoch. *de Arbitr. d. c.* 86. Sanch. *de Matrim. lib. 3. disp. 23. num.* 2.

Quasi Domicilium dicitur locus, ubi quis per longius 8 tempus moram trahit , absque tamen animo ibi perpetuò consistendi . Istud *quasi Domicilium* ex recepta DD. sententia fundat jurisdictionem *fori pœnitentialis* , & facit, ut proprius Parochus dicatur ille circa administrationem Sacramentorum , in cujus Parochia aliquis per longius tempus (v. g. per majorem anni partem) habitat, vel habitare intendit, ut latè probat Sanch. *d. disp. 23. n.* 12. Circa jurisdictionem *fori externi* non est inprimis 9 dubitandum, quin aliquis in loco *quasi domicilii* conveniri possit de actibus ibidem gestis, scilicet contractibus ibidem initis, vel delictis commissis; quomodo Studiosi in loco , ubi studiorum causa temporaliter morantur , coram Rectore , vel optione ipsis Scholaribus data coram Episcopo Civitatis (quam tamen *optionem* consuetudine Academiarum sublatam ait Bes. *de Jure Acad. c. 6. n.* 2.) conveniuntur *auth. habit. C. Ne filius pro patre &c.*

Verùm tota difficultas est , an aliquis in loco *quasi do-* 10 *micilii* conveniri possit de iis , quæ alibi gessit , v. g. si alibi contraxerit, vel deliquerit? Nos distinctionem adhibemus, an habens *quasi domicilium* in uno loco , alibi habeat *verum* domicilium , vel non? Priori casu putamus juri conformius cum Barthol. *in l. hæres absens* , 19. *ff. de Judic. n.* 6. quòd aliquis in *verò* domicilio conveniendus sit , eò quòd appellatione domicilii , non veniat *quasi domicilium* . *d. l. 7. Codic. de Incol.* Si tamen verum domicilium nimis remotum esset , quo actor sine magnis sumptibus & incommoditatibus pervenire non posset, æquitas suadere videtur , ut vox *Domicilium* paulo

pupilli, minorennes, & usu rationis destituti. Item si contra Monasterium detur actio non Conventus, sed Abbas conveniendus erit. Innoc. *in d. c. edoceri num.* 30. Imò sunt nonnulli, qui licèt agere prohibeantur, tamen Rei personam jure sustinent, ut sunt excommunicati, *cap. cum inter 5. de Except.* quibus annumerantur deportati ex generali ratione, quòd per excommunicationem aut deportationem adimatur quidem actio, quæ est juris civilis, non verò defensio, quæ est juris naturalis: & deinde excommunicatio vel deportatio cederet in commodum excommunicatorum vel deportatorum, è contra verò in damnum aliorum, qui res suas ab iis petere non possent.

Præter istas tres personas principales Judicem, Actorem & Reum, aliæ insuper adhibentur in judicio, ut id faciliùs & rectiùs expediatur, nimirum *Assessores*, *Auditores*, *Scribæ* & *Viatores*.

8 *Assessores* sunt, qui judici assident, eumque suo consilio in judicando adjuvant, unde & *Consiliarii* dicuntur, *l. penult. ff. de Officio assess. & in l. consiliarios 3. C. de Assessor.* Assessores habere possunt judex tam Ordinarius, quàm Delegatus; qui si propter suam insufficientiam revera indigeat assessore, potest illum assumere, & partes litigantes debebunt illi sportulas, seu salarium præstare quamvis delegatus ipse gratis justitiam administrare debeat, *cap. statutum 11. §. assessorem de Rescriptis in 6.* Ordinarius autem, si velit habere assessorem, debet ipsi de suo dara salarium, si de foro Ecclesiastico loquamur, ubi judex ipsa, qui in Ordinarium constitutus est, debet scire Canones *cap. 1. de Consanguinitate & affinitate*, sed in foro sæculari, in quo judex non tenetur scire leges, sed tantùm habere experientiam de causis, *l. certi juris 17. C. h. tit.* non est improbabile, quòd as-
9 sessorem ex sumptibus litigantium habere possit. Sylvest. *verb. Judex §. 1. n. 15.* Porro assessores nullam jurisdictionem habent, unde absente judice sine ejusdem commissione statuere nihil possunt, *l. nunquam 13. C. de Assessoribus*, sed nec Judex ipsorum consilium necessariò sequi tenetur, aliud est enim requirere alicujus consilium aliud sequi consilium; prius facit Judex, non posterius, *arg. cap. cum olim 7. de Arbitris.* Speculator *in Tit. de requisitione consilii numero* 10. *& in Tit. de sent. §. 8. n. 3.*

10 *Auditores*, qui præsertim in curia Romana & apud Legatos Sedis Apostolicæ usitati sunt, illi dicuntur, quibus vel tota causa vel certus causæ articulus examinandus committitur, eo fine ut post factum diligens examen rem omnem judici exponant, ejusque decisioni relinquant. Hi Auditores habent quidem jurisdictionem in cognoscendo, ita ut partes ad audientiam citare testes, & probationes admittere possint &c. in decidendo autem seu sententiando jurisdictionem non habent, nisi hoc ipsis specialiter à principali delegetur, Sylvest. *verbo Auditor.* Speculator & Bal. *in Tit. de Audit. De Scribis*, qui alio nomine *Notarii* aut *Secretarii*; item de *Viatoribus*, qui vulgò *Pedelli*, *Cursores*, vel *Executores* appellantur, dicemus, cùm de fide instrumentorum, citatione & executione rei judicatæ tractabimus. Modò ad judiciorum divisionem transeamus.

Judicium in primis aliud est *Sæculare*, cui præest Laicus vel etiam Clericus ratione patrimonii, territorii, alteriusve potestatis sæcularis, in quo causæ inter Laicos &
11 Laicos agitatæ deciduntur. Aliud *Ecclesiasticum*, *cui* præest Clericus potestate ab Ecclesia sibi facta, in quo causæ ecclesiasticæ inter ipsos Clericos controversæ dirimuntur, *c. decernimus 2. hoc tit.*

12 Rursum *Judicium* aliud est *Ordinarium*, quando judex cum ordinaria figura & strepitu judicii juxta prescriptum juris procedit. Aliud est *Summarium*, quando judex omissis ambagibus & ordinariis judiciorum solemnitatibus summatim de causa cognoscit. Hoc summarium judicium est necessarium in causis electionum, provisionum, matrimonii, usurarum & similibus, ubi periculum aliquod in mota positum est, veluti est in electionibus & provisionibus, ne Ecclesiæ detrimentum patiantur defectu administratoris. In matrimoniis est periculum incontinentiæ, in usuris periculum damnificandi eos, quibus restitutio fieri debet. Ex eadem ratione in benè constitutis tribunalibus summariter tractantur causæ pauperum, alimentorum, carceratorum, spolii, depositi, pupillorum, viduarum, mercedis, forensium seu peregrinorum, & rerum levis momenti. Suting. *in Processu judiciario observ. 3.* Proinde in enumeratis causis judex 13
etiam tempore feriarum ob hominum necessitates indultarum cognoscet, & dilationes amputando, exceptiones & appellationes frustratorias repellendo, litem, quantum poterit, faciet breviorem, *Clement. 2. h. t. & Clement. sæpè 2. de Verb. signif.* Interim tamen probationes necessariæ, defensiones, legitimæ, citationes, præstatio juramenti calumniæ & malitiæ etiam in processu summario omitti non debent. Vallens. *h. t. §. 6.* Quòd si judicium multis litibus occupatum fuerit, & causa summariter tractanda incidat, quæ non possit ita velociter expediri, rectè facit judex, si quosdam de suis assessoribus ad illam causam terminandam Delegatos seu Commissarios constituerit. Suting. *d. observat. 3. n. 5.*

Præterea *Judicium* aliquando sumitur pro ipsa actione, 14
quæ instituitur, & sic judicium aliud est *Criminale*, aliud *Civile*. Criminale est, quando agitur de crimine ad vindictam publicam; Civile verò quando non agitur super crimine, sed super re aliqua aut jure debito, vel si quidem agatur super crimine, non tamen ad vindictam publicam, sed ad interesse privatum; ita si injuriatus agat ad recompensationem damni vel pœnam pecuniariam sibi applicandam, dicitur civiliter agere, *§. 10. & ibi DD. Instit. de injuriis* & maritus propter adulterium uxoris agens ad divortium & lucrum dotis etiam civiliter agit. *c. tua 5. de Procurat.*

Judicium civile subdividitur, quòd aliud sit *Petitorium*, aliud *Possessorium*. *Petitorium* est, in quo de proprietate rei aut juris agimus; *Possessorium* verò, in quo omissa quæstione proprietatis tantùm litigatur, cui pro tempore sola rei possessio adjudicanda sit. Circa hæc duo judicia infra *in Tit. de Causa possessionis & proprietatis* plura dicentur. 15

Antequam verò ad ulteriorem judicii processum progrediamur, non possum non monere, cautè & conscientiosè, non temerariè & contra Christianam charitatem actionem institui debere, atque illud vulgi proverbium benè observandum esse, quòd tenuis transactio plerumque præster pingui sententia; nam expertus quidam pro posteriorum cautela rectissimè scriptum reliquit, in cau- 16
„ satum controversiis capitales inimicitias oriri, fieri
„ amissionem expensarum, laborem animi exerceri, cor-
„ pus quotidie defatigari, multa & inhonesta crimina in-
„ de consequi, bona & utilia opera postponi, & qui sæ-
„ pè credunt obtinere, succumbere, & si obtinent, com-
„ putatis laboribus & expensis, nihil acquirere.

TITULUS II.

De foro competenti.

SUMMARIA.

1 *Fori competentia ex tribus principiis inducitur.*
2 *Quid sit avocatio causa, quæ etiam fori competentia inducitur.*
3 *Quinam causas avocare possint?*
4 *Aliud genus avocationis quando superior subditum incompetenter litigantem ad se avocat.*

FOri competentia deducitur ex tribus potissimùm principiis; videlicet I. ex persona *Judicis ejusque Jurisdictione*. II. ex persona *Rei conventi*. III. ex *qualitate causa*. 1

Ex persona *Judicis* competit forum, quia est *Ordinarius*, vel *Delegatus*, vel *Compromissarius*, vel quia *prorogata est ejus jurisdictio*, aut quia *merum vel mixtum Imperium habet*. Ex persona *Rei*, cujus forum actor sequitur, datur fori competentia ubi reus habet *domicilium*, aut *res*, quæ petitur, *sita est*, vel ubi *contraxit*, aut *deliquit*: Item quia *Clericus & Ecclesiasticus* est: vel *quia præventus* est. Ex qualitate denique *causa* competens est forum, si causa sit *Ecclesiastica* vel *sæcularis*, si *mixta*, si *connexa*,

si seu-

si *feudalis*. Verùm de Judice *Ordinario*, *Delegato*, & *Compromissario*, eorumque jurisdictione & jurisdictionis *prorogatione* jam in superiori Libro competentibus Titulis dictum est, quos hic circa *competentiam fori* ex persona *Judicis* supponimus. Solùm breviter adnotandum est, aliquando dari *competentiam fori* apud Judicem superiorem, quia is causam ab inferiore Judice avocavit. Est igitur *avocatio* vel *evocatio* nihil aliud, quàm litis pendentis curam inferiore ad superiorem, à qua potestatem judicandi accepit, citra appellationem facta translatio in eo statu, in quo apud Inferiorem reperitur.
3 Text. & DD. *in cap. ut nostrum 56. de Appell. l. judicium solvitur 68. ff. de Judic.* Cujusmodi *Superior* est S. Pontifex respectu inferiorum Prælatorum; quilibet Imperii Status in suo territorio, Vult. *ad tit. Cod. de Juris d. numer.* 173. Episcopus respectu Vicarii, Covarr. *pp. qq. cap. 9. numer.* 1. Ordinarius quilibet respectu delegati, *d. l.* 58. *ubi* Gloss. Covar. *d. num.* 1. Non autem *Subdelegans* respectu *Subdelegati*, nisi in re integra ante citationem revocaverit, quia per subdelegationem, qua jam usus est subdelegatus, cessat jurisdictio in delegato *cap. 6. & 7. de Offic. Deleg. in 6.* Nec Archiepiscopus respectu Episcopi suffraganei, quia non est Judex competens in causis subditorum sui suffraganei extra Appellationem. Covar. *d. l. numer.* 2. nec Legatus Sedis Apost. respectu Episcopi. Trident. *Sess. 24. de Reform. capit.* 20. Ipse quoque Imperator, propter specialia pacta cum Statibus Imperii inita, causas ab iisdem avocare non potest; imò nec à Camera Spirensi, quamvis ipsius sit judicium. *Ord. Cam. p. 2. t. 26.* Gail. 1. *O.* 41. Harp. *in Thes. seu conclus. de Juris. num.* 78.

4 Alia autem *Avocatio*, quando nimirum unus Judex ab alio pari vel superiori subditum suum incompetenter litigantem avocat, ut cùm jurisdictio illius Judicis prorogari non potuit (de quo supra *in Tit. de Officio Judic. n. 30. & seqq.* dictum) non est propriè *avocatio*, sed potiùs *exceptio declinatoria fori*, quæ si non admittatur, dabitur appellatio: nam *avocatio* non potest fieri à pari vel superiore, sed tantùm ab inferiore, cujus jurisdictio aliquo modo ab avocante dependet, Gail. *d. O.* 41 *numer. 7. & seqq.* Vult. *d. l. numer.* 174. His ita præmissis de *competentia fori* ex persona *Rei* & ex *qualitate causæ* exactiùs agetur.

P A R S P R I M A.

De competentia Fori ex parte Rei conventi.

CUm generalis regula sit, quòd Actor forum Rei sequatur, *cap. 5. & 8. hoc tit.* videamus, ex quibus causis Reus forum competens sortiatur. Id verò variis modis fieri potest: nempe ratione *Domicilii*, *Rei petitæ*, *Contractus*, *Delicti*, *Præventionis*, *Privilegii* maximè Clericalis. Quibus specialiter aliqua addemus de foro *Legis diffamari. Cod. de Ingen. & manumiss.*

---

§. I.

De Foro Domicilii.

S U M M A R I A.

5 *Quid & quotuplex sit Domicilium?*
6 *Non est in usu, ut aliquis in loco originis conveniatur.*
7 *Domicilium habitationis perpetuæ facit forum competens, & qualiter constituatur?*
8 *Quasi Domicilium tribuit forum pænitentiale.*
9 *Studiosi ubi conveniantur.*
10 *Quasi Domicilium an fundet jurisdictionem fori externi?*
11 *Vagi propriè dicti possunt ubique in jus trahi.*
12 *Filius non sequitur Domicilium Patris.*
13 *Studiosi etiam de gestis alibi in loco studiorum conveniri decent.*
14 *In loco Domicilii potest quis conveniri super re alibi sita, aut gesta.*

DOmicilium in genere dici potest locus habitationis, 5
dividiturque communiter à DD. in Domicilium *naturale seu originis*, in Domicilium *accidentale seu habitationis perpetuæ*, & in *quasi domicilium seu habitationis temporalis*.

Domicilium *originis* illud appellatur, ubi quis natus 6
est. Et si quidem Reus tempore actionis institutæ ibidem habitet, non est dubium, quin eo loco rectè conveniatur. Sin autem habitationem suam aliò transtulerit, tunc jus conveniendi aliquem in loco originis ab usu recessisse tradit Colet. *in Tract. de Process. exec. p. 2. c. 2. n.* 17. Matth. Steph. *de Offic. Jud. p. 1. lib. 1. cap. 8. n.* 28.

Domicilium *habitationis perpetuæ*, quod propriè fo- 7
rum competens facit, dicitur ille locus, ubi quis bona & res suas collocavit, animo ibi perpetuò commorandi; ille verò, qui ad locum aliquem se confert etiam ad longius tempus, sed non perpetuò ibi mansurus, is in tali loco neutiquam Domiciliarius & incola, sed hospes tantùm & peregrinus habebitur *l. cives 7. Cod. de Incolis.* Menoch. *de Arbitr. jud. lib. 2. cent. 1. cas. 86. numer.* 7. Proinde constituitur Domicilium *animo* (scilicet perpetuò habitandi in loco) & *facto* (scilicet transferendo possessiones & actualem habitationem) nec solo *animo*, nec solo *facto l. Domicilium 20. ff. Ad munic. junct. d. l. 7. Codic. de Incol.* Quod tamen non eo sensu accipiendum est, quasi nunquam ampliùs liceat de loco domicilii recedere; etenim ad rationem domicilii sufficit perpetuitas *proposita*, quamvis hoc *propositum* simul & *domicilium* ex post facto mutetur; quemadmodum nuptiæ de jure Civ. dicuntur *omnis vitæ* consortium, *l. 1. ff. de Ritu nupt.* non obstante, quòd de illo jure post contractas nuptias frequentissima fuerint divortia, quæ vera divortia non habebantur, nisi facta fuissent animo constituendi *perpetuam* dissensionem. *leg. 3. ff. de Divort.* Præterea notandum est, quòd ad constituendum domicilium nullus certi temporis lapsus requiratur, sed constitutum censeatur, simul ac quis re ipsa & facto declararit, se animo perpetuò hic habitandi advenisse; nisi quòd aliquando in dubio, quando non constat de mente adventantis, ex diuturnitate temporis, videl. 10. annorum, præsumatur domicilium constitutum. *l. 2. Codic. de Incolis*, quæ tamen præsumptio probationem in contrarium admittit Menoch. *de Arbitr. d. c.* 86. Sanch. *de Matrim. lib. 3. disp. 23. num.* 2.

Quasi Domicilium dicitur locus, ubi quis per longius 8
tempus moram trahit, absque tamen animo ibi perpetuò consistendi. Istud *quasi Domicilium* ex recepta DD. sententia fundat jurisdictionem *fori pænitentialis*, & facit, ut proprius Parochus dicatur ille circa administrationem Sacramentorum, in cujus Parochia aliquis per longius tempus (v. g. per majorem anni partem) habitat, vel habitare intendit, ut latè probat Sanch. *d. disp. 23. n.*
12. Circa jurisdictionem *fori externi* non est in primis 9
dubitandum, quin aliquis in loco *quasi domicilii* conveniri possit de actibus ibidem gestis, scilicet contractibus ibidem initis, vel delictis commissis; quomodo Studiosi in loco, ubi studiorum causa temporaliter morantur, coram Rectore, vel optione ipsis Scholaribus data coram Episcopo Civitatis (quam tamen *optionem* consuetudine Academiarum sublatam ait Bes. *de Jure Acad. c. 6. n. 2.*) conveniuntur *auth. habit. C. Ne filius pro patre &c.*

Verùm tota difficultas est, an aliquis in loco *quasi do-* 10
micilii conveniri possit de iis, quæ alibi gessit, v. g. si alibi contraxerit, vel deliquerit? Nos distinctionem adhibemus, an habens *quasi domicilium* in uno loco, alibi habeat *verum* domicilium, vel non? Priori casu putamus juri conformius cum Barthol. *in l. heres absens, 19. ff. de Judic. n. 6.* quòd aliquis in *vero* domicilio conveniendus sit, eò quòd appellatione domicilii, non veniat *quasi domicilium. d. l. 7. Codic. de Incol.* Si tamen verum domicilium nimis remotum esset, quo actor sine magnis sumptibus & incommoditatibus pervenire non posset, æquitas suadere videtur, ut vox *Domicilium* pau-

lò

Mulieres quoque, Rustici, Milites &c. qui juris ignorantia excusantur, restituuntur, si peritiones consulere non potuerunt. Maranta *de Appellat. p.6. n.89.* per notata *in l. juris ignorantiam 6. Cod. Qui admitti ad bon. possess. &c.* & *in l. ubi. 8. ff.* de *Edendo*. Denique non tantùm ipsis principalibus læsis hoc beneficium competit, sed etiam eorum hæredibus & successoribus universalibus, si modò defunctus in ea conditione fuerit, ut, si adhuc superstes esset, restitui deberet. *L. non solum. 6. ff. h. t. l. minor. 18. §. fin. ff. de Minor.*

6 Sed quid si Minor contra Minorem, Ecclesia contra Ecclesiam restitutionem petat, an audiri debet, vel potiùs obstabit, quòd *privilegiatus contra privilegiatum non utatur privilegio*, sed jure communi? Respondendum est, *restitutionem in integrum* locum habere propter textus Juris claros *in c. auditis 3. h. t. l. verum 11. §. penult. ff. de Minor.* Quòd verò dicitur privilegiatum non uti privilegio contra pariter privilegiatum, id procedit, si utriusque par sit causa; secùs autem si alter certet de lucro captando, & alter de damno vitando: tunc enim is, qui cupit indemnis esse, meritò prævalere debet illi, qui ex re aliena lucrum quærit. Panorm. *in d. c. auditis, n. 8.* nam beneficium restitutionis non datur Minoribus vel Ecclesiis lædentibus, sed læsis, ideoque Minor, vel Ecclesia lædens non est privilegiata, consequenter si res accuratè expenderetur, non concurrit privilegiatus cum privilegiato. Aliud foret, si utraque pars certaret de damno vitando & læsionem allegare posset, sicut exemplum ponitur in *d. l. verùm. §. penult.* si minor solvisset alteri minori, & iste perdidisset, non restitueretur minor solvens contra minorem perdentem.

7 *Restitutio* petenda est coram Judice illius, contra quem petitur, ex generali regula, *quòd actor forum rei sequatur. l. 2. Cod. Ubi & apud quem cognit. in integr. restit. agitanda*. Et hodie Ordinarius administrationem habens, vel Delegatus ab eo, sive sit specialiter ad id delegatus, sive quæstio restitutionis incidat in causa generaliter commissa, restitutionem concedere potest; Ordinarius verò administrationem non habens, vel Delegatus ab eo restituere non potest, nisi petatur *incidenter* non *principaliter*. Ita expressè deciditur *in cap. causa. 9. h. t.* cui consonat *l. fin. Cod. ubi apud quem &c.* Nori etiam Juris esse dicitur Gail. *Lib. 1. obs.* 114. *n. 3.* quòd restitutio quoque adversùs sententiam definitivam ab eodem Judice, qui eam tulit, fieri possit.

Porrò duo sunt *in d. causa*, non satis clara. *Primum* quænam sit differentia inter Judicem administrationem habentem, & eam non habentem. *Deinde* quando dicatur *restitutio in integrum* tantùm *incidenter* postulari.
8 Utrumque explicat Panormit. *in d. cap. causa. in principio n. 3.* quòd nimirùm Judices administrationem habentes dicantur illi, qui habent certum territorium seu districtum, in quo Jurisdictionem exerceant, uti Episcopi & alii terrarum Principes: administrationem verò non habentes illi sint, quorum jurisdictio est fundata tantùm in personis, sicut exemplum ponit in Doctoribus profitentibus, qui habent jurisdictionem in scholares, sine administratione territorii: item exemplum esse potest *ex L. fin. C. de Jurisdictione omnium Judicum*, in Præpositis & Superioribus Collegiorum Communitatum, qui in illos, qui de vel communitate sunt, jurisdictionem exercent.
9 Alterum etiam exponit Panorm. quòd scilicet tunc dicatur *incidenter* peti *restitutio*, quando petitur ante definitivam super certo tantùm causæ articulo, puta ad exceptionem vel probationem omissam proponendam, vel contra interlocutoriam, per quam minor vel Ecclesia se gravatam dicit. Imò ex multorum sententia dicitur incidenter peti restitutio non tantùm, quando ante definitivam petitur, sed etiam quando in continenti post definitivam postulatur intra decendium, antequam sententia transierit in rem *judicatam*, per Gloss. *in c. suscitata. 6. verbo. postulavit. h. t.* Cui videtur adstipulari Panorm. *ibid. n. 5. & 6.* quamvis fateatur, rem apud DD. esse dubiam.

10 Sed hìc quæstio est, an sententia in judicio lata debeat interim executioni mandari, dum causa *restitutionis* pendet? Nam pro affirmativa facit tex. *in d. c. suscitata. h. t.* ubi coram S. Pontifice agebatur pro *in integrum restitutione*, & ibi voluit Pontifex, ut ad executionem sententiæ ante omnia procederetur. Econtra *in l. un. C. in integrum restitut. postulata ne quid novi fiat* rescribit Imperator, quòd restitutione postulata omnia in suo statu manere debeant, & nil circa executionem attentandum sit.

In hac controversia, quæ in foro sæpissimè movetur, dicendum est, quòd restitutio regulariter suspendat executionem, secundùm text. *in d. l. unica*, nisi foret altioris indaginis, & ex conjecturis præsumi posset, quòd ea tantùm ad protelationem litis peteretur: tunc enim executio suspendenda non foret; ita tamen ut victor idoneam cautionem præstaret quòd universa, quæ occasione sententiæ percepisset, restiturus esset Adversario, si in causa restitutionis prævaluerit. Ita textus ipse in *d. c. suscitata* non obscurè insinuat. Mynf. *Cent. 1. obser. 48.* Maranta *de Appell. c. part. 6. n. 108.*

Datur autem beneficium *restitutionis in integrum* cum quibusdam conditionibus. I. Ut petatur intra quadriennium, quod Ecclesiæ currit à die læsionis. *Clem. in h. t.* Minori verò à principio anni 26. suæ ætatis, quando scilicet factus est *majorennis*, circa actus illos in minorennitate gestos. *L. fi. C. de Temporibus in integrum restitutionis*. Sed hìc est quæstio, an quadriennium petendæ *restitutioni* præfixum currat immediatè à die præfactę læsionis, vel potiùs à die scientiæ, quo restituendum in læsionis cognitionem devenit? Probabiliùs est præfatum quadriennium à tempore scientiæ computandum: aliàs enim non satis prospectum esset indemnitati Ecclesiarum & Minorum, si contra occultas suas læsiones nullum haberent remedium. Unde *in c. 1. & 2. h. t. in 6.* dicitur, quòd post quadriennium Ecclesia restituenda non sit, si *negligenter* intra illud tempus *restitutiones* non petierit. Ergo à contrario sensu, si non ex negligentia, sed propter ignorantiam læsionis id factum sit, etiam post quadriennium restituenda erit, quia ex rationabili causa generaliter post quadriennium Ecclesiam restitui expressè *in d. c. 1.* dicitur. Licet quoque aliàs, qui instrumenta ad causam pertinentia penes se habet, non videatur posse justam ignorantiæ causam allegare: propter continuam tamen Officialium & Administratorum in Monasteriis & Ecclesiis mutationem, æquitas aliud meritò suadet, cum ex tali mutatione instrumentorum deperditio, sepositio, & consequenter ignorantia facilè evenire possit. 11

Non obstat etiam *Clement. un. h. t.* in qua dies læsionis pro initio quadriennii assignatur; nam explicari debet, si dies læsionis & scientiæ coincidant, ita ut pro favore Ecclesiarum & minorum jura juribus concordentur. Arnoldus Rath. *in Tract. de Usucapionibus, c. 5. assert. 45.* Ubi dicit, hanc sententiam communi DD. calculo & in praxi receptam esse; cum hac tamen moderatione, ut si post tempus læsionis 40. insuper anni elapsi fuerint, tunc sicut tanto tempore regulariter omnis actio extinguitur, ita etiam *restitutio in integrum*, ne aliàs sequatur inconveniens, quòd contra Ecclesiam nunquam cum effectu procederet præscriptio, utpote quæ semper per *restitutionem* posset in irritum revocari, & sic nullum esset speciale Ecclesiæ Romanæ 100. annorum præscriptione gaudentis privilegium. 12

II. Qui restitutionem postulat, debet probare se *læsum esse c. cùm venissent 2. c. constitutus. 8. h. t. l. ait prat. 7. §. 3. l. verùm. 11. §. sciendum 3. & passim alibi ff. de Minorib.* In Camera tamen practicatum esse dicit Mynsing. *Cent. 4. obs.* 17. ut Minores, qui appellationem omiserunt, restituantur ad appellandum sine alicujus læsionis probatione, eò quòd ipsa appellationis omissio satis probabilis sit læsio. 13

Incidit & hìc non omittenda notabilis quæstio, quid statuendum, si cum minore in eadem lite vel negotio tanquam consors aut correus majorennis versetur, vel cum Ecclesia Laicus, an privilegium restitutionis in integrum etiam majorenni vel Laico profuturum sit. 14

Respondeo esse distinguendum, an causa, super qua restitutio postulatur, sit dividua vel non? Si divisionem recipiat (cujusmodi sunt regulariter obligationes illæ, quæ in dando consistunt; potest enim utique summa v. g. 100. florenorum tota vel pro parte solvi? Joan. Honorius *ad tit. de For. compet. num. 36.*) restitutio Minoris non prodest Majori; secus verò, si causa sit individua, ut si duo se obligarint ad opus faciendum, & neuter sine altero facere possit; vel si duo communem domum, aut rem alienam vendiderint,

quam

quam emptor per partes emere nolit, aut non possit, tunc enim restitutio unius etiam alteri proderit. *L. tutor. 47. §. 1. ff. de Minor. l. un. Cod. Si in comm. eademque causa &c.*

15 III. Non sufficit, ut læsio quoquo modo contigerit, sed requiritur, ut vel dolo adversarii, vel inconsulta facilitate læsi, vel ex negligentia administratoris evenerit; nam si casu fortuito damnum causatum sit, puta, res empta perierit, si post aditam hæreditatem per bellorum incursus bona devastata sint, restitutioni locus haud erit, aliàs qui cum minore vel Ecclesia ageret, quantancunque bonam fidem adhiberet, nunquam de damno securus esset *d. l. 11. §. 4. & seq. ff. de Minor.*

16 IV. Denique, qui alieno nomine *restitutionem* petit, is vel procurator *cum libera* esse, vel mandatum ad id speciale habere debet, per text. & DD. *in cap. coram 7. h. tit. & in l. illud 25. §. 1. ff. de Minoribus*: ita ut sine tali mandato nullus consanguineus præter patrem admittatur. *l. Patri 27. ff. de Minoribus*: in iis enim, quæ requirunt speciale mandatum, non sufficit allegare præsumptionem mandati ex consanguinitate, sicut ex probabiliori & communiori sententia defendit Covar. *Var. Resol. lib. 1. cap. 6. n. 6. cum* Gloss. *in L. exigendi 12. C. de Procuratoribus.* Si tamen non *principaliter*, sed juxta superiùs dicta *incidenter* tantùm peteretur restitutio, sufficeret generale
17 mandatum ad totam causam. Est & notabile, quòd Tutores, Curatores, Oeconomi, Prælati, & reliqui habentes administrationem alieni patrimonii sine mandato speciali *restitutionem in integrum* postulare possint. Ita Abbas, & communiter Interp. *in cap. suscitata 6. h. t.* Mynsing. *Centur. 2. Observ. 26. n. 7.*

18 Cæterùm impetrata *restitutione* res unà cum fructibus saltem extantibus restituenda est. *L. quod si minor. 24. §. restitutio 4. l. patri 27. §. si pecuniam 1. ff. de Minor. l. si prædium 16. Cod. de Prædiis minorum.* Non obstat, quòd fructus sint percepti jure dominii: quia ante restitutionem res supponitur fuisse in dominio possessoris & consequenter videantur restitui non debere. Nam resp. quòd istud dominium tantùm fuerit revocabile, non simplex & absolutum.

19 Item opponitur difficilis textus in *cap. ad nostram 15. de Rebus Ecclesiæ non alienandis.* Ubi Ecclesia rem cum suo damno in feudum datam per restitutionem in integrum recuperavit quidem, fructus autem inde percepti nō Ecclesiæ, sed possessori feudi adjudicati sunt. Respondet in primis nonnemo apud Barb. *in d. cap. ad nostram n. 2.* speciale esse in feudo, ut tametsi id per restitutionem in integrum à Vassallo repetatur, nihilominùs fructus percepti apud eundem permaneant, utpote debiti in recompensationem servitiorum & aliorum onerum feudalium præstitorum, arg. *cap. 1. in fin. In quibus causis feudum amittatur in Usib. feudor. & cap. 1. ext. de Feud.* id quod textus ipse *in d. cap. ad nostram* non obscurè insinuare videtur per illa verba: *cum sibi fructus percepti sufficere debeant pro labore.* Si quis verò contendere velit non esse verisimile, quòd in illa facti specie vassallus multa servitia amplis feudi reditibus æquivalentia Ecclesiæ præstiterit, adferri poterunt aliæ expositiones; nimirùm, quòd textus ille loquatur vel de fructibus, qui impensas in eorum collectione, vel in rem ipsam factas non excedunt; vel de fructibus bona fide consumptis, non verò extantibus. Videatur Covar. *Var. Resol. 1. c. 3.*

20 Quæres, an is, qui non ignorat rem posse à se per restitutionem in integrum avocari, debeat malæ fidei Possessor censeri, & consequenter omnes fructus non tantùm extantes, sed etiam consumptos restituere, juxta *L. certum 22. Cod. de Rei vindicatione.*

Respondet Covar. *dict. loc. n. 5.* quòd in ordine ad lucrandos fructus debeat censeri bonæ fidei possessor. Fundamentaliter autem dependet hæc quæstio ab ea, utrum qui cum minore vel Ecclesia contraxit, unde Minor vel Ecclesia damnum accepit, teneatur in conscientia rem restituere, antequam per restitutionis judicium in foro externo repetatur, supposito quòd contractus ceteroqui in omnes legitimas conditiones habuerit, & ipso jure validus fuerit. Innocentius *in cap. quia plerique 8. de Immunitate Ecclesiarum*, & *ibid.* etiam Panor. *num. 28.* distinguunt, an cum vel sine dolo læsio contigerit? Si sine dolo negant restitutionem debere fieri ante sententiam Judicis: si cum dolo, concedunt. Quòd tamen posterioris distinctionis membrum sic opinor esse declarandum, ut si quidem dolus dederit causam contractui, ita ut nisi dolosa illa persuasio intervenisset, Ecclesia non fuisset contractura, res omnino non expectata Judicis sententia restituenda sit; dolus enim *dans causam contractui* saltem bonæ fidei facit contractum nullum. Ita DD. *ad l. 7. ff. de Dolo.* & proinde nemo ex tali contractu teneri potest. Si verò dolus tantum inciderit in contractu, puta, quia in pretio defraudatio facta est, censeo quidem in animæ judicio faciendam esse restitutionem justi pretii, seu læsionis contingentis, sicut fieri deberet, tametsi sine omni dolo læsio facta fuisset: non tamen debere rem ipsam restitui ante judicialem *restitutionis* sententiam: nam læsio per se non facit contractum invalidum & consequenter non impedit quò minùs res, ejusque dominium ex contractu acquisitum fuerit.

Disputant DD. an Clericus minorennis, qui inconsulto & cum suo damno beneficium resignavit, possit petere in integrum restitutionem? 21

Negativam tenent Acursius *in L. ait prætor 7. ff. de Minoribus* & Cardinalis *in cap. ex parte 14. de Restit. spoliat.* Pro quibus facit text. *in c. fin. de Judiciis in 6.* ex quo probatur, quod minor in causis beneficialibus habeatur pro majorenni; unde & in iis procuratorem constituere, & ipsemet in judicio agere ac se defendere possit. Verùm contraria sententia probabilior est: nam nullo jure minor in renunciatione beneficii excipitur, quò minùs, si lædesus sit, in integrum restituatur. Nihil quoque evincit argumentum ex *d. c. fin.* allatum: quòd enim minor in beneficialibus tanquam majorennis in judicio stare possit, in specialem ipsius favorem est introductum. Ergo non debet in ipsius odium retorqueri, ut propterea privilegio restitutionis in integrum carere debeat. Gloss. *in d. c. ex parte.* Covar. *Var. Resol. lib. 1. cap. 5. n. 3.* Zoes. *hoc. tit. num. 4.*

Sed difficilior est quæstio, an restitutio locum habeat, si beneficium resignatum de facto jam alteri collatum sit? 22 Pro negativa adduci potest textus *L. quod si minor. 24. §. 2. ff. de Minoribus*, ubi dicitur, minorem restituendum non esse, si res non sit ampliùs integra, si videlicet hæreditas, quam minor repudiavit, jam distracta & vendita sit. Nihilominus affirmativa in puncto juris verior videtur, si arbitrio Episcopi minor per resignationem beneficii, quam fortè sub spe alterius beneficii vel melioris conditionis acquirendæ facit, eaque frustratus est, grave damnum incurrerit: nam si res cum minoris læsione vendita rursus in tertium alienata sit, & minor plurimum sua interesse probet, rem potiùs, quàm ejus æstimationem à primo emptore consequi, restituetur in integrum etiam adversus tertium possessorem, contra quem utilis rei vindicatio minori dabitur, recisa nimirùm priùs alienatione prima per integram restitutionem, prout hac de re textus est *L. si ex causa 9. in princip. & l. in causa 13. §. interdum ff. de Minor.* Quod verò ex *d. L. 24. §. 2.* in contrarium allatum est, id locum duntaxat obtinet, si minor rem illam, quam nunquam habuit, adeòque merum tantummodò lucrum quærat, sicut exemplum de repudiata hæreditate ibid. satis declarat. Secus autem est, si minorem illam semel pleno jure possessam sibi restitui, & sic damnum actu datum reparari desiderat. Covar. & Zoes. *loc. cit.*

Rursus quæritur an in spiritualibus, nimirum matrimonio, aut professione religiosa locum habeat *in integrum restitutio*? Respond. Negativè: quia hæc ex sua natura propter spiritualem vel etiam sacramentalem rationem sunt indissolubilia. Sed hoc intelligitur circa substantialia religionis vel matrimonii; non verò circa accidentalia, veluti promissionem dotis, probationem omissam in lite matrimoniali. Covar. *Var. Resol. lib. 1. c. 5. n. 8.* Item quando sumus in casu, quo matrimonium vel professio ab initio valuerunt, secus quando allegatur eorum nullitas. Unde Religiosus, qui ex Concil. Trid. *sess. 25. de Regularibus c. 19.* Intra primum quinquennium potest reclamare contra professionem, si eam ob vim aut metum, defectum ætatis, consensus, vel aliam justam causam Invalidam asserat, restituetur in integrum ad allegandas causas nullitatis, si ex ignorantia vel alio impedimento per quinquennium tacuerit, ut probat Sanch. *de* 23

Matrim. l. 7. d. 34. num. 22. In contractibus quoque juratis, licet regulariter non detur in integrum restitutio *L. 1. cum sua auth. Cod. Si adversus venditionem*, datur tamen nonnunquam ex causa nova, vel noviter emergente, quæ tempore præstiti juramenti non fuit prævisa, nec verisimilis intentio jurantis erat, ad talem causam se obligare, ut *in cap. quemadmodum. 25. de Jurejurando* dicitur, quòd sponsalia etiam jurata ob morationem notabilem supervenientem, v. g. quia sponsa deformata aut fornicata fuit, dissolvi possint.

26 Utrum autem minor restituatur adversus suam confessionem, si v. g. sponsalia, matrimonium, delictum aut debitum, antequàm hæc contra eum legitimè probarentur, ultrò confessus sit, diversæ sunt DD. sententiæ, ut videre est apud Sanch. *d. l. 7. disp. 152. num.* 17. Fach. *Lib. 1. Controv. cap.* 72. affirmantium fundamentum est *in L. certum. 6. §. penult. ff. de Confessis*, ubi dicitur, minorem à confessione sua restituendum. Mihi magis placet minorem non aliter restitui, quam si priùs docuerit saltem ex præsumptionibus urgentibus confessionem ex errore processisse, aut ex metu vel alio gravi respectu aut præcipitantia juvenili falsum dixisse, atque ita intelligo text. *in d. §. penult.* Ratio mihi videtur: quia minoribus non subvenitur ex eo precisè quòd læsi sint, aliàs deberet eis subveniri, tametsi per legitimas probationes convicti vel ob casum fortuitum damnum acciperent, sed si contra Justitiam læsi sint. *L. verùm 11. §. 4. ff. de Minoribus*: non læditur autem contra Justitiam, qui verum, quod in conscientia tenebatur dicere, edixit. Deinde minorem adversus confessionem veritatis restituere, esset nihil aliud, quam ei dare mentiendi & litem protelandi occasionem, quòd utique rationi & æquitati non correspondet.

TITULUS XLII.

De alienatione Judicii mutandi causa facta.

SUMMARIA.

1 *Inter causas restitutionis in integrum est alienatio Judicii mutandi causa.*
2 *Quæ actio propterea competat.*
3 *Rei litigiosæ alienatio, quia per se nulla est, non indiget hoc remedio.*
4 *Notabilia in hac materia de Jure Canonico.*

1 INter causas restitutionis in integrum etiam hæc est: si adversarius rem, super qua conveniri posset, ante acceptum judicium dolo malo alienarit in personam potentiorem, vel quæ sit alterius fori, ut actori duriorem litem constitueret. Propterea sicut in *ff. & Cod.* post Tit. *De in integrum restitutione* hæc rubrica ponitur: ita etiam fecit Decretalium Compilator. Et meritò ante initium processus judicarii ponitur: quia, ut dictum, ante acceptum judicium plerumque hæ alienationes in fraudem fiunt, cui speciali Juris remedio occurri, æquum fuit.

2 Si igitur pro re alienata *personalis* actio competat. v. g. exempto, donato, locato, &c. tunc quia actio personalis contra tertium possessorem, cum quo nihil contractum est, non datur, Prætor æquitate motus concessit actionem *in factum* contra alienantem ad consequendum id, quòd sua interest, rem alienatam non fuisse *l. 1. & passim ff. eod. Si realis* fuerit actio rei vindicatoria, liberum est actori, an eam contra possessorem, vel contra alienantem, qui dolo desiit possidere, & ideo fictione juris pro possessore habetur, intentare velit. *l. un. Cod. eod.* Nihil quoque impediet actionem *realem* contra possessorem, & *personalem* in factum contra alienantem instituere; quia tendunt ad diversos fines, illa ad rem recuperandam, ista ad obtinendum id, quod actoris propter majores expensas & incommoda interest, cum alio potentiori Adversario, vel in alieno foro litigare.

3 Dixi autem constitutionem hujus tituli procedere, si ante *Judicium acceptum, & causa futuri judicii* res alienata sit: nam si alienatio facta sit, postquam alienans in litem vocatus est, vel preces principi oblatæ & alienanti cognitæ sunt, *Auth. litigiosa. C. de Litigiosis.* actio in factum, vel vindicatio contra novum possessorem necessaria non est; sed cum alienante perinde agi poterit, ac si alienatio facta minimè fuisset: talis enim alienatio rei *litigiosæ* ipso jure nulla est; & siquidem emptor sciverit rem esse *litigiosam*, carebit pretio, idque fisco inferetur; si verò ignorans deceptus sit, pretium integrum & insuper tertiam partem ejus ab alienante recipiet *l. fin. C. d. t.*

De Jure Canon. in hoc tit. duo notabilia proponuntur. 4
Primum est, quòd etsi rescripta Justitiæ non extendantur ad personas in iis non comprehensas, si tamen ad elusionem rescripti Apostolici res, de qua movetur controversia, in extraneum alienata sit, poterit hic extraneus etiam vi illius rescripti coram delegato judice in eo rescripto dato conveniri.

Alterum est, quod approbentur leges Civiles, quæ prohibent alienas lites redimi (de qua redemptione etiam superius in titulo *de Procuratoribus* aliquid diximus) & maximè Clericis sub censuris inhibendum dicitur, ne emant, vel sibi cedi faciant res litigiosas & causas sæculares, ut laicos actores in suum forum Ecclesiasticum trahant. Vide text. *cap. 1. & 2. hoc tit.*

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

SUMMARIA.

1 *Arbiter quis sit?*
2 *Quid si plures sint Arbitri, & dissentiant, cujus judicio stetur?*
3 *Ex pluribus arbitris uno absente, an reliqui procedere possint? Differentia inter Jus Canonicum & Civile.*
4 *Super quibus fieri possit compromissum: & an super rebus Ecclesiæ vel Pupillorum?*
5 *Differentia inter arbitrum & arbitratorem?*
6 *Qui prohibeantur suscipere arbitrium, & ibi an Judex ordinarius possit esse arbiter vel arbitrator?*
7 *Sententiæ arbitri etiam iniquæ (modo non notoriè) stare oportet: arbitratoris autem reduci potest ad arbitriū boni viri. Ab arbitrio Juris datur appellatio.*
8 *Tempus petendi reductionem probabiliter docendum statuitur.*
9 *Testes & confessio coram arbitratore an faciant fidem coram Judice reductionis?*
10 *A sententia reductionis non datur appellatio.*
11 *Contravenientes sententiæ reductionis committunt pœnam compromisso adjectam.*
12 *An petens reductionem incidat in eandem pœnam?*
13 *Reductioni an possit renunciari?*
14 *Quando finiatur compromissum?*
15 *Qualiter agatur ex compromisso?*
16 *Intra quantum tempus propter omissam solutionem committatur pœna?*
17 *An contraveniens uni capitulo committat totam pœnam?*

HIc titulus in *ff.* inscribitur *de Receptis, qui arbitrium receperunt*, in *Cod. de Receptis arbitris*, quare si in hac materia dictum fuerit *ff*, vel *Cod. eod. tit.* in indice ad eas Rubricas erit recurrendum.

Arbitri dicuntur ab arbitrando, seu æstimando: est 1
enim *arbiter* vir bonus ad aliquod negotium æstimandum & terminandum electus. Horum usus propter utilitatem inventus est: nam ita lites facilius expediuntur, si extra tribunal ordinarium per aliquot viros bonos, in quos partes compromittunt, quod eorum sententiæ & arbitrio seu judicio stare velint, componantur. Si eligendi sint plures arbitri, expedit eos esse in impari numero ut facillùs majoritas votorum haberi possit. *L. item si unus. 17. §. 6. ff. hoc tit.* quippe si in duos compromissum sit, frequenter sine exitu futura est, ob natu-

naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem.

2 Quòd si plures arbitri electi in decernenda aliqua quantitate pecuniaria discordent, ea sententia obtinebit, in quam major pars convenerit. Si verò unus v. g. 55. alter 10. tertius 5. pronunciet, prævalebit minima quantitas pronuntiata: cùm enim minor summa contineatur in majori, pronunciantes majorem implicitè etiam censentur in minorem consensisse *cap. 1. hoc tit. in 5. L. diem proferre 27. §. ff. eod.* Verum non malè advertit Covat. cum aliis, hanc decisionem cautè ad praxin esse deducendam, quia non satis firma ratione stabilitur: major enim summa continet quidem minorem ut suam partem, non autem ut formaliter seu separatim spectatam, e. g. si equum volo vendere 30. fl. volo quidem etiam vendere 20. sed quatenus isti viginti includuntur in iis triginta, minimè verò quatenus specialem summam faciunt. Deinde quis non videt maximas posse committi iniquitates, si unus arbiter condemnaret debitorem meum in summam minimam v. g. 2. aut 3. florenorum, quem alii de culpa majoris summæ debitorem agnoscerent. Minus placet, quòd cum Gloss. *fin. in d. c. 1. hoc tit. in 6.* & aliis pluribus, docet ibid. Barbos. *n. 3.* decisionem hujus textus habere locum, quamvis arbiter, qui majorem summam pronunciavit, protesterur, quod nolit consentire in minorem, eò quòd consensus in minorem summam sit ex dispositione juris introductus, & ideo protestatio in contrarium nihil opotretur. Non placet (inquam) hæc sententia: quia nec rationi nec æquitati benè convenit, ut ostensum. Scire autem leges non est verba callere, sed vim ac potestatem, id est, mentem legislatoris, æquitati conformem. *L. scire leges 17. ff. de Leg.* Unde ipse existimo dictam decisionem J. C. & Pontificis tunc demum procedere, si minor summa sit intra terminos æquitatis, & qui majori summam pronunciat, possit rationabiliter præsumi non esse invitus contra summam minorem tanquam injustam, quemadmodum justum rei pretium non est indivisibile, quin secundum diversorum judicium pluris aut minoris æstimetur.

3 Circa plures arbitros electos, quorum aliqui tempore ferendi judicii se absentant, differentia inter jus Civile & Can. reperitur. Nam de jure civili non valet processus nisi omnibus præsentibus, *d. l. item si unus 17. §. fin. cum l. sequenti ff. h. t.* de Jure autem Can. sufficit adesse majorem partem, v. g. duos ex tribus. Dico majorem partem; non enim sufficeret è duobus unum, è quatuor duos adesse, *cap. 2. & ibi* Gloss. *in Verbo pro præsente h. t. in 6.* In caussis profanis quodlibet jus in suo foro observandum. In caussis autem Ecclesiasticis aut Clericorum prævalet Jus Can. *cap. quod Clerici 9. de Foro compet.*

4 Porrò compromissum ordinariè tantùm admittitur in caussis bona & patrimonium nostrum concernentibus; in aliis verò, quæ non sunt in nostro arbitrio, & dispositione, sed cognitionem majorum Judicum requirunt, compromissum fieri non potest. Uti sunt causæ *matrimoniales*, & *criminales*, *cap. pen. De in integ. rest.* nisi *civiliter* ageretur de crimine. *L. quid ergo 13. §. ex compromisso. 5. ff. de his qui not. infam.* Causæ *exemptionum*, ubi de præjudicio Papæ agitur. *c. 5. h. t.* Item & *beneficiales*: quia ad Ordinarium spectat cognoscere de titulo canonico, & idoneitati beneficiati, Spec. *hoc tit. §. 4.* Quid de caussis Ecclesiarum vel Pupillaribus dicendum, anne super iis à Prælatis aut Tutoribus compromitti poterit absque decreto Superioris vel Judicis? Quod affirmamus, *arg. L. Præses 12. C. de Transact.* ita tamen, ut si arbitrium vel arbitramentum tendat ad alienationem rei non alienabilis, ejus executio sine decreto & ordinaria solemnitate juris fieri non possit. Lanfranc. de Orian. *Tract. de Arbit. sect. 3. n. 4.*

5 Sed advertere oportet, complures esse differentias inter *Arbitrum* & *Arbitratorem*, quas enumerat Panorm. *in cap. Quintavallis 23. de Jurejur.* Nam I. *Arbiter* procedit juris ordine servato; *Arbitrator* verò merè extrajudicialiter procedit, & ex bono & æquo controversiam componit, potestque de Jure unius dare alteri. Text. & Gloss. *in c. nisi 21. de Præbend.* Unde an aliquis arbiter vel arbitrator sit, non tam attendendum erit, quo nomine eum partes compellaverint, quàm qualem procedendi formam eidem præscripserint. Gail. *Lib. 1. Observ. 150. n. 4.* Quòd si in aliquem compromissum sit tanquam in *Arbitrum* & *Arbitratorem*, utramque viam tenere poterit; in dubio autem, ut valeat processus, censebitur processisse ut *Arbitrator*, Panorm. *d. l. n. 42.*

II. *Arbitratores* semper ex libera voluntate partium assumuntur, *Arbitri* verò aliquando sunt *Juris* & *Necessarii*, ut in causa suspecti Judiciis, *cap. suspicionis 39. de Offic. Deleg. L. apertissimi. de Judiciis.*

III. Propter solemnitatem Judiciariam (quæ ab Arbitris observatur, *L. 1. ff. h. t.*) non possunt esse *Arbitri* fœminæ, *L. fin. C. hoc t.* nisi forsan aliquæ in majore dignitate positæ ex consuetudine loci jurisdictionem habeant. *c. Dilecti 4. hoc tit.* Privati Religiosi absque utilitate Monasterii, & consensu Prælati *cap. Monachi 35. causa 16. quæst. 1.* Spec. *d. l. sequuntur num. 29.* Laici in spiritualibus, nisi conjunctim cum Clericis, & ex authoritate Judicis Ecclesiastici, *cap. contingit 8. & c. per tuas 9. hoc tit.* Verùm officium *Arbitratoris* (penes quem mera est extrajudicialis compositio, Innoc. & Panorm. *in d. cap. Quintavallis.*) regulariter omnes suscipere possunt. In Judicem quoque ordinarium tanquam in *Arbitratorem* rectè compromittitur, *Auth. si verò contigerit. C. de Jud.* Spec. *d. l. §. 2. n. 6.* An etiam tanquam in *Arbitrum* ad effectum non appellandi, & petendi *pœnam*; De jure Canon. quidem id videtor affirmari posse *c. cum tempore 5. ubi* Gloss. *lit. B. h. tit.* secus de jure Civili *l. sed si 9. §. 2. ff. h. t.* Nos id utroque jure negamus; & quia in jure Canon. *Arbitratores* & *Arbitri* plerumque inter se confunduntur. arg. *cap. nisi 21. de Preb.* ideo dubios textus Juris Can. ex clariori Juris Civili interpretamur cum Gloss. *in d. l. 9. §. 2.* 6

IV. *Arbiter* debet unicuique parti reddere, quod suum est, quia assumit partes Judicis, *l. Pomponius. 113. §. recepisse ff. eod.* *Arbitrator* verò, cùm sit mediator & transigens, potest per modum transactionis de jure unius alteri dare pro bono concordiæ. text. & Gloss. *in d. c. nisi de Preb.* Gloss. *in l. sed si servum 9. §. si quis. Judex ff. h. t.*

V. Denique (ut plures alias differentias minùs considerabiles prætercam, quas vide apud Panor. *in d. c. Quintavallis. de. I. I.*) sententiæ *Arbitri* stari oportet, sive æqua, siva iniqua sit, *l. diem proferre 27. §. stari ff. eod.* nisi Arbiter Juris & Necessarius fuerit, à quo datur appellatio, *cap. ab Arbitris 11. de Offic. Deleg. in 6. l. 9. ff. Qui satis d. cog.* Mynf. *Cent. 4. Obs. 98.* Item si iniquitas sit notoris & manifesta, non tantùm poterit ex officio Judicis revocari, sed etiam contra executionem dabitur exceptio *doli*: quia omnis iniquitas notoria habet dolum præsumptum, ut not. *in cap. 2. de Præsumpt. l. 3. Cod. h. t.* Abbas *in cap. 2. hoc tit. n. 14. & 15.* Sententia autem *Arbitratoris* propter quancunque gravem læsionem, quàm pars parata est probare, reduci potest ad arbitrium *boni viri*, quo nomine ex recepta magis opinione intelligitur Judex ille, qui aliàs in causa ordinarius & competens esset. Text. & Barth. *in l. societatem 76. §. arbitrorum cum ll. seqq. ff. pro socio.* Gail. 1. *Obs.* 149. Ratio hujus differentiæ forsan hæc est, quòd licèt utrobique partes non videantur conqueri contra iniquitatem Judicis, quem ipsæmet elegerunt, magis tamen succurrendum fuit in *arbitramento*, ubi sine ordine judiciario faciliùs iniquitas committitur, & *Arbitrator* non tam secundùm jus, quàm *suo arbitratu* pronunciat. Panorm. *in d. c. Quintavallis n. 30.* Sed circa hanc *Reductionem*. 7

Quær. I. Quanto tempore peti possit? Varii varia assignant tempora. Quidam 3. annos cum Gail. 1. *Obs.* 150. Quidam unum autem cum Barth. *in d. §. arbitrorum.* ubi censet hanc quæstionem Principis decisione indigere. Nos solummodò 10. dies statuimus cum Panorm. *in d. c. Quintavallis sub n. 16. arg. l. pen. C. h. t.* 8

Quær. II. Utrum testes apud *Arbitratorem* producti, vel *Confessio* apud eundem emanata faciant fidem coram Judice *Reductionis*? Respond. Circa testes peti posse, ut in judicio *Reductionis* de novo sub juramento examinentur, quia cum coram arbitratore nec sit judicium, nec quasi judicium, tales testes non sunt recepti in forma judicii, & perinde est, ac si fuissent recepti coram honestis personis carentibus jurisdictione, qui fidem non faciunt, ut notant Gottofr. & DD. *in l. 3. Gabinio. 4. ff. de Test.* Si tamen in compromisso dictum fuisset, ut ad abbreviandam litem Reductio peratur ex iisdem probationibus & actis coram Arbitratore factis, tunc testes reproduci in judicio non 9

possent: quia fides testium ex pacto & acceptatione partium roboratur. Text. *in l. fin. C. de Test.* Ad *Confessionem* quod attinet, quamvis coram *Arbitratore* facta judicialis non sit, si tamen præsente Adversario emanarit, ex hoc capite etiam in judicio reductionis plenè probabit per ea, quæ docet Masc. *de Probat. concl.346.*

10 Quær. III. An detur appellatio à sententia Judicis, qui *arbitramentum* tanquam *bonus vir* reduxit? Affirmat Covar. *Lib.2. Var. Res. c.12. n.4.* Gail. 1. *Obs. 149. num.5.* Nos negamus cum Barth. in *l.1. ff. de Leg. 2. n.18.* Panot. *d. l. sub n.40.* ne detur reductionis, reductio & lis ex lite oriatur. Neque verum est, quòd Judex absolutè procedat ut ordinarius, & consequenter ab eo rectè appelletur, quin potius officium Judicis est mixtum partim Ordinarii, partim Arbitratoris; imò prævalet officium Arbitratoris (à quo non datur appellatio) unde nec rigorem aut processum juris ordinarium in omnibus observare tenebitur, sed ea debebit uti æquitate, qua usurus esset juxta compromissi formam ipse Arbitrator, sicut fatetur etiam Covar. *d. l. n.5. vers. secundo.*

11 Quær. IV. An pars contraveniens sententiæ Judicis reducentis committetur *pœnam* compromisso adjectam? Negat. Barth. *in l. multa.6. ff. de Condit. & demonst.* cum in pœnalibus non fiat extensio de persona in personam. Nos affirmamus cum Bald. *in l. fin. C. de Contrah. empt.* Lanfranc. *de Arbit. divis.7. n.60.* quia compromissum ex intentione partium habet istum sensum, ut sub pœna solvatur, quidquid vel bonus vir *electus*, vel bonus vir *Legatis*, id est, Judex pronunciarit.

12 Quær. V. Utrum is, qui petit reductionem, incidat in pœnam, quasi controveniens *arbitramento*? Pro affirmatione faciunt duo text. difficiles *in l. qui Romæ 122. §. fin. & l. quidam cum filium. 132. ff. de V.O.* Verùm nos distinguimus, an petens reductionem habuerit probabilem causam suæ petitionis, vel non? priori casu negamus, posteriori affirmamus *arg. d. l.132. & l. quæro 54. §. 1. ff. Locati.* Lanfr. *d. l. n.62.*

13 Quær. VI. An *Reductioni* renunciari possit in compromisso? Respond. affirmativè, ita tamen, ut talis renunciatio non extendatur ad eum casum, quo una pars vel dolo arbitratoris, vel aliàs enormiter & ultra dimidium læsa est, quod dolo futuro renunciari non possit *l. si unus 27. §.3. ff. de Pact.* tum etiam, quòd renunciatio ex mente partium non intelligatur de læsione enormi, arg. *cap. veniens 16. de Jurejur.*

14 Finitur compromissum I. Morte Arbitri *l.45. ff. h. tit.* II. Morte unius ex compromittentibus ante sententiam, nisi in compromisso hæredum mentio facta sit. Text. & Pan. *in c. fin. hoc tit. l. sed & 49. in fin. ff. eod.* III. Recusatione Arbitri suspecti, *l.9. §.3. l. non distinguemus 32. §. cum quidam 14. ff. d. tit.* IV. Ubi dies sententiæ dicendæ præfixa elapsa est. *l.1. C. hoc tit.* nisi in compromisso dictum fuisset, ut Arbiter diem proferre posset. *l. Arbiter intra 42. ff. h. t.* V. Postquam sententiam Arbiter præsentibus litigatoribus dixerit. *l. diem proferre 27. §. si quis 4. ff. eodem.* Ad sententiam autem dicendam, ubi semel compromissum receperit, Arbiter per Judicem suum cogi poterit. *l.3. §.1. & tot. t. ff. hoc t.* Dictam verò sententiam revocare aut mutare non potest: quia expiravit ejus officium *l. qualem 19. §.2. cum ll. seqq. ff. d. t.*

Demùm executio compromissi per ordinarium Judicem fieri debet, non per Arbitrum, qui *jurisdictionem* propriè non habet, sed tantùm aliquam *notionem l.3. C. de Jurisdict.* Aliter autem jus agendi ex compromisso datur ex Legibus antiquis & aliter ex novis. Etenim de jure veteri, si *pœna* fuisset adjecta (puta is, qui compromisso non pareret, 100. solveret) agebatur ad *pœnam*; si minùs, non dabatur actio ad id, quod Arbiter pronunciavit *l.2. ff. hoc tit.* nisi stipulatione interveniente ad interesse. *l. diem proferre 27. §. ult. ubi* Gottofr. *ff. hoc tit. c. per tuas 9. eod.* Nomine autem *interesse* non ipsa res, quæ petitur, sed expensæ factæ, vel in nova lite faciendæ communiter intelliguntur. Panormit. *in d. c. per tuas n.17.* Hodie verò, licet *pœna* vel *stipulatio* compromisso adjecta non sit, si tamen sententia sive laudum *expresse* per subscriptionem partium, vel *tacitè* per lapsum 10. dierum *homologatum*, id est, confirmatum sit, dabitur actio *in factum*, ut vocat Justin. vel *condictio ex lege* coram ordinario Judice ad arbitrii executionem, *l. pen. Cod. hoc tit.* illud præterea advertendum est, quòd si *pœna* sit compromisso adjecta, tunc compromissum fiat conditionatum, seu alternativum, ut scilic. stetur compromisso, vel solvatur *pœna*, utrum condemnatus elegerit; nisi *pœna* superaddita sit clausula: *rato manente pacto:* tunc enim ad *pœnam* & ad rem ipsam agi potest, ejusdemque clausulæ vim & effectum habere juramentum, tradit Panorm. *in d. cap. per tuas n.13.* 16
Sed intra quantum tempus committetur *pœna*, si non detur id, quod Arbiter dari jusserit? Respond. esse distinguendum, utrum certa dies sit solutioni adjecta, vel non? Priori casu committetur pœna, si cessante legitimo impedimento intra diem præfixum solutio facta non sit. Si tamen etiam post terminum solutio ab altera parte acceptata sit, petitioni pœnæ renunciatum censetur, *l. Celsus 23. in pr. ff. h. t.* Altero autem casu modicum tempus & arbitrio boni viri commodum ad solvendum conceditur; quod si præterierit, pœna quidem statim peti potest: si tamen debitor ante judicium acceptum solverit, *pœna* liberabitur. *l. quid tamen 21. §. fin. ff. eod. tit.* Lanfr. *in a. 7. divis. numer. 20.*

Quid autem, si arbitramentum habeat v. g. 4. capitula, & pars contra veniat in uno, an committetur tota pœna, vel tantùm pro rata, scil. quarta parte? Hoc posterius æquitati conformius asserimus, nisi aliter expressè conventum sit, *l. si servus 9. §.1. ff. Si quis cautionibus, &c. l. si procurator 18. ff. Rem ratam haberi.* 17

FINIS PRIMI LIBRI.

LIBER



LIBER II. DECRETALIUM.

TITULUS I.

De Judiciis.

SUMMARIA.

1 *Quid sit judicium?*
2 *In judicio tres sunt personæ principales, Judex, actor & reus.*
3 *Agere prohibentur minorennes sine auctoritate tutorum vel curatorum, & filiifamilias sine consensu parentum exceptis causis beneficialibus & spiritualibus.*
4 *Religiosi agere non possunt sine licentia Abbatis: nisi degant extra Monasterium.*
5 *Prælatus potest agere sine consensu Capituli: nisi causa sit valdè ardua.*
6 *Qui possunt esse Rei?*
7 *Quidam possunt esse Rei, qui non possunt esse actores.*
8 *Qui sint Assessores, & quinam Judices eos habere possint?*
9 *Assessores non habent Jurisdictionem.*
10 *Auditores qui sint?*
11 *Judicium aliud sæculare, aliud Ecclesiasticum.*
12 *Aliud ordinarium, aliud summarium; quod in certis causis Ecclesiasticis servandum: item, in causis miserabilium personarum & similibus.*
13 *Quomodo in judicio summario procedatur?*
14 *Judicium aliud criminale, aliud civile.*
15 *Civile aliud petitorium, aliud possessorium.*
16 *Monitum utile & Christianum de non temerè instituendis litibus.*



AB hoc titulo incipit hic Liber secundus Decretalium materias judiciales complectens, qualiter judicia instituenda, tractanda & finienda sint. Idcircò Compilator tit. de *Judiciis* in genere præmittit, ubi Interpretes de variis judiciorum divisionibus agunt, quos etiam ut imitetur, aliquot ejusmodi divisiones assignavimus. Priùs tamen de personis judicialibus nonnulla præmittemus. Excusatus autem sim, si in hac practica materia processus judiciarii assumptam methodum certa ab incertis separandi non æquè observavero; nam propter diversissimos judiciorum stylos & varias DD. interpretationes (quibus quisque stylum Curiæ suæ defendere nititur) res plurimùm confusa est, ita ut vix aliquid certi statui possit. Dicam proinde, quæ magis sunt fundamentalia, & magis inter AA. recepta, reliqua usus & practica forensis docebit.

1 Judicium nihil est aliud, quàm legitima controversiæ, quæ est inter actorem & reum, apud Judicem disceptatio, & dijudicatio. Hæc judiciorum observatio necessariò constituta fuit, ne quis propria authoritate, sed per Judicem injuriam divertat, suumque reposcat, & ita plurima mala & perturbationes in republica evitentur. Dixi, quòd judicium sit disceptatio inter actorem & reum apud judicem: tres enim sunt personæ principales, ex quibus judicium constituitur, videlicet *Judex*, *Actor*, & *Reus*. *Judex* quis sit, & quod ejus officium, supra in *T. de Officio Judicis* tractavimus, & infra etiam *in Tit. & sentent. & re judicata* aliqua addemus. 2

Actor ab agendo dictus, est is, qui actionem intendit, sive in judicio quid à parte adversa petit, & consequenter agere pro se ex jure competente possunt omnes, qui non prohibentur. Prohibentur autem Minorennes sine authoritate tutorum vel curatorum; Filiifamilias sine consensu parentum; & cæteri de quibus *in tit. Cod. Qui legitimam personam standi in judicio habeant*. De jure tamen Canonico in beneficialibus & spiritualibus causis, atque dependentibus ab iis, major 14. annis, & etiam filiusfamilias sine consensu parentum ad agendum & defendendum admittuntur, *cap. fin. hoc tit. in 6.* 3

Religiosi quoque sine licentia Abbatis agere non possunt, nisi de ejusdem Abbatis licentia extra Monasterium degant: nam ex quo habent licentiam commorandi extra Monasterium (e. g. in studiis aut Parochiis) per consequens censentur habere licentiam faciendi ea, sine quibus ibi esse non possunt, ait Speculator *in tit. de Actor. numer. 5. arg. l. si longius, 18. §. 1. ff. hoc tit.* 4

De Prælato dubitatur, an sine consensu Capituli agere valeat? Respond. Communior est sententia contra Gloss. *in cap. 1. de Procurat.* quòd sive bona Capituli & Prælati sint distincta, sive communia, dummodò Prælatus generalem desuper administrationem habeat, possit irrequisito Capitulo in judicio agere & conveniri, nisi arbitrio judicis causa esset valdè ardua; unde generalem ponunt doctrinam, quòd personæ quæcunque legitimam & universalem administrationem habentes possint sine consensu alterius actionem instituere & excipere, Innoc. Fel. Barb. & communiter alii in *cap. edoceri 21. de Rescriptis*. Facit *cap. quit generaliter 5. de Procurat. in 6. l. fin. ff. Quod cujusque Universitatis nomine.* 5

Reus à re, ratione cujus convenitur, appellatur, estque is, contra quem in judicio agitur. Rei fieri omnes possunt, ita tamen ut quidam non propria, sed aliena authoritate defendantur, cujusmodi sunt pupil. 6

pupilli, minorennes, & usu rationis destituti. item si contra Monasterium detur actio non Conventus, sed Abbas conveniendus erit. Innoc. *in d. c. edoceri num.* 30. imò sunt nonnulli, qui licèt agere prohibeantur, tamen Rei personam jure sustinent, ut sunt excommunicati, *cap. cum inter 5. de Except.* quibus annumerantur deportati ex generali ratione, quòd per excommunicationem aut deportationem adimatur quidem actio, quæ est juris civilis, non verò defensio, quæ est juris naturalis: & deinde excommunicatio vel deportatio cederet in commodum excommunicatorum vel deportatorum, è contra verò in damnum aliorum, qui res suas ab iis petere non possent.

Præter istas tres personas principales Judicem, Actorem & Reum, aliæ insuper adhibentur in judicio, ut id faciliùs & rectiùs expediatur, nimirum *Assessores, Auditores, Scribæ & Viatores.*

8 *Assessores* sunt, qui judici assident, eumque suo consilio in judicando adjuvant, unde & *Consiliarii* dicuntur, *l. penult. ff. de Officio assess. & in l. consiliarios 3. C. de Assessor.* Assessores habere possunt judex tam Ordinarius, quàm Delegatus; qui si propter suam insufficientiam revera indigeat assessore, potest illum assumere, & partes litigantes debebunt illi sportulas, seu salarium præstare quamvis delegatus ipse gratis justitiam administrare debeat, *cap. statutum 11. §. assessorem de Rescriptis in 6.* Ordinarius autem, si velit habere assessorem, debet ipsi de suo dare salarium, si de foro Ecclesiastico loquamur, ubi judex ipse, qui in Ordinarium constiturus est, debet scire Canones *cap. 1. de Consanguinitate & affinitate*, sed in foro sæculari, in quo judex non tenetur scire leges, sed tantùm habere experientiam de causis, *l. certi juris 17. C. h. tit.* non est improbabile, quòd as-
9 sessorem ex sumptibus litigantium habere possit. Sylvest. *verb. Judex §. 3. n. 15.* Porro assessores nullam jurisdictionem habent, unde absente judice sine ejusdem commissione statuere nihil possunt, *l. nunquam 13. C. de Assessoribus*, sed nec Judex ipsorum consilium necessariò sequi tenetur, aliud est enim requirere alicujus consilium aliud sequi consilium; prius facit Judex, non posterius, *arg. cap. cum olim 7. de Arbitris*, Speculator *in Tit. de requisitione consilii numero* 10. *& in Tit. de sent, §. 8. n. 3.*

10 *Auditores*, qui præsertim in curia Romana & apud Legatos Sedis Apostolicæ usitati sunt, illi dicuntur, quibus vel tota causa vel certus causæ articulus examinandus committitur, eo fine ut post factum diligens examen rem omnem judici exponant, ejusque decisioni relinquant. Hi Auditores habent quidem jurisdictionem in cognoscendo, ita ut partes ad audientiam citare testes, & probationes admittere possint &c. in decidendo autem seu sententiando jurisdictionem non habent, nisi hoc ipsis specialiter à principali delegetur, Sylvest. *verbo Auditor.* Speculator & Bal. *in Tit. de Audit. De Scribis*, qui alio nomine *Notarii* aut *Secretarii*; item de *Viatoribus*, qui vulgò *Pedelli*, *Cursores*, vel *Executores* appellantur, dicemus, cùm de fide instrumentorum, citatione & executione rei judicatæ tractabimus. Modò ad judiciorum divisionem transeamus.

Judicium in primis aliud est *Sæculare*, cui præest Laicus vel etiam Clericus ratione patrimonii, territorii, alteriusve potestatis sæcularis, in quo causæ inter Laicos &
11 Laicos agitatæ deciduntur. Aliud *Ecclesiasticum*, *cui* præest Clericus potestate ab Ecclesia sibi facta, in quo causæ ecclesiasticæ inter ipsos Clericos controversæ dirimuntur, *c. decernimus 2. hoc tit.*

12 Rursum *Judicium* aliud est *Ordinarium*, quando judex cum ordinaria figura & strepitu judicii juxta præscriptum juris procedit. Aliud est *Summarium*, quando judex omissis ambagibus & ordinariis judiciorum solemnitatibus summatim de causa cognoscit. Hoc summarium judicium est necessarium in causis electionum, provisionum, matrimonii, usurarum & similibus, ubi periculum aliquod in mora positum est, veluti est in electionibus & provisionibus, ne Ecclesiæ detrimentum patiantur defectu administratoris. In matrimoniis est periculum incontinentiæ, in usuris periculum damnificandi eos, quibus restitutio fieri debet. Ex eadem ratione in benè constitutis tribunalibus summatiter tractantur causæ pauperum, alimentorum, carceratorum, spolii, depositi, pupillorum, viduarum, mercedis, forensium seu peregrinorum, & rerum levis momenti. Suting. *in Processu judiciario observ. 3.* Proinde in enumeratis causis judex 13
etiam tempore feriarum ob hominum necessitates indultarum cognoscet, & dilationes amputando, exceptiones & appellationes frustratorias repellendo, litem, quantum poterit, faciet breviorem, *Clement. 2. h. t. & Clement. sæpè 2. de Verb. signifi.* Interim tamen probationes necessariæ, defensiones, legitimæ, citationes, præstatio juramenti calumniæ & malitiæ etiam in processu summario omitti non debent. Vallens. *h. t. §. 6.* Quòd si judicium multis litibus occupatum fuerit, & causa summariter tractanda incidat, quæ non possit ita velociter expediri, rectè facit judex, si quosdam de suis assessoribus ad illam causam terminandam Delegatos seu Commissarios constituerit. Suting. *d. observat. 3. n. 5.*

Præterea *Judicium* aliquando sumitur pro ipsa actione, 14
quæ instituitur, & sic judicium aliud est *Criminale*, aliud *Civile*. Criminale est, quando agitur de crimine ad vindictam publicam; Civile verò quando non agitur super crimine, sed super re aliqua aut jure debito, vel si quidem agatur super crimine, non tamen ad vindictam publicam, sed ad interesse privatum; ita si injuriatus agat ad recompensationem damni vel pœnam pecuniariam sibi applicandam, dicitur civiliter agere, *§. 10. & ibi DD. Instit. de injuriis* & maritus propter adulterium uxoris agens ad divortium & lucrum dotis etiam civiliter agit. *c. tua 5. de Procurat.*

Judicium civile subdividitur, quòd aliud sit *Petito-* 15
rium, aliud *Possessorium*. *Petitorium* est, in quo de proprietate rei aut juris agimus; *Possessorium* verò, in quo omissa quæstione proprietatis tantùm litigatur, cui pro tempore sola rei possessio adjudicanda sit. Circa hæc duo judicia infra *in Tit. de Causa possessionis & proprietatis* plura dicentur.

Antequam verò ad ulteriorem judicii processum pro- 16
grediamur, non possum non monere, cautè & conscientiosè, non temerariè & contra Christianam charitatem actionem instituti debere, atque illud vulgi proverbium benè observandum esse, quòd tenuis transactio plerumque præstet pingui sententia; nam expertus quidam pro posteriorum cautela rectissimè scriptum reliquit, in cau-
" sarum controversiis capitales inimicitias oriri, fieri
" amissionem expensarum, laborem animi exerceri, cor-
" pusque quotidie defatigari, multa & inhonesta crimina in-
" de consequi, bona & utilia opera postponi, & qui sæ-
" pè credunt obtinere, succumbere, & si obtinent, com-
" putatis laboribus & expensis, nihil acquirere.

TITULUS II.

De foro competenti.

SUMMARIA.

1 *Fori competentia ex tribus principiis inducitur.*
2 *Quid sit avocatio causæ, quæ etiam fori competentia inducitur.*
3 *Quinam causas avocare possint?*
4 *Aliud genus avocationis quando superior subditum incompetenter litigantem ad se avocat.*

FOri competentia deducitur ex tribus potissimùm 1
principiis; videlicet I. ex persona *Judicis ejusque Jurisdictione*. II. ex persona *Rei conventi*. III. ex *qualitate causæ*.

Ex persona *Judicis* competit forum, quia est *Ordinarius*, vel *Delegatus*, vel *Compromissarius*, vel quia *prorogata est ejus jurisdictio*, aut quia *merum vel mixtum Imperium habet*. Ex persona *Rei*, cujus forum actor sequitur, datur fori competentia ubi reus habet *domicilium*, aut *res*, quæ petitur, *sita est*, vel ubi *contraxit*, aut *deliquit*: Item quia *Clericus & Ecclesiasticus* est: vel *quia præventus* est. Ex qualitate denique *causæ* competens est forum, si causa sit *Ecclesiastica* vel *sæcularis*, si *mixta*, si *connexa*,

si feu-

si feudalis. Verùm de Judice *Ordinario*, *Delegato*, *& Compromissario*, eorumque jurisdictione & jurisdictionis *prorogatione* jam in superiori Libro competentibus Titulis dictum est, quos hic circa *competentiam fori* ex persona *Judicis* supponimus. Solùm breviter adnorandum est, aliquando dari *competentiam fori* apud Judicem superiorem, quia is causam ab inferiore Judice avocavit. Est igitur *avocatio* vel *evocatio* nihil aliud, quàm litis pendentis coram inferiore ad superiorem, à qua potestatem judicandi accepit, citra appellationem facta translatio in eo statu, in quo apud Inferiorem reperitur.
3 Text. & DD. *in cap. ut nostrum 56. de Appell. l. judicium solvitur 68. ff. de Judic.* Cujusmodi *Superior* est S. Pontifex respectu inferiorum Prælatorum; quilibet Imperii Status in suo territorio, Vult. *ad tit. Cod. de Juris d. numer.* 173. Episcopus respectu Vicarii, Covarr. *pp. qq. cap. 9. numer.* 1. Ordinarius quilibet respectu delegati, *d. l.* 58. *ubi* Gloss. Covar. *d. num.* 1. Non autem *Subdelegans* respectu *Subdelegati*, nisi in re integra ante citationem revocaverit, quia per subdelegationem, qua jam usus est subdelegatus, cessat jurisdictio in delegato *cap. 6. & 7. de Offic. Deleg. in 6.* Nec Archiepiscopus respectu Episcopi suffraganei, quia non est Judex competens in caussis subditorum sui suffraganei extra Appellationem. Covar. *d. l. numer.* 2. nec Legatus Sedis Apost. respectu Episcopi. Trident. *Sess. 24. de Reform. capit.* 20. Ipse quoque Imperator, propter specialia pacta cum Statibus Imperii inita, causas ab iisdem avocare non potest; imò nec à Camera Spirensi, quamvis ipsius sit judicium. *Ord. Cam. p. 2. t. 26.* Gail. 1. *O.* 41. Harp. *in Thes. seu conclus. de Juris. num.* 78.

4 Alia autem *Avocatio*, quando nimirum unus Judex ab alio pari vel superiori subditum suum incompetenter litigantem avocat, ut cùm jurisdictio illius Judicis prorogari non potuit (de quo supra *in Tit. de Officio Judic. n. 30. & seqq.* dictum) non est propriè *avocatio*, sed potiùs *exceptio declinatoria fori*, quæ si non admittatur, dabitur appellatio: nam *avocatio* non potest fieri à pari vel superiore, sed tantùm ab inferiore, cujus jurisdictio aliquo modo ab avocante dependet, Gail. *d. O.* 41 *numer. 7. & seqq.* Vult. *d. l. numer.* 174. His ita præmissis de *competentia fori* ex persona *Rei* & ex *qualitate causa* exactiùs agetur.

P A R S P R I M A.

De competentia Fori ex parte Rei conventi.

CUm generalis regula sit, quòd Actor forum Rei sequatur, *cap. 5. & 8. hoc tit.* videamus, ex quibus causis Reus forum competens sortiatur. Id verò variis modis fieri potest: nempe ratione *Domicilii*, *Rei petita*, *Contractus*, *Delicti*, *Præventionis*, *Privilegii* maximè Clericalis. Quibus specialiter aliqua addemus de foro *Legis diffamari*. *Cod. de Ingen. & manumiss.*

---

§. I.

De Foro Domicilii.

S U M M A R I A.

5 *Quid & quotuplex sit Domicilium?*
6 *Non est in usu, ut aliquis in loco originis conveniatur.*
7 *Domicilium habitationis perpetua facit forum competens, & qualiter constituatur?*
8 *Quasi Domicilium tribuit forum pænitentiale.*
9 *Studiosi ubi conveniantur.*
10 *Quasi Domicilium an fundet jurisdictionem fori externi?*
11 *Vagi propriè dicti possunt ubique in jus trahi.*
12 *Filius non sequitur Domicilium Patris.*
13 *Studiosi etiam de gestis alibi in loco studiorum conveniri decent.*
14 *In loco Domicilii potest quis conveniri super re alibi sita, aut gesta.*

D*Omicilium* in genere dici potest locus habitationis, 5
dividiturque communiter à DD. in Domicilium *naturale seu originis*, in Domicilium *accidentale seu habitationis perpetua*, & in *quasi domicilium seu habitationis temporalis*.

Domicilium *originis* illud appellatur, ubi quis natus 6
est. Et si quidem Reus tempore actionis institutæ ibidem habitet, non est dubium, quin eo loco rectè conveniatur. Sin autem habitationem suam aliò transtulerit, tunc jus conveniendi aliquem in loco originis ab usu recessisse tradit Coler. *in Tract. de Process. exec. p. 2. c. 2. n.* 17. Matth. Steph. *de Offic. Jud. p. 1. lib. 1. cap. 8. n.* 28.

Domicilium *habitationis perpetua*, quod propriè fo- 7
rum competens facit, dicitur ille locus, ubi quis bona & res suas collocavit, animo ibi perpetuò commorandi; ille verò, qui ad locum aliquem se confert etiam ad longius tempus, sed non perpetuò ibi mansurus, is in tali loco neutiquam Domiciliarius & incola, sed hospes rantùm & peregrinus habebitur *l. cives 7. Cod. de Incolis*. Menoch. *de Arbitr. jud. lib. 2. cens. 1. cas. 86. numer.* 7. Proinde constituitur Domicilium *animo* (scilicet perpetuò habitandi in loco) & *facto* (scilicet transferendo possessiones & actualem habitationem) nec solo *animo*, nec solo *facto l. Domicilium 20. ff. Ad munic. junct. d. l. 7. Codic. de Incol.* Quod tamen non eo sensu accipiendum est, quasi nunquam ampliùs liceat de loco domicilii recedere: etenim ad rationem domicilii sufficit perpetuitas *proposita*, quamvis hoc *propositum* simul & *domicilium* ex post facto mutetur; quemadmodum nuptiæ de jure Civ. dicuntur *omnis vita* consortium, *l. 1. ff. de Ritu nupt.* non obstante, quòd de illo jure post contractas nuptias frequentissima fuerint divortia, quæ vera divortia non habebantur, nisi facta fuissent animo constituendi *perpetuam* dissensionem. *l. g. 3. ff. de Divort.* Præterea notandum est, quòd ad constituendum domicilium nullus certi temporis lapsus requiratur, sed constitutum censeatur, simul ac quis re ipsa & facto declaratit, se animo perpetuò hic habitandi advenisse; nisi quòd aliquando in dubio, quando non constat de mente adventantis, ex diuturnitate temporis, videl. 10. annorum, præsumatur domicilium constitutum. *l. 2. Codic. de Incolis*, quæ tamen præsumptio probationem in contrarium admittit Menoch. *de Arbitr. d. c.* 86. Sanch. *de Matrim. lib. 3. disp. 23. num.* 2.

Quasi Domicilium dicitur locus, ubi quis per longius 8
tempus moram trahit, absque tamen animo ibi perpetuò consistendi. Istud *quasi Domicilium* ex recepta DD. sententia fundat jurisdictionem *fori pœnitentialis*, & facit, ut proprius Parochus dicatur ille circa administrationem Sacramentorum, in cujus Parochia aliquis per longius tempus (v. g. per majorem anni partem) habitat, vel habitare intendit, ut latè probat Sanch. *d. disp. 23. n.* 12. Circa jurisdictionem *fori externi* non est inprimis 9
dubitandum, quin aliquis in loco *quasi domicilii* conveniri possit de actibus ibidem gestis, scilicet contractibus ibidem initis, vel delictis commissis; quomodo Studiosi in loco, ubi studiorum causa temporaliter morantur, coram Rectore, vel optione ipsis Scholaribus data coram Episcopo Civitatis (quam tamen *optionem* consuetudine Academiarum sublatam ait Bes. *de Jure Acad. c. 6. n.* 2.) conveniuntur *auth. habit. C. Ne filius pro patre &c.*

Verùm tota difficultas est, an aliquis in loco *quasi do-* 10
micilii conveniri possit de iis, quæ alibi gessit, v. g. si alibi contraxerit, vel deliquerit? Nos distinctionem adhibemus, an habens *quasi domicilium* in uno loco, alibi habeat *verum* domicilium, vel non? Priori casu putamus juri conformius cum Barthol. *in l. hares absens, 19. ff. de Judic. n.* 6. quòd aliquis in *vero* domicilio conveniendus sit, eò quòd appellatione domicilii, non veniat *quasi domicilium*. *d. l. 7. Codic. de Incol.* Si tamen verum domicilium nimis remotum esset, quo actor sine magnis sumptibus & incommoditatibus pervenire non posset, æquitas suadere videtur, ut vox *Domicilium* pau-

lò

lò latiùs accepta etiam ad *quasi domicilium* porrigatur, *arg. l. placuit* 8. *C. de Judic.* Qua ratione consuetudo passim invaluit, ut forenses & peregrini propter debita alibi contracta in loco, ubi reperiuntur, vel moram trahunt, arrestentur, usquedum solvant, aut datis pignoribus vel fidejussoribus idoneè caveant. Gail. 2. *Obs.* 44. *n.* 20. Vid. Pekium *tot. Tract. de Jure sistendi sive arresti.* Posteriori autem casu, quando nimirum deficit *verum* domicilium, libenter amplectimur sententiam Panorm. *in c. quòd Clericis* 9. *n.* 5. *h. t.* ut aliquis in loco *quasi domicilii* rectè conveniatur.

11 Dices, nihil speciale hac in parte tribui *quasi domicilio*, cùm omnium *vagorum*, qui nullum verum domicilium habent, ea sit conditio, ut, ubicunque deprehenduntur, conveniri possint. Matth. Steph. *de Offic. jud. p.* 1. *c.* 8. *n.* 13. Gall. *d. Obs.* 44. *n.* 12.

Respond. *Vagos* alios esse propriè dictos, qui nullibi nec verum, nec quasi domicilium habent, & de his procedit, quòd ubivis in jus trahi possint. Alii verò sunt impropriè *vagi*, qui saltem *quasi domicilium* habent, ut Studiosi, Famuli mercenarii &c. Panorm. *in cap. fin. hoc tit. numer.* 14. & isti quandiu retinent *quasi domicilium*, non possunt alibi conveniri, nisi ex causa rei sitæ, contractus, vel delicti.

12 Quid autem, si pater alibi habeat *verum domicilium*, nunquid filius, qui in alio loco habet *quasi domicilium*, in domicilio patris conveniri poterit? Putamus id negandum, si filius non soleat ordinariè cum patre habitare *per l.* 3. *& 4. l. assumptio* 6. §. 1. *ubi* Gloss. *notab. & l. libertus* 17. *§.* 13. *ff. Ad Municipal.*

13 Ad *Studiosos* quod attinent, videtur indistinctè tenendum, ut de rebus alibi gestis in loco studiorum coram Rectore non tantùm possint conveniri, sed debeant, ne à studiis suis, quibus *totus illuminatur orbis*, abstrahantur. Text. *in d. auth. habita. Cod. Ne filius pro patre* præsertim ibi: *nec ob alterius cujuscunque provinciæ delictum vel debitum*, qua de re inferiùs *in §.* 4. amplius dicemus.

14 Denùm huic *§.* addendum est, quòd Reus in loco *domicilii* conveniri possit, non tantùm super re ibidem sita, vel contractu aut delicto ibidem facto (quia aliàs forum *domicilii* nihil speciale haberet) sed etiam super re alibi constituta & gesta. Panorm. *in c. fin. n.* 38. *h. t.* sive in loco domicilii reperiatur, sive non; cum enim domicilium efficiat quem esse subditum illius loci, ideo subjacet ejus jurisdictioni, licèt alibi existat, dummodò domicilium non mutaverit, *c. fin. De eo, qui mittitur.* Gail. 2. *Obs.* 36. *num.* 12.

eundem ad interesse convenire *l.* 1. *Cod. Ubi in rem actio*, ubi & hoc speciale est, quòd venditor teneatur emptorem defendere in eodem judicio, in quo ei lis mota est, quamvis ipse alterius fori sit *l. venditor* 49. *ff. de Judic.* Sed ista de vero possessore accipienda sunt, qui loco domini habetur; at si quis tantùm detineat rem alienam sicut incola, commodatarius, aut conductor, &c. poterit judicium evitare, si dominum nominet, eique litem motam denunciet. Gloss. & Barth. *in l. Officium* 9. *ff. de Rei vin. l.* 2. *C. Ubi in rem actio.*

16 Porrò quia text. *in d. l. fin.* generaliter loquitur, ideo communiter DD. inferunt, quòd aliquis in loco *rei sitæ* conveniri possint, quæcunque actio realis instituta sit, sive de rebus corporalibus, sive incorporalibus, sive de hypotheca, possessione, aut proprietate. *Novel.* 69. *c.* 1.

17 De actione tamen, quæ competit in rem *mobilem*, dubitant DD. an semper in loco, ubi res deprehenditur, institui possit? Non est improbabilis distinctio Panorm. *in cap. fin. hoc tit. n.* 43. an res in loco permanere soleat, vel an transitoria sit, veluti si quis cum meo equo per civitatem iter faciat? Illo casu affirmatur quæstio, *arg. text. generalis in d. l. fin. & l. legatur* 39. *in fin. & l. sed & si susceperit* 52. *§.* 3. *ff. de Judic.* Isto vero posteriori casu videtur neganda: quia non censetur res *constituta* in loco, quæ transit, arg. *l. generali* 32. §. *uxori* 2. *ff. de Usu & usufruct. legat. l. quæsitum* 78. *§. fin. & l. si ita*, 86. *ff. de Legat.* 3. *& arg. l. hæres absens* 19. §. 2. *ff. de Judic.* Interim tamen res *mobilis* etiam *transitoria* poterit in loco, per quem transit, sequestrari, seu (ut consueto vocabulo utamur) arrestari, nisi possessor idoneè caverit de judicio sisti, & de re, ubi opus fuerit, exhibenda (*Das der arrestatus Des ordentlichen Rechtensein wolle* in loco aliàs competenti. Verba Besoldi *in Thesaur. pract. v. Arrest. vers. solvitur arrestum*) vel nisi possessor immobilium fuerit, cujusmodi possessores aliàs à satisdatione relevantur *l. sciendum* 15. *ff. Qui satis d. cog.* Panorm. *d. l. n.* 44. Bald. *in l. fin. Cod. Ubi in rem actio.*

18 *Hæreditatis petitio*, cùm etiam *in rem* sit Actio, *l. sed & si* 25. §. *petitio* 18. *ff. de Hæred. petit.* ibi institui potest, ubi bona hæreditaria sita sunt, maximè si interdicto *adipiscendæ*, seu pro immissione in possessionem agatur. Quòd si bona hæreditaria in diversis locis sita sint & tota hæreditas petatur, in domicilio ejus, qui convenitur, vel si nemo possideat, ubi major pars hæreditatis sita est, agendum erit. Text. Gloss. & Castr. *in l. un. C. Ubi de hæreditate agi oport.* Wesenb. *in Parat. de Petit. hæreditatis num.* 9. *in fin.*

§. II.

De Foro rei petitæ.

SUMMARIA.

15 *Qualiter & quare in loco rei sitæ detur fori competentia?*
16 *Nominando auctorem non evitatur realis actio.*
17 *Actio realis pro re mobili an possit institui in loco, ubi res est?*
18 *Hæreditatis petitio ubi instituatur?*

15 Ratione *rei petitæ* sortitur forum is, contra quem *actio realis* instituitur, in loco, ubi res, quæ in specie, tanquam actoris propria, vel saltem reali onere affecta petitur & vindicatur, constituta est, & ita quidem, ut etiam absens ad eum locum citari & vocari possit *l.* 2. *& l. fin. C. Ubi in rem actio*, idque propterea sic introductum est, quòd in loco *rei sitæ* faciliores probationes tam circa possessionem, quàm proprietatem rei, & promptior in re ipsa executio haberi possit.

Nihil verò relevat possessorem actione reali conventum, licèt nominet suum auctorem, à quo rem emit: non enim ideo minus ipse se defendere debebit; ita tamen, ut possit authorem sive venditorem suum laudare, & ad se defendendum in causa *evictionis* citare, atque re evicta

§. III.

De Foro Contractus.

SUMMARIA.

19 *In loco, ubi aliquis contraxit, vel se soluturum promisit, conveniri potest.*
20 *Fallit in exactione dotis.*
21 *In legatis.*
22 *In eo, qui contraxit ut viator, quod tamen certis modis limitatur.*
23 *Contrahens non sortitur forum, nisi in loco contractus reperiatur. Excipiuntur tamen certi casus.*
24 *Qui sit intellectus* cap. Romana §. contrahentes, hoc tit. in 6. *& ibi singularis nostra interpretatio.*

19 Contractus quilibet, vel etiam quasi Contractus facit forum competens in loco, in quo initus est *c. fin. hoc t. l. hæres absens* 29. *§.* 1. *ff. de Judic.* Item si quis in aliquo loco non quidem contraxerit, sed ibidem se soluturum promiserit, rectè quoque eo loci convenietur *d. l.* 19. §. *fin. cum l. seq. & l.* 1. *ff. De eo, quod certo loco.* Quia unusquisque intelligitur in eo contraxisse loco, in quem, ut solveret, se obligavit *l. contraxisse* 21. *ff. de O. & A. l. quæro* 100. *ff. de Solut.*

20 Verùm hæc assertio patitur suas exceptiones. Nam I. Dos soluto matrimonio non in loco, ubi pacta dotalia con-

confecta sunt, sed in domicilio mariti exigitur, *l. exigere, 65. ff. de Judic.*

21 II. Legati, qui ad eum locum, ubi aliquando contraxerunt, mittuntur, ibi durante suo officio respondere super contractu non coguntur, sed habent exceptionem *revocandi domum*, ne ab officio legationis abstrahantur: nisi tamen durante legatione contraxerint: ne detur ipsis potestas alienas res domum auferendi, *l. 2. §. 3. & seqq. l. non alias, 24. & seq. ff. de Judic.* Alii verò, qui ex causa judicandi, testimonium ferendi, appellationis aut alia necessaria causa Romam venissent, vel ibi transitum fecissent, non poterant quidem ibidem rationis *communis patriæ* super aliis negotiis conveniri: si tamen ibidem etiam antea contraxissent, in hac actione ex contractu respondere tenebantur, *dict. l. 2. §. 3. & 4.*

22 III. Excipitur, qui tanquam *advena & viator* in aliquo loco contraxit, mox inde recessurus, absque eo, quòd ibi pergulam, tabernam, aut armarium pro distrahendis mercibus habuerit: quia *durissimum est*, inquit I. C. *in l. 19. §. 2. ff. de Judic. quot locis quis navigans vel iter faciens delatus est, tot locis se defendit*, forrassis neà suscepto itinere & negotio cum suo damno impediatur, Sed istud Juris Consf. responsum statuens exceptionem à communibus legibus, quæ sine distinctione forum in *loco contractus* assignant, *l. 2. §. 4. d. l. 19. §. 1. l. argentarium 45. ff. de Judic. c. fin. h. t.* limitant DD. I. Si quis cum *viatore* contraxerit, ignorans eum *viatorem* esse arg. *à contrario in dict. l. 19. §. 2. ibi: quem scit inde confestim profecturum*, ignoranti enim imputari non potest, quòd cum *viatore* contraxerit. II. Si quis ea intentione ad locum aliquem se contulit, ut ibi contraheret, *dict. §. 2. vers. at si quis ab eo.* III. id quod JC. de *viatore* dicit, obtinet in iis, quæ ex intervallo & in consequentiam contractus veniunt, atque indaginem altiorem requirunt, veluti si de evictione, quanti minoris, rehibitoria, de dolo vel simili actione agatur. At verò si de iis agatur, quæ in ipso contractu mox implenda sunt, ut si accepto pretio equum tradere nolit, rectè ibidem per Judicem loci contractus compelletur, ne rem alienam auferat. Barthol. & Bald. *in dis. l. hæres 19. §. 2.* Panorm. *in cap. fin. num. 25. hoc tit.* IV. *Si viator*, homo vagus, vel de fuga aut mutatione domicilii suspectus sit, contra eum in illo loco, ubi contraxit, procedetur, etiam per viam *arresti*, ut vel ibidem respondeat, vel idoneè caveat de *judicio sisti* coram suo competente Judice, si alium habeat *leg. 2. §. sed si 6. ff. de Judic.* Gloss. *in d. l. hæres 19. §. proinde v. Domicilium*. V. Si is, qui tanquam viator contraxit, ex post facto iterum ad locum contractus revertatur, ibidemque moram trahat, puto eundem in eo loco rectè conveniri, quia tunc non ampliùs est viator, nec à suscepto itinere impeditur; aliunde autem regula est generalis, quòd aliquis in loco contractus conveniri valeat.

23 IV. In loco contractus quis non aliter conveniri potest, quàm si ibidem reperiatur, sicut satis declaratum est per jus Canon. *in cap. Romana 1. §. contrahentes hoc tit. in 6.* Interim etiam hodie nonnulli casus enumerantur, in quibus absens ad locum contractum citari possit. I. Si quis administrationem in aliquo loco gessit, in eo ad reddendas rationes conveniri, & etiam absens vocari potest *l. 1. & ibi DD. Cod. Ubi de rat. agi oport.* II. Si contrahens se omnino submiserit judicio loci contractus vel destinatæ solutionis, renunciando simul foro proprii domicilii, quam tamen renunciationem expressè requirit Covar. *pp. qq. cap. 10. num. 6.* neque ex eo solo induci ait, quòd aliquis promiserit se responsurum in loco contractus, nisi alia verba addiderit, ex quibus appareat, quòd etiam in casu absentiæ se obligare voluerit ad comparendum in eodem loco. III. Si quis promiserit solvere pecuniam non tantùm in *certo loco*, sed etiam in *certo tempore* v. g. Lincii in nundinis Paschalibus, poterit ibidem conveniri & etiam absens eò vocari. Covar. *d. c. 10. n. 6. vers. decimo tertio.* IV. ex text. *d. §. contrahentes.* Panorm. Barthol. Covar. *cc. LL.* & alii communiter concludunt, quòd absens quidem ad locum contractus invitus trahi non possit, nisi tamen comparuerit citatus, & ibidem vel alibi bona habuerit, operabitur citatio hunc effectum, ut actor possit mitti in possessionem bonorum ex primo decreto, & quidem, si bona in loco contractus sint, à Judice ipsius loci contractus: si verò sita sint alibi, à Judice loci, ubi sita sunt. Verùm hæc interpretatio, quamvis verbis *d. §. contrahentes* apprimè correspondeat, non tamen videtur intentioni Legislatoris satis convenire: quomodo enim Pontifex in *princ. d. §.* dicit contrahentes absentes non posse invitos vocari ad locum contractus, ita ut secundùm Panorm. *d. cap. fin. num. 36.* nec directè, nec indirectè possint cogi ad comparendum, & nihilominus subjungat, quòd si citati comparere *contemnant*, missio in bona ipsorum fieri possit. Sanè *missio in bona* est pœna contumaciæ, ut aliquis tædio possessionis emotus compareat *capit. contingit 9. in princ. de Dolo & contum.* Sed quomodo contumax est, qui comparere non tenetur? vel quomodo *contemnit* comparere, qui legitimè evocari non potuit? cùm utatur jure suo *l. nullus videtur 55. ff. de R. J. l. 3. ff. de Judic.* quomodo non cogitur indirectè ad comparendum, cujus bona possidentur? Quare *cùm non intentio verbis, sed verba intentioni deservire debeant cap. secundo 41. de Appellat.* & *scire leges non sit verba callere, sed vim ac potestatem l. scire leges 17. ff. de LL.* ideo (salvo meliori judicio) existimo, textum *in d. §. contrahentes* quoad aliam partem, ubi loquitur de *missione in possessionem bonorum*, explicandum esse de illo casu, in quo aliquis à judice loci contractus legitimè citari potuit, & comparere tenebatur, quod fit in casibus paulò ante enumeratis. Item si quis semel in loco contractus comparuerit, ibique citatus vel insuper litem contestatus fuerit, postea verò inde recesserit volens in loco domicilii copiam sui facere, arg. *c. fin. De eo, qui mittitur in poss.* & *L. ubi acceptum 30. ff. de Judic.*

---

§. IV.

De Foro Delicti.

S U M M A R I A.

25 *Quare ex delicto detur forum?*
26 *Testis falsus punitur à Judice, coram quo deponit.*
27 *Reus delicti capitur, ubi reperitur.*
28 *De remissione rei ad locum delicti.*
29 *Studiosi an remittendi?*
30 *Privilegia nostræ Universitatis.*
31 *Qualem executionem habeant Academiæ?*
32 *Quid juris, si delictum sit in confinio commissum?*
33 *Forum delicti etiam obtinet in Ecclesiasticis.*
34 *Clericus delinquens in Monasterio punitur ab Episcopo.*
35 *Locus delicti non dat forum pœnitentiale.*
36 *Peregrini an obligentur legibus loci, ubi reperiuntur vel legibus domesticis?*
37 *Absens à loco delicti, à quo, & qualiter citari possit?*

EX *delicto* sive parvo, sive magno quilibet sortitur 25
forum in eo loco, in quo deliquit: tum ut purgetur
scandalum, & alii exemplo pœnæ à simili delicto arceantur:
tum ut vindicta tribuatur loco, qui per delictum
offensus & injuria affectus est: tum denique, quòd in re
præsenti facilior cognitio haberi possit *l. 1. & ibi DD. &* 26
auth. qua in provincia. Cod. Ubi de crimin. agi oport. l. capitalium 28. §. famosos. 15. ff. de Pœnis. Hinc quoque statutum est, ut Judici testem coram se falsum deponentem punire liceat, quamvis de cætero alienæ sit jurisdictionis *l. nullum 14. C. de Testib. l. pen. C. de probat.*

Imò cum Reipublicæ intersit, ne delicta maneant 27
impunita, non tantùm in loco *delicti*, sed etiam ubicunque delinquens reperitur, ibi capi & puniri potest, *dict. l. 1. ibi: vel ubi reperiuntur. Cod. Ubi de crimin. agi oport.*

Verùm quia ex supradictis rationibus videtur con- 28
gruentius, ut reus gravis criminis in loco, ubi id commisit, puniatur, ideò jure constitutum est, ut reus alibi degens aut captus, ad requisitionem Judicis loci delicti,

ad

ad eundem locum remittatur *leg. si cui 7. §. fin. ff. de Accusat. l. solent 7. ff. de Custod. & exhib. reor. Nov. 134. cap. 5.* Sed ut hæc *remissio* detur, quinque conditinnes requirunt DD. I. Ut remissio petatur à Judice per litteras *requisitorias*. II. Ut delictum sit grave & enorme. III. Ut litteris inseratur quædam summaria criminis probatio. IV. Ut res adhuc sit integra, nec à Judice capiente tractari cœpta. V. Denique ut uterque Judex tam requirens, quàm requisitus sint sub eodem Principe, à quo requisitus cogi possit. Latè Covar. *pp. qq. c. 11. num. 5. & seqq.* Ex quo postremò requisito illud notandum est, quòd licèt olim, quando omnes ditiones & provinciæ erant sub uno Principe & Imperatore, frequentes fuerint *remissiones*, hodie tamen multorum locorum consuetudine ab hoc Jure *remissionis* recessum sit, eò quòd distinctis jam principatibus, quilibet Dominus suam jurisdictionem omni meliori modo manutenere & ampliare conetur. Quandoque tamen etiam hodie in Germania & aliis locis, in delictis atrocioribus pro exemplo aliorum fit remissio precaria sub antigrapho sive litteris *reversalibus, auff. einem Seders oder Segen Betandenuf*, quòd hæc *remissio* non sit præjudicatura jurisdictioni remittentis, atque Judex requirens in simili idem facturus sit. Gaill. *Lib. 1. de Pace publ. cap. 16. numer. 3. & seqq.* Cujus autem expensis fiat remissio, vide Covarr. *d. l. num. 11.*

29 De Studiosis hic iterum egregia movetur disputatio, utrùm si alibi delinquant, & in loco studiorum reperiantur, ad locum delicti remittendi sint? vel è contra, si in loco delicti capti aut arrestati sint, Academiæ ad ejus instantiam transmitti debeant? Respond. tantùm abesse, ut studiosus ad locum delicti remittendus sit, quod vix Doctorum aliquis asseruerit, ut etiam in ipso loco delicti captum ad Magistratum Academicum remittendum esse, argumenta satis urgentia convincant. Partim ex text. *sæpe d. auth. habita Cod. Ne filius pro patre*, ubi prohibetur, ne Studiosi *propter cujuscunque provinciæ delictum* alibi damnum patiantur, sed in omnibus negotiis Magistratum Academicum Judicem habeant. Partim exemplum militum, qui alibi delinquentes ad suum Judicem remittuntur, *l. de militibus 9. ff. de Custod. & exhib. reor.* nisi desertores militiæ sint, *l. desertorem 3. ff. de Re milit.* Gottof. *in dict. l. lit. C.* Frid. Martini *in Theorem. jurisd. de Foro comp. thes. 28.* Faciunt ea, quæ tradit Covarr. *d. cap. 11. numer. 5.* Quidquid sit in puncto juris; sanè in Germania quasdam Academias hoc jus petendi remissionem habere per expressum privilegium (quo fortassis jus commune declaratum est) testatur Hunnius *in Comment. ad eand. auth. habita c. 2. q. 7. in fin.* Cum autem nostra Universitas Salisburgensis ejusdemque Studiosi, & promoti Magistri sive Doctores ex Bul-
30 la Urbani VIII. & diplomate Ferdinandi II. amplissimam habeant communicationem *cum omnibus & singulis aliarum quarumcunque Academiarum Italiæ, Galliæ, Germaniæ, ac aliorum studiorum generalium Universitatum privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus & indultis; non solùm ad eorum instar, sed pariformiter & æquè principaliter, perinde ac si illa Universitati huic & illius Rectori, Doctoribus, Scholaribus & personis in ea promotis nominatim concessa forent &c.* idcircò ex tam amplis privilegii verbis vix relinquitur dubio locus, quin etiam in proposito eadem nostra Universitas aliarum indultum & jus participet, cùm privilegia Studiosorum admodum favorabilia, adeoque latè interpretanda, Fride-
31 ricus Imperat. *In d. auth. habita* eleganter declararit. Sed quam execusationem faciet Academia in gravi delicto alicujus Studiosi, cum lictores & carnifices non habeat? Respond. Magistratum illius loci, in quo Academia sita est, teneri auxiliares manus & media executorialia præbere; quod nisi fecerit, per Superiorem suum graviter puniri debebit. Hunius *d. l. c. 2. q. 7. l. Episcopale 8. C. de Episcopi aud. arg. nov. 134. c. 5.*

32 Quid autem dicendum, si delictum in confinio duorum Territoriorum *auff. der Grant*, commissum sit? an ibi cognoscendum de crimine, ubi delictum inchoatum est, vel ubi consummatum? an ubi caput, vel pedes occisi jacent? Nos nec faciliorem, nec meliorem responsionem dari posse credimus, quàm ut dicamus, in casu, quo in uno territorio delictum *inchoatum*, in altero *consummatum* est, (v. g. si existens in territorio Salisburgensi globo trajiciat aliquem in Bavarico) vel si nescitur, ubi inchoatum, vel consummatum sit, ut si cadaver in ipso *termino* reperiatur, utriusque territorii Judici competere jurisdictionem, esseque inter eos locum præventioni. Text. *in d. l. 1. C. Ubi de crimin.* Panorm. *in c. fin. de For. comp. num. 25.* Martini *d. l. theor. 19.*

Præterea hæc fori competentia ex causa *delicti* non tan- 33
tùm in foro sæculari, sed etiam Ecclesiastico & circa personas Ecclesiasticas procedit *per text. & DD. in c. postulasti 14. h. tit.* ubi etiam illa notabilis decisio habetur, quòd Judex loci delicti possit ferre sententiam, & Clericum in sua Diœcesi delinquentem, si ita gravitas delicti postulet, beneficiis etiam alibi obtentis privare; ita tamen ut executio hujus sententiæ pertineat ad Episcopum illum, in cujus Diœcesi beneficia sita sunt.

Illud verò hic adjicimus ex Panorm. *in cap. 3. de Offic.* 34
ord. num. 11. quòd Clericus delinquens in Monasterio non habente jurisdictionem quasi Episcopalem ratione delicti non subjiciatur Abbati, sed Episcopo; quia Abbas habet tantùm jurisdictionem in personas regulares, non autem habet territorium, quod pertinet ad Episcopum. Interim non videtur negandum, quin Abbas possit Clericum in Monasterio graviter delinquentem & præsertim de fuga suspectum capere cum intentione eundem suo Ordinario præsentandi, cùm ex multorum sententia id etiam Judici Laico concessum sit. Abb. *in cap. cum non ab homine 10. de Judic. numer. 12. & in cap. ut fama 35. de Sentent. excomm.* Sylvest. V. *Excommunicatio quæst. 6. num. 14.*

An autem ex causa delicti subjiciatur quis foro *pœniten-* 35
tiali illius loci, ubi deliquit, ut ibidem confiteri & absolvi possit, dubitatur? Negativa sententia communiter recepta est: præterquam enim quòd intersit proprii pastoris cognoscere conscientiam suarum ovium, pro quibus est rationem redditurus, cessant etiam rationes supra in principio allatæ, ex quibus forum competens in loco delicti tribuitur, & cum raró aliquis unum solùm peccatum confiteatur, per partes autem confiteri non liceat, plerumque in loco delicti confessio integra non fieret, quia de alibi commissis non esset ibi forum competens. Panor. *in c. cùm contingat 13. hoc t. num. 29.* Covarr. *pp. qq. cap. 11. num. 4.*

De *Peregrinis & Forensibus* non est ommittenda quæ- 36
stio, an particularibus statutis (quin enim legibus communibus, maximè divinis & naturalibus ubique teneantur, non est dubitandmu) ejus loci, in quo tanquam peregrini degunt, obligentur, ita ut si contra faciant tanquam ibidem delinquentes puniri possint? Vel è converso, an si in externis locis contra statuta domestica committant, possit in eos revertentes Judex domicilii animadvertere?

Respond. I. Peregrinos regulariter non obligari legibus loci, ubi tanquam peregrini versantur, adeoque nec transgredientes puniri posse. Dico autem *regulariter*. Nam fallit I. Si ex tali violatione oriatur scandalum. II. Si transgressio cedat in damnum illius loci, ut si prohibita sit extractio frumenti, vel venditio mercium. III. Si leges specialiter vel expressè etiam de viatoribus pro bono publico loci latæ sint: cujusmodi sunt leges vectigalium pro reparatione pontium, viarum &c. IV. Si aliquis non merè ut *viator* in loco sit, sed *quasi domicilium* ibidem figat & notabili tempore commorari intendat. Quæ exceptio in foro interno tutior est circa leges Ecclesiasticas obligantes sub peccato, ut in observatione jejunii & festorum, quia quasi domicilium fundat jurisdictionem fori *interni*; quamvis in aliis legibus pœnalibus videatur negari posse cum Gloss. *in c. quæ contra 2. in V. peregrini dist. 8.* dummodo peregrinus alibi verum domicilium habeat, argumento eorum, quæ sup. *in §. 1. n. 8. & 10.* diximus. Vid. Sanch. *de Matrim. lib. 3. d. 18. num. 3. seqq.* Laym. *lib. 1. tract. 4. cap. 12.*

Respon. II. Particularibus statutis domicilii non obligatur peregrinus quandiu in externis locis degit; unde non peccabit, si festum aut jejunium domesticum alibi non servet, *quia extra territorium jus dicenti impunè non paretur*, *cap. 2. de Constit. in 6. l. fin. ff. de Jurisd.* nisi actus extra territorium gestus cedat in ejus damnum vel injuriam arg. *l. fin. ff. de Decret. ab ord. fac.* Licet autem excommunicatio per modum statuti lata extra territorium non obli-

obliget, *d. c.* 2. ſententia tamen excommunicationis per Judicem Eccleſiaſticum incontumacem extra Diœceſim abſentem lata tenebit, per tradita Panorm. *in cap. fin. hoc tit. num.* 42. quia ſtatutum cohæret loco, ſententia verò ſtringit perſonam ſubditi, quatenus etiam extra territorium ſubditus eſt, *cap. ex tua.* 11. *§. contra eos de Cler. non reſid.*

37 Ultimò breviter inveſtigandum eſt, à quonam Judice & qualiter in jus vocari debeat delinquens, ſi à loco delicti receſſerit? Reſp. De jure communi poſſe Judicem loci delicti litteras mittere ad Judicem illius loci, in quo Reus degit, ut eundem apprehenſum ad locum delicti transmittat. *Nov.* 134. *cap.* 5. Quòd ſi fugitivus ſit Reus, domicilium tamen ſaltem per ſuos domeſticos retinuerit, tunc à Judice *domicilii*, ſi verò domicilium deſeruerit, & *vagus* ſit, à Judice *loci delicti* edicto publico citabitur, & niſi compareat, fiet proceſſus in contumaciam, & etiam abſens condemnari, infamia notari, & excommunicari valebit. Verùm hodie, quando à jure *remiſſionum* receſſum eſt, Judex *loci delicti* non aliter citare poterit reum abſentem, quàm ſi vagus ſit, vel ſi in territorio ſuo reperiatur. *Clem. paſtoralis.* 2. *verſ. quod ſi punitio, de Sentent. & re jud.* niſi citatio jam ipſum Reum intra territorium apprehenderit: quia tunc, tanquam *præventus* ibidem, etiam alibi exiſtens rectè citabitur, & contumax condemnabitur. Vid. Panorm. *in cap. fin. hoc tit. num.* 6. & 7. Gail. 1. *Obſ.* 56. & 57. Cæterùm in cauſis criminalibus regulariter quidem fieri poteſt *realis* citatio & *initium à captura*, non tamen in levioribus, ubi pœna eſt pecuniaria, neque reus ſuſpectus de fuga. Text. *not. in lib.* 1. *ff. de Cuſtod. reor.* Mynſ. *Cent.* 5. *Obſ.* 69.

---

§. V.

De Foro Clericorum.

SUMMARIA.

38 *Exemptio Clericorum eſt de jure divino.*
39 *Clericus non poteſt renunciare privilegio fori; & ibi pœna Clericorum & Judicum.*
40 *Actione reali non poteſt Clericus conveniri coram Laico.*
41 *Clericus contra Laicum agit in foro ſæculari.*
42 *Clerici in minoribus, item & conjugati eorumque uxores an & quando gaudeant privilegio fori?*
43 *Quis ſit Judex, ſi de ipſo ſtatu Clericali dubitetur?*
44 *Familia Clericorum an habeat fori privilegium?*
45 *In cauſa evictionis Clericus defendit ſuum emptorem coram Laico.*
46 *Clerici qualiter teſtimonium dicant in cauſis Laicorum?*
47 *Clericus & Laicus correi ubi judicentur?*
48 *Clericus delinquens an aliquando poſſit capi per Laicum?*
49 *An privilegio, conſuetudine, vel præſcriptione Laici acquirant jus in Clericos?*
50 *In avocatione cauſarum à Judice incompetente majus jus habet Eccleſia, quàm alii.*

38 EXemptionem Clericorum à juriſdictione Laicorum nemo eſt, qui ignoret, eamque *jure divino* ſic ordinatam eſſe Pontifex & Patres (quorum utique eſt de *jure divino* cognoſcere) in Concil. Later. *c. nimis.* 30. *de Jurejur.* & Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Reform. c.* 20. Bonifac. VII. *in c. quanquam* 4. *de Cenſ. in* 6. apertè pronunciarunt; quos ſequimur cum Martha *de Juriſd. p.* 2. *c.* 6. non curantes, quæ in contrarium afferuntur à Covar. *pp. qq. c.* 31. *& aliis DD. ibidem cc.*

39 Igitur *perſonæ Eccleſiaſticæ* coram nullo alio Judice, quàm Eccleſiaſtico conveniri poſſunt, quod beneficium, cùm non ſit *perſonale*, ſed pro honore totius ordinis Eccleſiaſtici indultum. Clerici etiam cum juramento, ac in cauſa quoque *merè temporali* eidem renunciare non poſſunt. Adeoque tametſi conſentiant coram Judice Laico litigare, nihilominus proceſſu inde ſecutus nullus erit & in cauſa *criminali* beneficium, *in civili* totum id, quod eis adjudicatum fuerit, amittent, vel alias pœnas luent. *c. ſi diligenti.* 12. *h. t.* Et Judices ſæculares, qui Clericos in caſibus non permiſſis ad ſuum forum trahunt, excommunicationem incurrunt. *c.* 2. *h. t. in* 6. *c.* 4. *de Immunit. Eccl. in* 6. Bulla Cœnæ. *Caſ.* 15. Sed cùm hæc materia multas involvat difficultates, ideo principales earum per ſingulas quæſtiones breviter ſolvemus.

Quæt. I. Utrum ex cauſis ſupradictis, videl. *Domicilio, Re ſita, Contractu, & Delicto* etiam Clerici forum ſortiantur? Reſp. Affirmativè *c. poſtulaſti.* 14. & *c. fin. h. t. c.* 1. *de Privil. in* 6. Ita tamen, ut ex ejuſmodi cauſis ad forum ſæculare non transferantur, ſed coram Eccleſiaſtico illius loci, ubi contraxerunt, deliquerunt, &c. ſcilicet Archidiacono, Vicario, vel Epiſcopo conveniantur. Cov. *Pract. qq. c.* 11. *n.* 5. Et quamvis in *actione reali*, 40
adeoque ratione *rei ſitæ* velint aliqui Clericum coram Judice Laico conveniri poſſe; idque conſuetudine ſervari teſtentur Gail. 1. *Obſ.* 37. Mynſ. *Cent.* 1. *Obſ.* 22. Nihilominus opinionem contrariam juri magis conformem credimus, cùm bona Clericorum participent eorum privilegium, arg. *c. ſi clericus.* 5. *ubi* Panorm. *n.* 3. *hoc. t.* Martha *de Juriſd. p.* 4. *c.* 125.

41 Quæt. II. An ſaltem Clericus actor contra Laicum coram judice ſæculari litigare debeat? Quod affirmamus, niſi cauſa ſit Sacrilegii veri vel præſumpti, aut alia *mixti fori*, de quibus infra dicemus: vel niſi conſuetudo ſit in contrarium *d. l. ſi Clericus.* 5. & *c. cum ſit* 8. *h. t.* Expenſæ tamen contra temerè litigantem Clericum de rigore juris coram Eccleſiaſtico Judice petendæ ſunt. Martha. *d. p.* 4. *c.* 136. *n.* 10.

42 Quæt. III. Utrùm Clericus etiam *in minoribus* conſtitutus gaudeat *fori* privilegio? Reſp. Affirmativè, ſi unam ex 4. conditionibus habeat: videl. I. quòd beneficium Eccleſiaſticum ſaltem modicum obtineat. Vel II. quod habitum & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopali inſerviat. Vel III. quòd clericaliter incedens in aliquo Seminario de licentia Epiſcopi degat. Vel IV. quòd in habitu & tonſura incedens in aliqua Schola vel Univerſitate de licentia Epiſcopi verſetur, Trid. *ſeſſ.* 23. *de Reform. c.* 6. quamvis in hoc poſteriori caſu Clericum coram Rectore, ſi is Clericus ſit, ſin minus, coram aliis Profeſſoribus Clericis ſuum forum habere ſoleat. Vid. Panorm. *in c. ſi diligenti.* 12. *n.* 52. & *ſeqq. h. t.* Circa *Clericos conjugatos*, exſtat conſtitutio Bonifacii. VIII. *in c. an. de Cler. Conjug. in* 6. quòd tunc habeant privilegium *fori* ſi contraxerint *cum unica & virgine*, ac tonſuram & habitum Clericalem deferant. Cui conſtitutioni addidit Concil. Trid. *d. c.* 6. quòd inſuper debeant eſſe ab Epiſcopo deputati ad alicujus Eccleſiæ miniſterium. Uxores quoque talium Clericorum participare forum eorundem probabilius eſt *arg. l. fin. C. de Incol. l. fœmina* 8. *ff. de Senator. l.* 2. *§.* 1. *Cod. d. Epiſc. & Cler. l. cum quadam puella.* 19. *ff. de Juriſd.*

43 Quæt. IV. Quis ſit Judex competens, ſi de ipſo ſtatu clericali dubitetur, ſi delinquens ſe Clericum eſſe prætendat: Reſp. Si captus ante capturam communiter ut clericus incedere ſolitus fuerit, incunctanter Judici Eccleſiaſtico reſtituendus erit, eò quòd talis præſumatur, qualis invenitur. Quòd ſi verò antecedenter ſemper conſueverit ut Laicus incedere, ſed immediatè ante capturam inceſſerit clericaliter, & multò magis, ſi nec dum in habitu Clericali repertus ſit, talis propter præſumptionem fraudis non prius reſtituetur, quàm ſi Judici Eccleſiaſtico de ſtatu Clericali fidem fecerit. Interea autem præter ſolam detentionem omnis ulterior proceſſus Laici Judicis conquieſcet, & deciſio hujus quæſtionis ad Eccleſiaſticum pertinebit. *c. ſi Judex.* 12. *de Sent. excommun. in* 6.

44 Quæt. V. An etiam familia Clericorum ſequatur forum Eccleſiaſticum? Conveniunt DD. I. Quòd ſervi propriè dicti ſive mancipia ſint de foro Eccleſiaſtico. *c. Eccleſiarum ſervos.* 69. *ubi* Gloſſ. 12. *q.* 2. II. Quòd famuli *conductitii*, qui etiam vel modico tempore ſerviunt, non eximantur à judicio ſæculari. Barb. *in cap.* 2. *h. t. num.* 10. III. Quòd familiæ Epiſcopi competat forum Eccleſiaſticum, plerique DD. notarunt. *in cap. fin. de Offic. Archidiac.* Panorm. *in d. c.* 2. *num.* 6. Sed in IV. diſſentiunt, an famuli privatorum Clericorum, qui ad tempus conducuntur, aut gratis ſerviunt, fori incertum, vel certè ad lon-

longius tempus Clericalis privilegio gaudeant? Affirmativam putamus in jure probabiliter defendi posse cum Mattha *de Jurid. p.4.c.*111. Quòd si ex consuetudine contrarium observetur, & familia Clericorum conveniatur coram Judice sæculari, non licebit tamen Judici vel ejus ministris per vim invadere domum Clerici, (in quam jurisdictionem non habet) & inde famulum delinquentem extrahere sine licentia Clerici, vel Judicis Ecclesiastici. Laym. *in Theolog. mor. lib.*4. *tr.*9.*c.*4. *num.*10. *Arg. §. sed & lex.*3. *Institut. de Injur.*

45 Quær. VI. Utrùm in causa *evictionis* teneatur Clericus suum emptorem Laicum coram Judice sæculari defendere, juxta *l. venditor* 49. *ff.* de *Judiciis*? Affirmamus, quòd Clericus tali casu non sit reus principalis, sed rei defensor. Covar. *Pract. qq. cap.*8. *num.*2. Gail. 1. *O.* 27. *num.* 7.

46 Quær. VII. An Clericus à Judice Laico vocati possit ad testimonium dicendum? Respond. Negativè, quia testis alienæ jurisdictionis à proprio Judice ad testimonium dicendum adigi debet. Proinde, si Clericus necessarius sit pro teste, tunc ad requisitionem Judicis sæcularis vel à suo Ordinario examinandus est, ejusque depositiones clausæ transmittendæ, vel cum licentia sui Ordinarii etiam in sæculari tribunali deponet. Gail. 1. *O.* 100. *n.*16. Falsum autem deponens coram Judice sæculari, ab eodem puniri, non poterit, sed ab Ecclesiastico. Martha d. *p.*4. *c.*128.

47 Quær. VIII. Clericus & Laicus correi in causa civili, vel ejusdem criminis socii coram quo Judice conveniti debeant? Resp. I. Circa correos in causa civili esse distinguendum, an res in obligationem deducta sit *dividua* ita ut quilibet ex correis *pro rata* conveniri possit, cujusmodi obligationes regulariter sunt, quæ in danda quantitate consistunt; vel an sit *individua*, ut si factum promissum sit, v. g. ædificare domum, aut traditio certæ speciei, v. g. equi, fundi &c. Priori casu cujusque correi proprius Judex est adeundus: Posteriori autem Clericus trahet secum Laicum ad Judicem Ecclesiasticum, tanquam digniorem, Martha *d. p.*4. *c.*118.

Resp. II. Quamvis multi DD. sentiant Clericum & Laicum socios criminis ab eodem Judice, & quidem Ecclesiastico, tanquam digniore, judicari debere *arg. leg. nulli* 10. *C. de Judic.* Verùm quia hodierna consuetudine rarò aut nunquam ferè in gravibus delictis etiam *mixti fori* Ecclesia procedit contra Laicos, ideò praxi conformiùs est, ut Clericus ad Ecclesiasticum, Laicus ad sæcularem Judicem mittatur, Teste Menoch. *de Arbitrar. cas.*371. *n.* 12. Covar. *Pract. qq. c.*34. *n.*1.

48 Quær. IX. An Clericus dimisso habitu delinquens possit à Judice Laico puniri, vel saltem apprehendi, & suo Judici tradi, si in flagranti crimine, etiam retento habitu, deprehensus, & de fuga suspectus sit.

Respond. Clericum dimittendo habitum non amittere privilegium clericale, nisi tertiò ab Episcopo monitus non resipuerit. *c. in audientia* 25. *cap. contingit.* 45. *de Sentent. excommun. c. fin. de Vita & honest. Cler.* Interim tamen si Clericus in flagranti & gravi crimine deprehensus, & de fuga suspectus sit, vel ab ulteriori delicto aliter compesci non possit, non est improbabile, quòd à Judice Laico capi & ad proprium Judicem perduci possit, dummodò major violentia non adhibeatur, quàm Clerici resistentia requiratur, Abb. *in c. cum non ab homine* 10. *de Judic. n.*12. *& in c. ut fama* 35. *de Sent. excom.* Laym. *Lib.*4. *tr.*9. *c.*4. *n.*6. Sylv. *V. Excom.* 6. *n.*14.

49 Quær. X. An privilegio, consuetudine, vel præscriptione Laicis jurisdictio in Clericos acquiri possit.

Resp. Posse acquiri privilegio Pontificis saltem quoad certas personas, vel causas. Card. *in c. perpendimus* 23. *de Sentent. excommunic. in* 7. *opusc. apud.* Covar. *pp. qq. c.*31. *n.*2. non autem consuetudine vel præscriptione etiam immemoriali, *arg. c. causam* 7. *de Præscr.* nisi in casibus, in quibus valdè dubium & controversum est, an soli Judicici Ecclesiastico jurisdictio competat, *arg. l. si de interpretatione* 37. *ff. de LL.* Quid verò efficere possit consuetudo circa excommunicationem latam in Judices sæculares usurpantes jurisdictionem in Ecclesiasticos, alibi tradidimus. Quamvis autem aliquando censura *ipso jure* illata consuetudine recepta non sit; interim non obstante tali consuetudine, poterit Judex Ecclesiasticus Judicem Laicum contra jus detinentem Clericum *per sententiam* excommunicare, *c.*2. *h. t. in* 6. quia consuetudine non potest tolli Ecclesiæ jus ferendi censuras, pro necessaria suæ immunitatis & jurisdictionis defensione, ac alienorum excessuum correctione. Quare in *avocatione* 50
causarum à Judice incompetente majus jus habet Ecclesia, quàm alii Judices: illa enim resistentem Judicem sæcularem censuris compescere potest *d. c.*2. isti verò per *appellationem* tantùm ad superiorem sibi consulere debent, ut superiùs dictum.

---

§. VI.

De Reo Prævento.

S U M M A R I A.

51 *Quid & quotuplex sit præventio?*
52 *Præventio inducitur ex sola citatione, si certa requisita concurrant.*
53 *An Clericus de rebus gestis ante Clericatum possit in Judicio sæculari præveniri?*
54 *Singularis nostra distinctio in causa civiliter inter actionem realem & personalem.*
55 *Quid juris, si Clerieus sit hæres Laici?*

Reus *præveniri* dicitur, quando jurisdictio in eum ita 51
ab uno Judice præoccupatur, ut alteri in eadem causa ampliùs non competat. Et autem *præventio* alia, qua utimur in causis *mixti fori* & illis, quarum cognitio diversis judicibus *concurrenter* competit, ita ut judex *præventus* se ampliùs intromittere non possit: & alia, qua reus uni judicio eatenus adstringitur, ut licèt ex post forum mutet, nihilominus causam in priori foro & judicio cœptam ad finem perducere cogatur: v. g. Civis Salisburgensis hìc Salisburgi conventus, litem prosequi debebit, licet durante lite domicilium transferat, *cap. proposuisti* 19. *h. t. l. cum quadam puella* 19. *ff. de Jurisd. l. ubi acceptum* 30. *ff. de Judic.*

Inducitur *præventio* ex communi & recepta DD. sen- 52
tentia per solam citationem. Text. & Glos. *in d. c. proposuisti*, *& l. si quis posteaquam* 7. *ff.* de *Judic.* Et sufficit una citatio scil. prima, quamvis non fuerit *peremptoria*. Requiritur tamen I. ut citatio fiat ad instantiam partis & authoritate judicis: non enim sat est, si pars parti extrajudicialiter litem denuntiet, vel judex proprio motu partem vocaverit, nisi in judicio *inquisitionis*, ubi ex *officio* proceditur. Panorm. *in d. c. proposuisti*.

II. Ut citatio sit valida, non facta à judice incompetente, *l. pen. C. Ne de statu defunctor.* vel ad diem feriatum, &c. Convalescit tamen citatio invalida per comparitionem citati & perseverantiam in judicio. Gloss. & Barth. *in l.* 1. *§.* 1. *ff.* de *Feriis*.

III. Ut citatio pervenerit ad notitiam citati, vel ipse fecerit, quò minùs pervenerit. Solum autem decretum citatorium à judice emanatum, antequam executioni mandatum sit, licet in delegatione perpetuet jurisdictionem, ut tanquam *re non ampliùs integra* morte delegantis non revocetur. Abb. *in c. gratum* 20. *de offic. deleg.* non tamen sufficit ad præventionem. Martha *de jurisd. p.*2. *c.* 3. *n.*14. Quòd si diversi judices in citando concurrant, qui prior tempore, potior est jure, juxta *Reg.*54. *Jur. in* 6. ita ut licet aliàs *realis* citatio concurrent cum *verbali* fortior sit, & prævaleat, debeat tamen cedere *verbali*, quæ præcessit & actu executioni mandata est; quia per eam præventa est jurisdictio, & consequenter alteri judici non ampliùs competit jus *realiter* citandi. Marth. *d. c.*3. *num.* 19.

Anxia difficultas est, an Clericus in causa *criminali* 53
vel *civili* circa res ante clericatum gestas in foro sæculari, ut Laicus præveniri possit, ibidemque deinde etiam ut Clericus respondere teneatur? Satis quidem conveniunt DD. quòd si *res adhuc sit integra*; non debeat Clericus super rebus in statu laicali gestis coram alio, quàm Ecclesiastico judice conveniri. Sed si Clericus de facto ante statum clericalem assumptum in foro sæculari *præventus* sit, diversæ sunt

DD.

DD. opinionem quas refert Panorm. *in cap. 1. de Oblig. ad ratio c. non ord. num. 4.*

Respond. I. Clericum præventum in foro sæculari super *crimine* ante clericatum commisso non tantùm in persona puniri non posse, quòd plerique fatentur, sed nec in bonis (utpotè quæ conditionem personæ sequuntur) tametsi in fraudem transiverit ad Religionem, vel statum clericalem assumpserit; nisi tale delictum fuisset priùs commissum, propter quod ipsum bona fuissent *ipso jure* confiscata. Hæc sententia est contra communem apud Pasqual. *in Addit. ad Lauret. de Franch. p. 2. q. 46. n. 8.* defenditur tamen à Marrha *de Jurisd. p. 4. cas. 121. nu. 27.* Est porrò hic adnotandum, quòd Sixtus Quintus in sua Bulla: *Ad Romanum spectat*. statuerit criminosos, contra quos instituta est accusatio vel inquisitio, nulliter recipi ad professionem, jusseritque, eos habitu exui & expelli: attamens Clemens VIII. in sua dispositione, quæ incipit: *In suprema Ecclesia &c.* dictam Bullam Sixti V. ad terminos Juris communis revocarit. Pasqual. *d. num.* 8.

54 Respond. II. In *causa civili* esse distinguendum inter actionem *realem & personalem*, ita ut clericus in foro sæculari præventus actione *reali* debeat ibi judicium continuare, non autem præventus actione *personali*. Nova hæc distinctio videbitur & apud Authores insolita: vera tamen apparebit subtiliùs expendenti. Ratio autem differentiæ est: quia res, in quam actio *realis* ante clericatum instituta est, nunquam cum effectu *clericalis* facta censetur, ut clericale privilegium participare possit: non enim quoad *dominium*: quia supponimus rem evincendam; & si dubium foret de evictione, adhuc *melior esset* suam jurisdictionem in rem illam *possidentis* judicis Laici conditio: nec quoad *quasi dominium* seu *pacificam possessionem*: quia per litem in Judicio sæculari cœptam constitutus est possessor in ficta mala fide: At verò si Clericus actione *personali* in Judicio sæculari præventus sit, hæc *præventio* non præjudicat Jurisdictioni Ecclesiasticæ supervenienti, quia in actione *personali* ipsa persona principaliter convenitur, & res quæ petitur, est in dominio vel quasi ipsius clerici, adeoque per sententiam Laici condemnari, eaque privari non potest.

55 Simili modo discutimus in ea quæstione, qua quæritur, an clericus hæres Laici possit coram Judice sæculari conveniri? Ubi breviter præsupponendum, quòd hæres regulariter in illo loco conveniri possit, in quo defunctus, si viveret conveniri potuisset *l. hæres absens 19. ff. de Judic.* Si tamen Clericus sit hæres laici, & res adhuc integra, poterit quidem conveniri *in foro defuncti*, sed tantùm coram Judice Ecclesiastico illius loci. Joan. Honor. *in h. t. n.* 17. Verùm tota difficultas est, quid dicendum, si lis cum defuncto jam in sæculari Judicio cœpta sit? Tali casu instantiam sæcularis judicii transire in heredem Clericum, aliqui affirmant, aliqui negant apud Covar. *pp. qq. c. 8. n. 3.* Nos distinctionem in priori quæstione datam inter actionem *realem & personalem* etiam ad istum casum transferimus, ut in actione *reali* contra defunctum in foro sæculari instituta etiam hæres Clericus succedat, non autem in personali.

---

§. VII.

De Foro Leg. diffamari 5. Cod. de Ingenuis Manumiss.

SUMMARIA.

56 *Quando locus sit dispositioni* L. diffamari.
57 *Quis Judex sit competens in hoc judicio?*
58 *Quid si diffamans sit diversæ Jurisdictionis?*
59 *Diffamatio debet probari.*
60 *Praxis circa eam procedendi in Camera: & quid de Jure Communi.*

56 TUm ex verbis, tum ex mente hujus legis per consuetudinem & stylum Judiciorum ac unanimem consensum DD. interpretatæ, receptum est, ut si quis alterum in quacunque causa (quæ tamen sit majoris momenti, & non de levioribus) sive in *petitorio*, sive *possessorio* apud alios *diffamarit*, tanquam sibi obligatum, & debitorem, vel iniquum rei suæ possessorem traduxerit, talis *diffamatus* authoritate *l. diffamari* possit implorare officium Judicis, *diffamanti* certum terminum præfigat, intra quem contra *diffamatum* agere, & causam sua deducere debeat, alioquin, si non sufficienter deduxerit, aut *peremptoriè* citatus non comparuerit, *perpetuum* ei *silentium* imponat. Unde licèt aliàs regula sit, neminem compellendum esse ad actionem instituendam *l. un. C. Ut nemo invitus ag. cog.* eam tamen noluerunt Leges data *diffamatione* procedere, ut bonorum virorum *famam*, contra malignorum obtrectationes sartam tectam, & possessiones rerum pacificas conservarent. Facit etiam *leg. cum Titia 18. ff. de Accus.*

Sed quis erit *Judex competens*, cujus officium implorari debeat, si ponamus *diffamatum* esse diversæ Jurisdictionis? Respond. Cùm finis hujus remedii *l. diffamari*, sit, ut diffamans tanquam *actor* contra *diffamatum* agat, & suas prætensiones probet, vel ut ipsi *perpetuum silentium* imponatur, & præsertim in casu contumaciæ, *contumacia 53. ff. de re jud.* & postquam sententia in rem judicatam transiit, omnis *ulterior audientia* denegetur, Oldrad. *ad d. l. diffamari n.* 13. planè non videtur dubitandum, quin totum hoc negotium apud judicem *diffamati* expediendum sit, cùm Actor forum Rei sequatur & *audientia* in causa utique ab alio quàm causæ judice denegari non possit, Gail. 1. *Obs.* 9. Myns. *Cent. 6. Q.* 90. Blaterus *in speciali tract. ad d. l. diffamari cap. 4. n.* 2. Mundius *in simili tract. in proœm. n.* 35. & alii plerique. Interim quia citatio 57
extra territorium & non subditi ordinariè vires non habet *l. fin. ff. de Jurisd.* ideò si citandus sit *diffamans* alienæ jurisdictionis, proprius ejus Judex à Judice *diffamati* pro executione citationis requirendus erit, & ut eidem comparationem, ac cætera, quæ ad processum *d. l. diffamari*, pertinent, injungat, prout hujus *Requisitioni* formam 59
præscribit Mundius *l. c. d. §. n.* 235. Antequam autem citatio decernatur, requiritur, ut priùs *diffamatus* aliquam & talem *diffamationis* probationem exhibeat, cui probabiliter in judicio credi possit, quod in hac materia specialiter in Camera usitatum refert Gail. 1. *Obs. 10. nu. 7. & 8.* Quamvis aliàs ad fundandam jurisdictionem Judicis regulariter nudis narratis supplicantis fides adhibeatur.

Quòd verò Gail. *d. 1. L. Obs.* 12. distinguat inter judicium Actionis *L. diffamari*, & inter judicium actionis *principalis*, ita, ut si *diffamans* compareat, & de diffamatione convictus vel confessus sit, tunc primum ei Judex terminum statuere debeat ad agendum in causa *principali* coram *competente Judice*, credimus forsan esse praxin Cameræ, cujus jurisdictio quandoque solum super ipsa *diffamatione* (tanquam in causa *fractæ pacis* valdè affini) fundata est, & non in causa principali, quæ frequenter solet ad proprios judices pertinere. Idem Gail. 1. *Obs. 9. junct. Obs. 12. vers. secundus casus*. Cæterùm de Jure communi cùm *diffamans* citetur ad Judicem ipsius causæ principalis, præmissa jam aliqua cognitione super *diffamatione*, statim tunc terminus ad agendum assignatur. Expendatur textus *in d. l. diffamari, & l. cum Titia 18. ff. de Accus.* licèt interim diffamator comparens diffamationem per modum *declinatoriæ exceptionis* utique negare possit, atque de ea per partem citantem convinci debeat. Imò tametsi *diffamatus* plures Judices habeat, ut ratione *domicilii, rei sitæ &c.* adhuc inter eos locum esse *præventionis* existimamus, atque perdita libertate agendi, perdi quoque libertatem eligendi Judicem, ne remedium *l. diffamari* eludatur. Plura circa hanc legem videantur apud Blat. & Mand. *cc. ll.* ubi inter alia etiam tradunt, per remedium *l. diffamari* non excludi actionem *injuriarum*, quod probabiliter defendi potest.

PARS II.

De Competentia fori ex qualitate Causa.

§. I.

De causa Ecclesiastica & seculari.

SUMMARIA.

61 *Judici Laico immiscenti se in causis Ecclesiasticis fit inhibitio sub censuris.*
62 *Quanam dicantur causa Ecclesiastica?*
63 *Ratione peccati causa secularis trahitur ad forum Ecclesiasticum.*
64 *Hares delinquentis compelli potest per Judicem Ecclesiasticum ad reparationem damni.*
65 *Propter denegatam justitiam in foro Ecclesiastico non fit recursus ad seculare.*
66 *Episcopus an sit Judex in causa sua Ecclesia.*

61 CErti Juris est, quòd *causa Ecclesiastica* sive jam inter personas *Ecclesiasticas*, sive *Laicales* agitatæ ad tribunal Ecclesiasticum pertineant, ita ut, si Judex secularis de facto se immiscuerit, possit ipsi per Ecclesiasticum fieri *inhibitio* sub censuris, *cap. 2. & 3. de Judic.* Mattha *de Jurisd. p. 2. c. 41.*

62 Sunt autem hujusmodi *causa Ecclesiastica*, in quibus de rebus *spiritualibus* vel *spiritualibus annexis* agitur, & quæ *Ecclesias* respiciunt, puta, si quæratur de valore professionis religiosæ, de obligatione voti aut juramenti, de beneficiis Ecclesiasticis, de electionibus canonicis, de Jure patronatus, sepulturæ, aut decimarum, de Matrimonio & sponsalibus. Trid. *sess. 24. de Sacram. Matrim. can.* 12. & aliis similibus.

Sed hoc si *de Jure directo* istarum causarum, & principaliter agatur; in iis verò, quæ exinde descendunt & merè temporalia sunt, vel in consequentiam tantùm veniunt, quandoque Judex laicus cognoscit. Ut si fructus *beneficii* vel *decimarum* locati, aut venditi sint laico, & is pensionem vel pretium solvere nolit: si *decima* in perpetuum jus utile laicorum transferint, ita ut ab iis liberè possideantur & in quosvis successores alienentur, atque inter ipsos laicos desuper disceptetur: si *Jus Patronatus* accessoriè cum universitate bonorum in controversiam veniat, &c. dummodò hoc posteriori casu *Juris Patronatus* in specie, nec in libello nec in sententia mentio fiat, Matth. *d. p. 2. c. 41. n. 12.*

63 Aliquando etiam causa cæteroquin profana ad forum Ecclesiasticum trahi potest, si nimirum de *peccato* & obligatione conscientiæ agatur, nec in foro civili audientia concedatur: nam Judex Ecclesiasticus de quovis *peccato mortali* judicat. Text. & DD. *in cap. novit. 13. de Judic.* Unde quamvis de Jure Civili læso ex contractu regulariter non detur actio, nisi læsio sit *ultra dimidium* justi pretii, *l. 2. Cod. de Rescind. vend.* vel nisi læsio resultet, ex vitio aut defectu rei occulto, *tot. tit. ff. de Ædit. Edict.* communiter tamen DD. sentiunt, quòd propter quancunque gravem læsionem Judex Ecclesiasticus audiri possit, cùm in *foro conscientia* quævis notabilis inæqualitas seu læsio compensari & ad æqualitatem reduci debeat, Fachin. 2. *Controver. cap. 25. vers. Est etiam controversia.* Interim si læsio non sit valde excessiva, vel sit altioris indaginis, vel timeantur aliæ incommodationes, ut quia contemnentur censuræ, dabitur ansa infinitis litibus & cavillandi quoscunque contractus, &c. propter has & similes considerationes posse aliquando à Judice Ecclesiastico partes repelli existimamus, *non* enim *quidquid Judicis potestati permittitur, Juris necessitati subjicitur*, *leg. non quidquid 30. ff. de Judic.* & ratio publicæ utilitatis, quæ in amputatione litium consistit, privato alicujus commodo est anteponenda.

64 Similiter licet in foro civili actiones *ex delicto* regulariter non transeant contra hæredem delinquentis, nisi inde locupletior factus, vel lis cum defuncto contestata sit *l. un. C. ex delictis defunct. in quantum hered.* Attamen ad exonerandam conscientiam defuncti poterit Episcopus censura Ecclesiastica compellere hæredes, ut *pro viribus hareditariis* satisfaciant illis, quibus defunctus aliquod damnum intulit *c. fin. de Sepult. cap. in litteris 5. de Raptoribus.*

Sed nunquid etiam è converso *causa Ecclesiastica* aliquando trahi poterit ad *forum seculare*, si Judex Ecclesiasticus justitiam non administravit?

65 Respond. Negativè *per text. in c. qualiter quando 17. de Jud.* nam Laicis absolutè omnis potestas judicandi Ecclesiastica adempta est *cap. 2. de Judic.* cum eos obsequendi maneat necessitas, non authoritas imperandi *cap. Ecclesia 19. de Constitut.* Deinde si unus Judex Ecclesiasticus sit negligens, dabitur recursus ad alium Superiorem, & ita gradatim usque ad Papam, qui ulterius à nemine judicari potest, sed tota ipsius causa Dei Judicio reservatur *cap. si Papa 6. dist. 40.* at verò si Judices *Laici* etiam inclusivè cum Imperatore justitiam non administrarint adhuc penes Ecclesiam ratione iniquitatis & *peccati* est jurisdictio. *d. cap. novit. 13. de Judid.* Unde de jure communi & seclusis specialibus privilegiis non potest probari praxis illa, quam refert Covar. *Pract. qq. c. 35. num. 3.* quòd is, qui sibi videtur oppressus à judice Ecclesiastico, possit simplicem querelam deferre ad *tribunal Regium*; cui deinde competat causam examinare, & si injustam reperit, Judicem Ecclesiasticum ad actorum rescissionem compellere. Vid. Panorm. *in d. cap. qualiter & quando n. 7.* Laym. *Lib. 4. tr. 9. c. 4. num. 4.*

66 Annectimus huic §. breviter illam quæstionem, an Episcopus vel ejus superior sit judex, si causa Ecclesiastica ipsam Ecclesiam Cathedralem concernat? Tali casu ipsum Episcopum esse Judicem, qui nomine Ecclesiæ constituat actorem seu procuratorem coram se defensurum Ecclesiam magni nominis DD. tradiderunt. Gloss. *in cap. si quis erga 16. in V. priveturr 2. q. 7.* Barth. & Bald. *in l. un. C. Ne quis in sua caus.* Zerole. *in Praxi Episc. V. Episcopus versic. 34.* Barbos. *in c. 1. de Pœn. in 6. n. 4. per text. in d. c. si quis erga.* Quorum sententia, an etiam in casu magni præjudicii, ut *exemptionis* aut simili procedat, nolumus definire. Videatur textus *in c. placuit 2. caus. 16. q. 6.* Panor. *in c. super litteris 20. n. 10. de Rescript.*

---

§. II.

De Causis Mixti Fori.

SUMMARIA.

67 *Causa mixti fori, qua dicantur?*
68 *Contractus jurati quoad executionem sunt mixti fori.*
69 *Similiter legata pia.*
70 *Possessorium causarum Ecclesiast. est mixti fori.*
71 *Ecclesia restituitur in integrum coram suo judice.*
72 *Quando actio à Clerico intentata contra Laicum sit mixti fori.*
73 *Causa miserabilium personarum quando sint mixti fori?*
74 *Judex quando dicatur esse negligens in administranda justitia.*
75 *Hodie pleraque crimina sunt mixti fori, aliter de consuetudine.*
76 *Crimen punitum in foro Ecclesiastico an possit adhuc puniri in seculari?*

CAusæ *mixti fori* dicuntur, quæ in utroque foro tam *Ecclesiastico*, quàm *seculari* tractari possunt, unde & inter utrumque Judicem locum est *praventioni*. Sunt autem causæ istæ aliæ *Civiles* aliæ *Criminales*.

Causæ *Civiles mixti fori* perhibentur, quæ quidem originaliter sunt *seculares*, propter certam tamen qualitatem *spiritualem* habent respectum ad forum *Ecclesiasticum*; vel quæ originaliter sunt *Ecclesiastica*, propter qualitatem tamen *temporalem* adjunctam etiam forum *seculare* respiciunt. Res tota magis exemplis, quàm certa difinitione demonstrari potest.

Ita

68 Ita *Contractus* inter Laicos initi originaliter quidem sunt de foro sæculari, sin autem *juramentum* accesserit, propter istam qualitatem spiritualem *juramenti* fiunt *mixtæ* jurisdictionis, intellige, quoad executionem contractus jurati; nam si de *valore* juramenti quæratur cognitio *privativè* ad Ecclesiasticum judicium pertinebit *c. licet mulieres 2. Jurejur. in 6. c. novit. 13. de Judic. c. fin. h. t. in 6. c. quamvis 2. de Pact. in 6.*

69 Ita *Testamenta* Laicorum etiam originaliter ad forum sæculare spectant, si tamen legata ad *pias causas* inserta sint, quantum ad ista legata, eorumque executionem efficiuntur *mixti fori*. Trid. *sess. 22. de Reform. cap. 8. junct. Nov. 131. c. 10. l. hereditas 50. ff. de Heredit. petit.* Gutierez *Can. qq. lib. 1. q. 44. n. 3.*

70 Ita causæ *Decimarum*, *Juris Patronatus* &c. originaliter Ecclesiasticæ sunt, si tamen in hujusmodi causis super nuda possessione & insistentia juris Ecclesiastici agatur, & quæratur, quis in possessione *Decimarum* vel *Juris Patronatus* sit, si Laicus decimas solvere recuset, &c. abstrahendo à *petitorio* & quæstione *proprietatis*, tunc etiam ex communi sententia, maximè de consuetudine, Judex sæcularis cognoscere poterit: quia possessio seu nuda instantia, cùm sit facti, temporalis censeri potest, dummodo actio contra Laicum instituatur: nam Clericus etiam in possessione coram Ecclesiastico Judice conveniendus erit. Fachin. 8. *Controv.* 15. Bocer. *de Juris d. c. 3. n. 29.*

71 Postulationem quoque *Restitutionis in integrum*, si ab Ecclesia fiat contra Laicum, esse *mixti fori*, & etiam à Judice Ecclesiastico peti posse, multi DD. affirmant, eò quòd Ecclesia agens Jure & privilegio speciali, illud deducere possit coram proprio Judice etiam contra Laicum, *arg. c. 1. de integr. rest. & in c. pen. de Reb. Eccles. non alien.* Gutier. *Can. qq. lib. 1. c. 34. n.* 10.

72 Quòd si non per viam *Restitutionis*, sed per viam *actionis* Laicus super re Clerici vel Ecclesiæ conveniatur, & dicat sibi esse propriam, debet (nisi consuetudo sit in contrarium) de rigore Juris coram Judice sæculari conveniri: quia actor forum rei sequitur, *c. si Clericus 5. h. t.* At verò si Laicus fateatur rem esse Clerici vel Ecclesiæ, alleget autem jus retentionis in ea, vel si *notoriè* constet rem ad Ecclesiam vel Clericum pertinere (quia *notorium* non inficitur ex sola negatione. Panorm. *ubi infra num. 4.*) causa efficietur *mixti fori*, arg. à contrario *in d. c. Clericus* 5. Barth. *in l. si quis ex aliena n.* 140. *ff. de Judic.* Rationem assignat Panorm. *in d. c. 5. n. 2.* quòd tali casu Laicus detinens rem Ecclesiæ, præsumatur in mala fide & in aliqua specie *Sacrilegii*, cùm regulariter res Ecclesiæ ad manus Laicorum devenire non possint, crimen autem *Sacrilegii* maximè contra personas Ecclesiasticas commissum esse *mixti fori*, apertè deciditur *in c. cum sit generale 8. hoc tit.*

73 De *Miserabilibus Personis* dubitatur an causæ illarum sint mixti fori? Dicuntur autem *miserabiles personæ*, quæ aliqua commiseratione dignæ sunt, ut viduæ, pupilli, peregrini, pauperes, captivi, oppressi & similes. Sanè pro affirmativa sine distinctione tenenda faciunt diversi Juris Canonici textus, qui pro hac sententia videntur satis apertè loqui *in c. ex parte 15. h. t. c. nuper 6. de Don. inter vir. & ux. c. super quibusdam 26. in fine de V. S.* Felin. *in c. cæterum de Judic.* Verùm Consuetudini & stylo Judiciorum teste Covar. *pract. qq. cap. 6. n. 1.* conformior est illa opinio, quòd tunc demum causæ *miserabilium personarum* ad forum *Ecclesiasticum* spectent, si Judex sæcularis in administranda justitia negligens fuerit, *c. ex tenore 11. hoc tit. c. novit. 13. de Judic.* Sed cùm hoc modo nullum esset speciale privilegium *miserabilium personarum* (quas tamen Jura specialiter privilegiata voluerunt, ut ex supracitatis textibus apparet) eò quòd etiam reliquæ personæ propter denegatam justitiam in foro sæculari possint Ecclesiasticum adire juxtà ea, quæ in *præcedenti* §. dicta sunt: ideò putamus hanc esse differentiam constituendam inter personas miserabiles & alias, quòd istæ non priùs habeant facultatem adeundi Judicem Ecclesiasticum, quàm si nec in *prima*, nec in *secunda* instantia audiantur. Illæ verò in *prima* instantia neglectæ mox omissa *secunda* (nisi fortassis sit in eodem loco & civitate) valeant ad auxilium fori Ecclesiastici provocare, cùm ipsis, utpotè *personis miserabilibus*, dispendiosum & grave foret cum multis sumptibus tot judicia
requirere. *arg. l. un. C. Quando Imper. inter pupill. vel vi-* 74
duas &c. Quando autem dicetur Judex sæcularis *negligens*, ut devolutio fiat ad Ecclesiasticum? Respondet Bald. *in c. 1. S. de investit. inter Dom. & Vasall.* si Judex ter ex intervallo fuerit requisitus, ut justitiam faceret, & tamen non fecerit, prout universim *negligentiam* Judicis inferioris commissam, & propterea superiorem adiri posse, si Judex per spacium *unius mensis* justitiam facere distulerit (idest nunquam manum apposuerit; aliàs enim vel *lapsus instantiæ* expectandus, vel *appellatio* interponenda est) ex ordinat. Cameræ tradit Matth. Steph. *de Offic. Jud. p. 1. c. 8. numer. 69.* Mynf. *Cent. 5. O.* 82. Præterea cùm optima sit praxis, ut causæ *miserabilium personarum* & aliæ, quæ celeritatem desiderant, *summariter*, & si fieri possit, per *commissiones* seu *Judices delegates* expediantur, Suttinger. *in Process. Judic. infer. Austr. Obs. 3. numer. 5.* ideò si *persona miserabilis* petierit cognitionem *summariam*, vel *Commissionem*, eaque injustè denegata fuerit, meritò Judicis sæcularis *negligentia* commissa dicetur, ut insinuat Martha *de Jurisdit. p. 4. Cas. 146. n. 22.*

Ad Causas *Criminales mixti fori* quod attinet, illæ di- 75
cuntur tales, quæ sunt circa crimina, quorum pœnæ ab utroque jure, tam Canonico, quam Civili statuuntur. Et quia ad Ecclesiam spectat, de quovis peccato cognoscere, illudque punire, cùm Episcopi per Spiritum S. constituti sint, ut *evellant & dissipent, & ædificent, & plantent*, prout in *lib. V. Decretal.* de variis criminibus per Ecclesiam puniendis tractatur, & etiam hodie jura *Imperialia*, scilicet *Recessus Imperii* & Constitutiones pœnales *Carolinæ* pleraque criminia puniant, licèt ea in jure antiquo non ita punita fuerint, ut crimen *Usurarum & Concubinatus*; idcircò videtur dicendum, si non omnia, saltem pleraque crimina *de jure* (secùs de *Consuetudine*, de qua Ecclesia ordinariè punitionem criminum inter Laicos commissorum relinquit Judici sæculari) quoad pœnam irrogandam esse *mixti fori*. Dico quoad pœnam irrogandam: nam in crimine *hæresis* & *usurarum* potest quidem etiam pœna à Judice sæculari statui, si crimen notorium sit; si verò quæratur, an articulus, quem aliquis tenet, sit *hæreticus*, vel an contractus sit *usurarius*, hujus rei cognitio *privativè* ad Judicem Ecclesiasticum pertinebit.

Sed Controversia est, utrum delictum in foro *Eccle-* 76
siastico punitum, possit iterum puniri in foro *sæculari*? Uterque sententia multis DD. calculis stabilitur apud Barbos. *in cap. felicis 5. de Pœn. in 6. num. 27. & seqq.* Nos affirmativam præferimus in delictis atrocioribus, ubi in foro Ecclesiastico solùm *Excommunicatio* (quæ pœna potiùs *medicinalis* est, quàm *vindicativa*, *c. 1. de Sentent. excommun. in 6.*) vel similis nimis levis ad vindictam tanto sceleri debitam, & terrorem malis hominibus incutiendum imponitur *cap. 2. de Maled. cap. felicis 5. vers. per hoc quoque de Pœn. in 6. l. placet 5. Codic. de SS. Eccles.* Panorm. *in c. Tua 5. de Procurat. n. 5.* Plura de his causis *mixti fori* videri possunt apud Martham de *Jurisd. p. 2.*

---

§. III.

De Causa connexa.

SUMMARIA.

77 *Causa connexa non dividenda.*
78 *Qualiter sit Causa connexa ratione personarum?*
79 *Si plures diversæ jurisdictionis conveniantur, non est opus adire omnium Superiorem.*
80 *Ratione rei quando sit connexa Causa?*
81 *Incidens spirituale in Causa profana debet remitti ad Ecclesiasticum.*
82 *Ratione generalis actionis qualiter connexa Causa sit?*
83 *De causa Connexa oportet excipere ante litem contestatam.*

VUlgare & receptum est Juris Brocardicum: 77
Causa continentiam dividi non debere, id est,

Causas connexas ab uno eodemque Judice sive ordinario, sive delegato, Gail. 1. *O.* 70. *n.* 3. cognoscendas esse *l. nulli* 10. *& ibi DD. C. de Judic.* Habent autem causæ inter se *connexionem* vel ratione *personarum*, quæ conveniuntur, vel ratione *rei*, de qua agitur, vel denique ratione *generalis actionis*, quæ intentatur.

78 Ratione *personarum* connexum est negotium, & apud eundem Judicem expeditur, si v. g. inter plures cohæredes vel socios actio *familiæ hercifcundæ*, vel *communi dividundo* instituatur: si plures correi in obligatione aliqua *individua* conveniantur: si ex pluribus tutoribus contra unum, tanquam reliquis non existentibus solvendo, agatur, qui petat etiam reliquos conveniri, omnes Contutores ad eundem Judicem mittendi erunt. *l. 1. & 2. ff. de*

79 *quibus rebus ad eund. Judic. eatur.* Ajunt autem Gail. 1. *O.* 32. *n.* 3. & Mynf. *Cent.* 1. *O.* 4. tali casu illum Judicem esse adeundum, qui respectu omnium correorum superior est, v. g. Cameram aut Imperatorem. Sed fortassis hæc praxis est Cameræ, aliàs in Jure communi non fit distinctio inter Judicem superiorem & æqualem, quin potiùs ibi lis terminari debet, ubi vel contra unum ex correis præoccupata est. Barthol. *in l. præcipimus* 32. *C. de appellat.* Schradet. *de feud. p.* 10. *sect.* 4. *n.* 75. *&* 76.

80 Ratione *rei*, de qua agitur, connexa causa est, si circa eandem rem, de qua litigatur, diversæ quæstiones, vel principaliter, vel incidenter moveantur. Ita connexæ sunt causæ *possessionis & proprietatis*, ut coram quo Judice institutum est *possessorium*, coram eodem etiam ventilari debeat *petitorium d. l. nulli C. de Jud. c. de Caus. Poss. & Prop.* Ita Judex Ecclesiasticus, qui judicavit de divortio ex causa adulterii, judicare etiam potest de restitutione & amissione dotis, *c.* 3. *de Donat. inter vir. & ux.* Similiter qui judicavit de Sponsalibus, eorumque dissolutione, judicabit etiam de restitutione arrharum, & donativorum, ac alio *interesse* partis.

81 Verùm hic singulariter est advertendum, si *incidens* vel *connexum* sit *spirituale*, & causa principalis vertatur apud Judicem *Laicum*, tunc is in causa *principali* supersedere debebit, & illud *incidens* ad Judicem *Ecclesiasticum* remittere; ut si quæratur de hæreditate, & matrimonium, ex quo actor se asserit filium, negetur ab altera parte fuisse *validè* contractum, *c. tuam* 3. *de Ord. cognit. c. lator.* 5. *& c. causam quæst.* 7. *Qui filii sint legit.* Atque ita etiam in Camera practicari testatur Mynf. *Cent.* 1. *observ.* 100. Si tamen quæstio *incidens* esset *meri facti*, ut si petenti hæreditatem opponatur, quòd sit natus ex concubinatu, vel actori objicitur excommunicatio, vel contractus dicatur fuisse juratus, his & similibus casibus etiam Judex laicus cognoscere poterit, an matrimonium, inter parentes actoris contractum, excommunicatio lata, aut juratum sit, abstrahendo, an *valuerit* matrimonium, excommunicatio, vel juramentum. Bocer. *de Jurisd. c.* 3. *n.* 51.

82 Ratione *generalis actionis* datur causæ continentia, si diversæ res vel causæ contineantur omnes sub una actione generali, puta sub actione *tutelæ*, *negotiorum gestorum*, vel *hæreditatis petitione*. Quare *negotiorum gestor* conventus super negotio, quod gessit in hoc loco, debet ibidem etiam respondere super eo, quod gessit in alio: sic Judex aditus *per hæreditatis petitionem* in loco, ubi major pars bonorum sita est, cognoscit etiam de bonis alibi existentibus & ad eandem hæreditatem pertinentibus. Gail. 1. *O.* 32. *n.* 5. Menoch. *de Arbit. lib.* 2. *cas.* 372. *n.* 10.

83 Demùm hic adnotandum est, quòd exceptio *causæ connexæ non dividendæ* adinstar aliarum exceptionum *declinatoriarum* ante *litis contestationem* opponi debeat, aliàs si omissa sit, valebit processus coram diversis Judicibus factus. Gail. *d. l. n.* 13. Mynf. *Cent.* 1. *O.* 97. *V. Illud quoque.*

§. IV.

De Causa Feudali.

SUMMARIA.

JUdices competentes in causis *feudalibus* sunt vel *Dominus feudi*, vel *Ordinarius*, vel *Pares curiæ*, vel etiam *arbitri*. Quandonam autem singuli ex istis judicare valeant, commodissimè per tres positiones seu casus explicari potest. Vel enim oritur lis inter convasallos ejusdem Domini; vel inter vasallum & extraneum, sive Dominum & extraneum; vel denique inter Dominum & vasallum. Præmonemus verò circa dicenda potissimum ad locorum consuetudinem esse attendendum, quia jus feudale præsertim circa *fori competentiam* varium est & usibus locorum regitur *arg. text. in pr. & §. 1. de Leg. Corradi* dicemus tamen, quæ magis inter DD. recepta sunt.

Igitur I. si lis oriatur *inter duos vasallos* ejusdem Do- 84
mini, ut si alter partem feudi petat, quàm alter possidet, tunc *Dominus* Judex erit, *cap. 1. §. præterea si inter duos de Prohibita feud. alien. per Frid.* Vid. Bocer. *de Jurisd. c.* 3. *num.* 66. etiam non adhibitis Paribus Curiæ. Zas. *de Feud. p.* 11. *numer.* 7. *in fin.* Et si dominus infans, impubes, furiosus, aut mente captus sit, de causis feudalibus, sicut & aliis ad cognitionem ejus spectantibus, Tutores & Curatores cognoscent. Oldr. *Cons.* 52. Schrad. *de Feud. p.* 10. *sect.* 4. *n.* 54. Neque distinguitur an dominus vasallus *Clericus* sit aut laicus: quia in causis feudalibus etiam Clericus coram domino feudi, licet is laicus sit, respondere debet *cap. verum* 7. *& cap. ex transmisso* 6. *§. hoc tit.*

Sed hæc ita, si de *causa feudali* seu ex *lege feudi* aga- 85
tur, si nimirum de feudi constitutione, conservatione, vel privatione quæratur, nam si quidem agatur *de re feudali*, sed *causa feudalis* non sit neque ex lege feudi ut puta si agatur *de positiona pignoratitia* aut simili actione, *Ordinarius* rei conventi Judex erit, sicut post Innoc. *in c. cæterum* 5. *de Jud. n.* 4. tradit Vult. *de Feudis lib.* 2. *c.* 2. *n.* 34. *& alii ibidem cc.*

Quòd si dominus debitè requisitus justitiam admini- 86
strare negligat, vel suspectus sit, ad dominum superiorem feudi, vel si non sit respectu ejusdem feudi superior, ad ordinarium devolutio fiet: Licèt enim quidam existiment, dominum & Pares Curiæ tanquam ordinarios Judices in causis feudalibus recusari non posse, sed tantùm adjunctos eis dandos esse *arg. auth. si verò C. de Judic.* nihilominus hac in parte potiùs æquitas Juris Canonici recepta est (quæ plerumque in feudis observatur, Schrader. *d. sect.* 4. *num.* 52.) de quo Jure tam Ordinarius, quàm delegatus potest ut suspectus recusari *cap. cum speciali* 61. *& ibi DD. de Appellat.* Bald. *in cap.* 1. *de Invest. in matrim. facta*. Schrad. *d. part.* 10. *sect.* 1. *num.* 63. Sicut etiam Besold. *in Delib. ff. de Judic. numer.* 14. *&* 16. *in fin.* testatur, hodierna praxi inauditum esse, ut suspecto ordi-

ordinatio detot adjunctus ; sed adiri debere superiorem.

87 Quis autem erit Judex, si unus vasallus conveniatur respectu plurium feudorum, quæ à diversis dominis recognoscit, v. g. alius Agnatos contedant, se esse defuncto proximiorem, ac sibi competere successiunem in istis pluribus feudis? Cùm diversa feuda à diversis dominis obtenta sint materia *dividua*, nec una aliqua *generali*, sed diversis *particularibus* actiouibus petantur, ideò singulos dominos istorum feudorum adeundos esse, do-

88 cet Schrader. *d. sect.* 4. *n.* 69. Illud quoque hic addendum ex eodem Schrad. *d. p.* 10. *sect.* 2. *num.* 8. quod licèt multi teneant, non ad dominum sed ordinarium Jurisdictionem pertinere, si uterque ex litigantibus non habeat aliud feudum sub domino, quàm de quo est controversia: veriùs tamen sit propter generalitatem text. in *c.* 1. *§. præterea si inter duos de Probib. feud. alien. per Frid.* quòd indistinctè domino Jurisdictio competat, sive unus tantùm, sive neuter ex litigantibus aliud feudum, quàm conversum sub Domino possideat.

89 II. Si lis oriatur *inter vasallum & extraneum*, vel etiam *inter Dominum & extraneum*, ut quia *extraneus* aut dominium absolutum, aut servitutem, aut aliquid simile prætendit, tunc coguitio ad *ordinarium Judicem* spectat. *cap. un. de Controv. inter vasal. & alim.* Quod si ipse Dominus simul sit ordinarius loci, tunc quia Judex in propria causa esse non potest, superior ejusdem adiri debebit. Pariter, si de re feudali *taaquam feudali* controversia incidat, *novumne* sit feudum, an *antiquum?* v. g. si dominus feudum tanquam sibi apertum alteri *de novo* contulerit, & tertius id feudum *antiquum* asserat, ac *jure agnationis* ad se petrinere contendat, Judicis *ordinarii* hac de re cognitio erit, vertitur enim hic interesse domini, qui non facilè contra *novam investituram* pronunciabit. *c.* 1. *de invest. marit. fact. c.* 1. *An apud Jud.*

90 Utrùm autem in jam dictis casibus, quando scilicet *inter convasallos* vel *inter vasallos & extraneos* lis oritur, possit desuper in arbitros compromitti, (quod nnn pauci affirmant apud Schrad. *d. p.* 10. *sect.* 1. *sub n.* 168.) ignorante vel etiam invito domino? Negamus cum eodem Scbrad. *d. l. n.* 176. Bald. *in c.* 1. *de his qui feud. dare poss.* Rnsenth. *de feud. c.* 9. *membr.* 1. *concl.* 22. *n.* 9.

91 Demùm si controversia nascatur *inter dominum & vasallum*, subdistinguendum est, an agatur super ipsa rei feudalis *proprietate*, ut quia vasalius negat rem esse *feudalem*: vel an agatur super *Jure aliquo accidentali*, ut quia vasallus negat domiuo *servitia*; vel aliam litem *quatenus* vasalius instituit, ut si contra dominum agat *de evictione* feudi, neget ob *feloniam* feudum esse commissum, &c. *Priori* casu *Ordiaarius* judicabit; *posteriori* verò *pars Curia*. Vide Joan. Koppen. *Juris feud. Observ.* 10. Vult. *d. c.* 2. *n.* 24. Dicuntur autem *pares Curia* reliqui vasalli, qui ab eodem Domino Feuda tenent, iique juramentum *de rectè judicando* præstabunt, nisi id ipsum juramentum ab initio unà cum juramento *fidelitatis* præstiterint. Vult. *d. l. n.* 22.

92 Quòd si *pares Curia* Dominus non habeat, tunc vel apud Judicem *Ordinarium*, vel apud *arbitros* communiter electos res terminabitur. Item etiam actio illa *personalis*, quæ agitur ex *stipulatu* de feudo quidem promisso, sed nondum tradito, coram *Ordinario*, ventilanda erit: quia ante *Investituram* actor necdum vasallus dicendus, adeoque *pares Curia* non habere censetur. *Gl. in d. cap.* 1. *de invest. in marit. fact.* Bocer. *dict. cap.* 3. *num.* 58. Vult. *d. l. num.* 36.

Non tamen requiritur, ut omnes *pares Curia* simul judicent, sed ii, quos dominos & vasallus ad judicandum elegerint, nam dominus quosdam eliger, & vasallus quosdam. *c. un. de Controv. feudi apud pares term.* Ne que etiam requiritur, ut *pares* judicaturi sint ejusdem qualitatis cum vasallo litigante, scil. ut Comitem tantùm alii comites judicent, sed etiam inferioris conditionis admittuntur, quia hac in parte Jura feudalia nullam faciunt distinctionem. Innoc. & Panorm. *& alii in c. catorum* 5. *de Jud.*

93 Consuetudine verò, pacto investituræ, vel Statuto particulari introduci posse, ut in controversis feudalibus non *pares Curia*, sed *Ordinarius* vel alius judicet, vix est dubitandum. Zas. *p.* 11. *n.* 20. Schtad. *d. p.* 10. *sect.* 2. *n.* 44. atque ita inter Electorem Moguntinum & vasallum cognoscere Curiam provincialem Monguntiuensem, refert Vult. *d. c.* 2. *n.* 41.

Præterea notabile est, quòd *Dominus & pares Curia* sint *Judices ordinarii*, ac proinde causas feudales delegate possint. Imò etiam *Domiaus* ad causas omnes feudales in sua Curia emergentes *Vicarium* rectè constituit, quod in principatibus Germaniæ usitatum est, ut Consiliarii principum, tanquam eorundem *Vicarii*, tam in *allodialibus*, quàm *feudalibus* Judicium exerceant, prout hæc ad longum prosequitur Schrad. *d. p.* 10. *sect.* 4. 94

Appellatio denique in causis feudalibus rectè interponitur gradatim *ad Superiorem feudi dominum*, vel si nullus sit alius ejusdem feudi Dominus, *ad Ordinarium*. *§. Sancimus, & ibi DD. Quo temp. miles.* Ita si Episcopus vel alius Prælatus Ecclesiæ de terris, quas ab Imperio in feudum tenet, alium subinfeudaverit, ab eo in controversia feudali ad Imperatorem, tanquam *superiorem feudi dominum* appellabitur, Vult. *d. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 4 & 5. *Mynf. Cent.* 5. *O.* 5. Mattha *de Jurisd. par.* 4. *Cas.* 198. 95

---

§. V.

Quis sit Judex, si de ipsa fori competentia quæratur.

S U M M A R I A.

PRo Regula passim tradunt DD. quòd quilibet Judex sive ordinarius sive delegatus cognoscere possit, *an sua sit Jurisdictio*, *leg. si quis ex aliena* 5. *ff.* de *Judic. l.* 2. *ff. Si quis in jus voc. & c. super litteris* 20. de *Rescript.* & si cognoverit *suam* esse, eandem valeat mandatis pœnalibus contra non obtemperantes defendere. *d. l.* 2. *& l. unica ff. Si quis Jus dic. non obtemp.* Idque non tantùm si *ad instantiam partis*, sed etiam *ex officio* procedatur. Panorm. *in d. c. super litteris sub n.* 10. *V. aunquid Judex*. Hinc est, quòd *in c. de Pænis in* 6. concedatur Archi-Episcopis exercentibus Jurisdictiunem in provinciis suis, ut possint injurias notorias sibi aut Nuntiis sois illatas ipsi ponire, idemque extendit Gail. 1. O. 39. ad quemlibet Judicem, ut punire possit injuriam *notoriam* sibi tanquam Judici illatam. 96

Verùm cùm ex adverso sit Regula, *neminem in propria causa esse Judicem*, *l. un. Cod. ne quis in sua caus. Judic.* ideò necesse est, priorem Regulam declarare, ut tantummodo locum habeat circa Jurisdictionem in causis particulasibus, in quibus cognoscendis plus oneris, quàm commodi percipitur. Si verò agatur de alio *pecuniario interesse* Judicis, vel de *totali fundamento Jurisdictionis*, ut si quæratur, an certum territorium, vel districtus ad Jurisdictionem Judicis pertineat? (Quid sit de controversia *Exemptionis*, vid. Panorm. *dict. numer.* 10. *& in cap. venerabili* 24. *in* 3. *&* 4. *de sens.* Chokier *de Juris Ord. in Exempt. part.* 2. *quest.* 12. text. & DD. *in cap. cum persona* 7. *de Privil. in* 6.) præsertim si inter duos Judicis litigium sit? & ita uterque, non tam *Judicis*, quàm *partis* vices habeat: item si de magno honore Judicis agatur, ut quia dicitur excommunicatus, infamis, vel aliàs suspectus &c. nec injuria *notoria* sit; his & similibus casibus, in quibus magna affectio Judicis est erga causam, procedat posterior *Regula*: *neminem esse Judicem in causa propria*. Vid. Panorm. *d. l.* Mattha *part.* 2. *c.* 4. 97

Sed quid remedii, si Judex val contra Jus commune, 98 vel

vel Privilegium partis Jurisdictionem exerceat? Respond. Si exercitium Jurisdictionis vel citatio facta sit contra jus commune *notorium & regulare*, vel contra Privilegium *clausum in jure* (quale est Clericorum. *c. si diligenti 12. h. t.* & Studiosorum, *auth. habit. Cod. Ne filius pro Patre*) non teneri citatum obtemperare vel comparere, *l. fin. ff. de Jurisdit.* Si verò citatio facta sit adversus Privilegium specialiter impetratum, vel exceptionem partis, quæ in *jure dubio*; vel *in facto* consistat (ut si negetur *contractus* in loco actionis institutæ initus esse, &c.) econtra autem Jurisdictio Judicis erga citatum in Jure communi fundetur, tenebitur citatus eatenus comparere, ut privilegium suum exhibeat, & exceptionem *declinatoriam fori* proponat, *d. c. cum persona de Priv. in 6. l. si quis ex aliena. 5. ff. de Judic.* Quòd si Judex nolit acquiescere (ut quia exceptionem reputat insufficientem, vel ipse in possessione Jurisdictionis est) pars autem æstimet se gravatam, dabitur recursus ad proprium Judicem, ut suam Jurisdictionem adversus alterum incompetentem defendat, vel *dabitur provocatio* ad Superiorem, & nonnunquam etiam (maximè in priori casu) actio *injuriarum* contra turbantem alienam Jurisdictionem, vel illegitimè incarcerantem. *l. nec Magistratibus 32. ff. de Injuriis c.* Bocer. *de Jurisd. c. 10. n. 5.* Mynf. *Cent. 5. Obs. 69. in fin.*

TITULUS III.

De Libelli oblatione.

SUMMARIA.

1 *Libellus quid sit, & quibus partibus constet?*
2 *Medium petendi duplex, scilicet causa proxima & remota.*
3 *In actione personali non sufficit exprimere causam proximam; benè tamen remotam: in reali satis est exprimere proximam.*
4 *Nomen actionis non est necessariò exprimendum.*
5 *Differentia ratione conclusionis inter actionem civilem, & criminalem.*
6 *Clausula conclusioni libelli civilis adjici solita* super his omnibus peto, &c. *ejusque effectus.*
7 *Quid operetur clausula:* Salvo Jure addendi, &c.
8 *Post litem contestatam libellus mutari non potest.*
9 *Citatio quid sit: Dividitur in verbalem & realem.*
10 *An cum citatione libellus actoris reo sit transmittendus?*
11 *Quid si citatus domi non sit.*
12 *De citatione facta nuncio asserenti creditur, nisi citatus sit persona, valde fide digna, & cum juramento neget.*
13 *Realis citatio regulariter in criminalibus: aliquando etiam in civilibus locum habet.*
14 *In criminalibus quoque capturam debet precedere causa quadam cognitio.*
15 *Edictalis citatio quid sit, & quando fieri possit?*

POstquam actor satis perspectum habet, coram quo judice cum adversario suo litigandum sit, cogitare debet, qua ratione actionem suam inchoare, & proponere velit. Necesse proinde est, ut libellum seu scripturam conficiat, cui petitionem suam inserat, ut Judex & Reus de qualitate causæ informentur. Quia autem post libelli oblationem statim sequitur citatio Rei, solet etiam hic Tit. de citatione tractari. Quare & nos eandem materiam duobus §. explicabimus,

§. I.

De Libello ejusque requisitis.

LIbellus, ut jam insinuavi, nihil est aliud quàm scriptu- 1
ra actoris petitionem cujusque causam continens. Con-
stituitur ex tribus partibus, videlicet narratione facti,
medio concludendi, & ipsa conclusione. In primis igitur
ponatur in præfatione nomen judicis, & ejus titulus com-
petens, postea narretur factum cum circumstantiis neces-
sariis, ut tam res petita, quàm causa petendi seu medium
concludendi claré & sufficienter colligi possint, & tan-
dem sequatur conclusio, per quam rogetur judex, ut reum
in id, quod petitur, condemnet. Porrò *medium conclu-* 2
dendi, seu *causa petendi* in omni actione est duplex, *pro-*
xima & remota. In actione personali *proxima* est obliga-
tio, *remota* contractus, ex quo illa obligatio nata est: in
actione autem reali *causa petendi proxima* est dominium,
remota ille titulus vel modus, per quem dominium trans-
latum est. In actione personali sufficit exprimere causam 3
remotam, nimirùm contractum, & hoc ipso satis expri-
mitur de obligatione, e. g. dicendo: *peto à Titio centum,*
quos mihi debet ex contractu mutui &c. non tamen suffice-
ret exprimere solam causam proximam, e. g. *peto à Titio*
centum ad quos mihi obligatus est, nam hoc modo libellus
esset nimis generalis & incertus, nec reus deliberare pos-
set, an cedere vel contendere vellet. In actione autem
reali secundùm communem opinionem sufficit allegare
causam proximam videlicet dominium, e. g. *peto domum*
mihi restitui, qua mea est jure dominii. Gloss. *in c. 2. h. t.*
& in l. 1. in verbo, ut promdeff. de Edendo. Nomen verò 4
actionis in specie, quàm actor instituit, exprimendum
non esse præsertim de Jure Canonico, magis receptum est,
dummodo aliàs satis appareat, quidnam petatur, Textus
& Pan. *in c. dilecti 6. de Judiciis.* Andr. Gall. *L. 1. obs. 61.*
Circa conclusionem distinguendum inter libellum ci- 5
vilem & criminalem; etenim si instituatur actio civilis,
omnino in conclusione designari debet, quid & quantum
actor petat; si autem instituatur actio vel accusatio cri-
minalis ad vindictam publicam, nulla fit in libello con-
clusio, sed sola tantùm facti specie narratur, eò quòd in
criminalibus lex ipsa concludat, quæ certam delictis pœ-
nam determinavit, nec sit in potestate accusatoris ali-
quid de illa pœna remittere.
Conclusioni libelli civilis plerumque clausula salutaris 6
(ut vocant) solet adjici sub hac vel simili forma: *Super*
his omnibus peto mihi jus & justitiam administrari omni
meliori modo & forma, qua de jure, statuto, vel consue-
tudine fieri potest. Hujus clausulæ eum esse effectum com-
muniter sentiunt, quòd per illam actor censeatur omne
suum jus in judicium deduxisse, etsi de omnibus & singu-
lis non fecerit expressam mentionem. Quare si actor reum
simpliciter sibi petierit restitui, nihil dicendo de fructi-
bus & expensis, judex secundùm multorum sententiam
non tenetur reum in restitutionem fructuum & expensa-
rum condemnare; tenebitur tamen si per aliquam clausu-
lam salutarem super omnibus aliis ipsius officium sit im-
ploratum. Gall. *dict. loco n. 12.* Item solet à nonnullis et- 7
iam hæc clausula apponi: *salvo jure addendi, minuendi,*
corrigendi &c. Verùm ea ultra jus commune nihil videtur
operari; nam illa, quæ in libello proposita sunt, etiam
sine hac clausula vel penitus tolli vel mutari possunt ante
litis contestationem, refusis tamen expensis, si quas in-
tuitu hujus mutationis reus fecisse comprobetur *l. 3. C. de* 8
Eodem §. fin. minus 34. Instit. de actionibus. Sed post li-
tem contestatam etiam consentiente reo nihil ampliùs mu-
tari potest, ut si actor vellet genus actionis mutare, qui
v. g. priùs egit quanti minoris, jam vellet agere redhibi-
toria, ne aliàs solemnitas judiciorum potiùs arbitrio par-
tium, quàm publica authoritate constare dici debet, *l. non*
potest 23. ff. de Judiciis. Gloss. *in c. de causis 4. §. in consensu*
de Officio delegati. Vid. text. & DD. *in l. edicta 3. Cod. de*
Edend.

§. II.

De Citatione.

9 LIbellus juxta dictam informationem compositus ab
actore vel ejus Advocato aut ejus Procuratore Ju-
dicii offerendus est, qui cùm viderit esse aptum, & con-
tinere justam petitionis causam, statim citationem rei
conventæ decernit. *Citatio* autem est actus legitimus,
quo quis mandato judicis juris experiundi causam in judi-
cium vocatur.

Dividitur in *verbalem*, *realem & edictalem*. *Verbalis*
citatio dicitur, quando judex apparitorem, nuntium
vel pedellum ad reum mittit, eique oretenus in scriptis
significari facit, ut ad certum diem in judicio compa-
10 reat. Disputant quidem DD. an unà cum citatione de-
beat judex libellum actoris reo transmittere, vel an suf-
ficiat, tantùm ipsam causam litis in genere citationi in-
serere? Plerique solius causæ expressionis sufficere cen-
sent cum Panorm. *in cap. præterea 2. de Dilat.* & Bartol.
in auth. offeratur Cod. de Litis contestatione num. 3. Sed re-
ctiùs cujuscunque curiæ stylus attendendus erit, imò
providè & circumspectè facturum judicem opinor, qui
unà cum citatione libellum transmiserit; nam hæc erit
acceleratio litis, cùm tali casu induciæ deliberatoriæ
non sint reo ulteriùs concedendæ, sed comparens sta-
tim respondere debeat, per text. *in d. c. præterea*, & dein-
de inducetur litis pendentia, quæ operabitur effectum,
ut lite pendente nihil innovandum sit, de quo effectu
infra speciali tit. plura dicemus. Gloss. *in Clem. 2. in Ver-
bo plenè. Ut lite pendente &c.*

11 Cæterùm hæc citatio fieri solet ad domum solitæ ha-
bitationis ipsius Rei, & si citatus se occultet, vel certè
ipse, aut ejus familia citationes recipere nolit, poterit
nuntius citationem vel portæ domus affigere, vel in ipsa
domo quoquo modo deponere, & talis citatio arctabit
perinde citatum ac si propriis manibus acceptasset, quia
affectata ignorantia habetur pro scientia, *Clem. 1. de Ju-*
12 *diciis l. 4. §. totius 6. ff. de Damno infecto.* Nuntio autem
vel viatori dicenti se citationem fecisse, creditor propter
juramentum, quo circa fidelem executionem sui officii
judicio adstringitur. Notat tamen Abbas *in c. cum para-
ti 19. de Appellat.* quòd si citatus etiam persona spectabi-
lis & fide digna esset, juramentoque assereret, nunquam
sibi citationem factam esse illi magis, quàm nuntio cre-
dendum foret.

13 *Realis* citatio est, qua personæ propter delictum, æs
alienum, aut aliam justam causam apprehenduntur &
arrestantur. Hæc citatio quamvis regulariter in crimi-
nalibus procedat, tamen quandoque in civilibus etiam
locum habet, si vel reus in comparendo nimis contu-
max, vel de fuga suspectus sit, nam debitorem de fuga
suspectum posse etiam per ipsum creditorem apprehendi
& judici tradi, text. est *in l. ait prætor 10. §. si debitorem
16. ff. Quæ in fraudem creditorum.* Dummodò creditum
liquidum & contractum eo tempore, quo debitor adhuc
sit locuples & integræ fidei, ne aliquid possit imputari
creditori, quòd cum minus idoneo contraxit. Videatur
Gail. *Lib. 2. obs. 44.*

14 Huc pertinet utilis quæstio, utrum judex in causis
criminalibus indistinctè possit reum statim citare reali-
ter, & ita recipere à captura? Respond. Ex Mynsing.
Cent. 5. observ. 6. magis esse receptam sententiam, captu-
ram seu incarcerationem non nisi præmissa causæ cogni-
tione faciendam esse, in qua judex considerare debet,
an crimen tam atrox sit, ut probabiliter dubitetur,
ne reus metu pœnæ aufugiat; item an personæ di-
gnitas non obstet reali citationi, an pœna tantùm pe-
cuniaria sit, ad quam solvendam reus sufficientes habeat
facultates, per text. notab. *in l. 1. ff. de Custodia & exhi-
bitione reorum.*

15 *Edictalis* citatio dicitur, quæ fit per publicum edi-
ctum in aliquo loco publico affixum, quæ tamen non
indistinctè pro libitu Judicis, sed certis tantùm casibus
fieri permittitur, qui sub hac generali regula compre-
henduntur; *quando reus aliter citari non potest.* Unde si
reus latitet, si vagabundus, si contradictores sint incer-
ti, ut in subhastatione vel inventione bonorum defun-
cti, ad hunc citandi modum deveniendum erit.

Sed quanto tempore tale edictum affixum esse debe-
bit? Respond. Hoc pendere ex arbitrio judicis, quia
æstimabit, utrùm hæc publica citatio verisimiliter in
citati notitiam pervenerit, quale ut faciliùs divulge-
tur, & in notitiam veniat, non in uno loco tantùm,
sed ad minùs duobus vel tribus locis edictum affigen-
dum erit.

TITULUS IV.

De Mutuis petitionibus.

SUMMARIA.

1 *Reconventio coram eodem judice quare introducta? & ejus effectus.*
2 *In causis criminalibus & executivis non datur reconventio.*
3 *Nec in causa appellationis, vel spolii.*
4 *Excommunicatus reconvenire non potest.*
5 *Reconventio non datur, si causa sit talis, in qua judex non potest cognoscere.*
6 *An Clericus agens contra Laicum in foro sæculari possit reconveniri?*
7 *Reconventio, durante eadem lite, semper proponi potest.*
8 *Causa conventionis & reconventionis simul tractanda & terminanda sunt, nisi de una prius liqueat quàm de altera.*

COntingit aliquando, quòd reus citatus in judicio
compareat, & ipse quoque actionem aliquam vi-
cissim contra actorem & libellum proponat, eundem-
que super alia causa conveniat, ideò post superiorem ti-
tulum de *Libelli oblatione* sequitur iste de *Mutuis petitio-
nibus*, sive quod idem est, de mutuis Reconventionibus. 1
Reconventio tam coram Ordinario, quàm Delegato
judice proponi debet, & quidem lite pendente prohibe-
tur reus actorem coram alio judice convenire, ne coram
diversis judicibus eodem tempore agatur *cap. fin. X. & c.
dispendia 3. de Rescriptis in 6. l. si idem 11. ff. sedet si mu-
tuæ 1. ff. de Jurisd.* Quòd si verò actor nolit respondere
libello rei in causa reconventionis, non tenebitur reus
etiam, actori ipsi in sua causa respondere *cap. 1. & 2. hoc
t.* Non tamen in omnibus causis admittitur reconventio,
sunt enim quædam exceptæ. Ut I. non habet locum re- 2
conventio in causa criminali, quia non relatione crimi-
num sed innocentia reus purgari debet *cap. 1. & 2. causa
3. q. 11. l. is, qui 4. ff. de Judiciis publicis.* II. in causis
executivis, quæ scilicet habent paratam executionem,
ut in delictis confessionaris & deposito *l. penult. Cod. De-
positi.* III. in causa appellationis, *l. 1. ff. Eum qui appel-* 3
laverit in Provincia defendi. IV. in causa spolii propter
privilegium spoliati, ex quo ante omnia restituendus
est, *cap. super spoliatione 4. de Ordin. cognit.* V. Excom- 4
municatus quamvis conveniri possit, ipse tamen actorem
reconvenire non potest, quia reconventio non defensio,
sed nova actio & impugnatio est, *cap. cum inter 5. de Ex-
cept.* VI. Denique non admittitur reconventio, si judex 5
super causa reconventionis cognoscere non possit, quia
fortè est spiritualis, aut indeclinabiliter ad aliud forum
pertinens. Honor. *hoc tit.*

Insignis est controversia, an Clericus agens contra 6
Laicum in foro sæculari, possit à Laico in eodem foro
saltem in causis civilibus reconveniri? Pro negativa fa-
cit, quòd reconventio sit secunda conventio, sicut ergo
Clericus non potest conveniri coram Judice Laico, ita
nec reconveniri. Deinde quòd in reconventione fiat Ju-
dex competens, qui cæteroquin respectu actoris compe-
tens non esset, fit ex jure prorogationis, eò quòd propter
suum commodum censeatur ultrò in ipsum consentire,
ut duæ actiones coram eodem Judice & eadem facilita-
te, ac iisdem propè expensis expediatur; hæc autem

ratio in Clerico habere locum non potest, quia Clericus jurisdictionem judicis Laici in se prorogare nullatenus valet. *cap. si diligenti 12. de Foro compet.* Econtra pro affirmativa adducitur regula generalis, quòd actor nulla incompetentis fori exceptione se tueri possit, quò minùs coram eodem Judice in causa reconventionis respondere debeat *l. cum Papinianus 14. C. de Sent. omnium judicum* cum *l. qui non cogitur 22. ff. Judiciis*, à qua regula Clericus de Jure Canonico exceptus non reperitur. Hæc quæstio tot ferè ab una quàm altera parte habet Patronos, ut Decius in *cap. et si Clerici 4. n. 155. de Judiciis* censeat indigere Pontificis decisione. Ego quidem ante omnia puto, ad consuetudinem locorum attendendum esse cum Panorm. *in cap. 1. hoc tit.* & Decio *d. l. num. 156.* Ubi verò aliqua consuetudo probari non posset, existimo sententiam affirmativam esse receptiorem, non obstante contrario argumento, quò Clericus jurisdictionem Judicis Laici prorogare non valeat; nam hæc prorogatio non est voluntaria & descendens ex privato pacto Clerici, sed est necessaria & proveniens ex authoritate legis, quæ Judici in causa reconventionis tribuit jurisdictionem in actorem, quam forsan aliàs non haberet. Illa etiam ratio, quòd reconventio sit secunda conventio & propterea, qui non conveniri, nec reconveniri possit, &c. nimium probat: nam ex inde sequeretur, quòd universaliter actor, qui esset alterius fori nunquam in illo judicio, quod inchoavit, reconveniri valeat, quod falsum esse nemo dubitat. Videatur Vall. *h. t. §. 1. n. 3.* Zoes. *eod. tit. n.* 4. Mattha *de Jurisd. p. 4. cent. 2. casu 107.*

7 Reconventio non tantùm ante vel immediatè post litem contestatam, sed etiam ex probabiliori sententia quandocunque, durante eodem judicio, scilicet ante sententiam proponi potest, quia in *cap. si stipendia §. reus quoque de Rescript. in 6.* generaliter dicitur, dari reconventionem durante eodem judicio, & in *Novel. 96. Cod. illud* 2. dicitur, tum demum reconventionem moveri posse coram alio judice, si prior lis finem acceperit.

8 Vall. *d. l. h. tit. §. 3.* Speculator *de Reconvenit. §.* Cæterùm causæ conventionis & reconventionis & simul tractandæ una sententia terminandæ sunt, cum prærogativa tamen actoris, seu causæ conventionis *cap. 1. hoc tit. l. 1. Cod. Rer. amotar.* Quod est verum, si de utraque causa pariter liqueat; si autem priùs liqueat de una quàm de altera, judex poterit pronunciare de illa, de qua liquet, & si ab ea contigerit appellari, poterit interim procedere in altera, quia sunt diversæ causæ. Joann. Honor. *hoc tit. numer.* 5.

TITULUS V,

De Litis Contestatione.

SUMMARIA.

1 *Quid sit & quomodo fiat litis contestatio?*
2 *Non fit litis contestatio, si protestatio in contrarium addatur: quod limitatur in n. 3.*
3 *Omissa litis contestatione processus non valeat nisi in judicio summario.*
4 *Litis contestatio inducit quasi contractum inter litigantes.*
5 *Item perpetuat actiones, interrumpit præscriptionem &c.*

1 Litis contestatio nihil est aliud, quàm declaratio voluntatis litigantium, qua declarant & profitentur, se super causa controversa utrumque in judicio litigare velle. Vel brevius ita describi potest, quòd sit, judicii constitutio facta affirmatione unius & contradictione alterius.

Litem contestari dicitur tam actor, quàm reus; actor quidem affirmativè, proponendo suam petitionem, reus verò negativè eidem contradicendo, Gail. *lib. 1. Obs. 73. numer. 1. & 2.* Quod si reus affirmativè respondeat & fateatur se debere, quod petit actor, nulla est litis contestatio; vel enim perseverat in illa confessione, & nulla est lis inter consentientes, ac consequenter etiam nulla est litis contestatio; vel opponit aliquam exceptionem, e. g. dicendo centum, quos petis ex causa mutui accepi quidem, sed jam solvi, vel reciprocè debes mihi ex alia causa centum, & tali casu tantùm fiet litis contestatio, si actor solutionem, vel reciprocum debitum negaverit, unde per talem exceptionem affirmativam quodammodo fit actor; quia ipsi incumbit onus probandi suam exceptionem.

Sed quid si reus protestetur, quòd per suam responsionem nolit litem contestari, an si simpliciter neget intentionem actoris, nihilominus censeatur lis esse contestata? Respond. quamvis aliàs protestatio actui contraria non relevet, tamen communis est sententia, quòd in hoc casu conservet jus protestantis, & impediat litis contestationem. Hujus ratio reddi potest, ne tam promptiùs ad litem instaurandam; idque tunc saltem procedet, si reus adferat rationabilem aliquam causam, cur hic & nunc litem contestari nollit; ut quia licet forsan certus non sit de indebito, est tamen in firma opinione, &c. cupit tamen adhuc apud se & alios de veritate, & scripturis probatoriis indagare. 2

Sin autem appareret, quòd reus per suas inutiles protestationes tantùm tergiversaretur, posset illum judex rejectis protestationibus ad litem contestandam cogere. Mynsing. *Cent. 3. Observ. 39.* Bald. *in L. 1. C. hoc tit.*

Porrò *litis contestatio* primum fundamentum & angularis lapis dicitur Judicii, ita ut ea omissa de rigore Juris vitietur processus & sententia secuta *capit. unic. hoc tit. l. 1. & auth. offeratur. Cod. eod.* attamen istum rigorem non attendi in summariis judiciis, dummodo aliunde de meritis causæ constet, textus est *in Clem. 2. de Verborum sinif.* 3

Effectus litis contestatæ, quin in aliis juris locis sparsim referuntur, & fusiùs explicantur, breviter sunt isti. 4

I. Quòd per litis contestationem censeatur aliquis quasi contractus initus inter litigantes, ita ut non solùm inducatur obligatio de *judicio sisti & judicatum solvendo*, sed etiam, ut tamersi actor forensis seu alienigena sit, nihilominus sese accomodare debeat secundùm statuta illius loci, in quo litigat: quia propter quasi contractus litis contestatæ censetur aliquo modo esse de illius loci foro & jurisdictione. II. *Litis contestatio* actiones temporales facit perpetuas, & durare usque ad 40. annus *L. fin. C. de Præscript. 30. annor.* III. Actiones pœnales seu ex delicto competentes facit transire contra hæredes delinquentis, utpote qui post litem contestatam non tam ex delicto defuncti, quàm ex quasi contractu litis contestatæ conveniri intelliguntur *§. 1. Instit. de Perpet. & temp. action.* IV. Constituit adversarium in mala fide, atque interrumpit præscriptionem. V. Facit procuratorem dominum litis & sine causæ cognitione non revocabilem. VI. Denique per supradicta impedit libelli mutationem. 5

TITULUS VI.

Ut, lite non contestata, non procedatur ad Testium recceptionem, vel ad Sententiam definitivam.

SUMMARIA.

1 *Limitatur regula hujus Tit. in causa contumacia.*
2 *Item in causis electionum, provisionum, & matrimonii, ac processus inquisitionis.*

3 Simi-

3 *Similiter quando est periculum, ne testimonii facultas pereat; & infra n. 6.*
4 *Quid si testes ante examinati adhuc supersint post litem contestatam?*
5 *In criminalibus non recipiuntur testes ante judicem, nisi ad probandam rei innocentiam.*
6 *Receptio testium ad perpetuam rei memoriam quare concedatur reo magis, quàm actori?*
7 *Quid requiratur in tali receptione testium?*

1 PEr hanc Rubricam firmatur, quòd in præcedenti tit. diximus, litis contestationem esse principium & fundamentum judicii, quo omisso reliqui actus judiciales non rectè celebrantur, & præterea traditur regula, ut ante litis contestationem non fiat receptio aut examinatio testium, & multò magis, ne sententia feratur.

Verùm sicut nulla regula est sine exceptione, ita etiam ista plures notabiles habet limitationes: nam fallit I. si reus fuerit contumax, & legitimè citatus comparere nolit; tunc enim ante litem contestatam excommunicati, vel immissio in ejus bona fieri poterit, prout in *Tit. de Dolo & contumacia* magis explicatur.

2 Fallit II. si agatur de valore electionis, vel provisionis, aut matrimonii carnalis, & reus contumax: sit nam tunc non tantùm censura in ipsum ferri potest, sed etiam testes recipi, & si de causa liqueat, ad sententiam definitivam procedi; quia propter dispendium Ecclesiarum & periculum incontinentiæ in similibus casibus grave est judicium proferre. *cap. quoniam* 5. §. *porro hoc tit.*

3 III. In processu inquisitionis recipiuntur testes & examinantur nulla attenta litis contestatione *d. c. quoniam §. sunt & alii*. IV. si actor timeat, ne inter moras judicii probationis copia sibi subtrahatur, pota quia testes sunt senes, valetudinarii, aut in alias forrè Provincias profecturi, &c. poterit petere ut tales testes etiam ante litem contestatam, imò ante actionem institutam à Judice, vel ejus Commissario examinentur; sed necesse habebit, ut receptis ita testibus vel intra annum actionem instituat, vel reo factam receptionem denuntiet, ne ipsi reo facultas opponendi contra testes adimatur, alioquin receptio testium facta nihil valebit. *d. c. quoniam in Princip.*

4 Quid autem dicendum, si testes examinati adhuc vivant eo tempore, quo deberent adhuc actualiter in judicio produci, an requiratur personalis eorum productio vel sufficiat exhibere eorum depositiones ante factas? Requiri personalem productionem, si reus desideret, docet Zoes. *h. t. n.* 4. *per c. præsentata* 50. *de Testib. & l. fin. Cod. eod. tit.* Ubi testes per arbitrium recepti de novo sunt examinandi.

5 Cæterùm prædicta locum habent in Civilibus causis, non verò in criminalibus criminaliter intentatis, in quibus non recipientur testes pro futura accusatione, nisi solùm ex persona rei ad probandam ipsios innocentiam: nam in criminalibus requiruntur probationes liquidæ, præsentes & strictæ juxta *L. fin. Cod. de Probat.* & melius est nocentem dimittere, quàm innocentem punire. *L. absentem* 5. *ff. de Pœnis*. Gloss. & Panorm. *in c. veritatis* §. *de*
6 *Dolo & Contumacia*. V. Is quoque, qui timet litem sibi movendam, adeòque futurus reus, potest curare examinari testes *ad perpetuam rei memoriam*, & futuram sui defensionem non tantùm illos, in quibus est periculum mortis aut absentiæ, sed etiam quoscunque, & in hoc plus est concessum reo, quàm actori; quia non est in rei potestate, quando conveniatur, sicut est in actoris, quando agere velit. Quod si autem reus hoc modo cupiat testes recipi debet id denuntiare iis, quos putat aliquam prætensionem habituros, ut videant testes jurare, & possint proponere sua interrogatoria, si vellint; demum poterit petere, ut super dictis testium ad perpetuam rei memoriam publicum instrumentum per Notarium conficiatur, quod suo tempore in judicio proferri valeat, sicut text. est, & ibi latè agunt Interpretes *in c. significavit* 41. *de Testibus*. Videatur Mynsing. *Cent.* 4. *Obs.* 71. *& seq.*

TITULUS VII.

De Juramento Calumniæ.

SUMMARIA.

1 *Quid sit & quæ contineat hoc juramentum;*
2 *Tam actor quàm reus id præstare debent, etiam Procurator. Et quid si recusent?*
3 *Juramentum Calumniæ tacitè remitti potest, non expressè: & quæ ratio differentiæ?*
4 *Etiam Clerici ad id tenentur.*
5 *Hodie præstatur etiam in causis spiritualibus.*
6 *Quomodo differt à juramento malitiæ & de veritate dicenda.*
7 *Juramentum de veritate dicenda quando soleat præstari?*

POst litem contestatam solent partes *juramentum Calumniæ* à se invicem exigere; & dicitur illud, quo jurant, quòd sine animo calumniandi credentes se habere justam causam litigare velint. 1

Continent hoc juramentum tres principales articulos. 2
I. quòd litem movendi aut contradicendi justam causam se habere putent litigantes. II. quòd nullam exigant probationem calumniosam protrahendæ litis ergo. III. quòd nihil promiserint, dederint, daturi vel promissuri sint per se aut per alios ad corrumpendum judicem *auth. principales C. de Jurejurando propt. Calum.* Zoes. *eod. tit. n.* 6. Igitur hoc juramentum præstare debet tam actor, quàm reus, & quidem si actor recusarit, cadet jure suo; si reus, habebitur pro confesso, *l.* 2. §. 6. *&* 7. *Cod. d. t.* sin autem per Procuratorem agatur, is duplex quodammodo juramentum deponere debet. *Primò*, in animam sui principalis. *Secundò*, in animam propriam. quòd nimirum nec ipse credat se fovere injustam causam: non est enim infrequens, quòd Procurator majorem habet causæ notitiam, quàm principalis *d. l.* 2. *& c.* 2. *hoc tit. in* 6.

Sed quæ pœna erit, si Procurator in animam propriam jurare noluerit? Quamvis plures censeant hanc contumaciam procuratoris nocere domino & perinde haberi, ac si ipse dominus jurare noluisset; nihilominus verior videtur opinio Saliceti *in l. eum qui* 3. *Cod. de Procurat.* quòd odio & delicto Procuratoris non debeat dominus tam facilè prægravari, sed sufficiat, si procuratori nolenti jurare de calumnia, audientia denegetur, arg. *L. sancimus* 15. *& l. rem non novam* 14. *Cod. de Judic.* Posse tamen ejusmodi Procuratorem pœna aliqua pecuniaria mulctari tanquam qui temerè litem contestatus sit, tenet Gail. *Lib.* 1. *observ.* 89. *num.* 4. 3

Juramentum Calumniæ expressè remitti non potest, potest autem tacitè non exigendo. Ratio diversitatis est, quòd expressa remissio daret occasionem calumniationibus; si verò ab initio tantùm exactum non fuerit, semper timere debent partes, ne in judicio durante exigatur, quia omissum in exordio in qualibet parte litis peti potest, prout Judici videbitur, *cap.* 1. *hoc tit. in* 6. Neque etiam Clerici immunes sunt, quo minùs ad juramentum calumniæ subeundum teneantur, sed ita, ut ad id personaliter præstandum cogi non possint, sed valeant procuratorem deputare, imò personaliter præstare, inconsulto suo Prælato, non debeant *cap.* 1. *&* 5. *hoc tit.* 4

Porrò licèt in causis spiritualibus de jure antiquorum Canonum non fuerit præstitum juramentum calumniæ *c.* 2. *h. tit.* id tamen correctum est per Bonif. *in c.* 1. *eodem t. in* 6. eò quòd experientia doceat, etiam in his causis *frequenter* calumnias intervenire. 5

Demùm differt *Calumniæ juramentum* ab aliis duobus, quorum unum dicitur *juramentum malitiæ*, alterum *juramentum de veritate dicenda*: quòd juramentum *Calumniæ* ab initio præstetur super tota causa, juramentum verò *malitiæ* possit ante & post litem contestatam super singularibus quibusdam articulis, exceptionibus 6

aut petitionibus, peti toties quoties judici videbitur talis exceptio aut petitio de malitia suspecta. *cap. 2. §. fin.h. t. in 6.* à juramento denique *de veritate dicenda* differt, quòd hoc fit de *veritate*; juramentum autem *calumnia* de *credulitate*: nam per juramentum *de veritate dicenda* juratur, quòd verum dicatur: per juramentum autem *calumnia*,
7 quòd causa credatur justa. Juramentum *de veritate dicenda* vidi præstari, quando actor ante probationem redigit libellum suum in certos articulos & petit, ut reus ad singulos, prævio juramento prędicto, respondeat in eum finem, ut sciat actor, quid negetur, quid sibi concedatur, & quid sibi probandum sit.

TITULUS VIII.

De Dilationibus.

SUMMARIA.

1 *Quid sit dilatio & quotuplex?*
2 *Vocato in judicium datur dilatio citatoria.*
3 *Reo comparenti conceditur dilatio deliberatoria.*
4 *Probatoria dilatio est ordinariè 3. mensium.*
5 *Executoria dilatio quatuor mensium tantum habet locum in civilibus.*

1 D*ilatio* est justum temporis intervallum, quod ad aliquem actum judicialem commodiùs expediendum actori vel reo conceditur. Dilationes sunt quadruplices, nimirum *dilatio citatoria*, *deliberatoria*, *probatoria*, & *executoria*.

2 *Citatoria* dilatio est illa, quæ citato seu in judicium vocato datur: neque enim in civilibus, (nisi ex gravi causa fortè propter periculum in mora vel fugæ suspicionem) sic citari potest reus, ut statim relictis omnibus suis negotiis comparere debeat. Imo si semel evocatus non compareat, vocandus est secundò & tertiò, atque singulis citationibus terminum saltem 10. dierum assignare oportet. *l. ad peremptorium 68. & seqq. ff. de Judiciis l. properandum 13. §. 2. Cod. eodem tit.* Quòd si aliquando ex rationabili causa arbitrio judicis ponderanda reus per unicam citationem peremptoriè citandus sit, puta si propter distantiam locorum aut viarum pericula difficile sit plures citationes exequi, non tamen propterea terminus coarctari debet, sed ad minus 30. dierum concedi, eò quòd talis citatio peremptoria æquivaleat tribus simplicibus. Text. *in l. nonnunquam 72. ff. de Judiciis & l. consentaneum 3. C. quomodo & quando judex &c.*

3 *Deliberatoria* dilatio est & datur reo, ut viso libello actoris secum deliberare possit, an litigare velit aut cedere, habetque pro termino 20. dies, nisi ut supra *de Libelli oblatione in §. 2. de Citat.* dictum, ipsi una cum citatione libellus actoris transmissus sit; nam tunc in judicio comparens sine ulteriori dilatione statim respondere debet: quia per libellum de actione sufficienter informatus intra terminum citatorium deliberare poterit.

4 *Probatoria* dilatio est, quæ lite contestata & juramento calumniæ præstito actori ad suam intentionem & reo ad exceptionem suam probandam conceditur. Habet pro termino ordinariè tres menses, aliquando tamen etiam sex, si ex aliena Provincia probationes adducendæ sint. Ex juxta causa, e. g. propter impedimentum incidens vel novam probationem emergentem, solet judex non quidem priorem terminum prolongare, sed novam dilationem concedere. *cap. 1. h. tit. l. 1. C. eodem l. 7. ff. de Feriis.*

5 *Executoria* dilatio datur condemnato per sententiam ad satisfaciendum intra quatuor menses. *l. 2. & 3. Cod. de Usuris rei judicata.* Sed hæc dilatio non habet locum in actionibus realibus & criminalibus, in quibus executio non differtur, nisi fortè ex speciali aliqua causa. Videatur Hostiens. *in Summa de Officio delegati §. qua jurisdictio.* Huic titulo adnotandum est, quòd ex communi sententia de Jure Canonico & generali consuetudine omnes dilationes sint arbitrariæ, & judicis arbitrio relictæ, qui consideratis circumstantiis quandoque terminum ampliare, quandoque restringere poterit. Val. *h. t. §. 1. n. 6. & 4.*

TITULUS IX.

De Feriis.

SUMMARIA.

1 *Feria judiciales alia sunt ordinaria, alia extraordinaria.*
2 *Actus Jurisdictionis contentiosa in feriis exerceri non possunt, benè autem voluntaria; ut & transactiones.*
3 *Excipitur causa pietatis, necessitatis, etsi renuntiatio fiat: qua tamen locum tantum habet in feriis ad privatam utilitatem institutis.*
4 *Citatio potest insinuari die feriato.*
5 *Quid si dies termini citato datus sit festivus in loco citati, non vero judicis?*
6 *Episcopus potest instituere dies festivos: de consuetudine etiam sine populi consensu.*
7 *Potest institui festum etiam pro media tantùm die.*
8 *Festa ab Episcopis instituta etiam à Regularibus exemptis in diœcesi sitis sunt servanda.*
9 *Observatio festi duplex continet praceptum, negativum & affirmativum.*
10 *Pracepto negativo tantùm opera servilia prohibentur: & quanam illa sint?*
11 *Quid circa mercatum?*
12 *Quomodo ex causa pietatis vel necessitatis opera servilia diebus festivis sint licita.*
13 *Si opus servile sit publicum, tali casu consensus Episcopi requiritur: aliquando Parochi licentia sufficit.*
14 *Dies festivi de consuetudine computantur de media nocte in mediam noctem, etsi aliud sit Jure.*
15 *Ab audienda missa pracepto excusat non tantùm physica, sed etiam moralis impotentia.*

---

§. I.

Quæ ratio habenda sit feriarum in processu judiciario.

F*Eria* in materia judiciali dicuntur dies seu tempora, in quibus forensis strepitus & contentiosæ jurisdictionis exercitia planè conquiescere jubentur. *l. 5. ff. h. t.* Sunt autem *feria* aliæ *solemnes* seu *ordinaria*, aliæ *repentina* seu *extraordinaria*. 1

Ordinaria appellantur, quæ certis anni temporibus indicuntur. *Extraordinaria* verò, quæ non certa & stabili lege, sed propter extraordinarium aliquem eventum à Principe vel Magistratibus dantur, e. g. propter victoriam à Principem partam, aut si ei filius nascatur. Rursus feriæ *ordinaria* aliæ sunt institutæ ad divinum cultum, uti sunt festa solemnia Calendarii; aliæ sunt institutæ propter majorem utilitatem hominum, veluti feriæ messium & vindemiarum.

Actus contentiosæ jurisdictionis in feriis celebrati regulariter ipso jure nulli sunt, neque aliquis eo tempore in jus vocari poterit. *cap. fin. hoc tit. l. 2. Cod. eodem.* Sed notanter dico *actus contentiosa jurisdictionis* in feriis celebratos non valere; aliud verò est de actibus, qui sunt *voluntaria jurisdictionis*, qui scilicet sine contentione & dissensu partium tantùm in volentes exercentur, uti sunt emancipationes, dispensationes, privilegiorum concessiones & similes: nam tales actus in diebus feriatis rectè expediun- 2

diuntur. Transactio quoque die feriato celebrata non tantùm de jure pro valida habetur, sed insuper monet Imperator *in l. fin. C. h. t.* ut illis diebus ad sese simul veniant adversarii, eorum animos subeat mutua reconciliatio, pacta & transactiones loquantur, &c.

3 Dico deinde, *actus judiciales* in feriis peractos regulariter esse *nullos*. Fallit autem hæc regula ex triplici capite, videlicet ex causa *pietatis*, *necessitatis*, & *renunciationis*.

Ex causa *pietatis* tempore feriarum etiam sacrarum institui possunt processus summarii alimentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum & aliarum miserabilium personarum.

Ex causa *necessitatis* rectè proceditur, si periculum sit in mora, propter quod negotium differri non possit, puta: si res vel actio inter tempus feriarum fortè sit peritura, si contra latrones aliosque de fuga suspectos procedendum, *l. 1. §. 2. & l. 2. ff. eodem*.

Ex causa *renunciationis* sustinetur processus die feriato factus, si partes feriis renuniarint, quod non quidem in feriis ad honorem Dei, sed in feriis vindemiarum, messium, & aliis ad privatam utilitatem institutis facere possunt, cùm quilibet favori pro se introducto renunciare valeat. *l. penult. Cod. de Pactis cap. fin. hoc t.*

4 Quæres, nunquid saltem citatio insinuari potest reo die feriato, ut compareat die non feriato, seu judiciali? Respond. Affirmativam esse communiter receptam ex eo, quòd executio citationis sit actus merè extrajudicialis, neque possit conqueri reus, quòd in jure feriarum sibi præjudicetur, cùm ex supposito non ipso die, quo citationem recipit, sed alio non feriato comparere jubeatur. Bald. *in l. fin. C. h. t.* Rota Romana *decisione* 1. *num. 1. de de Feriis in novis decisionibus*. Sed quid si dies, qui pro termino comparitionis assignatur, sit festivus in loco, ubi citatus habitat, non verò loco judicii, an contra citationem excipere poterit, ne eo die in jus vocetur? Negativam esse communiorem respondet Panorm. *in c. fin. hoc tit. n. 23.* quia in ordinatione judicii constitutio loci, ubi judicium exercetur, non ubi litigantes habitant, attenditur.

---

§. II.

De observatione feriarum in ordine ad cultum divinum.

5 SUmmus Pontifex in hoc titulo non tantùm de feriis in ordine ad judicium, sed etiam ad cultum divinum observandis pertractat. Quia verò Theologi in tertio præcepto Decalogi ex instituto hac de re agunt; ideò pauca tantùm notanda subjicio.

6 Notandum est I. Festa instituere non tantùm posse summum Pontificem, sed etiam Episcopos in suis Diœcesibus. Quamvis autem, si Episcopus Festum instituere velit, videatur de jure requiri Clerici & populi consensus, ut ex textu *c. ult. hoc tit.* advertunt DD. ne populus Festorum multitudine gravetur, & à laboribus impediatur: de consuetudine tamen ubique ferè receptum est, ut populi consensus non requiratur. Azorius. *Tom. 2. lib. 1. cap. 26. q. 1.*

7 Notandum est II. Quòd Episcopus possit Festa instituere, vel à se aut suis Antecessoribus instituta ita moderari, ut tantùm observetur dies media, id est ante prandium, post meridiem autem liceat operari. Azorius *dict. loc. q. 5.* Idque tunc plurimùm rationabile censeo, si aliàs Festa valdè multa sint, vel experientia constet, tempus pomeridianum tantùm per luxum & compotationes transigi.

8 Notandum est III. Quòd ex constitutione Concilii Tridentini *Sess. 25. de Regul. c. 12.* dies Festi ab Episcopis instituti, ab exemptis omnibus in illa Diœcesi sitis etiam Regularibus servari debeant.

9 Notandum est IV. Præceptum de festi observatione esse duplex: unum negativum, alterum affirmativum. Negativum præceptum est, quod prohibet, ne die festo opera servilia exerceantur. Affirmativum, ut omnes Fideles usum rationis habentes in Festis Missam audiant *cap. 1. h. t. cap. omnes Fideles 62. & c. Missas 64. dist. 1. de Consecratione*.

10 Notandum est V. Ex præcepto negativo tantùm opera servilia esse prohibita; quamvis enim in veteri testamento omne opus in Sabbato interdictum fuerit Judęis, *Exod. 20.* & *Deut. 5.* quia tamen illud præceptum partim fuit morale, partim cæremoniale: Cæremonialia autem veteris Testamentis per adventum Christi expirarint, *cap. un. de Purif. post partum*, ideò per Ecclesiam ad sola opera servilia mitigatum & restrictum fuit. Laym. *in Theolog. mor. lib. 4. tract. 7. c. 1. num. 1. & c. 2. n. 2.* Dicuntur autem opera *servilia*, quæ corporis commoditatibus inserviunt & per servos ac famulos exerceri solent, ut sunt opera rustica & mechanica: E contra opera *liberalia* dicuntur illa, quæ sunt libero homine digna & magis ad excolendum & oblectandum animum faciunt: atque hæc sub præceptum illud negativum non cadunt; tum quòd ipsum præceptum limitetur ad opera servilia; tum quòd ista sint ignobiliora & minùs dignè cum cultu Dei conjungantur. Unde licebit in die festo studere, docere, scribere, musicam exercere; item recreationis causa pingere, venari, piscari, saltem si sine multis operis ac labore talis piscatio vel venatio fiat, Navarr. *in Manuali c. 13. n. 21.*

11 Mercatus autem, seu nundinatio quamvis non sit opus servile, tamen prohibetur *in c. hoc tit.* Sed consuetudine passim contrarium obtentum est, ut in certis Festis, præsertim in Aniversario Dedicationis Ecclesiæ nundinæ habeantur, quæ consuetudo ita moderanda erit, ut negotiationes non instituantur ante rem divinam peractam. Præterea iter facere pedibus, curru, equo vel navi nec opus servile, nec propriè liberale est, sed potiùs naturale & medium: quare & id in die festo licebit: plaustra verò aut jumenta mercibus onerare & agere servile opus censetur, nec in die festo inchoare licebit, inchoatum tamen continuare, si commodè abrumpi non possit, conceditur. Declaratio Cardinal. quam refert Barb. *de Officio Episc. alleg. 165. n. 40.*

12 Notandum est VI. Ex causa pietatis vel necessitatis licere etiam diebus festivis opera servilia peragere. Ex causa pietatis, si v. g. altaria ornanda vel alia ad festivitatem paranda sint. Ex causa necessitatis, si res ad viam necessaria vel tempore peritura sit; qua ratione excusantur pauperes, qui si in multis festis à labore abstineant, se suamque familiam sustentare non possint; item agricolæ cùm ob pluviam superventuram segetes aut fœnum congregant, vel ob aliud grave damnum vitandum ruri laborant; similiter si pauperes famuli & ancillæ diebus festis suas vestes reficiant, &c. Est quandoque & necessitas publica v. g. reficiendi fontes, pontes, piscandi certum piscium genus, quod non nisi certis anni temporibus capitur, juxta *c. licet 3. hoc tit.* si paranda sunt aliqua ad communem populi festivitatem v. g. in adventu Principis.

13 Notandum autem est VII. Quòd præter causam pietatis vel necessitatis insuper requiri debeat consensus Episcopi, præsertim si opus servile in publico faciendum & per longius tempus duraturum sit; ne paulatim prætextu necessitatis liberè contra Festorum obligationem peccetur. Declaratio Cardinal. apud Barbos. *dict. n. 40.* Sin autem periculum in mora sit, vel Episcopus propter distantiam commodè adiri non possit, solum justitiam causæ, vel ad summum, si causa aliquo modo videatur dubia, licentiam Parochi sufficere, communis est sententia.

14 Notandum est VIII. Quamvis in *c. 1. hoc tit.* dicatur, quòd dies Dominica à Vespera in Vesperam cum omni veneratione observanda sit; nihilominus in Europa esse receptum, quòd Festa quantum ad abstinentiam à servilibus operibus computentur à media nocte usque ad alteram mediam noctem, testatur Panorm. *in c. 1. h. tit.* Covar. *Var. Resolut. lib. 4. c. 19. n. 9.* talem autem consuetudinem valere & attendendam esse, textus est *in c. 2. eodem tit.*

15 Nutandum est postremò: quòd alterum præceptum de audienda Missa tanquam humanum & positivum non obliget cum tanto rigore, ut nullo modo quis ab eo excu-

excusetur. Etenim non tantùm impotentia physica (qualis est in mari navigantium, incarceratorum, lecto affixorum & similium) sed etiam moralis, si arbitrio prudentis viri sit gravis, excusat ab audienda Missa, Dicitur autem moralis impotentia, quando licèt non subsit absoluta impossibilitas, subest tamen difficultas propter periculum amittendæ valetudinis aut rei domesticæ. Unde excusantur qui infirmi sunt, aut infirmis serviunt; qui tempore pestis se domi continent, item matres, & ancillæ, quę infantibus assistunt, qui propter distantiam templi domum periculosè deserunt &c. pudor quoque, si gravis sit, secundùm communem sententiam ab audienda Missa excusat: puta, si mulier honesta cum dedecore sui status non honestè vestita sit, vel si aliqua cæteroquin bonæ existimationis ex delicto prægnans apparet, &c. Consuetudo etiam quandoque excusat, si v. g. in aliquibus locis vidua vel puerpera per aliquod tempus templum ingredi non soleat; de quibus omnibus videri possunt DD. antea citati.



TITULUS X.

De Ordine Cognitionum.

SUMMARIA.

1 *Illa quæstio in judicio priùs decidenda est, à qua altera dependet.*

2 *Si quæstio incidens sit spiritualis, remittenda est ad forum Ecclesiasticum, & Judex sæcularis super quæstione principali debet interim supersedere.*

3 *Spoliatus spoliatori super alia causa non tenetur respondere ante restitutionem spolii.*

1 NOn rarò evenit, quòd in judicio præter quęstionem principalem aliæ incidentes emergant & proponantur, quæ non minùs ac principalis suam discussionem requirunt: quo igitur ordine illæ tractandæ sint, hìc agitur. Breviter dicendum; quotiescunque una quęstio dependet ab altera, illa priùs, à qua altera dependet, judicanda est. Sic si aliqua fœmina petat virum tanquam sponsum vel maritum suum; è contra vir dicat, fœminam esse suam consanguineam, priùs de consanguinitate, quàm de contractu sponsalium discutiendum erit: quia valor sponsalium dependet à quæstione consanguinitatis, & frustra probarentur sponsalia, si tota illa probatio ex post facto concideret propter probatam consanguinitatem. *c. 1. hoc tit.* Eodem modo, si petat filius hæreditatem paternam, & alii filii vel consanguinei defuncti negent, ipsum esse filium, vel si negent esse legitimum, omnium primo quæstio filiationis, vel legitimationis discutienda erit. Et quidem si causa hæreditatis dependeat
2 à valore matrimonii, aut ejus effectu, v. g. si dicatur: *matrimonium*, ex quo filius petens hæreditatem natus est propter certum impedimentum Canonicum *non valuisse*, remittenda erit ad Judicem Ecclesiasticum, & interim Judex sæcularis in causa principali supersedebit, *cap.*
3 *tuam 3. h. t.* Porro speciale privilegium habet is, qui ab alio bonis suis spoliatus est, ita ut si à spoliatore super alia causa conveniatur, & ipse excipiat de spolio sibi facto, causa spolii primitùs tractanda sit: quia spoliatus ante omnia est restituendus, nec tenetur priùs in alia causa respondere spoliatori, sicut hac de re infr. in Tit. *de Restitutione spoliatorum* pluribus dicetur.

TITULUS XI.

De Plus Petitionibus.

SUMMARIA.

1 *Plus debito petens in judicio punitur.*

2 *Quatuor modi plus petendi, re, tempore, loco, causa.*

3 *Pœna plus petentium quæ?*

4 *Cessat hæc pœna, si probatum fuerit, non malitiosè plus petitum esse.*

INter incidentes quęstiones quandoque movetur, quòd 1
actor plus petat, quàm sibi debeatur, id cum iniquum sit impunè non permittendum; qualiter verò hæc actio iniqua actoris puniatur h. t.

Dicitur actor plus petere quatuor modis, scil. *re*, *loco*, 2
tempore vel *causa*.

Re plus petitur, si cùm actori debeantur 10. petat 20. vel cùm res sit ejus tantùm pro dimidia parte, petat totam. *Tempore* plus petitur, qui petit ante diem, vel existentem conditionem pactioni seu obligationi adjectam. *Loco* plus petit, qui rem in alio loco petit, quàm ubi conventum est, ut solvatur. *Causa* denique plus petitur, cùm aliquid in genere vel alternativè debetur, & res in specie vel unum præcisè petitur, prout fusiùs explicant Interp. *ad §. si quis agens 33. vers. plus autem Instit. de Action.*

Pœna plus petentis est, ut si *re* vel *causa* plus petatur, 3
condemnetur in expensas, quas Reus in illo judicio fecit; Imò si *causa* plus petatur, Reus omninò ab instantia absolvitur, & Actor debet novam actionem secundùm naturam obligationis instituere, quia ex priore actione Reus non erat obligatus. Quod si *loco* plus petatur, proceditur quidem ad sententiam, sed Actor condemnatur in id, quod interest Rei rem debito loco non fuisse petitam. Si denique *tempore* plus petatur, Actor condemnatur in expensas; & Reo duplicantur induciæ ad solvendum, ita ut si e. g. priùs fuisset obligatus intra annum solvere, jam non teneatur nisi post biennium. Videatur text. & quæ
ibi notat Panorm. *in c. un. hoc tit.* Verùm notandum est, 4
quod hæ pœnæ locum non habeant, si actor probarit, se non malitiosè, sed justo errore ductum plus petiisse, e. g. si quis totum legatum petierit, & ex post facto proferatur alia testatoris scriptura, seu Codicillus legatario planè incognitus, in quo dimidia pars legati ei adempta & alteri data est: Nam error facti præstat excusationem, cùm prudentissimos & optimos quosque fallere possit *§. si quis agens 33. Inst. de Act.* Et *in l. 1. in fin. C. hoc tit.* requiritur, ut plus petens convictus sit per avaritiam id fecisse.



TITULUS XII.

De Causa possessionis & proprietatis.

SUMMARIA.

1 *Quid sit causa possessionis & proprietatis?*

2 *Causa possessionis datur etiam in corporalibus, in quibus datur quasi possessio.*

3 *Judicium possessorium aliud est ordinarium, aliud summarium, summarissimum, seu momentaneum.*

4 *Ubi periculum armorum circa litigiosam possessionem intervenit, sequestrari potest possessio.*

5 *Remedia possessoria alia sunt adipiscendæ, alia retinendæ, alia recuperandæ possessionis.*

6 *Quo-*

6 *Quomodo procedendum à Judice in remedio retinendæ possessionis.*

7 *Qui titulum probat in possessorio, præfertur illi, qui nudam possessionem probat.*

8 *Quid agendum, si in possessorio uterque æqualiter probaverit?*

9 *An & quomodo causa possessionis & proprietatis possint cumulari?*

10 *De petitorio potest actor transire ad possessorium.*

11 *Causa proprietatis consulto non intentatur, quando suppetit remedium possessorium.*

Sicut supra *in tit. 1. hujus Lib.* diximus, judicium aliud esse *petitorium*, aliud *possessorium*, ita hic dicimus, causam aliam esse possessionis, aliam proprietatis, super quibus judicia illa agitantur. Omissis aliis possessionis definitionibus, quæ magis ad tit. *de Præscriptionibus* explicandum necessariæ sunt, in præsenti materia.

1 Nota I. Causam *Possessionis* appellari, quando actor principaliter petit per Judicem declarari, quòd *Possessio* seu insistentia & detentio rei ad se pertineat, quisquis interim dominus sit: Causa verò *proprietatis* illa dicitur, in qua actor postulat per Judicem pronunciari ipsum dominium rei & proprietatem sibi competere.

2 Nota II. Quòd causa *Possessionis & Proprietatis* non tantùm ventiletur circa res corporales, quæ scilicet tangi & videri possunt, sed etiam circa incorporales, nimirum circa jura & jurisdictionalia, quamvis interim in rebus incorporalibus non dicatur esse vera, sed tantùm, *quasi Possessio*, eò quòd vera *Possessio* ex sua natura requirat apprehensionem, quæ fit per sensum aliquem corporeum. Hinc qui e. g. sæpiùs Clericum præsentavit ad beneficium vacans, qui sæpiùs decimas in aliquo loco percepit, aut jurisdictionalia exercuit, dicitur esse in *quasi Possessione* juris præsentandi, decimandi, &c. Quod si ex post facto aliquis ipsum in hac possessione impediat, poterit vel *possessorium* vel *petitorium* instituere, *Possessorium* tunc instituere censebitur, si præcisè se fundet in actibus illis possessoriis priùs exercitis. *Petitorium* verò tunc, si allegarit & probarit aliquem justum titulum, ex quo dicat non tantùm possessionem, sed etiam proprietatem, & dominium juris ad se spectare, e. g. in jure præsentandi alleget fundationem ac donationem beneficii à se vel suis majoribus factam esse, vel si in jure decimandi privilegium Apostolicum producat.

3 Nota III. Judicium *possessorium* aliud esse *ordinarium* aliud *summarium*, quod alio nomine etiam *summarissimum* vel *momentaneum* appellatur. *Ordinarium* est, in quo ordinarius processus juris observatur. *Summarium* verò, ubi partes jubentur summarissima sua documenta & probationes producere, Hoc *summarium* tunc locum habet, si periculum subsit, ne lite pendente partes adversus se invicem in arma proruant, dum alter alterum in exercitio possessionis impedire nititur: nam tunc expedit, ut Judex illi, qui in continenti meliùs probarit possessionem, eandem interim adjudicet. Dico *interim*, usque dum scilicet in ordinario judicio possessorio vel petitorio plenè de veritate constet; unde & hoc judicium *momentaneum* dicitur, quod brevis temporis & exigui momenti præjudicium inferat, utpotè quòd per illud ordinarium judicium statim possit reparari.

4 Nota IV. Si possessio ita sit litigiosa & dubia, ut etiam pendente lite, vel expedito *summario* periculum armorum & cædium sit, poterit interea Judex possessionem sequestrare, & utrique adimere, usque dum alteruter in ordinario possessorio vel petitorio vicerit. *l. si cujus 13. §. sed si inter duos 3. ff. de Usufr. c. cùm venissem 6. de Instit.* Covar. *Pract. 99. c. 17.* Verùm hæc possessionis sequestratio tantùm locum habet, si jus possessionis, ut suppono, dubium sit; nam si constat alteram partem verè possidere, & alteram tantùm de facto possidentem turbare, non rectè jubebit Judex fieri sequestrationem, quia justè possidentem injustè commodo suæ possessionis propter alterius iniquam contradictionem privaret, sed potiùs debebit mandatis pœnalibus turbantem coercere, per tex. *in l. 1. §. est igitur ff. Uti possidetis.* Gail. *Lib. 10. n. 5.*

5 Nota V. In causa *possessionis* varias actiones esse proditas, quæ in jure civili *remedia possessoria* vel *interdicta* vocantur, eæque ad tria capita reducuntur, quòd alia remedia sint *adipiscendæ*, alia *retinendæ*, & alia denique *recuperandæ possessionis*. Remedia *adipiscendæ dicuntur*, quibus agimus, ut possessionem, quam nunquam habuimus, aquiramus; e. g. si is, cui collatum est beneficium, petat se mitti in illius possessionem, si hæres institutus proferat testamentum nullo manifesto defectu laborans, & petat se mitti in possessionem bonorum hæreditariorum. *l. fin. C. de Edicto D. Adriani tollendo.* Remedia *retinendæ* dicuntur, quæ competunt contra eos, qui nos in possessione jam acquisita turbare conantur; ejusmodi sunt interdicta *uti possidetis*, & *utrobi*. Remedia denique *recuperandæ* dicuntur, quibus possessionem, quam injustè per spoliationem aut aliam causam excidimus, iterum recuperamus. Sed de his videri debent, quæ fusè traduntur *in Inst. de interdictis*, & quæ doctè congessit Menoch. *speciali tract. de Remediis possessoriis.*

Nota VI. Quòd circa remedium *retinendæ possessionis* 6
plerumque maximæ difficultates oriantur, quando nimirum utraque pars probat se actus possessorios exercuisse, ita ut planè perplexum reddant Judicem utri possessionẽ adjudicare debeat; e. g. si utraque pars probat, se in flumine vel sylva litigiosa piscationes & venationes exercuisse. Hæc difficultas, quæ in foro quotidiana est, rectè meo judicio sequentibus distinctionibus expediri potest.

I. Si alter litigantium in probatione defecerit, res clara est, tunc locum habere vulgatam juris regulam, quòd actore non probante reus absolvatur *l. 4. C. de Edendo.*

II. Sin autem uterque probarit se justè nec vi, nec clam, nec precario possidere, is obtinebit, qui probavit possessionem antiquiorem: possessio autem recentior propterea hoc casu præsumitur esse vitiosa, quòd duo eandem rem & eodem modo nequeant possidere. *c. licet causam 9. V. ex præmissis de Probat.*

III. Si neuter probavit possessionem antiquiorem sed 7
uterque parem in tempore, tunc præferendus est, cujus possessio titulo munita est: licet enim in possessorio retinendæ non sit necesse titulum probare, imò nec quidem allegare, eò quò teste J. C. *in l. 2. ff. Uti possidetis*; quilibet possessor hoc ipso, quia possessor est, plus juris habeat, quàm ille, qui non possidet: nihilominus tamen, si quis titulum probavit, utique in pari causa prævalere debet illi, qui tantùm probavit possessionem. *d. c. licet causam.* Ibi *maxime quòd justum possessionis titulum non ostendas.*

IV. Si in titulo fuerit paritas, is obtinebit, qui produxit testes numero plures, opinione integriores, & depositione probabiliores justa reg. *c. in nostra 32. de Testibus dict. cap. licet causam vers. quanquam & vers. ex præmissis.*

V. Tandem si utrinque omnia supponantur esse æqua- 8
lia (quod quidem in praxi rarò accidit) sunt qui existimant, tali casu potiùs pro reo, quàm actore respondendum, juxta vulgatam regulam, *quod in dubio favorabiliores sint partes rei, quàm actoris.* Sed quia in possessorio *retinendæ* uterque est actor & reus, quia uterque contra alterum habet æquales querelas, ideo illum censent actorem, qui priùs ad judicium provocarit: quod si uterque eodem tempore ad Judicium provocarit, putant possessionem esse dividendam, & cuilibet mediam partem adjudicandam. Verùm quamvis non ignorem, regulam esse, quod in dubio potiùs favendum sit reo, quàm actori: tamen si talis sit causa, in qua non possit rectè inter actorem & reum distingui, haud video, cur unius potiùs quàm alterius ratio habenda sit, si uterque æqualiter de actibus suis possessoriis docuerit: illa autem prior ad judicium provocatio nihil considerationis meretur: quia plerumque ex nimia adversarii importunitate & violentia, cui quis ampliùs resistere vel non vult, vel non potest, eò aliquis adigitur, ut cogatur ad judicium provocare: anne propterea deterioris conditionis eris, quòd malueris judicio, quàm armis violentia uti? Quantùm ad divisionem possessionis, illa sententia non satis aliquo jure probatur (sicuti alibi pluribus explicatum) ideoque probabiliùs censeo, judicem in nostro proposito, si causa possessionis utrinque sit omninò æqualiter probata, debere pronuntiare secundùm formam interdicti: *uti possidetis ita possideatis*, nimirum, ut uterque possideat communiter & pro diviso. *arg. cap. licet causam 9. vers. cùm ergo de Probat.*

ita

ita enim fiet ut quisque tantum obtineat, quantum probavit, juxta *l.3. in princ. ff. Uti possidetis*. Neque hoc rarum est, quòd pluribus jus venandi in aliqua sylva, vel piscandi in flumine commune sit, idque priùs exercere possit is, qui prior ad locum pervenerit, si uterque simul pervenerit, vel inter se amicabiliter componant, vel communi opera venentur, aut piscentur. Sed quid si partes etiam post talem sententiam à litibus & violentiis privatis non abstineant? Eo casu possessionem sequestrabit judex, usque dum vel perpetuam inter se transactionem ineant, vel petitorium instituant, ex quo appareat, ad quem jure proprietatis possessio pertineat. Videatur Menoch. *de Remed. retinenda possess. Remed.3. q.87.*

9 Nota VII. Causam possessionis & proprietatis non tantùm posse cumulari in eodem libello, ut judex de utraque in eodem judicio cognoscere, & eadem sententia pronunciare debeat, *c.2. & c.3. c. cum dilectus 6. h. t.* sed etiam, si quis egerit super sola possessione & in progressu appareat, illum etiam rei proprietatem probare, poterit judex præter possessionem ipsam quoque proprietatem ei adjudicare. *c. cum Ecclesia 3. & c. cum super 4. h. t. DD. in leg. naturaliter 2. §. nihil commune ff. de Acquir. & amitt. possess.* Quòd an æquè de Jure Civ. procedat, dubium est. Propter text. in *L. ordinarii 13. C. de Rei vind. & in l. incertis 3. C. de Interd.* aliqui hic differentiam inter jus utrumque statuunt; sed quia Pont. *c.2. h.t.* videtur insinuare, idem esse de Jure Civ. alii conciliare nituntur, ut quidem possessio prior sit cognitione & pronunciatione, sed petitorium in executione, juxta text. *in d. cap. cùm dilectus*. Quia tamen plus adhuc indicant textus Juris Civ. alii tertiò probabiliùs dicunt, tunc tantùm procedere Juris Civilis dispositionem, ut priùs cognosci debeat de causa possessionis, quando uterque contendit se esse possessorem & dominum; nullus tamen onus probationis in se vult recipere, ut in *l.1. ff. Uti possidetis*. Extra hunc casum etiam possessorium *retinendæ* cum petitorio cumulari posse saltem in incorporabilibus & beneficiabilibus. Menoch. *loc. cit. n.539.* Vid. Fachin. *Contr. lib.8. c.6.*

10 Nota VIII. Quamvis ab initio actor intentaverit causam proprietatis, si tamen lite pendente timeat, se in probatione dominii defecturum, poterit adhuc ante conclusionem in causa, & nisi expressè renunciarit, remedium possessorium intentare, *d. l. naturaliter. 12. §. nihil commune. ff. de Acquir. possess.* Imò etiam post conclusionem in causa poterit Judex actorem ad possessorium admittere, si hoc ipse viderit ex justa causa expedire, puta cùm ex perspicuis indiciis facilè arguitur iniquitas alterius possessoris, vel actori causa aut ex malitia facultas probandi dominium subtracta sit. *c. pastoralis 5. extra & Clement. un. h. t.*

Non est quidem sine controversia, utrum hæc constitutio in omni remedio *possessorio* locum habeat, eò quòd Pontifex in *d. c. pastoralis* tantùm loquatur de remedio *adipiscendæ*, & *recuperandæ*, non verò de remedio *retinendæ*. Sed rectè respondet Zoes. *h. t. in fin.* non ideò excludi remedium *retinendæ*: quia de aliis tantum remediis fuit consultus Pontifex, idem responsurus, si etiam de hoc interrogatus, fuisset.

11 Nota ultimo, non esse consultum, ut actor causam proprietatis intentet, quandiu potest remedio aliquo possessorio agere, quia dominium & proprietas difficillimè probantur: non enim statim sequitur, emi prædium, ergo est meum: nam si venditor dominus non fuerit, neque me dominum facere poterit, cùm nullus plus juris in alium transferre possit, quam quod ipse habeat. *vulg. L. nemo 54. ff. de R. J.* Unde in casu, quo aliquis possessionem amisit, & veretur contra novum possessorem petitorium instituere, ut lite remedium de jure prætorio est proditum, videlicet actio Publiciana, in qua non est necesse probere dominium, sed sufficiet, si actor probet, se rem acquisivisse bona fide, sibique traditam esse ex justo titulo, prout hac de re extat tit. *in ff. de Publiciana in rem actione*, & explicant interpretes *ad §.3. & 4. Inst. de Action.*

TITULUS XIII.

De Restitutione spoliatorum.

SUMMARIA.

1 *Restitutio spoliati debet fieri ante omnia.*
2 *In defectu probationis rerum particularium ablatarum datur spoliato Juramentum in litem.*
3 *Qui fructus sint spoliato restituendi?*
4 *Non possidenti antea non datur hæc restitutio.*
5 *Ubi sine periculo animæ fieri non potest restitutio, quid agendum?*
6 *Censura Ecclesiastica in falsa præsumptione fundata non ligant in foro interno.*
7 *In dubio, an matrimonium valeat, quid sit faciendum?*
8 *Propter nimiam viri sævitiam mulier non restituitur, antequam is sufficienter caveat.*
9 *Uxori propter sævitiam à se fugienti maritus tenetur alimenta præstare.*
10 *Propter adulterium ab altero commissum in causa matrimoniali etiam impeditur restitutio.*
11 *Restitutio tantùm datur contra spoliatum: & de Jure Can. contra tertium injustè detinentem.*
12 *Tertius interveniens potest impedire restitutionem.*
13 *Spolium in re privata factum non obstat restitutioni spoliati in re Ecclesiastica.*
14 *Constitutio* l. si quis in tantam. C. Unde vi, *locum habet etiam de Jure Canonico.*
15 *Specialia in beneficiis violenter occupatis.*
16 *Constitutio* l. si quis in tantam, *vix usu videtur hodie recepta.*
17 *Exponitur textus difficilis in* c.2. h. t. in 6. *ubi: an detur restitutio, si præsumptio furis sit contra possidentem?*
18 *Contra tertium bonæ fidei possessorem an fiat restitutio ante omnia?*
19 *Communis sententia affirmativa aliquando æquitate suadente practicari potest.*

FRequenter contingit, quòd duo inter se de re aliqua contendentes antequam in judicio litigare incipiant, prius violentia privata contra se invicem utantur, & alter alterum per vim de possessione rerum suarum dejiciat, exturbet, & spoliet, quo casu spoliato contra spoliatorem remedium *recuperandæ possessionis* competit, quo postulat interversam possessionem rerum sibi restitui. Hæc *spoliati restitutio* ante omnia fieri debere. *Episcopis 1. & c. redintegranda 3. & 4. caus. 3. qu. 1.* Nec cogi potest spoliatus ad alios causæ articulos procedere, quàm *restitutio* sibi plenè facta sit. Dico *plenè*: nam præter restitutionem singularum rerum ablatarum & fructuum & totum interesse spoliato præstandum 2
est. Quòd si spoliator neget, se res aliquas particulares abstulisse quas spoliatus prætendit, dabit spoliato in defectum aliarum probationum *juramentum in litem*, hoc modo, ut æstimet seu pronuntiet valorem, ac interesse rerum ablatarum, quam æstimationem si judex crediderit esse nimiam, ad minorem summam moderabitur, & ista taxatione facta spoliatum jurare jubebit, *se non minus perdidisse, quàm taxatum est*, ultra taxationem verò jurare non licebit. *l. si quando 9. Cod. unde vi.* 1

Fructus porro non tantùm illi, qui à die spoliationis percepti sunt, sed etiam qui interea à spoliato percipi potuissent, restitui debent per spoliatorem, *c. gravis 11. hoc tit. L.4. Cod. Unde vi.* Videatur Honnt. *hoc tit. n.20. & seq.* 3

Verùm hæc regula, quò spoliatus ante omnia restituendus sit, habet sequentes limitationes. I. *Ex parte spoliati* requiritur, quòd antea possederit & possessionis capax fuerit, *c. ex parte 14. h. t.* Quare non restituitur laicus jure decimandi à beneficiato ecclesiastico spoliatus, priusquam de legitimo titulo probarit: quia talia jura spiritualia 4

te-

regulariter possidere non potest, *cap. causam 7. de Præ-
script.*
5 II. Requiritur, quòd restitutio fieri possit *sine pericu-
lo animæ:* unde si mulier absque judicio Ecclesiæ à viro
suo recesserit, & contra virum restitutionem petentem
alleget consanguinitatem, propter quam matrimonium
sit nullum, eoque sine incestu uti non possit; tunc si mu-
lier dicat, se habere probationes paratas ad consanguini-
tatem demonstrandam, & priùs super hoc articulo præ-
stiterit juramentum malitiæ, restitueretur quidem viro,
sed tantùm quoad rem domesticam gerendam, non verò
quoad torum: si autem probationes non sint in conti-
nenti paratæ, sed primùm sperat mulier data sibi longio-
re dilatione probationes acquirere, interim restituetur
quoad omnia, quia præsumitur contra eam, quæ sine ju-
dicio Ecclesiæ à viro suo recessit; ita tamen, ut si mulier
certò sciat consanguinitatem, quamvis tam citò probare
nequeat, non debeat viro suo carnaliter commisceri, sed
potiùs censuras ecclesiasticas (quæ in hoc casu tantùm in
foro *externo*, non item in interno ligant, cùm fundentur
6 in falsa præsumptione) humiliter tolerare, quàm per
commixtionem carnalem mortaliter peccare, *c. litteras
13. hoc tit.*
7 Quid autem, si mulier non quidem certò sciat consan-
guinitatem, sed tantùm credat ex aliquibus conjecturis,
vel propter quorundam assertionem? Distinguendum
est, an mulier ex levibus tantùm argumentis id credat,
vel utrum ex probabilibus & gravibus? Si ex levibus; po-
terit totum illud dubium ex Consilio Episcopi vel Con-
fessarii deponere, & licitè reddere ac exigere debitum
conjugale: si ex probabilibus & gravibus, potest quidem
reddere debitum, ne maritum in bona fide & possessione
matrimonii existentem jure suo privet, sed non potest
exigere: quia cum dubio practico agere non licet, & in
eo tutior pars est eligenda, *c. inquisitioni 44. de Sent.
excom.*
8 III. In causa matrimoniali non restituetur mulier à
marito aufugiens, si nimiam viri sævitiem probaverit,
antequam maritus per juramentum, pignora, aut fidejus-
sores (prout judici videbitur) caverit: quòd uxorem
honestè tractare velit; si verò tantùm sit viri odium &
austeritas, ut meliori non possit satis cautum esse, non
debebit restitui, sed usque ad seriam viri emendationem
apud parentes vel cognatos, aut in alio honesto loco se-
questrari, *d. c. litteras 13. inf. & c. ex transmissa 8. hoc t.*
9 Hic adnotandum, quòd ex communi & in praxi recepta
sententia teneatur maritus uxori propter sævitiam à se fu-
gienti alimenta præstare. Barb. *in d. c. litteras n. 9.* Gut-
tierez. *Canonic. pp. lib. 1. c. 24.*
10 IV. In eadem causa matrimoniali impeditur *restitutio*
si is, qui eam petit, adulterium commiserit, de quo tem-
pore petitæ *restitutionis* notoriè cõstat per evidentiam rei,
per sententiam aut confessionem judicialem, *c. significa-
sti 4. de Divortiis*. Quod tamen aliqui intelligunt, si post
spoliationem factum sit adulterium: nam si id commis-
sum sit, antequam maritus e. g. expulerit, vel uxor sponte
deseruerit, sentiunt non posse ad impediendam restitutio-
nem allegari, propter textum *in d. c. significasti*, quod vide-
tur principaliter loqui de adulterio post commisso. Ho-
nor. *h. tit. n. 15.* Illud autem certum est, quod excipiens de
adulterio contra *restitutionem* non audiatur, si ipse quo-
que adulterium commiserit, quia paria delicta mutua
compensatione tolluntur, *d. c. significasti*, de quo infra
in Lib. IV. in Tit. *de Divortiis*, plura dicentur.
11 V. *Restitutio* ex causa spoliationis non datur nisi con-
tra eum, qui spoliavit, aut spolium suo nomine factum
ratum habuit, non verò contra tertium possessorem, qui
rem à spoliatore comparavit, *L. cum à te ff. de Vi & vi
armata*. Sed hoc ita de jure civili obtinet. Attamen de
jure Canonico speciale privilegium datur spoliato, *in c.
sæpè contingit 18. h. tit.* ex quo etiam contra tertium pos-
sessorem, qui rem à spoliatore scienter ex quocunque ti-
tulo accepit, restitutionem postulare potest, quamvis
non probet, se rei dominum esse: *eò quòd non multum in-
tersit quoad periculum animæ*, inquit summus Pontifex,
injustè detinere, aut invadere alienum.
12 VI. Tertius aliquis interveniens pro suo interesse po-
test impedire restitutionem, si spoliatus agit contra spo-
liatorem pro recuperanda possessione, & pendente quæ-
stione spolii aliquis tertius intervenit, qui rem nec spo-
liati nec spoliatoris, sed suam esse, vel saltem jus aliquod,
v. g. usufructus sibi in ea competere asserit, ante resti-
tutionem, usumfructus sibi in ea competere asserit, au-
diendus erit, text. in *l. sæpè 63. ff. de Rejudic. & cap. cum
super 17. de Sentent. & rei judic.* Ita directus Dominus in
fundo emphyteutico oppignorato, quilibet creditor in re
oppignorata, si suum jus vindicet, Dominus vel Episco-
pus pro suo subdito, Prælatus ratione suæ Ecclesiæ inter-
veniens, repelli non potest, *d. c. cum super*. Cùm enim
pœna tantùm sons authores tenere debeat, respectu hujus
tertii cessat odium spoliationis, & consequenter cessat
illa constitutio, quòd spoliatus ante omnia restitui debeat.
Myns. *Cent. O. 1.*
VII. Si Clericus vel Parochus aliquem in re privata 13
spoliarit, deinde agat contra ipsum super rebus Ecclesia-
sticis, non obstabit ei spolium in re privata factum, sed
id à spoliato particulari actione petendum erit, *c. 1. in fin.
h. t. in 6.* Videtur quidem in contrarium esse *c. 2. de Ordi-
ne cognitionum*, ubi admissa fuit exceptio spolii contra
Abbatem, qui cùm nobiles super causis Ecclesiasticis con-
veniret, dicebatur castrum spoliasse. Verùm responderi po-
test, vel quod *cap. 2.* correctionem accipiat à *c. 1.* tanquam
posteriore constitutione; vel quòd ibi utrinque agebatur
de rebus Ecclesiasticis, cùm castrum illud probabiliter,
saltem quantum ad jus directi dominii pertinuerit ad mo-
nasterium, & tantùm in feudum vel emphyteusim fuerit
nobilibus concessum. Videatur Barb. *in eodem c. 1. n. 12.*
Circa præmissa.
Dubitatur I. utrum *Lex, si quis in tantam 7. Cod. Un- 14
de vi*, etiam de jure Canonico locum habeat? Per hanc
leg. statuitur, quòd is qui propria authoritate possessio-
nem alterius invadit, possessionem ante omnia restitue-
re, & insuper æstimationem rei solvere teneatur, siqui-
dem non fuerit dominus. Sin autem dominus sit, etiam
dominium amittat. Respond. pœnam *d. l. si quis in tan-
tam*, de jure canonico non reperiri immutatam, adeoque
etiam de illo procedere, *arg. l. sancimus 27. C. de Testa-
mentis, & c. 1. de Novi operis nuntiatione*. Imò non ob-
scurè recepta videtur eadem pœna *in c. placuit 2. causa 16.
qu. 6.* In causis autem beneficialibus duo specialia sunt.
Primò, quòd is qui personatum vel dignitatem, vel bene-
ficium Ecclesiasticum quodcunque violenter occupave-
rit, ipso facto perdat omne jus, quod forte priùs in tali
beneficio habebat, *cap. cum qui 18. §. fin. de Præbendis in
6.* cùm tamen ex profanis causis primùm per sententiam
judicis amittatur dominium. Menoch. *de Remed. recu-
perand. possess. remed. 8. de Recuperationibus profanis n.
50. Secundò* in profanis causis dominium propter violen-
tiam perditum acquiritur spoliato; in beneficialibus verò
beneficium per vim occupatum, quamvis auferatur ab
occupante, non tamen pleno jure acquiritur ei, qui pos-
sidebat, nisi aliunde titulum habeat, ne detur vitiosus in-
gressus ad beneficia, cùm sine institutione canonica (quę
inspectis priùs instituendi qualitatibus fieri debet) benefi-
cium obtineri non possit, *c. 1. d. R. J. in 6.* Verùm puto 16
constitutionem *d. l. si quis in tantam*, paucis in locis es-
se usu receptam, quantum ad illam pœnam amissionis
dominii vel præstandæ æstimationis, sed potiùs in usu as-
se credo pœnam arbitrariam, seu mulctam pecuniariam à
judice infligendam. Suting. *in Processu judiciali inferio-
ris Austriæ observ. 134.*
Dubitatur II. quomodo intelligendum sit *c. 2. hoc tit. 17
in 6.* ubi Pontifex dicit Canonicos à Parocho decimis in-
tra fines suæ Parochiæ perceptis spoliatos restituendos
non esse, antequam de justo titulo docuerit, cùm tamen
in *c. in litteris 5. X. h. t.* etiam prædo (qui utique justum
titulum non habet, alias non fuisset prædo) de rigore
juris restituendus esse dicatur? Quidam dicunt *d. cap. 2.*
procedere in causis beneficialibus, ne detur vitiosus in-
gressus. Sed non rectè, quia *d. c. in litteris*, expressè lo-
quitur de causa beneficiali. Alii ponunt Regulam gene-
ralem, quòd toties denegetur restitutio ante ostensum ti-
tulum, quoties præsumptio est pro spoliatore & contra
spoliatum seu possessorem, sicut in materia decimarum,
quæ de jure communi censetur ad Parochum pertinere.
Sed etiam huic interpretationi obstat *cap. cum Ecclesia 3.
de Causa possess. & propr.* ubi Clerici possessione juris e-
ligendi per Canonicos spoliati in eadem reducuntur,
quam-

quamvis Canonici habuerint præsumptionem pro se, quòd jus eligendi Episcopum non ad extraneos, sed Capitulares pertineat. Quare meliùs respondet Barb. *in d. cap. n.*8. Panorm. & alii decisionem ejusdem *cap.*2. procedere, si propter *modicitatem temporis* præsumtio sit contra ipsam *possessionem*, & ex adverso propter assistentiam juris communis pro spoliatore. Id quod ex ipso textu satis colligitur; dum dicitur, *aliquandiu* (id est modico tempore) possessas esse, at in facti specie, quæ refertur in *c.*3. *de Causa possess. & possessione* juris eligendi, ac trium Episcoporum electioni interfuerunt.

18 Dubitatus III. utrum tertius, qui rem bona fide emit à spoliatore, ignotans, ipsum esse spoliatorem, teneatur eam ante omnia restituere spoliato, si ab ipso conveniatur, licet spoliatus non probet, se rei dominum esse? Multorum est sententia contra tertium spolii possessorem duo remedia esse prodita. Unum ex sæpe *d.c. sæpe contigit* 18. *X. hoc tit.* si fuerit malæ fidei possessor, & rem scienter emerit à spoliatore. Alterum ex *c. Episcopi* 6. *& c. redintegranda* 3. *causa* 3. *qu.*1. quòd ajunt contra quemlibet etiam bonæ fidei possessorem locum habere, à quibuscunque res spolio ablatæ detineantur. Verùm hæc opiolo quamvis communis, nihilominus satis dura, ut bonæ fidei possessor, qui justum insuper titulum habet, statim ad restitutionem obligetur, cum fortè spoliator & verus dominus, & spoliatus tantùm iniquus possessor fuerit: quia agitur in *d.c. sæpe contigit*: solius malæ fidei possessoris mentio fit, ut is non secus ac spoliator ipse ad restitutionem cogi possit, eò quòd parum intersit, quantum ad periculum animæ, invadere aut detinere alienum, proinde rectè infertur à contrario sensu aliud de bonæ fidei possessore dicendum esse, cùm unius expressio sit alterius exclusio, *c. nonne c.*5. *de Præsumpt.* ac propterea per *d. c. sæpe contigit*, declarari videtur generalitas locutionis, quæ in *c. Episcopi, & c. redintegranda*, ponitur.

19 Zoes. *hoc tit. num.*5. Interim tamen non iniquè facturum Judicem arbitror, qui eo casu priorem sententiam sequatur, quando spoliatus summariter de bono jure suo docuerit, & iniquam spoliationem saltem summariter ostenderit. Tum quia illa sententia valdè communis est, teste Mynf. *Cent.*3. *O.*85. tum etiam, quia in tali casu magnam habet æquitatem, ne spoliator per suam nequisitiosam spoliationem & alienationem nimis gravet spoliatum, si non nisi per dominii probationem rem à tertio repetere posset.



TITULUS XIV.

De Dolo & Contumacia.

SUMMARIA.

1 *Dolus hic accipitur, prout adhæret contumaciæ.*
2 *Quid sit contumacia?*
3 *In civilibus Judex non potest procedere in contumaciam, nisi ad instantiam adversarii.*
4 *Potest tamen ex officio eum punire.*
5 *Quomodo procedatur contra actorem contumacem?*
6 *Stylus Curiæ in hac parte attendendus.*
7 *Quomodo contra communem regulam, actor invitus agere compellatur?*
8 *Quæ remedia Juris contra reum contumacem, lite jam contestata.*
9 *Excommunicatio non usurpanda ex Constitut. Concil. Trident. existentibus aliis remediis.*
10 *Lite contestata, contra reum contumacem etiam in causa principali procedi potest.*
11 *Quare contra actorem contumacem, lite non contestata, possit in causa procedi, non contra reum?*
12 *Si actor elegerit procedere in causa contra reum contumacem, poterit tamen variando aliam viam eligere.*
13 *Et si quis se non compariturum dixerit, si tamen postea compareat, pro verè contumace non habetur.*
14 *Quid si talis etiam non compareat, an sine alia citatione mox contra eum in contumaciam possit procedi?*
16 *Actor contumax post annum veniens, etiam refusis expensis, non est audiendus.*

QUamvis *dolus* in genere sit hominis calliditas, fallacia, aut machinatio ad circumveniendum seu decipiendum alterum adhibita, *l.*1. *§.*2. *ff. De Dolo*; hic tamen in præsenti tit. magis specialiter sumitur, quatenus contumaciæ adhæret, & quatenus *in dolo* esse censetur, qui in judicio comparere recusat. 1

Est autem *contumacia* erga judicem commissa inobedientia; unde & contumax litigator dicitur, qui tribus edictis vel uno peremptorio citatus & nulla justa causa impeditus non comparet, vel si comparet, judici jussui obtemperare renuit, vel sine judicis licentia recedit, *cap. causam* 3. *h.t. l. contumacia*, 53. *§.*1. *ff. de Re judicat. l. un. ff. Si quis jus dicenti non obtemp.* Pœnæ quibus coercetur contumacia, aliæ sunt in persona actoris, aliæ in persona rei constitutæ. Prius autem notandum judicem in Civilibus causis (secus est in criminalibus, in quibus Judex ex officio inquirit, & manualiter comprehendi facit reum reluctantem) non posse adversus peremptoriè citatum & non comparentem in contumaciam procedere, nisi ad instantiam & petitionem adversarii, *l. properandum* 13. *§.* 2. *ibi*: *ex una parte actoris absentiam incusante. Cod. de Judiciis*. Poterit tamen judex illum contemptum sibi tanquam judici illatum ex officio coercere, non tantùm si post tertiam citationem, sed etiam post primam citatus sine justa causa non comparuerit, quia talis inobedientia utique impunis esse non debet. 2 3 4

Itaque, si actor in die emissæ citationis non comparuerit, & libellus quidem exhibitus, lis verò needum contestata sit, evocabitur ad rei instantiam tribus edictis. Et si non comparuerit, anni spatium ei relinquitur, quo finito si in contumacia perstiterit, erit in arbitrio rei, an velit petere se ab instantia absolvi cum refusione expensarum & damnorum, vel negativè litem contestari, atque onus probandi in se suscipere, & ita usque ad sententiam definitivam etiam absente actore procedere. Idem obtinet, si post litem contestatam actor contumax fiat, ita tamen ut anno non expectato judex post citationem mox procedat in causa principali usque ad sententiam, & actorem contumacem in expensas condemnet. *l. properandum*, *§.*2. *Cod. de Judiciis Novell.* 112. *c.*3. Moneo autem DD. nostros circa modum procedendi in contumaciam actoris multùm intricatè loqui, neque per omnia convenire, ita ut hac in parte stylus singulorum judiciorum quàm maximè attendendus sit. Sed inquies, quomodò procedi poterit contra actorem in contumaciam, cùm tamen sit regula Juris, quòd nemo invitus agere compellatur, *l. un. Cod. Ut nemo invitus &c.* Respond. Illam regulam procedere, si quis nunquam agere inceperit, actio verò semel instituta persequenda, & ad finem perducenda est, ne reus inaniter vexetur; ita *novel. cit. c.*3. Imò ad agendum quis cogi potest, non tantùm si semel inceperit agere, sed etiam si extrajudicialiter aliquem diffamarit, puta si tanquam suum debitorem traduxerit, aut quaslibet prætensiones se contra eum habere jactaverit. Text. & Gottofr. *in l. diffamari* 5. *C. de Ingenuis manumiss. l. cùm Titia* 18. *ff. de Accusat.* De quo superius in Tit. *de foro compet.* pluribus dictum est. 5 6 7

Si, quòd frequensiùs contingit, reus sit contumax, distinguendum est, sitne lis contestata, an non? ante *litem contestatam* poterit actor petere immissionem in bona rei ex primo decreto (de qua immissione *Tit. seqq.* dicemus) vel si bona non habeat, ut citetur realiter, arrestetur, vel excommunicetur, *cap.*1. *Ut lite non contest. l. consentaneum* 8. *Cod. Quomodo & quando Judex*. Ad excommunicationem quidem quod attinet, hodie servanda est constitutio Concil. Trid. *sess.*25. *de Reform. cap.*3. ut scilicet tunc demum ad eam deveniatur, si aliis remediis locus esse nequeat, cùm experientia doceat, si temerè incutiatur, magis contemni, quàm formidari. 8 9

Post *litem* autem *contestatam*, si reus contumax fuerit, datur electio actori, an aliquo ex jam recensitis remediis uti velit, vel potiùs causæ suæ confidens, malit in ipso negotio principali procedere, testes aut instrumenta producere. Quod si hoc posterius elegerit, judex 10

ejus

ejus electionem sequi debet, & si viderit causam satis per ipsum esse probatam, poterit pro ipso Actore sententiam definitivam ferre: & econtra etiam pro reo licèt contumace, si causam ejus meliorem esse perspexerit, eò quòd rei absentiam *divina præsentia* (quam Judex ob oculos habere debet) *supplere censeatur*, *d. l. properandum §. 4. C. de Judiciis*.

11 Quare autem actore ante litem contestatam contumaca possit in causa principali procedi, ut supradictum & non similiter reo contumace? rationem disparitatis assignant, quòd gravior sit contumacia actoris, quàm rei, ut propterea etiam duriùs in eam procedatur: nam reo magis ignoscendum est, si timeat litem suscipere, quàm actori, si desistat eam prosequi, cùm in actoris potestate fuerit litem inchoare, vel intermittere. Zoes. *hoc tit. num.* 4. sed hinc.

12 Dubitatur I. Utrùm si actor semel elegerit in causa principali procedere, possit variare, & immissionem bonorum vel realem citationem petere?

Respond. Licet Sichard. *in d. l. consentaneum. C. Quomodo & quando judex.* censeat variationi locum non esse: Affirmativam tamen esse probabiliorem & in Camera Imperiali receptam testatur Gail. *Lib. 1. Obs. 60. num.* 4. Non tantùm si res adhuc integra, sed etiam si jam in negotio processum sit: eo quòd hæc remedia sub altera natione dentur, & ita variationi locus esse possit, per notata Bart. & aliorum. *in d. l. consentaneum* 8. *& in l. edita* 3. *C. de Edendo*. Eandem sententiam hoc insuper argumento confirmo, quòd ex notoria juris dispositione (de qua supra in *Tit. de Causa possessionis* dictum) actor, qui semel intentavit *petitorium*, possit variare, & omissa quæstione proprietatis *possessorium* instituere, ergo multò magis, omissa quæstione principali, poterit immissionem in bona petere, aut realem citationem, vel excommunicationem; tum quòd immissio in bona suo modo sit *possessorium*, juxta rubricam. *tit. seq. De eo, qui mittitur in possessionem*; tum quòd per talem petitionem non omnino intermittat actor principalem quæstionem, sed præsente reo eam prosequi velit. Id sanè tunc maximè locum habebit, si propter absentiam rei, & quòd ejus responsiones desiderentur, de causa principali satis liquere non possit?

13 Dubitatur II. an contra eum, qui in prima citatione in faciem citanti dixit, se non comparitutum, possit statim nullo termino expectato in contumaciam procedi?

Respond. Expectandum esse terminum citationis: nam si in eo citatus mutata voluntate comparuerit, propter solam illam locutionem respectu causæ non est contumax censendus, quamvis judici aliquem contemptum fecerit, per ipsum judicem pœna aliqua extraordinaria punibilem; actor verò tunc primùm de contumacia rei conqueri potest, si in termino citationis non comparuit. arg. *l. Fulcinius 7. §. fin. ff. Quibus ex causis in possession. eatur*.

14 Dubitatur III. Quid si citatus non tantùm dixerit, se non compariturum, sed etiam in termino non comparuerit, an sine omni alia citatione mox contra eum in contumaciam procedi possit?

Respond. Distinguendo, an quis extra judicium nuntio citanti, vel in judicio ipsi judici dixerit, se non comparitutum. Si extra judicium, benignior est sententia, non hunc habendum esse pro vero contumace, cùm jura expresè requirant trinam citationem, vel unam peremptoriam, antequam in contumaciam procedi possit. *l. 7. & 9. Cod. Quomodo & quando judex*. Si verò in judicio; satis constat ex *c. venerabilibus. 7. §. porro de Sentent. excommunicat. in 6. & cap. 2. hoc tit. eodem lib.* contra talem sine alia citatione rectè in contumaciam procedi, sicut & aliàs plus nocet confessio judicialis, quàm extrajudicialis. Gloss. *in d. §. porrò in V. in judicio*. Quo sensu etiam accipi possunt text. *in d. l. Fulcinius 7. §. fin. & in l. 2. Cod. Quomodo, & quando judex*.

15 Dubitatur IV. Utrum eo casu, quo reus propter contumaciam actoris post annum petit se ab instantia absolvi, audiendus sit actor post annum veniens, si refusis expensis velit iterum litem prosequi?

Respond. Quamvis Zoes. *hoc tit. n. 5.* videatur affirmativam tenere: ego tamen negativam judico probabiliorem: quia aliàs frustrà anni spatium concederetur actori contumaci ad redeundum, si etiam post illum quandoque redire posset. Deinde talis citatio actoris est in effectu processus, ex *l. diffamari 5. Cod. de Ingenuis manumissis*. Ubi DD. omnes conveniunt, quod actori ex illa lege peremptoriè citato, & sine justa causa non comparenti perpetuum silentium imponatur.

Non obstat *c. 1. hoc tit. in 6.* per quod insinuatur, actorem contumacem ex post facto comparententem audiendum esse, si priùs expensas, quas reus propter suam contumaciam fecit, persolverit, & insuper idoneè caverit, quòd imposterum in judicio persistere velit. Non obstat inquam hic textus: nam apertè loquitur de actore, qui in primo termino ad quem reum citari curavit, non comparuit; non verò de eo, qui etiam tribus edictis evocatus etiam post anni dilationem sibi datam emansit.

TITULUS XV.

De Eo, qui mittitur in Possessionem causa rei servandæ.

SUMMARIA.

1 *Quomodo fiat missio in possessionem in actione reali?*
2 *Missus post annum sine ulteriori decreto judicii acquirit veram possessionem.*
3 *Quomodo fiat missio in actione personali?*
4 *Quare in hac requiratur secundum decretum, non in reali actione?*
5 *De immissione in actione reali dissentiunt à Canonistis Civilista.*

QUòd *Missio in possessionem bonorum* sit remedium contra contumacem, *priori Tit.* dixit, quid verò Juris ex hac *missione* quis consequatur, hic traditur. Principaliter distinguendum est, an actor agat actione personali, vel reali? Si reali, mittetur ex *primo decreto*, seu primo *in possessionem* rei, quam vindicat. Sed hoc possessio non est propriè possessio, *l. si finita 15. §. si quis autem 20. & §. seqq. ff. de Dam. infect.* sed tantùm custodia, ne res per rerum conventum in fraudem deteriores fiant, vel fructus ejus malè alienentur; quare nec ejicietur possessor contumax de possessione, sed uterque erit in possessione diverso respectu, nimirum alter tanquam inspector & custos, ut propter inspectionem tædio affectus, in judicio compareat, & respondeat actori. Possessor *missionem* passus colet agrum, & fructus colliget: actor verò *missus* eos custodiet. Si Possessor colere nolit, actor colet, & fructus colliget, servabit, vel non servabiles vendet, & pretium custodiet, *l. is, cum 5. §. qui legatorum 22. & §. seqq. ff. Ut in possess. legatorum*. 1

Quòd si reus intra annum redierit in judicium, & expensas, & cautionem de *judicio sisti*, & *judicatum solvendo* præstiterit, salvam suam possessionem & fructus recipiet: sin minùs, actor post elapsum annum absque alio Judicis decreto verus efficietur possessor, alterum de possessione saltem cum assistentia in judiciis ejicere poterit, fructus lucrabitur, & reo sola quæstio proprietatis reservabitur. Imò actor ex ipsa possessione, cæteris requisitis concurrentibus, ipsam quoque proprietatem contra reum vel quemcunque alium præscribere poterit. *l. Prætoris 5. ff. de Eam. infecto*. Supposito quod quidem bona fide crediderit, rem ad se pertinere, reipsa autem fuerit aliena. 2

In actione personali, si reus fuerit contumax, mittitur actor custodiæ causa ex *primo decreto* in possessionem rerum mobilium, aut etiam immobilium, si mobilia vel nulla, vel non sufficientia adsint. Quod si reus in contumacia perstiterit, tunc arbitrio Judicis (qui plerumque solet interstitium unius anni observare) fiet missio ex *secundo decreto*, ex quo actori vera possessio, vel quando- 3

que

qua etiam licentia res mobiles alienandi & de pretio sibi satis faciendi conceditur: dummodò actor dabitum sufficienter liquidaverit. *l. Fulcinius 7. §. 1. ff. Quibus ex causis in possessionem eatur, & L. cum proponas 9. juncta auth. & qui jurat. C. de Bonis authoritate judicis possidend.*

4 Quæres, cur non similiter secundùm decretum in actione reali interponatur.

Respond. Rationem differentiæ esse, quòd in actione reali actor dicat rem suam esse, idque propter contumaciam rei verum esse præsumatur. At in actione personali tantùm debitum allegat actor & nullum Jus circa possessionem rei: & unde opus est secundo decreto, quo ipsi hæc possessio rei alienæ, quæ sibi nunquam competiit,
5 adjudicetur. Et hæc ipsa apud Canonistas recepta sunt propter textus satis claros in *c. 1. & 2. h. t.* & præsertim in *c. fin. §. in aliis*, ubi latè Pan. *Ut lite non contestata*, attamen Civilistæ plerumque circa actionem realem aliter docent, ita ut ibi ex *primo decreto* censeant veram *possessionem* acquiri, sed per comparitionem rei commutabilem, ac ex *secundo decreto* immissum dominum declarari, authoritate text. & Gloss. *in l. Prætoris 5. & l. si finita 15. §. Julianus 16. ff. de Damno infecto l. 3. §. fin. ff. de Acquirenda possessione*. Ultra verò sententiam Canonistarum an Legis peritorum in praxi recepta sit, ex stylo curiarum petendum erit.

TITULUS XVI.

Ut Lite pendente nihil innovetur.

SUMMARIA.

1 *Quando lis pendere dicatur?*
2 *Lite pendente possessor non debet privari commodo possessionis.*
3 *Rescripta vel privilegia lite pendente impetrata non expressa mentione litis pendentis sunt subreptitia.*
4 *Alienationes lite pendente factæ sunt nullæ: & scienter emens perdit pretium.*
5 *Ante litem motam actiones liquidæ donari & vendi possunt, dubiæ vendi, non donari, prohibetur: præsertim potentioribus.*
6 *Omnia innovata lite pendente sunt in pristinum statum revocanda.*

1 PRænotandum, quòd lis *pendere* dicatur ex parte *actoris* per judiciariam conventionem, seu libelli oblationem; ex parte autem *rei*, postquam citatio à Judice competente emanavit, & legitimè pervenit ad ipsum, vel per eum stetit quo minùs pervenerit, dummodò una cum citatione libellus transmissus, aut in ipsa citatione intentio actoris sit satis expressa. *cap. 1. & ibi Gloss. in V. indistinctè de Sequestrat. possess. Clement. fin. h. t. auth. litigiosa Cod. de Litigiosis*. Porrò hæc regula, quòd *lite pendente nihil innovari debeat*, quatuor notabiles habet effectus.

2 I. *Lite pendente* non debet possessor commodo suæ possessionis privari, sed æquè durante lite, quàm priùs fructus ex re possessa colligere poterit. Unde *in c. 1. hoc tit.* declaratur, Archiepiscopum, cui super jure præferendæ crucis mota erat lis, posse durante lite facere ante se crucem deferri, usque dum causa per sententiam terminetur. Similiter *in c. eod. t.* dicitur, quòd si matrimonium alicujus accusetur tanquam invalidum, vel tanquam separandum quoad torum & cohabitationem propter adulterium commissum, pendente hac accusatione, non debeat conjux accusatus privari possessione carnalis commercii. Quod est intelligendum, modò matrimonium jam *consummatum* sit: nam ante consummationem non fuit in illius commercii possessione; ergo nec lite pendente ea uti potest, vel hoc ipso, quòd lite pendente omnia in suo statu manere debeant, sicut ante litem fuere. Vid. Sanch. *de Matrim. lib. 2. disp. 41. num. 50.*

3 II. Rescripta aut privilegia *lite pendente* in præjudicium alterius impetrata, non expressa mentione *litis pendentis*, censentur esse *subreptitia* quia in dubio Princeps non intelligitur velle alterius juri præjudicare, vel statum litis immutare *cap. 1. & c. fin. h. t.*

III. Tertio actionum & rerum litigiosarum alienatio pendente lite est prohibita, & ipso jure irrita; imò is, qui 4
receperit, non tantùm cogitur eam rem alienanti reddere, sed etiam, si sciens rem litigiosam emerit, pretium ammittet, quod fisco acquiritur; si ignarus fecit, pretium ejusdem vel veram æstimationem, ubi pretio non fuit, unà cum alia tertia parte pretii vel æstimationis ab alienante propter dolum ejus & sui deceptionem recuperabit. *c. 3. & 4. hoc tit. fin. cum suam auth. C. de litigiosis.* sed

Quæres, utrùm ante litem inchoatam actio indistinctè 5
in alium cedi seu alienari possit. Respond. Distinguendo inter actionem dubiam sive disputabilem. Actio liquida quovis titulo in alium transferri potest, prout text. sunt *in ff. & Cod. de Hereditate vel actione vendita*, actionem autem controversam donare quidem licet, sed non vendere; imò si de facto pro modico pretio (sicut fieri solet) vendatur & contingat illa actione cessa conventum condemnari, non tenebitur plus restituere emptori, quàm pro illa actione exposuit, idque ne facilè alienæ lites redimantur, & forte dudum sopitæ suscitentur *l. per diversas 22. & l. seq. Cod. Mandati*. Quòd si actio ejusmodi vendatur alicui potentiori, qui ratione officii vel dignitatis potest reum opprimere, non valebit talis venditio, sed venditor amissione juris sui puniri debet *l. 2. C. ne liceat potentioribus*. Videantur Panorm. *in c. ex parte 2. de Alienatione judicii mut. causa n. 4.*

Quartus demum effectus, quòd attentata seu innovata 6
lite pendente ante omnia debeant in pristinum statum revocari, & antequam revocentur, parte opponente impediatur processus ad ulteriora, Lancelot. *de Attentatis parte 3. c. 29.*

TITULUS XVII.

De Sequestratione Possessionis & Fructuum.

SUMMARIA.

1 *Quid sit sequestratio? Estque alia voluntaria, alia necessaria.*
2 *Sequestratio necessaria regulariter est prohibita.*
3 *Sequestratio fieri potest, si possessio sit valde litigiosa, aut reus resistat misso in possessionem.*
4 *Item in causa beneficiali, in qua non datur missio.*
5 *Item si reus de dilapidatione sit suspectus.*
6 *Aut si periculum sit interitus vel deteriorationis.*
7 *Sequestratio oblata cautione de rebus servandis potest evitari.*
8 *Requisita, ut possit fieri sequestratio.*

SEquestratio nihil est aliud, quàm rei litigiosæ apud 1
tertium (qui propterea *sequester* dicitur) *depositio*. Estque alia *voluntaria*, quæ ex mutuo consensu partium fit. Alia *necessaria*, quæ fit Judice imperante, & altera parte invita. Sequestratio necessaria regulariter est 2
prohibita; tum quòd non oporteat incipere ab executione, antequam reus de debito convincatur, *l. un. C. de Prohibita sequestrat. pecun.* tum etiam, quòd, ut alibi suo loco dictum, reus non debeat commodo possessionis privari. Verùm sunt certi casus, in quibus æquitas suadet fieri
sequestrationem, ut I. possessio sit valdè litigiosa, vel reus 3
contumax resistat misso in possessionem, ita ut periculum armorum & cædium sit, poterit Judex possessionem sequestrare. II. Quia in causa *beneficiali*, si reus 4
contumax sit, non fit missio, ne detur *vitiosus ingressus in beneficium c. 1. De eo qui mitt. in 6.* ideò locum habebit se-

sequestratio beneficii, *c.1. h. t.* III. Res aut fructus rectè
5 sequestrantur, si reus suspectus sit de dilapidatione. Tria
autem potissimùm sunt, quæ suspectum reddunt, nimirum paupertas, mali mores, & facta præcedentia. Glos.
6 *in l. si fidejussor. 7. §. fin. qui satis dare cogantur.* IV. si periculum sit, ne res inter moras judicii intereat, vel saltem
deterior fiat poterit judicis implorato officio vendi, &
pretium loco rei sequestrari, *l. litibus 20. §. 2. C. de Agri-*
7 *colis & censitis.* Hic tamen adnota, quòd in his posterioribus casibus sequestratio evitari possit, si reus afferat idoneam cautionem de rebus servandis, *l. fin. Cod. de Ordine cognitum.* Imò juratoria cautione sequestrum tolli, si
persona jurans sit honesta, & idoneas facultates habeat,
vel jam priùs de *judicatum solvendo* satisdederit, tenent
DD. communiter per text. *in c. penult. de Donat. inter vir & uxor.* Panor. *in c. 2. h. t.*
8 Verum monet Mynsing. *Cent. 3. O. 11. ad sequestrationem* rectè faciendam præter causas modò enumeratas adhuc requiri primò, ut Judici saltem summariè constet de jure petentis *sequestrum*; deinde ut vocetur is, in cujus præjudicium petitur *sequestrum*; & denique ut sollicitans *sequestrum*, id ad sui juris vel debiti conservationem faciat, & non causa calumniæ, atque ob eam rem juramentum *malitiæ* præmittat.

TITULUS XVIII.

De Confessis.

SUMMARIA.

1 *Propria Confessio optima probatio: estque instar sententiæ & rei judicatæ.*
2 *Confessio extra judicialis non est tantæ authoritatis, ut judicialis.*
3 *Si tamen præsente adversario fiat, plenè probat.*
4 *Idem est, si loco principalis adversarii, nuntius vel negotiorum gestor eam acceptaverit.*
5 *Positiones pro confessione elicienda adversario porrigi solent.*
6 *Differentia inter positiones & articulos in praxi parum attenditur.*
7 *Si reus contumaciter ad articulos respondere nolit, habentur pro confessatis.*
8 *Articuli tamen debent esse relevantes.*
9 *Porrigens articulos debet præstare juramentum dandorum.*
10 *Ad articulos crimen occultum attingentes, non tenetur reus respondere.*
11 *Debent articuli esse de facto proprio rei, non autem Juris.*
12 *Confessio judicialis absente adversario de Jure Canonico plenè probat.*
13 *Qualis Confessio dicatur verè judicialis?*
14 *Confessio coram Judice incompetente facta est extra judicialis: & quid circa eam Judex competens facere possit?*
15 *Confessio in judicio facta juris ordine circa alia non servato tamen est judicialis, uti & illa, quæ ante litem contestatam facta est.*
16 *Confessionem revocans propter errorem ex intervallo debet istum probare; secus si revocet in continenti.*
17 *Confessio per tormenta extorta ut probet, quæ requirantur?*
18 *Procuratoris vel advocati confessionem principalis potest revocare.*
19 *Confessio Prælati Administratoris &c. an noceat Ecclesiæ, vel iis, qui sub tali administratore sunt?*
20 *An reus de crimine interrogatus à Judice, teneatur illud confiteri? distinguuntur 3. Casus.*
21 *Reus infamatus de uno crimine non debet interrogari de aliis, de quibus non est infamatus: nec regulariter de sociis criminis.*
22 *Quid si reus ultrò socios indicet?*
23 *Confessio illicita sub spe impunitatis non est sufficiens ad condemnationem.*
24 *Confessio Sacramentalis in judicio fori externi nihil probat.*

ANtequam ad probationes deveniatur, priùs videndum est, an non adversarius illum articulum, qui 1
probatione indiget, sua sponte confiteatur; nam propria
confessio non tantùm vim optimæ probationis habet, &
actorem ab onere probandi relevat, verùm etiam, si in
judicio facta sit, instar sententiæ & rei judicatæ censetur,
l. 1. ff. hoc tit. adeo ut judex non habeat necesse sententiam
ferre, sed tantùm terminum solutioni & satisfactioni præfigere, aut damnum æstimare, *l. proinde 25. §. 2. ff. Ad legem Aquil.* Quòd tamen intelligendum est de causis civilibus; in criminalibus verò etiam post confessionem rei requiri sententiam cum communi docet Barth. *in l. si confessus 5. ff. de Custodia reorum.* Imò hodie usum magis
esse, ut etiam in civilibus causis confessio potiùs vim probationis habeat, & ideò sententiis opus sit, tradit Vallens.
h. t. n. 10.
Est autem confessio alia *judicialis* alia *extrajudicialis*, 2
illa fit in judicio, hæc extra; ambæ in effectu plurimùm
inter se differunt: nam confessio extrajudicialis non est
tantæ efficaciæ sicut judicialis; nec vim sententiæ, aut
rei judicatæ habet, quia extra judicium sæpe aliquis in concedendo facilis est, & incautus, non item in judicio, ubi adversarium præsentem, & omnem nocendi occasionem captantem videt. Unde solent DD. distinguere inter confessionem extrajudicialem, quæ fit absente, & eam,
quæ fit præsente adversario; illam censent ad summum
semiplenè tantùm probare, imò nihil probare, si genericè sine expressione causæ facta sit, e. g. si dicam me Titio debere centum, & non addo ex quo contractu. *c. si cautio 14. de Fide instrum. & l. cum de indebito 25. §. fin. ff. de Probat.* Confessionem extrajudicialem factam præ- 3
sente adversario, si cum expressione causæ fiat, communiter concludunt, non quidem habere vim rei judicatæ;
sed tamen plenè probare: non enim tolerari debet, ut qui
præsente adversario semel tam deliberatè, licèt extra judicium, aliquid confessus est, postea in judicio neget, vel
alias probationes postulet, *d. l. cum de indebito §. fin. & l. generaliter 13. in fine C. De non numer. pecun. c. per tuas 10. de probat.* Si tamen ex circumstantiis appareret, aliquid tantùm calore iracundiæ dictum esse, pro confesso
acceptari non posset, nisi daretur perseverantia, nulla sequeretur revocatio, *l. quidquid calore 4. ff. de R. J.* Vi- 4
deatur Maschard. *de Probat. vol. 1. concl. 364.* ubi *qu. 3.* notabilem doctrinam ponit, videlicet si nuntius vel negotiorum gestor confessionem coram se factam acceptavit,
perinde haberi, ac si præsente principali adversario facta
fuisset.
Ad eliciendam confessionem judicialem omnium ferè 5
tribunalium consuetudine receptum, & à Jure Canonico
approbatum est, *in c. 1. & 2. hoc tit. in 6.* quòd adversario
certæ quædam *positiones* ex libello extractæ porrigantur,
isque desuper prævio juramento *de veritate dicenda* (quòd
Practici juramentum *respondendorum* vocant) respondere jubeatur. Quamvis autem DD. communiter diffe- 6
rentiam constituant inter positiones, & articulos, præcipuè in eo, quòd articulans non fateatur articulos, nec affirmet esse veros, sed tantùm, quòd credat eos probari
posse: econtra positiones fiant per verba affirmativa, e. g.
dico, vel *pono esse verùm*, quòd tibi dederim mutuo centum florenos, ita ut ponens priùs censeatur fateri, nec
revocare possit, si postea adversarius una, vel altera propositione contra ipsum tanquam propria confessione uti
velit. Nihilominus hanc differentiam in praxi non attendi, sed positiones & articulos plerumque inter se confundi, testis est Gail. *Lib. 1. Obs. 79.* nam in praxi omnes ferè
positiones, *articuli* per modum interrogationis, non verò
per modum simplicis affirmationis concipiuntur, e. g. nunquid verum, quòd reus tali die ad me venerit petens mutuò centum? nunquid verum, quòd mutuum petitum actu numeraverim?
Cæterùm si reus super positionibus vel articulis con- 7
tumaciter respondere recuset, ejus pœna est, quòd articuli pro confessatis acceptentur, *d. c. 2. hoc tit. in 6.*
Sed ut pœna hæc locum habeat, requiritur. I. Quòd
articuli sint relevantes, seu ad causam saltem indirectè
pertinentes, aliàs ex officio judicis rejiciendi erunt:

In dubio autem an sint relevantes nec ne? eos judex admittere debet: quia securius est superfluum admittere, quàm necessarium omittere. Speculator *in tit. de Posit. §.*
9 *7. n.8.* II. Porrigens articolos juramentum præstare debet, quod juramentum *dandorum* appellatur, quod scilicet
10 nihil calumniosè posuerit. III. Si actor inter positiones vel articulos attingat aliquod crimen occultum rei, etsi id ad rem faceret, tamen non tenetur reus se ipsum prodere & infamare, sed potest denegare responsionem, Gloss.
11 *in c. cum causam 37. V. de causis X. de Testibus*. IV. Requiritur, ut positiones sint de facto & quidem proprio ipsius rei; non autem de jure, aliàs respondere non tenetur: quia quæstiones juris judici relinquuntur. Videatur Gail. *d. Obs.76. & seq.* Porrò circa confessionem tam judicialem, quàm extrajudicialem.

12 Quær. I. Utrùm confessio judicialis absente adversario plenè probet, De puncto juris civilis negativa videtur verior, propter textus in *l. certum 6. §. si quis ff. hoc tit.* & *in l. fin. ff. 3. de Interrog. in jure fac. &c.* Verùm de æquitate Canonica hujusmodi confessionem etiam in absentia partis factam plenè probare docuerunt Joan. And. *apud* Panorm. *in c. fin. hoc tit. numer.16.* Joan. Hon. *eodem tit. num.10. cum pluribus aliis ibid. cit.* Quamvis enim, inquiunt, ad hoc ut alicui ex confessione alterius obligatio, vel liberatio quæratur, ejus præsentia accedere debeat; quia tunc confessio est implicitum pactum & tacita promissio; aliud tamen est, si præcisè de probatione per confessionem agatur, tunc enim sane iniquum videtur, quòd confessio judici scienter & deliberatè facta ex hoc solo capite quòd adversarius præsens non fuerit, revocetur & eo præsente contra conscientiam contrarium dicatur. Quòd si reus non tantùm oretenus, sed in aliqua scriptura fateatur, velut fieri solet, patiatur suam confessionem Protocollo inseri, cujus tenor deinde adversario communicetur, tunc talis confessio indubitatè etiam de jure civili plene probabitur: cùm enim scriptura semper quasi loquatur; non tantùm judici, sed etiam adversario confessio facta esse censebitur. Panorm. *in cap. ex part. 3. h. t. n.15.*

13 Quær. II. Utrùm omnis confessio, quæ fit coram judice vel in judicio, sit habenda pro judiciali?

Respond. Principale requisitum ad confessionem judicialem esse, ut fiat in figura judicii. Unde confessio facta in judicio coram Notario tantùm, vel extra judicium coram judice non sedente pro tribunali, tantùm in vim confessionis extrajudicialis sustinebitur. Maschar. *de Probat. vol.1. Conclus.348. & 52.*

14 Quær. III. Quid dicendum de confessione facta coram judice non competente, vel competente quidem, sed si ex post facto cassata sint acta propter non servatum ordinarium processum?

Respond. Confessionem, quam quis facit coram non suo judice, e. g. Clericus coram judice Laico, neutiquam haberi pro judiciali, *c. etsi Clerici 4. de Judiciis*, haberi autem pro extrajudiciali; quia licet judex incompetens tali confessioni nullam vim addat, tamen etiam nullam adimit, nec est ratio, cur minus valere debeat, quàm si omnino extra judicium, & nullo judice præsente facta esset. Imò communiter sentiunt DD. quòd judex competens possit cogere confessum coram judice incompetente, ut vel persistat in confessione, vel doceat de errore & causa variandi. Abbas & Fel. *in d. cap. & si Clerici*. Boerius
15 *decis.90. n.9.* Quòd si autem confessio facta sit coram judice competente, quanquam in aliis ordo juris servatus, & judicium validum non fuerit, nihilominus pro judiciali habebitur; nam confessio etiam ante litem contestatam in judicio facta judicialis censetur, ac consequenter talis confessio facta in Judicio propter non servatum processum illa saltem haberi debet tanquam facta ante litem contestatam seu inchoatam. Barth. *in l. si confessus 5. ff. de Custodia reorum.*

16 Quær. IV. An si confessio propter errorem revocetur, semper sit necesse probare errorem?

Respond. Distinguendo, an quis ex intervallo confessionem revocare velit, an verò in continenti: si ex intervallo, necessaria erit erroris probatio; imò ex communi sententia non sufficiet errorem simpliciter probare, sed insuper requiretur, quòd is error sine lata culpa contigerit, ut nimirum in jure claro, vel facto proprio recenti aut evidenti non erraverit. *Sin autem confessio in continenti revocetur*, non est opus probare errorem; & dicitur in continenti revocari, antequam redigatur in scripturam, vel antequam narratio penitus concludatur, aut etiam à judice recedatur, *arg. c. præterea 7. de Testibus cogendis*. Videatur Panorm. *in c.3. n.20. & seq. h. t.*

Quær. V. Quid requiratur ut confessio per metum seu 17
tormenta extorta aliquid probet?

Respond. Tria potissimùm requiri. I. Quòd constet de *corpore delicti*, id est, quòd revera illud delictum, de quo aliquis arguitur, factum sit. Unde si reus in tormentis fateatur, se alibi, e. g. homicidium aut furtum commisisse, in eo loco inquiri debet an aliquando tale homicidium aut furtum ab aliquo factum sit. II. Quòd præcedant contra torquendum gravia indicia. III. Denique, quòd tortus seu metu & in conspectu tormentorum confessus persistat in confessione. Dicitur autem persistere in confessione, non si statim post tormenta idem fateatur, sed si saltem post spatium unius diei, & noctis ad *banchum juris*, ut vocant, ductus, & extra tormentorum conspectum positus confessionem suam repetat, *leg. 2. Cod. de Custodia reorum*. Qua de re fusiua videri poterit Farin. *Operum criminalium quæst.1. in tit. de Judiciis, & Tortura*, & alii ex instituto de processu criminali tractantes.

Quær. VI. Utrùm confessio Procuratoris vel Advocati 18
noceat Principali.

Respond. Confessio Procuratoris vel Advocati, nisi ad hoc speciale mandatum habeat, semper revocari potest à principali, tametsi non probarit errorem aut falsitatem, quia semper major fides adhibetur attestanti de facto proprio, quàm de alieno, & ita magis creditur Principali factum proprium neganti, quàm Procuratori factum alienum (quod ignorari potest) confitenti, *l.7. §.4. ff. h. t. L. 9. §. si defensor 4. ff. de Interrogat. in jure fac.* accedit, quòd non debeat *alteri per alterum iniqua conditio inferri, & factum cuique suum alteri nocere* debeat, juxta vulgatas juris regulas.

Quær. VII. An idem dicendum sit de generalibus rei 19
alienæ administratoribus, nimirum Prælatis Ecclesiasticis, œconomis, tutoribus vel curatoribus, ut nec horum confessio Ecclesiæ, pupillis, aut minoribus præjudicet? Distinguit Pan. *in c. ex p. 3. num. 10. hoc tit.* utrum confessio administratoris, vel Prælati sponte extra judicium emanarit, vel utrum in judicio per viam contentiosæ jurisdictionis. Primo casu censet non præjudicare, secus in posteriori: ex ea differentiæ ratione, quòd sponte facta confessio sit aliqua donatio, quæ rei alienæ administratoribus utique prohibita est. In specie autem de Confessione Prælati etiam in judicio facta, quòd duplici via revocari possit, cum communi docet Pan. *in eodem cap. 3. nu. 4.* scilicet vel de jure communi, si Prælatus sit paratus docere errorem; vel per viam restitutionis in integrum, ubi non requiritur probatio erroris, sed tantùm læsionis, quod scilicet Ecclesia ex tali confessione damnum acceperit.

Quær. VIII. An reus de crimine interrogatus à Judice, 20
teneatur illud confiteri?

Respond. Distinguendos esse 3. casus: *Primus* est quando Judex non habet jus interrogandi; si nimirùm reus nec infamatus, nec aliis indiciis ad semiplenam probationem gravatus sit: & tunc non tenetur confiteri, etsi exinde Judici, vel accusatori calumnia imputetur: quia utitur Jure suo, ex lege tamen charitatis debet, si potest, consulere famæ istorum, v. g. dicendo, eos fuisse deceptos ex probabili errore &c. *Secundus*, quando Judex habet Jus interrogandi: quo casu duæ sunt sententiæ; una affirmat teneri confiteri: quia ista sunt correlativa, si Judex habet Jus interrogandi, ergo alter tenetur dicere veritatem; item quia Reipubl. interest, ne crimina maneant impunita, *c. ut fama 35. de Sent. excom.* Hæc est S. Th. & Cajetani *2. 2. q. 69. art.1. & plurimorum aliorum*. Altera negat, saltem si agatur in causa capitali, de damno vitæ: quia præceptum humanum, quale est Judicis, non solet obligare cum tanto damno. Item argumentor à minori ad majus: nam si quis de jure non potest cogi, ut veritatem dicat contra suum consanguineum, *l.4. ff. de Test. & l.6. C. eod.* ergo nec contra seipsum. Ita præter alios docuit Innoc. *in c. dudum 54. de Elect.* apud Pan. *in c.2. hoc tit. n.28.* Quæ sententia potest defer-

deservire Confessario quando reus persuaderi non potest, ut crimen ultrò confiteatur. Vid. Ignat. Lopez. *in pract. crimin Canon. c.* 129. *Tertius* casus est in dubio, an Judex legitimè interroget; & tunc non tenetur confiteri, quia in dubio melior est possidentis conditio. Et licèt aliàs præsumatur, superioris mandatum esse justum, non tamen in hoc speciali casu, ubi est conjunctum cum gravissimo damno.

21 Cæterùm hoc etiam observandum reum infamatum de uno crimine non posse interrogari de aliis, etiam in eodem genere, nisi de frequentia sit diffamatus, ut famosus latro, vel fur, quia non potest interrogari, nisi præcedentibus indiciis. Similiter nec de sociis criminis interrogari potest, *l. ult. Cod. de Accusat. cap. 1. h. tit.* nisi tale sit crimen, quòd necessario socium requirit, ut delictum carnis: vel quod cum sociis factum dicitur: vel nisi crimen exceptum sit, in publicam perniciem tendens, ut hæresis, proditio, falsatio monetæ, læsæ majestatis.

22 Quid autem si reus ultrò indicet socios? Respond. Si persona vilis, non facit semiplenam probationem, sed tantùm dat ansam ad inquisitionem, nisi alia adminicula concurrant, & plures rei de eadem persona confiteantur, & in circumstantiis conveniant. Plura vid. apud. Farinac. *tit. de Indic. & Tortur. vol. 1. q. 43.*

23 Quær. IX. An confessio à Judice elicita sub spe & promissione impunitatis sufficiat ad condemnandum. Respond. Nisi reus intellecta falsitate persistat in confessione, non sufficere; potest enim revocare, & dicere se spe impunitatis confessum fuisse. Imo Judex tenetur fidem datam servare. Jul. Clarus *in pract. criminali q. 53. num. 7. & seqq.* Unde non videntur admittendæ fictæ seu æquivocæ illæ promissiones, v. g. si confessus fueris, habebis sufficientia alimenta ad tempus vitæ; vel hoc tibi conducet ad vitæ obtentionem, subintelligendo, *æterna* &c.

24 Quær. X. & ultimò: An confessio sacramentalis, si quocunque modo, sive per sacerdotem, sive per auscultantes reveletur, aliquid probet in judicio contra confitentem? Negativa sine dubio tenenda: quia talis confessio non fit homini, sed Deo. Et quamvis in confessione sacramentali aliquis censeatur dicere veritatem, tamen hæc veritas probatione fori externi acceptari non potest; alias plerique pœnitentes formidarent sua peccata gravia sincerè exponere. Nec est bona consequentia, præsumitur dicere veritatem, ergo est legitima probatio: quia etiam is, qui extra judicium vel coram judice competente in re gravi aliquid contra se fateatur, præsumitur dicere veritatem, non est tamen propterea legitimè statim convictus, *c. 4. si Clericis de Judiciis*. Latiùs Covar. *de Matrim. p. 2. c. 8. §. 12. à n. 12.*

TITULUS XIX.

De Probationibus.

SUMMARIA.

1 *Quid sit probatio?*
2 *Actori regulariter incumbit onus probationis.*
3 *Reus excipiendo fit actor: & affirmanti incumbit probatio.*
4 *In duplicibus judiciis utrique litiganti incumbit probatio.*
5 *Ubi præsumptio Juris est pro aliquo, is relevatur ab onere probandi.*
6 *Negativa etiam probari debet, si est fundamentum intentionis: & quomodo probari possit.*

---

§. I.

Quid sit & cui incumbat Probatio.

1 PRobatio In h. t. nihil est aliud, quam *judici* rei dubiæ apud eum controversæ per legitimos modos facta *ostensio*. Dico *judici*: quia probatio fit principaliter ad ipsum judicem, non verò ad adversarium instruendum. Porrò per quem hæc demonstratio facienda sit, an per actorem, vel per reum, nonnunquam multùm disputatur. Ad cujus dubii resolutionem notandæ sunt sequentes re- 2
gulæ. I. Actori regulariter incumbit onus probandi suam intentionem, & quidem nisi eam legitimè probarit, reus tametsi nihil in contrarium attulerit, absolvi debet, *l. 8. & 23. Cod. h. t.* II. Etiam reo quandoque injungitur pro- 3
batio, si videlicet excipiendo aliquid affirmet, quod deinde in replicatione ab actore negatur; hic namque solemus dicere, quod reus *excipiendo* actor fiat. E. g. si mecum convenias in judicio, ut tibi centum restituam, quos mihi mutuos dedisti, ego verò excipiendo dicam, me illos centum jam pridem tibi solvisse, quod tu negas; sanè hujus solutionis factæ probatio mihi, qui eam affirmo, incumbet, quia vulgatum juris axioma est, quòd affirmanti incumbat probatio, ex *l. 2. l. in exceptionibus 19. ff. in eodem t.* III. In duplicibus judiciis, nimirùm *finium regun-* 4
dorum, interdicto *uti possideris* & similibus uterque litigans probare debet, & meliùs probanti adjudicatur possessio, quia uterque actor & reus, *§. retinendæ 4. Instit. de Interd. c. ex litteris 3. h. t.* & satis insinuavi superiùs in tit. *de causa possessionis & proprietatis*. IV. Si præsumptio ju- 5
ris stat pro agente vel excipiente, relevabitur is ab onere probandi, nam præsumptio juris transfert onus probandi in adversarium. Hinc si Parochus petat decimas intra fines suæ Parochiæ existentes, nihil probare tenetur: quia dicitur habere fundatam intentionem in jure, quòd decimæ ad Parochum pertinere præsumantur, nisi contrarium ostendatur. *c. de Restitut. spoliatorum in 7.* Item si aliquis dicatur non potuisse testamentum facere, esse Procurator, aut contrahere, iste, qui talia negat aliquem posse, hanc suam negativam probare debet, quia hæc sunt *juris prohibitorii*, quæ quilibet præsumitur posse, nisi ostendatur esse prohibitum. V. Quamvis *negativa* videatur probari non posse, cùm non entis nullæ sint qualitates; nihilominùs si aliquis fundamentum suæ intentionis in *negativa* ponat, eam probare debet. Hinc si volo prohibere vicinum, ne domum suam altius ædificet, debeo probare, quòd non habet jus altiùs ædificandi, quia in dubio quilibet præsumitur posse in re sua ædificare pro suo placito, *l. altius 8. C. de Servit. & aqua*. Item si pecuniam per errorem alicui solverim, quam ei non debui, & deinde velim illam pecuniam repetere per condictionem indebiti, necesse habeo probare pecuniam debitam non fuisse; *l. cum indebito 25. ff. h. t.* Sed inquies, si quandoque probari debet *negativa*, quomodo ergò vulgò dicitur, quòd *negativæ* per rerum naturam nulla sit probatio, ex *l. actor 23. Cod. eod. tit.* Respond. Multiplices esse *negationes*, quarum aliquæ probari possunt, aliquæ probari non possunt. Nam in primis alia est *negatio juris*, e. g. tu non potes esse Procurator, non potes fieri Clericus, & hæc negatio utique probari potest adducendo illum locum juris, in quo fundata est. Alia est *negatio qualitatis*, ut tu non es solvendo, non habes sufficientem ætatem ad testandum, vel contrahendum, & hæc quoque probari potest, sicut & generaliter omnes *negativa*, quæ habent inclusam in se *affirmativam*: qui enim negat habere aliquam ætatem ad testamenti confectionem, affirmat ipsum esse impuberem, qui repetit beneficium renunciatum, & negat se sponte renunciasse, implicitè affirmat coactionem & violentiam sibi factam. Alia tandem est *negativa facti*, quando aliquod factum purè negatur, & hæc *negativa* ab ipso negante directè probari non potest, potest tamen indirectè quandoque, si sit determinata ad certas circumstantias, puta aliquis arguit me de homicidio in certo loco ac die facto, non possum quidem directè probare me homicidium non fecisse: possum autem ad ostendendam meam innocentiam probare, me in die allegato nunquam in loco commissi homicidii fuisse, vel possum ostendere alium, qui illud homicidium perpetravit, & hanc negativam, quòd homicidium non fecerim, indirectè probabo.

§. II.

Quotuplex sit Probatio?

SUMMARIA.

7 *Enumerantur varia genera probationum.*
8 *Quæ probationes sint plenissimæ, aut plenæ?*
9 *Quæ sint tantùm semiplenæ.*

7 PRobationum in genere quot sint species, non conveniunt DD. omnes tamen videntur commodè ad novem præcipuas reduci posse. Nam I. Probari aliquid potest per *Evidentiam rei*, quando scilicet res ita palam est, ut nulla tergiversatione vel negatione celari valeat. II. Per *Confessionem propriam*. III. Per *Ocularem inspectionem*. IV. Per *Testes*. V. Per *Instrumenta*. VI. Per *Juramentum*. VII. Per *Præsumptionem*. VIII. Per *Famam* IX. Denique per *Libros antiquos & scripturas antiquas* in lapidibus marmoreis positas.

8 Porro ex probationibus aliæ dicuntur *plenæ*, aliæ *semiplenæ*. *Plenæ* dicuntur, quæ judici plenam fidem faciunt: tales censentur, quæ fiunt per duos testes omni exceptione majores, per instrumenta authentica, per confessionem propriam, de quibus *in tit. seq.* videbimus.

Sed hic Nota, quòd aliquæ probationes sint *plenissimæ*, &, ut dicere solemus, luce clariores, quales requiruntur in criminalibus causis, per *l. fin. Cod. h. t.* sæpè enim aliqua probatio in causis civilibus sufficiens est ad ferendam sententiam, quæ tamen in criminalibus nullo modo sufficit. Sic probatio per unum testem una cum juramento suppletorio, item probatio per plures concurrentes præsumptiones & famam quandoque sufficienter probaret in causa civili, non verò criminali.

9 *Semiplenæ* probationes dicuntur, quæ minùs perfectæ sunt, nec omnimodam fidem merentur. Communiter inter *semiplenas* probationes numerantur *unius testis depositio, extrajudicialis confessio, instrumentum privatum*, seu annotationes & rationes in privatis libris conscriptæ (Chirographum autem debiti causam continens & adversario traditum plenè probat) *litterarum probatio, fama* denique & *fuga*. Verùm enumeratas hactenus probationum species *in seqq. tit.* exactiùs tradam. Circa instrumenta privata, item scripturas antiquas in *tit. de Fide instrument.* & circa comparationem litterarum ac fugam *in tit. de Præsumpt.* plura dicendi locus est. Quia verò ocularis inspectio & fama non potest congruè ad alium titulum referri, hìc de utraque breviter aliquid subjungam.

---

§. III.

De Probatione, quæ fit per ocularem inspectionem.

SUMMARIA.

10 *Quid sit inspectio ocularis.*
11 *Ea necessaria est in novi operis nunciatione, pro cautione damni infecti, controversia limitum, casu vulnerationis, allegata impotentia &c.*
12 *Quid ad inspectionem ocularem requiratur.*

10 OCularis inspectio est, quando judex rem, de qua controversia est, vel per se ipsum inspicit, vel Commissarios aut alias personas ad eam inspiciendam deputat. Huic *inspectioni oculari* locus est in omnibus causis & negotiis, quæ aliter nequeunt, vel saltem non ita facilè expediri. Pro majori intelligentia aliquot exempla
11 propono. Ita I. Quæstio *de novi operis nunciatione* vix potest absque *inspectione oculari* decidi: nam si adversarius neget, se priorem faciem operis immutasse, vel in præjudicium actoris ædificasse, ad eruendam veritatem non potest efficacius remedium inveniri, quàm *ocularis inspectio*. II. Si timeam, ne ædes mei vicini, quas ruinosas esse conspicio, meis ædibus per ruinam damnum inferant, & propterea peto cautionem *damni infecti*, ut scilicet idoneè caveat, quòd omne damnum ex ruina suarum ædium mihi inferendum resarcire velit, sanè si vicinus neget, domum suam esse ruinosam, ad *ocularem inspectionem* ante omnia deveniendum erit. III. Quotiescunque controversia oritur circa *terminos* seu *limites agrorum*, vel *jurisdictionis*, ipsi termini oculariter inspiciendi sunt, *l. de modo 7. & passim ff. finium regund.* IV. Quando aliquis accusatur de lethali vulnere actori inflicto, judici quàm maximè incumbit, ut vulnus tempestive per plures Medicos & Chirurgos inspici curet: quia frequenter accidit, quòd vulnus ab initio lethale non fuerit, sed deinde primùm per imperitiam, aut negligentiam medicorum factum sit, qua de re videatur And. Gail. *lib. 2. observ. 111.* V. Denique, ut plura alia prætermittamus, quotiescunque agitur de matrimonio propter alterius conjugis impotentiam distrahendo, hæc inspectio adhibenda erit, in viro quidem per medicos, in fœminas per obstetrices, quemadmodum textus sunt & ibi Interpretes *in c. 4. & c. penult. h. t. & in c. fraternitatis 6. de frigid. & maleficiat.*

Cæterùm ad *inspectionem ocularem* regulariter requiritur utriusque partis citatio, nisi fortè judex ex officio clam ad suam tantùm informationem *inspectionem ocularem* suscipere voluerit. Ratio est quia quilibet vocari debet ad illum actum, de quo vertitur ejus præjudicium, & ubi opus est defensione. 11

Deinde ad *inspectionem ocularem* ducendi sunt testes ab alterutro litigantium producti, quia in re præsenti se meliùs explicare & judicem informare possunt. Tandem quando *inspectio ocularis* fieri debet, per ejusmodi artis peritos, e. g. agrimensores, architectos, medicos, chirurgos, obstetrices & similes, eis juramentum deferri debet (nisi in susceptione sui officii juratint, seu, ut solemus dicere, jurati Magistri sint) quòd in neutrius partis gratiam, sed quidquid revera in sua conscientia deprehenderior, edicere velint. Plura *de inspectione oculari* videantur apud Roland. *in Tract. de Commissariis lib. 3.*

---

§. IV.

De Fama.

SUMMARIA.

13 *Quid sit fama & quomodo differat à rumore.*
14 *Allegans famam debet probare: & probatur per testes etiam singulares.*
15 *Qui tamen reddant rationem sui dicti: sed hoc in factis antiquis non requiritur.*
16 *Debent deponere, dici a majore parte populi saltem in negotiis gravioribus.*
17 *Fama, ut aliquid probet, debet esse constans & uniformis.*
18 *Fama facit semiplenam probationem in civilibus, non criminalibus.*
19 *In factis antiquis etiam plenam probationem potest facere.*
20 *Ad impediendum matrimonium futurum sola fama impedimenti sufficit.*
21 *Potest etiam esse loco certi nuntii de morte conjugis alterius diu absentis.*
22 *Conjunctio probationum semiplenarum ad faciendam unam plenam, locum habet in civilibus, non criminalibus.*

APpellatione *famæ* in proposito non honoris existimatio, sed communis hominum de re aliqua sermo & opinatio denotatur, differt autem à *rumore*, quòd *fama* sit inter homines etiam graves & ex verisimilibus indiciis; *rumor* autem sit tantùm inanis & temeraria Vulgi vox & suspicio, carens certo authore aut fundamento, quæ teste Mінsing. *ad rubric. text.* potiùs pœnis com- 13

compescenda, quàm in jure & judicio sequenda est. Quare.

14 Nota I. Quòd is, qui pro se allegat *famam*, in judicio illam probare debeat: quamvis DD. varient, per quot testes *fama* probetur, tamen receptior videtur sententia, quòd duo testes sufficiant, juxta doctrinam Barthol. *in l. de minore* 10. *§. plurimum n.*19. *ff. de Quæst.* imò non requiritur, ut illi testes deponant, se audivisse in eodem loco, & ab iisdem personis, sed etiam admittuntur, tametsi in sua depositione sint singulares, videlicet quòd unus nominaret alios, à quibus audivit, & alius alios, vel unus nominaret talem diem & locum, & alter alium, docet idem Barth. *in d. §. plurimum n.*4.

15 Nota II. Quod testes de *fama* deponentes nihil probent, nisi rationem sui dicti, seu depositionis reddiderint: dicuntur autem *rationem sui dicti* tunc reddidisse, si causas, seu indicia & conjecturas, ex quibus *fama* suam originem traxit, nominatim & specificè expresserint: Famæ enim regulariter nihil tribuendum est, nisi constiterit de authoribus ejus, & fundamento radicato in causis & indiciis, ex quibus prudentes plerique permoti sunt, ut sibi hoc vel illud certò persuaderent, & postea successu temporis communi omnium existimatione asseveraretur. Mascard. *de Probat. vol.* 2. *conclus.* 750. *numer.* 11. Attamen in factis antiquis quæ hominum ætatem & memoriam excedunt, non adstringentur testes, ut rationem sui dicti reddant, sed sufficit, ut sint omni exceptione majores, & asserant, se ita à suis majoribus intellexisse, quia in factis antiquis & ultra hominum ætatem remotis non potest semper de fundamento constare.

16 Nota III. Quòd ex communi DD. sententiam requiratur, ut testes deponant, aliquid dici non tantùm à multis, sed à majore parte populi, & insuper aliquot viros spectatæ opinionis nominent, à quibus se audivisse affirmant. Quod tamen DD. limitant tantùm in negotiis arduis, seu magni momenti, in negotiis verò parvis censent famam viciniæ seu plurium hominum, quamvis illi non constituant majorem partem populi in aliqua civitate, sufficere. Mascard. *d. loc. num.*6. *&* 9.

17 Nota IV. *Ut fama* possit pro probatione adduci, debet esse constans, & uniformis, non varia & contraria Unde si id, de quo est controversia alii negent, alii affirment, neque his, neque illis credendum est, sed sicut alias probationes probationibus, præsumptiones præsumptionibus eliduntur, ita duæ famæ inter se contrariæ sese invicem quantum ad effectum probationis penitus extinguunt. Quòd si tamen in illo loco, ubi res de qua quæritur, sita est, vel ubi delictum commissum est, *fama constans* haberetur, & in alio loco contraria vigeret; utique prior tanquam magis verisimilis attendenda foret.

18 Nota V. Quòd *fama* in civilibus causis regulariter tantùm semiplenè probet, *arg. leg.* 3. *§. ejusdem quoque*, & ibi Gottofred. & DD. communiter, *ff. de Testibus*, nam ibidem dicitur, quòd fama consentiens rei gestæ fidem nonnunquam confirmet. Quæ verba ad summum semiplenæ probationi congruunt, cum diversa sint fidem facere, & confirmare. Confirmatio enim aliquid præsupponitur, quod confirmandum est, & habet se per modum accessorii. Dixi autem in *civilibus causis*: etenim in criminalibus, ubi de gravi pœna infligenda agitur, plerumque *fama* ne quidem semiplenam probationem, imò nec indicium ad torturam facit, sed tantùm movere debet judicem, ut super crimine diligenter inquirat, per text.
19 *in c. qualiter & quando* 24. *de Accus.* Dixi secundò *regulariter*: nam DD. communiter excipiunt facta antiqua, quæ hominum ætatem excedunt, in quibus existimant famam propter difficultatem, & ob defectum aliarum probationum plenè probare, & pro fama sententiam ferri posse, ut videre est apud Mascard. *d. loco vol.* 2. *conclus.* 54. *num.* 8.

20 Specialiter de jure Canonico ad dissolvenda sponsalia de futuro & impediendum matrimonium sola *fama* de affinitate & consanguinitate desponsatorum sufficit, partim propter periculum, ne matrimonium nulliter contrahatur, & illicitus fiat concubitus; partim etiam, quòd scandalosum sit, duas personas conjungi, quæ publica existimatione affines vel consanguinei reputantur, per text. *in cap.* 2. *de Consanguinit. & affinit.* Item quamvis 27
conjugi propter diuturnam absentiam alterius conjugis non possit dari licentia alias nuptias contrahendi, nisi certum nuntium de morte ipsius conjugis habeat, ut dicitur *in c. in præsentia* 19. *de Sponsalibus*. Nihilominus nomine certi nuntii etiam famam comprehendi, si communis, & in causa probabili (*e. g.* propter diuturnam absentiam, senectutem, aut mortem, vel belli pericula &c.) fundata sit, docet Gloss. *in cap. quoniam §. porro vers. si autem. Ut lite non contestata*, per text. *in eod. si autem.*

Pro coronide hujus tituli resolvenda est illa utilis quæstio, utrum probationes *semiplenæ* diversi generis conjungantur ad constituendam *plenam* probationem, e. g. unus testis & fama, extrajudicialis confessio & unus testis?

Respond. breviter, in criminalibus causis non esse admittendam commixtionem probationum, sed requiri probationem *plenissimam* in eodem genere probationis, nimirum vel per testes, instrumenta, aut confessionem in judicio: in civilibus autem duas *semiplenas* probationes etiam diversi generis ad unam *plenam* constituendam sufficere. Gom. *Variar. Resolut. tom.* 3. *c.* 12.

TITULUS XX. & XXI.

De Testibus, & Attestationibus, & de Testibus cogendis.

Titulus XX. inscribitur *de Testibus & Attestationibus*: & XXI. *de Testibus cogendis*, quæ cùm circa usitatissimam in judiciis probationem *per Testes*, connexa sint, hos titulos in unum conjungimus.

S U M M A R I A.

1 *Nomina testium à producente Judici primò offeruntur: à quo deinde citantur.*
2 *Quid agendum, si testes Jurisdictioni Judicis non subsunt.*
3 *Testis ad comparendum cogi potest, etsi juraverit, se nolle testificari.*
4 *Si quis notitiam rei sub secreto accepit, aut per injuriam, non potest cogi ad testificandum.*
5 *Non tenetur quis testificari, si ei immineat inde grave damnum, aut crimen sit occultum, vel factum pœna non dignum.*
6 *Persona conjuncta regulariter contra se invicem testificari non coguntur.*
7 *Senes valetudinarii longe distantes, item nobiles ad testimonium ferendum non evocantur.*
8 *Viaticum, & alimenta testibus suppeditare tenetur producens.*
9 *Ad productionem & juramentum testium adversarius citandus est.*

---

§. I.

De Productione & coactione testium.

Quando actori suam intentionem, vel reo suam ex- 1
ceptionem probandi onus imponitur, idque actor vel reus per testes exequi cogitat, consultum est, quod nomina testium judici offerantur, ab eoque petatur, ut terminum ad producendos testes præfigat. Non est quidem una omnium sententia, an testes à judice, vel à producente in Judicium vocandi sint, propter textum in *l.* 3. *§. fin. ff. de Testibus*. Sed praxis judiciorum passim obtinuit, quòd testes citari soleant à judice ad instantiam producentis, maximè tunc, si ad solas peces

producentis nolint comparere. Quid autem faciendum, si testis non sit de jurisdictione illius judicis, apud quem
2 testimon um diceret? Respond. Quia citatio non subditi nullius est momenti, *l. fin. ff. de Jurisdictione*, ideò res expediri debet per litteras, quas vulgò *mutus compassus* appellant, in quibus requiritur judex competens, ut testes suæ jurisdictioni subditos mittat ad locum judicii, in quo eorum testimonium desideratur, vel si propterea, quòd testis sit Clericus, valetudinarius, in dignitate constitutus, aut iter nimis remotum sit, &c. remissioni locum non esse reperiat, ipse examen in se suscipiat, illudque secundum ordinem Juris instituat, ac depositionem testis in scriptis transmittat. Quòd si testis ad judicis præceptum comparere recuset, mandatis pœnalibus cogendus erit, cùm publicè intersit, ut lites finiantur, & ne veritas occultetur, de qua coactione agitur in tit. *de Testibus cogend. & in l. si quando 19. juncta auth. Cod. de testibus.*

3 Imò testem cogi posse, etsi jurarit, se nolle testimonium ferre, textus est, & ibi tradunt Interpretes, *in c. pervenit 4. de Testibus cogend.* nunquam enim hoc juramentum tanquam contra bonos mores præstitum obligatorium est, sed potiùs impium & temerarium; Utpote per quod veritas publicè requisita cum gravi alterius præjudicio celatur. Videatur Gail. *Lib. 1. obser.* 100. Sed juxta æquiorem interpretationem hoc intelligitur, si quis jurasset non revelare, qui per suum juramentum non potuit Reip. habenti jus exigendi testimonium præjudicare, secus si notitiam accepit sub sigillo & confidentia secreti, veluti Medicus, obstetrix, &c. tunc enim Respubl. nullum jus habet, cui sine tali revelatione dictum non fuisset cognitum? & pactum tale, sicut depositum, jure naturali justum est, præsertim si ex celatione non
4 immineat grave periculum Reipub. imposterum. Item si quis notitiam delicti, vel alterius secreti per injuriam acceperit, v. g. litteras aperiendo, vel hominem per vim cogendo, non tenetur ad testificandum, quia non minùs ex delicto, quàm ex pacto obligatio justitiæ nascitur ad damnum non extendendum, sed potiùs resarciendum.

5 Addunt etiam DD. si testi, vel suis damnum grave ex testimonio immineat, si crimen occultum sit, & nulla publica indicia adsint, licet forte uni vel alteri cognitum fuerit, non teneri aliquem de eo testificari nisi crimen adhuc perniciosum sit. Et denique, qui scit factum esse à pœna alienum, quia putans feram trajecit hominem, non tenetur fateri vel testari, sed potest simpliciter negare se scire delictum. Vid. Paul. Laym. *in Theol. Moral. l. 4. Tract. 6. c. 4. n. 9.*

6 Verum sunt nonnulli, qui inviti ad testimonium ferendum contra certas personas non coguntur, qui referuntur *in cap. si testes 3. §. item l. Julia causa 4. quæst. 3*, tales sunt agnati & cognati, item affines, qui sibi ad instar parentum & liberorum sunt, ut socer & socrus, gener, nurus, vitricus, noverca & similes. Nam grave est, ut aliquis contra suum sanguine aut affinitate conjunctum cogatur testimonium dicere. Interim tamen si aliunde veritas haberi non possit, etiam hæ personæ utilitatis publicæ causa, quæ privato affectui præferenda est, ad testimonium ferendum cogi possent. Val. *d. tit. de Testibus cogend. numer. 6. & seq.* cum Panorm. *in c. 1. eodem tit.*

7 Porro testes senes, valetudinarii, aut longè distantes, tametsi sint intra territorium judicis sub quo causa agitur, non sunt evocandi ad locum judicii, sed domi suæ examinandi, vel per ipsum judicem, aut, quod est frequentius, per aliquem Commissarium vel Notarium specialiter ad hoc deputatum, *cap. si qui. §. de Testibus l. 3. §. fin. & l. 8. ff. eod.* Imò quidquid sit de jure communi hodie in multis locis consuetudine receptum est, quòd personæ egregiæ & Illustres ad testimonium ferendum non vocentur ad judicium, sed depositinnes suas scriptis consignent, & clausas postea ad locum judicii mittant.

8 Cæterùm testes producendi sunt sumptibus ipsis producentis, qui eis tenetur viaticum & alimenta pro conditione & dignitate eorundem subministrare, nulla habita ratione sumptuum, quos alias domi fecissent, *cap. statutum §. pro ferendo, & c. insuper de Rescriptis in 6.* & quamvis quilibet veritatem gratis dicere debeat, neque æstimari possit tempus vel labor, quem quis ferendi testimonii causa sustinuit, si tamen aliquis e. g. mercenarius, qui ex operibus diurnis se uxorem & liberos alit ad testimonium ferendum peregrè evocetur, ac interea suis operis careat, sanè æquissimum est, ut præter expensas itineris etiam intermissam operarum aliquam æstimationem consequatur, Nam licet testimonium non debeat testi esse lucro, non tamen debet ipsi esse nocumentum contra regulam juris, quòd *officium suum nemini debeat esse damnosum*. Andr. Gail. *dict. Libro 1. observ. 99.*

Demum sciendum est, quòd ad productionem testium 9
citandus sit adversarius, non quidem ut examini intersit hoc enim sine præsentia partium instituendum est) sed ut videat testes produci, ab iisque juramentum præstari, & ut suas exceptiones contra personas earum proponere valeat, quare fit.

---

§. II.

De Exceptionibus, quæ contra personas testium objici possunt.

PLures sunt exceptiones, quæ aliquem à testimonio ferendo repellunt, vel saltem fidem ejus minuunt. Hæ exceptiones possunt ad tres classes reduci: quædam enim testem omnino inhabilem ad testandum declarant, quædam tantùm respectu certarum personarum, & quædam respectu causarum certarum.

C L A S S I S I.

Exceptiones, quæ testem omnino inhabilem declarant.

S U M M A R I A.

10 *Servi ad testificandum sunt inhabiles.*
11 *Religiosi ad testificandum non sunt inhabiles, etsi sine licentia Prælati non debeant dicere testimonium in judicio.*
12 *Similitudo inter servum & Monachum claudicat.*
13 *Impubes non potest ferre testimonium: post pubertatem tamen potest etiam de iis, quæ in impuberi ætate vidit, vel audivit, testari; sed non erit testis omni exceptione major.*
14 *Infames testificari nequeunt: & qui sint infames infamia Juris.*
15 *Quinam reddantur infames infamia facti.*
16 *Infames infamia facti in causis criminalibus à testimonio excludantur; non in civilibus.*
17 *Homines viles non sunt testes idonei, nisi aliunde de eorum fide satis constet.*

PRima talis exceptio est, quòd testis non sit liber, sed 10
Servus; cùm enim servus in Jure pro nullo reputetur, nimis indignum videtur lites & controversias inter homines liberos & ingenuos exortas servorum testimoniis terminari, *l. 7. ff. hoc tit.* Quare olim si servi quandoque in subsidium pro testibus adducebantur, priùs ad eruendam veritatem tormentis subjiciebantur, *l. 9. ff. de Quæst.* Verùm cùm hodie servitus propriè dicta inter Christianos sublata sit, non est operæ pretium hæc copiosius tractare.

Quærunt autem hoc loco DD. utrum Religiosi & Mo- 11
nachi, cùm ex aliquorum sententia servis æquiparentur, possint esse testes idonei in judicio? Negant nonnulli apud Mascard. *de probat. vol. 1. conclus.* 260. *n. 1.* Sed affirmativa proculdubio verissima est: etenim testimonium dicere *juris* est *prohibitorii*, & omninò naturali Jure concessum, quibus non est specialiter Jure positivo prohibitum, nullus autem est locus, in quo id Religiosis reperiatur prohibitum, ergo. Imò *in c. nuper 14. hoc tit. in c. veritatis 8. de Dolo & contum. & in c. etsi Christus 26. de Jurejurando*, & pluribus aliis locis, Religiosi in testes admis-

admissi sunt: quamvis interim Religiosus sine prævio Prælati consensu testimonium dicere utique non debeat, si tamen de facto sine Abbatis licentia dixisset, valere tale testimonium, utpote nullibi prohibitum, censet Panor. *in c. cùm nuncius* 12. *h. t. n.* 4. & Maschard. *d. loc. num.* 13.

12 Cæterùm quod attinet ad similitudinem inter Monachum & servum, ille nimis claudicat & Acatholicorum potissimùm Jurisconsultorum est, non satis intelligentium Canones. Nam servus nullo respectu quid proprium habet, sed quidquid acquirit, Domino acquirit etiam ignoranti & invito. Monachus quamvis ex sua particulari persona nihil proprium habeat, ea tamen, quæ toti Monasterio, etiam ipsi jure identitatis, quatenus in corpore Monasterii esse habet, sunt propria. Servus ne quidem cum consensu Domini potest muneta publica vel judicialia obire; Religiosus autem cum consensu sui Prælati potest esse Procurator in judicio, Advocatus imò & Judex, ut superiùs Lib. I. tit. *de Officio Vicarii*, & in tit. *de postulando, & de Procuratoribus* dictum, plures ejusmodi disparitates vel parum cogitanti occurrunt.

13 *Secunda* exceptio est, quæ opponitur *pupillis seu impuberibus*, quòd ob lubricitatem ingenii testimonium ferre nequeant, *l. 3. §. lege Julia* 5. *ff. h. t.* Sed nunquid saltem post pubertatem testari poterunt de iis, quæ in impubertate viderunt, vel audiverunt? Respond. Cùm experientia constet, puberes eorum omnium optimè reminisci, quæ post infantiam audiverunt, vel viderunt, nimirùm quæ ipsis præsentibus post septimum suæ ætatis annum facta sunt, etiamsi tunc fortè non intellexerint, quid reverà inter alios ageretur, ideò non est inconveniens, ut de iis rebus post pubertatem testari permittantur. Quia tamen etiam econtra facilè contingere potuit, quòd impubes propter suam inadvertentiam rem non rectè perceperit, propterea si de illa post pubertatem deponat, Judicis arbitrio relinquendum censeo, quantam fidem ejus depositio mereatur: quod inde judicabitur, an verisimilia dicat, an omnium circumstantiarum perfectè meminerit, an ad interrogatoria adversarii congruè respondeatur. Videatur Farin. *de Testib. qu.* 85. *num.* 53. *& seqq.*

14 *Tertiò* testes idonei non sunt *infames dict. l. 3. §. 5. ff. hoc tit.* Sunt autem alii infames *infamia juris*, quos jus ipsum infames esse decernit, & declarat, iique vel ipso facto infamiam incurrunt, vel primùm sententiam Judicis. Ipso facto infamiam incurrunt, exercentes lenocinia, histriones, qui quæstus causa in scenam prodeunt &c. (nisi minorennes sint, *L. si fratres* 21. *Cod. ex quib. caus. infamia irrogatur*) deprehensi in adulterio, contrahentes incestuosas nuptias, polygami, violatores sepulchrorum, & olim etiam nubens intra annum luctus: quod tamen de Jure Canonico correctum est juxta communem sententiam in *cap. penult. & fin. extra de Secund. nupt.* Per sententiam Judicis infames fiunt, damnati publico judicio, e. g. læsæ Majestatis, de raptu, de adulterio, de homicidio, &c., & etiam damnatus furti, injuriarum, & doli, item damnatus ex actione *depositi, mandati, pro socio & tutela*, modò propter dolum condemnatio fiat, prout hac de re videri poterit totus tit. *ff. de his qui, notatur infamia*, & tit. *Cod. Ex quib. caus. infamia irrogatur*.

15 Alii sunt infames *infamia facti*, & dicuntur illi, qui quidem ab ipso jure expressè nulla infamia notantur, sed tamen aliquid tale perpetrarunt, propter quod eorum opinio & exstimatio apud probos & honestos viros gravatur. Unde is, in quem Judex per interlocutoriam graviter invectus fuerit, vel filius, quem pater in testamento tanquam malum increpaverit, infamia facti notatur, *l. ob hac verba* 20. *ff. & l. ea, quæ* 13. *& l. interlocutio* 19. *Cod. jam d. tit.* ac, ut fallor, omnia illa delicta, ex quibus per sententiam irrogatur infamia Juris, ante sententiam faciunt delinquentem infamem *infamia facti*: quia non potest contingere, ut aliquis per sententiam fiat infamis *infamia juris*, quin ante sententiam, si de delicto constet, ejus opinio apud honestos viros gravetur.

16 Porro hic controvertunt, an etiam infames infamia facti à dicendo testimonio repellantur? Probabilior mihi videtur illorum sententia, qui infames infamia facti in criminalibus causis excludunt, in civilibus autem admittunt, ita enim non obscurè colligitur ex *cap. testimonium* 54. *h. t.* & tenet Panor. *ibid. n.* 6.

Quartò denique non sunt testes idonei, vel saltem omni exceptione majores homines inopes, mendici, vel qui aliàs sunt vilis, & abjectæ conditionis, propter periculum, ut mihi videtur, corruptionis, & subornationis, quia ejusmodi personæ pro pecunia facilè suam conscientiam venalem exponunt; attamen hæc præsumptio & suspicio per contrarias præsumptiones elidi potest, proinde, si judex perspexerit hominem non satis locupletem, cæteroquin esse bonæ & integræ existimationis, ex solo capite inopiæ eum rejicere non debet: sicut & generaliter, quinam dicantur testes viles, arbitrio Judicis relinquitur, ut censet Julius Clarus *L. 5. sentent. q.* 24. *n.* 25. 17

CLASSIS II.

Quæ testem repellant respectu certarum personarum.

SUMMARIA.

18 *Inimicus contra inimicum testificari non potest.*
19 *Nec libertus contra patronum.*
20 *Nec Judæi, pagani, hæretici contra fideles.*
21 *Forma jurandi Judæis testificantibus præscripta.*
22 *Advocati, Tutores, Curatores contra suos clientes testificari prohibentur.*
23 *Item conjuges contra se invicem, & parentes contra liberos.*
24 *Parentes & liberi pro se invicem testificari nequeunt.*
25 *Ut & alii consanguinei vel affines: qui tamen non ex toto repelluntur.*
26 *Præsertim autem in causa matrimoniali parentes & consanguinei admittuntur.*
27 *Et in causa defensionis: ubi tamen non sunt testes omni exceptione majores.*
28 *Testimonium domesticum quomodo prohibeatur.*
29 *Subditi quomodo pro domino possint ferre testimonium.*
30 *Testes domestici sunt idonei, quando agitur de rebus domi gestis, de quibus alii non habent notitiam.*
31 *Amicus pro amico testis idoneus non est: erit tamen in arbitrio Judicis eum admittere.*

Quidam testes repelluntur quòd contra: & quidam quòd pro certis personis testimonium ferre nequeant. In priori numero refertur I. inimicus, quòd contra suum inimicum testimonium dicere non possit, *leg. 3. in princ. ff. h. t.* Non tamen quævis inimicitia, levis, aut suspicio inimicitiæ sufficit, sed debet esse inimicitia gravis, ut prudenter timeri possit, ne talis testis postposita religione juramenti ex appetitu vindictæ falsum dicat. Quænam verò dicatur gravis inimicitia, Judex arbitrari debet ex causa & circumstantiis personæ. 18

II. Libertus prohibetur testimonium dicere contra patronum, *d. leg. 3. §. leg. Julia 5. in princip.* Quod DD. extendunt à paritate rationis, ut nec Vasallus contra dominum, nisi vel dominis consentientibus, vel Judice propter defectum aliarum probationum cogente, pro testimonio adduci possit. Videatur Far. *de Testib. quæst.* 55. *num.* 181. 19

III. Judæi, pagani, hæretici non sunt testes idonei contra Christianos & Orthodoxos, *c. non potest* 24. *& c. pagani*, 25. *causa* 2. *quæst. l. quoniam* 21. *Cod. de Hæret.* Quod tamen DD. intelligunt, si Judæus contra Christianum litem habeat, & pro se vellet adducere alium Judæum: si verò Christianus contra Christianum litiget, & unus vellet Judæum in testem adhibere, admittendum esse censent, quia in tali casu ratio odii respectu utriusque litigantis æqualiter militat. Vai. *hoc tit. §. 3. num* 17. Sed ego puto, Judæum rarissimè esse testem idoneum, etiamsi lis inter Christianum & Christianum vertatur; cum plerumque sint homines viles, perfidi, 20

fidi, pecuniis avidissimè inhiantes, & consequenter ta-
21 les, qui facillimo negotio corrumpi possunt. Nullo modo autem creditur Judæo, nisi priùs juramentum secundùm suam Religionem præstiterit, sicut videri potest Ordinatio Cameræ Imperialis *anno* 1538. ubi forma & modus jurandi Judæis præscribitur.

22 IV. Ex multorum sententia testimonium dicere prohibentur patroni causarum seu Advocati contra suos clientes per text. *in l. ff. de Testib.* cùm enim quilibet cliens patrono suo litis suæ secreta communicet, videtur indignum, & rationi minùs consentaneum, ut patronus in eadem causa contra fidem priùs datam adversus suum clientem testificetur. Ex eadem ratione etiam tutorem vel curatorem contra suum pupillum, vel minorem censent ad testimonium admitti non debere, si controversia dependeat ex illis rebus, quarum notitiam tutor, quatenus tutor, acquisivit, *d. l. fin.* Cùm enim in favorem pupillorum introductum sit, ut res eorum per tutores diligentiùs inspiciantur, sanè id non debet in ipsorum odium retorqueri.

23 V. Conjunges adversus se invicem testari permittendi non sunt, ne concordia conjugalis lædatur, & inde plurima mala in matrimonio sequantur. Farin. *de Test. qu.* 54. *n.* 219.

VI. Demùm neque parentes admittendi sunt, ut contra liberos suos testentur, tametsi causa inter ipsos liberos suos versetur, ne liberi in odium parentum excitentur, si intelligant ex parentum depositione ex causa cecidisse. Proinde si lis fuerit inter liberos, officium parentum est, eos vel sua authoritate compescere, vel inter se amicabiliter componere, *leg. parentes 6. Cod. h. t.*

24 Hactenus de iis actum est, qui contra certas personas testificari non possunt. Inter eos, qui pro certis personis testificari non possunt, sunt parentes, & liberi, qui pro se invicem testimonium ferre non possunt propter nimiam affectionem, quæ inter eos præsumitur, unde eorum testatio suspecta redditur.

II. Propter eandem causam affectionis non sunt testes idonei reliqui consanguinei, & affines, *d. l. 3. ff. h. t. & c. consanguinei 1. causa 3. q. 5.*

25 Verùm communiter docent Interpretes, quòd consanguineus vel affinis non sit ex toto repellendus, sed audiendus, & Judicis arbitrio relinquendum, quantam fidem ejus depositio mereatur. Etenim si causa non sit nimis ardua, & testis cæteroquin sit integræ opinionis, non est verisimile, quòd propter solam affectionem erga consanguineum velit perjurium committere. Deinde si aliqua controversia plura capitula contineat, & consanguineus vel affinis non dubitet circa unum capitulum contra consanguineum deponere, testimonium ipsius videtur minùs suspectum, etiamsi in alio capitulo deposuerit pro consanguineo.

26 Item in causa matrimoniali, si quæratur de consanguinitate desponsatorum vel conjugum, super hoc articulo rectè parentes, vel alii consanguinei testari possunt: quia ipsi censentur, habere optimam notitiam suæ genealogiæ, neque est verisimile, ipsos incestas nuptias in sua familia toleraturos, *c. super 3. hoc tit. & cap. videtur nobis 22. Qui matrim. accusare possunt.* Rursus non repellitur consanguineus, si non producatur in præjudicium alterius, sed tantùm ad defensionem & probationem innocentiæ, e. g. si homicida vellet probare per consanguineos, homicidium causa defensionis factum esse: nam favore defensionis qualescunque testes admittuntur teste Julio Claro *Lib. 5. sentent. qu. 24. numer.* 20. In Judicis tamen erit arbitrio discernere, quanta fides talibus
27 testimoniis extraordinariis sit habenda. Tandem licèt consanguinei non sint testes omni exceptione majores, nihilominus, quod ipsis deest, per alia adminicula suppleri potest, e. g. Si unus testis extraneus & duo consanguinei pro eodem deponant, si fama vel aliæ graves conjecturæ concurrant, arg. text. *in sæpè d. l. 3. §. 2. ff. de Testibus.*

28 III. Nemo potest pro se testes domesticos, seu ex sua domo producere, *l. penult. ff. hoc tit. & l. 3. Cod. eod.* Et quidem si tales sint domestici, quibus imperari potest, ut testes fiant, nimirum filii vel servi, illi omninò admittendi non sunt: si autem sint quidem de domo producentis, sed non ejus potestati subjecti, tunc licèt respectum aliquem ad ipsum habeant, ut Inquilini, Coloni, Mercenarii & similes, sunt tamen ad testimonium ferendum admittendi, saltem ut testes non omni exceptione majores, sicut mox de consanguineis diximus. Panorm. *in c.*
litteris 24. h. t. n. 5. Imò communis, & in praxi recepta est 29
sententia, quòd subditi alicujus domini possint pro ipso testimonium dicere, modo duo concurrant: nimirùm ut priùs ipsis per dominum relaxetur juramentum subjectionis quoad præsentem actum: & quòd non agatur de particulari & proprio commodo subditorum, quia multæ
causæ possunt emergere circa jurisdictionalia & alia, in 30
quibus domini alios quàm subditos producere non possunt; sicut ita etiam generaliter testes domestici idonei sunt, quando agitur de iis rebus, quæ in domo gestæ dicuntur, & quæ in aliorum notitiam non devenerunt. Menoch. *de Arbitrar. Jud. lib.* 1. *q.* 73.

IV. Amicus pro amico regulariter testimonium ido- 31
neum ferre non potest, *d. l. 3. ff. de Testib.* etenim humanum judicium non minùs amore, quàm odio pervertitur, teste S. Gregor. *in c. quatuor 78. causa 11. q. 3.* Et judicia hominum ita passim corrupta sunt, ut sibi persuadeant, hoc demum amicitiæ proprium esse, ut amicis suis in qualibet re etiam cum injuria alterius gratificentur: cùm tamen teste Cicerone *prima* sit *Lex* amicitiæ, *ne quid turpe rogemus, vel rogati perpetremus.* Attamen non statim ex solo prætextu amicitiæ testis rejiciendus erit, sed etiam hic Judex per suam cognitionem explorabit, quanta fides pro majore vel minore amicitia, & personæ qualitate adhibenda sit: nam si testis sit homo plebejus, vel in depositione pro suo amico nimis verbosus & fervidus, vel si interrogatus respondeat, se malle victoriam producenti, quàm adversario optare, utique ipsis testimonium suspectum, vel etiam planè inutile redditur. Mascard. *de Probat. vol. 1. concl.* 86.

C L A S S I S III.

Exceptiones contra testes respectu certarum causarum.

S U M M A R I A.

32 *In causis sanguinis Clerici & Religiosi testificari non possunt contra reum, sed bene pro reo.*

33 *Laicus contra Clericum in causa criminali Ecclesiastica non admittitur: nisi fortè alii testes haberi non possint.*

34 *In causa criminali minor 20. annis non est testis idoneus.*

35 *Nec fœmina in tali causa: secus est in causa civili. Quæ distinctio etiam de Jure Civili procedit.*

36 *Nemo potest esse testis in causa propria: benè tamen de facto proprio.*

37 *An aliquis de Collegio vel Universitate in causa istius testis esse possit?*

38 *Clerici & Religiosi in causa sua Ecclesiæ testes esse possunt, etsi commodum in singulo redundet.*

39 *Sed hoc procedit deficientibus aliis testibus.*

40 *Cur testes de Universitate pro causa communi admittantur?*

41 *Testes aliàs minùs idonei, si contra producentem deponant, repelli ab eo non possunt.*

I. IN causis criminali Clerici & Religiosi non sunt te- 32
stes idonei, si agatur de pœna sanguinis irroganda; nam Ecclesiastici propter irregularitatem non debent se in causis sanguinis immiscere. Verùm hoc intelligendum est, si Clerici testimonium contra reum dicere vellent. Pro reo autem ad ostendendam ejus innocentiam non est dubium, quin testes sint omni exceptione majores; Imò opus pium & Clerico dignum est, si per veritatem possit insontem à supplicio liberare. Farin. *de Testib. q.* 61. *numer.* 52.

II. Laicus contra Clericum in causa criminali *cri-* 33
minaliter intentata testis esse nequit, *cap. de cætero 14. hoc tit.* quòd intelligitur, si agatur de pœna criminali Ecclesiastica. Secus est, ubi traditio fit Judici sæculari.

Dixi

Dixi autem, *criminaliter intentata*; ut procedat, si actio per modum accusationis criminaliter ad vindictam publicam intenteretur. Secus autem erit, si tantùm ex crimine agatur civiliter ad damnum resarciendum. *cap. tam litteris 33. h. t.*

Deinde procedit hæc conclusio in casu, quo Clerici haberi possunt, qui facti notitiam habent; quòd si autem e. g. Parochus solitariè in villa habitans delinquat, etiam Laicos admittendos esse in testes, ne delicta maneant impunita, docet Abbas *in d. c. de cætero n.3.*

34 III. In eadem causa criminali minor viginti annis non potest in testem adhiberi. *l. in testimonium* 20. *h. t.* idque nonnulli existimant, etiam extendendum esse ad causas civiles valdè magni momenti, quæ propter gravitatem in multis æquiparantur criminalibus.

35 IV. Fœminæ in causis criminalibus criminaliter ad vindictam publicam intentatis non possunt esse testes: quia varium & mutabile testimonium fœminæ producere solent, ut text. est *in c. forus* 10. *de Verbor. signif.* Imò non desunt, qui de Jure Canonico censeant, fœminam non tantùm in criminalibus, sed etiam civilibus causis excludendam esse, propter generalitatem textus *in cap. mulierem* 17. *causa* 33. *q.* 5. attamen quia *in c.3. h. t.* & alibi sæpiùs fœmina pro teste admittitur, ad conciliandos textus rectiùs inter causas criminales & civiles distinguendum erit cum Panorm. *in d.c.3. num.3.* Rursus quamvis aliqui sentiant, de jure civili mulierem in quibuscunque causis (excepto testamento) posse testem esse, eò quòd *in l. ex eo* 18. *ff. eod. tit.* absolutè dicatur mulierem testimonium dicendi jus habere: mihi tamen probabilius videtur, quòd hac in parte Jus Civile per Canonicum declaretur, atque etiam de Jure Civili fœmina in causa criminali, ubi probationes perfectissimæ requiruntur, non sit testis omni exceptione major, hoc ipso, quòd experientia constet, & jus Canonicum apertè exprimat, & præsumat mulieris testimonium esse varium & inconstans.

36 V. Nemo est testis idoneus in causa propria. *l. nullus* 10. *ff. h. t.* Dicitur aliquis testari in causa propria, si ex victoria producentis sive ex sua depositione utilitatem quandam consequatur, etiam secundariò tantùm & in consequentiam. *c. statutum* 38. *causa* 2. *q.* 6. Panorm. *in c. Ut Ecclesiastica beneficia sine diminut. confer.* De facto autem proprio ad utilitatem tertii sine interesse proprio non tantùm deponere licet, verùm etiam unus talis testis de facto proprio deponens ordinariè plenam fidem facit e. g. si tutor ad evitandas pœnas non confecti inventarii producat notarium, qui testetur se ipsum ad instantiam tutoris inventarium fecisse. Imò licet testis aliàs sit persona vilis, cui de cætero nullas fides haberetur, si tamen de facto proprio deponat, & non agatur de illius commodo, saltem semiplenè probabit, arg. *l. quæro* 58. *§. fin. ff. de Ædilit. edicto.* Menoch. *de Arbitr. judic. lib.2. cas.* 99. *n.* 8.

37 Celebris est controversia, an si lis inter aliquod Collegium vel Universitatem & aliquem extraneum super re ad Universitatem pertinente, possit Universitas testes pro se ex suo corpore producere? Pro negativa facit, quòd tales testes videantur in causa propria procedere & deponere, cùm ea, quæ ad Universitatem, suo modo etiam

38 ad illos, qui sunt de Universitate pertineant. Econtra pro affirmativa adduci potest *c. insuper* 6. *& c. cùm nuntius* 12. *h. t. & c. etsi Christus* 15. *in fin. de Jurejurando*; in quibus apertè declaretur, quòd Clerici & Religiosi in causis suæ Ecclesiæ vel Monasterii possint testimonium ferre, illa tantummodo exceptis, qui in tali casu tanquam Procuratores ad agendum vel respondendum destinantur. In hac difficultate communis est distinctio, an omnes, qui sunt de Universitate directè sentiant aliquod commodum ex causa Universitatis (sicut fit, quando agitur de communibus pascuis Universitatis, in quibus possunt singuli sua armenta pascere) vel an indirectè tantùm & in consequentiam singulis de Universitate aliquod commodum indivisim obveniat, ut si agatur de Jurisdictione Universitatis? Priori casu censent testes de Universitate non esse admittendos, quia viderentur in causa propria testari. In altero casu statuunt, testes de Universitate audiri debere, quia talis causa minùs ad singulos pertinere intelligitur: sed tamen pro qualitate causæ & personarum Judicis arbitrio relinquendum, quantam fidem mereantur. Vid. Panorm. *in d. c. insuper n.2. & seqq.* Verùm ego credo Clericos & Religiosos posse testari in causa suæ Ecclesiæ, quamvis inde singuli aliquod commodum sentiant; tum propter statum Religionis, quem non præsumunt ita facilè perjurio violare; tum ne inopia probationis damnificentur Ecclesiæ, quarum bonis plurimi insidiantur; tum denique quia non potuit Papam latere, quòd victoria in causis Ecclesiæ redundet in Clericos & Religiosos, qui ex bonis Ecclesiæ aluntur, & nihilominùs decrevit eos non esse à testimonio repellendos.

Sed nunquid Clerici tantùm in defectum aliorum te- 39
stium indifferenter admittendi erunt? Probabilius mihi videbitur cum Speculatore, *h. t. §. 1.* contra Panor. *in d. c. insuper*, tantùm deficientibus aliis testibus Clericos & Religiosos esse admittendos, ne defectu probationum supprimantur, sicut id apertè probat text. *in c. etsi Christus* 26. *in fine de Jurejurando*: cui sanè absque divinatione responderi non potest. Enimverò, quòd testes de Uni- 40
versitate admittantur in causa Universitatis contra generalem regulam, *ut nemo in causa propria testatur*, illa potissimum est ratio, quòd plerumque homines extranei rerum ad Universitatem pertinentium notitia non habeant: quæ ratio cessat, si tales extranei certam notitiam habentes adesse supponatur.

Postremò ad hunc §. adnotata, quòd si aliquis testes mi- 41
nùs idoneos per se produxerit, & illi præter spem contra ipsum producentem deposuerint, vel in alia causa aut articulo ab adversario contra ipsum producti fuerint, non poterunt à primo producente ampliùs repelli, utpote à quo per suam productionem probari censentur. Audietur tamen primus producens si velet talem exceptionem allegare, quam dicat ex post facto primùm sibi innotuisse. Item si vellit non contra personas, sed contra dicta testium (e. g. quod absque ratione scientiæ, extra articulum, vel sibi contraria deposuerint) excipere. *l. si quis* 17. *C. h. t.* Mynsing. *Cent. observ.3.*

---

§. III.

De Juramento, Interogatoriis, Examine Testium.

SUMMARIA.

42 *De Jure omne testes ante depositionem jurare debent: potest tamen à partibus juramentum remitti.*

43 *De consuetudine illustres, & in dignitate constituta persona non jurant.*

44 *Reprobatur consuetudo, qua universim testibus sine juramento creditur.*

45 *Interrogatoria quænam generalia testium, quæ specialia?*

46 *Quomodo instituendum sit examen testium.*

SI de puncto juris loquamur, inter omnes convenit, te- 42
stem antequam deponat, debere præstare juramentum de veritate dicenda; quòd in Cancellariis sub certa forma habetur, & *juramentum testium* dicitur, neque aliàs cujuscunque authoritatis sit, fidem habendam esse. *c. quoties* 5. *& c. licèt vers. testes h. t. l. juris jurandi* 9. *C. eod.* Interim tamen hoc juramentum etiam de jure à partibus testi præsertim egregio, illustri, aut Religioso remitti poterit, quia ipsarum partium favorem principaliter respicit, per text. in *c. tuis q.* 39. *& ibi Glos. in V. remittatur. h. t.*

Imò multarum Provinciarum usu & consuetudine in- 43
troductum est, ut personæ illustres, & in dignitate constitutæ sine juramento solum sub fide nobilitatis, vel status sui deponant, & depositionem in scriptis clausam, suoque sigillo munitam Judici transmittant, teste Andrea Gail. *Lib.1. Obs.17. n.14.* ubi *n.13.* docet, reprobandam 44
esse consuetudinem, de qua omnibus testibus indifferentes sine juramento creditur: quia talis consuetudo esset irrationabilis & multis calumniatoribus, ac corruptoribus testium ansam præberet.

Quando testis producens suos articulos judici obtulit, super quibus eos audiri rogat, usus judiciorum obtinuit, ut illi ipsi articuli parti adversæ communicentur, quæ su-

per

per singulis certa interrogatoria per se, aut advocatum suum conficere debet, ad eum finem, ut appareat, an te-
45 stis legitimus sit, & an veram rei notitiam habeat; sunt verò *interrogatoria* alia generalia, alia specialia. Generalia sunt. I. Testis quo nomine vocetur? II. Cujus sit ætatis? III. Cujus conditionis? IV. an conjunctus producenti? V. an inimicus parti adversæ? VI. an non subornatus aut instructus? VII. An in causa controversa aliquod interesse habeat? VIII. An non testes convenerint inter se quid dicera velint? IX. Utrum parti optet victoriam? Specialia *interrogatoria* sunt, quæ ex facto controverso ejusque circumstantiis dasumuntur, ita enim interrogatur testis de causâ scientiæ, de tempore, visu, auditu, credulitate & similibus. Text. & Gloss. *in cap. cum causam 37. h. t.* De quibus *§. seq.* plura dicemus.

46 *Examen* testium regulariter in loco judicii per ipsum judicem, aut per ipsius Commissarium die non feriato instituendum est, & nisi necessitas aliud exposcat, ante prandium, dum testes adhuc moraliter jejuni & meliùs sibi præsentes sunt. Suting. *obs. 54. & seqq.* In ipso examine testis super singulis *articulis & interrogatoriis* examinari, ejusque dicta, quantùm etiam ad verba formalia fieri potest, protocollari debent. Quòd si pars neglexerit *interrogatoria* ponere, ipsa judex vel examinator quædam magis necessaria præsertim generalia, & causam concernentia faciet. Post finitum examen testi silentium imponitur, ne cuiquam suam depositionem revelet. Imò in quibusdam locis ad ipsum in forma juramenti continetur ad evitandum periculum, ne testes inter se colludant & pariformiter omnes deponant. Quandoque etiam testis antequam egrediatur locum examinis, petit, ut sibi sua dicta per notorium prælegantur, partim ut vidat, an rectè intellectus sit, partim etiam, ut possit se corrigere, si fortè super aliquo *articulo* aut *interrogatorio* præcipitantiùs aut minùs consideratè responderit, quòd licere ei text. est in *c. præterea 7. de Testibus cogend.* & tenet Rot. Romana apud Farin. *in dec. crimin. & testium dec. 41.*

---

§. IV.

De Publicatione Attestationum & Exceptionibus contra dicta testium.

SUMMARIA.

47 *Possunt plures productiones testium ante publicationem fieri.*
48 *Quomodo fiat publicatio testium: ejusque effectus est, quòd non detur ulterior productio super iisdem vel contrariis articulis.*
49 *De Jure Canonico neque in secunda instantia.*
50 *Ex justis causis, & in causis quæ non transeunt in rem judicatam, post publicationem testes repeti possunt.*
51 *Post publicationem regulariter de jure non admittuntur exceptiones contra personas testium: nisi expressè sint reservata.*
52 *Admittuntur autem exceptiones contra dicta testium, & quænam illæ sint?*
53 *Testis de credulitate deponens quando probet.*
54 *Testis de auditu alieno non probat regulariter, nisi in factis antiquis, & in matrimonio ex causa consanguinitatis separando.*
55 *Testibus in verisimilia deponentibus, variantibus, contrariantibus sibi non creditur.*
56 *Quid si testis depositionem judicialem postea ex intervallo revocet?*
57 *Testes singulares plenè non probant.*
58 *Quibus casibus uni testi credatur.*

47 POstquam examen singulorum testium absolutum est, id de jure partibus judex significat, interrogando, an ulteriùs alios testes producere cogitent, vel *publicationem* petant; nam petenti secunda & tertia productio testium ante factam publicationem concedenda est, imò & quarta, si velit *juramentum* præstare, quòd non animo calumniandi quartam productionem testium petat, nec didicerit, quid priores testes deposuerint *cap. ultra tertiam 55. h. t.* Si verò partes ulteriori testium productioni renuncient, *publicatio* attestationum à productis testibus factarum hoc modo fiet, ut utrique parti in scriptis communicetur, quid singuli testes ad singula puncta responderint. Hujus verò *publicationis* potissimus effectus 48
est, quòd amplius non liceat alios, vel eosdem testes producere super iisdem, vel contrariis articulis, tum quòd partes ulteriori productioni per admissam *publicationem* renunciasse censeantur: tum propter periculum, ne aliqui testes subornentur, si partes ex publicatione intelligant, priores non secundùm expectationem suam deposuisse. *c. Fraternitatis 17. & ibi DD. h. tit.* Et quamvis de jure civili secundùm communem opinionem saltem in causa appellationis admittantur novi testes, per *L. eos* 49
qui 6. §. 1. & 2. Cod. de Appellationibus, de jure tamen Canonico neque in secunda instantia admitti debere, eò quòd & ibi periculum subornationis sic constitutum est in *Clem. 2. hoc tit.*

Verùm potest quandoque justa aliqua causa interve- 50
nire, ut etiam publicatis attestationibus iidem, vel alii testes de novo examinentur, nimirùm si propter negligentiam judicis vel Commissarii, sive interrogatorii, vel aliunde non sufficienter testes sint examinati, vel eorum depositiones sint amissæ, aut judex ex officio pro meliori sua informatione eos repetere velit. Item probabiliter in causis matrimonialibus, & aliis, quæ non transeunt in rem judicatam, sicut in causis criminalibus ad defendendam rei innocentiam licat de novo testes etiam post *publicationem* factam producere. Videatur Panorm. *in d. c. Fraternitatis n. 4.*

Præterea post publicationem factam non licet amplius 51
de jure contra personas testium excipera, nisi aliqua exceptio primùm post *publicationem* innotescat, vel excipiens præmisso *juramento malitiæ* possit aliquam rationabilem causam allegare, quare priùs contra personas non exceperit, vel denique nisi sibi exceptiones contra personas testium ab initio statim per protestationem usque post publicationem reservasset. *c. præsentium 31. hoc tit.*

Ratio autem, quòd regulariter post *publicationem* non liceat ampliùs contrà personam testis excipere, est, quia timetur, ne is contra quem testis deposuit, hoc ipso irritatus, malitiosè fingat causam suspicionis, aut exceptionis contra testem, & quia testis per admissionem ad examen & petitam publicationem videtur esse jam semel quoad suam personam approbatus. Igitur post *pu-* 52
blicationem solæ exceptiones contra dicta testium proponendæ sunt: cujusmodi exceptio est. I. Quod testis deponat absque *ratione scientiæ:* non enim sufficit, quòd testis aliquid simpliciter dicat, vel affirmativè vel negativè, sed insuper addere debet, unde hoc sciat, quod dicit, aliàs fidem non habebit. II. Quòd testis sit nimis verbosus, & deponat extra articulum: nam nimia verbositas facit testem suspectum de subornatione, vel magna affectione erga producentem, & cum testes tantum jurare soleant de *veritate dicenda* super *articulis & interrogatoriis*, Ideò si aliqua in iis non comprehensa dixerint, nullam fidem merentur tanquam circa illa non jurati. III. Quod testis non habeat scientiam, sed tantum *credulitatem articuli*.

Quamvis autem sola credulitas testis sine certa 53
scientia ordinariè nihil probet, si tamen testis graves suæ credulitatis causas allegare possit, facit saltem urgentes præsumptiones, quæ currentibus aliis adminiculis & probationibus in causa civili quandoque plenè probent. Abbas *in c. quoties 5. hoc tit. num. 6.* Item valet depositio ex *credulitate*, si artifex deponat ex peritia artis suæ, e. g. si chirurgus dicat, credo vel non credo vulnus esse lethale, IV. Quòd testis tantùm deponat *de auditu*. Enimverò nisi actus sit talis, qui per auditum rectè percipi posse, e. g. si quæratur quibus verbis formalibus duo inter se contraxerint, vel quia verbali injuria aliquis affectus sit, de cætero non probat testis, si tantùm de auditu alieno deponat; quòd scilicet ab aliis ita audiverit, nisi fortè articulus nominatim de fama publica fuerit conceptus. Verùm ab hac regula communiter excipiuntur facta antiqua, & ultra hominum ætatem remota, in quibus plerique censent etiam testes *de auditu* plenè probare, per text. *L. si arbiter 28. ff. de Probat. & L. in summa 2. §. idem Labeo 3. ff. de aqua pluvia arcenda.* Id quod etiam procedit, si de matrimonio pro-

ptet

pter consanguinitatem separando agatur, & testes producantur, qui dicunt, se à suis majoribus audivisse, illas personas, quæ de facto matrimonialiter contraxerunt, ex eodem sanguine descendere. Attamen in hoc casu intervenire debent omnia illa, quæ requirit *c. licet ex quadam* 47. *hoc tit.*

55 V. Quòd testis dicat *inverisimilia*, id est talia, quæ vel se ita habere, vel testis scire moraliter vix potest. v.g. si homicidium in tenebris factum sit, & testis dicat, quod ex visu homicidam optimè agnoverit. Quando autem in singulis factis testes censeantur *inverisimilia* deponere, judex ex particularibus circumstantiis pro sua prudentia æstimare debebit.

VI. Quòd testis vacillet, & variet, videlicet quòd factum jam hoc, jam alio modo, jam cum his, jam cum aliis circumstantiis narret, & tali testi varianti habetur etiam fides arbitrio judicis pro majore vel minore variatione.

VII. Quòd testis sit sibi contrarius. Dicitur autem sibi esse contrarius, si id, quod in una responsione affirmavit, in alia sine revocatione expressa & probabilis erroris allegatione neget: ut si in principio dixerit, se vidisse actum, de quo quæritur, & deinde per aliud interrogatorium quæsitus dicat, se tantùm audivisse ab aliis. Quòd si verò testis aliud dicat extra judicium, & aliud in judicio, utique propter juramentum & authoritatem judicis prævalebit depositio judicialis. Sed quid si testis ipsam depositio-
56 nem judicialem post intervallum expressè revocet, & fateatur, se falsum dixisse aut subornatum fuisse? Respond. Licet prima depositio per secundam non juratam & à teste perjuro factam totaliter revocari non possit, neque probari subornatio & corruptio per ipsum testem, qui dicit se corruptum deposuisse, cùm ostendat se esse perjurum & falsarium, cui credi non debet *c. sicut nobis* 9. *h. t.* juncto *c. testimonium* 54. *eodem tit.* interim tamen prima depositio per secundam redditur plurimùm suspecta, & judex ex circumstantiis, aliisque indiciis discernere debebit, an primæ vel secundæ depositioni major fides adhibenda sit Rota *apud Farin. in Decis. criminum & testium dec.* 219. *&* 163. Fach. *Controvers. lib. 9. c.* 84. *& seqq.*

57 VIII. Demum quòd testis sit *singularis*; dicitur autem testis singularis, si non habeat alium *contestem* circa illud ipsum numero factum, de quo deponit. Etenim unius testis depositio, cujuscunque authoritatis sit ille, regulariter tantùm semiplenam probationem facit, neque in ordine ad plenam probationem constituendam admitti debet. *l. 9. §. 5. Cod. hoc tit.* & quamvis *in cap. 4. hoc tit.* videatur dici, quòd principalis persona, quæ aliud affirmat, si habeat unum testem, plenè probet: id tamen rectè cum Gloss. DD. intelligunt procedere in causa denuntiationis, quæ fit ad correctionem alicujus delinquentis, ubi ipsius denunciantis nullum interesse vel commodum versatur. Dico autem *regulariter unum testem* non facere plenam probationem. Cæterum ab hac regula dantur
58 aliquot exceptiones. I. Si agatur de nullius præjudicio, e. g. si promovendus ad sacros Ordines non possit aliter suam ætatem probare, quàm per unum testem. II. Unus testis matrimonium necdum contractum sed primum contrahendum impedire potest, si deponat, desponsatos esse consanguineos, vel aliud impedimentum Canonicum habere. *c. super eo* 22. *hoc tit.* cùm enim res per depositionem unius testis reddatur dubia, in tali dubio tutiùs est abstinere à matrimonio, quam ut illud fortè nulliter contrahatur, ex post facto separetur & contrahentes periculo peccandi exponantur. III. Creditur artifici in sua arte judicium & censuram ferenti, siquidem in eo loco plures haberi non possint. IV. Creditur interpreti, qui inter duos diversæ linguæ homines negotium expedit, aut contractum facit. Text. & Gloss. *in l. 1. §. fin. ff. de Verb. obligat.* V. Creditur Nuntio aut Officiali jurato in his, quæ pertinent ad suum officium. VI. Denique si quis ab aliqua civitate vel communitate electus sit ad ponderandum vel mensurandum ei soli, circa justam ponderationem & mensurationem credendum est *l. 2. C. de Probat.*

TITULUS XXII.

De Fide Instrumentorum.

SUMMARIA.

1 *Instrumenta quid sint? suntque alia publica, alia privata.*
2 *Instrumentu authentica & publicu in effectu sunt idē.*
3 *Notarios creare possunt, præter summos Principes, & Comites Palatinos, etiam Principes inferiores & Episcopi.*
4 *Notarii publici Instrumentum ubique est publicum & authenticum,*
5 *Notarii summorum Principum auctoritate creati ubique possunt instrumenta conficere: secus de creatis ab inferioribus Principibus.*
6 *Creatus ab Episcopo non potest instrumenta conficere in temporalibus; & econtra.*
7 *Notarius ut legitimè conficiat instrumentum, debet esse rogatus, & notitiam rei habere per se.*
8 *Res de qua conficitur, debet esse in libera dispositione partium & dependens à voluntate humana.*
9 *Debita circumstantie negotii sunt in instrumente exprimenda.*
10 *Imperfecta instrumenti narratio non facit id ipso Jure nullum.*
11 *Pretium contractum non est necesse specifice in instrumento exprimere.*
12 *Item in antiquis solemnitates præsumuntur intervenisse: sed contra hanc præsumptionem admittitur probatio.*
13 *Enumerantur solemnitates ad formam instrumenti requisite.*
14 *Testes instrumenti non est necesse esse omni exceptione majores.*
15 *Qua authoritate solemnitates instrumenti introducta sint.*
16 *Instrumentis publicis accensentur acta Judicialia, seu Protocollum, si habeant debitu requisitu.*
17 *Et scriptura sigillo authentice munita, & que sigilla sint authenticu?*
18 *Quid requiritur, ut sigilla fidem faciant?*
19 *Scriptura in archivo publico reperta sunt instrumenta publica.*
20 *Quinam Jus archivi habeant, & quid ad archivum requiratur.*
21 *Quid sit de scripturis in Archivo Civitatum Monasteriorum, Dominorum Jura Regalium non habentium repertis.*
22 *Scriptura privata trium testium subscriptione munita publicis annumerantur.*
23 *Dispositio* L. Scripturas. C. Qui pot. in pign. *fundatur in præsumptione, & admittit probationem in contrarium.*

INstrumenta nihil aliud sunt, quàm illæ scripturæ, quæ ad causam instituendam & probandam à partibus adferuntur. Sunt autem *instrumenta* alia *publicu*, alia *privata*; *publicu* sunt, quæ authoritate publica confecta publicam fidem merentur, *privata* verò, quæ à privatis personis scripta plerumque tantum contra scribentem tacius pro ipso probationem faciunt.

---

§. I.

De Instrumentis publicis.

INterpretes in hac materia communiter quidem differentiam constituunt inter *instrumentu publicu* & *instrumentu authenticu*. *Publica* appellant, quæ confecta sunt per manum Tabellionis seu *Notarii* publici, cujus persona est publica, eique confectio instrumentorum ex officio incumbit. *Authentica* verò, quæ ex sola appensione sigilli alicujus Magistratus, vel personæ in dignitate constitutæ authoritatem habeant, juxta text. & Gloss. *in c. 2. h. t.* in effectu tamen parum interest, sed omnia illa *instru-*

men-

menta in genere *publica* censeri possunt, quorum ea est authoritas, ut propter modum, quò secundum leges & consuetudines facta sunt, *publicam*, adeoque fidem omnium mereantur, teste Mynsing. *in c. 1. h. t. n.* 2. Ut autem de singulis speciebus instrumentorum publicorum breviter aliquid dicam, sit hujus §.

SECTIO I.

De Instrumentis per Notarium publicum confectis.

3 Circa personam *Notarii* prænotandum, quòd is debeat esse legitimè, id est, ab aliquo habente potestatem creatus & constitutus. Habet autem hanc potestatem creandi *Notarios* in primis summus Pontifex & Imperator & qui ab illis eam potestatem per speciale privilegium acceperunt, uti sunt, qui *Comites Palatini* vocantur. Deinde etiam inferiores Principes jus creandi Notarios habent; Imò etiam Episcopi & alii domini Territoriorum, saltem in iis, quæ pertinent ad suam jurisdictionem, *Notarios* facere possunt. Speculator *in t. de Instrum. editione. §. restat. 8. n. 22. & ibi notata per Joan. Andr.*

4 Quæstio est multùm agitata, utrùm *Notarius* in uno loco creatus possit ubique terrarum *instrumenta* conficere. Vix potest esse dubium, quin *instrumentum* à *Notario* in uno loco confectum ubique publicum & authenticum haberi debeat, quemadmodùm contractus secundùm particulares Leges & consuetudines unius loci celebratus ubique legitimus reputatur: sed difficultas in eo est, an si e. g. *Notarius* in terris Imperii creatus veniat ad terras Pontificias vel è contra, possit ibidem facere instrumentum authenticum? Diversas DD. opiniones re-
5 fert Speculator. *d. loco a n. 23.* Ex quibus illorum videtur communior, qui distinguunt, inter summos & inferiores Principes. *Notarios* à summis Pontificibus creatos censent posse ubique instrumenta conficere, non vero creatos ab inferioribus: cùm inferiorum principum potestas magis restricta sit secundum terras & jurisdictiones. Verùm in hac quæstione ad consuetudinem locorum atten-
6 dendum esse monet Boetius *dec. 241. num. 3.* & in Camera Spirensi etiam *Notarios* Cæsareos recipi non debere, nisi priùs fuerint probati, & in matriculam illius Concistorii relati, statuitur in *Ordinatione Cameræ p. 1. d. 39.* Illud quoque est notabile, quod Speculator. *l. c. n. 26. & seq.* docet. videl. *Notarium* ab Episcopo in spiritualibus creatum non posse conficere *instrumenta* in temporalibus, neque creatum à domino sæculari in temporalibus, posse conficere in spiritualibus.

7 Rursus ad *instrumenti* valorem ex persona *Notarii* requiritur, ut sit rogatus à partibus secundùm Bald. *in rub. C. de Fide instr.* & Barth. *in auth. si quis in aliquo, n. 3. C. de edendo*, ideo stylus *Notariorum* est, ut in principio vel subscriptione *instrumenti* exprimant se fuisse rogatos. Deinde etiam requiritur, ut *Notarius* illius negotii, de quo *instrumentum* conficit, habeat scientiam & cognitionem per se, nec aliud debet scribere, quàm quod ipse vidit, vel audivit. Proinde etsi unus tantùm ex contrahentibus vel tertius pro suo interesse, vel hæres, aut Legatarius ex post facto vellet curare *instrumentum* confici super contractu, aut testimonio jam priùs facto, & *Notario* per testes vel alias probationes sufficienter constaret, verum esse, quod dicitur, e. g. matrimonium esse contractum, testimonium hoc vel illo modo factum esse, non tamen valeret *instrumentum* desuper confectum, quia *Notarius* debet per se scire, & interfuisse actui de quo testatur *Novell. 44. c. 1. & ibi Gotof. littera A.* Quod si verò non una tantùm sed utraque persona principalis suum contractum, vel ipse testator suum testamentum coram *Notario* quasi de novo repeteret, utique perinde haberi deberet, ac si *Notarius* tunc temporis interfuisset, quando contractus vel testamentum primitus factum est.

8 Ex parte materiæ ad valorem *instrumenti* desideratur, ut fiat super tali actu, qui dependeat à voluntate humana, id est à libera dispositione eorum, qui, *instrumentum* petunt, & nullam requirunt causæ cognitionem. Unde non valebit, si de eo *Notarius* ad meam petitionem attestetur, quòd res mihi commodata sine mea culpa perierit, quia cognitionem causæ interponere non ad *Notarium*, sed ad judicem spectat. Præterea ipse contractus, vel negotium, super quo *instrumentum* conficitur, debet clarè & exactè cum debitis circumstantiis & causis à *Notario* describi, neque enim creditur, si in *instrumento* afferatur aliquod factum, nisi illa etiam observata dicantur, sine quibus rectè fieri non potuit, e. g. in emptione justum pretium intervenisse, in transactione aliquid datum, aliquid 9
retentum esse: sicut nec testi creditur, nisi rationem sui dicti reddere, & rem debitis circumstantiis narrare possit, id quod tunc maximè locum habet, si de actuali numeratione pretii vel traditione rei in contractum deductæ quæratur, quæ per *instrumentum* minimè probantur, si tantùm in genere mentionem faciat, venditionem, vel transactionem inter partes celebratam esse: nam tales solemnitates extrinsecæ, & quasi ab ipso contractu separatæ cum merè in facto consistant, non præsumuntur, juxta communem DD. *in l. sciendum 30. ff. de Verb. oblig.* Attamen circa hoc punctum tres notabiles limitationes ponit And. Gaill. *Lib.* 10
2. obs. 13. & 71. I. dicit, *instrumentum* propter imperfectam narrationem non corruere ipso jure, sed parte excipiente, adeoque nisi pars contra tale *instrumentum* exceperit, videtur approbare & agnoscere inibi ea quæ scripta sunt. II. ex generali consuetudine Germaniæ, ait, satis probari numerationem pretii, si in genere de solutione vel satisfactione in *instrumento* mentio fiat, quamvis determinata quantitas in specie non exprimatur. Imò ipsi contrahentes quandoque certis de causis nolunt, ut alii sciant, pro quanto pretio inter se convenerint, propterea tantùm 11
curant in *instrumento* scribi, quòd pro aliqua summa pecuniæ alter alteri domum, e. g. vendiderit, eamque pecuniam venditor plenè susceperit. III. *Instrumento* antiquo credendum censet etiam quod alias necessarias solemnitates, quamvis tantùm ipse contractus in genere exprimatur, cum propter antiquitatem temporis & difficultatem probationis omnia præsumantur legitimè acta esse. Ita in specie docet, si in *instrumento* solùm dicatur, rem 12
ab Ecclesia esse venditam, seu alienatam, tunc post lapsum 30. annorum etiam præsumi consensum Capituli intervenisse, neque enim est verisimile Capitulum tanto tempore alienationem dissimulaturum fuisse, nisi suum consensum adhibuisset. Interim hanc præsumptionem ex diuturnitate temporis non esse *Juris & de Jure*, sed probationem admittere in contrarium si capitulum paratum sit demonstrare, nunquam suum consensum intervenisse, rectè monet idem Gail. *d. obs. 71. n. 12.*

Quod attinet ad formam seu solemnitatem *instrumen-* 13
torum publicorum sciendum est, requiri I. Ut præmittatur invocatio Divini Nominis his vel similibus verbis: *In nomine Domini Amen. In nomine SS. Trinitatis &c.* II. Præmittere oportet nomen Imperatoris vel etiam Pontificis, aut alterius Principis, si in eorum territoriis *instrumentum* conficiatur. III. *Instrumento* insertus esse debet annus, indictio, mensis, & dies, item etiam locus, non tantùm generalis, e. g. civitatis, sed insuper particularis, nimirùm domus ipsa, in quâ actus est celebratus, quæ solemnitates ea de causa ità fortè introductæ sunt, ut, si quando contingeret falsum *instrumentum* confici, fraus & dolus tantò facilius detegeretur; si is cujus interest, probare posset, se nunquàm in tali die & loco coram *Notario* comparuisse, vel absolutè nullum *instrumentum* in tali die vel loco factum esse. IV. Cuilibet *instrumento publico* interesse debent ad minimum duo testes, non tamen requiritur, ut sint rogati, vel manu propria se subscribant, dummodò eorum nomina per *No-* 14
tarium exprimantur; nec etiam requiritur, ut sint testes omni exceptione majores, quia testes per se inhabiles habilitantur ex ipsa acceptatione partium inter quas instrumentum conficitur, sicut ordinariè in potestate partium est (nisi specialiter de jure testes omni exceptione majores requirantur, ut in testamentis solemnibus) testem minùs idoneum recipere & approbare, ut *in t. præc.* sæpiùs insinuatum. Ultimò *Notarius* se manu propria subscribere debet; addendo, qua authoritate, an Cæsarea vel Pontificia sit *Notarius*; deinde etiam signum sui Notariatus apponet, puta certam aliquam imaginem vel figuram calamo depictam, aut per modum typi impressam. Et quamvis hoc signum non esset de substantia instrumenti, ut docet Abbas in *c. 1. hoc t. n. 3.* nihilominùs

con-

cõnsuetudo ita passim invaluit, ut *instrumentum* illo si-
gillo carens de falsitate suspectum habeatur.

15 Cæterùm licèt solemnitates hucusque recensitæ partim
desumptæ sint ex jure communi, præsertim *Novel.73.* par-
tim verò ex communi usu curiarum, extat tamen Consti-
tutio Maximiani I. Imperatoris *in Comitiis Coloniensibus
an.* 1512. promulgata, in qua prædictæ solemnitates in ne-
cessitatem legis traductæ videntur.

SECTIO II.

De aliis Instrumentis authenticis.

INter *instrumenta publica*, quæ publicam & omnium
16 fidem merentur, adhuc quatuor instrumentorum spe-
cies referuntur. I. *Acta judicialia*, seu *Protocollum*, &
liber ille atque scripturæ exinde desumptæ, ubi actiones
exceptiones, confessiones, probationes, appellationes par-
tium litigantium, item depositiones testium, interlocutio-
nes & sententiæ Judicis conscriptæ sunt *l. fi. C. de re judica-
ta*. Verùm ut his actibus judicialibus plena fides habea-
tur statutum est in *c. quoniam contra* 11. *de prob.* ut tam
àn *ordinario* judicio, quàm *extraordinario*, sive *delegato*
Judex semper adhibeat *Notarium* publicum, aut ejus lo-
co duos viros idoneos, qui fideliter universa judicii acta
conscribant.

II. *Instrumentis publicis* à plerisque adnumerantur scri-
17 pturæ, quando pro sui confirmatione *sigillum authenticum*
habent appressum, quamvis cæteroquin nulli testes sub-
scripti sint, nec aliquis *Notarius* tales scripturas confecè-
sit, per text. *in c. 2. h. t.* Communiter autem illa dicuntur
sigilla authentica, quæ a personis in dignitate constitutis
& magistratum habentibus apprimuntur. Non tamen
sufficit, ut nudum sigilium alicui scripturæ apponatur,
sed apponens debet se subscribere, vel in litteris expri-
mere, se apposuisse: nam sigilium sine subscriptione vide-
tur esse testis mutus, qui in judicio productus nihil loqui-
tur, & si soli sigilio plena fides haberatur facilè dolus
18 committi posset, si sigilium aliis litteris malitiosè detra-
ctum aliis affigeretur; Præterea ut sigillum aliquid probet
debet esse integrum & notum, non corruptum aut inco-
gnitum, *c. inter dilectos 6. h. t.* Quòd si tamen de nullius
præjudicio ageretur, etiam sigilla incognita fidem facere,
rectè docet Card. Tuscus *lit. S. concl.* 240. *n.* 13. e. g. satis
probabit Clericus peregrinus suos ordines, si sua formata
exhibeat, licet sigillum illis appressum parùm cognoscatur.

III. Inter *instrumenta publica* referuntur scripturæ à
19 quibuscunque demum confectæ ex *archivo publico* desum-
ptæ *auth. ad hac C. h. t.* Appellatur autem *archivum* locus,
in quo reconditæ sunt omnis generis scripturæ, quæ si po-
stea producantur, fidem faciunt, non tam ratione loci,
quàm respectu ejus, cujus authoritate scripturæ in *archi-
vum* relatæ sunt. Est enim communis DD. sententia jus
archivi tantummodò competere Prælatis Ecclesiasticis
majoribus, videlicet Episcopis, eorumque Superioribus
atque dominis temporalibus illis, qui in suis territoriis
exercent Jura Imperii & Regalium. Specialiter autem
20 requiritur, ut tale *archivum* sit sub custodia cujusdam of-
ficialis, quem antiqui *commentariensem* nõ *Cancellarium*
appellabant, qui simul in productione scripturæ attestari
debet, quod scriptura producta in *Archivo* seu *Cancella-
ria* inter alia *instrumenta authentica* reperta & fideliter as-
servata fuerint, sicut hac de re plura videri poterunt apud
Cardin. Tuscum *in lit. A concl.* 486. & Carolum Moli-
næum *in consuet. Paris. §. 8. n. 56. & seqq.*

Difficilis est quæstio, quid sit censendum de *Archivis*
21 Monasteriorum, Civitatum & personarum illustrium,
quibus nec Cancellarius, nec jura Regalium suffragan-
tur? Hanc difficultatem longe utilissimam resolvit quon-
dam Reverendissimus & amplissimus D. Gregorius
Sebyrensis Abbas, prius in hac Cathedra Professor meus
&c. Primò, inquit, quamvis scripturæ ex *archivis* inferio-
rum dominorum depromptæ ex titulo *archivi* nullam
authoritatem participent, nihilominùs libris Civitatum,
Monasteriorum, Nobilium, &c. quibus reditus, prædia,
jura, aut fines territorii descripti sunt, creditur in rebus
alienis, quando scilicet unus subditus reales libros alle-
gat, & producit contra alterum, vel etiam contra ipsum
dominum. Jason. *in l. admonendi 31 ff. de Jure jur. nu.* 137.
per l. census 10. *ff. de Prob.* Quòd si verò Monasterium, vel
domus territorialis vellet producere tales libros à se, vel
majoribus suis conscriptos pro se, & ad probanda sua jura,
regulariter talibus libris nõ crederetur per DD. modo ci-
tatos & textum generalem in *l. 7. C. de Prob.* ubi dicitur.
*exemplo perniciosum esse ut illi scriptura credatur, qua
aliquis sibi ipsi debitorem constituit; unde neq; fiscum, neq;
alium quemlibet ex suis annotationibus debitum probare
posse.* Quod maximè verum est, si talis civitas, vel Dominus
contra homines non subditos & extra territorium suum
existentes talibus scripturis uti velit, secundùm Bald. *in d.
l. 7. n. 5.* quia respectu extranei civitas vel respublica cense-
tur jure privatorum, & consequenter ejusmodi scripturæ
tanquam merè privatæ Contra subditum autem duabus sal-
tem casibus fidem facient, videlicet si tales libri communi-
ter pro authenticis habeantur, & in dubiis passim ad illos
recurratur ab ipsis subditis, item in factis antiquis & homi-
num memoriam excedentibus, teste Vvesemb. *dict. l.* &
Bald. *ib. n. 3.* quia priopre casu consuetudo dat authorita-
tem scripturæ, & in antiquis in universum propter diffi-
cultatem probationis leviores probationes acceptantur.

IV. Demùm etiam istæ scripturæ, quæ inter privatos 22
fiunt super contractibus; seu quacunq; causa, modò præter
principales etiam tres integræ opinionis testes se subscri-
bant, plenam fidem faciunt, & quasi publicæ habentur. I-
mò quantum ad hypothecam talibus scripturis speciale
privilegium est concessum, ut is qui per scripturam trium
testium subscriptione munitam sibi hypothecam consti-
tuit, præferatur illi qui tantùm in simplici chirographo id
ipsum fecit, quamvis hic prior tempore, ille posterior sit.
Text. & DD. *in l. script. 11 C. Qui potiores in pign.* Qua ta- 23
men in re notandum, quòd ex communi sententia cõstitu-
tio hujus *l. scripturas* quantum ad probationes hypothecæ
fundetur in præsumptione, quòd nimirùm is, qui in sim-
plici tantùm chirographo absq; testibus sibi hypothecam
constituit, potuerit facilè per fraudem seu collusionem
prioritatem temporis adscribere. Quia verò hæc præsum-
ptio non est *Juris & de Jure*, sed *Juris tantum*, ideò locus e-
rit probationi in contrarium, & priorem hypothecam in
simplici chirographo constituens, manutenebitur in sua
proprietate, si probare valeat se nihil dolo malo egi. Ita
tenet Rot. apud Farin. *in Decis. crim. & test. dec. 28. &* 120.

§. II.

De Instrumentis privatis.

SUMMARIA.

24 *Scriptura privata qua sint?*
25 *Scriptura privata plenè probant contra scribentem.*
26 *Alicubi etiam habent paratam executionem.*
27 *Contra chirographum mutui & datis, & quittantiam datur exceptio non numerata pecunia vel dotis.*
28 *Cur brevius tempus talis exceptionis datum creditoribus, quàm debitoribus.*
29 *Chartha biancha quid & quomodo probet.*
30 *Scriptura privata pro scribente nil probat. Fallit hac regula in rationibus tutorum, procuratorum &c.*
31 *Epistola acceptata ab eo, ad quem scripta est, probat pro scribente.*
32 *Libri mercatorum an pro ipsis probent?*
33 *Differentia inter rationes nummulariorum, vel argentariorum, & rationes mercatorum.*
34 *Ex aquitate & cõsuetudine libri mercatorum probant saltem semiplenè, & plenè cum juramento suppletorio: positis tamen quibusdam conditionibus.*

I*Nstrumenta privata* dicuntur illæ scripturæ quæ nec
manu *Notarii*, nec aliis prius recensitis solemnitatibus 24
accedentibus confectæ sunt, cujusmodi censentur priva-
ta chirographa, quibus creditum nos accepisse, vel apo-
chæ, quibus debitum nobis solutum esse fatemur; item
epistolæ, registra, rationes, schedulæ, aliæque annota-
tiones privatæ, de quibus omnibus.

Nota I. quòd *Scriptura privata* regulariter contra ip-
sum scribentem plenè probent, nisi aliis argumentis & 25
probationibus probari possit, erroneum, aut falsum esse,
quod

quod scripsit. Et quamvis confessio extrajudicialis absente adversario facta semiplenam tantùm probationem constituat, ut superiùs *in tit. de Confessis*. dictum, nihilominus alia ratio habenda est de confessione seu assertione scripta, quàm de oretenus tantùm probata & prolata: partim quòd scriptura semper loqui censeatur, & consequenter etiam in præsentia adversarii, si ad ejus manus deveniat; partim verò quòd cum majori deliberatione & cautela soleamus rem scribere, quàm loqui, *l. publica 26. §. fin. ff. Depositi l. generaliter 13. C. de non numerata pecun.* Panor. *in c. 2. h. t. n.* 10. imò etiam in quibusdam locis, sicut in Austria receptum est, quòd chirographa privata, in quibus aliquis confitetur se accepisse mutuum, ita efficaciter probent contra scribentem, ut statim *paratam executionem* habeant, id est, debitori seu scribenti per judicem injungatur solutio, nec audiatur ante solutionem factam, quamvis velit alias exceptiones (altioris indaginis nec in continenti probabiles) contra creditorem proponere, quòd ita consuetudine introductum credi potest, ut fides inter homines tantò accuratiùs servetur & custodiatur. Suting. *in Processu judiciario obs.* 11. & *obs.* 104. *n.* 2. His tamen addendum est, quòd chirographum vel alia *scriptura privata* non aliter plenè fidem faciat contra scribentem, quàm si non tantùm simpliciter confessionem debiti, sed insuper causam obligationis contineat, juxta text. & DD. *in c. si cautio 14. h. t.*

Nota II. si aliquis fateatur in chirographo privato, se accepisse pecuniam mutuam, quàm revera non accepit, competere ipsi aliquod juris beneficium, quòd dicitur exceptio *non numeratæ pecuniæ*, quàm exceptionem, si intra biennium à die dati chirographi opposuerit, omne onus probandi, numerationem pecuniæ factam esse, in adversarium transfert. In *dote* similiter constitutum est, ut marito intra biennium concedatur exceptio *non numeratæ dotis*, si confessus sit se accepisse dotem, quam non accepit, quia Sponsus propter affectionem erga Sponsam sæpiùs adducitur, ut ante dotis traditionem se eandem accepisse confiteatur. Videatur text. *in l. contractibus 14. in fin. C. de non numerata pecun.* Item quia nonnunquam contingit, quòd etiam creditores citiùs tradant *apocham* seu *quittantiam*, quàm debitoris solutionem receperint, ideò Jura etiam illius exceptionem *non numeratæ pecuniæ* dedere, ut debitor non obstante confessione creditoris teneatur probare solutionem à se factam esse. Verùm minori tempore datur hæc exceptio creditoribus quàm debitoribus: his enim per biennium competit ut dictum, illis autem non nisi per 30. dies. Diversitatis ratio hæc assignatur, quod debitor, si velit habere pecuniam mutuam debeat ad petitionem creditoris priùs dare chirographum, creditor autem per media judicialia possit debitorem etiam invitum compellere ad solvendum, magis proinde videbatur succurrendum debitori, qui citiùs porrexit chirographum quàm creditori. Fusiùs de hac materia agunt DD. *in Tit. Instit. de Litterarum obligatione*.

Nota III. quamvis communis praxis sit quòd debitor creditori, vel dominus Procuratori soleat dare cartam vacuam (quæ vulgò *carta bianca* dicitur) suo nomine & sigillo inferiori parte signatam, ut inibi creditor obligationem debitoris vel Procurator mandatum domini, prout sibi visum fuerit, ipsemet describat: nihilominùs nisi debitor, vel dominus ex post facto talem scripturam legerit, & ratam habuerit, parùm contra ipsum probabit, si exceperit, ibidem aliqua præter suam intentionem aut obligationem scripta esse: qui enim non vidit, nec relegit scripturam à creditore vel procuratore confectam, ignorat, quid in ea contineatur: ignorans autem consentire non intelligitur. *l. nec ignorans* 10. *C. de Donat.* Panorm. *in c. h. t. n.* 18.

Nota IV. quòd scriptura privata pro ipso scribente regulariter nihil probet: quia aliàs utique periculum foret, ne aliquis plurima in sui favorem & aliorum præjudicium scriberet vel annotaret *l. exemplo 7. C. de Probat.* Dico, *regulariter*: nam

Nota V. quòd Registris & Rationibus tutorum, negotiorum gestorum, procuratorum, & similium, saltem accedente juramento, credatur, licet aliqua in illis rationibus etiam in commodum prædictarum personarum admixta sint: cum enim vix possibile sit, omnia, & singula accepta, & exposita specialibus demonstrare probationibus, ideò in defectu aliarum talis, qualis haberi potest, probatio admittitur. Jason. *in l. admonendi 31. ff. de Jurejurando n.* 125.

31 Nota VI. quòd epistola ab eo, ad quem scribitur, acceptata probet contra eum pro scribente, & hoc ipso debitum aut obligationem in illa expressam fateri censeatur quòd epistolam acceperit, nec cùm potuerit, contradixerit. *Clement. 1. de Procurat. l. si filius 7. C. ad Senatus Consult. Maced.* Jason. *d. loco n.* 142.

32 Nota VII. magnam esse dissensionem, utrum libri Mercatorum, in quibus res ad sua commercia pertinentes conscribunt, pro ipsis mercatoribus aliquid probent? Negativam de rigore juris cum Barth. & Jasone *in d. l. admonendi*. non pauci amplectuntur propter generalitatem text. *in l. rationes 6. & l. exemplo 7. C. de Probation.* in quibus LL. universim declaratur, non esse idoneam probationem, quam aliquis ex suis rationibus & annotationibus pro se adducit. Et quamvis *in l. quadam 9. §. nummularios ff. de edendo.* videatur dici, quòd rationes nummulariorum & argentariorum pro ipsis sufficienter probent. Nihilominùs inter rationes nummulariorum, & argentariorum, & rationes mercatorum facilè est disparitatem assignare, quia olim nummularii & argentarii publica authoritate constituebantur, ut pecunias hominum ad depositum, usuras vel permutationem reciperent, & in susceptione sui officii juramentum præstabant, ac ferè Notariorum potestatem obtinebant, quæ omnia in mercatoribus deficiunt, ut propterea plus rationibus argentariorum, quàm mercatorum meritò tribuendum sit. Videatur Calv. *in Lexico. Juris V. argentarius*, & Gloss. *in d. §. nummularios, in V. decurritur.*

33 Verùm de æquitate (quæ rigori juris præfertur *l. placuit 8. C. de Judiciis*) & consuetudine optima legum interprete. *l. si de interpretatione 37. ff. de Legibus.* magis recepta est sententia And. Gail. *Lib. 2. obs.* 20. quòd libri mercatorum semiplenè probent pro mercatoribus, ut eis in supplementum probationis juramentum deferri possit, ita tamen, ut quatuor conditiones concurrant. I. Quod mercator sit aliàs bonæ vitæ & famæ. II. Quòd rationes propria manu conscripserit, juxta text. *in l. generaliter 13. C. de non numerata pecunia.* III. Quòd causa debiti sit expressa: & IV. quòd ejusmodi liber contineat data & accepta *l. Publica §. fin. ff. Depositi*. Eandem sententiam sequitur, & pulchra ratione confirmat Suting. *in suo processu judiciario obs.* 73. quòd nimirum in foro mercatorum non secundùm apices juris, sed ex æquo & bono judicetur, & mercatores quibusvis suarum mercium emptoribus fidem sine chirographo solvant, ut tantò æquius sit, ex adverso etiam plus fidei illorum libris adscribi.

---

§. III.

De Productione & impugnatione Instrumentorum.

SUMMARIA.

35 *Si instrumentum plures articulos continet, tantùm ii, qui ad causam faciunt, sunt edendi adversario: sed judici totum editur.*

36 *Actor ad probandum ipse instrumenta afferre debet, non à reo petere.*

37 *Reus econtra ab actore petere potest instrumenta: & quæ ratio disparitatis.*

38 *Excipiuntur instrumenta communia, quæ etiam à reo edi debent.*

39 *Ad quæstionem incidentem & replicam probanda actor à Reo instrumenta edi petere potest.*

40 *Item si originalia communia sint deperdita & copia penes reum sint.*

41 *Fisco etiam edenda sunt instrumenta; quod extenditur etiam ad causas Ecclesiasticas pauperum, matrimoniales &c.*

42 *Requiruntur tamen duæ conditiones.*

43 *Usurarii tenentur suas rationes & instrumenta edere.*

44 *Tertius potest cogi ad edendum instrumentum, quod edi litigantis alterius interest.*

45 *Post litem contestatam usq; ad conclusionẽ in causa; non autem post hanc editio instrumentorum fieri debet.*

46 *Quibusdam casibus hic enumeratis etiam post conclusionem in causa instrumenta edi possunt.*

47 *Post*

47 *Post conclusionem in causa produci possunt allegationes Juris, Consilia Doctorum &c.*
48 *Quæ exceptiones contra instrumenta opponi possint.*
49 *In judicio regulariter produci debent originalia, non Copia, nisi originalia haberi vel exhiberi non possint.*
50 *Copia vidimata à Notariis quantum probent?*
51 *Consuetudine introduci potest, ut hujusmodi Copiis plenè credatur.*
52 *An, & quatenus per testes tenor instrumenti amissi probari possit.*
53 *Probato tenore instrumenti, non tamen eo ipso probata est causa, quasi exhibito instrumento.*
54 *Sola juramento probatur valor instrumenti, quando dolo adversarii periit.*
55 *Instrumenta in speciem contraria, quantum fieri potest, conciliari debent.*
56 *Inter instrumenta contraria creditur digniori & si sint æqualia, reprobatur utrumque.*
57 *Si testes instrumento inscripti negent se interfuisse, corruit instrumentum, nisi testis negans sit supernumerarius.*
58 *Si testes & Notarius instrumento inscripti eidem non assistant, instrumentum per duos testes reprobari potest.*
59 *Scripturam alicujus esse, probari potest per testes & per comparationem scripturarum.*
60 *Comparatio litterarum hodie tantùm facit semiplenam probationem.*
61 *Rasura reddit instrumentum suspectum.*

35 I*Nstrumenta* in judicio post litem contestatam & parte adversa citata edi seu produci debere, extra controversiam est. Et quidem si aliquod *instrumentum* plures articulos contineat, lis autem tantùm super uno vel altero articulo movetur, non est necesse parti adversæ totum *instrumentum*, sed tantùm illum articulum, qui ad causam facit, exhibere, ne pars adversa, quæ quandoque omnem occasionem cavillandi quærit, ex aliis articulis novas quæstiones & lites suscitet *c. contingit* 5. *h. t.* judici tamen totum instrumentum edendum esse, ex communi praxi docet Gail. *Lib.* 1. *obs.* 106. *n.* 10. ut is cognoscere possit, an revera articulus, quemadmodum pars allegat, in instrumento contineatur, atque facultatem ejus articuli describendi & parti adversæ tradendi concedat.

36 Porro si actor cogitet intentionem *per instrumenta* probare, oportet, ut ipsemet *instrumenta* in promptu habeat, nec audiendus est, si ab adversario petat, e. g. meritò repelletur actor, qui in domo mea jus, vel servitutem prætendit, & ad intentum suum probandum petit, ut ipsi exhibeam litteras seu *instrumenta*, quæ super emptione domus inter me, & venditorem confecta sunt, nam neq; juris neq; æquitatis ratio patitur ex domo adversarii probationes, & arma ad ipsum conficiendum desumere *c.* 1.
37 *de Prob. l. qui accusare* 4. *C. de Edendo.* Aliud constitutú est in reo, ut licèt is excipiendo actor fiat *l. in exceptionibus* 19. *ff. de Prob.* nihilominus ab actore rationes & instrumenta petere possit, *l. non est novum* 5. *& l. fi. C. de Edendo*, ratio diversitatis est: tùm quòd generaliter favorabiliores sint partes rei, quàm actoris; tum etiam potissimùm, quòd indecens sit actorem sine fundamento litem inchoare, & causam suam super alienis documentis fundare; è contra æquissimum sit, quòd reus à quo aliquid petitur, sibi rationes adversarii, quibus se instruat, & justam causam petendi cognoscat, promi desideret sicut inconveniens est quòd invasur arma nocendi ab ipso invaso petat, æquissimum autem provocato arma se defendendi vel etiam ab ipso se provocante concedi. Videatur text. *in d. l. fin.*

38 Verùm hæc regula, quòd reus actori sua *instrumenta* edere non teneatur, patitur exceptionem in illis *instrumentis* quæ utrique parti sunt communia. Dicuntur autem *instrumenta* utrique parti *communia*, quæ vel ratione materiæ, quam continent, vel ratione proprietatis, vel quia communi sumptu & sollicitudine confecta, inter partes
39 litigantes communia sunt. Ita testamentum defuncti omnibus in eo nominatis, & interesse habentibus commune est. Item *instrumenta* quælibet defuncti inter hæredes communia sunt. Item *instrumenta* inter ipsos contrahantes super contractibus confecta, sicut & acta judicialia inter partes litigantes communia censentur. Val. *h. t. §.* 4. *n.* 4. Deinde si actor ex aliis probationibus suam intentionem principalem fundaverit, & tantùm circa quæstionem incidentem, vel ad probandam replicationem aut quantitatem debiti petat rei instrumenta, judex ipsius petitioni annuere, & reum ad exhibenda instrumenta cogere debebit. *l. Titius hæres* 48. *& l. creditor* 52. *in princ. ff. de Action. empt.* Bart. & Bald. *in l.* 1. *§. editiones ff. de Edendo*. Item si originalia *instrumenta* communia sint deperdi- 40
ta, & exempla, sive copiæ extent penes reum, licet illa sint ipsius rei propria, quia propriis pecuniis redemit, & describi curavit, nihilominùs quia contenta in eis communia sunt, & originalia, quæ potuisset actor producere sunt deperdita, ideo judex ex officio reum tales copias edere jubebit. Innoc. & Panorm. *in c.* 1. *de Prob.* Pro quibus facit text. *in l.* 1. *C. de Edendo* ubi aliquando ex causa ad officium judicis pertinere dicitur, ut reus sua instrumenta edere teneatur.

Fiscum quoque communiter excipiunt, quòd is in cau- 41
sis civilibus (non verò criminalibus) statim etiam à principio rationes & *instrumenta* rei petere possit ad suam intentionem fundandam *l.* 3. *de Edendo l.* 2. *§.* 1. *&* 2. *ff. de Jure fisci*. Eundem fisci favorem Joan. Andr. *in Annot. ad Speculatorem in t. de Edit. instrument. §. videndum*, & post illum Panorm. *in d. c.* 1. *numer.* 10. extendunt ad alias quoque causas in jure favorabiles uti sunt causæ ecclesiasticæ, pauperum & matrimoniales, ita ut in talibus causis actor possit ad fundandam suam intentionem *instrumenta* rei postulare, maximè si ad evitandum grave peccatum agatur, prout exemplum ponit Joan. Andr. *cit. loco*, ubi ait, disputando fuisse terminatum, si e. g. contraxi cum illa, quæ dicitur habere alium virum, & propterea ago contra eam ad divortium, possum petere, ut exhibeat instrumentum primi contractus, vel instrumenta dotalia, quæ scitur vel verisimiliter præsumitur habere. Verum ego existimo, ut hæc doctrina Joan. Andr. & 42
Panorm. locum habeat, duo debere concurrere; *primum* quod etiam Panorm. advertit, est defectus probationis, ut scilicet causa favorabilis aliis probationibus planè destituta sit. *Alterum*, ut causa favorabilis saltem aliquas conjecturas pro se habeat, sicut idipsum satis insinuat Joan. And. in exemplo proposito, dum ibidem supponit ex fama, & aliis præsumptionibus mulierem suspectam esse debere, quòd alium maritum, & instrumenta maritalia habeat, antequam ad illa instrumenta edenda compelli possit, quod sanè multum rationabile est, ne conjux conjugi, vel piarum causarum Administratores & Procuratores aliqui facilè lites sine sufficienti fundamento movere audeant.

Demum usurarii, si vel à judice ex officio vel à debi- 43
tore ad restitutionem usurarum conveniantur, ipsi verò negent, se usuras exercere, vel exercuisse, aut sibi solutas esse, censura ecclesiastica compelli poterunt, ut codicem suarum rationum exhibeant. *Clem. unica §. cæterum, de Usuris*

Sed quid dicendum, si ab aliquo tertio, qui non sit unus 44
de colitigantibus petatur editio cujusdam *instrumenti* apud eum existentis, nunquid ad edendum compelli poterit? Respond. Si editionem petens summariter saltem per præsumptiones, aut semiplenas probationes docere possit, sua interesse, ut illud *instrumentum* edatur, debere judicem mandatum ad edendum decernere, Ratio est, quia *instrumentum* est pars probationis, & quemadmodum testis cogi potest, ut testimonium pro tertio dicat, ita etiam omninò convenit, ut pro tertio instrumentum tanquam testimonium scriptum exhibeat, Gail. *d. loco Obs.* 106. *n.* 2.

Præterea *instrumenta* post litem contestatam usque ad 45
conclusionem in causa produci possunt; & licèt post publicatas attestationes non liceat alios testes producere, ut superiùs in *tit. de Testib.* dictum, licebit tamen producere *instrumenta*, quia in his cessat periculum subornationis quòd subest in productione testium. *c. cùm dilectus* 19. *h. tit.* Post conclusionem autem in causa partes ad producenda *instrumenta* regulariter non admittuntur nam conclusio in causa est terminus exclusivus omnium probationum, cum facta conclusione jam de causa liquere dicatur *d. c. cum dilectus*, *juncta Gloss. in c. significaverunt V. liquere de Testibus*. Sed notanter, dixi, *regulariter* non esse

locum

locum productioni *instrumentorum* post conclusionem in
causa: etenim aliquos casus enumerant DD. in quibus
46 hæc regula non procedit. I. Si producens juramento fir-
mare posset, *instrumenta* primum post conclusionem in
causa à se reperta *c. pastoralis 4. de Except.* II. In causa
matrimoniali, quando agitur de nullitate matrimonii,
non tantùm post conclusionem in causa, sed etiam post
sententiam *instrumenta* produci possunt; quia sententia
maximè contra matrimonium lata nunquam transit in
ram judicatam, & proinde semper locus est novis proba-
tionibus *c. lector 7. & ibi* Gloss. *de Sentent. & re judicata.*
III. Eadem est ratio in causis criminalibus, quia nec istæ
in rem judicatam transeunt, sed ad defendendam rei accu-
sati innocentiam semper aliæ probationes, & *instrumen-*
ta admittuntur. *l. unius 18. §. pen. ff. de Quæst.* Abbas. *in d. c.*
cum dilectus n. 3. IV. Quando instrumentum non ad pro-
bandum, sed priores prubationes declarandas profertur:
nam qui prohibetur novas probationes producere,
non prohibetor priores factas declarare. V. Si conclusio
In causa facta sit à partibus cum protestatione & reser-
47 vatione juris producendi alia *instrumenta*. VI. Post con-
clusionem in causa non possunt quidem produci proba-
tiones facti, quæ scilicet ipsum factum principaliter in
judicio controversum probent, possunt autem probatio-
nes, seu allegationes juris, consilia DD. responsa facul-
tatum &c. produci, dummodo ad tales allegationes non
petatur nova dilatio. VII. Denique ipsi judici nunquam
concluditur in causa, quo minus eandem conclusionem
à partibus factam rescindere, & ulteriorem probationem
exigere valet *c. cum Jo. 10. & ibi Gloss. h. t.* Videatur Val.
eodem tit. §. 3. n. 3.

48 Quod attinet ad *instrumentorum* impugnationem va-
riæ sunt exceptiones, quæ contra *instrumentum* oppo-
nuntur. *Prima* exceptio est, quòd non habeat illas solem-
nitates, quas superiùs per ordinem recensuimus. *Secunda*,
quòd instrumenta non exhibeantur in originali, etenim in
c. 1. h. t. & in l. 2. ff. eod. apertè statuitur, *instrumenta* origi-
nalia; non verò *copias* seu *exempla* in judicio producen-
da esse. Aliquando tamen ipsis quoque exemplis fides
non minùs, quàm originalibus adhibetur, quando scili-
cet ipsa originalia haberi non possunt (ut cum sunt per-
dita, aut alleguntur instrumenta aliena, libri judiciales
&c.) vel sine periculo amissionis aut corruptionis ad lo-
cum judicii longè distantem difficulter mittuntur. Ve-
rùm ut talia exempla in talibus vel similibus casibus le-
gitimè probent, requiritur, ut originale priùs coram ju-
49 dice exhibitum, & cum ejus licentia post præmissam di-
ligentem inspectionem descriptum sit *c. fin. & ibid. DD. h.*
t. Imò plerique præter inspectionem & licentiam judicis
etiam requirunt, ut subsit causa rationabilis, cur peta-
tur descriptio, & ut ad inspectionem citetur adversa-
rius, de cujus præjudicio agitur, si citari possit, nec
periculum in mora sit, nam hic actus descriptionis
est instar examinationis testium *ad perpetuam rei me-*
moriam, quæ sine rationabili causa & prævia adver-
sarii citatione non conceditur; quòd si hoc admittere
recuset, qui descriptionem instrumenti perit, sanè plu-
rimùm suspectus est, quòd propter malam conscien-
tiam falsationis timeat *instrumenta* in originali exhi-
bere adversario, & propterea copias authenticas procura-
re velit. *c. contingit 5. h. t.* Panorm. & Innoc. *in c. fin. eod.*
50 Sed quid dicendum de illis *copiis*, quæ per solùm
Notarium publicum sine præsentia judicis relectæ sunt,
ab eoque attestationem habent, quòd cum originali con-
cordent: Respond. Si contra tales copias adversarius ex-
ceperit, non facient plenam fidem, sed necesse erit ipsum
originale producere: quia non ad officium Notarii, sed Ju-
dicis spectat cognoscere de *instrumentis*, utrùm sine ra-
sura, falsatione, aut defectu sint. Neque Notarius *in-*
strumentum conficere, vel attestari potest, nisi de iis, quæ
ex arbitrio rogantium dependent; quemadmodum supe-
riùs §. 1. diximus, non posse Notarium per *instrumen-*
tum publicum, cui publica fides habeatur, attesta-
ri, quòd equus mihi commodatus sine mea culpa perie-
rit. Panorm. *d. loco.* Speculator *in tit. de Instrumenti*
editione §. 4. num. 6. Interim licet tales per Notitiam
vidimatæ copiæ non faciant plenam fidem, faciunt ta-
men magnam præsumptionem, ita ut adversario non
excipiente, vel originalibus deperditis, si alia admini-
cula concurrant, aut status causæ propter antiquitatem,
vel aliam rationem minùs perfectas probationes admit-
tat; etiam talibus copiis fides haberi possit. Farin. *in De-*
cisionibus criminal. lib. 2. dec. 368. Speculator *d. §. 4.*

Nunquid autem consuetudine introduci potest, ut 51
prædictis copiis plenè credatur? Affirmativa mihi vide-
tur satis probabilis; quid enim impedit, quo minùs No-
tarii ex generali consuetudine alicujus loci possint con-
sequi jurisdictionem ad inspicienda originalia & facien-
das authenticas copias, cùm per consuetudinem dari ju-
risdictionem receptum sit, ex *c. dilecti 4. de Arbitr. & c.*
cum contingat. 3. de Foro compet. ac in specie, quòd per con-
suetudinem *instrumentum* habeatur pro authentico, quod
alias fortè authenticum non esset, textus est in *c. cum di-*
lectus 9. & ibi notavit Gloss. & DD. h. t.

Et quid demum juris, si actor dicat se *instrumentum* 52
perdidisse, producat autem testes, qui de tenore *instru-*
menti attestentur; nunquid audiendus erit, ac perinde pro-
babit, quàm si ipsum *instrumentum* exhiberet? Respond.
Non esse dubium, si testes producti non solùm de tenore
instrumenti, sed etiam de ipso facto & contractu coram se
gesto sub juramento deponant, quin ipsis plena fides ad-
hibenda sit: quia duobus testibus omni exceptione majo-
ribus, qui de sensu proprio attestantur, peræquè credi-
tur, ac instrumento. Idque tunc adhuc minus dubium
est, si una cum testibus Notarius ipse, qui *instrumentum*
confecit, de eisdem contentis deponat: nam probatio *in-*
strumenti non in charta, aut membrana, sed in fide No-
tarii & testium consistit. Tota autem difficultas est, si *in-*
strumentum sit antiquius, nec testes inscripti, nec No-
tarius superstes existant, sed tantùm producantur testes,
qui asserunt, se tenorem *instrumenti* legisse, eumque ta-
lem vel talem fuisse. In hac igitur practica difficultate
Panorm. *in cap. cùm olim 12. de Privil. & ibidem* Alex. *in*
addit. ad Panorm. Mascard. *de Probat. vol. 2. conclus. 909.*
cùm Barth. Fel. & aliis sentiunt, ut tenor *instrumenti*
amissi, & exinde intentio actoris plenè probetur, duo
præcipuè debere concurrere. Primò ut probetur amissio,
quam deficiente alia probatione etiam per iustrumentum
amittentis, saltem in aliis indiciis accedentibus, probari,
tradit Mascard. *d. loco conclus. 910.* Secundo quòd testes
sint periti, & præterquam quòd conveniant in enume-
rando tenorem *instrumenti*, possint insuper attestari, *in-*
strumentum fuisse sine vitio aut suspicione falsitatis: aliàs
facilè per fraudem posset dici deperditum, cujus falsitas
ex oculari judicis inspectione deprehensa fuisset. His
concurrentibus etiam per duos testes tenorem *instrumenti*
satis probari tenent allegati *cit. loco.*

Verùm ego quidem non dubito, quin prædictis condi- 53
tionibus intervenientibus contenta in *instrumento* satis
probentur, sed non credo, quòd propterea ipsa causa pe-
rinde probata sit, ac si *instrumentum* ipsum fuisset ex-
hibitum, aliud enim est dicere, *ita fuit instrumentum*, &
aliud, ita *contigit, sicut scriptum est*, sive ita sine falsitate
fuit scriptum &c. & minimè apparet, quare in isto ca-
su testibus de integritate & tenore instrumenti attestan-
tibus plena fides haberi debeat, & non etiam exemplis
seu transumptis, in quibus Notarius & alii viri boni at-
testantur, quòd omnia cum originali non vitioso corres-
pondeant. Quare cum ex superius dictis cognitio de *in-*
strumenti integritate ad solùm judicem pertineat, pro-
babilius mihi videtur, quod sentit Gloss. *in l. sicut 5. C. h.*
t. nimirum dicta testium circa amissum *instrumentum* fa-
cere vehementem præsumptionem, ita ut parti juramen-
tum suppletorium deferri valeat.

Illud verò est notabile, quòd per solum juramentum 54
probentur contenta & valor *instrumenti*, si adversarius
dolo malo *instrumentum* subtraxerit, corruperit, vel la-
ceratit *l. si de possessione 20. & ibi DD. C. de probat.* Mas-
card. *d. concl. 909.*

Tertiò excipitur contra *instrumentum* per aliud *instru-* 55
mentum contrarium. Ubi quidem ante omnia videndum
est ut talia *instrumenta* contraria aliqua ratione inter se
conciliari possint, intelligendo ea de diversis temporibus,
vel contractibus, ut si e. g. in uno *instrumento* dicatur, em-
ptionem fuisse puram, in altero conditionatam, præsumen-
dum sit duas diversis temporibus celebratas fuisse. Barb.
in c. cùm Jo. 10. h. t. n. 24. Quòd si repugnante tenore *instru-*
menta ex rei natura conciliari nequeant, distinguitur,

an

an ex duobut *instrumentis* contrariis unum sit productum ab actore & alterum à reo, vel an ab uno utrumque productum sit? Priori casu stabitur digniori, aut verisimiliori, rejecto altero, e. g. si unum sit publicum, alterum privatum, si unum à Notatio melioris notæ & existimationis confectum sit, arg. *c. in nostra 31. de Testibus, & l. ob carmen 21. §. 3. ff. eodem tit.* Si verò neutrum habeat aliquam prærogativam, neutri credendum est. Gloss. *in l. optimam 14. in V. melius C. de Contrahenda stipulatione.* Altero casu, duo instrumenta fidem sibi invicem derogantia ab uno eodemque prolata *nihil firmitatis habebunt* inquit Imperator *in l. scriptura 14. Cod. hoc t.* Sed Gloss. non improbabiliter in isto casu considerationem dignioris, & verisimilioris instrumenti habendam censet, quia non est facilè inter hunc & priorem casum rationem disparitatis assignare. Nec Imperator dicit, duo *instrumenta* qualitercumque contraria ab uno prolata nihil firmitatis habere, sed si sint talia, *quæ sibi invicem fidem derogant*; quando autem censenda sint sibi invicem fidem derogare, utique ex arbitrio & cognitione judicis dependet.

57 Quartò contra *instrumentum* quandoque producuntur testes, & quidem, si ipsi testes in *instrumento* descripti ambo vel unus tantùm neget se interfuisse actui & *instrumenti* confectioni, totum *instrumentum* defectu substantialis requisiti corruet. Si tamen dicant, se quidem fuisse præsentes, non recordari autem quid inter partes actum sit, substinebitur *instrumentum*: cum testes dubitantes nihil probent. Neque sequitur, non recordantur testes, ergo non est actum. Similiter si testis aliquis supernumerarius adscriptus negaret se interfuisse, non expugnabit *instrumentum*, si duo testes substantiales se interfuisse affirment, nisi ille supernumerarius non tantum simpliciter negaret, sed insuper suam negationem probaret demonstrando e. g. quòd illo die, quo *instrumentum* confectum est, absens fuerit, quia in una parte falsum totum suspectum redditur. Videatur Sichard. *in leg. in exercendis 15. Cod. h. t.* Nicolaus Everhard. *consilio 116.*

58 Quòd si verò testes extranei contra *instrumentum* producantur, distinguendum est, an notarius & testes in *instrumento* descripti adhuc vivant, & constanter pro *instrumento* deponant, vel an iis mortuis solum *instrumentum* proferatur? Priori casu ad expugnandum *instrumentum* tot personæ omni exceptione majores (*d. l. optimam 14. Cod. de contrah. stipulat.*) requiruntur, & uno saltem plures, quot pro instromento deponunt. Posteriori autem casu communiter receptum est, quòd per duos testes idoneos *instrumentum* expugnari valeat: quamvis enim *in l. in exercendis 15. C. h. t.* probatio per *instrumentum*, & probatio per duos testes æquiparentur, ac propterea videatur saltem tres testes esse producendos contra fidem instrumenti; nihilominus ille textus accipiendus est prout sonat, nimirùm quòd actor non minùs suam intentionem per *instrumenta*, quàm testes probare possit: Utrum autem, si contra *instrumentum* duo testes producantur, plus credendum sit testibus, vel *instrumento*, ibidem non deciditur, sed aliunde petendum est, scilicet ex illa generali & recepta doctrina, quæ traditur *in cap. in nostra 32. de Testibus*, quòd in concursu duarum plenarum probationum illa præferatur, quæ est plenior & perfectior, clarum autem & perspicuum esse videtur, quòd duo testes omni exceptione majores & præstito juramento deponentes pleniùs & perfectiùs probent, quàm sola aliqua charta, in qua quidem testes subscripti sunt, sed qui (utpote ex supposito mortui) sub juramento examinari non possunt, an interfuerint, vel an omnia rectè peracta sint. Panorm. & Barbos. *in d. c. cum Joannes 10. h. tit.* Covar. *lib. 2. Variarum Resolut. c. 13. num. 11.*

69 *Quintè* in privatis *instrumentis* persæpe contingit, quòd adversarius neget talia *instrumenta* à se vel suo mandato scripta esse. Sed contra hanc exceptionem probatur contrarium in primis per testes, qui dicunt se interfuisse & vidisse *instrumentum* ab adversario confici. Quamvis autem Bart. *in l. admonendi 31. ff. de Jurejurando num. 25.* existimet, tales testes tantùm semiplenè probare, eò quòd vix scire possint hanc numero scripturam in sua præsentia confectam esse, nihilominus si testes non tantùm de externo actu confessionis scripturæ, sed insuper de ejus tenore & aliis circumstantiis attestentur, veriùs est, plenam fidem mereri, per text. *in auth. si quis Cod. Qui potiores in pignore.* Fachin. *lib. 11. Controv. c. 3.* Deinde adversarius negans suam esse scripturam arguitur per comparationem litterarum, quando scilicet alia ipsius scriptura adfertur, quæ in formatione litterarum cum altera planè correspondeat.

Verùm hæc probatio licèt olim sufficiens reputata fuerit juxta *l. comparationes 20. Cod. hoc tit.* hodie tamen ex jure *novellarum* tantùm semiplenè probat, *auth. at si contractus Cod. eod. tit.* quia comparatio litterarum valdè fallibilis est, cum experientia constet, plures esse, qui alterius manum ita exactè imitari possint, ut etiam à perspicacissimis scriptura nequeat dignosci. Non desunt quidam ex DD. existimantes correctionem dictæ *authentica* tantùm procedere de *publicis instrumentis*, de quibus loquitur, in *privatis* autem comparationem litterarum adhuc plenè probare, eò quòd lex correctoria sit strictè interpretanda, *l. præcipimus 32. in fine Cod. de Appellat.* Sed contrarium probabilius est, cum enim utrobique eadem sit ratio, & æquitas suffragetur, ne tam facilè aliquis per alterius dolum condemnetur, vel damnum incurrat, utrobique etiam idem jus statuendum esse. Fachin. *d. lib. 11. c. 15.* 60

Sexto demum rasura in parte aliqua substantiali instrumenti, quæ non cognoscatur esse facta per manum Notarii, vel de qua Notarius tanquam à se facta non attestetur, reddit *instrumentum* suspectum. De hac autem materia, quando instrumenta, Bullæ, rescripta, & privilegia de falsitate suspecta sint, traditur *in lib. 1. de Rescriptis*, & infra *in t. de Crimine falsi.* 61



TITULUS XXIII.

De Præsumptionibus.

SUMMARIA.

1 *Quid sit præsumptio, & quotuplex?*
2 *Præsumptiones hominis non plenè probant, nisi sint violenta.*
3 *An ex vehementibus præsumptionibus in causa criminali quis condemnari possit, varia auctorum sententia.*
4 *Sententia auctoris negativa.*
5 *Solvuntur argumenta aliarum sententiarum.*
6 *Ob majorem, vel minorem probationem non debet quis majore, vel minore pœna affici.*
7 *Si indicia per se mala sunt, causam prabent pœnæ extraordinaria.*
8 *Quæ differentia inter præsumptiones Juris & de Jure, ac præsumptiones Juris tantum.*
9 *Contra præsumptiones Juris & de Jure nulla probatio admittitur excepta confessione propria.*
10 *Contra præsumptiones Juris tantum etiam alia præsumptiones admittuntur.*
11 *Exempla præsumptionum Juris & de Jure, in specie ex* c. is qui fidem, de Sponsal.
12 *Post Concilium Trid. hac præsumptio locum non ampliùs habet.*
13 *Exempla præsumptionum Juris tantum.*
14 *Præsumptio Juris & fictio Juris quomodo differant.*
15 *Fictio Juris habet locum in conscientia, non præsumptio, si veritas non subsit.*

P*ræsumptio* rectè describi potest, quòd sit rei dubiæ seu controversæ *ex aliis positis* desumpta probatio. Dico, *ex aliis positis*: nam *præsumptio* non ita immediatè & directè probat intentionem ejus, pro quo adducitur, sicut instromenta & testes, sed tantùm indirectè, seu potiùs in consequentiam, ut ex his, quæ modo sequentur, apparebit. 1

Præsumptiones communiter in duas classes distinguuntur, ut scilicet aliæ dicantur *præsumptiones hominis*, & aliæ *juris*, sed *præsumptiones juris* subdividuntur, quòd aliæ sint *juris tantùm*, aliæ *juris & de jure*.

2 Quod attinet ad priorem classem, videlicet *præsumptiones hominis*, sciendum est, quòd illæ propterea dicantur *præsumptiones hominis*, id est judicis, quòd nullo jure consignatæ sint, sed propter rerum & personarum varietatem ex singulis factis arbitrio & prudentia judicis desumantur; Ita e. g. præsumitur fecisse homicidium, qui stricto gladio visus est egredi è domo occisi. Porrò quamvis *præsumptiones hominis* regulariter plenam fidem non faciant, nisi aliis adminiculis e. g. fama, unius testis depositione, & similibus adjuventur, possunt tamen esse *præsumptiones* ita *violentæ*, seu vehementes, ut sufficientem probationem constituant, ex qua judex possit sententiam definitivam proferre, exemplo Salomonis, qui inter duas mulieres de eodem partu contendentes ex sola præsumptione judicavit, prout est videre in *lib. 3. Regum. c. 3.* & in *c. 2. h. t.*

3 Verùm hoc ita procedit in causis civilibus non nimis arduis, an verò in causis criminalibus (quibus æquiparantur causæ civiles arduæ, & valde magni momenti) reus ex præsumptionibus etiam violentis condemnari possit, multùm variant Interpretes. Aliqui negant, eò quòd in criminalibus requirantur probationes luce meridiana clariores, & præstet nocentem dimittere, quàm innocentem punire *l. fin. C. de Probat. l. absentes 5. ff. de Pœnis*. Et si in civilibus causis regulariter favorabiliores sunt partes rei, quàm actoris, & proniores debemus esse ad absolvendum quàm condemnandum, *l. Arianus 37. ff. de Oblig. & action.* multò magis id obtinebit in criminalibus, cum utique plus sit alicui vitam & sanguinem, quàm pecunias & modica temporalia eripere.

Alii econtra affirmant ex indiciis seu præsumptionibus violentis & quæ moralem certitudinem inducunt, aliquem etiam in causa criminali, de cætero nec confessum nec convictum condemnari posse. Fundamentum ponunt in ipsa *l. fin. C. de Probat.* ubi ad condemnationem in causis criminalibus etiam indicia sufficere statuitur. Deinde si quis alterum occiderit, vel ei convitium dixerit, malignus occidendi & conviciandi animus eo ipso præsumitur, & nisi reus contrarium probarit, ex hac sola præsumptione condemnabitur, per text. & DD. *in l. 1. C. ad legem Cornel. de sicariis, & l. 5. C. de Injuriis.* Item *in l. si qui adulterii 34 C. ad legem Jul. de adulter.* aliquis ex hac præsumptione damnatur adulterii, quòd matrimonium ex post facto contraxerit cum illa, quam priùs, dum de adulterio cum eadem perpetrato argueretur, ad elidendam suspicionem & accusationem dixerat esse consanguineam.

Alii tandem media via ingrediuntur, censentes condemnari quidem reum posse ex præsumptionibus, sed pœna mitiore seu extraordinaria. Probatur hæc sententia ex *cap. litteras 14. hoc tit.* ubi alicui de hæresi graviter suspecto non tamen convicto extraordinaria pœna injungitur. Similiter in *l. vim passam 39. §. mulierem 4 ff. ad l. Jul. de adult.* mulier ea societate latronum suspecta erat de adulterio: quia verò convinci non potuit, pœna extraordinaria exilii punita est.

4 In hac igitur quæstione sentio cum Fach. *Lib. 1. Controv. cap. 29.* neminem in causa criminali ex præsumptionibus etiam vehementibus condemnandum esse, per argumenta superiùs pro prima sententia allata, quibus accedit textus in *d. cap. litteras hoc tit.* ibid. *propter solam suspicionem quamvis vehementem, nolumus illum de tam gravi crimine condemnari &c.* proinde si vehementes præsumptiones urgeant contra reum, is in foro civili ad extorquendam confessionem, vel præsumptiones illas purgandas & diluendas tormentis subjicietur, sicut clari textus sunt in *l. milites 8. §. oportet C. de Quæstion. & in l. unius 18. §. reus ff. eod. t.* Quòd si persona sit immunis à tortura, potiùs ex defectu probationum absolvi, quàm condemnari debebit. In foro autem Canonico illi, qui gravibus suspicionibus oneratus & publica infamia respersus est, purgatio canonica indicitur, per quam juret de sua innocentia, & insuper alios testes adhibeat, qui jurent se credere ipsum esse innocentem, in qua purgatione si defecerit, tunc demum tanquam legitimè convictus condemnabitur, prout hac de re extat totus t. in *Lib. X. Decret. de Purgat. canon.* & text. sunt in *cap. accedens 23. de Accusat.* in *c. de hoc autem 11. de Simonia*, & alibi.

5 Porro ad argumenta aliarum sententiarum non est difficile respondere; nam I. textus in *l. fin. C. de Probat.* non loquitur de quibuscunque indiciis, sed expressè tantùm de indiciis indubitatis & luce clarioribus, videlicet talibus, quæ evidentiam rei inducunt. E. g. si marito per annum absente, interim uxor prægnans inveniatur, si vir cum fœmina in eodem lecto deprehendatur, maximè enim in delictis carnis tam clara indicia sufficientem probationem constituere, præsertim si ad divortium ex causa adulterii agatur, textus apertus est, & ibi tradunt DD. *in cap. litteris 12. hoc tit.* II. in *l. 1. Cod. ad L. Cornel.* 6 *de sicar. & in l. 4. Codic. de Injur.* occidens, vel injurians damnatur ex ipso facto homicidii vel injuriæ, quod supponitur esse notorium; & quia excipiens sibi non fuisse animum occidendi vel injuriandi, id probare necesse habet, planè si in probatione deficiat de crimine convictus censebitur III. circa *l. si qui adulteris 34. Cod. ad Leg. Jul. de adult.* omissis aliorum expositionibus, dico, eam legem accipiendam esse, prout in fine sonat, videlicet accusatos de adulterio punitos esse ex propria confessione, non quidem verbis, sed facto ipso prodita; quia enim argumenta accusatoris per solam objectam proximitatem seu consanguinitatem refutabant & testes inverisimilia deponere excipiebant, ergo nullitate proximitatis contrario facto declarata, & cessante fundamento refutationis confessi sunt, se ab accusatore de adulterio convictos esse.

7 IV. Circa tertiam sententiam superiùs relatam rectè observat Francisc. Sarmient. *Select. Interpretat. lib. 1. cap. 1.* nimis esse inconveniens, quòd aliquis majore vel minore pœna afficiatur, eò quòd delictum minùs vel magis probatum sit, cum probatio non augeat, nec minuat malitiam delinquentis, & tam in criminalibus, quàm civilibus sæpe aliquis ex defectu probationum absolvatur, qui tamen revera nocens & reus est, *d. l. absentem 5. ff. de Pœn. l. 4. C. de Edendo l. fin. C. de Rei vind.* Quod verò attinet ad textus juris, qui pro hac sententia citantur, illi accipiendi sunt de talibus casibus, in quibus ipsa indicia per se mala, scandalosa, & consequenter pœna saltem arbitraria digna sunt. Ita qui e. g. deprehenditur familiaritatem habere cum hæreticis, eorum libros penes se detinere, quamvis absolutè de hæresi convictus non sit, quia tamen aliis scandalo fuit, & contra prohibitionem juris de vitandis hæreticis, & eorum libris egit, meritò pœnitentiam subire cogitur in *dict. cap. litteras 14. hoc tit.* Similiter etiam rectè punita fuit mulier in *dict. leg. 39. §. 4. ff. ad Leg. Jul. de adulter.* quòd pessimæ societati latronum sese immiscuerit, quamvis de adulterio convicta non sit, quia sæpius in jure non tantùm Authores scelerum, sed etiam concomitantes, & fautores delinquentium graviter puniuntur, *c. sicut dignum 6. §. illi etiam §. hi quoque & §. fin. de Homicidio.*

8 Circa secundam classem *præsumptionum*, videlicet *præsumptiones juris*, quæ aliæ sunt *Juris & de Jure*, aliæ verò tantum *Juris*, sciendum est, quòd illæ dicantur præsumptiones *Juris & de Jure*, quibus Jus ita fortiter innititur, ut planè pro veritate habendas decernat; *Juris* verò tantùm illæ præsumptiones censeantur quibus Jus tamdiu innititur, donec adversarius contrarium ostendat. Licet autem in præsumptionibus *Juris & de Jure* nulla probatio in contrarium regulariter admittatur, excepta confessione propria adversarii, si nimirum sponte confiteatur id, quod jus in sui favorem præsumit, à parte rei non esse verum; in præsumptionibus tamen *Juris* tantùm contrariis probationibus locus est, & non tantùm instrumentis & testibus, sed etiam aliis præsumptionibus fortioribus.

9 Porro præfata distinctio inter præsumptiones *Juris & de Jure*, ac præsumptiones *Juris* tantum nullibi quidem in claris terminis reperitur, eam tamen varia exempla in SS. Canonibus & legibus extantia sufficienter evincunt. Proinde ut ex pluribus exemplis unum tantum vel alterum pro utraque præsumptionum classe ad-

11 adducamus, sit primum præsumptionis *Juris & de Jure* quòd habetur in *cap. is, qui fidem 30. de Sponsalibus*, ubi deciditur, quòd sponsalia de futuro per subsequentem copulam transeant in verum matrimonium: quia sponsus non præsumitur alio, quàm affectu maritali sponsam cognoscere, & contra *hanc præsumptionem*, inquit summus Pontifex, *non est probatio admittenda*. Sed hoc de jure antiquorum Canonum ita obtinuit, quando solus consensus, sive verbo, sive facto declaratus suf-
12 ficiebat ad valorem matrimonii, hodie verò post Concilium Trid. *sess. 24. de Reform. matrimonii cap. 1.* non est ampliùs locus huic præsumptioni: quia hodie, ubi Concilium receptum est, nullum matrimonium validè contrahitur sine præsentia Parochi, ac saltem duorum testium.

Non desunt tamen, qui existiment, etiam post Concilium dictam præsumptionem habere suum effectum in sponsalibus de futuro subconditione (a. g. si consanguinei consenserint) contractis, ut per copulam subsequentem præsumptione *Juris & de Jure* censeatur à conditione recessum, & novus absolutus consensus positus, Zyp. pæus *Consultat. Canon. lib. 4. consult. 1.* qua de re *in Lib. IV. Tit. 5. n. 19.* dicetur.

Alterum Exemplum ex Jure civili peti potest, nimirum ex *l. fin. §. Cod. Ad senatus consult. Maced.* Notum est per Senatus consultum Macedonianum prohiberi ne filiis familias sine consensu patris mutua pecunia detur, atque ex eodem senatus consulto exceptionem obstare mutuanti, ut pecuniam filiofamilias creditam repetere non possit. Quòd si verò filiusfamilias miles mutuum acceperit, respondit Imperator *in dict. §. fin.* contractum mutui subsistere, nulla differentia introducenda, ob quam causam pecuniæ creditæ, vel ubi consumptæ sint, eò quòd filiusfamilias in causis castrensibus homini suis juris æquiparetur, & ex præsumptione miles non censeatur in alias, quàm castrenses causas pecunias expendere. Plura similia exempla videantur in *l. si mulier 22. C. ad senatus consult. Vellei. leg. in contractibus 14. Cod. De non numer. pecun. leg. à D. Pio 15. §. si pignora 3. ff. de re indicata*.

13 Præsumptiones juris tantùm ubique extant quamplurimæ. In *cap. 2. de Restit. spoliat. in 6.* omnes decimæ ad Parochum spectare præsumuntur, quamdiu is, qui contra Parochum jus decimandi prætendit, aliud ostendere non potest, de quo *capitulo suprà in tit. de Restit. spoliat.* aliquid amplius dictum est. In *cap. 1. de Peculia Clericor.* bona Clerici in dubio præsumuntur prospectu Ecclesiæ acquisita, nisi constet, ipsum bona patrimonialia habuisse, quando ad Clericatum promotus est: In *l. si defunctus 10. Codic. arbitrium tutela*, tutor, qui erat pauper tempore suscepti officii, si durante eo dives evadat, præsumitur potiùs ex sua industria quàm ex bonis pupilli locupletatus, usquedum contrarium probatur. Deinde, ut innumera alia exempla omittam, quæ passim in variis titulis occurrunt, *in l. miles 11. §. defuncto 8. ff. Ad l. Jul. de adult.* quilibet constante matrimonio natus præsumitur esse legitimus, quamvis mater sæpiùs adulterium commiserit; contra hanc tamen præsumptionem admittitur probatio, si nimirùm demonstretur, maritum intra annum uxori non cohabitasse, vel gravi infirmitate detentum esse, *leg. filium 6. ff. de his qui sui, vel alieni juris sunt*.

14 Unum superest in hoc titulo valdè notandum, videlicet quòd *præsumptio iuris*, & *fictio Juris* maximè inter se differant: nam *præsumptio* ex hactenus dictis nihil aliud est, quàm probatio, quam Jus in re aliqua dubia ex quibusdam indiciis desumit: *fictio* verò non est rei dubiæ, sed certæ falsitatis pro veritate assumptio ex certa causa & ad inducendum aliquem juris effectum: contra quam proinde *fictionem* nulla prorsus oppositio seu probatio incontrarium admittitur. Ita Canonici legitimè absentes finguntur, quasi in loco residentiæ præsentes essent, ut cum actu præsentibus fructus sui Canonicatus lucrari possint, sicut in tit. *de Clerico non residente* traditur. Ita hæres fingitur eadem persona cum defuncto, ut propterea in omnia ipsius jura tam activa, quàm passiva succedat, *l. hæreditas 62. ff. de R. J. vitia 11. Cod. de Acquirenda possess.* Ita, si contractus sub conditione fiat, eveniente conditione retrotrahitur conditio, & fictione juris censetur ab initio purè contractum, *l. potior. 11. §. 1. ff. Qui potiores in pignore.* Præterea *præsumptio*, licet sit 15
juris & de jure, non aliter habet locum in conscientia, quàm si veritas subsit; *fictio* autem quamvis sit rei falsæ, tamen in conscientia quoque cæteris paribus obtinet. Ratio differentiæ est, quod in illis causis, in quibus non potest apparere de veritate, lex quidem subinde aliquid præsumat, & pro veritate habeat, interim tamen non intendat aliquid statuere, vel obligare contra ipsam naturalem & genuinam veritatem: in fictionem autem lex præcognoscit falsitatem, & nihilominus certè & enixè justa de causa aliquid statuit & determinat. Unde de Jure antiquorum, si quis peregisset copulam cum sponsa, in foro externo fuisset quidem præsumptum matrimonium; in foro tamen interno non fuisset aliter obligatus quàm si verum consensum ad matrimonium habuisset. Econtra Canonicus legitimè absens, tametsi revera non resideat in suo Canonicatu, quia tamen de Jure fingitur esse residens, optima conscientia fructus lucrabitur.



TITULUS XXIV.

De Jurejurando.

SUMMARIA.

1 *Juramentum quid sit & quomodo fiat?*
2 *Potest fieri non tantùm verbis, sed etiam signis.*
3 *Interpositio fidei non habet simpliciter vim juramenti.*
4 *Loco tamen iuramenti in foro externo acceptatur saltem in causis minoribus.*
5 *Juramentum debet habere tres comites, veritatem, iudicium, & iustitiam.*
6 *In Juramentum promissoria duplex veritas requiritur, intentionis, & executionis.*
7 *Pueri antè annos discretionis iuramentum præstare nequeunt.*
8 *Juramentum non debet esse vinculum iniquitatis.*
9 *Juramentum contra ius publicum factum non valet, ubi directè intenditur utilitas publica: secus si directà tantum intendatur utilitas privata.*
10 *Juramentum non debet esse in præiudicium tertii.*
11 *Iustitia in iuramento promissorio præcipuè attenditur.*
12 *An contractus de Jure invalidus iuramento confirmetur.*
13 *Quando contractus est invalidus tantùm in favorem debitoris, probabilius iuramento confirmatur.*
14 *Assertorium iuramentum potissimùm in judiciis usui est.*
15 *Juramentum, quod sine peccato etiam veniali servari non potest, ipso iure nullum est.*
16 *Quando peti debeat absolutio à iuramento ad cautelam.*
17 *Juramentum promissorium validum ordinariò per eum, in cuius favorem factum, aliquando ex causa etiam per superiorem indirectè relaxari potest.*

§. I.

De Juramento in genere, ejusque requisitis, & divisionibus.

1 J*Uramentum* rectè definitor, quòd sit invocatio Divini testimouii ad fidem dictis faciendam, & promissionem firmandam. Fit aurem hæc invocatio non rantùm pet verba cnntestatoria, seu simpliciter invocatoria: *ut testis est mihi DEUS, quàm verè DEUS vivit, &c.* sed etiam per verba execratoria, e. g. *Deus me puniat: sic me Deus adjuvet*, & similia: nam parum intereost quomodò petatur, ut Deus testimonium suum declaret. Suarez *de Relig. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 8. Neque tamen requiritur, quod aliquis explicitè Deum in testem adducat, sed ad valorem *juramenti* sufficiet, si implicitè id fiat; ut si quis juret per animam suam: quia continet implicitam execrationem, ut Deus animam puniat, nisi verùm sit, quod dicitur. Similiter si aliquis simpliciter dicat: *juro, vel per meum jusjurandum hoc affirmo*, rectè Deum in testem vocare videtur, quia hoc ipsum nomen & natura jurisjurandi importat. Ubi tamen bene monet Suarez *d. lib.* 1. *c.* 13. *n.* 4. cum hoc verbum, *Juro*, in morali acceptione sit indifferens ad verum vel fictum *juramentum*, & plerumque, qui talia verba profert, nec dum intentionem habeat actu jurandi, sed tantùm paratum se esse ad jurandum demonstret, ideo attendendas esse circumstantias, ex quibus desumi posset, quo sansu illa verba prolata sint, & sufficienter censebuntur actu juratoria, si per antecedentem sermonem *juramentum* petitum sit, vel si negotium, quod tractatur, *juramentum* postulet.

2 Item non tantùm verbis, sed & signis *juramentum* præstatur; quod quidem satis certum est circa eos, qui loqui non possunt, verùm etiam probabiliùs affirmatur circa eos, qui loqui possunt, cum Covar. *in Relect. cap. quamvis, de Pactis in princip. n.* 5. dummodò talia signa sint, quæ in communi acceptione declarent animum jurandi; ut si ab aliquo *juramentum* petatur, & is secundùm consuetudinem loci capite annuat, digitos erigat, vel avangeliorum librum tangat. Ita quoque si à subditis *juramentum* fidelitatis & obedientiæ exigatur, usu receptum est, ut singuli per manus porrectionem simul id se præstare ostendant.

3 Quærunt hoc loco DD. an *juramentum* censeri debeat, si quis per fidem suam, eut honorem sacerdotelem, vel nobilitatis aliquid affirmet, vel promittat? Hujusmodi interpositionem fidei habere vim *juramenti*, tenuerunt Felinus & Abbas *in cap. querelam* 10. *hoc tit. arg. cap. ad aures* 3. *De his quæ vi metusve caus. fiunt*, ubi habetur, quòd renunciatio ob laicorum terrorem facta irrita censeri debeat, nisi *juramento* vel *fide interposita* confirmata sit: & in causa *c. pervenit* 2. *in fine de Fidejussorib.* æquè puniuntur clerici, qui promissionem sub religione fidei, quam *juramenti* violarunt. Sed dicendum est cum Lessio *de Just. & jure lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 4. Covar. *in Relect. cap. quamvis de Pactis p.* 1. §. 2. *numer.* 3. prædicta verba non continere juramentum propriè dictum, quia per il-
4 la Deus non vocatur in testimonium, sed proferens tantùm indicat, se omnino deliberatum, ac memorem fidai, conscientiæ, & status sui loqui. Quod si tamen aliquis per fidem Christianam, eut Catholicam, aut per Evangelium rem promitteret, aut affirmaret, pro jurante haberi deberet: quia censetur authorem fidei in testem statuere. Lessius & Covar. *dict. loc.* Interim, sicut ex capitulis pro contraria sententia citatis satis apparet, talis interpositio fidei, quam faciunt Ecclesiastici sub honore sacerdotali aut Religionis; item personæ illustres sub honore suæ dignitatis, in foro externo *juramenti* loco acceptator, maximè in causis minoribus, in quibus non decet Ecclesiasticos facilè jurare, c. *si quis Presbyt.* 4. *causa* 2. *q.* 4. Videatur Gail. *lib.* 2. *obs.* 59. Mynsing. *Cent.* 1. *obs.* 17.

Porrò *juramentum*, ut sit licitum & obligatorium de- 5
bet habere tres comites, nimirum *veritatem*, *judicium*, atque *justitiam c. animadvertendum* 2. *caus.* 22. *q.* 2. Quod ad *veritatem* attinet; illa utique in omni *juramento* subesse debet, ne Deus in falsitatis testem invocetur, & qui- 6
dem in *juramento* promissorio duplex *veritas* interveniat, necesse est, una *intentionis*, seu veritas dicti, & altera *executionis*, seu veritas facti: etenim perjurium committitur non tantùm, si non serves, quod promittis, sed etiam, si ab initio servandi intentionem non habuetis, quamvis ex post facto serves, quia ejus rei, quæ secundùm tuam intentionem falsa fuit, Deum testem adduxisti: *Judicium* quoque in *juramento* requiritur, id ast, debita advertentia & deliberatio: unde fortassis nonnunquam à perjurio excusantur, qui malam consuetudinem jurandi habent, & quandoque præcipitanter aliquid falsum sub *juramento* affirmant. Pueri etiam anta annos di- 7
scretionis ex defectu judicii validum *juramentum* præstare nequeunt; post annos autem discretionis validum quidem *juramentum* præstare possunt, erg. *c.* 1. *de Delect. puer.* in judicio tamen propter solemnitatem Judiciorum ante annos pubertatis ad jurandum adigendi non sunt, *cap. pueri* 15. *causa* 22. *q.* 5.

Justitia denique *juramentum* comitari debet, quia 8
juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, *cap. quanto. hoc tit.* Undè inprimis quotiescumque aliquid sub juramento promittitur, quod intrinsecè malum est, & sine peccato fieri nequit, non obligat *juramentum* v. g. si quis juret, ulcisci injuriam, vel occidere hominem. Idem est si abjuretur aliquod bonum & virtuosum, sicut exemplum ponitur in *c. cum quidam* 12. §. *illi verò hoc tit.* de illis, qui jurarunt, non loqui parentibus, fratribus vel sororibus, aut ais humanitatis subsidium exhibere. 9
Qua de causa etiam *juramentum* de non mutuando, vel fidejubendo tanquam repugnans charitati proximo debitæ non esse obligatorium docet Abbas in *c. si vero* 8. *hoc t.* Præterea ex defectu justitiæ non obligat *juramentum* factum contra Jus publicum; quod ad publicam utilitatem principaliter introductum est, v. g. si Judex juret, crimen etiam manifestum sine accusatore non punire *c. ad nostram* 21. *hoc tit.* vel Clericus juret, quod coram Judice Laico litigare velit, *cap. si diligenti* 12. *de Foro compet.*

Notanter autem dico, *si Jus publicum* directè tendat 10
ad *utilitatem publicam*, si enim directè respiciat utilitatem privatorum, & tantùm in consequentiam publicam, valebit *juramentum* in contrarium præstitum, sic pro utilitate mulierum constitutum est, dotes suas alienari non posse etiamsi ipsæ consentiant, servandum tamen erit Juramentum, si mulieres juraverint, non revocare elienationem rei dotalis, *c. cum contingat* 28. *hoc tit.* Item quamvis futuræ hæreditati renunciari non possit, valebit tamen renonciatio, qua filia accepta dote hæreditati paternæ sub *juramento* renunciat c. 2. *de Pactis in* 6. quia regulariter omne *juramentum*, quod sine dispendio salutis servari potest, servandum est, *d. cap. contingat*. Hinc etiam qui promisit usuras solvere, debet servare suum *juramentum*; quia verò alter sine peccato accipere non potest, ideò solvens post impletum *juramentum* eas denuò repetere valebit *c. debitores.* 6. *h. tit.* Videatur Zoesius *h. t. n.* 53.

Tandem ad *justitiam juramenti* requiritur, ne sit in 11
præjudicium tertii, nam res inter alios acta aliis obesse non debet. Ita invalide jurat Prælatus, quòd non velit repetere bona Ecclesiæ eblata, vel quodcumque aliud contra utilitatem Ecclesiæ facere: *c.* 2. *& c. sicut* 27. *h. t.* Sed hæc, quæ de justitia *juramenti* dicuntur, in *juramento promissorio* locum habent, in *juramento* autem *assertorio* non est necessarium, ut materia sit honesta & justa, neque per se indecens est, adferre Deum in testem facti turpis, si ita utilitas publica, vel magna causa requirat, sicut testes super adulterio aut homicidio producti licitè jurant, quamvis de re turpi testimonium præbeant. Observat tamen Suarez *de Relig. tom.* 2. *tr. de Juram. l.* 2. *c.* 3. *n.* 6. etiam in *juramento assertorio* posse injustitiam committi, illudque fieri illicitum, si nimirum aliquis secretum proximi, ad quod celandum tenebatur sub *juramento*, injustè prodat.

Quæ

Quæstio est non levis momenti, utrum pactum vel contractus de jure nullus confirmetur per *iuramentum*, vel utrùm ipsum tantùm *iuramentum* servandum sit? Si enim dicatur, solum *iuramentum* servandùm esse absque eo, quòd contractus confirmetur, tunc si is, qui juravit, *iuramentum* in vita non implevit, hæres ejus ad implendum non tenebitur, qui ut rectè docet Suarez, *d. tract. de Juramento lib. 2. cap. 31. num.* 16. Juramentum quidem obligat etiam hæredes & successores ejus, cui juratur, sed non obligat hæredem ejus, qui jurat; nam juramentum est personale, & animam jurantis non egreditur.

13 Respond. in hac quæstione esse distinguendum, an contractus sit invalidus in odium creditoris, ita ut is sine peccato etiam veniali ex tali contractu aliquid acquirere non possit, prout fit in contractu usurario, aut metu vel dolo inito? Vel an contractus tantùm invalidetur in favorem debitoris, sicut invalidatur alienatio rei dotalis, rei ad minorennem pertinentis & similes? Priori casu non confirmabitur contractus sed ipsum tantummodo *iuramentum* servandum erit, vel ejus relaxatio petenda, ne Deus vanè & temere in testem vocatus sit, imò post impletum *iuramentum* repetitio ejus, quod ex tali *iuramento* præstitum est, conceditur. *d. cap. debitores* 6. *hoc tit. cap. ad audientiam* 4. *De his, quæ vi metusve causa fiunt.* Altero casu mihi videtur probabilius, ipsum contractum *iuramenti* firmati, ut ex text. *cap. quamvis* 2. *de Pactis in* 6. satis apparet: ubi pactum, quo filia hæreditati paternæ renunciavit, dicitur *iuramento firmatum*. Et in *l.* 1. *Cod. Si adversus venditionem*, dicit Imperator, juniorem, qui adversus venditionem rei suæ juratam venit, non tantùm perjurium, sed etiam perfidiam committere; si perfidiam, ergo supponitur non tantùm juramentum, sed etiam fidem datam & pactum valere.

14 Quod attinet ad divisionem juramenti, frequenter hactenus insinuatum est, juramentum dividi in *promissorium*, & *assertorium*. *Promissorium* dicitur, quod ad confirmationem promissionis, pollicitationis, seu quorumcumque contractuum & pactorum adjicitur; *assertorium* verò, quo simpliciter sine promissione aliquid affirmamus, vel negamus; & de hoc *juramento assertorio* in processu nostro judiciario potissimum nobis negotium est, idque subdividitur in *iuramentum voluntarium*, *judiciale*, & *suppletorium*, seu *necessarium*. Antequam verò ad hujus *iuramenti assertorii* tractatum progrediar, breviter aliquid de relaxatione *juramenti*, (cujus paulò ante mentionem feci, & præcipuè ad *iuramentum promissorium* pertinet) subjungam.

15 Notandum est igitur, si *iuramentum* sit apertè nullum, ut quia ex parte *iurantis* sine peccato, quamvis veniali tantùm, observari non potest; vel quia directè præjudicium tertii spectat, non indigebit absolutione, sed jurans propria authoritate contravenire poterit: quia quod nullum inducit vinculum, nullam requirit solutionem. Gloss. *in cap. 2. V. absolvimus & in cap. cum quidam* 12. §. *ult. ibidemque* Panorm. & Innoc. *hoc tit.* Facit textus in *c. quanto* 18. *& c. si verò* 8. *eod. tit.* Licet autem in *d. c.* 2. *& c. cum quidam*. jurantes etiam in similibus juramentis jussi fuerint absolvi: illam tamen absolutionem non fuisse propriè dictam, sed tantùm declaratoriam nullitatis, cum Gloss. *in eod. c.* 2. tradit Zoesius *h. t. n.* 47.

16 Cæterum, si *iuramentum* ex parte jurantis sine peccato observari possit, sed tantum sit illicitum ex parte creditoris; vel sit dubium, utrum propter certas circumstantias, vel supervenientes causas aliquis ad *iuramentum* teneatur; his casibus absolutio saltem ad *cautelam* peti debet, eamque superiores Ecclesiastici suis subditis, in quos jurisdictionem Episcopalem, vel quasi habent, concedere possunt.

17 *Juramentum* autem validum & obligatorium ille solus remittere potest, in cujus favorem factum, & cui ex eo jus quæsitum est. Censent tamen Doctores, aliquando etiam *iuramentum* validum per potestates ecclesiasticas & temporales remitti posse, saltem indirectè, subtrahendo scilicet materiam, idque tunc, quando alicui ex causa jus suum auferre possunt. Sicut ita in c. *excommunicamus*. 13. §. *moneantur de Hæret.* Princeps per censuras cogi potest, ut expellat hæreticos de suo territorio, & si propter negligentiam in expellendo excommunicatus fuerit, nec intra annum satisfecerit, Vasalli & subditi ejus per Papam à fidelitatis juramento absolvuntur, & terra ejus Catholicis exponitur occupanda. Plura de *Juramento* in genere, maximè verò de juramento promissorio videantur apud Suar. *d. Tr. de Juramento*, & Covar. *in Relect. c. quamvis de Pactis in* 6.

---

§. II.

De Juramentis, quæ in processu judiciario interveniunt.

S U M M A R I A.

18 *Quando pro satisdatione judiciali cautio juratoria admittatur.*
19 *Inter juramenta causa decisoria, aliud voluntarium, aliud judiciale, aliud necessarium.*
20 *Voluntarium juramentum est, quod defertur ad controversia decisionem extra judicium.*
21 *Juramentum judiciale in quibus differat à voluntario.*
22 *Juramentum judiciale aut subeundum, aut referendum est adversario.*
23 *Aliquando iustitia exigente, ab ipso judice imponitur.*
24 *Juramentum judiciale si referatur in adversarium, necessario ab ipso præstandum est, si facti notitiam habeat.*
25 *Ignorantia facti est justa causa recusandi juramentum delatum.*
26 *Et si actor nihil probaverit, tamen juramentum reo deferre potest, & is iurare tenetur.*
27 *An iuramentum recusari possit ab eo, qui ad alias probationes se offert.*
28 *Res ista pendet ex arbitrio Judicis.*
29 *Reus non potest recusare juramentum delatum ex eo solo capite, quòd referre in alterum non possit.*
30 *Juramentum recusari potest, ubicunque deferenti actio non competit: item si semel fuerit à deferente revocatum.*
31 *Juramentum necessarium propter perjurium retractari potest.*
32 *Idem probabilius dicitur de iuramento judiciali & voluntario, quando periurium in continenti probari potest.*
33 *Juramentum judiciale deferri non debet, antequam exigatur juramentum calumnia.*

NOn repetimus hìc ea, quæ superiùs *in tit.* 7. *huius lib.* de *Juramento calumnia, malitia, & veritate dicenda*. Item *tit.* 20. de *iuramento testium* explicata sunt, sed de illis tantùm *iuramentis* agemus, quæ partibus vel à se invicem, vel à Judice deferuntur, & ipsam causæ decisionem proxime respiciunt. Superest tamen juramentum unum, quod non ad causæ decisionem, sed tantùm ad præparatoria pertinet, cujus non recordor, me in prioribus Titulis fecisse mentionem, estque species juramenti promissorii, quæ *cautio juratoria* appellari consuevit.

Etenim jure & stylo tribunalium receptum est, quòd 18
partes ad initium litis soleant à se invicem *cautionem*, seu satisdationem exigere, quod scilicet in judicio usque ad finem persistere & judicatum solvere, seu sententiæ parere velint, ne judicium elusorium reddatur. Porrò hæc satisdatio, de qua totus titulus extat *inff.* qui inscribitur *de Satisdatione*, ordinariè per fidejussores quidem fieri debet, nisi aliquis bona immobilia possideret, quem sufficit simplici promissione cavere, si tamen pars litigans nec fidejussores reperire posset, nec bona immobilia haberet, idque probares saltem

juramento, tunc ad *cautionem juramenti* admitteretur. *Novell.* 112. *c.* 2. Quod si verò reus de fuga suspectus esset, communis est practica, ut sola *cautio juratoria* non admittatur, sed pro majori securitate *arrestum* decernatur. Videatur. Gail. *lib.* 2. *obs.* 44. *& lib. sing. de Arrestis*: Treutler. *Vol.* 1. *dis.* 5. *thesi* 2.

19 Circa illa *juramenta*, quæ ad causæ decisionem pertinent, hic rursus commemorandum est, quòd DD. quidam tres species eorum constituant, videlicet, ut aliud sit *Juramentum voluntarium*, aliud *judiciale*, & aliud *necessarium*, seu *suppletorium*, juxta Rub. hujus tit. quæ *in ff.* inscribitur *de Jurejurando, sive voluntario, sive necessario, sive judiciali*. Alii tamen existimant posse commodè ad duas species reduci, ita ut aliud sit juramentum *voluntarium*, aliud *necessarium*, eò quòd etiam juramentum *judiciale* sit juramentum voluntarium. Sed ego puto à communi opinione non esse recedendum, licèt enim juramentum *voluntarium & judiciale* in genere conveniant, quod utrumque sit voluntarium, in specie tamen habent aliquot notabiles differentias; quare commodioris explicationis gratia sit hujus §.

SECTIO I.

De Juramento voluntario & judiciali.

20 **V***Oluntarium juramentum* propriè dictum est id, quod pars parti extra judicium defert sub ea conditione, ut si jurare ausit, absque alio processu victoriam obtineat. Enim verò frequenter contingit, quòd litigantes aliis probationibus destituantur, vel metu expensarum ad finem controversiæ sponte properent, quibus optimè succurritur per delationem *juramenti*, quod maximum expediendarum litium remedium esse, ait JCtus in *l.* 1. *ff. h. t.* e. g. ego dico, quòd parens meus defunctus mutuaverit Titio 1000. florenos, quos ajo Titium necdum restituisse, quòd si Titius absolutè neget, se accepisse mutuum, & ego probare non possim, aut quia nullum extat chirographum, aut testes, qui interfuerunt, jam mortui sunt, defero Titio *juramentum, ut juret, se mutuum non accepisse*; si jam Titius juraverit, deinde non ampliùs quæritur de debito, sed tantùm de *juramento*, an scilicet præstitum fuerit sub ea lege & conditione, qua delatum est. *l. non erit* 5. §. 2. *ff. eod. tit.*

Notanter autem dico, *si absolutè negarit mutuum*, nam si confiteatur, se accepisse, sed excipiendo dicat, se jam solvisse, non debeo incautus esse, & ipsi deferre *juramentum*: quia hujus exceptionis affirmativæ, scilicet solutionis factæ probatio non mihi, sed ipsi incumbit, ut superius in *tit. de Probat.* §. 1. *reg.* 2. dictum.

21 *Juramentum judiciale* eodem modo à parte parti in defectu aliarum probationum defertur, atque ad distinctionem *juramenti necessarii* (de quo infra) etiam *voluntarium* dici potest: tum quòd non nisi à parte volente deferatur; tum etiam quòd is, cui defertur, electionem habeat, an præstare, vel adversario referre velit. Differt tamen à juramento voluntario proprio & in specie sumpto. I. quòd *juramentum voluntarium* à partibus sibi invicem deferatur extra judicium, *judiciale* autem *juramentum* in ipso judicio, arg. *l. Jusjurandum* 17. *ff. hoc tit.* II. quòd pars, cui delatum est *juramentum voluntarium*, non habet necesse *juramentum* subire, si malit per viam
22 juris procedere, & in judicio litigare. Gloss. & DD. *in d. l. jusjurandum*, is verò, cui *juramentum judiciale* defertur, illud vel subire debet, vel adversario referre, ut ipse juret, quòd e. g. mutuum dederit: nam manifestæ turpitudinis atque confessionis esse dicitur in *l. manifestæ* 38. *ff. hoc tit.* nolle nec jurare, nec *juramentum* referre. Quamvis autem Gloss. in eadem *l. manifestæ* 38. existimet, de jure novo liberum esse parti recusare *juramentum* etiam judiciale per text. in *l. generaliter* 12. *Cod. de Rebus creditis*, verius tamen est, quod notat Barth. Alex. Jason & alii, illum textum tantùm procedere, si justa recusationis causa subsit, de quibus caussis mox aliquid ampliùs dicam; id verò superadditum per illam legem, quòd hodie non tenetur pars subire *juramentum* delatum, nisi priùs à Judice approbatum fuerit: quia Imperator in eadem *l. generaliter in fin.* expressè dicit, se nihil derogare antiquioribus legibus, sed tantùm supplere, quod eis deesse videtur. III. Differentia jam insinuata est, quòd scilicet in *juramento judiciali* authoritas & approbatio judicis intervenire debeant. Imò Judex aliquando, si *juramentum judiciale* justum esse perspexerit, jubere potest, ut præstetur. *d. l. generaliter* §. 23
2. quæ omnia aliter se habent in juramento voluntario, quod ex utriusque partis libera voluntate dependet. IV. Denique is, qui *juramentum judiciale* adversariò detulit, si rectè id ipsum referatur, omninò præstare cogitur, dummodo facti notitiam habeat. Quod si recusarit, tanquam convictus condemnabitur, nulloque appellationis remedio se tueri poterit: quis enim ferendus est 24
inquit Imperator *in d. l. generaliter* §. 1. ad appellationis veniens auxilium in his, quæ ipse facienda procuravit? *At juramentum voluntarium*, cum ex utraque parte planè liberum & voluntarium sit, non potest referri cum hoc effectu, ut deferens illud subire, vel causa cadere debeat. *L. jusjurandum* 17. *ff. h. t.* Quod attinet ad alias causas, ex quibus *juramentum* delatum recusari potest omnes quidem conveniunt, & per se satis notum est, quòd recusationis causa sit *ignorantia facti*, super quo *juramentum* defertur: quis enim de ea re, quam ignorat, *juramentum* veritatis præstare valeat? ita si e. g. dicam 25
me apud Cajum defunctum catenam auream deposuisse, & propterea ipsius hæredem actione depositi conveniam, is verò neget, se quidquam de deposito scire, sanè vel liti cedere, vel aliis probationibus meam causam instruere debeo, quam per solam *juramenti* delationem, quia hæres in factis sui defuncti justam habet ignorantiam, teste JCto in *l. qui in alterius* 42. *ff. de R. J.* Cæterùm nonnullæ sunt circa istas causas recusandi *juramenti* difficultates. Etenim

Dubitatur I. an reus cogatur *juramentum* subire, si actor statim in principio litis nulla alia probatione instructus ipsi deferat? Negativè respondet Panorm. *in c. fin. h. t.* eò quòd actore non probante reus, etsi nihil præstiterit, absolvendus sit, *d. cap. fin.* §. *sanè & l.* 4. *Cod. de Edendo*: Sed

Affirmativa rectiùs defenditur cum Fachin. *L.* 1. *Controvers. c.* 19. arg. *l. tutor* 35. *ff. h. t.* ubi dicitur, tutorem 26
pupilli, omnibus aliis probationibus deficientibus jusjurandum deferentem esse audiendum: & in *l. manifestæ* 38. *ff. eodem & l. generaliter* 12. *Cod. de Rebus credit.* non distinguitur utrum deferens aliquid probarit nec ne: ergò nec nos distinguere debemus vulgata *l. de pretio* 8. *ff. de Publiciana.* Ad argumentum contrarium Resp. illud axioma, quòd *actore non probante reus absolvendus sit &c.* esse verum eo sensu, quòd arma non debeant sumi ex domo ipsius rei, adeoque quòd ipse reus nihil probare teneatur, non tamen eximitur, quin *juramentum* delatum præstare debeat vel referre; aut enim habet malam causam, aut bonam? si malam, iniquè petit absolvi: si bonam, non est quòd *juramentum* recuset, quando per id in propria causa quodammodo *testis & judex* constituitur.

Dubitatur II. an reus possit *juramentum* delatum re- 27
cusare, si dicat, se paratum aliis probationibus justitiam causæ suæ demonstrare. Negat Franc. Duarenus *ad tit. de Juramenta cap.* 6. tùm quòd jure indifferenter cautum sit, ut juretur, vel *juramentum* oblatum referatur: tum quia æquitas suadet, & publicè interest, ut omissis aliis probationibus potiùs ad *juramentum* recurratur, & ita lites citiùs & in ipso limine finiantur. Sed pro affirmativa, quàm allegat Jason *in* §. *si quis inst. de Action. n.* 26. Antonius Fab. *de Error. pragmaticorum decade* 19. *errore* 9. adducitur text. *in c.* 2. *de Prob.* ubi dicitur ad *juramentum* tunc recurrendum esse, cùm aliæ legitimæ probationes defecerint. Ergò si reus paratus sit probationes legitimas exhibere, non cogetur *juramentum subire*, maximè cum alicujus honori magis consulatur, si aliis probationibus utatur, quàm si post juramentū forsan ab adversario passim traducetur,

catur, tamquam pejeraverit. Mihi videtur hæc quæstio ex arbitrio judicis dependere: quia juxta text. *in d. l. generaliter*. Judex in *juramento voluntario judiciali* priùs suam cognitionem interponere debet, an scilicet justè deferatur vel recuserur; itaque si viderit Judex illum, qui recusat *juramentum*, & paratus est alias probationes exhibere, esse virum bonestum, bonæ conscientiæ & famæ, poterit hanc posteriorem sententiam amplecti; priorem verò tunc, si ex conjecturis & circumstantiis appareat, *juramentum* tantùm ad protrahendam litem recusari, & alias probationes ad palliandam falsitatem exhiberi.

29 Dubitatur III. utrùm reus teneatur præstare juramentum delatum, si adversario propterea referre non possit, quòd is veritatis & reis gestæ ignarus sit? Respon. esse probabilius juramentum excusari non posse arg. *l. jusjurandum, 34. §. non semper, 8. ff. h. t. & l. Marcellus, 11. §. 1. ff. de Act. rerum amotarum*. Enimverò etiam in hoc casu viget ratio æquitatis, ut lites citiùs expediantur; & turpiter quis recusare videtur *juramentum* in causa propria, atque fateri se malam causam habere, cùm jurare non audeat. Fach. *l. 1. Controv. c.* 12.

30 Plures alias causas brevitatis causa omitto, quæ apud DD. in materia *juramenti* passim leguntur. Adnotari tamen potest, quòd *juramentum* recusari valeat si deferenti, vel ob fori incompetentiam, vel ex alia causa actio non competat. *l. tutor. 35. §. fin. ff. h. t.* Ita etiam in *l. in contractibus 14. §. illo 3. Cod. de non numer. pecun.* statuit Imperator, quod post exactum biennium nec exceptio non *numeratæ pecuniæ* opponi, nec *juramentum* deferri possit. Deinde etiam justa recusandi causa est, si is, qui *juramentum* detulit, id revocaverit, ac rursus deferre velit, talis enim variatio non est admittenda, *l. si quis 11. C. de Reb. credit.*

31 Quæstio est plurimum utilis, quam silentio præterire nolo, an *juramentum* judiciale propter perjurium retractari possit? quòd *juramentum necessarium* retractari possit, si is, contra quém juratum est, per instrumenta noviter reperta, vel alias probationes paratus sit demonstrare jurantem perjurium commisisse, textus est apertus in *l. admonendi 32. ff. h. t.* juramentum autem *voluntarium, & judiciale* non aliter ob perjurium retractari posse, quàm si sub ea conditione & lege delatum sit, ut detecto perjurio retractaretur, constitutum. videtur in *l. 1. C. de Rebus credit.. l. non erit 5. §. 2. & d. l. admonendi, ff. h. t.* eò quòd *juramentum judiciale* contineat speciem transactionis, & sibi imputare debeat, qui adversarium in propria causa testem & Judicem constituit. Verùm mihi semper probabilius & æquius visum est, si aliquis posset per probationes in continenti paratas, quæ non requirunt altiorem indaginem, vel longiorem dilationem, *juramenti judicialis* falsitatem demonstrare, ipsum audiendum esse, authoritate *l. fin. Cod. de Rebus credit.* quæ est una ex novis constitutionibus Justiniani, *post consulatum Lampadii & Orestis* promulgata, ubi generaliter statuit Imperator, quidquid antiqui de ea re dixerint, ex sua constitutione neminem posse ex perjurio etiam in *juramento judiciali* commisso lucrum captare, *ne cui*, inquit, *ex delicto*
32 *impium sibi lucrum afferre nostris legibus concedatur*. Quæ ratio, cùm sit universalis, apparet, Imperatorem non tantùm in fideicommissis & legatis, de quibus loquitur, sed generaliter in omnibus similibus casibus, in quibus *juramentum judiciale* intervenit, disposuisse. Huc quoque accommodari potest, quod Fach. *lib. 2. controv. c. 26.* docet, videlicet etiam transactionem propter immodicam læsionem rescindi posse.

33 Postremò pro cautela tenendum est, ne aliquis præceps sit in *juramento* deferendo, nisi priùs exegerit ab adversario *juramentum calumniæ*, ut scilicet juret, quòd non per calumniam litem suscipiat: nam licet adversarius jurando de calumnia fortasè perjurium committat; nihil tamen propterea præjudicíabitur actori, quin aliis adhuc probationibus (licet altiorem indaginem & longiorem dilationem requirentibus) uti, vel in earum defectu ipsum quoque *juramentum judiciale* deferre possit.

SECTIO II.

De Juramento necessario.

SUMMARIA.

34 *Quid sit juramentum necessarium?*
35 *Juramentum suppletorium in causis criminalibus non defertur, benè tamen purgatorium.*
36 *Suppletorium in causis etiam arduis locum non habet, aut si is, cui defertur, de propria scientia jurare non potest, aut est persona suspecta.*
37 *Illi defertur juramentum suppletorium, qui semiplenè probabit.*
38 *Quid sit, & quando deferatur juramentum in litem?*

J*Uramentum necessarium* est, quod à judice alterutri 34 parti in supplementum probationis defertur. *d. l. admonendi 31. hoc tit. & l. 3. C. de Rebus credit.* Dicitur *necessarium*, quòd non ex voluntate partium, sed à judice defertur, & quidem ex officio ad indagandam veritatem. Abbas *in cap. fin. hoc tit.* Gail. *lib. 1. observ. 198. n. 7.* Imò etiam post conclusionem in causa locum habebit, ut judex, cui in causa non concluditur, ex officio *juramentum* istud deferre possit. Dico *ex officio*; quia à partibus, quæ per conclusionem aliis probationibus renuntiarunt, id non rectè peteretur. Gail. *d. l.* Fach. *lib. 1. controv. cap.* 17.

Sunt autem aliquæ causæ, in quibus *juramentum sup-* 35 *pletorium* excluditur, inter quas numerantur. I. causæ criminales, in quibus, cum probationes clarissimæ requirantur, præstat in defectu probationum reum absolvere, quàm ad eundem condemnandum actori *juramentum* deferre. Ipsi tamen reo ad ostendendam suam innocentiam *juramentum purgatorium* deferri, maximè de jure Canonico indubitatum est. Sichat. *in l. 3. Cod. de Rebus credi-* 36 *tit.* II. Causis criminalibus æquiparantur causæ civiles valdè arduæ, ubi de magna quantitate agitur, quia timendum est, ne homines lucri cupiditate excæcati facilè perjurium committant. III. Non habet locum hoc *juramentum*, quando pars, cui defertur, non potest testari de sensu proprio, quòd scilicet per se interfuerit actui, de quo est controversia: nam *hoc juramentum* est veritatis, non credulitatis. IV. Non defertur parti infami, suspectæ de perjurio, vel aliàs modicæ fidei, quod judicis arbitrio relinquendum est.

Quæres, cui parti deferendum sit: an actori, an reo? 37 Varii variè sentiunt. Breviter puto hoc *juramentum* illi deferri debere, qui semiplenè probavit: quia ut ex *c. 2. de Probat. & d. l. 3. C. de Reg. credit.* satis apparet in supplementum probationis deferendum est, & consequenter illi, cui probatio incumbit. Quòd si pars illa, quæ probare debeat, minùs quàm semiplenè probasset, & ita tantùm aliquam præsumptionem fecisset, tunc regulariter (nisi judex inspectis causarum & personæ & causæ circumstantiis aliud statuerit) parti adversæ ad ostendendam suam innocentiam deferendum foret *c. fin. hoc t.* Fach. *d. lib. 1. c.* 18.

Demum ad *juramentum necessarium* referri potest *jura-* 38 *mentum in litem*, quo non quidem ipsa causa, sed quantitas rei, vel æstimatio in judicium deducta probatur, ut constat ex toto *tit. ff. De in litem jurando*. Defertur hoc *juramentum* potissimùm propter dolum adversarii, qui res alterius rapuit vel perdidit, & ex post facto conliare non potest, in qua quantitate vel qualitate fuerint. Modus autem præstandi hoc juramentum traditur *in l. si quando 6. Cod. Unde vi*, ut scilicet actor in specie coram judice designet res sibi ablatas vel dolo perditas, aut earum pretium, & interesse exprimat, quàm expressionem, si judex crediderit esse exorbitantem, ad verisimilem summam moderabitur. Post hanc deinde moderationem actorem jurare jubebit, quòd non minùs perdiderit; ultra verò taxationem judicis jurare non licebit: sed solùm remedium appellationis supererit, si judex iniquè taxaverit. De hoc *juramento* videantur plura apud Interpretes in *d. tit. De in litem jurando*.

TITULUS XXV.

De Exceptionibus.

S U M M A R I A.

1 *Exceptiones quid sint? & sunt aliæ dilatoriæ, aliæ peremptoriæ.*
2 *Exceptiones dilatoriæ regulariter ante litem contestatam sunt opponendæ: & fori declinatoriæ ante omnem actum judicialem.*
3 *Exceptio excommunicationis & aliæ, quæ acta annullant, semper possunt opponi.*
4 *Exceptiones peremptoriæ ante, & post litem contestatam opponi possunt: non autem post sententiam.*
5 *Exceptiones, quæ principaliter executionem respiciunt, etiam post sententiam proponi possunt.*
6 *An in probatione exceptionis deficiens condemnetur tanquam confessus.*
7 *Exceptiones sequuntur replicatio, duplicatio, &c. & quid in praxi?*

1 EXceptio nihil est aliud, quàm defensio rei, qua intentionem actoris elidere conatur *l. 2. in princ. ff. hoc tit. Exceptiones* aliæ sunt *dilatoriæ*, aliæ *peremptoriæ*. *Dilatoriæ* dicontur quæ principale negotium, ejusque cognitionem, & judicium ad tempus differunt, non tamen omnino actionem excludunt; ut si judex dicatur incompetens, vel suspectus; si Procurator negetur habere mandatum; si reus conqueratur se esse spoliatum ab actore, vel necdum elapsum esse terminum solutionis, &c. Exceptiones *peremptoriæ* vocantur, quæ jus actoris perimunt, & semper agentibus obstant, ut exceptio contractus invalidi, pacti de non petendo, transactionis, solutionis, jurisjurandi, rei judicatæ, præscriptionis, & similes.

2 Porro exceptiones *dilatoriæ* regulariter ante *litem contestatam* proponendæ: & quidem, si ejusmodi exceptiones respiciant personam judicis, & sint *fori declinatoriæ*, quia scil. judex dicitur suspectus, vel incompetens, ante omnem actum judicialem opponere debent, ne aliàs reus in judicem suspectum consentire, vel incompeten-
3 tis jurisdictionem prorogare videatur. Val. *h. t. n. 7.* nisi tamen primùm ex post facto talis exceptio exorta fuerit, vel in rei notitiam devenerit, quia generaliter audiri debet reus etiam post litem contestatam, si saltem probare possit, exceptionem aliquam dilatoriam tunc primum sibi innotuisse *c. pastoralis 4. h. t. l. de ætate 11. §. ex causa 3. ff. de Interrogationibus in jure fac.* Item exceptio excommunicationis, quamvis sit dilatoria; nihilominùs etiam scienter omissa in quacumque parte judicii opponi potest contra actorem *cap. exceptionem 12. hoc tit.* Sicut & illæ exceptiones dilatoriæ, quæ judicium, & retroacta annullant; ut si excipiatur, quòd judex in hac causa jurisdictionem non habuerit, neque ea prorogari potuerit e. g. si sæcularis judex judicarit de causa Ecclesiastica; vel si Procurator sine mandato egerit, neque dominus ratum habere velit: quia similium exceptionum omissio etiam scienter facta, non potest judicium convalidare. Text. & DD. *cap. in nostra 4. de Procuratoribus.*

4 Exceptiones peremptoriæ regulariter tam ante, quàm post litem contestatam proponuntur *l. præscriptionem 8. Cod. h. t. & l. 2. Cod. Sententiam rescindi non posse.* Post sententiam autem non rectè opponuntur, sed ad appellationis beneficium convolandum; vel si minorennis sit condemnatus, restitutio in integrum ad exceptio-
5 nem proponendam postulanda est *dict. l. 2.* Sunt tamen quædam exceptiones, quæ etiam post sententiam opponi possunt, illæ nimirum, quæ principaliter executionem respiciunt, cujusmodi sunt exceptio Senatus Consulti Vellejani & Macedoniani *l. tamen 11. ff. ad S. C. Maced.* Item exceptio competentiæ, quæ datur donatori contra donatarium, socio contra socium, Clerico obærato, & aliis, ne in plus executio fiat, quàm servata congrua sustentatione facere possunt. *Zoes. hoc t. num. 6.*

Quæritur, an si reus exceptionem peremptoriam op- 6
ponat, e. g. solutionis, aut præscriptionis, & in ejusdem probatione deficiat, propterea actor, licèt nihil aliud probet, obtentutus sit causam? Pro affirmativa facit, quòd reus fortè conventus ex mutuo, qui excipiendo dicit, se jam solvisse, hoc ipso mutuum confessus videatur, & consequenter nisi solutionem probaverit, causam ex propria confessione perdere debeat. Econtra pro negativa adducitur nota juris regula, qua dicitur, quòd ille, qui excepit, per hoc non censeatur fateri intentionem adversarii *l. non utique 9. ff. hoc t. c. exceptionem 63. de R. J. in 6.*

Respond. Esse distinguendum, utrum reus deficiens in exceptione suæ probationis velit ex post facto negare intentionem actoris vel quoad jus, vel quoad factum? Si quoad jus, e. g. dicendo: fecimus quidem contractum, sed nego illum contractum valuisse; audiendus erit; quòd si verò ipsum factum negare velit, quod jam per exceptionem confessus est, non aliter audiendum puto, quàm si de errore docuerit, ut in t. *de Confessis* de revocatione confessionis diximus. Ita docet Panorm. *in c. cum venerabilis 6. h. t. n. 26.*

Exceptioni contraria est replicatio, qua actor elidit, 7
vel negat exceptionem rei; sed contra replicationem conceditur reo alia responsio, quæ vocatur duplicatio; cui rursus respondet actor per triplicationem; & triplicationi reus opponit quadruplicationem. Ultra quadruplicationem in plerisque tribunalibus partes nisi ex magnis motivis non audiuntur, sed in causa concludere debent. Imo praxis multorum locorum est, quod in verbalibus audientiis & causis summariis causa per duplicationem concludatur.

TITULUS XXVI.

De Præscriptionibus.

S U M M A R I A.

1 *Præscriptio quid, & quomodo differat ab usucapione?*
2 *Præscriptio cur introducta, & an potuerit introduci?*
3 *Præscriptione acquiritur dominium, & an errore juris præscripta restituta vindicari possit?*
4 *Præscriptio an habeat effectum in foro conscientiæ.*

Alia Summaria post §. II.

§. I.

De Præscriptione in genere, ejus definitione, differentia & effectu.

PRæscriptionis vocabulo veteres Jurisconsulti generaliter exceptionem intelligebant, ut patet ex *Rubr. & l. 10. 11. 12. ff. de Exemptionibus, præscriptionibus.* In sensu autem magis specifico, & proprio hujus Tituli, *præscriptio* est *illa exceptio, quæ opponitur domino, rem suam ab alio per tempus à lege definitum, & conditionibus ad id requisitis possessam vindicanti*, sive definit J. C. *in l. 3. ff. de Usurpationibus & Usucap.* est *adjectio dominii* (posset addi) *vel alieni juris peremptio* (dum scil. actioni personali, vel pœnali præscribitur) *per continuationem possessionis temporis à lege definiti* (subjunge) *aliisque jurium requisitis intervenientibus.*

Licet porrò inter *præscriptionem & usucapionem* varias differentias assignare soleant LL. Civ. Interpretes, præsertim jure antiquiori inspecto, hodie tamen ex recepto loquendi more posterioribus legibus, & maximè SS. Canonibus conformi plerumque inter se confunduntur, nisi quod *usucapio* propriè tantùm *rebus corporalibus,*

libus at verò *præscriptio* generaliori significatione tam *rebus corporalibus*, quàm *incorporalibus* conveniat. Ubi & illi sunt termini artis notandi, quòd si per præscriptionem alterius jus extinctum sive peremptum sit, soleamus loqui Dativo scil. *præscriptum est obligationi, juri, vel actioni*; sin autem de acquisitione sermo sit, nominativo, vel accusativo utimur, v. g. *præscripta est servitus*, vel *præscripsi rem, jurisdictionem &c.* Alii etiam differentiam inter usucapionem & præscriptionem statuunt cum Accurs. Mynsing. Scheidevvin. *ad princ. Instit. de Usucap.* quòd illa sit rerum mobilium hæc immobilium. Sed ista doctrina non benè cum LL. subsistit, in quibus æque rerum immobilium, quàm mobilium usucapio conceditur *l. sequitur 4. §. si tu 22. l. ei à quo 21. ff. de Usurp. & usucap. l. un. C. de Usucap. transform.* Covar. *ad c. possessor. de R. J. in 6. p. 1. §. un. n. 3.*

2 Introductum est hoc jus præscriptionis ob publicam utilitatem, ne incerta semper essent rerum dominia, & infinitæ lites circa rerum proprietates, *l. 1. ff. de Usurp. & usucap.* neque enim sequitur, rem habeo ex empto, donato, legato &c. ergo est mea jure dominii, nam si is, qui mihi tradidit dominus non fuit, me quoque dominum facere non potuit, cùm nemo plus juris in alium transferre valeat, quàm ipse habeat *l. nemo 54. ff. R. J.* nisi proinde lex ob diuturnam possessionem bona fide, & justo titulo comparatam illius rei dominium expressè mihi adscriberet, nunquam de eo securus forem; & esto fortassis unus actor in judicio ex probationum defectu me non vinceret semper; tamen alias, & alios superventuros timerem.

Videtur quidem præscriptioni obstare juris naturalis præceptum: *ne quis cum alterius jactura locupletetur.* Sed hoc præceptum intelligendum est de locupletatione injusta, non autem de ea, quæ fit legis authoritate ex justa & publica causa, ob quam lex, cum sit domina rerum, potest uni dominium adimere, & in alterum transferre, sicut etiam contingit jure alluvionis, jure belli &c. *l. adeo 7. §. 1. l. ergo 30. §. penult. ff. de Acquir. rer. dom.* & lex humana, quamvis Jus naturale in thesi mutare nequeat, totam ejus præceptionem abrogando, in hypothesi tamen, & particularibus casibus restringere, & declarare potest. Unde illa regula *neminem esse locupletandum cum alterius jactura*, potissimum in contractibus & commercio privatorum ad observandam justitiam commutativam, vel etiam in delictis furti, rapinæ &c. procedit, non autem in constitutione legis publica authoritate, & ex justa causa prolatæ, per quam omnium utilitati consulitur ita ut qui forsan in una re passus præscriptionem, is proximè alia contra alterum eodem præscriptionis jure utatur.

3 Effectus præscriptionis constat ex definitione, quòd scilicet sit acquisitio dominii in re possessa, ita ut saltem hodie jure Justinianeo ex præscriptione non tantùm exceptio contra vindicantem priorem dominum, vel quemcunque alium petitorem, sed etiam pro re præscripta amissa concedatur actio & vindicatio *l. si quis emptionis 8. in princ. C. de Præscript. 30. annorum* Arnold. Rath. Celeberr. Ingolstad. & meus olim Colendiss. Professor *in tract. de Usucap. c. 21. Assert. 2. numer. 4. & 5.* Advertere tamen oportet, in practica non esse illicò ad vindicationem prosiliendum, utpote in qua difficiles probationes incumbunt Actori, & Adversarius facilè defectum circa requisita ad legitimam præscriptionem invenit; magis autem expedire, primitus aliquod remedium possessorium *retinendæ* vel *recuperandæ* possessionis, aut *actionem publicianam*, ubi tantùm possessio cum titulo probanda est, licet tempora præscriptionis elapsa non sint, intentare de quibus prolixè agunt Interpp. *ad Tit. Inst. de interdictis ad §. namque 4. Inst. de act. & t. t. ff. de Publiciana in rem actione* Menoc. *in Trac. de Remediis possessoriis.* Illud etiam notabile, quod cum Gloss. & Barthol. *in l. fin. ff. Rem ratam haberi* Bald. *de Præscr. q. 1. q. 6.* contra Tholos. *l. 40. Syntagm. & c. 10. n. 2.* docet. Laym. *in Theol. Moral. lib. 3. Tract. 1. cap. 8. n. 23.* rem usucaptam propter acquisitum ejus dominium, etiam per errorem juris priori domino restitutam vindicari posse.

4 De eo inter DD. controvertitur, an effectus præscriptionis etiam in foro interno locum habeat, ut salva conscientia res illa, quam post completam præscriptionem præscribens agnoscit fuisse alienam, retineri possit? Etenim pro negativa facit, quòd præscriptio fundetur potissimum in pœna negligentium prosequi res suas, atque hujus negligentiæ præsumptione; qui proinde si revera non fuerit in negligentia culpabili, sed potius ignorantia, non procedet hæc lex pœnalis, & in præsumptione fundata contra eos in foro interno, quidquid in foro externo ad amputandas lites statuatur, quemadmodum non datur actio læsis infra dimidium justi pretii, & tamen in foro interno debet fieri restitutio. Alcia *ad l. quinque pedum. C. Finium regund.* Adrian. *in 4. de Rest. ubi de præscript. §. mihi autem* Medina *de Rest. q. 18.* Adde, quod Justin. Imper. *in Nov. 9.* præscriptionem *impium præsidium, improbam temporis allegationem* dicat. Alii distinguunt inter titulum lucrativum, & onerosum, ut cum isto res retineri possit, non cum illo, sicut refert Gloss. *in c. vigilanti 5. v. noverit. X. h. t.*

Verùm sententia affirmativa communior est; quia lex dicitur domina rerum, quas potest ex publica causa & authoritate uni adimere, & in alterum transferre, sicut possunt privati in privatos per pactiones & dispositiones, *cap. 1. dist. 8. l. 1. ff. de Constit. princ. leg. Lucius 11. ff. de Evict. l. benè à Zenone 4. C. de Quadr. præscript.* lex autem justa in foro externo est etiam justa in foro interno, ut in *lib. 1. Tit. 2. de Constit. §. 3. numer. 36.* dictum. Nec est verisimile, quòd SS. Canones, qui principaliter salutem animarum considerant, *c. novit. 13. de Judic. cap. ut animarum 2. de Constit. 6.* præscriptionis jura approbassent, si effectus eorum conscientiæ repugnarit. Imò hoc ipso, quòd *in c. fin. h. tit.* tantùm præscriptionem cum mala fide ratione peccati excludunt, utique supponunt præscriptionem cum bona fide à peccato, & consequenter a restitutione immunem esse. Neque demum satis provisum foret fini præscriptionis, si quod Canon, & lex circa dominii acquisitionem approbat, confessarius reprobaret.

Non obstant contraria, quia lex præscriptionis neque in pœna, neque in præsumptione negligentiæ principaliter fundatur, sed in quiete publica &, ut homines de suis possessionibus securos reddat. Non etiam est paritas, quando lex actionem læsis infra dimidium denegat, & quando præscriptionem concedit: ibi enim tantùm negativè se habet non assistendo in judicio externo, hic autem in præscriptione positivè approbat, dominium adjicit, & possessorem securum reddit. Quòd verò Imper. *in d. Nov. 9.* præscriptionem *impium præsidium* vocet, id eo sensu intelligendum est, quatenus improbi homines, & malæ fidei possessores præscriptionis remedio contra Ecclesias abutuntur. Atque hanc posteriorem sententiam tenent Gloss. Panorm. Barb. *in Collect. ad cap. vigilanti 5. h. t.* Covar. *ad c. possessor. de R. J. in 6. p. 3. §. 2. n. 1.* Paulus Laym. *in Theol. Moral. lib. 3. Tract. 1. cap. 8. n. 4.* Fachin. *lib. 1. Controv. cap. 64. &* Arnol. Rath. *d. cap. 1. assert. 10.* ubi plures alios allegant, & attestantur de communi.

---

§. II.

De Requisitis ad præscriptionem in specie, & de habilitate rei ad præscribendum.

SUMMARIA.

5 *Præscriptionis quot & qualia sint requisita?*
6 *Præscribi nequeunt res, quæ non sunt in commercio, neque spiritualia à laicis.*
7 *Præscribi an possit contra obedientiam, visitationem, & procurationem?*
8 *Præscribi an possint limites.*
9 *Præscriptio non procedit in actibus meræ facultatis, & ibi de pacto retrovendendi, item jure luendi pignus.*
10 *Præscribi non possunt res alienari prohibitæ, veluti pupillares, dotales, fideicommisso subjectæ.*

11 *Ne-*

11 *Neque res furtivæ, aut vi possessa.*
Alia Summaria post §.3.

5 PRæscriptio, ut procedat, & effectum sortiatur, 4. conditiones requiruntur. I. Ut res sit apta præscribi. II. Bona fides. III. Justus titulus. & IV. Possessio legitimo tempore continuata. Quintum requisitum, addunt aliqui, traditionem; sed rectiùs dicitur, traditionem non esse per se necessariam ad præscriptionem, solum verò ex consequenti: quia justa possessio, vel bona fides, vel titulus absque ea deficit. Arnold. Rath. *in Tract. de Usucap. c. 5. assert.* 1.

Solent DD. hæc requisita per vulgatos hos versiculos memoriæ commendare.

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:
Bona fides, justus titulus, res non vitiosa,
Ut res tradatur, tempus quoque continuetur

Sed quia traditionem exclusimus, & de re non vitiosa, seu habili & apta ad præscribendum primò loco tractare constituimus, cùm, ut ait J.C. *in l. ubi lex 24. ff. de Usurp. & usucap.* bona fides possidenti nihil prosit, ubi lex inhibet præscriptionem. Et aliàs de materia cujuslibet rei, ejusque aptitudine præmitti soleat, ideo cui placet, poterit in locum priorum sequentes versiculos substituere:

Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus.
Possideas justè, completo tempore legis.

6 *Primum* igitur requisitum est, ut res sit *apta præscribi*, id est, talis, in qua jura non prohibeant præscriptionem. Etenim I. res commercio hominum exemptæ, & quæ possideri nequeunt, aut in patrimonio & bonis nostris esse, præscribi non valent, uti res sacræ, religiosæ, homines liberi; item res publicis usibus deputatæ, forum, theatra, via publica &c. *l. usucapionem 9. ff. de Usurp. & usucap.* Quibus etiam ex Jure Can. rectè annumerantur jura spiritualia, & jus decimandi, conferendi beneficia &c. ut hæc à laicis possideri & præscribi non possint, *c. causam 7. h. t.* Qua de re copiosè dicemus inferiùs in *lib. 3. l. 39. de Decimis §. 2. & §. 3. à n. 5.* An verò alia bona & prædia Ecclesiarum possint præscribi? agimus in eod. *lib. 3. tit. 13. de Rebus Ecclesiæ non alienandis.*

7 II. In *c. cum non liceat*, 12. *c. cum ex officii* 16. *h. t.* non admittitur præscriptio contra obedientiam, visitationem & procurationem. Verùm hoc ita intelligendum est, quòd obedientia, & visitatio *extinctivè* præscribi non possit, ita scil. ut nulli debeatur obedientia & nulli competat visitatio ne dentur acephali sine capite sicut locustæ, potest autem præscribi obedientia & visitatio *translativè*, nimirum ut alteri quàm Episcopo, videl. tur immediatè S. Pontifici, aut circa particulares Ecclesias inferiori Prælato obedientia exhibeatur, & visitatio competat. Barbosa, *de Offic. Episc. p. 3. alleg.* 128. *n. 3. &* 129. *n. 9.* sicut exemptionem, *c. 2. de Capell. Mon. c. cum olim.* 14. *vers. quia vero evidenter de Privil. c. cum persona 7. de Privileg in 6.* & jura Episcopalia etiam ab inferioribus Prælatis præscribi posse, satis inter DD. convenit, *c. auditis 15. ubi gloss. in v. Jus Episcopale*, & Barb. *in Collect. DD. & c. cum olim 18. h. t.* Panorm. *in c. cum non liceat*, 12. *eod. t. n.* 17. Barb. *de Offic. Episc. p. 3. alleg.* 127. *per tot.*

8 III. Limites, seu termini, & fines dioecesium, & Parochiarum præscribi non possunt, ne confusio inter Prælatos, & subditos oriatur *c. super eo 4. de Parochiis*, atque idem de limitibus provinciarum, & terrarum, ubi publica authoritate constituuntur, sentit Host. apud Panorm. *in d. c. super eo n. 7.* & Barb. *ibid. in Collect. n. 3. & de Offic. Episc. p. 3. alleg.* 141. Secus de limitibus Prædiorum, qui privata authoritate, & conventione ordinantur, *c. quia indicante 9. h. tit.* Item secus si de liminum certa constitutione non appareret, sed illi dubii forent, tunc enim melior judicaretur possidentis conditio. Panorm. & Barbos. *dd. ll.* Nihilquoque obstat, quo minùs aliquis illam terram, ubi limes positus est, quoad proprietatem præscribere valeat si adhuc limes maneat in sua ratione limitandi, & nihilominus finem Episcopatus vel Parochiæ designet. Barb. *in d. c. super eo n.* 4. Similiter non impeditur præscriptio decimarum in aliena Parochia, si fiat salvis de cætero limitibus, *c. ad aures 6. h. t.* Panorm. *in d. cap. super eo n. 6.* Barb. *d. alleg.* 131. *n. 6.*

9 IV. In rebus & actibus *meræ facultatis* non procedit præscriptio, nisi prohibitioni interpositæ is, qui meram facultatem habet, cum patientia acquieverit, & hunc prohibentem in quasi possessione, & se in putativa obligatione constituerit. *DD. ad l. 2. ff. de Via publica & itinere publ.* & hanc esse receptam apud J.C. regulam, testatur Paulus Laym. *in Theol. moral. lib. 3. tr. 1. num.* 8. Dicuntur autem res *meræ facultatis*, quæ homines citra ullam conventionem & obligationem jure naturæ vel gentium pro suo arbitrio solent facere & omittere. Unde licet v. g. quis domum suam hactenus nunquam altiùs ædificaverit, non tamen erit contra ipsum præscriptum, quin imposterum ædificare valeat, nisi aliquando ædificare volentem vicinus prohibuerit, & is de hac ædificatione cessarit &c.

Aliquando etiam per pactum res efficitur liberæ facultatis, veluti in pacto *de retrovendendo, seu redimendo quandocunque placuerit &c.* ubi propterea juxta veriorem (aliis quidem non paucis dissentientibus) & in Camara receptam sententiam non admitti præscriptionem præsertim jure can. inspecto, cum hic scientia, & mala fides præscribere volentis concurrat, tradunt Andr. Gail. *lib. 2. obs.* 18. *n.* 4. Mynsing. *Cent.* 1. *obs.* 16. Fach. *lib. 2. controv.* 13. Harp. *ad princ. Inst. de Usucap. à n.* 197. Vid. etiam Covar. *var. resol. lib.* 1. *cap.* 9.

Idem censent de jure *luendi pignus*, quòd videl. debitor nulla præscriptione excludatur, quin oblata pecunia debita possit à creditore pignus repetere; ubi specialiter etiam illa ratio accedit, quòd actioni nondum natæ non præscribatur, sicut non est privatio sine habitu. *l. 1. §. ad hæc 1. C. de Annal. except. l. sicut 3. Cod. de Præscript. 30. ann. ib. ex quo competere cœperunt.* actio autem pigneratitia ad repetendum pignus non nascitur ante solutionem *l. si rem alienam 9. §. 3. de Pignor. act.* Item hæc præscriptio nullum haberet effectum: nam cum creditor non possederit rem oppignoratam tanquam suam, & jure dominii, sed tantùm jure obligationis, & pro ipso debitore ita quidem, ut creditoris possessio ad usucapionem prosit debitori, ejus quoque dominium non usucepit, *l. pignori 13. ff. de Usurp. & usucap.* si dominium non usucepit, quidquid opponeret contra actionem pigneratitiam, daretur contra eum rei vindicatio, aut publiciana. Arnold. Rath. *in Tract. de Usucap. c. 4. assert.* 5. Andr. Gail. *d. O.* 18. Harp. *ad tit. Inst. de Usucap. in Princ. à n.* 183. Aliud est circa jus offerendi competens posteriori creditori, ut offerendo debitum priori, possit in ejus locum succedere, & sibi causam pignoris confirmare, *juxt. l. 1. prior. 5. & l. diversis 8. C. Qui pot. in pign.* quia hoc jus offerendi competens per modum actionis, beneficii vel privilegii juris lapsu 30. annorum perimitur *l. cum notissimi 7. §. eod. jure 3. C. de Præscript. 30. an* Gail. *d. l. n.* 11. & Harp. *d. l. num.* 195. Neque hic videtur scientia prioris creditoris malam fidem hujus præscriptionis impeditivam constituere, utpote qui nihil cum secundo creditore contraxit, & ita non tam positiva ante actionem institutam, quàm passiva tantum ejus est obligatio; veluti dum alterius privilegio præscribitur, cui privilegiatus non utendo renunciare censetur, & tantisper optima fide præsumi potest.

V. Res, quæ alienari, regulariter etiam usucapi prohibentur. *arg. l. alienationis 28. ff. de Verb. sign.* deficit enim in his plerumque justus titulus ex defectu justæ alienationis, concurritque error juris, qui non prodest ad usucapionem, *l. nunquam 31. ff. de. Usurp. & usucap. cap. 2. de Reb. Eccl. non alien. in 6.* 10

Huc pertinent in primis *res pupillorum & minorennium*, quæ longo tempore usucapi & præscribi non possunt, *l. 3. Cod. Quib. non obs. long. temp. præsc. l. fin. Cod. In quib. caus. rest. in integ. non necess.* secus in longissimi temporis præscriptione *d. l. fin.* ubi tamen etiam in hac tricennali præscriptione restitutio in integrum saltem ex æquitate, & practica, præsertim curatoribus non existentibus solvendo minoribus reservatur, qua de re prolixè & suo modo accuratè agit. D. Arnold. Rath. *d. Tract. de Usucap. cap. 4. ab assert.* 14. *usque ad* 18. *inclusivè.*

Similiter etiam *res dotales* usucapi, quia alienari, prohibentur, nisi præscriptio, antequam res dotalis efficeretur, inchoata fuerit *l. si fundum 16. ff. de Fundo dotali.*

Item & *res fideicommisso subjecta*, seu testamento alienari prohibitæ, *l. fin. §. 3. vers. sin autem avaritia. Cod. Communia delegatis* quia tamen Imper. ibidem tantum de lon-

longi temporis præscriptione loquitur, censent DD. longissimi temporis non excludi, *arg. l. sicut* 3. *l. omnes* 4. *Cod. de Præscript. 30. annor.* Utrum verò in fideicommisso familiæ, vel in feudo præscriptio contra proximum agnatum completa, obstet etiam remotioribus in gradu, quo minùs post mortem proximioris fideicommissum, aut feudum tanquam ad se devolutum petere possint? Vid. Fach. *Lib. 7. Controv. cap. 12.* Rosenthal. *de Feud. cap. 9. memb. 2. concl. 83. n. 12. & concl. seq. n. 4.* Rath. *de Usucap. cap. 4. assert. 12. & seq.* Feuda an & quando præscriptione acquiri, vel allodialia effici possint, dicitur inferiùs tit. *de Feudis*.

11 VI. Res *furtivæ, vel vi possessæ* usucapi non possunt, non tantum à fure ipso, qui malæ fidei est; sed nec à quocunque bonæ fidei possessore, qui forte illas à fure vel à tertio emit, nisi hoc vitio furti, aut violentiæ purgatæ fuerint. Purgantur autem dupliciter, vel *per lapsum 30. annorum*, vel si *denuò in manus domini reversæ fuerint*. Et hic appellatione domini etiam venit ille, qui priùs talem rem bona fide possedit. Unde præscriptio triennalis rerum mobilium rarò procedit: quia plerumque, qui primus rem vendidit, cùm dominus non fuerit, furtum commisit, nisi in casu, ubi v. g. hæres depositas, commodatas vel locatas res apud defunctum apprehenderit, & bona fide credens fuisse defuncti vendiderit. Vid. Tex. & Interpret. *in §. furtivæ. 2. cum seq. Instit. de Usucap.*

§. III.

De Bona Fide.

SUMMARIA.

12 *Bona fides quid? & circa eam differentia inter jus civile & canonicum.*

13 *Mala fides respectu unius an noceat respectu omnium?*

14 *Dubitans an præscribat?*

15 *Errans in jure an præscribat?*

16 *Mala fides antecessoris an & quando noceat successori?*

17 *Mala fides Procuratoris vel Tutoris an noceat principali?*

18 *Mala fides an obstet præscriptioni contra actiones, & obligationes; Tractatur prolixè.*

19 *Bona fides & præscriptio in quibus actionibus possit sæpè accidere?*

20 *Cum mala fide an præscribi possit actioni hypothecariæ à tertio possessore?*

21 *Mala fides an obstet hæredi volenti præscribere rem legatam?*

Alia Summaria post §. IV.

12 ALterum requisitum ad præscriptionem est *bona fides*, quæ est *sincera rei alienæ ignorantia*, dum nimirum possessor probabili aliqua ducausa credit, rem ad se pertinere.

Quamvis autem de jure civili bona fides tantùm ab initio requiratur, neque mala fides superveniens impediat usucapionem, imò in præscriptione longissimi temporis planè de bona fide non quæratur, SS. tamen canones salutem animarum attendentes, & considerantes omne, quod non est ex fide, esse peccatum, remque alienam cum mala fide sine peccato detineri non posse, ac inconveniens & iniquum esse, ut quis ex suo delicto cum alterius jactura commodum & lucrum reportet, prædictæ juris civilis constitutioni derogarunt, ita ut nulla hodie procedat cum mala fide sive ab initio, sive ex postfacto interveniente, quanticumque temporis præscriptio, *cap. vigilanti 5. cap. si diligenti 17. & c. fin. X. h. t.* Atque hæc correctio non tantùm in terris Pontificiis, sed etiam in terris imperii observari debet, quia generaliter in materia peccati non ad jus civ. sed Canonicum in toto orbe Christiano respiciendum est. Text. & DD. *in c. novit. 13. de Jud.* Covar. *in Relect. c. possessor. de R. J. in 6. p. 2. §. 11. n. 6. C. 6.* Barb. *in Collect. ad d. c. fin. h. t. num. 5.* Id quod etiam in Camera Imperiali receptum testantur Harpr. *ad tit. Inst. de Usucap. in princ. numer. 79. & seq.* Mynsig. *Cent. 4. observ. 6.* Andr. Gail. *Lib. 2. observ. 18. num. 7.*

Porrò circa materiam hujus secundi requisiti aliquot magis notabiles quæstiones breviter resolvemus.

Q. itaque I. An mala fides respectu unius impediat præscriptionem respectu omnium aliorum, etiam erga quos est bona fides, velut si credam rem esse Titii, quæ tamen sit Sempronii, nunquid saltem quoad Sempronium usucapiam? Pro usucapione citantur plures apud Covar. *in d. c. possessor. p. 2. §. 8. num. 7.* à quibus rectè dissentit Panorm. *in c. illud 8. h. t. 9.* Covar. *d. n. 7.* Rath. *in Tract. de Usucap. c. 2. assert. 2.* & alii; eo quòd tali casu revera subsit mala fides & peccaminosa conscientia, qua cum præscriptio saltem jure canonum procedere non potest. Limitant, nisi bona fides & præscriptio fuerit respectu diversorum jurium, v. g. si sciam quidem rem alienam, sed ignorem alteri in ea competere usufructum, hypothecam, aut simile jus aliquod, tunc enim quoad ista jura, quæ bona fide ignoro, non impedietur præscriptio, qua limitatione censet Covar. *d. n. 7.* Bartholum *in l. naturaliter 5. de Usurp. & Usucap. n. 11.* & quosdam ex dissentientibus conciliari posse. 13

Q. II. An in mala fide reputari debeat, qui dubitando, sitne res sua, vel alterius, possidere pergit? Quidam distinguunt inter dubium *speculativum & practicum*, ita ut istud etiam possessioni superveniens interrumpat eam, non illud, nisi ab initio, ubi cæptio possessionis cum positiva bona fide requiritur, quam non habet dubitans, cum dubium sit medium inter bonam & malam fidem. Dicitur autem secundùm eos *speculativè* dubitare, qui quasi in thesi dubitat, ac quamvis hic & nunc credat rem se licitè habere, interim tamen etiam considerat, vix in rarissimis casibus certò scire posse, an tradens fuerit dominus nec ne, & sic ipsum quoque accipientem rerum dominum fecerit. *Practicè* verò dubitare censetur, qui dubitat in hypothesi, & non tantùm de vero dominio ipsius rei, sed in eo quoque hæret, an tuta conscientia retinere possit, qualis dubitans propterea, inquiunt, non præscribit, quòd hoc modo dubitando, nec tamen restituendo peccaverit, cùm non liceat agere cum dubio practico, in quo nisi tutior via eligatur, agens exponit se peccati periculo, & hoc ipso peccat, cum peccato autem nulla præscriptio admittitur. Vid. Covar. *in d. c. possessor. §. 7. sub n. 4. vers. Antonius autem.* Rath. *de Usucap. cap. 2. assert. 36. & seq.* 14

Alii magis de plano procedunt, & simpliciter distinguunt; an dubium adfuerit ab initio, vel an possessioni bona fide cœptæ supervenerit? Priori casu censent inchoari non posse præscriptionem: cum jura ab initio positivam bonam fidem requirant, & ante possessionem cœptam non benè applicetur regula, *quod in dubio melior sit possidentis conditio*. In posteriori autem putant, quòd præscriptio non interrumpatur, modò interim possessor moralem diligentiam adhibeat veritatis cognoscendæ; tum quòd hìc locum habeat jam dicta regula: tum quòd in *cap. fin. h. tit.* illa verba: *in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ*, propriè loquendo tantùm positivam malam fidem excludant, neque enim dubitans *conscientiam rei alienæ habere*, dici potest. Idque confirmat D. Augustinus *in cap. si virgo 5. causa 34. quæst. 1. in jure prædiorum*, ait, *tamdiu unusquisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum: cum verò sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibebitur, tunc justè injustus vocabitur.* Ita cum Gloss. *in c. fin. h. t. v. nulla temporis.* & Panorm. *ibidem nu. 39.* docet Paulus Layman. *in Theol. Moral. lib. 3. tract. 1. cap. 8. n. 10. vers. tametsi verò* & quos allegat Covar. *dicto §. 7. num. 3.*

Ex hac posteriori sententia duo quidem rectè inferuntur, nimirum *primò*, quòd cum dubio practico præscriptionem inchoare non concedatur; *secundò*, quòd dubium practicum possessioni superveniens possit deponi, possessor pro sua possessione præsumere; eique insistere, juxta vulgata brocardica, quod *in dubio præsumptio stet pro possessore & melior sit possidentis conditio cap. in pari 65. de R. J. in 6. l. nemo 126. §. 2. & l. in pari. 128. ff. R. J.* Etsi possessor, qui etiam possidendi justam causam nullam habet,

bet, non tenetur actori rem restituere, nisi jus suum legitimè probaverit, cùm posset ea res non ad hunc actorem, sed ad alium spectare, cui per talem restitutionem forsan magis, quàm retinendo præjudicaretur. *tex. not. in l. fin. Cod. de Rei vind.* multò minus tenebitur possessionem dimittere ob superveniens dubium, qui bona fide, & consequenter ex justa causa, possidere cœpit. Attamen necdum satis videntur hujus sententiæ Authores explicasse quid dicendum, si possessio cum dubio merè speculativo initium acceperit; Item quid, si possessor dubium practicum superveniens non deposuerit, sed dubitando possidere perrexerit?

Sanè si licet mihi salvo meliori judicio exponere, quod sentio, opinor dubium merè speculativum & in thesi consistens etiam ab initio non impedire præscriptionem; quia aliàs vix unquam procederet præscriptio, cùm nemo prudens possit infallibiliter credere, minùs scire (nisi in rarissimis casibus) an res quoad verum dominum sit tradentis, alioquin frustra exigerentur cautiones de avictione, si nulla foret ambigendi ratio, sicut argumentatur Vasq. *Illustr. controver. lib. 1. cap. 77.* quòd verò accipiens hic & nunc credat esse tradentis, per id tantùm excluditur dubium practicum, non speculativum.

Quoad alterum major est difficultas, & quia præscriptiones in præjudicium domini cedentes non sunt omni ex parte favorabiles, fateor sententiam D. Arnoldi Rath. *d. cap. 2. assert. 37.* esse in conscientia magis tutam, interim considerandum relinquo, an non, contraria, saltem in casu, quo post moralem diligentiam de cognoscenda veritate adhibitam adhuc possessor in dubio remanet, theoricè probabiliter defendi possit. Enimverò quod dicitur, agentem cum dubio practico peccare, id quidem verum esse potest quoad Deum & se, exponendo se periculo vel potius in hoc casu, quantum in se est, volendo se exponere &c. non autem peccato injustitiæ contra proximum, cui in dubio nullam facit injuriam, vel iniquitatem non restituendo juxta paulò ante dicta, & *d. l. fin. Cod. de Rei vind.* præscriptio autem non currit quidem cum peccato, si sit peccatum contra justitiam proximo debitam, & ubi restitutio ex obligatione juris alicui determinato facienda est, secus si fuerit peccatum alterius generis, veluti si quis cùm animo avaro, superbo, &c. possideret, non utique propterea minùs præscriberet. Hinc forsan DD. supra citati nullam distinctionem fecerunt, an possessor dubium deposuerit, vel non? & plerumque dubitans & non dimittens possessionem practicè se resolvit solo dubio speculativo retento.

15 Q. III. Utrum errans in jure debeat bonæ vel malæ fidei possessor judicari, & an cum errore juris procedat præscriptio? Conveniunt imprimis DD. quòd errans in jure claro & notorio, censeatur juris interpretatione non esse in bona fide, sed potiùs in ficta mala fide, neque præscribat præscriptione *longi temporis*, prout id apertis textibus deciditur *in l. juris. 4. & 7. ff. de Jur. & facti ignor. l. nunquam 31. ff. de Usurp. & usucap. l. 2. ff. Pro emptore l. quemadmodum. 7. C. de Agric. & censit.* adeo ut talia errans utcunque physicè in bona fide fuerit, ne quidem in conscientia præscriptionis jure uti possit, quia hæ leges non fundantur in præsumptione veræ malæ fidei, sed errantem in ficta mala fide constituunt, & nolunt ut error juris ad lucrum & commodum præscriptionis prodesse valeat, ubi autem lex inhibet præscriptionem, bona fides nihil operatur. *l. ubi lex 24. ff. de Usurp. & usuc.* Laym. *in Theolog. mor. l. 3. tract. 1. c. 8. n. 11.* Rath. *d. c. 3. assert. 44.* Covar. *in Relict. c. possessor de R. J. in 6. p. 2. §. 7. num. 6. & 11.* & attestantur de communi. Deinde satis etiam conveniunt, quòd error juris dubii & multipliciter intelligibilis secundum diversas probabiles DD. interpretationes, non impediat præscriptionem, Panorm. *in cap. de quarta. 4. h. t. num.* 12. Laym. *d. num.* 11. Rath. *d. c. 2. assert. 46.*

Verùm in eo dissentiunt, an pariter in præscriptione longissimi temporis, quæ titulum non requirit, ac tempore digestorum erat incognita, error juris attendi debeat? Aliqui simpliciter affirmant; alii negant; alii distinguunt, an jus resistat præscribenti, vel an nec resistat, nec assistat? ut priori casu non procedat præscriptio cum errore juris, quia data resistentia requiritur titulus, *c. 1. h. t. in 6.* qui non est justus cum errore juris; & qui contra jura mercatur, dicitur esse in mala fide *d. l. quemadmodum, 7. Cod. de Agric. & cens.* secus verò in posteriori. Vid. Fach. *Lib. 8. Contr. cap.* 27. Covar. *d. §. 7.* Alii demum alia distinctione utuntur, an error juris culpabilis existat, an non? Ita ut cum culpa seu peccato saltem de jure canonico non procedat præscriptio, secus ubi error inculpatus & invincibilis est. Arnold. Rath. *d. cap. 2. assert. 43.* Ita quoque notat Laym. *d. num.* 11. *vers. sed limitanda.* quòd in illis personis, in quibus ignorantia juris inculpabilis est, scilicet in milite, minore, muliere, agricola non habente peritiorum copiam (qui enumerantur) *in l. cum de indebito. 25. §. 1. ff. de Prob.* non impediatur ex tali errore præscriptio. Facit etiam *l. regula. 9. §. 3. ff. de Jur. & facti ignor.*

Quænam verò ex his sententiis verior existat, cùm omnes probabilibus rationibus & gravibus authoritatibus nitantur, aliis judicium relinquo. Ego in schola (pro qua secundùm repetitas protestationes meas, non pro tribunalibus scribo) facillimè crederem defendi posse sententiam Fach. *d. c.* 28 omnem præscriptionem cum errore juris clari negantem. Hæc enim fuit expressa juris antiqui decisio, quæ jure novo non reperitur correcta, quòd error juris juxta LL. superiùs citatas simpliciter usucapionem impediat, & ne quidem fœminis (penes quas tamen est inculpatus, *d. l. 25. §. 1.*) in compendiis seu acquirendo prosit, licet in damnis rerum amittendarum non noceat, *l. error. 8. ff. de Juris & facti ignorant. l. quamvis 11. Cod. eodem titulo.* Et ratio videtur esse non solùm ex eo, quòd ignorantia juris, quæ in plerisque culpa est, præmio & lucro indigna sit, sed etiam quòd præscribens non tantùm juri privato, sed etiam communi præjudicaret, eique derogaret; quod præscriptioni particulari non tribuitur, sed tantùm legi communi, vel consuetudini. Non obstat *d. l. Regula. 9. §. 3.* nam quod ibidem Paulus JC. ex sententia Labeonis retulit, mox subjungit, *rarò* (id est, nonnisi in casibus à jure expressis) *accipiendum esse*, neque de præscriptione loquitur, utpote quæ ex responso JC. *in l. 31. ff. de Usurp. & Usucap.* cum errore juris *nunquam* procedit. Similiter quod *in d. l. quamvis. 11. C. de Jur. ignor.* de imperfecta ætate excipitur, id forsan intelligitur in ordine ad beneficium restitutionis in integrum, v. g. ad acquirendam hæreditatem ex errore juris omissam *l. 2. C. Si minor ab hæred. se abstineat. & l. 1. C. Si ut omissam hæreditatem, &c.*

Q. IV. An & quando mala fides Antecessoris noceat successori in bona fide existenti? Distinguendum est inter successorem singularem, qui ex titulo singulari, puta emptionis, donationis legati, &c. rem ab altero consequitur, & inter successorem universalem, scil. hæredem, qui defuncti personam repræsentat, & in universum jus ejus succedit *l. hæreditas. 62. ff. de R. J.* 16

Successori singulari licèt jure antiquo non nocuerit mala fides antecessoris, si hujus accessione usus non fuisset, sed præscriptionem a sua possessione inchoasset, *l. an vitium. 5. ff. de Divers. temporal. præscript.* Hodie tamen jure Novellarum *in auth. malæ fidei. Cod. de Præscript. longi temp. desumpta ex Nov. 119. cap. 7.* successori etiam singulari nocet mala fides antecessoris in præscriptione longi temporis, nisi res sciente domino, sive eo, qui rem ad se pertinere contendit, alienata fuerit, isque per totum illud tempus novum possessorem non convenerit. Quod insuper limitant DD. ut hæc Auth. correctoria & consequenter strictæ interpretationis non procedat, si antecessor non fuit in vera, sed tantùm ficta mala fide; V. g. hæres, qui res à defuncto mala fide possessas ipse bona fide apprehendit, & rursus in alium bonæ fidei possessorem alienavit, Rath. *in l. Pomponius 13. §. cùm quis ff. de Acquir. poss.* Nic. Everhard. *Volum. 2. cons. 117. & seq.* Item quia *d. Auth.* tantùm de præscriptione dominii loquitur, aiunt, non obtinere in præscriptione contra hypothecam, ideoque *l. 1. & 2. C. Si adversus Creditorem præscript. oppon.* per *d. auth.* non esse sublatam, Neguz. *de Pignor. 2. memb. sent. princ. num.* 21. Imò quorundam locorum statutis & provincialibus legibus ne quidem in præscriptione dominii *d. auth. malæ fidei* recepta est, sicut de Gallia, & Bavaria refert Arnold. Rath. *in Tract. de Usucap. cap. 2. assert.* 53.

Dixi etiam, in præscriptione *longi temporis* malam fidem antecessoris obesse successori singulari; secus est in

præscrip-

præſcriptione tricennali, ſeu longiſſimi temporis, quæ in ipſa auth. nominatim excipitur.

Succeſſori verò univerſali videl. bonorum poſſeſſori, hæredi ſive ex teſtamento ſive ab inteſtato ſuccedenti etiam antiquo jure inſpecto noceret mala fides defuncti niſi ſpeciali & alio, quàm hæreditatis vel à defuncto accepto titulo foret munitus, *l. ſequitur*, 4. *§. heres* 15. *ff. de Uſurp. & uſucap. l. cum heres*, 11. *ff. de Diverſ. tempor. præſcript. l. fin. C. Commun. de uſucap. l. vitia*, 11. *C. de Acquir. poſſeſſ.* Idque etiam eo caſu procedet, quo hæres vellet præſcriptionem à ſua poſſeſſione inchoare, & pariter in præſcriptione longiſſimi temporis, contra Vaſq. *Illuſtr. Controv. lib.* 1. *c.* 73. & alios apud Covar. *in Relect. c. poſſeſſor. de de R. J. in* 6. *p.* 2. *§.* 9. *n.* 5. defendit Fach. *lib.* 8. *controv. cap.* 27. *& lib.* 1. *conſ.* 28. *n.* 45. *& ſeqq.* Rath. *d. c.* 1. *aſſert.* 58. & citati apud Barboſ. *in c. fin. h. t. num.* 10. tum quòd hæres teneatur ad exonerandam conſcientiam defuncti, *c. fin. de Sepult. c. in litteris*, 5. *de Raptor.* quod fiet rem ab eo mala fide poſſeſſam domino reſtituendo, ut argumentantur Fachin. *lib.* 1. *controv. c.* 66. & Panorm. *in c.* 2. *h. t. n.* 8. tum quòd poſſeſſio defuncti & hæredis propter repræſentationem ejuſdem perſonæ cenſeatur eadem poſſeſſio, *d. l. vitia*, & propterea ſicut de Jure Civ. hæres non præſcribit longo tempore, ſi defunctus fuit in mala fide, quia ab initio requiritur bona fides, *d. l. cum heres*, 11. *ff. de Diverſ. tempor. præſcript.* Ideò ſaltem de Jure Canonico nec præſcribet longiſſimo tempore, cum etiam in hac præſcriptione & hoc jure ab initio bona fides requiratur.

Putant tamen aliqui magni nominis DD. id ſolùm accipiendum eſſe de primo hærede, hæredis autem hæredi, ſi uterque in bona fide fuit, præſcriptionem concedunt: cùm enim primus hæres fuerit tantùm in ficta mala fide, & ſecundus heres per aliam fictionem ejus perſonam repræſentet, non debet duplex fictio in eandem perſonam cadere. Covar. *d. §.* 9. *n.* 7. & videtur admittere Fachin. *d. c.* 27. *verſ. Nec obſtat.* licet olim aliter conſulverit Inclyta Facultas Juridica Ingolſtad. teſte Rath. *d. c.* 2. *aſſert*, 58. *n.* 5.

Præterea etiam notabile eſt, quòd Prælato, vel ſucceſſori in beneficio non noceat mala fides ſui anteceſſoris, ſi ipſe in bona fide ſit: quia non habet cauſam à ſuo anteceſſore, ſicut hæres, ſed ab electione, confirmatione, ſeu collatione ſuperioris. Panorm. *in c.* 3. *h. t. n.* 8. *& in c.* 4. *eod. t. n.* 8. Joan. Honor. *eod. t. n.* 24. Henr. Zoeſius, *eod. tit. n.* 14.

Utrùm autem civitas vel univerſitas præſcribere poſſit, ſi primis civibus in mala fide exiſtentibus emortuis, novi & in bona fide ſuccedant, vid. Fachin. *lib.* 8. *controv. c.* 25.

17 Q. V. An etiam mala fides Procuratoris, vel tutoris, noceat domino, vel pupillo, ſuppoſito, quòd dominus, & pupillus, bonam fidem habuerint? Negativa communiùs inter DD. recepta eſt, dummodo res ipſa non ſit aliquo reali vitio, v. g. furti affecta, *l. quod vulgo*. 11. *ff. Pro emptore*, *l. iniquiſſimum*, 5. *ff. de Juris & facti ignor. l. neque interdicto*, 198. *ff. de R. J.* Rath. *d. c.* 2. *aſſert.* 63. *& ſeq. ubi aſſert.* 66. etiam tradit, quòd Eccleſiæ non noceat mala fides Prælati, ſi Capitulum habeat bonam fidem. An autem & qualiter Prælatus talis ad purgandam conſcientiam ſuam teneatur dimittere rem mala fide poſſeſſam, tractat Panorm. *in c. fin. h. t. à n.* 41. *poſt gl. fin. ibid.*

18 Q. VI. Utrum & quando actionibus & obligationibus cum mala fide, ſive ſcientia alieni juris præſcribi poſſit? Hanc quæſtionem non minùs utilem, quàm difficilem accuratè tractat Panorm. *in c. fin. hoc t. à num.* 8. Covar. *in c. poſſeſſor. de R. J. in.* 6. *p.* 2. *§.* 11. Arnold. Rath. *in tr. de Uſucap. c.* 2. *ab aſſert.* 12. *uſque* 35. Placet compendioſa reſolutio, quam ponit Paulus Layman *in Theol. Moral. lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 8. *num.* 12. Obligationes, inquit, duplicis generis ſunt; quædam enim ſuapte natura tendunt ad agendum, vel non agendum, v. g. qui rem alienam poſſidet, obligatur ad eandem ſuo domino reddendam: & qui ex mutuo, empto, aliave pactione debitor eſt, obligatur ad rem debitam alteri ſolvendam. Item in ſervitutibus urbanis obligatur aliquis v. g. ad ædificium altiùs non tollendum, feneſtram in alterius hortum non aperiendam. Quibus omnibus hoc commune eſt, ut nulla præſcriptione tolli poſſint, quamdiu earum ſcientia adeſt. Aliæ verò obligationes ſunt, quæ ſuapte natura duntaxat referuntur ad patiendum, vel onus ſubeundum, ſi ab altero agatur, petatur, ejuſmodi obligationes præſcriptione extinguuntur, ob ſolam negligentiam ſive ceſſationem, actoris ſeu exactoris, etſi obligatus ſuæ interim obligationis probè conſcius ſit. Exempla ſubjungit in legibus pœnalibus non obligantibus reum ad ſolvendam pœnam ante judicis ſententiam. In actionibus, quæ jure civili inventæ, certoque temporis ſpatio definitæ ſunt, v. g. actio *redhibitoria*, *quanti minoris*, *&c.* Item in ſervitutibus ruſticis, quæ extinguuntur per ſolum non uſum tempore legibus definito, etſi is, qui præſcribit, ſciat alteri tale jus competere, e. g. itineris vel actus per alienum fundum.

Hæc quidem reſolutio Pauli Layman quoad hanc poſteriorem partem circa obligationem, quæ in non faciendo ſeu in mera patientia conſiſtunt, communiter à DD. approbatur; & videantur, quæ circa actionem *pœnalem dicemus in lib.* 3. *in t.* 5. *de Præbendis*, *ſub num.* 39. *verſ. ſed nunquid*. Et circa actionem *redhibitoriam*, *& quanti minoris*, in eodem *lib. tit. de Empt. & Vend. §.* 2. *ſub n.* 19.

Verùm circa priorem partem & præſcriptionem actionum perſonalium, tametſi in materia faciendi ſint, non omnes DD. conveniunt: etenim his quoque cum mala fide præſcribi poſſe tradit Panorm. *in cap. fin. h. t. n.* 13. *&* 21. Vaſq. *Illuſtr. Controv. Lib.* 2. *c.* 76. *num.* 3. *verſ. contrariam tamen partem*, & alii. Ratio illorum eſt, quòd ibi ſolùm præſcriptionibus cum mala fide, ſeu ſcientia juris alieni per SS. Canones derogetur, ubi hæc ſcientia conſtituit peccatum, dum poſſeſſor ſcienter contra voluntatem domini retinet rem alienam, quam eidem reſtituere deberet; at vero in actionibus perſonalibus, tametſi debitor ſciat ſe debere, non tamen peccat non ſolvendo quandiu creditor non exigit, ut ex communi praxi notum eſt, ergo &c.

Deinde ſicut actioni pœnali, ſervituti ruſticæ, actioni quanti minoris, redhibitoriæ, &c. propterea etiam ſcienter præſcribitur, quia certo temporis ſpatio circumſcriptæ, eo elapſo ipſo jure interire, atque extingui cenſentur, at pariter lex voluit omnem actionem ſaltem lapſu 30. annorum ipſo jure extingui. Text. *in l. ſicut* 3. ibi: *actiones* 30. *annorum jugi ſilentio vivendi ulterius non habeant facultatem.* Item *in l. omnes*, 4. ibi, *nullum jus privatum vel publicum in quacunque perſona, quod prædictorum* 40. *annorum extinctum eſt jugi ſilentio, moveatur*, *C. de Præſcript.* 30. *annorum*.

Accedit ratio publicæ utilitatis & quietis, quæ generaliter præſcriptionum jura ſuaſit; nam niſi actionum aliquis finis & terminus conſtituatur, nemo à conventionibus & contentionibus judicialibus unquam ſecurus erit, peribitque lapſu temporis defenſionis copia, emorientur teſtes, injuria vel edacitate temporis amittentur, aut conſumentur apochæ & alia litteraria documenta, quibus ſolutio, tranſactio, compenſatio, &c. probari potuiſſet. Quo ſpectat Bulla Pii V. quam allegat Barb. *in cap. fin. hoc tit. n.* 8. item conſtitutiones Regis Hiſpaniarum, & Galliarum relatæ à Covar. *in c. poſſeſſor. de R. J. in* 6. *p.* 2. *§.* 11. *n.* 3. ubi Dominus contra mercedem famulorum aut ſervientium biennio vel triennio præſcribere poteſt, niſi famuli probent, ſe intra illud tempus mercedem petiiſſe, aut per ſcriptam obligationem debitum probare valeant, cùm tamen Dominus utique non ignoret ſervientibus debitam mercedem.

Nihilominus contraria ſententia non ſolùm in conſcientia tutior eſt, ſed eam præjudiciis Cameræ Imper. Spirenſ. receptiorem teſtatur Mynſ. *Cent.* 4. *obſ.* 6. Andr. Gail. *lib.* 2. *obſ.* 18. *n.* 7. atque præter Layman *d. c.* 8. *n.* 12. amplectitur Covar. *d. §.* 11. *n.* 6. Arnold. Rath. *d. cap.* 2. *aſſert.* 28. Barboſa *in Collect. DD. ad c. fin. h. t. n.* 7. cum pluribus citatis ibidem.

Ratio legalis eſt, quia *d. c. fin. hoc tit.* tollitur omnis præſcriptio, quæ eſt *cum conſcientia rei alienæ*. Ratio verò rationis eſt, quia actiones perſonales v. g. ex mutuo, ex empto &c. competentes jure naturali inſpecto ſemper durant, niſi ſolutio, aut remiſſio debiti interveniat, non minùs, quàm eodem Jure naturali in realibus, & poſſeſſione rei alienæ perpetua eſt reſtituendi obligatio, ergò hæc obligatio ſalva æquitate Juris naturalis tolli non poteſt, niſi per aliquem modum eidem

juri

juri naturali conformem, cùm omnis res eo modo dissolvi debet, quo colligata est, *cap. 1. X. de Reg. Juris, l. nihil tam naturale, 35. ff. de Reg. Jur.* non est autem jure naturali conforme, ut is, qui scienter debitum non solvit, quod omni jure solvere tenebatur, ex hoc solo liberationem consequatur: licèt enim creditor (quod plerumque ex civilitate contingit) non petierit, ipse tamen debitor suam obligationem per se satisfaciendi scivit, & morosi tantum, ac tergiversatores debitores solent importunas exactiones expectare.

Præterea vel debitor habuit animum solvendi, vel non? Si habuit animum solvendi, non fuit in quasi possessione liberationis, sed creditori suam obligationis activæ possessionem integram reliquit, consequenter non fuit in conditione præscribendi, cùm sine possessione non cursat præscriptio, *cap. 3. de R. J. in 6. l. sine possessione, 25. ff. de Usurp. & usucap.* Si non habuit animum solvendi, non egit ex bona fide, *omne* autem, *quod non est ex bona fide, peccatum est*, nec cum eo præscriptio subsistit, ut ait Pontif. *in dicto cap. fin. hoc. tit.*

Addit Joan. Dicastillo *lib. 2. tract. 1. disp. 1. dub. 12. numer.* 185. quòd exactio debiti ex parte creditoris habeat speciem actus meræ facultatis, qui potest, ac solet fieri & non fieri, in quali actu non induci præscriptionem, superius in *§.* II. dictum. Quæ ratio saltem in aliquibus actionibus rectè procedit, ubi ex natura contractus debitori datur dilatio voluntaria ad solvendum, ut in mutuo &c. non autem in aliis ubi res confestim est restituenda, & creditor vel dominus, quamvis possit, tamen non solet differre actionem, aliàs ex hac ratione sequeretur, quòd vix ulla obtineret præscriptio; quia semper dominus vindicans rem suam ab alio possessam contra oppositam præscriptionem replicaret, quòd priùs non vindicaverit, meri sui arbitrii & facultatis fuisse.

Videamus nunc, quid argumentis pro priori sententia allatis responderi possit, quæ non levis ponderis esse haud diffiteor.

Ad *primum* igitur dicendum, scientiam juris alieni etiam in actionibus personalibus constituere peccatum, si debitor animum non solvendi, & solutionem quoquo modo subterfugiendi habuerit, si verò talis animus abfuerit, præscriptio cessabit, non quidem tam ratione peccati, quàm ex defectu possessionis, & qualitate meræ facultatis, ut præmissum, quemadmodum commodatarius & depositarius minimè præscribunt rem commodatam, aut depositam, licèt sine peccato eam teneant.

Ad *alterum*, & quòd leges civiles omnes actiones lapsu 30. annorum *extinxerint*, respondet Covar. *d. §. 11. num. 6. vers. primum leges*, eas esse Jure Pontificio antiquatas & correctas: si nimirum loquamur de talibus actionibus, quæ nascuntur ex obligationibus faciendi, & quarum debitores non sunt ignari, quod autem contra quasdam actiones possit liberatio bona fide possideri; & præscribi, *in quæst. sequent.* dicemus.

Circa instantias adjunctas sciendum est, quòd *actioni pœnali* propterea etiam scienter præscribatur, quia ante sententiam Judicis nulla est in conscientia pœnæ obligatio.

In *servitute rustica* non est aliqua faciendi, sed merè patiendi obligatio, & per longum tempus non utens servitute, censetur eam pro derelicta habuisse, neque hic tam vera præscriptio concurrit, quam extinctio ipso jure inducta; sicut idem quoque de privilegiis per non usum amissis communiter tradunt DD. Actioni *quanti minoris, & redhibitoria*, licèt intra tempus annale vel semestre præscribi DD. concedant, addunt tamen, id solùm obtineri in foro externo ad amputandas lites, non autem in foro interno, de quo reputatur iniquum, ut obligatio compensandi damnum, quod sæpè grave esse potest, ex injusta læsione & inæqualitate contractus, mercis ac pretii contra justitiam commutativam illatum, tam brevi tempore præsertim cum mala fide tollatur.

Tertium argumentum quosdam eximios DD. persuasit, ut leges civiles saltem in foro externo admiserint quatenus illius fori Judex non teneatur post lapsum longissimi temporis, 30. scilicet aut 40. annorum actionem aliquam sive realem, sive personalem audire; interim tamen ex declaratione Juris Canon. *in d. c. fin. hoc tit.* debitor probè sciens & agnoscens debitum, maneat in conscientia ad solvendum obligatus nulla præscriptione sive à SS. Canonibus, sive à legibus civilibus introducta juvandus, veluti in aliis pluribus casibus, videl. pacto nudo, læsione infra dimidium &c. Jura denegant actionem ad multitudinem litium evitandam, manente naturali & conscientiæ obligatione. Imò censent creditori contra talem debitorem per denunciationem Evangelicam in foro Ecclesiastico succurri, ut docet Baldus *in c. un. §. si quis per triginta, Si de Feudo fuerit controversia*, Hadrian. *Quodl. 6. art. 3.* Panorm. *in d. cap. fin. num. 21. & seqq.* & saltem circa præscriptiones contra mercedes famulorum & servientium legibus Hispanicis & Gallicis supra relatis inductas admittit Arnold. Rath. *d. cap. 2. assert. 32.* & confirmat exemplo exceptionis *non numeratæ pecuniæ*, quæ post biennium opponi nequit, sicut traditur in *tit. Instit. de Litterar. obligat.* Addi possunt instantiæ, de præscriptione contra *actionem quanti minoris redhibitoriam*, aliasque similes temporales à Jure Civili inventas, in quibus teste Layman *d. lib. 3. tract. 1. cap. 8. numer.* 12. cum Covar. *d. §. 11. num. 7.* & communi aliorum toleratur præscriptio cùm mala fide in foro externo etiam stante Jure Canonico, cùm tamen in his sit obligatio faciendi ex Jure & æquitate naturali procedens, atque in iis tam grave damnum possit actori imminere, & tanti interesse, quanti in actione perpetua v. g. in mutuo aliquot florenorum &c. Quibus tamen se opponit Covar. *d. §. 11. num. 6.* asserens, in utroque foro leges civiles per canonicas esse sublatas; illam verò *ead. num. 6. v. sextò* limitationem subjungit, quòd leges civiles possint habere locum circa paratam & summariam executionem, quæ vel de Jure communi, vel ex statuto, aut consuetudine (sicut in Austria ad Chirographum nota manu subscriptum & signatum vulgo *auffbetandtliche Dandschriffi und Delschafft*) ad certas obligationes conceditur: quia hic non ipsa actio tollitur, sed tantùm executio differtur, durum enim foret post longissimum tempus, ubi interim status rei variè potuit mutari & confundi, neque omnium statim præsens est ampliùs memoria, mox sine longiore causæ cognitione executioni annuere.

Et facit pro sententia Covar. quam sequitur, ac præjudiciis Cameræ approbatam refert Rath. *d. c. 2. assert.* 26. text. *in cap. fin. hoc tit.* ibi: *nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quàm civilis.* ubi, ajunt, illud verbum *civilis*, de foro externo civili intelligendum esse; cum S. Pontifex in materia peccati habeat potestatem etiam in foro civili disponendi, *c. novit. 13. de Judiciis*; atque ex textu nostro voluisse colligitur.

Relinquo utriusque partis rationes ponderandas Lectori studioso. Sufficit interim nobis, etiam ex priorum DD. sententia legibus civilibus admittentibus præscriptionem cum mala fide in conscientis & foro canonico locum non esse. Illud tamen crederem ex æquitate Juris in priori sententia addendum, ut si per agentem post longissimum tempus aliqua justa causa proponeretur, ob quam actio tamdiu dilata fuerit, v. g. propter varias successiones & rerum mutationes, ei sentò faciliùs ex generali clausula Prætoris *in l. 1. in fine ff. Ex quibus causis majores*, per restitutionem in integrum succurrendum forè, cùm supposita mala fide ex parte rei conventi non possit opponi vera præscriptio, sed tantùm quasi præscriptio, quæ non tendit ad acquisitionem vel peremptionem juris alieni, sed solùm actionis denegationem.

Q. VII. An, cùm ex hactenus dictis rara sit in actio- 19
nibus personalibus præscriptio, vel ob propriam, vel ob defuncti malam fidem, saltem sint aliquæ actiones personales, in quibus frequenter possit intervenire bona fides & præscriptio? Affirmant inprimis de actionibus noxalibus, & reliquis ex facto alieno competentibus: quales sunt illæ, quæ dantur contra inhabitatorem domus propter effusionem vel dejectionem domesticorum *§. 1. Inst. de Oblig. quæ ex quasi delicto & 1. tit. ff. de his qui effunderint*; ubi dominus, vel inhabitator potest habere

justam

justam ignorantiam. Sed videtur posse non improbabiliter dici, in his actionibus ne quidem malam fidem obesse ipsi domino vel inhabitatori, *si propria culpa reus non sit*, cùm tales actiones, hoc ipso, quia *ex quasi delicto*, ac ex aliena culpa nascuntur, & ad cautiores reddendos homines introductæ sunt, nec contra hæredem dantur, pœnalibus, quarum non est obligatio in conscientia ante sententiam Judicis, accensear Laym. *in Theol. mor. lib. 3 tract. 3. p. 1. cap. 6. n. 2.* cum Petr. Navar. *de Restit. lib. 2. c. 1. n. 35.* & Molina *disp. 173.*

In *conditione* autem *indebiti*, licet in ea civilis & naturalis obligatio sit restituendi, quòd indebitè acceptum est, potest tamen sæpè dari præscriptio ex Titulo *Soluti*, accedente bona fide illius, qui accepit. Rath. *d. Tract. de Usucap. cap. 2. assert. 61.*

20 Quær. VIII. An contra actionem hypothecariam à tertio possessore præscribi possit, licèt per decursum possessionis sciverit rem alteri hypothecatam? Diversæ sunt DD. opiniones; existimat enim Paulus Layman *in Theol. moral. l. 3. tract. 1. c. 8. nu. 12. vers. eadem ratione* & post eum Dicastillo, *lib. 2. tract. 1. disp. 1. dub. 12. n. 112.* id probabiliter affirmari posse, dummodo in illum possessorem saltem ab initio res bona fide, & sine fraude translata sit, eo quòd hic tertius possessor ex sua persona non teneatur ad aliquid faciendum, seu præstandum creditori, sed tantùm ad patiendum, si res ab ipso fuerit per hypothecariam actionem avocata. Verum hæc sententia displicet D. Arnold. Rath. *d. cap. 2. assert. 16.* rationem assignat tum ex generali Canonum constitutione non tantùm ab initio, sed omni tempore bonam fidem requirentium, *cap. fin. h. tit.* tum quòd ex contraria sententia sequeretur ipsum etiam debitorem principalem, licèt non posset ob malam fidem quoad actionem personalem, posse tamen quoad actionem hypothecariam præscribere, cùm quoad onus hypothecæ omnium possessorum par sit onus & conditio. Addit quoque statutis Bavaricis cautum esse, ut vel ficta mala fides ex persona defuncti noceat hæredi in præscriptiona hypothecæ. Aliam demum *numer. 10.* insinuat rationem, quòd cùm tertius possessor nequeat conveniri non excusso priùs principali debitore, *auth. hoc ita si debitor. C. de Pignoribus*, ideo non videatur contra creditorem non valentem agere, pignoris præscriptio currere.

Utram ex his sententiis quisquis in praxi amplecti velit, non renitor, posterior videbitur forsan tutior. Interim argumenta ejus in theoria abstrahendo à statutis locorum, non convincunt priorem improbabilitatis. Etenim ad *primum*, & quænam mala fides impediat præscriptionem, jam in præcedentibus dictum est, videlicet illa, quæ propter obligationem faciendi inducit peccatum, non quæ in sola patientia consistit. Quod autem Paulus Layman in præscriptione hypothecæ saltem ab initio requisierit bonam fidem, & absentiam fraudis, opinor illum sensum habere, ne possessor utendo fraude, & volando industriosè creditorem privare jure hypothecæ, reddat se ex proprio facto & positivè restituendi obligationi obnoxium, hic non solùm bonæ fidei, quæ est ignorantia juris alieni, & fraudis scilicet positivæ fecit mentionem. Ad *alterum* respondeti potest negando paritatem inter tertium possessorem & principalem debitorem: quia ille nihil contraxit cum creditore, se ad aliquid præstandum obligando; at iste positivè se obligavit, quòd vel debitum solvere, vel rem hypothecariam in solutum cedere velit, proinde hujus obligatio respectu hypothecæ in faciendo consistit.

Tertium argumentum, quòd *non valenti agere non currat præscriptio*, credo vix bene accommodari posse creditori, si debitum post contractum sit; cùm enim tunc statim cessetit & venerit dies solutionis, ac proinde in ipsius arbitrio sit agere contra principalem, eoque excusso convenire possessores hypothecarum, plane videtur de eo congruè haud dici, quòd *agere non valeat*. Accedit saltem circa res generaliter hypothecas ratio publicæ utilitatis aliàs præscriptionum persuasoria; nam cum ejusmodi generales hypothecæ soleant esse frequentes, & multas res complecti, sæpe numero emptores in possessionibus suis etiam post longissimum tempus tuti non forent.

21 Quær. IX. An contra actionem pro legato in testamento alicui relicto possit ab hærede scientiam ejus habente præscribi, si legatarius intra legitimum tempus tem legatam petere neglexerit? Rursus gravis est inter DD. controversia. Affirmativam sententiam communem testatur Arnold. Rath. *d. cap. 2. assert. 21.* cum Anchar. *in cap. fine possessione, 3. de R. J. in 6. oppos. 11.* Bald. *de Præscript. 2. p. 3. princ. q. 13. n. 9.* & aliis, quam & ipse recipit, non solùm ubi legato hæc conditio: *si legatarius volet*, adscripta, sed etiam, si legatum purè relictum sit, eo quòd propter conditionem sive expressam, sive tacitam, quæ ex sua natura legato inest, ante acceptationem legatarii non sit ei jus quæsitum, sed id in suspenso maneat, *l. quædam sunt. 15. ff. de Rebus dubiis*, proinde nihil videatur interim peccare hæres legatum non præstando, sed merè passivè ad avocationem legati se habendo. Imo censet propter easdem rationes & aliorum Interpretum authoritates non esse improbabilem, ut idem dicatur, licet legatarius ignoravit legatum sibi relictum; ait tamen, rem in conscientia non carere scrupulo, an hæres ignorantem legatarium non teneatur legati certiorem facere.

Contrariæ sententiæ potiùs adstipulatur Covar. *Var. resol. lib. 1. cap. 9. sub n. 5. vers. illud profectò*; licèt legatarius possit legatum purè relictum repudiare, quamdiu tamen non repudiat, censetur illius esse, & acceptatum censetur ab initio temporis mortis testatoris statim illius fuisse, *l. legatum, 80. ff. de Legatis 2.* Pro qua sententia adhuc est text. notab. in *L. magis puto, 5. §. fundum, 8. ff. de Rebus eorum qui sub tut. fundum legatum*, ait J.C. *repudiare pupillus sine prætoris auctoritate non potest: esse enim & hanc alienationem, cùm res sit pupilli, nemo dubitat.* ergo legatum ante repudiationem est in dominio legatarii. Mediam viam amplectitur Decius *in c. Ecclesia S. Mariæ, 10. de Constit. n. 26.* ut priorem sententiam putet admitti posse in legato, cui expressa conditio, *si legatarius volet*, est à testatore annexa *arg. l. si ita allegatum, 65. §. illi si volet, ff. de Legat. 2.* secus in legato puro.

Planè quid ex his tenendum, subsisto, singulis non desunt suæ authoritates & rationes, ob quas in theoria probabiliter defendi posse videantur. In praxi autem putatem opinionem Covar. esse tutiorem, præsertim si legatarius legatum sibi relictum ignoraverit: quomodo enim hæres bona fide præsumet, legatarium quasi renunciando non petere, quod ignorat?

---

§. IV.

De Justo Titulo.

S U M M A R I A.

22 *Titulus quid & quotuplex?*
23 *Tituli generales an & quando sufficiant?*
24 *Titulus pro hærede an sufficiat?*
25 *Titulus putativus aliquando est justus.*
Alia Summaria post §. V.

Titulus, qui ad præscriptionem requiritur, est *causa habilis ad transferendum dominium, vel usucapiendi conditionem*, veluti donatio, emptio, permutatio, legatum & similes, quibus, siquidem tradens sit dominus, transfert dominium, si non sit dominus, saltem usucapiendi conditionem præstat. Unde alii tituli, qui ex natura sua non tendunt ad dominii translationem, sicut commodatum, depositum, &c. etiam ad usucapionem inhabiles sunt. 22

Est autem titulus alius *generalis*, *alius specialis*; generalis est titulus *pro suo*, & *pro soluto*: specialis, donatio, emptio, &c. Dicuntur illi generales tituli, quòd cum his specialibus concurrant, quicunque enim pro emptore vel donato possidet, etiam pro suo & pro soluto possidet.

Portò tituli generales, cum sint incerti, soli ordinatiè non rectè allegantur ad præscriptionem sine suis specialibus, è quibus ortum habent. Sunt tamen casus in quibus aliquis etiam ex solo titulo *pro suo*, vel *pro soluto* præscribere potest, idque tunc, si omnibus aliis titulis deficientibus, nihil ominus possidens justam causam credendi habet 23

habet rem suam esse, & in primis ex modis acquirendi da jure gentium, de quibus in tit. Inst. *de rerum divisione & acquir. ear. dom.* velut qui feram alterius cicurem pro sylvestri cœperit; qui pecuniam securitatis causa in terra defossam bona fide tanquam thesaurum apprehenderit, &c. Item qui rem suam ab alio præscriptam casu aliquo, & illius præscriptionis ignarus rursus receperit. Successor quoque Prælatus res, & jura ab Antecessore relicta ex titulo *pro suo* præscribere potest, *arg. l. fin. §. 1. ff. pro suo* Gloss. *in cap. de quarta*, 4. *Ut veri h. t.*

Similiter evenire potest, ut aliquis ex solo titulo *pro soluto* præscribat, si v. g. debitor rem alienam persolvat, & causam obligationis non exprimat, sed simpliciter v. g. dicat, quia patri tuo rem certa de causa debui, ideo tibi eandem exolvo. Vid. Arnold. Rath. *d. tract. de Usucap. c. 3. assert. 4. 5. & 9.*

24 Circa titulum, *pro herede*, docet quoque Arnold. Rath. *d. c. 3. assert. 23. & seq.* quòd licèt videatur aut inutilis, si defectus in mala fida fuit, quæ & ipsa hæredi nocet; vel superfluus, si defunctus rem bona fide & titulo possedit, cum ex hoc ipso res præscribatur, procedat tamen in dubio, si de mala fide defuncti non constet. Non verò admitti præscriptionem ex hoc titulo *pro herede*, si rem defuncto commodatam; aut apud eum depositam; hæres bona fide jure hæreditario tanquam propriam possederit, cum hæres in omne jus defuncti succedens censeatur tenere rem eo modo, quo defunctus tenuit, *l. cum heres*, 11. *ff. de Divers. temp. præscr.* solo animo autem nullus possit sibi causam possessionis mutare, *l. cum nemo*, 5. *C. de Acquir. pos.* nisi aliquo facto interverat domino possessionem, ei reposcenti rem denegando. Tex. *in d. l. cum heres 11. & in §. sed tamen 4. instit. h. t.*

25 Cæterum non tantum Titulus, qui revera intervenit, parit usucapionem, sed etiam aliquando Titulus putativus, qui justo errore putatur intervenisse, quamvis non intervenerit: talis enim Titulus licet ex se, utpote nullus, nihil operari possit, quia tamen inducit justam causam credendi rem suam esse, ideò Titulum *pro suo*, aut *pro soluto* substituit. Justus autem error est, qui causatur ex facto alieno, scil. ex persuasione ejus, qui rem mihi tradidit v. g. servi, vel Procuratoris asserentis, se eam rem emisse, *l. quod vulgo 11. ff. Pro emptore l. fin. §. 1. ff. Pro suo l. fin. ff. Pro legato.* Non obstat, quòd error falsæ causæ usucapionem non pariat, ut dicitur *in §. error. 11. Instit. hoc tit.* quia intelligitur de errore in facto proprio, adeoque injusto, vel quando traditio non est secuta, cum non sufficiat opinari, rem ad se pertinere, nisi traditio aliquem possessorem constituat. Harp. *in d. §. error n. 2.* Quandonam autem & in quibus præscriptionibus titulus requiratur, *§. seq.* explicabimus.

---

§. V.

De possessione legitimo tempore continuata.

SUMMARIA.

26 *Possessio quid & quotuplex?*
27 *Quæ possessio requiratur?*
28 *Res mobiles quo tempore præscribantur, & quid, si sint Ecclesiastica?*
29 *Res immobiles quo tempore præscribantur?*
30 *Res immobiles Ecclesiæ quando præscribantur, & an requiratur titulus?*
31 *Quid si res privati transeat ad Ecclesiam?*
32 *Ecclesia Romana gaudet centenaria præscriptione.*
33 *Monasteria quadam sunt circa tempus præscriptionis privilegiata.*
34 *Immemorialis præscriptio quæ dicatur?*

Sub hac Rubrica 3. continentur scil. possessio, tempus legitimum, & possessionis continuatio, de quibus breviter magis præcipua referemus.

De Possessione.

Possessio est *detentio rei vacuæ in commercio existentis* 26
cum animo eam sibi habendi. Is ergo, qui rem detinet tanquam suam, vel jure aliquo utitur tanquam sibi competente, possidere dicitur; circa jura tamen incorporalia, quæ sub sensum corporeum non cadunt, sed tantum juris intellectum habent, *quasi possessio* vocatur. Est autem possessio alia *naturalis*, alia *civilis*. *Naturalis* est ipsa actualis rei insistentia, seu detentio, *civilis*, verò est *ille* animus rem possidendi tanquam suam, *l. quæcunque 13. §. 1. ff. de publ. in rem act. & l. si servus 22. §. 1. ff. de Noxal. act.*

Porrò recepta est juris Regula, *sine possessione non currere præsumptionem*, *c. 3. de R. J. in 6. l. sine possessione*, 25. *ff. de Usurp. & usucap.*

Et quidem ad inchoandam præscriptionem utraque pos- 27
sessio concurrere debet; sed ad complendam etiam Civilis sufficit, licet possessor naturalis exciderit, vel eam ex causa absentiæ reliquerit *l. 1. §. per servum 14. l. 6. §. 1. l. si id 25. §. 2. ff. de Acq. poss.* censetur tamen etiam amissa Civilis possessio, si naturali à tertio occupata prior possessor sciens & potens præparatoria recuperationis non fecerit, aut vacuam reassumere neglexerit. Vid. Covar. *in relect. c. possessor §. 9. n. 4. de R. J. in 6.* Arn. Rath. *in tract. de Usucap. c. 5. assert. 7. & 8.*

Neque opus est, ut res a præscribente semper personaliter possideatur: quia possessio etiam per alium retinetur, qui principalia nomine rem habet, ut per Procuratorem, filium, servum, conductorem, usufructuarium, &c. *l. 1. §. 5. cum seq. ff. de Acq. poss.* Plura de possessione ejusque acquisitione, & ammissione vid. per text. & Interp. in tit. *ff. & Cod. de Acq. possess.*

De Tempore legitimo.

Tempus ad præscriptionem requisitum est varium pro diversitate rerum & causarum.

Distinguendum imprimis inter res *mobiles*, ac *immobi-* 28
les, atque inter possessorem cum titulo & sine titulo.

Res mobiles cum titulo triennio præscribuntur, *princip. inst. de Usucap. l. un. C. de Usucap. transf.* An etiam, si ad Ecclesiam spectent? Ita traditur *in auth. quas actiones C. de SS. Eccles.* & tradunt communiter DD. teste Rath. *d. c. 5. assert. 14.* Laym. *in Theol. mor. lib. 3. tr. 1. c. 8. n. 13.* Interim Panor. & Host. *in cap. 1. De in integ. rest.* putant æquius esse, ut sicut text. Jur. Can. inter res mobiles & immobiles non distinguit, *c. illud 8. h. t.* ita nec nos distinguere debeamus *l. de pretio 8. ff. de publ. in rem act.* non attendendo *d. auth. quas actiones*, cum sit constitutio Civilis circa Ecclesias inefficax *c. Ecclesia 10. de const.* Quorum sententia saltem circa mobilia pretiosa absque solemnitate alienari prohibita videtur valde probabilis; nam & præscriptio alienationis species est, *l. alienationis 28. ff. de V. S.* ergo sicut in alienatione mobilia pretiosa comparantur immobilibus, ita etiam in præscriptione. Addi etiam potest, quòd authenticæ in C. positæ tantum probant, quantùm Novellis correspondent, ex quibus desumptæ sunt, at verò *d. auth.* habet plura admixta, quàm *nov. 131. c. 6.* unde desumpta est, nec ibi Imper. circa triennii præscriptionem, aut mobilia pretiosa meminit.

Sine titulo res mobiles 30. ann. spatio præscribi docet Vallens. *h. t. §. 6. n. 3.* Laym. *d. n. 13.*

Res *immobiles* (quibus accensentur jura incorporalia) 29
si ad privatum pertineant, cum titulo præscribuntur 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes, *t. t. C. de præs. longi temp.* & hæc dicitur *longi temporis* præscriptio. Dicuntur autem præsentes, qui in eadem Provincia habitant: absentes, qui in diversis, sive deinde res in eadem Provincia sita sit, sive alibi; quod si quis partim absens fuerit, partim præsens, semper tempus absentiæ duplicari debet. Ita si v. g. præsentia fuerit 8. ann. & absentia 2. ad complendam præscriptionem præter illos 8. adhuc 4. anni requirantur, *l. cum longi 12. §. sancimus, & auth. quod si quis, Cod. de Præscript. longi temp.*

Sine titulo res immobiles 30. annorum spatio præscribuntur, nec adhibetur distinctio inter præsentes & absentes, *l. 3. C. de Præscript. 30. an.*

Et hæc circa res privatorum ita se habent. At si res im- 30
mobilis, vel jus aliquod ad Ecclesiam pertineat, olim quidem 30. ann. spatium aliquando sufficiebat, *per text. & gl. in c. Sanctorum 3. h. t.* hodie verò 40. anni requiruntur, *cap. de quarta 4. c. illud 8. & passim h. t. c. 2. eod. in 6.*

Nov.

Nov. 111. c. 1. *auth. quas actiones*, *C.* de SS. *Eccles.* idemque locum habet in legatis aut donatis ad alias pias causas, *d. Nov.* 111. *c.* 1. *&* *Nov.* 131. *c.* 6. Panor. *in c.* 2. *h. t. n.* 10.

Titulus tamen in hac præscriptione non aliter requiritur, quàm si præscribenti sit *Jus commune contrarium*, *vel contra eum præsumptio habeatur*, ut dicitur in *d. c.* 1. *h. tit. in* 6. Quæ verba non de quavis contrarietate vel præsumptione intelligit Cov. *Variar. resolut. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 7. sed de præsumptione cum forti resistentia propter graves quasdam inconvenientias ex contrario secuturas, veluti si intra alienam Parochiam præscribantur decimæ, &c. ut dictum est in *lib.* 1. *tit. de Elect. §.* 1. *n.* 2. Et circa præscriptionem rerum Ecclesiasticarum malè alienatarum videantur tradita infer. in tit. *de reb. Eccl. non alien. n.* 22.

31 Sed quid, si res alicujus privati postmodum ad Ecclesiam spectare incipiat, & contra illum privatum jam 5. anni elapsi sint, quantum adhuc tempus requiretur, ut hæc præscriptio contra Ecclesiam compleatur? Videtur saltem spatium 35. ann. requiri, ut ita conjunctum cum illis 5. qui contra privatum lapsi sunt, 40. fiant. Sed verius est tantùm 20. annos desiderari, cùm media solùm præscriptio absit, & media jam contra privatum completa sit Sylv. *V. præscr. q.* 7. Molin. *de J. & J. tr.* 2. *disp.* 72.

32 Contra Ecclesiam Romanam nonnisi centenaria præscriptio admittitur, *c. ad audientiam*, 13. *c. si diligenti*, 17. *in fine h. t. t.* 2. *Eod. in* 6. *d. auth. quas actiones*. Sed quid de Ecclesiis *exemptis*, & rebus earum? Distinguunt DD. an de Jure exemptionis agatur, vel de rebus ad Ecclesiam exemptam spectantibus, ita ut priore casu tangente principaliter Jus Romanæ Ecclesiæ nonnisi centenaria præscriptio admittatur arg. tex. *in cap. cum dilecta*, 4. *de confirm. utili & d. c. ad audientiam*. Rath. *d. Tract. de Usucap. c.* 5. *assert.* 28. Chokier de *Jurisd. Ord. in exempt. p.* 1. *q.* 35. *n.* 3. *& p.* 3. *q.* 12. *n.* 4. *& seqq.* posteriore autem etiam quadragenaria sufficiat. Rath. *d. l.* Covar. *in Relect. d. c. Possessor. p.* 2. *§.* 2. *n.* 6.

33 Refert etiam Rath. *d. c.* 5. *assert.* 35. Monasteria quædam & Ordines specialiter esse privilegiatos, ut majori, quàm 40. ann. præscriptione gaudeant, & ita Monasteriis Benedictinorum ab Eugenio IV. *sexagenariam*, Ordinibus mendicantium, & Ordini Cisterciensium primùm in Hispania, & deinde per communicationem in superiori Germania *centenariam* præscriptionem à diversis Pontificibus esse concessam. Adde etiam Molin. *d. disp.* 72. Less. *lib.* 2. *de J. & J.* c. 4. *dub.* 8. *n.* 25.

34 *Immemorialis* præscriptio dicitur illa, quando possessio tamdiu duravit, ut initium ejus hominum memoriam excesserit *c. super quibusdam*, 26. *de V. S. l.* 3. *§. ductus aquæ*, 4. *ff. de Aq. quotidiana*. Et tunc potissimùm requiritur, quando resistentia Juris est contra præscribentem, neque is titulum habet, *c.* 1. *h. t. in* 6. estque in Jure maximæ Authoritatis, & vim privilegii (in subjecto tamen capaci possessionis) habere asserit Gloss. *in dict. cap. super quibusdam*, neque comprehendi statuto aut lege, generalibus tantum verbis excludente præscriptionem per clausulam: *non obstante præscriptione &c.* Laym. *d. cap.* 8. *n.* 15. Advertunt Practici eam probari per testes, qui saltem per 40. annos testantur de visu vel sensu proprio, & de cætero etiam à suis majoribus semper audierint tal statum sic fuisse. Cravetta *de Antiq. temp. p.* 4. *sect. absolutis differentiis*. Mynsi. *cent.* 1. *obs.* 30. de qua præscriptione plura dicemus in tit. *de Decimis §.* 2.

Contra fiscum aliquando locum habet præscriptio longissimi temporis, ut in bonis ei incorporatis, §. *res fisci*, 9. *ubi Gloss.* & DD. *Inst. de Usucap.* Aliquando quadriennii, ut in bonis sine hærede legitimo vacantibus & fisco denunciatis *l.* 1. *C. de Quadrien. præscript.* Aliquando quinquennii, ut in bonis ob delictum commissis, *l.* 2. *C. de Vectigal.* Barth. *in l.* 2. *C. de Apostatis*. Circa fiscum tamen Ecclesiasticum & bona propter crimen hæresis confiscanda vid. *c.* 2. *h. t. in* 6.

Contra delicta regulariter præscribuntur 20. anni, non tantum quoad accusationem, sed etiam ex communiori quoad inquisitionem, teste Claro *lib.* 6. *sent. §. fin. q.* 51. *n.* 2. Farin. *in Praxi Crim. de Inquisit. lib.* 1. *tit.* 1. *q.* 10. *n.* 3. imo contra adulterium & delictum carnis, nisi specialiter excepta, quinquennio, *l. quinquennium*, 31. *ff. ad l. Juliam de adult. l. adulter.* 5. *C. eod.* Rath. *d. c.* 5. *assert.* 21. Laym. *d. c.* 8. *n.* 16. *vers. dico*. VIII.

Engel in Decret. Lib. II.

De Continuatione Possessionis.

PRæter tempus legitimum requiritur insuper, quòd possessio fuerit continua, id est, nunquam interrupta. Ubi ante omnia notandum differentiam inter *dormitionem & interruptionem* esse: si enim dormiat præscriptio, tunc illud solùm tempus, quo dormivit, subducitur, & priùs cum postremo conjungitur: si verò interrumpatur, imposterum de novo inchoanda erit.

Dormit autem præscriptio tempore vacantis Ecclesiæ, quæ mortuo Prælato, vel eo in schisma vel hæresin lapso censetur carere legitimo defensore, *c. de quarta & cap. auditis*, 15. *h. t. c.* 1. *& ult. Ne sede vacante*. Item pestis grassantis tempore vel sævientis belli, modo ex his causis homines latere & tribunalia clausa esse soleant; quia generaliter non valenti agere non currit præscriptio, *cap. prima actione* 13. *caus.* 16. *q.* 3. *cap. cum per bellicam*, 1. *causa p.* 34. *q.* 1. Panorm. *in c. illud* 8. *n.* 5. *& c. ex transmissa*, 10. *n.* 4. *h. t.*

Interrumpitur autem præscriptio *naturaliter* aut civiliter. Naturaliter tunc, quoties unum ex substantialibus ejusdem requisitis ex postfacto & verè deficit, si scilicet ex post facto possessor, qui hactenus putavit se habere titulum, cognoscat se eum minimè habere; vel aliunde in notitiam juris alieni perveniat; vel possessionem naturalem & civilem etiam per injuriam alterius amittat. Civiliter verò tunc interrumpitur, cum nullum quidem ejus requisitum verè & à parte rei deficit, juris tamen subtilitate & fictione censetur deficere, idque ex communiori sententia non tantùm per litis contestationem, sed etiam per libelli oblationem & citationem *per textum in l.* 2. *& l. fin. C. de Annali except.* Rath. *d. c.* 5. *assert.* 78. Extrajudicialis autem denuntiatio ordinariè præscriptionem non interrumpit; quia hunc effectum à jure non habet, & non tenetur possessor alteri statim credere, qui dicit rem ad se pertinere, nisi tam evidentia documenta exhibeat, ex quibus nemo vir prudens da jure ipsius dubitare posset, tunc enim induceret veram malam fidem, & non tantum civiliter, sed etiam naturaliter interrumperet præscriptionem.

Porrò naturalis & civilis interruptio quantum ad effectum duas notabiles habent differentias. *Prima* est, quòd naturalis interruptio se habeat respectu omnium adversariorum, & absolutè præscriptionem interrumpat. Text. & Inter. *p. in l. naturaliter*, 5. *ff. de Usurp. usucap.* Civilis verò interruptio tantum se habet respectu illius, qui litem movit. Unde si & is non fuerit verus dominus, & interim contra verum dominum tempus elapsum sit, erit præscriptio completa, quamvis ille, qui dominus non erat, circa eam rem litem instituerit, *l.* 2. *C. Quibus res judicata non noceat*.

Altera differentia est, quòd possessio & præscriptio naturaliter interrupta de novo inchoanda sit: è contra civiliter interrupta tunc demum interrupta maneat, si sententia condemnatoria contra possessorem sequatur, si verò possessor victoriam obtinuerit, vel per pactum aut transactionem à lite recessum sit, perinde tunc possessionis continuatio habetur, ac si lis mota nunquam fuisset. Rath. *dict. c.* 5. *assert.* 80. *&* 81. Felin. *in c. illud*. 8. *col.* 6. *h. t.* Laym. *d. c.* 8. *n.* 19. Quod si actor sponte litem intermiserit, & instantia per lapsum triennii perempta sit, interruptionis civilis is erit effectus, quòd actio ad 40. annos perpetuetur, *l. fin. C. de Præscript.* 30. *ann.*

Notandum tandem non requiri, ut una eademque persona continuet possessionem, sed jure ita constitutum esse, quòd possessio de persona in personam continuari possit, à donatore in donatarium, à testatore in hæredem vel legatarium, à venditore in emptorem, aut ex alio justo titulo successorem. Idque intelligitur non tantùm de primo successore, sed etiam de remotioribus, ut etiam in 3. 4. & 5. possessio continuetur, modò apud nullum medium interrupta fuerit, *l. pen. §.* 1. *ff. de diver. temp. præscript.* Demùm adnotandum, quòd probatis extremis possessionis scil. initio ejus & tempore litis, vel præscriptionis finitæ præsumi mediam, sive medii temporis possessionem, nisi adversarius contrarium ostendat, docet Cov. *d. c. possess. p.* 3. *§.* 1. *n.* 1. *de R. J. in* 6. Rath. *ad c.* 5. *assert.* 57. apud quem hæc materia prolixius videatur.

M TI-

TITULUS XXVII.

De Sententia & re judicata.

SUMMARIA.

1 *Quomodò fiat conclusio in causa?*
2 *Si altera pars causa concludere nolit, præfixo à Judice termino, eoque elapso causa pro conclusa habetur.*

1 POst probationes & exceptiones absolutas, demum ad sententiam & terminationem litis devenitur: ita tamen, si priùs à partibus in causa conclusum fuerit. Porro hæc *conclusio in causa* tam oretenus, quàm scripto fieri potest: nec enim alia solemnitas requiritur, quàm ut mens concludere, & ulteriori probationi renuntiare volentis, verbis, literis, aut quocunque modo declaretur. Unde non tantùm expressè, sed etiam tacitè in causa concludi potest, nimirùm partes nulla facta formali renunciatione simpliciter à probationibus desistant, & à Judice sententiam postulent.

2 Vulgaris concludendi formula est, quòd partes in ultima sua scriptura adjungant, quòd hisce *in causa concludere* & se ad sententiam submittere velint. Deinde etiam *conclusio in causa* potest fieri *purè & sub conditione*. Sub conditione tunc concluditur, si is, qui prior concludit, adjiciat hanc protestationem; quòd *non aliter* concludere intendat, quàm si etiam adversarius concluserit, & in sua scriptura nihil novi posuerit; item aliquando conclusioni adjicitur conditio, nisi *novæ probationes* vel *nova instrumenta* reperta fuerint. Sed quid si una pars in causa cóncluserit, & altera concludere nolit? Respond. Judicem debere certum terminum præfigere, intra quem pars altera concludat, nisi concluserit, tunc causa pro conclusa habebitur. Prædictus autem terminus licet olim fuerit determinatus, ut esset unius vel alterius mensis (tamen hodie sicut omnes aliæ *dilationes*) est arbitrarius. Speculator *in tit. de renunt. & conclus. n. 1.* Plura de hac conclusione in causa ejusque effectu videantur tradita à me superiùs in *tit. de Fide instrumen. §. 3.*

---

§. I.

De Sententia, ejusque requisitis.

SUMMARIA.

3 *Sententia est alia definitiva, alia est interlocutoria, & earum differentia.*
4 *Quare sententiam interlocutoriam judex revocare possit, non autem definitivam?*
5 *Sententia definitiva, si ipso Jure nulla sit, aut ex falsis instrumentis, aut corruptis testibus lata sit, ab eodem Judice retractari potest.*
6 *Quæ solemnitates ad sententiam de Jure requirantur?*
7 *Sententia debet esse conformis libello; nisi ubi causa & res aliud exigit.*
8 *Sententia non debet esse incerta.*
9 *In condemnatione ad fructus vel expensas non requiritur expressio quantitatis.*
10 *Sententia non debet esse conditionata: & quid circa hoc in praxi servetur?*
11 *In sententia Judex debet habere rationem fructuum & expensarum.*
12 *Quid si fructus petiti non sint, distinguitur inter perceptos ante judicium, & inter perceptos durante judicio.*
13 *In expensas temerè litigantem judex condemnare debet, etsi id petitum non sit.*
14 *Sententia non tantùm juri communi, sed etiam particularibus statutis vel consuetudinibus debet esse conformis.*
15 *Sententia dupliciter potest esse contra jus: constitutionis scilicet, vel litigantis.*
16 *Sententia contra jus constitutionis lata est nulla, nisi jus sit obscurum, vel Bulla extravagans.*
17 *Quid de stylo Curiæ Romanæ servetur circa sententias contra Bullam extravag. latas.*
18 *Si verba legis patiantur, æquitas potius, quàm strictum jus est sequendum à judice.*
19 *Judex in judicando non debet à communi opinione recedere.*
20 *Judex debet judicare secundum allegata & probata non secundùm privatam scientiam.*
21 *Quid agendum judici, si sibi aliud privatim constet, quàm in judicio appareat.*

SEntentia est duplex, una, quæ dicitur definitiva, & 3
altera, quæ dicitur interlocutoria. Definitiva est illa, qua judex causam principalem definit, & toti controversiæ finem imponit. Interlocutoria verò, quæ inter principium & finem causæ non super quæstione principali, sed tantùm super aliquo incidenti, vel emergenti profertur, e. g. si judex alterutri onus probandi imponat, procuratorem non esse idoneum pronuntiet, & Differunt hæ duæ sententiæ inter se potissimum in quatuor.

I. Quòd definitiva causam terminet, non verò *inter-* 4
locutoria. II. Quòd *interlocutoriam* judex revocare possit, non verò definitivam. Declarare tamen potest definitivam, & saltem eodem die supplere, si aliqua omisit, quæ in consequentiam rei & condemnationis principalis veniunt, e. g. si omiserit imponere restitutionem fructuum, vel expensarum. *L. Paulus, 42. ff. de re jud.* Ratio hujus differentiæ est, quòd per definitivam judex sit functus suo officio, & in causa principali desinat esse judex, non verò
per *interlocutoriam*. *L. judex, 55. ff. de Re jud.* Sed hæc 5
procedunt, si judex sententiam tulerit, quæ ipso jure teneat, licèt interim fortè iniqua sit.

Quod si autem sententia ipso jure nulla sit (quod in sequentibus magis explicabitur) poterit eam judex revocare, & corrigere, quia *nullam sententiam* proferendo, nec dum est functus suo officio, *l. 4. Cod. de Accusat. l. si ut proponis, 5. Cod. Quomodo & quando jud.* Idem etiam est, si sententia sit lata ex falsis instrumentis, aut propter corruptos testes, ut comperta veritate revocari possit Gloss. *in l. quia arbiter, 20. ff. de receptis qui arbitrium* per text. in *l. divus, 33. ff. de Re jud.* III. differunt quòd sententia interlocutoria possit ferri sub conditione, non autem definitiva. IV. denique quòd à definitiva regulariter detur appellatio; non autem ab interlocutoria, nisi habeat vim definitivæ, aut contineat damnum irreparabile. Sed de his posterioribus differentiis paulò *infrà & tit. seq.* plura dicenda.

Requisita sententiæ alia sunt, quæ solemnitatem ju- 6
dicialem respiciunt, alia, quæ ipsam ordinatam causæ decisionem. Prioris generis sunt, quòd sententia debeat in scriptis concipi, & per ipsum judicem recitari. *L. 1. C.* de Sententiis *ex periculo recitandis.* (Excepto Episcopo & personis illustribus, quibus conceditur, quòd per alium recitare possint sententiam, *c. fin. h. t. in 6.*) quòd à judice pro tribunali sedente & non stante, *d. c. fin.* quòd de die & non de nocte, *c. consuluit. 24. de Officio delegati*, quòd in ordinario loco judicii, *l. 5. C. quomodo & quando judex*, quòd die non feriato, *tot. tit.* de Feriis, denique quòd partibus citatis, nisi contumaciter se absentarent, *l. 7. Cod. quomodo & quando judex*. Verùm licet hæc solemnia ita de jure requirantur, ut iis non observatis sententia reddatur ipso jure nulla, prout ex locis allegatis legenti patebit. Nihilominus hodie magis ad singulorum tribunalium & locorum stylum & rationabiles consuetudines attendendum erit.

Posterioris generis requisita, quæ scilicet ipsam ordi- 7
natam causæ decisionem respiciunt, sunt I. Quòd sententia debeat esse *libello conformis*: Unde Imperator in *l. fin. C.* de Fideicommissariis libertat. Judicem stultum appellat, qui cùm res in libello petitur, & præstari potest, reum in æstimationem condemnat. Interim nihil obstat, quin judex aliquando minùs vel plus in sententia determinare possit, quàm in libello petitum sit, quotiesid necessitas exigit, vel æquitas suadet. Ita licèt res ipsa petita sit, si tamen illa culpa vel dolo adversarii perierit, jubere poterit æstimationem præstari. Ita si intentans solum possessorium etiam per decursum de proprietate docet, poterit enim judex non tantùm possessorem, sed etiam dominum pronuntiare, *c. cùm Eccl. 3. & c. cum super 4. de*

Causa

Causa possession. & propriet. Ita; ut plura specialia omittam, in causis matrimonialibus & cæteris omnibus, in quibus animæ periculum versatur, debet judex pronuntiare, prout jure cautum est, quidquid actor in libello petierit.

8 II. Requiritur ad *sententiam*, ut non sit *incerta*, sed per eam res, vel quantitas determinetur, neque enim sufficit dicere: *solve, quod debes*, sed ipsa res debita simul exprimenda est, *§. curare 32. Instit. de Action. toto tit. C. de Sentent. quæ sine certa quantitate profertur*. Attamen non requiritur, ut determinatio rei, vel quantitatis sit specifica, sed satis est, si sit relativa ad aliud, ex quo ejus certitudo haberi potest: veluti si judex jubet summam ab actore petitam, vel legata in testamento relicta exsolvi.
9 Item in condemnatione fructuum & expensarum receptum est, ut judex generaliter tantùm reum vel ad *fructus*, vel *expensas* restituendas condemnet, quia ab actore tantùm in genere petuntur, & deinde primùm in executione specificatio & taxatio fit.

10 III. *Sententia* non debet ferri *sub conditione*. E. g. condemno te, si actor probarit, sed debet continere puram absolutionem vel condemnationem. *l. 1. §. biduum, ff. Quando appellandum sit*. Quid ergo dicendum de illa forma sententiæ, quæ in multorum locorum tribunalibus usitata est, ut reus absolvatur à petitione actoris addita clausula his vel similibus verbis concepta: *nisi possit actor intentionem suam meliùs, quàm in actibus præcedentibus factum est probare, idque nisi intra unum vel alterum mensem præstiterit, fiet tunc quod juris est &c.* Respond. Non posse negari, quin hæc *sententia* sit conditionata. Præterea dicendum erit eam robur & firmitatem accipere ex locorum consuetudine, quæ consuetudo vel exinde non videtur esse irrationabilis, quòd frequenter liberet partes ab onere appellationis, quando post talem *sententiam* novas probationes & exceptiones repertas coram eodem judice primæ instantiæ proponere possunt, ubi aliàs superiorem de rigore juris cum magno incommodo adire deberent; juxta *l. 1. Cod. Sententiam rescindi non posse*.

11 IV. In proferenda *sententia* judex etiam rationem habere debet *fructuum & expensarum; toto tit. Cod. de fru-*
12 *ctibus & litium expensis*. Sed quid si judex in libello requisitus non sit, an nihilominus *fructuum & expensarum* rationem habere tenebitur? ex ea dubitandi ratione, quòd judex non teneatur alicui suum officium impertiri, nisi imploratus. Quantum ad *fructus* distinguendum est inter illos *fructus*, qui percepti sunt post judicium inchoatum, & illos, qui ante judicium. In prioribus judex debet pronuntiare, licèt eo nomine imploratus non sit, quia etiam illi cum re principali, à qua ampliùs post litem contestatam separari non potuerunt, in judicium deducti videntur, *l. ædiles 25. §. item sciendum 8. ff. de Ædilitio edicto, l. illud 40. in princip. ff. de Hæredit. petit. Fructus* autem ante litem perceptos potest quidem judex in sententia attendere, Mynsing. *Cent. 4. observ. 155.* sed ut id faciat, non tenetur (nisi *per salutarem clausulam* officium judicis super his imploratum sit, de qua clausula superius in tit. *de Libelli oblatione* dictum, sibi enim imputet actor, quòd in libello *fructus* non postulaverit *d.*
13 *§. Item sciendum*. Ad expensas quod attinet, communiter sentiunt DD. & in praxi receptum esse testatur Mynsing. *d. loco* Suring. *Observ. 133. n. 3.* quòd judex temerè litigantem etiam non imploratus ex officio ad eas restituendas condemnare possit. *Temerè litigantem*, dico: nam ex recepta sententia illa Juris regula, quòd victus victori in expensas litis condemnandus sit, non procedit, si aliquis probabilem litigandi causam habuerit, tunc enim expensæ compensantur & mutuò tolluntur. *Novel. 82. c. 10. l. qui solidum 78. §. etiam ff. de Legat. 2.* Cæterùm si alteruter litigantium in *expensas* condemnatus sit, victor post *sententiam* debeat easdem descriptas judici exhibere & adversario postulante liquidare, quas deinde judex taxare solet, & tantùm necessarias adjudicare, non verò immodicas, aut voluptarias, de quibus videatur And. Gail. *lib. 1. observ. 161.*

14 V. Demum requiritur, ut *sententia* sit *juri conformis*: id est, non tantùm juri communi, sed etiam particularibus locorum statutis & consuetudinibus: nam Imperator *in princip. Instit. de Officio judicis* ait, ad officium judicis pertinere, ne aliter judicare præsumat, quàm *legibus & institutionibus*, vel etiam *moribus* receptum est.
Est autem hic advertendum quòd *sententia* dupliciter di- 15
citur esse *contra Jus*, nimirùm vel contra *jus constitutionis* vel contra *jus litigantis*. Contra *jus constitutionis* tunc esse dicitur, quando judex non tantùm reum seu partem, sed quasi *legem ipsam* condemnat, aliter scilicet judicando quàm lege definitum, vel moribus receptum est. Contra *jus litigantis* verò tunc, quando judex malè negat per sententiam, quòd litigans suum jus satis probatum deduxerit, e. g. Aliquis petit hereditatem ex testamento; adversarius opponit, quòd testator non fuerit 14. annorum, & consequenter non habuerit jus testandi, si jam judex pronuntiet, impuberem posse testari, hæc sententia erit contra *constitutiones*: si verò pronuntiet testatorem fuisse puberem, seu 14. annorum, idque ex supposito falsum sit, dicetur hæc sententia esse contra *jus litigantis* vel litigatoris. Porrò in effectu hoc interest, quòd sententia 16
contra jus constitutionis lata sit *ipso jure nulla* & possit usque ad 30. annos etiam sine appellatione impugnari: sententia verò contra *jus litigatoris* dicatur tantùm iniqua & ipso jure sustineatur, ac nisi condemnatus intra 10. dies appellet, transitura est in *rem judicatam l. 1. §. 2. ff. Quæ sententiæ sine appellatione rescindantur*.

Ulteriùs circa hoc ultimum requisitum nota. I. Quòd 17
sententia contra legem obscuram lata non sit ipso jure *nulla*, sicut nec tunc, si sit lata contra legem aut Bullam *extravagantem* & corpori juris non insertam, de qua dubium est, an usu recepta sit. Barth. *in l. cum prolatis 32. ff. de re jud. n. 1.* Quòd autem *sententia* contra Bullam *extravagantem* etiam Romæ tantùm promulgatam habeatur de stylo Curiæ Romanæ pro nulla, si res per appellationem eò devolvatur, testatur Chokier *de Jurisdictione ordinar. in exempt. p. 1. q. 50. à n. 5.*

Nota II. Quòd si verba legis sint valde generalia ita ut 18
salva ratione recti sermonis possint recipere interpretationem ex bono & æquo, tunc judex debebit æquitatem rigori juris præferre *l. placuit 8. Cod. de Judic.* si verò fuerint verba omninò clara, secundùm ea judicandum erit, quamvis videantur rigorosa, nisi consuetudo in contrarium sit *c. 3. dist. 4. l. prospexit 12. §. 1. ff. Qui & à quibus manumissi &c.* Videatur Fach. *1. controvers. c. 3.*

Nota III. Quòd judex in judicando non debeat disce- 19
dere ab opinione communi, quæ scilicet à pluribus, gravibus, & eruditis viris tenetur, quia communiter etiam pars major melius investigat veritatem, & rarò ille solus sapit, cui omnes alii desipiunt, arg. text. *in c. novimus de Verbor. significat. & l. 1. vers. sane crebrior. ff. de Officio Quæstoris*. Si tamen communis opinio etiam evidenter esset erronea & claris argumentis convincibilis, rectè ab ea judex recederet, per text. *in c. 4. de Feriis, & l. 1. §. sed neque 6. C. de Veteri jure enucleando* ubi dicit Imperator, *non ex multitudine Authorum, sed quod melius est, judicandum esse*. Quid autem si nesciatur, quænam sit communior opinio, & plurimi pro utraque parte reperiantur? Respond. Tali casu, eam sententiam judicem amplecti posse, quæ sibi videbitur probabilior. Videatur Syl. V. *Opinio*, & Panorm. *in c. 1. de Constit. n. 15.*

Nota IV. Si judex habeat privatam & extrajudicialem 20
scientiam ejus rei, quæ controvertitur, non posse eum ut judicem secundùm suam scientiam privatam pronuntiare, ex communi DD. sententia, si ex adverso aliæ & in foro externo sufficientes probationes allatæ sint: tum quòd judex debeat judicare secundùm *allegata & probata c. judices 4. causa 3. qu. 7. l. illicitas 6. §. veritas ff. de Officio Præsidis*. tum quòd intersit Reipublicæ, ne judices corrupti sæpius dicere possint, se ex privata scientia judicare.

Debet tamen judex omni modo adlaborare, ut verita- 21
tem publice notificet, nimirum ut partes faciat in arbitros compromittere, vel si delegatus sit, delegationem superiori renuntiet, & ipse personam testis agat, per text. notabilem *in c. dilecto 40. de Testibus*, nunquam enim, vel pene nunquam continget, ut nullæ prorsus sint conjecturæ pro ipso reo, quæ una cum attestatione judicis non faciant plenam probationem, vel saltem locum juramento *suppletorio*, vel quòd falsitas testium, & calumnia actoris per scientiam certam judicis detegi non possit: in causa autem criminali, ubi per arbitros decidi non

potest, causa ad Principem referenda erit, & ab illo vel delegatio, vel decisio petenda, judice personam testis interim subeunte. Plura hac de re videantur apud Laym. *lib.7. tract.6. c.2. n.8.* Cov. *lib.1. Variar, resol. c.3.*

---

§. II.

De Re judicatâ, & Executione sententiæ.

S U M M A R I A.

22 *Sententia, à qua non est appellatum, post decem dies transit in rem judicatam.*

23 *Enumerantur casus, in quibus sententia non transit in rem judicatam, specialiter in causa matrimonii, & criminali* u. n. 24. & 25.

26 *In sententia civili non est consultum causam exprimere, ne exponatur periculo nullitatis.*

27 *In actione reali postquam sententia transiit in rem judicatam, statim fit executio: secus in personali.*

28 *Quis modus in executione sit servandus, quando actione personali actum est.*

29 *Quando bona in quibus fieri debet executio, sub alterius jurisdictione sita sunt, in auxilium vocari & succurrere debet Judex territorii.*

30 *Ab Ecclesiastico Judice, quando ipse ad exequendum non sufficit, fit invocatio brachii sæcularis, & compelli potest iste Judex etiam per censuras.*

31 *Si sententia sit manifeste nulla, aut pendeat appellatio, non tenetur parere Judex pro executione invocatus.*

32 *Quomodo differat accommodatio familiæ à præstatione brachii.*

33 *Executor non potest cognascere de meritis causæ.*

22 SEntentia, à qua per condemnatum non appellatur,
post decem dies transit in *rem judicatam*, & impositum habet pro se præsumptionem *juris & de jure*, contra quam alia probatio non admittitur, quòd sit justa,
23 parsque condemnata in eam consenserit, & jure executioni mandari debeat, *c. suborta 21. h. t. & l. post rem 56. ff. de Re jud.* Sunt tamen aliqui casus, & causæ, in quibus *sententia* in *rem judicatam* non transit; ut I. Si fuerit lata contra jus constitutionis, & ita ipso jure *nulla*. II.
24 In *causa matrimoniali*, in qua licet propter allegatam consanguinitatem, impotentiam, vel aliud impedimentum judex pronuntiarit, matrimonium contractum non valere, & separandum esse, nihilominus si ex post facto quandocunque constiterit nullum subfuisse impedimentum, matrimonium reintegrari debet, quia illa præsumptio *juris & de jure* in materia sacramentali debet cedere veritati: matrimonium enim legitimè contractum per sententiam nulla ratione dissolvi potest. Neque hìc potest aliquid operari consensus partium ex non appellatione præsumptus, cum non sit in ipsarum partium potestate matrimonium dissolvere, sicut tamen in aliis causis quilibet potest cedere juri suo, *cap. lator 7. & c. consanguinei 11. h. t.* III. In causis criminalibus quandocunque potest rei innocentia demonstrari *l. unius 18. §. penult. ff. de quæstionibus*. IV. Sententiæ pretio emptæ, seu a judice corrupto latæ in *rem judicatam* non transeunt, *l. venales 7.*
25 *C. Quando provocare non est necesse*. V. Nec *sententia* lata ex juramento suppletorio. text. & DD. *in l. admonendi 31. ff. de Jurejurando*. VI. Idem est de *sententia*, lata ex falsis instrumentis vel testibus *tota tit. C. si ex falsis instrumentis judicatum sit &c. sicut 9. de Testibus*. VII. Denique si judex ex errore aut falsa causa, vel præsumptione processerit, eumque errorem, vel præsumptionem in *sententia* expresserit, talis *sententia* non transit *in rem judicatam*, sed semper detecta veritate revocari potest, per text. & quæ ibi notant Interpretes *in l. 1. §. 1.*
26 *ff. Quæ sententiæ sine appellatione rescindantur*. Unde non est consultum causam, quæ judicem movit, in *sententia* exprimere (exceptis causis criminalibus, in quibus requiritur causæ expressio) partim ne judex *sententiam* suam periculo nullitatis exponat, si causa falsa esse probetur; partim etiam ne condemnatus ad appellandum incitetur, si intelligat causam *sententiæ*, eamque non satis firmam existimet.

Postquam igitur *sententia* in *rem judicatam* transiit, judex invocatur, ut eam exequatur, & condemnato satisfactionem injungat. In primis autem distinguendum est inter actionem realem & personalem; nam in actione reali statim debet fieri restitutio, quia quàm primùm definitur, rem non esse possessoris, utique eam ulteriùs invito domino retinere non potest, & si restituere nolit, reali executioni locus fiet, & manus militaris adhibebitur, *l. qui restituere 68. ff. de Re vindicat.* In actione verò personali datur condemnato ad solvendum de jure spatium *quatuor mensium*, quia is, qui certam quantitatem præstare cogitur, non semper habet parata media solvendi *l. 2. & 3. C. de usuris rei judicatæ*, sed tamen iste terminus per judicem ex causa coarctari, vel prolungari poterit, sicut generaliter superiùs in *tit. de Dilationibus* diximus. 27

Cæterùm si reus vel in satisfaciendo contumax sit, vel paratam pecuniam non habeat, modus executionis hic est observandus, ut quantum fieri potest cum minimo damno condemnati procedatur. Nam primò bona mobilia pignori capienda, & distrahenda, vel si emptor non inveniatur, ipsi creditori pro rata sui debiti adjudicanda sunt. Deinde si hæc non sufficiant, etiam ad immobilia & tandem ad incorporalia, scilicet jura & nomina perveniendum est, *l. à D. Pio 14. §. 2. ff. de Re jud.* Singulariter autem prohibetur executio fieri (nisi in defectu omnis alterius medii) in stipendia, arma & equos militum, *l. stipendia 14. C. de Executione rei judicatæ*. Item in boves aratorios, aratra & alia instrumenta ad agriculturam necessaria, *l. executores 6. Cod. Quæ res pign. obligari poss.* quod DD. etiam ad libros studiosorum extendunt. 28

Quòd si bona condemnati, in quibus executio facienda est in alterius territorio, vel sub alterius jurisdictione existant, is per literas requirendus erit à judice sententiam ferente, ut eandem sententiam in suo territorio exequatur; & recusare non poterit, nisi velit à parte læsa ad interesse conveniri. Barth. *in d. l. à D. Pio 15. §. sententiam num. 5.* Prout etiam eo casu, quando judex Ecclesiasticus non habet milites vel ministros, per quos sententiam exequatur, vel aliàs ab executione impeditur, neque gladiu suo spirituali aliquod proficit, potest implorare officium judicis sæcularis, qui ei similiter manum porrigere, ejusque sententiam exequi debet, quæ imploratio eo nomine *invocatio brachii sæcularis* appellatur, atque ad ejus præstationem judex sæcularis etiam per censuras cogi potest, *c. 1. de Officio ordinarii l. Episcopale 8. C. de Episcopali audientia*. E contra quoque judex Laicus auxilium 29
judicis ecclesiastici, videlicet ejus censuras, implorare 30
potest, quando fortè propter potentiam rei non habet efficacem executionem, Panorm. Innoc. Host. *in d. c. 1. de Officio ordinarii*. Sed quid si sententia ipso jure sit nulla, vel petatur auxilium, & executio pendente appellatione, nunquid judex sæcularis parere tenebitur? Negativam 31
cum communi tenet Gail. *lib. 1. obser. 115. n. 4.* & Riccius *in Praxi invocationis sæcularis dec. 324.* dummodò sententia sit evidenter nulla, vel per appellationem suspensa: quia quod est nullum, nullam meretur executionem, *l. 4. condemnatum 6. ff. de re jud.* in dubio autem pro sententia præsumendum & parendum est. Advertit quoque Ricc. *dec. 329.* minùs esse accommodationem, quam præstationem brachii, & propterea si tantùm petatur accommodatio familiæ, (quæ in lictoribus aut militibus consistit) non posse judicem prætendere excusationem aliquam, ex ea differentiæ ratione, quod in accommodatione familiæ judex, qui eam sibi accommodari petit, sententiam exequatur, in præstatione verò brachii alter, qui imploratur, exequi debeat. Plura de executione sententiæ videantur apud Gail. *d. loco observ. 113.* ubi *n. 8.* docet, quod quamvis nudus executor non habeat jurisdictionem circa causam, quam exequitur, sed simpliciter eam exequi debeat, *l. si ut proponis 6. & l. executorem 8. C. de Executione rei judicat.* nihilominùs præter exceptionem nullitatis (de qua paulò ante dictum est) etiam exceptiones, quæ non respiciunt merita causæ, sed ipsam tantummodo executionem, uti sunt exceptio *competentiæ*, in quantum quis facere potest, *compensationis*, & similes possit cognoscere & definire.

TITU-

TITULUS XXVIII.

De appellationibus, recusationibus, & relationibus.

S U M M A R I A.

1 *Aliud est appellare, aliud sententiam nullam dicere.*
2 *Quæ sententia sit nulla?*
3 *De nullitate tam coram eodem Judice, quàm superiore agi potest.*
4 *Delegatus judex sententiam suam nullam reformare non potest.*
5 *Nullitas potest apud superiorem intentari vel principaliter, vel incidenter: & quid differat?*
6 *Nullitas quomodo cum appellatione cumuletur: & quis effectus?*
7 *De nullitate ad 30. annos agi potest.*
8 *Si de nullitate constet, aut in continenti probari possit, suspenditur executio, alias non.*

DIctum est hactenùs, qualiter in prima instantia lites deducantur, ac definiantur. Quia verò partes in prima instantia nonnunquam per sententias judicum se gravatas conqueruntur, ideo jura nostra dederunt secundam instantiam, id est, remedium appellationis ad judicem superiorem, per quem iniquitas prioris sententiæ cor-
1 rigatur ac reformetur. Est autem prænotandum aliud esse appellare, & aliud sententiam nullam dicere, ut priori t. §.1. *requisito* 5. insinuavi. Quare sit.

§. I.

De Nullitate Sententiæ.

2 SEntentia dicitur nulla in primis, quando non habuit illa requisita, quæ *in Tit. præced. in* §.1. recensuimus. Deinde si sit lata *ab incompetente judice*; si post *lapsum instantiæ*; si post *recusationem judicis suspecti*; si ad instantiam *falsi procuratoris*; contra *reum indefensum*; si lata post *terminum* delegationi præfixum; si contra priorem
3 *sententiam*, quæ transivit *in rem judicatam*. De quibus caussis nullitatis fusiùs videatur Ferat. *in Forma sententiæ definit. num.7. & seq.* De nullitate opponi potest, vel coram eodem Judice, qui sententiam tulit. *l.1.* §.*1. ff. Quæ sentent. sine appellatione rescindantur*. vel coram judice superiore seu *appellationis*, qui tunc potissimùm adiri solet, quando nullitas provenit non ex errore, sed ex malitia inferioris judicis; quia tunc erit non facilè reformaturus suam malitiam, & aliàs gravatus ad gravantem judicem remitti non debet. *l. eos. 6. Cod. de Appellationibus*.

4 In delegato judice hoc est speciale, quòd is sententiam suam nulliter prolatam reformare non possit, sed delegans adeundus sit, quia delegatus, postquàm pronunciavit sive benè sive malè, functus est officio, & ejus jurisdictio finita est, *c. in literis 13. & c. quærenti 26.* ubi Panorm. *de Officio delegati*.

5 Ex causa nullitatis aliquando *principaliter* ad superiorē recurritur, aliquando *incidenter*. *Principaliter* tunc, si provocans dicat sententiam, vel actum esse nullum, ejusque rescissionem petat absque eo, quòd de *appellatione* mentionem faciat: *incidenter* verò, si principaliter appelletur, ejusque petitio non tam sententiam, quàm merita causæ respiciat, petendo scilicet causam per superiorem judicem meliùs cognosci & examinari: nam appellatio partis semper incidenter causam nullitatis involvit, quamvis mentio nullitatis expressè non fiat, ita ut judex eam ex officio attendere debeat, teste Mynsing. *Cent.1. obs.20.* Sed quid interest, an nullitas *principaliter* vel *incidenter* tantùm in judicium deducatur? Respond. Potissimum *interesse* in eo versari, quòd si nullitas *principaliter* in judicium deducta sit, in ejusque probatione actor succubuerit, non possit ampliùs ad remedium *appellationis* convolare, sed condemnetur in expensas, & ad priorem judicem pro executione remittatur. Mynsing. *Cent.5. obs.91. n.4.* sin autem *incidenter* tantùm de *nullitate* agatur, quamvis appellans in causa appellationis succubuerit, nihilominùs adhuc sententiam nullam dicere poterit, Item si nullitas cum appellatione cumulata sit, deficiente nullitate potest pronun-
ciari super iniquitate. Mynſ. *Cent. obs.64.* id quod etiam 6
procedet, si pars hoc modo ad superiorem provocarit: *Dico sententiam nullam & si quæ est, appello*. Licet enim inter DD. controvertatur, an talis provocatio *nullitatem principaliter* vel *incidenter* tantùm in judicium deducat, ut videre est apud Covar. *Pract. q. c.24. n.7.* tamen satis conveniunt, habere illam vim, ut post victoriam deperditam in causa iniquitatis, seu appellationis adhuc *de nullitate* queri possit, vel vice versa quia utraque expressè in judicium deducta est. Cæterùm sive nullitas *principaliter*, sive *incidenter* in judicium deducta est, *appellatione* deserta nihilominùs poterit de *nullitate* opponi; si enim *principaliter* sit deducta, & *appellatio deseratur*, res eò recidit, ac si appellatum non esset; si appellatum non sit, certum
est adhuc de *nullitate* agi posse, cùm sententia nulla *in* 7
rem judicatam non transeat, sed ejus oppositio usque ad 30. annos duret. Si *incidenter* deducta sit, tunc ideò de novo intentari poterit, quia decisio in causa principali non præjudicat incidenti, quæ necdum sufficienter examinata est, *arg. l. à divo Pio. 15.* §.*4. ff. de Re jud.* Covar. *d. loco vers.*
quod si deserta. Utrum autem *nullitate* principaliter in ju- 8
dicium deducta inhiberi possit, impediaturque executio, atque attentata revocentur, sicut fit pendente *appellatione*, à plerisque in dubium vocatur. Recepta videtur distinctio, quam ex Barth. *in l.4.* §.*condemnatum.5. ff. de Re jud.* Mynsig. tradit *Cent.4. obs.63.* quòd si ex actis constet notoriè de nullitate vel saltem in continenti probari possit, debeat suspendi executio & attentata revocari, secus verò, si quæstio nullitatis requirat altiorem indaginem.

§. II.

Quid & quotuplex sit Appellatio?

S U M M A R I A.

9 *Quid sit appellatio? estque duplex: judicialis & extrajudicialis.*
10 *Quæ sit differentia inter appellationem judicialem & extrajudicialem?*
11 *Differentia appellationum à sententia definitiva & interlocutoria.*
12 *Appellatio à definitiva habet duos effectus principales, suspensivum & devolutivum.*
13 *Quomodo appellatio ab interlocutoria habeat effectum suspensivum?*
14 *Appellatio ab interlocutoria etiam aliquando causam principalem devolvit ad superiorem.*
15 *Etsi de Jure Canonico à quavis interlocutoria appellari possit: tamen Jure Tridentini tantùm ab ea, quæ vim definitivæ habet, aut gravamen irreparabile infert, appellari potest.*

APpellatio est ab inferiori ad superiorē judicē *provo-* 9
catio, ratione gravaminis illati vel inferendi. Estque duplex, *judicialis* & *extrajudicialis*. *Judicialis* fit à sententia, *extrajudicialis* vero ab externo gravamine, quod à judice inferiori, vel de facto appellanti illatum est, vel inferri timetur, ut si quis iniquè captus & incarceratus sit. Item *extrajudicialis* appellatio dicitur, quæ fit contra electiones, collationes & provisiones per text. *in c. concertationi. 8. h. t. in 6.* Sed hic nota, quòd contra ejusmodi gravamen, e. g. electionis aut collationis possit dupliciter opponi ab eo, qui interesse habet, ne ad ulteriora procedatur, vel per viam *appellationis*, vel per viam legitimæ contradictionis seu *accusationis*, qua ejusmodi actus tanquam non canonicè factus impugnatur; priore casu debet hæc *appellatio*, non minùs quàm *judicialis*, proponi intra decendium, & intra annum finiri. *d. c. concertationi* & *Clement. 3. h. t.* Altero autem casu etiam post de-
cendium locus est impugnationi, *d. cap. concertationi*, & *cap. constitutis 46. extra h. t.* Non nescio, quòd multi DD. 10

cum Val. *h. t. §. 1. n. 3.* sentiant per *appellationem extrajudicialem* non suspendi executionem, nec ea pendente, attentata revocari; sed ego existimo, hanc esse inter appellationem *judicialem* & *extrajudicialem* differentiam, quòd illa etiam malè & simpliciter proposita suspendat executionem, & faciat passim attentata revocari; in hac verò necesse sit rationabiles causas exprimere, quæ si fuerint per superiorem admissæ, tunc primùm attentata medio tempore revocentur, ut in *c. constitutus. 45. h. t.* & in *c. consideravimus. 10. & c. cum inter. 16. de Election.* satis insinuatur.

11 Appellatio *judicialis* dividitur in eam, quæ fit ab *interlocutoria*, & eam, quæ fit à *definitiva*: quarum differentia in quatuor præcipuè consistit. I. quòd *appellatio à definitiva* in continenti fieri possit viva voce per verbum *Appello*, vel æquipollens: *appellatio* autem ab *interlocutoria* fieri debeat in scriptis. *c. 1. h. t. in 6.* si quis tamen ex intervallo, e. g. post unum vel alterum diem à sententia definitiva appellaret, eandem appellationem in scriptis quoque proponere deberet juxta communem Interpretum in *l. si quis. 28. Cod. h. t.* II. In *appellatione à definitiva* (nisi appellatio à lege vel homine, id est, superiore sit prohibita) non est necesse causas gravaminis in specie exprimere, sed sufficit in genere dicere: *Appello. l. 2. ff. h. t.* Contra verò *appellatio* ab *interlocutoria* non aliter valebit, nisi causa gravaminis exprimatur. *d. c. 1. hoc t. in 6.* III. *Appellatio à definitiva* ex novis probationibus & caussis justificari potest, habetque ibi locum beneficium juris: *non deducta deducam, non probata probabo. l. per hanc 4.* & ibi Barth. *Cod. de Temporibus appellat. Appellatio* autem ab *interlocutoria* non nisi ex iisdem caussis antiquis, & in *appellatione* expressis justificatur. *Clement. appellanti 5. hoc tit.*

12 IV. *Appellatio à definitiva* habet duos principales effectus; nimirùm *suspensionem* & *devolutionem*: nam per effectum *suspensivum* statim ligat manus judicis *à quo*, & ejus jurisdictionem suspendit, ut ad executionem procedere non possit, *l. un. ff. Nihil innovari appellatione interposita*. Deinde per effectum *devolutivum* tota causa ad superiorem judicem devolvitur ita ut is non tantum in causa principali, sed etiam in accessorjis & incidentibus (*c. dilectis 55. hoc tit.*) pronuntiare & novam, si opus fuerit, sententiam concipere possit. *cap. Raynaldus 18. de Testamentis*. At verò *appellatio ab interlocutoria* habet quidem in primis etiam effectum suspensivum; sed attentata medio tempore non aliter revocantur, nec prius inhibitio concedenda, quàm si appellans causam gravaminis in
13 *appellatione* expressam probarit, *c. non solum 7. h. t. in 6.* Imo quoad hunc effectum suspensivum in eo quoque est notabilis differentia; quòd etiam post *appellationem* interpositam à sententia *interlocutoria* judex *à quo* possit eandem sententiam revocare vel emendare, quo facto etiam impedietur Judex *ad quem* ulteriùs in causa procedere, quia gravamen sublatum est. *c. cum cessante. 60. h. t. Definitiva* autem sententia revocari non potest, ut superiùs explicatum.

14 Circa effectum *devolutivum* notat Mynsing. *Cent. 4. observ. 46.* & Gail. *lib. 1. observ. 131.* quòd *appellatio* ab *interlocutoria* etiam ipsam materiam principalem aliquando ad superioram devolvat, videlicet tunc, si constiterit benè appellatum esse, ne gravatus ad gravantem remittatur, *c. ut debitus. 59. in fin. h. t.* juncta *l. eos 6. Cod. eodem*. Si verò constiterit malè appellatum esse, tunc causa principalis eò tantum casu devolvetur, quo judex inferior *appellationi* detulerit, qui per eam delationem jurisdictionem à se abdicavit, juxta text. *in c. cum appellationibus 5. h. t. in 6.*

15 Præterea hic advertendum est, quòd licet olim de jure Canonico à qualibet interlocutoria, & quovis gravamine appellare licitum fuerit, *c. de appellationibus. 11. & c. super eo. 12. h. t.* id tamen hodie per Concilium Trident. *Sess. 13. de Reform. c. 1. & Sess. 24. de Reform. c. 20.* correctum est, ita ut hodie sicut de Jure Civili (text. & DD. *in l. penult. C. quorum appellat. non recipiuntur*) ab *interlocutoria* non possit appellari, nisi vim *definitiva* habeat, vel ejus gravamen per *appellationem à definitiva* reparari nequeat; veluti si judex decernat reum esse torquendum, aut incarcerandum, quia gravamen torturæ vel incarcerationis non potest ampliùs reparari. Similiter si judex rejiciat testes vel probationes, si periculum sit, ne durante processu ejusmodi probationes pereant, & in causa *appellationis* produci non possint. Quinimo generaliter ab interlocutoria appellari poterit, licet gravamen sit reparabile, si non sit reparabile ex toto, vel non nisi cum magna difficultate, aut præjudicio partis, Barb. *in Collect. DD. addit. c. 20. Trid. n. 21. & seqq.* Rice. *in praxi fori ecclesiast. part. 1. resol. 415.*

---

§. III.

Quando concedenda, & quando deneganda sit appellatio.

SUMMARIA.

16 *Appellatio est species defensionis omnibus concessa.*
17 *Etiam tertius, cujus interest pro alio appellare potest.*
18 *Uxor pro viro regulariter appellare non potest.*
19 *A summis principibus & eorum Consiliis appellari non potest.*
20 *Appellare à Papa ad futurum Concilium est casus reserv. in Bulla Cœna.*
21 *A sententia Præfecti Prætorii olim: hodie à Regibus Imperio subditis, & S. R. I. Electoribus non datur appellatio.*
22 *Potest tamen agi de nullitate contra tales sententias, aut supplicari vel peti revisio.*
23 *Quod tempus supplicationi sit præfixum.*
24 *Supplicationi locus non est, si appellatio denegetur ob aliam causam, quàm propter excellentiam Judicis.*
25 *Quomodo fiat Revisio.*
26 *De consuetudine Germaniæ in causa sanguinis non datur appellatio: secus de Jure communi.*
27 *Potest tamen in causa criminali Processus nullitatis argui.*
28 *In causis correctionis & visitationis appellari non potest.*
29 *Nisi modus excedatur, aut visitatio intentetur exemptis.*
30 *Ab executione non datur appellatio, nisi excedatur modus, aut cognitio quadam ab executore interponatur.*
31 *Facta transactione, delato juramento voluntario in judicio, vel ab arbitro appellari nequit.*
32 *Contumaci condemnato negatur appellatio.*
33 *In Camera Imperiali non admittitur appellatio infra certam summam: secus de Jure Canonico.*
34 *Appellatio quoad effectum suspensivum locum non habet ubi res non patitur moram.*
35 *Quando delegatio fit cum clausâ.* appellatione remota, *non tantum frivola; sed etiam alia appellationes prohibentur.*
36 *Ut appellatio tali casu admittatur, debet justa causa exprimi.*
37 *In notoriis appellatio non admittitur.*
38 *In possessorio summariissimo non admittitur appellatio: benè in ordinario.*

REgulariter judex tenetur omni *appellationi* deferre, 16
nisi fuerit manifestè frivola. *c. cùm appellat. 5. h. t. in 6.* vel à jure prohibita, ita ut in dubio potius appellatio admitti, quàm rejici debeat. Est enim *appellatio* species defensionis ab ipso jure naturæ omnibus concessæ. Vall. *h. t. n. 7.* Potest autem appellare non tantùm ille, qui condemnatus, vel per sententiam judicis gravatus est, sed etjam tertius aliquis, si probet sua saltem in consequentiam interesse. Sic dominus pro subdito, Episcopus pro Clerico, Abbas pro Monacho admittitur. Gail. *Lib. 1. obs. 125. n. 7.* Similiter & marito in bonis uxoris appellare licet: in *receptitiis* quidem cum cautione de *ratum habendo*, in *dotalibus* verò & *paraphernalibus* sine mandato & cautione *l. maritus 21.* & ibi Bart. & Bal. *C. de Proc.* Vicissim autem uxor pro marito agere vel appellare non potest, nisi pro ejusdem libertate, si fortè in carcere detineatur. Gail. *L. 1. obs. 133. n. 8.* quia uxores per viros, non viros per uxores defendi oportet. *l. 4. C. de Procur.* Filius etiam pro patre, & è contra pater & mater pro filio ex officio pietatis ad appellandum admittuntur. *l. 2. §. si is quiss. Quando appellandum l. 1. §. 1. de appel. recipiend. l. exigen. 12. C. de Proc.* Verùm

quam-

quamvis *appellatio* ordinariè omnibus concedenda sit, quia tamen experientia docet, litigantes hoc beneficio ad dilatandas lites frequenter abusos fuisse, ideò ne præsidium innocentiæ sit iniquitatis defensio, jura in certis casibus *appellationem* denegarunt, qui memoriæ per sequentes versus mandari possunt.

Sublimis judex, delictum, exactio, pactum,
Contemptus, & res minima, dilatio nulla,
Clausula, quæ removet, res quæ notoria constat.
Et textus juris clarus, possessio, factum.

19 IGitur *sublimitas judicis* prohibet appellationem: nam inprimis à summis Principibus, qui superiorem non recognoscunt, vel hoc ipso appellatio dari non potest, cùm ea semper ad superiorem interponatur. Eadem est ratio de supremis Principum Consiliis, quorum sententiæ, quia nomine & authoritate ipsius summi Principis
20 promulgantur, appellationem non admittunt. Imò *In Bulla Cœnæ Domini casu* 2. excommunicantur omnes, qui à sententia Papæ ad futurum generale Concilium appellant, quia Concilium non est supra Pontificem, sed infra: cùm omnia Concilia ejus authoritate congregentur, & robur habeant *c. 4. de Elect.*

Præterea non tantùm summis, sed etiam quibusdam inferioribus Principibus concessum est hoc privilegium, quòd ab eorum sententiis non appelletur. Ita olim non licebat appellare à sententia præfecti prætorii. *l. un. C. de Sentent. præfect. prætor.* Quod privilegium hodie adscribitur Regibus, licet Romano Imperio subditi sint,
21 secundùm Bald. in *l. unica ff. de Officio præfecti prætorii.* Et Electoribus S. R. J. juxta auream Bullam Caroli V. tit. *von der Churfürsten Freyheit.*

22 Verùm licet ob excellentiam judicis *appellatio* non concedatur, potest tamen sententia *nullitatis* argui, si ordo juris observatus non sit, vel (si sententia ipso jure subsistat) per *supplicationem*, & *revisionem* impugnari. De *supplicatione* extat *titulus C. de precibus Imperatori offerendis*. *Revisio* verò usu summorum tribunalium & fortè in locum *supplicationis*, æquitate ita suadente introducta est. Sciendum verò, quòd non tantùm intra decem dies, sed etiam integro biennio supplicare licitum sit, cum ea tamen differentia, quòd si intra decendium sup-
23 plicetur, sententia prior non mandetur executioni, nisi pars victrix sufficientem cautionem præstet, quòd in casu quo sententiam ad supplicationem condemnati retractari contigerit, omnia restituere velit; elapso autem decendio tametsi supplicetur, nihilominùs sententia executioni sine cautione aliqua mandabitur, *auth. quæ supplicatio C. de Precibus Imperat. offerend.* Sed hæc *supplicatio* tantum conceditur, quando propter sublimitatem
24 judicis *appellatio* denegatur. Cæterùm si appellatio sit prohibita ex aliis caussis, ut quia in contumacem sententia lata est, causa per juramentum voluntarium decisa &c. etiam supplicare non licebit. Jason. *in d. auth.* per text. *in l. fin. C. jam jam d. t.*

25 Porro quia usus supplicandi videtur ab aula recessisse, Ideo hodie illi Principes, à quibus appellatio non conceditur, habent Commissarios deputatos, quos *Revisores* vocant, ad acta priora revidenda, & ad sententiam, si opus sit, reformandam. In hac verò *Revisione* tantùm unico scripto causæ gravaminis exprimendæ sunt, neque aliquid novi ponendum: quia in eo non habet locum beneficium *appellationis*, ut non deducta deducere, non probata probare liceat. Is quoque, qui *Revisionem* petit, certam summam pecuniæ deponere debet, quam amittit, si causam in *Revisione* perdiderit; recipit verò, si Ibidem obtinuerit. Illud etiam *Revisio* ampliùs habet præ *supplicatione*, quòd *supplicatio* præstita cautione victoris non suspendat executionem, ut supradictum; suspendat autem *Revisio*, ne repetita executio præsertim inter status Imperii novas turbas & lites excitet. Videatur *Ordinatio Cameræ parte 3. tit. 53.*

26 II. Propter *delictum* appellare non possunt damnati in causa criminali, cujus pœna est corporis afflictiva, ex generali & inveterata totius Germaniæ consuetudine, de qua testatur Mynsi. *Cent. 4. observ.* 41. Wesemb. *h. t. num.* 3. Dico *de consuetudine*: nam de jure communi non tantùm ipse damnatus ad ultimum supplicium, sed etiam ex ratione humanitatis & pietatis quilibet alius pro ipso condemnato etiam invito appellare potest *l. non solum 6. ff. h. t.* (exceptis quibusdam criminibus atrocioribus, ut læsæ Majestatis, falsæ monetæ, insignis latrocinii &c. in quibus appellatio denegatur *l. constitutiones 16. ff. eodem*) quia verò compertum fuit, reos ordinariè tantùm ad differendum supplicium appellasse, & plurima crimina mansisse impunita, ideò huic constitutioni rectè derogari potuit. Interim per hanc consuetudinem non impediri, quò
minùs reus principaliter *nullitatem* processus allegans (ut 27
quia non citatus, & indefensus sit condemnatus) audiri debeat, testatur Harpp. *de Appel. concl. 33.* Mys. *d. loco obser. 42.* Religiosus quoque delinquens non potest appellare à
pœna infligenda secundùm regulam, vel statuta sui Mo- 28
nasteriis, sed etsi de facto ad Episcopum, vel alium superiorem appellet, tamen Abbas in corrigendo & puniendo secundùm regulam pergere potest *c. 3. h. t. Et in c. reprehensibilis 26. eod. t.* non tantùm Religiosis, sed universim inhibetur, ne subditi contra disciplinam ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant. Et generaliter in Concilio Trident. *sess. 24. de Refor. c.* 10. statuitur, quòd visitationem & morum correctionem nulla inhibitio, appellatio, seu
querela impedire aut suspedere possit. Hæc tamen fal- 29
lunt, si modus in corrigendo excedatur, non observando regulas & statuta ordinaria; sicut & tunc, si non tantùm de morum correctione agatur, sed insuper de privatione administrationis vel beneficii: item si visitatio intentetur in exemptos, seu alios privilegiatos contra eorum privilegia: his enim casibus appellatio quoad effectum *devolutivum* & *suspensivum* conceditur. Barb. *in Collectaneis DD. ad Concil. Trid. sess. 13. de Reform. c. 1. in 5. & seqq.*

III. Ab *executione* sententiæ, quæ in rem judicatam 30
transivit, appellari non potest. *l. 4. ff. h. t. l. ab executione 5. C. Quorum appellation. non recipiuntur.* Est tamen distinguendum inter executorem merum, qui simpliciter sine ulla cognitione præmissa executionem aggreditur, & inter executorem mixtum, qui de exceptionibus, quæ contra executionem opponuntur (ut exceptio *competen-*
tiæ compensationis, & similes) cognoscere & pronuncia- 31
re potest: nam ab ipso executore mixto datur *appellatio*, quia fert sententiam, scilicet exceptionem competere, vel non competere; non autem ab illo, qui merus est executor, & nullam profert sententiam, nisi modum excesserit in exequendo. Et dicitur modum excedere, si e. g. priùs in Immobilibus quàm mobilibus, vel ante terminum legitimum executionem facere velit. Fach. *L. 1. Controv. cap. 74.*

IV. Propter *pactum* appellare nequeunt, qui in judi- 32
cio transegerunt; item qui causam per delationem juramenti voluntarii terminarunt, vel qui neglecto judice ordinario in arbitrum compromiserunt (nisi fuerit arbiter *juris*, seu necessarius, de quo superius in tit. *de Arbitris* dictum) quia isti de iniquitate judicis conqueri non possunt, sed omnia suis pactionibus imputare debent. *l. causas 16. & l. non minorem 20. Cod. de Transactionibus l. non erit 5. §. 2. ff. de Jurejurando l. diem proferre 27. §. stari ff. de Receptis, qui arbitrium, &c.*

V. *Contemptus* judicis, qui fit à vero contumace, im- 33
pedit, quò minùs à sententia *in contumacem* lata appellari possit; quia appellatio tantum datur gravato & oppresso, non verò rebelli & contumaci, ne sit iniquitatis defensio. *l. 1. Cod. Quor. appellat. non recip. l. ex consensu 23. §. fin. ff. h. t.*

VI. *Res minima*, quæ scilicet sunt exigui momenti, non 34
merentur appellationem & protractionem litis, unde in Camera Imperiali non recipiuntur appellationes, nisi summa, de qua agitur, sit ad minus 10. Imperialium, teste Gail. *Lib. 1. observ.* 123. Quod tamen aliter se habet de puncto juris Canonici, ubi etiam pro rebus minimis appellatio conceditur c. *de appellationibus 21. h. t.*

VII. Si res *dilationem* non patiatur, etiam appellatio 35
permissa non est, saltem quoad effectum suspensivum, ut si agatur super futuris alimentis: si jubeatur testamentum aperiri: si hæres in possessionem mittatur: si frumentum in usum militum contrahatur, *l. si res 7. ff. de Appellat. recipiend.* Fach. *Lib. 1. Controvers. c. 76. & seq.*

VIII. Aliquando delegatur causa alicui cum clausula, 36
appellatione remota, qui modus delegandi tantùm summis principibus competit; nam illi soli contra leges permi-

tentes appellationem rescribere possunt. Sed quæritur an hæc clausula de omnibus, vel tantùm de frivolis *appellationibus* intelligatur? Hac de re extat textus *in c. pastoralis. hoc tit.* quòd per illam clausulam omnis *appellatio* prohibeatur, quæ à jure non indulgetur expresse: quia appellationibus frivolis etiam sine illa clausula deferendum non est. Sed quid si appellans habeat justas causas gravaminis, quæ tamen in jure expressæ non sint, sicut valde paucæ expressæ habentur, nunquid æquitate suadente, & non obstante illa clausula audiendus erit? Respond. Affirmativam esse probabiliorem, quia *appellatio* est species defensionis, consequenter juris naturalis, quod Principes tollere nequeant, vel saltem non intendunt. Neque propterea hæc clausula esset sine omni effectu: habet enim hunc effectum, quòd appellatio etiam justa non admittatur, nisi causæ gravaminis exprimantur, cùm tamen aliàs, ubi appellatio absolutè permissa est, non sit necesse causas gravaminis exprimere. Prætarea remota appellatione non tollitur nullitas vel revisio, quia sunt separata, & clausula est odiosa, adeoque strictè interpretanda. Gaill. *Lib. 1. obser. 135.*

37 IX. In *Notoriis* non admittitur *appellatio*, quia si res sit notoria, tunc appellatio tantùm ad differendam litem interponitur, *cap. cum sit 5. in fine & cap. pervenit 13. c. consuluit. 14. hoc tit.* Dicitur autem hoc casu *notorium*, quod est notorium per evidentiam rei, quæ nulla potest tergiversatione celari, vel per confessionem propriam factam in judicio liberè, sine vi tormentorum, & quæ non possit per allegationem justi erroris revocari. Text. & Panor. *in c. cum speciali 61. h. t. & c. Rom. 3. §. si autem eod. in 6.*

X. Similiter censebitur *appellatio* frivola, si interponatur ab eo, quod judex secundum clarum juris textum decrevit & definivit *d. l. si res 7. §. 1. ff. de Appellat. recipiendis cap. consuluit 29. hoc tit.* e. g. si Episcopus jusserit clericum in suo beneficio residere *cap. relatum 4. de Clericis non resident.*

38 XI. A sententia, quæ fertur in *possessorio*, non rectè appellatur. Sed hoc accipiendum est de possessorio *momentaneo*, seu *summarissimo*, juxta text. *in l. un. C. si de momentaneo possess. fuerit appellat.* non verò de possessorio *ordinario*, in quo appellatio locum habet arg. *cap. cum ad sedem 15. de Restitutione spoliat. & Clement. unica de caus. possess. & propriet.* Ratio differentiæ est, quod in possessorio *momentaneo* supervacanea sit appellatio, cùm ejus præjudicium est gravamen per judicium ordinarium reparari possit, ut superiùs in Tit. *de Causa possessionis & proprietatis* dictum Harp. *de Appellat. consult. 43.*

XII. Demum *fatalia* seu tempora *appellationi* præfixa, si elapsa fuerint, tollunt appellationis beneficium, de quibus sit.

---

§. IV.

De Fatalibus Appellationis.

SUMMARIA.

39 *Fatalia interponenda appellationis hodie sunt 10. dies computandi ab hora latæ sententiæ.*

40 *Hoc decendium ab initio est utile & ignoranti non currit; postea est continuum.*

41 *Si gravamen à judice illatum sit continuum, non currit decendium.*

42 *Quid agendum, si non detur copia Judicis inferioris: aut Dominus absens per Procuratorem egerit.*

43 *Si Procurator intra decendium nec appellaverit, nec Dominum certioraverit, quoad appellationem præjudicat Domino.*

44 *Quid sint Apostoli & quotuplices?*

45 *Judex à quo appellationem rejiciens ad executionem tamen non potest procedere.*

46 *Apostolorum petitio in Camera Imper. & aliis tribunalibus non est in usu: & quid illius loco fiat.*

47 *Tempus introducendæ appellationis non est de Jure determinatum, sed determinatur à Judice, & quid in Camera Spirensi?*

48 *Fatale finiendæ appellationis est annus, vel ex causa biennium à die, quo interposita est.*

49 *Appellatio censetur deserta elapsis fatalibus, aut actu aliquo appellationis contrario.*

50 *Appellatione deserta quid fiat?*

F*Atalia* seu *tempora appellationis* sunt quadruplicia 39
scil. *interponenda* appellationis, *petendi Apostolos*, *prosequendæ* & *finiendæ* appellationis. *Fatalia interponendæ* appellationis olim erant duo dies, *l. siquidem 1. §. biduum 5. & §. in propria ff. Quando Appellandum.* Hodie verò ex constitutione Justiniani potest appellatio coram judice *à quo* intra 10. dies interponi, sive à *definitiva*, sive *interlocutoria* appelletur. *auth. hodie Cod. hoc tit. cap. quod ad consultationem 15. de Sent. & re jud.* Computatur autem hoc decendium ab hora latæ sententiæ, vel si condemnatus ignoravit sententiam latam, à tempore scientiæ. Est enim decendium ab initio *utile* & ignoranti 40
non currit, ex post facto autem *continuum cap. concertationi 8. ubi Gloss. in Verbo: postquam sciverit hoc tit. in 6.* Curritque de momento in momentum, & sic dies termini sine dubio in termino computatur, neque prorogari potest compromisso partium, aut judicis permissione, Gail. *Lib. 1. obser. 139. n. 6.* Neque purgatio moræ conceditur, cum per hunc terminum peremptorium parti jus quæratur.

Sed hoc decendium non observatur, si gravamen à ju- 41
dice illatum causam continuam, tractumque temporis successivum haberet, tunc enim ab eo tanquam præsenti semper appellari posset. Hujusmodi gravamina sunt, incarceratio, censura Ecclesiastica, item si aliquis ad locum non tutum citetur, quia quoties de novo citatur, toties de novo gravatur *cap. ex parte 47. h. t.* Val. *eodem t. §. 7. n. 6.* 42
Quòd si copia judicis non sit, vel periculum capturæ immineat, poterit appellans immediatè adire superiorem judicem, vel coram notario, & honestis viris suam appellationem cum protestatione proponere *cap. fin. h. t. l. cum quidam 7. ff. eodem.* Quid autem si Dominus absens per Procuratorem egerit, isque condemnatus sit, nunquid prorogari debet tempus decendii, usque dum voluntas domini requiratur, an appellare velit? Resp. Procuratorem posse vel certiorare dominum de sententia lata, & ipsi domino deinde incipiet currere decendium à tempore hujus sententiæ, cùm ab initio sit utile, ut dictum; vel posse ir requisito domino appellare juxta text. & Bart. *in l. invitus 17. C. de Procurat.* quia per talem appellationem nullum præjudicium infert Domino, qui potest ex post facto appellationem, si displiceat, intermittere vel revocare, per *l. si quis libellos 28. ubi Gloss. & Salicet C. h. t.* Si verò Procurator intra decendium nec appellaverit, nec dominum 43
certiorarit, sententia transit in rem judicatam, & negligentia Procuratoris nocet Domino, qui regressum solummodò contra Procuratorem habet. Quòd si tamen Procurator solvendo non esset, ex æquitate Domino in integrum restitutio conceditur ad novam appellationem proponendam. Gail. *Lib. 1. obser. 139. n. 9.*

Apostoli sunt libelli dati ab inferiore judice ad superio- 44
rem, in quibus & appellantis dimissio & dimissionis causa continetur. Sunt autem triplices frequentiori usu: nimirum *dimissorii*, *reverentiales*, & *refutatorii*. Aliqui addunt *conventionales*, & *testimoniales*: illi sunt ex conventione partium etiam invito judice, isti quando appellatio est proposita coram honestis viris copia Judicis non existente. *Dimissorii* sunt litteræ ad judicem superiorem directæ testificantes de appellatione interposita & admissa. *Reverentiales* sunt, quando non ob causæ justitiam, sed solùm ob reverentiam Judicis superioris appellatio admittitur. *Refutatorii* denique, quibus judex *à quo* significat judici *ad quem*, se non admisisse appellationem; debet autem judex, qui non recepit appellationem causam rejectionis exprimere, ejusque exemplum appellantis edere. *c. 1. h. t. in 6. l. penult. ff. de Appell. recipiend.*

Quæres, an si appellatio per inferiorem judicem non 45
admittatur, possit is hoc ipso ad executionam sententiæ procedere? Resp. Negativè per textum clarum *in dict. leg. penul. & in l. un. in princ. ff. Nihil innovari appellatione interposita:* ne interea, cum per superiorem deliberatur, an recipienda sit appellatio, per inferioris executionem appellanti præjudicium fiat.

Tempus pro petendis *Apostolis* sunt 30. dies, qui probabilius currunt a die latæ sententiæ, modò illius notitiam

ap-

appellans habuerit, iique petendi sunt sæpiùs, saltem uno
contextu, *instanter*, *instantius*, *instantissimè*. *l. un. §. 2.*
46 *ff. de Libellis dimissoriis*. *Clement. 2. h. t.* Hodie in Came-
ra Imperiali, aliisque tribunalibus hæc *Apostolorum* peti-
tio in usu non est, sed quando condemnatus suam appel-
lationem per libellum judici *à quo* proponit, Judex curat
desuper scribi per notarium appellationem admitti vel
non admitti: & siquidem admittatur appellatio, petun-
tur acta primæ instantiæ, quæ ad superiorem judicem de-
feruntur: in quorum petitione etiam tempus 30. dierum
47 observatur. Si admissa non fuerit appellatio, neque ap-
pellans acquiescere velit, simpliciter adit superiorem, &
coram eo per libellum conqueritur, appellationem non es-
se admissam: Judex deinde superior petit ab inferiore in-
formationem scriptam, quare appellationem non admise-
rit, & simul inhibet, ne sententiam exequatur.
48 Tertium *fatale* est *prosequendæ* seu præsentandæ ap-
pellationis coram judice *ad quem*: quod quidem tem-
pus non est de jure communi saltem Canonico (quidquid
olim fuerit de Jure civili *in l. 2. & fin. C. de Temporib. ap-
pellat.*) determinatum, teste Hostiens. *in Summa hoc t.*
sed judex *à quo* terminum præfigere debet, intra quem
superiori appellatio præsentetur, vel nisi præsentata fue-
rit appellatio, habeatur pro deserta, *c. cum sit 5. & c. ad
aures 33. h. t. Clement. quamdiu 4. eod. tit.* In Camera ta-
men Spirensi sex menses à die interpositæ appellationis
numerandi præfiguntur, juxta Ordinationem Cameræ
part. 2. tit. 30.
49 Quartum & ultimum *fatale* est *finiendæ appellationis*:
debet enim appellatio finiri intra annum, ex communio-
ri sententia numerandum à die, quo interposita est, vel ex
causa intra biennium, si nimirùm appellans primo anno
legitimè impeditus fuerit. *auth. ei qui appellat. C. de Tem-
poribus appellat. Clement. 3. h. t.* Hæc tempora hodie non
attenduntur in majoribus tribunalibus, ubi propter mul-
titudinem causarum appellatio plerumque per multos
annos pendet. Adnotandum, quòd appellatio non tan-
tùm habeatur pro *deserta* & sententia transeat in *rem ju-
dicatam*, si appellans prædicta *fatalia* non observarit, sed
etiam si actum aliquem appellationi contrarium egerit,
e. g. appellatum pendente appellatione spoliarit. Quaran-
ta *hoc tit. num. 422.* vel coram inferiori judice actum ali-
quem ipsam causam concernentem, & appellationi con-
trarium egerit, petendo se ab ipsius excommunicatione
absolvi, aut deferendo parti adversæ juramentum, &c. ta-
metsi protestaretur, se non facere animo deserendi appel-
lationem, quia talis protestatio esset actui contraria & ni-
hil relevaret. *c. sollicitudinem 54. hoc tit.*
50 Porro si appellatio superiori jam præsentata sit, nec
tamen continuata, eam desertam esse superior pronun-
tiabit; si verò necdum præsentata sit, judicium desertio-
nis ad inferiorem judicem pertinet: quia verò ex commu-
niori doctrina à sententia, appellationem esse desertam,
datur nova appellatio, ideò consultius acturum judicem
inferiorem, si absque sententia statim ad executionem
progrediatur, monet Quaranta, *h. t. n. 200. & seq.* Appella-
tione deserta non potest judex *ad quem* etiam partium
accedente consensu in causa procedere, quia jurisdictio
& executio revertitur ad judicem *à qua Clement. si appel-
lationem 6. h. t.* Gail. *l. 1. obs. 137.*

---

§. V.

De Recusationibus, & Relationibus.

S U M M A R I A.

51 *Quid sit recusatio?*
52 *De Jure Canonico judex tam ordinarius, quàm dele-
gatus recusari potest, quod de Jure Civili quoad
ordinarium secus est.*
53 *Exceptio Judicis suspecti ante omnia est proponenda.*
54 *Articulus suspicionis debet per arbitros Juris termi-
nari, à quibus datur appellatio.*
55 *A quo tali casu causa principalis cognoscatur?*
56 *Gesta à judice recusato pendente quæstione recusatio-
nis quoad valorem pendent ab eventu admissæ vel
non admissæ recusationis.*
47 *Relationes causarum ad Principem hodie prohibitæ;
potest tamen apud eum consultari de dubio Ju-
ris.*

RUbrica hujus tit. inscribitur de *Appellationibus*,
Recusationibus & Relationibus. De *Appellationibus*
dictum est hactenus, nunc de *Recusationibus & Relatio-
nibus* breviter.
Nota I. *Recusationem* nihil esse aliud, quàm allegatio- 51
nem suspicionis contra judicium, quòd nimirùm is aut
nimia affectione erga partem adversam, aut odio contra
recusantem ducatur: ut quia consanguineus, vel affinis
est partis adversæ; vel quia ipsemet proprium interesse
in causa habeat. Et generaliter quænam in specie sint
justæ suspicionis causæ, arbitrio prudentis viri relin-
quendum censet Panorm. *in cap. cum speciali. 61.
num. 7. hoc tit.*
Nota II. De Jure Civili judicem delegatum quidem 52
recusari posse, *L. apertissimi. 16. C. de Judic.* ordinarium
verò (utpote de cujus integritate propter publicam &
ordinariam administrationem magis præsumitur) abso-
lutè recusari non posse, sed si justa suspicionis causa con-
tra eum allegetur, Episcopum loci pro non judice habe-
re debere; *auth. si verò Cod. de Jud.* Aliud est de æquitate
Juris Canonici, ex qua tam ordinarius, quàm delegatus
recusari potest *cap. si quis 4. de Foro competenti d. c. cum
speciali 61. hoc tit.*
Nota III. Quod jam superiùs in tit. *de Exceptionibus*, 53
diximus, exceptionem suspicionis proponendam esse an-
te omnem actum judicialem, nisi primùm ex post facto
innotuisset, idque juramento probaretur.
Nota IV. Quòd articulus suspicionis sit per arbitros 54
communiter à partibus electos terminandus, quibus per
ipsum judicem recusatum tempus ad finiendum illum
articulum præfigitur, iique in causa discordiæ compel-
luntur per eundem judicem, ut novum arbitrum secum
assumant, qui possit majora vota facere, aliàs tempore
præfixo elapso ipse judex recusatus in causa procedere
poterit. *c. legitima 2. h. t. in 6.*
Nota V. Quòd ab istis arbitris (si fortè pronunciarint 55
judicem non esse suspectum) detur appellatio ad ordina-
rium superiorem judicem judicis recusati, quia non po-
test partibus imputari, quòd in istos arbitros compromi-
serint, cum non sint arbitri voluntarii, sed arbitri *Juris*
& necessarii *cap. ab arbitris 11. & ibi Gloss. fin. de Officio
delegati in 6.*
Nota VI. Quòd arbitri tantùm possint definire ar- 56
ticulum suspicionis, an scilicet judex suspectus sit,
nec ne *d. c. legitima*. Circa causam verò principalem
distinguendum est: utrum arbitri pronunciarint ju-
dicem esse suspectum, vel pronunciarint non esse
suspectum? Priore casu, nisi partes velint de novo
in arbitros voluntarios compromittere, causa ad su-
periorem ipsius recusati deferenda erit, vel cum con-
sensu ipsius recusatoris per ipsum recusatum alteri
deleganda *cap. cum speciali 61. vers. causa ubi* Gloss. &
Panorm. Judex tamen delegatus solummodo ante
pronunciationem cum consensu recusatoris, non ve-
rò post pronunciationem causam subdelegare potest,
quia per recusationem admissam tota ejus jurisdictio
expirat. *cap. judex 5. de Officio delegati in 6.* Altero au-
tem casu, si arbitri pronuntiarint judicem non esse
suspectum, ad eumdem judicem decisio causæ princi-
palis pertinebit. *d. cap. cum speciali, & c. secundo requi-
ris 41. in fine eod. tit.*
Nota VII. Quòd per *recusationem* propositam (nisi fue- 57
rit manifestè frivola) suspendatur jurisdictio recusati.
Sed an gesta à recusato post recusationem propositam
sint ipso jure nulla, & circa appellationem etiam sta-
tim revocabilia, non conveniunt Interpretes. Commu-
nior est sententia cum Gloss. *in c. quoties 15. causa 2. q. 6.*
quòd sint nulla ipso jure. Mihi magis placet opinio,
quam ex Lapo refert Panorm. *in sæpe dicto c. speciali num.
12.* valorem ejusmodi gestorum pendere ex futuro even-
tu admissæ, vel non admissæ recusationis: quemadmodum
diximus de attentatis, quæ fiunt post appellationem ab
interlocutaria, vel extrajudiciali gravamine juxta text.
in c.

in c. non solùm hoc t. in 6. quia non videtur posse sufficiens disparitatis ratio assignari.

Nota ultimò, quòd *relatio* sit consultatio ad Principem facta à Judice dubitante, quid in causa statuere debeat; cujusmodi consultationes olim erant frequentes, ut constat ex *toto t. C. de Relat.* sed quia compertum fuit, lites nimium protrahi, si post longam disceptationem insuper pro decisione ad Principem recurratur, & ad eum omnia acta in genere referantur: ideò Imperator *in Novel.* 125. statuit, ut Judices, omissis relationibus, in causis controversis decernant, quod eis justum & legitimum videbitur: partes verò quæ se per sententias gravatas existimant, ad beneficium *appellationis* convolent. Interim tamen non prohibetur, quo minùs super aliquo dubio Juris Princeps interrogari possit, dummodo tota causa quoad ea, quæ in facto consistunt, ad eum non referantur, ut rectè observat Val. *h. t. §.* 20. *n.* 7.

TITULUS XXIX.

De Clericis Peregrinantibus.

IN hoc Tit. nihil aliud traditur, quàm quòd peregrinatio, seu arreptio itineris ad Sedem Apostolicam, si intra decendium fiat, habeat vim appellationis ad Papam, consequenter sicut post interpositam appellationem omnia in suo statu manere debent, ita etiam post arreptionem talis itineris. Unde quidquid post hoc iter susceptum peregrinanti per Judicem ablatum, vel in ejus præjudicium mutatum fuerit, tanquam contra justitiam attentatum restitui & revocari debebit *c. un. h. t.*

TITULUS XXX.

De Confirmatione utili vel inutili.

SUMMARIA.

1. *Quæ confirmatio dicatur utilis, vel inutilis?*
2. *Effectus confirmationis utilis est, quòd lite ex post facto desuper orta pertineat cognitio ad confirmantem: quod tamen limitatur.*
3. *Item quod præstetur causa præscriptionis.*
4. *Innovatio extrinseca instrumenti, vel privilegii nullum novum jus tribuit, secus est de intrinseca.*
5. *Confirmatio ex certa scientia novum jus tribuit.*
6. *De effectibus hujus Clausulæ remissivè.*

SOlent aliquando partes superiorem adire, ab eoque contractuum, collationum beneficialium, sententiarum, aut privilegiorum confirmationem impetrare Quod si igitur impetrans omnia & singula ritè & rectè narraverit, atque superior confirmationem concesserit, dicetur *confirmatio utilis*: si verò per falsa narrata, vel celatam veritatem, e. g. confirmatio rei litigiosæ aut alterius, quæ ordinariè concedi non solet, expracticata sit, dicetur confirmatio inutilis *c. 1. & seq. h. t.* Porro effectus *confirmationis* is est præcipuus, quòd si jus alicujus pacificè possessum utiliter sit confirmatum, & ex post facto desuper lis oriatur, cognitio hujus causæ ad nullum alium præter ipsum confirmantem vel delegatum ab eo pertineat *c. 1. & 2. h. t.* nisi confirmatio fuerit subreptitia, vel novum superiori in contrarium mandatum proponatur, vel lis super novo emergente, quod ab actu confirmato separatum sit, moveatur, v. g. si possessor beneficii confirmati novum crimen committat, super quo coram ordinario accusetur, &c. Et licet aliqui sentiant. *d. cap.* 1. & 2. tantùm procedere in confirmatione *ex certa scientia* & non in fama communi, de utraque tamen intelligit Barb. *in Collect. ad d. c.* 1. *n.* 1. *cum cit. ibid.* Adde, quod ex *confirmatione* præstetur etiam causa præscriptionis, arg. c. *dudum* 31. *ad fin. de Decim.* Innoc. *in c. 1. eod. t.* Molina *de Primogen. lib. 2. c. 7. n.* 11. Interim tamen *confirmatio* etiam *utilis* nullum novum jus tribuit, sed tantum antiquum, quod fuit, confirmat. Immo sola innovatio alicujus instrumenti antiqui continentis privilegium ne quidem *confirmationem* inducit, sed tantùm conservat privilegium, si quod competebat *cap. cum dilecta* 4. *h. t.* quod intellige, si petatur innovatio solius chartæ sive instrumenti vetustate consumpti, adeoque merè extrinseca ipsius continentis. Si verò concedatur *ex certa scientia* innovatio intrinseca contenti, sive ipsius gratiæ aut materiæ, tunc etiam novum jus tribuitur. Barb. *in c. cum dilecta* 4. *h. t. n.* 25. *& seq.* Unde confirmationes habere annexas clausulas vel expressas, vel subintellectas, quòd concedantur *sine præjudicio tertii*, Item quatenus privilegiati sint in pacifica possessione, tradit Gail. *Lib. 1. obs.* 1. *n.* 4. *& seq.* Aliquando tamen etiam confirmatio novum jus tribuit, si nimirùm actus, qui erat nullus ex defectu solemnitatis juris positivi, per superiorem ex *certa scientia*, maximè cum clausula: *supplentes omnem defectum &c.* confirmetur, Gail. *d. l. à n.* 16. Quando autem dicatur confirmatio *ex certa scientia*, & an sufficiat sola hæc clausula, vel insuper requiratur, ut totus tenor instrumenti confirmationi inseratur, diversas DD. opiniones refert Barb. *in d. c.* 4. *n.* 17. Garc. *de Benef. p.* 3. *c.* 2. *n.* 23. ubi conciliant, an agatur ad tollendam nullitatem actus, & sufficit sola clausula, si nullitatem scivit verisimiliter Princeps: vel agatur ad excludendum vitium subreptionis, aut defectum intentionis & requiritur insertio tenoris. Idem de affectibus hujus clausulæ, & quòd importet plenitudinem potestatis, atque eorum effectuum pluribus limitationibus vid. eund. Barbos. *in c. venerabilis* 8. *hoc tit. à num.* 7. Plura, quæ ad hanc materiam pertinent ex *tit. de Rescriptis & Privilegiis* petenda sunt, Nos hisce libro huic secundo finem imponimus.

FINIS II. LIBRI.

LIBER



LIBER III. DECRETALIUM.

TITULUS I.

De Vita, & Honestate Clericorum.



Postquam præcedenti Libro de Actionibus & Judiciis Canonicis tractatum est, nunc procedendo ad res Clericorum & Ecclesiarum, meritò præmittitur *Titulus de Vita & Honestate Clericorum*, in quo disquirendum erit, quid nomen Clericale importet, & quam vivendi rationem exigat; de quo etiam in *tribus sequentibus Titulis* nonnulla particulariùs tradentur.

S U M M A R I A.

1 *Clerici unde dicti.*
2 *Clericorum appellatione an veniant omnes Ecclesiastici?*
3 *Clericatus qualiter probetur.*
4 *Differentia inter Clericatum primitivæ Ecclesiæ & hodiernum.*
5 *Monitum Concilii Trid. circa vitam & honestatem Clericorum.*
6 *De Tonsura & Corona Clericali.*
7 *De habitu & vestimentis Clericorum.*
8 *Clerici in minoribus an & quando teneantur habitum & tonsuram deferre, si beneficium aut pensionem habeant?*
9 *Et quid, si non habeant beneficium?*
10 *Clerici debent abstinere à crapula & tabernis publicis.*
11 *Non debent interesse obscœnis comœdiis, Saltatores, Histriones aut personati esse.*
12 *Non debent esse Aleatores.*
13 *Arma qua prohibeantur Clericis?*
14 *Clericus non debet esse avarus.*
15 *Pauperes ex divitiis Ecclesiæ alendi*
16 *Alchimicum aurum fieri & expendi prohibetur.*
17 *Clerici debent continenter & castè vivere.*

1 Beatus Isidorus relatus *in c.* 1. *dist.* 21. *Clericos*, inquit, *hinc appellatos credimus, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum; Cleros enim Græcè Sors, Latinè verò hæreditas dicitur. Propterea ergò dicti sunt Clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent; generaliter autem Clerici nuncupantur, qui in Ecclesia Dei deserviunt.* Hæc Isidorus.

2 Porrò ex his ultimis Isidori verbis quærit Panormitanus in *Præfat. ad Rubr. hujus tit.* Sylvest. *V. Clericus nu.* 2. utrùm in quavis materia vel Constitutione *Clericorum* appellatione omnes omninò *Ecclesiastici* comprehendantur, adeoque etiam Prælati, Canonici & Regulares? Respondet: si ex subjecta materia, aliisve circumstantiis de mente Legislatoris constare non possit, tunc in dubio esse distinguendum inter materias favorabiles & odiosas, in materia *favorabili* (V. g. si Princeps exemptionem à vectigalibus, aut aliis tributis & oneribus Clericis concedat) censet *Clericorum* appellatione omnes *Ecclesiasticos* comprehendi; in materia verò *odiosa* tantùm inferiores Clericos sæculares, *juxta vulg. cap. odia* 15. *de R. J. in* 6. Ita *in cap. quia periculosam* 4. *de Sentent. excom. in* 6. declaratur, quod nulla censura etiam contra Ecclesiasticos lata liget Episcopos, nisi specialis eorum mentio fiat. Et interdicto in Clerum laico non censeri comprehensos Religiosos, nisi aut verba, aut causa interdicti aliud innuerent, rectè docet Sylvest. *V. interdictum num.* 17. & Armilla *eodem verbo num.* 10.

3 Interim tamen ea, quæ in hoc & similibus titulis *de Vita & honestate Clericorum* dicuntur, ex naturali ratione non tantùm de inferioribus Clericis, sed etiam quibuslibet aliis, maximè in dignitate constitutis, servata proportione intelligenda sunt, utpote qui monente Apostolo 1. *ad Tim.* 3. & *ad Titum* 1. debent esse *irreprehensibiles, & in omnibus se ipsos præbere exemplum bonorum operum*, ne, ut loquitur Concil. Trid. *sess.* 24. *de Reform. cap.* 1. *totius familia Domini Status & Ordo nutare incipiat, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite.*

Cæterum de diversis gradibus, dignitatibus, officiis, & prærogativis Clericorum in tit. *de Majoritate & obed. & sequentibus* inferius hoc eodem lib. prolixius tractabimus.

Item qualiter probetur Clericatus, si quis ignotus se clericum, aut sacerdotem asserat: traditur *in Tit. de Clericis peregrinis*, & videri etiam poterit Joan. Honorius *hoc tit. num.* 2. Si captus à Judice Laico se clericum esse prætendat, isque tempore anteà clericaliter incedere solitus fuerit, incunctanter judici Ecclesiastico restituendus erit. Si verò mox ante capturam induerit vestes clericales, vel ne tunc quidem, manebit in captura judicis laici, sed cognitio super statu clericali ad Ecclesiasticum judicem pertinebit. *c. si judex Laicus* 12. *de Sentent. ex. comm. in* 6. Plura de privilegio *Canonis & Fori* Clericis competente explicantur in Lib. II. *Decretalium Tit. de Foro comp.* in Lib. III. *Tit. de Immunitate Ecclesiastica* & Lib. V. *Tit. de Sentent. excom.* In hoc igitur titulo solùm regulæ ad vitam clericalem rectè instituendam præscribuntur.

Advertere autem oportet rationem vivendi, & institutorum clericorum non idem esse nostris temporibus, 4
quod fuit in primitiva Ecclesia: etenim tunc juxta sacræ Scripturæ & SS. Patrum testimonium omnes Apostoli, eorumque discipuli vivebant in communi unanimes in ora-

oratione, & nullus eorum proprium possidebat, sicut *in Actibus Apostolorum 4. c.* legitur. Hinc S. Hieron. *in c. duo sint 7. caus. 12. q. 1.* de Clericis sui temporis dicit, *quòd victu & vestitu contenti nullam inter se proprietatem tenentes habuerint omnia communia.* Et confirmatur *in c. quia tua 8. c. scimus 9. causa 12. q. 1.* Eadem habet divus August. *in sermone de communi vita Cler.* cujus fragmenta referuntur *in c. nolo 10. & c. non dicatis 13. d. causa 12. q. 1.* Et S. Chrysost. *in lib. 3. contra Monast. vita vituper.* dicit: Ecclesiam Dei fuisse in initio velut *Monachalem Religionem.* Imò non pauci docent apud Tambur. *de Jure Abbatum tom. 1. dub. 2. q. 3. & 4.* Apostolos, si non omnia, saltem aliqua religionis, Consiliorumvè Evangelicorum vota emisisse.

Verùm dilatata Ecclesia alius successit status Clericorum, quibus concessum est, & separatim vivere & proprium possidere, dummodo ea observent, quæ ad clericalis vitæ honestatem à sacris Canonibus præscripta, & per Concilium Trident. *sess. 22. de Reform. c. 1.* innovata sunt.

5 Inprimis ergo & generaliter hortatur Concil. Trid. *d. loco* nihil esse, *quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublevati locum conspiciantur, in eos tanquam speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quòd imitentur. Quapropter*, pergit Concilium, *sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant, ut eorum actiones cunctis adferant venerationem.* Sed ut ea, quæ in specie Clericis vitanda sint, meliùs cognoscantur.

6 Not. I. Clericos debere tonsuram clericalem in capillis deferre, & quidem hæc tonsura olim erat per totum caput sola corona in medio relicta, ut ex *c. duo sunt 7. caus. 12. quæst. 1. & c. prohibere 21. dist. 23.* colligit Barb. *Juris Eccles. univ. lib. 1. cap. 11. num. 7.* de qua corona S. Hieron. *in sæpè dict. cap. duo sunt. hanc coronam*, ait, *habent Clerici ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum regni, quod in Christo expectatur, rasio verò capitis est temporalium depositio.* Hodie autem usu passim introductum est, ut Clerici sæculares modicum tantùm circulum abrasum in superiore parte capitis deferant. Sed licet per consuetudinem totalis capillorum abrasio sublata sit, non tamen propterea permissum est Clericis comam modo lascivo & muliebri laxare, juxta illud Apostoli *1. ad Corinth. 11. vers. 14. vir si comam nutrit, ignominia est ei*, & in *c. 4. & 7. h. t.* omnis talis comæ & barbæ relaxatio severè prohibetur.

7 Not. II. Quòd Clerici præter tonsuram debeant etiam habitum clericalem, id est, vestimentorum decentem modum, & suo statui congruentem observare, non colore viridi, aut rubeo uti, non corrigiis auri vel argenti ornatis, aut aliam superfluitatem habentibus, neque annulis in digitis, nisi quibus ob dignitatem, vel Gradum Doctoratus competit, *cap. penult. hoc t. Clement. 2. eodem.* De reliquo autem certa forma togæ clericalis in jure statuta non reperitur, nisi quòd in *d. c. penult. hoc t.* nimia brevitas vel longitudo, aut ornatus superfluitas reprobatur, & in *c. penult. dist. 23.* vesti *talaris*, id est, quæ ad talos protendatur, Clericis convenire dicatur. Quare illæ vestes decent Clericos, quæ à communi usu proborum virorum, & consuetudine rationabili provinciæ, in qua commorantur, reperiuntur admissæ, ut externus incessus magis modestiam & spiritualem vitam, quàm pompam sæculi cum fidelium scandalo sapiat. Covar. *Pract. q. c. 32. sub n. 7.*

8 Quæres, an etiam Clerici in minoribus Ordinibus constituti teneantur habitum & tonsuram deferre? Resp. distinguendum esse; an tales Clerici beneficium Ecclesiasticum habeant, vel non? De iis, qui beneficium habent, statuit Concil. Trid. *sess. 14. de Reform. c. 6.* quòd si, postquam ab Episcopo suo moniti fuerint, honestum habitum clericalem non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio & beneficio, necnon, si semel correcti denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum possint coerceri.

Imò Sixtus V. in Bulla: *Cum Sacrosancta*, voluit, omnes Clericos beneficiatos & pensionarios, etiamsi necdum jus *in beneficio*, sed tantùm *ad beneficium* haberent, non deferentes habitum clericalem esse ipso jure suis beneficiis privatos, sicut refert Quar. *in sum. Bull. V. habitus Clericalis.* Verum hanc Bullam non esse usu receptam, saltem quoad hoc, ut non deferens habitum sine ulteriore monitione Episcopi mox sit ipso jure beneficio privatus, credit Garc. *de Benef. part. 1. cap. 1. num. 23.* & ipse Sixtus V. paulò post aliam Bullam edidit, quæ incipit: *Pastoralis &c.* in qua obligationem deferendi habitum remisit *pensionariis*, quorum pensiones non excedunt annuatim summam 60. ducatorum auri de Camera, vel si excedant, necdum cum effectu exigi potuerint. Ubi advertendum, quòd Pontifex in hac posteriori Bulla loquatur solùm de illis, quibus pensiones vel fructus, aut prædia Ecclesiastica in usum reservata sunt, qui non sunt propriè beneficiati, neque enim pensio, aut temporalis fructuum reservatio propriè beneficium vocari potest ut infra ad tit. *de Præbendis*, dicemus, ideoque non videtur omninò sustulisse vigorem prioris Bullæ, ex qua etiam tantùm jus *ad beneficium* habens (qui utique nullos adhuc fructus percipit; ut etiam notavit Brandenus *in quæstion. super concordatis Germaniæ q. 6. n. 32.*) tenetur ad habitum deferendum. Interim si ita alicubi constans & multi temporis usus sit, ut in minoribus constituti, si Canonicatus v. g. obtinuerint, in quibus vel investiri adhuc non sunt, vel residentiam non fecerunt, nec fructus percipiunt, habitum Clericalem non gestent, poterunt excusari ob non receptam Bullam; honestiùs tamen procul dubio facerent, clericaliter incedendo.

Porrò Clerici in minoribus constitui, si beneficium 9 Ecclesiasticum non habeant, ad deferendum habitum & tonsuram quidem non tenentur, sed privilegio fori, quod scilicet coram judice sæculari conveniri nequeant, non gaudebunt. Trid. *sess. 23. de Reform. c. 6.* Et licèt Concilium tantùm de privilegio *fori* loquatur, idem tamen de privilegio *Canonis* sensisse; multi DD. affirmant apud Paul. Laym. *in Theol. moral. de Excomm. c. 5. sub n. 3.* ut percutientes talem Clericum in excommunicationem non incidant, nisi Clericus habeat conditiones, quæ in Concilio ad privilegium fori requiruntur, eo quòd faciliùs amittatur privilegium *Canonis*, quàm *fori*, cùm hoc juris divini sit, illud tantum positivi. Præterea à delatione habitus & tonsuræ excusare posset imminens grave periculum, ob quod necesse foret habitum transformari, vel nimia paupertas, aut adversa valetudo, quæ capitis rasuram non toleraret. Quar. *d. loc. in additione.* Zipæus *in Analysi juris Pontificii h. t. n. 7.*

Not. III. Quòd, *cùm habitus & tonsura non faciant* 10 *Monachum, aut Clericum sed bona & religiosa conversatio*, ideòque ad honestatem vitæ Clericalis plurimùm spectet, ut omnes Clerici & Ecclesiastici *à crapula & ebrietate* abstineant: nam *ebrietas mentis inducit exilium, & libidinis provocat incentivum*, uti dicitur in *c. à crapula 14. hoc tit.* Unde non debent tabernas publicas, nisi ex causa itineris frequentare *c. non oportet 2. cap. Clerici 4. dist. 44.* convivia quoque ea tantùm Clericis sacri Canones permittunt, quæ magis charitatis & amicitiæ honestæ, quàm commessationis & ingurgitationis gratia fiunt *c. convivia 6. dict. dist. 44.* & S. Hieron. *in Epist. ad Nepotianum de vita Clericorum cap. 12.* hortatur Clericos, ut, ni velint contemni, potiùs sint consolatores Christianorum in mœroribus, quàm convivæ in prosperis.

Not. IV. Quod Clerici non debeant intendere mimis, 11 histrionibus, choreis, comœdiis obscænis, & similibus, *c. penult. h. t. c. Presbyteri 19. dist. 34. & c. x. dist. 37.* multò minùs debent ipsi Clerici histriones agere, larvati incedere, aut personatum habitum induere *c. cùm decorem 12. h. t.* hinc in *c. un. eodem tit. in 6.* Clerici per annum artem histrionicam exercentes, ipso jure privantur omni privilegio Clericali.

Not. V. Quòd Clericis inhibeatur, ne ad aleas, & ta- 12 xillos ludant *c. inter dilectos 11. de Excessibus Prælat. c. 1. dist. 35.* alearum autem nomine omnis lusus prohibetur, qui fortuna potiùs, quàm arte regitur, unde secundum Panorm. *in cap. Clerici 15. hoc tit. numero 11.* non censetur prohibitus lusus conorum, schachorum, & si-

& similium. Et generaliter etiam ludum alearum & chartarum tunc esse graviter prohibitum, si non tam causa recreationis, quàm lucri, & frequenter ac immodicè, cùm periculo scandali, vel amissione temporis utiliùs in studia vel pietatem, vel Divinum officium impendendi, aut pro pecunia prospectu Ecclesiæ acquisita, & in pauperes distribuenda ludatur, censet Sylvester *V. ludus n. 11.* Less. *de Just. & Jure lib. 2. c. 29. n. 5.*

13 Not. VI. Quòd Clerici non debeant arma gestare *cap. 2. h. t.* Sed hoc de armis proditoriis, & offensivis, atque si Clerici vellent passim sicut laici & milites armati incedere, sentiunt interpretes cum Glossa *in d. c. 2.* Indeque concedunt Clericis itinerantibus per loca periculosa ad terrorem hostium, vel latronum & defensionem proprii corporis arma portare, quamvis interim haud dubiè sanctius & laudabilius sit, in Deo confidere, & observare dictum S. Amb. *in c. 3. causa 23. q. 8. dolor, inquit, fletus, orationes, lachrymæ fuerunt mihi arma adversus milites, talia enim munimenta sunt sacerdotis; servum Christi non custodia corporalis, sed Domini providentia sepire consuevit.*

14 Not. VII. Quòd monet Henr. Zoes. *h. t. n. 7.* statum Clericalem plurimùm infamari ab *avaritia*, dum vel sibi aut suis hæredibus (plerumque ingratis & prodigis, apud quos bona Clericorum parùm fructificant) vel etiam Ecclesiæ cum nimia solicitudine, exigua verò in Deum confidentia & largitate in egenos omnia conquirunt: neque enim probandi sunt ministri, ait Zoes. *d. loc.* qui ut magis fideles videantur, & in aram Ecclesiæ quid inferant, cuncta extorquent, & corradunt, sacrificium per hoc se Deo facere putantes, minùs ei gratum, quia *odio habet rapinam in holocausto*. Videantur etiam tex. *in Can. quod autem 3. causa 23. q. 7. Can. res Ecclesiæ 26. cum duobus seqq. causa 12. q. 1.* & præ cæteris insignia monita D.

15 Amb. & Hieron. *in c. aurum 70. & c. gloria 71. causa 12. q. 2.* ubi per plura elegantia verba concludunt, minimè Deo acceptum esse, vel ipsas etiam Ecclesias splendidiùs ornare (quæ ornamenta multoties sacrilega hostium manus invadit) si interim pauperes, egentes, & captivi apud hostes in durissima servitute constituti negligantur, qui pecunia Ecclesiæ juvari potuissent: tantum abest, ut privatis & propriis divitiis studere concesserint, quod Sacerdoti ignominiosum D. Hieron. *in d. c. gloria* pronunciat. Et qualiter Clerici teneantur superfluos reditus prospectu Ecclesiæ acquisitos in pios usus convertere, & universim de potestate disponendi circa Clericorum bona & reditus, traditur infra *in Tit. de Peculio Clericorum* & seqq. & explicavi in *Man. Paroch. p. 4. c. 4.*

16 Prætereà ad avaritiæ prohibitionem etiam referri potest, quòd Jo. XXII. *in Extrav. spondent. de Crimine falsi inter Com.* generaliter quidem omnibus, in specie verò Clericis sub pœna privationis beneficiorum, & inhabilitationis ad ea imposterum obtinenda interdixerit, ne aurum vel argentum alchymicum, quod plerumque falsum est, & veri auri vel argenti in se substantiam non habet, faciant, aut fieri procurent, vel facto in exsolutione debitorum utantur: nam præter fraudem in damnum proximi cedentem per talem Chymicorum laborem fit jactura temporis & pecuniarum, nec prodiguntur tantùm opes, sed & exinaniuntur, & in fumum abeunt cum gravi reipublicæ, & piarum causarum, ac pauperum præjudicio. Quamvis de cætero ars Chymica, quæ naturæ principia & qualitates pulchrè demonstrat, & plurima salubria medicamenta parat, meritò commendanda sit.

TITULUS II.

De Cohabitatione Clericorum, & mulierum.

SUMMARIA.

1 *Clerici debent continenter, & caste vivere.*
2 *Quæ mulieres permittantur cum Clericis habitare.*
3 *Ob periculum perjurii non sunt cogendi Clerici, ut concubinas abjurent.*
4 *Pœna Concilii habent locum etiam in suspectis sine qualitate concubinatus.*
5 *Ad eas incurrendas in foro conscientiæ requiritur sententia declaratoria.*
6 *Actualis lapsus carnis qualiter puniendus?*
7 *Concubinarius non est suspensus suspensione propriè dicta.*
8 *An & quando in Divinis vitandus?*

Nimis longum esset referre omnes sacros Canones, qui incontinentiam Clericorum detestati sunt. Videri poterunt *in dist. 81.* & *in Decretalibus hoc tit.* Præ cæteris verò notanda, & observanda sunt verba Concilii Trident. *sess. 26. de Reform. cap. 14. quàm turpè*, inquit Concilium, *ac Clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum in impudicitiæ sordibus, immundoque concubinatu versari, satis res ipsa communi omnium fidelium offensione, summoque Clericalis militiæ dedecore testatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ revocentur, populusque hinc eos magis discat revereri, quo vita honestiores cognoverit, prohibet S. Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant, aliaquin pœnis à sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur, &c.* 1

Fœminæ quidem ob ætatem, vel primi aut secundi gradus consanguinitatem tolerantur *cap. cùm omnibus 27. d. 81. & c. pen. hoc tit.* Si tamen etiam istæ vel propter se, vel pedissequas earum suspectæ forent, protinùs removendæ essent, quia etiam in his scelus contigisse compertum est *c. 1. eod. cap. legitur 25. d. 81.* Addit quoque Concilium ipsum pœnas & certum modum procedendi contra hujusmodi concubinarios, ac inter alia statuit, ut si à Superioribus moniti à fœminis suspectis se non abstinuerint, tertia parte fructuum beneficiorum suorum quorumque sint *ipso facto* privati; sin autem in delicto eodem perseverantes secundæ monitioni adhuc non paruerint, fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum *eo ipso* amittant &c. † Non verò cogendi sunt Clerici, ut consortium fœminarum abjurent, ne instigante diabolo in idem peccatum recedentes perjurii reatum incurrant *c. 3. h. t.* 2 3

Cæterùm licèt aliqui apud Barb. *in Collect. ad dict. cap. 14. Trident. num. 16.* teneant, has pœnas Conciliares tantùm habere locum in suspectis de concubinatu, scilicet cùm fœmina domini retenta; nihilominus ex textu Concilii magis apparet, quòd etiam aliis delictis carnis sine qualitate concubinatus (ut si extra domum frequententur suspecta consortia) procedant. Navar. *Consil. 1. hoc tit.* 4

Sed hic quæri posset, an hæ pœnæ Concilii, quæ ipso facto incurruntur, statim in conscientia locum habeant, ita ut Parochus fructus ita amissos sine alia condemnatione ultrò restituere teneatur? Resp. Benigniorem esse sententiam, quòd pœnæ, quæ etiam ipso jure irrogantur, non aliter obligent in conscientia, quàm si *sententia declaratoria* sequatur, per quam Judex declaret tales pœnas solvendas esse, per ea quæ docet Covarr. *de Matrim. p. 2. c. 6. §. 8. n. 10. arg. c. cùm secundùm 19. de Hæret. in 6.* ubi videtur supponi regulariter ad pœnas ipso jure irrogatas debere accedere sententiam declaratoriam, nisi specialiter ob gravitatem criminis aliud statuatur. Maximè verò in nostro proposito hanc *sententiam declaratoriam* requiri, non obscurè ex ipso Conc. Trid. *d. sess. 25. c. 14.* colligitur: dum ibi fructus à Clerico concubinario *ipso jure* amissi non per ipsum Clericum sed *arbitrio Episcopi* fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco jubentur applicari. 5

Dices, si pœnæ Concilii tantùm post præmissam monitionem locum habent, ergò antè monitionem Clericus impunè peccabit? Resp. Quòd pœnæ Concilii eum potissimùm casum respiciant, si Clerici de incontinentia suspecti nolint consortium fœminarum devitare. Si verò Clericus de actuali lapsu carnis sive ante, sive post monitionem convictus fuerit, variæ contra ipsum pœnæ 6

in jure

in jure dictantur, scilicèt suspensionis ab officio, & beneficio, incarcerationis, nonnunquam etiam depositionis. *cap. Maximianus 6. & ibi Gloss. d.* 81. quales pœnæ arbitrio judicis Ecclesiastici pro circomstantia facti temperari vel aggravari possunt. Panorm. *in c. at si Clerici 4. de Judic. n.* 35. Farin. *de Delict. carn. q.* 137. *n.* 17. Illum verò abusum reprehendit Garc. *de Benef. p.* 11. *c.* 10. *num.* 188. quòd quidam Judices Ecclesiastici ex delictis quodammodò quæstum faciunt, & multas pecuniarias sibi applicant, quam pœnam divites parùm pertimescunt. *c. 3. de Pœnis*, regulariter enim multæ pecuniariæ piis causis applicandæ sunt, ne videatur punitio ex radice avaritiæ procedere. Trident. *c. 3. vers. in causis sess.* 25. *de Reform.*

7 Alia est disputatio, utrum sacerdos concubinatius incurrat ipso jure suspensionem propriè dictam *juxta c. præter. 6. dist.* 32. ita ut, si celebret ante absolutionem, fiat irregularis, cum quo tantùm per S. Pontificem dispensari possit *c. 1. de Sent. & re jud. in 6.* De concubinario occulto satis conveniunt DD. quod non sit suspensus propriè, sed tantùm eo modo suspensus, quo quilibet in peccato mortali existens, usquedum pœniteat. *c. fin. hoc tit.* At verò de concubinario notorio (qui scilicet talis est per confessionem factam in judicio, sententiam, aut evidentiam rei, quæ nulla potest tergiversatione celari, *d. c. fin.*) magna est dissensio apud Garc. *de Benef. par. 7. c.* 14. *num.* 11. *& seqq.* Sanè consuetudine, quæ est optima legum interpres, *l. si de interpretatione* 37. *ff. de LL.* videtur recepta sententia Covar. *in relect. Clem. si furiosus par. 1. §. 1. num. 5. de Homicid.* Innoc. Spec. & aliorum, quòd Canones, qui de suspensione concubinarii notorii loquuntur, sint intelligendi de suspensione impropria, seu *de simplici prohibitione* celebrandi divina, non autem de ea, quæ sit *censura*, & cujus transgressio irregularitatem inducat: quia nec antiqui Canones, nec Concilium Trident. unquam de tali irregularitate mentionem faciunt, quamvis dum talibus Clericis celebrationem interdicunt, supponant eos sæpius celebrare: multò minùs in praxi videmus, quòd Clerici concubinarii post pœnitentiam dispensationem super irregularitate à S. Pontifice petant. Imò *in c. si qui sunt 5. dist.* 81. *& c. fin. hoc tit.* satis insinuatur, quòd post pœnitentiam, & concubinæ expulsionem hoc ipso alicui jus celebrandi restituatur, neque ibi dispensatio super irregularitate requiritur. Porrò non est insolitum in nostro jure, ut suspensio non semper sit *censura*, sed aliquando tantùm de *simplici prohibitione* celebrandi accipiatur: ita enim *in c. dilecta* 12. *de Major. & obed.* dicitur, quòd Abbatissa possit suos Clericos *ab officio, beneficioque suspendere* quod profectò *de censura* intelligi non potest, cùm ea pertineat ad claves Ecclesiæ, quæ fœminis traditæ non sunt, sicut nec B. Virgini, licet esset dignior omnibus Apostolis, *c. nova* 10. *de Pœnit. & remiss.* Gloss. *in d. cap. dilecta.*

8 Præterea statuitur in SS. Canonibus, quòd Clericus notoriè concubinatius in divinis officiis evitandus sit, neque licitè ab eo sacra audiantur. *cap. nullus 5. & seq. d.* 32. non quidem, quòd ab eo Sacramenta non rectè conficiantur, *cùm quantumcumque pollutus divina polluere non possit, qua purgatoria cunctarum contagionum existunt cap. vestra* 7. *hoc tit.* sed ut per populi contemptum ad pœnitentiam trahatur, & aliis peccandi licentia auferatur. Attamen etiam hic cum pluribus censet Barbos. *Jur. Eccl. Un. lib. 1. c. 40. n.* 44. Extrav. Martin. V. *Ad evitanda*, prodesse fidelibus, ut non teneantur evitare concubinarium notorium ante denuntiationem vel actualem suspensionem Episcopi.

TITULUS III.

De Clericis Conjugatis.

SUMMARIA.

1 *Clerici in minoribus possunt Matrimonium contrahere.*
2 *Clerici contrahentis Matrimonium beneficia an vacent ipso iure?*
3 *Quid juris, si uxor ante consummationem Matrimonii fuerint mortua, vel Religionem ingressa, aut Matrimonium nullum?*
4 *Sponsalia de futuro non inducunt amissionem beneficii.*
5 *Clerici conjugati quando admittendi ad divinum Ministerium.*
6 *Quando gaudeant Canonis & fori privilegio.*
7 *Et an æquè in Civilibus, quàm Criminalibus?*
8 *Uxor sequitur forum Mariti.*
9 *Clericis in majoribus sub gravibus pœnis interdicitur Matrimonium.*
10 *Rationes, cur Clericis prohibeantur Matrimonia.*
11 *Continentia Clericorum an sit ex jure divino?*
12 *Quid, si ordinatus ignoravit hanc obligationem, vel habuit intentionem contrariam, aut fuit invalidè ordinatus?*

NOn tantùm inhonesta cum fœminis cohabitatio Clericis interdicta est, sed etiam matrimonialis, quia *simul voluptatibus, & carnalibus desideriis, ac divinis Ecclesiasticis obsequiis vacare non valent*, ait Pontifex, *in cap. 3. hoc tit.* & si Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 7. voluit Laicos conjugatos *abstinere ad tempus, ut vacent orationi:* ergo Sacerdotes, quibus orandi & sacrificandi annexum officium est, semper debebunt à conjugali consortio abstinere.

Verùm differentia notanda est inter Clericos in mino- 1
ribus & majoribus Ordinibus constitutos: Clerici in minoribus Ordinibus matrimonium quidem contrahere possunt, sed si contrahant, hoc ipso statui Clericali renuntiasse censentur, & omnibus beneficiis Ecclesiasticis privantur, *cap. 1. hoc tit.* Sanch. *de Matrim. lib. 7. disp.* 42. Disputant autem Interpretes, an beneficia talis Clerici contrahentis matrimonium *ipso jure* vacent, vel per sententiam judicis? Plurimùm enim in effectu interest: nam si beneficia vacent ipso jure, Clericus ab illo tempore, quo matrimonium contraxit, fructus beneficiales amplius non lucratur, & tale beneficium tanquam vacans potest ab alio impetrari; si verò beneficia vacant per sententiam judicis, Clericus lucrabitur fructus usquedum judex sententiam privationis protulerit, neque priùs censebitur vacans, aut impetrabile. Resp. Communiùs receptum esse, quòd beneficia per matrimonium vacent *ipso jure*, sicut colligitur *ex c. 1. h. t.* ubi mandat summus
Pontifex, ut Episcopus Clericos conjugatos ad relin- 2
quenda beneficia compellat, consequenter, dum dicit *relinquenda esse beneficia*, supponit, quòd non sit opus nova sententia privatoria. Gloss. *in eodem cap. in V. relinquenda.* Ratio autem fundamentalis est, quòd matrimonium & beneficium sint duæ res incompatibiles, *per text. in d. c. 3. & 5. h. t.* ac proptereà altero acceptato, alteri hoc ipso renunciatum censeatur. Item quòd omnis collatio beneficii habeat eam conditionem saltem subintellectam ex Ecclesiæ consuetudine, si Clericus in eodem statu permanserit &c. Atque hanc sententiam certissimam esse dicit Henr. Zoes. *h. t. n.* 15. eamque quàm plurimis authoritatibus confirmat Barb. *in Collect. DD. ad c. 1. h. t. n.* 2.

Non obstat, quòd pœnæ in conscientia non obligent ante sententiam judicis; etenim quòd Clerici conjugati beneficia vacent, non ex pœna, sed ex incompatibilitate status provenit, ut dictum: haud enim est pœna dignus Clericus in minoribus, qui matrimonium contrahendo jure suo utitur, & actum facit à sacris Canonibus non prohibitum.

Pariter

Pariter non obſtat, quòd in *c. 3. & 5. hoc tit.* videatur Pontifex jubere, ut Clerici conjugati per Epiſcopum adeoque per ſententiam priventur ſuis beneficiis: quia id rectè intelligit Gloſſ. *in d. cap. 1.* de privatione facti ſeu poſſeſſionis, quæ fit per actualem expulſionem beneficiati, non vero de privatione juris ſeu tituli, quem Clericus habebat in beneficio, otpote quo jam ante per Canones privatus ſupponitur, *arg. c. cum noſtris, 7. & c. litteras, 9. de Conceſſ. præbendæ.*

3 Sed quid dicendum, ſi uxor Clerici ante conſummationem matrimonii mortoa, religionem ingreſſa, vel ipſum matrimonium propter aliquod impedimentum dirimens ex poſt facto nullum declaratum fuerit? Reſp. Communiùs doceri, etiam his caſibus inductam eſſe privationem beneficii: quia ex intentione Clerici ſtatus incompatibilis aſſumptus eſt, & conſequenter juris interpretatione ipſo facto renunciatum beneficio intelligitur, & ſæpe non tam attenditur, quid aliquis potuerit, quàm quid per actum ipſum voluerit facere, *arg. c. 4. de Bigamis non ordin.* Zoeſ. *h. t. n. 6. & ſeqq.* Vide Barboſ. *in Collect. ad d. c. 1. h. t.* ubi *num.* 10. limitationem ponit, niſi matrimonium ſit nullum ex defecto conſenſus in Clerico: tunc enim ceſſat ratio tacitæ renunciationis.

4 Ad hanc autem privationem beneficiorum non ſufficiunt ſola ſponſalia *de futuro* contracta: quia per ea necdum actu ſtatus Ordini Clericali contrarius ſuſceptus eſt Sanch. *de Matrim. lib. 7. diſp. 46. n. 23.*

5 Verùm aliquando etiam Clerici conjugati ad divini officii miniſterium, & reditus beneficiales percipiendos admittuntur, ſi nimirùm cum unica & virgine contraxerint, atque ab Epiſcopo ad ſervitium alicujus Eccleſiæ deputati fuerint. Decernit enim Concilium Trid. *ſeſſ. 23. de Reform. c. 17.* ut in omnibus Eccleſiis, in quibus commodè fieri poteſt, exercitia minorum Ordinum reſtituantur, ne illi Ordines tanquam otioſi ab hæreticis traducantur: & ſi Clerici cælibes pro illo miniſterio haberi non poſſint, mandat Concilium aſſumi Clericos conjugatos probatæ vitæ, dummodò non bigamos, qui tonſuram & habitum clericalem ſaltem in Eccleſia geſtare teneantur.

Porrò circa Clericos conjugatos extat conſtitutio Bonifacii VIII. *in c. un. h. t. in 6.* quòd tunc habeant privilegium Canonis & fori, ſi contraxerint cum unica & Virgine, ac tonſuram & habitum Clericalem continuò deferent. Cui conſtitutioni addidit Concilium Trid. *d. ſeſſ. 23. c. 6.* quòd inſuper debeant ab Epiſcopo eſſe deputati ad alicujus Eccleſiæ miniſterium.

6 Dubitant tamen DD. an tales Clerici tam in civilibus, quàm criminalibus cauſis gaudeant fori privilegio? Potior fermè pars in eam inclinat ſententiam, ut tantùm in Criminalibus velint Clericos conjugatos à judicio ſæculari exemptos, propter text. *in d. c. un.* qui tantùm criminalium cauſarum mentionem facit, & in cæteris non vult eos gaudere privilegio Clericali, ſicut pro utraque ſententia videri poſſunt Authores copiosè relati à Barb. *in Collect. ad d. c. un. n. 6. & 9.* Ego ſanè exiſtimo ante Concil. Trid. ex verbis dictæ Conſtitutionis Clericos conjugatos veriſimiliter ſolùm in criminalibus cauſis habuiſſe fori privilegium, in aliis autem civilibus cauſis, oneribus & tributis fuiſſe ſubjectos poteſtati Laicali, ut etiam notavit Gloſſ. *in d. c. un. in V. cæteris* niſi forſan & tunc ex mandato Epiſcopi actualiter in Eccleſia miniſtri fuerint.

7 Verùm cùm ex Concilio Trid. generaliter imperetur, ut Clerici conjugati ſervitio Eccleſiæ ab Epiſcopo deputentur, crederem eos ſic deputatos tam in civilibus, quàm criminalibus cauſis fori privilegio gaudere: nam & familiæ Epiſcopi, Eccleſiæ, imò & privatorum Clericorum privilegium tale competere de Foro competenti tradidimus, & probat Martha *de Juriſd. p. 4.* C. CXI. tantò magis id proceder in hujuſmodi Clericis conjugatis, cùm utique plus ſit eſſe Miniſtrum Eccleſiæ, & quidem Clericalibus Ordinibus inſignitum, quàm famulum Epiſcopi &c.

8 Uxores quoque talium Clericorum participare forum eorundem, probabilius eſt ex communi regula, quòd uxor ſequatur forum ſui mariti. *L. fœmina 8. ff. de Senator. l. fin. C. de Incolis, l. 2. C. de Epiſc. & cler.*

Quod attinet ad Clericos in Ordinibus majoribus 9
conſtitutos, illi matrimonium contrahere nullatenus poſſunt propter votum ſolemne caſtitatis, quod ſacris Ordinibus annexum eſt, & in quod ſuſcipiendo ſacrum Ordinem hoc ipſo conſentire cenſentur, quamvis aliis verbis non exprimant, *c. un. de Voto in 6.* Si de facto contrahere præſumpſerint, ad dimittendas mulieres, & agendam pœnitentiam per ſuſpenſionem & excommunicationis cenſuram compellendi ſunt, *cap. 1. hoc t.* Imò *ex Clement. un. de Conſang. & Affinit.* ipſo facto excommunicationem incurrunt, fiuntque irregulares, ita ut nec in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, nec ad altiores valeant promoveri; in qua tamen irregularitate poſt peractam pœnitentiam Epiſcopo diſpenſare conceſſum eſt, dummodo cum vidua contractum non ſit, *cap. 1. & 2. Qui Clerici vel voventes cap. 4. hoc tit. c. fin. de Bigam. non ordin.* amittuntque beneficia ſaltem (ut aliqui DD. contendunt) per ſententiam. Barboſ. *in collect. ad cap. 1. hoc tit. num. 7.*

Quinque autem potiſſimum rationes aſſignantur, ob 10
quas oporteat Clericos cælibes vivere. I. Et principaliter, ut tantò digniùs Deo puriſſimè miniſtrent: etenim ſi in veteri teſtamento Sacerdotes miniſtrantes Domino in Sacrificiis tantùm Judaicis, & manducantes Panes Propoſitionis debebant eo tempore abſtinere à mulieribus, quæ tamen omnia erant tantùm umbra & præfiguratio Chriſti, quantò magis miniſtrantes Domino in ſacrificio vero, & manducantes verum immaculatum corpus Chriſti. II. Integrè magis Deo ſervire poſſunt, ſi ab uxoribus liberi ſint: quia ut Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 7. dicit: *qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt &c.* & *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*, 2. *ad Timoth.* 2. III. Ut majori reverentia habeantur apud populum, quo vita ſunt ſanctiores & perfectiores. IV. ut ſine liberis & uxoribus conſtituti hoſpitalitatem erga pauperes & peregrinos tantò mais exercere poſſint, V. denique, ne reditus Eccleſiaſtici in uſus pios deſtinati in uxores & liberos, aliaſque profanas cauſas expendantur.

Quærunt DD. an cælibatus Clericorum ſit ex jure 11
divino, vel tantùm humano Eccleſiaſtico conſtitutus? Non eſt quidem dubitandum, quin votum caſtitatis annexum ſacris Ordinibus obliget ex jure divino, juxta illud *Deuteron. 23. verſ. 21. cum votum voveris Domino, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus.* Sed hoc ipſum in quæſtione eſt, an iſtud votum ſit ſacris Ordinibus annexum ex præcepto divino, vel ſolùm Eccleſiaſtico, adeoque juſtis de cauſis denuò per Eccleſiam tolli poſſet?

Reſpon. Quamvis non deſint apud Sanch. *de Matrimon.* 12
lib. 7. d. 27. num. 4. qui ob ſupra allegatas quinque rationes & alias ſimiles exiſtiment, jure divino Clericis continentiam injunctam, ejuſque rei non leve eſſe argumentum, quod à tempore Apoſtolorum non extet exemplum, vel conſtitutio, ex qua permiſſum fuerit Clericis, poſt Clericatum uxores ducere, licet quandoque in Eccleſia Græca toleratum, ut uxoribus ante Clericatum ductis uterentur, *cap. cum olim 6. hoc tit.* Verùm communiùs receptum eſt cum D. Thoma, Cajet. Abulenſi, aliiſque quamplurimis gravibus Authoribus apud Sanch. *dict. loc. n. 5. cit.* ſtatum matrimonialem nec ex jure naturali, neque divino eſſe incompatibilem cum ſtatu Clericali, excepto tempore miniſterii divini, neque per aliquem textum legis divinæ eſſe Clericis prohibitum; aliàs nec potuiſſet Græcis concedi uſus Matrimonii etiam priùs contracti, nec Apoſtolus 1. *ad Timot.* 3. Epiſcopum *uxoris unius virum* toleraſſet; vel Dionyſium Areopagitam, (quem conjugatum fuiſſe conſtat ex Actibus Apoſtolorum *cap. 17.*) in Athenienſium Epiſcopum creaſſet, ut in ejus vita legitur. Argumenta in contrarium id ſolum evincunt, potuiſſe ab Eccleſia decentiſſimè Clericis cælibatum & votum caſtitatis injungi, non autem quòd neceſſariò à divino præcepto injunctum fuerit. Videatur latius de continentia Clericorum, Bellar. *tom. 1. controv. de Clericis lib. 1. cap. 18. & ſeqq.*

Illud etiam hic addi poteſt, quod ſi quis in Ordinatione

tione ignoraret invincibiliter votum castitatis annexum, vel haberet intentionem contrariam non servandi, talis quidem non teneretur abstinere à conjugio ex voto, sed ex lege Ecclesiastica; & quamvis in hoc posteriori casu eliciendo talem contrariam intentionem graviter peccaret, decipiendo Ecclesiam, non tamen esset invalidè Ordinatus.

Econtra qui invalidè ordinatus esset (ut quia se finxit Episcopum, qui non erat, aut ordinatus baptizatus non fuit) quamvis habuerit intentionem vovendi castitatem, probabiliter tamen non obligabitur, nisi denuò ordinetur: quia non aliter quàm concomitanter cum Clericatu censetur vovisse, pereunte ergò principali, perit & accessorium. Videatur Sanch. *d. loc. n. 11. & seq.* Zoes. *h. t. n. 7. & seqq.*

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbenda.

§. I.

De Residentia Prælatorum.

SUMMARIA.

1 *De residentia Prælatorum monitum Concilii Tridentini.*
2 *Episcopi cum qua licentia abesse possint?*
3 *Episcopum quandiu possit abesse sine licentia.*
4 *Episcoporum illicitè absentium pœna, an debeantur in conscientia ante sententiam Judicis?*
5 *Residere tenentur etiam Prælati Episcopis inferiores.*
6 *An possint abesse per 2. vel 3. menses sicut Episcopi?*

Alia Summaria post §. 2.

1 OMnes Prælatos Ecclesiasticos præsertim Episcopos, eorumque Superiores ad residendum in loco suæ Prælaturæ monet Concilium Trid. *sess. 6. de Refor. c. 1.* his Apostoli verbis: *ut attendentes sibi & universo gregi, in quo Spiritus S. posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant; implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant; atque animarum suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo Judice requirendus, custodia minimè incumbant, cum certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves devoravit, & pastor nescit.* Hæc Trid. Quapropter ex eod. Concilio *d. sess. 6. c. 1. & sess. 23. de Reform. c. 1.*

2 Not. I. Quòd Episcopus, qui ex causa magnæ necessitatis aut utilitatis longiori tempore abesse cupit, debeat causam absentiæ S. Pontifici, vel Archi-Episcopo, aut Archi-Episcopo absente seniori Suffraganeo (qui idem Metropolitani absentiam probare debebit) significare, & approbationem in scriptis obtinere, nisi tamen periculum in mora fuerit, vel absentia inciderit propter aliquod munus & Reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum, cujus causæ sint notoriæ. Ex quibus verbis Trid. videtur, quòd Episcopus, qui simul est Princeps Imperii, si ad Comitia vocatus compareat, non teneatur licentiam impetrare, si causa notoria subsit, vel aliàs semper solitus sit personaliter comparere, sicut Archi-Episcopi, Electores Romani Imperii, & similes, saltem si absentia non fuerit plus æquo diuturna, & Ecclesiæ periculosa. Qua tamen in re ad usum hactenùs practicatum in similibus Episcopatibus præcipuè attendendum.

3 Not. II. Quòd Episcopus possit sine graviori causa ex æqua tamen & sine detrimento sui gregis, quod ejus conscientiæ relinquitur, toto anno per duos vel ad summum tres menses, nulla petita licentia à sua Diœcesi abesse: quia qui aliquantisper tantùm abest, juris interpretatione non videtur abesse; dummodò in Festis solemnioribus Nativitatis scilicet, Quadragesimæ, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi, quibus refici maximè & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debeant, illam absentiam non instituat. Trid. *d. sess. 23. c. 1. vers. quoniam autem.*

Not. III. Si Episcopus ultra tres menses sine petita licentia, & rationabili causa adfuerit, eum præter reatum peccati mortalis fructus sui Episcopatus pro rata temporis absentiæ suos non facere, sed in conscientia ad fabricam Ecclesiæ, vel pauperibus erogare debere, quamvis alia sententia declaratoria non sequatur *d. sess. 23. c. 1. v. si quis autem.* 4

Notand. IV. Quòd si absentia Episcopi vel Archi- 5
Episcopi sine licentia extensa fuerit ultra sex menses, tunc quartam partem redituum unius anni eo ipso amittat, qui ad fabricam Ecclesiæ vel pauperibus illius loci per Superiorem Ecclesiasticum applicabuntur. Si per alios sex menses in tali absentia perseveraverit, rursus alteram quartam ipso jure amittet, crescente verò contumacia, summus Pontifex hac de re intra tres menses per Archi-Episcopum, vel si ipse Archi-Episcopus abfuerit, per seniorem Suffraganeum certiorari debebit, sub pœna interdicti ingressus in Ecclesiam eo ipso incurrenda. Trident. *dict. sess. 6. cap. 1.* Pœnas hujus *cap. 1.* quia idem Concil. *d. sess. 63. c. 1. v. si quis autem;* confirmat, & insuper addit, ut absens pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciat, videntur ad concordiam illæ quartæ de fructibus jam perceptis intelligendæ; qui sensus, si sit verus, putarem illam saltem moderationem adhibendam, ut istæ quartæ in conscientia ante sententiam Judicis declaratoriam non debeantur; quia in hoc loco ista sententia non excluditur, & quoad fructus jam perceptos Constitutio est verè pœnalis, secus quoad illos, qui cedunt tempore absentiæ, hi enim potiùs causa deficiente non acquiruntur, quàm omnimodè ex pœna amittuntur.

Not. V. Quòd etiam Abbates, aliique Prælati Episcopo inferiores ad Residentiam in suis Ecclesiis teneantur, ita ut sine licentia ab Episcopo, vel Superiore, cui immediatè subsunt, obtenta ad longius tempus discedere non possint. Quamvis enim Concilium de illis specialem mentionem non faciat, non tamen est dubitandum, quin & ipsi nomine Pastorum Ecclesiasticorum, & Curatorum Episcopis inferiorum) de quibus Concil. Trid. *d. sess. 23. c. 1. vers. eadem omnino,* loquitur) comprehendantur, teste Tambur. *de Jure Abbatum, tom. 1. disp. 14. q. 1. n. 4. & q. 2. n. 2.* At verò pœnæ illæ circa amissionem fructuum in Abbatibus non residentibus, propterea locum habere non possunt, quia illi propter votum Religiosæ paupertatis proprios reditus non habent, sed omnia Monasterio acquirunt, quòd ex Abbatis culpa damnificari non debet, *c. delictum, 76. de R. J. in 6. cap. si* Episcopum, *3. causa 16. q. 6.* unde per alia media Ecclesiastica contra contumaces procedi posset.

Utrùm autem tales inferiores Prælati saltem per tres 6
menses sine licentia sui Superioris ex rationabili causa abesse possint, sicut Episcopi? vid. Tambur. *dict. disp. 4 quæst. 5.* ubi imprimis de Abbatibus & Prælatis exemptis Episcopali Jurisdictione utentibus, affirmativè concludit, de aliis verò Episcopo subditis negativè propter textum Concilii *d. sess. 23. c. 1. vers. eadem omnino,* ubi generaliter *statuitur de curatis* Episcopo *inferioribus & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habentes obtinent, ut quandocumque eos causa prius per Episcopum cognita, & probata esse contigerit, discedendi licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant.* Interim non paucos DD. refert Barbos. *in Collect. Concil. ibidem numer. 67.* qui contra alios docent, per hæc verba Trid. etiam in Parochis non excludi primum bimestre, quo possint ex justa causa sine licentia abesse (qua de re *§. seq.*) id utique multò magis dicturi de Prælatis, quorum dignitas major, & absentia non tam periculosa, sicut Parochorum, quibus quotidie incumbit obligatio, Sacramenta petentibus & indigentibus administrandi.

Alii

Alii licet curatis inferioribus non concedant bimestre sine licentia propter allegatum Concilii textum, præsertim ibi: *quandocumque eos abesse contigerit &c.* ajunt tamen, textum non esse ita amarè accipiendum, quasi curatus semper debeat esse in compedibus, quin ei concedatur ad aliquot dies, imò ad unam alteramve hebdomadam ex rationabili causa sine alia licentia discedere, dummodò in absentia domesticis negotiis bene provideatur Barbos. *de Offic. Episc. p.3. alleg.53. num.92.* cum citatis ibidem.

6 Existimo hac in re utpote dubia consuetudini locorum aliquid tribuendum, *juxta vulg. l. si de interpretatione 37. ff. de LL.* quamvis enim residentia omnium curatorum sit juris divini, ut satis insinuatur *in sæpe d.c.1. sess. 23. in princ.* ita ut curatus suas oves sine justa causa derelinquere non possit, & consequenter hoc per consuetudinem immutari nequeat, quæ contra jus divinum nihil operatur: Verùm id in Thesi, seu generaliter intelligendum est, in specie autem, seu hypothesi, quòd v. g. hic vel ille Prælatus justam causam habens sine licentia Superioris ad breve tempus à suo Monasterio abesse non possit, neutiquam est Juris divini, sed humani Pontificii, aliàs nec Episcopus, nec summus Pontifex illam licentiam concedere valeret. Inter justas autem absentiæ causas præcipuè numerari potest illa, quæ sit Prælaturæ conjuncta & notoria, ut quia tanquam status aut deputatus Provinciæ in causis Reipublicæ, aliisve publicis negotiis occupatus est. Quòd si alia consuetudo in Diœcesi fuerit circa requisitionem licentiæ Episcopalis, ea quoque observabitur.

---

§. II.

De Residentia Parochorum aliorumque Curatorum.

SUMMARIA.

7 *Ad residentiam de jure divino obligantur habentes curam animarum.*

8 *Sine licentia Episcopi & relicto Vicario ab Episcopo approbato Parochi abesse non possunt, secus facientes perdunt fructus.*

9 *Controversia, an Parochus per duos menses abesse sine licentia possit.*

10 *Negativa verior.*

11 *Hodie non potest amplius Episcopus dare licentiam, ut Parochus absit studiorum causa.*

12 *Consuetudo, ut Parochus notabili tempore ultra duos menses absit, est corruptela.*

13 *Quid possit consuetudo circa residentiam Parochorum.*

14 *In necessitate repentina quid faciendum Parocho.*

15 *Non sufficit Parochum esse præsentem, si nunquam per se ipsum Sacramenta & curam administret.*

16 *Parochus, qui totam curam per suos Cooperatores exercet, tenetur ad restitutionem fructuum, arbitrio tamen boni viri.*

17 *Pestis non excusat à residentia;*

18 *Excusat tamen ab administratione Sacramentorum, si idoneus Vicarius substituatur.*

19 *Regula quadam notabiles observanda ab administrantibus Sacramenta pestiferis.*

20 *Qualiter residere teneatur, qui Canonicatum cum Parochia habet.*

21 *Quis possit remittere obligationem residentiæ?*

7 Omnium illorum, qui curam animarum gerunt, residentiam instantissimè urget Concil. Trident. *sess.6. de Reform. cap.1. & 2.* & *sess.23. c.1. Præcepto enim divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est* (verbis utor Concil. *d. sess.23.*) *oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operũ exemplo pascere, pauperum aliorumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munera pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed more mercenariorum deserunt. &c.*

In specie autem de Parochis, seu curatis inferioribus statuit Concil. *d. sess.23. cap.1. §. eadem omninò, ut quandocunque eos causa prius per Episcopum cognita & probata abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant, discendendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant.* Pœnam quoque, quàm idem Concil. *in d. cap.1. §. si quis autem.* contra Episcopos non observantes illud decretum constituit, statim in seq. *§. eadem omninò.* ad 8
curatos inferiores extendit, ita ut & isti *præter mortalis peccati reatum, pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciant, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere possint, sed teneantur fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare; &c.* quòd si major fuerit contumacia, liberum erit Episcopo per censuras, aut subtractionem fructuum etiam usque ad privationem procedere, *d. sess.93. c.1.* Porrò ex allegatis Concilii textibus.

Quær. I. Utrum Parochus saltem per duos menses in 9
anno possit abesse sine licentia Superioris, sicut concessum est Episcopis & Canonicis *in eadem sess.23. c.1.* Non est paucorum sententia cum Nav. *in Man. c.25. sub n.121.* constitutionem Concilii ita intelligendam esse, quòd Parochus si ultra duos menses abesse velit licentiam Superioris impetrare debeat; cæterùm per duos menses singulis annis ex aliqua causa, quæ ipsi Parocho bona fide justa videtur, sine licentia abesse possit. Tum quòd Concil. *d. c. in §. eadem omninò,* inter obligationem residendi, quæ est in Parochis, comparationem faciat, tum etiam quod id de jure antiquo licuerit. *ex cap. præsentium 7. q.1.*

Alii econtra censentes illam comparationem inter re- 10
sidentiam Episcoporum & Curatorum tantùm quoad *pœnas* factam, negant, Parochum unquam sine licentia discedere posse, pro quibus meliùs facit tex. Concilii, qui vult à Parochis licentiam exigi, *quandocunque eos abesse contigerit,* & mox subjungit, quòd nec cum licentia Episcopi debeant ultra duos menses, nisi ex gravi causa abesse; atque hanc posteriorem sententiam confirmavit declaratio Card. apud Garc. *de Benef. par.3. cap.2. num. 23.* & quidem sub eo rigore, ut nec per hebdomadam liceat Parocho sine obtenta licentia abesse. Quòd verò *authoritate d. cap. præsentium,* dicitur, de jure antiquo licitam fuisse absentiam duorum mensium sine licentia Episcopi, rectè negari potest *ex c. si quis in Clerico 7. qu. 1. & c. relatum 4. h. t.* Unde in *d. c. præsentium,* nil aliud disponitur, quàm quod ob absentiam duorum mensium sub existente causa ægritudinis aliquis beneficio privari non debeat: nihil autem ibidem dicitur, quòd Parochus sine licentia ad duos menses discedere possit. Videatur Garc. *d. cap.2. n.19. & seqq.* Barb. *de Offic. Par. p.1. c.8. n. 58. & seqq.*

Prætereà quamvis olim Parochi cum licentia Episcopi 11
potuerint studiorum causa etiam per septem annos abesse *c. cùm ex eo 34. de Elect. in 6.* hodie tamen post dict. decretum Conc. Trid. id non ampliùs per Episcopum rectè concedi à S. Congregatione Car. decisum refert Gonzal. *ad Reg.8. Cancell. Gloss.6. n.351.* Barb. *in Collect. ad d. c. 1. Trid. sess.23. n.55.*

Quær. II. Utrum consuetudo alicujus loci valeat resi- 12
dentiam Parochorum immutare? Respond. Circa residentiam duo consideranda esse, nimirùm I. Obligationem *residendi,* & II. Obligationem *petendi licentiam:* si justa causa absentiæ subsit. Obligatio *residendi* in genere, penes eos qui curam animarum gerunt nulla consuetudine tolli potest, cùm sit de jure divino præcepta Trid. *sess.23. de Reform. cap.1.* contra quod jus consuetudo nihil operatur, At verò obligatio *petendi licentiam discedendi* supposita justa causa discessus, cùm sit mero jure humano Pontificio introducta, absolutè quidem loquendo per contrariam consuetudinem tolli potest; si tamen ex tali consuetudine liceret Parocho notabili tempore ultra duos menses abessæ sine licentia Superioris, illa (*juxt. text.* in Concil. Trid. *dict. c.1. §. eadem omnino*) *corruptela* & consequenter invalida foret propter multa inconvenientia, quæ inde

nascerentur. Nam Parochi nulla petita licentia ab Episcopo nullum etiam ab eodem sui loco peterent Vicarium, & sic persæpè cuicumque obvio curam animarum per longius tempus cum multis periculis committerent. Deinde successu temporis eò res deveniret, ut Parochi non tantum sine licentia, sed multoties etiam sine justa causa oves suas desererent & mercenariis committerent.

13 Sed ut consuetudine licitum sit Parochis per unam vel alteram hebdomadam ex justa & rationabili causa & sine periculo damnificandi gregem substituto interea idoneo Vicario abesse, non improbare audeo, maximè si propter distantiam loci difficilis ad Episcopum aditus pro obtinenda licentia habeatur; & ad modicum tempus 6. vel 7. dierum substitui posse Vicarium pro suo arbitrio etiam sine præscitu Episcopi, vel vicinum Parochum, ex recepta consuetudine tradit Barbos. *de Parocho par. 1. cap. 8. num.* 52. Imò ampliùs dico, si de consuetudine in aliquo loco Parochi etiam per duos menses continuò abessent ex justa tamen causa, posset satis tolerari; quia per talem consuetudinem videretur declarata illa controversia, quam in priori quæstione tradidi. Constat enim, quòd in dubio jure optima legum interpres sit consuetudo *l. si de interpretatione 37. ff. de L. L.* consentit. Laym. *in Theol. mor. lib. 4. tract. 2. cap. 6. num. 7.*

14 Quær. III. Quid faciendum Parocho, si necessitas tam repentina sit, ut pro obtinenda licentia Episcopum nequeat adire? † Resp. Parochum debere post discessum suum, quam primum potest, Episcopum de causa absentiæ certiorare, ut is de justitia causæ cognoscere, & tempus revertendi determinare possit Garc. *de Benef. par. 3. c. 2. num. 34.*

15 Quær. IV. An Parochus satisfaciat suæ obligationi, si quidem in Parochia præsens, sed omnia per suos Capellanos exerceat? Resp. Parochum teneri saltem aliquoties, & maximè, si Parochiani ipsum in specie petierint, per semetipsum curam & Sacramenta administrare, *c. relatum 4. h. t. c. extirpanda 30. §. quia verò, de Præb.* Cùm enim Parochus pro animabus sibi commissis rationem reddere teneatur, sanè ipsemet experiri debet, qualiter in via salutis instructæ sint. Unde notanter Jo. Sanch. *in Sel. disp. 47. n. 7.* hinc inferes, proh dolor! inquit, quàm malè aliqui Parochi se gerant, Sacramenta nunquam, aut fermè nunquam administrantes, & suarum ovium curam mercenariis committentes, qui cùm ut plurimùm Sacerdotes inopes & egentes sint, timeri non imprudenter, potiùs rationem habituros quærendi ab ovibus victum, quàm curam medendi infirmitatibus animæ, complacere eis studentes, quando respuendæ & reprehensionis gladio feriendæ &c.

16 Quær. V. An Parochus ad restitutionem teneatur, si totam curam per Cooperatores exerceat? † Negativè respondet Garc. *de Benef. par. 2. cap. 2. num.* 53. eò quòd in jure cautum non reperiatur, pœnalia verò extendenda non sint. Contrarium tenet Sylv. *v. Residentiam, n. 5. & 6.* Jo. Sanch. *d. l. n.* 6. Jac. de Graf. *in decis. aur. l. 2. c. 92. num.* 57. nam ex horum doctrina non intelligitur residere, nisi qui Sacramenta administrat, cùm verba accipienda sint cum effectu. Ego hanc posteriorem sententiam judico verbis (*c. 4. h. t. &* Concilio Trident. *sess. 23. cap. 1.*) menti ac rationi legis esse conformiorem, & propterea amplectendam, sub hac tamen moderatione: ut ex sola residentia personali, præcisa ab administratione, credam Parochum saltem medietatem fructuum lucrari; quia experientia constat, quòd Parochiani ex sola etiam præsentia personali magnam utilitatem percipiant; dum in quacumque necessitate recursum ad Parochum habent, & Sacramenta per Capellanos præsenta Parocho ipsis diligentius administrantur. Præterea in illa parte fructuum, quæ restituenda est, judico intervenire debere arbitrium boni viri, ut plùs vel minùs pro qualitate & gravitate negligentiæ restituatur. Imò non dubitaverim, quandoque Parochum etiam rariùs per se administrantem Sacramenta, ad nullam restitutionem teneri, si reverà comperiat suos Parochianos sufficienter, & fortè melius per Capellanos, quàm per se ipsum instrui.

17 Quær. VI. An causa grassantis contagionis excuset Parochum à residentia? † Negativè fuisse decisum instante S. Carolo Borr. licet Parochus pestem fugiens alios idoneos Ministros sui loco substituere vellet, ex Selva refert Barb. *in d. c. 1. Trid. sess. 23. nu. 60.* quia utique in calamitoso illo statu Parochiani ex præsentia proprii Parochi magnam consolationem habent; is enim cùm optimè noscat conditionem suorum subditorum, sine dubio in quotidianis occurrentiis tum circa Sacramentorum administrationem, tum circa alias necessitates repentinas meliùs per se, vel per alium disponenda disponere poterit, quàm si ipso absente novus Vicarius ad tam quotidiana pericula constitueretur. † Illud nimis durum es- 18
set dicere, quòd Parochus eousque obligetur, ut etiam per se ipsum Sacramenta tempore pestis administrare teneatur, si idoneum Vicarium vel aliquos viros Religiosos habere possit. Non enim videtur mens fuisse Concilii, ut Parochus, qui fortè multùm est utilis Parochiæ, cogatur sine necessitate præsentissimum vitæ periculum subire. Dico, sine necessitate, nam si Parochus alios, per quos administret, habere non possit, tenebitur tanquam bonus pastor vitam suam corporalem, pro vita spirituali ovium sibi commissarum exponere.

Sed advertendum est Parocho, ut tempore pestis in administrandis Sacramentis cautè se gerat, ne ex ipsius præmaturo obitu plures alii spirituale damnum patiantur. Quare in eum finem aliquas bonas regulas ex Conciliis Medicorum & Theologorum collectas Parochis & Confessariis pestiferorum tradidit Hen. Manigart. *in suis floribus selectis ad fin.* quarum potiores pro utilitate aliquorum, quibus is libellus forsan incognitus est, hic subnotare volui.

I. Curandum ut ex præscripto Medici bona præserva- 19
tiva ad manum habeantur.

II. Tempore pestis non utendum longa veste, quæ protendatur infra genua, nec quæ sit ex materia pilosa, ad quam venenum faciliùs recipitur.

III. Non visitentur ægroti manè, vel saltem non nisi sumpto jentaculo. Si necessitas urgeat jejuno stomacho ægrum adire (quia is morbus dilationem non patitur, nocet parvula mora) apponatur ad nares parum Theriacæ, strophiolum aceto tinctum, vel aliud præservativum applicetur.

IV. Cauterium à chirurgo factum & Medici experientia, optimum esse præservativum docent.

V. Confessarius audiat ægrum à longe, & si fieri potest, curet, ut accedat ad fenestram, vel ad portam, aut ad hortum, & semper stet ab illa parte, ubi ventus stat versus ægrum.

VI. Si æger non possit se movere & pastor seu Confessarius domum ingredi cogatur, stet quinque aut sex pedibus à lecto ægri retrò caput ipsius, jubeat ut æger vertat faciem versus aliam partem: nec moveantur tegumenta lecti: curet super lateres vel lapides accenso igne in medio cubiculo posito infundi acetum ad fumandum, & inter ipsum & ægrotum sit aliquis ignis vel carbones accensi; caveat autem ut nunquam stet inter ignem & ægrotum.

VII. Si æger non possit altè loqui, sed Confessarius debeat prope accedere, & ita se majori periculo exponere non erit necesse, ut omnia peccata audiat, sed potest rogare ægrum, ut statim de uno, vel altero peccato in particulari & de omnibus aliis in genere se accuset, quia in tanto periculo non requiritur confessio materialiter integra.

VIII. Si plures jaceant in eodem cubiculo ægroti, qui propter instans mortis periculum singuli separatim confiteri non possint, debebunt omnes simul absolvi (sicut etiam fit in conflictu vel naufragio) forma plurali: *Ego vos absolvo &c.* dummodo singuli unum, vel alterum peccatum palam confiteantur, quod sine scandalo, vel notabili sui infamia confiteri possunt vel si nullum in specie exprimere valeant, generalem Confessionem faciant aut signa pœnitentiæ edant.

IX. Confessarius recedens à pestiferis purget se & vestimenta sua, Albam quoque & Stolam & corporale per ignem & fumum aliquem, vel per aspersionem & lotionem aquæ frigidæ, quæ veneno plurimum inimica dicitur.

X. Pro cautela Parochorum placuit adscribere verba Pauli Laym. *lib. 2. tract. 3. cap. 3. num. 3.* quæ etiam habentur apud Joan. Major. *in 4. dist. 23. q. 1.* Barbos. *de* „ *Paroch. p. 2. cap. 17. num.* 15. Cavere, inquiunt, debet „ Pa-

„ Parochus, ne dum pestis tempore unius non graviter
„ indigentis spirituali utilitati consulere intendit, plures
„ alii ex ipsius occubitu graviorem jacturam spiritualem
„ patiantur. Quare *si solus sit*, non facilè debet cum vitæ
„ suæ periculo Sacramenta, quæ non admodum necessaria
„ sunt, vel secundùm se, ut externa unctio (quæ quali-
„ ter tempore pestis conferenda sit dictum est *in Man. Pa-*
„ *roch. p. 2. c. 4. n. 4.*) vel respectu personarum, quarum
„ bonum statum Confessarius probabiliter cognitum ha-
„ bet, quia nuper earum confessiones exceperat. Denique
„ quotiescumque ab aliqua persona, quam verisimilibus
„ conjecturis Sacerdos credit non habere conscientiam
„ peccati mortelis, vel per contritionem rectè ad morien-
„ dum dispositam esse, *probabilissimè* timetur periculum
„ contagionis, In tali casu majus bonum publicæ neces-
„ sitatis præferendum privatæ alicujus utilitati.

20 Quær. VII. Qualiter residere teneatur, qui præter canonicatum Cathedralis Ecclesiæ etiam parochiam obtinet? Resp. Nisi simul legitimè obtentum sit, ut in Parochia per Vicarium deserviatur, personalis residentia facienda erit in Parochia ob favorem curæ animarum *Const. Pii V. cupientes*: & Canonicus taliter curam exercens, habebitur pro præsente etiam quoad distributiones quotidianas, Trid. *sess. 22. de Ref. c. 3.* si tamen Parochia fuerit Canonicatui unita; si autem ex dispensatione (quæ utpote contra jus est strictioris interpretationis) acquisita, habebitur Canonicus curam exercens solùm pro præsente quoad fructus annuos, non distributiones. *d. Bulla cupientes*. Barb. *de Offic. Episc. alleg. 53. n. 127.* Garc. *de Benef. p. 3. c. 2. n. 179.*

21 Quær. VIII. Cùm residentia curatorum de jure divino sit, quomodo relaxari valeat? Respond. Esse tantùm juris divini in thesi & regulariter, in hypothesi verò & singulis circumstantiis frequenter dari ab hac regula exceptionem, si modo per idoneum Vicarium curæ provideatur, & quidem circa absentiam perpetuam vel diuturnam, exceptionem legitimam declarare ad S. Pontif. pertinet, circa brevem v. g. aliquot mensium, etiam ad Episcopum. Vid. Laym. *in Theolog. mor. lib. 4. tr. 2. c. 6.*

---

§. III.

De Residentia obtinentium simplex beneficium, & Canonicorum Cathedralium Ecclesiarum.

SUMMARIA.

22 *Residere tenetur quis etiam in beneficio simplici de Jure, secus de consuetudine.*
23 *Canonici Cathedralium Ecclesiarum tenentur ad Residentiam.*
24 *Canonicatuum fructus quotuplices?*
25 *Canonici absentes aliquando fictione Juris habentur pro præsentibus.*
26 *Canonicis conceditur absentia 3. Mensium etiam absque causa.*
27 *Residens non habetur, qui non frequentat Ecclesiam.*
28 *Canonici absentes ex quibus causis habeantur pro præsentibus.*
29 *Canonicus aliquis esse an possit in 2. locis sine dispensatione, & qualiter teneatur residere.*
30 *Canonici absentes, quibus in casibus lucrentur etiam distributiones, & n. 32.*
31 *Canonicus Parochus quando censeatur præesse in Choro.*
33 *Canonicus legens missam tempore horarum Can. an percipiat distributiones?*
34 *Canonicus absens 3. mensibus an lucretur distributiones.*
35 *Distributiones à Canonicis absentibus non perceptæ quorsum applicentur?*
36 *Fructus grossi an accenseantur fructibus annuis, vel distributionibus quotidianis?*

22 QUamvis de Jure omnia beneficia etiam simplicia, & quæ curam animarum nullam habent, requirant personalem residentiam c. e. *fin. de Rescriptis. in 6.* de consuetudine tamen universali introductum esse, quòd in beneficiis simplicibus non sit necesse personaliter residere, sed beneficiatus possit etiam per substitutum deservire, cum pluribus aliis testatur Garc. *de Benef. p. 3. c. 2. num. 3.* Vallen. *h. t. n. 3. & 4.* unde qui Capellaniam obtinet, ratione cujus tenetur in certa Capella, vel Altari missas dicere, poterit ad istas missas legendas alium constituere, dummodò in ipsa fundatione specialiter cautum & expressum non sit, quòd ipsemet beneficiatus per se missas legere debeat: tunc enim non excusabitur, nisi propter justum & legitimum impedimentum, &c.

Engel in Decret. Lib. III.

Canonici Cathedralium Ecclesiarum, licet curam animarum non habeant, nihilominus ex natura sui beneficii ad residendum in loco sui canonicatus tenentur, ita ut ultrà 3. menses à suis canonicatibus abesse non possint, & contra facientes præterquam, quòd fructus pro rata temporis absentiæ suos non faciant, insuper primo anno media parte, secundo anno omnibus fructibus, etiam quos causa residentiæ jam fecerunt suos, eo ipso privantur. Trid. *sess. 24. de Ref. c. 12.* 23

Porrò circa residentiam Canonicorum plures non inutiles, & quotidianæ difficultates occurrunt, quas antequam resolvam, ad meliorem intelligentiam duo prænotanda sunt. 24

Unum est, quòd reditus Canonicatuum sint in duplici differentia: alii enim sunt *fructus annui*, qui dantur propter annuam residentiam in loco canonicatus; alii verò sunt, qui dicuntur *distributiones quotidianæ*, seu *præsentiæ* & dantur propter singulas præsentias in choro & divino officio, inde in Conc. Trid. *sess. 21. de Ref. c. 3. & sess. 22. de Ref. c. 3.* statuitur, ut in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertia pars fructuum & quorumcumque proventuum tam dignitatum, quàm canonicatuum separari debeat, & in distributiones quotidianas converti, ac inter illos, qui divino officio intersunt, dividi juxta proportionem ab Episcopo (etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegato, casu quo capitulum vel aliqui Canonici forent exempti) faciendam.

Alterum prænotandum est, quòd Canonici sæpè justam causam habeant, ob quam in loco Canonicatus adesse non possint, nihilominùs fictione juris præsentes esse censeatur; imò aliquando istæ causæ sint speciales in jure expressæ, & privilegiatæ, ut ex illis absens Canonicus non tantùm pro præsente in urbe, sed etiam pro interessente, ut loquuntur, divinis officiis habeatur, & consequenter præter fructus annuos etiam in absentia distributiones quotidianas lucretur. His ita prænotatis. 25

Quær. I. An aliqua justa causa requiratur, ut Canonicus possit tribus mensibus per annum à sua residentia abesse, sicut superiùs de absentia Episcopi dictum? Respond. Magis communiter receptum esse, hoc trimestre esse Canonicis à jure concessum, quasi pro aliqua animi relaxatione & ne residentia semper in uno eodemque loco nimis gravis fiat, ideoque ad hanc absentiam, neque justam causam, neque licentiam Episcopi desiderari; pertinebit tamen ad Episcopum providere, ut Canonici suam absentiam ita moderate instituant, ne simul & semel major pars Canonicorum in festis solemnioribus absit, & ita Ecclesia divino officio privetur, Zerolla *in Praxi Episc. p. 1. V. privatio. v. quartum dubium*. Non obstat, quòd Episcopus ne quidem duobus mensibus sine rationabili causa possit abesse, per textum in Conc. Trid. *d. sess. 23. de Ref. c. 1. vers. quoniam autem* ibi: *ut id ex æqua causa fiat, & absque ullo gregis detrimento, quod abscedentium conscientiæ relinquit*; quia Episcopi absentia propter officium pastorale, & administrationem universalem magis necessaria est, quàm Canonicorum. 26

Quær. II. Utrum pro Residente haberi debeat, qui quidem in civitate præsens est, sed nunquam Ecclesiam frequentat? Respond. De Jure Conc. Trid. ad residentiam Canonicorum requiri non tantùm, ut in civitate præsentes sint, sed etiam ut divina officia & quidem per se, non per substitutos peragant, sicut habetur in sæpe *d. c. 12. sess. 24. de Ref.* attamen quoad illud punctum, quòd Canonici per se debeant in Choro psallere & cantare, contrariam consuetudinem non esse irrationabilem censet Zypæus *in Annal. juris Pontif. h. t. sub n. 28.* ut decantatio & psalmodia tanto peritius instituatur. 27

28 Quær. III. Utrùm ex qualibet gravi causa absens Canonicus ultra tres menses debeat haberi pro residente? Respond. Distinguendum esse inter causam *necessitatis*, & *utilitatis*. Si causa sit *necessitatis*, propter quam residentia moraliter sit impossibilis, vel saltem admodum periculosa, v. g. propter infirmitatem, insidias hostiles, pestem &c. satis est expeditum, quòd ob tales causas absens Canonicus fictione Juris pro residente habeatur, & ad minus fructus annuos lucretur.

Sin autem ex causa *utilitatis* aliquis absit, subdistinguendum est, an sit utilitas privata, vel an utilitas Ecclesiæ? Absens *ex utilitate privata* ad promovendum suum privatum commodum, instituendam œconomiam in bonis suis &c. non habebitur pro residente, licet dispensationem de non residendo à summo Pontifice obtinuerit, nisi specialiter etiam super perceptione fructuum fuerit cum eo dispensatum; aliàs enim talis dispensatio solùm operabitur, ut absens Canonicus ad residentiam urgeri, vel suo beneficio privari non possit. Pet. Rebuf. *in Praxi benefic. t. dispens. de non residendo. nu.60.* Gloss. *in cap. relatum. 4. in V. Prælatorum. h. tit.* Unde & Canonicum ingredientem religionem non lucrari fructus annuos, qui cedunt tempore Novitiatus, neque à Monasterio post Professionem, vel ab ipso Canonico post regressum ex Monasterio peti posse, docet Garc. *de Benef. p.3. c.2. n.345.*

Habebitur autem pro residente, qui abest *pro utilitate sui Canonicatus, vel Ecclesiæ Cathedralis* ad tuenda, vel prosequenda Jura ejus, *c. ex parte. 33. h. t.*

Item quia Episcopus potest habere secum duos Canonicos, qui ipsi in gubernanda Diœcesi collaborent, qui Canonici, quamvis nunquam Chorum frequentent, habebuntur tamen pro residentibus saltem ad lucrandos fructus annuos, *c. de cætero. 7. c. ad audientiam. 15. h. t.*

Similiter etiam pro residente habebitur, qui in aliquo Gymnasio, Universitate (non autem in villa, vel loco privato, ubi nullum vel modicum est litterarum exercitium) cum licentia Episcopi studuerit, vel docuerit. *c. relatum. 4. & c. tua fraternitatis. 12. h. t. c. fin. de Magistris.* Imò licentiam Episcopi potiùs de honestate, quàm necessitate petendam esse atque idem obtinere in omnibus casibus, in quibus jus ipsum reputat legitimam causam absentiæ, docet Garc. *d. c. 2. n. 94. & seqq.*

Quær. IV. Quanto tempore teneatur ad residendum, qui in duabus Ecclesiis Cathedralibus Canonicatus habet cùm utique non possit uno anno in utroque Canonicatu 9. mensibus residere? Respond. Supposito, quod conformiter Concil. Trid. *sess. 7. c. 4. sess. 23. de Ref. c. 17.* & per ea, quæ tradit Fagn. *in c. cum jam dudum 18. de Præb. sub n. 13. & seqq.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 15. n. 15.* cujus dicta interiùs in Tit. *de Præbend. sub num. 68.* referamus, duo Canonicatus propter personalem residentiam novem mensium sint incompatibilia beneficia, eos absque dispensatione Apostolica habere non licebit. Vid. tamen Gonz. *c. l.*

29 Si igitur aliquis dispensationem ad duos Canonicatus impetravit, & ea talis sit, ex qua dispensatus possit uno anno utriusque Canonicatus fructibus gaudere (quæ clausula in rescripto exprimi debet, aliàs dispensatio hæc contra jura illam non includat, sed tantùm operabitur, ut dispensatus gaudere possit fructibus illius Canonicatus, in quo maluerit 9. mensibus residere. Vid. Rebuf. *in d. t. dispensatio de non residendo*) tunc attendendum erit ad particularia locorum statuta & consuetudines. In quibusdam enim Cathedralibus Ecclesiis quatuor, in quibusdam quinque, vel sex menses pro residentia assignantur. Similia itaque statuta & consuetudines, ex quibus minori tempore, quàm 9. mensibus residetur, intelligi debent de illo casu, quo quis ex dispensatione habet duos Canonicatus, aliàs autem Conc. Trid. *sess. 23. c. 12.* omnibus statutis & consuetudinibus derogavit, quæ minorem quàm 9. mensium residentiam exigunt. Docet quidem nonnulli cum Zypæo *in Anal. Jur. Pontif. hoc t. num. 13.* residentiam Canonicorum post Concilium per contrariam consuetudinem immutari posse eò quod non sit juris divini, sicut residentia Prælatorum: neque obstet illa clausula Trid. omnis consuetudinis derogatoria; cùm DD. similes clausulas interpretari soleant de consuetudine præterita, ante legem contrariam existente, non de ea, quæ postmodum de novo introducta, aut confirmata est, vel quæ non est generalis, sed particularis alicujus loci *arg. c. 1. de Const. in 6.* & huic ipsi derogationi tanquam ex mero jure positivo provenienti per novam consuetudinem derogari valeat; sed quia nulla consuetudo subsistit, nisi sit rationabilis, *c. fin. de consuetud.* ideò ad diuturniorem Canonicorum absentiam aliquam rationabilem causam requirit Covar. *Lib. 3. Var. Res. c. 13. n. 9.* ne talis consuetudo piæ Fundatorum intentioni nimis controveniat.

Aliud judicium est, si propter merita præcedentia quis à residendo excusetur: illam enim consuetudinem vel statutum admisit Congregatio Cardinalium Conc. Trident. Interpretum, vi cujus conceditur alicui Canonico, vel beneficiato, qui per quadraginta annos semper diligenter interfuit divinis, ut is imposterum tanquam emeritus ad nullam ampliùs præsentiam obligetur, & tamen fructus annuos, ac distributiones quotidianas lucretur Garc. *de Benef. c. 2. p. t. n. 344.*

Quær. V. Quandonam absentes non tantum pro *residentibus*, sed insuper pro *interessentibus* divino officio habeantur, & distributiones quotidianas lucrentur? Respond. Si absens à Choro saltem in urbe præsens sit habebitur pro interessente, quoties ex justa causa necessitatis, vel utilitatis abfuerit; dummodò utilitas merè privata non sit, sed Ecclesiæ. Unde omnes, quos infirmitas, senium, injusta captivitas, aut injusta excommunicatio vel alia corporalis necessitas impedit, si in urbe præsentes sint, etiam præsentes in Choro reputabuntur, *c. un. h. t. in 6.* dummodò aliàs soliti fuerint Chorum frequentare: quia si sani non frequentassent, non censeretur infirmitas dare causam absentiæ. 30

Quod si autem Canonici non tantùm à Choro, sed etiam à civitate absint, quamvis justam absentiæ causam allegare valeant, nisi tamen illa causa specialiter de jure vel consuetudine ad percipiendas distributiones quotidianas privilegiata fuerit, habebuntur quidem pro residentibus sed non pro præsentibus in Choro, sicut distinguit Covar. *Var. Resol. lib. 3. c. 13. n. 8.* Garc. *d. loco à n. 349.*

Ideò ex tali causa specialiter privilegiata pro interessentibus habebuntur omnes Canonici, qui parochias suis canonicatibus incorporatas possident, & ibidem curam animarum per se ipsos exercent. Trid. *sess. 22. de Ref. c. 3.* Dico si parochia Canonicatui *incorporata* sit: nam si Canonicus ex *dispensatione* præter Canonicatum habuerit parochiam, & in ea parochum egerit, lucrabitur quidem fructus annuos sui Canonicatus, sed non distributiones: quia dispensatio super duobus beneficiis incompatibilibus est contra jus, & consequenter strictæ interpretationis. Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg. 50. n. 127.* 31

Pro præsentibus in Choro etiam habentur comparentes ad generale Concilium, ut ex Conc. Constant. *sess. 14.* tradit *Rebuf. loc. supra cit. n. 34.* quod privilegium alii communiter etiam ad eos, qui Synodo Provinciali, vel Diœcesanæ intersunt, extendunt apud Barb. *d. loc.* Item speciali privilegio pro interessentibus haberi Inquisitores hæreticæ pravitatis, Pœnitentiarios in Ecclesiis Cathedralibus constitutos, cùm publicas confessiones audiunt, & Auditores Rotæ Romanæ refert Ricc. *in Praxi aurea p. 3. resol. 390. & seqq.* 32

Quær. VI. Utrùm distributiones lucretur, qui eo tempore, quo in Choro officium peragitur, vel Horæ cantantur, ipse Missam legit? Negativè declaratum esse à Cardinalibus, attestatur Garc. *d. l. n. 398.* nisi ex jussu Superioris Missa celebrata sit. Interim tamen in multis locis ex consuetudine contrarium practicari refert idem Garc. & Zypæus in *Anal. h. t. n. 31.* Declaratio Cardinalium videtur potissimum fundari in ipso text. Conc. Trid. *sess. 24. de Reform. c. 12.* ex quo Canonici jubentur per se, & non per substitutos divina peragere; hoc autem rigore per consuetudinem mitigato (ut supra *in q. 2.* dictum) etiam hæc consuetudo, de qua in præsenti quæstio, non est intolerabilis. 33

Quær. VII. An Canonici absentes 3. mensibus sibi à jure concessis sicut nihilominus lucrantur fructus totiùs anni, ita etiam lucrentur distributiones quotidianas? Negativè à sacra Congregatione Cardinalium decisum esse ait Zerola *d. l. V. primum dubium.* nam licet absentia 3. mensium sit inculpabilis, & a jure permissa, non tamen est specialiter ad lucrandas distributiones privilegiata. 34

Quær.

Quær. VIII. Quarsum applicanda sit illa portio distributionum, quam absentes Canonici non percipiunt, an in fabricam Ecclesiæ impendi, vel pauperibus distribui, aut præsentibus Canonicis accrescere debeat? Conc. Trid. *sess. 22. c. 3.* voluit, tales distributiones vacantes fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicari; sed quia Conc. ibi loquitur de illis distributionibus, quæ noviter ex tertia parte fructuum deductæ sunt plerique DD. existimant, aliud obtinere in distributionibus antiquis, quæ ex fundatione debentur Canonicis, ut hæ, si ab aliquibus absentibus neglectæ fuerint, debeant præsentibus accrescere juxta gloss. *in Clement. 2. in V. pars dimidia. de Ætate & qualitate &c.* Aliter verò distinguit Garç. *in d. c. 2. n. 444.* quòd nimirùm attendendum sit, an certa & determinata portio cuilibet Canonico in Choro præsenti assignata sit, e. g. pro missa medius flotenus, pro singulis horis canonicis aliquot grossi &c. vel an in genere aliqua massa seu quantitas inter præsentes Canonicos distribuenda sit? Priori casu censet portionem absentium apud Ecclesiam remanere, vel alteri pio loco applicandam esse: posteriori verò præsentibus accrescere. Sanè quantùm investigare potui, neutra ex istis sententiis habet singularia fundamenta, ex quibus impugnari vel probari possit, sed utraque est plurimùm divinatoria, & ex verosimili æquitate, ac conjectura voluntatis Conc. Trid. desumpta, quapropter opinor deficiente clara juris decisione consuetudinem singulorum locorum attendendam esse.

36 Quær. ultimo. An illi fructus, qui alicubi fructus grossi, alicubi victuales vocantur, & de frumento, vino, piscibus aut similibus rebus certis anni temporibus inter Canonicos dividuntur, sint annumerandi fructibus annuis, vel distributionibus quotidianis? Respond. Quamvis *in c. un. h. t. in 6.* distributiones quotidianæ victualia appellentur, & *in c. de cætero 7. h. t.* victualia illis denegentur, qui actu divinis non intersunt; nihilominùs si ita usu in aliquo loco receptum sit, ut prædicti fructus æqualiter inter residentes Canonicos sine respectu ad singulas in Choro præsentias distribuantur, potiùs fructibus annuis, quàm distributionibus accensendi erunt, & consequenter qui fructus annuos, etiam istos lucrabitur Gloss. *in Extrav. ut Ne sede vac.* Quar. *summa Bull. V. Residentia.*

TITULUS V.

De Præbendis, & Dignitatibus.

MAteriam de Præbendis, quæ Ecclesiarum ministris debentur, amplissimam hic aggredimur, non quidem eam secundùm omnem suam latitudinem & dignitatem tractaturi, sed quantum scholæ satis videtur. Plura investigari poterunt apud Authores, qui hac de re plenos libros scripserunt, inter quos est Nicolaus Gateias *in Tract. de Beneficiis* Gonz. *ad Reg. 8. Cancell.* Rebuf. *in Praxi beneficiorum* Flam. Parisius *De Resignatione beneficiorum*, & alii per decursum citandi.

Omnis quidem perceptio redituum Ecclesiasticorum in genere *Præbenda* dici potest à præbendo, seu tribuendo, tametsi talis perceptio laico competat propter servitium etiam temporale, & ad certum tempus, ut advocato Ecclesiæ, vel alteri officiali sæculari. Barb. *in Collect. DD. ad Rubr. hujus tit. n. 3. & seqq.* Vallen. *h. t. §. 5. n. 1.* at verò in propria & stricta significatione *Præbenda* solùm pro beneficio Ecclesiastico accipitur. Sit proinde.

§. I.

Quid & quotuplex sit beneficium.

SUMMARIA.

1 *Beneficium quid? & explicantur singula definitionis particula.*
2 *Differentia inter pensiones & beneficia.*
3 *Beneficium non potest conferri à laico, ne quidem ex præscriptione.*
4 *Dignitas, Personatus, Officium quid?*
5 *Beneficia alia curata, alia simplicia.*
6 *Beneficia collativa, patronata, electiva, sæcularia, regularia.*

BEneficiũ Ecclesiasticũ cõgruè describi potest, quod sit *jus perpetuum ad percipiendos reditus Ecclesiasticos ratione spiritualis officii Ecclesiastica authoritate institutum, & persona Ecclesiastica ab Ecclesiastica collatum.*

Dico I. Beneficium esse *jus ad percipiendos reditus Ecclesiasticos:* ut distinguatur à *Canonia*, quæ simpliciter sic dicta tantùm est *jus habendi sedem in Choro, & vocem in Capitulo*: nam si quis simpliciter in Canonicum recipiatur, antequam ei reditus canonicales assignentur, dicitur habere *Canoniam*, sed non beneficium, seu præbendam; debet tamen ipsi, primùm ac se facultas obtulerit, præbenda conferri, *c. dilectus 27. & c. relatum 9. h. t.* Gloss. *in c. 2. de Concess. præb.* Ipsa quoque vox in capitulo ex usu plurium Ecclesiarum Cathedralium, non ad solam concessionem Canoniæ, sed tunc primum concedi solet, ubi quis residentiam primi anni absolvit, & juxta Concil. Trid. majoribus ordinibus insignitus est. Trid. *sess. 22. de Reform. c. 4.* 1

Dico II. Beneficium esse *jus perpetuum*: est enim de natura beneficii, ut institutum perpetuò duret, & non conferatur ad certum tempus, sed regulariter ad totam vitam beneficiati, in eoque beneficiatus intituletur, seu, ut Practici vocant, *investiatur*, per text. *in Can. Sanctorum 2. dist. 70.* Barb. *Jur. Eccles. un. lib. 3. c. 4. n. 11.* Nec obstat, quòd Parochiæ Monasteriis, & aliis locis pleno jure incorporatæ sint vera beneficia, & tamen nulli conferantur in perpetuum, sed tantum Vicariis, qui ad nutum superioris amoveri possunt, juxta Gloss. receptam *in Clem. 1. de Excess. Prælat.* nam Respond. quòd illa incorporatio sit loco collationis perpetuæ, & Abbas Monasterii sit principalis Rector & beneficiatus talis Parochiæ; illi verò, qui ab eo exponuntur, sunt tantùm Vicarii temporales, & dicuntur habere beneficia manualia. Gloss. *in Clement. quia regulares. de Supplenda negligentia Prælatorum.* Joan. Honor. *h. t. p. 4. n. 60.* Quòd si autem aliquis Vicarius perpetuus, seu ut loquuntur, *investitus* constitueretur, talis verum beneficium habere censeretur, quia Vicaria perpetua venit nomine beneficii, *c. postulasti 27. de Rescriptis.*

Dico III. *ratione spiritualis officii:* quia beneficium datur propter officium, idque spirituale, *c. fin. de Resc. in 6.* unde perceptio redituum, quæ ministris sæcularibus Ecclesiæ datur, beneficium propriè dici non potest Garc. *de Benef. p. 1. c. 2. n. 7.*

Dico IV. Beneficium debere esse institutum *Ecclesiastica authoritate*; quare tametsi aliquis certas missas, vel anniversarium etiam in perpetuum fundarit, nisi tamen Episcopi approbatio accedat, non erit beneficium, sed tantùm pia donatio, vel pium legatum; neque appellatione beneficii veniet, quoties in jure vel litteris Papalibus de beneficio mentio fit. Barb. *Jur. Eccl. lib. 3. c. 4. n. 15.*

Dico V. Beneficium debere conferri *persona Ecclesiastica*; quia laicus est incapax beneficii tanquam rei spiritualis, vel saltem Spirituali annexæ, & propter spirituale ministerium competentis, *arg. c. causam 7. de Præscriptionibus* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 2. n. 60. & seqq.* ubi *n. 63.* refert, quòd neque ad horam possit laicus beneficium Ecclesiasticum habere.

Hinc etiam est, quòd pensiones, quæ ex reditibus beneficiorum in favorem alicujus separantur, non dicantur propriè beneficia, per text. & Gloss. *in c. 4. h. t. in 6.* Zoes. *h. t. n. 2.* tum quòd in pensione aliquis non intituletur, seu investiatur (secus, si quis verè pensionem in titulum acciperet. Vid. Barb. *Jur Eccl. univ. lib. 3. c. 11. n. 8. & 15. ac seqq.*) tùm quod ex se non dentur propter Spirituale officium (nisi quod novissimè Pius V. pensionariis imposuerit recitationem officii Beatæ Virginis. Zoes. *d. n. 2.*) tum denique quod pensio possit laico concedi. Huc pertinent ea, quæ superiùs in Tit. I. *de Vita & honest. Cler. n. 8.* de obligatione gestandi habitum clericalem Beneficiatis & Pensionatiis ex Bulla Sixti V. incumbente diximus. 2

Dico VI. quod beneficium conferri debeat *à persona Ecclesiastica*, nimirùm summo Pontifice, Episcopo vel alio Prælato, non autem à laico *c. 3. de Institution.* Garc. *de Benef. par. 1. cap. 2. num. 35.* Quare si aliquis in certo

eltari, vel Capella missat legendas ita fundarit, ut hæres vel alius laicus sine institutione Episcopi possit Sacerdotem constituera, quæ illas Missas persolvat, talis fundatio non erit beneficium dicendum, neque in impetratione alterius veri beneficii hujus erit mentio facienda, sicut *in c. si motu 23. h.t.in 6.* requiritur, ut in impetratione novi beneficii fiat mentio prius habiti, quamvis exigui; solùm ergo jus patronatus competit laico, qui Ecclesiam vel beneficium aliquod fundavit, extruxit, aut dotavit, ut scilicet beneficiandum possit Episcopo præsentare, ab eoque, si dignus sit, institui debeat, secundum ea, quæ inferiùs speciali in Titulo *de Jurepatronatus* tractantur.

3 Sed neque præscriptione laicus videtur acquirere posse jus conferendi, cùm id utpotè jus Spiritnale possidere nequeat, sine possessione autem nulla, ne quidem immemorialis (quæ tantùm in subjecto capaci possessionis procedit, & vim privilegii obtinet) currat præscriptio, *c. causam.7.& ibi DD. de Præscript.* Barb. *in Collect. DD. ad cap. dilectus 34. hoc tit. n.2.* Pan. *ibid. sub num.6.* & quamvis in possessione decimarum laicus ex sola immemorialitate temporis præsumptionem pro se habere possit, & relinquendus sit in earum detentione, usque dum de vitioso initio convincatur, per ea, quæ docet Ghilkenius *de Præscript.p.3.c.8.n.23.* & dicam infra in *Tit. de decimis D.§.2. n.7.* Diversa tamen est ratio inter jus decimandi, & conferendi beneficia; quia jus decimandi tum ex privilegio Papali; tum ante Concilium Lateranense per Episcopos sæpe laicis concessum fuit; jus autem conferendi beneficia concedi laicis prorsus insolitum est: hinc est, quòd faciliùs in jure decimandi ex immemorialitate temporis præsumatur bonus titulus, quàm in jure conferendi beneficia. Quòd autem privilegio Apostolico possit laicus ad conferenda beneficia habilitari, tradit Barb. *in d.c. dilectus n.2.* Imò de facto aliquibus Regibus & Principibus concessum refert Zoes. *h.t. n.7. per text. in eod. c. dilectus & in c. dilecto 40. de Testibus & c. ult. de Concess. prabenda*, ait tamen verisimile esse in his cc. verbum *donatio*, intelligi de jurepatronatus. Gloss. *in d.c. dilectus V. ex donatione*.

Beneficia in primis dividuntur, quòd alia sint majora, alia minora, Majora subdividuntur, quòd alia *dignitatem* annexam habeant, alia *personatum*, & alia *officium*.

4 *Dignitas est præcedentia cum jurisdictione*; qualem habent Episcopi, & alii inferiores Prælati, Volunt tamen aliam in dignitate constitutum censeri, penes quem unum saltem ex his tribus requisitis inveniatur, 1. administratio rerum Ecclesiasticarum cum jurisdictione. 2. Nomen dignitatis & simul prærogativæ in Ecclesia tam in choro quàm in capitulo, licet non adesset vera administratio vel jurisdictio 3. Consuetudo Ecclesiæ, quòd quis reputetur in dignitate, Tambur. *de Jure Abb. to.1. disp.1. q.2. num.3. & 9.*

Personatus est præcedentia sine jurisdictione, quem habere censetur Senior in Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, vel alius, qui locum magis honorificum in Choro aut Processionibus obtinet.

Officium denique dicitur administratio sine speciali præcedentia, aut jurisdictione, prout talem administrationem habent Sacrista, Custos. Thesaurarius & similes, Vallens. *h. t. §.2. n.4.*

5 Deinde beneficia alia sunt *curata*, alia *simplicia*. Curata iterum subdividuntur, quòd alia sint propriè curata, quæ scilicet curam animarum respectu fori interni & Sacramentorum habent. Alia autem minus propriè, quibus jurisdictio spiritualis quoad forum externum incumbit, ex qua beneficiatus possit causas Ecclesiasticas tractare, inquirere, corrigere, censuras ferre, & absolvere &c. *Simplicia* vero beneficia dicuntur quæ curam animarum annexam non habent, uti sunt capellaniæ, vel alia similia beneficia habentia obligationem solummodo horas canonicas persolvendi, missas legendi &c. Canonicatus quoque in Ecclesiis Cathedralibus cùm curam animarum adjunctam non habeant, rectè quidem beneficiis simplicibus accenseri possunt, quia tamen personalem residentiam requirunt, & Canonici majorem præ reliquis Clericis præcedentiam habent, *c. statutum 11. de rescriptis in 6.* ideò plerumque nomine simplicium beneficiorum non canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, sed minora beneficia simplicia intelliguntur, *arg. c. quamvis 4. h. t. in 6.*

6 Præterea beneficia alia sunt *collativa*, quæ scilicet per collationem Episcopi, vel alterius obtinentur; alia *patronata*, quæ ad præsentationem patroni dantur; alia *electiva*, ad quæ aliquis per viam electionis assumitur, uti sunt Episcopatus, Abbatiæ, Præposituræ, & similia.

Demum ut plures alias divisiones omittam, quæ videri poterunt apud Vallens. *d. loc.* beneficia alia sunt *sæcularia*, quæ ex fundatione, vel succedente præscriptione tantùm sæcularibus Clericis conferri debent; alia sunt *regularia*, quæ pariter vel ex fundatione, præscriptione, aut alia Summi Pontificis dispositione tantùm Regularibus conferenda sunt, *cap. cùm de beneficio 5. hoc tit. in 6. cap. inter quatuor de Religiosis domibus*, de qua beneficiorum distinctione in Tit. *de Capellis Monachorum* agitur.

---

§. II.

De Collatione beneficiorum, quæ fit per Summum Pontificem, & beneficiorum reservationibus.

S U M M A R I A.

7 *Papa habet liberam potestatem in beneficiis.*

8 *Beneficii reservati collatio ab inferiore facta est nulla. Reservatio non afficit beneficia patronata nec manualia.*

9 *Vacatio* apud Sedem *vel in curia, quæ dicatur.*

10 *De reservatione beneficiorum* clausa in corpore Juris.

11 *Curia Romana quid & ubi, & quid Curiales?*

12 *Beneficia in quibus tantum fuit jus ad rem, non sunt reservata, nec beneficia de jurepatronatus laicorum.*

13 *Reservatio* Extravag. Execrabilis. Joann. XXII. hoc tit.

14 *Commendam beneficii quis concedere possit, & an per eam tollatur reservatio?*

15 *Reservatio* Extravag. ad Regimen. inter Commen. hoc tit.

16 *Beneficia promotorum per Papam reservantur. Et quid, si concessa retentio, & quando vacare incipiant? Et quid de promotione, quæ fit per Archiep. Salisb. ad 4. Episcopatus.*

17 *Reservationes per varias Bullas, & ibi de publicatione resignationis.*

18 *Reservationes per Bullas post Concordata Germaniæ amanatas, an præjudicent Germanis?*

Difficilis & diffusa hæc materia est, Innumeris Pontificiis constitutionibus, Curialistarum pragmaticis, Rotæ Decisionibus, Doctorum Glossis & Commentariis partim explicata, plurimùm intricata. Nolim ut quispiam in casibus emergentibus meis tantummodò dictis acquiescat sed veritatem ex fonte haurire non postponat, authoritates allegatas inspiciendo, rationes expendendo, peritos & practicos in Curia consulendo, non enim semper eadem sententia Theoriæ & curiæ, styli & scholæ. 7

Ad rem ipsam igitur quod attinet præsupponendum, quòd Summus Pontifex potestatem habeat de jure omnia totius mundi beneficia conferendi *c. 2. h.t. in 6. c. si Papa 10. §. si autem, de Privilegiis in 6. Clement. 1. in fine Ut lite pendente &c.* Quia ipse est Ordinarius Ordinariorum habens concurrentem jurisdictionem cùm omnibus Ecclesiæ Prælatis, atque ab ipso omnis beneficiorum divisio & collatio originem habet, *cap. un. 13. quæst. 1.* & primitus omnia beneficia solus Papa conferebat, postea verò dilatata Ecclesia in partem sollicitudinis vocavit Episcopos, iisque potestatem conferendi beneficia suarum diœcesium communicavit, sub ea tamen moderatione, ut semper penes ipsum Papam major & superior potestas remaneret. *c. dudum 14. §. nos igitur h. t. in 6. d.c. 2. & d.c. si Papa* Paris. *de Resign. benef. lib. 1. quæst. 10. à n. 47.* Gonz. *ad Reg. 8. Canc. §. 1. proœm. an. 1.* Et hæc communicatio ipsis etiam Ecclesiis admodum utilis & ne-

cef-

cessaria fuit: quia ob varias & diversas Nationes ad Romanam Curiam confluentes, qualis idoneitas sit in persona impetranti beneficium multoties sciri non potest, sed ex aliorum relationibus, interdum proh dolor! indignus indebitè commendatur, & digniori præponitur, verba sunt Barb. *in Collect. ad extravag. execrabilis hoc tit. num. 3.* ut vel hinc pateat, reservationes parum favorabiles esse.

Unde de Jure communi, si duo concurrant, & unus ostendat collationem à Papa, alter ab Episcopo sibi factam, attendetur in primis proprietas temporis, ut ille potior sit jure, quia ab alterutro collatore beneficium priùs obtinuit; in dubio præferetur, qui fuerit in possessione; si neuter possederit, prævalebit is, cui Papa vel Legatus ejus contulit, propter prærogativam & dignitatem conferentis *cap. si à sede 31. h. t. in 6.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 57. num.* 12.

8 Notandum est I. Quod licet antiquiori jure tum S. Pontifex, tum Ordinarii confusè, & modo præventionis contulerint qualibet beneficia, nec eo jure fuerit reservatio, teste Paris. *d. l. n.* 53. postea tamen ad tollendas confusiones, quæ oriebantur inde, quòd impetrantes apud Papam non erant securi, an non fuissent præventi apud Ordinarium, apud quos etiam Collationes sine delectu personarum præcipitabantur, plurima beneficia tum per Canones in Corpore Juris existentes, tum etiam per Bullas extraordinarias, Regulas Cancellariæ, & Concordata Germaniæ collationi suæ specialiter Summus Pontifex reservavit, ita ut ea nullus inferior Prælatus Ecclesiasticus sine speciali privilegio, vel commissione Papali conferre valeat, adeò quidem, ut tametsi ex ignorantia juris, aut facti Episcopus vel alius inferior collator beneficium reservatum, vel in quo Papa de facto manum apposuit, & alicui gratiam fecit, licèt aliàs in jure reservatum non fuerit, contulerit, nihilominùs irrita sit talis collatio, ita tamen, ut si beneficiarus aliquod Beneficium præhabitum intuitu hujus collationis resignavit, ad illud liberè possit reverti, dummodo in dimittendo altero, quod ab Episcopo invalidè accepit, difficilem se non exhibuerit; imo quamvis etiam beneficium resignatum fuerit jam in alias personas collatum, omnia tamen in pristinum statum reponi debent *c. si postquam 13. & c. si beneficia 20. h. t. in 6.*

Quid verò circa beneficia non reservata in Germania vacantia speciale sit, item quid, si beneficium reservatum Papa per longius tempus conferre distulerit? paulò inferiùs tractabimus.

Est verò circa reservationes generaliter advertendum, quòd iis quibuslibet non comprehendantur beneficia, quæ sunt de jure patronatus laicorum vel mixto, dummodo laici id habeant ex fundatione, dotatione, vel constructione Ecclesiæ, cui Juri S. Pontifex non intendit derogare, ne laici à fundationibus absterreantur. Secus est de jure patronatus Ecclesiastico, vel etiam laicali competente tantùm ex privilegio vel præscriptione. Covar. *pp. qq. c. 36.* Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 18. num. 17.* Joann. à ChoKier. *ad eandem Reg. 8. gl. 1. n. 3. & gl. 8. n. 1.* Vid. etiam Paris. *de Resign. benef. lib. 2. q. 4.* & Garc. *de Benef. p. 5. c. 1. §. 2. à n.* 551. Et huc pertinet Regula Cancell. *de Derogatione Juris Patronatus*, quæ apud Joann. ChoKier est Pauli V. XLII.

Beneficia quoque *Manualia* sive sæcularia sive Regularia ex quibus possessor ad arbitrium superioris amoveri potest, non cadunt sub reservationem; tum quòd in rigore non sint propriè dicta beneficia, quia non perpetua; tum quod hoc ipso eluderetur reservatio, si superior amoveret. Calder. *cons. 26. n. 5. de præb.* Joan. à ChoKier. *ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 1. n. 11.*

9 Not. II. Quòd ex beneficiis reservatis aliqua dicantur vacare *apud Sedem Apostolicam*, & *in Curia*, eaque firmiùs ac efficaciùs cæteris reservata sint, ita ut quodlibet indultum vel commissio inferioribus Prælatis data ad conferenda beneficia non comprehendat beneficia *apud Sedem* vel *in Curia* vacantia, nisi specialis eorum mentio fiat *c. 2. h. t. in 6.*

Verùm hic difficilem disputationem ordiuntur DD. an idem sit beneficium *apud Sedem*, & idem *in Curia* vacare, & quando dicatur beneficium *apud Sedem* aut *in Curia* vacare? Antiquiores DD. pleique cum Gloss. *in c. statutum 3. in V. in curia h. t. in 6.* idem esse beneficium vacare *apud Sedem*, & *in Curia* videntur asseruisse, propter text. *in d. c. 2. h. t. in 6.* ubi cum priùs dixisset summus Pontifex, nemini licere beneficia *apud Sedem* vacantia conferre, mox subjungit, *nisi ei super conferendis iisdem in Curia Romana vacantibus specialis authoritas ab ipso Pontifice sit attributa.*

Attamen Recentiores volunt, plurimùm inter se differre, si beneficium vacet *apud Sedem* & *in Curia*, & omnia quidem beneficia vacantia *apud Sedem*, vacare etiam *in Curia*, non autem vice versa vacantia *in Curia*, semper dici vacare *apud Sedem*, nisi latè & impropriè. Propriè igitur vacantia *apud Sedem* & *in Curia* censeri, quorum vacatio est clausa in Corpore Juris, & per obitum beneficiati in Curia Romana inducitur, *jux. c. 2. h. t. in 6.* alia verò beneficia per Extravagantes & Bullas reservata, & quorum vacatio de facto extra Curiam & in partibus contingit, latè tantùm & minus propriè dici *in Curia* vacare. Quòd est advertendum circa indulta conferendi beneficia reservata, quibus solet inseri clausula: *Extra Cur. vacantia*, quam clausulam tantùm excludere vacationem *per d. c. 2.* testatur Gonz. *ad Reg. 8. Canc. gl. 31. n. 60. & 61. & 79. v. nec obstat.* Rebuf. *in Prax. benef. v. extra Romanam Curiam* Barb. *de Offic. Episc. p. 3. alleg. 57. n. 24. in fine.* Alii censent etiam reservationem esse in *Curia* seu *apud Sedem*, quando vacatio beneficii Romæ inducitur, aut ibi, ubi Papa vel Curia moratur, seu deinde per mortem, seu per resignationem aut privationem ibidem factam. Ubi & illud est advertendum, quòd ex communi DD. sententia resignatio aut privatio censeatur ibi fieri ubi actus celebratur, licet resignans vel privatus longè absit, & tantùm per procuratorem Romæ agat, Gonz. *d. loco n.* 42. Garc. *loc. cit. n.* 79. & econtra si resignans constitutus Romæ resignationem per procuratorem curet fieri in partibus, seu extra Italiam, aut Curiam Romanam, non censebitur vacatio *in Curia* introducta. Parisius *de Resignat. benef. lib. 9. q. 14.*

De Reservatione juris communis.

Not. III. Quòd per Canones ordinarios in corpore Juris clausos nimirum per *c. licet 2. c. statutum 3. c. præsenti 34. h. t. in 6. & Clement. 1. Ut lite pendente &c.* reserventur 10
& *apud Sedem* vacare dicantur, beneficia eorum, qui in Curia Romana propter quodcumque negotium versantur, & ibidem vel à Curia recedentes in loco aliquo vicino intra duas dietas legales moriuntur. Dicuntur autem *dietæ legales* inter duorum dierum computatis 20. milliaribus Italicis, quæ faciunt 4. vel ad summum 5. Germanica pro una dieta. Gloss. *in d. c. præsenti in V. legales L. Vicenna millia 1. ff. Si quis cautionibus &c.* Quod si Curiam de loco ad locum transferri contingat, & Curiales eam sequentes in itinere vel in loco, unde Curia recedit ipsi remanentes forsitan infirmi moriantur, præmissa reservatio ad illorum beneficia se extendit, quantumcumque locus, ubi decedunt, a Curia distet.

Excipiuntur tamen ab hoc statuto illi qui in loco, ubi Curia moratur domicilium suum ordinarium habent, nisi simul actu sint Curiales, aut ratione Curiæ ibidem degant. Item excipiuntur, qui à curia recedunt ad sua domicilia intra duas dieta dissita, ut in textu *d. c. præsenti* habetur.

Si duo in Curia Romana super beneficio litigent, & uterque ibi moriatur, ad Papam pertinet collatio, ad ordinarium autem, si extra curiam decedant. Si unus tantùm in Curia, alter extra decedat, tunc si possessor beneficii decesserit in Curia, rursus Papæ erit collatio; Ordinarii verò, si is, qui non possedit; si neuter in possessione fuerit, denuò propter authoritatem majorem ad Papam pertinebit. Si unus tantùm moriatur, & alter, vel tertius pro suo interesse litem prosequatur, exspectandus erit finis litis: si enim decisum fuerit, beneficium pertinuisse ad defunctum collatio spectabit ad Papam, si in Curia, ad Ordinarium verò si extra decesserit; si ad nullum ex litigantibus pertinuit beneficium, Ordinarii quoque erit collatio, nisi ex alia causa reservetur *d. Clement. 1. Ut lite pendente.*

Porrò Curia Romana ibi esse censetur, ubi est Papa 11
cum Cancellaria, & tribunalibus, ac Officialibus suis, quos ad regimen Ecclesiæ adhibet, ut notat Covarr. *Pract. qq. c. 4. num. 10.* ubi ita intelligit dictum Innocentii, & Panorm. *in cap. 4. de Jurejur.* quòd *ubi Papa est*,

ibi Roma & Curia sit, si nimirum ibi sit Papa cum suis auditoribus &c. & posse esse Curiam, ubi Papa non est, & vice versa Papam sine curia tradit Navar. *in tract. de datis & promissis notab.* 17. *num.* 69. Veluti Camera Spirensis est Curia Imperatoris, licet Imperator Spiræ habitare non soleat, & facit text. *in Clement. ne Romani* 0. *§. sanè de Electione*? Unde quidam inferunt, si Papa ex Urbe Romana aliorsum ultrà duas dietas discesserit relicta Romæ Cancellaria, officiis, ac Auditoribus, tunc illorum beneficia, qui sequentes vel accedentes Summum Pontificem ibidem moriuntur, non censeri reservata, Alii tamen ajunt Paulum III. cum ad colloquium cum Carolo V. Imperatore & Franscico Rege Galliæ proficisceretur, declarasse, eorum qui suam Sanctitatem sequerentur, & eorum, qui in urbe remanerent, unam tantùm Romanam Curiam, & non duas existere, hic scilicet, ubi est Papa, censeri Curiam in capite, & ibi in corpore, quæ constitutio in Bullario refertur inter ejusdem Pauli III. constitutiones 36. Qua in re, sicut generaliter circa beneficia ad collationem Papalem pertinentia, stilus & usus Curiæ, ac Cancellariæ Romanæ (qui pro diversitate temporum nonnunquam variari solet) potissimùm attendendus erit.

Curiales autem hoc loco dicuntur illi, qui Papæ, aut Cardinalibus seu Officialibus Romanæ Curiæ & officiis inserviunt, aut aliàs occasione Curiæ in urbe morantur. Non tamen sufficit in ordine ad reservationem prædictam, quòd quis semel fuerit Curialis, nisi etiam curialitas continuata sit usque ad mortem; præsumitur verò continuata, nisi mutata probetur, ad quam probationem leviora etiam argumenta per alias præsumptiones & conjecturas admittuntur. Mandosius. *ad Regulam* 5. *Cancellaria quæst.* 1. *numer.* 18. Barbos. *in Collect. DD. ad dict. cap. præsenti* 34. *hoc tit. in* 6. *numer.* 84. *versic. curialis*,

12 Illud quoque prætereundum non est, quod beneficia, in quibus aliquis solùm habuit jus *ad rem*, & non *in re*, v. g. ex collatione nondum acceptata, probabiliùs non cadant sub hanc reservationem, loquitur enim textus de beneficiis Curialium, qui genitivus solet denotare dominium, & jus in re, *lib.* 2. *§.* 1. *ff. de Relig. & sumpt. fun.* non est autem beneficium alicujus ante acceptationem *cap. si tibi absenti* 17. *h. t. in* 6. Mandos. *dicto loco q.* 5. *n.* 3.

Item prout & superiùs *num.* 8. annotatum, nec hac nec alia reservatione regulariter comprehenduntur beneficia, quæ sunt de jure patronatus laicorum, cui S. Pontifex sine expressa mentione nunquam censetur derogare, *jux. Reg. Canc.* 30. *rec. de Derogatione juris patronatus* dummodo laici id jus habeant ex fundatione, dotatione, vel constructione Ecclesiæ. Ratio est recognitio, seu quædam remuneratio beneficentiæ erga Ecclesiam à laico præstitæ, & ne laici à fundationibus abstrahantur Secus igitur est, si tantum habeant jus præsentandi ex privilegio, vel præscriptione, cessat enim tunc dicta ratio.

Beneficia autem Juris patronatus Clericorum comprehenduntur sub reservationibus, si illud jus Clerici habeant ratione suarum Ecclesiarum, quibus præsunt, vel etiam ex fundatione, de bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis, non patrimonialibus. Si mixtum sit jus patronatus id est, laico & Clerico simul competens, ob favorem laici non censebitur beneficium reservatum. Videatur Mandosius *ad regul.* 1. *Cancell. q.* 8. Barb. *de officio Episc. alleg.* 59. *n.* 96.

De Reservatione Extravag. Execrabilis, Joan. XXII. h. t.

13 Not. IV. Quòd per Extravagantes, & varias Bullas Pontificias extra Corpus Juris reserventur quoque diversa beneficia. Et I. *In extravag. Execrabilis. Joan. XXII. h. t.* postquam summus Pontifex generaliter inhibuit beneficiorum pluralitatem, & statuit, ut qui tunc temporis haberent plura incompatibilia beneficia etiam ex dispensatione, tenerentur uno esse contenti, & reliqua dimittere, subjungit: *Qui verò deinceps receperint dignitatem, seu personatum, seu officium, aut aliud beneficium animarum curam habens annexam, si antea simile beneficium obtinebant, illud (quo ipso jure, postquam secunde possessionem habuerint, vel per eos omni dolo & fraude cessantibus, quo minus habeant, steterit, privati noscuntur) absque mora dispendio in Ordinariorum manibus dimittere debeant; alioquin ex tunc sint ipso jure secundo privati, & ne dum ad sacros suscipiendos ordines, quin etiam ad habendum quodcumque beneficium Ecclesiasticum inhabiles reputentur. Quæ omnia & singula beneficia vacatura, vel dimissa nostræ & Sedis Apostolicæ dispositioni reservamus &c.*

Requiritur tamen, ut adeptio possessionis in secundo beneficio sit pacifica, non litigiosa, & insuper, ut sit cum perceptione fructuum, secùs si fructus ejusdem fuerint ad tempus alteri reservati. *c. si tibi concesso* 26. *h. t. in* 6. Videantur Joan. Honor. *h. t. p.* 2. *n.* 19. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancel. Gloss.* 15. *à n.* 9. Barb. *in Collect. DD. ad eand. Extrav. execrabilis*, ubi plura circa hanc materiam congesserunt, & quæ suo loco dicentur,

Utrum autem per hanc *Extravag.* non tantùm secundum beneficium sit reservatum, sed etiam primum, dubitatur. Quidam utrumque reservatum affirmant, Joann. à Chokier. *ad Reg.* 1. *Cancell. num.* 03. *v.* 8. *casus* VvagnereK *in noviss. Comment. Exeg. Jur. Can. ad eandem Extrav. execrabilis not.* 4. quibus faciunt illa verba: *Omnia & singula beneficia vacatura vel dimissa &c.* Alii reservationem tantùm ad posteriora beneficia restringunt; quia non tantùm olim *juxta c. de multa* 28. *h. t.* non erat primi reservatio, sed etiam post Joann. XXII. constituit Bonif. VIII. *in cap. licet Episcopus* 28. *h. t. in* 6. ut Episcopus posset beneficium primum per adeptionem secundi vacans conferre, & non obscurè innuunt ipsa quoque verba Extravag. ibi *in manibus Ordinariorum dimittere debeant*; atque ita in praxi servari testantur plures citati apud Barbos. *in Collect. ad d. Extrav. execrabilis n.* 10. Conciliationem suggerit Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 51. *n.* 38. ut prior sententia procedat, quando secundum beneficium incompatibile à Sede Apost. Impetratum fuit. *Text. in Extrav. ad regimen.* 13. *v. nec non etiam qua per assecutionem h. t. inter Communes, & in nova Ref.* 111. *Canc.* Altera verò, quando secundum beneficium ab Ordinario collatum est. Idem Gonzal. *Gloss.* 15. *§.* 0. *n.* 14. *& Gloss.* 51. *n.* 36.

Dispensatio super pluralitate beneficiorum regulariter tantùm ad Summum Pontificem pertinet, qui supra Canones est, Et licet olim frequenter practicatum fuerit, ut per viam *unionis ad vitam* vel *commendam perpetuam* secundum beneficium incompatibile cum primo retineretur, id tamen abrogavit Conc. Trid. *sess.* 7. *de Ref. c.* 4. *& seq. & sess.* 24. *c.* 17. Non autem prohibetur Episcopus propter necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ penuriam Clericorum &c. alicui alterum beneficium curatum in commendam temporalem, seu, ut vocant, *provisorio modo* concedere, dummodò utrique propter loci viciniam satisfacere possit; quia tunc non habebit propriè duo beneficia, cùm alterum commendatum non habeat sub ratione beneficii, seu in titulum aut usum, perpetuum *Gloss. in cap. nemo deinceps* 15. *de Elect. in* 6. *in V. unam* neque adeò constringit Episcopum, ut non nisi per sex menses commendam concedat, sicut statuitur *in dict. cap.* 15. si commenda non fiat in favorem personæ, sed Ecclesiæ, cujus evidens utilitas, vel necessitas longius tempus exposcat, admittit Gloss. *cit. loco in V. durare*. Joan. Honor. *d. loco n.* 26. 14

Potest hic adnotari, quòd si S. Pontifex alicui beneficium reservatum in commendam concedat, tunc cessante commenda beneficium dicatur vacare, sicut priùs, nec extingui reservationem usque dum Papa plenè de tali beneficio providerit, seu absolutam collationem fecerit: imò per ipsam manus appositionem in concessione commendæ factam induci beneficii affectionem usque ad plenam ejus provisionem, sicut docet Garc. *de Benefic. p.* 4. *cap.* 4. *n.* 64. *&* 68. id tamen aliqui negant in commenda perpetua; quæ verò beneficio æquiparatur. Citati apud Garc. *d. l. num.* 60. disertè Mandos. *in annot. ad Rom. consil.* 350. *V. affecta*.

De

De Reservatione Extravag. Ad regimen. inter Com. h. t.

15 II. Ampla & notabilis reservatio est in Extravag. *ad regimen* 13. *h. t. inter Comm.* quæ etiam in Regulis Cancellariæ, & Concordatis Germaniæ renovatur. In ea reservat sibi Summus Pontifex beneficia quæcunque vacantia per *depositionem, privationem, seu translationem, aut muneris consecrationis suspensionem* (meliùs *susceptionem* legit Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancellaria Gl.* 51. *nu.* 32. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 57. *num.* 65.) per *electionis aut postulationis cassationem, vel renuntiationem admissam*: intellige, si ista Romæ vel alibi authoritate tamen Pontificia fiant.

Item reservat sibi omnia beneficia vacantia per obitum Cardinalium, Legatorum seu Nunciorum Sedis Apostolicæ & aliorum ejusdem Sedis Officialium, qui enumerantur *in d. Extravag. ad regimen*.

Repetit etiam reservationem, quam superiùs ex *cap. præsenti* 34. *h. t. in* 6. recensuimus, videlicet circa beneficia eorum, qui accedentes ad Romanam curiam, vel recedentes ab ea ibidem, vel intra duas dietas moriuntur.

Demùm reservat sibi omnia beneficia sæcularia & regularia, etiam electiva priùs obtenta & possessa eorum, qui authoritate Pontificia promoventur ad majores dignitates, nimirum Patriarchalem, Archiepiscopalem, Episcopalem, Monasteriorum regimina, dignitates, denique personatus, officia, canonicatus, aliaque beneficia cum prioribus incompatibilia, postquam beneficii illius, quod noviter per Sedem Apostolicam acceperunt, pacificam possessionem fuerint adepti.

Unde Episcoporum titularium tantùm, qui à summo Pontifice creantur plerùmque pro Suffraganeis aliorum Episcoporum, iisque pro titulo diœcesis in terris infidelium olim ad Romanam Ecclesiam pertinens assignatur, ex qua nullos fructus percipiunt, beneficia non vacant, nec tunc statim ad collationem Papalem pertinent; & quamvis aliàs collatio beneficii facta Episcopo non valeat nisi ex dispensatione Papæ, vel justa & necessaria causa, ut quia non habet sufficientia alimenta, aut cogitur exulare &c. *cap. cum nostris*. Et ibi Abbas, & DD. *de Concessione præbendæ*, valet tamen præsertim de beneficiis simplicibus facta Episcopo titulari. Garc. *de Benef. p.* 11. *c.* 6. *n.* 24. *&* 44.

Notat verò Barbos. *d. allegat.* 57. *n.* 76. & videtur consentire Garc. *dict. c.* 5. *n.* 30. quòd etsi quis promoveatur ad Episcopatum cum retentione beneficiorum, illa tamen beneficia, quæ tempore promotionis obtinebat, sint jam reservatione affecta, quandocunque imposterum ea v. g. per mortem vacare contigerit. Sed si hæc sententia in stylo & praxi Curiæ Romanæ fundata non sit, in theoria haud difficulter expugnari posset, utpote nullo expresso juris textu stabilita, cùm Extravag. *ad regimen*. tantùm reservet beneficia vacantia per promotionem *jux. c. cum in cunctis* 7. *§. cùm verò ubi Gl. & DD. X. de Elect.* talia autem beneficia retenta mutuo Episcopo, seu promoto non ampliùs vacent per promotionem, sed per obitum, Castro Palao *Mor. tom.* 2. *tract.* 14. *de benef. disp.* 2. *punct.* 17. *nu.* 3. *§.* 5. *reserv. vers. quod si alicui* Rota Recent. *p.* 4. *tom.* 1. *decis.* 202. *nn.* 5. *&* 6. Nec obstat illa generalitas verborum: *quæ obtinebant tempore promotionum nunc vacantia & in ante vacatura &c.* quia sensus istorum solùm est ille, quòd vacantia tempore Extravag. datæ, & in futuris promotionum per Bened. XII. faciendarum casibus vacatura sint reservata, sicut leges ordinariè solent præsentibus & futuris casibus prospicere, subintelligendo semper, si vacatura sint *ex vi promotionis*, ne reservatio, quæ secundùm Garc. *de Benef. p.* 5. *cap.* 1. *n.* 67. *& cit. ibidem*, strictæ interpretationis est, nimium extendatur. Neque videtur concessa retentio sola tam esse quædam appositio manus, quàm actualis collatio reservationis consummativa: Quid enim interest; an S. Pontifex beneficium suæ dispositioni per promotionem delatum, alteri vel eidem concedat? De paribus autem idem debet esse judicium, *l. & ideo* 11. *l. nam ut ait* 13. *ff. de LL. cum vulg.* posseque talia retenta resignari docet Paris. *de Resign. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 86.

Cæterùm eorum, qui ad veros & effectivos Episcopatus promoventur, beneficia vacant post adeptam possessionem Episcopatus, & simul consecrationem, vel loco consecrationis (si Episcopus consecrationem petere neglexerit, aut jam priùs consecratus de uno Episcopatu ad alium translatus sit) spatium trium mensium, *d. c. cum in cunctis* 7. *§. cùm verò de Electione*. Aliquando tamen super his stylus Curiæ variatur, ut promotorum per Papam ad Episcopatus beneficia mox post promotionem, vel confirmationem conferantur, si tamen Papa ita expressè decreverit, ut beneficia statim tunc vacarent; aliàs sine hoc decreto statur Juri communi. Garc. *d. cap.* 6. *n.* 5. *& seq.* Barb. *d. num.* 69. Paris. *de Resignat. benefic. lib.* 3. *q.* 1. *num.* 76.

Illud circa hanc Extravag. *ad Regimen.* legenti advertendum est, quòd licèt secundùm text. fir tantùm temporalis, & ad vitam Benedicti XII. lata, ibi: *donec miserationis divina clementia Nos universalis Ecclesiæ regimini præsidere concesserit &c.* quia verò postea singuli Pontifices in Regulis Cancellariæ eandem Extravagantem renovarunt, & Concordatis Germaniæ inserta est, censeri debet perpetua. Garc. *d. p.* 11. *c.* 6. *n.* 31.

Non possum præterire huic Archiepiscopatui Salisb. deservientem notabilem quæstionem, quæ vix apud alios Authores reperietur, quibus hoc speciale & insolitum Archiepiscopi jus utique incognitum fuit: An beneficia illorum, qui promoventur ad quatuor Episcopatus, quos Celsissimus Princeps & Archiepiscopus Salisb. conferre potest, sint juxta Extravag. *ad Regimen.* Sedi Apost. reservata? Mihi (salvo meliori) negativa in theoria videtur certa; quia Extravag. tantùm loquitur de Episcopatibus quorum provisio, seu electionis confirmatio immediatè ad Sedem Apost. spectat ibi: *per nos seu authoritate nostra promoti*. Idem in Bulla Concordatorum Germaniæ, quibus d. Extravag. est inserta, *per nos seu authoritate nostrarum literarum immediate collatorum*. Nec potest Extravag. habere illum sensum, quòd sufficiat, quomodocunque aliquis remotè & ex fundationis privilegio authoritate Sedis Apost. promoveatur: etenim manifestè repugnant verba Extrav. ubi S. Pont. Benedictus XII. expressè & restrictivè tantùm loquitur de promotis per suum immediatum Antecessorem Joann. XXII. & de promotis vel promovendis per se ipsum, & quidem duntaxat intra tempus sui Pontificatus. Constat autem quòd isti duo Pontifices vixerint post Annum 1300. econtra verò illi Episcopatus plus quàm centenis annis ante vitam istorum pontificum fuerint erecti, in iisque jus collationis Archi Episcopo Salisb. concessum. Licet verò hodie singuli Pontifices soleant illam Extravag. renovare in Regulis Cancellariæ, & sit relata in Concordata Germaniæ, tamen intelligitur relata secundum illum sensum, quem habuit ab initio, ut scil. sensus sit *de immediata* S. Pontificis collatione, unde hæc particula *immediate*, ut paulò ante citatum, in Concordatis ad majorem declarationem inserta est. Cujus sententiæ fuit indubiè Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 15. *§.* 2. *nu.* 14. *& gloss.* 51. *num.* 36. ubi expressè docet, quòd Extravag. *ad Regimen.* item Extrav. *ex debito* 4. *§. hujusmodi de Elect. inter com.* non habeat locum, quando provisio de secunda dignitate vel beneficio fit ab Ordinario, & non à S. Pont. loquitur autem *d. §. hujusmodi* de sede quoque Episcopali, ad quam assumendus beneficia priùs obtenta retinere non potest. Vid. etiam Burat. *Decis.* 242. *num.* 3. *& seqq.* Neque demum jus Archi-Episcopi everti credo, si quandoque beneficia istorum promotorum fuerint à Sede Apost. impetrata; cùm S. Pontifex utendo sua concurrente jurisdictione non censeatur tollere imposterum jus inferioris collatoris, *c. dudum* 14. *§. nec igitur hoc tit. in* 6. 16

De Reservatione aliarum Bullarum.

III. Ex Bulla Pii V. quæ incipit: *Ex Apostolatus officio &c.* reservantur omnia beneficia illorum, qui in hæresim lapsi sunt.

IV. Ex Bulla ejusdem Pii V. quæ incipit: *Romanum Pontificem*, reservantur beneficia recepta *in Simoniacam confidentiam*; de qua confidentia agitur in tit. *de Simonia*.

V. Rur-

V. Rursus ex Bulla Pii V. *In conferendis &c.* reservantur Parochiæ non collatæ *per concursum*, juxta formam Concil. Trid. *sess.* 24. *de Reform. cap.* 18.

VI. Ex alia Bulla Pii V. quæ incipit: *Santissimus in Christo &c.* reservantur omnia beneficia vacantia, sede Episcopali vacante.

VII. Ex Bulla Alexandri VI. quæ incipit: *In eminentia &c.* vacant & reservantur beneficia eorum, qui offendunt litigantes in Curia Romana, eorum judices, Advocatos, Testes, Procuratores, & Notarios.

17 VIII. Ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Humana vix judicio &c.* reservantur beneficia resignata, quorum resignatio non est publicata juxta formam in dicta Bulla præscriptam: etenim ad evitanda mala, quæ ex clandestinis resignationibus proveniunt, dum resignantes post admissam resignationem fructus exigunt, & solventes novis beneficiariis denuò solvere coguntur; jurisdictionem spiritualem, quà jam carent, cum animarum periculo exercent &c. constitutum est, primitus à Sixto IV. in Reg. Cancell. & postea à diversis Pontificibus, novissimè à Gregorio XIII. ut provisi de resignatis beneficiis teneantur publicationem facere in Ecclesia beneficii, & Cathedrali præsente populo. Et quidem si resignatio sit facta in Curia de beneficio citra montes, hoc est, Italiam, *intra sex menses* à die concessæ gratiæ, publicatio facienda est. Si verò resignatio fiat coram Ordinariis extra Curiam, teneatur Ordinarius *intra mensem* admittere, vel ejicere resignationem, & beneficium resignatum conferre; provisus verò *intra tres menses* publicare, possessionem beneficii accipere, alioquin nulla erit provisio & beneficium vacabit, ac reservatum erit. Videatur Paris. *de Resig. benefic. lib.* 11. *per totum*. Formam autem publicationis, ut die festivo in templo & coram populo fiat, non ubique in Germania servari, sed sufficere qualem publicationem, ex qua possit haberi notitia, testatur Zypæus *in Annal. Jur. Pont. t. de Renuntiat. sub n.* 2.

18 Verùm hic insignis movetur quæstio, an hujusmodi novæ Bullæ, quæ primùm post *Concordata Germaniæ* datæ sunt, neque de *Concordatis* specialem mentionem faciunt, obligent etiam in Germania, & impediant Ordinariorum collationes, si v. g. beneficium in mense Ordinarii vacet propter hæresin, simoniam, & sede Episcopali vacante, &c. Branden. *super Concordatis Germ. quæst.* 10. *num.* 8. concludit, per has Bullas etiam Germaniæ collatoribus præjudicari, Concordatis nec quidquam obstantibus. Argumenta pro confirmatione adducit sequentia. I. Quòd Pontifex concordando cum Germanis sibi nec voluit, nec potuit ligare manus ad decernendas pœnas in delinquentes quoscunque; si ergò postea Papæ visum fuit, hæreticos v. g. esse puniendos privatione beneficiorum, & reservatione, non est ratio, cur ab hac pœna excludamus Germanos in hæresin tam proclives. II. Quòd iste sit stylus Curiæ, qui jus facit, & nunquam auditum sit in Germania contulisse Ordinarium vacans beneficium ob non publicatam resignationem, sed Papa tam contra Germanos, quàm alios signet passim supplicationes ob dictam publicationem omissam. III. Quòd Sixtus Quintus in Bulla: *Pastoralis* 61. specialiter concesserit Ordinariis Galliæ (qui etiam concordata cum Sede habent, & longè ampliora Germanis) dixeritque se relaxere constitutiones, suorum Antecessorum reservatorias, ut possint beneficia per *confidentiam Simoniacam* vacantia conferre: quæ specialis concessio minimè fuisset necessaria, nec dicenda relaxatio, si aliàs ex vi Concordatorum Galliæ Ordinarii similia beneficia conferre potuissent. IV. Denique quòd in ipsis etiam Germaniæ Concordatis per Extravag. *ad Regimen.* ibidem insertam sint reservata beneficia, quorum privatio Romæ inducitur, sed si lex sit Romæ lata habens pœnam privationis annexam, censetur esse privatio Romæ inducta, ut docet Paris. *de Resign. benef. lib.* 1. *q.* 8. ergò &c.

Attamen de veritate hujus sententiæ meritò dubitat Granutius apud Branden. *d. quæst.* 10. *num.* 1. *cit.* Adde Rebuf. ad *Reg. XXVI.* & Paris. *lib.* 3. *quæst.* 6. *num.* 92. ubi infra dicitur *sub num.* 36. quibuscum contrarium teneri potest, & puto in pluribus Germaniæ Diœcesibus practicari. Quidquid enim sit, an S. Pontifex ex plenitudine potestatis possit derogare Concordatis Germaniæ, illud tamen universi fatentur, quod non censeatur derogare, nisi expressè Concordatorum mentionem faciat, sicut nulla lex generalis tollit particularia statuta, aut privilegia, nisi quatenus specialiter exprimit. *Text. & DD. in cap. cum ordinem 6. de Rescriptis cap.* 1. *de Const. in 6.* Ipse quoque S. Pontifex Nicol. V. in Concordatis §. 4. disertè promisit; quòd extra casus ibidem expressos in mensibus Ordinariorum collationem impedire minimè velit, *reservatione*, inquit, *aliaque quavis dispositione authoritate nostra factis vel faciendis non obstantibus quibuscunque.* Et in fine ejusdem §. dicit: *hanc constitutionem ita duraturam, usque dum in futuro Concilio de consensu Nationis Germanicæ aliter fuerit ordinatum*; quòd sanè circa jam dictas bullas haud quaquam factum fuisse constat.

Ad argumenta Brandeni: Resp. Ad I. non esse hic tam quæstionem de potestate reservandi beneficia Germaniæ, quàm de voluntate S. Pontificis, eamque etiam esse circa beneficia Germaniæ sine speciali expressione negamus. Libenter quoque concedimus, à S. Pontifice posse puniri delinquentes, & hæreticos per privationem beneficiorum, at verò reservatio beneficii non punit delinquentem, sed potius intervertit jus ordinarii collatoris, quòd non censetur Pontifex velle in Germania, nisi exprimat. Ad II. dico: stylum curiæ esse aliquid facti, quòd probari debet: Neque satis inter DD. convenit, an & quando stylus curiæ ubique jus faciat. Profectò in his partibus contra stylum Curiæ Romanæ plurima esse recepta vel parum in foro Ecclesiastico versanti constabit. Ipsa quoque publicatio resignationum, & ob eam omissam inducta vacatio & reservatio beneficii an ubique in Germania practicetur, valdè dubito, neque possem testari de exemplo. Ad III. responderi potest, Bullam Sixti V. in effectu esse declaratoriam, quòd circa Ordinarios Galliæ reservatio propter Simoniam locum non habeat; sicut nonnunquam in sacris canonibus jubetur irritari, quòd ipso jure est irritum, vel privari beneficio, qui ipso jure est privatus. Gloss. *in cap.* 1. *in V. relinquenda & in cap.* 3. *de Cler. conjug.* aut absolvi à juramento, qui ipso jure non est obligatus, Gloss. *in cap.* 2. *V. absolvimus X. de Jurejur.* Zoes. *ad Tit. Decr. de Jurejur. num.* 47. ita in præsenti quoque terminis juxta materiæ exigentiam paulò impropriatis dicitur *relaxari*, quod non obligavit antea, seu relaxatum declaretur: Ad correctionem enim Jurium, & multò magis privilegiorum & concordatorum (quibus difficilius derogatur, *arg. c.* 1. *de Constit. in 6. cap. cum ordinem 6. de Rescript.*) evitandam, verba nonnunquam impropriandа sunt, ut cum Abb. Guttiar. & Sanch. tradit Laym. *in Theolog. moral de Legibus cap.* 18. *num.* 6. Ad IV. nunquam concederem, quòd ad effectum reservationis, de que in Extravag. *ad Regimen.* censeatur esse semper privatio in Curia, quando est lata per generalem legem, vel canonem, sed planè opinor sensum Extravagantis esse, si privatio in particulari casu circa determinatam personam in Curia effectuatur. Quis enim nesciet in multis casibus per sacros Canones Romæ latos statui vacationem & privationem beneficiorum ipso jure, quæ tamen reservata non sunt, *c.* 1. *& 3. & ibi DD. de Cleric. conjug. capit. licet Canon.* 14. *de Elect. in 6. cap. in quibusdam* 12. *de Pœnis Extravag. ambitiosa in fine de Rebus Ecclesiæ non alien.* Huc etiam pertinent, quæ de extincta obligatione bullarum non receptarum in Lib. I. in Titulo *de Constitutionibus* §. 4. dicta sunt.

Not. V. Quòd per *Regulas Cancellariæ* diversæ etiam reservationes tum confirmatæ, tum introductæ sint. Et quia cognitio istarum Regularum in materia beneficiali est necessaria, nec apud quosvis authores obvia, ideò aliquæ magis præcipua hic apponam.

§. III.

§. III.

De Regulis Cancellatiæ,

SUMMARIA.

19 Regulæ Cancellariæ *quid, & qualis earum obligatia?*
20 *Regula* 1. *Canc. innovans Extravag.* ad Regimen, & *Extravag.* Execrabilis.
21 *Regula* 2. *reservans beneficia electiva.*
22 *Reg.* 3. *extendens Extravag.* Execrabilis.
23 *Reg.* 4. *reservans primam dignitatem post Pontificalem, & primam in Collegiatis & beneficia familiarium Cardinalium.*
24 *Reg.* 5. 6. & 7. *reservans beneficia Officialium Cameræ Apost.*
25 *Reg.* 8. *reservans beneficia Ecclesiæ Lateran. &c.*
26 *Regula* 9. *disponens de vacatione in mensibus, & ibi aliqua notabilia ad intellectum Regulæ.*
27 *Reg.* 15. *revocatoria Indultorum conferendi reservata, & de quibus Indultis intelligatur.*
28 *Regula* 17. De concurrentibus in data.
29 *Regula* 19. De infirmis resignantibus.
30 *De quibus infirmis intelligenda.*
31 *Quid significent illa verba:* vigore supplicationis dum esset sanus signatæ.
32 *Resignante coram S. Pontif. intra 20. dies mortuo, an beneficium sit reservatum.*
33 *Reg. de infirmis, an procedat extra curiam.*
34 *Reg.* 20. De Idiomate.
35 *Reg.* 21. de non impetrando beneficio per obitum viventis.
Item Reg. 30. De verosimili notitia.
36 *Reg.* 26. De beneficiis vacaturis per promotionem.
37 *An habeat locum in Germania consideratis Concordatis.*
38 *An habeat locum circa illos, quos Archiepiscopus Salisb. promovet ad Episcopatus.*
Reg. 29. De surrogandis collitigantibus.
Reg. 35. De annali possessore.
39 *Reg.* 36. De triennali, *& an suffragetur in petitoris? & an aliquando cum mala fide?*
40 Intrusi, *qui dicantur.*
41 *Reg.* 51. *ut nulli suffragetur dispensatio literis non expeditis.*
42 *Reg.* 55. De exprimendo valore beneficiorum.
43 *Reg.* 57. De expressione qualitatum beneficiorum.
44 *Reg.* 66. De generali absolutione à censuris ad effectum literarum Apostolicarum.
45 *Reg.* 68. *Reservans beneficia aliàs reservata, quæ sede Papali vacante per Ordinarios non fuerunt collata.*
46 *Reg.* 70. & 71. *Quòd Cardinales non comprehendantur sub Regulis, aut Constitutionibus, nec Regulis derogetur, sine speciali mentione.*

19 R*Egulæ Cancellariæ Apostolicæ* sunt certæ constitutiones, quas singuli Pontifices in ingressu sui regiminis circa beneficiales & judiciales causas facere solent, vel à Prædecessoribus factas revocare, augere, vel minuere. Est enim hæc natura Regularum Cancellariæ, ut tantùm ad vitam Summi Pontificis durent, & cum ipsius morte expirent, atque Sede Papali vacante nullam obligandi vim retineant, per text. in *proœm. Regul.* ibi: *quas etiam ex tunc suo tempore*, id est, tempore Pontificatus sui, *observari voluit*. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell.* §. 5. *Proœm. n.* 2. *& seqq.* & hanc esse communem opinionem in praxi receptam, testatur Flam. Par. *de Resignat. lib.* 11. *p.* 2. *nu.* 32. ac proinde sede vacante cesset regulariter beneficiorum reservatio in solis Regulis fundata, sicut reservatio mensium &c. ut infra videbimus. In quo differunt Regulæ ab aliis legibus & canonibus, quorum obligatio est perpetua etiam post mortem legislatoris, usque dum à successore revocetur, vel contraria consuetudine aboleatur, *c. fin. X. de Officio Legati*.

Illud quoque præ aliis legibus speciale habent Regulæ Cancellariæ, quòd ligent statim à tempore, quo à novo Pontifice resumuntur, & confirmantur, etiam nondum publicatæ, ut ex *Proœmio Regularum* colligitur, nimirum quoad effectum nullitatis actus in contrarium gesti, non verò quoad culpam vel pœnam, nisi post publicationem, Æneas de Falconibus *in Tract. de Reservatione p.* 4. *n.* 21. *& seq.* Gonzal. *d.* §. 5. *nu.* 54. qua tamen in re non omnes DD. concordes sunt; alii enim existimant ligare primùm post publicationem. Zerola *in Praxi Episc. V. Regulæ Cancellariæ*. Joan, ChoKier. *in Comment. Proœm. ad Reg. Cancell. nu.* 20. Extenditur verò obligatio Regularum istarum etiam extra Curiam in alias mundi partes per modum generalis legis, ut cum communi docet Gomezius *ad Regulas Cancellariæ q.* 2. Sarnens. *in Proœm. Reg. Cancell. q.* 2.

20 Hæ porrò Regulæ Corpori Juris insertæ non sunt, sed sub singulis Pontificibus noviter imprimuntur. Refert illas Quaranta *in Summa Bullarii. V. Regulæ Cancellariæ*, & Commentarios desuper ediderunt Alphonsus Soto, Sarnensis, Mandosius, Joan, à ChoKier. & alii. Sed quidam non omnes regulas (sunt enim multæ, & 68. numerat Quar. *dict. loc.* Joan, à ChoKier. 70. Alex. PP. VII. 72. posuit) at quasdam tantùm primarias, & celebriores complectuntur. Referam & ego aliquas, præsertim ad præsentem materiam spectantes, & fermè per illa verba formalia, prout apud DD. reperiuntur, qui pleique concordant, nisi quòd subinde in recentioribus Regulis aliquæ novæ dispositiones & clausulæ addantur.

21 In prima igitur Regula summus Pontifex *facit reservationes similes illis, quæ habentur* in Extravag. ad regimen, *ac locum habere vult etiam in beneficiis, quæ Officiales Sedis Apostolicæ ibi expressi, licet ante obitum officiales esse desierint, dum officiales erant, obtinebant.* Reservat deinde etiam *beneficia per* Extravag. execrabilis, *vacantia, aut vacatura; eamque reservationem extendit ad beneficia tam obtenta, quàm obtinenda, de quibus Ordinarii, aliique Collatores contra decreta & formam Concilii* Trid. *disposuerint*,

In II. Regula reservavit generaliter *omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, nec non omnia Monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, & voluit, ut excessus hujusmodi in literis exprimatur. Ac etiam reservavit dignitates & beneficia omnia ad quorumcunque Collatorum sæcularium & regularium (non tamen ad collationem cum alio vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem vel electionem quomodolibet pertinentia) quæ vacant sede istarum collatorum vacante*.. Sed Ista Regula in Germania propter Concordata locum non habet, ut inferius dicemus.

22 In III. Regula quæ inter recentiores ponitur, prohibetur, ne provisi vel providendi per sedem Apostolicam de secundo beneficio incompatibili cum priori valeant prius beneficium in fraudem Apostolicæ reservationis nulla facta de eo expressa mentione coram Papa vel alio resignare, aliàs utrumque beneficium vacare & reservatum censeatur; salvis tamen juribus alterius partis, ad cujus favorem facta esset resignatio summariè exercendis. Vid. text. Regulæ; & quæ superiùs ad Extravag. *execrabilis*; dicta sunt. Videtur hæc regula similis XXVI. *de Beneficiis vacaturis per promotionem*, de qua inferiùs *num.* 36.

23 In IV. Regula (quæ inter antiquiores est tertia) reservavit generaliter dispositioni suæ *dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, Metropolitanis, Patriarchalibus nec non principales in Collegiatis Ecclesiis* (quæ verba intelligenda sunt in sensu distributivo, ut non omnes dignitates, sed in singulis Ecclesiis una, quæ est reliquis major & prima. Gonz. *gl.* 9. §. 4. *n.* 11.) *valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes; nec non Prioratus, Præposituras, & alias dignitates conventuales, ac præceptorias generales Ordinum, non tamen militarium.* Denique *quæcunque beneficia, quæ sui, dum Cardinalis esset, aut aliorum Cardinalium nunc viventium familiares & continui commensales obtinent, & imposterum obtinebunt eorum familiaritate durante, & in quibus seu ad quæ eis jus competit; nisi per obitum Cardinalium, vel aliàs ab ipsa familiaritate recesserint.*

24 In V. VI. VII. reservat beneficia Collectorum, & Subcollectorum, fructuum Cameræ Apostolicæ. Item

Curia-

Curialium, qui dum curia de loco ad locum transfertur, eam comitantes decedunt in loco quantumvis remoto. Item beneficia Cubiculariorum & Cursorum Summi Pontificis.

25 In VIII. reservat beneficia & Canonicatus Ecclesiarum Sancti Joannis Lateranensis, & Sancti Petri, ac Beatæ Mariæ Majoris in Urbe Romana. Item etiam beneficia quæcunque ad dispositionem Cardinalium à Romana Curia absentium (nisi absuerint ob servitium Sedis Apostolicæ cum licentia Sanctitatis suæ, vel apud eorum Ecclesias resederint) spectantia, si durante absentia vacarint.

26 In IX. Regula (quæ olim erat octava, & super ea integrum tractatum scripsit Gonzalez & plures glossas collegit ChoKier, *ad eandem Reg.* 8.) reservavit sibi *omnia beneficia qualitercunque qualificata, in Januario, Februario, Aprili, Majo, Julio, Augusto, Octobri, & Novembri extra Curiam, aliter quàm per resignationem, qualitercunque vacatura, ad quorumcunque dispositionem (non tamen Cardinalium aut aliorum sub certis Concordatis comprehensorum) pertinentia; & voluit in istorum concessione etiam de motu proprio mensis, in quo vacaverint, fieri mentionem, alioquin gratiam vel concessionem nullam esse. Consuetudines verò & privilegia optandi seu eligendi pinguiores præbendas quibuscunque quomodolibet concessas nullatenus vult huic reservationi obstare. Episcopis autem personaliter in suis Ecclesiis residentibus alternativum 6. Mensium ad beneficia conferenda concessit.* Hæc autem *alternativa* universim Episcopis & collatoribus Germaniæ per Concordata concessa est.

Hæc Regula ex communi DD. non habet effectum Sede Papali vacante, ubi Regulis cum vita S. Pontificis sublatis omnes menses Ordinariorum sunt. Gonz. *§.* 5. *progm. n.* 46. *&* 53. si nimirum beneficium vacare inceperit Sede Apostolica vacante; secùs si vacatio contigerit vivo adhuc Pontifice, tunc enim beneficium jam fuit reservatione affectum. Sicut ex Regula 10. Canc. tradit Gonz. *d.* §. 5. *n.* 84. Utrùm autem e converso, si Episcopus beneficium vacans Sede Apostolica vacante tunc non contulerit, possit etiam post assumptionem novi Pontificis conferre? in utramque partem disputat Gonz. *d. l. à n.* 60. & tandem *num.* 72. in affirmativam magis propendet. Videtur tamen hodie obstare Regula 68. Cancellariæ, de qua infra *n.* 45.

Cæterùm mensis incipit à media nocte ultimi diei, & ibidem terminatur, *l. more Romano* 8. *ff. de Feriis c. consuluit* 24. *de Offic. Jud. deleg.* Si dubitetur, an beneficiatus ante, vel post mediam noctem ultimi diei mensis obierit? pro mense Episcopali, & favore Ordinarii præsumendum docet Garc. *de Benef. p.* 5. *cap.* 1. *n.* 528. eò quòd reservationes sint odiosæ, & minus præjudicetur Papæ, qui semper habet concurrentem collationem.

Illud quoque advertendum est, quòd Episcopus non amittat jus conferendi beneficium in suo mense vacans, licet eodem mense non contulerit, sed si vacatio duret in mensem Papalem, poterit etiam ipso mense Papali conferre, quia tantùm attenditur initium vacationis, & Episcopo conceditur terminus 6. mensium ad collationem beneficiorum, *c.* 2. *de Concess. preb.* quo jure privari non debet, atque ita sine dubio tenendum, ait Garc. *d. c.* 1. *n.* 536.

In his novem Regulis reservationes beneficiorum continentur, subsequentes promiscuè alias materias comple-
27 ctuntur, seligam adhuc quasdam circa praxim beneficialem scitu utilissimas.

In Regula XV. (olim 14.) *revocat* Summus Pontifex *facultates & literas, per quas quicumque Prædecessores sui quibuscunq; Collatoribus (non tamen Cardinalatus dignitate fulgentibus) etiam motu proprio concesserunt, ut beneficiis generaliter Papæ reservatis disponere valerent, &c.* Ex hac Regula inferunt aliqui, quòd illa antiqua privilegia quibusdam Capitulis Ecclesiarum Cathedralium à Pontificibus concessa, ut ad majores dignitates post Pontificales (quæ juxta Regulam IV. Cancellariæ & Concordata Germaniæ sunt reservatæ) possint ex suo gremio personam idoneam eligere, sint revocata, nisi eorum renovatio à singulis Pontificibus impetretur. Audivi tamen id apud nonnulla Germaniæ Capitula sic privilegiata receptum non esse, eaque suis antiquis privilegiis insistere. Licet verò singuli Pontifices hanc Regulam, ut novam legem generalem innòvent, potest tamen pro Capitulis allegari textus *in c.* 1. *de Constitut. in* 6. quòd per legem generalem non derogetur particulari consuetudini; nisi quatenùs specialiter in illa lege expressum habetur. Præsertim si talia Indulta in ipsa erectione vel fundatione Ecclesiæ concessa, vel à pluribus Pontificibus confirmata sint, aut finis concessionis fuit favor Religionis & publica Ecclesiæ utilitas, dum nimirum per electionem faciliùs de pastore idoneis qualitatibus prædito providetur Ecclesiæ, quàm per collationem Pontificiam, cui personæ plerumque ignotæ sunt, & faciliùs sub, aut obreptio fieri potest. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 9. *§.* 2. *n.* 20. *v. & multò minus, & n.* 49. *gloss.* 36. *nu.* 71. Garc. *de Benef. c.* 7. *n.* 680. *vers. rectè tamen. Rub. sign. Rot. tom.* 2. *clauf.* 496. *n.* 75. *& n.* 89. *&* 92. Barb. *clauf.* 83. *nu.* 20. *& seq.* Et sanè, si verba in d. Reg. 14. considerentur, videntur tantùm loqui de Indultis temporalibus ad vitam alicujus, vel aliud tempus concessis, non verò de Indultis perpetuis ibi: *ut quamdiu viverent, vel suis Ecclesiis, aut monasteriis præessent, aut ad aliud tempus de beneficiis reservatis disponere valerent, &c.*

In Regula XVII. quæ inscribitur: *De concurrentibus* 28
in data (habent enim istæ Regulæ suas superscriptiones quasi titulos) ordinavit Summus Pontifex, quòd si plures fuerint in Curia Romana supplicantes pro eodem beneficio, & duobus v. g. sit facta gratia de eodem beneficio, & sub data ejusdem diei, *illi, quibus motu proprio conceduntur gratiæ, cæteris simili modo gratias non habentibus, aliàs graduati nongraduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos priùs graduati, nec non colorato saltem titulo possidentes non possidentibus, ac inter personas aliàs in curia præsentes absentibus ab ea, inter præsentes non beneficiati beneficiatis, & similiter inter absentes cæteris paribus oriundus non oriundo, & diœcesanus non diœcesano, in reliquis verò singuli, qui priùs Apostolicas literas super beneficio earum executoribus præsentarint, aliis in assecutione beneficii præferantur.*

Regula XIX. celebris est & famosa, quæ apud quos- 29
dam intitulatur Regula: *de viginti*, apud alios Regula: *de infirmis resignantibus*. Verba Regulæ sunt ista: *Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignarit aliquod beneficium sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, sive ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signata, & postea infra* 20. *dies à die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quavis authoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsum beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.* Ratio hujus Regulæ est, ut excludantur resignationes ab infirmis factæ ad favorem certarum personarum in fraudem ordinariorum Collatorum, quibus inde tollitur libera collatio, vel fraudem habentium à S. Pontifice gratias exspectativas super beneficio proximè vacaturo. Item ne infirmi disponant de beneficiis, sicut de bonis hæreditariis in favorem consanguineorum. Porro circa hanc Regulam plures quæstiones cumulat Mandosius *in Commentario ad eandem*, & Parisius *de Resig. benefic. lib.* 12. *per totum*; aliique Regularum Cancellariæ Interpretes communiter, ex quibus pauculas ad Intellectum Regulæ magis necessarias breviter subnectam.

Quær. I. De quibus infirmis accipienda sit Regula? 30
Resp. Quamvis considerando verba, mentem, & rationem Regulæ videatur esse debere talis infirmitas, ex qua resignans moriatur (quòd non obscurè innuunt illa verba: *si de ipsa infirmitate decesserit &c.*) vel saltem timeat se moriturum, aliàs probabiliter non facturus resignationem. nihilominùs Parisius *d. lib.* 12. *q.* 6. *num.* 6. 8. *& num.* 12. cum aliis ibidem citatis tradit, non distingui, an infirmitas fuerit gravis vel levis, dummodo intra 20. dies post resignationem mors sequatur, adeò ut etiam leviter febricitans, podagricus, mutus, surdus, & similes infirmorum nomine veniant, præsertim propter illa verba recenter Regulæ superaddita: *etiam vigore supplicationis dum esset sanus, signata.*

Sed nisi hæc doctrina praxi Curiæ Romanæ recepta sit, difficulter cum verbis Regulæ consistere potest.

Si

Si enim hoc voluissent Pontifices, nullam in recentiori Regula *de infirmis resignantibus*, & *in ipsa infirmitate decedentibus*, sed solùm de morte intra 20. dies post resignationem contingente mentionem facere debuissent; nec in resignantibus extra timorem mortis constitutis locum habent ratione Regulæ superiùs assignatæ, & aliàs correctio juris veteris non censetur in plus facta, quàm expressa, *l. præcipimus in fine, C. de Appellation.*

31 Quær. II. Quid ergo propriè significent illa verba: *Vigore supplicationis, dum esset sanus, signata?* Resp. Hæc verba habere interpretationem ex stylo Curiæ Romanæ, ubi is est resignationis modus, ut resignans porrigat supplicationem, quæ si placet Summo Pontifici, signatur, seu subscribitur per eum: *fiat ut petitur*: necdum tamen perfecta est resignatio, sed insuper post signationem supplicationis debet resignans in Camera vel Cancellaria per se, aut Procuratorem iterum in resignationem expressè consentire, & juramentum addere, quòd omnia sine fraude acta sint, ut prolixiùs tradit Paris. *de signat. benefic. lib.* 8. *q.* 8. Ad nostrum itaque propositum vult dicere summus Pontifex in Regula *de infirmis resignantibus*; quod infirmitas & lapsus 20. dierum non debeant computari à die porrectæ, aut signatæ supplicationis, sed à die præstiti consensus. Ex quo, ni fallor, satis luculenter apparet, per verba allegata, & à recentioribus Pontificibus Regulæ inserta nihil esse de veteri Regula circa qualitatem infirmitatis in resignante requisitam abrogatum, sed tantùm declaratum, à quo tempore 20. dierum dinumeratio facienda sit. Ratio autem hujus clausulæ noviter inserendæ fuit, quòd aliàs beneficiati resignaturi potuerint facilè regulam, eludere si nimirum sani porrexissent resignationis supplicationem, deinde verò consensum suum præstandum usque ad tempus periculosæ infirmitatis distulissent, ne dici potuisset, resignationem primitus ab infirmo factam fuisse, ut advertit Mandos. *ad hanc Reg. q.* 9. *in fin*, Paris. *d. lib.* 12. *q.* 6. *n.* 6.

32 Quær. III. Cùm vigore hujus Regulæ, & per verba ejusdem finalia resignatio, & quæcunque secuta collatio beneficii sit nulla & invalida, si resignans intra 20. dies moriatur, an ex supposito quòd resignatio facta fuerit coram summo Pontifice (sicut resignationes conditionatæ in favorem certæ personæ tantum coram eo fieri possunt, ut in lib. I. in Tit. *de Renuntiatione* dicitur) beneficium nihilominus maneat Pontifici reservatum, vel possit per Ordinarium loci conferri, si in ejus mense mors extra Curiam acciderit? Hanc quæstionem tractat Paris. *d. lib.* 12. *q.* 10. ubi ait, sententiam affirmantium reservationem esse veriorem & communem, eò quòd per resignationem factam in curia, ibi dicatur vacare beneficium, & consequenter esse reservatum. Item quòd jure & usu receptum sit, ut si Papa *manus apponat* in aliquo beneficio, faciendo de eo dispositionem quamcunque, hoc ipso afficiatur, & reservetur beneficium *DD. ad c. ut nostrum* 56. *de Appellation. c. inter dilectos* 11. *de Excess. Prælator.*

Contrarium tamen docet Garc. *de Benef. p.* 5. *cap.* 1. *n.* 160. cujus opinio mihi videtur saltem ab intrinseco magis probabilis. Principalis enim ratio Regulæ est, ne fraudentur Ordinarii suo jure conferendi, & ut aboleantur successiones quasi hereditariæ in beneficiis, ut notant communiter Interpretes ad hanc regulam, & Mandosius *super ead. q.* 16. *n.* 10. quæ ratio tunc suum pleniùs consequetur effectum, cùm jus conferendi beneficium ad liberum Ordinarii arbitrium redierit. Ad argumenta prioris sententiæ responderi potest, per resignationem factam in Curia induci vacationem in Curia, si resignatio plenum effectum sortita sit, secùs autem, si propter mortem intra 20. dies fuerit annullata, tunc enim beneficium non vacat *per resignationem*, sed *per obitum*, ut expressè in regula habetur: ergo extra Curiam, si obitus extra Curiam evenerit. Quòd verò *de manuum appositione* dicitur, id potest intelligi regulariter extra casum specialem hujus nostræ regulæ, vel alios similes, ubi ex ratione, quæ est anima legis, colligi potest, non fuisse Papæ intentionem per manus appositionem Ordinariis præjudicare. Imò Garc. *d. loc. n.* 154. generaliter docet *manus appositionem* super beneficio resignato non afficere, seu reservare beneficium, si resignatione quavis de causa irrita beneficium posteà vacet per obitum. Potestque hic duci argumentum à majore ad minus: si enim Summus Pontifex actualem collationem fecisset, ea in hoc casu per regulam istam non subsisteret, ergo minùs subsistet manuum appositio, quæ tantùm pars & initium collationis est.

Quær. IV. Utrùm hæc Regula etiam procedat *extra Curiam*, hoc est an locum habeat in resignationibus, quæ fiunt extra Romanam Curiam in aliis mundi partibus coram Episcopis & locorum Ordinariis, ut si resignans intra 20. dies moriatur, ut collatio beneficii resignati interim facta nulla, & cuilibet alteri de novo fieri possit? 33 In hac quæstione diversas DD. opiniones refert Paris. *d. lib.* 12. *q.* 5. & cùm ea aliquando in Rota Romana tractaretur Consiliarios fuisse discordes, ex Cassiodoro narrat Mandos. *d. q.* 16. *n.* 1. tandem autem affirmativam per majora vota prævaluisse, cui etiam subscribit Paris. *d. loc. n.* 8. cum aliis DD. & decisionibus Rotæ ibidem citatis.

Pro negativa, in quam inclinat, & considerandam relinquit Mandosius *loc. cit. n.* 2. & pro ea allegatur Decius *consilio* 224. *n.* 4. plura argumenta adducuntur, quæ tamen possunt summatim ad duo capita reduci. In primis quòd plura verba ponantur in hac regula, quæ tantùm conveniunt resignationibus factis in Curia Romana, neque extra eam usitata sunt, veluti *commenda cesserit*, *dissolutioni unionis consenserit*, *vigore supplicationis signata*, *à die præstandi consensus*. Deinde quòd ratio Regulæ potissimum sit circa *resignationes conditionatas in favorem tertii*, quales non possunt fieri cum effectu extra curiam: cessante igitur ratione, videtur ipsa lex cessare *c. cum cessante* 60. *de Appellat. l. adigere* 6. *ff. de Jurepatronatus.*

Verum pro affirmativa dicitur, quòd Regulæ Cancellariæ etiam extra Curiam obligent, nisi manifestè appareat, materiam non esse practicabilem extra Curiam. Sarnensis *ad Regulas Cancellariæ q.* 2. *Proœmiali*. Item quòd in fine Regulæ addatur, collationem *quavis authoritate factam* esse invalidam; ergo supponitur, resignationem & collationem etiam alia authoritate, quàm Pontificia, & Curiali fieri posse, atque hanc Regulam desuper procedere. Ad propria argumenta in contrarium allata responderi potest. 1. Ex particulari non inferri ad universale, nec sequi, hæc vel illa particula Regulæ non convenit resignationibus extra Curiam, ergò nulla: loquitur enim Regula de qualibet resignatione cujuscunque beneficii, & supradicta verba tantum causa declarationis subjicit, ut legenti patebit. 2. Quod ratio Regulæ non omninò excludatur in resignationibus extra Curiam: licet enim coram Ordinariis non possint fieri resignationes conditionatæ in favorem tertii, quæ ab eisdem Ordinariis ut conditionatæ acceptari valeant, plerumque tamen infirmi resignantes aliis verborum ambagibus & precibus, ac recommendatione certæ personæ idem obtinent. Ad cujus rei pleniorem intellectum videri debent tradita in Tit. *de Renunt.* Potest addi etiam illud juris fundamentum, quod cessante ratione legis publico statuti & utilitati conformis in particulari aliquo casu; non semper cesset ipsa lex saltem in foro exteriori, quando ratio à potiori subest, ut dictum in Lib. I. Tit. *de Constit.* §. 4. Consuetudinem quoque locorum hac in re & dubio jure aliquid operari posse, & attendendam esse, non diffiteor.

Regula XX. est *de Idiomate*, in quo voluit Pontifex, 34 quòd si contingat, tam in Curia, quam extra illam alicui de Parochia, vel alio curato beneficio provideri, provisus autem non intelligat, neque loqui sciat idioma loci, ubi beneficium ejusmodi consistit, provisionem seu mandatum desuper quoad tale beneficium esse invalidum. Quanta autem idiomatis vel linguæ experientia desideretur, Ordinario loci arbitrarium erit.

In Regula XXI. *De non impetrando beneficio per obitum viventis* statuitur, quòd gratia Papalis super beneficio sit invalida, si impetrans in supplicatione falsò narraverit, illud beneficium tempore supplicationis vacare per obitum prioris beneficiarii, nec convalidetur gratia, licet postea beneficium ita revera vacare inceperit. 35

Imò in Regula XXX. *de verosimili notitia* requiritur, ut si beneficium dicatur per mortem vacare, post mortem beneficiarii, & ante datam gratiæ tantùm temporis intercesserit, quo vacatio de loco, in quo beneficiatus mortuus fuit, ad notitiam Papæ verisimiliter potuerit

per-

pervenire, aliàs gratia, seu concessio beneficii nullius sit momenti.

36 In Regula XXVI. *de beneficiis vacaturis per promotionem* (quæ apud antiquiores est XXIV. apud alios XXV.) duo statuuntur. I. Quòd non valeat impetratio beneficii vacaturi per promotionem cujuscunque ad Ecclesiæ, vel Monasterii regimen, si concessio beneficii diem promotionis præcesserit, etsi fuerit facta motu proprio, & cum derogatione hujus constitutionis, Cujus rationem assignat Glossator Alphonsus & cum eo Joan. a ChoKier. *n. 8. & 9.* quòd Papa nimis properè fuerit importunatus pro talibus beneficiis vacaturis. Forsan aliqui etiam electiones, seu promotiones illorum, quorum beneficia sperabant, per fas & nefas procurare studuerunt. II. In hac eadem Reg. constitutum habetur, quod *quæcunque collationes & provisiones beneficiorum, quæ per promovendos, vel assumendos ad quascunque Prælaturas inter illarum vacationis, & hujusmodi promotionis vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis, ubicunque resignari, vel aliàs dimitti contigerit, cum inde secutis pro tempore sint cassa & irrita*. Ratio Regulæ est secundum omnes, ne per talem resignationem, aut dimissionem beneficiorum ante actualem promotionem præjudicetur collationi Papæ, cui per Extravag. *ad regimen.* omnia beneficia promotorum reservantur. Circa quam Reg. plura congessit Flam. Paris. *de Resig. benef. lib. 3. q. 6.* ubi etiam *n. 54.* docet, non procedere contra eum, qui bona fide resignavit ex alia causa, ignorans se promovendum, licet resignarit postquam Prælatura actu vacavit.

37 Præterea hanc Regulam non habere locum, ubi Concordata vigent (sicut in Germania) quia reservatio beneficii resignari ante promotionem non est comprehensa in Concordatis, juxta ea, quæ superiùs *n. 18.* disputavimus, sentit Rebuf. *in Annotat. ad hanc Reg.* Ejusque dictum refert & insuper Decisione Rotali *in una Baderbon. Præpositura*, confirmat Flam. Paris. *d. q. 6. num. 92.* Cui contradicit Branden. *in Tract. super Concord. Germ. q. 9.* & ex eo Joan. à ChoKier. *in Comment. ad nostram Reg. num. 19.* asserens illam Decisionem fuisse per aliam revocatam. Sed magnifacio authoritatem Flam. Parisii, Celebert. Romani Doctoris & publici Juris Can. Professoris, & præterquam quòd una decisio Rotalis, si qua etiam in præsenti supponeretur, non induceret mox legis necessitatem, uti sæpiùs dictum; deinde in illa revocatoria decisione, quam adfert Branden., fuit habita specialis consideratio, quòd Præpositura Baderbon. esset prima dignitas post Pontificalem, adeoque per se reservata, nisi adsint specialia electionis liberæ Indulta, unde non potest argumentum ad alia beneficia desumi.

Nec videtur obstare, si quis objecerit, Regulam nostram non continere novam reservationem, sed esse tantùm declaratoriam reservationis, quæ habetur in Extravag. *ad regimen.* ne fraus fiat collationi Papali: Quia si S. Pontifex voluisset præcisè declarare resignationes ante promotionem in fraudem Extravag. fieri, tunc debuisset ipsas resignationes invalidas pronunciare, quod enim in fraudem legis agitur, invalidum est & nullum. *c. 64. De R. J. in 6. l. non dubium 5. Cod. de LL.* at verò in nostra Regula non sunt irritæ resignationes, sed collationes & provisiones, quæ ab inferioribus Collatoribus super beneficiis ita resignatis fiunt: ergo ipsa beneficia sic resignata S. Pontifex de novo suæ collationi reservavit.

Videndum quoque, an hæc Regula sit in Germania in usu, quia contra eam olim admissa fuit exceptio de non usu. Sicut aliquando fuerunt in Rota examinati plures Officiales, qui attestati sunt, sub pluribus Pontificibus & in tota Hispania hanc Regulam non fuisse usu receptam & resignationes simpliciter admissas absque derogatione hujus regulæ (quod sanè fieri non potuisset, si tales resignationes absolutè in fraudem legis & inde nullæ censerentur) prout refert Paris. *d. q. 6. n. 27.*

38 Demùm planè iterum censeo, hac regula non comprehendi illos, qui per Celsiss. Principem & Archiepiscopum Salisb. promoventur ad unum ex quatuor suis Episcopatibus, quos conferre potest: cùm enim hic nulla sit promotio per S. Pontificem, nulla est promoti beneficiorum reservatio, juxta dicta superiùs ad Extrav. *ad regimen sub n. 56. v. non possum præterire*; ubi nulla est reservatio, nulla possunt dici beneficia per resignationem collationi Papali subtracta &c. & obtinet vulgatum juris axioma, quòd cessante ratione legis cesset ipsa lex, *c. cum cessante 60. de Appell. l. adigere 6. ff. de Jure Patron.*

In Regula XXIX. *de surrogandis collitigantibus* hoc substantialiter continetur, quod si duo super beneficio litigent, & alter ex lite recesserit, forsan propter mortem, aut matrimonii contractum, vel ingressum in Religionem &c. tunc ad succidendam litem datur alteri collitiganti unus mensis, intra quem potest petere *surrogationem*, seu substitutionem in jure, vel ad jus, quod adversario competiit (dummodo collitigans petens surrogationem in dicto beneficio intrusus non fuerit, aut fraudulenter egerit impetrando beneficium senis, aut periculosè ægrotantis, eique litem movendo intentione surrogationis consequendæ, neque adversarius pacificè illud per triennium possederit) & intra hunc mensem non valet gratia, vel concessio super beneficio litigioso alteri, quàm collitiganti facta. Videatur Mandos. *ad hanc Regul. q. 2.*

In Regula XXXV. *de annali possessore* statuit Pontifex, quòd quicunque beneficium Ecclesiasticum tunc per annum præcedentem ab alio pacificè possessum, quod certo modo de jure vacare, & injustè ab alio possideri prætenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, & nobilitatem possessoris, & quot annis in possessione fuerit, ac specificam causam, ex qua clarè constet, nullum dicto possessori jus competere, exprimere, & intra 6. menses eundem ad judicium evocare, causamque ex tunc infra annum usq; ad sententiam definitivam inclusivè prosequi teneatur; alioquin impetrans de damnis propterea contingentibus possessori satisfaciat, & si frivolè eundem molestarit, 50. florenos auri Cameræ Apostolicæ persolvat.

Regula XXXVI. quæ inscribitur, *de triennali posses-* 39
sore; plurimùm etiam notabilis & utilis est. In ea statuit Pontifex, quod *si quis quæcunque beneficia Ecclesiastica absque simonia ingressu ex quovis titulo Apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, & electionis confirmatione, seu præsentatione & institutione illorum, ad quos ista pertinent, per triennium pacificè possederit (dummodo in beneficiis hujusmodi, si Pontifici ex reservatione generali in Corpore Juris clausa reservata fuerint, se non intruserit) super iisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes de beneficiis sic possessis factas irritas esse decernit, lites super illis motas penitus extinguendo.*

Utrùm autem hæc regula in possessorio tantùm suffragetur, non item, quo minus possessor triennalis in petitorio impugnari valeat, dissentiunt DD. Et de possessorio duntaxat non pauci intelligunt cum Cov. *ad Reg. possessor. p. 2. §. 10. num. 10. concl. 6.* eo quòd juxta *Reg. 1. Juris in 6.* beneficium Ecclesiasticum non possit absque institutione Canonica obtineri. Atque ita in suo tempore sensisse Dominos de Rota, testatur Glossator Regular. Cancell. Alphonsus apud ChoKier *in Comment. ad hanc Reg. num. 18.* Verùm probabilius videtur cum Alph. *c. loco* Paul. Laym. *in Th. mor. lib. 4. tr. 2. cap. 14. n. 4.* Rebuf. *de Pacif. poss. num. 10.* Navar. *hoc tit. in 2. edit consil. 30.* quòd si adsit capacitas personæ, bona fides, & titulus justus coloratus, licet in veritate non subsistens, hæc regula convalidet titulum jure præscriptionis, ideoque prosit etiam in petitorio quoad utrumque forum, idque satis probat textus regulæ: si enim triennalis possessor non consequeretur titulum, ejus beneficium semper de jure vacaret, nec esset ratio, cur ab alio impetrari non possit, vel saltem debuisset ei S. Pontifex impetrationem *novæ provisionis* aut rescripti: *etiam & proinde valere:* injunxisse. Item non bene verificarentur illa verba: *lites super illis motas penitus extinguendo*. Nec posset dici *penitus* extincta lis, quæ foret superstes quoad principale punctum scil. petitorium. Ubi ergo textus non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. de pretio 8. ff. de Publician.*

Adde etiam Paris. *De Resignat. lib. XI. q. 24. num. 25. & seqq.* ubi docet, triennalem possessorem defendi contra privationem, quæ infertur ob non publicatam resignationem, vel omissam promotionem intra annum ad ordines illos, quos beneficium requirit, vel per Extrav. *Execrabilis*; ob adeptionem secundi beneficii. Consentit ChoKier *ad eand. Reg. n. 86.* Quando verò dicatur possessor habere titulum coloratum sufficientem ad hanc Re-

gulam

gulam vid. ChoKier *d. l. n.* 85. Gomez. *ad hanc Regul. q.* 27. *& seqq.* Et quòd non prosit Regula circa beneficia unita, Gonzal. *gl.* 5. §. 7. *n.* 8. Garc. *p.* 12. *c.* 2. *n.* 28.

Sed nunquid talis ipso jure privatus, si beneficio insistat; erit in mala fide, vel saltem in errore juris clari & notorii, qui non prodest ad præscriptionem? Resp. Quòd in his casibus non tam agatur de convalidatione tituli, qui ex supposito est verus & validus, quàm de abolitione & extinctione pœnæ privationis, quæ cum ad sui executionem requirat factum hominis, scil. cognitionem causæ ex parte Judicis Ecclesiastici, & dimissionem beneficii ex parte possessoris, non obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, ut cum communi docet Laym. *in Theol. moral. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 15. *num.* 6. Covar. de *Matrim. p.* 2. *cap.* 6. §. 8. *num.* 13. *&* 21. Text. *in c. cum secundum* 19. *de Hæret. in* 6. & proinde possessor beneficii ipso jure privatus, nec contra conscientiam, nec contra jura agit insistando possessioni usque ad judicis sententiam, quæ si per triennium intermissa fuerit, authoritate hujus Regulæ, pœna extincta censebitur. Et generaliter pœnas, licet ipso jure commissas cum mala fide, id est, scientia illius pœnæ, præscribi posse, communis est DD. conclusio teste Barb. *in c.* 2. *de Præscript. in* 6. *num.* 5. Navar. *in Man. cap.* 23. *numer.* 66. Arnold. Rath. *in Tract. de Usucap. cap.* 2. *Assert.* 12. non obstante textu *in dict. cap.* 2. *de Præscript. in* 6. quem interpretatur Barb. *d. num.* 5. procedere in illo speciali casu bonorum ob hæresim amissorum, ubi præscriptio ponitur etiam contra Ecclesiam Romanam, cui illa bona acquiruntur; & admittitur minor, quàm centenaria, scil. 40. annorum, sed tantùm in persona liberorum Catholicorum bona fide possidentium res Patris, qui hæreticus ignorabatur. Ita ut hic bona fides non significet justam retentionem in conscientia, quam filii, imò ipse hæreticus, semper habent ante sententiam declaratoriam, ut præmissum, sed potiùs ignorantiam criminis paterni, quòd si filii sciverint, & non denunciarint, inducunt præsumptionem participationis contra se, & censentur indigni bonorum paternorum.

40 Quòd porro de *intrusis* hic & sæpius alibi dicitur, sciendum est *intrusos* dici, qui propria authoritate absque Canonico titulo beneficium possident. Parif. *de Resig. benefic. lib.* 7. *q.* 1. *n.* 1113. Item magis ad propositum & sensum hujus Regulæ, qui se ingerunt in possessionem, seu administrationem beneficii à Pontifice sibi collati ante expeditionem Bullarum, seu literarum Apostolicarum, ut habetur in Constitutione 4. Julii II. quæ incipit: *Romani Pontifices &c.* quæ quidem Constitutio principaliter loquitur de majoribus beneficiis & dignitatibus, nimirum Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis, & Prioratibus, nec minorum beneficiorum mentionem facit, videtur tamen in Bulla Julii III. *Cupientes*, etiam ad hæc extensio fieri. Et docet Parif. *lib.* 19. *q.* 1. *num.* 20. quòd licet ex communi DD. traditione gratia dicatur perfecta per solam signaturam, quando Papa signat, seu subscribit supplicationem per verbum: *fiat, ut petitur &c.* tamen adhuc ista gratia sit *informis*, & quasi conditionata, antequam ordinaria collationis Bulla desuper expediatur; argumento Regulæ Cancellariæ XXVII. *De non judicando juxta formam supplicationum, seu literarum expeditarum*, in cujus principio talis gratia ante literarum expeditionem *informis* vocatur; ideoque generaliter capiens possessionem ex sola supplicatione signata litteris non expeditis dicatur intrusus, omneque jus, quod in beneficio habet, amittat, & de cætero ad illud obtinendum inhabilis reddatur.

41 Huc etiam facit Regula LI. in qua declaravit Summus Pontifex, quòd nulli suffragari debeat dispensatio per solam signaturam, antequam literæ Apostolicæ super ea confectæ fuerint, eo quòd in supplicationibus multa sæpè inserantur, & petantur, quæ omnia & singula per unum generale verbum *fiat* concedere, non semper est mens Pontificis, cùm in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter non fuisset in specie concessurus, *cap. in generali* 81. *de R. J. in* 6. Utrum autem saltem in foro conscientiæ liceat uti dispensatione ante expeditas literas Apostolicas? dicitur in Lib. V. Tit. XXXIII. *de Privilegiis*.

42 In Regula LV. *De exprimendo valore beneficiorum* statuitur, ut is qui priùs habet beneficium, si novum à Papa impetret, teneatur utriusque beneficii exprimere verum valorem, seu annuos reditus, & idem valor gratiis inseratur, aliàs gratia sit invalida, nisi impetrans priùs beneficium dimittere debeat. Ratio Regulæ est, ut constet Pontifici, an reditus unius Clerici per multiplicata beneficia non nimis, & in aliorum detrimentum augeantur.

Similiter in Regula LVII. *De expressione qualitatum beneficiorum* voluit Pontifex, quod super beneficiis Ecclesiasticis fiat mentio de qualitatibus illorum, videlicet, an dignitates, vel personatus, vel officia sint; item an curata, vel electiva; aliàs gratiæ desuper factæ sint nullæ; quæ qualitates, si non exprimantur, negativa desuper expressè fiat, nimirum, quòd non sit dignitas, beneficium electivum, officium, vel personatus, ut exponit Glossator ibid. Cujus Regul. ratio est, quòd juxta diversas beneficiorum qualitates requiratur etiam major, vel minor qualificatio, & idoneitas in supplicante. 43

Cùm de jure gratiam, vel rescriptum Apostolicum non possit impetrare excommunicatus super alio, quàm excommunicationis articulo, *c.* 1. *de Rescriptis in* 6. Stylus autem Curiæ soleat in literis, seu rescriptis super aliis causis, gratiis, vel beneficiis impetratis inserere absolutionem à censuris, limitatam tamen *ad effectum literarum duntaxat consequendum*, quo consecuto reincidit in censuram, si quam habet impetrans, nisi aliter satisfecerit Ecclesiæ, & absolutus fuerit, ideò ne ob prædictam absolutionem in literis Apostolicis poni solitam, præstetur occasio censuras vilipendendi, & insordescendi in illis, statuitur in Regula LXVI. *de generali absolutione à censuris ad effectum literarum Apostolicarum*, hanc clausulam absolutoriam *non suffragari non parentibus rei judicatæ, incendiariis, violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus literas & supplicationes Apostolicas, illisque utentibus, receptoribus & fautoribus eorum ac res vetitas infidelibus deferentibus, violatoribus Ecclesiasticæ libertatis via facti, ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, & Nuntios vel Executores Apostolicæ Sedis, ejusque officium impedientibus, qui propter præmissa vel aliquod eorum excommunicati à jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis hujusmodi sententiam sustinuerint, & generaliter aliter quibuscunque aliis, qui censuris extra casus enarratos quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorduerint.* 44

In Regula LXVIII. reservat sibi Pontifex omnia beneficia aliàs per regulas Cancellariæ reservata, quæ vacarunt Sede Papali vacante, nec interim per Ordinarios de iis dispositum, seu minus validè dispositum fuit. Est enim hæc natura Regularum Cancellariæ, quòd cum morte singulorum Pontificum expirent, & sede vacante nullam vim obtineant, ac proinde eo tempore beneficia vacantia (nisi per alias constitutiones perpetuas fuerint reservata) Ordinarii rectè conferre valeant, qui hac in re sibi invigilare scient. 45

In Regula LXX. declaratur, quòd Cardinales propter dignitatis prærogativam non comprehendantur sub constitutionibus, aut regulis quibuscunque Papalibus, nisi eorundem favorem concernant, vel ipsæ constitutiones edendæ de eorum Cardinalium vel majoris partis consilio editæ fuerint, seu in eisdem regulis & Constitutionibus facta fuerit ipsorum Cardinalium mentio expressa. 56

In Regula demum LXXI. declaratur, quòd in quacunque constitutione, & quibuscunque clausulis non censeatur derogatum regulis Cancellariæ, nisi facta de illis speciali expressa mentione.

Et hæc circa Regulas Cancellariæ, quantum ad materiam præsentis tituli dicta sufficiant; qui plura desiderat in aliis materiis, reperiet apud Authores, & Regularum Glossatores superiùs citatos, & consultò faciet recentiores semper Regulas à novissimis Pontificibus editas procurando & inspiciendo propter novas clausulas, quæ nonnunquam inseruntur.

§. IV.

De Concordatis Germaniæ.

S U M M A R I A.

47 *De Concordatis Germaniæ.*
48 *Concordata Germaniæ an, & qua ratione sint perpetua, secus ac Regula Cancellariæ?*
49 *Beneficia vacantia in mensibus Papalibus possitne Ordinarius Germaniæ Sede Pap. vac. conferre?*
50 *Concordata restituunt jus electionis Ecclesiis, reservatis tamen primis dignitatibus post Pontificales.*
51 *Concordata dant alternativam mensium.*
52 *Concordata an derogent* cap. statutum h. tit. in 6. & an Extrav. 1. h. t.
53 *Annata de beneficiis qualiter solvenda?*
54 *Concordatis an Papa, præscriptio, vel consuetudo derogare possit?*

47 CUm olim circa Ecclesias & Ecclesiastica beneficia, eorumque collationem frequentes in Germania lites & confusiones essent res per Tractatum & Concordiam inter Nicolaum V. Summum Pontificem, & Fridericum III. Imperatorem aliosque Ecclesiasticos & sæculares Germaniæ Principes tandem composita, & à Nicolao Bulla confirmatoria (quæ in Bullario inter Constitutiones ejus primo loco ponitur) desuper erecta est, cujus substantia consistit in sequentibus punctis.

I. Repetit summus Pontifex reservationes beneficiorum Extravag. *ad Regimen*, quas superiùs sub *notabili quarto* enumeravimus, & per hoc ista Extravagans, quæ primitus fuit tantùm temporalis ad vitam Benedicti XII. lata, hodie est perpetua.

Sed dubitari posset, an ista perpetuatio per Concordata aliquid operetur ultra perpetuationem per Regulam primam Cancellariæ, in qua de eadem Extrav. etiam per singulos Pontifices innovatur? Etenim, ut paulò ante præmisimus, Regulæ Cancellariæ Sede Papali vacante nullam vim habent, consequenter nec Extravag. *ad Regimen.* cujus obligatio in plerisque tantùm ab illis dependet, nisi quatenus concordat cum *cap. præsenti 35. hoc t.*
48 *in 6.* Concordata autem sunt perpetua, nec exspirant morte paciscentium, consequenter videtur inferendum, ut Ordinarii Collatores possent beneficia per Extravagantem, *ad Regimen*, (idem est de beneficiis in mensibus per Regulam IX. vacantibus) reservata conferre Papali sede vacante, id tamen non possint vigore Concordatorum, quæ per mortem Papæ non expirant. Idem etiam dubium moveri potest (ut quæstio hac occasione generaliùs tractetur) de primis dignitatibus post Pontificales in Ecclesiis Cathedralibus, & principalibus in Ecclesiis Collegiatis, quæ in Regula IV. Cancellariæ, & in Concordatis reservantur.

Verùm hic inprimis advertendum est, quòd circa Extravagantem *ad Regimen*; rari casus possint evenire, in quibus dubitatio procedat: nam si beneficia vacent *apud sedem* propter mortem in Curia, aut vicinia, *juxta d. c. præsenti*, reservatio est perpetua, quia *d. c. præsenti*, est constitutio perpetua clausula in Corpore Juris; vacatio autem per privationem, depositionem, muneris, & consecrationis susceptionem, electionis, vel postulationis cessationem, Episcopatus alteriusve dignitatis assecutionem non solet contingere Sede Papali vacante: quia tunc similia non tractantur, sed differuntur post assumptionem novi Pontificis; nisi forsan ponatur, quòd trimestre tempus datum promoto in Episcopum vivente adhuc Pontifice ad retinenda beneficia priùs obtenta, quo elapso vacare incipiunt, *juxta c. cùm in cunctis 7. §. cùm vero de Electione*, elabatur Sede Papali vacante.

Vacatio quidem per obitum Cardinalium, ac aliorum Officialium Sedis Apostolicæ posset evenire eadem sede vacante: sed in Extravag. *ad Romani 14. hoc tit. inter com.* declaratum habetur, quòd etiam ista beneficia censeri debeant jam vivente Pontifice per reservationem fuisse affecta, & istam reservationem etiam post mortem Pontificis durare.

Hanc porrò declarationem eo usque extendunt DD. ut circa effectum reservationis per Regulas Cancellariæ, aliasve temporales constitutiones Pontificum post mortem eorum continuandum, notabilem distinctionem faciant inter reservationes, quæ sunt determinatæ ad certam personam, uti sunt beneficia dictorum Cardinalium & Officialium Sedis Apostolicæ, vel ad certam Ecclesiam, uti præpositura, & primæ dignitates post Pontificales, & principales in Collegiatis: ac inter reservationes, quæ sunt introductæ ratione temporis & mensium Apostolicorum; ut priori casu Regulæ censeantur vivo Pontifice statim habuisse effectum ut ipsa beneficia statim fuerint affecta, & sic etiam post mortem Papæ permanserint, nullumque jus eorum conferendorum Sede Papali vacante Ordinariis competat; secus verò in casu posteriori; quia tunc, cùm sit incertum, in quali mense possessor beneficii sit moriturus, & ipsum beneficium indeterminatum, Regulæ non habent effectum, nisi in ipsa morte beneficiati, quæ si contingat vacante Sede Papali, impedietur dictus effectus, ut porè Regulis jam per obitum Papæ sublatis. Ita docet Gonzal. *ad Regulam 8. Cancell. §. 5. proœmiali num.* 94. Barb. *de Offic. Episcopi p. 2. alleg. 57. sub num. 62.* & plures apud eum citati. Quæ distinctio licet forsan in theoria posset habere difficultatem, quia in dicta Extravagante non videntur comprehendi tot casus, quot isti DD. ponunt, sed tantùm circa beneficia certarum personarum, & quæ reservantur per manus appositionem, & postea subjungitur, quòd hæc constitutio procedat circa beneficia, ut præmittitur (id est in casibus ibi positis & præmissis) reservata, & alias reservationes ampliandæ non sint in præjudicium Ordinariorum, quia tamen videmus passim DD. consentire, & ratio paritatis inter unum & alterum satis est probabilis, volumus tantisper acquiescere.

De Parochialibus autem Ecclesiis specialiter constitutum est *in cap. si Apostolica 35. h. t. in 6.* & pluribus declarat Gonzal. *d. §. 5. à num. 225.* quòd si eas quocunque modo etiam in Curia & apud Sedem vacare contigerit Sede Apost. vacante, libera sit desuper Ordinariis concessa dispositio, ne diuturnior vacatio periculum animarum inducat.

Potissima igitur quæstio remanet de beneficiis sine cu- 49
ra vacantibus in mensibus Papalibus, an eorum reservatio per Concordata ita perpetuetur, ut si contingat vacare Sede Papali vacante, nequeant ab Ordinariis conferri? Non posse conferri existimat Barb. *dict. num. 92. vers. unde infertur*. Sed planè opinor, salva authoritate viri eximii Barbosæ contrarium theoricè dici & defendi posse. Argumentum rationi convenientissimum sumo ex Brandano *super Concordatis Germaniæ q. 12. nu* 14. quòd per Concordata Summus Pontifex non voluerit conditionem Ordinariorum Germaniæ facere duriorem, illisve plus detrahere, quàm Pontifices consueverunt per Regulas Cancellariæ detrahere aliarum Provinciarum Episcopi. Illudque confirmo exinde, quòd nulla fuisset hujus detractionis sufficiens ratio, & incongruè dixisset Nicolaus V. in Bulla Concordatorum in principio, quòd eadem Concordata non tantùm Sedi Apostolicæ, *sed ipsi nationi Germanicæ sint utilia & salubria*, si Natio Germanica suam conditionem præ aliis Nationibus concordando deteriorem fecisset. Jam verò subsumo: sed omnium Nationum aliarum Ordinarii possunt conferre beneficia in mensibus Apostolicis Sede Papali vacante, ut concedunt DD. cum Gonzal. *in §. 5. Proœmio n. 45. & num.* 53. ergo etiam Ordinarii Nationis Germanicæ, ne Concordata, & concessa mensium alternatio in favorem Ordinariorum introducta in eorum odium retorqueatur *contra vulg. c. quod ob gratiam 61. de R. J. in 6.* Hinc quoque in simili docet Brandenus *dict. q. 12.* quòd licet in Concordatis non sit expressum, an beneficia resignata in mensibus Papalibus extra Curiam sint reservata, quia tamen id expressum est in Regulis Cancellariæ, quòd non sint reservata, idem etiam in Concordatis locum habeat. Ad rationem dubitandi, quòd concordata & pacta non extinguantur morte paciscentium. Resp. Id solum procedere eo sensu, ut ista Concordata non indigeant nova resuscitatione, vel confirmatione novi Pontificis, sicut Regulæ Cancellariæ, non verò ut exinde aliquid durius, quàm per Regulas Cancellariæ introductum censeri debeat:

beat; hoc enim non fuit de intentione paciscentium, nec potuisset rationabiliter fuisse; aliàs autem notum est, quòd actus non operentur ultra agentium intentionem, *arg. l. non omnis 19. ff. de Rebus creditis.* Negatur proinde omnino suppositum, quòd reservatio sede vacante aliquando in pactum, & Concordiam deducta fuerit, quia ante Concordata nulla fuit Sede vacante (saltem in casibus Extravag. *ad Regimen.* & Regularum Cancellariæ) reservatio, & per Concordata non apparet expresse introducta. Dices, reservationem mensium v. g. esse factam in Concordatis, & consequenter etiam duraturam sede vacante, sicut ipsa Concordata. Resp. Reservationem non esse noviter in Concordatis statutam, sed tantùm in Concordatis, & quidem ad eum prorsus modum, quo priùs ex parte S. Pontificis in usu, & vigore fuerat, scilicet Sede impleta, non vacante.

Confirmat prædicta, quod in formalibus terminis docet Gonzal. *gloss. 25. nu. 9. & seqq. cum citatis ibidem.* nimirùm Concordata Germaniæ, cum reducant ad jus commune, esse favorabilia, ac plenissimè in ordinariorum favorem, & contra Concedentem interpretanda, præsertim quia facta fuere causa unionis, & tranquillitatis inter Ecclesiam Romanam, & Principes tam Ecclesiasticos, quàm sæculares, & propterea sint favorabiliora indultis Cardinalium.

50 II. In his Concordatis Germaniæ *§. item placet nobis,* concedit Summus Pontifex omnibus Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Monasteriis liberam Prælati electionem; confirmationem verò in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Monasteriis exemptis sibi indistinctè reservat, cum plenitudine potestatis, aliquando loco personæ electæ aliam digniorem, & utiliorem substituendi, ex causa tamen rationabili, & evidenti, ac de Cardinalium consilio. Addit præterea Pontifex, quòd præsentationes electionum à Sede Apostolica confirmandarum expectare velit juxta tempus, & modum determinatum *in c. cupientes 15. de Electione in 6.* Quòd si intra id tempus præsentatæ non fuerint, vel præsentatæ minùs Canonicæ, jus providendi Ecclesiæ ad Summum Pontificem devolvetur.

Hinc patet, quòd S. Pontifex in hoc articulo partim accesserit ad jus commune, restituendo scil. Ecclesiis jus eligendi Prælatum, quod priùs habebant juxta totum Tit. VI. *de Electione,* & tantùm per Regiam secundam Cancellariæ (de qua superiùs dictum) emiserunt: partim verò à jure communi recesserit, de quo confirmatio electionis, & electione irritata provisio Ecclesiæ gradatim per modum appellationis ad proximum superiorem, nimirum electio Episcopi ad Archiepiscopum, Archiepiscopi ad Patriarcham spectabat *c. nihil est 44. de Elect. c. quamquam 18. eodem tit. in 6.*

Reservat quoque S. Pontifex in hoc §. ad finem, Majores dignitates post Pontificales in Cathedralibus, & principales in Collegiatis; quæ reservatio est quidem conformis Regulæ IV. Cancellariæ, sed non tam extensa, nec comprehendens alias dignitates Regulares, de quibus in d. Reg. neque ulla in Concordatis fit mentio de Regula, vel tota ejus innovatione.

51 III. In *§. placet etiam nobis.* promittit S. Pontifex quòd *per quamcunque aliã reservationem, gratiam expectativã, aut quamvis aliam dispositionem* nolit impedire, *quo minus de beneficiis, & dignitatibus inferioribus quibuscunque, cùm vacabunt in Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, & Decẽbri liberè disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsẽtatio, electio, seu quavis alia dispositio pertinebit, reservatione, aliave quavis dispositione authoritate Apostolica factis, vel faciendis non obstantibus quibuscunq;*

Quoties verò aliquo vacante beneficio in Januario, Martio, Majo Julio, Septembri, & Novembri, mensibus specialiter Sedi Apostolicæ reservatis, non apparuerit infra tres menses à die vacationis nota in loco beneficii, quòd alicui de illo Apostolica authoritate provisum sit, ex tunc & non antea Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, liberè conferre, & disponere poterit.

In hoc igitur §. dum alternativa beneficiorum collatio inter S. Pontificem, & Ordinarium statuitur, derogatur quidem Juri communi, ubi ratione mensium beneficia reservata non reperiuntur, in eo tamen hæc derogatio etiam favorabilis est, quòd reservationes incertæ, & gratiæ expectativæ, quibus aliquibus jus dabatur ad primum beneficium vacaturum, quæ olim valdè frequenter ordinariam collationem impediebant, è medio sublatæ sint, & ita S. Pontifex latissimam suam potestatem conferendi beneficia totius mundi *juxta c. 2. h. t. in 6. & c. si Papa 16. §. si autem de Privileg. in 6.* in gratiam Germanorum intra certos quasi limites restringere voluerit: item quòd Regula IX. Cancellariæ, quæ tertio tantùm mense Ordinariis potestatem conferendi beneficia concedit, in Germania locum non habeat.

Specialiter autem super illo puncto *trium mensium,* intra quos juxta istum §. debet fieri collatio Papalis, emanavit declaratio Gregorii XIII. in Bulla: *Quæ in Ecclesiam &c.* quòd non statim valitura sit collatio Ordinarii, si intra tres menses de provisione Papali non constiterit, sed tunc demùm, si intra illos tres menses omninò provisum non fuerit. Quamvis enim ex eadem Declaratione provisus Papalis intra dictos tres menses suam provisionem ordinario notificare, & in loco beneficii publicare teneatur, si commodè possit, & temporis angustia non coarctetur, facilè tamen contingit, ut ob locorum distantiam vel provisionis dilationem id fieri nequeat, & sic provisio Papalis suo effectu destitueretur. Videatur Gregor. Branden. *super Concordatis Germaniæ post q. 12. not. 1. n. 6. & not. 2. n. 4 & 5.* & quæ diximus Lib. I. Tit. III. *De Rescript. n. 23.*

Sed hic insignis aliquando mota erat quæstio, an per hunc locum Concordatorum, ubi trimestre collationi Papali præscribitur, abrogatum censeri debeat *c. statutum 3. h. t. in 6.* ex quo habetur, quòd nisi S. Pontifex beneficia vacantia in Curia, & propterea reservata *intra unum mensem numerandum à die vacationis* contulerit, illi, ad quos eorundem beneficiorum aliàs spectaret collatio, valeant ea (tantummodo autem per se ipsos, vel ipsis agentibus in remotis, per suos Vicarios generales cum speciali ad hoc mandato) conferre? Dubium istud apud DD. hactenus non reperi decisum, in facti tamen contingentia respondi, inhæreri posse generali juris Regulæ, quòd correctio jurium sit strictè accipienda, & facta in uno casu non sit trahenda ad alterum, ubi assignari potest diversitatis ratio, *vulg. l. præcipimus in fin. C. de Appell. c. cùm expediat. de Elect. in 6.* jam verò cùm textus Concordatorum statuendo tempus trimestre loquatur tantùm de reservatione mensium, nec in primo §. ubi de aliis reservationibus tractat, alicujus temporis ad conferendum meminerit, meritò dicendum est, eas sub dispositione juris communis & *dicti c. statutum*; reliquisse. Diversitatem autem rationis circa beneficia vacantia in mensibus Papalibus, & alia vacantia in Curia, hanc adstruere possumus, quòd beneficia vacantia in mensibus vacant in Germania, & locis remotis, cujus vacationis notitia non statim ad Papam defertur, ideoque longiori tempore ad conferendum indiget. At verò vacatio in Curia incipit Romę, & ibi omnium primò innotescit, ut quia aliquis Romæ moritur, vel beneficio privatur, aut ad aliud promovetur &c. quemadmodum superiùs explicatum. Inde est, quòd S. Pontifex faciliùs potuerit circa beneficia in Curia vacantia collationis terminum sibi abbreviare. 52

Controvertunt quidem DD. *an d. c. statutum h. t. in 6.* quatenus terminum *unius mensis* collationi Papali præfigit, etiamnum hodie procedat, vel abrogatum censeri debeat per *Extravag. 1. & Extrav. ad Regimen. 13. hoc t. inter com.* ubi indefinita statuitur reservatio, & abrogantur omnes aliæ constitutiones, quatenus possunt istis obstare: unde & abrogatum esse docet Garc. *de Benefic. p. 5. c. 1. n. 89.* cum aliis eo loco citatis.

Verùm cùm Extravagantes citatæ nullam prorsus mentionem faciant de illo *c. statutum*; quod est constitutio Conciliaris lata in Concilio generali Lugdunensi, cui non derogatur sine speciali mentione, teste Sanch. *de Matr. lib. 3. disp. 26. n. 7. arg. c. nonnulli 28. ubi DD. de Rescript.* Ideò non desunt Authores, qui magis, & probabiliùs in favorem Ordinariorum inclinant, existimantes, rectè defendi posse, adhuc hodie esse locum prædicto *c. statutum.* ut nisi Papa *intra mensem* contulerit beneficium vacans in Curia, & reservatum, manus Ordinarii Collatoris amplius ligatæ non sint. Gloss. *in d. c. statutum.* Quaranta, *in Summ. Bullar. v. beneficii reservatio in additione vers. controvertit.* Barb. *de Off. Episc. alleg. 57. n. 24 vers. debitam.* Neque illa verba *in d. Extravag. 1. h. tit.* posita:

qua apud eandem sedem intra unum mensem à data præsentium hactenus in Curia *vacaverint, computandum, & qua ex nunc apud eā vacaverint, in futurum reservamus &c.* clarè evincunt correctionē *d. c. statutū*; quia in hac Extrav. S. Pontifex nullo verbo instituit quæstionem, & consequenter nec intendit decidere, intra quantum tempus hæc beneficia reservata per sedem Apostolicam conferenda sint, sed tantùm, quòd ea apud sedem vacantia suæ collationi reservet, cui reservationi nihil præjudicat terminus unius mensis ad conferendum. Illa porrò verba: *qua intra unum mensem à data præsentium hactenus vacaverint &c.* id solùm specialiter constituunt, quod cum aliàs leges ordinariè soleant tantùm futuris negotiis prospicere, & nonnisi post certum tempus obligare, hæc Extravagans suam obligationem, vim, & effectum non tantùm habuerit mox à die *data*, sed etiam retrò per spatium *unius mensis*. Dices, non fuisse opus, solam reservationem beneficiorum apud Sedem vacantium statuere, quæ jam prius fuit statuta *in c. 2. h. t. in 6.* Existimo planè, hac objectione non paucos fuisse persuasos; sed advertendum est, quòd illa Extravag. licet in Corpore Juris sit posterior, in tempore *data* autem sit longè anterior Libro Sexto Decretalium, quia fuit data anno I. Pontif. Bonifacii VIII. ut ex subscriptione apparet, compilatio verò Sexti facta anno quarto ejusdem Pontificis teste Barb. *ad d. c. statutum, num.* 2. qui utique non inseruisset in Sextum illud *c. statutum*, si fuisset per se ipsum abrogatum, Et licet reservatio *cap. 2. h. t. in 6.* jam fuerit lata sub Clemente III. tamen non est novum, ut sequentes Pontifices reservationes suorum Antecessorum confirment, sicut ex Regulis Cancellariæ docemur, ac tempore Clementis III. atque ante compilationem Sexti fuit illa constitutio quædam tantùm Extravagans, & paucis forsan cognita, unde expediebat, per Bonifacium VIII. innovari. Quòd demùm *d. Extrav. 1. h. t.* in Corpore Juris sit posterior, nihil ad rem facit: quia Extravagantes, cum nullius Pontificis authoritate compilatæ sint, debent referri ad suos authores, & tempus, quo datæ sunt.

IV. In *§. placet similiter*, declarat Summus Pontifex, qualiter *annata*, sive fructus primi anni de Ecclesiis Cathedralibus, & Monasteriis virorum scilicet exemptis à die vacationis Ecclesiarum juxta summam pecuniæ in Camera Appostolica taxatum solvi debeant; nimirum ut pro media parte infra annum à die, quo novus Prælatus possessionem pacificam totius, vel majoris partis Ecclesiæ, & rerum ad eam pertinentium adeptus est, & pro alia medietate intra annum sequentem solvantur. Quòd si contingat eandem Ecclesiam intra annum bis vacare, taxa tantùm semel debeatur, nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia, vel Monasterio transeat.

De cæteris verò dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis sæcularibus, ac Regularibus quibuscunque, quæ authoritate Sedis Apostolicæ (præterquam vigore gratiarum expectativarum, aut causa permutationis conferrentur) solvantur annatæ, sive medii fructus juxta taxam solitam à tempore possessionis intra annum, & debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat, idest, si antecessor in beneficio taxam non solvit, successor ejus pro sua tantùm, non pro antecessoris taxa conveniatur. Concedit quoque Summus Pontifex in hoc *§.* ut si quæ Ecclesiæ excessivè taxatæ sint, possint desuper à Sede Apostolica in partibus peti commissarii, qui taxam earundem Ecclesiarum juxta qualitatem rerum, temporum, & Regionum moderari, & attempetare valeant.

54 Demum in hoc, & præcedenti *§.* subjungitur, quòd ista Concordatorum ordinario semper duratura sit, nisi in futuro aliquo Concilio de consensu Nationis Germanicæ aliter fuerit ordinatum.

Unde passim in dubium vocant DD. an S. Pontifex saltem de plenitudine potestatis valeat Concordatis absque Nationis Germanicæ consensu, & extra concilium generale derogare. Ratio pro parte affirmativa sine hæsitatione (ut putat Brand. *loc. cit. q.* 8.) concludendi videtur, quòd plenitudo potestatis Pontificiæ nullis legibus adstringatur, *l. princeps 21. ff. de LL.* & S. Pontifici tanquam supremo Christi in terris Vicario libera sit, & plenissima dispensandi, ligandi, & solvendi facultas: atque hæc concordata ex parte S. Pontificis contineant meram gratiam Germanis concessam, cùm aliàs beneficiorum quorumlibet plenissima dispositio ad ipsum pertineat *c. 2. h. t. in 6.* gratia autem & privilegium subditis gratuito concessum iterum arbitrio concedentis revocari possit, teste Gloss. *in reg. 16. jur. 6. v. mansurum*.

Attamen cum Concordata (sicut ipsum nomen præsefert) non sint simplex gratia, aut privilegium motu proprio, & merè gratuitò concessum, sed vera pactio & promissio utrinque acceptata, habens expressam clausulam de non revocando adjunctam, & cum onere ex parte Germanorum, quòd nullum jus conferendi Mensibus Papalibus, aliisque ibidem exceptis casibus (ut ut illud fortassis ante Concordata possiderent) imposterum prætendere, & taxas Cameræ Apostolicæ fideliter solvere velint, cujusmodi Concordiæ etiam naturali jure obligant, *l. 1. ff. de Pactis*, & nomine Ecclesiæ, & dignitatis, præsertim cum consensu Capituli sive Cardinalium (ut in præsenti) factæ etiam in successorem transeant, quemadmodum in Tit. *de Transactionibus* dicitur, ideò non crederem, S. Pontificem facilè eò adducendum, ut his Concordatis extra Concilium generale, & sine consensu Nationis Germanicæ derogaret, nisi ex publica & gravissima causa, ex qua Principi concessum est, jus alteri quæsitum aufferre. Aliàs autem Principem etiam de plenitudine potestatis suæ non eximi, quo minus pacta, utpotè juris naturalis, servare teneatur, communis est sententia: & privilegia per modum pacti concessa absque graviori causa revocari non posse tradit Paulus Laym. *in Theolog. mor. de LL. c. 22. sub n. 25.* Qualiter item plenitudine potestatis absque publica, & necessaria causa uti non debeat Princeps in Lib. I. in Tit. *de Majorit. & obed.* explicavimus. Pariter in eodem Lib. I. in Tit. *de Constit.* textum *in l. Princeps ff. LL.* ubi Princeps legibus solutus esse pronunciatur, interpretati sumus, procedere secundum vim coactivam, quatenus summus Princeps à nullo alio superiore, quem in terris non agnoscit, cogi possit; non verò secundùm vim directivam, seu dictamen rectæ rationis, ex quo quisque id juris, quod in alterum statuit, ipsemet servare debet, & Princeps legibus præsertim in jure naturali fundatis (nisi publica causa contrarium suadeat) morem gerere, veluti rescriptum est *in l. 4. C. de LL. dignam esse vocem majestate regnantis, legibus se alligatum Principem profiteri, & majus Imperio submittere legibus principatum.* Idem planè in hac Concordatorum Germaniæ materia eleganter docuit Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 28. n. 51. & seqq.*

Quidquid demum sit de *potestate* Summi Pontificis, cui nihil omninò derogare intendimus, de *voluntate* ejus satis convenit, quòd nunquam censeatur uti velle plenitudine potestatis, & Concordatis, suæque promissioni demere, nisi specialem, & expressam Concordatorum, ac justæ causæ mentionem faceret, ideoque rescriptum impetratum adversus Concordata sine hac mentione subreptitium & invalidum censeri deberet *arg. cap. cum ordinem c. 6. nonnulli 28. & ibi Gloss. V. fecerit mentionem, de Rescript.* Non obstat text. *in cap. dudum 14. §. not igitur hoc tit. in 6.* quia dum ibidem Summus Pontifex Legato suo potestatem dedit conferendi beneficia resignata, & vacantia intra terminos suæ legationis, illa fuit simplex gratia, non veto pactum, & concordia, neque etiam habuit illas clausulas & promissiones, quæ in nostris Concordatis ponuntur, quò nimirùm per nullam aliam reservationem, vel dispositionem quamcunque, aut revocationem collatio Ordinariorum Germaniæ vigore Concordatorum ipsis attributa impedienda sit.

Quid verò è contrario dicendum, ante Germanis præscriptio, vel exceptio *de non receptis Concordatis*, vel quòd in usu non sint, suffragari poterit, quo minùs in aliquibus punctis ad Concordata teneantur, ut v. g. certa beneficia, quæ aliàs vigore Concordatorum essent de collatione Papali, Ordinarii Germaniæ citra speciale privilegium conferre valeant, & recipientes in conscientia tuti sint, si ab antiquo & præsertim tempore immemoriali constanti usu talia beneficia solita fuerint ab Ordinariis etiam post Concordata conferri? Nihil omninò Germanis hac in parte Brand. concedit *d. tr. super Conc. German. q. 2. & seq.* non quidem præscriptionem: quia propter decretum irritans (id est clausulam omnes contrarios actus irritantem) in Concordatis appositum deficit bona fides, titulus, & pos-

& possessio; substantialia præscriptionis requisita, eaque de causa Clementem VII. declarasse refert, recipientibus beneficia contra Concordata non prodesse Regulam: *de annali, vel triennali*; quas Regulas superiùs inter Regulas Cancellariæ descripsimus; non etiam exceptionem: *de non receptis Concordatis*, vel sublato usu eorum: quia ex textu Concordatorum appatet, ea fuisse à Germanis recepta, & acceptata, & redarguendos potiùs, quàm juvandos esse subditos legem superioris non recipientes, probatur per *c. si decreta* 2. *dist.* 20. ubi Nicolaus Papa, *si decreta*, inquit, *Romanorum Pontificum non habetis, de neglectis atque incuria estis redarguendi; si verò habetis, & non observatis, de temeritate estis corripiendi*.

Verùm licet ipse putem, tutius fore, Concordata undequaque observare, & hactenùs forsan ob incidentes & latè grassantes hæreses intermissa denuò in usum deducere; interim tamen planè opinor ordinarios collatores, & beneficiatos satis probabilibus argumentis per præscriptionem & consuetudinem excusari posse, supposita illa pacifica continua, & longissima maxima immemorialis temporis possessione.

Enimverò circa *præscriptionem* duo notissimi juris sunt, in primis quòd præscriptio saltem centum annorum, vel immemorialis etiam contra Sedem Apostolicam procedat *c. ad audientiam* 13. *c. cum vobis* 14. *& c. si diligenti* 17. *de Præscript. authent. quas actiones C. de SS. Ecclesiis*. Deinde quòd ea, quæ privilegio, regulariter etiam præscriptione tanti temporis, de cujus initio non extat memoria, valeant acquiri. Text. & DD. cum Gloss. *in c. super quibusdam de V. S.* Quod autem opponitur decretum Irritans inficere titulum, & possessionem, id universaliter verum esse nullo sufficienti Juris textu probatur: nam & constitutiones, in specie Extravagans: *Ambitiosæ. de Rebus Eccles. non alienandis; inter Comm.* habent decreta irritantia actus contrarios, & tamen DD. passim præscriptionem bonorum Ecclesiasticorum admittunt. An summum ergo dictum decretum, & allegata declaratio Clementis VII. locum habere posset in possessione modici temporis, veluti annali, vel triennali, in qua vix contingit, ut quis justam habeat decreti ignorantiam, si nimirum ponatur casus, quòd alicui beneficium contra Concordata collatum fit in Diœcesi tali, ubi de cætero integra Concordatorum observatio est: nam & aliàs non pauci DD. volunt, tantùm errorem facti, non verò errorem juris notorii effectum Regulæ de triennali operari, uti docet Laym. *in Theol. mor. de Ecclesiast. beneficiis cap.* 15. *n.* 5. Secus verò se res habet in possessione longissimi temporis, ubi vel titulus non requiritur, ut in immemoriali, vel si requiritur, saltem titulus *pro suo* allegari potest, quando ordinarii Prælati sibi invicem successerunt, & jura ab Antecessoribus suis in se derivata bona fide (quam etiam de illis suis Antecessoribus præsumere poterant) Summo Pontifice, vel Legato ejus nec quidquam contradicente retinuerunt *arg. l. fin. ff. Pro suo* Gloss. *in cap. de quarta* 4. *in V. tueri X. de Præscript.*

De *Consuetudine* pariter incognitum non est, quòd ea tempore immemoriali, vel nonnunquam spatio duntaxat 40. annorum continuata vim habeat legibus positivis etiam Canonicis, seu ecclesiasticis derogandi *tot. t. de Consuet.* Textus portò in *d. c. si decreta dist.* 20. rectè procedit, antequam legitima consuetudo sit introducta, ut tunc superior subditos ad legis observantiam cogere valeat: quæ instantia, & coactio superioris adversus transgredientes, vel omittentes leges suas, si cesset, interim tempus ad introducendam consuetudinem sufficiens effluat, perit obligatio legis, aliàs si continuò locum haberet, quòd *in d. c. si decreta*; dicitur, Titulus *de Consuetudine* prorsus aboleri debet. Videantur, quæ de receptione, & abrogatione legum in Titul. *de Constitut. ad fin.* & in Tit. *de Consuetud.* traduntur.

Hæc hactenus de Concordatis Germaniæ, & universim de reservationibus beneficiorum. Ulterius circa collationem Papalem sit.

§. V.

De actuali collatione S. Pontificis.

SUMMARIA.

55 *Collatio Papæ motu proprio qualiter differat ab ea, quæ sit ad supplicationem.*
56 *Rescriptum*: etiam & perinde valere.
57 *Provisio & mandatum quid, & qualiter different?*
58 *Mandati Apostolici termini strictè observandi: variis exemplis declaratur.*
59 *De signatura, Data ac expeditione literarum Apostolicarum.*

Notandum I. Quòd multùm intersit, an Summus Pontifex alicui conferat beneficium ad ejus supplicationem, vel an *motu proprio*: nam quæ non aliter quàm ad petitionem, seu supplicationem alicujus conceduntur, cùm juris interpretatione censeantur sæpere aliquam ambitionem, non sunt favorabilia, sed restringenda *c.* 4. *h. t. in* 6. unde si ad petitionem alicujus Pontifex simpliciter mandet illi provideri de beneficio, tale rescriptum tantum de beneficio simplici intelligendum erit, non verò de curato, multò minùs de electivo, aut Canonicatu Ecclesiæ Cathedralis *d. c.* 4. *& c. in illis* 16. *h. t. in* 6. Motu autem proprio tunc à Summo Pontifice beneficium conferri dicitur, quando id in rescripto exprimitur, & clausula: *motu proprio*; litteris Papalibus inseritur, licet forsan Beneficiatus pro tali Rescripto supplicarit *c. si motu* 23. *h. t. in* 6. Pet. Rebuf. *in Praxi benef. in Tit. de Signatura gratiarum* 18.

Habet porro hæc clausula: *motu proprio*, duos notabiles effectus. Primus est, ut si alicui mandet Papa provideri de beneficio aliquo in diœcesi vacante, & eo tempore plura vacent, hoc casu conferri debeat id, quod majus, & pinguius est: quòd si æqualia propè sint beneficia, electionem habebit intra decem dies is, qui rescriptum obtinuit *c. si pluribus* 24. *h. t. in* 6. Econtra si ad petitionem alicujus sine præfata clausula jubeatur conferri beneficium, vi talis rescripti beneficium minoris valoris, vel si æqualia sint, quod elegerit Ordinarius, impetranti conferre debebit *d. c. si pluribus*; nam in beneficiis, quæ *motu proprio* conceduntur, locum habet regula, quòd in beneficiis interpretatio sit latissimè facienda *dict. c.* 4. *h. t. in* 6.

Alter effectus clausulæ est, quòd rescriptum *motu proprio* non reddatur invalidum, nec censeatur subreptitium, tametsi nullam faciat mentionem beneficii præhabiti *d. cap. si motu & Clement. si Romanus 4. eodem tit.* At verò in rescripto simpliciter ad petitionem dato, si aliquod beneficium præhabitum qualecunque, & utcunque minimum reticeatur, censebitur subreptitium & vires nullas habebit *d. c. si motu*. Interim tamen clausula: *motu proprio*, sicut & clausula: *non obstante, quod aliud beneficium obtinere noscaris &c.* per se non operatur dispensationem super pluralitate beneficiorum incompatibilium, nisi illis in super verbis S. Pontifex expresserit, sed operantur tantum, quòd gratia Papalis non debeat subreptitia, & inutilis censeri *c. non potest* 21. *in fin. h. t. in* 6. *& ibi* Barb. *in Collect. n.* 5. Covat. *in c. alma mater p.* 1. *§.* 7. *n.* 2. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gl.* 15. *n.* 27. *& seq.*

Notandum II. Si quis dubitet, provisionem Papæ ex aliqua causa impugnari posse, vel eandem ob: aut subreptitie, id est, per falsi narrationem, aut veri occultationem obtinuerit, quòd tali casu beneficio tanquam nulliter impetrato salva conscientia frui nequeat, nisi aliud novum rescriptum à S. Pontifice impetrarit, quod Practici vocant Rescriptum, *etiam, & perinde valere*; in quo Summus Pontifex priorem gratiam confirmat, ac ratam habet, perinde ac si impertans ab initio omnia narranda plenè & debitè narrasset. Maximus effectus hujus Rescripti est, quòd faciat valere gratiam à tempore primæ impetrationis, & sic etiam illi fructus, qui ab eo tempore percepti sunt, tuta conscientia retineantur, dummodo de perceptione fructuum quoque in impetratione posterioris Rescripti, *perinde valere*, mentionem fecerit supplicans; qua de re videri poterit Pet. Rebuf. *in Praxi beneficiorum in tit. de Rescripto: etiam & perinde valere.*

57 Notandum est III. Quòd aliud sit *provisio Papæ*, & aliud *mandatum de providendo*. Provisio est actualis collatio certi, & determinati beneficii, ex qua proviso statim jus acquiritur.

Si in aliqua Ecclesia Cathedrali certus tantùm numerus Canonicorum habeat præbendas & fructus; reliqui dicantur exspectantes, ut apud plures Ecclesias in Germania moris est, tunc si S. Pontifex alicui in tali Ecclesia conferat Canonicatum, is omnibus aliis posteriùs similer canonicatus impetrantibus in assecutione præbendæ, & fructuum præferendus erit, licet posteriores priùs Ordinario litteras præsentarint, vel in Canonicos recepti sint: nam in litteris gratiæ, quæ dantur ad beneficia, non attenditur tempus *præsentatæ*, sed tempus *datæ*, ex quo statim alicui jus quæsitum est, neque valet collatio talis præbendæ alteri facta licet ex ignorantia mandati Apostolici *cap. cum cui 7. & c. si postquam 14. hoc tit. in 6*, & diximus in Lib. I. in Tit. III. *de Rescript.*

Solent Practici *provisionem* aliam appellare *simplicem*, quæ communiter datur in beneficiis: & aliam provisionem *novam*, quando quis ab inferiore collatore, scilicet Episcopo, vel alio Prælato accepit beneficium nulliter, & invalidè, vel ob reservationem beneficii, vel ob aliquem defectum per Papam dispensabilem, tunc si Papa dispenset, aut suppleat defectus, concedatque beneficium retineri, dicetur rescriptum Papale expeditum in forma *novæ provisionis*. Quando verò ab ipso Papa nulliter impertatur beneficium, non datur nova provisio, sed rescriptum, *perinde valere*, ut præmissum. Videatur Rebuf. *in Praxi benefic. in tit. de Forma novæ provisionis*. In privilegiis quoque, & indultis conferendi beneficia reservata solet inseri clausula, ut illi, quibus à privilegiato, seu Indultario conferuntur beneficia excedentia certum & ibidem expressum valorem annuum in Camera Apostolica taxatum, teneantur à S. Pontifice intra proximos determinatos menses novam provisionem impetrare.

Mandatum de providendo est, quando S. Pontifex suas litteras dirigit ad Ordinarium, vel alium, eique mandat, ut alicui clerico de beneficio plerumque indeterminato, tunc in diœcesi vacante, vel proximè vacaturo provideat.

58 Not. IV. Quòd hujus Mandati Apostolici fines, & termini diligenter observandi sint, ne mandatarius plus faciat, quàm sibi in rescripto demandatur. Unde si Pontifex mandet, ut Clerico provideatur de beneficio proximè vacaturo, & ille Clericus negligenter omiserit petere beneficium, quòd primo vacare cœpit virtute hujus rescripti non poterit ei deinde aliud proximè vacaturum conferri, quia de primo tantùm vacaturo intelligitur, nisi tamen fuerit jam ante receptus in Canonicum expectantem alicujus Ecclesiæ Cathedralis, cui hoc ipso debetur præbenda quandocunque vacatura, vel nisi ex justa ignorantia, vel impedimento petitionem omiserit *c. si Clericus 11. h. t. in 6.*

Item per mandatum simplex de beneficio civitatis non intelligitur beneficium Ecclesiæ Cathedralis, nisi ejusdem mentio fiat, vel mandetur de beneficio Provinciæ, *c. quamvis 4. eodem tit. in 6.* neque beneficium curatum, neque electivum, sed simplex; & si mandetur provideri de beneficio, quod ad alterius collationem pertinet, non procedet mandatum, si beneficium pertineat ad alterius institutionem, vel præsentationem, vel ad plurium collationem conjunctim *cap. cum in illis 16. hoc tit. in 6.* & quòd circa collationem beneficiorum curatorum, & electivorum non sufficiat qualis mentio curæ, vel electionis in mandato Apostolico facta, si talis mentio possit habere alium sensum, & interpretationem quàm ut præcisè ad extensionem gratiæ, & conferendum beneficium curatum, seu electivum intelligatur, videantur exempla posita *in Clementina 5. h. t.*

Similiter cui jubetur provideri de præbenda non Sacerdotali (idest quæ non habeat annexum ordinem Sacerdotii, & onus legendi missas) vel de præbenda integra (ubi in aliqua Ecclesia essent præbendæ quædam integræ, quædam dimidiatæ) vel de præbenda certi valoris, ei etiam volenti non potest ex mandato conferri præbenda sacerdotalis, aut dimidia, vel minoris valoris *c. cui de non Sacerdotali 27. hoc tit. in 6.* Specialiter quoque excepta sunt Xenodochia, leprosaria, & hospitalia, eorumque Ecclesiæ, & jura Spiritualia, ut hæc in generali mandato Papæ non censeantur comprehensa, sub quacunque verborum forma jubeatur alicui clerico provideri, nisi expressè de iis mentio fiat *Clem. 2. h. t.*

Not. V. Quòd sæpe apud authores mentio fiat *signaturæ Papalis*, & *datæ*, *ac expeditionis litterarum*: is enim est stylus Curiæ, & Cancellariæ Romanæ, ut cùm primò porrigitur libellus supplex pro impetrando beneficio, super eo notetur per quemdam officialem, qui *Datarius* appellatur, dies præsentationis, seu porrectionis, & hæc vocatur *parva data*. 59

Porrò dum S. Pontifici exponitur desiderium supplicantis, signat ipse, seu subscribit, aut subscribi mandat supplicationem per *fiat*, vel *conceditur* &c. adjunctis clausulis, quas lo rescripto super hac gratia conficiendo, & expediendo inseri & extendi vult: & ista dicitur *signatura gratiæ Papalis*; cui deinde Datarius addit *datam* sive diem, quo hæc gratia per S. Pontificem concessa est, quæ *data* regulariter intelligitur, quando Canones, & Interpretes de *data* loquuntur, veluti quod rescripta gratiæ habeant suum effectum à tempore *datæ* &c. juxta *c. si eo tempore 6. de Rescript. in 6.*

Quamvis autem ex sola *signatura* etiam ante expeditionem rescripti, & literarum Apostolicarum dicatur gratia perfecta, & supplicanti jus beneficio quæsitum, id tamen intelligitur, si signatura jam habuerit adjunctam *datam*. Item ex sola signatura ante expeditionem litterarum per quandam constitutionem Pii V. quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater &c.* sub pœna amissionis gratiæ prohibitum est, apprehendere possessionem beneficii, & ante expeditionem litterarum gratia dicitur *informis*, nec judicare, nec dispensare licet juxta formam supplicationum litteris non expeditis per Reg. Cancell. Alexand. VII. 29. & 15. de quibus superius inter Reg. Cancell. sub Reg. 36.

---

§. VI.

De Collatione, quæ fit per Legatos Sedis Apostolicæ, & Ordinarios inferiores.

SUMMARIA.

60 Legati Sedis Apost. *qualem potestatem habeant conferendi beneficia?*
61 *Collatores ordinarii qui censeantur?*
62 *Beneficiorum quinam incapaces existant?*
63 *Beneficium invalide adeptus an possit illud tuta conscientia retinere?*
64 *Beneficia intra quantum tempus conferenda?*
65 *Beneficii collatio post 6. menses facta an valeat?*
66 *Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum quis conferat?*
67 *Parochiales Ecclesiæ quomodo conferendæ* per concursum.
68 *Plura beneficia an possint uni conferri?*
69 Pensiones *quis valeat constituere in beneficiis?*

Circa Legatos Sedis Apostolicæ huc referenda sunt ea, quæ in Lib. I. in Tit. *de Officio Legati* dicta sunt, nimirum quòd Legati sint in triplici differentia, scilicet Legati *de Latere*, Legati *Missi*, sive *Nuncii Apostolici*, & Legati *Nati*. Duobus posterioribus de Jure communi regulariter non competit potestas conferendi beneficia, nisi ipsis speciali privilegio detur, & quid sentiendum de Nuntiis, seu Legatis missis *cum facultate Legati à latere*, etiam ibidem explicavimus.

Legati *de latere* de Jure communi in Provincia suæ legationis potestatem habent conferendi beneficia: & cum quolibet Ordinario concurrunt, estque inter eos locus præventioni. Tex. & Gloss. fin. *in c. 1. de Offic. leg. in 6.* Imò non tantùm vacantia conferre, sed etiam vacatura suæ collationis ad tempus, quo durat legationis officium, reservare valent, dummodo nulli jus ad tale beneficium ante vacationem ejus concedant, ut inferiùs in tit. *de Concess. præb. vel Eccles. non vac.* dicemus, & eundem Collatorem sua reservatione non gravent *c. præsenti 3. de Offic. leg. in 6.* Sed quid in Germania nostra dicemus, anne Legatis *de La-*

de Latere eadem poteſtas poſt Concordata ſalva remanſit; Sanè Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. Gloſſ.* 25. *num.* 15. diſertè docet, per Concordata Germaniæ Legatis non fuiſſe plus ademptum, quàm ne poſſint gratiis præventivis, ſeu reſervatoriis (id eſt, reſervando beneficium ſuæ collationi ante ejus vacationem) Ordinariorum jus impedire; non verò, quin poſt actualem vacationẽ cum quolibet Ordinario ſuæ Provinciæ concurrere valeant; tum quòd & ipſi cenſeantur Ordinarii; tum ne res inter alios acta, & concordata ipſis præjudicet. Verùm hoc Germanis noſtris conſiderandum relinquo: cùm enim in Concordatis Pontifex expreſsè promiſerit, quòd collationem Ordinariorum Germaniæ *reſervatione, aliave quavis diſpoſitione* (quæ generalitas verborum, & disjunctio *aliave*, etiam de collatione intelligi poteſt. *arg. Re. Canc. Alex. VII.* 68. *in fin.* confirmante id uſu clauſulæ in literis Pontificis; *dummodo collatio* 25. *beneficii ad nos pertineat) authoritate ſua factis, vel faciendis non obſtantibus quibuſcunque* neutiquam velit *impedire*: non videtur Legatus poſſe, quod Pontifex facere non ſolet: nam utique impedirentur Ordinarii æquè per collationem, quàm reſervationem præſertim ipſius Legati, apud quem utpote in Provincia exiſtentem poteſt facilis eſſe præventio, unde præcipitarentur collationes ſine ſufficienti delectu perſonarum. Nec adeo urgent rationes à Gonz. allatæ, quin reſponderi poſſint, mentem Concordatorum fuiſſe de Ordinariis Germaniæ, qui tales ſunt ratione dignitatum perpetuarum ibidem obtentarum, & quibus jure immediato præſertim diœceſano beneficia ſubjecta ſunt. Prout in ſimili docet Barb. *Jur. Eccl. un. l.* 2. *c.* 5. *n.* 42. quòd Legatus de latere non concurrat cum Epiſcopo, ſeu Ordinario, cui conceſſa eſt *alternativa menſis* circa beneficia, quæ alias ratione ſecundi menſis forent Papæ reſervata. Ideoque res cum Sede Apoſtolica acta videtur etiam obtinere reſpectu illorum, qui Sedem Apoſtolicam repræſentant, & vices ejus agunt, quales ſunt Legati. *c.* 1. *& c. volentes* 8. *de Offic. Legati*. cùm teſte eodem Gonz. *Gloſſ.* 25 *n.* 9. *& ſeqq.* Concordata ſint admodum favorabilia, & latè interpretanda. Theoricum hoc dubium tantùm obiter in ſchola inſinuo, diſputent ulteriùs de eo in foro, quorum intererit.

Illud negandum non eſt, quin Legatis in Germania jus remaneat conferendi beneficia ad Sedem Apoſtolicam ex negligentia inferiorum collatorum devoluta, non item beneficia reſervata, niſi ex ſpeciali privilegio Gloſſ. *in c.* 1. *v. ampliori. de Offic. leg. in* 6. Barb. *d. c.* 5. *n.* 42.

61 Inter Ordinarios Collatores S. Pontifice, ejuſque Legato inferiores primus eſt Epiſcopus (comprehendendo hoc nomine etiam Patriarchas, & Archiepiſcopos reſpectu ſuarum immediatarum diœceſium) qui quoad omnia beneficia ſuæ diœceſis fundatam intentionem in jure habet. *c. cùm & plantare* 3. *§. in Eccleſiis de Privil. c. cum ex injuncto* 12. *&* ibi Panorm. *n.* 2. *de Hæret.*

Epiſcopis ſimiles ſunt alii Prælati exempti ſpeciale territorium, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes Gloſſ. *in c.* 1. *de Cappell. Monach.* Panorm. *in c. in Lateranenſi* 31. *h. t. n.* 4. Sed inferioribus Prælatis & Abbatibus jus conferendi beneficia ex ſpeciali fundatione, privilegio, aut præſcriptione competere poteſt.

Capitulo tamen Cathedralis Eccleſiæ ſede vacente, aut Vicario generali Epiſcopi ſine ſpeciali mandato beneficia ad collationem Epiſcopi ſpectantia (ſecus ſi proprio jure ad Capitulum pertinerent) conferre non conceditur; eſt enim collatio ſpecies donationis, quam regulariter rei alienæ adminiſtrator facere non poteſt *c. fin. de Offic. Vicar. in* 6. Gloſſ. *in c. his quæ* 11. *de Major. & obedient.* præſentatos tamen à Patronis Capitulum, & Vicarius inſtituere non prohibetur; nam cùm ex præſentatione jus acquiratur præſentato ad beneficium, inſtitutio accenſetur actibus juſtitiæ, & non donationi. 1. *de Inſtitut. in* 6. Barb. *de Offic. Epiſc. alleg.* 54. *n.* 70.

62 Quæritur autem I. An omnes Clerici ſint capaces beneficiorum Eccleſiaſticorum? Reſp. regulariter quidem omnes Clericos prima tonſura, aut minoribus tantùm ordinibus initiatos eſſe capaces beneficiorum, utpotè quæ in ſuſtentationem Clericorum ob divinum officium peragendum fundata ſunt, ab hac tamen regula nonnullos excipi.

Ut I. qui ætatem à Concilio Trid. *ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 6. *& ſeſſ.* 24. *de Reform. c.* 12. determinatam non habent, nimirum 14. annorum in beneficiis ſimplicibus, 22. in dignitatibus, & perſonatibus non curatis, & 24. in beneficiis curam animarum habentibus, ita tamen, ut annus ultimus incæptus ſufficiat.

II. Qui non habent illum S. Ordinem, neque intra annum ſuſcipere poſſunt, quem beneficium deſiderat. Non verò requiritur, ut promovendus v. g. ad parochiam tempore collationis actu ſit Sacerdos, dummodo intra annum fieri poſſit. Trid. *dict. cap.* 12. *cap. ſi pro Clericis* 8. *h. t. in* 6. Videantur quæ de ætate, & ordinibus beneficiandorum pluribus tradidimus in Lib. I. Titul. XIV. §. 2. ubi in ſpecie etiam de ætate ad Canonicatus Cathedralium Eccleſiarum requiſita.

III. Irregulares, & innodati cenſuris Eccleſiaſticis, ſcilicet excommunicatione majore, interdicto perſonali, aut ſuſpenſione *c. is, qui* 19. *§. is verò de Sent. excom. in* 6. *c. poſtulaſtis* 1. *& c. fin. de Cler. excom.* Zoeſ. *h. t. n.* 44. *& ſeqq.* Idque etiam procedit, tametſi excommunicatio notoria, aut denuntiata non ſit: quia Extravagans Martini V. *Ad evitanda ſcandala &c.* ipſis excommunicatis nullum favorem facere intendit.

IV. Generaliter rejiciuntur indigni, qui nimirum moribus, & pietate, ac ſcientia ad beneficium adminiſtrandum commendabiles non ſunt; & conferens indigno beneficium tenetur ad compenſationem damni, ſi quod Eccleſiæ, vel aliis exinde datum ſit; atque Epiſcopum propter collationem indigno factam privari pro ea vice poteſtate conferendi, in qua Capitulum ſuccedat, docet Panorm. *in c. cùm in cunctis* 7. *§. fin. num.* 4. *de Elect.* Zoeſ. *hoc tit. n.* 4. Vid. tamen contra Paſſer. *de Elect. cap.* 29. *n.* 94. Imò ſemper inter plures dignos, dignior præferendus eſt. Text. *in cap.* 1. *Ut Eccleſiaſt. beneficia &c.* ibi: *quia non ex Carnali affectu, ſed ex diſcreto judicio debuiſti Eccleſiaſticum beneficium, & Officium in perſona magis idonea diſpenſare.*

Volunt tamen DD. non eſſe peccatum contra juſtitiam, ſi omiſſo *digniori* ei conferatur, qui revera etiam *dignus eſt*, ideoque & collationem ſubſiſtere, & damnum, ſi quod inde emerſerit, cenſeri per accidens eveniſſe, nullamque propterea collatori, ſed ipſi tantùm damnificanti reſtitutionem imponi, à peccato verò ſaltem contra charitatem collator immunis non pronuntiatur. Zoeſ. *h. t. n.* 34. *& ſeq.* Laym. *in Theol. mor. de Eccleſ. benefic. c.* 15. *num.* 8. ubi *ſub n.* 6. præmonuit, *digniorітatem* non eſſe precisè ex ſcientia, vel pietate deſumendam, ſed alias etiam qualitates attendendas, unde juxta circumſtantias loci, & temporis majus Eccleſiæ bonum ſperari poſſit, atque hinc fieri, ubi v. g. Eccleſia debitis exoneranda, hoſtium invaſionibus liberanda, ut prudens in rebus agendis, potens opibus aut familia &c. doctiori aut ſanctiori quandoque non immeritò præferatur.

Quæritur II. An incapax beneficii, & cui validè facta eſt collatio, poſſit tuta conſcientia frui beneficio, antequam ab ipſo per Eccleſiaſticum judicem auferatur? Reſp. Si in jure, & facto certum ſit, collationem eſſe ipſo jure nullam & invalidam (ſecùs ſi non dicatur *irrita*, ſed *irritanda*, aut dubium ſit de valore ejus, militantibus utrinque probabilibus rationibus, in quo melior poteſt eſſe poſſidentis conditio) beneficium & fructus, ſaltem non bona fide perceptos, etiam non expectata judicis ſententia, reſtitui debere, quia cauſa retinendi deficit, niſi poſt ablatum impedimentum, diſpenſationem, vel abſolutionem à cenſuris, obtentam tituli revalidationem à Papa, vel Ordinario collatore quis impetrarit. Imò ſcienter permanens in poſſeſſione beneficii nulliter obtenti, & perceptione fructuum dicuntur contrahere vitium *intruſionis*, & intruſus in beneficio, idque in ſupplicatione pro revalidatione tituli coram Summo Pontifice ſpecialiter exprimendum eſt, aliàs revalidatio cenſebitur ſubreptitia. Abbas *in cap. cùm jam dudum* 19. *h. t. n.* 3. Syl. *V. Beneficium* 3. *q.* 18. Notabile eſt, quod nonnulli DD. hic addunt, ſi nullitas collationis, & ipſa etiam intruſio occulta ſit, revalidationem tituli in foro conſcientiæ contingere hoc ipſo, quòd quis ab aliquo habente poteſtatem abſolvendi, vel diſpenſandi abſolutus vel diſpenſatus ſit. Vid. Laym. *d. c.* 15. *num.* 2. Sanch. *de Matr. l.* 8. *diſp.* 7. *n.* 12.

Quær. III. Intra quantum tempus beneficium vacans conferendum ſit? Reſp. Intra 6. menſes computandos à die, quo notitia vacationis habita eſt, *c.* 2. *& c. quia diverſitatem*

3. *de Concessione prebend.* Et hic terminus semestris dicitur *terminus Lateranensis Concilii*, de quo frequens in canonibus mentio est, quia in dicto Concilio statutus erat. Quòd si collator illum terminum 6. mensium elabi permiserit, jure conferendi pro ea vice privabitur, idque in Ecclesiis cathedralibus in primis ad Capitulum, deinde Capitulo etiam negligente ad Archiepiscopum, & demum ad S. Pontificem devolvetur. Dico in Ecclesiis Cathedralibus primam devolutionem fieri ad Capitulum: secus est in Ecclesiis Regularibus, aliisque Conventualibus, quando Prælato competit jus conferendi aliquod beneficium; nam eò intra 6. menses negligente collationem non succedet Conventus, sed Episcopus in non exemptis sua, in exemptis verò Monasteriis & Ecclesiis Apostolica authoritate tale beneficium neglectum conferre poterit, ita tamen ut quæ consueverunt per sæculares administrari, sæcularibus, quæ per Regulares, Regularibus conferat, *Clem. un. de Suppl. negl. Prælat.* Illud autem est speciale, quòd in beneficiis Regularibus, quæ sunt de mensa Prælatorum, seu ut inde Prælatus, vel Religiosi sustentationem habeant, non observetur terminus 6. mensium, nunquam enim propriè vacare dicuntur, cùm in iis principalis Rector sit Abbas, & exercens curam animarum tantùm Vicarius ad nutum Prælati amovibilis *d. Clem. un.* Joan. Honor. *h. t. p. 4. n. 90.*

65 Quær. IV. An collatio post terminum 6. mensium facta Indistinctè annullari debeat? Resp. de rigore juris omninò irritari posse, quia facta est, postquam collator potestatem conferendi ex sua negligentia amisit. Verùm quia constitutio Concilii Lateranensis non tam pœnam negligentium intendit, quàm ut Ecclesiis vacantibus citò provideatur, propterea si ex post facto per celerem provisionem mora quasi purgata sit, debet talis provisio seu collatio de æquitate tolerari, *c. litteras 4. de Suppl. negl. Prælatorum.*

66 Quær. V. Quis possit Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium conferre? Satis conveniunt DD. quòd collatio Canonicatuum de jure ad solum Episcopum non pertineat, cùm & omnium Capitularium intersit, quales acquirant collegas, ideò succedit regula: quod omnes tangit, debet ab omnibus adprobari, *c. novit 4. & seqq. de his quæ fiunt à Prælato, c. cum Ecclesia 31. de Elect.* Sed controvertunt, an collatio Canonicatuum pertineat ad Episcopum cum consilio, vel consensu Capituli, vel an simul ad Episcopum, & Capitulum: Ubi prænotandum, quòd plurimùm intersit, an *simul ad Episcopum, & Capitulum* pertineat collatio, vel *in principaliter ad Episcopum, cum consensu tamen, vel consilio Capituli*; nam priori casu Episcopo à collatione suspenso, vel mortuo poterit conferre solum Capitulum, & è contra; quia utriusque æqualis est consideratio. In altero autem casu Episcopo mortuo, vel suspenso non poterit se intromittere Capitulum, quia principalis collatio est penes Episcopum, *c. un. Ne sede vacante in 6.* Item si collatio simul ad Episcopum, & Capitulum spectet, tunc totum Capitulum, vel major pars Capituli unam tantùm vocem habere censetur, & alteram Episcopus, ita ut si dissentiant, & uni Episcopus, & alteri Capitulum conferre velit, neutra collatio valeat. Panorm. *in d. c. cùm Ecclesia n. 11.* Neque refert, tametsi aliqui Canonici cum Episcopo sentiant; quia vota talium Canonicorum, qui pauciores numero sunt, non attenduntur, cùm penes totum Capitulum una tantùm vox sit.

His prænotatis Resp. In primis valere consuetudinem quòd collatio Canonicatuum in mensibus Ordinariorum, vacantium pertineat vel ad solum Capitulum, vel ad solum Episcopum, *d. cap. cùm Ecclesia cap. ex parte 10. de Concess. prebenda cap. ex frequentibus 3. de Institut.* Si verò de puncto juris loquamur, probabiliùs videtur, collationem Canonicatuum pertinere simul ad Episcopum, & Capitulum, quia in sæpè *d. c. cùm Ecclesia*, reprobatur petitio Episcopi electionem Canonicorum sibi soli vindicantis: ergò rectè infertur, eam nec ad solum Episcopum, nec ad solum Capitulum (abstrahendo à consuetudine) sed ad utrumque simul pertinere, sicut hanc sententiam multoties in Rota Romana approbatam fuisse testatur Barb. *in Tract. de Canonicis c. 14.* Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 43. n. 36. & n. 50.* Joan. à ChoKier *in Comment. ad eand. Reg. gloss. 16. n. 3.*

Et hæc de canonicatibus Cathedralium Ecclesiarum. In Collegiatis verò pertinere collationem ad præsentationem Prælati & Capituli, ac institutionem Episcopi, docet Barb. *dict. loc.* Gonz. *d. l. n. 46. & nn. 50.* Consuetudo tamen locorum hic quoque observanda erit, ex qua nonnunquam soli Episcopo, quandoque verò soli Præposito, seu Decano Ecclesiæ collegiatæ cum consensu sui Capituli institutio Canonicorum competit.

Quær. VI. Qualiter Parochiales Ecclesiæ conferendæ sint? Resp. ex Conc. Trid. *sess. 24. de Ref. c. 18.* Parochias non arbitrio Episcopi, sed *per concursum* conferendas esse: forma autem concursus hæc præscribitur, ut vacante Ecclesia parochiali per edictum publicum vocentur omnes adspirantes ad talem parochiam, comparentes examinentur per examinatores certos in Synodo Diœcesana deputatos, & qui digni reperti fuerint, Episcopo denunciantur, ex quibus rursus Episcopus eum eliget, quem ceteris digniorem judicarit. Quòd si beneficium curatum fuerit reservatum, nihilominus Episcopus de jure instituet concursum, & digniorem S. Pontifici pro collatione denunciabit. Text. in Trid. *d. cap. 18.* juncta Bulla Pii V. *in conferendis.* Joann. à ChocKier. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 2. num. 10.* Vid. etiam Gonz. *ad eandem Reg. 8. gloss. 6. à n. 115.* 67

Verùm excipiuntur ab hoc concursu Parochiæ, quæ ad jus Patronatus laicorum pertinent, ita ut ille tantùm, quem Patronus laicus præsentarit, examinari debeat. Sin autem jus Patronatus Ecclesiasticum fuerit, habebit locum concursus, & Patronus Ecclesiasticus illum præsentabit, quem digniorem inter probatos ab examinatoribus judicarit *d. c. 18.* Trid. Deinde etiam in Bulla Pii V. *Ad exequendum &c.* excipiuntur Parochiæ monasteriis, vel aliis Ecclesiis incorporatæ, in quibus non propriè Parochus, sed tantùm Vicarius ponendus est.

Quær. VII. An, & quando uni Clerico possint plura beneficia conferri? Resp. In primis distinguendum esse inter beneficia, quæ residentiam totius anni, vel majoris ejus partis requirunt, (uti sunt de jure beneficia curata, Canonicatus, & similia) & inter beneficia simplicia, quæ residentiam nullam, saltem de consuetudine, exigunt, vel quorum residentia simul, & semel facilè peragi potest. Plura beneficia specialem residentiam requirentia ex natura sua *incompatibilia* sine dispensatione S. Pontificis nemo habere potest, ut præcedentibus quoque §§. circa Extravagantem. *Execrabilis*, & Regulam III. Cancellariæ iteratò traditum. Videri poterunt, quæ exactè docet Gonzal. *ad Reg. 8. Canc. gloss. 15. à num. 10.* ubi *n. 15.* adducit, licet antiquiora jura de incompatibilitate beneficiorum loquentia tantùm curatorum meminerint, hodie tamen ex Conc. Trid. *sess. 7. cap. 4.* & variis Rotæ decisionibus etiam alia beneficia personalem residentiam requirentia incompatibilia censeri, ac per assecurionem secundi vacationem primi induci. Sed *num. 21.* circa residentiam requisitam nobilem explicationem ponit, quòd nimirum triplici modo possit in beneficiis residentia tequiri. 1. absolutè & respectu tituli, atque sub amissione ipsius beneficii. 2. tantùm ad certum tempus paucorum v. g. mensium. 3. continua quidem, sed solum causativa respectu fructuum, ut, qui non residet, solis fructibus careat, retento nihilominus beneficio: qua residentiæ differentia præmissa *n. 22. & seqq.* concludit, quod tantùm in primo casu, quando residentia est requisita ratione tituli, inducatur propriè incompatibilitas, & vacatio primi per assecutionem alterius, non verò in secundo & tertio casu, quamvis Ordinarius ex authoritate Concilii Trid. *sess. 24. c. 17. de Refor.* possit aliquando privare obtinentem plura beneficia, quàm honesta ejus sustentatio requirit. 68

Porro beneficia simplicia residentiam continuam singula non requirentia plura etiam uni conferri poterunt per Episcopum, dummodo unum non sit sufficiens ad honestam sustentationem. Trid. *sess. 24. cap. 17.* & dummodo non sint *uniformia*, ac *sub eodem tecto*, id est, in una eademque Ecclesia v. g. duæ Capellaniæ in eodem altari sub invocatione ejusdem Sancti. *arg. cap. literas 9. ubi DD. de Concess. præb.* beneficia autem *difformia sub eodem tecto*, quorum singula non sufficiunt ad congruam sustentationem, posse quem plura obtinere, à Sac. Congregatione declaratum dicitur. Vid. Garc. *de Benef. p. 11. c. 5. n. 165.* Barb. *in Collect. ad d. cap. 17. Trid. & ad d. cap. litteras.* Pro diversa opinione circa beneficia uniformia

vid.

vid. etiam Zerolla *in Praxi Epis. par. 1. V. beneficia §. 7. conclus. 6.*

Cæterùm plura essent hoc loco dicenda de pluralitate beneficiorum præsertim curatorum, & residentiam requirentium, nimirum qualiter non sit tutus in conscientia, qui habens sufficientem, & juxta conditionem sui status Ecclesiastici honestam sustentationem ex uno, vel duobus plura alia à S. Pontifice extracticatur, sicut docet Less. *de Just. & Jur. lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 28. *n.* 151. item quænam inconvenientia ex pluralitate beneficiorum sequantur videlicet neglectus divinorum officiorum, & curæ animarum, luxus, aut avaritia, defectus Clericorum idoneorum ex defectu beneficiorum, & alia quæ enumerat Sum. Pontifex in d. Extrav. *Execrabilis hoc tit.* sed quia hæc passim apud DD. leguntur, & ratio, ac experientia dictat, ideò ulteriùs prosequi intermitto. *Circa sublimes tamen, & literatas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honoranda, cum ratio postulaverit, per Sedem Apost.* (in hac beneficiorum pluralitate) *poterit dispensari* ait S. Pontif. *in c. de multa* 28. *in fin. hoc tit.*

Quær. VIII. Quis possit pensiones constituere, sive beneficiatum gravare, ut alteri de redditibus sui beneficii certam quantitatem pecuniæ annuatim persolvat? Resp. non esse dubitandum, quin S. Pontifex pro plenissima sua in omnibus beneficiis potestate id possit. Episcopis quoque, & Prælatis quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus aliquando hæc potestas est concessa non quidem pro libitu, sed ex justa, & rationabili causa, atque ante collationem beneficii, v. g. pro bono pacis, & concordiæ, & inter duos litigantes de beneficio unus cedere velit, constituta sibi pensione; item pro studio pauperum scholarium, pro utilitate Ecclesiæ &c. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 85. *sub num.* 11. Prohibet tamen Concilium Trid. *sess.* 24. *de Reform. cap.* 13. ne Parochiales Ecclesiæ, quæ secundùm verum annuum valorem summam 100. Ducatorum non excedunt, pensionibus, aut reservationibus graventur. Vid. infra in Tit. *de Censibus num.* 5. & plura de pensionibus congessit Barb. *Jur. Eccles. univ. lib.* 3. *cap.* 11. Vid. etiam Laym. in Theolog. mor. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 18. ubi inter alia *num.* 4. ex Abbate *in cap. unic. ut Eccles. benefic. sine dimin. num.* 20. tradit, spectato jure communi, & secluso speciali privilegio, aut consuetudine in constitutione pensionis non requiri Patroni consensum, cùm per hoc temporale onus non præjudicetur Patrono, dummodo pensio moderata sit.

---

§. VII.

De Primis Precibus.

S U M M A R I A.

70 *De* primis precibus *Imperatoris.*
71 *De* primarum precum *conditionibus, & effectu.*

70 PRo Coronide hujus tituli breviter dicendum, quid sint *primæ preces Imperatoris*, & qualiter teneantur Ordinarii Collatores illis obtemperare?

Sciendum igitur, quòd Imperatori detur privilegium à Sum. Pontifice, ut in qualibet Ecclesia semel personam aliquam idoneam ordinario Collatori nominare possit, quem Ordinarius ad beneficium vacans omninò recipere teneatur; & ista nominatio *primæ preces Imperatoris* appellantur.

71 Porrò de hoc privilegio Imperatoris antiqui etiam Canonistæ mentionem fecerunt, ut Specul. *in Tit. de præbend. §. restat. n.* 2. & Joan. Andreas *in cap. is, cui conceditur* 19. *de Præb. in* 6. Jo. à ChoKier illud exactè refert, & variis quæstionibus elucidat in speciali tractatu, quem inscripsit: *Scholia in primarias preces Imperatoris.* Idem novissimè præstitit P. Henr. VvagnereckK S. J. *in Comment. Exeg. SS. Can. hoc tit. in* 6. *ad cap. is, cui* 19. *fol.* 487. & quia hæc materia in Germania practica est, pauca saltem magis præcipua subnotabo.

Itaque I. potest Imperator suas preces interponere non tantùm in mensibus Papalibus, dummodo beneficia vacantia non sint reservata Extravag. *ad Regimen hoc tit. inter com.* sed etiam in mensibus Ordinariorum non obstantibus Concordatis Germaniæ, quibus expressè derogatur in Indulto primarum precum circa finem, *v. nec non Concordatis &c.* neque enim verisimile est, Imper. Fridericum concordando cum Sede Apost. & Ordinariis Germaniæ voluisse suo & suorum Antecessorum antiquissimo privilegio renunciare, suisque Successoribus præjudicare. Chokier. *dict. Tract. sect.* 4. *pag.* 59. Vvagnereck *d. l. §.* 3. *vers. in quibus fol.* 429.

II. Potest quidem Imperator in omnibus Ecclesiis in Imperio sitis primas preces concedere, sub hac tamen moderatione, ut eundem Collatorem non nisi semel, id est pro unico tantùm beneficio gravet, gravasse autem tunc censebitur, si preces ad effectum pervenerint. Unde si precista (id est, ille, cui preces concessæ sunt) fortè matrimonium contrahendo precibus renuntiarit, vel ante adeptum beneficium mortuus sit, poterit Imperator pro alio novas preces ad eundem Collatorem porrigere.

III. Ut preces locum habeant, debet Collator saltem 4. Beneficia conferre posse; quia si unicum tantùm aut alterum conferendum habeat, non tenebitur preces Cæsareas admittere, ne facilè contingat, ut toto vitæ suæ tempore impediatur uti jure liberæ collationis.

IV. Excipiuntur à primis precibus dignitates Pontificales, Archiepiscopatus, Episcopatus, & primæ post illas, ut Præposituræ, vel Decanatus (nisi aliundè forsan ex jure patronatus, aut speciali privilegio jus præsentandi, vel nominandi in aliquibus hujusmodi dignitatibus Imperatori competat (itidem dignitates primę, & Prælaturæ in Monasteriis, & Ecclesiis Collegiatis, non autem dignitates inferiores, officia, vel canonicatus etiam in Ecclesiis Cathedralibus.

V. Excipiuntur beneficia pertinentia ad jus patronatus Laicorum, utpote cui Pontifex nunquam intendit derogare, nisi exprimat.

VI. Ut preces effectum sortiantur, potest Imperator ex authoritate Pontificia sibi concessa aliquas personas Ecclesiasticas in dignitate constitutas suarum precum executores deputare, atque hi executores ex eadem authoritate Pontificia poterunt contra quosvis Collatores, Episcopos quoque, & alios, ad quos preces directæ sunt, etiam per censuras Ecclesiasticas procedere, ut preces ad effectum redigantur.

Sed quis confert Precistæ beneficium, quòd *juxta Reg.* 1. *Jur. in* 6. sine Institutione Canonica obtinere non potest, anne Imperator, vel Executor ejus, vel Ordinarius. Hanc quæst. resolvit P. Henr. VvegnerecK *d. §.* 3. *in fin. fol.* 495. his verbis: *apparet stando in textu, nisi consuetudine aliud sit introductum, Cæsareas litteras à Precista primum offerendas fore executoribus à sua Majestate deputatis, qui nullo deprehenso substantiali vitio beneficia ipsis canonicè conferant, & Cæsaris postea preces ordinariis Collatoribus, ad quos spectat, porrigat, à quibus precista recipi debet, & in possessionem induci.* Rationes præmisit; tum quòd Pontifex in toto indulto nullibi dederit potestatem conferendi Ordinariis, sed executoribus, Ordinariis verò injunxerit receptionem, id est, inductionem in possessionem; tum quòd Pontifex velit, ut canonica provisio præcedat receptionem, *postquam*, ait, *ipsis canonicè provisum fuerit &c.* Verùm pro Ordinariorum collatione videtur concludere ChoKier *sect.* 1. *vers. undecimo quæritur pag.* 27. licet nonnihil obscuriùs loquatur; clariùs autem ejus mentem probant duæ formulæ *primarum precum:* scilicet Rudolphi, & Ferdinandi Imper. quas posuit *in Proœm. pag.* 4. & 5. ubi preces fuerunt expressè ad ordinarios collatores directę, iique ab Imperatoribus pro collatione, & provisione precistæ facienda requisiti: ut ex hac practica observantia possit colligi sensus verborum Indulti: *nec non personas ipsas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonicè provisum fuerit*, videl. per Ordinarios, ad quos preces diriguntur, examinatis qualitatibus precistæ, & cæteris adhibitis, quæ requirit canonica institutio, vel his recusantibus, aut forsan circa beneficia reservata, quæ ad eorum collationem non spectant per executores Cæsareos, *juxta earundem precum, aut nominationum tenorem recipere, & admittere* scilicet ad actualem possessionem, *debeant, & etiam teneantur*, ipsi nimirum Ordinarii, vel ad quos pertinere solet

neque foret *juxta precum, aut nominatianum tenorem*, si Imperator directè requirat Ordinarii collationem in beneficio ad ipsum spectante & precista eo neglecto ab executore petat; neque puto fuisse intentionem Papæ, Ordinariis adimere suum jus conferendi, iisque præferre extraneos executores, quod utique non raro discordias & confusiones moveret, sed tantùm præcipere, ut nominationes Cæsareas admittant.

Illud quoque tradunt, quòd beneficium per precas interpositas reddatur affectum, ut tametsi Ordinarius alteri, quàm præcistæ etiam ignoranter contulerit, tamen collatio invalida futura sit. Ita Chokier *sect.4. v. vacaverint, & v. intra mensem, vers. amplius dubitatur. pag. 72. & sect.5. §.1. v. anteferri pag.95.*

VII. Potest Imperator pro una eademque persona ad diversos collatores suas preces interponere, quarum tamen precum non ille sensus est, ut à singulis istis collatoribus beneficia accipiat precista, sed ut tanto certiùs sibi de beneficio provideatur, si non in una, saltem in alia Ecclesia, quare si ei da uno beneficio provisum fuerit, cessabunt preces quoad raliquos Collatores,

VIII. Precista debet uti suis precibus, & per sa vel per Procuratorem acceptare beneficium vacans intra mensem, postquam notitiam vacationis habuerit. Tex. Bullæ prim, præc. ibi: *qua persona, pro quibus preces & nominationes hujusmodi factæ fuerint, infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda*, diuturna enim vacatio beneficiorum dispendiosa est Ecclesiis, *c. quam sit de Elect. in 6.*

An autem si Precista neglexerit acceptare primum beneficium vacans, possit nihilominus petere secundum? tractat Chokier *d. sect.4. v. intra mensem vers. dubitatur alterius pag.68.* Vvagnateck. *eod. v. intra mensem qu.3.* & licet in primis confundant negligentiam petendi primum beneficium cum variatione super acceptatione jam facta, postea tamen uterqua ita se declarat, quòd quidem acceptatione unius beneficii semel facta non concedatur variatio per jura, quæ regulariter electione semel facta mutationem non amittunt juxta vulgarum, quod semel placuit, amplius displiscere non potest, *cap. quod semel 21. c. mutare 33. de R. J. in 5. l. servi electione 5. in princ. ff. de Leg. 1. l. apud Aufidium 20. ff. de Opt. leg.* At verò re integra possit acceptare primum vacans, si velit; sin aliter, secundùm & tertium expectare, propter illa verba generalia: *quæ duxerint acceptanda*. Videtur quidem obstare *c. si Clericus 11. de Præb. in 6.* ubi mandatum, ut alicui de beneficio proximo vacaturo provideatur, intelligitur de primo, quo neglecto censetur extincta gratia; sed ex mente Glossæ *ibid. v. si Clericus*, hic textus accipiendus est, si mandatum sit restrictum ad beneficium primo vacaturum, quasi illud verbum *proximo*, idem significet, quod *primo*, prout superius *§.5. num.58.* diximus mandati Apostolici terminos esse strictè observandos. Minorennem quoque & impeditum excusant, quo minùs eis lapsus mensis nocere possit. ChoK. *d. l. pag.72.* Item mense elapso quamvis manus Ordinarii ampliùs ligatæ non sint, quin alteri conferre possit, re tamen adhuc integra superesse locum precibus propter clausulam Bullæ insertam, quòd non obstent Precistæ constitutiones Apost. de insinuatione gratiarum expectativarum & *diligentiis desuper faciendis*, ChoKier. *d. l. pag.67.* VvagneteK. *d. l, qu.2. pag.493.* Staphil.. *de lit. grat. tit. de vi & effectu v, nun est omittendum*.

Cæterùm advertit. Henr. VvagnereK. *ad princ. prim. prec. v. ea sibi pag.487.* primas preces à Paulo V. concessas esse Ferdinando Imperat. in forma novæ gratiæ, nec fundari in sola consuetudine. Interim propter tam antiquum morem solere Imperatores etiam electos tantùm, & necdum confirmatos sub spe ratihabitionis Pontificiæ illis uti etiam ante novam Bullam desuper impetratam, sicut *pag. 488.* exemplum recens ponit in electione Ferdinandi IV. fel. m. Augustæ factam.

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

SUMMARIA.

1 *Beneficiatus ægrotans non cogitur beneficium dimittere, sed datur ei coadjutor.*
2 *Coadjutorem dare Episcopis, vel aliis ad quem pertineat?*
3 *Coadjutor unde alendus.*
4 *Coadjutoris potestas.*
5 *Coadjutori an debeatur illa præcedentia, quæ principali.*
6 *Coadjutor an teneatur deservire in divinis, casu quo ipse principalis non teneretur.*
7 *Coadjutor cum futura successione datur tantum à S. Pontifice.*
8 *Coadjutori an detur successio, si priusquam officium gesserit, Principalis fuerit mortuus.*
9 *Coadjutoris Officium quando finiatur.*

1 TRaditur in hoc titulo, quòd Clerici beneficiati in beneficiis canonicè instituti, seu ut Practici loquuntur, *investiti*, si contingat eos in gravem & etiam perpetuam infirmitatem incidere, aut ad nimiam senectutem devenire, non propterea debeant, vel possint compelli, ut beneficium dimittant, *ne afflictis addatur afflictio*, sed potiùs, si officio suo præesse non valeant, dandus sit ipsis *Coadjutor*, eique de reditibus Ecclesiæ congrua sustentatio assignanda, *c.3. & seqq. h. t.*

3 Date autem Coadjutorem Episcopis, eorumqua superioribus regulariter ad Summ. Pontificem pertinet, nisi locus esset à Civitate Romana valde remotus; tunc enim, ne interim, dum Coadjutor Romæ petitur, Ecclesiæ dispendium patiantur, posset ipse Episcopus ægrotus, vel aliàs ab executione sui officii impeditus cum consensu majoris partis Capituli sibi facere unum, vel duos Coadjutores, & si Episcopus mentis inops foret, posset hoc solùm Capitulum, vel duæ ipsius partes, *cap. un. hoc tit. in 6.* Quòd si autem Episcopus ad regendum inhabilis nollet sibi assumere Coadjutorem, aut consensum Capituli requirere, vel à Capitulo legitimè constitutum acceptare, nihil aliud per Capitulum attentandum foret, quàm ut Summ. Pontifici ea res notificaretur, ab eoque dispositio expectaretur, *dict. cap. un. §. si autem*.

Inferioribus Clericis ab Episcopo datur Coadjutor, *c. 1. 3. & fin. h. tit.* & in Concil. Trid. *sess.21. de Reform. c. 7.* decretum est, quòd illiteratis & imperitis Parochis, si aliàs honestæ vitæ sint, Episcopi *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati* coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint quacunque appellatione & exemptione remota.

3 Sed quid, si beneficium non habeat tantos reditus, ut exinde possit beneficiarius ægrotus, vel aliàs impeditus & simul coadjutor sustentari? Sunt, qui putent, potius alimenta danda esse coadjutori tanquam operario, qui dignus sit mercede sua, quàm beneficiato nihil administranti. Verùm satis inhumanum videtur, beneficiatum ægrotum in alimentis negligi, quibus jam maximè indiget, & ad quæ ex titulo sui beneficii, atque investitura jus habet, addendo afflicto afflictionem contra *c. 1. & cap. ax parte 5. h. tit.* Quare dicendum erit cum Barb. *in Collect. DD. ad cap.3. hoc tit. num.4.* si beneficium sit Parochiale, parochianos compelli posse, ut in subsidium coadjutori de alimentis provideant; quia Parochiani ex persona coadjutoris utilitatem spiritualem in administratione Sacramentorum percipiunt. Si verò beneficium fuerit simplex, habens tamen aliquam administrationem, vel obligationem, quæ ab ægroto peragi non possit, & ob quam opus sit coadjutore, existimo debere Episcopum succurrere coadjutori per collationem alterius beneficii, vel pensionis ex alio beneficio

assi-

assignationem, nam ex justa causa pensiones per Episcopum constitui posse *precedenti titulo* diximus. Atque idem sentiendum in Ecclesia parochiali, si Parochiani sint inopes, vel sine magna difficultate ad nova onera pro coadjutore persuaderi vel adigi non valeant, idque non obscurè insinuat Trid. *d.c.6.* dum in arbitrium Episcopi reponit, an coadjutori per assignationem fructuum, *vel aliter* providendum sit.

4 Cæterùm si non specialiter per superiorem coadjutoris potestas limitetur, habebit is regulariter eandem potestatem, quam ipse principalis, ita tamen ut ab omni alienatione bonorum sive ad principalem ipsum, sive ad Ecclesiam spectantium prorsus abstinere debeat. Illud quoque in coadiutore Episcopi constitutum est, ut vel ipsi Episcopo ægrotanti, si sanæ mentis fuerit, ac Capitulo ejus, vel successori Episcopo, si priùs facta non sit, administrationis suæ plenam rationem reddere teneatur, *d. c. un. §. præsenti h. t. in 6.*

5 Nunquid autem coadjutori in Ecclesia, Capitulo, aliisve locis eadem sedes, & prærogativa competet, quæ Principali? Distinguunt DD. inter Coadjutorem Dignitatis, & Coadjutorem Canonicatus: Coadjutori Dignitatis, nimirum Episcopi vel alterius Prælati dignitatem habentis, eandem sedem & præcedentiam assignant, quæ competit suo Principali, cujus personam repræsentat. Coadjutori verò Canonici ultimum locum post omnes Canonicos in Persona præsentes adscribunt, eò quòd licèt hic coadjutor etiam repræsentet personam sui Principalis; tamen semper magis fulgere censeatur, qui propriis, quàm qui alienis radiis. Et cum ista ratio etiam circa Dignitates procedat; ideò alii DD. præfatam doctrinam ita interpretantur, ut Coadjutori Dignitatis eandem quidem sedem tribuant, quam habet Principalis, si sit confessus, vel concurrentia cum aliis inferioris conditionis, vel certè cum aliis Coadjutoribus, Vicariis, vel procuratoribus, non autem si concurrat cum aliis Prælatis suo Principali in dignitate æqualibus, & qui in persona comparent, tunc enim licet forsan Principalis ob antiquiorem promotionem, speciale privilegium, vel consuetudinem haberet præ aliis præcedentiam, eadem tamen coadjutori non competeret. Vid. Garc. *de Benef. p. 4. c. 5. à n. 65.* & Decisio Rotæ apud eundem *sub n.* 148. ubi etiam de clausula illa, qua coadjutoria cum omnibus prærogativis Principali ratione Canonicatus competentibus conceditur, & declaratur, eam non relevare, quod præcedentia non competat præcisè ratione Canonicatus, sed ratione antiquitatis, sive prioris assumptionis ad Canonicatum. Vid. etiam Gonz. *ad regulam* 8. *Cancell. Gloss.* 5. *§. 9. à n.* 102. Nav. *cons.* 8. *de Major. & obed.* ubi consuluit, non debere procuratorem Abbatis in Synodo inter alios Abbates præsentes habere locum sui Principalis, sed posteriorem, & ex Decio allegat exemplum Regis Galliæ, qui præposuit Ducem Sabaudiæ Legato Venetiarum.

6 Illud quoque hic adnotari potest, quod docet Garc. *dict. cap. 5. sub n. 38. & 61.* coadjutorem non posse pro Principali (subintellige, qui sit sanæ mentis) deservire, vel vocem dare in Capitulo sine ejus consensu, aut eo nolente. Item Principalem sive coadjutum non teneri deservire in divinis per coadjutorem illis casibus, quibus aliàs propter infirmitatem, aut legitimum impedimentum posset in absentia fructus lucrari, juxta tradita superiùs in Tit. *de Clericis non residentibus*, ne sit deterioris conditionis cum coadjutore, quàm sine ipso, & ne coadjutoria, quæ datur in gratiam coadjuti, in ejus odium retorqueatur, si forrassis ob negligentiam coadjutoris fructus amittere, vel saltem coadjutorem cum difficultate convenire deberet, *arg. cap. quòd ob gratiam, 61. de R. J. in 6.* sed quia coadjutor datur ad supplendum defectum & impedimentum principalis, ideò hæc res secundùm prudens arbitrium temperanda videtur, & forsitan solum procedet, ubi infirmitas vel impedimentum principalis est incidens, secùs verò ubi quasi perpetuum, ut propterea coadjutor dari debuerit, & ea etiam intentione, ut loco principalis deserviret, datus fuerit. Ante omnia autem inspiciendus erit tenor concessionis coadjutoriæ.

7 Præterea sciendum est, quòd DD. coadjutoriam aliam vocent *temporalem & revocabilem*, quia scilicet datur Prælato ob infirmitatem, senium, aut certam causam impedito, quamdiu is vivit, vel impedimentum durat; aliam verò *perpetuam*, seu *cum futura successione*, per quam coadjutori jus tribuitur mortuo coadjutore in ejus officium & beneficium succedendi. De his porrò coadjutoriis *cum futura successione* statuitur in Conc. Trid. *sess. 25. de Ref. c. 7.* ut nemini in quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis permittantur, tales enim concessiones beneficii vacaturi nonnunquam periculosæ sunt, propter votum captandæ mortis, & ab alio quàm S. Pontifice dari nequeunt, ut inferius in Tit. *de Concess. preb.* dicemus. De ipsius quoque Summi Pontificis concessione *in d. c. 7.* habetur, ut si quando Ecclesiæ Cathedralis aut Monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet Prælato dari Coadjutorem, is non aliàs *cum futura successione* detur, quàm hæc causa priùs diligenter à summo Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quę jure & decreto Conc. Trid. in Episcopis & Prælatis requiruntur, aliàs super his factæ concessiones subreptitiæ censeantur. Verùm quia Concilium non est supra Pontificem, nec valet ei legem imponere, à qua de plenitudine potestatis suæ recedere non possit, cum in omnibus Conciliis Summi Pontificis authoritas vel expressè excipiatur, vel excepta intelligatur, *c. significasti 4. de Elect.* Trid. *sess. 25. de Refor. c. 21.* ideò solent Summi Pontifices non obstante supradicta Concilii constitutione, in gratiam magnorum Principum quandoque etiam minorennibus Coadjutorias *cum futura successione* concedere, quamvis nec qualitates Episcopales, vel Abbatiales, nec manifesta utilitas, vel necessitas Ecclesiæ particularis concurrant, nisi forsan dicatur Ecclesiæ universalis utilitatem concernere, ut magni Principes, quorum authoritate plurimùm muniri potest Ecclesia, beneficiis afficiantur, & illorum familiæ conserventur.

Sed quid dicendum, si eo tempore, quo Coadjutoria 8
cum futura successione impetratur à summo Pontifice, Episcopus, seu principalis coadjuvandus jam sit mortuus, vel saltem moriatur, antequam litteræ Papales adveniant, & coadjutor actu officium suscipiat, anne deficiente hoc casu coadjutoria saltem successio in beneficio locum habebit? Ratio dubitandi est, quod successio in beneficio videatur dari propter coadjutoriam, & administrationis merita, ideòque cessante causa cessare etiam debeat effectus. Nihilominus ex stylo Curiæ Romanæ receptum est, ut coadjutoria *cum futura successione* censeantur duæ diversæ gratiæ, quarum una deficiente altera subsistat. Imò idipsum solet in litteris coadjutoriæ inseri, ut successioni in beneficio locus esse debeat, quamvis Coadjutor datus officium exercere per suam etiam negligentiam non inceperit, neque litteras Papales Episcopo Coadjuto, vel Capitulo præsentarit teste Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 4. §. 9. num. 53. & 56.* ubi *num.* 57. aliquid simile ponit de dispensatione super impedimento matrimonii & legitimatione prolis, quòd tametsi forsan ob supervenientem mortem alterius non possit contrahi matrimonium, obtineat tamen prolis legitimatio.

Et in hoc quidem satis conveniunt DD. quando Episcopus, seu principalis coadjuvandus ponitur mortuus, vel resignasse *post datam litterarum Apostolicarum*, ubi gratia coadjutoriæ *cum futura successione* ex parte summi Pontificis jam perfecta fuit; at verò si *ante datam litterarum* mortuus fuerit principalis, dissentiunt; nam licet Gonzal. *cit. n. 56.* dicat obtinere futuram successionem, etsi beneficium actualiter vacet *de tempore data*, Garc. tamen *de Benef. par. 4. cap. 5. num.* 132. expressè docet, tunc utramque gratiam corruere; coadjutoriam quidem, quia mortuo, vel resignanti non datur coadjutor, successionem verò, quia datur dependenter à coadjutoria: cùm enim coadjutoria *cum futura successione* sit odiosa, exorbitans à jure communi, & cum præjudicio eorum, quibus jus electionis, vel collationis competit, uti tradit Garc. *d. c. 5. num.* 14 non licebit de uno casu ad alium diversum facere extensionem, ut beneficium, quòd collatum est cum coadjutoria, censeatur etiam sine coadjutoria collatum: sunt namque similia rescripta strictæ interpretationis, quemadmodum in *Tit. precedenti* de mandatis Apostolicis strictè interpretandis exempla posuimus. Unde etiam do-

cet

cet idem Garc. *d. l. n.* 134. si gratia coadjutoriæ subreptitia sit, quia fortè ætas, aut infirmitas coadjuti, vel alia causa narrata non est vera, tunc gratiam quoque *futuræ successionis* invalidari. Utra ex his sententiis prævalere debeat in praxi, recentior stylus, & usus Curiæ desuper consulendus erit.

Quòd si Coadjutor *perpetuus*, seu cum *futura successione* non sit, aut Episcopus coadjuvandus ante datam coadjutoriam per mortem, vel resignationem de beneficio, & officio cesserit, expirat coadjutoria, & jurisdictio, ac administratio jure ordinario ad Capitulum devolvitur, neque enim Capitulo datur Coadjutor, neque jurisdictio Capitularia sede vacante in jure communi fundata per dationem Coadjutoris Episcopo facta adempta intelligitur, sicut nec aliàs res inter alios acta tertio nocere debet, *l. 1. C. Res inter alios acta &c.* De hac materia Coadjutoriarum videri etiam poterit Barbos. *Jur. Eccles. univ. lib. 3. c. 10.*

TITULUS VII.

De Institutionibus.

SUMMARIA.

1 *Institutio quid?*
2 *Præsentatus ante institutionem occupans beneficium perdit jus suum.*
3 *Institutio ad quem pertineat?*
4 *Institutio alia quoad titulum, alia quoad possessionem.*
5 *Investitura in beneficiis sicut in feudis usitata; & quotuplex?*
6 *Investitura ad quem spectet, & qualiter fiat?*
7 *Institutio authorizabilis est datio curæ animarum, omnibus Presbyteris necessaria.*
8 *Regulares pro cura animarum an approbandi ab Episcopo.*
9 L. Barbarius. De Offic. Prætoris. *habet etiam locum in spiritualibus.*

1 QUamvis *Institutionis* vocabulo aliquando omnis omninò concessio beneficii, seu susceptio ad Ecclesiam intelligatur *arg. cap. 1. & 5. hoc t. c. 1. de Reg. Jur. in 6.* propriè tamen loquendo, *institutio est concessio beneficii ad præsentationem patroni facta.* Unde opponitur *collationi*, quæ est concessio beneficii omninò libera, quando nimirùm collator pro suo arbitrio sine alterius præsentatione aliquam Clericum ad beneficium vacans assumit.

2 Est porrò hæc institutio omnibus præsentatis adeò necessaria, ut si præsentatus, qui jus tantùm ad beneficium, non in beneficio habet, propria authoritate ante institutionem beneficium occuper, fructus colligat &c. hoc ipso jus ex præsentatione quæsitum amittat, *c. avaritiæ 5. de Elect. in 6.* Garc. *de Benef. p. 11. c. 12. n. 217.*

3 Pertinet autem institutio regulariter ad Episcopum loci, in quo beneficium situm est, *c. 3. h. t.* attamen ad inferiores Prælatos quandoque de consuetudine, vel privilegio hanc potestatem etiam spectare posse probat textus *in c. 6. h. t.* sed si lis inter Episcopum, & alium inferiorem super jure instituendi oriatur, onus probandi non ad Episcopum, sed adversarium ipsius pertinebit: quia Episcopus habet fundatam intentionem in jure, ex quo institutio ad eum spectare præsumitur, nisi contrarium, probetur, *d. c. 3. h. t.*

4 Institutio alia est, per quam *titulus* beneficii confertur, quando Episcopus præsentato litteras confirmatorias impertitur; & alia, per quam ipsius beneficii actualis *possessio* datur, quæ etiam *investitura*, vel missio in corporalem & actualem possessionem dicitur: neque enim quoad *titulum* institutus beneficii *possessionem* propria authoritate sine licentia, vel introductione superioris apprehendere debet, aliàs pœna saltem arbitraria ab Episcopo puniendus teste Cov. *Variarum Resolut. lib. 3. c. 16. n. 7. & 8.* Imò si in tali possessionis apprehensione violentia uteretur, priorem possessorem expellendo, tunc etiam omne jus ex institutione quæsitum ipso facto deperderet, per text. & DD. *in c. eum qui 18. de Præb. in 6.*

Ritus investituræ varii pro diversitate locorum in usu esse solent: alicubi investiendus coram Episcopo, vel Vicario, aut Consistorio ejus facit professionem fidei (quam professionem omnibus beneficiatis injunxit Concilium Tridentinum, *sess. 24. de Ref. c. 12.*) item & homagium, seu juramentum obedientiæ, & fidelitatis Episcopo præstandæ, deinde imponitur ipsi biretum adjunctis verbis investituram significantibus.

Sed cùm DD. in beneficiis sicut in feudis, duplicem *investituram* distinguere soleant: unam *verbalem*, quæ fit per verba cum traditione alicujus signi, & aliam *realem*, quæ fit per actualem introductionem in possessionem beneficii, vel rei feudalis, ideò dictus modus investiendi potius verbali investituræ accensendus videtur, quæ ex plurium sententia non ipsam actualem possessionem, sed obligationem solùm ad traditionem actualis possessionis, vel ad summum licentiam propria authoritate vacuam possessionem occupandi inducit. Julius Clarus *in §. feudum quæst. 36.* Restat propterea, ut verbaliter investitus insuper actualiter in possessionam beneficii inducatur, quæ introductio de jure ad Archidiaconum spectat, *c. ad hæc 7. de Officio archidiaconi*, aliquando tamen etiam ad Episcopum, vel delegatum ab eo, *juxta c. licet Episcopus 28. de Præbendis in 6.* si nimirùm id habeat consuetudo, vel beneficium sit litigiosum, & ab alio occupatum, quem expelli oporteat. Cov. *d. c. 16. n. 7.* imò si hæc investitura realis nullam aliam ceremoniam Ecclesiasticam habeat, quàm actualem introductionem in locum beneficii cum traditione clavium, & jurium, ac librorum attinentium, cum sit meri facti, etiam laico committi posse docet Zoes. *h. t. n. 4.*

Alibi verò in parochialibus saltem beneficiis tota investitura verbalis, & realis in ipso loco parochiæ simul, & semel à Commissario Episcopi peragitur, atque in die festo, dum parochiani ad divina conveniunt, proponitur ipsis in Ecclesia novus parochus, qui & ibidem publicè juramenta fidei, & obedientiæ deponit, ac insignia parochialia accipit, quam *investituram in spiritualibus* vocant, eaque peracta *investituram* etiam *in temporalibus* tribuunt; deducendo novum parochum in domum parochialem claves, reditus, & fructus parochiales ipsi assignando, quam *aditionem temporalium* in quibusdam locis Patroni, Advocati Ecclesiarum, & Domini Territoriorum privativè quoad Episcopum sibi arrogant, licet de jure communi patrono præsertim laico præter jus præsentandi, & inspectionem in beneficio in ordine ad excessus Episcopo denuntiandos non sit aliqua jurisdictio, vel potestas in beneficiatum, beneficium, aut reditus beneficiales concessa, ut passim Doctores in Tractatu *Juris patronatus* attestantur, & probat Conc. Trid. *sess. 25. de Ref. c. 9. v. patroni autem c. 2. de Judiciis*, quo igitur jure id faciant ipsis defendendum relinquo. 6

Præterea apud DD. quædam *institutio authorizabilis* dicitur, quæ nil est aliud, quàm authoritas, sive jurisdictio concessa ad curam animarum exercendam; quæ institutio in parochialibus beneficiis omnem aliam institutionem præcedere debet. Etenim Concilium Trid. *sess. 23. de Ref. c. 15.* statuit in hæc verba: *quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessione Sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, Privilegiis & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.* Concordat ejusdem Concilii *cap. 11. sess. 25. de regularibus*, & Bulla Gregorii XV. *Inscrutabili*, & Pii V. *Romani Pontificis* 133. & Urbani VIII. *Cùm sicut accepimus.* Unde DD. in Summa dicunt, Sacerdotibus quidem in ordinatione dari claves Ecclesiæ ad solvendum, & ligandum, exercitium verò istarum clavium, & jurisdictionem actualem conferri ab Episcopo. Imò potest successor Episcopus ab Antecessore suo approbatos pro 7

ma-

majori conscientiæ suæ tranquilitate denuò ad examen, & novam approbationem, si putarit necessarium, vocare, ut in dicta Bulla Pii V. §. 2. habetur.

8 Circa has constitutiones etiam notandum, quòd non prohibeatur quidem Regularibus, quin cum licentia sui prælati etiam sine approbatione Episcopi valeant audire confessiones aliorum Regularium ejusdem monasterii, vel etiam diversi, non autem sæcularium etiam Sacerdotum, nisi isti sæculares sint verè de familia, & continoi commensales Regularium, qui scilicet in ipso Monasterio quotidiè aluntur Monasterii sumptibus, ut Congregatio Card. declaravit. Verùm in quibusdam Diœcesibus Prælati Episcopo inferiores ab antiquissimis temporibus ante & post Conc. Trid. Regulares ad parochias suis Monasteriis pleno jure incorporatas, & confessionem sæcularium propria authoritate, sine approbatione Episcopi exposuerunt, allegantes pro se, tum quod *in dicto c.* 15. *Trid. sess.* 23. excipiantur Regulares, *qui parochiale beneficium habent*, ergò parochiam habere, & approbatum esse, & parochiam conferre, atque approbare paria, connexa, & correlativa videntur; tum quòd *in c.* 11. *sess.* 25. *de Regul.* excipiantur Abbates jurisdictionem *quasi Episcopalem exercentes*. Jurisdictio autem *quasi Episcopalis* præter specialia privilegia certis Prælatis competentia, acquiratur etiam per incorporationem pleno jure, scil. *quoad spiritualia, & corporalia*. Gloss. *in Clement.* 1. *in verbo proprii. de Rebus Ecclesiæ non alienandis*. ChoKier. *de Jurisdictione ordinarii in exemptos p.* 1. *q.* 9. *n.* 9. *& p.* 4. *q.* 20. & quòd jurisdictio quasi Episcopalis, & in specie potestas approbandi confessarios *præscriptione* præsertim immemorialis temporis acquiratur, docet Panorm. *in c. cum non liceat* 12. *de Præscript. n.* 17. Barb. *de Offic. Episc. p.* 3. *alleg.* 72. *n.* 185. *& allegat.* 127. *n.* 14. *alleg.* 129. *n.* 9. quibus tamen hodiè Episcopi locorum vigore Constitutionum superiùs allegatarum contradicunt, & possent adhuc pro utraque parte multa dici, sed brevitatis causa supersedemus, & majori judicio relinquimus.

9 Sed quid circa validitatem Sacramentorum censendum, quæ Regulares non approbati ab Episcopo priùs administrarunt, antequam per sententiam legitimi Judicis ad petendam approbationem condemnati sunt? Pro validitate respondendum: nam posito etiam, approbationem Episcopi esse necessariam, quamdiu tamen bona fide, & cum titulo parochiali à Prælatis, quibus jus conferendi parochiam competit, exponuntur, & communi hominum existimatione legitimi curati creduntur, à lege suppletur jurisdictio propter communem hominum utilitatem, qui non debent in re gravis momenti decipi, & locum habet, quod dicitur; *communis error jus facit*, quando defectus non est ex jure naturali, vel divino, sed tantùm ex humano positivo, ut in præsenti, *arg. l. Barbarius* 3. *de Offic. Prætoris*. Joann. Sanch. *in Selectis disp.* 44. *n.* 3. Tannerus *de Pœnitentia disp.* 6. *q.* 9. *dubio* 3. *sub n.* 53. Trulench. *in praxi Ref. Sacram. lib.* 4. *c.* 9. *dub.* 5. *n.* 53.

TITULUS VIII.

De Concessione Præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.

SUMMARIA.

1 *Præbenda non vacans, non conferenda.*
2 *Beneficium quot modis vacare dicatur?*
3 *Beneficium de jure vacans, & ab alio possessum impetrans debet facere hujus possessionis mentionem.*
4 *Beneficii vacaturi promissio non valet.*
5 *Expectativa gratia hodiè per Conc. Trid. sublata.*

1 GEneralis Regula hujus Tituli est, quòd præbendam, aut Ecclesiam non vacantem alteri conferre non liceat, & collatio de facto attentata nulla, & invalida censeri debeat, cùm nemini jus suum, sine culpa sua, aut causa publica auferendum sit, *c. h. t.*

2 Ad cujus rei intellectum sciendum est, beneficium triplici modo dici vacans. I. Enim aliquando beneficium vacat *de facto tantum*; quia nimirùm *de facto* nullus est, qui actualiter possideat, adest, tamen aliquis, qui titulum, & jus ad beneficium habeat, e. g. quando beneficiatus est vi dejectus, vel injusto metu adactus ab beneficium resignandum. Et hæc vacatio non sufficit, ut alteri beneficium conferri possit, quia revera tale beneficium non est vacans, quod de jure ad aliquem pertinet, licet is hic, & nunc in possessione non sit.

II. Beneficium aliquando vacat *de jure tantum*, ut cum aliquis illud detinet, sed injustè, v. g. si accepit ex collatione illius, qui jus conferendi non habuit: si ob crimen, aut susceptionem secundi beneficii incompatibilis ipso jure privatus sit. Et hæc vacatio sufficit, ut beneficium conferri, vel promitti possit, ita tamen, ut Episcopus, antequam novum beneficiatum in corporalem Possessionem introducat, priùs advocare debeat possessorem, an fortè ex dispensatione, vel alia causa jus retinendi beneficii habeat, *c. licet Episcopus* 18. *ubi Glossa in verbo retinendi, de Præbendis in* 6.

3 Deinde illud etiam speciale est, quòd si quis velit beneficium de facto ab alio possessum à summo Pontifice impetrare, debeat hujus possessionis in supplicatione facere mentionem, aliàs rescriptum impetratum subreptitium censebitur. Textus & DD. *in c. cum nostris* 6. *h. t.* Atque huc pertinet Regula *de annali possessore*, superiùs in Tit. *de Præbendis*, inter Regulas Cancellariæ 35. relata.

III. Denique beneficium aliquando vacat *tam de jure, quàm de facto*, ut per mortem beneficiati, privationem, vel liberam resignationem. Et hæc vacatio est propriè dicta, & plena vacatio, ex qua potest, & debet alteri beneficium conferri.

4 Præterea ad excludendum votum captandæ mortis alterius non tantùm beneficium non vacans actualiter conferri nequit, sed etiam Episcopus, vel quicunque ordinarius collator alteri illud beneficium promittere in tempus, quo vacare incipiet, prohibetur, *c.* 2. *&* 3. *h. t.* ita ut nec promissio in genere *de beneficio primo vacaturo* sustineatur, *c. ex tenore* 13. *eod. t.* Item licet de Jure Decretalium valuerit promissio generalior, v. g. si Episcopus promisisset alicui beneficium, *quam primum se facultas obtulerit, quàm primum potuerit &c. c. accedens* 14. *h. t.* id ipsum tamen deinde à Bonifacio VIII. *in c.* 2. *eod. tit. in* 6. correctum est, ut ne talis quidem promissio valere, vel Episcopum obligare debeat, eò quòd sub tali pallio verborum generalium in effectu latere videatur promissio beneficii primò vacaturi.

5 Qualiter etiam *mandata de providendo, & gratiæ, quæ expectativæ dicuntur, nemini amplius etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi debeant, nec hactenus concessis cuiquam uti liceat*, vid. text. in Concil. Trid. & ibidem Declarat Card. ac Barb. *in Collect. sess.* 24. *de Refor. c.* 19. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell.* §. 1. *Proœm. n.* 64.

Item in eodem Concilio Tridentino *dicto c.* 19. statutum est, ne quæcumque gratia ad vacatura beneficia, nec indulta ad alienas Ecclesias alicui etiam Cardinali ampliùs concedantur, quò tamen pertinent ea, & videri debent, quæ superiùs in Tit. *de Clerico ægrotante*, circa coadjutorias *cum futura successione* dicta sunt.

Cæterum quòd in eodem Concilio de *reservationibus* quoque *mentalibus* fiat mentio, non est intelligendum de reservationibus generalibus, quæ fiunt per Regulas Cancellariæ, & pro nulla certa persona: quia in his reservationibus non subest periculum captandæ mortis, quando nemo in specie habet jus ad beneficium reservatum, antequam vacet, sed tantùm de reservationibus, quæ pro certa aliqua persona in specie olim frequenter fiebant, quam personam si Pontifex non exprimebat, sed in mente retinebat, dicebatur RESERVATIO MENTALIS, Gonz. *d. l. n.* 67. Barb. *d. c.* 19. *Trid. n.* 4.

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

SUMMARIA.

1 *Sede* vacante nihil esse innovandum, *& tamen* jurisdictionem ad capitulum devolvi *qualiter, & quibus casibus intelligatur?*
2 *Episcopo contra exemptos quando, & sub qua verborum forma detur jurisdictio?*
3 *Capitulum supplet jurisdictionem delegatam Episcopi, quando est casus necessitatis.*
4 *Capitulum sede vacante non potest conferre beneficia.*
5 *Quid si sint beneficia negligentia inferiorum Collatorum devoluta?*
6 *Capitulum sede vacante potest præsentatos instituere, & electos confirmare.*
7 *Nihil verò alienare, quod servari potest, vel de reditibus Episcopalibus in suos usus convertere. Consensum vero ad alienandum inferioribus dare non prohibetur.*
8 *Capitulum sede vacante potest ea, quæ sunt contentiosa jurisdictionis, etiam ardua.*
9 *Potest ferre censuras, & absolvere.*
10 *Dispensare quando possit Capitulum?*
11 *De Capituli potestate faciendi statuta, remissivè.*
12 *Enumerantur plura alia, quæ Capitulo sede vacante competunt.*
13 *Capitulum sede vacante non potest dare licentiam ordinandi, vel dimissorias intra annum, nisi arctatus.*
14 *Capitulum sede vacante non potest litem super juribus Episcopalibus instituere, vel prosequi.*
15 *Capitulum debet sede vacante constituere œconomum, & vicarium.*
16 *Monasteriis vacantibus ad quem devolvatur Prælati jurisdictio?*
17 *Monasterio vacante an conventus possit litem super juribus Monasterii instituere?*

1 QUod ex hac rubrica dicitur, Episcopali *sede vacante non esse aliquid innovandum*, sed omnia in suo statu relinquenda usque post confirmationem novi Episcopi, non est ita perpetuum, quin multas patiatur exceptiones: nam ex contrario stat alia Regula, quæ desumitur *ex c. hic, quæ 11. cùm olim 14. de Majoritate, & Obedientia c. ad abolendam 9. in princ. de Hæreticis.* quòd videlicet *sede vacante* jurisdictio Episcopi transeat in Capitulum Cathedralis Ecclesiæ. Unde, cùm istæ duæ regulæ sibi invicem adversentur, laborant DD. de tertia aliqua constituenda, per quam sciri possit, quandonam, & in quibus casibus alterutra ex præcedentibus locum habeat.

2 Sanè Panorm. *ad Rubricam hujus tituli* docet, regulam, quæ in Rubrica traditur, ita esse generalem, ut regulariter *sede vacante* omnia prohibeantur innovari, nisi quæ specialiter sunt excepta, adeòque, si Capitulum velit aliquem actum exercere, debeat probare, quòd ille actus sibi sit à jure permissus.

Econtra Navarrus *in tit. de Electione Consil. 44. num.* 1. putat regulam universalem, & affirmativam esse pro Capitulo, ita ut omnia, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, *sede vacante* peragere valeat, nisi specialiter reperiantur prohibita.

Receptior tamen hodie est distinctio, quam tradit Quar. *in Summ. Bullarii v. Capitulum sede vacante sub n.* 1. Garc. *de Benef. p.* 4. *c.* 7. *à n.* 44. Barb. *de Officio Episc. p. 3. alleg.* 92. *n.* 17. cum pluribus ibidem cit. Quòd nimirum in iis, quæ Episcopo defuncto, non tanquam Ordinario, & Episcopo, sed ex speciali privilegio, commissione, vel *ut Sedis Apostolicæ delegato* etiam ab ipso jure constituto competebant, item, & in iis, quæ sunt ex libera voluntate, nulla necessitate cogente, quæ potiùs gratiam, quàm justitiam continent, habeat locum regula hujus tit. *Sede vacante nihil innovandum esse*, nisi specialiter sit permissum: at verò in aliis, quæ Episcopo *jure ordinario* competebant, item in illis, quæ sunt *contentiosæ jurisdictionis*, aut instante necessitate, vel justitia expedienda, procedat altera regula, quòd *Capitulum* in similibus *succedat in jurisdictionem Episcopi*, nisi specialiter reperiatur prohibitum. Res tota ex particularibus exemplis magis apparebit.

Unde not. I. quòd Episcopus in multis casibus possit contra exemptos, & suæ jurisdictioni non subjectos procedere, tam de jure communi, ut in *c. ad abolendam 9. in fine de Hæreticis c. irrefragabili 13. §. cæterùm de Offic. ordin. c. 1. § ult. de Statu regularium in 6. Clement. unica de Suppl. neglig. Prælat. Clement. 2. de Statu Monach.* quàm novissimè de Conc. Trident. *sess. 5. de Reform. c. 2. sess. 6. c. 2. 3. & 4. sess. 7. c. 6. 8. & 14. sess. 21. c. 5. 7. & 8. sess. 22. c. 3. 5. 6. 8. & 10. sess. 24. c. 9. & seqq. Demum sess. 25. c. 8. & 9.*

Ubi advertendum est, hanc potestatem dari Eiscopo sub diversa verborum forma, aliquando enim dicitur, ut contra exemptos procedere valeat, *tanquam sedis Apostolicæ delegatus*, & in hac speciali delegatione non succedit Capitulum.

Aliquando verò datur ipsi potestas ordinaria, & tantùm removentur obstacula, veluti dum dicitur: *non obstantibus privilegiis, exemptionibus &c.* & tunc tanquam in potestate ordinaria succedet Capitulum, sicut tradunt Barbos. *dict. loc. num.* 17. Quòd si dictum fuerit, Episcopum *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatum* procedere posse, quamvis particula *etiam* videatur involvere utramque potestatem *ordinariam*, & *delegatam*, adhuc tamen tali casu Episcopus ex delegata Potestate procedere censetur, & ab ejus sententia indistinctè ad Summum Pontificem appellans, juxta doctrinam Barbos. *dict. l. num.* 14. & consequenter hic quoque Capitulum excludetur.

Notandum II. si necessitas expetierit, etiam in iis casibus, in quibus Episcopus processisse debuisset tanquam delegatus Papæ, ejusdem vices suppleri, id licere Capitulo, præsertim si non sit de proximo futurus successor, ut advertit Quar. *d. l. vers. quia indies*, secundum vulgatum axioma, quòd in casu necessitatis recedatur à Jure communi, & quòd non est licitum in lege, plerumque necessitas licitum efficiat *c. 4. x. de Reg. Jur.* 3

Notandum III. quòd Capitulum *sede vacante* beneficia ad collationem Episcopi spectantia conferre non possit: cum collatio potiùs gratiam, quàm justitiam contineat, & sit species donationis, quam Capitulum facere prohibetur, *c. 2. h. t.* nisi collatio simul, & communiter pertineret ad Episcopum, & Capitulum (sicut in Titulo *de Præb. §. 6. n. 61.* diximus) tunc enim vacante sede solum Capitulum conferre posset, *c. unico, h. t. in 6.* 4

Quid autem de beneficiis ex negligentia, vel delicto inferiorum Collatorum ad Episcopum devolutis, an ea Capitulum sede vacante conferre poterit? Pro utraque sententia DD. refert Quaranta *div. vers. Capitulum Sede vacante vers. 9. quæro*, demum concludit, hodie hanc quæstionem non habere dubium propter Bullam Pii V. quæ omnia beneficia sede Episcopali vacante Sedi Apostolicæ reservavit. Attamen quia in Titulo *de Præbendis §. 2. num.* 18. dictum fuit, valdè probabiliter defendi posse, has Bullas Extravagantes habentes beneficiorum reservationes, præter eas, quæ in *Concordatis* continentur, non obligare in Germania, ideò abstrahendo ab hac Bulla sententia affirmativa pro Capitulo videtur mihi verior, & æquior, quam sequitur Panorm. *in cap. 2. hoc tit. sub num.* 3. talia enim beneficia non sunt propria seu proprii fructus donari prohibiti hujus Ecclesiæ hic, & nunc vacantis, neque eorum collatio tam favorem hujus Episcopi, utpotè ad quem non pertinebat immediatè, quàm ipsius beneficii, ne diutiùs cum sui dispendio vacare debeat, concernit. 5

Notandum item IV. quòd Capitulum possit præsentatos à patronis instituere, *cap. 1. de Instit. in 6.* item, & confirmare electiones inferiorum prælatorum, *cap. cum olim 14. de Majoritate & obed.* quia hujusmodi institutiones, & confirmationes debentur ex Justitia præsentatis, & electis, qui Jus ad talia beneficia habent, ita ut si 6

ipsis

ipsis denegentur, appellare possint ad superiorem: in libera autem collatione beneficii nulli in specie Jus quæsitum est ante actualem collationem.

7 Notandum V. quòd Capitulum sede vacante non tantùm alienare nihil possit *c. si qua de Rebus* 42. *& cap. precaria* 44. *caus.* 12. *q.* 2. sed nec possit de Jure nullum emolumentum, vel qualemcunque redituum Episcopalium Sede vacante obvenientium portionem in suos usus convertere, vel inter se dividere, omnia verò debeat futuro Prælato (cum obligatione conficiendi inventarii, & reddendarum rationum teste Covar. *de Testamentis cap.* 2. *n.* 5.) fideliter asservare, *c. hæc hujus placiti* 38. *c. non liceat* 43. *causa* 12. *q.* 2. *c. quia sæpe* 40. de *Electione in* 6. *Clement. statutum* 7. *de Electione*.

Notandum tamen VI. si res aliquæ servando non servabiles, & tempore perituræ forent, eas tunc Capitulum rectè alienare posse, sicut ipsa naturalis ratio dictat, istam prohibitionem alienationis in favorem Ecclesiæ introductam non esse in ejus dispendium retorquendam *vulg. c. quod ob gratiam* 61. *de Reg. J. in* 6. Panorm. *in c.* 1. *h. t.*

Item etiam poterit Capitulum authoritatem suam in alienationibus per inferiores Prælatos, & Clericos faciendi interponere, cùm, & hæc authoritatis interpositio sub existente justa causa ex Justitia debeatur, Panorm. *in d. c. cum olim.*

8 Notandum VII. quòd ea, quæ sunt *contentiosa Jurisdictionis*, possit Capitulum sede vacante decidere, & expedire, licet fuerint causæ arduæ, quemadmodum de causa hæresis (quæ utique inter arduas computatur) quod de ea Capitulum cognoscere possit, textus est in *c. ad abolendam* 9. *de Hæreticis, & Clement.* 1. *§.* 1. *eod. tit.* Similiter quòd causas *matrimoniales* (quæ etiam majoris momenti censentur, *arg. cap.* 1. *de Consanguin. & affinit.*) cognoscere valeat Capitulum, satis probatur *ex cap. veniens* 7. *& ejus inscriptione. De eo qui duxit &c.* Nec obstat Concil. Trident. *sess.* 24 *de Reform. cap.* 20. ubi causarum *criminalium*, & *matrimonialium* cognitio dicitur tantùm ad Episcopum pertinere: nam ibi Concilium solummodo excludit Archidiaconos, Decanos, & alios inferiores Prælatos, non verò Capitulum *sede vacante*, utpotè quod non habet inferiorem, sed ipsam Episcopi Jurisdictionem, Barbos. *in Collectaneis ad dict. cap.* 20. *num.* 58.

9 Notandum VIII. quòd Capitulum etiam succedat in potestate ferendi censuras, & ab iisdem absolvendi: quia hæc potestas non ad ordinem Episcopalem, sed ad Jurisdictionem pertinet. Licèt verò tantùm de potestate *absolvendi* habeatur textus *in c. unico de Major. & obed. in* 6. id tamen Interpretes de potestate *deferendi* censuras sentiunt, cui enim potestas competit absolvendi, illi cæteris paribus, maximè si jurisdictionem Episcopalem habet, etiam potestas ligandi competit *c. Verbum* 51. *dist.* 1. *de Pœnit.* Et claves potestati Ecclesiasticæ traditæ sunt à CHRISTO ad *solvendum*, & *ligandum*. Accedit quòd censuratio sit nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, & coercitio spectans ad jurisdictionem Ecclesiasticam, consequenter cui jurisdictio, etiam ea concessa intelliguntur, sine quibus Jurisdictio cum effectu exerceri non potest, *L.* 2. *ff. de Jurisdictione. L. fin. ff. de Officio ejus, cui mandata est Jurisdictio.*

10 Notandum est IX. quòd Capitulum ex communi sententia etiam possit dispensare in illis casibus, in quibus potuisset Episcopus, quos superiùs in Lib. I. in Tit. *de Major. & obed. §.* 4. retulimus. Sed hoc, si dispensatio sit quasi debita, & sine periculo notabilis damni, aut scandali differri non possit, prout dispensationem aliquando ob gravem causam esse debitam docet Glossa *in c. ut constitueretur* 25. *dist.* 50. *in V. detrahendum est* & advertit Quar. *d. n.* 1. *Vers.* 2. *quæro.*

11 Notandum X. quòd Capitulum sede vacante possit facere statuta, quæ etiam durent in tempus futuri Prælati. De quo puncto videatur Quaranta *sæpè d. n.* 1. *Vers.* 4. *Quæro.* & dicta superiùs Lib. I. in Tit. *de Const. §.* 2. *n.* 21. *&* 22.

12 Plura item alia, quæ ad jurisdictionem Episcopalem Capitulo sede vacante competentem referuntur, enumerat Barbos. *in Collectaneis ad c.* 2. *h. t. à n.* 4. *& Jur. Ecclesiastici Univers. lib.* 1. *c.* 32. veluti quòd Capitulum sede vacante possit recipere resignationes beneficiorum, & in eorundem permutationibus authoritatem præstare.

Ex causa beneficia unire, non tamen in suum favorem, vel præjudicium successoris Episcopi.

Ultimas defunctorum voluntates exequi, quatenus jure ordinario competit Episcopis.

Exigere rationes ab administratoribus piorum locorum.

Visitare Diœcesin: Exigere charitativum subsidium: Concedere indulgentias: Confessarium instituere ad absolvendum à casibus Episcopo reservatis: assistere Matrimonio juxta formam Concilii Trid. *sess.* 24. *de Reform. matrim. c.* 1.

13 Notandum tamen XI. quòd Capitulum sede vacante possit quidem concedere licentiam extero Episcopo Pontificalia in Diœcesi exercendi v. g. solemne Officium celebrandi, Ecclesias, vel Ecclesiastica paramenta consecrandi, confirmandi &c. non tamen Ordines conferendi illis, qui sunt de Diœcesi, in qua sedes vacat, *intra annum* à die vacationis. Neque etiam istis diœcesanis litteræ dimissoriæ ad alium Episcopum à Capitulo *intra annum* concedi possunt, nisi *arctatis*, hoc est iis, qui propter beneficium sibi collatum aut conferendum, necessariò debent Ordines intra illum annum accipere. Trid. *sess.* 7. *de Reform. c.* 10. Quando autem Capitulo ob arctationem ordinandi, vel vacantiam ultra annum concessum est dimissorias dare, poterit id etiam *in interstitiis* dispensare. Barb. *in Collect. dict. cap.* 10. *Trid. num.* 12.

14 Notandum XII. quod vacante Sede Capitulum Ecclesiæ Cathedralis non possit litem super juribus Episcopi instituere, vel prosequi, sed tantùm super juribus ipsum Capitulum concernentibus, sicut cum Panorm. notant communiter DD. *in c.* 3. *h. t.* non tamen propterea adversarius illud tempus ad præscriptionem contra Ecclesiam computabit, quia vacante sede præscriptio dormire dicitur prout Lib. II. in Tit. *de præscriptionibus*, explicatur. Dixi Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, non posse litem instituere; quid verò de Monasteriis vacantibus, inferius ad finem exponam.

15 Notandum XIII. quòd propter difficultatem congregandi totum Capitulum præsertim in his, quæ celeritatem desiderant; item ob contradictionem, aut discordiam, quæ oriri possit, si penes omnes ac singulos Canonicos administratio temporalium, & spiritualium foret, à Concilio Trid. *sess.* 24. *de Reform. c.* 16. constitutum sit, ut Capitulum sede vacante Oeconomum unum, vel plures fideles decernat, qui rerum Ecclesiasticarum, & proventuum curam gerant. Item ad exercendam Jurisdictionem officialem, seu vicarium intra *octo dies* post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare teneatur, qui saltem in jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs, quantùm fieri poterit, idoneus: si secus fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur, & si Ecclesia ipsa Metropolitana, aut exempta, Capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta Oeconomum, & Vicarium possit constituere. Episcopus portò ad vacantem Ecclesiam promotus poterit ab iisdem Oeconomo, & vicario, aliisque quibuscumque officialibus, & administratoribus, etiamsi fuerit de Capitulo, rationes exigere, & in officio suo delinquentes punire, ut in eodem *c.* 16. *Trid.* habetur.

16 Notandum *ultimò* quòd hactenus dicta potissimum intelligantur de Capitulis Cathedralium Ecclesiarum. Quid verò dicendum sit de Conventibus, & Capitulis Monasteriorum, & aliarum Ecclesiarum inferiorum, non est una omnium sententia. Sunt enim, qui simpliciter statuant, mortuis, vel ab officio suspensis, vel remotis Prælatis Jurisdictionem immediatè devolvi ad Episcopum, vel alium proximum superiorem, qui Ecclesiæ vacanti constituat administratorem. Et pro hac opinione citatur Archidiaconus *in c.* 2. *de Testibus in* 6.

Alii contrarium, & præsertim in Monasteriis vacantibus jurisdictionem ad Priorem claustralem, & Conventum in *spiritualibus*, & *temporalibus* devolvi asserunt, pro quibus allegatus Innocentius *in cap. cùm dilectus* 8. *de Consuetudine*. Textus *in cap. fin. de Regularibus in* 6.

& in

& in Clement. ne in agro §. si quis autem. versic. si quis verò. de Statu Monachorum. Atque hanc sententiam universali consuetudine esse receptam testatur Tamburinus *de Jure Abbatum tom. 2. disp. 1. q. 4. n. 5.* eamque veriorem censet Panorm. *in c. fin. de Statu Monachorum n.* 8. saltem, si Ecclesia vacet per mortem, aut resignationem Prælati, si verò propter depositionem ex delicto, præsumptionem tunc esse etiam contra Capitulum, ideòque à Superiore dandum administratorem cum Joanne Andrea existimat. Sed quia textus in *d. Clement. ne in agro.* in specie loquitur de Prælato ob delictum suspenso, & Tamburinus *d. l.* etiam ponit casum, quo Prælatus à dignitate removetur, ideò hæc Panormitani exceptio videtur explicanda, ut tunc procedat, quando plures de Conventu sunt suspecti; generaliter autem Episcopo, vel Superiori non minùs sede vacante, quàm impleta sua jurisdictio ordinaria, quam alias in Monasterium habet, salva manet.

17 Cæterùm quod docet Innocent. *in d. c. cum dilectus num.* 1. & Felin. *in c. edoceri* 21. *de Rescript. sub n.* 7. Conventum vacante sede posse litem super bonis Monasterii intentare, & procuratorem constituere, cùm Abbates non soleant habere propria bona, sicut Episcopi, sed ea communiter pertineant ad Monasterium, putarem temperandum juxta sententiam Panorm. *in cap. 3. hoc t. n.* 5. ut procedat, si vacatio sit diuturnior, & Authoritas Episcopi, vel superioris accedat, quia etiam in bonis communibus Episcopi, & Capituli non conceditur Capitulo sede vacante agere, ut communiter notant DD. *in d. c. 3. h. t.* & actionem instituere magni præjudicii, ac nonnunquam periculi est, atque voluntarium magis, quàm necessarium, quando citra damnum præscriptionis (quæ sede vacante non currit *c. de quarta* 4. *& c. auditis* 15. *de Præscriptione*) vel aliud in tempus novi Prælati differri potest.



TITULUS X.

De his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.

SUMMARIA.

1 *Consensum, vel Consilium requirere, quomodo differant in effectu?*
2 *Capituli consensus in quibus casibus requiratur?*
3 *Parochiales Ecclesiæ an, & quomodo possint uniri Monasteriis, vel Collegiis?*
4 *Capitulares Singulares, vel totum Capitulum si delinquat, qualiter procedere possit Episcopus?*
5 *Consensus, vel consilium Capituli quibus casibus requiratur; an & qualiter declarare possit consuetudo?*

1 PRo regula tenendum est, quòd Prælati omnia majora negotia cum *Consensu*, vel *Consilio* suorum Capitulorum expedire debeant; cùm *consensu* tunc, quando expressè requiritur in jure; cùm *Consilio* autem, quando jura quidem consensum Capituli nominatim non exigunt, res tamen gravis, & majoris momenti est.

Debet verò hic prænotari quòd inter requisitionem *consensus*, & requisitionem *consilii* magna sit differentia: nam si requiratur *Consensus*, tenetur Prælatus sequi id, quod major pars Capitularium concluserit: si autem tantùm *consilium* desideretur, sola consultatio cum Capitularibus sufficiet, absque eo quòd Prælatus eorum opinionem sequatur *c. cùm olim 7. de Arbitris & leg. item si unus 31. §. fin. ff. de Receptis, qui arbitrium &c.* Sed nunquid frustra Prælatus consultabit cum Capitulo, si non teneatur sequi sententiam Capitularium? Resp. talem consultationem minimè esse frustraneam: quia saltem auditis rationibus Capitularium occurretur præcipitantiæ; & Prælatus melius deliberare, & resolvere poterit juxta illud: *oculi plus vident, quàm oculus*, & monitum Sapientis: *omnia fac cum Consilio, & post factum non pœnitebit.* Sylvest. *Verbo consilium.*

Consensus igitur Capituli I. In alienatione rerum Ecclesiasticarum, sicut in *Tit. de Rebus Ecclesiæ non alienandis.* prolixius traditur. 2

II. Episcopus non potest sine consensu Capituli, vel licentia speciali Pontificis Ecclesias Parochiales, vel earum fructus, & reditus Monasterio, vel Collegio in perpetuum unire, *c. Pastoralis 9. h. t.* Imò Episcopus sui etiam Capituli accedente consensu mensæ suæ, aut ipsius Capituli non potest aliquam unire Ecclesiam, neque enim valet, ut quis in facto proprio ad suum commodum authoritatem sibi præstet. *Clement. 2. de Rebus Ecclesiæ non alienandis.* Et hodie in Concil. Trident. *sess. 24. de Reform. cap.* 13. generaliter prohibetur, ne imposterum parochiales Ecclesiæ Monasteriis quibuscumque aut Abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve uniantur. Excipi tamen Parochiales Ecclesias, quæ non sunt actu, sed habitu tantùm tales; item quarum uniones fiunt pro fundatione, dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, vel aliorum locorum piorum ad fidei Catholicæ defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum, refert Barbos. *in Collectan. ad dictum cap. 13. Trid. num. 10. & seqq.* 3

III. Quando Jus Patronatus competit Monasterio, vel Collegio, Prælatus non potest aliquem, sine consensu Capituli, vel Conventus præsentare: quia hoc Jus non tantùm Prælato, sed & Ecclesiæ vel Monasterio competit: *c. ea noscituri 6. h. t.* Atque idem generaliter censendum, quoties Capituli particulare interesse versatur, ait Vallens. *h t. n. 4. arg. c. fin. h. t.* Quo facit *Reg. 29. de R. J. in 9.* & text. *in l. fin. C. de Auctor. præst. quod omnes tangit ab omnibus debet approbari.*

IV. In Concil. Trident. *sess. 25. de Refor. c. 6.* constitutum, ut in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis Capitulum initio cujuslibet anni eligat ex Capitulo duos, quorum consilio, & consensu Episcopus, vel ejus Vicarius uti teneatur, si contra quosdam de Capitulo procedendum fuerit: ita tamen, ut utriusq; Capitularis votum pro uno tantùm habeatur, & alterum sit ipsius Episcopi. Quòd si uterque ab Episcopo dissenserit, tertius eligatur, & juxta eam partem, cum qua iste tertius convenerit, discordia terminetur. Verùm sub hac dispositione Consilii tantùm comprehendi Capitula ab Episcopi ordinaria Jurisdictione exempta, referunt à S. Congregatione Cardinalium declaratum plurimi citati apud Barbos. *ad idem c. 6. n. 3.* In aliis igitur Capitulis non exemptis poterit Episcopus propria authoritate contra singulares de Capitulo ad summum cum consilio aliorum procedere, quia teste Joann. Honorio *h. t. in fine* non reperitur textus, qui in processu contra aliquos de Capitulo consensum reliquorum exigat. 4

Quòd si totum Capitulum deliquerit, sive jam id exemptum sit, sive non posse tunc Episcopum sine adjunctis Capitularibus procedere, pariter à S. Congregatione decisum referunt citati apud Barb. *dict. loc.* nisi delictum esset in personam Episcopi, vel contemptum ejus, ubi Episcopus haberet interesse; nam tunc ex eadem Cardinalium decisione facultas procedendi contra Capitulum ad superiorem devolveretur.

Cæterùm in aliis casibus, ut in exercitiis Jurisdictionalium, item in administratione rerum temporalium extra causam alienationis plerumque non consensum, sed consilium tantùm requiri, magis inter DD. convenit. Imò consuetudine, vel præscriptione passim introductum esse ut in plerisque casibus, sine consilio, vel consensu Capituli Episcopi procedere valeant, attestatur Stephanus Gratianus *disputationum forensium c. 100. nu. ult.* Zerola *in Praxi Episcoporum par. 1. Verbo capitulum n. 8.* Et quòd talis consuetudo valida sit, probat *cap. ea noscitur 6. hoc tit. & cap. 3. de Consuetudine in 6.* Quòd verò Joannes Honorius *h. tit. n.* 11. dicit, non requiri certi temporis lapsum ad consuetudinem introducendam circa requisitionem consilii, vel consensus, sed frequentatos actus sufficere, prout id etiam alii DD. tradunt in consuetudine legis dubiæ declaratoria Panorm. *in c. cum dilectus 8. de Consuetudine num. 7.* Menoch. *de Arbitrariis* 5

cen-

centuria 1. *casu* 83. *n.* 10. id intelligo, quando verè dubitatur, an in aliquo specifico actu consilium, aut consensus requiratur; secus si id Jure decisum sit, tunc enim etiam ea, quæ aliàs ad consuetudinem contra legem introducendam superiùs in Lib. I. *in Tit. de Consuet.* requisivimus, concurrere debent.

TITULUS XI.

De His, quæ fiunt à majore parte Capituli.

SUMMARIA.

1 *Capitulum convocare quis possit?*
2 *Capitulares absentes quando vocandi.*
3 *Capitularium saltem duæ partes præsentes esse debent.*
4 *Unus vocandus non vocatus potest irritare actum.*
5 *Capitulum, ut dicatur aliquid fecisse, requiritur Capitularis tractatio.*
6 *Capitulares debent esse in majoribus ordinibus.*
7 *An etiam in Monasteriis?*
8 *Major pars Capituli trahit ad se minorem.*
9 *An sufficiat majoritas respectiva?*
10 *Capitularium major, & sanior pars debet consentire.*
11 *Capitulum an, & qualia statuta facere possit?*
12 *Fabrica Cathedralis Ecclesiæ conservatio ad quem pertineat?*
13 *Expenditur* c. fin. h. t. *cum oppositione contrariorum, & ibi, an Pars major prævaleat, quando agitur de jure singulorum.*
14 *Subscriptio Capitularium in instrumento super actu Capitulari erecta qualiter facienda?*

1 TRaditur hoc loco modus procedendi in Capitulis Ecclesiarum tum Cathedralium, tum aliarum inferiorum, cujus quotidianæ materiæ seriem breviter aliquor notandis explicabo.

Notandum itaque I. quòd potestas convocandi Capitulum regulariter quidem ad Episcopum pertineat, qui vota singulorum exquirere, & secundùm ea concludere debeat, si tamen Episcopus absens fuerit, vel de re, & commodo ipsius Episcopi, aut negotio præcisè Capitulum ipsum tangente agatur, tunc non ad Vicarium, seu Officialem Episcopi, sed unum de Capitulo, ad quem de Jure, vel consuetudine spectat, v. g. Præpositum Decanum, vel Seniorem illa potestas convocandi Capitulum pertinebit. Trid. *sess.* 25. *de Refor. c.* 6.

2 Notandum II. quòd ad actus Capitulariter tractandos Canonici, qui à loco residentiæ absunt, non debeant necessariò vocari, juxta Glossam communiter receptam *in c. cùm inter de Electione.* arg. *c.* 2. *§. hoc jus porrectum* ibi. *majore parte ibidem servientium consentiente &c. causa,* 10. *q.* 2. exceptis tribus casibus, quos notat Glossa *in cap.* 3. *de Testibus in* 6. videlicet I. in causa electionis novi Prælati. *c. quia propter* 42. *de Electione.* II. Quando recipitur aliquis in Canonicum, *c. cùm in Ecclesiis* 33. *de Præbendis in* 6. III. In cessationibus à divinis, *c. quamvis* 8. *de Offic. Ordin. in* 6. Volunt tamen aliqui DD. cum Panorm. *in c.* 1. *h. t. n.* 15. idem, quod in his tribus casibus constitutum est, etiam ad alias omnes causas magnas, & arduas extendi debere, eo quòd vocatio absentium sit Canonicis favorabilis, & consequenter ex paritate rationis amplianda, & ad similes, vel majores causas extendenda, qua in re consuetudo locorum potissimùm observanda.

3 Notandum III. illud esse rationi plurimum consentaneum, quòd præsentes Canonici extra casum necessitatis, & periculum in mora, ac nisi contrarium alicujus loci consuetudine introductum sit, procedere non possint, nisi saltem duæ tertiæ Capitularium præsentes fuerint v. g. ex triginta viginti, prout docet Panorm *in d. c.* 1. *n.* 16. *arg. L.* 3. *&* 4. *ff. Quod cujusque universitatis nom.*

Not. IV. quòd illi, qui de Jure vel consuetudine vo- 4
candi sunt, omnes omninò, & singuli vocari debeant, ita, ut juxta communiorem sententiam, si vel unus citatus non sit, possit agere de contemptu, & id, quod à reliquis actum est, si velit irritare, quia plus operatur contemptus unius, quàm consensus aliorum, *c. quod sicut* 28. *& cap. bonæ memoriæ* 36. *de Electione.* Panorm. *d. n.* 16. *v. dico tamen.*

Notandum V. ut actus dicatur factus à Capitulo, de- 5
bent Capitulares fuisse congregati capitulariter, & cum iis tractatus habitus. Unde non sufficiet, si singuli Canonici seorsim aliquid promittant, vel suam voluntatem declarent. Joann. Honorius *hoc tit. n.* 1.

Notandum VI. non omnes Canonicos habere jus dan- 6
di votum in Capitulo, etenim in *Clement.* 2. *de Ætate & qualitate*, & Conc. Trident. *sess.* 22. *de Reform. c.* 4. constitutum est, ut tam in Ecclesiis Cathedralibus, quàm Collegiatis sive sæcularibus, sive regularibus nullam vocem in Capitulo habeat; qui saltem Subdiaconus non sit.

Sed dubitatur, an ista constitutio in Monasteriis etiam 7
certorum Religiosorum locum habeat, in quorum Regulis à fundatoribus Ordinum constitutum est, ut quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, omnes omninò etiam juniores ad consilium convocari debeant? Resp. Probabiliter dici posse prædictam Trident. constitutionem nihil immutasse in similibus Regulis, sicut ex congregatione Cardinalium, & Azorio notat Zypæus *in Analysi Juris Pontificii, hoc tit. num.* 2. Ratio est, quod in dubio non censeatur Pontifex per generalem legem derogare particularibus statutis, nisi id exprimat *c.* 1. *de Constitut. in* 6. Licet verò in Concil. Trident. & cit. Clementina etiam *Ecclesiarum Regularium* mentio fiat, possunt tamen illa verba commodè explicari de Ecclesiis aliorum Ordinum, qui talia statuta particularia non habent. Videantur tamen, quæ superius in Lib. I. in Titulo *de Electione §.* 1. *n.* 6. dicta sunt.

Notandum VII. quando in Jure consensus Capituli 8
requiritur, non esse necessarium, ut omnes Capitulares nullo excepto consentiant, sed sufficere, si consentiat *major pars*: nam quòd major pars Capituli facit, totum Capitulum fecisse censetur; ita ut regulariter *major pars* secum trahat minorem etiam nolentem, *c. fin. h. t. & l. quod major* 19. *ff. Ad municipalem.*

Notandum tamen VIII. quòd, ut major pars Capitu- 9
larium prævaleat: non debeat esse major respectu aliarum partium minorem, sed respectu omnium Capitularium præsentium, e. g. si collatio beneficii pertineat ad Capitulum, in quo sunt 12. Capitulares, & 3. vellent conferre Petro, 4. Paulo, 5. Joanni, nulla ex his vota attenderentur, sed novus tractatus instituendus foret, donec in aliquem absolutè major pars Capituli, nimirum in proposito 7. ad minùs Capitulares convenirent. Text. & Gloss. *in cap. Ecclesia vestra* 48. *de Elect. & in cap. si cui* 24. *de Electione in* 6. ait tamen Zypæus *d. l. num* 1. consuetudine passim obtentum esse, ut etiam major pars respectu aliorum minorum, licet non sit talis respectu totius capituli, attendatur, quod an verum sit, ab usu discendum erit: Consuetudo enim, cùm sit facti, & multa requirantur, ut Consuetudo dicatur introducta, non præsumitur, sed probari debet teste Andrea Gail. *Lib.* 1. *par. Observat. observ.* 36. *in fine.*

Notandum IX. Conjunctim requiri, ut *major, & sanior* 10
pars consentiat, propterea si pars minor utatur melioribus rationibus, constet ex viris gravioribus, & prudentioribus, rectè poterit contradicere parti majori, & quod per eam conclusum est, irritare, & si non audiatur, ad legitimum superiorem appellare. Text. & DD. *in c.* 1. *h. t.* Unde regulariter prohibentur dari suffragia, seu vota per fabas, aut lapillos, sed quilibet suam mentem voce viva edicere debet, vel etiam in scriptis, si justa causa intersit, ne palam vota dicantur, ut non tantum numerus, sed & sanioritas appareat. Panorm. *in cap. Ecclesia vestra* 48. *de Elect. n.* 7.

Notand. X. Quòd Capitulo jus condendi statuta circa 11
negotia ipsum Capitulum concernentia DD. quidem passim attribuant, Abbas, Decius, & Felinus *in c. cum accessissent* 8. *de Constitutionibus.* idem Abbas *in cap.* 1. *h. t. nu.* 14. id tamen limitent, ut si statuta sint circa causas arduas & magni præjudicii, veluti augendas, vel minuendas

præ-

præbendas, novum aliquid circa residentiam Canonicorum inducendum &c. consensus Episcopi accedere debeat. *arg. c. ex parte. 12. de Constit. c. cum consuet. 9. de Consuetudine* Barb. *Juris Eccles. univ. lib. 1. c. 32. nu. 16. & 18.* Imò contra Jus commune ne quidem cum consensu Episcopi (utpotè, qui ipsemet communi subjacet) statuere quidquam possit, nisi cum Authoritate, vel approbatione S. Pontificis. *Clemen. ne Romani. 2. in princ. de Elect.* Barb. *d. l. n. 17.* Zoes. *ad Tit. de Constit. n. 24.*

12 Notandum XI. Quòd Episcopus cum majori parte Capituli possit statuere, ut quilibet Capitularium teneatur de suis reditibus contribuere pro necessaria reparatione Ecclesiæ Cathedralis, quamvis aliqui, sed pauciores numero ex Capitularibus dissentiant *c. fin. hoc. t.* Ubi sciendum, quòd reparatio quidem Ecclesiæ Cathedralis principaliter incumbat Episcopo ex illis redditibus, qui specialiter pro fabricâ Ecclesiæ deputati sunt, sicut de Jure antiquorum Canonum quarta pars redituum Ecclesiasticorum debebat pro conservatione Ecclesiæ cedere. *c. quatuor. 27. num. 3. seqq. causa 12. q. 2.* quòd si verò illa quarta non sufficiat, nec Episcopus dives sit, locum habebit dispositio hujus *c. fin.* cui adstipulatur textus *in c. 1. de Ecclesiis ædificandis.* Et si demum nec Episcopus, nec Canonici superabundantes redditus habeant, quibus citra defectum necessariæ sustentationis suæ carere possint, licitum erit Episcopo cum consensu Capituli alios inferiores beneficiatos de superfluis redditibus ad contributionem pro fabrica Ecclesiæ Cathedralis vocare, ac etiam redditus quosdam vacantium beneficiorum eò depu-
13 tare. Abbas, & Barbos. *in d. c. fin. h. t.* Videtur autem decisioni hujus *c. fin.* obstare generalis doctrina, quæ traditur *in l. per fundum. 11. ff. de Servitut. præd. rustic. l. Sabinus. 28. ff. de Communi dividendo. c. in re communi. 56. de Reg. Jur. in 6.* quòd videlicet major pars tantùm prævaleat minori, si agatur de rebus ad universitatem, quatenus universitatem pertinentibus, si verò agatur de rebus, & jure singulorum (quemadmodum hic de redditibus singulorum Canonicorum) tunc obtineat Regula *29. jur. in 6. quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*, & plus valet unius contradictio, quàm consensus reliquorum, saltem quoad portionem, quæ ipsum contradicentem contingeret.

In hanc difficultate notabili distinctione utuntur Gloss. Innocc. & Panorm. *in eodem c. fin.* Utrùm scilicet agatur de rebus acquirendis, & quæ adhuc pertineant ad Ecclesiam, licèt sint deputatæ ad perceptionem Canonicorum, vel utrùm agatur de rebus acquisitis, & jam propriis factis? Priori casu censent procedere decisionem *d. c. fin.* maximè ob favorem piæ causæ, in altero autem locum habere supra citatos Juris textus, in quibus dicitur, quòd Juri singulorum per majorem partem nequeat præjudicari. Quamvis autem *in l. juris gentium. 7. §. 17. & 19. ff. de Pactis.* statuatur, ut si hæres paciscatur cum creditoribus defuncti de remittenda aliqua parte debiti, prævalere debeat consensus plurium creditorum, qui potiora debita habent, licet etiam hic actiones, sive obligationes debitorum in creditorum bonis sint. *l. qui actionem 15. ff. de Reg. Jur. l. id apud se 143. ff. de Verb. signific. leg. rem in bonis. 52. ff. de Aquir. rerum dom.* id tamen credendum est ita decretum fuisse ob favorem defuncti, ne facilè sine hærede futurus sit, & bona ipsius propter æs alienum subhastentur cum non exigua honoris diminutione.

Putarem, in nostro proposito circa reparationem Ecclesiæ non incongruè addi posse, rationem alicujus specialitatis esse, quòd redditus Ecclesiastici non simpliciter assignentur Canonicis, aut in eorum proprietatem transeant, sed cum implicito onere ex Authoritate Canonum adscripto concurrendi ad reparationem Ecclesiæ, ubi casus necessitatis emerserit; & consensum majoris partis Capituli non tam requiri, an velint absolutè contribuere, quàm an velint sine contradictione, & ulteriori lite agnoscere, hic & nunc esse casum necessariæ contributionis, ita ut leges superiùs in contrarium allegatæ intelligantur, quando exactio contra bona acquisita singulorum fit citra speciale onus ex Authoritate Juris ipsius bonis (saltem quatenus ad certas personas spectant) impositum; prout in simili ex eadem ratione videtur procedere, quòd Imperator, & Principes solent statibus, & subditis collectas etiam de propriis acquisitis solvendas imponere, dummodò pars major consentiat, quia negari non potest, vel ab ipsa naturali lege subditis, eorumque bonis sustentationem congruam Principis impositam esse.

Notandum *postremò*, quòd si super actis Capitularibus debeat erigi instrumentum seu scriptura, non sit necesse, ut singuli Capitulares se subscribant, sed sufficiat apprimere sigillum ordinarium Capituli, & quibusdam verbis in contextu instrumenti, vel inferiùs adscribere, quòd Capitulum, vel Collegium talis Ecclesiæ id fecerit. Panorm. *in c. 4. de his, quæ fiant à Prælatis. num. 7.* Minsingerus *Centuria 1. observ. 76. & Cent. 3. observ. 18.* Excipiunt tamen DD. causam alienationis bonorum, & alias causas valdè arduas, in quibus censent singulorum nomina exprimenda esse, *arg. L. fin. C. de Vendendis rebus civitatis.* Bartholus *in L. 1. ff. de Albo scribendo*, sed, & hic consuetudo locorum attendenda: multoties enim etiam in causis arduis tantùm Præpositus, Decanus, & Senior nomina totius Capituli se subscribunt. 14

TITULUS XII.

Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

SUMMARIA.

1 *Beneficium quatuor modis diminuitur.*
2 *Beneficio non potest imponi novum onus, & ibi de primis fructibus.*
3 *Fructus vacantis beneficii ad quem pertineant?*
4 *Beneficii divisio quando fiat.*
5 *Beneficii dismembratio quid, & quando liceat?*
6 *Beneficii suppressio quando fieri possit.*
7 *De Missarum reductione.*
8 *Beneficia in Ecclesiis collapsis non debent supprimi.*
9 *Unio beneficii qua dicatur, & quis ejus effectus?*
10 *Unire beneficia quis possit.*
11 *Ad unionem beneficii requiritur causa, & solemnitas.*
12 *Uniones facta possunt ab Episcopis revideri.*
13 *Unire non possunt Episcopi beneficia diversarum Diœcesium.*
14 *Unire beneficia reservata quando possit Episcopus.*
15 *Uniri hodie non possunt parochiales Ecclesiæ aliis beneficiis, vel piis locis. Limitatur tamen ut ibi.*

QUatuor modis diminui dicitur beneficium: videlicet per *impositionem oneris, divisionem, dismembrationem, & suppressionem*, quæ omnes diminutiones regulariter ordinatio collatori prohibitæ sunt, nisi ex justa aliqua causa, non tam quà collator, sed potiùs quà judex Ecclesiasticus, & Episcopus aliquid hujusmodi facere permittatur. 1

Igitur non potest collator beneficiatum aliquo onere reali, vel personali gravare, aut partem redituum beneficii collati sibi reservare: quia pro collatione beneficiorum exigere munus à manu, lingua, vel obsequio esse simoniam, inferiùs in Lib. V. in Tit. *de Simonia* latius explicabitur, & in Concil. Trident. *sess. 24. de Reform. cap. 14.* omnes consuetudines improbantur, ex quibus in quacunque provisione, collatione, vel admissione ad possessionem cujuslibet beneficii deductiones fructuum, solutiones, promissiones, compensationes, quæ in pios usus non convertantur, fiunt. Unde Paul. Layman, *in Theol. mor. lib. 4. tr. 10. c. ultim. §. 5. num. 46.* existimat, exactionem *primorum fructuum* in quibusdam Diœcesibus usitatam non bene subsistere, nisi ubi Trid. receptum non est. 2

Imò nec fructus tempore vacantis beneficii obvenientes suis usibus applicare poterit collator, sed eos futuro successori reservare debebit, nisi ex speciali privilegio, vel legitima, & rationabili consuetudine aliud introductum 3

sit,

sit, *c. cum vos* 4. *de Officio Ordinarii*. *c. præsenti* 9. *de Officio ordinarii. in* 6. *c.* 5. *de Excessibus Prælatorum*.

Interim tamen ex justa causa poterit Episcopus beneficio pensionem imponere, ut superiùs in Tit. *de Præbendis* dictum. Excipiuntur tamen in Concil. Trident. *d. sess.* 24. *c.* 13. parochiales Ecclesiæ, quæ verum annuum valorem 100. ducatorum non excedunt, ut pensionibus, vel reservationibus nequeant onerari.

Item poterit Episcopus fructus beneficii vacantis pro utilitate Ecclesiæ expendere, vel pro exsolutione debitorum nomine Ecclesiæ etiam Cathedralis (non verò nomine proprio nisi pro necessaria sua sustentatione, ut infrà in Tit. *de Solut. ad finem*.) contractorum, vel ad aliam piam causam applicare. Innocentius *in c. unico h. t. n.* 6. & Panorm. *ibid. n.* 20. Layman. *d. §.* 5. *n.* 46. Sed hæc fructuum reservatio fieri debet ante, vel cum collatione beneficii, post collationem autem semel liberè factam sine consensu beneficiari non rectè fieret, quia in Jure quæsito alicui præjudicari regulariter non potest. *l. id quod nostrum* 11. *ff. de Reg. Juris*. Zoes. *h. t. n.* 2. Unde si causa aliqua necessitatis urgeat Episcopum ad conquirendam pecuniam, & nullum beneficium vacet, vel vacantium beneficiorum reditus sufficientes non sint, tunc ab omnibus Clericis sibi subditis *charitativum subsidium* exigere poterit, de quo inferiùs in Tit. *de Censibus* agitur. Videri etiam poterit Barb. *de Officio Episcopi allegatione* 87.

4 *Divisio beneficiorum* est, quando ex uno beneficio duo constituuntur. Et hæc quidem etiam prohibita est in *cap. Majoribus* 8. *de Præbendis*, ex justa tamen causa conceditur, si nimirum sufficiant reditus, & amplitudo beneficii, ac expediat ad divinum cultum augendum, vel debitè conservandum, ut unum beneficium inter plures dividatur, *cap. vacante* 26. *de Præbendis*. Ita poterit Episcopus ex una parochia duas facere, si una ita sit dilatata, ut populus maximè tempore hyemali ad eam convenire commodè non possit. *c.* 3. *& fin. de Ecclesiis ædificandis*. Neque hic consensus parochianorum, aut prioris Ecclesiæ Rectoris, seu Parochi requiritur; citari tamen debet, & audiri, sicut etiam Patronus, si fortè rationabilem contradicendi causam habeat. Barb. *l. cit. alleg.* 68. *n.* 4. & *in Collect. ad Conc. Trid. sess.* 21. *de Refor. c.* 4.

5 *Dismembratio beneficii* est, quando aliqua bona, seu reditus à beneficio separantur, & alteri applicantur, remanente beneficio penes suum ordinarium Rectorem. Et hæc dismembratio etiam interdicta est, *d. c. Majoribus* 8. *c. Tue* 20. *c. nisi essent* 21. *de Præbendis*. ex causa tamen permissa, ut *in d. c.* 3. *de Ecclesiis ædificandis*. Ad eam requiruntur solemnitates, quæ aliàs ad alienationem rei Ecclesiasticæ. Item vocatio, & consensus beneficiati, de cujus præjudicio agitur, si tamen sine rationabili causa consentire nolit, fiet etiam eo invito. Justa autem causa dismembrandi plerumque censetur abundantia unius beneficii, & indigentia alterius. Videatur Garc. *de Beneficiis p.* 12. *c.* 2. *&* 3. Barb. *de Officio Episcopi alleg.* 67. *nu.* 16.

6 Demum *suppressio*, seu *totalis extinctio* alicujus beneficii, licet etiam sine causa fieri non possit, *cap. ex parte* 12. *de Constitut.* ex causa tamen quoque admittitur. Ita enim statuit Concil. Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 15. ut in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, & tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustentando decenti Canonicorum numero, & gradui pro loci, & personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopia cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia, *non tamen Regularia*, iis unire, vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex dictis præbendis suppressis cum patronorum consensu si de jure patronatus laicorum sunt, quarum fructus, & proventus reliquis præbendis, & distributionibus applicentur, ad pauciorem numerum reducere; ita tamen, ut tot supersint, quæ cultui divino celebrando valeant respondere &c. Quia verò Concilium Episcopo, & quidem sub nomine Episcopi, non sub nomine Ordinarii hanc potestatem supprimendi attribuit, ideò DD. censent, inferioribus Prælatis, Vicario Episcopi, vel Capitulo sede vacante, utcunque isti quasi Episcopalem Jurisdictionem habeant, non competere, Barb. *ad dictum cap.* 15. *Trid. num.* 5. Garc. *dicta parte* 16. *cap.* 2. *num.* 75. *& seq.*

Est autem hic advertendum, quod non debeat extingui beneficium, si respectu redituum habeat nimis magnum onus plures Missas legendi, sed potius ipsæ missæ debeant ad minorem numerum reduci. Et quidem in Concil. Trident. *sess.* 25. *de reform. c.* 4. habetur, quòd Episcopi in Synodo Dioecesana, item Abbates, & Generales Ordinum in suis Capitulis generalibus possint pro sua conscientia reductionem facere, ita tamen, ut eorum semper Defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata cum Missarum onere fecerunt. Et quòd cessante commodo redituum beneficii ex æquitate etiam imminui debeat onus Missarum tenet Riccius *in Praxi aur. for. Eccles. p.* 4. *resol.* 105.

Verum adfertur aliqua declaratio Cardinalium apud 7
Barb. *in Collectaneis ad dictum caput.* 4. *n.* 14. ex qua tantùm illæ Missæ permittuntur ad minorem numerum reduci, quæ ex anniversariis, vel legatis Defunctorum beneficio, & quidem ante Concil. Trident. accesserunt; quæ verò ex ipsa fundatione beneficio injunctæ sunt, vel post Concilium per testatorea ordinatæ, earum reductio ad Summum Pontificem pertinere dicitur. Sed dubito, an hæc declaratio ubique in praxi recepta sit; quia plurimum videtur restringere facultatem commutandi ultimas Defunctorum voluntates ab ipso Conc. Trid. *hic & in sess.* 22. *de Reform. cap.* 6. generaliùs concessam. Videatur Lud. Miranda *in Man. Prælat. quæst.* 41. *art.* 24. *ad finem.* Azor. *p.* 2. *lib.* 6. *c.* 24. *q.* 6. Et si erectio beneficii cum suis qualitatibus, imò, & suppressio ex justa causa, & cæteris requisitis accedentibus (Barb. *de Offic. Episc. p.* 3. *alleg.* 67.) ab Episcopo dependet, cur non etiam ejus immutatio? De his etiam commutationibus ultimatum voluntatum videri poterit Moneta in speciali tract. quem desuper scripsit, & præsertim *in c.* 5. ubi *n.* 368. docet decretum Tridentini procedere, *etsi* numerus Missarum sit impositus par donationem, aut actum inter vivos. Quod intellige, si non fuerit pro singulis Missis competens stipendium assignatum; secus in Missis votivis, quæ pro justis stipendiis singulatim à multis personis petuntur, quarum cumulus, licet fortassis multùm excresceret, ut nonnunquam fieri solet in locis celebrium peregrinationum, sine consensu tamen petentium non pateretur reductionem. Barb. *in d. c.* 4. *n.* 9.

Deinde si Ecclesiæ aliquæ vetustate, aut alia de causa 8
collapsæ sint, ut propter inopiam nequeant reparari, non debent beneficia in illis existentia propterea extingui, sed ad alias Ecclesias arbitrio Episcopi transferri, quantùm fieri potest, cum omnibus oneribus, & emolumentis, atque in illis Ecclesiis erigi altaria, vel Capellæ sub iisdem invocationibus, sub quibus priores erant. Trid. *sess.* 21. *de ref. c.* 7.

Suppressionis quædam species est *unio beneficiorum*, 9
quando ex duobus beneficiis unum erigitur: nam unio beneficii facta alteri accessoriè operatur extinctionem, & suppressionem nominis, & tituli beneficii uniti, ita ut ampliùs beneficium dici non possit, sed judicetur ut prædium ejus, cui fit unio, & si alias qualitates requirebat beneficium unitum, puta, quia fuit Ecclesia parochialis, & alias beneficium principale, v. g. dignitas, aut Canonicatus, cui parochialis unita est, non attendentur ampliùs in Rectore principalis beneficii illæ qualitates unitæ Ecclesiæ, ut nimirum debeat habere ætatem 25. annorum ad beneficia curata requisitam, si principale beneficium ex se curatum non sit: accepisse Ecclesiam unitam per concursum, intra annum fuisse promotum ad Sacerdotium &c. In summa beneficium unitum assumit naturam ejus, cui unitum est juxta vulgatam Juris regulam, quod accessorium sequatur principale. Gonzalez *ad Regulam* 8. *Cancellariæ*. *Gloss.* 5. §. 7. *n.* 2. *& seqq.* Barb. *d. parte* 3. *allegatione* 65. *num.* 34. Garc. *de Beneficiis p.* 11. *c.* 2. *num.* 12. Et hoc, si unio beneficii fuerit facta *accessoriè*, & *perpetuò*, si verò *æquè principaliter*, aut *ad tempus*, *vel vitam* beneficiati, tunc hæc unio id solùm operatur, ut Rector unius, sit etiam Rector alterius beneficii, & utrumque beneficium maneat in suo pristino statu. Garc. *d. c.* 2. *n.* 37. *& seq.*

Porrò unire beneficia, & Ecclesias suas suarum Dioecesium possunt Episcopi; *cap. sicut unire* 8. *de Excessibus Prælatorum*, *cap. pastoralis*. 7. *de Donationibus*, *Clement.* 2. *de Rebus Ecclesiæ non alienandis* Idem DD.

 exten-

extendunt ad alios Prælatos, qui Jurisdictionem Episcopalem exercent, velut Legatus *de latere* in Provincia suæ legationis. Abbas *in d. cap. sicut unione num.* 5. Capitulum *Sede vacente*, dummodò per talem unionem Jurisdictioni Episcopi nihil detrahatur. Quaranta *in Summa Bullarii Verb. Capitulum sede vacante. quæst.* 9. *Vers.* 6. *limita*. Abbates item, & alii Prælati Episcopo inferiores, qui in Ecclesiis sibi pleno Jure subjectis Jurisdictionem *quasi Episcopalem* exercent, præsertim si consuetudo, vel præscriptio accesserit, prout cum pluribus citatis tradit Barb. *d. l. nu.* 14. quamvis Glossa *in dicta Clement.* 1. *§. ad hæc verba. Ordinarios, de Statu Monachorum*, quam pro se allegat, parum sit favorabilis, sed potiùs annotatio marginalis ad istam Glossam, & meliùs argumentum ex Glossa *in Clement.* 1. *v. proprii, de Reb. Eccles. non alien.*

11 Ad unionem autem rectè faciendam duo requiruntur, causa, & solemnitas; *causa* quidem necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, ut quia una Ecclesia propter defectum redituum, aut populi non potest commodè alere proprium Rectorem. *c. exposuisti*. 33. *de Præbendis*. aut alterum beneficium, cui fit unio, necessario indiget adjumento. *Solemnitas* verò consistit in eo, ut Episcopus unionem faciat cum consensu Capituli sui, saltem ex post facto accedente. *dicta Clement.* 2. *de Rebus Ecclesiæ non alienandis.* Non desunt tamen, qui consuetudinem non requirendi consensum Capituli admittant, Fuscus *de visitationibus. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 5. Garc. *d. cap.* 2. *num.* 252. in utilitatem verò suam, aut Capituli sui Episcopus etiam cum consensu Capituli unionem facere non potest, nec author esse ad proprium commodum, sed id ad Summum Pontificem pertinebit. *d. Clem.* 2. *in fine*.

Prætereà citari debent omnes, quorum interest, veluti patroni, & inferiores Prælati, ad quos Ecclesiæ uniendæ aliquo modo spectant, eorumque consensus requirendus, *c. suggestum.* 20. *de Jure patronatus. dict. Clement.* 1. *§. ad hæc. de Statu Monachorum*. Consensus autem Rectoris, seu Possessoris beneficii uniendi non requiritur. *dicta Clement.* 2. sed cùm beneficiatus canonicè institutus jus quæsitum habet, quod ipsi auferri non debet, videtur ea interpretatio adhibenda, ut sine ipsius consensu ante mortem suam unio effectum habere non possit; ita satis clarè probat textus in *cap. consultationibus*. 4. *de Donat.* & in Concil. Trident. *sess.* 21. *de Reform. cap.* 5. ibi *sine prajudicio tamen obtinentium*.

12 Cæterum circa uniones quædam ab eodem Concil. Trident. constituta sunt. Ut *in sess.* 7. *de Reform. cap.* 6. ubi Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus cognoscere potest, vocatis iis, quorum interest, an uniones etiam à S. Pontifice impetratæ habeant legitimas, & veras causas, vel potiùs sint subreptitiæ, & cum detrimento Ecclesiarum. Et hæc circa uniones recenter impetratas. Circa præteritas verò, sicut tempore Concil. Trident. non fuit amplior potestas data Episcopo, quàm ut illas posset revidere, quæ intra 40. annos factæ sunt, ita etiam nunc hodie idem dicendum erit, ut unio ante 40. annos facta revisioni Episcopali non subjaceat: tum quòd tanti temporis lapsus jura præscriptionis regulariter suppleat defectus, si qui fuissent, & faciat præsumi, omnia legitimè acta fuisse: tum ne in rebus Ecclesiasticis confusio suscitetur, quando post longissimum tempus probationes de solennitate, & justa causa unionis non semper superstites sunt, ac proinde multæ uniones cum gravi aliorum præjudicio forsan subverterentur.

13 *In session.* 14. *de Reform. cap.* 9. prohibetur, ne beneficia diversarum Diœcesium, sive curata, sive simplicia quacunque de causa etiam ad cultum divinum augendum perpetuò uniantur, ne per talem unionem limites Diœcesium confundantur. Unde quidquid olim tradiderint nonnulli DD. de Jure antiquo licuisse Episcopo unita beneficium suæ Diœcesis cum altero alienæ Diœcesis accedente consensu illius Episcopi, id tamen hodie per Concil. Trident. sublatum est, & penes solum Summum Pontificem hæc potestas uniendi diversarum Diœcesium beneficia remansit, utpotè ad quem solùm pertinet disponere supra Canones, & Concilium, ac designara Diœcesium limites.

In session. 21. *de Reformat. cap.* 5. permittitur Episcopis etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, ut ex justa causa possint facere uniones, quorumcumque beneficiorum suæ Diœcesis, licet illa forent generaliter, vel specialiter reservata, aut qualitercunque affecta. Videatur Garc. *de Benef. p.* 2. *§.* 1. *à numer.* 92. ubi *num.* 102. adfert declarationem Cardinal. quòd in beneficiis reservatis debeat fieri unio ante illorum vacationem, nam postquam vacare cœperunt, pro ea vice plenè ad dispositionem Summi Pontificis devoluta censentur. 14

In session. 24. *de Reformat. cap.* 13. prohibetur, ne *parochiales Ecclesiæ* imposterum uniantur Monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, Hospitalibus, aut Militiis. 15

Salvari tamen, & excipi uniones, quæ fiunt pro fundatione, dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, & aliorum piorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, & propugnationem, bonorumque artium cultum, refert Gonzalez *ad Regulam* 8. *Cancellariæ. Gloss.* 5. §. 7. *numer.* 7. Notanter autem dicitur de Ecclesiis *parochialibus*, in quibus scilicet actu cura exercetur; quæ verò habitualiter tantùm, sine actuali curæ exercitio tales sunt; item, & alia beneficia etiam sæcularia non prohiberi per hoc decretum uniri Religioni etiam ad effectum, ut per ipsos Religiosos administrentur, ex Sanchezio *in præcept. Decalogi tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 29. *numer.* 187. & *sequenti* tradit Barbos. *de Offic. Episcopi. allegat.* 66. *sub num.* 31.

TITULUS XIII.

De Rebus Ecclesiæ non alienandis.

SUMMARIA.

1 *Prohibentur alienari immobilia, & mobilia pretiosa; & quanam accenseantur immobilibus.*
2 *Res servando non servabiles potest Prælatus alienare.*
3 *Item res immobiles exiguas,*
4 *Similiter res ab antiquo alienari solitas.*
5 *Quanam dicantur mobilia pretiosa?*
6 *Prælatorum potestas est amplius quàm tutorum.*
7 *Pecuniam potest Prælatus, sine solemnitate expendere.*
8 *Concordatur c. terrulas* 2. *q.* 2. *cum cap. ut super §. fin. hoc tit.*
9 *An valeat repudiatio legati, vel hæreditatis, sine solemnitate; & ibi de legatis, quæ fiunt monasteriis mendicantium. Item de acquisitis per professionem alicujus religiosi, an valeant alienari?*
10 *Quando Prælatus possit transigere super re immobili?*
11 *Quales contractus veniant nomine alienationis?*
12 *Quando locatio ultra triennium valeat saltem quoad triennium.*
13 *An valeat locatio ultra triennium cum hoc pacto, ut singulis trienniis, sit nova locatio?*
14 *Ad valorem alienationis requiritur copulativè causa, & solemnitas.*
15 *Cujus superioris consensus requiratur?*
16 *Videtur probabile (suposito stylo curiæ) ut in alienatione facta alteri Ecclesiæ non requiratur superioris licentia.*
17 *Alienatio rei Ecclesiasticæ contra formam juris est nulla, & ab ipso alienante revocari potest.*
18 *Pœnæ modò alienantium.*

19 *An*

19 *An rem malè alienatam restituendi sit obligatio in conscientia.*
20 *Ecclesia non tenetur invita rem malè alienatam recipere, sed potest ex postfacto adhibere solemnitates.*
21 *Res malè alienata repeti potest una cum fructibus cum distinctione tamen ibi posita.*
22 *Res Ecclesiastica an sint præscriptibiles?*
23 *Non currit præscriptio vivo Prælato alienante, & contra eam datur restitutio in integrum.*
24 *Quid possit consuetudo in hac materia alienationis.*
25 *Ecclesia revocans rem alienatam debet restituere pretium, sed non nisi in quantum est facta locupletior.*
26 *Quis debeat probare, pretium in utilitatem Ecclesiæ esse versum.*

IN hac quotidiana non tantùm Ecclesiasticis, sed etjam sæcularibus cum Ecclesia contrahentibus scitu necessaria materia quàm plurimæ sunt quæstiones, & difficultates, quarum præcipuas antequam resolvam, dicam priùs, quæ certiora, & fundamentalia sunt, ac mox dubitationes eò pertinentes subjungam. Itaque.

1 Certum est I. Quòd omnes res *immobiles*, sive solo cohærentes, ut prædia, fundi, domus &c. & *mobiles pretiosa*, sive ad Ecclesias regulares, sive sæculares pertinentes alienari prohibeantur. *Extrav. ambitiosa, h. t. inter commun. & t. t. X. eod.* Atque *immobilibus* rectè annumerantur *Jura incorporalia*, ut quæ ad jurisdictionem pertinent; item servitutes prædiorum, jura piscandi, venandi, & similia *c. 2. h. t. in 6. & Clem. 1. Eod.* sicut, & census annui, si ex fundatione, vel aliunde in perpetuum constituti sint pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ. *Clement. 1. §. cumque annui reditus, de Verb. signific.*

2 Certum est II. quòd, cùm tantùm *mobilia pretiosa* alienari prohibeantur, ideò liberè possit Prælatus vendere, & distrahere frumentum, vinum, jumenta, & animalia superflua, aliaque, quæ sine detrimento notabili servari non possunt; quia res hujusmodi servando non servabiles etiam Tutores, & Curatores, quorum tamen potestas longè magis restricta est, quam Prælatorum, sine solemnitate aliqua alienare possunt, *l. lex qua 22. & l. tutores 24. C. de Administ. Tutor.*

3 Certum est III. Quòd etiam res *immobiles*, si valdè sint exiguæ, longè distantes, & propter necessarias impensas magis Ecclesiia onerosæ, quàm utiles, Prælati sine solemnitate alienare possint, *c. regulas 53. caus. 12. q. 2. c. ad aures 7. & c. ut super 8. §. possessiones X. h. t.*

4 Ita etiam res ab antiquo alienari aut in feudum, vel Emphyteusin dari solitæ, si rursus ad Ecclesiam revertantur, denuò sine nova solemnitate alienari, seu in feudum, vel in Emphyteusin dari poterunt, *c. 2. de Feudis d. Extrav. ambitiosa.* Et hanc esse communem conclusionem DD. ut res semel effecta alienabilis cum solemnitate, efficiatur perpetuò alienabilis sine solemnitate, dummodo semper cum eadem Ecclesiæ utilitate alienetur, cum plurimis citatis dicit Riccius *in Praxi aur. p. 1. ref. 26.*

5 Volunt tamen non minus communiter DD. ut res dicatur *solita alienari ab antiquo*, vel facta alienabilis, debeat præcessisse una, vel altera alienatio solemnis & interim spatium 40. annorum elapsum esse. Sicut ex Decis. Rotæ Romanæ & cum multis AA. refert Riccius *d. l. num. 3.* & Barb. *Jur. Eccles. univ. l. 3. c. 30. n. 21.* inquit, Rotam in pluribus causis amplexatam esse illam sententiam, quòd *alienari solitum* probetur, vel per duas alienationes cum cursu 40. annorum, vel per unam solemniter factam. Sed ex his.

Dubitatur I. Quęnam dicantur *mobilia pretiosa*, ut alienari nequeant? Resp. Illa dici *mobilia pretiosa*, quæ sunt de thesauro Ecclesiæ, vel quæ propter pretium, artem aut antiquitatem singularem splendorem Ecclesiæ conferunt. Reliquias quoque Sanctorum maximè verò, ubi perpetuæ sepulturæ mandatæ sunt, inter mobilia pretiosa rectissimè numerat, & ita de stylo Curiæ Romanæ observari dicit Ricc. *in Praxi aurea p. 1. ref. 60.*

Cęterum autem non videtur prohibitum, quin Pręlatus possit aliqua pocula argentea alienare, veteres calices, aut ornamenta pro novis æquè bonis, ac pretiosis commutare, sicut consuetudo passim declarat: talis enim commutatio non est ita periculosa Ecclesiæ, vel damnosa sicut absoluta venditio, aut donatio. Non obstat, quod omnium rerum mobilium, quæ servando servari possunt, alienatio quædam sit Tutoribus interdicta, *d. l. 22. C. de Admin. Tutor.* Prælati autem sint Tutores suarum Ecclesiarum, ut argumentatur Quar. *Verb.* 6
alienatio Rei Eccles. n. 24. Nam respondetur, quod Prælati tantum in larga significatione sint tutores, cum eorum potestas multò sit amplior, quia eorum officium perpetuum, tutorum verò, qui curam pupillorum gerunt, officium tantùm temporale est. Unde etiam fit, quod prælati moderatas donationes de rebus Ecclesiæ etiam merè gratuitas facere possint, *c. 3. de Donat.* quod tamen tutoribus *ordinariè* prohibitum est, *l. tutor. 53. §. fin. ff. de Admin. Tutor.*

Dubitatur II. Utrum Prælatus pecuniam numeratam 7
possit libere sine solemnitate expendere? Resp. quamvis regulariter pecunia numerata inter res, quæ servando servari non possunt, ejusque usus consistat in expendendo, nihilominus si aliqua summa pecuniæ specialiter destinata esset ad bona immobilia emenda, vel Ecclesiam ædificandam, jam accenseri bonis immobilibus, & sine causa, ac solemnitate alienari non posse, docet Quar. *d. l. n. 25.* sicut propter eandem rationem Tutor alicujus pupilli ex tali pecunia ad comparanda immobilia destinata nec sibi, nec alii debita solvere potest Text. *in l. 3. §. quid ergo 6. ff. de Contraria tut. & utili act.* Atque idem esse, si aliqua summa pecuniæ ex providentia antecessoris specialiter sit deputata pro gravissimis futuris necessitatibus.

Dubitatur III. Utrum res *immobiles exiguas*, & modici 8
valoris ita possit Prælatus alienare, ut ne quidem consensum Capituli habere teneatur? In *c. terrulas 53. causa 12. q. 2.* licentia datur Episcopo terrulas, aut vineolas exiguas longè positas, & Ecclesiæ minus utiles, si necessitas fuerit, distrahendi etiam, sine consensu Capituli. Econtra *in c. ut super §. fin. h. t. Possessiones* inquit pontifex, *quæ Ecclesiæ minus sunt utiles, pro aliis utilioribus de fratrum suorum, & sanioris partis consilio, & consensu alienandi, sive commutandi liberam concedimus facultatem.*

In hac textuum varietate, vel contrarietate licet aliqui velint, *d. c. terrulas* per *c. ut super*; absolutè esse correctum, quia tamen in dubio expedit jura juribus concordare, ut evitetur jurium correctio, *c. cum expediat, 29. de Elect. in 6.* Ideo placet concordatio, quam insinuat Gl. *in d. §. fin. V. assensu*, ut scilicet textus *in eod. §. fin.* accipiatur de permutatione, & dere, quæ quidem in se est utilis, sed tamen minùs utilis comparatione rei magis utilis, textus verò in *c. terrulas* accipiatur de venditione, seu distractione alicujus rei, quæ in se, & absolutè spectata nullam, vel exiguam utilitatem adfert.

Dubitatur IV. An Prælatus possit absque solemnitate repudiare hæreditatem, aut legatum suæ Ecclesiæ relictum.

In hac difficili, & in jure non satis expedita quęstione 9
imprimis advertendum, non tam dubitari, an talis repudiatio, sine justa causa *licitè* fiat, quàm an *validè*. Nam ratio naturalis dictat, Prælatum, qui constituitur ad rem Ecclesiæ utiliter gerendam, & commoda ejus procurandа malè agere, & contra officium suum, si utilitatem, & commodum Ecclesiæ repudiet. Imò non desunt, qui censeant, Prælatum sine justa causa repudiantem hęreditatem lucrosam, aut legatum utile, obligari ad restitutionem Ecclesiæ de suo faciendam, *arg. c. quicunque 2. caus. 12. q. 4.* ubi Gl. *in V. aut neglectum*; & argumento ducto à tutore (cui assimilatur Prælatus) qui resarcit id, quod cum potuit, non acquisivit pupillo, *l. quidquid 7. C. Arb. tutelæ.* Sanch. *de Matrim. lib. 6. disp. 4. nu. 15. cum c. ibidem.* Henriq. Zoes. *h. t. n. 7.*

Tota igitur difficultas in eo residet, an talis repudiatio sit *valida*, & illum, cui inde res acquiritur, in foro externo, atque interno securum, nec non repudiantem à pœnis contra malè alienantes in jure statutas immunem reddat? Pro affirmativa pugnat, quòd à diversis non sit bona illatio præsertim in pœnalibus juxta vulgata; diversa autem in jure æstimentur alienare, & non acquirere, *l. si sponsus 5. §. 13. ff. de Donat. inter vir. & ux. l. quod autem 6. in princ. & §. 5. ff. Quæ in fraud. cred.*

consequenter prohibitio alienationis non debeat trahi ad non acquisitionem, prout ex eadem ratione potest solus Prælatus caducitatem Emphyteutæ remittere : Cujus sententiæ ast Sanch. *d. disp.4.n.11. & seqq.* Sylv. *v. alienation. 14.* Riccius *in Praxi aurea p.1. resol. 92.* Barb. *Jur. Eccles. univ. lib. 3.c.30. n. 42.* Henr. Zoes. *h.t.n. 6. & 7.* inclinat Panorm. *in cap. tua 8. De his, quæ fiunt à Prælat. num. 9.* fatetur tamen in fine, rem esse dubiam. Addit verò ad declarationem hujus sententiæ Sanch. *d. disp. 4. num. 17.* eam intelligendam de repudiatione simplici, non autem da cessione aut permutatione in favorem, & commodum alterius, quòd per talem cessionem hoc ipso hæreditas priùs deberet censeri adita, vel legatum agnitum, unde sequeretur alienatio rei jam acquisitæ. Item quòd contra talem repudiationem Ecclesiæ per restitutionem in integrum exemplo minorum succurri possit, *l. ait prætor 7. §. hodie 6. & seq. ff. de Minor. junct. c.1. X. De in integr. restit.* ibi : *Ecclesia jure minoris debet semper illæsa servari.*

Alii hæreditatem à legato separant, & licet in illa priorem sententiam admittant, non tamen in isto, ex ea differentiæ ratione, quod bonorum hæreditariorum dominium non acquiratur Ecclesiæ ante hæreditatis aditionem, & proinde repudiatio non sit alienatio, sed mera non acquisitio, *l. si sponsus 5. §. si maritus 13. ff. de Don. inter vir. & ux.* At verò legatum, saltem certæ speciei & purum, statim à die mortis testatoris jure dominii transeat in legatarium, *l. legatum 80. ff. de Legat. 2. l. à Titio 64. ff. de furtis.* Covar. *Var. Resolut. lib. 1. c. 9. sub n. 5.* Text. ad propositum notab. *in l. magis puto 5. §. fundum 8. ff. de Reb. eor. qui sub t.* ibi : *fundum autem legatum repudiare pupillus sine prætoris authoritate non potest: esse enim, & hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat.* Nec sufficit responsio Pan. *in d. c. tua n. 9.* quòd sit speciale in pupillo administratione carente; quia J. C. requirit Prætoris authoritatem, ideoque nec administratio tutoris ad hanc repudiationem sufficeret : proindè etiam circa Ecclesiam, quæ pupillo, & minori comparatur, non sufficeret Prælati, qui vices tutoris agit, sed, & Superioris, qui prætori assimilatur, authoritas requireretur. Nec satisfacit Sanch. *loc. cit. n. 12.* quod omissio lucri circa pupillum sit impropria alienatio: quia J. C. dicit *indubitatam alienationem*, non quòd eam lucrari potuisset, sed quòd de facto *res sit pupilli.* Adde legatarium in legato pio non esse solum Prælatum, ut is pro suo libitu repudiare valeat, sed totam Ecclesiam, vel Monasterium, imò principali respectu, & ex fine legantis pro anima sua ipsum Deum, à quo legata, donationes, vota, & promissiones piæ statim acceptantur, ut superiùs alibi dictum. Quare circa repudiationem talis legati idem quod de alienatione rei Ecclesiasticæ statutum censeri debere, probabilius tenet Azor. *Inst. mor. p. 2. lib. 9. c. 1. q. 12.* & veriorem, ac tutiorem opinionem dicit Quaranta *in Summa Bullarii v. alienatio rerum Eccles. 23.* & apud eum Molina *de Contractibus disp. 468. n. 11.* Vasq. *de Success. tom. 1. §. 27. n. 23.* Pinell. *de Bonis maternis l. 1. p. 3. num. 103. vers. alia ampliatio.*

Sanè res ista nullo claro jure determinata habetur, & utraq; sententia ab authoritate intrinseca, & extrinseca admodum probabilis est, licet hæc posterior videatur theoricè probabilior, & tutior. Sed quidquid sit de veritate prioris sententiæ quoad acquisitionem dominii ex legato repudiato, saltem propter ejus probabilitatem excusaretur aliquis à pœnis latis *in Extrav. ambitiosæ hoc t. inter Com.* ut etiam notavit Quaranta *d. l. n. 23.* Singularis tamen est limitatio circa monasteria mendicantium bonorum immobilium incapacia, ut si ipsis aliquid legetur, aut donetur, illud sine solemnitate alienare, & pretium accipere valeant, Quar. *d. l. sub n. 21.* Qualia verò, & quanta legata possint ista mendicantium Monasteria acceptare, videri debent ea, quæ habentur *in Clem. exivi de Verb. signif.* & quæ tradit Roderiq. *Reg. qq. tom. 2. q. 126. art. 1.* Sanch. *in prac. Decal. tom. 2. lib. 7. c. 26.*

Porrò quod de legato Ecclesiæ dictum, ut sine solemnitate repudiari non possit, idem fortiùs procedit in rebus immobilibus, aut mobilibus pretiosis Monasterio bonorum capaci per ingressum, & professionem alicujus acquisitis, cum *juxta auth. ingressi, C. de SS. Eccles.* Professi absque prævia dispositione *se suaque dedicent Deo:* Imò docet Riccius *in Praxi aurea p. 1. Resol. 97. num. 1.* per ingressum non tantùm dominium, sed etiam possessionem ipso jure ad Monasterium transire. Cui potest addi ratio: quia possessio manet radicata in persona ingredientis, quæ deinde cum toto Monasterio unam fictam personam constituit, ac propterea possessio simul cum illo transit, qui & omnia sua in Monasterium transfert, quemadmodum de usufructu dicetur inferiùs Tit. XXX. *§. 3. n. 15.*

10 Dubitatur V. An si lis instituta sit super re immobili inter Ecclesiam, & extraneum Prælatus possit per *viam transactionis* à lite desistere absque alia solemnitate? Resp. esse distinguendum, utrum Ecclesia sit in possessione rei litigiosæ, vel utrum possessio sit penes extraneum, & Ecclesia sustineat personam actoris: priori casu, si per transactionem deberet adversario dimitti res immobilis, requireretur solemnitas Juris, quia esset saltem possessionis alienatio; secus in altero casu, in quo nulla videtur propriè intervenire alienatio, cum ex supposito nec certum jus, nec possessio penes Ecclesiam extiterit. Quar. *d. V. alienatio sub n. 43. vers. 12. limita.*

11 Certum est IV. quod nomine *alienationis* in primis omnes contractus intelligantur, quibus dominium utile, vel directum transfertur, ut donatio, venditio, permutatio, feudum, emphyteusis, & similes. Deinde etiam omnes contractus, quibus non quidem dominium, sed tamen possessio, aut jus percipiendi fructus ex re Ecclesiastica ad longum tempus transfertur, cujusmodi sunt oppignoratio specialis, usufructus, & elocationes ultra triennium factæ, *d. Extrav. ambitiosæ, & c. nullis 5. & c. ad audientiam h. t.* Verùm.

12 Dubitatur IV. An locatio *rei Ecclesiasticæ* facta ad longum tempus v. g. ad 10. annos sine solemnitate tota quanta corruat, vel an saltem valeat quoad primos 3. annos, eò quòd locatio *rei Ecclesiasticæ* ad triennium etiam, sine omni solemnitate permissa sit? Pro valore talis locationis saltem quoad triennium facit Regula 37. *J. in 6.* quòd utile per inutile vitiari non debeat in his, quæ separabilia sunt, quemadmodum de Jure Civili, si quis una vice ultra 500. solidos donaverit, valet quidem donatio quoad 500. non autem quoad excessum, *l. sancimus 34. C. de Donat.* Econtra quòd locatio ultra triennium facta totaliter nulla sit, suadet Textus in *d. Extrav. ambitiosæ & in Clem. 1. h. t.* quæ sine distinctione talem contractum annullat; & videtur hic habere locum vulgare dictum, quòd Prælatus voluit (videlicet locationem ultra triennium) non potuit, & quod potuit (videlicet locationem ad triennium) non voluit : est autem noti Juris, quòd in omni actu non tantùm *potentia* agentis, sed, & *voluntas* ejusdem desideretur, *c. cum super 23. de Off. Jud. deleg.* Sicut ex eodem fundamento testamentum coram 5. testibus regulariter, & in dubio non valet in vim codicilli, nec matrimonium sine parocho contractum valet in vim sponsalium de futuro.

In hac celebri controversia notabili distinctione utitur Gutierrez *Cann. qq. lib. 2. c. 13. n. 17.* quòd si una tantùm indivisibilis locatio facta sit v. g. si una tantùm pensio constituta sit pro toto decennio, vel si ex aliis conjecturis appareat, Prælatum non aliter locasse, & conductorem non aliter conducere voluisse, quàm ad integrum decennium; tunc talis locatio tota corruere debeat : quia contrahentium *voluntas* circa triennalem locationem deficit. Sin autem modo ordinario prædium Ecclesiæ locatum fuerit pro annua pensione, & ita divisibiliter ad primum, secundum, tertium, & reliquos annos, tunc tollerari debebit locatio ad primum triennium juxta jura super jus pro affirmativa sententia allegata.

13 Dubitatur VII. Utrum Prælatus possit prædium Ecclesiæ saltem cum hac clausula ultra triennium, v. g. ad 9. annos locare, ut singulis trienniis sit nova locatio? Affirmativè respondet Bald. *in l. voluntas 4. C. de Fideicommiss.* eò quòd interveniant diversæ locationes, & singulæ non extendantur ultra tempus à lege permissum. Sed contraria sententia verior est, quam tenet Cov. *Var. Res. 2. c. 16. n. 4.* Videtur enim tale pactum in fraudem legis inventum, cum in effectu nihil, vel parum intersit, an res absolutè locetur ad 9. annos, vel an prædicta clausula adjiciatur, quia utroque casu perceptio fructuum ad longum tempus contra intentionem legis separatur.

Con-

Constat autem, quòd contra legem facere, & in fraudem legis, sive contra ejus intentionem facere æquipatentur, *c. fin. de Reg. Jur. in 6.* Quo etiam adferri potest bonus textus *in Nov. 7. c. 3. in fin.* Unde non obstat ratio Baldi, quòd sint plures locationes verbotenus, in effectu tamen, ut dixi, est locatio ultra triennium, quia Prælatus se obligat, quòd post primum, imò secundum triennium finitum, denuò rem apud conductorem relinquere velit.

14 Certum est V. ut alienatio *rei Ecclesiasticæ* alienari prohibitæ valeat, duo copulativè requiri, videlicet *causam, & solemnitatem. Causa* est triplex: *necessitatis, utilitatis, & pietatis. Necessitatis*, quando Ecclesiam urgent debita &c. *Utilitatis*, quando per alienationem major fructus procurari potest. *Clem. 1. h. t. Pietatis*, si captivi redimendi, si pauperes alimentandi, si templa, vel cœmiteria ædificanda sint. *c. aurum. 70. causa 12. q. 2.*

Solemnitas consistit in tractatu habito cum Capitulo, seu Conventu collegialiter congregato, ejusdem, vel saltem majoris partis consensu una cum consensu Superioris. Notanter dico, Capitulares debere esse *collegialiter* congregatos, ut alter alterius rationes audire possit. Absentes tamen remotè non esse necessariò ad istum actum vocandos communiter apud DD. receptum est, dummodo saltem duæ tertiæ Capitularium (v. g. ex 30. 20.) in loco præsentes sint. Panorm. *in cap. 1. De his, quæ fiunt à majori parte Capit. n. 16. nulli. 3. ff. Quod cujuscumque univers. nom.* Roland. *Concil. 90. num. 19.* Barb. *Jur. Eccles. un. lib. 3. c. 30. num. 8.* qua in re consuetudo locorum præcipuè attendenda erit.

15 Porrò licet olim *Superioris* nomine venerit proximus superior, ut in alienatione ab Abbate facienda Episcopus, *c. Abbatibus 41. causa. 12. q. 2. Clem. 1. h. t.* Imò in alienatione Episcoporum solus consensus Capituli requisitus fuerit. *c. sine exceptione. 52. d. q. 2.* hodie tamen de puncto juris loquendo satis certum videtur, quòd in omnibus alienationibus consensus S. Pontificis requiratur, *n. 2. h. t. in 6. & d. Extrav. ambitiosæ*, quæ *Extravagans* expressè pœnas statuit alienantibus bona Ecclesiarum, Monasteriorum, plorumque locorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, ut etiam observat Zoes. *h. t. n. 13.* Dico de puncto juris hæc se ita habere, attamen de consuetudine præsertim in Germania, & locis remotis, unde difficilis aditus ad Papam est, *d. Extravagantem* receptam non esse saltem quoad hoc, ut etiam inferiores Prælati Episcopis subjecti teneantur in alienationibus consensum Papæ, & non Episcopi requirere, attestatur Zypæus *in Analysi jur. Pontif. d. t. 1. n. 2.* & quòd *d. Extravagans* alicubi quoad aliqua tantùm recepta sit, pariter refert Navar. *in Manuali c. 27. n. 160.* cum Sylv. Cajet. & aliis.

Cæterùm præfatis duobus requisitis causa scil. & solennitate concurrentibus alienari posse res Ecclesiæ, licet cum hac conditione ei donatæ, vel relictæ sint, ne alienarentur, eò quòd verisimiliter de tali casu non cogitaverit, vel saltem non rationabiliter cogitare potuerit donator, seu testator, docet Barb. *d. cap. 30. nu. 14.* cum Baldo, *in auth. res quæ C. Com. de legat. num. 23.* & aliis.

16 Dubitatur autem VIII. Utrum requirantur solennitates juris, si alienatio fiat ab una Ecclesia alteri Ecclesiæ. Affirmat Barb. in *Collect. DD. ad c. 1. h. t. per text. in eod. c. 1. h. t.* Atque hanc esse praxin Curiæ Romanæ testatur Ricc. *in Praxi aur. p. 1. res. 35.* Verùm de puncto juris, & extra Italiam (ubi praxis Curiæ Romanæ non ita attenditur, nisi, & hic consuetudine aliud receptum sit) videtur non improbabilis sententia negativa, ut fatetur Ricc. *d. resol. 35.* hoc saltem sensu, ut si evidens causa utilitatis, vel necessitatis subsit, superioris licentia non requiratur, eò quòd finis prohibitionis de non alienandis rebus Ecclesiæ sit in consulendo indemnitati Ecclesiæ universalis, non verò Ecclesiarum particularium, idque plurimum confirmatur ex *c. 2. h. t. in 6. & Extravag. un. eod. tit.* ubi dum ad alienationem consensus Pontificis requiritur, principaliter agitur de alienatione, quæ fit Laicis, & sæcularibus hominibus, ne res Deo dicatæ ad profanos usus applicentur. Imò *in d. c. 1. h. t.* agitur de alienatione Abbatis facta alteri Ecclesiæ, & tamen ibi nihil expressè de consensu superioris, sed tantùm de consensu ambarum partium dicitur.

Quòd verò Ecclesia ex contractu læsa etiam contra aliam Ecclesiam in integrum restituatur, cùm inter pariter privilegiatos melior sit conditio ejus, qui certat de damno vitando, quam qui de lucro captando traditur *in c. auditis. 3.* ubi Panorm. *nu. 8. De in integr. rest. l. verùm. 11. §. item quæritur. 6. ff. de Minoribus.*

An autem, si Ecclesia, cujus bona alienantur, fuerit de jure patronatus laici, ejusdem consensus necessarius sit? refert affirmantes Barb. *d. c. 30. sub num. 9.* ipse tamen addit, hoc per illos DD. dici quidem, sed non probari, nec in praxi observari.

17 Certum est VI. quòd si alienatio *rei Ecclesiasticæ* contra formam juris attentata sit, tunc contractus non valeat, & res alienata non tantùm per successorem Prælatum, vel Capitulum, sed etiam *per ipsum alienantem* revocari possit *c. 2. & 6. h. t.* quamvis enim regulariter contra factum proprium nemini venire concedatur, *l. cum à matre. 14. C. de Rei vin.* fallit tamen, si factum sit ipso jure nullum, vel si non tam ex persona propria, quàm ex parte Ecclesiæ per malam alienationem damnificatæ proprium factum impugnetur, Zoes. *h. t. n. 4.*

18 Præterea verò ex *sæpè d. Extrav. ambitiosæ* alienans, & is, in quem facta est alienatio, pœnam excommunicationis incurrunt, & beneficium, cujus res alienatæ sunt, ipso jure vacabit; & hoc, si inferioris conditionis beneficiatus alienans fuerit; si autem Episcopus, vel Abbas aliquid malè alienaverit, est ipsi ingressus in Ecclesiam interdictus, sicut *in c. Extrav.* habetur. Monet tamen Navar. *d. l. & consil. 1. h. t.* istas pœnas ipso jure incurrendas non ubique receptas esse, & ubi etiam receptæ sunt, tantùm habere locum circa alienationem cum effectu sumptam, si nimirum res Ecclesiastica de facto emptori tradita sit.

19 Dubitatur autem IX. Utrum recipiens rem Ecclesiasticam sine solemnitatibus alienatam, teneatur eam restituere in conscientiæ foro, antequam per ordinarium judicium fori externi repetatur? Si res ita malè alienata sit, ut nec justa causa, nec solemnitas intervenerit, utique recipiens eam cum damno, & injuria Ecclesiæ retinere in conscientia non potest, *c. si quis. 6. h. t.* At verò si quidem consensus Superioris, aut Capituli non intervenerit, subsit tamen justa causa, tunc quidem DD. à restitutione ante sententiam judicis excusant: cùm enim tali casu nulla sit commissa iniquitas, & adsint ea, quæ de Jure naturali ad valorem contractus requirantur, non videtur, ajunt, obligatio restituendi in foro interno injuncta esse, antequam contractus in foro externo rescindatur, Ricc. *d. p. 1. resol. 7. num. 4.* Laym. *in Tract. de Legib. c. 16. in fin.* qua tamen de re videatur tradita Lib. I. Tit. II. *de Constit. num. 54. & seqq.*

20 Dubitatur X. An si emptor rei Ecclesiasticæ sine solennitatibus alienatæ velit eam ultro restituere Ecclesiæ, teneatur acceptare Ecclesia, si malit contractum per adhibitionem solennitatum confirmare? Non posse contractum ex postfacto confirmari sine utriusque partis nova voluntate, tradit Zoes. *d. l. num. 23. arg. §. Tutor autem. 2. Instit. de Auth. Tutor.* ex quo ordinariam regulam colligunt Interpretes, quòd ea, quæ sunt de solemnitate actus, non possint ad convalidandum actum ex post facto intervenire.

Sed communiter receptum est, quòd contractus ab Ecclesia sine solennitate factus sit nullus tantùm in favore Ecclesiæ, si nimirum ipsa velit contractum impugnare, quemadmodum si pupillus sine Tutoris authoritate cum alio contrahat, hic quidem obligatur, non autem pupillus, *princip. Inst. de Author. Tutor.* Unde si Ecclesia malit contractum confirmari per ratihabitionem superioris (ut quia est in utilitatem Ecclesiæ, vel res interea meliorata est) hoc videtur omnino permittendum, prout textus est clarus una cum Gloss. *in c. si qua de rebus. 24. causa 12. q. 2.* tenet Panor. *in c. diversis. 5. de Cler. conjug. num. 6.* Notum quoque est, ratihabitionem retrotrahi, & mandato æquiparari, *cap. 10. de R. J. in 6.*

Nihil verò movere debet argumentum deductum ex *d. l. Tutor autem.* ubi dicitur, quòd auctoritas Tutoris in ipso contractu pupilli, non post longum tempus intervenire debeat; nam respondeo, argumentum à pupillo ad Ecclesiam procedere in favorabili-

bus, quando circa Ecclesiam non habetur alia juris dispositio, secus autem in iis, quæ Ecclesiæ onerosa sunt, & ubi habetur alia in *Jure Canon.* dispositio, sicut in *d. c. si qua de rebus*. Deinde auctoritas Superioris Ecclesiastici circa alienationem *rei Ecclesiasticæ* non tam comparatur auctoritati Tutoris, quam decreto Prætoris circa alienationem *rei pupillaris*, quod decretum ante, & post factum intervenire posse, testis est Honorius *h. t. num.* 2.

21 Dubitatur XI. Utrum si res male alienata reperatur ab emptore, restituenda sit cum omnibus omnino fructibus, sive emptor in *bona*, sive *mala fide* fuerit?

In primis satis conveniunt, quod emptor in vera *mala fide* existens (id est, si sciverit rem malè alienatam esse) teneatur ad omnes fructus restituendos, non tantum ad eos, qui adhuc existunt, sed etiam ad æstimationem, & pretium eorum, quos consumpsit, *c. si quis. 6. h. t. l. certum. 22. C. de rei vend.* quia malæ fidei possessor nullum omninò jus habet ad lucrandos fructus, ne ex suo delicto, quod commisit rem malè alienatam recipiendo, lucrum reportet. Idem quoque de eo communiter receptum est, qui ex ignorantia, *& errore Juris* non putavit requiri solemnitates ad rem Ecclesiasticam alienandam; nam *error Juris* inducit saltem *fictam* malam fidem; & licet regulariter à pœna excuset, tamen non prodest ad acquisitionem, & lucrum captandum: maximè in illis casibus, ubi lex resistit contractui, sicut alienationi, sine solemnitate factæ, *l. 7. & 8. ff. de Juris & fact. ignor.* Fach. *lib. 8. Contr. c.* 29. Panorm. *in c. pen. hoc tit. nu. 9.* Barb. *in cap. si quis eod. t. nu.* 13. Pro contraria tamen sententia, si cui magis placet, videri poterit Covat. *Var. Res. lib.* 1. *c. 3. num.* 8. & apud eum Innoc. Anchar. Card. & Immol. *in c. ad nostram. 31. h. t.* Imò ipse Facbin. *d. c.* 29. ita restricte loquitur, ut errantem in jure possessori bonæ fidei eatenus comparet, quatenus non teneatur nisi fructus extantes, & ex quibus factus est locupletior, restituere.

Sed magna est difficultas, quid dicendum, si emptor fuerit in *vera bona fide*, non errore juris, sed *facti* deceptus? Puta, quia fuit à Prælato alienante persuasus solemnitates debitas intervenisse, consensum superioris obtentum esse? Certi juris est, quod bonæ fidei possessor fructus quidem *extantes*, (deductis tamen necessariis impensis) una cum prædio restituere teneatur (nisi per triennium bona fide possederit, & inde ex titulo *pro suo* usuceperit. Gloss. & Barth. *in l. sequitur. §. fructus ff. de Usucap.* Covat. *d. cap. 3. sub num. 7. vers. quarta conclusio*) *consumptos* autem lucretur pro *cultura, & cura*, quam in prædium impendit, *l. certum* 22. *C. de Rei vind. & §. si quis à non domino* 35. *Instit. de Rer. divis.* Attamen in emptore rei Ecclesiasticæ malè alienatæ quidam hoc volunt esse speciale, ut etiam æstimationem, & pretium fructuum consumptorum restituere teneatur; tum quod in *c. 2. h. t. in 6. & Clem. 1. eod.* dicatur *emptori nullum jus acquiri*, ergo nec jus lucrandi fructus, tum etiam, quod jus lucrandi fructus tantum detur *possessori*, emptor autem rei Ecclesiasticæ sit quidem ex supposito bonæ fidei, sed non *possessor*, cum Ecclesia, quæ pupillo æquiparatur, in contractu non solemni nec jus possessionis perdere possit. *L. magis puto. §. 2. ff. de rebus eor. qui sub. Tu. & L. pupillus.* 11. *ff. de Aquir. rer. dom.* Sed, ut verum fatear, contraria sententia, quod errans in facto lucretur fructus *ante litem contestatam consumptos*, communior est, ut patet ex Panor. & Barb. *cc. ll.* & Riccio. *dict. p. 1. res. 18. num. 3.* pro eaque plurimum stringit, *d. c. pen. h. t.* & urgentius text. *in L. bona fidei. 48. vers. nec interest. ff. de Aquir. rer. dom.* ubi ex re *pupilli* fructus bonæ fidei possessor lucrari dicitur. Ad *d. c. 2. & Clem.* 1. posset accommodari responsio, quam *num. seq.* insinuabimus, & præterea dici, quod priores textus generales nullam de fructibus mentionem facientes declarentur per alios magis specificos.

22 Dubitatur XII. Utrum res Ecclesiastica possit ab emptore præscribi? si emptor in mala fide fuerit, non est magnum dubium, quod præscribere non possit, quia malæ fidei possessor nullo unquam tempore præscribit. *c. fin. de Præscript.* At verò quid dicendum sit, si emptor fuerit in vera bona fide falso persuasus, consensum superioris, & alias solemnitates in alienatione intervenisse, non est satis exploratum: nam in *cap. 2. h. t. in 6.* dicitur, quòd mala alienatione quidem causam præscriptionis paret: Et Paulus IV. summus Pontifex absolutè constituit, ut excep o præscriptionis contra repetitionem rei malè alienatæ opponi non possit.

Verùm communior est sententia cum Ricc. *in Prax. aur. p. 1. resol.* 32. Arnold. Rath. *in Tract. de Usucap. c. 4. assert. 2. num.* 2. Barbosa *Jur. Eccles. univers. lib. 3. c.* 28. *num.* 16. Præscriptionem cæteris paribus, videlicet bona fide, & possessione per 40. annos continuata accedentibus, locum habere; licet enim res pupillares præscribi nequeant, res tamen Ecclesiæ præscriptibiles esse deducitur passim ex Tit. *de Præscript.* ubi contra res Ecclesiæ quadragenaria præscriptio admittitur. Quod ipsum videtur confirmasse Pius IV. in sua Bulla, quæ incipit: *Provida &c.* dum ibidem constitutionem Pauli IV. ad terminos Juris communis revocavit. Textum autem *in d. c. 2. h. t. in 6.* interpretantur de emptore, qui in errore juris fuit, credens solemnitates ad alienationem non requiri. Barb. *in Collect. DD. ad d. c. 2. num.* 7. An autem generaliter cum errore juris non procedat præscriptio, dictum est supra in Tit. *de Præscriptionib. §. 3. quæst.* 3. Posset forsan etiam textus in præsenti accipi de eo, qui scienter rem, sine debitis solemnitatibus alienatam recipit; non obstante objectione, quòd hic casus non fuisset in decisione dubitabilis, cùm jam ante constituerit ex *c. fin. de Præscript.* malæ fidei possessorem non præscribere; etenim circa contractus, qui habent saltem requisita juris naturalis, videl. consensum mutuum, & justum pretium, an possessor in ordine ad præscriptionem bonæ, vel malæ fidei censeri debeat, potuit utique dubitari, juxta dicta superiùs *num.* 19.

Duo tamen notabilia hìc advertit Ricc. *l. supra cit.* I. quòd præscriptio non incipiat nisi post mortem, vel depositionem Prælati malè alienantis, quia enim talis Prælatus non est facilè revocaturus rem alienatam, ideo ipso vivente Ecclesia censetur carere legitimo defensore per tex. *in c. si Sacerdotes. 10. causa 16. q.* 3. II. quòd contra præscriptionem detur Ecclesiæ in integrum restitutio, saltem si intra quadriennium numerandum à die, quo scivit præscriptionem completam, illam restitutionem petierit, *c. 1. De in int. rest. in 6.* De quo restitutionis beneficio superius in Lib. I. speciali titulo tractatum est. 23

Obiter hìc adnotare volui, me sæpius à viris magnis, & gravibus audivisse, quòd Imperator Ferdinandus II. glor. mem. generali edicto statuerit, contra bona Ecclesiarum saltem ex fundatione competentia nullam omnino admittendam esse præscriptionem, cujus edicti tenorem hactenus videre non potui. Inquirat de eo, cui in practica casus obveniat.

Dubitatur XIII. Utrum solemnitates ad alienationem requisitæ possint per consuetudinem alicujus loci abrogari? 24

Respondeo, quamvis solemnitates alienationis à Summis Pontificibus introductæ, nec juris naturalis, nec divini sint, sed positivi tantùm, & ideo absolutè loquendo per consuetudinem abrogari posse videantur, cùm consuetudo habeat vim legis, & deroget aliis legibus positivis prioribus, *c. fin. de Consuetudine l. diuturna 33. ff. de LL.* Interim tamen, si per talem consuetudinem damnificentur Ecclesiæ, non esset valida censenda juxta *cap. 1. de Consuetud.* Unde nulla consuetudine introduci potest, ut alienatio subsistat, quam Prælatus facit, sine evidenti causâ utilitatis, necessitatis, aut pietatis. Item quia consuetudo debet esse rationabilis, *d. c. fin.* non esset autem *rationabilis*, si contineret periculum damnificandi Ecclesias; ideo consuetudine introduci non poterit, ut inferiores Clerici, vel Parochi irrequisito Episcopo, vel alio Superiore bona suorum beneficiorum, vel etiam superiores Prælati, non habito tractatu cum suis Capitulis, bona suarum Ecclesiarum alienare valeant. Sed illud consuetudine introduci potest, ut consensus Summi Pontificis in alienatione inferiorum Prælatorum non desideretur juxta dicta superiùs *sub certo 5. num.* 15. & Episcopi, ac Abbates præsertim *Exempti*, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem in suis Monasteriis habere censentur, *in vulgaribus prædiis, & rebus minoris præjudicii* præter suorum Capitulorum alterius superioris consensum requirere non

tenea-

teneantur. Videatur Panorm. *in c. nulli 5. h. t. n. 6.* Barb. *ad c. cum causa 8. de Sent. & re jud. n. 7.*

25 Demum hic addi potest, quòd Ecclesia revocans rem alienatam, sive per viam nullitatis, sive per viam *restitutionis* teneatur emptori reddere pretium, quod ab eo accepit, ne contra naturalem æquitatem cum aliena jactura locupletetur, *l. quod si minor 24. §. restitutio 4. ff. de Minor. l. si fundus 13. §. fin. ff. de Rebus eorum, qui sub tit. & l. utere 14. C. de Præb. minor.* Sed hoc, quatenus ex pretio Ecclesia locupletior facta est, idque in suam utilitatem convertit: at verò si pretium penes Prælatum alienantem casu perierit, aut malè consumptum sit, Ecclesia ad refundendum aliud pretium non tenebitur, sicut ita circa minores (quorum jure Ecclesia utitur, *c. 1. de in integr. rest.*) revocantes res suas malè alienatas apertè constitutum est, *in d. l. quod si minor 24. §. restitutio 4. l. patri 27. §. item ex diverso,* ibi. *juveni autem eatenus ex pretio reddere, quatenus ex ea pecunia factus est locupletior. ff. de Minor. l. prædiorum 10. C. de Prædiis minor.* ibi. *pro ea duntaxat parte te conveniri permittet, quam in facultates tuas erogatam esse constiterit.* Imo hoc ipsum, quòd pretium in utilitatem Ecclesiæ conversum sit, ab emptore probandum esse, tradit Barb. *in c. si quis 6. h. t. sub n. 9.* & tenet Fachinæus 2. *Controv. c. 46.* ubi tamen quosdam dissentientes allegat.



TITULUS XIV.

De Precariis.

SUMMARIA.

1 *Precaria quid?*
2 *Inter Precarias, & Precarium differentia.*
3 *Precaria an necessario dentur causa renuntiationis, vel gratis?*
4 *Precariarum concessio requirit alienationis solemnitatem.*
5 *Precariæ irrationabiliter concessæ possunt revocari non obstante pœna conventionali.*
6 *Precariarum renovatio quinquennalis cur statuta?*
7 *Ex Precariis qualis detur actio. Item ex pactis nudis quando condictio ex canone, vel lege?*

1 PRecariæ dicuntur contractus à jure Canonico introducti, quibus alicui ad preces, & plerumque causa remunerationis fundus, vel res Ecclesiæ ad dies vitæ, vel aliud tempus cum ordinaria alienationis solemnitate conceduntur, ea lege, ut singulis quinquenniis renovatio hujus concessionis petatur, *c. 1. & ibi DD. h. t.*

2 Dico I. Precarias esse contractum *Jure Canonico* introductum: quia in Jure Civili habetur quidem contractus, qui dicitur *Precarium*, ut *ff. & C. de Precario*, non autem contractus *Precaria*, & præptereà uterque contractus ab invicem plurimùm differt, nam de substantia Precarii est, ut ad nullum certum tempus res alicui gratis utenda concedatur, ac ad libitum concedentis revocetur, *l. 1. ff. de Precario*, adeò quidem, ut nec ex conventione partium tempus aliquod rectè apponatur Precario: cum enim propria differentia Precarii ab aliis contractibus sit, quòd ad nutum revocari possit, si tempus aliquod determinatum apponatur, transibit in aliam speciem contractus, & fiet commodatum, vel usufructus, *l. cum Precario 12. ff. de Precario.* At verò *Precaria* non conceduntur indeterminatè, sed ad dies vitæ, vel ad aliud longum tempus, neque revocantur antequam tempus in conventione expressum finiatur, *c. fin. in fin. h. t.*

3 Dico II. Precarias *plerumque causa remunerationis* concedi, ita, si v. g. aliquis rem suam Ecclesiæ donaverit, poterit hæc res eidem vicissim ad dies vitæ in Precariam concedi. Similiter potest aliquis precarias obtinere, licet de facto nihil Ecclesiæ donaverit, dummodò promissionem faciat, quod post certum tempus, vel saltem in tempus mortis velit Ecclesiæ aliquid largiri. Videatur textus *in c. hujusmodi 3. & c. precariæ 4. causa 10. q. 2.* imò textum convincentem non reperio, quòd de substantia precariæ sit, ut præcisè causa remunerationis fiat, & plerique Interpretes hac de re mentionem non faciunt, nec remunerationem in conditione precariæ ponunt. Nisi quod Joann. Honorius *h. t. n. 2.* doceat, precariam differre à precariis, quòd illa detur causa remunerationis ad instar temporalis, & gratuiti usufructus in heredes non transituri, *arg. c. precaria, ubi Glossa in V. precaria 10. q. 2. & c. sæpè 72. V. sub precaria 12. q. 2.* Istæ verò magis contractui Emphiteutico ad hæredes quoque transitorio, nisi aliter conventum fuerit, assimilentur; sed DD. passim, & Glossæ *Precariam*, & *Precarias* pro Synonimis accipiunt, & fortassis canones plurali numero usi sunt propter multiplicatas illas novationes quinquennales, quæ in hoc contractu fieri solent.

Dein non est de substantia precariæ, ut semper gratis concedatur, potest enim contrahi pro annua aliqua recompensatione, vel pensione. Pan. *in c. 1. h. t. sub nu. 3.* cum Gloss. *in c. sæpè 72. V. largitate 12. q. 2.* Quamvis Barb. *in Collect. ad princ. hujus tit. n. 9.* censeat in precaria pensionem constitui non posse, & per hoc etiam ab Emphiteusi differre, in qua annuus canon solvitur: sed nulla probat Juris authoritate: ab Emphiteusi autem sufficienter differt precaria, tum per repetitas renovationes; tum quod in precaria non transeat dominium utile in eum, qui precariam accipit, sicut transit in Emphiteutam, & plerumque tantùm temporalis concessio sit, teste ipso Barb. *d. lib. n. 8.*

Dico III. ad concessionem precariæ requiri ordinariam solemnitatem alienationis, de qua in *præced. Tit.* dictum cùm enim Extravagans *Ambitiosæ de Rebus Ecclesiæ non alien.* in omni locatione *ultra triennium* illam solemnitatem requirat, sequitur idem in concessione precariæ dicendum, quia & hæc in effectu est elocatio ultra triennium, scilicet ad dies vitæ, vel aliud longum tempus. 4

Præterea hic adnotandum est, quòd licet precariæ ritè, & ad determinatum tempus concessæ non possint pro voluntate concedentium ante elapsum tempus revocari, *c. fin. in fine h. t.* si tamen precariæ fuerint concessæ irrationabiliter & in damnum Ecclesiæ, ab ipso concedente, aut successore ejus jure ordinario per viam nullitatis, si debitæ solemnitates adhibitæ non sint, vel saltem per viam restitutionis in integrum revocari debeant, ut etiam in *d. Tit.* generaliter de rebus Ecclesiasticis malè alienatis explicatum. 5

Imò tametsi *pœna conventionalis* fuisset adjecta, ut v. g. contraveniens contractui precariæ 100. in pœnam solvere, nihilominus statuit S. Pontifex *in c. 2. hoc tit.* ut pœna antecessoris successorem obligare non possit. Id quod Barb. *in Collectaneis ad idem cap. 2. num. 5.* interpretatur procedere, sive successor revocans precarias perdiderit causam in judicio sive non: licet enim DD. velint, esse de natura *pœnæ conventionalis*, ut debeatur, quamvis contraveniens contractui justam litigandi causam habuerit, si modo in judicio condemnatus, & econtra contractus approbatus fuerit, *l. qui Romæ 122. §. duo fratres, ubi* Bartholus & Jason *ff. de Verb. oblig.* (quòd secus est in *pœna legali* expensarum Judicialium, ubi justa litigandi causa excusat, *c. calumniam 4.* & ibi Gloss. *in verbo. victori. de Pœnis.*) in præfato tamen *cap. 2.* pœna simpliciter sublata intelligitur, ne metu ejus successor à revocatione intentanda abstineat, Facit text. *in l. quæro 54. §. 1. ff. Locati.*

Dico IV. Precariam singulis quinquenniis renovandam esse, *c. 1. h. t.* quæ renovatio ex eadem ratione introducta est, sicut investitura in feudo à novo vasallo, vel dominio recipienda, ne scilicet lapsu temporis rei memoria pereat, & precariam accipiens rem Ecclesiasticam, tanquam propriam possideat, *cap. sæpè 72. causa 12. q. 2.* Unde DD. communiter cum Panorm. *in c. 1. h. t. n. 5.* docent, quòd sicut Vasallus non petens investituram feudum amittit, ita etiam accipiens precarias, & omittens quinquennalem renovationem. 6

Scholastica hic adjungi posset quæstio, an & qualis ex hoc contractu precariarum detur actio? Imprimis non est dubium: quin ex precariis detur actio: sunt enim verus contractus, & pactum vestitum cum Juris Can.

7 assistentia, & approbatione per ea, quæ in Tit *de Pactis* traduntur. Qualiter autem vocari debeat hæc actio, apud DD. altum silentium est. Dico proinde, vel agendum est in foro ecclesiastico, & constat in hoc foro nomina actionum non solere specificari, dummodo materia actionis, sive ipsum jus petendi clarè in libello exprimatur, præsertim cum in Jure Canonico etiam ex pactis nudis (quæ utiq; nominatas actiones non habent) actionem plurimi DD. concedant, ut in Tit. *de Pactis*, dicitur, quam quidem actionem aliqui *condictionem* ex canone vocant: sed & condictionis nomen, & formula vix in SS. Canonibus reperietur. Deinde *condictio ex lege*, vel *canone* tunc potissimùm, & propriè datur, quando lex extra causam contractus imponit obligationem, veluti, si Episcopus petat Procurationem ratione visitationis sibi debitam, Parochus decimas &c. si enim verus contractus concurrat, datur propria actio ex illo contractu.

Si vero agatur in foro civili (quamvis etiam in isto hodierna praxi formulæ actionum rarò usitatæ sint) tunc, quia in Jure Civili precariæ contractus incognitus, adeoque innominatus censetur, dabitur ex eo, sicuti ex contractibus innominatis, actio præscriptis verbis, *l. naturalis 5. ubi DD. ff. de Præscript. verbis*.

Veruntamen, cum Jus Civile supplementum præstet Juri Canonico, & vice versa jus canonicum civili, *c. 1. de Novi operis nunciatione*, ideo ni fallor erroris argui non posset, qui diceret, sicut in Jure Civili actio ex contractu assumit regulariter nomen sui contractus, ut actio Precarii, commodati, locati, empti &c. ita eadem ratione non incongruè asseri, ex contractu precariarum nasci *actionem precariarum*. Argumento esse possunt, quæ in simili circa actionem *Emphiteuticariam* tradit Harp. *ad §. 1. de Locat. & conduct. n. 576.*

Ex aliis verè pactis nudis specificum nomen contractus non habentibus, si juxta multorum sententiam de Jure Canonico detur actio, ea vocari potest, sicut de Jure Civili in contractibus innominatis (quando enim Jus Canonicum assistit pacto, transit in contractum, ut in Tit. *de Pactis* dictum) *actio præscriptis verbis*. Et demùm *condictio ex canone* competet ad instar *condictionis ex lege*, quando obligatio est circa verum contractum, nec alio speciali nomine actio desuper in Jure expressa est.

Circa contractum *precarii* (de quo rursus in Tit. seq. dicendi occasio occurret) ex *c. fin. h. t.* adnotari potest, quòd non tantùm expiret per mortem ejus, cui conceditur (quia cum sit species beneficii personalis, & intuitu personæ datum censetur, nec ad Successorem transit) sed etiam per liberam revocationem concedentis. Econtra autem si ipse concedens moriatur, non illicò res precario accepta restituenda erit, quia hæres repræsentat personam defuncti; & nisi revocet, censetur continuare precarium à defuncto concessum. Imò tametsi Dominus rem precario concessam alienet, non eo ipso expirat precarium, donec emptor illam rem à possessore avocaverit, *l. quæsitum 8. §. 2. ff. de Precario*.

Qualis autem culpa in precario præstanda sit, in *Tit. sequenti* commodiùs explicabo.

TITULUS XV.

De Commodato.

SUMMARIA.

1 *Commodatum quid? & an etiam detur in rebus immobilibus?*
2 *Commodatum est contractus gratuitus.*
3 *Quomodo differat à mutuo?*
4 *In commodato an detur compensatio?*
5 *In commodato res perit commodanti, in mutuo ipsi debitori.*
6 *In commodato præstatur levissima culpa, nisi fuerit contractum in gratiam utriusque n. 7.*
7 *Cur in precario præstetur tantùm lata culpa?*
8 *Commodatarius quando casum præstet.*
9 *Commodata res æstimato tradita an transferat periculum.*
10 *Mora quando faciat præstare casum; & ibi si res fuisset etiam apud dantem peritura.*
11 *In commodato an levissima culpa præstanda sit in conscientia?*

Commodatum est concessio alicujus rei gratuita in certum usum; ut eadem specie, & non alia ejusdem generis nobis reddatur. 1

Dico I. Commodatum esse *concessionem alicujus rei*, quo 2 nomine, quamvis communiter tantum veniant *res mobiles*, quæ de manu transire possunt, ut libri, equi, vestimenta, & similia, *immobilia* autem seu solo cohærentia potiùs in usumfructum concedi dicantur, nihilominus tamen, si res immobilis alicui gratis sub nomine commodati concedatur, valebit contractus. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* Quod idem etiam *in d. §. 1.* & in *l. si gratuitam 17. ff. de Præscript. verbis*, constitutum est circa *res incorporales*, nimirùm servitutes, habitationem, Jus pascendi, &c.

Dico II. Commodatum esse *concessionem gratuitam*; 3 per hoc enim differt à *locatione*, quòd hæc fiat pro certa pensione, sive æstimatione usus, ut infra speciali Titulo dicemus, Unde licet apud Germanos precarium, commodatum, mutuum, & locatio eodem vocabulo *leichen*, *verleichen*, nominentur, à parte rei tamen hæc plurimùm inter se differre, satis apparet, & mox ampliùs apparebit.

Dico III. In commodato *eandem rem in specie*, & non 4 *in genere* restituendam esse, est enim de natura commodati, ut dominium, & possessio maneat penes commodantem solo jure utendi, & detinendi in commodatarium translato, *l. rei commodatæ 8. ff. h. t.* Quare differt commodatum à *mutuo*, quòd mutuum consistat in rebus usu consumptibilibus, ut in frumento, vino, pecunia numerata, ac similibus, ac proinde non eadem res in specie, sed alia ejusdem generis restituatur, *l. 2. ff. de Rebus creditis*: transeatque dominium rei mutuatæ in mutuatarium, ex quo eam consumere jure potest, dummodo suo tempore rem mutuo acceptam in genere reddat, scilicet frumentum pro frumento, pecuniam pro pecunia &c. sed quia in commodato eadem res in specie restituenda est, non poterit contrahi in rebus usu consumptibilibus: uno fermè casu excepto si nimirum ad pompam, vel ostentationem volens dives comparere ab altero pecuniam, vel frumentum sibi commodati rogaret, ad quæ in specie iterum restituenda se obligaret, *l. 3. §. fin. h. t.*

Unde etiam in commodato non datur compensatio, 5 *l. ult. C. h. t. ibi: prætextu debiti restitutio commodati non probabiliter recusatur &c.* quia compensatio tantum habet locum in quantitatibus, quæ mutuam functionem recipiunt, non speciebus. Dari tamen potest retentio quasi jure pignoris propter impensas in rem commodatam factas, *l. Creditoris 15. §. ult. ff. de Furtis*.

Quòd si verò res commodata fortassis culpa Commodatarii deperiisset, & jam non de re ipsa, sed pretio ejus refundendo ageretur, compensationi quoque locus foret; quia tùnc revera quantitas ad quantitatem, sive pecunia ad pecuniam (ex supposito, quòd commodans vicissim commodatario pecuniam deberet) contribueretur.

Præterea inter commodatum, & mutuum illa quoque est notabilis differentia, quòd si res commodata casu fortuito sine culpa commodatarii pereat, is non teneatur ad aliquam restitutionem, cum res pereat suo domino, *c. un. h. t. l. in rebus 18. ff. eod.* dominium verò in re commodata maneat penes commodantem, *d. l. rei commodatæ 8. ff. h. t.* & commodatarius fit debitor certæ speciei. Sed quia mutuatarius fit dominus rei mutuatæ, & simul est debitor generis, quod perire non potest, tametsi illa sine culpa ipsius perierit, v. g. pecunia mutuò accepta per vim latronum ablata, vel incendio consumpta sit, aut famulus, vel nuncius ab ipso debitore sine mandato, & deputatione creditoris missus cum pecunia aufugerit, nihilominùs ad refusionem tenebitur, §. 2. *Inst. Quibus modis recontrahitur obligatio*, *l. 1. §. 4. ff. de Obligat. & action.* Layman. *in Theol. mor. lib. 3. Tract. 4. cap. 7. num. 4.*

6 Restat ut videamus, quid in contractu commodati præstari debeat idest, si v.g. equus, aut liber commodatus deterioretur, corrumpatur, aut omninò intereat? Hic repetenda sunt ea, quæ in Lib. I. Tit. XXXV. §. 7. circa præstationem doli, culpæ & casus in contractibus tradita sunt. Cùm igitur Commodatum tantùm tendat in utilitatem recipientis, in eo levissima quoque culpa præstanda erit, *cap. unic. hoc tit. dict. leg. in rebus* 18. *ff. eod.* Non obstat, *§. 2. Institut. Quibus modis re contrah. oblig.* ubi tantùm, *exacta custodia* in commodato requiritur: quia ibi ad concilianda Juribus jura positivus accipiendus est pro superlativo, quando id apparet ex aliis legibus, sicuti & ex *leg. 1. §. 4. ff. de Obl. & act.* ubi dicitur commodatarium *ad exactissimam diligentiam* præstandam teneri.

7 Porrò licet in commodato etiam levissima culpa præstetur, ut dictum, procedit hoc tamen regulariter, si commodatum solius commodatarii gratia fiat; si verò commodatum fiat principaliter in gratiam Commodantis; exempli causa, si quis sponsæ, vel uxori suæ commodaverit ornamenta, quò honestius culta ad se deduceretur, dolus tantùm, & lata culpa à sponsa, vel uxore præstabitur *leg. 5. §. interdum* 10. *ff. hoc tit.* Quòd si commodatum utriusque causa fiat, levis culpa æstimabitur, veluti inquit Jurisconsultus *in leg. in rebus* 18. *vers. at si utriusque ff. hoc tit.* si communem amicum ad cœnam invitaverimus, tuque ejus rei curam suscepisses, & ego tibi argentum commodaverim &c.

8 Speciale quoque est in contractu *precarii*, quòd licet *precarium* in gratiam solius accipientis contrahatur, nihilominus in eo nec levis, nec levissima, sed lata tantum culpa præstetur, *leg. quæsitum* 8. *§. 3. ff. de Precario.* Rationem hujus specialitatis communiter assignant DD. quòd *precarium* ex magna liberalitate dantis proveniat, quis rem suam alteri gratis sine determinatione usus, vel temporis concedit, ut proinde non sit verisimile, quòd accipientem voluerit ad tam exactam custodiam obligare. Deinde talis exacta custodia propterea in *precario* desiderari non potest, quia accipiens *precarium* in eo multùm gravatur, quòd id ad libitum concedentis revocari valeat, cùm econtra commodatum ante tempus præfixum, & in contractu à partibus determinatum nequeat repeti *c. fin. de Precariis, & c. unic. h. t.*

Casus autem fortuitus, seu interitus, vel deterioratio rei sine culpa commodatarii contingens in commodato non præstatur, quia commodans manet dominus rei commodatæ, res autem, quæ casu perit, suo Domino perit. Item commodatarius est debitor certæ speciei, debitor autem certæ speciei ejusdem interitu liberatur, juxta vulgata Juris axiomata.

Excipiuntur tamen *in cap. un. hoc tit.* tres casus, in quibus etiam interitus fortuitus præstandus veniat. I. Si culpa commodatarii casum præcesserit, e.g. si commodatarius usus fuerit non ad usum determinatum; ut si eidem commodatus sit equus ad certum locum, ipse verò aliò iverit, & inciderit in latrones, aut si res casu quidem immediatè pereat v.g. incendio vel furto, potuisset tamen commodatarius facilè aufugere, aut rem subducere *leg. 5. §. 4. & 7. & leg. in rebus* 18. *ff. hoc t.* II. Si per speciale pactum omne periculum in re commodata eventurum commodatarius in se susceperit, contractus enim ex conventione legem accipiunt *cap. contractus* 85. *de Reg. Jur. in* 6. Volunt tamen DD. pactum non debere tantùm in generalibus terminis concipi: v.g. promitto me omnem casum præstiturum, sed debere aliquos casus in specie exprimi, v. g. resarciam damnum, sive equus commodatus moriatur, sive per milites auferatur &c. eò quòd communiter receptum sit, promissionem generalem, de damno quocunque modo, & casu dato præstando non semper obligare, *leg. fluminum* 24. *ff. de Damno infecto leg. sed etsi* 4. *§. quæsitum ff. Si quis caution. &c.* Et aliàs nota est regula, quod in generali promissione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non fuisset concessurus. *Arg. cap. qui ad agendum* 4. *de Procuratoribus in* 6. *cap. in generali* 81. *de Reg. Jur. in* 6. Unde frequenter partes effugia, ac exceptiones opponere possent dicendo, se de hoc vel illo periculo in specie non cogitasse.

De eo dubitatur, an si res commodata æstimato tradita
9 sit, per talem æstimationem omne etiam periculum translatum censeatur, quemadmodum si marito res dotalis æstimata tradatur *l. plerumque* 10. *ff. de Jure dot. l. quoties Cod. eod. Tit.*

Resp. Licet, quod in dote, etiam in re commodata vi- 10
deatur constitutum *in l. 5. §. 3. ff. hoc tit.* nihilominùs æquiorem esse sententiam Panorm. *in c. unic. hoc t. num.* 23. quòd æstimatio rei transferat quidem periculum in accipientem in illis contractibus, quorum natura talis est, ut dominium rei transferri, atque ita æstimatio adiecta quasi venditionem operari possit, sicut in dote, cujus dominium saltem *civile* aliàs in maritum transit. *Princ. Inst. Quibus alienare licet &c.* cui & *naturale* tantò facilius accedere potest per emptionem, non quidem absolutum, sed juxta naturam dotis soluto matrimonio in specie, vel in pretio revocabile. In cæteris autem contractibus, quorum natura non patitur transferri dominium, uti est commodatum, locatio, & similes, etiam periculum & casus non transferatur, sed æstimatio solùm operetur, ut si culpa res intereat, dominus non teneatur ampliùs rei pretium probare. Adde, quòd in contractibus interpretatio fiat contra eum, in cujus potestate erat legem contractus apertiùs dicere, *juxta Regulam* 57. *Juris in* 6. sicut in proposito in potestate commodantis fuit, rem sub conditione expressa de præstando casu fortuito commodare. Textus verò *in d. l. 5. §. 3.* congruè intelligi potest, quando præter æstimationem rei speciale insuper pactum de casu fortuito præstando accessit.

Tertia demùm est exceptio quòd commodatarius ad 11
casum fortuitum præstandum teneatur, si post usum expletum fuerit in mora culpabili, qua de re superius *in lib. I. Tit. de Pactis §. 7. n.* 26. dictum.

Quærunt præterea DD. an in conscientia ad restito- 12
tionem teneatur, cujus culpa levi, vel levissima, adeoque sine culpa mortali res commodata interiit? e. g. qui librum commodatum in cubiculo reliquit, & egrediens clavem quidem detraxit, sed non tentavit, an fortiter clausum esset, & propterea cùm janua præter intentionem suam aperta remansisset, liber ablatus sit, &c. Affirmant DD. magis, ni fallor, communiter ex illo principio etiam superiùs *in Lib. I. in Tit. II. de Constitutionibus*, tradito quòd *lex justa in foro externo sit etiam justa in interno, nisi merè pœnalis, aut in falsa præsumptione fundata*. Atqui hæc lex, quæ commodatario levissimam culpam præstandam injungit, justa censetur ex duplici capite: *primò*, quia causa gratitudinis naturalis id exigit, ut, qui rem gratis utendam accipit, eam diligentissimè custodiat. *Secundò*, quia re pereunte alteruter debet damnum sentire, vel commodans, qui fuit beneficus, & nullam culpam dedit, vel commodatarius, qui beneficium accepit, & insuper culpam qualem posuit, æquiùs proinde est, ut hic potiùs ex sua culpa, quam ille sine culpa ex suo beneficio alteri præstito damnum sentire teneatur, culpa enim cuique sua, non alteri nocere debet. Accedit, quòd istam restitutionem ex culpa levissima non tantùm leges Civiles, sed etiam sacri Canones *in c. unico hoc tit.* expressè injungant: Canones verò non tantùm forum externum, sed etiam salutem animarum, & dispositionem circa forum conscientiæ respicere soleant *c. 1. de Constitutionibus in 6. c. 1. de Sepult. eodem libro.* Lessius *de Justitia, & jure lib. 2. c. 8. n.* 46. Layman *in Theol. Mor. lib. 3. tract. 4. c. 8. n.* 2. Barb. *in Collect. ad c. un. h. t. num.* 2. & 5. & citati ibidem.

TITULUS XVI.

De Deposito.

SUMMARIA.

1 *In depositarium non transit usus rei, nisi aliquando præsumptivè.*
2 *Deponens habet privilegium personale prælationis.*
3 *In deposito an dolus tantum, vel etiam lata culpa præstetur?*
4 *Depositarius quando ad exactiorem custodiam, culpam, vel etiam periculum obligetur.*
5 *Depositum potest pro arbitrio deponentis revocari.*
6 *In deposito non admittitur compensatio.*
7 *Depositarius an possit, vel teneatur tantam curam rebus depositis adhibere, quantam suis.*
8 *Depositarius orto v.gr. incendio an teneatur res depositas suis præferre; & ibi qualiter probetur amissio rei depositæ?*
9 *Ex deposito facto apud Prælatum non tenetur Ecclesia, nisi accesserit consensus Capituli. De Sequestro remissivè.*

1 DEpositum est *traditio rei custodiæ tantùm causa facta. l. 1. ff. hoc tit.* Dico: depositum *tantùm custodiæ causa* fieri: nam in depositarium regulariter non transfertur usus rei depositæ, nisi aliud vel expresè agatur, vel tacitè ex præsumpta mente deponentis colligatur, ut quia amicus apud amicum pecuniam in sacco non obsignatam deposuit; quamvis nec hic depositario usus censeatur aliter concessus, quàm si sciat se tantundem posse in genere restituere. *l. die 25. §. 1.* & ibi Gloss. *ff. h. t.*

2 Ubi etiam singulariter notandum, si depositarius pecuniam depositam etiam cum licentia deponentis de facto expenderit, & aliis facultatibus lapsus sit, ut proptereà bona ipsius subhastari debeant, nihilominùs pro illis pecuniis competat deponenti *actio depositi*, ratione cujus personale privilegium habens cæteris creditoribus chirographariis non privilegiatis anteponetur, ut proinde tali casu non obstante, quòd dominium propter usum translatum sit in depositarium, manserit tamen *depositum*, sed *irregulare*, aut, si mavis, dicas, mansisse aliquem depositi effectum ex speciali Juris privilegio. Quòd si verò usuras ex pecunia deposita deponens receperit, tunc etiam effectum depositi, scil. privilegium prælationis amittit. *l. si hominem 7. §. quoties*, & ibi Barthol. & Gloss. *ff. eod. tit.*

3 In deposito ordinariè *dolus*, *& lata tantum culpa* præstetur, non verò levis, aut levissima; tum quia sibi imputare debet, qui rem negligenti custodiendam tradidit. *§. præterea 3. Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio*, tum etiam, quia depositum non in utilitatem recipientis, sed dantis cedit 5. *§. 2. ff. Commodati.*

4 Imò non est sine controversia, an in deposito vel ipsa *lata culpa* sine *dolo* commissa præstanda sit? Etenim *in d. §. 3. Instit. Quib. mod. re contrah. oblig. in d. l. 5. §. 2. ff. Commod. in l. 1. §. 8. l. si sine, 20. ff. hoc tit. l. contractus 23. ff. de Reg. Jur.* expresè dicitur, in deposito dolum dumtaxat præstari, non culpam. Communiter tamen DD. etiam hìc dolo latam culpam connumerant per text. non minus expressum *in l. quod Nerva 32. ff. hoc tit.* & clariùs *in l. 1. Cod. eod. l. 1. §. 5. ff. de Oblig. & act.* videturque ratio naturalis id suadere, cùm enim in deposito re, seu receptione rei depositæ contrahatur obligatio, utique hæc est ad aliquam diligentiam saltem communem, nam eo fine depositum datur, & hæc est contrahentium intentio, non verò, ut depositarius se tantùm obliget, quòd dolum committere nolit, cùm ad dolum non committendum teneatur absque omni contractu, & obligatione. In citatis autem legibus nomine *doli* etiam *lata culpa* intelligitur nomine *d. l. quod Nerva*, & quatenùs culpa excluditur à deposito? id accipiendum est de *culpa levi*, quæ regulariter in Jure appellatione *culpa* venit, sicut satis apparet ex *d. l. 23. ff. de R. J.* contractibus ibidem recensitis. Quod verò Paul. Laym. *in Theol. moral. lib. 3. Tract. 2. cap. 7. sub num. 5.* docet. *d. l. 1. Cod. hoc tit.* circa præstationem *lata culpa* esse fundatam in præsumptione doli, arg. Gloss. *in c. 2. v. culpa h. t.* nec habere locum in conscientia, nisi culpa tam crassa sit, ut peccatum Theologicum, & mortale constituat, considerandum relinquo.

Verùm ab hac regula, quòd in deposito tantùm dolus, & lata culpa præstetur, aliqui casus excipiuntur, 5
ut I. Si Depositarius non rogatus ultrò se obtulerit ad depositum recipiendum; tunc enim, quia per talem oblationem Juris interpretatione omnem diligentiam in re custodienda simul promisisse intelligitur, culpam etiam non tantùm levem, sed, & levissimam, excepto casu fortuito, præstare tenebitur; ut communiter DD. accipiunt textum *in l. 1. §. sæpè. 35. ff. hoc tit.* quâ tamen in re aliter sentire videtur Cludius *Tract. de Jure Sequestri. cap. 11. num. 11.* citatus apud Harprechtum *in Instit. h. t. §. 3. n. 28.* nec omninò immeritò, quia si quis bonus vir, & amicus se offerat in necessitate ad rem alterius custodiendam satis durum est, ut hoc suum officium sibi damnosum sit, & plus cæteris Depositariis obligari debeat, quin potiùs censeri juxta communem naturam depositi se obligare voluisse, cùm non minùs in his, quàm aliis casibus liberum fuerit deponenti apud hunc, vel alium deponere, ac consequenter ipsi quoque imputetur, si hujus personam elegerit. Quod verò attinet ad text. *in d. §. sæpe*, non incongruè explicari potest, quando quis deposito se offert, ubi alius adfuisset diligentiùs rem curaturus, & ita quasi persuasione aliqua erga deponentem usus fuisset. *arg. l. 3. §. interdum 9. ff. de Negot. gestis §. 1. Instit. de Oblig. ex quasi contractu.*

II. Si Depositarius pro rei custodia mercedem acceperit, ad levem saltem culpam præstandam obligabitur juxta Regulam in Titulo *de Pactis* §. 7. positam, quòd in contractu in utilitatem utriusque contrahentium cedente levis quoque culpa præstetur. *l. 5. §. 2. vers. nisi fortè ff. Commodati*, & hoc casu depositum transibit in contractum locationis, & conductionis, dum Depositarius accipiens mercedem, censetur operas suas ad rem custodiendam locasse, *l. 1. §. si quis servum ff. hoc. tit.*

III. Si nominatim convenerit, ut Depositarius culpam, vel etiam casum in re deposita præstaret, ad id tenebitur: contractus enim ex conventione legem accipiunt, *d. l. 1. §. si convenit 9. & §. sæpè 35. ff. h. t. l. Juris Gentium 7. §. sed & is ff. de Pactis.* Quare si Depositarius rogatus, ut rem depositam diligentissimè custodierit, id ipsum promiserit, de culpa etiam levissima tenebitur, non autem econtra valet pactum, ne dolus præstetur, id enim bonæ fidei, & bonis moribus adversaretur. *d. l. 1. §. illud 6. ff. h. t. l. in commodato 17. ff. Commodati l. contractus 23. ff. de R. J.*

IV. Aliquando etiam casus fortuitus in deposito præstatur, si culpa casum præcesserit *c. 2. hoc tit.* Sed quid si *levis* tantùm *culpa* casum præcesserit, an nihilominus tenebitur Depositarius? Resp. Licet id velint nonnulli DD. apud Harprechtum in *§. 3. Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio nu. 33.* verius tamen est cum eodem Harprechto casum non aliter præstandum esse à depositario, quàm si illa culpa casum præcesserit, ad quam præstandam ex natura contractus depositarius tenetur, nam aliàs sequeretur, quòd depositarius etiam levi culpa adstringeretur contra claram juris decisionem in *d. §. 3. & l. 5. §. ult. juncta l. quod Nerva 32. ff. hoc tit.*

V. Si Depositarius fuerit in mora restituendi deposi- 6
tum, hoc est, si depositum ad repetitionem deponentis non reddiderit, cùm potuit, etiam interitum ejus præstabit, *l. si Asia 12. §. final. ff. hoc. tit.* Ubi & illud notandum, quòd licet depositum ad certum tempus contractum sit: v. g. ad annum, vel biennium, nihilominus deponens possit rem depositam pro arbitrio suo revocare, quia sicut contractus principalis, ita & temporis adjectio tantum in favorem deponentis cedit. *l. §. si deposuere ff. eodem tit. c. 2. vers. sane X. hoc tit.*

Neque etiam compensatio locum habet in deposito 7
propter exuberantiam, ut loquuntur DD. *bonæ fidei* in hoc contractu. Unde tametsi deponens ex alia causa aliquid de-

debeat depositario, non tamen poterit iste rem depositam in compensationem sui debiti retinere, sed ordinaria actione contra deponentem tanquam debitorem suum re deposita priùs restituita experiri debebit *cap. 2. hoc t.* & *l. si quis 11. Cod. eodem.* Dico; *ex alia causa*; si verò ex eadem causa debitum sit, nimirùm propter expensas necessarias in rem depositam factas, æquitas suadet, dari retentionem usque dum impensæ solvantur: dummodo istæ expensæ in facto, & jure sint liquidæ, & non altioris, seu longioris indaginis. Harpr. *in §. 3. Instit. de Obligationibus, quæ re contrahuntur n. 54.* Cæterùm si prædo, etiam rem furto ablatam apud aliquem hujus deprædationis inscium deposuerit, & ex postfacto repetierit, tenebitur depositarius eam deponenti restituere, quamvis tunc sciat esse prædonem, si tamen verus dominus rei ablatæ superveniret, & rem à depositario peteret, potius ipsi, quàm prædoni deponenti restituere deberet *l. bona fides 31. §. 1. ff. hoc tit.*

8 Insignis est Quæstio, an requiratur, vel sufficiat, tantam in re deposita diligentiam adhibere, quantam quis adhibet in rebus propriis ejusdem generis, & valoris, adeòque si depositarius sit diligentissimus in rebus propriis, teneatur etiam esse diligentissimus in depositis; vel econtra, si in rebus propriis sit negligens, sufficiat eandem diligentiam quamvis exiguam in rebus depositis adhibere.

Quantùm ad *Primum* quidam censent requiri non minorem alienis in rebus diligentiam impendere, quàm propriis, rametsi in propriis aliquis foret diligentissimus, quibus favet textus *in l. 32. ff. hoc t.* ibi: *neque enim salva fide minorem in iis, quam suis rebus diligentiam præstabit.* In *altero* verò existimant, non sufficere eam diligentiam adhibere rebus alienis, quam quis adhibet propriis, si in propriis sit valde negligens, *arg. l. si constante 24. §. si maritus ff. Solut. matrimonio*, ubi dicitur, quòd perditio in rebus propriis sit culpanda, in alienis etiam punienda. Panorm. *in c. 2. hoc tit. n. 7.* Verùm in utroque difficultatis puncto contrarium videtur æquius: nam si diligentissimus in rebus propriis, deberet etiam esse diligentissimus in re deposita, nisi id faceret continuò ad levissimam culpam præstandam obligaretur in re, ex qua nullam utilitatem precipit, & sic esset deterioris conditionis, quam alii, qui in rebus propriis minus sunt diligentes, ut rectè advertit Harpr. *d. l. n. 27.* Text, verò *in d. l. 32.* forsan explicari potest de eo, qui ordinariam hominum diligentiam in rebus suis adhibet, & eandem in rebus alienis recusat, propter illa verba in *ead. l.* posita: *& si quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est*, Sed quia, ut verum fatear, verba sequentia, *nisi tamen ad suum modum curam in deposita præstat, fraude non caret &c.* valde arguunt, illam particulam *non* in prioribus verbis perperam irrepsisse, ac legendum esse, *& si quis ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est, nisi tamen &c.* ut etiam insinuat Gottoft. *in not. ibidem lit. F.* ideò adhuc dici potest, in rigore Juris aliquando præsumi dolum, si quis minorem alienis rebus, quàm propriis diligentiam adhibet, sed hanc præsumptionem non esse Juris, & de Jure, atque temperari debere juxta terminos æquitatis, consideratis facti circumstantiis, puta si deponens expressè sub confidentia curæ propriarum rerum apud talem solertem hominem rem deposuerit, isque simpliciter ita recepit, si eadem facilitate potuisset res depositas pretiosiores, quàm suas, vel saltem æquè pretiosas curare, & non fecit &c. ut etiam paulò post dicemus.

Deinde contra decisionem alterius puncti pugnat tex. *in sæpè dict. §. præterea 5. instit. Quibus modis re contrahitur obligatio: securus est*, inquit ibidem Imperator, *qui parùm custoditam rem furto amiserit, quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati id imputare debet.* Adde *l. 1. §. 5. ff. de Oblig. & act.* Quod autem attinet ad textum *in d. l. si constante §. si maritus*, dico, ibi non agi de negligentia, & culpa *omissionis*, sed agi de perditione, & culpa *commissionis*, ubi maritus mancipia ab uxore in dotem data severiùs, & truculentiùs tractavit, aliud enim est rem alienam negligenter custodire, si etiam proprias non soleat diligentiùs, & aliud rem alienam proprio facto positivo destruere: accedit, quòd à dote non semper ad depositum rectè inferatur, quia in rebus dotalibus, utpote ex contractu in gratiam Mariti, & Uxoris inito, levis etiam culpa præstatur. *l. in rebus ff. de Jure dotium* in contractu autem depositi lata tantùm, quæ dolo comparatur: sed quis dolo comparet culpam, quando etiam res propriæ non diligentius custodiuntur?

Alia est controversia non minus notabilis, an Depositarius orto incendio, vel irruptione hostium eveniente teneatur potiùs res depositas, quàm suas salvare, si utrasque simul non possit? pro deponente facit, quod Summus Pontifex *in c. 2. h. t.* dicit: *bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus alienas amisisti.* 9

Econtra pro depositario adduci potest illud vulgatum, *quod charitas incipiat à se ipso*, ideoque non sit alicui vitio vertendum, si prius de rebus propriis, quàm alienis sollicitus sit, *can. non licet 13. q. 5.* In hac difficultate distinguendum erit, utrum res propriæ sint pretiosiores, vel saltem æquè pretiosæ, quàm res depositæ, aut utrùm res depositæ sint pretiosiores, Priori casu res propriæ præferri poterunt, non autem posteriori, sed tamen æquum erit, posteriori casu à deponente compensationem alienam exigere, propterea quòd Depositarius neglectis rebus propriis alienas salvaverit, cùm alterius negotium utiliter gesserit, & ne officium suum sibi damnosum sit Panor. *in dict. c. 2. hoc tit. num. 2.* Laym. *in Theol. moral. lib. 3. tract. 4. c. 7. n. 7.* ubi adnotavit, aliud esse in commodatario, ut, si is res commodatas pretiosiores suis prætulerit, nihil possit eo nomine à commodante repetere, quia vi contractus in gratiam solius ipsius initi tenebatur ad exactissimam custodiam; si tamen è converso suas pretiosiores prætulerit commodatis minus pretiosis, etiam ad nihil teneatur, cùm non fuerit in culpa faciendo, quod faceret quilibet diligentissimus Paterfam. pretiosiora utique prælaturus, licet in hoc posteriori puncto contrarium doceat Molina *de J. & J. tom. 2. disp. 296.*

Qualiter autem probetur amissio rei depositæ? Videri poterit apud Panorm. *in d. c. 2. hoc t. v. 8.* ubi sciendum, quod regulariter illi incumbat probatio, qui dicit, se depositum amisisse, sicut generaliter creditor probando debitum satis fundavit intentionem suam usque dum à debitore solutio, vel alia exceptio contra debitum opposita probetur, *l. in exceptionibus 19. ff. de Probat.* Interim; quia probatio amissionis nonnunquam est difficilis, ut quando res furto ablata dicitur, & tunc attenta qualitate personæ, temporis, & circumstantiarum, sive concurrentibus aliis indiciis ad juramentum depositarii recurretur; quando enim actus ex sua natura est talis, ut clam fieri solitus difficulter probari valeat, etiam leviores plerumque probationes juxta prudentis Judicis arbitrium admittuntur.

Ultimò huic Titul. adnotatur, quòd si depositum factum sit apud Abbatem, vel Religiosum alicujus Monasterii, aut Episcopum, vel Canonicum Ecclesiæ, non teneatur Ecclesia, vel Monasterium, quia tale depositum penes personam, non penes Ecclesiam censetur factum: & delictum personæ non nocet Ecclesiæ, *c. 1. h. tit. c. delictum, de Reg. Jur. in 6.* Less. *de Just. & Jure lib. 2. cap. 38. n. 12.* tunc autem censeretur depositum factum apud Ecclesiam, & eo deperdito Ecclesia convenire posset, si in receptione depositi consensus Prælati, & Capituli intervenisset, Barbos. *in Collectaneis ad dict. cap. 2. hoc tit. num. 9.* 10

Possent quoque hic plura dici de *Sequestro*, quod est species depositi, sicut de eo agit prolixè Harpr. *Inst. ad §. præterea 3. Quibus mod. re contrah. Obligat. à num. 59.* Sed cum sequestrum, & sequestratio plerumque sit actus Judicialis potiùs, quàm voluntarius ex contractu partium, ideo ad specialem Titulum *de sequestratione possessionis, & fructuum*, qui habetur supra *in Lib. II.* remittimus.

TITULUS XVII.

De Emptione, & Venditione.

§. I.

Quid sit, & qualiter contrahatur Emptio, & Venditio.

SUMMARIA.

1 *Emptio est contractus bonæ fidei.*
2 *Solo consensu initus.*
3 *Quarum rerum venditio valeat.*
4 *Emptionis pretium debet esse numarium, certum, & justum.*
5 Tradere, & Dare *in sensu Juris differunt.*
6 *Emptione perfecta periculum & commodum rei pertinet ad emptorem.*
7 *Ponuntur exceptiones.*
8 *In contractibus innominatis ante traditionem non transit periculum.*
9 *In emptione an tantum de rigore Juris transeat periculum ante traditionem?*
10 *Ad emptionis substantiam non est necessaria Scriptura.*

Alia Summaria post §. II.

1 E*Mptio, & Venditio* congruè describi potest, quòd sit *contractus bonæ fidei, solo consensu initus de re sive mercede emptori tradenda, & pretio certo numario venditori dando.*

Dico I. Emptionem esse contractum *bonæ fidei*: quæ verba sic accipienda sunt, non quòd alii contractus sint *malæ fidei*, sed quòd per ea emptio distinguatur à contractibus *stricti Juris*, uti sunt mutuum, & stipulatio, de qua contractuum divisione egimus in Lib. I. in Tit. *de Pactis* §. V.

2 Dico II. Emptionem, & venditionem esse contractum *solo consensu initum*: sunt enim aliqui contractus, qui statim suam perfectionem habent, ubi partes sibi invicem consensum præstiterunt, ut emptio, locatio, societas, mandatum, in quibus proinde traditio rei tantùm ad executionem pertinet. Alii autem contractus non solo consensu, sed per actualem rei traditionem celebrantur, ut mutuum, commodatum, depositum, & pignus. Quare tametsi promittam, quòd velim tibi mutuare pecuniam, commodare equum &c. antequam tamen actualiter id faciam, non erit mutuum, vel commodatum, sed tantùm pactum nudum, ex quo de Jure Civili non datur actio, *l. 7. §. sed cum nulla 4. ff. de Pactis.*

Interim licet in emptione, & Venditione per solum consensum statim nascatur obligatio, & actio, antequam tamen emptor totum pretium persolvat, actio ex empto cum effectu intentari non poterit, sed licebit, venditori rem tanquam pignus retinere, usque dum totum pretium accipiat, *l. Julianus 13. §. 8. ff. de Act. empti.*

3 Dico III. In venditione agi, ut *res sive merx emptori tradatur*; nomine rei seu mercis autem non tantùm res corporales, sed etiam incorporales, ut Jura, & actiones intelliguntur. Imò aliquando spes sola, sive eventus dubius loco mercis habetur, ut si quis à piscatore, vel aucupe tractum retis emerit, valebit emptio, & debebitur pretium quamvis nihil captum sit, *l. nec emptio 8. §. 1. ff. de Contrahenda emptione.*

Cæterùm requiritur, ut res, quæ venditur, sit in commercio hominum, id est, ab hominibus tanquam propria possidari possit. Unde res sacræ, & Spirituales sine peccato simoniæ vendi nequeunt, ut in Tit. *de Simonia* traditur. Item si quis liberum hominem vendiderit, v. g. ad triremes, vel manus hostium (idem est de emente, supprimente, vel donante) capitale crimen *plagii* committit, *l. 1. & passim ff. & C. Ad l. Carnel. de plag.* Quædam autem res sunt, quæ in commercio quidem hominum existunt, propter favorem tamen personarum, ad quas pertinent, sine certis solemnitatibus vendi non possunt, uti sunt res Ecclesiæ, pupillares, minorum, & dotales, de quibus in Jure Canonico, & Civili specialibus Tit. tractatur.

Dico IV. In emptione agi, ut emptor *pretium numarium* certum venditor *det*: Etenim sine pretio emptio non subsistit *§. item pretium 2. Instit. h. t. l. cum in venditione 36. ff. de Contrahenda emptione*, idque *numarium* esse debet, id est, in pecunia numerata consistens; per quod differt emptio à permutatione, in qua res pro re datur. Quare non potero tibi meum equum pro aliquot modiis frumenti, vel urnis vini vendere, sed talis contractus permutatio erit, *l. 1. §. 1. ff. de Contrahenda emptione*. Quòd si verò ab initio inter nos conventum fuisset de pecunia numerata, & ex postfacto per speciale pactum ego loco pecuniæ à te reciperem frumentum, vel vinum, maneret adhue emptio, & venditio, quia cujuscunque contractus initium, non executio spectatur, *l. pretii 9. C. de Rescindenda venditione*. Prætereà pretium certum esse oportet, vel certitudine ab ipsis contrahentibus determinata, vel relativa: valent enim tales venditiones: vendam tibi, *quanti ipse emi, quanti in foro venditur &c.* Gomez. *Variar. resol. tom. 2. c. 2. n. 9.* Item in arbitrium tertii etiam determinatio pretii rectè committitur, v. g. *venda tibi, quanti Titius æstimaverit*, quod si Titius æstimare noluerit, nihil contractum censebitur, eò quòd nullum constitutum sit pretium *§. 1. Instit. hoc tit.* In arbitrium autem emptoris pretium committi non potest, nisi, postquam ille pronuntiaverit, nova complacentia ex parte venditori subsequatur, posset enim rem pro uno numo æstimare, & sic nugatoria fieret venditio, *l. quod sæpè 35. ff. de Contrahenda emptione.* 4

Idem dicendum erit, si contrahentes in genere dicant, se jam conventuros de pretio, non erit venditio, sed tantum promissio de vendendo, *arg. text. in d. §. 1. Instit. h. t.*

Justum quoque sit pretium, oportet, idque duplex est: unum *legitimum*, scil. à Magistratu taxatum, alterum *naturale* ex valore rei prudentum Judicio æstimatum, generaliter justum mercis pretium censetur quod loci consuetudo approbat secundùm communem hominum æstimationem ex abundantia, vel penuria illius, ordinaria acquirendi facilitate, aut difficultate, utilitate, vel usu, aliisque circumstantiis. Vid. Laym. *in Theol. mor. lib. 3. tract. 4. c. 17. §. 2.* ubi multa notabilia ponit; & *n. 4.* quòd Magistratus non possit solis agricolis frumentum taxare, non taxatis simul aliis mercibus; & *n. 6.* quòd Magistratus non possit talibus decretis taxatoriis ad proprium commodum uti, vel amicis privatim insinuare ante generalem eorum publicationem. Sed, inquis, cur in emptione multùm de justo pretio solliciti sumus, cùm tamen *in pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus se invicem circumvenire*, asserat J. C. *In l. in causa 15. §. 4. ff. de Minoribus*. Resp. illud verbum *circumvenire* non esse accipiendum pro dolosa deceptione, aut enormi læsione, sed pro solertia aliqua œconomica intra terminos justi pretii, quod non consistit in indivisibili, sed est summum, medium, & infimum, sicut in *§. seq.* pluribus dicemus.

Demùm circa datam definitionem advertendum est, non fuisse gratis dictum, quòd merx debeat à venditore *tradi*, pretium autem ab emptore *dari*: nam inter *tradere*, & *dare* in sensu Juris illa est notabilis differentia, quòd is, qui *tradendi* necessitatem habet, solummodò vacuam rei possessionem alteri consignare teneatur, & præstare, ut ei, cui tradidit, *rem habere liceat*, quamvis fortè tradens rei dominus non sit, sicut & venditio rei alienæ subsistit, *l. rem alienam 28. ff. de Contrahenda emptione*: non quidem in præjudicium veri domini, qui eam à possessore nullo etiam restituto pretio vindicare potest, sed in præjudicium ipsius venditoris, qui emptori pretium restituere, & si sciens alienam vendiderit, insuper refundere tenetur, quanti ejus interest, quod re empta carere debeat, *tot. tit. ff. & Cod. de Evictionibus*. Quòd si venditor dominus fuerit, per traditionem statim emptorem dominum facit, *l. traditionibus 20. Cod. de Pactis*. Si non fuerit dominus, non poterit plus Juris in emptorem transferre, quàm ipse habeat, *l. nemo plus juris 54. ff. de R. J.* & ideò solam usucapiendi conditionem transferet, id est, emptor de tali traditione consequetur *titulum*, ut rem emptam cæteris conditionibus accedentibus (de quibus superius in Titul. *de Præscriptionibus* egi- 5

agimus) usucapere possit. *l. exempto 11. §. 1. & l. servus 30. §. fin. ff. de Actionibus empti.*

At verò, qui rem *dare* debet, ad transferendum ejus dominium obligatur. Unde emptor non satisfacit suæ obligationi, si alienos nummos loco pretii exsolverit *d. l. 11. §. 2.* Ratio diversitatis illa assignari potest, quòd respectu venditoris sit conventum super certa specie, & proinde illam tradendo satisfaciat suæ promissioni. Sed respectu emptoris sit conventum super genere, v. g. super 100. fl. non determinatis, ideoque intelligantur illi fl. qui sunt in dominio ipsius.

6 Porrò emptione, & venditione perfecta, quod fit simul de pretio, & merce conventum est, statim omne periculum, & commodum in re vendita contingens ad emptorem pertinet, quamvis ipsi res necdum tradita sit. Itaque si domus vendita igne consumpta sit, equus mortuus, aut furto ablatus, emptoris damnum est, qui nihilominùs pretium dare venditori tenetur. Econtra si fundus emptus per alluvionem augeatur, id commodum etiam ad emptorem spectat. Similiter, si, quod sæpè contigit, vinum vetus hodie v. g. venditum justo pretio, quo tunc communiter æstimabatur, cras multò pluris valere incipiat ob vineas improviso gelu, & pruina noctu destructas, non proptetea rescindi poterit venditio, vel contra emptorem ad majus pretium agi, quia emptione mutuo consensu perfecta sicut omne periculum, ita vicissim omne commodum circa rem emptam eveniens emptoris est. *§. 3. instit. h. t. & tot. tit. ff. de Periculo, & commodo rei vendita.* Et quamvis propter læsionem quandoque detur actio ad contractum rescindendum, vel saltem pretium augendum, aut minuendum, ut *§. seq.* dicemus id tamen intelligitur de illa læsione, quæ cum, & in contractu ipso concurrit, non quæ postea accidentaliter supervenit. *l. si voluntate 8. C. de Rescind. vendit.*

Sed dices: si res debet perire suo domino, ut superiùs in Tit. *de Commodato*, dictum, tunc sequitur, quòd res vendita ante traditionem periens non emptori, sed venditori perire debeat, cum ante traditionem venditor adhuc dominus maneat, *l. traditionibus 20. C. de Pactis.* Imò etiam post traditionem, nisi pretium conventum acceperit, vel saltem de eo emptori fidem habuerit, *§. vendita 41. Instit. de Rer. divis.* Resp. Speciale esse in emptore; ut licet is dominus non sit, nihilominus ex authoritate Juris periculum, & interitus, sicut & commodum rei emptæ ipsum respiciat. Ratio verò hujus specialitatis præter authoritatem Juris congrua quadruplex assignari potest. I. Quòd venditor sit debitor certæ speciei, & consequenter ejusdem interitu liberetur. II. Quòd emptione perfecta res jam aliquo modo ad emptorem spectare censeatur; nam is, qui actionem habet ad rem petendam, ipsam rem habere videtur, *l. is qui 15. ff. de R. J. l. rem in bonis 52. ff. de Acquirendo rerum domino.* III. Quòd in arbitrio emptoris sit rem soluto pretio ad se avocare, ergo si id facere negligat, & res interim pereat, ipse in mora, vel culpa fuisse censebitur. Denique quòd ad emptorem spectet omne commodum in re empta contingens, & ideò etiam de incommodo, & periculo gravari debeat, *c. qui sentit. 55. de Reg. Juris in 6.*

7 Ab hac tamen regula, quòd periculum in re empta ad emptorem pertineat, aliqui casus excipiuntur, ut I. Si venditor in mora fuerit, & soluto pretio rem emptori restituere distulerit, ipsi mora & casus consequens nocebit, *c. mora 25. de Reg. Juris in 6.* II. Si culpa etiam levi venditoris res pereat; tenetur enim is de hac culpa, eò quòd emptio, & venditio in utilitatem utriusque contrahatur, *l. contractus 29. ff. de Jur.* III. In venditione conditionali, si res ante eventum conditionis pereat, venditoris damnum est; sed hoc de totali interitu rei intelligitur: nam particulare damnum, sive deterioratio rei in venditione conditionali superveniens ad emptorem spectat, *l. necessario 8. ff. de Periculo, & commodo rei vendit. al. fin. C. eod. tit.* Ratio autem differentiæ inter totalem interitum, & particulare damnum illa datur, quòd res, quæ perit, tradi ampliùs non possit, & proindè nec perfici emptio, quæ ab initio propter conditionem adjectam perfecta non fuit: in damno autem particulari adhuc manet potestas tradendi, & conditio retrotrahitur, & censetur ab initio purè contractum. IV. Si res *in numero, pondere, & mensura* consistens empta sit: v. g. aliquot oves, certa pondera metalli, certi modii frumenti &c. censebitur talis emptio habere tacitam conditionem, *si ad V. numeratum, adpensum, vel admensum fuerit*, & consequenter antequam id factum sit, venditoris periculum est, *l. qui sapè, 35. §. 5. de Contrahenda emptione.* Aliter tamen dicendum est, si res *in numero, pondere, aut mensura* consistens non ad numerum, vel pondus, sed ex integro per *adversionem* (vulgo *Ubers haupt*) ematur pro uno pretio; v. g. totum vini dolium, aut quidquid frumenti in horreo est pro 100. fl. tunc enim quantitas habet se per modum certæ speciei, & omne periculum ad emptorem transibit, *l. si vina 15. ff. de Periculo, & commodo rei vendita.* Quòd si ponatur casus medius, in quo e. g. dicat emptor, emo totum dolium vini, & pro singulis mensuris dabo 10. cruciferos; verius est, talem venditionem non transferre periculum, sed esse conditionatam, si mensura sequatur, ut satis colligitur, *ex d. l. qui sapè §. 6.* Vvesembec. *in Para tit. de Periculo & commodo rei vendita n. 3.*

8 Et hæc quidem in emptione, & venditione ita procedunt, ubi contractus mutuo consensu statim perfectus est; at verò in contractibus innominatis, *do ut des*, & similibus, qui actuali ipsius rei traditione perficiuntur, & priùs tantum pacta nuda censentur, ut in Tit. *de Pactis*, tradidimus, periculum, & interitus ante traditionem ad eum spectat, qui tradere obligatus fuerit; ideoque re pereunte nihil ab altera parte debetur, & si quid forsan solutum erat, repeti potest, *l. ult. ff. de Condictione causa data.*

9 Non desunt quidem, qui cum Vuiteio *ad princ. Inst. h. t. n. 17.* etiam in emptione, & venditione tantùm summo, & stricto Jure periculum ante traditionem emptoris esse, aliud verò de æquitate dicendum, existiment. Verùm quia tot apertissimis Juris textibus ea res stabilita est, non videtur verisimile, quod Jura in contractu bonæ fidei circa materiam, & casus quotidie occurrentes solum rigorem, & strictum Jus attenderint. Et ille rigor præter alias rationes superiùs adductas ex eo mitigatur, quòd vicissim omne commodum in re empta contingens ad emptorem spectet. Unde, & fructus rei venditæ juxta probabiliorem sententiam ante traditionem ad ipsum pertinent, *l. Julianus 13. §. si quid servo 18. ff. de Actionibus empti l. fructus 13. & l. penult. C. eod. tit.* Videri etiam poterit Harpr. *ad §. Instit. h. t. à n. 13.* ubi aliquot objectionibus respondet. Illud quoque adnotari potest, quòd sicut emptor emptione perfecta fructus rei nondum traditæ exigere, ita econtra venditor usuras, seu interesse ob lucrum cessans, & damnum emergens de pretio non soluto petere possit, *d. l. Julianus §. veniunt 20. & l. 2. C. de Usuris*, & per ea, quæ in Tit. *de Usuris* latius explicantur.

10 Finaliter & illud advertendum est, quod licet plerumque super contractu emptionis, & venditionis soleant litteræ, & instrumenta erigi, tamen contractus iste etiam sine scriptura subsistat, quæ ordinariè potiùs ad probationem, quàm substantiam ejus pertinet, nisi expressè conventum sit, ut ante scripturæ confectionem contractus plenum robur non haberet, *l. contractus 17. & ibi DD. C. de Fide instrum. princ. Instit. h. t.*

---

§. II.

Qualiter impugnari, & rescindi possit Emptio, & Venditio.

S U M M A R I A.

11 *Emptio quando rescindi possit propter læsionem in pretio.*
12 *Venditio potest rescindi, quæ fit cum Medico, vel Advocato.*
13 *Emptio an de Jure Canon. possit rescindi propter quamcunque læsionem?*
14 *Thesaurus in re empta inventus ad quem spectet?*
15 L. 2. C. de rescind. vend. *an prosit emptori?*
16 D. l. 2. *an possit renuntiari?*
17 *Emptione rescissa ad quem pertineant fructus? & ibi* de Pacto addictionis in diem, *& Legis commissoriæ, &* de retrovendendo.
18 *De emptione nominum, & actionum.*

19 *Actio*

19 *Actio* redhibitoria, *&* quanti minoris *quando dentur, & quandiu in utroque foro.*
20 *Venditor an teneatur aperire vitium occultum rei?*
21 *Venditio rei alienæ valet.*
22 *De evictione rei venditæ.*
23 *Pecunia aliena in solutum data, & à venditore sua commixta an possit à vero domino vindicari?*
24 *De Jure retractus, seu Protimiseos, ejusque conditionibus, & requisitis.*
25 *Venditor an teneatur præcisè tradere, si malit interesse præstare?*
26 *Venditione duobus facta uter præferatur?*

11 QUæritur. I. Utrum ex qualibet læsione circa pretium possit contractus impugnari? In hac quæstione præsupponendum est, quod pretia rerum non consistant in indivisibili (nisi specialiter à magistratu taxata sint) sed ex diversa hominum æstimatione ejusdem rei possit esse triplex pretium, scilicet *infimum*, *medium & summum*, quod enim aliqui æstimant 10. fl. hoc alii 11. alii 9. &c. Hoc præsupposito.

Resp. Et dico, si pretium in contractu datum, vel acceptum arbitrio boni, & prudentis viri non sit majus pretio summo, nec minus infimo, erit adhuc justum pretium, & consequenter nulla concedenda erit contractus impugnatio: Quo sensu accipiendus est tex. *in l. item si 22. §. ff. Locati*, ubi dicitur, *naturaliter concessum esse, id quod pluris est, minoris emere &c.* Si autem pretium quantitatem summi, aut infimi pretii juxta communem æstimationem excesserit, distinguendum erit inter forum externum, & internum: nam in foro externo ad multitudinem litium evitandam non succurritur alicui, nisi supra dimidium justi pretii deceptus fuerit, id est, nisi pro re minus valente 10. aliquis ne quidem 5. acceperit, quo casu conceditur actio venditori contra emptorem, ut vel rem emptam restituat, vel id, quod deest justo pretio, suppleat, *l. 2. C. de Rescindenda venditione c. cum dilecti 3. h. t.* Excipiuntur quoque minorennes, ut ipsis propter læsionem gravem, quamvis non sit ultra dimidium, per remedium extraordinarium *restitutionis in integrum* subveniatur *tot. t. ff. de Minor. & C. de Restitut. in integrū minorum*; atq; minoribus assimilantur Ecclesiæ, aliæq; piæ causæ, ut *in lib. 1. in Tit. de Restit. in integrum*, dictum est.

Præterea exceptio est, si aliquis justo metu propter instans aliquod corporis periculum adactus esset, ut rem suam minoris venderet, is rescissione contractus ex capite *metus* rectè peteret, *tot. t. ff. Quod metus causa:* Quis verò dicatur *justus metus*, in eodem Tit. *ff. & C. & in Decretal.* Et *infra in Lib. IV.* Tit. 1. §. 5. explicatur.

12 Specialiter verò ex eadem causa metus communis est DD. sententia, quòd contractus propter læsionem gravem, quamvis ea non sit ultra dimidium rescindi possit, quem graviter ægrotus cum Medico, vel cliens durante lite cum advocato init, eò quòd talis contractus censeatur factus ex metu, ne infirmus, vel Cliens à Medico, vel Advocato deseratur, & ita majus damnum in corpore, vel rebus suis patiatur, *l. si Med. 3. ff. de Extraord. cogn. l. Archiatri 9. C. de Profes. l. quisquis 6. §. 2. C. de Postul.*

Attamen in foro interno omnis iniqua læsio resarcienda est, nisi valdè modica sit, & quæ facilè à læso prævideri potuit, aut amicitia, aliæve circumstantiæ concurrant, ex quibus præsumi possit, quod contrahentes ultrò sibi damnum remittere, & condonare voluerint. Less. *de just. & jure, lib. 2. c. 21. n. 37.*

13 Illud quoque hic adnotandum est, licet etiam Jure Canon. non reperiatur statutum, quòd per viam actionis possit aliquis quamcunque læsionem in foro externo recuperare: quia tamen Judex Ecclesiasticus judicare valet de omni peccato mortali, quamvis cæteroquin causa ad suum forum non pertineat, *c. novit. 13. de Judiciis*; ideò ex communi sententia receptum esse, quòd graviter læsus ex contractu, si non audiatur in foro Civili, possit per denuntiationem Evangelicam agere in foro Ecclesiastico, Fachin. *lib. 1. Controv. c. 25. §. est etiam controv. &c.* Interim si læsio non sit valdè excessiva, vel sit altioris indaginis, vel timeantur aliæ incommoditates, ut quia contemnentur censuræ, dabitur ansa infinitis litibus, cavillandi quoscunque contractus &c. propter has, & similes circumstantias posse aliquando à Judice Ecclesiastico partes non audiri existimo, *non enim quidquid Judicis potestati permittitur, Juris necessitati subjicitur*, *l. non quid quid 40. ff. de Judiciis*; & ratio publicæ utilitatis, quæ in amputatione litium consistit, privato alicujus commodo etiam de Jure Can. est nonnunquam anteponenda: ut exemplo præscriptionum eodem Jure admissarum docemur.

Quæritur II. Quid dicendum, si emptor in domo sibi vendita insignem thesaurum invenerit, anne venditor ad rescissionem venditionis, vel pro thesauro, aut æquivalente pretio contra emptorem agere poterit? Resp. Cùm thesaurus latens censeatur esse in nullius dominio, nec tanquam incognitus possideri, *l. 3. §. Nerva 14. cum seq. ff. de Acquirenda possessione*; consequenter etiam non censeatur fuisse venditoris, & proinde eo nomine læsionem ab ipso venditore allegari non posse videtur, vel aliquod pretii augumentum peti, omni commodo rei venditæ juxta superius dicta jam ad emptorem spectante, est enim thesaurus fortunæ donum, ut vocat *J.C. in l. si is, qui 63. §. 1. ff. de Acquirendo rerum dominio*; & Jure naturali eum in re sua invenienti acquiritur, *§. thesaurus. 39. Inst. de Rerum divisione*, Fach. *lib. 2. Controvers. cap. 20.* Quod si verò emptor priùs sciverit thesaurum latere in domo, & propterea illam emerit, sunt, qui putent saltem ex æquitate venditori medietatem esse restituendam quasi hoc casu in effectu perinde sit, ac si emptor thesaurum jam tunc invenisset, quando res adhuc venditoris, ideoque aliena fuit. Videatur Harprechtus & DD. *ad §. thesauros.* 14

Quæritur IV. Utrum *lex 2. C. de Rescindenda venditione*, quæ tantùm de venditore ultra dimidium læso, loquitur, etiam locum habeat in emptore, si is v. g. rem valentem 5. emerit pro 11. Resp. quamvis Cujacius *lib. 16. Observat. cap. 38.* putet, dictam legem tantùm in venditore procedere, eò quòd hic plerumque necessitate coactus vendat, undè magis ipsi subveniendum fuit, quàm emptori, qui liberè emet: nihilominùs communiùs receptum est id, quod de venditore statutum habetur, etiam ad emptorem extendendum esse, tum quòd venditionis vocabulo etiam emptio contineatur. *l. veteres. 19. ff. de Action. empti.* tum etiam quòd æquitatis ratio etiam ex parte emptoris subsit, ne scilicet venditor cum tam gravi illius jactura locupletetur. Fachin. *dict. lib. 12. c. 16.* 15

Quæritur V. Utrum beneficio *l. 2. Cod. de Rescindenda venditione*; contrahentes renuntiare possint? Resp. Duplicem esse renuntiationem: unam *generalem*, qua venditor renuntiat omni legis auxilio, & promittit, se nulla via contra contractum venturum, alteram verò *specialem*, qua venditor in specie promittit, quod non velit remedium *dictæ legis* 2. intentare. Renuntiatio *generalis* non excludit beneficium *dictæ legis*. 2. quia intelligitur tantum de modica læsione, non verò enormi. *l. fin. §. Idem quæ desiit 3. ff. de Condictione indebiti. l. hæc adjectio. 192. ff. de Verbor. signif.* sicut, & aliàs in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter non fuisset in specie concessurus. *cap. in generali. 81. de Reg. Juris in 6.* *Specialis* autem renuntiatio, quòd tollat beneficium *sæpè dictæ legis*. 2. exinde probatur, quod quilibet regulariter juri, & favori sibi concesso renunciare valet *leg. penult. C. de Pactis. l. quæritur 14. §. si venditor. 9. ff. de Ædilitio edicto.* Fachin. *d. c. 20. vers. sexta, & ultima controversia.* 16

Hic breviter adnotari potest, quod rescissa emptione propter immodicam læsionem fructus medii temporis ad emptorem tanquam dominum spectent, quam esse communiorem sententiam cum Gomez, Gutierez, Lessin, & Molina contra Covar. *Var. res. lib. 2. cap. 3. num. 9.* asserit Layman. *in Theol. mor. lib. 3. tract. 4. cap. 17. §. 5. n. 8.* Aliud est si contractus rescindatur propter pactum *additionis in diem*, id est, *si intra certum tempus alius majus pretium obtulerit, res inempta sit:* vel pro propter pactum *legis commissoriæ*; videlicet *si intra certum tempus pretium solutum non sit, res inempta esto:* hæc enim pacta retro, & à principio resolvunt, perinde ac si nullum dominium, vel jus in emptorem translatum fuisset, propterea neque fructus eidem acquiruntur, nisi in compensationem justarum expensarum, si quas fecit. *l. item. 6. & l. imperator. 16. ff. De in diem addict. l. lege 5. ff. de Lege commissoria.* An vero cum his pactis ejusdem naturæ sit pactū *de retro vendendo*, vid. Fachin. *l. 2. Controv. c. 16.* & Covar. *var. Resol.* 17

sol. lib. 3. c. 15. n. 6. Molina *de J. & J. t. 2. disp.* 374. Text. & DD. *in l. 2. C. de Pact. inter empt. & vend.*

18 Quæritur VI. Utrùm etiam debita, & actiones emere liceat, & quidem minoris, quàm in se contineant: v. g. 1000. pro 500. &c. Resp. tantùm concessum esse emere actiones, & debita, sive, ut Jurisperiti vocant, nomina liquida, quæ scilicet non sunt litigiosa, nec debent primum per multas contentiones judiciales, & sententiam Judicis obtineri, *l. nominis 3. C. de Hereditate, vel actione vendita l. 1. Cod. de Novat.* actiones autem litigiosas emere tam Jure Can. quàm Civili prohibitum est, *cap. 2. de Alienat. Judicii mut. & l. per diversas 22. cum l. seq. C. Mandati*. imò tales *Redemptores alienarum litium* ab agendo prohiberi debent; & si de facto egerint, ac obtinuerint in Judicio, postea verò appareat ipsos redemptores litis fuisse, non plus possunt petere à debitore victo, quàm in emptione actionis exposuerint. Sed hac de re, & quando nomen, vel debitum liceat minoris emere, quàm in se contineat, dicemus *in Lib. V. Tit. de Usuris*.

19 Quæritur VII. Quid Juris, si res vendita, occultum vitium habeat. v. g. pannus adustus, equus cæcus, aut morbosus sit? Resp. In similibus casibus duas actiones esse proditas, una est, quæ dicitur *redhibitoria*, & competit emptori per 6. menses à die, quo vitium occultum innotuit, ut res empta venditori redhiberi, sive restitui, & econtra pretium recipi possit.

Altera actio dicitur *quanti minoris*, quæ etiam datur emptori, qui licet scivisset vitium rei, nihilominus fuisset empturus, minori tamen pretio, ut quanti minoris emisset, à venditore repetere possit, *l. 1. & tot. t. s. ff. de Ædilitio edicto*. Quòd verò actio *redhibitoria* minori tempore duret, quàm actio *quanti minoris*, quæ per annum integrum exerceri potest, rationem communiter assignant, quòd hæc confirmet contractum, & ad æqualitatem reducat, propterea magis favorabilis sit, quàm illa, quæ contractum rescindit.

Notat verò Panorm. *in final. de Præscript. n. 11. & seq.* Covar. *in Relect. c. Possessor. de R. J. in 6. p. 2. §. 11. n. 7.* & Arnold. Rath. *in Tract. de Usucap. c. 2. assert.* 19. his actionibus semestre, & annale spatium tantùm in foro externo ad succidendas lites præfixum esse, in foro autem interno etiam dicto spatio elapso remanere conscientiæ obligationem contractum ad æqualitatem ex justitia commutativa reducendi. Quòd si scienter, & dolo res vitiosa ignoranti emptori vendita sit, atque per eam alia insuper damna acceperit; v. g. ovis morbida gregem infecerit, ob tignum vitiosum ædificium corruerit &c. etiam his resarciendis contra venditorem actio datur *l. Julianus 13. in Princ. ff. de Act. empti l. si vina 15. in fine ff. de Peric. & commod. rei vend. l. 1. Cod. de Ædilit. act.*

20 Quæritur VIII. Utrùm ergo venditor teneatur dicere emptori, si res occultum vitium habeat? Resp. Affirmativè, ita enim declaratur *in l. 1. §. 1. ff. de Ædilitio edicto*, & naturalis æquitas suadet, ne emptor decipiatur. Quòd si tamen esset vitium externum, quod emptor facilè deprehendere posset, si rem diligenter inspiceret, illud vitium non esse specialiter per venditorem exprimendum (dummodo non ita occultet, ut emptor deprehendere nequeat) probat textus *in l. & quæ 43. ff. de Contrahenda emptione & l. 4. §. si intelligatur 6. ff. de Ædilitio edicto*, sibi enim imputare debet emptor, quòd rem diligentiùs non inspexerit, vel peritiores ad inspiciendum non adhibuerit, & cautiùs mercatus non fuerit. Prætereà si vitium rei sit levius, ita ut usum rei venditæ non impediat, quamvis fortè aliqualiter minorem faciat, non tenebitur illud vitium aperire. *d. l. 1. §. proinde 8. & l. 4. §. 3. ff. de Ædilitio edicto*. licet autem ex hoc fundamento, quandoque excusentur venditores, nunquam tamen poterunt rem tanti vendere, quàm si integra, & sine defectu foret, aliàs tanquam peccantes contra justitiam commutativam, quæ æqualitatem inter pretium, & mercem requirit, in conscientia tuti non erunt, & ad restitutionem tenebuntur, uti pluribus notat P. Laym. *in Theol. mor. de Contractibus c. 17. §. 2. n. 15.*

21 Quæritur IX. Quid juris, si venditor vendat rem non suam, sed alterius? Venditionem rei alienæ valere ad illum effectum, ut numi seu pretium emptoris fiat, & venditor teneatur efficere, quatenus emptor possit rem retinere, non tamen propterea præjudicare domino, quin ab emptore eandem vindicare valeat, textus est *in l. rem alienam 28. ff. de Contrah. empt.*

Quòd si proinde verus dominus supervenerit, & rem 22
ab emptore per sententiam Judicis evicerit, emptor propter istam *evictionem* habebit regressum contra venditorem, ut ei non tantùm pretium restituat, sed insuper *quanti interest emptoris rem evictam non fuisse*. Verum ut iste regressus, sive actio *de evictione* locum habeat, requiritur, ut emptor non solus litem peregerit, sed ante judicem venditorem *laudaverit*, id est, ipsi denunciaverit litem sibi motam esse, eumque ad se defendendum vocaverit. Item requiritur, ut res justitia exigente, non verò per injuriam, & iniquitatem Judicis fuerit evicta, quia hoc casu, & contra Judicem de Syndicatu, & contra iniquum possessorem rei vindicatio salva maneret, *cap. fin. h. t. l. si per imprudentiam 51. ff. de Evictionib. l. emptor fundi 8. Cod. eodem tit.* secus si per imprudentiam, vel contumaciam Advocati, quem emptor elegit, & multò magis, si per ipsius emptoris culpam, aut contumaciam, vel, quod scienter rem alienam emerit, evictio secuta sit, ubi nulla contra venditorem actio dabitur. Barbos. *in Collect. ad d. c. fin. n. 3. & 17.* In rebus donatis non tenetur donator præstare evictionem, ne cui sua liberalitas nimis damnosa sit, *l. Aristo 18. fin. ff. de Donationibus & lib. 2. Cod. de Evictionibus*, quod tamen aliqui limitant in donatione remuneratoria, quæ speciem solutionis præsefert. Item in rebus feudalibus, & emphyteuticis evictio quoque præstanda venit. Videatur Barb. & DD. *ad dict. c. fin. & toto tit. ff. & Cod. de Evictionibus*.

E converso si alienis nummis res empta sit, tunc licet 23
dominium rei acquiratur emptori, si res propria venditoris fuerit, *l. 1. & l. pen. C. Si quis alteri, vel sibi l. si ex ea pecunia 6. Cod. de Rei vind.* vindicatis tamen nummis à vero domino emptor evictionem illorum præstabit. Si verò venditor alienos nummos solutos suis ita miscuerit, ut discerni non possint, cessat contra eum vindicatio, & tantùm actio furti contra solventem domino tribuitur, *l. si alienari 78. ff. de Solut.* Videtur quidem obstare §. *quod si frumentum 28. Institut. de Rerum divis.* potest nihilominus dici cum Gloss. *in d. l. 78. v. accepit* quòd sicut aliàs in pecunia multa singularia recepta sunt, *l. singularia 15. ff. de Reb. cred.* ita etiam in proposito propter continuum inter homines pecuniæ commercium; aliàs plerique incerti de dominio pecuniarum suarum forent, prout etiam contra Lessium *lib. 2. c. 10. dub. 18. n. 157.* tenet Layman *d. c. 17. 3. n. 23.* & eatenus saltem consentit Harprechtus *ad d. §. quod si frumentum n. 10.* si commixtio pecuniæ *bona fide* facta fuerit.

Casus aliquot practici circa rem à fure emptam videri poterunt apud Layman *d. lib. 3. Tract. 5. cap. 17. §. 3. à num. 22.*

Quær. X. quid sit *jus retractus*, & qualiter per id impugnetur venditio? Resp. *jus retractus*, sive, ut alio nomine vocatur, jus protimiseos aut nostra vernacula *das Cinstandrecht*, nihil esse aliud, quàm jus prælationis, quo proximus consanguineus præfertur extraneo emptori in re immobili à suo consanguineo vendita, & ideò eam oblato pretio retrahere, & ipsemet emere potest. Porrò hoc jus retractus, quia adversatur libertati commerciorum, de Jure communi civili non videtur admitti, *l. dudum 14. Cod. de Contrahenda emptione*, sed ex constitutione Friderici Imperatoris, quæ extat *in lib. 5. Feudorum tit. 13.* est introductum, & Jure Canon. *in c. constitutus 8. de in integrum restitutione*, ac consuetudine Germaniæ, aliorumque Regnorum receptum ex ratione, ut res majorum in familia maneant, triste est enim paternas, & avitas domus in extraneos transire, arg. *l. in fundo 38. ff. de Rei vindic. & l. lex quæ tutores 22. vers. nec verò domum. Cod. de Administrat. tutorum*; atque ejusdem Juris *retractus* etiam lex veteris testamenti meminit, *Levit. c. 25. vers. 25.* & hic retractus *gentilitius* vocatur. Qualiter verò etiam de Jure Communi Civ. detur aliquod jus prælationis, sive retractus *legalis*, isque competat domino in re emphyteutica, *l. ult. C. de Jure Emphyt.* Creditori, & cognato in rebus authoritate judicis venditis, *l. cum bona 16. ff. de Reb. author. jud. vend.* vicino erga vicinum alienantem extra communitatem, *l. un. C. non licere habitatoribus*. Videantur textus citati, & DD. ibidem.

Sed ut jus *retractus* gentilitii locum habeat, aliquot con-

conditiones requiruntur. I. ut quis in suum, & non alterius commodum retrahat, est enim hoc jus personale, & alteri cedi nequit. II. Ut retrahat *intra annum, & diem*, quod tempus juxta communiorem sententiam currit à die scientiæ, ubi scilicet venditio retrahenti innotuit. *Tex. in tit. 9. in § fin. lib. 2. Feud.* III. ut retrahens integrum pretium, quod emptor extraneus dedit, vel daturus fuisset, venditori persolvat. IV. ut præter pretium etiam expensas necessarias, & utiles, quas emptor tanquam bonæ fidei possessor in re empta fecit, restituat; si tamen circa duas posterioras conditiones in fraudem Juris retractus quidpiam ageretur, vel nimis magnum pretium summum notabiliter excedens, constituendo, aut faciendo in rem emptam tantas impensas, & meliorationes, quas jure retractus utens sine suo detrimēto refundere haud posset, Judicis officio, aut arbitrio retrahenti succurrandum foret, ne per dolum alterius, qui nemini patrocinari debet, jure suo privetur; de quibus conditionibus videri poterunt, quæ prolixiùs tradit Tiraquellus *in suo tractatu speciali de retractu*. Harprectus *tract. in §. ult. Inst. h. t. n.* 258. *& seqq.* ubi etiam *n.* 285. notat, *jus retractus* non habere locum in donatione, permutatione, divisione, locatione, emphyteusi, aut feudo. Item quod Monasterium ex persona Religiosi, cujus consanguineus rem aliquam vendidit, non possit uti jure retractus, eo quod per talem retractum res non maneat in familia, & consequenter deficiat ratio retractus, docet Lauret. de Franchis *de Controv. inter Episcop. & Regulares parte* 2. *q. var. q.* 107. *pag. mihi* 566. & ibidem Pasqual. *in addit. n.* 2. ubi plures allegat.

Quær. *postremò*, utrum rescindi possit venditio, si venditor nolit rem tradere, sed potiùs velit interesse præstare emptori? Respondeo esse probabiliùs, quòd venditor præcisè teneatur ad rem tradendam, si eam tradere possit: quia textus passim hanc necessitatem tradendi venditori imponunt, ut *in l. ex empto* 11. *§.* 2. *ff. de Actionibus empti §. Instit. h. t. §. alia autem* 2. *Instit. de Donationibus juncta l. si quis argentum* 35. *in fine C. de Donationibus*.

Non obstat, quòd *obligatus ad factum præstando interesse liberetur*, ut communiter pro regula traditur, cùm indignum videatur liberum hominem præcise ad factum compellere, venditor autem obligetur ad factum traditionis, ergò &c. Nam responderi potest, quòd istud axioma tantùm procedat in factis servilibus, quæ per propriam personam expediri deberent, non verò in talibus, quæ per alium, vel per Judicem ipsum, ejusve familiam impleri possunt.

26 Sed quid si venditor rem eandem duobus successivè vendiderit v. g. hodie Petro, cras Paulo, uter ex his debebit rem habere; Respondeo, si res neutri tradita sit, is præferetur, cui prius vendita est; tum quòd in pari causa is, qui prior tempore potior jure censeatur *juxta Reg.* 54. *Juris in* 6. tum etiam, quòd secunda venditio, quamvis sit valida, cùm etiam rei alienæ venditio subsistat, non tamen est licita, *l. qui duobus* 21. *ff. ad Legem Cornel. de falsis*. Si verò rei posteriori non tantùm vendita, sed insuper tradita sit, tunc quia in istum præter actionem ex empto, etiam dominium translatum est, *l. traditionibus* 29. *Cod. de Pactis*, & duo vincula fortiùs ligant, ideò præ altero priori rem habere debebit, ita tamen ut priori contra venditorem actio competat ad consequendum id, quanti sua interest, quod rem alteri vendiderit. Text. & DD. *in L. quoties* 15. *C. de Rei vindic.* Exceptionem tradunt DD. in Ecclesia, & Civitate, quæ secundum emptorem non obstante traditione propterea excludunt, quòd in eas per priorem emptionem ipso jure transierit dominium, *arg. l. ut inter* 23. *C. de SS. Eccles.* ubi pro rebus Ecclesiæ, & Civitati legatis, venditis, vel donatis, *vindicatio* quæ non nisi domino competit, *l. in rem* 23. *ff. de Rei vind.* conceditur. Covar. *Var. Resol. lib.* 2. *c.* 19. *n.* 2. Barbos. *Jur. Eccles. univ. lib.* 2. *c.* 13. *n.* 12. Item si secundus emptor fuerit malæ fidei, & scienter rem priùs alteri venditam emerit, censent, ab eo quoque ex edicto Prætoris, *quæ in fraudem creditorum &c.* revocari posse; Imò non requiri malam fidem, si res ex donato, seu titulo lucrativo translata sit, *l. quod autem* 6. *§. simile modo* 11. *ff. Quæ in fraud. cred.* Covar. *d. c.* 19. *n.* 5. cum citatis *ibidem*.

TITULUS XVIII.

De Locato, & Conducto.

S U M M A R I A.

1 *Locatio quid sit, & qualiter conveniat cum emptione?*
2 *Quales res locari possint.*
3 *Locari etiam possunt facta, & opera.*
4 *Propter sterilitatem an remitti debeat pensio.*
5 *Conductori ædium an remitti debeat pensio, si nequeat inhabitare?*
6 *Pensio an possit augeri propter ubertatem fructuum?*
7 *De incendio orto in domo conducta, cujus sit damnum, & cui incumbat probatio culpæ.*
8 *Locator operarum an, & quando possit integram mercedem petere non præstitis operis?*
9 *Locatio, & conductio qualiter finiatur.*
10 *Conductor an possit deducere impensas in rem conductam factas?*

Alia Summaria post §. unicum.

L*Ocatio, & conductio* rectè describitur, quòd sit *contractus bonæ fidei solo consensu initus, quo de usu rei alicujus pro certa mercede concedendo convenitur*. Locator dicitur, qui rem alteri concedit, Conductor verò, qui re illa utitur. Habet iste contractus cum emptione, & venditione maximam affinitatem, & iisdem penè Juris regulis constat, ut dicit Imperator *in princ. Inst. h. t.* unde sicut emptio, & venditio est contractus bonæ fidei, & solo consensu perficitur (quæ verba qualem effectum habeant *in Tit. præcedent. in §.* 1. explicatum est,) ita etiam locatio & conductio: Item sicut in emptione pretium debet esse certum, vel certitudine ab ipsis contrahentibus determinata, vel relativa, ita etiam in locatione. 1

Hinc si alicui rem in usum concedam nulla constituta certa mercede, sed dicam, quòd de ea jam convenire velimus, non erit locatio, sed contractus innominatus: *facio ut des &c. §.* 1. *Instit. h. t.*

Verùm in eo substantialiter differt locatio à venditione, quòd in venditione agatur ad transferendum dominium, in locatione verò tantùm ad usum, & præterea in venditione pretium debet consistere in pecunia numerata, in locatione autem, & in rebus fungibilibus consistere potest, veluti si alicui meum fundum pro certis modiis frumenti in singulos annos solvendis locem, *l. si olei* 21. *Cod. hoc tit.* Dico tamen in rebus fungibilibus, id est, quæ usu quotidiano consumuntur, nam si alicui agrum meum utendum concedam, ut ille mihi vicissim bovem vel equum det, vel quoad proprietatem, vel solùm quoad usum, non erit locatio, sed iterùm contractus innominatus, nec solo consensu perficietur, at tunc demùm si res actualiter utrinque tradita sit, prius verò pœnitentiæ locus erit, juxta naturam contractuum innominatorum *§.* 2. *& ibi. DD. Institut. hoc tit. l. si pecuniam* 5. *ff. de Conditione causa data &c.* qua de re etiam *in Tit. de Pactis*, pluribus.

Locari possunt res omnes sive mobiles, sive immobiles, dummodò in usu, & commercio hominum sint, neque tantùm res propriæ, sed etiam alienæ, & usufructuariæ locari valent. Item conductor rem à se conductam alteri rursus locare potest, *l. si tibi* 7. *ff. h. t.* Ubi tamen notabile est, quòd si usufructuarius rem, in qua usumfructum habet, locaverit, forsan ad quinquennium, & ipse secundo, vel tertiò anno moriatur, eo ipso cum jure usufructus etiam expiret locatio, adeò ut hæres locatoris non ad interesse, sed solam mercedem pro rata temporis, quo conductor re amplius uti non potest, remittendam teneatur, quia tempus illud ab usufructuario locatore præfixum habet tacitam conditionem, si tamdiu vixerit: cùm enim ususfructus sit personalis, & cum persona exspiret, *§.* 3. *Instit. de Usufructu* Ideò locum 2

cum habet, quod pro axiomate dici solet: *resoluto jure dantis resolvitur etiam jus accipientis l. si quis domum 9. §. 1. ff. h. t.*

Præterea non tantùm *res*, sed, & *facta* locari possunt, quod fit, cùm aliquis operam suam pro certa mercede alteri præstare promittit, v. g. si cum murario conveniam, ut in mea area domum ædificet; cum nauta, ut me ad certum locum transferat, &c. Unde communiter duplex statuitur locatio, *rerum* scilicet, & *operarum*, seu *factorum* Sed in hac locatione factorum non adeò expeditum est, quis locator, quis conductor appellari debeat: juxta diversas leges, & qui mercedem accipit, operas suas locare, & econtra opus faciendum conducere dicitur &c. Qua in re cùm parum intersit, breviter dici potest, quòd sicut in locatione rerum, qui mercedem accipit, & rem alteri in usum concedit, *locator*; ille verò, qui utitur, *conductor* vocatur, ita etiam, qui operas suas (quæ loco rei, & materia usus sunt) alteri præstat, convenienter *locator*, & operis utens *conductor* appellatur, *arg. l. qui operas 38. ff. hoc tit.* Quòd verò leges aliquando terminos confundant, ut *in l. sed addes 19. §. 7. & l. fin. ff. hoc tit.* fortassis rationem habuerunt, quod alter alterum ad contrahendum invitarit, ut cùm aliàs locatio sit prior conductione juxta Rubricam hujus Tit. *de locato, & conducto*, ideò si artifex v. g. primo operas suas obtulisset, dictus fuisset eas locasse, & alter conduxisse; si verò priùs artificem pro opere faciendo adiisset, hic secundum quasdam leges dicebatur *opus faciendum locasse*, & artifex conduxisse.

His ita generaliter præcognitis aliquot quæstiones ad praxim utiliores resolvendæ erunt.

4 Quæritur proinde I. An si conductor fundi, vel prædii propter sterilitatem anni nullos, vel exiguos fructus percipiat, nihilominùs pensionem integram solvere teneatur? Resp. certum esse, quòd propter sterilitatem sine culpa coloni provenientem debeat à locatore pensio remitti, nisi cum ubertate præcedentis, vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari *c. 3. h. t.* & dicitur compensari sterilitas secundùm Barb. *in eodem c. 3. n. 19.* si Colonus in anno fertili tot fructus collegit, ut deductis impensis sufficiant pro solutione pensionis duorum annorum, scilicet fertilis, & sterilis. Sed discrepant DD. quanta debeat esse sterilitas, ut remissio facienda sit? Aliqui tantam requirunt, ut deductis impensis nihil remaneat conductori. Alii sufficere putant, si vix tertia pars ordinariorum fructuum remaneat, sicut habetur apud Panor. in *d. c. 3. n. 13.* Mihi videtur, vel arbitrio Judicis committendum, vel ex opinione vulgi, & communi hominum circumcolentium æstimatione dijudicandum esse, quænam sterilitas justam causam præbeat remittendæ pensionis totius, vel pro parte. Videatur Andreas Gail. *Lib. 2. Pract. Oservat. observ. 23. num. 1.*

Addi etiam potest notabile responsum J. C. *in l. ex conducto 15. §. si uno anno 4. ff. h. t.* ubi dato casu, quòd dominum remiserit, vel etiam donaverit pensionem pro anno sterili, eveniente dein ubertate majore sequentium annorum deciditur in *d. §. 4.* quòd Dominus valeat illam quoque pensionem remissam, seu donatam repetere, quasi remissio, aut donatio censeatur facta sub tacita conditione, nisi ubertas sufficiens ad compensationem sterilitatis subsequatur.

5 Quær. II. An debeat pensio remitti, si conductor domus ex justa causa, v. g. ob irruptionem hostium, periculum ruinæ, metum contagionis &c. eandem non inhabitet? Resp. & ex his, & similibus causis remittendam esse pensionem, si usus rei ad longius tempus impediatur: cùm enim pensio detur propter usum rei, & contractus locationis sit bonæ fidei, in quo omnia ex bono, & æquo judicari debent, profectò non foret æquitati congruum, nullum usum ex re conducta percipere, & nihilominùs integram pensionem persolvere, *l. ex conducto 15. §. 1. & seq. l. habitatoris 27. §. 1. ff. h. t.* Gail. *Observ. 23. num. 5. & 7.* Notat quoque Bartholus *in l. cùm in plures 60. ff. hoc tit. num. 1.* conductorem hospitii publici pensionis *remissionem habere*, si post conductionem superveniat bellum quo itinera impediantur, ut hospitibus eò non sit tutus accessus: nam talis eventus sterilitati rectè comparatur, cùm inquilinus nullum ex re conducta fructum percipiat, & hospitium non tam inhabitationis, quàm emolumenti, & hospitum gratia conduxisse censeatur. Facit textus *in leg. item quæritur §. 13. exercitu 6. ff. hoc titul.*

Quæritur III. Utrùm sicut ex sterilitate pensio remitti debet, ita contra augeri, & major peti possit; si magna fructuum ubertas eveniat? Respondeo regulariter pensionem ab initio contractus constitutam manere debere, cùm ex ubertate aliorum annorum debeat sterilium compensatio fieri, idque probat textus *in l. si merces 25. §. vis major 6. ff. h. t.* ubi hæc verba leguntur: *modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur.* Barb. *in d. c. 3. h. t. n. 20.* Excipiendus tamen est casus superiùs ad quæstionem primam annexus, si nimitùm pensio pro anno sterili remissa fuerit. Item alium casum excipit Molina *de Justitia, & Jure disput. 495. num. 23.* si ubertas proveniat ex casu fortuito extraordinario, & priùs à contrahentibus non præviso. E. G. si molendinum conductum propterea acquirat magnos reditus, quia ex inundatione aquarum omnia reliqua molendina in vicinia destructa sunt, nam ordinaria pensio propter contractum bonæ fidei intelligitur statuta *rebus sic stantibus*, non autem in casu notabilis mutationis supervenientis. 6

Quær. IV. An debeat pensio remitti, & cujus damnum locatorisne, vel conductoris, si domus conducta incendio conflagrarit? In hac quæstione duo extra controversiam sunt. 7

I. Non teneri conductorem ad aliquod damnum resarciendum, vel pensionem solvendam, si incendium casu fortuito, & sine sua culpa exortum sit v. g. per fulmen, milites, aut malitiam exterorum hominum.

II. Item certum est, conductorem teneri, si ejus culpa saltem levi domus incensa sit.

Sed tertium est valdè dubium, & controversum, si nesciatur, an culpa, vel casu incendium ortum sit, ad quem tunc damnum pertineat, & quis probare debeat, culpa vel casu accidisse? Fachinæus *Lib. 1. controv. c. 87.* censet, conductori incumbere onus probandi, quòd sufficientem diligentiam in custodiendo igne adhibuerit, nullamque culpam ex contractu locationis præstandam commiserit, alias compensaturum totum damnum ex incendio datum, etenim locator præsumptionem Juris pro se habet, quòd incendia plerumque culpa inhabitantium accidant, *l. 3. §. 1. ff. de Officio Præfecti vigilum l. si vendita 11. ff. de Periculo, & commodo rei venditæ*, notum est autem, quòd præsumptio Juris transferat onus probandi in adversarium, & is, qui præsumptionem pro se habet, sufficienter causam suam fundasse intelligatur, usquedum ex parte altera contrarium ostendatur. Accedit quòd vix sit possibile, ut locator valeat probare ea, quæ fiunt in domo, quam ipse non inhabitat, ut proinde æquitate dictante illi potius imponenda videatur probatio, qui propter actualem inhabitationem ejus copiam habet. Videtur quoque in hanc Fachinæi sententiam inclinare Harpprec. *ad principium Instit. h. t. n. 46.* Sed si conferantur ea, quæ tradit *ad §. 2. Instit. de Obligationibus n. 87.* & quod *ad dictum principium num. 44.* præmisit circa conductorem equi in via pereuntis, quod locator teneatur conductoris culpam ob impositionem majoris oneris, aut usum equi immoderatum &c. probare, satis repugnant, ut nihil certi hac in parte ex ipso determinari possit.

Contrariam sententiam, quòd locatori injungenda sit culpæ probatio, sustinet Andr. Gail. *Lib. 2. Pract. Observat.* 21. & Mynsingerus *Centuria 6. obser. 88.* cum aliis ibidem citatis, argumentum est in vulgatis Juris regulis, quòd actori incumbat probatio, *l. 2. ff. de Probationibus l. 4. Cod. de Edende*, & culpa, vel delictum ac generaliter facta non præsumantur, sed probari debeant, *l. merito 51. ff. Pro socio l. dolum 6. C. de Dolo l. in bello 12. §. facta ff. de Captivis.*

Licet verò in legibus pro anteriori sententia allegatis dicatur, incendium plerumque culpa inhabitantium fieri, non tamen mox infertur, esse præsumptionem de tali culpa, quæ ex contractu locationis præstanda sit: cum posset esse culpa levissima, quæ præsertim *in omittendo* consistens obligationem resarciendi damnum non inducit, sicut etiam docet Gloss. in præsenti notabilis *in §. præterea 3. Instit. Quibus modis re contrah. oblig.* De-

inde J. C. in *d. l. si vendita*, notanter ait, potuisse incendium negligentia servorum ortum fuisse, neque inde domino semper culpam imputari, nam ex communi doctrina dominus non aliter tenetur ex delicto sui famuli, quàm si delinquat circa officium sibi commissum, *arg. d. l. si vendita, & legis 1. §. familia ff. de Publicationis.* Unde si v. g. stabularius in stabulo candelam negligenter custodierit, & incendium fecerit, dominus tenebitur, quia ipsi imputatur, quòd negligentis hominis utatur opera: si verò stabularius in culina aliquid coxerit, & ibi per incuriam domum incenderit, non tenebitur dominus, quia deliquit extra suum officium. Gail. *dicta observat. 21. num. 6.* ideoque ut conductor de incendio obligetur, vel ipsius culpa propria, vel certi hominis, aut famuli circa officium suum delinquentis probanda erit, præsumptio autem illa, quòd plerumque culpa inhabitantium eveniat incendium, nimis generalis, atque circa personas, & qualitatem culpæ incerta, ac propterea ad idoneam probationem non sufficiens videtur.

Quid ergò in hac controversia statuemus? Existimo, cùm res ista Jure aliquo claro decisa non sit, utramque sententiam in Theoria probabiliter defendi, posteriorem autem fermè magis esse probabilem: Ita tamen ut illa præsumptio Juris, licet propter suam generalitatem, & incertitudinem non faciat plenam probationem, præstet tamen actori magnum adminiculum, ut aliis indiciis, & imperfectis etiam probationibus concurrentibus nonnunquam, maximè ubi damnum incendio datum non est valdè grave, sufficienter causam suam probasse dici possit secundùm ea, quæ in *Lib. II. ad Tit. de Probationibus* traduntur, quòd in causis civilibus etiam præsumptiones, & imperfectæ probationes conjungi, ex iisque sententia ferri possit. Neque tamen conductor excludetur, quin per testes, aut probationes contrarias possit se à culpa purgare juxta notum illud, quòd præsumptiones præsumptionibus, probationes probationibus enerventur *capit. in nostra 22. de Testibus l. divus 7. ff. de In integrum restitutione.* Quòd ad confirmationem prioris sententiæ additum fuit, locatorem non habere copiam probationum circa ea, quæ fiunt in domo ab aliis inhabitata, propterea non ex toto convenit, cum multoties extranei etiam homines casu in domo incensa, aut in vicinia versantes rei notitiam habeant, possitque locator petere, ut Judex ex officio domesticos audiat, & super causa, & culpa incendii inquirat, quæ inquisitio per se etiam incumbet Judici, quia incendium sive dolo, sive culpa exortum criminali judicio subjacet, per ea, quæ tradit Minsing. *dict. observ. 88.*

8 Quær. V. Utrùm ille, qui *operas suas* locavit v. g. Advocatus, Medicus, Consiliarius, famulus, & similes, si propter infirmitatem, vel aliud impedimentum operas suas non præstiterit, nihilominus totam mercedem petere valeat? Resp. Affirmativam esse de Jure probabiliorem saltem respectu illius anni, quo aliquis servire cœpit per textus satis claros *in l. qui operas 38. ff. hoc tit. leg. 1. §. divus 13. ff. de Variis, & extraord. cognitionibus leg. penult. & l. fin. Cod. de Condictione ob causam dat. l. post duos 15. Cod. de Advocatis diversorum judiciorum.* Harprecht. *ad princ. Instit. hoc tit. num. 52t.* Gail. *lib. 1. observ. 44. num. 12.* Non obstat, quòd in locatione *rerum*, si conductor nullam percipiat utilitatem, non teneatur mercedem solvere, ut superiùs dictum: nam in locatione *rerum* merces præcisè datur propter fructus, vel utilitatem actualiter percipiendam, in locatione autem *operarum* seu *factorum* merces etiam datur pro ipsa obligatione deserviendi, & quòd v. g. Advocatus, vel Medicus, si conductor ejus opera indiguerit, & ipse eam præstare possit, præstare omninò tenetur.

Alia verò movetur difficilis objectio ex *leg. si pecuniam 5. ff. de Condictione causa data*, ubi J. C. proponit quæstionem, an ab eo, qui pecuniam accepit, ut Capuam iret, si tempore, vel morbo impeditus non iverit, possit pecunia data condici, seu repeti? & respondet, quamvis aliàs in conductione *operarum* cesset condictio, si locator in culpa non sit, quò minùs operas præstet, juxta leges concordantes superiùs allegatas, hic tamen, cùm pœnitere liceat ei, qui dedit, antequam alter ex parte sua contractum quoque impleat, ideò repetitioni locum esse eatenus, ut is, qui obligatus, & paratus ad eundem sumptus ex hac causa fecit, per deductionem illarum indemnis servatur. Comparat ergò J. C. hunc contractum locationis operarum contractibus *innominatis: do ut facias: facio ut des. &c.* quorum natura est, ut lege contractus necdum utrinque impleta pœnitere liceat, sicut *Titulo de Pactis*, tradidimus. Si pœnitere licet, consequenter pecunia, sive merces data ante operas præstitas revocari potest, & si data repeti, multò magis promissa Advocato, vel Medico denegari potest, cui enim datur actio ad repetendum, ei multò magis datur exceptio ad retinendum *c. qui ad agendum 71. de R. J. in 6.* Similis textus est *in leg. conducto 15. §. Item cùm quidam 6. ff. hoc tit.* ubi quidam pactus fuit cum nauta, ut se ad certum locum deveheret, navi amissa dicitur repeti posse, quod datum est, quia nauta vecturam non præstiterit.

Fateor amplam esse hac de re disputandi materiam. Interim omissis aliorum laboriosis in hac difficultate explicationibus, puto distinguendum inter locationem operarum, cujus objectum est certum determinatum opus, vel negotium perficiendum, ac inter locationem operarum, cujus objectum non est tam opus ipsum aliquod specificum, seu determinatum, quàm ipsa operandi, seu deserviendi obligatio ad certum tempus, vel propter annuum salarium conventum ad singulos annos restricta, ut fit in Professoribus, Advocatis, Medicis, & similibus. Priori casu videtur planè contractus ob bonam fidem, & intentionem contrahentium habere tacitam conditionem, ut merces debeatur, si, & quatenus opus aut negotium perfectum fuerit, juxta *d. l. si pecuniam, & §. Item cùm quidam.* Si tamen aliquid operis factum fuerit, & casus ex parte operatoris inculpabilis supervenerit, quò minùs absolvi possit, æquitas suadet, ut saltem pro ratione, & tempore operarum merces arbitrio boni viri præstetur, quo sensu explicanda est *l. Maritus 59. ff. h. t.* Altero autem casu procedunt leges superiùs ad principalem responsionem allegatæ: quia tunc licèt singulis diebus non præstentur operæ, manet tamen semper præstandi obligatio. Imò tametsi morte intra annum incidente operæ ampliùs præstari nequeant, vel obligatio perdurare: nihilominùs cum initio anni, quo locator operarum adhuc vixit, censetur obligatio conductori quasi tradita, in eumque sicut in emptione (assimilatur enim conductor emptori, & locator venditori *princ. Instit. h. t.*) periculum interitus translatum.

Quær. VI. Qualiter finiatur locatio, & conductio? Resp. Hunc contractum ex variis causis exspirare I. Si tempus locationi præfixum elapsum fuerit; id verò, si locator rem repetierit; si autem tempore elapso passus sit conductorem adhuc uti re conducta, censebitur locatio ex tacito consensu utriusque partis continuata. Debet tamen distinctio adhiberi, inter prædia rustica, & urbana: nam in prædiis rusticis, quorum fructus tantùm semel in anno proveniunt, censebitur conductio ad unum integrum annum tacitè renovata, neque ante id tempus conductor expelli poterit. In prædiis autem urbanis gratia soliùs inhabitationis sive intra, sive extra urbem exstructis, & conductis, quorum commoditas singulis momentis cedit, censebitur quidem repetita locatio, sed sine certo tempore, & quamdiu inquilinus in domo manet, ac à domino toleratur Text. & Barthol. *in leg. item quæritur 13. §. fin. ff. h. t.* 9

II. Locator etiam ante exactum tempus locationis rem locatam repetere potest, si conductor pensionem sive mercedem justo tempore non solverit; vel malè in re conducta versetur; vel locator propriis usibus rem sive domum locatam sibi necessariam esse doceat; vel ruinosam reficere, & instaurare velit: si tamen hujusmodi necessitas inhabitandi, vel reficiendi tempore locationis non imminebat, sed posteà primùm supervenerit *cap. penult. hoc tit. l. quæro 54. §. 1. l. cùm domini 56. ff. hoc tit.*

Sed hic aliqua subnotanda sunt: *primum* est, quòd licèt in allegatis textibus mentio fiat *de biennio*, ut si intra id tempus conductor pensionem non solverit, expelli possit, nihilominus plures DD. cum Barb. *in Collect. ad d. cap. penult. hoc tit. n. 44.* & Harprechto *ad princ. Instit. h. t. n. 71.* sentiant, etiam statim expelli posse, si debito & con-

& constituto tempore pensio soluta non fuerit, *arg. à contrario in l. 3. Cod. hoc tit.* & textus citatos interpretantur, quòd in illis mentio *biennii* in narratione tantùm facti, non dispositione juris ponatur, excepto speciali casu in *d. l. cùm domini 56. ff. hoc tit.* si ob diuturniorem absentiam conductoris locator petat per magistratum res ejus aperiri, & describi, quòd cùm magni præjudicii sit, saltem ante *biennium* absentiæ fieri non debet. Mediam viam, quæ æquitati satis videtur congrua, tenet Pan. *in d. c. penult. nu.* 17. ut tunc possit conductor etiam ante biennium expelli, si locatio non sit facta ad longum tempus, & scilicet decem annos.

Alterum est, quòd circa tempus solvendæ pensionis, item, & conductoris expulsionem præcipuè ad consuetudines locorum attendendum, & propter contractum bonæ fidei plurimùm arbitrio Judicis, & boni viri tribuendum sit, ne per contractus ad humanæ vitæ societatem conservandam necessarios odia, & dissidia inter homines inducantur. Hinc in plerisque locis usus est ut conductor etiam ex justa causa priùs expelli nequeat, quàm sibi antea aliquot mensibus per locatorem insinuatum fuerit, ut de alia habitatione prospiceret, omnis enim durum foret, quasi ad horam cum rebus suis emigrare.

III. Si locator vendiderit rem locatam alicui tertio, emptor non tenetur pati conductorem in re conducta, quamvis tempus conductionis necdum elapsum sit: idque communiter de quovis singulari successore, qui non sit hæres locatoris, accipitur, *l. emptorem 9. ubi DD. C. hoc tit. qui fundum 32. ff. eod.* quia res inter alios acta tertio præjudicare non debet. Venditor autem sive dominus, qui fundum ante tempus locationis elapsum vendidit, tenetur conductori, quanti ejus interest, quòd re conducta uti non possit, *l. ex conducto 15. §. ubicunque l. si in lege 9. colonus & l. si fundus 23. ff. h. t.*

IV. Quod de emptore, & singulari successore dicitur, id ipsum etiam DD. intelligunt de successore in officio, vel dignitate, ita ut v. g. successor Episcopi, vel Abbatis, vel Parochi possit revocare locationem à suo prædecessore factam: quamvis enim successor hereditarius factum sui defuncti præstare debeat, ex cujus persona lucrum sentit, & in quem omnes actiones passivæ, & activæ transeunt, *l. hereditarias 62. l. ex qua persona & l. qui in Jus ff. de R. J. cùm à matre. Cod. de Rei vindic.* successor tamen dignitate, vel officio, cùm omne suum jus non à defuncto, sed ab electione, vel institutione, & concessione superioris habeat, regulariter non tenetur stare pacto sui antecessoris, si illud pactum haberet causam continuam, & etiam successorem deberet obligare ad aliquid de præsenti faciendum, vel patiendum, nisi tale pactum nomine Ecclesiæ cum debita solemnitate factum fuisset. Covar. *Var. Resol. lib. 2. c. 15. n. 6.* Guttierez. *Canon. qq. lib. 1. cap. 36.* Addunt tamen aliqui limitationem ex bono, & æquo, si jam annus locationis sit inchoatus, factæ impensæ necessariæ, terræ satæ &c. pro illo saltem anno successor stare locationi debeat tanquam re non amplius integra. Bald. *in l. emptorem 9. C. h. t. n. 7.* Card. Tusch. *V. Locatio conclus. 419.*

V. Sicut locator conductorem justis ex causis expellere, ita etiam vice versa conductor justa de causa domum conductam deserere, & mercedem deducere potest, v. g. si domus minetur ruinam, si irruptio hostium, vel deprædatio timeatur, si spectris, vel tumultibus nocturnis inquietetur, *l. habitatores 27. & ibi Gottofredus ff. hoc tit.* Si verò conductor sine justa causa domum conductam deseruerit, nihilominùs mercedem ex integro solvere tenebitur, *l. dominus 55. §. fin. ff. h. t.*

Cæterùm morte locatoris, vel conductoris non finitur locatio, sed si locator moriatur ante tempus locationis elapsum, ejus hæres pati debet conductorem usque ad præfinitum tempus inhabitare, cùm utpotè hæres factum sui defuncti præstare teneatur, juxta superiùs allegata; & è converso, si conductor moriatur, hæres ipsius eodem jure in conductione succedit, quia repræsentat defuncti personam, & actiones defuncto competentes etiam in ipsum transeant *§. fin. h. t. l. hereditas 62. ff. de R. J.*

10 Quæres VI. An conductor possit deducere impensas, si quas fecit in rem conductam v. g. domum ruinosam reficiendo, aliava utilia ædificia aut necessaria exstruendo? Respondeo, *sumptus* alios esse *Ordinarios*, qui fiunt ordinariè pro habendo usu ex re conducta, veluti pro arandis, & colendis agris, pro percipiendis fructibus, pro pabulo, aut ferramentis equi conducti, &c. & hi non deducuntur, sed eos conductor suo præstare tenetur. Alii verò sumptus sunt *extraordinarii*, & isti, vel sunt *necessarii*, ut si imminens ruina domus reparanda sit, aut tectum pluviis pervium resarciendum; vel *utiles*, ut si novæ arbores frugiferæ aut vites in fundum inserantur: vel *voluptuaria*, ut si domus pingatur, hortus ornetur &c. Sumptus *necessarii*, & *utiles* (si tamen utilitas eorum perpetua sit, & non tantum conductorem, sed etiam dominum concernat) regulariter deduci possunt, vel certè dominus pati debet, ut eas conductor tollat, sive auferat, si sine deterioratione status tolli possint, *l. 19. §. 4. l. dominus 55. §. 1. & l. penul. ff. h. t.* Fachin. *Lib. 1. Controv. c. 85. Voluptuaria* autem impensæ regulariter non deducuntur; nisi dominus exindè locupletior factus sit, ut quia rem propter illas impensas jam pluris vendidit, aut elocare cœpit. Tollere tamen impensas *voluptuarias* sine deterioratione rei conductor non prohibetur, *l. planè, & l. utiles ff. de Petitione hereditatis.* Circa istud autem *beneficium tollendi* impensas utiles, & voluptuarias est notandum, id tunc tantùm locum habere, si tollens aliquod commodum inde consequatur, secùs verò, si ex mera invidia picturas v. g. corradere, ornatum horti destruere velit, *l. in fundo 38. vers. constituimus ff. de Rei vindic. non est enim malitiis hominum indulgendum: qui nihil aliud agunt, quam ut noceant;* inquit J. C. *in d. l. 38.* & sibi imputare debet, qui in re aliena scienter tales impensas fecit.

---

§. Unicus.

De Contractu Emphyteutico.

S U M M A R I A.

11 *Emphyteusis quid.*
12 *Emphyteusis qualiter differat ab emptione, locatione, usufructu, & Feudo.*
13 *Emphyteusis an requirat scripturam.*
14 *Emphyteusis Ecclesiastica an possit in perpetuum constitui?*
15 *In Emphyteusi Ecclesiastica an, & quando requirantur solemnitates?*
16 *Emphyteusin Ecclesiasticam an possit Prælatus dare suis consanguineis?*
17 *Emphyteusis ad dominum reversa an debeat dari cognatis ultimi Emphyteutæ?*
18 *Emphyteusis quando amittatur ob non solutum canonem?*
19 *Quando ob deteriorationem.*
20 *Quando propter alienationem.*

De hoc contractu non tantùm agitur in Jure Civili *in Tit. Cod. de Jure Emphyteutico*, ac in *Novella 7. &* 120. nec non *in §. 3. Instit. hoc tit.* sed etiam in Jure nostro Canonico ejusdem fit mentio, *in c. nulli 5. de Rebus Ecclesiæ non alienandis* in *Extravag. ambitiosæ eod. tit. inter Com.* & *in c. fin. h. t.* estque contractus usu quotidianus, & censetur ille, qui à nostris Germanis *Erbrecht* vocatur.

Emphyteusis igitur græca voce *implantationem*, seu *insitionem* significat: nam ex primæva natura, & institutione hujus contractus fuit, ut *emphyteuta* res sterilis, & inculta ad usum concederetur, eo fine, ut per implantationem, culturam, & seminationem frugiferam, & meliorem redderet. Licet verò talis cultura propriè tantùm agris, & prædiis rusticis conveniat, jure tamen, & usu receptum est, ut eodem verbo omne meliorationis genus intelligatur, & etiam domus ædificia in contractum emphyteuticum deduci possint, *arg. text. in Novel. 7. c. 3. §. 2.* 11

Definitur contractus *emphyteuticus* apud Harprechtum *ad §. 3. Instit. h. t. num.* 4. quòd sit *contractus Juris gentium nominatus, bonæ fidei, solo consensu constans, quo dominus de dando prædio suo in perpetuum, vel ad tempus pro pensione annua in recognitionem dominii præstanda colendo fruendoque cum aliquo paciscitur.*

Olim quidem dubitabatur, an hæc pactio esset emptio, vel locatio dicenda propter similitudinem aliquam cum utraque, ut dicit Imperator *in d. §. 3. Instit. hoc tit.* postea verò à Zenone Imperatore *in l. 1. Cod. de Jure emphyteutico*, declaratum est, specialem, proprium, & à reliquis distinctum contractum esse. Enim verò ab *emptionis* contractu differt *emphyteuticus*, quòd ille pos-
12 sit fieri tam super rebus mobilibus, quàm immobilibus, hic autem duntaxat super immobilibus: in illo certo constituto pretio numario ordinariè transferatur dominium directum, si venditor dominus fuit, vel saltem usucapiendi conditio, si non fuit; in isto autem nec pretium ab initio constitui, vel intervenire necesse sit, sed solùm consensum super annua pensione, sive, ut vocari solet, *annuo canone* solvendo, quæ, & ipsa pensio non præcisè in pecunia numerata, sed in fructibus, & aliis etiam rebus consistere potest. Neque in Emphyteusi transfertur dominium directum, sed utile tantùm, seu quasi dominium. Contingit tamen non rarò, ut, & ipsa Emphyteusis (sicut & Feudum, ut in *Tit. de Feudis*, traditur) vendatur, *l. 3. C. de Jure Emphyteutico*, ita tamen ut natura, & leges Emphyteuticæ salvæ maneant. Præterea quando res quoad dominium directum venditur, nihil ulteriùs præter pretium venditori præstatur, & si res intereat, emptori perit; at verò in contractu emphyteutico præstatur *annuus canon*, & interitus rei sine culpa levi Emphyteutæ contingens ad dominum directum spectat, Emphyteuta imposterum à præstatione canonis liberato.

A *Locatione* differt *Emphyteusis*, tùm quòd in locatione solummodo usus, & quidem temporalis, in Emphyteusi verò species aliqua dominii plerumque perpetuò transferatur; tum etiam, quòd in locatione pensio solvatur tanquam justa æstimatio fructuum, vel usus, in Emphyteusi autem principaliter in recognitionem dominii directi. Unde fit, ut inter fructus Emphyteuticos, & annuum canonem *Stifft: oder Grudut dienst* plerumque non soleat esse proportio, sed potissima utilitas in laudemio, *in dem Un: oder Zufall*, vel ut alibi vocatur, *in dem Dfundt Geldt*, quod domino in decessu prioris, & accessu novi Emphyteutæ solvitur, (estque de Jure communi *in d. l. 3.* pars quinquagesima pretii, quo æstimatur Emphyteusis, secundùm consuetudines locorum autem aliquando major) consistit. Item in locatione obveniente sterilitate pensio remittenda est, non etiam in Emphyteusi. Jul. Clarus, *lib. 4. sent. §. Emphyteusis q. 8. num. 8.*

Ab *usufructu* Emphyteusis distinguitur, quòd usufructus non transferat dominium utile, sed sit servitus tantùm personalis in solo usu consistens, quæ nec in hæredes transeat, nec quoad jus ipsum in alium cedi, vel transferri possit, *§. finitur Instit. de Usufructu l. si usufructus 66. ff. de Jure dotium*. Est quoque de natura ususfructus, ut ad differentiam locationis, & conductionis gratuito constituatur sine annua pensione, quæ omnia se aliter habent in Emphyteusi, ut hactenus dictum, & dicetur imposterum.

Cum Feudo quidem convenit *Emphyteusis*, quòd in Emphyteutam sicut in Vasallum transeat dominium utile, & ad hæredes transmittatur: verùm in Feudo secus quàm in Emphyteusi regulariter, & secundùm ordinariam naturam Feudi tantum succedant hæredes sanguinis, agnati, masculi, non extranei aut fœminæ, nisi aliter conventum sit: item in Feudo regulariter non solvatur canon, aut laudemium, econtra verò Vasallus obligetur ad præstandum juramentum fidelitatis, ad exhibenda servitia militaria, vel alia in pactum deducta, ad petendam renovationem investituræ, quoties persona Domini, aut Vasalli mutatur, prout hæc in *Tit. de Feudis* prolixiùs explicantur.

Interim cum naturalia contractuum possint per diversas pactiones immutari, argumento textus feudalis in *Tit. de Feudo non habente propriam feudi naturam*, & contractus ex conventione legem accipiant, *cap. contractus 85. de R. J. in 6. l. contractus ff. eod. tit.* non est infrequens, quod aliqua prædia rustica dicantur dari in feudum, sed cùm talibus pactis, & conditionibus, ut ab Emphyteusi parum, vel nihil dissentiant.

Porrò quòd in definitione dictum est, contractum Emphyteuticum esse ex illis, *qui solo consensu* perficiuntur, non est omninò certum: etenim magna inter DD. controversia est, an non ad perfectionem hujus contractus *scriptura* requiratur, nec priùs inter contrahentes nascatur obligatio, quàm scriptura sive instrumentum; aliquod saltem privatum desuper erigatur? Qui affirmativam sequuntur cum Julio Claro *in dict. §. Emphyteusis quæst. 4.* fundantur textu, *lib. 1. Cod. de Jure Emphyteutico*, in illis verbis: *scriptura interveniente &c.* quia ablativi casus absolutè positi conditionem importare solent, ut sit sensus: *si scriptura intervenerit, arg. l. ab emptione 58. ff. de Pactis cum plurimis aliis similibus*. Conditione autem non impleta actus quoque conditionatus valere non potest, quia conditio obligationem suspendit, *tot. tit. ff. de Conditionibus & demonstrationibus, & X. tit. de Conditionibus appositis*. Et in specie si contractum aliquem in scriptis fieri placuerit ante scripturæ expeditionem validum non esse, satis constat ex *l. si contractus 17. C. de Fide instrumentorum*.

Verùm licet hanc sententiam communem dicat Clarus *cit. loc.* tamen apud Harprechtum *in §. 3. Instit. hoc t. num. 57.* magnus cumulus Authorum, & plures rationes in contrarium allegantur: cùm enim prior sententia unicè fundetur in allegatis verbis, *l. 1.* quæ videntur habere ambiguum sensum, & posse explicari de narratione facti, non dispositione Juris: econtra verò in omnibus aliis contractibus etiam iis, qui cum Emphyteusi proximam similitudinem habent, ut emptione, locatione, feudo, & cæteris, regulare sit, scripturam non requiri de substantia contractus, nisi expressè ita inter partes convenerit, non erit propter ambigua verba unius legis à communibus contractuum regulis recedendum. Item cum *in Novel. 7. in præfatione circa finem*, & *in Novella 120. cap. 6. V. in aliis, & cap. 6. §. 2.* specialiter in Emphyteusi Ecclesiastica constitutum sit, ut scriptura interveniat, supponitur, vel sequitur, in Emphyteusi privata non esse necessaria.

Qui tamen priori sententiæ adhærere vellet, haud difficulter responderet, non dici *in citatis Novellis*, quod scripturæ solemnitas propria tantùm sit Emphyteusi Ecclesiasticæ, sed quòd *in d. l.* communiter de omni Emphyteusi constitutum erat, id Imperator in Novellis etiam circa Ecclesiam clariùs expresserit: potuerit que fuisse specialis consideratio hujus contractus ab aliis, quia in hoc plures obligationes simul concurrunt, nimirùm circa dominium utile, canonem, laudemium, meliorationes, alienationem &c. ut ad evitandas lites magis, quàm in aliis fuerit scriptura requisita.

Quid ergò statuendum? Planè quia in præsenti difficultate de sensu, & mente legum non satis constat, in praxi omnium primò ad consuetudinem tanquam optimam legum interpretem, recurrendum est, *l. si de interpretatione ff. de Leg.* Abstrahendo verò à consuetudine in Theoria utraque sententia probabiliter defenditur: prior cum verbis legum magis consistit, altera cum æquitate naturali, ex qua per mutuum consensum etiam absque scriptura nascitur Obligatio, *lib. 1. ff. de Pactis*. Forsitam media via non incongruè tentari posset, & dici, per leges civiles, ac in foro externo circa contractum Emphyteuticum scripturam requiri non quidem ad substantiam contractus, sed ad probationem judicialem manente naturali obligatione ex solo consensu, quæ sicut in pactis nudis stringat quidem, præsertim in foro interno, in judicio autem fori Civilis ad confusiones, & lites evitandas, non nisi probatio ejus per scripturam admittatur. Quemadmodum in statutis Bavaricis *Tit. 21. nu. 3.* ordinatum fertur, Emphyteusim non aliter, quàm documentis litteratiis probari posse. In Austria quoque prætendens fundum Emphyteuticum necesse habet exhibere concessionem illius scriptam, vulgò e *in ordeintliche von dem Grund: Herrn, oder dessen Grundt Buchhandler unterschriebe vnd gefertigte Gewehr*, in qua concessione seu investitura Emphyteutica fundus Emphyteuticus cum suis contiguis, & vicinis, *mit den Vntainern*, ac quantitate canonis, item (si non sit Emphyteusis nova) anterior possessor, & quo titulo in præsentem transtulerit, nominatim, & clarè exprimi debent, quæ concessiones diligenter, & de verbo ad verbum inferendæ in Librum Emphyteuticum *in das Grund: Buch*, ut subortis litibus

bus inde probatio dasumi possit. Aliud autem esse actum in foro externo probari non posse, vel actionem non admitti, & aliud obligationem natam non esse in *Tit. de Constitutionibus*, *& in Tit. de Pact.* explicavimus.

14 Prætereà, quod definitioni insertum est, *Emphyteusim in perpetuum constitui posse*, rursus disputationem movet circa Emphyteusim Ecclesiasticam, an ea in perpetuum constitui, & in quoscunque hæredes transire valeat? Enim verò in *Novella 7. cap. 3.* constituit Imperator, ut Emphyteusis Ecclesiastica ultra virum, & uxorem (si tamen viri, & uxoris nominatim in contractu mentio facta sit) filios item ac nepotes non extendatur. Econtra *in Novel.* 520. *capit.* 6. conceditur absolutè, ut Emphyteusis Ecclesiastica, ac piorum locorum etiam perpetuè fieri possit. Ob hanc textuum diversitatem DD. in varias sententias abierunt, ut videre est apud Julium Clarum *in dicto §. Emphyteusis quæst.* 28. *n.* 6. quibusdam asserentibus, esse de natura Emphyteusis Ecclesiasticæ, ut ultra filios, & nepotes in extraneos hæredes non transeat, nisi specialiter in concessione mentio hæredum fiat: aliis econtra id ipsum negantibus: eò quòd prædicta *Novella* 7. tanquam constitutio Principis sæcularis aut non liget Ecclesias, *capit. Ecclesia* 10. *de Constit.* aut per *Novell.* 120. tanquam posteriorem correcta sit, vel certè ut tradit Gottofredus *ad d. cap.* 3. *in verbo ad solam vitam*, tantùm de Ecclesia Constantinopol. loquatur.

Verùm cùm prior sententia sit multorum gravium DD. quos copiosè refert Clarus *dicto loco*, bonoque textu subnixa, & consulat indemnitati, ac utilitati Ecclesiarum pro quarum favore in dubio convenit respondere, *l. sunt personæ, ff. de Religiosis, & sumptibus funerum*, ideò non videtur temerè rejicienda; proinde ad aliqualem dissidentium opinionum conciliationem existimo dicendum, non potuisse quidem ab Imperatore prohiberi, quin ex justa causa, & cum debitis solemnitatibus Emphyteusis Ecclesiastica in perpetuum, etiam pro hæredibus extraneis concedi valeat, *arg. dict. cap. Ecclesia de Constit.* interim in dubio non præsumi datam in perpetuum, & mentionem hæredum restringi ad proximos hæredes sanguinis, filios scilicet, & nepotes, qui jure naturæ sunt heredes, *l. cum ratio*, *ff. de Bonis damnatorum*, ut etiam insinuat Gottofredus *dicto loco*, & allegat Alciatum *lib.* 2. *præsumptionum præsumpt. ultima*, & licet prohibitio *dicta Novella* 6. non possit excludere Ecclesiam à concessione perpetua, potest tamen extraneos hæredes legi Imperatoriæ subditos excludere à petitione, quando ipsis per Ecclesiam expressum pactum factum non est, vel saltem talia verba contractui inserta, ex quibus sufficienter appareat, mentem concessionis fuisse hæredes quoque extraneos comprehendere. Quo sensu etiam exponenda est *Novella* 120. ut jura juribus concordentur ad correctionem jurium evitandam, *cap. cùm expediat* 29. *de Electione in* 6. cum aliàs ista Novella nullius correctionis circa *Novellam* 7. meminerit. Quod verò dicitur, prohibitionem *Novella* 7. esse solummodo circa Ecclesiam Constantinopol. majorem, per textum satis evinci nequit, qui in *dicto cap.* 3. & *in cap. præced.* generaliter de omni Ecclesia, & *omnibus reliquis adorandis domibus* loquitur.

15 Circa Emphyteusin Ecclesiasticam illud adnotandum est, quòd licet ab initio res Ecclesiastica sine debitis solemnitatibus in Emphyteusin dari nequeat, *Extravag. ambitiosa de Rebus Eccles. non alienandis inter Comm.* si tamen *ab antiquo* (saltem ultra 40. annos,) sit solita dari in Emphyteusin, & ab initio cum solemnitate data fuerit, eaque denuo ad Ecclesiam revertatur, possit absque nova solemnitate iterum in Emphyteusin concedi, dummodò non cum minori Ecclesiæ utilitate, *d. Extravag. ambitiosa*, *& cap.* 2. *de Feudis*. Riccius *Praxi aurea parte* 1. *resol.* 26. Imò non præcisè tenebitur Prælatus iterum dare in Emphyteusin, sed poterit in usumfructum concedere, elocare, vel alium contractum desuper facere, ex quo major Ecclesiæ utilitas proveniat: quia res semel facta alienabilis censetur perpetuò esse alienabilis, & meliorem facere conditionem Ecclesiæ Prælatus potest, deteriorem non potest; *capit.* 2. *de Donationibus*. Unde, si priùs Emphyteusis data sit ad certam generationem, & privatis hominibus, non poterit ad Ecclesiam reversa dari in perpetuum sine nova causa, & solemnitate; vel in Civitatem aliamvè universitatem, quæ nunquam moritur; vel in potentiorem, qui sit difficilis conventionis, conferri.

Est verò litigium inter DD. an Emphyteusin ad Ecclesiam reversam valeat Prælatus suis consanguineis concedere? Negativa sententia, quam tenet Harprechtus *in §.* 3. *Institut. h. t. n.* 197. fundatur *in Auth. quibuscunque. Cod. de SS. Eccles. & in Novella* 120. *cap.* 5. ubi œconomis, & venerabilium domorum ordinatoribus, eorumque consanguineis interdicitur, Emphyteusin, & locationes, sive hypothecas rerum ipsis venerabilibus domibus competentium accipere &c. Cujus constitutionis ratio est, ne isti administratores Ecclesiæ fraudem, & damnum inferre possint, *cap. decenter*, *dist.* 89. 16

Verùm dicendum est, non reperiri aliquam constitutionem Canonicam; ex qua consanguinei Prælati debeant esse hac in parte deterioris conditionis, quàm alii, dummodò omnia bona fide, & cum evidenti Ecclesiæ utilitate agantur.

Non obstat dicta constitutio Juris Civilis: quia illa imprimis non loquitur de Prælatis, sed tantùm de œconomis, & similibus administratoribus inferioribus Hospitalium, & aliorum piorum locorum, quorum potestas longè restrictior est, quàm Prælatorum, magisque in illos, quàm in istos cadit fraudis præsumptio. Deinde Prælatos tanquam personas Ecclesiasticas præfata constitutio ex defectu jurisdictionis ligare non posset. Panormit. *libr.* 1. *Consil.* 41. & Fachinæus *libr.* 7. *Controv. cap.* 31.

Utrùm autem Emphyteusim finita generatione aliove casu ad Ecclesiam, vel alium dominum reversam dominus teneatur dare cognatis ultimi Emphyteutæ, si petant, eosque præferre extraneis personis, in utramque partem disputant Interpretes apud Harprecht. *in d. §.* 3. *num.* 208. Etenim affirmativam præter alia argumenta suadere videntur notabiles textus, *in l. Imperator* 60. *ff. de Pactis & in lib.* 1. *ff. de Privilegiis Creditorum* (quæ in Corpore Godofredi est 16. *in Tit. de Rebus authoritate Judicis possidendis*) ubi, si bona debitoris vendantur, in emptione eorum creditores quidem cognatis, cognati autem extraneis præferuntur. Item *in l. jubemus* 3. *§.* 5. *C. de Advocatis diversorum Judicum*, filii advocatorum, si idonei sint, ad officium suorum parentum præmortuorum ante extraneos admittuntur. Resp. cum Andrea Gail. *Pract. Observat. lib.* 2. *observ.* 148. *n.* 3. Harprecht. *d. l.* esse quidem aliquam æquitatem, seu benignitatem, ut dominus in nova concessione Emphyteusis ad se devolutæ extraneos præferat consanguineis ultimi Emphyteutæ, si rem rursus in Emphyteusim concedere, & non pro se aut suis reservare velit: interim in rigore non esse obligationem vel jus petendi ex parte consanguineorum: hæc enim obligatio foret, vel ex *pacto*, vel *lege*; non ex *pacto*, quia supponitur, juxta pactum Emphyteuticum rem esse liberè, & pleno jure ad dominum reversam, consequenter sicut alias quilibet in re sua moderator est, & arbiter *l. in re mandata Cod. Mandati*, & qui jure suo utitur nemini facit injuriam, *l. nullus* 55. *ff. de R. J.* ita etiam in Emphyteusi ad se reversa tanquam de re sua dominus liberè disponere poterit. Sed neque *ex lege* apparet obligatio, quia non habetur hujus rei convincens aliquis textus; imò in *d. Novella* 7. 3. *§. fin.* talis petitio consanguineorum expressè removetur. Adde, quòd juxta communes Juris regulas (quibus tamdiu insistendum, donec contraria exceptio ostendatur) nemo invitus contrahere, aut vendere teneatur, *leg. invitos* 11. *Cod. h. tit. l. invitum & l. dudum Cod. de Contrah. empt.* Quod verò attinet ad textus in contrarium adductos, putarem respondendum, eos loqui de diversis casibus, à quibus tanquam separatis, ut dici solet, non est bona illatio: nam ibi ex publico officio proceditur vendendo bona, & distribuendo officia, hic autem ex privato jure dominii: ibi nihil præjudicatur Judici, si anteferat consanguineos extraneis juxta præscriptum legis, à qua suum officium habet, & dependet, hic autem nimis videretur restringi naturalis facultas dominii, ex quo cuique conceditur disponere de re sua, prout libet. 17

Amittitur Emphyteusis etiam in perpetuum constituta tribus ex causis; nimirùm *canonis seu pensionis intermissa solutione: deterioratione rei Emphyteuticæ; & ejusdem rei citra consensum domini alienatione*.

18 Circa amissionem *ob non solutum canonem* distinguendum est inter Emphyteusim *Ecclesiasticam*, seu ab Ecclesia concessam, & Emphyteusim *privatam*, sive concessam ab aliis privatis hominibus. *Privata* amittitur, si *per triennium* nullus canon solvatur domino, *l.2. Cod. de Jure Emphyteut. Ecclesiastica* verò, si *per biennium cap. fin. hoc tit.* licet dominus ad solvendum non monuerit; quando enim certa dies solutioni præfixa est, ea dicitur pro homine interpellare, nisi tamen Emphyteuta moram purgaverit, & celeri satisfactione sibi consuluerit, *d. cap. fin.* Debet autem hoc biennium, vel triennium esse continuum, ita ut expelli non possit Emphyteuta, qui primo, & quarto anno non solvit canonem, solvit verò secundo, & tertio. Baldus *in authent. qui rem Cod. de SS. Eccles.*

Cæterum intra quantum tempus Emphyteuta moram purgare possit, ut evitet privationem? discrepant DD. Quidam existimant, sufficienter purgasse moram, si citatus ad Judicem non incipiat litigare, sed illicò paratus sit ad solvendum: quæ sententia non videtur convenire *dicto cap. fin.* ubi ad privationem, vel amissionem non requiritur monitio domini, ut dictum. Meliùs proinde dicitur tempus, intra quod conceditur moram purgare, debere esse modicum arbitrio Judicis, vel prudentis viri, ita ut si elapso biennio intra unum, vel alterum mensem pro circumstantia loci, & personarum non venerit cum solutione canonis, is imposterum necessariò audiendus non sit, nisi dominus ultrò jus suum remittere velit. Gloss. *in dict. cap. fin. in verb. celeri, & Panorm. ibid. num. 13.* Censetur porrò dominus remittere jus suum, si sciens, veteres pensiones solutas non esse, novas receperit. Imò etiamsi receperit veteres, non remittere expulsionem ipsius Emphyteutæ, si de ea comminationem, aut saltem protestationem de reservatione sui juris fecisset, quæ tamen protestatio cum receptione novarum pensionum tanquam facto contraria non consisteret. Videatur Barbosa *in Collect. DD. ad cap. fin. h. t. num. 117.* ubi etiam *num. seq.* concludit, Prælatum Ecclesiæ Collegiatæ non posse remittere hanc caducitatem sine consensu Capituli.

19 Ex causa *deteriorationis* amittitur Emphyteusis, si ex dolo, lata, vel levi culpa rem Emphyteuticam notabiliter deteriorem fecerit Emphyteuta, ita ut damnum non sit leve, & forsan modico tempore recuperandum, sed perpetuum, vel saltem annis pluribus non resarciendum: cùm enim primæva natura, & institutio Emphyteusis sit, ut res sterilis melioretur, & ad culturam redigatur, si contrarium accidit, meritò hic contractus rescindi, & annullari debebit. *Novella 120. c. 8. Authent. qui rem Cod. de SS. Ecclesiis.*

20 Ad *alienationem* quod attinet, sciendum est, concedi quidem Emphyteutæ, ut *emponemata*, sive meliorationes suas, quas fecit in re Emphyteutica, sicut, & jus suum in alium transferre valeat, (nisi tamen aliter in instrumento Emphyteutico conventum fuerit) sed ita si prius domino denunciaverit, an ipse pro eodem pretio, quod revera extraneus dare paratus est, emere velit, ejusque declarationem per duos menses expectarit. Quòd si irrequisito dominio Emphyteuta rem vendiderit, & insuper tradiderit, cadet jure suo, & dominus statim ad se recipere poterit, nullo restituto pretio, *cap. fin. hoc t. & leg. 3. Cod. de Jure Emphyt.* atque ibidem DD, & Interpretes.

Notanter autem de venditione loquimur, quia si Emphyteuta titulo lucrativo v. g. donationis, aut legati velit jus suum in alium transferre, communiùs docent (quibusdam tamen dissentientibus) id irrequisito domino fieri posse, *arg. leg. 1. Cod. de Fundo patrimoniali, & in leg. si domus 71. §. ult. ff. de Legatis 1*, ex ea differentiæ ratione, quòd in venditione non intersit Emphyteutæ, quis emat pro eodem pretio, ideòque meritò dominus præferendus sit; in donatione autem ejusdem intersit, cui ex causa gratitudinis, vel receptæ, vel recipiendæ donet, dummodò jus directum domini in omnibus salvum conservetur, & donatarius per authoritatem domini in possessionem inducatur.

Plurimas alias circa hanc materiam controversias movent DD. nullo certo Jure determinatas, & in utramque partem habentes suas rationes, & DD. quæ videri possunt apud Jolium Clarum, Harprecht. & Barb. *cit. locis.* Addatur, & Layman. *in Theolog. moral. lib. 3. tract. 4. cap. 23.* Card. Tuschus *verbo Emphyteusis*. Colendis. D. Collega D. Christoph. *Bluemlacher in Tract. de Jure Emphyteutico, Vitalitio, & Jure precario.* Alvarus Valesius *in Tract. de Jure Emphyteut.* Hodiè quando in moltis per specialia pacta alteratur ordinaria natura Emphyteusis, potissimùm ad consuetudines locorum recurrendum est.

TITULUS XIX.

De Rerum Permutatione.

SUMMARIA.

1 *Permutatio quid*
2 *Quomodo differat à contractibus innominatis, ac cum iisdem conveniat.*
3 *Permutari quæ res possint.*
4 *In permutatione beneficiorum an possit redditnum inæqualitas pecunia compensari?*
5 *Permutatio beneficiorum qualiter facienda.*
6 *Permutatio beneficiorum potest aliquando ab Episcopo juberi.*

1 PErmutatio est contractus, per quem una certa species pro alia præstatur, ut equus pro equo, annulus pro catena &c. Convenit quidem permutatio cum emptione, quòd in utroque contractu ad transferendum dominium agatur, differt autem, quòd in emptione non detur species pro specie, sed quantitas sive pecunia numerata. Ubi adverte, id, quod apud Philosophos dicitur *individuum*, apud J. C. dici speciem, sive corpus, &, quod apud Philosophos dicitur species, id apud J. C. appellari *genus*, vel *quantitatem*, si in numero, pondere, aut mensura consistat.

2 Porrò permutatio quamvis proprium nomen habeat in Jure, & in eo differat à contractu innominato, do, ut des, quòd hic una species detur pro alia in genere v. gr. equus pro alio equo incerto, in permutatione autem una species detur pro alia specie certa, & determinata v. g. hic equus pro hoc equo: item quòd contractus innominati plerumque à DD. censeantur stricti Juris, permutatio autem bonæ fidei, *§. actionum 28. & ibi* Interpretes *Instit. de Actionibus*. Nihilominùs convenit permutatio cum contractibus innominatis, eorumque naturam participat, tum quòd etiam producat actionem *præscriptis verbis d. §. actionum & l. 6. Cod. hoc tit.* tum quòd non perficiatur solo consensu, sicut emptio, & venditio, sed per actualem rei traditionem; quare licet duo convenerint, quòd velint res suas inter se permutare, antequam tamen id actualiter fecerint, pœnitere, & à contractu recedere poterunt, quòd si unus de facto rem permutandam tradiderit, & alter econtra suam tradere nolit, dabitur tradenti actio, ut alter vel vicissim rem tradat, vel acceptam restituat, *l. 1. §. fin. ff. hoc tit. l. 3. & seq. C. eod. tit.*

3 Permutari possunt res omnes, quæ vendi, & econtra, quæ vendi non possunt, etiam permutari nequeunt. Unde sicut res, & Jura spiritualia circa simoniam pro pecunia vendi non possunt, ita nec permutari pro re aliqua temporali, *c. fin. h. t.* Attamen una res spiritualis pro alia spirituali rectè permutatur, ut unum beneficium Ecclesiasticum pro alio, jus decimandi competens in uno loco pro alio altero loco commodiori &c.

4 Quærunt hoc loco Interpretes, an si duo beneficia inter se permutentur, quorum unum habeat majores reditus præ altero, possit iste excessus redituum ab altero permutante pecu-

pecunia, vel alia re temporali compensari? Ratio dubitandi est, quòd tali casu pecunia non detur pro beneficio, & re spirituali, sed tantùm pro reditibus excessivis, qui temporales sunt, atque id ipsum videatur concessum esse *in cap. ad quæstiones 6. hoc tit.* Communior est interpretatio, esse distinguendum, an duæ Ecclesiæ Conventuales, seu Monasteria velint Parochias, aut beneficia sibi unita inter se permutare: vel an duo Clerici beneficiati? Priori casu *ex dict. cap. ad quæstiones*, licitum est, excessum redituum pecunia compensare, quia pecunia datur pro ipsis fundis, & agris, qui temporales sunt, & per incorporationem, sive unionem transierunt in dominium Ecclesiæ Conventualis. Altero autem casu talis compensatio non est licita: cùm enim hic principaliter fiat permutatio quoad titulum, neque agri, & fundi sint in dominio beneficiati, sed is tantùm jus spirituale, vel saltem spirituali annexum habeat, fructus exinda percipiendi, non posset pecunia intelligi data pro ipsis fundis, & agris, sicut in priori casu, sed pro titulo spirituali, & jure, ampliores reditus percipiendi, aliàs absolutè beneficia sine simonia vendi possent, si venditor diceret, se ipsum Titulum beneficii alteri donare, & tantùm reditus annuos vendere, quòd utique absonum, & contra Jura foret. Text. *in c. si quis objecerit causa 1. qu. 3. ibi: quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Videatur Covar. *Var. Resolut. lib. 1. cap. 5. num.* 8. Barb. *in Collectan. ad d. cap. 6. hoc t. num.* 1. Layman. *in Theol. mor. lib. 3. tract.* 10. *c. ult. §. 5. n. 52. & seq.*

Illud tamen concedendum est, quòd si unus Clericus minùs fortè idoneus cum alio magis idoneo suum beneficium pinguius commutet, possit ei cum authoritate Episcopi in beneficio dimisso, quasi per compensationem aliqua pensio ad tempus vitæ constitui. Navarrus *de Simonia consilia* 43. *num.* 4. & diximus superiùs in *Tit. de Præbendis*, & in *Tit. Ut Ecclesiastica beneficia sine diminut. conf.* ex quibus casibus pensiones in beneficiis ab Episcopo constitui possint. Generaliter de hac materia an, & quando pactum pecuniarium in permutationibus, vel resignationibus beneficiorum intervenire possit, vid. Suar. *de Simonia lib.* 4. *cap.* 33. *& seqq.* Layman. *dict. §. 5. num.* 52.

5 Cæterùm Clerici sua inter se beneficia sine consensu Episcopi permutare non possunt, aliàs hoc ipso in pœnam sua beneficia amittent, *cap. cùm olim 7. hoc tit.* Imò præter consensum Episcopi, etiam consensum illorum requirere debent, qui jus conferendi, eligendi, vel præsentandi in talibus beneficiis habent, quibus contradicentibus, vel invitis permutatio facta ipso jure nulla erit, nisi in magnam Ecclesiæ utilitatem cedat Garc. *de Benef. p. 11. c. 3. n. 19. & 21.*

Forma autem, & modus permutandi beneficia est, ut Clerici ea resignent in manus Episcopi exprimentes, quòd id causa permutationis faciant, quo casu arbitrari debebit Episcopus, admittenda ne sit permutatio, vel non, & si admittendam existimaverit, nulli alteri, sed præcisè ipsis permutare volentibus hujusmodi beneficia resignata, conferra potest, & debet. Idque etiamsi essent expectantes, quibus ex gratia Papali beneficium primò vacans debetur, vel etsi in mense Papali, ad manus Pontificis dicta resignatio fiat, quòd non sit absoluta, sed sub conditione permutationis, *c. un. hoc t. in 6. & Clem. unica eodem tit.*

Ultimò hic adnotandum, quòd aliquando Episcopus possit cogere Clericum, ut suum beneficium cum altero permutet, si nimitùm sit minùs idoneus ad administrandum, si causaverit scandalum in populo, inimicitias, & persecutiones patiatur, aut similis aliqua causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ subsit, *cap. quæsitum, & ibi* Panorm. *num. 7. & 8. hoc tit.* Parisius *de Resig. benef. l. 5. q. 3. n. 153. & seq.*

TITULUS XX.

De Feudis.

HÆc materia feudalis in Jure quidem Can. duobus tantùm capitulis in hoc Titulo attingitur, in Corpore autem Juris Civilis ad finem duobus libris, & pluribus titulis pertractatur. Propter utilitatem materiæ in foro tam Ecclesiastico, quàm Civili frequentissimam, ea, quæ principaliora sunt, breviter explicabimus, reliqua apud copiosos feudorum Interpretes legi poterunt, cùm plurima incerti prorsus, & dubii Juris sint.

---

§. I.

Quid, & quotuplex sit Feudum.

S U M M A R I A.

1 *De feudorum origine, & libris feudalibus.*
2 *Feudi definitio.*
3 *Vasallus habet dominium utile.*
4 *Juramentum fidelitatis qualiter præstandum, ad quid obliget, & contra quas personas?*
5 *Vasallus ad qualia servitia teneatur.*
6 *Feudum aliud proprium seu rectum, aliud improprium seu degenerans.*
7 *Feudum aliud novum, aliud antiquum, & quid inter utrumque intersit.*
8 *Feuda alia personalia, alia ex pacto, & providentia, alia hereditaria.*
9 *Feuda alia Ecclesiastica, alia sæcularia.*
10 *Feudum aliud Regale, aliud nobile, aliud ignobile.*
11 *Feudum aliud ligium, aliud non ligium.*
12 *Allodia seu allodialia bona, quæ dicantur.*

Alia Summaria post §. 2.

PRænotare in primis oportet, diversas esse DD. opiniones de *feudorum* origine, dum alii à Romanis, 1
alii à temporibus Justiniani, alii à Gallis derivant. Sed magis receptum est, à Longobardis, qui Italiam occuparunt, diuque possederunt, propriè instituta fuisse: in ipsis namque feudorum libris sæpiùs mentio fit Longobardorum, & legum Longobardicarum, ut *in cap. 1. de Feudi cognitione, & c. 1. de Contentione inter Dominum, & fidelem.* Et multa vocabula feudalia arguunt linguam Longobardorum, quos Germanos, aut Germaniæ vicinos fuisse asserunt; velut Morgenatica, Marchia, Marchio &c. licet etiam antiquitus, & apud alias Gentes extiterint aliqui contractus, speciem quandam feudorum præseferentes. Fach. *lib. 7. controvers. c.* 1. Harpr. *in Annot. ad Julium Clarum in §. feudum quæst.* 1. *num.* 11.

Ipsum porrò jus feudale in Corpore Juris Civilis existens ab incertis Authoribus potissimùm ex usibus, & moribus compilatum est: unde etiamnum hodie jus *consuetudinarium* censetur, & Libri feudorum *usus feudorum* frequenter à DD. in allegationibus suis vocantur; exceptis quibusdam constitutionibus Imperatoriis insertis, quæ ad jus scriptum pertinent. Quia tamen longissimo, & immemoriali usu totius Orbis Christiani in judicio, & extra, hoc jus feudale receptum, & practicatum est, ideò non immeritò authenticum ad causarum feudalium (& aliarum saltem in defectu, ubi à Jure communi secus dispositum non est) decisionem habetur. Clarus, & Harpr. *d. §. feudum quæst.* 2. *&* 3. Obligat etiam Ecclesiasticos, qui feuda possident, ratione illorum bonorum feudalium, *cap. cæterum 5. de Judic. & cap. ex transmissa 6. de Foro competenti.*

Illud quoque advertendum, in antiquis Juris Corporibus tantùm extare duos feudorum libros, in recentioribus

verò opera Cujacii J. C. alios superadditos fuisse, quorum apud DD. ambigua est authoritas.

2 *Feudum* igitur à *fide* seu *fidelitate* sic appellatum. *Tit. Per quas fiat investitura, in fine*, rectè describi potest, quòd sit *benevola rei immabilis concessio cum translatione dominii utilis, sub abligatione fidelitatis, & servitiarum honestarum*. Is qui feudum concedit, dicitur Dominus vulgo *der Leben: Herr*, is verò qui accepit, dicitur Vasallus, vulgò *der Leben mann*. vel *Leben: Trager*.

Dico I. Feudum esse *benevolam concessionem*, est enim feudum species beneficii, & ordinariè gratis concedi solet à Domino, ut is pro suo honore conservando, vel augendo Vasallum sibi ad fidelitatem, & servitia obligatum habeat, *arg. cap. I. de Feudo dato in vicem legis commissoria*. Interim tamen non est de substantia feudi, ut merè gratuitò fiat: nam etiam feudum emi posse constat *ex c. unica de Natura feudi, & cap. unico de Beneficio fratris*, Dummodò minori pretio ematur, quàm in se valeat, ut adhuc speciem beneficii retineat.

Dico II. Esse *concessionem rei immobilis*, quo nomine non tantùm veniunt res corporales, & solo cohærentes, ut castra, & prædia, sed etiam jura incorporalia, quæ immobilibus accensentur, ut jura piscandi, venandi, jurisdictionem exercendi, vectigalia accipiendi, & similia.

3 Dico III. In feudo transferri *dominium utile*: nam directum penes dominum, qui feudum concedit, remanet. Dicitur autem Vasallus habere *utile dominium*, quia majus jus habet, quàm usufructuarius: jus enim usufructuarii cum persona extinguitur, feudum autem, etiam ad heredes transit. Item usufructuarii jus ita personale est, ut alteri cedi non possit, sed hoc ipso, quòd usufructuarius velit jus suum in alium transferre, exspiret ususfructus, & ad Dominum proprietatis revertatur, *l. si ususfructus 66. ff. de Jure dotium*, sed vasallus feudum acceptum alteri elocare, imò per modum feudi concedere, & ita alium subinfeudare potest, *c. unico. Per quos fiat investitura, & c. un. §. similiter de Lege Corradi*, qua de re inferiùs plura dicentur. Denique pro re feudali contra quemcunque possessorem etiam contra ipsum dominum, eam in præjudicium Vasalli detinentem datur vindicatio teste Zasio *de Feudis p. 6. n. 36.* quæ actio illi tantùm competit, qui dominium in re prætendit, *leg. in rem 23. ff. de Rei vind.*

4 Dico IV. Vasallum obligari, *ut domino sit fidelis*, id est, quòd nihil contra dominum machinari, sed eum consilio, & auxilio juvare velit: hinc feudum à fide sive fidelitate derivatum superiùs diximus. Ad quem finem regulariter (nisi dominus ultra remittere velit) *juramentum fidelitatis* præstare debet Vasallus. Quòd juramentum qualiter præstandum sit, in consuetudine potissimùm cujuslibet Regionis, partiumque conventione positum est. In Germania brevem formam usitatam dicit Zasius *p. 7. n. 16.* quòd Vasallus utilitatem domini procurare, incommoda propellere, & in causis feudalibus coram ipso respondere velit. Sed licet juramentum istud exactum non fuerit, nihilominus ad fidelitatem Vasallus obligatur, quia ea est de natura, & substantia feudi.

Non tamen contra omnes ex causa fidelitatis Vasallus dominum adjuvare tenetur, quidam enim excepti sunt, veluti Imperator, vel Rex Romanorum, *2. feudorum t. 55. in fine*. Similiter, & S. Pontifex tanquam Pater, & superior universalis Ecclesiæ, *arg. cap. venientes 19. X. de Jurejur.* Item Dominus antiquior, à quo Vasallus jam priùs aliud feudum accepit *2. Feudorum tit. 28. in fine*, Adversus Patriam quoque, & sua propria bona Vasallus Dominò assistere non tenetur, Anne contra proprium Patrem? Id videtur affirmari *in d. tit. 28. in fine*, sed quia Patri jure naturali debetur obsequium, & major fidelitas, quàm Domino, ideò ille textus congruè explicari potest de Patre, fratre, aut filio ipsius Domini, non verò ipsius Vasalli; & quidem tantùm in eum casum, quo Dominus dictas personas ex causa publicæ utilitatis, vel alia justa impugnare potest, aut se se contra ipsos defendere necesse habet, quia generaliter Vasallus in re inhonesta, & contra bonos mores Domino non obligatur, *cap. fin. X. de Pactis*. Hæreticum etiam Dominum factum, vel excommunicatum, vel bannitum vasallus interim, quamdiu hæresis, excommunicatio, vel bannum durat adjuvare non tenetur, *d. tit. 28. in princ.* Vid. Julius Clarus, & Harpr. *in d. §. feudum quæst. 21.* Schraderus *de Feudis p. 6. cap. 5. per tot.*

Dico V. Vasallum teneri *ad servitia honesta Domino exhibenda*. Quænam verò sint talia servitia, principaliter ad pacta, & conventiones, item speciales locorum consuetudines attendendum erit. Cæterùm de Jure feudali servitiorum nomine obligatur Vasallus (ita tamen, si à domino requisitus fuerit) ut dominum euntem ad bellum sequi, & pro eo etiam propriis sumptibus, si feudum pingue sit, pugnare, vel alium æquè idoneum sui loco substituere, vel certè mediam partem fructuum feudalium ejus anni Domino pro continuatione belli subministrare debeat, *c. 1. §. firmiter de Prohibita feudi alien. per Fridericum*. Sed hoc si bellum sit justum, sin autem injustum fuerit, Vasallus Domino servire non tenetur, nec debet, nisi tantùm ad defensionem ejus, non vero ad offensionem injustam alterius. Si dubitetur justumne sit bellum, an injustum, servitia præstanda erunt, quia in dubio superius mandatum præsumitur esse justum. 5

Quod attinet ad divisionem feudorum *prima*, & principalis est, quòd feudum aliud sit *proprium*, aliud *improprium*, sive *degenerans*. Proprium dicitur, quod in omnibus veram naturam feudi retinet: ut quòd sit super re immobili, quòd detur pro heredibus masculis, & sub obligatione fidelitatis, & servitiorum, quòd ordinariis modis acquiratur, & amittatur. Improprium verò, in quo per pacta specialia à propria natura feudorum recessum est. Cujusmodi sunt feuda *fœminea*, in quibus fœminæ etiam succedunt: Feuda *franca*, in quibus nulla servitia præstantur: feuda ad vitam tantùm concessa, ut feudum *Soldata, Camera, Cavena*, quando ex Camera, ærario, vel de victualibus Principis alicui pro certis servitiis præstitis, aut præstandis quasi merces ad vitam constituitur, de quibus est textus, *in c. unica §. fin. Quis dicatur Dux &c.* In dubio autem omne feudum præsumitur rectum, & proprium: & si forsan in uno denegeret, in reliquis tamen adhuc propriam naturam retinet, *c. un. de Feuda non habente propriam naturam*. Unde licèt ad substantiam feudi scriptura non requiratur, qui tamen feudum improprium accipit, curare debet, ut scriptura desuper fiat, aliàs in dubio feudum ordinarium, vel proprium censebitur. 6 7

Secunda divisio est, quòd feudum aliud sit *novum*, aliud *antiquum*. Feudum *novum* dicitur, quòd noviter à Domino collatum est, *antiquum* verò, quòd jam per successionem à primo acquirente ad alios devolutum. Faciunt quidem nonnulli differentiam inter feudum *antiquum*, & *paternum*: antiquum illud appellant, quod ab aliquo ex ascendentibus ultra quartum gradum obtentum est: paternum verò, quod à Patre, Avo, Proavo, vel Abavo; sed communiùs feudum paternum, & antiquum inter se confunduntur, cùm quoad effectus juris vix sit aliqua differentia. 8

Porrò inter feudum novum, & antiquum hoc interest, quòd in feudo novo soli descendentes, id est, filii, & nepotes, nulli autem collaterales succedant, sed si Vasallus moriatur non relictis descendentibus, feudum novum ad Dominum revertatur: in feudo autem antiquo etiam fratres, & reliqui collaterales ad successionem admittantur, item si Vasallus feudum novum renuntiaverit, vel sine consensu domini alienaverit, id ad dominum revertitur, nisi pater filio in vivis renuntiaverit *c. un. de Vasallo decrepita ætatis*; feudum autem antiquum renuntiatum, aut malè alienatum ad agnatos devolvitur, quia ipsis jam ex antiquis investituris jus quæsitum est in tali feudo, cui Vasallus præjudicare non potuit, *c. 1. Si de feuda defuncti contentia sit &c.*

Nihil tamen obstat, quin dominus possit feudum novum per modum, & jure veteris concedere, cùm quilibet in re sua sit moderator, & arbiter, *l. in re mandata 21. Cod. mandati*, & contractus ex conventione legem accipiant, *c. contractus 85. de R. J. in 6.*

Tertia feudorum divisio est, quòd aliqua sint *personalia*, aliqua *feuda familia*, sive *ex pacte, & providentia*, vulgo *Stammen, Leben*, dicta, & aliqua *hereditaria*. *Personalia* dicuntur, quæ personam primi vasalli non egrediuntur, ut sunt feudum cameræ, soldatæ, & similia. *Feuda familia*, seu *ex pacta, & providentia* vocantur illa, quæ concessa sunt in favorem, & ad conservationem certæ alicujus familiæ, ac in quibus tantum agnati masculi à

primo

primo vasallo descendentes succedunt. Feuda demum *hereditaria* dicuntur, in quibus non solùm agnati primi vasalli, sive acquirentis, sed etiam quicunque hæredes extranei ab intestato, vel ex testamento venientes succedere possunt.

9 *Quarto* dividuntur feuda *in Ecclesiastica*, & *Sæcularia*. Ecclesiastica dicuntur, quæ ab Ecclesiarum prælatis ex bonis ad Ecclesiam spectantibus constituuntur; sæcularia verò, quæ à principibus, vel dominis sæcularibus, aut etiam Ecclesiasticis, de bonis tamen patrimonialibus, & temporalibus, dantur: nam hic non tam persona constituens, vel accipiens feudum, quàm res ipsa in feudum data, sitne Ecclesiastica, vel Laicalis, spectatur. Unde multi Episcopi, & Prælati Ecclesiastici, qui specialia territoria in feudum ab Imperatoribus acceperunt, ratione istorum territoriorum considerantur ut Vasalli cæteri sæculares, & ut Princeps ac Status Imperii. Unde, & jus gladii, quod utique tanquam Ecclesiasticis non competeret, aliaque jura exercere possunt. Andreas Gail. *Lib.* 1. *observ.* 32. *n.* 4. *& seq.*

10 *Quinta* divisio est, quòd feudum aliud sit *Regale*, aliud *Nobile*, & aliud *Ignobile*. *Regale* dicitur, quod ab Imperatore cum annexa regali dignitate, id est, cum jure Regalium, de quibus in *Tit. feudorum*, *Quæ sint regalia*, conceditur, veluti Ducatus, Marchionatus, Principatus, aut Comitatus. Feudum *Nobile non Regale* dicitur, quod personam accipientis nobilitat, sine jure regalium, sive deinde ab Imperatore, sive ab inferioribus Principibus jus nobilitandi habentibus concedatur; vel quod tantùm Nobilibus concedi solet. *Ignobile* denique feudum dicitur quod nullam dignitatem, vel nobilitatem annexam habet, ut si alicui pagus, domus aut prædium in feudum concedatur.

11 *Sexta*, & ultima divisio est, quod feudum aliud sit *ligium*, aliud *non ligium*. Videtur hoc nomen derivatum à verbo *liga*, quod italis fædus, & societatem arctissimam significat. Quare feudum *ligium* dicitur illud, in quo Vasallus specialiter uni domino obligatur, ut ei militare, & servire teneatur contra quemcunque alium nullo prorsus excepto, *c.* 1. *de Feudo ligio*, & juramentum summæ hujus fidelitatis speciali nomine *homagium* appellatur, & jurans *se hominem alterius facere* dicitur, prout *in Clem. Pastoralis 2. de Sentent. & de Re judicata*. Rex Siciliæ dicitur: *homo ligius Ecclesiæ Romanæ*. Hujusmodi autem feuda *ligia* nonnisi à summis Principibus superiorem non recognoscentibus dati possunt; aliàs enim necessario superior dantis in juramento fidelitatis excipi deberet. Item nemo potest à duobus Regibus feuda ligia habere: quia necessariò alterum à fidelitata exciperet. Romanus tamen Pontifex etiam in feudo ligio exceptus intelligitur, ut contra ipsum fidelitas jurari non possit *arg. c. venientes* 19. *de Jure jurando* Joann. Kopen, *Juris feudalis observ.* 2. *nu.* 33. Feudum *non ligium* vocatur, ex quo Vasallus ita debet fidelitatem domino, ut tamen alteri ex eadem, vel alia causa similem fidelitatem præstare valeat. Clarus *in §. feudum q.* 11. & ibi Harprechtus *in additionibus*. Neque omne feudum, quòd à summis Principibus datur, *ligium* est, nisi expresse id investitura, vel juramento fidelitatis contineatur: cùm enim qualitas feudi ligii sit supra communem naturam feudi, ideòque ex speciali conventione dependens, & facti, in dubio non præsumitur. Kopen *d. n.* 35.

12 Feudis opponuntur *Allodia*, de quibus est titulus 54. *in Lib. 2. Feudorum*. Dicuntur autem *Allodia*, quæ sunt cujuscumque propria absque recognitione alterius domini directi, Germanis nostris *freyeigene Guter*. Quidam hoc verbum planè peregrinum censent, alii compositum ex particula privativa *ab*, & verbo *laudare*, quod Juris-Consultis significat authorem, vel dominum nominare, *l. authore 7. C. de Evictionibus*, ut sensus sit *absque laudatione*, seu alterius domini recognitione. Et in his bonis propriè locum habet, quòd in re sua quilibet sit moderator, & arbiter, *vulgat. l. in re mandata* 21. *C. Mandati*, cæteris tamen paribus, si scilicet homo sui juris existat, liberam administrationem habens, nec aliqua speciali lege, vel conventione prohibeatur.

§. II.

Quibus modis Feudum acquiratur.

SUMMARIA.

13 *Feudum quot modis acquiratur, & inprimis de pacto, & investitura feudi.*
14 *Feudum an, & qualis sit contractus.*
15 *De subinfeudatione.*
16 *De investitura feudali.*
17 *Feudum qualiter præscriptione acquiratur.*
18 *In feudis regulariter non habet locum dispositio testamentaria.*
19 *Agnatus potest repudiata hæreditate feudum petere, non autem filius.*
20 *Fœminæ regulariter in feudis non succedunt.*
21 *Fœminæ an succedant in feudo franco, vel empto, vel Ecclesiastico? Remissivè.*
22 *In feudis tantum succedunt naturales, & legitimi filii, non verò naturales tantum; & quid de legitimatis.*
23 *Filii adoptivi excluduntur à feudis, item, & natura imperfecti.*
24 *Clerici, & Religiosi an succedant in feudis.*
25 *Filius exhæredatus an possit in feudo succedre.*
26 *Ascendentes regulariter non succedunt in feudis, fallit ut ibi.*
27 *Collaterales qualiter in feudis succedant.*
28 *Fratrum filii an in stirpes, vel capita succedant?*
29 *Frater Germanus non excludit consanguineum in feudis.*
30 *Collaterales an in feudis admittantur in infinitum, & qualiter computentur gradus? Remissivè.*
31 *An in uno feudo plures simul admittantur ad successionem?*
32 *Vir, & uxor an succedant sibi in feudo?*
33 *Filius non succedit in feudo.*

TRibus potissimùm modis feudum acquiritur scilicet pacto cum investitura, præscriptione, & successione.

De pacto, & investitura.

PActi nomine hic intelligitur contractus feudalis, quo dominus alicui rem suam jure feudi concedit, sive deinde id fiat gratis, & speciem habeat donationis, sive pro pecunia aut re alia, & speciem habeat venditionis, vel permutationis. 13

Dico; *Contractus feudalis*: nam quòd feudum sit *contractus* consuetudine, sive jure feudali *nominatus*, continens mutuam obligationem domini ad tradendum feudum, & Vasalli ad fidelitatem, & servitia, cum Barth. & aliis tenet Clarus *in dicto §. feudum quæst.* 6. atque in eo tanquam nominato non habere locum poenitentiam, addit Harprechtus *ibidem sub num.* 5. Videtur etiam, utpote proximè ad emphyteusin, locationem, emptionem, & donationem accedens *solo consensu* perfici, *arg. c.* 1. *in fine*, *Qui successores feudum dare teneantur*, ubi promissio de feudo obligat promittentem. 14

Præterea non tantum dominus directus alteri in re sua feudum constituere, sed etiam ipse Vasallus in re feudali & quidem sine consensu domini alium subinfeudare potest, *cap. unico de Lege Corradi*: ita tamen ne fiat in fraudem prohibitæ alienationis *cap.* 1. *§. callidis de Prohibit. alien. per Frideric.* vel in fraudem domini, aut agnatorum quo minùs ad eos resoluto jure dantis feudi jus devolvatur. Item ut Domino directo servitia per vasallum, aut subvasallum debitè præstentur. Vid. Vult. *de Feud. lib.* 1. *c.* 10. *n.* 138. *& seq.* & passim Feudistæ. 15

Sed quemadmodum in aliis contractibus non solis pactis, sed traditionibus dominia rerum transferuntur, *l. traditionibus Cod. de Pactis*, ita etiam in contractu feudali traditio accedere debet, quæ speciali nomine *investitura* appellatur.

Est autem *investitura*, alia propria, alia impropria. 16

siva

sive abusiva. Propria dicitur, quando vasallus actualiter in possessione rei feudalis introducitur; Impropria verò, quando in curia domini vexillum, hasta, sceptrum aut aliquid simile traditur vasallo, exprimendo verbis idoneis, quòd hoc intentione investiendi, & feudum concedendi fiat; atque hæc impropria investitura necessariò coram Paribus curiæ, idest, coram aliis vasallis saltem duobus, qui ab eodem domino feudum obtinent, fieri debet, nisi dominus nullos alios vasallos haberet, vel propter distantiam locorum advocare non posset, vel ipsi venite recusarent, aut feudum Ecclesiasticum sit, aut forsan consuetudo, & stylus Curiæ in contrarium; quibus casibus investitura etiam coram aliis testibus rectè conceditur, *c. quid sit investitura, & cap. un. Si de investitura inter dominum, & vasallum lis oriatur*. Quandonam autem renovatio investituræ petenda sit, inferiùs *in §. 3.* explicabitur.

De præscriptione Feudi.

17 Feudum præscriptione acquiritur, si quis rem domini tanquam feudalem per triginta annos possederit, & se pro vasallo gesserit, fidelitatem, & servitia præstando, *c. si quis per 30. Si de feudo defuncti &c.* Sed hoc, si adversus dominum sæcularem feudum præscribatur: nam contra Ecclesiam, vel Monasterium ex communiori sententia præscriptio 40. annorum requiritur, arg. *auth. quas actiones C. de SS. Ecclesiis c. ad aures, & passim X. de Præscriptionibus*.

In hac autem præscriptione licet titulus non requiratur, sicut nec in quavis longissimi temporis, nisi jus resistat præscribenti, quod non fit in proposito, *cap. 1. de Præscript. in 6.* bona fides tamen requiritur: etenim Jure Canonico, quo hac in parte, tanquam in materia peccati, Jus Civile corrigitur, nulla valet absque bona fide præscriptio, *cap. fin. de Præscript. cap. possessor 2. de R. J. in 6.*

Porrò sicut res Domini, ita etiam ex contrario res propria Vasalli à Domino tanquam feudalis præscribi potest, si nimirum Dominus per 30. annos ab ipso tanquam Vasallo suo servitia exegerit; sunt enim ista correlativa, ideoque statutum in uno, censetur etiam statutum in altero, *l. fin. C. de indicta viduitate tollenda*. Vid. Vultejus *de Feudis lib. 1. c. 11.* Julius Clarus *in d. §. feudum q. 45. & ibi* Harpr. *in addit.*

An vero vice versa res feudalis per præscriptionem fieri possit allodialis, si à Vasallo vel tertio, in quem alienatio talia rei feudalis contra jura facta est, tanquam allodialis longo tempore possideatur, inferiùs *in §. 3.* dicetur.

De Successione in Feudo.

18 Quamvis circa res allodiales duo modi succedendi sint, unus ex testamento, & alter ab intestato, in feudis tamen regulariter nulla successio ex testamento, sed ab intestato ex jure sanguinis locum habet, nisi feudum ita à Domino concessum fuisset, ut id liceret in quoslibet hæredes quocunque modo legitimo transferre *cap. un. in princ. de Successione feudi*.

Cæterùm ne quidem parens inter liberos ita disponere potest, ut in feudo inæqualiter succedant, vel unus solus feudum possideat, & quasi præ legati jure habeat, nisi feudum mere hæreditarium sit, ut dictum. Schrader. *de Feudis p. 7. c. 2. n. 3. & 12.*

19 Item etsi Vasallus illum agnatum, ad quem aliàs post mortem suam Feudum devolveretur, in testamento heredem scripserit, is tamen repudiata hæreditate v. g. propter æs alienum, & onera hæreditaria, solum feudum petere poterit; dummodo filius non sit: nam filius hæreditatem Patris repudiare, & feudum agnoscere non potest *c. un. An agnatus, vel filius &c.* Rationem disparitatis assignat Vultejus *lib. 1. cap. 9. num. 237.* quòd filius habeat feudum saltem aliqualiter ex beneficio Patris, à quo genitus est, adeoque durum sit, ut per repudiationem hereditatis paternæ ejus memoriam negligat; & bona forsan subhastari faciat; agnatus autem non habeat ex beneficio testatoris, sed primi acquirentis, licèt verò de jure communi hæreditas pro parte adiri non possit, sed vel tota adiri, vel tota repudiari debeat, *l. 1. & 2. ff. de Acq. vel amitt. hered.* dicendum tamen est feudum ex antiquis pactis, & investituris debitum, separatum quid esse, & diversum ab hæreditate. Vid. etiam Fachin. *lib. 7. Controv. cap. 5.*

Successio igitur in Feudo, quæ ab intestato, seu ex jure sanguinis defertur, triplicem ordinem habet, nimirùm *Descendentium*, ut filiorum, & nepotum: *Ascendentium*, ut Patris vel avi: *Collateralium*, ut fratrum, & aliorum consanguineorum.

De successione feudali Descendentium.

Successio feudalis omnium primo debetur descendentibus, id est, filiis, & nepotibus, utpotè quos sicut in aliis bonis ratio naturalis, & votum parentum ad successionem vocat, *l. cum ratio ff. de Bonis damnatorum* atque in eo convenit jus feudale cum jure communi, quòd in linea descendentium locum habeat jus repræsentandi, & si adsit filius Vasalli defuncti, ex alio autem filio prædefuncto nepos, hic nepos repræsentet patrem defunctum & una cum filio succedat *c. un. in princ. & ibi DD. de Successione feudi*,

Differt tamen jus feudale à communi, quòd de jure communi filii, & filiæ nulla habita sexus differentia ad successionem admittantur. *Nov. 118. cap. 1. & 4.* de jure feudali autem regulariter fœminæ, & ex linea fœminea descendentes excludantur à successione feudi; nisi feudum fœmineum sit, id est, specialiter pro fœminis datum, vel saltem mixtum, quòd Dominus expressè pro filiis, & filiabus contulit, *cap. unico de Feudo Fœminæ cap. unico de Natura & successione feudi cap. 1. §. & quia vidimus. De his, qui feuda dare possunt*. An autem eo casu, quo feudum fœmineum, aut mixtum, excludatur fœmina per masculos etiam remotiores in gradu, nec admittatur, nisi masculis, sive agnatis, sive cognatis deficientibus? vid. text. *in d. c. un. de Feudo Fœminæ c. 1. §. ultimo de Successione feudi c. 1. De eo, qui sibi vel heredibus, &c.* Fachin. *lib. 7. Controv. c. 42.* 20

Similiter an fœmina semel à successione feudi per masculum exclusa perpetuò exclusa maneat, licèt ille masculus sine aliis heredibus decesserit, vid. textus *in lib. 1. feudorum t. 6. §. 1. &* Fachin. *d. lib. 7. c. 5.* Si tamen fœmina ex defectu masculorum semel feudum adepta, id retineret, licet ex post facto masculus nasceretur, quia jure quæsito nemo sine culpa privandus, & effectus jam in suo esse constitutus non cessat, licèt res deveniat ad eum casum, à quo incipere non potest *cap. factum 73. de Reg. J. in 6.* Zasius *de feudis p. 8. num. 53.* Uno tamen in casu, inquit Vult. *d. c. 9. n. 79.* Masculus etiam postea natus fœminam à feudo excludit, si nimirùm defunctus nullum quidem masculum, sed tamen uxorem prægnantem reliquerit, & illa postea filium pepererit, nam fictione juris is, qui in utero est, pro jam nato habetur, quando de ejus commodo agitur *l. 7. & l. penul. ff. de statu hominum*.

Rationes autem cur fœminæ à feudis excludantur, variæ à DD. assignari solent, quarum præcipuæ sunt, quòd ex primæva natura feudi finis, & obligatio ejus sit, præstare Domino servitia militaria, servare fidelitatem, injurias ipsius propulsare, inter Pares Curiæ considere, & in causis feudalibus judicare &c. quæ omnia fœmineo sexui non conveniunt, alienam enim suscipere defensionem virile officium est *l. alienam 18. C. de Procur.* sicut, & judicium, ac munera publica subire *l. 2. ff. de R. J.* Quòd si feudum sit ex pacto, & providentia ad conservationem certæ familiæ datum, eo ipso excluduntur fœminæ, quia per ipsas familiæ nomen non conservatur; cùm per nuptias in alienam familiam transeant.

De feudo franco, item de feudo empto, an in his fœminæ succedant, vid. Clarus *in §. feudum q. 73. n. 7. & 8. & ibi* Harpt. *in Addit.* Fachin. *7. Controv. c. 37. & 39.* ubi pro utraque sententia sunt DD. & rationes. 21

In feudo etiam Ecclesiastico nullo speciali admissionis jure fœminas gaudere, nisi investitura, aut consuetudo aliud suadeat, tradit Harpt. *d. l. n. 13.* ubi dicit, hanc esse communem, & veram doctrinam,

Porrò filii, qui ad successionem feudalem vocantur 22 debent esse *naturales, & legitimi simul*, id est ex justis nuptiis procreati. Quare imprimis excluduntur *naturales*

rales

rales tantùm, seu ex concubina progeniti, de quibus est tex. *in §. naturales. Si de feudo defuncti content. sit*. Ubi dicitur, *naturales filii licet postea fiant legitimi, ad successionem feudi nec soli, nec cum aliis admittuntur*.

Verùm illa verba: *licet postea fiant legitimi*, communius DD. de legitimatis per rescriptum Principis, vel Comitem Palatinum, adeoque per factum hominis, per quod alteri jus suum auferri non debet, intelligunt (nisi, & hic cum consensu domini, & agnatorum, si Feudum antiquum sit, aut ex plenitudine potestatis concurrente publica causa expressè ad Feuda naturales legitimarentur. Fachin. *d. lib. 7. c. 49. & seq.*) non autem de legitimatis legitimatione juris communis, scilicet per subsequens matrimonium, qui legitimè natis comparantur text. & DD. *in c. tanta ubi* Barb. *in Col. n. 17. X. Qui filii legitim. sint, & in Novell.* 28. *cap. reliqui* 8. Minsing. *Centur. 5. Obs. 42. n. 2.* ubi ex præjudicio Cameræ dicit veriorem, & receptiorem sententiam, eamque cum plurimis allegatis DD. rationibus, contrariorum resolutionibus, tuetur Harpt. *ad Princ. Instit. de Hæredit. quæ ab intest. n. 315. & seqq.* Fachin. *d. lib. 7. c. 51.* Adde Menoch. *de Præsumpt. lib. 4. præsumpt.* 82.

23 Adoptivi etiam filii à successione feudi excluduntur, *§. adoptivus. Si de Feudo defuncti contentio sit.* ne fortè invitus Dominus alium, quàm voluerit, Vasallum acquirat, ut in simili dicitur, *in c. un. in fin. de Fratrib. de novo beneficio investitis*, & sicut nemini jus suum absque publica causa auferendum, *l. rescripta 7. C. de Precibus Imperatori offerendi*, ita etiam ne quidem cum consensu Principis in Præjudicium Domini, & agnatorum arrogari aliquis extraneus cum hoc jure potest, ut in Feudis succedat *arg. l. 4. & 5. ff. de Natal. restit.* Harpt. *ad Princ. Institut. de Hæreditat. quæ ab intestato n.* 257. Præterea filii muti, surdi, cœci aut similiter imperfecti, &c. Feudorum incapaces sunt, ut habetur in *Tit. Feudorum. An mutus, vel imperfectus &c.* Item *in §. mutus titul. Episcoporum, vel Abbatum &c.* nisi esset Feudum, in quo nulla præstarentur personalia servitia, nec teneretur Vasallus in Curia Domini comparere. Pluribus hos textus explicat Fachin. *d. lib. 7. c. 34.*

Circa filios Clericos, & Religiosos, an in Feudis succedere, vel etiam potiùs obtenta post assumptum statum Clericalem, vel Religiosum retinere valeant? diversi sunt juris feudalis textus, & DD. opiniones.

24 Etenim §. *qui Clericus. Si de Feudo defuncti contentio, &c. in c. unico v. ex hoc de Feudo fœmina, c. unico de Vasallo milites, qui arma bellica deposuit c. unico in fine An mutus, vel imperfectus &c.* generaliter Clerici, & Religiosi Feudorum incapaces pronunciari videntur, *cùm desinat esse miles sæculi, qui factus est miles Christi: nec beneficium pertineat ad eum, qui non debet gerere officium* ut dicitur *in d. c. un. de Vasallo militia &c.* Econtra quòd etiam Clerici, & Religiosi Feuda tenere possint, probatur *ex c. unico §. fin. de Capitulis Corradi* in illis verbis: *Item si Clericus, veluti Episcopus, Abbas, beneficium habens à Rege datum non solummodo persona, sed Ecclesia, &c.* Pariter *ex c. verum 7. X. de Foro compet.* ubi Præpositus super feudis de quibus fuit conventus, jubetur coram Imperiali judicio respondere. Unde Canonistæ *ex eod. c. verum, & c. ex transmissa eod. t.* generalem conclusionem inferunt, quòd clerici in caussis feudalibus coram Domino Feudi etiam sæculari rectè conveniantur, Gloss. *in d. c. verum, & ibid.* Panorm. *n.* 2. & 13. Confirmat quoque communis usus Germaniæ, ubi Episcopi, & alii Prælati Ecclesiastici Principatus, & territoria in feudum ab Imperatore accipiunt. And. Gail. *lib. 1. pract. Observ. observ. 30. n. 4. & 6.*

25 Ex his igitur posterioribus fundamentis dicendum est, Clericos, & Religiosos, qui scilicet bona in communi possident, absolutè feudorum incapaces non esse, præsertim si sint feuda franca, vel in quibus servitiorum loco pecunia, & census annuos præstatur, & multò magis, si Dominus ultro velit eosdem feudo investire, vel in feudi retentionem consentiant. Textus verò supra pro negativa allegati explicari possunt de talibus feudis, ubi personalia, vel talia servitia exiguntur, quæ per Clericos aut Religiosos decenter impleri nequeunt. Quòd si vasallus ingrediatur monasterium, feudum regulariter tantùm quoad vitam illius penes monasterium manebit, ne domini conditio durior constituatur, cùm monasterium nunquam moriatur, & feudum ordinariè non ad quosvis, sed tantùm ad hæredes sanguinis pertineat. Exceptis etiam feudis regalibus scilicet Regno, Ducatu, Comitatù, & similibus, quæ non transeunt ad monasterium, vivente quoque vasallo. Videatur Barbos. *Juris Ecclesiast. univ. lib. 3. c. 31.* Julius Clarus *in §. feudum q. 70.* Fachin. *d. lib. 7. c. 35.*

Demùm an filius exheredatus saltem in feudo succedere possit? iterum discrepantes sunt DD. opiniones, de quibus videatur Clarus, & Harpt. *in Addit. d. l. quæst.* 47. Schrad. *de Feud. p. 7. c. 3. n. 36.*

De successione Ascendentium.

Ascendentes, nimirùm pater, avus, & reliqui in feudo regulariter non succedunt: nisi contrarium in investitura expressè dictum, vel consuetudine alicujus loci introductum sit, *cap. un. in princ. de Natura successionis Feudi*. Dico: *regulariter*; nam si feudum hæreditarium sit, & pro quibuscunque hæredibus datum, vel si filius sit investitus contemplatione patris, & propter servitia à patre domino præstita; item in feudo antiquo, quod per refutationem patris ad filium pervenit, etiam patrem succedere, si filius sine descendentibus moriatur tradit Schraderus *dict. p. 7. c. 6. n. 3. & seq.* cum citatis ibidem. Ita tamen ut si defunctus fratrem reliquerit, is una cum patre ad successionem admittatur, quia sic de jure communi dispositum *in Novella* 118. *c.* 2. de jure feudali mutuatum non reperitur, & alias recepta est doctrina, quòd in defectu juris feudalis ad jus commune recurratur *c. un. in fin. vers. Strenuus de feudi cognitione*. 26

De successione Collateralium.

In hac successione ante omnia distinguendum est inter feudum novum, & antiquum: Etenim in feudo novo regulariter soli descendentes succedunt, non verò collaterales. Proindè si vasallus moriatur non relictis filiis vel nepotibus; tametsi relictis fratribus, vel aliis consanguineis, feudum novum ad dominum revertetur, *c. unico §. cùm verò. De his, qui feuda dare possunt c. un. de Successione feudi*. 27

Sunt tamen ab hac regula etiam exceptiones, quas tradit Harpt. *in Addit. ad Clarum in d. §. Feudum q. 79. n. 3.* videlicet si aliter investitura seu pacto feudali cautum, vel consuetudine loci receptum sit, ut etiam collaterales in feudo novo succedant. Item, si v. g. duo fratres simul cohabitantes ex communibus bonis, & impensis sciente domino Feudum acquisierint, vel pro domino pugnarint, uno defuncto sine liberis, alter succedat, juxta text. in *cap. un. de Beneficio fratris*. Cui tamen cap. videtur è diametro obstare, *c. un. de Fratr. de nov. benefic. investit.* nisi forte ex eo concilientur quod in uno casu scientia, & quasi tacitus consensus domini intervenerit, non verò in altero. Videatur etiam Rosenthalius *Tract. feudal. cap. 7. conclus. 59. num. 6.* Vultejus *de Feudis lib. 1. c. 9. n. 106.*

In Feudo autem antiquo etiam collaterales *agnati* (non *cognati*, nisi in casibus, in quibus fœminæ admittuntur) succedunt, & proximior excludit remotiorem. Ubi proximitatem ajunt non computari respectu primi acquirentis, sed ultimi possessoris, ut ita frater defuncti patruum suum excludat, quamvis iste sit proximior primo acquirenti, *cap. unico §. si Capitanei: & ibi* Gotthofredus *in verba prædicti. De feudo Marchiæ, vel Ducatus c. unico vers. his verò deficientibus de Successione fratrum.* Quòd si defunctus duos habuerit fratres unus autem ex his præmortuus liberos reliquerit, isti ex jure repræsentationis cum altero fratre superstite patruo suo in stirpem succedunt, *c. un. de successione Feudi, & dict. c. un. de Successione fratrum*. Si verò soli supersint duorum, aut plurium fratrum filii, an tunc in capita, vel in stirpes succedant? de jure Feudali satis decisum non est, ideò recurrendo ad jus commune, *juxta d. c. un. vers. strenuus de Feudi cognit.* magis inter DD. convenit, eos in capita succedere Clarus *in d. §. Feudum q. 56. & ibi* Harpt. *in Addit.* Minsing. *cent. 3. Observ. 94.* Ubi refert hanc quæstionem, an fratrum filii existentes in capita succedant, 28

ab,

ab Imperatore Carolo V. in Comitiis Spirensibus affirmative decisam fuisse. Ad cujus rei intelligentiam videri debent ea, quæ passim à DD. in *Tit. Institution. de Heredit. quæ ab intestato*, traduntur, & nos inferius *eodem Titulo* dicemus.

29 Præterea quamvis in allodialibus frater germanus, seu duplicis vinculi juxta communem excludat fratrem consanguineum, id est, defuncto tantùm à patre conjunctum. *Novella* 118. *c.* 3. in Feudis tamen frater consanguineus unacum fratre duplicis vinculi ex communiori sententia succedit: quia in Feudis nulla ratio habetur matris, vel ullius vinculi materni, eo quòd per solum patrem Feudum acquiratur, & mater tanquam fœmina incapax, & ad Feudum impertinens censeatur. Vultejus *d. c.* 9. *n.* 222. Schraderus *d. p.* 7. *n.* 14. atque ita in Camera judicatum testatur Andreas Gail. *Obs. lib.* 2. *Obs.* 151.

30 Sed nunquid in feudo antiquo collaterales tantùm usque ad septimum gradum, vel etiam in infinitum ad successionem admittantur, propter contrarios textus feudales multum controvertunt DD. Nam pro septimo tantùm gradu textus est, *in Tit.* 1. *lib.* 1. *Feudorum §. hoc quoque sciendum, & in c. un. §.* 1. *de successione feudi*. Econtra in infinitum collaterales admittit textus *in cap. unico de Natura successionis feudi c. un. Si Vasallus Feudo privetur, cui deferatur*. Censet Fachinæus *lib.* 7. *Controv. c.* 27. *in fine*, standum esse his posterioribus textibus, & priores explicandos de antiquioribus feudorum usibus, successu temporum mutatis, sicut apparet *ex d. c.* 1. ubi ab initio feuda nullam habuerunt successionem, postea ad filios, & nepotes, paulatim ad fratres, & patrueles tantum, & ita ulteriùs latius, & latius fuerunt extensa. Gail. *d. l.* 2. *Obs.* 150. Mins. *Cent.* 2. *Obs.* 95. Clarus *in d. §. Feudum q.* 79. *n.* 3.

Qualiter autem computentur gradus consanguinitatis in ordine ad primum acquirentem tanquam communem stipitem, potius secundum jus Canonicum, quàm Civile, videatur Fachinæus *d. lib.* 7. *c.* 26.

31 Cæterum in quibusdam feudis unus tantum ex agnatis aut filiis, aliquando plures simul in æquali gradu consistentes succedunt: nam feuda regalia, scilicet Regnum, Ducatus, Marchionatus &c. individua censentur, & in illis unus solus, plerumque primogenitus succedit. Alia verò feuda non habentia regalem dignitatem ordinariè, nisi speciali pacto, vel consuetudine aliud introductum sit, dividua sunt; & inter plures coheredes dividuntur, *c.* 1. *§. præterea, de Probibita feudi alienatione per Fridericum*. Vultejus *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 72.

De successione mariti, & uxoris; item, & fisci.

32 QUamvis in successione allodialium deficientibus Consanguineis ordo succedendi adscribatur marito & uxori, *tot. tit. ff. & C. Unde vir, & uxor*. id tamen in feudalibus non procedit, nisi aliter expressè in pacto feudali dictum fuerit, *c. unico & ibi* Gotthofredus. *An maritus succedat uxori in beneficio*. Item si feudum sit datum pro hæredibus quibuscumque etiam extraneis (quod tamen in dubio non præsumitur, & verbum hæres regulariter *de harede feudali agnato* intelligitur) non debet maritus aut uxor esse deterioris conditionis, quàm quilibet hæres extraneus, per ea quæ tradit Clarus *d. l. q.* 83.

33 Similiter licèt in allodialibus aliquando aliis hæredibus deficientibus bona fisco addicantur, *tot. t. C. de Bonis vacantibus*, id tamen in feudis locum non habet, quia deficientibus hæredibus vasalli non censentur bona vacantia, cum dominium directum maneat penes dominum, cum quo juxta intentionem, & naturam pacti feudalis, deficientibus agnatis utile dominium consolidatur. Imò tametsi feudum datum fuisset pro heredibus quibuscunque, adhuc fisco non competeret successio, quia fiscus non dicitur jure, & titulo hæreditario succedere, sed bona vacantia tanquam nullius occupare, ut passim notant Interpretes *ad d. tit. Cod. de Bonis vacantibus*, & ad Titulum Instit. *de Hereditat. quæ ab intestato*. Quid autem juris in casu, quo vasallus delictum committit dignum confiscatione bonorum, an tunc etiam bona feudalia ad fiscum, vel potius ad dominum devolvantur; in *§. sequenti* dicemus.

§. III.

Quibus ex causis feudum amittatur.

SUMMARIA.

34 *Alienatio feudi qualiter probibita.*
35 *Alienationis pœna an tollatur recuperatione feudi remissivè.*
36 *Alienationis feudalis pœna an censeatur remissa taciturnitate domini?*
37 *Quæ feuda possint alienari.*
38 *Alienationi præstitus consensus in dubio tantùm intelligitur de domino utili.*
39 *Alienatio etiam cum consensu domini facta an præjudicet agnatis remotioribus, & quid si præscriptio accesserit.*
40 *Jus retractus locum habet in feudis.*
41 *Feudum ob alienationem amissum an ad dominum, vel alios agnatos spectet? & ibi expenditur media aliqua sententia.*
42 *Feudum malè alienatum an possit à tertio bonæ fidei possessore præscribi?*
43 *Dominus non potest feudum invito vasallo alienare.*
44 *Investituræ renovatio qualiter per vasallum à domino petenda, & quæ sit pœna negligentis.*
45 *De Feudi refutatione, seu renuntiatione.*
46 *Felonia quid, & quotuplex, & qualiter propter eam Feudum amittatur.*
47 *Feudum ob feloniam, seu delictum amissum an ad dominum, vel agnatos pertineat?*
48 *Feudum Ecclesiæ datum an ob delictum Prælati amittatur?*
49 *Feudi revocatio propter delictum vasalli an competat etiam heredibus domini?*
50 *Dominus aliquando privatur proprietate feudi ob injuriam vasallo illatam.*
51 *De judicio causarum feudalium, ubi de Paribus curiæ.*
52 *Sententia in causa feudali an præjudicet agnatis?*

EX quatuor principalibus causis feudum amittitur, scilicet alienatione, investituræ renovatione, omissione, refutatione, & delicto, seu felonia. Videamus breviter separatim de singulis.

De Alienatione Feudi.

ALienationem Feudi, sine consensu domini prohibitam esse, atque ob eam Feudum amitti, ex diversis textibus satis apparet, ut ex Tit. *de Probibita Feudi alienatione per Lotharium*, & Tit. *de Probibita Feudi alienatione per Fridericum*, & pluribus aliis locis. Licet verò super hoc fuerint olim variæ consuetudines, & permissum saltem partem Feudi ex causa necessitatis etiam inconsulto domino alienare *c. un. in princ. de Alienatione Feudi, & c. un. in princ. Qualiter olim poterat Feudum alienari*, postea tamen per dictas Constitutiones Lotharii, & Friderici, generaliter Feudi alienatio sine consensu domini interdicta fuit, ita ut si Vasallus totum Feudum alienaverit, totum; si partem, partem amittere debeat, *c. un. de Vasallo qui contra constitutionem Lotharii, &c.* Clarus *in §. Feudum q.* 31. *& ibi Doctorum additiones*. 34

Sed ad hanc amissionis pœnam incurrendam verbum alienationis accipiendum est cum effectu, secuta scilicet rei Feudalis venditæ actuali traditione *arg. l. alienatum* 67. *ff. de V. S.* & insinuat textus in dicto *Tit. de Probibita Feudi alienatione per Fridericum §. Callidis*. ibi: *qui Feudum vendunt, & in alios transferunt &c.* Vult. *de Feudis lib.* 1. *c.* 11. *n.* 42. atque traditionem per constitutum factam (si venditor Vasallus non quidem realem possessionem tradiderit, dicat tamen, se amodo emptoris nomine possidere) ad hanc pœnam sufficere, defendit Fachin. *lib.* 7. *Controv. c.* 86. 35

Quid autem, si Vasallus Feudum alienans pœnitentia ductus illud in continenti recuperaverit, anne pœnam amissionis evadet? rursus controvertitur inter DD. & tractat

tractat

tractat Fachin. *d. lib. 7. c.* 84. & Interpp. ad Tit. *Quid Juris si post alienationem Feudi Vasallus id recuperarit.*

Cæterùm sentiunt magis communiter DD. (quibusdam tamen dissentientibus) quòd etiam tacitus consensus domini, qui colligitur ex scientia, & taciturnitate ejus sufficiat ad valorem alienationis, & excludendam poenam caducitatis. idque non solùm ex vulgata Juris regula: *qui tacet, consentire videtur*, quæ diversas habet interpretationes, & limitationes, sed potiùs quia præsente, sciente, & tacente domino cessat ratio legis, alienationem Feudi prohibentis, cùm consensus domini non tam requiratur ad solemnitatem actus, quàm ob præjudicium ipsius domini, quod, si potens avertere non avertat, sibi imputare debet. *arg. l. qui patitur ff. Mandati* Fachin. *d. lib. 7. c.* 80. Addit verò Clarus, *in d. §. Feudum q.* 31. *in fine.* dominum debere in hac taciturnitate notabili tempore saltem per annum perseverare, ut tantò melius tacitus ejusdem consensus intelligi possit: non enim tam est officium domini ut alienationem impediat, cùm leges ipsæ prohibeant, quàm Vasalli, ut consensum requirat. ideòque dominus incontinenti non contradicens non statim præsumetur suum jus remittere, nisi longius taciturnitatis tempus, aliæve circumstantiæ concurrant.

37 De Feudis, quæ alicui concessa sunt *pro se, & quibus dederit*, vel etiam *pro heredibus quibuscumque* plurimorum est sententia, quòd sine consensu domini valeant alienari *per textum in c. un. de Feudo non habente propriam naturam Feudi* Videatur Vultejus *de Feudis, lib.* 1. *c.* 10. *num.* 91. *& seq.* item quòd Feudum possit absque consensu domini alienari in proximum agnatum aliàs successurum, indubitatam esse conclusionem refert additio finalis ad Clarum. *in d. q.* 31.

38 Illud autem, quod notat Fachineus, *d. l.* 7. *c.* 83. Schrad. *de Feudis p.* 8. *c.* 4. *n.* 58. notabile est, quòd ex probabiliori doctrina, sive dominus expressè, sive tacitè consentiat, in dubio tantùm censeatur dare licentiam ad transferendum jus utile, quòd Vasallus habet, sine præjudicio sui directi, cùm nemo præsumatur jactare suum, *l. cùm de indebito ff. de Probationibus*, & Vasallus conatur contrahere, non dominus, & consequenter non est in Vasalli potestate, aut voluntate plus juris transferre, quàm ipsemet habeat *l. nemo potest ff. de R. I.*

Præterea hæc alienatio cum consensu domini in Feu-
39 do antiquo non præjudicabit agnatis, quo minus mortuo Vasallo Feudum tanquam ad se devolutum, à quocunque possessore nullo restituto pretio (quòd emptor, si ignarus fuerit conditionis, & qualitatis feudalis ab hæredibus alienantis repetere potest) ne rem suam emere cogantur, vindicare valeant, nisi & ipsi alienationi consenserint *c. un. de Alienatione Feudi c. Titius Si de Feudo defuncti contentio &c. c. unica. Si unus ex fratribus &c.*

Imò tametsi proximior agnatus mortuo Vasallo alienante intra 30. annos Feudum vindicare neglexerit, hanc tamen præscriptionem, quæ solummodò actionem proximioris excludit, reliquis agnatis, qui vivente proximiore agere non potuerunt, minimè præjudicare, contra Pinellum *in Auth. nisi triennales, C. de Bonis maternis* pluribus defendit Fachin. *d. lib.* 7. *c.* 12. cùm agnatis non consentientibus in alienationem jus ex antiquis investituris quæsitum, & competens alieno facto auferri non debeat *l. id quod nostrum ff. de R. I.* & receptum sit Juris axioma, quòd non volenti agere non currat præscriptio, non extinguatur actio, quæ nec dum nata est, seu competere cœpit *arg. l. sicut.* ibi *ex quo competere cœperunt. C. de Præscriptione* 30. *annorum l.* 1. *§. ad hæc C. de Annali exceptione.* Vid. etiam Arnoldus Rath. *in Tract. de Usucap. c.* 4. *assert.* 12. *& seq.*

An autem, & quatenus filii, vel agnati alienantis, qui sunt heredes ejus, possint Feudum alienatum revocare, aut potiùs obsistat eis exceptio de evictione præstanda *juxta l. vindicantem ff. de Evictionibus juncta l. cùm à matre C. de Rei vindic.* videatur Fachin. *d. libr.* 7. *c.* 13. *&* 18. cui addatur textus *in d. c. unica. Si ex fratribus &c.* Arnoldus Rath. *d. c.* 4. *assert.* 13.

40 Jus quoque *retractus* (de quo superiùs in Tit. *de Emptione ad finem* actum est) in feudis alienatis cum consensu domini competit proximiori agnato, vel isto recusante alteri remotiori, *c. un. §. sed, & res. Per quos fiat investitura c. un. Vers. porrò. Qualiter olim Feudum alienari &c. c. un. vers. Titius. Si de Feudo defuncti contentio sit &c.* Rarius tamen hoc jus retractus in Feudis antiquis utile videtur: vix enim sine damno emet proximus agnatus Feudum illud, quod ex successione gratis accipiet, vel eo negligente remotior in gradu, quod post mortem alienantis per proximiores absque restitutione pretii revocabitur. *d. vers. Titius* nisi ponamus jus revocandi, seu vindicandi Feudum per domini, & omnium agnatorum consensum alienationi præstitum exclusum fuisse.

Restat adhuc celebris controversia; si Feudi alienatio facta sit sine consensu domini, ob eamque causam amittatur, an ad dominum revertatur, vel ad proximiores agnatos pertineat? Et quidem in Feudo novo facilè conveniunt DD. quòd, cùm in eo agnatis non sit jus quæsitum, feudum alienatum domino aperiatur. At verò in Feudo antiquo ingens est discrepatio, & plurimi pro utraque sententia reperiuntur Patroni. Qui pro agnatis respondent, præter unum, vel alterum textum *ex cap. unico §. porrò Qualiter olim poterat Feudum alienari, & d. c. un. vers. Titius & vers. Si Vasallus culpam. Si de Feudo defuncti &c.* potissimùm se fundant in ratione, quòd agnatis in jure quæsito per alienum factum præjudicari non debeat, cùm factum cuique suum non alteri nocere debeat, juxta vulgatas Juris regulas; & si Vasallus cum consensu domini alienans præjudicare non potest agnatis, ut paulò ante dictum, ergò multò minùs poterit domino dissentiente. Hanc partem cum Baldo, Zasio, Socino, & aliis tuetur Clarus *in Feudum q.* 66. *n.* 6.

Verùm pro altera sententia, & quòd Feudum malè alienatum ad dominum revertatur, plures extant Feudales textus, qui id satis apertè indicant, ut *in c. unico de Vasallo, qui contra constitutionem Lotharii Regis Feudum alienavit.* ibi: *si totum, perdat totum: si partem, partem perdat, & ad dominum revertatur.* Idem dicitur *c. unico. Quid Juris, si post alienationem &c. c. Imperialem. vers. callidis de Prohibita Feudi alienatione per Fridericum.* ibi: *venditor, & emptor Feudum amittant, & ad dominum revertatur c. denique fin. Quæ fuit prima causa beneficii amittendi.*

Neque hi textus distinguunt inter Feudum novum, & antiquum, sicut explicare volunt prioris sententiæ AA. ergo etiam indistinctè de utroque intelligendi, *arg. l. de pretio ff. de Publiciana.* imò *in d. c. denique* in specie proponitur casus, quo Vasallo delictum committente proximiores agnati cum domino concurrunt, adeòque de Feudo antiquo (circa Feudum enim novum non fuisset de agnatis dubitandi ratio) agitur, & deciditur, quòd si delictum committatur in personam domini, tunc Feudum aperiatur domino, ut *hanc saltem habeat suæ injuriæ ultionem*: si extra personam domini, ad proximiores agnatos devolvatur, & postea finaliter subjungitur: *si Vasallus contra constitutionem Lotharii Feudum alienaverit, quia dominum contemnere videtur, ad dominum beneficium pertineat.*

Ad textus pro priori sententia allatos dicitur, eos potissimùm loqui de Jure antiquiore, Feudali, ubi alienatio certis casibus permissa fuit, de jure retractus domino, & agnatis competente, non autem de jure caducitatis propter alienationem ex posterioribus legibus Feudalibus prohibitam. Ad rationem in contrarium responderi potest, non debere alicui jus quæsitum auferri, vel per alienum factum præjudicari, nisi concurrat authoritas legis, & natura contractus, quæ illud præjudicium per modum tacitæ conditionis involvat, sicut in præsenti ea est lex, & natura Feudalis, ut delicto in dominum commisso, Feudum ad ipsum, etiam in præjudicium agnatorum, revertatur. Atque hanc sententiam sustinet Fach. *d. lib.* 7. *c.* 24.

Alii mediam viam tenent cum Pistorio *qq. Juris libr.* 2. *p.* 1. *qu.* 15. *d. num.* 32. Menoch. *lib.* 4. *consil.* 304. *num.* 35. *& lib.* 6. *Consil.* 534. *num.* 14. & aliis apud istos citatis, quòd quidem Feudum propter malam alienationem pertineat ad dominum, quamdiu alienans, seu delinquens vivit, sed post mortem ejusdem ad agnatos revertatur. Quia textus Feudales allegati satis commodè in hunc sensum explicari possunt, eamque interpretationem videtur suadere textus *in c. un. Culpam unius ex cohæredibus &c.* & argumentum ductum à simili ex Jure communi (ad quod in dubio Jure feudali recurritur) ex *l. Statutus Florus*

rus §. Cornelio ff. de Jure Fisci & l. cùm pater §. hereditate ff. de Legatis 2. ubi fideicommissum ex causa delicti confiscatum in vita tantùm delinquentis apud Fiscum manet, post mortem verò cæteris, quibus competit, restituendum est. Item accedit ratio æquitatis, ne agnati tam facilè ex alieno facto contra communes Juris regulas jure quæsito priventur; præsertim ob solam alienationem, ubi non tam gravis culpa in dominum committitur, sicut verba *in d. c. denique. Quæ fuit prima causa &c.* insinuant ibi: *quia dominum* contemnere videtur: verbum enim *videtur*, frequentiùs similitudinem aliquam potiùs, quam proprietatem significat.

Habet hic Lector studiosus singularum sententiarum rationes, & argumenta, quæ una cum stilo, ac consuetudine Curiarum Feudalium consideret, ac judicet.

An demùm Feudum sine consensu domini alienatum possit à tertio bonæ fidei possessore saltem spatio triginta, vel quadraginta annorum præscribi? rursus diversæ, & intricatæ sunt DD. sententiæ.

Imprimis distinguere oportet, an quæratur, nunquid tertius ille possessor valet præscribere absolutum rei dominium, & ut ex feudali allodialis fiat? Vel an saltem quoad utile dominium, & ut ipse imposterum sit Vasallus dominio directo penes priorem dominum remanente.

Quòd attinet ad priorem quæstionis partem; negativè respondet Harprechtus *ad princ. Instit. de Usucap. n. 16.* propter textus feudales *in c. unico vers. præterea. De Capitulis Corradi* ibi: *ut liceat Dominis omnes alienationes feudi factas nulla obstante præscriptione revocare*, *in cap. imperialem de Prohibita feudi alienatione per Frid.* ibi: *nullius temporis præscriptione impediente*. In *cap. unico. Si unus ex fratribus.* ibi: *sine ullo obstaculo, & temporis præscriptione*. Licet verò per lapsum 30. annorum ex re allodiali possit fieri feudalis, ut ex *cap. si quis per 30. Si de feudo defuncti, &c.* præcedenti §. tradidimus, contrariorum autem eadem soleat esse ratio, ut proindè vice versa ex re feudali eodem modo videatur fieri posse allodialis: nihilominus hic non valere argumentum à contrario, ubi est specialis consideratio in uno contrariorum, censet Harprecht. *d. l. numer.* 171. Etenim, ut ex re allodiali fiat feudalis, nihil interest Reipublicæ, imò exinde numerus militum augetur pro ipsius Reipub. commodo. At verò si ex fundis efficiantur allodia, recusantur dominis militaria servitia in Reipubl. præjudicium, ut *in d. capit. imperialem; & in capit. unic. in princip. de Prohibita feudi alienatione per Lotharium.* habetur.

Verùm præscriptione triginta annorum, multò magis immemoriali, jus dominii amitti, tenet Andreas Gail. *Pract. observat. libr. 2. observat.* 160. aliique plures apud eum, & Harprechtum *d. l. numer.* 168. citati. Eo quòd tanto tempore plena securitas in rebus possessis tribuatur, atque intersit Reipub. ad minuendas lites, ne dominia rerum sint in incerto *l. sicut, & l. omnes Cod. de Præscriptione 30. annorum*. Textus autem Feudales in contrarium allegati secundùm hos DD. explicati possunt in eum sensum, ut domino in revocando feudo nulla præscriptio ordinaria; vel nullius ordinarii temporis scilicet 10. aut 20. annorum obstare debeat; cùm in hac ordinaria præscriptione requiratur titulus, quem non præstat mala alienatio sine consensu domini facta, utpote per *d. cap. imperialem*. ipso jure nulla, cassa, & irrita. Addit quoque Gail. *dict. leg.* in hac longissimi temporis præscriptione non dari domino ex causa ignorantiæ in integrum restitutionem.

Quòd si proinde textus, & rationes utriusque partis considero, videtur mihi hæc discordia conciliari posse per distinctionem inter feuda, quæ habent annexa servitia militaria pro Reipublicæ utilitate, & plerumque à Principibus dantur, qui jus gerendi bellum habent; ac inter feuda privata, vel illa, quibus nulla talia servitia imposita sunt. In Prioribus ergo dici potest, procedere textus feudales, ut ex eorum adjuncta ratione apparet, non verò in posterioribus, ubi publica utilitas in præstandis servitiis militaribus, dum ex supposito nulla requiruntur, perpendi non potest, ideoque cessat ratio, & anima legis, sed potius versatur Reipub. utilitas in amputandis litibus, & tollenda dominiorum incertitudine, quod fit per præscriptionis concessionem.

Docet quoque Panorm. *in cap. ad audientiam 13. X. de Præscript. n.* 17. & ipse Harpr. *l. supra citato n.* 167. ab ipso Vasallo dominium directum adversus dominum præscribi posse, si per 30. annos (numerandos à die interversæ possessionis, ubi scilicet feudalis qualitas in re possessa à Vasallo negata est) investituram non petiit, nec servitia præstitit, adeoque rem feudalem, ut allodialem bona tamen fide, & domino non contradicente, cæterisque conditionibus ad præscriptionem requisitis possedit. Quod sanè fieri non possit, si indifferenter in omnibus feudis præscriptio sublata fuisset; vix enim dabitur convincens ratio, cui ipse Vasallus contra dominum præscribere valeat, & non etiam tertius bonæ fidei possessor.

Demum sicut Vasallus feudum alienare non potest sine 43
consensu domini, ita vicissim ex communi DD. sententia dominus nequit directum dominum, sive Feudum, & Vasallum sine ejus consensu in alium transferre, ne alium acquirat dominum, & forsan duriorem, quàm sibi ab initio per contractum Feudalem constituit, *c. un. §. firmiter in fine de Probib. Feudi alienat. per Frid.* nisi concomitanter cum universitate bonorum, si nimirum Princeps totam curiam seu territorium alienarat. Clarus *in d. §. Feudum qu.* 28. *& ibi addit.* D. Andr. Gall. *de Pace publ. l. 2. c. 15. n. 13.* Vult. *Fend. lib. 1. c. 10. n. 71.*

De amissione Feudi ob non petitam renovationem Investituræ.

SEcunda causa, ob quam Feudum amittitur, est, si cessante legitimo impedimento *intra annum & diem* renovatio investituræ petita non fuerit à Vasallo, quoties persona domini, aut Vasalli per mortem, vel alio casu mutatur *c. un. Quæ fuit prima causa, &c.* Vultejus *de Feudis d. c. 11. num. 139.*

Militibus tamen actu militantibus ad petendam renovationem investituræ annus, & mensis conceditur *cap. 1. Quo tempore miles, &c.* Item impuberes infra 14. ætatis annum constituti, licet tutores habeant, veniam tamen merentur, si investituræ renovationem neglexerint, *cap. un. de Prohibita Feudi alienatione per Fridericum*. Minorennes autem, qui 14. annum excesserunt, sed necdum 25. compleverunt, non petentes renovationem de jure quidem amittunt Feudum, per extraordinarium autem remedium restitutionis in integrum illis denuò ad recuperandum succurritur, nam hoc beneficium restitutionis de jure civili minorennibus concessum in titulo *ff. de Minoribus* de jure Feudi non reperitur ademptum.

Cæterùm si propter mutatam personam domini petenda sit investitura, tempus non priùs incipit currere, quàm si Vasallus resciverit casum evenisse, ex quo debeat investituram petere. Quòd si persona Vasalli mutata fuerit, tempus novo Vasallo computatur à die adeptæ possessionis Feudi, neque currit non possidenti; modò diligentiam in avocanda ea penes alium existente adhibeat, & lata sua culpa non amiserit. Clarus *in §. Feudum q. 49. n. 8. & ibi* Harpr. *in Addit. n. 8.* Nunquid autem omissa renovationis petitione purgatio moræ concedetur, ut Vasallus brevi tempore post annum, & diem veniens pœnam caducitatis evitare possit? dubitatur; & negativè resolvit Schraderus *de Feudis p. 6. c. 2.* cum Baldo *in cap. 1. Quo tempore miles, &c. n. 3.* & aliis pluribus; eò quòd regulariter in omnibus dispositionibus in quibus dies, & pœna adjecta est purgatio moræ non concedatur, nisi quatenus tolerabilis ignorantia, aut legitimum impedimentum probatum fuerit. Contrariam tamen sententiam, & quod purgatio moræ in hoc casu ob quamcunque excusationem admittenda sit, æquiorem censet Julius Clarus *in d. q. 46. n. 9.* præsertim, quia juxta communiorem opinionem ab eo *nu. 6.* relatam Feudum propter omissam investituram non ipso Jure, sed per sententiam amittitur. Adde Argumentum à simili ex contractu Emphyteutico, qui in multis convenit cum Feudo, ubi post terminum lapsum solutioni canonis præfixum conceditur celeri satisfactione ad evitandam pœnam amissionis moram purgare *c. potuit & ibi DD. X. de Locato*.

Est verò hic adnot. si post diem, & annum Dominus Vasallum, qui repetitionem investituræ neglexit, ad solita servitia admiserit, & ut Vasallum tractarit, cen-

censeatur juri suo renunciasse, & injuriam remisisse. Clarus *d. loc. n.* 10.

Quòd si lis fuerit inter dominum, & Vasallum super Feudo, non tenetur Vasallus ea durante petere investituram, juxta tradita Sonsbechii *de Feudis p.* 9. *n.* 20. *& seq.*

44 Cui verò acquiratur Feudum antiquum ob non repertam investituram amissum, an domino an agnatis? Non conveniunt DD. ut videre est apud Fachin. *lib.* 7. *c.* 25. ubi ipse pro domino respondet, per textus feudales *in c. imperialem §. praeterea de Prohibita Feudi alienatione per Frider.* ibi *transacto hoc spatio Feudum amittat, & Feudum ad dominum redeat.* Item in *c.* 1. *Quae fuit prima causa, &c.* ibi: *tanquam ingratus existens beneficium amittit*, licèt verò hic non addatur, Feudum amissum ad dominum spectare, attamen quia ingratitudo haec non in alium, quam dominum committitur satis convincitur *ex cap. denique fin. eod. tit.* quòd non ad proximos consanguineos, sed ad dominum pro ultione ingratitudinis redire debeat. Alii, qui pro agnatis resolvunt, & alii, qui mediam viam ingrediuntur, ut scillicet Feudum sit apud dominum, quamdiu Vasallus vivit, illis utuntur argumentis, quae superius de *amissione feudi ob malam alienationem* retulimus, propterea ob paritatem rationis eodem modo in hac quaestione, sicut in illa judicandum erit.

De Amissione Feudi ex Refutatione.

45 AMittitur tertiò Feudum per refutationem, seu renuntiationem: & haec vel propria est, vel impropria. Propria dicitur, quando ipsi domino feudum renunciatur, impropria verò, quae & magis alienatio est quando renunciatio fit agnato, vel extraneo. Porrò ipsi domino Feudum renunciari potest etiam juxta communionem sententiam invito; quia cuilibet suo beneficio, & favori pro se introducto renunciare concessum, & quòd hoc sit naturale contractus feudalis, satis probatur *ex c. unico de Vasallo, qui contra constitutionem Loth. &c.* Dummodo Vasallus in fraudem non renunciet; ut si perceptis prius totius anni fructibus tunc primùm renunciare vellet, quando dominus opera, & servitiis ejusdem maximè indigeret. Minsing. *Cent.* 5. *Obser.* 65. Sonsbec. *de Feudis p.* 21. *n.* 116.

Agnato verò, & multò minus extraneo Feudum refutari non potest, nisi is proximus sit, & aliàs in Feudo successurus; vel consensus domini, & reliquorum agnatorum accedat. Imò si Feudum antiquum sit, nec refutatio domino facta agnatis praejudicabit, quin illud Feudum tanquam ex antiquis investituris sibi debitum petere valeant. Minsing. *d. l.* Videatur etiam Vultejus *de Feudis lib.* 1. *c.* 10. *n.* 76.

De Amissione Feudi ob Feloniam.

46 FElonia terminus Feudalis est, & delictum Vasalli significat. Sunt autem delicta amissionem Feudi inducentia in triplici differentia: alia enim directè in dominum committuntur: alia indirectè in offensam, & injuriam ejus redundant: alia denique nullo quidem modo dominum attingunt, quia tamen Vasallum graviter infamant, ut in curia domini honestè stare non possit, ideò etiam Feudi incapacem reddunt.

Primi generis delicta sunt, si Vasallus domino servitia, vel etiam Feudum injustè abneget; si personam ejus aut bona invadat; si secreta domini revelet, foedus, & amicitiam cum hostibus domini contrahat; si dominum absque jussu Magistratus criminaliter accuset, aut in eadem causa advocatum, vel testem contra dominum agat; si dominum nec mortuum, nec lethaliter vulneratum in praelio deserat. Ubi tamen communiter notant DD. quòd si Vasallus ad eum casum deveniat, ut moraliter certum sit sibi moriendum, nisi fugiat, tunc impunè possit fugam arripere, quia vita propria praeferenda est alienae, & Vasallus teneatur quidem subire pro domino periculum, non autem certam mortem.

Secundi generis delicta, quae scilicet dominum tantùm indirectè tangunt, recensentur, si Vasallus cum uxore domini, vel cum filia, vel cum nepte ex filio, vel uxore filii, aut etiam sorore domini, quamdiu ea in familia domini est, peccaverit, vel peccare attentarit. Eandem poenam quidam extendunt ad quamcunque aliam gravem, & inhonestam injuriam talibus personis in tam propinquo gradu domino conjunctis illatam, *art. c. un. de Nova forma fidelitatis*; ubi Vasallus jurare debet, se nunquam aliquid facturum, quod ad injuriam domini, aut suorum pertineat.

Praeterea hoc referri potest, quod tradit Gail. *libr.* 1. *Pract. Observat. Observat.* 17. Joan. Koppoen. *Juris feudalis Observat.* 9. *num.* 11. Vasallum Feudo privari posse, si re Feudali abutatur, nimiam crudelitatem in subditos exerceat, eos turpiter emungendo, & immodicis operis cruciando.

Tertii demum generis delicta sunt, si Vasallus crimen laesae Majestatis, parricidium, latrocinium, aut aliud grave crimen, ex quo maximam contraxit infamiam, perpetraverit. De quibus omnibus videatur textus *in Tit. Quae fuit prima causa beneficii amittendi, & in Titulo. Quibus modis Feudum ammittatur* Vultejus *lib.* 1. *c.* 11. *per totum.*

Difficilis est Controversia, utrùm Feudum ex delicto 47
Vasalli amissum ad dominum, vel ad agnatos revertatur? Duo hic indubitata sunt. I. Quòd Feudum novum propter delictum amissum ad dominum redeat. II. Quòd si in Feudo antiquo delictum perpetratum sit extra personam domini, agnatis non praejudicetur *c.* 1. *An ille, qui interfecit fratrem domini sui &c.* Licet illud delictum tale sit, ut bona delinquentis confiscari debeant, nihilominus Feudum non confiscabitur, quia delicta debent tenere suos authores *l. Sancimus C. de Poenis* neque par unius malefactum domino, & agnatis innocentibus praejudicium, & poena inferenda est *c. non debet de Reg. Jur. in* 6. nisi forsan ob crimen laesae Majestatis ex primo capite Legis Juliae, & causa perduellionis, ac insidiarum in vitam Principis, totiùs familiae nomen in perpetuam ignominiam aboleretur, tunc enim Feudum exclusis agnatis ad dominum reverteretur. Videatur Gail. *de Pace publ. lib.* 2. *c.* 13. *&* 14.

III. Quoque communiter traditur, quòd delicto in dominum commisso filiis, & descendentibus praejudicetur: quia istorum major est cum delinquente conjuncti, & ejus personae repraesentatio, atque magis praesumitur periculum, ne cum sanguine etiam paternam malitiam participarint, ut dicitur *in l. quisquis §.* 1. *C. ad legem Juliam Majestatis.* Imò quia tex. Feudales *in c. si Vasallus culpam. Si de Feudo defuncti contentio sit; & in c. unico. Si Vasallus culpam. Si de feudo privetur*, generaliter loquuntur de exclusione filiorum a Feudo ob delictum amisso, censet Fachineus *lib.* 7. *Controv. c.* 23. delictum etiam extra personam domini commissum filiis nocere, circa quod punctum tamen non omnes DD. conveniunt.

Sed IV. valdè controversum est, quid dicendum, si Feudum antiquum sit, & Vasallus directè in personam domini deliquerit? Potior DD. calculus videtur in eam convenire sententiam, quòd Feudum domino aperiatur, etiam in praejudicium agnatorum, ut dominus habeat injuriae suae compensationem; quam sententiam probant Textus *in c. Denique fin. Quae fuit prima causa &c. & in c.* 1. *An ille, qui interfecit fratrem domini &c.* Fachin. *dict. lib.* 7. *c.* 21. Gail. *d. c.* 13. Cui non obstat Textus *in c. un. Si Vasallus Feudo privetur*, ubi dicitur Feudum ob culpam amissum ad agnatos pertinere: quia intelligendum est juxta datam superiùs distinctionam, an culpa in personam, vel extra personam domini commissa sit. Pariter non obstat, quòd agnatis in feudo antiquo jus quaesitum sit, quo sine culpa sua privari non debent: nam responderi potest non esse ipsis jus quaesitum absolutè, & simpliciter, sed juxta naturam, & regulas feudi, ac quasi sub tacita conditione, nisi Vasallus ingratitudinem, sive feloniam commiserit.

Alii hic rursus mediam viam tenent, ut scilicet dominus debeat retinere feudum, quamdiu Vasallus delinquens vivit, sed post ejus mortem agnatis restituere, de qua sententia superiùs *de amissione Feudi ob alienationem* dictum, & potest hic cogitari, an stante hac sententia compensaretur domino injuria in atroci aliquo delicto, ubi brevi reus morte è vivis tollitur? Item an non sit disparitas inter casum, *l. Statius §. Cornelio, ff. de Jure fisci*, & praesentem, quòd fideicommissum non descendat à Fisco, sicut feudum à domino, qui directè offenditur, & ideò injuriae satisfactionem exigit.

De

48 De Feudis verò Ecclesiasticis specialis Textus est *in c. finali, de Capitulis Corradi*, quòd ob delictum Prælati, vel Clerici, cui Feudum non intuitu personæ, sed Ecclesiæ concessum est, dominus habeat jus repetendi, & retinendi Feudum, quamdiu delinquens vivit, vel in dignitate est, eo verò mortuo, vel deposito, aut resignante Feudum Ecclesiæ restituendum sit. Sed hoc, opinor, ad summum obtinere in particulari aliquo feudo Ecclesiæ, per cujus obiationem dominus potest habere suæ injuriæ aliquam compensationem, sine magno damno Ecclesiæ. At verò, si ageretur de feudo totius v. g. Principatus, vel territorii super quo ex antiqua Fundatorum in Deum pietate Episcopatus aliquis fundatus est, & proinde sine maximo damno Ecclesiæ ab ea, vel ad tempus tolli minimè posset, non putarem supradictam feudalem constitutionem procedere; tum quòd delictum personæ non debeat nocere Ecclesiæ, *c. delictum 76. & ibi DD. omnes de R. J. in 6.* tum quòd ex cummuni sententia donatio facta Ecclesiæ non revocetur ob ingratitudinem Prælati, quia principalis Donatarius est Deus nunquam ingratus, Clarus *in §. donatio q. 21. n. 5.* Barb. *in Collectaneis ad c. fin. de Donationibus num.* 15. Neque est præsumptibile, quòd in his magnis, & pro fundatione assignatis feudis Dominus aliquam tacitam conditionem revocationis ob delictum personæ, cui principaliter concessum non fuit, annectare voluerit.

49 Num autem jus revocandi feudum ob delictum commissum transeat etiam ad heredes domini, quando dominus ante mortem suam querelam contra Vasallum non movit, nec apparet, quòd movere paratus fuerit? Vel ex adverso, an Vasallo ante revocationem Feudi mortuo contrà hæredes jus revocandi competat? videatur Clarus *in §. Feudum q. 64. & seq.* aliique DD. per Harprechtum *in Additionibus ibid.* allegati; ubi in utroque casu negativam dicunt esse communem, nisi dominus culpam Vasalli ignorasset, vel aliter in investitura cautum fuisset, partim quòd dominus sciens injuriam, & non vindicans, vel saltem de ea protestans censeatur remisisse: partim quòd circa revocationem donationum ex casu ingratitudinis constitutum sit *in l. fi. C. de revocandis donationibus*.

50 Illud quoque prætereundum non est, quòd etiam Dominus feudo privari, idque Vasallo acquiri possit si eidem gravem injuriam intulerit per Text. & Interpretes *in Tit. feudorum. Qualiter Dominus proprietate privetur.* Si verò Dominus aliud grave delictum committat, ob quod deportari, vel in bannum declarari mereatur, Vasalli obligationem ad fidelitatem, & servitia interim suspendi, usquedum dominus restituatur, tradit Andreas Gail. *de pace Publica lib. 2. c. 15.* ubi *n. 15.* advertit, quòd confiscatis bonis Domini ob Crimen læsæ Majestatis ex primo capite Legis Juliæ, videlicet ob proditionem, vel insidias in Imperatorem, aut Imperium structas, Vasalli imposterum debeant Feuda ab Imperatore, vel Imperio, quibus illa applicantur, recognoscere.

De Judicia Causarum Feudalium.

51 Quis judicare debeat, si circa rem feudalem lis oriatur, pluribus dicitur in *lib. II. in Tit. de Foro comp.* Summariter tres casus distinguendi sunt.

I. Si lis oriatur inter duos Vasallos ejusdem domini, si alter partem Feudi, vel totum petat, quod alter possidet, tunc dominus judex erit, *c. 1. §. propterea de Prohibita feudi alienatione per Fridericum.* Licèt fortassis reus conventus Clericus sit; quia in causa feudali etiam Clericus coram Domino respondere debet, *c. verum cap. ex transmissa & ibi DD. de Foro competenti.*

II. Si lis oriatur inter Vasallum, & extraneum, vel etiam inter dominum, & extraneum, ut quia extraneus aut dominium absolutum, aut servitutem, aut quid simile prætendit, tunc cognitio judicialis ad ordinarium judicem spectat.

III. Si controversia sit inter Dominum, & Vasallum, subdistinguendum est, an agatur super ipsa rei feudalis proprietate, ut quia Vasallus negat rem esse Feudalem, vel an agatur super jure aliquo accidentali, ut quia Vasallus confitetur quidem feudum, sed negat Domino servitia? &c. Priori casu judex ordinarius judicabit; posteriori verò *Pares Curiæ*, & dicuntur *Pares Curiæ* reliqui Vasalli, qui ab eodem domino Feuda tenent. Non tamen omnes Pares judices erunt, sed ii, quos dominus, & Vasallus ad judicandum elegerint: nam, & dominus quosdam eligit, & Vasallus quosdam, atque isti sic electi juramentum de rectè judicando præstabant *cap. 1. de Controversia feudi apud pares terminanda.* Quod si dominus Pares Curiæ non habeat, tunc, vel apud Judicem ordinarium, vel apud arbitros litigium decidetur. Videatur etiam Joann. Koppen. *l. Feudalis Obs.* 10. Vultejus *de Feudis lib. 2. c. 2.* Consuetudine quoque, pacto investituræ, vel statuto particulari introduci posse aliud judicium non adhibitis *paribus*, tradit Vult. *d. c. 2. n. 41.* Zas. *p. 11. n. 20.* Schrad. *d. p. 10. sect. n. 44.*

Utrùm demum sententia lata in causa Feudali contra Vasallum præjudicet agnatis ad causam non citatis, videatur Fachin. *l. 7. Controv. cap.* 103. qui contra alios affirmativè concludit. *arg. l. ex contractu 44. ff. de Re Judicata.* ubi sententia lata contra institutum nocet substituto. Vid. tamen Teat. &, DD. *in leg. sæpè 63 ff. de Re judicata.*

TITULUS XXI.

De Pignoribus, & aliis Cautionibus.

SUMMARIA.

1 *Pignus quid, & quando differat ab hypotheca?*
2 *Pignus quotuplex.*
3 *Hypotheca tacita quibus casibus constituatur.*
4 *Hypotheca mercium cessat post venditionem earum.*
5 *Pignus super quibus rebus constitui possit.*
6 *Ex pignore datur realis actio contra quemcumque possessorem.*
7 *Hypothecarii creditores preferuntur chirographariis.*
8 *De Ecclesia prelatione in bonis debitoris sui.*
9 *Pignoris distractio quando, & qualiter liceat creditori, & ibi de pacto legis commissoria.*
10 *Pignoris fructus debet creditor in sortem imputare, exceptis certis casibus.*

Pignus diversimode sumitur: aliquando pro re ipsa in pignus data: aliquando verò pro contractu, & obligatione pignoris. Hoc posteriori sensu pignus rectè describi potest: quòd sit *obligatio legis, vel hominis, qua res alteri obligatur in securitatem debiti, ut si aliter satisfactum non fuerit, inde satisfieri possit.* Porro pignus propriissimè acceptum illud dicitur, quod Creditori traditur; unde, & pignus inter contractus numeratur, qui re perficiuntur, & teste J. C. *in l. plebs 238. §. pignus ff. de V. S.* pignus à pugno dictum est, quod res pignori obligata manu tradatur. 1

Si verò specialiter conventum sit, ut res absque traditione obligetur creditori (quod plerumque in rebus immobilibus, vel oppignoratione omnium bonorum fieri solet) talis obligatio *hypotheca* vocatur: atque communis utilitatis causa introducta est, quia sæpè contingit, quòd aliquis, vel in peregrinatione, vel etiam domi suæ tot, & tanta mobilia, quæ tradere, aut immobilia, quorum possessionem alteri cedere posset, non habeat. Communiter tamen pignus, & hypotheca inter se confunduntur, nec quoad effectum multum discrepant *arg. l. res hypotheca 5. §. 1. ff. de Pignoribus.*

Notanter dixi, pignus esse *obligationem legis; vel hominis*: etenim pignus dividitur, quòd aliud sit *legitimum*, sive quod à lege ipsa introductum est, & aliud *conventionale*, quod ex conventione, & consensu partium constituitur.

Pignus legitimum subdividitur, quòd aliud sit *judiciale*, aliud *extrajudiciale*: judiciale, quod, & *pratorium* dicitur; est, quando actor ex decreto Judicis ob contumaciam Rei, vel causam executionis mittitur in possessionem bonorum ipsius Rei, prout in *Lib. II. Decret. in Tit. De eo, qui mittitur in possessionem*, & in Tit. *de Sententia, & re judicata* pluribus explicatur.

Legitimum extrajudiciale pignus, quod alio nomine *tacita hypotheca* vocatur, illud dicitur, quod lex in certis quibusdam casibus, & contractibus favore certarum personarum constituit.

3 Ita hanc tacitam hypothecam I. habet fiscus in bonis cujuscunque debitoris sui ex contractu *l. 2. C. in quibus causis pignus tacitè contrahatur.*

II. Bona omnia tutoris, & curatoris tacitè obligata sunt pupillo, vel minori pro administratione *l. pro officio 20. C. de Administrat. tutorum*, & quia etiam Ecclesia utitur jure minoris, *c. 1. de In integrum restitut.* ideò DD. ipsum extendunt, ut & bona Prælati, vel administratoris Ecclesiæ: aut etiam hospitalium sint propter administrationem tacito pignore affecta. Panorm. *in c. ex litteris 5. h. t. n. 11.*

III. Bona mariti sunt uxori tacitè hypothecata pro restitutione dotis, & bonorum paraphernalium *l. unica §. 1. C. de Rei uxor. actione.*

IV. Legatariis, & fidei commissariis tacita hypotheca in bonis testatoris concessa est, *l. 1. C. Communia de legatis.*

V. Qui in rem emendam, vel conservandam pecuniam mutuam dedit, in eadem re tacitam hypothecam consequitur, *l. qui in navem 26. & l. quod quis 34. ff. de Reb. auctor. Jud. poss. l. interdum 5. ff. Qui potiores in pignor.*

VI. Omnia illata, vel invecta in domum conductam tacitè hypothecata sunt locatori pro annua pensione, & deterioratione rei conductæ. In prædiis tamen rusticis non omnia illata, sed ipsi tantùm fructus hypothecati censentur, *l. 2. & 4. ff. In quibus causis pignus tacite contrahitur.* Dicuntur autem prædia rustica fundi, & agri, etiam ædificia fructuum conservandorum, aut colligendorum gratia extructa. Prædia verò Urbana dicuntur, quæ inhabitationis causa sive intra, sive extra Urbem extructa sunt.

4 Illud quoque notabile est, quòd ex communi DD. sententia merces mercatorum in domum, vel officinam conductam illatæ sint quidem obligatæ locatori, sed tantùm quamdiu in domo existunt, ubi verò distractæ fuerint, jure pignoris liberantur, nec ab emptore per actionem hypothecariam revocari possunt, ne aliàs nimium damnificentur mercatores, qui propter periculum hypothecæ difficulter mercium suarum emptores reperirent. *Tex. in l. cùm tabernam 34. ff. h. t.* Videatur etiam Harprecht. *in §. ult. Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio n. 12. & seq.*

Pignus conventionale etiam duplex est, unum generale, alterum speciale. Generale dicitur, quando omnia bona obligantur, quod non tantùm de bonis præsentibus, sed etiam futuris intelligitur, quamvis nominatim de futuris expressum non sit *l. fin. C. Quæ res pignori obligari possunt.* In hac tamen generali obligatione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non fuisset obligaturus, ut sunt ea, quæ ad usum quotidianum deserviunt, vestes, supellex, instrumenta artia, & similia *l. 6. ff. de Pignoribus.*

5 Speciale pignus illud dicitur, quando certa res in specie alicui obligatur, v. g. hæc domus, hæc catena aurea, &c. & isto jure pignoris regulariter affici possunt res omnes, quæ in commercio hominum sunt; & econtra, quæ extra humanum commercium sunt etiam oppignorari nequeunt, veluti res sacræ, sanctæ, homines liberi, &c. *c. 1. h. t. l. 1. §. eam rem ff. Quæ res pignori obligari &c.* Imò etiam ipsum pignus, quod creditor accepit, alteri suo creditori in pignus dare potest; sed si penes primum creditorem per solutionem debiti, aut aliam liberationem jus pignoris sublatum fuerit, resolvetur, & jus pignoris penes secundum creditorem juxta vulgatum axioma: quòd resoluto jure dantis, resolvatur etiam jus accipientis, quando scilicet à jure dantis non tantùm in produci, sed etiam in conservari dependet. Poterit tamen secundus creditor agere contra priorem, ut sibi, vel debitum solvat, vel aliud æquè bonum pignus tradat, *l. 1. C. Si pignus pignori datum sit l. cum debitore 32. ubi Gl. ff. de Pignorat. actione.*

6 Effectus pignoris est; quòd afficiat rem ipsam, & ideo Creditor res pignori obligatas à quocunque possessore per actionem hypothecariam, seu (ut *in §. Item servianа 7. Instit. de Actionibus* vocatur) Servianam, vel quasi petere possit, attamen non priùs contra tertium possessorem actio competet, quam si debitor, & etiam fidejussor ejus excussus fuerit, iique solvendo non extiterint. *Auth. hoc si debitor C. de Pignoribus.* Item si debitor sciente, & consentiente creditore pignus alienaverit, censebitur creditor obligationem pignoris remisisse, & emptor securus erit, *l. 2. C. de Remissione pignoris.*

Secundus effectus est, quod si debitor propter nimium 7
æs alienum bonis cedat, vel obæratus moriatur, ibique plures creditores concurrant, semper hypothecarii præferantur personalibus, seu chirographariis Creditoribus; inter ipsos autem hypothecarios, qui prior tempore potior jure censetur, & præfertur illi, qui posteriùs sibi hypothecam constituit, nisi hic posterior speciale prioritatis privilegium habeat, sicut mulier in bonis dotalibus: pupillus, & minor in rebus ex pecunia sua comparatis, vel in bonis tutoris sui. Item qui in rem emendam, vel reficiendam, aut conservandam pecuniam credidit, de quibus videatur *tot. Titulus ff. & C. Qui potiores in pignore.* Andr. Gail. *Pract. obs. l. 2. obs. 25.* Melonius, & Beuterus *in Tract. de Jure Prælationis.*

Quòd Ecclesiæ, & Monasteria præponenda sint Credi- 8
toribus *Chirographariis* vulgo *den* Current. *Schuldnern* licet expressam hypothecam sibi non constituerint, omnes facilè admittuntur: Sunt verò multi, qui etiam *hypothecariis* creditoribus anteponunt cum Melonio *de Jure Prælat. p. 2. n. 15.* Beuth. *lib. 1. c. 5.* ea enim, inquiunt, quæ Juris divini sunt, & ad cultum divinum pertinent, non debent humanis legibus illigari, multò minùs supprimi, *l. Sancimus Cod. 21. de S. S. Eccles.* & summa est ratio, quæ pro Religione facit, *l. sunt Personæ 43. ff. de Relig. & sumpt.*

Eamque sententiam, & nos amplectimur, eò quòd, & mulieri ratione bonorum dotalium, & fisco Jus prælationis habentibus expressè compatent Ecclesiam Tiraq. *privileg.* 143. & 158. Everhard. *in Top. in loco: à dote ad Ecclesiam, & in loco: à fisco ad Ecclesiam num.* 16. Pulchrè Franch. & Pasq. *de controv. Reg. p. 2. q. 96.* Jacob Schult. *ad Modest. Pist. q. 129.* atque ita consuetudine receptum esse testatur Joan. Koppen. *dec. 28. n. 25.* Si enim fiscus præfertur hypotecharis, quia est causa Principis, ergo magis Ecclesia, quia est causa Dei Trid. *Sess. 25. de Reform. c. 20.* ibi: *quæ ecclesiastici juris, tanquam Dei præcipua.* Deinde civitas habet prælationem, ergo, & Ecclesia, quæ præfertur, vel saltem æquiparatur civitati *l. ut inter 27. Cod. de S. S. Eccles.* Sciet tamen Ecclesia locuples erga depauperatos, & præsertim sine culpa sua ad inopiam redactos debitores, aliosque creditores, meminisse preclari moniti D. Ambrosii *in cap. aurum 70. causa 12. quæst. 2.* videlicet subveniendo pauperum necessitatibus.

Idque multò magis procederet, si ex pecunia Ecclesiæ res empta probari posset, quo casu sicut pupillo tacita hypotheca eaque privilegiata conceditur. *L. itemque 7. ff. Qui potior in pig. L. 6. C. de Servo pig. dat.* ita non videtur Ecclesiæ deneganda, quæ *jure minoris* utitur, *c. 1. de In integ. restit.*

Item in bonis administratoris sui Ecclesiæ tacitam hypothecam exemplo minoris in bonis Curatoris, communiter concedunt DD. gl. ord. *in c. ex litteris 5. V. obligata, & ibi* Panorm. *n. 11. hoc tit.* Neguzant. *de pig. nu. 4. membro 7. part. num. 120. cum seq.* Koppen. *d. num. 25. V. in casibus, &c.*

Minus dubium est, si Monasterium, vel Ecclesia crediderit, ut res aliis obligatæ v. g. domus, vel horrea &c. reficerentur, ut ab executione militari v. g. propter steuras Reipub. debitas, vel ab oppressione alia violenta bellica liberarentur, tunc enim non tantùm pupillo, vel Ecclesiæ, sed cuilibet hypotheca privilegiata constituitur, quòd suis expensis salvum pignus fecerit *in l. interdum 5. cum seqq. ff. Qui potior in pig.*

Si Ecclesia vendat rem aliquam, & fidem de pretio habeat, emptoris autem bona subhastentur, & res extet; quamvis fortassis dici possit, quòd *fictione brevis manus* censeatur res ex pecunia Ecclesiæ comparata, quasi Ecclesia mutuam pecuniam ad rem emendam dedisset, *argum. l. rogasti 11. ff. de Reb. cred.* adeoque privilegiatam hypothecam habeat, juxta superiùs dicta: melius tamen per *restitutionem in integrum* sibi consulit Ecclesia, vel Monasterium, nam tunc rescisso contractu dominium revertetur ad Monasterium, & pro re vendita *Vindicatio* competet, qui autem *vindicat* futurus est ante privilegia, inquit Ulp. *in l. si ventri 24. § in bonis ff. de Reb. auct. judic.*

possid. de quo restitutionis Privilegio suo loco pluribus agitur.

Tertiò si debitor in solutione cessaverit, tunc creditor pignus distrahere potest, & de pretio sibi satisfacere, & quidem, si per pactum expressum potestas distrahendi data sit creditori, is statim jure distrahit, sin verò de distractione nihil conventum sit, tunc per trinam denuntiationem, non una die, sed per intervallum 10. dierum faciendam debitor moneri debet, ut pignus per solutionem reluat; quòd si neglexerit, deinde pignus vendi poterit. Videatur Harprechr. *in §. ult. Instit. Quibus modis recontrahitur obligatio n.* 137.

Pactum autem, ut intra certum tempus debito non soluto pignus pleno jure acquiratur creditori, dicitur pactum *legis commissoria*, & tanquam usurarium reprobatur, eo quòd pignus ordinariè plus valeat, quàm ipsum debitum, *c. significante. 7.h.t. l. 1.& seq. C. de Pactis pignorum*. Si tamen creditor ita pacisceretur cum debitore, ut debito intra certum tempus non soluto pignus ipsi creditori juxta boni viri arbitratum pro justo pretio vendatur, non committeretur pactum legis commissoriæ, *l. si fundus* 16. *§. fin. ff. de Pigneribus*. Panorm. *in d. c. significante n. 6.*

10 Postremò admodum adnotandum, quod si res frugifera sit creditori oppignorata, & tradita, is ex tali pignora fructus non lucretur, sed debeat in exonerationem sortis principalis computata, nisi fortè aliquam partem locu interesse propter lucrum cessans, aut damnum emergens, vel aliam causam ab usura excusantem petare possit. Quare si ex re oppignorata per decursum temporis tot jam fructus perceperit, ut summam capitalem adæquent, pignus debitori restituendum erit, *c. 1. & 2. de Usuris c. cùm cont. 6. h. t. & l. 1. S. de pignoraticia actione*. Exceptio tamen est in marito, qui pro dote uxoris sibi debita accipiens pignus lucratur fructus propter onera matrimonii, *c. salubriter 16. de Usuris*. Item etiam in domino Feudi; qui ex re feudali sibi oppignorata fructus percipere potest propter quandam dominii utilis cum directo consolidationem, dummodò interim Vasallo servitia remittantur, *c. 1. X. de Feudis & c. conquestus 8. de Usuris*. Qua de re amplius in *Lib. V. in Tit. de Usuris* dicetur.

TITULUS XXII.

De Fidejussoribus.

§. I.

Qui dicantur, & esse possint Fidejussores.

SUMMARIA.

1 *Fidejussor qui dicatur.*
2 *Fidejussio an per quodvis pactum, vel etiam taciturnitatem fiat.*
3 *Fidejubere non possunt milites.*
4 *Neque Clerici, exceptis certis casibus,*
5 *Fidejussio Clerici an non tantùm sit illicita, sed etiam invalida? disputatur in utramque partem.*
6 *Fidejubere quando possint Religiosi, & Prælati Religionum.*
7 *De Fidejussionibus mulierum, & S.C. Vellejano.*
8 *Ex Fidejussione quibus casibus mulieres obligentur.*

1 F*idejussor* ab etymologia dicitur, quasi fide sua jubens & intercedens, ut alteri credatur: & juxta communiorem descriptionem est ille, *qui fidem suam pro principali debitore interponit, ac ejus obligationem in se quoque suscipit, principali nihilominus manente obligato.*

2 Hæc Fidejussio hodie non solum per solemnem stipulationem, ut olim, sed per quodcunque pactum, sponsionem, nuntium, vel epistolam (saltem ex generali præsertim Germaniæ consuetudine, de qua stipulationem, & pactorum Jura confusa sunt) rectè fieri potest. Imo *in l. cum ostendimus 4. §. fin. ff. de Fidejussoribus tutorum*, deciditur, quod si quis in judicio nominatur fidejussor patiatur nomen suum in acta publica referri, perindè teneatur, ac si verbis expressis fidejussisset. Id tamen non pauci Doctores cum Barth. *in d. l. 4.* existimant solùm procedere in Fidejussoribus tutorum ob pupillorum favorem. Quando autem generaliter ex taciturnitate præsumatur consensus, pluribus tradunt Interpretes *ad c. qui in tacet. de R. J. in 6.* & in præsenti materia videri poterit Antonius Hering. *in speciali Tract. de Fidejuss. c. 7. à n. 32.*

Fidejubere possunt regulariter omnes, qui ejus sunt conditionis, ut se, & sua obligare valeant, qui rectum rationis usum, & liberam rerum suarum administrationem habent.

Specialiter verò prohibentur milites, quo minus fidejubere possint, *l. milites 31. C. de Locato*, ne a militia abstrahantur, & præsumptione cinguli militaris aliis graves existant. Excipere solent Doctores nisi miles in rem suam, seu pro sua utilitate, aut pro sua etiam cohorte fidejusserit.

Ad exemplum militum de jure Canonico interdicitur Clericis Fidejussio, ne se ipsos æra alieno obruant, ut inde cum dedecora status Clericalis, & damno Ecclesiastici officii, ac redituum Ecclesiasticorum in pios, non profanos usus convertendorum ad curias trahi, & perpetuis litibus occupari debeant, *c. 1. & ibi* Doctores *hoc tit.* Neque id tantùm jure Pontificio, sed & Cæsaren statutum reperitur, *in Novella Justiniani* 123. *c. 6. & Novell. Leonis 86.* quas leges civiles non idcircò allegamus, quasi astruentes, Clericis à sæcularibus principibus leges imponi posse, sed ut tantò minùs adversus sacros canones conquerantur laici, si videant etiam Imperiali jure clericos à similibus oneribus immunes esse. 3

Verùm hic aliquot limitationes adferuntur, ut in primis, quòd istæ constitutiones tantùm intelligantur de indiscretis Fidejussionibus sine causa necessitaris susceptis, quas si frequentiores fecit Clericus puniri meretur tanquam sæcularibus negotiis nimium se implicans *per tex. in d. c. 1.* ibi: *Fidejussionibus inserviens*, ubi illud verbum *inserviens* actuum frequentiam denotat, Cæterùm pro indigente, & in necessitare constituto aliisque Fidejussoribus destituto Clerici fidejussionem non tantum non prohibitam, sed & piam, & meritoriam esse rectè censet Panorm. *in eod. c. 1. n. 3 & 4.* Gloss. *in c. quod quibusdam v. Fidejubeat eod. t. per text. in c. non satis dist. 86.*

Deinde pro Ecclesiis suis, item pro aliis Clericis fidejubere clericis concessum est, *c. 2. & 4. h. t.* Gloss. *in eod. c. 4. fidejubeat*, & *in c. te quidem causa* 11. *q. 3. l. cum clericis* 25. *§. 1. & l. omnes 33. §. 2. C. de Episcopis, & Clericis.* Eadem, & potiori ratione, qua Clerici pro Ecclesia sua, & aliis Clericis, iidem pro se, & in rem suam, sive utilitatem propriam fidejubere possunt, cùm ordinata charitas incipiat a se ipso, & quod quis alteri, utique conceditur, & sibi præstare, imò nonnunquam sibi, quod alteri non potest *arg. c. 1. §. fin. de Postulando l. qui stipendia C. de Procuratoribus.*

Utrum autem Fidejussio clerici extra recensitas exceptiones facta sicut est illicita, ita quoque sit invalida, ut nulla ex inde contra clericum Fidejussorem detur actio, dubitatur. Validam, & obligatoriam asserit Panorm. *in c. 4. h. t. n. 7.* Barb. *in eod. c. 1 in fin.* cum Menoch. *de Præsumpt. lib. 2. præs. 46. n. 15, & aliis.* Neque enim rarum est in jura nostro, ut multa fieri prohibeantur, quæ tamen facta sustinentur, prout dicitur *in c. ad Apost. 16. de Reg.* & casus *in c. 3. h. t.* propositus videtur id omninò evincere. Facit, & *l. 3. in fin. ff. h. t.* ubi Fidejussor non idoneus ex acceptatione creditoris idoneus efficitur. Accedit, quòd licet clericus prohibeatur reditus Ecclesiasticos in alios, quàm pios usus impendere, si tamen secus fecerit, valeat juxta communem sententiam translatio veri, & irrevocabilis dominii, id quod tantò magis in fidejussione obtinebit, cùm Fidejussori per regressum, & actionem contra principalem debitorem de indemnitate cautum sit, *c. 2. h. t.* Adde demù licet clericis tabellionatus, seu notariatus officium saltem circa sæculares causas exercere prohibitum sit, *cap. sicut* 8. *Ne Clerici, vel Monachi, &c.* Valent tamen instrumenta de facto contra juris prohibitionem à Clerico facta teste Panor. & Barb. *in eod. c. 8.* Et hæc sententia valdè communis, & probabilis est, ac præsertim circa bona patrimonialia, industrialia, & parsimonialia, clerici, & etiam cir-

ca

ea bona prospectu Ecclesiæ acquisita, ubi summa Fidejussionis fuerit modica, quam Clericus aliàs donare valeret, rectè teneri potest.

Contrarium tamen etiam non improbabiliter sustinet Hering. *d. Tract. de Fidejussoribus c. 7. à n. 251.* quia in dubio lex prohibitoria facit actum non tantùm illicitum, sed etiam invalidum, nisi valor ipsius aliunde colligatur, per textum notabilem *in l. non dubium C. de Legibus l. pacta 6. C. de Pactis c. quæ contra 64.* ubi Glossa, & Henricus Canisius *de Regulis juris in 6.* Quam proinde sententiam, qui defendere volet, contrariis respondebit, *in d. c. constitutus h. t.* non satis exprimi, an ille fidejussor fuerit Clericus, vel Laicus, imò juberi à fidejussione, sine dilectione absolvi, *l. legem* porrò 3. *ff. eodem*, procedere de illis, quorum Fidejussio in privatum duntaxat eorum commodum prohibita est, non in publicum tutius ordinis, ut Clericorum circa translationem dominii in bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis multum in primis inter Doctores disputatur, ut videre est apud illos, qui de dominio Clericorum scribunt, denique difficilius semper concedi, & practicari potest, ut re non amplius integra solutum repetatur, quàm ut aliquis ad solvendum obligatur. Cautionem per regressum contra principalem debitorem plerumque infirmam esse, inde facile patat, quòd Fidejussor regulariter tunc primum conveniatur, sit principalis debitor solvendo non sit, ut propterea inanis sit actio, quam debitoris inopia excludit, *l. namis nullam 6. ff. de Dolo*, postremo quidquid sit, de valore instrumenti sæcularis à Clerico Notario confecti, in eo potest assignari disparitas, quòd in confectione instrumenti non subsit ratio damni sicut in fidejussione.

De Religiosis, qui bona propria, & patrimonialia, quæ obligare possunt, non habent, constitutum est, *in c. penult. h. t. & c. 2. de Solutionibus*; quòd ex eorum fidejussione Ecclesia, vel Monasterium non teneatur, nisi consensus Abbatis, & majoris partis Capituli intervenerit, aut in monasterii utilitatem redundet. Imò *in d. c. 2. de Solutionibus*, Prælatus, qui pro alienis debitis Ecclesiam gravat, suspensionem ab administratione temporalium, & spiritualium incurrit, ubi notanter advertit Panorm. *ibidem n. 9.* contra Hostiensem, quòd talis Prælatus in hac suspensione celebrans non fiat irregularis, cùm non sit suspensus ab officio, sed ab administratione tantùm; spiritualium autem administratio in proprio sensu explicari potest v. g. de susceptione novitiorum ad religionem, vel professionem, de correctione in capitulo, & similibus actibus, officium verò propriè importat Divinorum celebrationem, & notum est, in pœnalibus terminos strictè accipiendos, & pœnam potius interpretatione mitigandam esse, *c. in pœnis 49. de R. J. in 6.* In re tamen modica Prælatus etiam sine consensu expresso Capituli fidejubere potest, quia talia in quibus non vertitur notabile Ecclesiæ præjudicium, subjacent potestati administratoriæ, quemadmodum etiam donationes moderatas facere non prohibeatur *arg. c. 3. ubi DD. de Donationibus*, quænam verò dicatur res, vel summe modica, in thesi determinari nequit, sed arbitrio prudentis viri habito respectu ad monasterii reditus dijudicandum erit.

De Senatus-Consulto Vellejano.

7 PRæterea inter eos, qui fidejubere non possunt, numerantur mulieres, idque prolixè tractatur in Jure Civili *tot. t. ff. & C. Ad Senatus consultum Vellejanum*; propter sexus enim imbecillitatem, & imprudentiam succurrendum fuit mulieribus in fidejussione, utpote ad quam commiseratione, & non prævidentes imminentis damni periculum facilè inducuntur: ac verecundiæ sexus repugnare visum alienas defensiones suscipere, & virilibus officiis se immiscere. Unde si de facto fidejusserint contra creditorem exceptio, & si insuper solverint soluti condictio ex præfato Senatus-Consulto Vellejano mulieribus indulgetur, *l. 2. §. 1. l. quamvis 8. §. interdum 3. & passim ff. Ad Senatus-Consultum Vellejanum.*

Utitur etiam lex non tantùm verbo *fidejussionis*, sed & *intercessionis*, quod generalius est, & latius patet, ita ut quomodocunque mulier pro alio intercedat, vel priorem alterius obligationem in se recipiendo, constituendo, mandando, & promittendo, defendendo, res suas pignori dando, vel novam obligationem pro alio inducendo v. g. mutuum pro eo accipiendo, vel simili beneficio protegatur, *d. l. 2. & d. l. 8. §. si cùm essem 14. l. non distinguimus §. 2. ff. de Receptis, qui arbitrium &c. l. Redemptores §. 1. ff. de Rei vindicatione.*

Adeò hæc procedunt, ut mulier etiam pro conjunctissimis personis patre, & liberis intercedendo non obligetur, *l. 3. & l. si paternam 8. C. Ad Senatus Con. Vell.* Item licèt maritus pro uxore, non tamen è converso uxor pro marito fidejubere valet, *l. 1. §. 3. C. Ne uxor pro marito*, neque uxoris simul cum marito fidejussio sustinetur, *l. si sine voluntate 5. & Auth. si qua mulier Cod. ad Senatus Cons. Vell.*

Videtur quidem in contrarium obstare textus *in c. ex rescripto X. de Jurejurando*. Ubi uxor, quæ cum marito fidejussit, adigitur ad implendam conventionem: sed hunc locum interpretantur Doctores solummodo procedere in fidejussione jurata, de qua nominatim citatum c. loquitur, cùm tale juramentum nec vi, nec dolo præstitum sine dispendio salutis æternæ servari possit, & inde etiam debeat, *arg. c. cum contingat 26. de Jurejurando*, sicut pluribus aliis casibus, de quibus mox dicemus, sua fidejussione mulier obstringitur. Gloss. *in d. c. ex resc. in verbo uxorem* Panorm. *ibid. num. 9. &* Barb. *in Coll. n. 4.*

Cæterùm extra casus specialiter exceptos mulier non tantum in foro fori, sed etiam in foro poli, & conscientiæ juxta communiorem Doctorum sententiam beneficio Senatus-Consultis adjuvatur, tum ex illo principio, de quo in *lib. I. Tit. de Constitutionibus* diximus, quòd lex justa in foro interno, nisi fuerit merè pœnalis aut in falsa præsumptione fundata: tum etiam, quia alias inter bonos Christianos perexigua, imò nulla foret beneficii utilitas, si mulier non obstante juris privilegio nihilominus urgente conscientia totum ex fidejussione debitum solvere teneretur, Gomezius *lib. 2. variarum resolutionum cap. 13. num. 16.* Molina *de Just. & Jure disp. 540.*

Porrò casus illi, quibus mulier auxilio Senatus-Con- 8
sulti destituitur, sunt primò, si mulier in rem suam, & propriam utilitatem fidejusserit, *l. aliquando 13. ff. ad Vellejanum*, vel etiam pretium pro fidejussione acceperit, qua de re videatur textus, & ibi Interpretes *in leg. antiqua 23. C. jam dicta tit.*

II. Si pro libertate servi alieni, aut dote alterius mulieris intercesserit, *l. Certum 24. & l. fin. Cod. eodem*, quod utique favore libertatis, & dotium ita constitutum est.

III. Si major 25. annis post primam intercessionem elapso integro biennio se rursus uni eidemque creditori obstrinxerit, tenebitur à die hujus secundæ fidejussionis *l. si mulier 22. Cod. ad S. C. Vellejanum.* Notant verò Doctores, hanc legem propter verba finalia ibidem expressa fundari in præsumptione juris, & de jure, quod nimirum mulier post tantum tempus, dum interea suo periculo consulere debuisset, priorem intercessionem repetens censeatur, non tam pro aliena, quàm propria causa intercedere, Joan. Andreas *in annotat. ad speculatorem tit. de Præsumptionibus §. species num. 5.* quo supposito dici possit, circa forum conscientiæ observandum esse, quod aliàs de præsumptionibus tradidimus, eas demum in conscientia ligare, si revera subsit, quod præsumitur.

IX. Non opitulatur mulieri Senatus-Consultum, si decipiendi animo, vel cùm sciret se non teneri, pro aliquo intercesserint, neque enim decipientes, sed deceptæ merentur auxilium, *lib. 2. §. 3. ff. Ad S. C. Vellejanum.*

V. Si creditor, apud quem mulier fidejussit fuerit minorennis, non juvatur mulier exceptione Senatus-Consulti, *l. si apud minorem 12. ff. de Minoribus.*

XI. Ex probabiliori sententia mulier huic beneficio non tantùm juramento, ut superiùs dictum, sed etiam simpliciter renunciare potest, dummodo per notarium, vel alium de eo sufficienter prius edocta, & certiorata fuerit, atque majorennis, sine vi, aut dolo renunciet; est enim hoc beneficium principaliter in favorem mulierum introductum, licet in consequentiam publicam quoque utilitatem respiciat, proinde nihil

videtur obstare quin huic suo favori renunciare valeant, *per text. in l. fin. §. penult. ff. Ad S. C. Vellejan. authent. matri, & l. fin. Cod. Quando mulier tutela officio fungi possit*, vid. Andreas Gail. *lib. 2. pract. observat. 77.* Fachin. *lib. 2. controv. cap. 6.* Eamque renuntiationem ipso facto censeri puto, si mulier non ignara Senatus consulti actualiter pro alio absolverit, *l. 4. in fin. ff. ad S. C. Vellejanum, l. 3. l. 4. & l. quamvis 9. C. eod. tit.* & aliàs mulieribus proprio nomine contrahere, solvere, & donare permittitur, *senatus enim obligata mulieri succurrere voluit, non donanti, quia facilius se mulier obligat, quam alicui donat*; inquit juris Consultus *in d. l. 4.* adde *l. si mulier 11. ff. & l. si adversarius 10. in princ. Cod. eod. tit.*

Illud verò adhuc notanter quidem adjiciunt, non statim præsumi fœminam Senatus consulto renuntiasse, licèt in instrumento ita scriptum fuerit, nisi reyera constet eam fuisse prius de beneficio sufficienter instructam, quia tales clausulæ solent ex consuetudine Notariorum adscribi, & tametsi partibus præsertim simplicioribus prælegantur, ab iisdem tamen non intelliguntur, Gloss, Barth. & Jason *in l. fin. §. item quæsitum ff. de Condictione indebiti.* Andr. Gail. *d. loc. num. 4.* sed huic contrarium statuit Hering. in Tract. *de fidejussoribus c. 7. n. 499.* asserens, pro instrumento esse præsumendum, donec aliud probetur. Censeo judicem ex circumstantiis facti arbitrari debere pro qua parte urgentior existat præsumptio.

VII. Demum sentit Hering. *d. c. 7. nu. 517.* sine alio tamen authore, & ideò liberum desuper cuilibet relinquit judicium, fœminas illustres, quæ actu regalia, & jurisdictionalia ad instar virorum exercent, hac Senatus Consulti exceptione se tueri non posse, eò quòd virilibus officiis fungentes virili etiam jure uti debeant. Potest adjungi, quòd penes tales feminas, quæ cum consilio prudentum, & suorum curialium omnia factitare solent, deficiat ratio Senatus Consulti, quam de imbecilitate sexus, & infirmo judicio attendit.

---

§. II.

Quæ causæ recipiant Fidejussores, & de Fidejussorum beneficiis.

SUMMARIA.

9 *Fidejussionem quæ causa recipiant vel non.*
10 De *Fidejussorum quadruplici beneficio, & ibi de beneficio ordinis, seu excussionis.*
11 *De beneficio divisionis.*
12 *De beneficio cedendarum actionum.*
13 *De beneficio liberationis.*

9 QUamvis regulariter omnes causæ fidejussionem admittant, neque tantùm principali obligationi, sed & ipsi accessoriæ fidejussor accedere, & sic fidejussoris fidejussor vulgo *Aucburgen*, accipi possit, & non rarò soleat; *l. Græce 8. §. fin. ff. hoc tit.* Excipiuntur tamen imprimis causæ criminales, ubi pœna corporalis imponitur, secus si tantùm pecuniaria, cùm enim nemo sit dominus membrorum suorum, *l. liber homo 13. ff. Ad legem aquiliam* hinc est, quòd nemo se ad pœnam alterius subeundam obligare valeat.

Item pro dote conservanda fidejussor intervenire non debet; ne conjuges se invicem perfidiæ arguant, cùm concordia conjugalis omni lucro sit præferenda, nec difficilior debeat esse uxor in credenda marito dote, quàm dum ei credit, & tradit propriam personam, *l. 1. C. Ne fidejussores dotis dentur.* Si tamen maritus decoctor esset, & ad inopiam vergeret, non solùm fidejussores, & cautio super dota recipi, sed etiam dos ipsa repeti, & saltem sequestrari, ac ad censum annuum collocari posset, unde maritus, sine ulteriori administratione ex solis fructibus sibi consignatis onera matrimonii substineret, *c. per vestras 7. de Donationibus inter virum, & uxorem. l. si constante 24. ff. Soluto matrimonio.*

Denique in contractu, cui lex expressè resistit, fidejussor intervenire nequit; quia cùm tunc principalis nec naturaliter, nec civiliter obligetur, pereunte principali obligatione, perit & accessoria. Aliud autem dicendum, si saltem naturalis obligatio subsit, veluti in pupillo pubertati proximo, aut minorenne, sine tutoris authoritate contrahentibus: quibus fidejussor cum efficaci obligatione accedere potest, *l. si pupillus 127. ff. de Verb. oblig.*

Fidejussionis effectus is est præcipuus, ut si creditor solutionem à principali debitore consequi non possit, fidejussorem convenire valeat, neque tantùm ipse fidejussor tenatur, sed etiam illo mortuo heres ipsius, prout regulariter omnes obligationes ex consensu, & contractu sunt in heredes transitoriæ, *§. 2. Instit. h. t.*

Verùm ne fidejussoribus officium suum nimis damnosum sit, jura iisdem tria beneficia dederunt: videlicet beneficium *ordinis*, seu *excussionis*, beneficium *divisionis*, & beneficium *cedendarum actionum*; quartum etiam addi potest, beneficium *liberationis*.

Primùm igitur beneficium *ordinis*, seu *excussionis* opponit fidejussor, ne ante principalem debitorem conveniatur. *Novel. 4. & auth. præsenti Cod. h. tit.* Priùs enim in bonis suis excutiendus est principalis; & si solvendo non fuerit, tunc primùm contra fidejussorem procedendum erit.

Sunt tamen aliqui casus in quibus fidejussor hoc beneficio destituitur, ut I. si illi renunciaverit: quod non tantùm expressè fieri potest, sed etiam tacitè, & implicite, si nimirum solverit non opposita beneficii exceptione, vel si (ut multi probabiliter existimant) in instrumento fidejussionis se tanquam principalem debitorem *als selbst Sculdner und Zahler*, obligaverit. Videatur Harpprechtus *in §. plures hoc tit. n. 30.* Fachin. *lib. Controvers. c. 54.*

II. In pœnam beneficium excussionis amittit fidejussor, qui malitiosè negavit fidejussionem, & postea convictus est Barb. *in c. 2. h. t. n. 6.*

III. Cessat hæc exceptio, si notorium sit, principalem non esse solvendo, vel propter potentiam suam conveniri non posse. Minsing. *Cent. 2. obser. 15.* Idem dicendum; si principalis extra Provinciam absens fuerit, fidejussor autem præsens; quo tamen casu fidejussori, si petierit, concedendus erit terminus ad sistendum principalem *auth. præsenti C. h. t.*

IV. Licet omnes exceptiones reales, quæ rem respiciunt, & vel ipso jure, vel ope exceptionis tollunt obligationem, velut exceptio doli, metus, pacti de non petendo, & similes principali debitori competentes prosint quoque fidejussori, quo minus solvere teneatur, *l. fin. ff. de Pactis.* In exceptionibus tamen personalibus principali competentibus fidejussor non juvatur. Unde licet Clerici prospectu creditorum, parentes respectu liberorum, donator respectu donatarii, & alii habeant exceptionem competentiæ, ut usque ad saccum, & peram juxta vulgarem loquendi modum excutiendi non sint, nec teneantur in plus, quam reservata congrua sustentatione facere possint, de quibus in *Tit. seq.* dicemus, quia tamen istæ exceptiones, & si quæ aliæ similes tantum favorem personæ principalis respiciunt, ideo in istis casibus fidejussor in solidum rectè convenitur.

Quod verò quidam apud Barb. *in Collect. cap. 2. hoc tit. num. 7. & 9.* volunt, beneficio excussionis non esse locum 10
in foro Ecclesiastico, & generaliter, ubi summariter ex bono, & æquo sola facti veritate inspecta proceditur, id non immeritò negat Fachin. *d. l. 8. c. 53.* quia in summariis judiciis tantum frustratoriæ, & frivolæ exceptiones, quæ ad prolongandam litem faciunt, rejiciendæ, non verò relevantes, quæ ad causam pertinent, *Clement. sæpe de Verb. signif.* hæc autem exceptio excussionis, seu ordinis est ex ipsa natura causæ fidejussoriæ, utpote cujus obligatio est solum in subsidium principali deficiente, utitur summa æquitate, ne fidejussor contra intentionem suam durius obligetur, eique actus charitatis alteri præstitus nimis damnosus sit. Imò hanc exceptionem etiam post litis contestationem opponi posse saltem de æquitate pluribus aliis sentit. Anton. Hering. *d. tract. c. 28. n. 21.* Andr. Gail. *Lib. 2. obs. 27. num. 3.* neque enim hæc exceptio est mere dilatoria, quæ tantum differt actionem ad tempus, sed insuper tum ex intentione, & natura fidejussionis, tum ex beneficio Justiniani in *d. Nov. 4.* Juxta

eandem

eamdem naturam, & intentionem concessio in effectu est etiam obligationis peremptoria, si nimirum principalis debitor ipsemet solvendo existat.

11 *Secundum* beneficium *divisionis* locum habet inter plures fidejussores, qui pro uno debitore, & pro eadam summa fidejusserunt. Etenim ex natura fidejussionis singuli *in olidum*, id est, ad totam summam solvendam obligantur, & solvere tenetur is quemcunque creditor omissis aliis convenerit, nisi nominatim ita contractum sit, ut quilibet fidejussorum tantùm in certam partem teneretur. Attamen Imperator Hadrianus sua Epistola concessit beneficium *divisionis*, ex quo totum debitum solvendum inter plures fidejussores pro æquis partibus distribuitur. Unde & alio nomine *beneficium Epistola Divi Hadriani* appellatur, *§. si plures. 4. instit. hoc titulo l. inter 26. ff. eadem*, *l. fin. C. de Constituta pecunia*.

Cessat hoc beneficium I. si eidem fidejussores renunciarint, val expresse indivisim *ohnverschei dentlich* se obligando, vel tacitè omissa divisionis exceptione solvendo: neque enim ipso jura, sed ope exceptionis inter plures fidejussores dividitur obligatio, *d. l. inter. 26. l. ut fidejus. 39. ff. hoc t.* potest tamen hæc exceptio etiam post litem contestatam opponi, teste Heringio *dicto loco n. 31.* cum Barth. & DD. *in l. si dubiten. 10. ff. eodem.* quia saltem pro parte illa, quæ contingeret reliquos fidejussores, est peremptoria.

II. In pœnam amittunt beneficium, qui fidejussionem negaverint, & condicti fuerit, *l. si dubitet. 10. §. 1. ff. hoc tit.*

III. Non obtinet in pluribus fidejussoribus, qui in re pupilli pro tutore fidejusserunt, ne cum pupilli incommodo scindatur actio. *l. fin. ff. Rem. pupill. salvam fore.*

IV. Si reliqui fidejussores tempore litis contestatæ solvendo non sint, beneficium quoque non prodest. Si verò post litem contestatam, & inter moras judicii bonis labantur, illud periculum ad creditorem pertinebit, *d. §. si plures, & l. inter. 26. cum ll. seq. ff. h. t.*

12 *Tertium* beneficium dicitur *cedendarum actionum*: quòd si enim fidejussor nec beneficio excussionis contra principalem debitorem, nec divisionis adversus confidejussores ex aliqua causa uti possit, hoc saltem à creditore cui solvit, jure petet, ut sibi actiones omnes tam reales, quàm personales contra principalem debitorem, & reliquos fidejussores, vel etiam pignorum possessores cedat.

Porrò beneficium istud respectu confidejussorum necessarium est: nam illi à solvente conveniri hand valerent, non quidem ex vero contractu, quia cum ipsis solvens nihil contraxit; nec etiam ax quasi contractu negotiorum gestorum, quia cum fidajussor ordinario jure (abstrahendo à speciali pacto) per se sit in solidum obligatus, proprium magis, quàm alienum negotium gessisse censebitur. *l. ut fidejussor 39. ff. eod.* Contra principalem autem debitorem cessio actionum non quidem omnino necessaria est, cùm, & aliàs fidejussori solventi pro principali competat actio mandati, vel negotiorum gestorum: est tamen plerumque valdè utilis, quia creditor propter constituta pignora ordinariè pinguiorem actionem habet, quàm sit actio mandati, vel negotiorum gestorum, quæ tantùm personales axistunt.

Nunquid autem atiam post solutionem cessio actionum peri, & fieri poterit? Ratio dubitandi est, quòd solutione debiti expiret obligatio, & actio. *princ. Instit. Quibus modis tollitur oblig. & l. pen. ff. de Solut.* ac proinde cedi nequeat, quòd in rerum natura esse desiit, sicut non entis qualitates non sunt. Verùm quia per solutionem tantùm exspirat actio, quæ competebat contra fidejussorem, principalis verò debitor, cùm non solverit, adhuc maneat ipso jure obligatus, & per ipsum reliqui etiam fidejussores, qui non solverunt (quamvis propter exceptionem ab ipso creditore conveniri nequeant, ne eandem rem bis consequatur) ideo valde probabiliter dicitur, quòd etiam post solutionem ab uno fidejussore factam actio tam contra principalem, quàm reliquos fidejussores utiliter per creditorem cedi valeat. Harpr. *in d. §. si plures. 4. h. t. n. 50.*

Quartum denique beneficium, quod fidejussores indemnes consarvat, est *liberatio*: nam certi sunt, in quibus fidejussor agere potest contra principalem, ut se à fidejussione liberet, solvendo nimirùm creditori, vel alium idoneum fidejussorem, aut pignora substituendo. *Primus* casus est, si principalis debitor nimis diu in obligatione permanserit, ne continuum, & quasi perpetuum sit fidejussoris periculum; diu autem censetur ex interpretatione Doctorum 10. annorum spacium, vel prout judex arbitrabitur. *Secundus*, si principalis incipiat bona sua dilapidare. *Tertius*, si fidejussor forsan prætermisso ordinis beneficio condemnatus fuerit. Et isti tres casus habentur, *in c. fin. h. t. & in l. Lucius 38. §. 1. ff. Mand.* præter quos adhuc alii à Doctoribus recensentur, veluti si fidejussio tantùm ad certum tempus facta sit; si fidejussor peregrè proficisci, & diu abesse vellet: si inimicitiæ capitales inter fidejussorem, & debitorem principalem culpa ipsius debitoris exortæ fuerint, &c. Videatur Harpr. *in §. si quid avem. 6. n. 7. & seq. inst. h. t.* Andr. Gail. *Lib. 2. observ. 29.* & Ant. Hering. *d. tr. de fidejuss. c. 25. n. 12. & c. 30. nu. 64.* ubi formulam hujus actionis proponit.

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

SUMMARIA.

1 *Clerici quale privilegium habeant circa solutionem debitorum.*
2 *Solvi potest etiam invito creditori.*
3 *Solutio facta pupillo, vel minori an, & quando liberet?*
4 *Solutionem particularem non tenetur creditor acceptare.*
5 *Solutio facta ab eo, qui ex diversis causis debet, qualiter imputanda.*
6 *Solutio quando fieri possit ante diem adjectum.*
7 *De Solutione in certum locum destinata.*
8 *Solvere potest etiam alius pro ipso debitore, & ita eum in actione famosa liberare.*
9 *De Solutione, qua fit rerum alienarum administratoribus.*
10 *Solutam pecuniam transferendam recipiens, si cum ea aufugiat, cujus sit damnum.*
11 *Solutio potest fieri in alia specie moneta, nisi secus conventum.*
12 *Solvi non potest pro pecunia accepta corpus, seu species.*
13 *Solutio qualiter facienda in casibus mutata moneta prolixius tractatur.*
14 *Mora præstatio intelligitur de mora culpabili.*
15 *Compensatio, quid, & quando locum habeat.*
16 *Compensatio tacita admittitur, etiam ubi in foro externo denegatur.*
17 *De aliis Solutionis speciebus.*
18 *Ecclesia, vel successor in beneficio, vel Civitas quando teneatur solvere debita ab antecessoribus, vel administratoribus contracta.*

Solutio est *totius rei debita idonea satisfactio, creditori per debitorem justo loco, & tempore præstita.* Circa quam ea, quæ pro quotidiana praxi faciunt, breviter denotabimus. 1

Notandum igitur I. quamvis non minus Clerici, quàm laici debita solvere teneantur, speciali taman juris privilegio munitos esse Clericos, ut propter debita incarcerari, vel excommunicari non possint, sed si de facto non habeant, unde solvant, satis est, quòd caveant, & promittant de solvendo, ubi ad pinguiorem fortunam devenerint. Imò nec omnia bona, quæ de facto habent Clerici, creditoribus cedere tenentur, sed exemplo militum gaudent beneficio *competentia*, ut non ultra, quàm deducta congrua sustentatione facere possunt, conveniri valeant per text. & DD. *in cap. Odoardus 3. hoc. tit.* Dubitant hic Interpretes, an Clericus, qui æs alienum contrahit, valeat huic beneficio renunciare? ex ea dubitandi ratione, quòd regulariter quilibet favori suo, & privilegio renunciare non prohibeatur, *l. pen. C. de Pactis*. Magis tamen receptum est, ta-

lem renuntiationem non valere, eò quòd dictum privilegium honorem totius Ordinis clericalis respiciat, ne Clericus obæratus in opprobrium sui Ordinis mendicare cogatur, sicut in simili de *privilegio fori* traditur *in c. si diligenti. de Fore competenti*. Quòd verò attinet ad *d. leg. pen. cum similibus*, ea procedit de favore, & privilegio in privatum duntaxat commodum unius, vel alterius personæ introducto. Henr. Zoes. *h. t. in Decret. n. 5.*

Advertit autem Riccius *in Praxi aur. decis. 26. & seq.* quòd Clericus negans debitum, & de eo per sententiam condemnatus; vel qui dolo, & sub spe *d. cap. Odoardus.* debita, & æs alienum contraxit, non gaudeat dicto privilegio, quod per omnia comparatur privilegio cessionis bonorum. Sed id putarem admittendum quoad illa media compulsoriaria, ut Clericus in talibus casibus per censuras, vel incarcerationem adigi possit ad solvendum; quòd verò etiam propterea omnibus bonis exui valeat, non est satis in Jure Canonico expressum, neque propter reverentiam Ordinis clericalis facilè introducendum; delictum enim cuique suum non alteri, minus Ecclesiæ, seu Ecclesiastico honori nocere debet. *l. factum. 155. ff. de Regulis Jur. & c. dilectum eodem in 6.*

2 Not. II. quòd creditori, qui rerum suarum administrationem habet, semper solvi possit etiam invito, dummodo in loco, & tempore competenti: vel certè si creditor solutionem debito loco, & tempore factam accipere nolit, licebit debitori eas pecunias magistratui consignare, & ita se à debito principali, & ab usuris imposterum liberare. *l. obsignatione. 9. C. h. t.*

3 Dico: *si creditor rerum suarum administrationem habeat*: nam pupillo, vel minori sine tutoris, aut curatoris authoritate facta solutio non liberat debitorem, quin de pecunia forsan malè perdita denuo convenire valeat; quia pupillus obligationem, & actionem amittere non potest. Si tamen pecuniæ adhuc exstarent, vel in rem pupilli versæ fuissent, daretur exceptio doli contra tutorem, vel pupillum bis idipsum, quod habet, repetentem, *l. pupillo. 15. h. t.* E converso autem licet pupillus, vel minor sine authoritate tutoris, vel curatoris solvere nequeant, sicut nec res suas alienare, vel dominium transferre, si tamen de facto solverint, & pecunia penes creditorem perierit, solutio convalescit, & liberatio sequetur, ne quod in favorem pupilli introductum est, in ejus odium retorqueatur, si idem debitum iterato solvere teneatur, *l. quod si fortè. 24. §. fin. ff. eodem.*

Notandum tamen III. quòd creditor non teneatur particularem solutionem acceptare, v. gr. si debitor mille florenorum hoc anno vellet solvere centum, & reliquum annis sequentibus, &c. quia una obligatio una solutione sollenda est; & plerumque particularis solutio multa incommoda secum fert, cum ejusmodi pecunia ita minutim accepta, facilè consumatur, nec ad emptionem rei immobilis frugiferæ, vel census annuos rectè applicari possit. *l. tutor. 41. §. 1. ff. de Usuris*, aliud autem dicendum, si debitor pecuniam ex diversis causis debeat, v. g. centum ex mutuo, centum ex empto, &c. tunc enim cùm diversa sint debita, unum sine altero exsolvi potest, & creditor acceptare tenetur. *lib. 1. C. h. t.*

5 Notandum IV. si quis ex diversis causis debitor existat, & aliquam pecuniæ summam exsolvat, nec tamen exprimat, in quodnam debitum velit solutionem imputare, quod ei liberum est, tunc quidem electio est creditoris, sed is ita rem debitoris agere debet, uti suam propriam. *l. 1. ff. h. t.* ideoque in dubio, & quando non constat aliter de mente solventis censebitur talis solutio imputata in causam duriorem, & per eam extinctum illud debitum, quod maximè gravabat debitorem, *l. in his. 5. ff. Eod.* e. g. si aliquod ex dilatione, aut inficiatione crescit in duplum, tunc in dubio potiùs unum ex his debitis onerosis, quàm illud simplex exsolutum intelligetur. Imò tametsi major pecunia soluta sit, quàm unum debitum exposcat, adhuc tamen illud debitum, quod maximè debitorem premebat, ex toto, & proximum pro parte sublatum erit. *l. cùm ex pluribus. 97. ff. h. t.* Illud verò est speciale, quòd si simul usuræ aliquot, v. gr. annorum, & ipsum capitale debeatur, tunc priùs per solutionem usuræ, quàm capitale sublatæ censebuntur: quamvis enim expediret debitori, solutam pecuniam in capitale imputare, ut eo extincto nullæ etiam imposterum usuræ deberentur, non est tamen in potestate debitoris restantibus usuris solvere capitale, *d. l. 5. §. 3. ff. h. t.*

Notandum V. si debitum sit in diem contractum, etiam ante illius diei existentiam solvi posse: quia dies in favorem debitoris adjectus censetur, cui proindè renuntiare non prohibetur, *l. stipulatio ista 38. §. inter 16. l. continuus 137. §. 2. ff. de Verb. obligat.* nisi ob creditoris quoque gratiam, & interesse certus solutioni dies destinatus fuisset; tunc enim in solutionem ante diem faciendam ipsum etiam creditutem consentire oportet, *l. cum qui 15. ff. de Annuis legatis.* 6

Cæterùm si dies nominatim solutioni adjectus non sit, quamvis de rigore omni die debitum repeti possit, quia in obligatione pura statim cessit, & venit dies, *l. cedere diem 213. ff. de Verb. signif.* ne tamen contractus elusorii, & sine utilitate ac effectu cum damno humani consortii reddantur, si v. g. mox eodem die pecunia mutuata repeteretur, æquitas omninò suggerit, aliquod tempus pro commoda solutione arbitrio boni viri, & judicis intercedere debere, *l. quod dicimus 105. ff. h. t. l. si dom. 71. §. 2. ff. de Leg. 1.* 7

Qualiter autem solutio ex condemnatione judiciali, & re judicata facienda sit, in Libro II. in Tit. *de Sent. & re jud.* dictum est.

Notandum VI. De loco solutionis distinguendum esse, an certus determinatus sit, nec ne? nam si priùs, debitor non potest in alio loco solvere, neque creditor alibi petere, nisi forsan tergiversaretur ad locum solutioni destinatum venire, *l. 1. & tot. tit. ff. De eo, quod certo loco, &c.* si verò locus in contractu adjectus non sit, tunc locum contractus, aut domicilii debitoris, quemadmodum in judicialibus, in solutione competentem asserunt Doctores. 8

Notandum VII. quòd non tantùm ipse debitor, sed & quicunque alius pro ipso etiam ignorante, vel invito solvere, atque ita eundem à debito liberare possit, *princ. Instit. Quibus modis tollitur obligatio, l. solvere 53. ff. h. t. l. manifesti 17. Cod. eod.* Undè notabilem cautelam tradunt DD. qua amicus possit amicum actione injuriarum, vel alia famosa conventum ab infamia liberare, si nimirum pro ipso ignorante, vel invito solvat, ne reus principalis spontè solvendo censeatur confiteri crimen, *l. 4. §. fin. cum l. seq. ff. De his qui notantur infamia.*

Notandum VIII. quòd etiam creditoris tutori, vel curatori, aut procuratori generali, cui omnium negotiorum administratio commissa est, & multò magis procuratori speciale mandatum ad recipiendam solutionem habenti solvi possit, non autem illi, qui tantùm ad movendam litem in judicio constitutus est, nisi principalis solutionem ratam habuerit, *l. hoc jure 86. ff. h. t.* Putativo procuratori solutio bona fide facta quidem etiam liberat debitorem, dummodo talis sit, qui semel generale aut speciale mandatum recipiendi pecunias revera, & scienter habuit, quod deinde creditor ignorante debitore revocaverit, sibi enim imputabit creditor, quòd de revocato mandato debitorem non admonuerit, *l. qui hominem 34. §. 3. ff. h. t.* 9

Notandum IX. si ille, cui solvitur, nunquam aliquod mandatum habuerit, sed fraudulenter finxerit, se habere mandatum, & multò magis, si debitor proprio motu, & voluntate alicui sine creditoris præscito pecunias dederit, non liberabitur, nisi subsequente creditoris ratificatione.

Quare, si recipiens pecunias cùm iisdem aufugerit, vel per deprædationem, aut casum fortuitum amiserit, nova solutio à debitore exigetur *d. l. qui hominem §. 4. & seq.* Videtur quidem in contrarium facere, *l. argumentum 20. ff. Commod.* ubi is, qui argentum commodatum suo servo, qui communi existimatione fidelis, & idoneus credebatur, tradidit ad commodantem transferendum, liberatur, licet servus in itinere cum argento deprædatus sit. Verùm inter transmissionem pecuniæ ex mutuo, vel alio contractu debitæ rationem differentiæ assignat Panorm. *in c. significante 7. de Pignoribus n. 8.* quòd scilicèt priori casu transmittens pecuniam sit debitor generis, & consequenter Dominus, antequam creditor accipiat, in quem tenetur dominium solvendo transferre: posteriori verò is fit dominus, ad quem res transmittitur, ac transmittens rem commodatam, depositam, vel oppignoratam, fit debitor certæ speciei, qui interitu ejusdem liberatur. 10

Ne-

Notandum X. nisi specialiter conventum sit, ut solutio in certa specie monetæ fiat, non posse cogi debitorem, ut pecuniam in illa specie reddat, in qua accepit, v. g. imperiales pro imperialibus, &c. sed qui fortè centum imperiales in specie accepit, poterit 150. florenos in parva pecunia reddere: quia pecunia recipit functionem in genere, & regulariter magis attenditur quantum, quàm quid solvatur, *arg. l. 1. §. 1. & l. Titia 35. ff. de Auro, & argento legato*. Barth. *in l. Paulus* 101. *ff. h. t.*

An autem pro aurea moneta mutuo accepta possit reddi argentea, magis videtur dubium, propter textum *in Novella* 4. c. 3. ubi aurum pro auro exigi conceditur. Nihilominus etiam hic ad primam contrahentium intentionem respiciendum opinor: an sub ea lege mutuati auri, ut vicissim tales redderentur: vel an non petente debitore, & sponte à creditore, nihil aliud pasciscente alterius pecuniæ loco aurei dari sint: priori casu procedet Novella; ut colligitur ex illis verbis; *si ardeat creditor aurum omninò quærens &c.* quæ Novella nihil novi circa hoc inducit, sed principaliter disponit, qualiter procedendum cum debitore auri, si aurum non habeat, sicut eandem dispositionem transsumptam habemus *in Authent. hoc nisi C. h. t.*

Altero verò casu, etiam aurea pecunia æstimationem, & functionem in genere recipit, cùm tempore mutui contracti non tam qualitas, quàm quantitas pecuniæ considerata fuerit, & interpretatio facienda contra creditorem, in cujus potestate erat legem contractus apertiùs dicere, sicut notavit Gotthofredus *ad l. 3. ff. de Reb. creditis, d. l. Titia*, ubi pro auro legato æstimatio præstari permittitur.

12 Verùm hoc ita procedit, si debitor pro pecunia accepta aliam pecuniam, licet diversæ speciei, reddere velit, At verò si pro pecunia offerat corpus, aut speciem v. g. equum, domum, &c. vel econtra pro corpore, aut specie pecuniam; invitus creditor acceptare non tenetur: haberet enim talis solutio speciem emptionis, nemo autem invitus emere, vel vendere tenetur, *l. invitum* 11. *Cod. de Contrahenda emptione*, & aliàs nota est regula, *quòd aliud pro alio invito creditori solvi non possit, princ. Institut. Quibus modis tollitur obligatio; & L. cum à quo. Cod. h. t.* Non obstat *d. l. 1. §. & l. Titia. Item l. si quis argentum* 35. *in princ. C. de Donationibus*, ubi certa pondo auri, & argenti legata debens satisfacit æstimationem in pecunia numerata solvendo: nam istæ leges, ut ex earum contextu manifestè apparet procedunt, si testator non certum corpus argenti, veluti poculum, aut aliud vas argenteum in specie legarit, tunc enim idipsum, & non ejus æstimatio præstanda foret, sed quando in genere ponderis facit mentionem, quo casu censetur, hæredem ad nullum determinatum corpus, sed ad pondus alicujus argenti in genere, vel, quod in effectu idem est valorem ejus adstrinxisse, idque propter affinitatem, quæ est inter argentum ponderatum, & numeratum, nam & nummis suum pondus, & ex pondere nummi fiunt, atque numerus, & pondus qualitas rerum fungibilium est.

13 Occurrit porrò celebris, & huic loco accommoda quæstio, quemadmodum solutio facienda, si moneta mutetur, id est, ex impositione, & dispositione Principis in valore suo, aut materia augeatur, vel minuatur. Duplicem mutationem monetæ communiter distinguunt. DD. unam, quam vocant *intrinsecam*, & alteram *extrinsecam*. Intrinseca est, quando materia, seu substantia monetæ mutatur v. g. thaleri, aut alii nummi semicuprei cuduntur; &c. *Extrinseca*, quando manente eadem bonitate materiæ valor, sive æstimatio extrinseca augetur, vel minuitur, quemadmodum circa annum 20. hujus sæculi propter defectum pecuniarum valor thaleri ad 10. florenos excrevit.

Primò igitur casu, si moneta *intrinsecè* mutetur, plerique consentiunt, simpliciter inspiciendum esse tempus contractus, & secundùm illam æstimationem, & speciem monetæ solutionem faciendam; quòd si antiqua moneta ampliùs non extet, solutio quidem in nova moneta fiet, sed habita proportione; & æstimatione arbitrio boni viri, ac considerato interesse lucri cessantis, vel damni emergentis ad valorem veteris monetæ, ita ut si vetus moneta fuerit melior, de nova aliquid supplendum sit; si deterior, in nova aliquid detrahi possit. Textus &

Interpretes, *in c. olim* 20. *& c. cum Canonicis* 36. *de Censibus*. Neque enim, ut quidam in contrarium opponunt, tota ratio, & substantia monetæ in æstimatione extrinseca à superiore imposita consistit, cùm pro moderno Reipublicæ statu etiam bonitas intrinseca, & certum ipsius pondus quàm maxime consideretur, sicut moneta rasa tantò minùs valet, quantò plus auri, vel argenti abrasum est. Item cùm hodie non sit unum territorium Imperatoris, sicut olim, sed diversissima aliorum Principum, moneta, quæ non habet intrinsecam bonitatem, in aliis territoriis expendi non potest. Facit huc *l. debitorem* 99. *ff. h. t.* ubi dicitur, *debitorem* (convenientius Glossatores legunt, *creditorem*) non esse cogendum, ut in alia forma nummos accipiat, si ex hoc damnum sit passurus. Barth. Salicet. & Castrensis, *in l. cum quid ff. de Reb. cred.* Fachin. *lib. 2. Consilio* 46. *n. 9.* Covar. *de Veterum Numismatum Collatione c. 7. un. n. 2.* Andreas Gail. *Lib. 2. obs. 73. n. 3.* Valebit tamen consuetudo, vel præscriptio solvendi in moneta nova, non habita consideratione materiæ prioris, quia talis consuetudo tollit multitudinem litium. Bovius *dec. 327. n. 3.* Panorm. *in d. c. cum Canonicis in fine*. Sentiunt quoque nonnulli, quando in debito sola determinatio certi numeri florenorum in genere interposita est, absque eo, ut certam monetæ formam, vel materiam nominando contrahentes præfigerent, quòd tunc in obligatione, & solutione plus esse non videatur, quàm debita pecuniæ summa, & quantitas, quæ proinde etiam in moneta usuali currenti tempore solvi possit.

14 *Alterò* autem casu, *quando manente eadem bonitate intrinseca valor extrinsecus moneta mutatur*, difficilima inter Doctores disceptatio est, an ad creditoris, vel debitoris lucrum, aut damnum talis mutatio pertineat? v. g. si quis anno 1615. credidit alteri 100. florenos, anne dein quando thalerus crevit ad 10. florenos, teneatur pro centum florenis decem tantùm thaleros acceptare; vel qui post auctum thalerum mutuos accepit centum Imperiales, adeoque secundum æstimationem illius temporis mille florenos, teneatur etiam hodie postquam thaleri valor ad florenum cum dimidio decrevit, integros mille florenos exsolvere.

In hac celebri controversia Doctores censent ad conventionem partium principaliter attendendum: contractus enim ex conventione legem accipiunt, juxta *Regulam* 85. *juris in 6.* Ponunt autem tres conventionis modos I. si nominatim conventum sit, ut certa species monetæ, & certo numero redderetur v. g. centum thaleri, vel aurei in specie. II. si nulla certa species, & numerus monetæ determinatus, sed quantitas in genere v. g. centum floreni pro centum florenis reddi petantur. III. si quidem mentio fiat de certa specie monetæ, veluti thaleris, aut ducatis solvendis, sed quia numerus expressus non fuit, dubitetur, an contrahentes, ad monetæ determinata corpora, vel æstimationem tantùm eorum respexerint. *Quartam* considerationem addunt: fuerit ne debitor justo tempore, & loco à creditore interpellatus in mora solvendi, an non?

Quod igitur attinet ad *primum* conventionis modum; *si moneta in certa specie, & numero expresse determinata sit*, communis est sententia teste Paulo Layman. *in Theolog. moral. lib. 3. Tract. 3. p. 1. c. 5. n. 23.* quòd superveniens extrinseca mutatio valoris lucro, vel damno creditoris cedat, quia tot specifica monetæ corpora solvenda, quot in pactum deducta sunt, sive valor eorum auctus, sive diminutus fuerit. Ejusdemque sententiæ allegat Covar. Abbatem, Molinam, & alios. Addit: dummodo pactio justa fuerit; quia intererat mutuaturi, qui aureos, vel thaleros ad illud tempus auctionis servasset, vel si æquale periculum tum fuerat augmenti, & diminutionis, quod periculum diminutionis, cùm in se pariter creditor suscipiat, non videtur iniquum, ut etiam in alio eventu commodum sentiant, & lucrum, *arg. c. naviganti*, & quę ibi tradunt Interp. *X. de Usuris*.

Verum licet huic sententiæ libenter subscribam, quando mutatio monetę non est excessiva, sed modica; planè tamen subsisto, quid dicendum, si augmentum, vel diminutio sit gravis, imò etiam ultra duplum. Ponamus enim, quòd aliquis anno 15. hujus sęculi acceperit mutuos centum Imperiales cum pacto, ut totidem in specie

redderet, quos tamen nec ipse mutuatarius aliter expendit, quàm pro centum quinquaginta florenis an non maximum ejus gravamen fuisset, si deinde ubi imperialia crevit ad decem florenos debuisset centum imperiales in specie, & numero, adeoque tunc in effectu mille florenos restituere?

Quare cùm hic creditor agat ad interesse lucri cessantis, & ob prædictum periculum lucri, & damni in se susceptum, existimo quidem, eo nomine aliquid rectè peti, sed eum prudenti judicis moderatione, attendendo præcipuè certitudinem, vel incertitudinem lucri, quod creditori decessit; & insuper, qua utilitate debitor nummos acceptos expenderit, prout idipsum judicis arbitrium circa causas omnes, in quibus interesse prætenditur, requirit Imperator *in l. unica Cod. de Sententiis, quæ pro eo, quod interest, proferuntur*, ibidemque statuit, quòd in casibus, vel contractibus, in quibus certa quantitas est in obligatione, interesse non debeat duplum illius quantitas excedere.

Huc quoque referri potest, quod docuimus superius *in Titulo de Pactis*, nimirum etiam in illis contractibus, qui de jure civili stricti juris dicuntur, uti mutuum, & stipulatio, non excludi omnem interpretationem ex bono & æquo *per text. in l. placuit Cod. de Judiciis*, neque verba contrahentium ad casus insolitos, de quibus tempore contractus verisimiliter cogitatum non fuit, cum rigore extendenda sunt, *arg. textus in l. continuus 137. §. cùm quis ff. de Verb. oblig.* ibi: *non enim secundùm fuerit temporis jus secundum præsentis æstimari debet stipulatio.*

Circa *alterum* conventionis modum, *quando scilicet quantitas in genere sine expressa monetæ specie, & corporum numero in pactum solutionis deducta est, ut v. g. ingenere centum floreni redderentur*, major inter Doctores disputatio est, an superveniens monetæ mutatio ad commodum, vel damnum creditoris, aut potius debitoris spectare debeat?

Argumenta, & Authoritates pro utraque sententia videri poterunt apud Fach. *l. 2. Controv. c. 9.* Quoniam verò ea de re nihil apertè in Jure decisum reperitur, teste Harprechto *ad princ. Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio n. penult.* interim teneri poterit, quòd tradit Paulus Layman, (qui præ ceteris has controversias mutatæ monetæ tempore suæ Professuræ, ut ipse testatur, sibi crebrò occurrentes diligentiùs examinavit) *dicto c. 5. n. 15.* ubi dicit, commodum, & damnum probabiliùs ad debitorem pertinere; consuetudine Imperii receptum esse, ut solutio fiat secundum novam æstimationem monetæ, atque Ferdinandum I. Anno M. D. LIX. in Comitiis Augustanis hanc potestatem fecisse debitoribus solvendi in moneta noviter aucta secundum extrinsecam æstimationem; consistit enim substantia nummorum potissimum in æstimatione extrinseca ei à Principe imposita, *l. 1. ff. de Contrah. empt.* estque hæc intentio Principis monetam mutantis, ut in defectu pecuniæ debitoribus succuratur.

Attamen huic sententiæ tres notabiles limitationes apponit ipse Paulus Layman *dicta l. n. 16.* ut non procedat I. Si mutatio monetæ non sit facta à legitime potestate, sed improba usurariorum consuetudine. II. Si non fuerit perpetua, sed tantùm ad certum tempus v. g. durante bello statuta, & III. Si intrinsecus quoque valor, & bonitas mutata sit, de quo superiùs dictum. Sicut etiam Harprechtus *dict. l. n. antepen.* in hac difficultate primùm Judicis arbitrio tribuendum, ait, qui pro circumstantiæ facti, & temporis indemnitati creditoris, & debitoris, quantum fieri poterit, prospicere debeat.

Tertius conventionis modus: *quando in contractu mentio quidem certæ monetæ facta est, v. g. thalerorum, sed nihil additum, an in specie vel in æstimatione restitui debeant*; videtur ad priorem decisionem referendus, ut & hic debitoris commodum, & damnum censeatur, tum quòd pecunia recipiat functionem in suo genere, & æstimatione, *arg. l. 1. ff. de auro, & argento legato*, tum quòd debitor ante solutionem sit dominus, ad quem regulariter commodum, & periculum rei spectat; tum denique quòd in dubio interpretatio fieri possit contra creditorem, in cujus potestate erat, legem contractus, & solutionis apertiùs dicere, atque de certa monetæ specie nominatim pacisci, *l. stipulatio 38. §. in stipulationibus 18. & l. quidquid 99. ff. de Verb. oblig.*

15 Demum *si debitor ritè interpellatus in mora solvendi fuerit*, damnum, quod inde creditori resultat, resarcire debet: *mora enim cuique sua, non alteri nocere debet cap. mora 15. de Reg. Jur. in 6.* Sed & hic arbitrium boni viri aliquid valere debet, *arg. l. mora 32. ff. de Usuris*, nam justa causa, impossibilitas dandi, vel magna difficultas nonnunquam à moræ præstanda excusat *per text. & Gloss. in l. quod te 5. ff. de Rebus creditis.* Glossa *in d. cap. mora verbo mora sua.* Andreas Gail. *lib. 1. observ. 142. n. 7.* Ulterius circa materiam præsentis Tituli.

16 Notandum XI. quòd etiam *compensatio* vim, & effectum solutionis habeat, *l. si debitor ff. Qui potiores in pignore, & l. dedisse ff. de Verb. significat.* Est autem *compensatio crediti, & debiti liquidi inter se contributio*, quando enim is, cui v. g. debeo centum, ex alio contractu vicissim mihi centum debet, neuter alteri solvet, sed utrumque debitum mutua compensatione tolletur. Et quidem ille est notabilis effectus compensationis, quod non tantùm tollat obligationem, & sistat cursum usurarum ab illo die, quo per debitorem opponitur, sed etiam retro à die, quo iste duo debita concurrerunt, *l. 4. Cod. de Compensationibus.*

Sed quid, si debita sint inæqualia, veluti si tibi debeam mille, tu econtra mihi ducentos? Resp. nihilominus locum esse compensationi quoad summam concurrentem, scilicet ducentorum florenorum, *d. l. 4.* Dices: si ex mille florenorum debitis vellem solvere ducentos, creditor non tenetur acceptare talem particularem solutionem juxta dicta superius *Notando tertio*; ergò nec tenetur acceptare particularem compensationem, quia & compensatio solutionis species est. Resp. negando consequentiam, ex ea differentiæ ratione, quòd in compensatione creditor retinens pecuniam mihi debitam censeatur quasi sibi ipsi particulariter solvere, proinde sicut particularis solutio facta volenti creditori, quoad eam partem liberat debitorem, ita etiam particularis compensatio, quæ, ut dictum, hoc ipso cum voluntate creditoris fieri censetur, quòd pecuniam reciprocè debitam retineat.

17 Porrò ut compensatio procedat, duo potissimùm concurrere debent. I. Ut fiat circa res, quæ recipiunt functionem in genere suo, quales sunt illæ, quæ in numero, pondere, & mensura consistunt, ut pecuniæ ad pecuniam, frumenti ad frumentum &c. Quare non valebit compensatio invito creditore, si debitor debeat pecuniam & creditor equum, vel fundum: quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest, & corpora habent incertam æstimationem, & pretium, ac transiret talis compensatio in novum contractum emptionis, vel permutationis, nemo autem regulariter invitus contrahere cogitur.

Habebit tamen locum retentio, ut scilicet alter rem debitam retinere possit, usquedum ab altero sibi satisfiat, nisi debitum tale fuerit, quod peractam executionem secum trahit, *l. si non sortem §. si centum ff. de Condict. indeb.*

II. Requiritur, ut debitum ex utraque parte sit liquidum, id est, quòd liquidè, & apertè demonstrari possit, *l. fin. C. de Compensationibus.* Sunt autem quædam debita etiam liquida specialiter excepta, ut compensationem non admittant, videlicet si quid Reipublicæ ex causa vectigalis, vel tributi debetur, *l. 3. Cod. de Compensationibus.* Si quis debitor sit ex furto, rapina, vel spolio, item ex deposito, vel commodato, *l. ult. Cod. d. t. l. ult. C. de Commodato.*

Attamen pro foro conscientiæ existimant Doctores, habere locum tacitam compensationem, vel saltem retentionem, quoties rem mihi debitam per viam ordinariam Juris acquirere non possum, dummodo certum sit, mihi deberi, licet fortassis ob defectum testium, aut instrumentorum in foro externo probare nequeam, vel licet res ex deposito, vel commodato debeatur: idque Jure naturæ, & gentium concessum asserunt Lessius *de Justit. & Jure lib. 2. c. 27. n. 16.* Laym. *in Theol. mor. lib. 3. tract. 3. p. 1. c. 1. n. 9.* cum aliis ibidem citatis. Qua tamen in re caute egendum, ne quis in propria causa nimis partialis judex existat, non sine proximi læsione.

Notandum XII. Quòd debitor etiam liberetur, si creditor per *acceptilationem* dixerit, se acceptum habere, quod sibi debetur, quamvis necdum acceperit, *§. 1. Instit. Quibus modis tollitur obligatio*: vel si debitori fecerit pactum: *de non petendo.*

Porrò

Porrò tale pactum non tantùm fieri potest verbis expressis, sed etiam tacitè censetur fieri, si creditor debitori suum chirographum restituat, laceret, vel deleat, *l. 2. §. 1. ff. de Pactis*. Aliud tamen est, si creditor solùm pignus restituat debitori, per quam restitutionem non intelligitur debitum remissum, nisi alia indicia concurrant *l. 3. ff. de Pactis*. Ratio differentiæ datur, quòd restituens chirographum non possit verisimiliter, & prudenter aliam intentionem habere, quàm remissionem debiti: at verò restituens pignus possit habere intentionem, non quidem in totum liberandi debitorem, sed tamen relevandi ejus conditionem, ne usu, & commodo rei suæ carere debeat.

Plures alios modos, quibus obligatio tollitur, & qui vim ac effectum solutionis habent, atque in Jure Civili, & aliis Titulis prolixiùs tractantur, hic præterimus, uti sunt *novatio*, quando una obligatio in aliam mutatur; *delegatio*, quando meus debitor ad mandatum meum promittit solutionem Creditori meo; *cessio nominis*, quando id, quod mihi alius debet, creditori meo in solutum cedo, quod etiam invito debitore meo facere possum, *l. 3. C. de Donat.* non tamen invito creditore meo, nisi aliis solvendi mediis destitutus sim, *l. eum à quo 16. junct. Auth. hoc nisi C. de Solut. Confusio*, dum creditor fit hæres debitoris, vel econtra; *interitus rei* in specie debitæ sine culpa, aut mora contingens; *res judicata, transactio, præscriptio*, & si quæ sunt aliæ similes fictæ solutionis species.

18 An verò Ecclesia, vel Successor in beneficio, aut Prælatura, vel civitas teneatur solvere debita ab Antecessore, vel Administratoribus contracta, & qualiter isti Ecclesiam, vel civitatem obligare possint, dictum est superius in Lib. I. *Tit. de Pactis §. ult.* & in eodem lib. *in t. de Transf.* Breviter hic tenendum, quòd regulariter Ecclesia, vel civitas non teneatur, nisi fuerint debita contracta pro ejusdem necessitate, vel utilitate, *c. 1. h. t. l. civitas 27. ff. de Reb. cred.* Idem tamen Juris esse, quando Antecessor contraxit debita pro sua sustentatione, vel infirmitate, quia pro necessitate Ecclesiæ videtur contraxisse, quæ ipsum alere tenetur, tradit Barb. *in Collect. ad d. c. 1. n. 3.* ubi plures allegat. Addit quoque Successorem obligari ad solvendas funeris expensas pro suo Antecessore, nisi propria bona habuerit, tunc enim tenebitur hæres ejus, ad quem illa bona Titulo hæreditario devenient.

Demùm si quis errore ductus nec civiliter, nec naturaliter obligatus pecuniam solverit, quam non debuit, datur ei repetitio per *condictionem indebiti*, de qua latè agunt Juris Civil. Interpretes in Tit. *ff. & Cod. de Condictione indebiti*.

TITULUS XXIV.

De Donationibus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Donatio, ejusque requisita.

SUMMARIA.

1 *Donatio quid?*
2 *De donatione facta per pollicitationem quando obliget.*
3 *Ex donatione datur actio.*
4 *Donatio habet beneficium competentiæ, non præstat usuras, aut fructus ex mora, nec evictionem.*
5 *Donatio an sit stricti Juris, vel bonæ fidei.*
6 *Donatio inter vivos, & donatio mortis causa qualiter differant.*
7 *De donatione ultra 500. solidos, & quibus casibus valeat.*
8 *Donatio omnium bonorum valet saltè ad pias causas.*
Alia Summaria post §. 2.

1 Donatio dicta est quasi *doni datio*, *l. senatus 35. §. 1. ff. de Mortis causa donationibus*; donum autem est *datum gratuitum, quod neque ex justitia debitum, neque alteri vicissim obligationem imponit*. Quamvis verò donatio communiter accipiatur pro ipsa actuali rei donatæ traditione, ipsa tamen etiam conventio de donando donatio appellari solet; & hæc conventio aliquando fit per stipulationem, & promissionem, quando scilicet aliquis rogatus promittit se donaturum; aliquando per pollicitationem, si quis motu proprio se offerat, quod alteri rem donare velit.

Porrò circa pollicitationem huc referri debent, quæ superiùs in Lib. I. *in Titulo de Pactis. §. 1.* dicta sunt, ominitùm quòd pollicitatio non priùs obliget promittentem, quàm si ab altera parte fuerit acceptata, ideoque possit ante acceptationem revocari, *l. nuda pollicitatio. Cod. de Contrahenda stipulatione*. Imò per mortem donatoris contingentem ante donatarii acceptationem tanquam voluntate interrupta hoc ipso revocetur *l. t. §. sed quis donaturus 6. & l. absenti 10. ff. hoc tit.* Neque tamen semper verbalis acceptatio requiritur, sed etiam signo, vel concurrentibus circumstantiis, & modo agendi sola præsentia, & taciturnitate aliquando donatio acceptata intelligitur per tradita Doctorum *ad c. qui tacet. de Reg. Jur. in 6.* Quòd maximè locum habet, si debitori per donationem debitum remittatur, eò quòd debitor censeatur semper petere, & desiderare liberationem, ac consequenter statim in talem donationem consentire. Franciscus Canonus *in Comment. Juris Civilis, lib. 5. c. 8. n. 2.* 2

Specialiter autem tradunt Doctores in pollicitatione, vel donatione facta piæ causæ, quòd ea non requirat alterius acceptationem, sed à Deo acceptari censeatur. Molina *de Just. & Jure tom. 2. disp. 263. n. 6.* Barbos. *Juris Eccles. univ. lib. 2. c. 13. n. 29.* cum pluribus ibidem in utramque partem citatis, & dictum superiùs *in Tit. de Pactis, §. 1. nu. 4.* ita tamen ut non statim intelligatur donatio irrevocabilis, si quis tantùm propositum aliquid dandi, vel faciendi coram aliis declararit, nisi veram actualem promissionem fecerit v. gr. dicendo ad debitorem. 100. quos mihi debes, dono pauperibus, vel Ecclesiæ.

De Jure Civili quoque communiter docent Interpretes, quòd licet aliàs ex pacto nudo cujus speciem habet donatio sine stipulatione, aut traditione rei facta, non detur actio, Imperator tamen in *l. si quis argentum 32. C. h. t.* pro re ex donatione promissa absolutè actionem concesserit, quam condictionem ex illa *l. si quis argumentum*, appellant. Posset forsan non incongruè etiam actio *ex donato* dici, per ea, quæ superiùs *Tit. de Precariis* diximus. 3

Interim sive hac actione, sive ex stipulatu conventus donator eatenus tantùm tenetur, quatenus deducta sua sustentatione, deductis itidem aliis debitis facere potest, *l. qui ex donatione. 12. & l. quid 33. ff. hoc tit. l. divus Pius 28. ff. de R. J.* Neque ob moram, sive dilatam rei solutionem usuras, aut fructus præstare cogitur *l. in adibus. 9. §. 1. l. cum de modo 11. & l. eum qui 22. ff. hoc tit.* Et denique si rem alienam bona fide suam æstimans donaverit, quam vetus dominus superveniens repetat, & evincat, non potest donator à donatario de evictione ad aliam rem, vel pretium, aut interesse præstandum conveniri, nisi ex professò promiserit evictionis præstationem, vel dolo, & scienter rem alienam donarit, in quam donatarius expensas fecerit *l. Aristo 18. §. fin. ff. hoc t. l. 2. C. de Evict.* quorum omnium ea est ratio, ne alicui liberalitas sua nimis damnosa sit. 4

Eoque respectu donationem potius inter stricti Juris, quàm bonæ fidei contractus numerari asserit Juris Consultus in *d. l. 22. ff. hoc t.* quod dictum de donationibus privatorum intelligit Gottofredus in suis notis ibidem: donationes enim beneficia Principum esse latissimæ interpretationis, si non alicujus tertii, sed solius dantis præjudicium concernant, probat text. *in c. olim 16. de Verb. signif. & in l. beneficium 3. ff. de Constit. Principum*. Idem circa donationem ad pias causas dicitur *in c. cum dilecti 6. hoc tit.* Ita tamen, ut ad verisimilem mentem donatoris respiciatur, teste Panorm. *in eod. c. 6. n. 2.* Videantur tradita superiùs in Tit. *de Pactis §. 5. n. 20.* 5

Donatio dividitur, quòd alia sit *inter vivos*, alia *mortis causa*. Donatio *inter vivos*, illa dicitur, quæ statim vivente donatore suum effectum habet, & exceptis certis casibus (de quibus *in §. seq.*) irrevocabilis est. Donatio verò *mortis causa* in eo quidem convenit cum donatione inter vivos, quòd etiam præsenti, & acceptanti fiat *l. inter 38. ff.* 6

38. *ff. de Mortis causa donationibus*, differt autem, quòd confertur in tempus mortis, & effectum suum post mortem donatoris consequatur, unde, & species ultimarum voluntatum est, solemnitatem 5. testium requirit, dominium transfert sine traditione, legem falcidiæ admittit, ex quo eam Imperator legatis exæquavit, *l. ult. C. de Mortis causa donat.* ac ante mortem libere revocari potest. Imo si intuitu certi periculi, v.g. certæ infirmitatis, naufragii, belli &c. talis donatio facta sit, & donator ex illo supervixerit, eo ipso revocata donatio censetur; secus autem si intuitu mortis naturalis quandocunque eventuræ aliquis donarit, tunc enim expressa revocatio requiritur, vel saltem tacita signo, aut facto declarata, ut si rem donatam sine necessitate donator alienarit, aut inter ipsum, & donatarium graves inimicitiæ subortæ fuerint: item censetur revocata donatio, si donatarius ante donatorem præmoriatur, sicut hac de re textus sunt, & ibi agunt Interpretes *in §. 1. Instit. h. t. l. s. & 2. l. ubi ita 27. & l. si mortis, 29 cum l. seq. ff. de Mortis causa donat. l. non minus 18. ff. de Rebus creditis.* Quòd si, & donator, & donatarius simul decedat v.g. in naufragio, ruina, aut bello, neque constet inter eorum præmortuus fuerit, in hoc dubio pro valore donationis, ut ea hæredibus prosit, judicatur, *l. cum hic status 32. §. si ambo. 14. ff. de Donatione inter virum, & uxorem, l. si inter 8. ff. de Rebus dubiis.* Covar. *Vari. Resolut. lib. 2. c. 7. n. 5.* ubi hunc casum duorum, vel plurium commorientium in ordine ad diversos juris effectus prolixè tractat.

Non tamen omnis donatio, quæ in periculo mortis fit, donatio mortis causa dici debet, tametsi forsan mentio mortis fiat, quin potiùs in dubio donatio inter vivos judicabitur, præsertim si intuitu consanguinitatis facta, si non adhibitis 5. testibus, si adjecto pacto de non revocando &c. *d. l. ubi ita 27. & l. seq. l. 42. §. 1. ff. de Mortis causa donationibus*, Nisi ex aliis circumstantiis, quòd quis donationem mortis causa facere voluerit, colligatur. Vid. Oldradus *consf. 114.* Harp. *Instit. hoc tit. §. 1. n. 3. & seqq.*

7 In eo quoque inter donationem mortis causa, & donationem inter vivos est notabilis diversitas, quòd illa tanquam ultimæ voluntatis species, & prolibitu revocabilis, non sit restricta ad certam quantitatem, *d. l. ult. C. de Mort. causa donat.* Hæc verò non debeat 500. solidos (quo nomine hodie communiter 500. aurei, seu mille imperiales intelliguntur, licet de Jure certò non constet, quanta fuerit olim vera solidi æstimatio, ut videre est apud Covar. *de Veterum Numismatum collatione, c. 3. §. 1. n. 5. & Variar. Resolut. lib. 1. cap. 11. n. 3.*) excedere, *l. si quis pro redemptione. 36. in fine Cod. hoc tit. §. alia autem. 2. Instit. hoc tit.*

Sunt tamen aliqui casus excepti in quibus donatio ultra 500. solidos sustinetur, ut I. Si coram magistratu seu ordinario competente judice fuerit insinuata. Quæ insinuatio pro utilitate utriusque statuta est; donatoris quidem, ne inconsultò præcipitetur, ad tantam summam donandam; donatarii verò, ut donationem factam tanto firmiùs probatam habeat, *d. l. Sancimus. 34. & l. si quis argentum. 35. §. penult. Cod. eod. tit.*

8 II. Excipiunt Doctores, si pro redimendis captivis, vel generaliter ad pias causas talis donatio fiat; tum quòd leges civiles non extendantur in præjudicium piarum causarum, & Ecclesiarum, quando actus aliàs jure gentium esset validus, argumento eorum, quæ de testamentis ad pias causas traduntur *in cap. relatum. X. de Testamentis*, tum quòd donando ad pias causas, & pro anima sua non censeatur aliquis inconsultò agere. Text. *in l. si quis pro redemptione. 36. C. hoc tit.* Julius Clarus *lib. 4. sentent. § donatio, qu. 17. nu. 1.* Antonius Gabrielis *lib. 2. commun. conclusion. Rubrica de donationibus. conclus. 1. nu. 28.* Cui tamen sententiæ Harpr. *in §. 2. Instit. hoc t. n. 139.* cum aliis contradicit propter text. *in l. illud, 19. C. de SS. Ecclesiis, & in d. l. Sancimus 34. §. 1. & d. l. si quis argentum. §. ult.* Sed respondeti potest, has civiles leges vel non valere in præjudicium Ecclesiarum, & piarum causarum, *arg. Ecclesia. 10. de Constit. & d. c. relatum.* vel correctas esse per *d. l. Si quis pro redemptione*; quæ est reliquis legibus posterior, ut ex subscriptione ejusdem legis patet, & etiam circa profanas donationes expressè correctoria priorum legum Codicis, & in specie *d. legis Sancimus*. ex qua non nisi trecentos solidos absque insinuatione donare licuerat. Quamvis verò *d. l. si quis pro redemptione 36.* tantùm de redemptione captivorum nominatim loquatur; eadem tamen est ratio in aliis piis causis; si enim valet donatio cujuscunque quantitatis pro redemptione captivorum, uti ibidem dicit Imperator; cur non generaliter donatio ad pias causas pro redemptione animæ propriæ juxta illud quod in SS. litteris habetur *redime eleemosynis peccata tua, redemptio animæ viri divitiæ sua. Proverb. 13.*

Tertia exceptio est, si donatio illi facta sit, cujus domus incendio, vel ruina periit. *d. l. 36. §. 2. Cod. hoc t.*

IV. Si quis diversis temporibus alicui donet, ita ut singulæ donationes 500. solidos non excedant, licet excedant omnes simul sumptæ: quia in diversis donationibus non est tantum periculum præcipitantiæ, & jacturæ. *d. l. Sancimus. 34. §. 3. Cod. h. t.* ubi Imper. *in §. 4.* etiam illam quæstionem decidit, an si quis donando ad annuam præstationem sese obliger, requiratur insinuatio? & distinguit, an ad vitam tantùm donantis, vel donatarii promittatur, & tunc nulla opus erit insinuatione, cùm possit facilè post unum, alterumve annum mors intervenire. Vel an etiam hæredum mentio facta sit, & tunc requiretur insinuatio. Nec obstat ibid. textus: *sin autem heredum ex utraque parte mentio fiat, vel adjiciatur tempus vita &c.* quia ut notat Godofredus ex Cujacio hæc verba non sunt bene ex græco translata, cùm in græcis exemplaribus legatur: *nec tempus vita adjiciatur &c.* Aliàs non posset hic textus congruè explicari, quin sibimet contradiceret.

V. Donatio facta à Duce belli militibus etiam sine insinuatione subsistit. *d. l. si quis. 36. §. 1. C. eod.*

VI. Si Imperator alicui donet; non solùm quòd Imperator suis legibus non teneatur. *l. Princeps ff. de LL.* sed etiam, quòd indignum foret, Imperatoriam liberalitatem ad 500. solidos restringere. *d. l. Sancimus. in princ. v. exceptis*. Id quod Doctores etiam ad Principes inferiores, & dominos territoriorum extendunt; cum quòd tales domini in suis terris potestate quasi Imperatoria fungantur; tum quòd inconveniens sit etiam horum liberalitatem tam arctis terminis concludere. Harprecht. *ad §. 2. Instit. hoc tit. n. 145.*

Demùm donatio, quæ fit ultra 500. solidos non vitiatur in totum, sed tantùm quatenùs excedit prædictam summam, cum in illis, quæ separari possunt, regulariter utile per inutile non vitietur: *Text. in d. l. 36. § fi quid autem, & in Novel. 162. c. 1. §. 2. c. utile 37. ubi Gl. de R. J. in 6.*

Porrò an donatio omnium bonorum inter vivos facta valeat etiam cum insinuatione? non est eadem omnium sententia, id tamen contra plures negantes affirmat, & per textus ac rationes probat Harprecht. *Instit. hoc tit. §. 2. nu. 18.* Atque multò magis procedit in donatione omnium bonorum facta piis causis, ut ea valida judicari debeat, sicut docet Barb. *Juris Eccles. univ. lib. 2. c. 13. n. 17.* Covar. *ad Rubric. de Testam. p. 2. n. 13.* ubi attestatur de communi per *Textus in c. Prælatum. 19. q. 3. c. fin. de Successionibus ab intestato. l. jubemus. 15. in princ. vers. verum sive testamento, Cod. de SS. Eccles.* Valet enim talis donatio jure naturali, & gentium, jure autem Civili nec potuit in præjudicium Ecclesiarum irritari, nec fuit irrita, imò potiùs confirmata, ut in *d. l. jubemus. & in l. si quis argentum. 35. §. sed, & si quis. 4. C. h. l. si unquam. 8. Cod. de Revocandis donat.* Non obstat, quòd donatio omnium bonorum auferat testandi facultatem: quia testamentum facere, vel non facere, cuique arbitrarium est, & propterea, qui illa facultate non utitur, non patitur injuriosam testandi inhibitionem, de qua solum intelligenda est objectio, cùm volenti non fiat injuria, & quilibet juri suo renunciare valeat.

---

§. II.

Qui nam donare possint, vel non.

SUMMARIA.

9 *Donare possunt regulariter omnes, qui sunt capaces rationis, & habent administrationem rerum suarum, & ibide filios.*

10 Dona-

10 *Donare non possunt rerum alienarum Administratores nisi ex speciali mandato, vel remuneratoriè.*
11 *Donare an, & qualiter possint Prælati, & beneficiati.*
12 *De donatione inter virum, & uxorem remissivè.*
13 *Donatio inter Patrem, & Filium, an, & quando valeat.*
14 *Donare liberis an Mater possit.*
15 *Donationem à parentibus factam an teneatur filius conferre? remissivè.*

Alia Summaria post §. 3.

9 AD personas donantium quod attinet, quamvis regulariter omnes præsumantur habiles ad donandum ex eo, quòd donatio sit actus Juris naturalis, & gentium, excipiuntur tamen aliqui, & in primis omnes illi, qui administrationem rerum suarum non habent, adeoque alienare nihil possunt, ut pupilli, minores, furiosi, prodigi, quibus bonis interdictum est, &c. Filius familias quoque extra peculium castrense, vel quasi absque consensu Patris donare non potest, utpotè aliàs patri in proprietate, vel saltem usufructu peculii præjudicaturus, hujus autem accedente consensu non tantum inter vivos, sed, & mortis causa donare valet, *cap. penult. vers. quamvis de Sepulturis in 6. l. filiusfamilias 7. in princ. & §. 4. & §. fin. ff. hoc tit. l. tam is 25. §. 1. ff. de Mortis causa donationibus*, quod circa donationem mortis causa, ajunt, esse speciale in filio familias, cùm alioquin donare mortis causa nequeat qui testamentum facere non potest, *arg. l. cùm hic 32. §. similes 8. ff. de Donatione inter virum, & uxorem l. 1. §. 1. ff. de Tutela, & rationibus distrahendis* sicut, & filius familias etiam patre consentiente testamentum facere non potest, *d. l. tam is §. 1.*

10 II. Illi, qui administrationem tantùm habent rerum sine dominio, donare non possunt, veluti Tutores, Curatores, Procuratores absque speciali mandato; donare enim est quasi perdere, *d. l. filius familias*, tales autem constituuntur, ut res suorum principalium meliores faciant, non ut perdant, *c. 3. de Offic. Vicarii in 6. l. tutor 22. & l. Lucius 46. ff. de Administrat. tutorum.* Excipiunt donationes remuneratorias correspondentes meritis, & servitiis in principales collatis *arg. l. cùm plures 2. §. 3. ubi Gloss. ff. de Administrat. tutor.* Barb. *in Collect. ad c. per tuas 5. h. t. n.* 4.

11 III. Rei alienæ Administratoribus etiam accensentur Prælati, ac Rectores Ecclesiarum, ut de rebus ad suas Ecclesias pertinentibus immoderatas donationes facere nequeant, cùm suarum Ecclesiarum non sint domini, sed potiùs procuratores; & si de facto in detrimentum Ecclesiæ donare attentarint, tales donationes tanquam invalidæ à successore revocari poterunt, *c. 3. & ibi DD. h. t.*

Dico autem; immoderatas, & graves donationes esse Prælatis prohibitas, quæ scilicet fiunt de rebus immobilibus, vel mobilibus pretiosis, aut excessiva summa pe-
12 cuniæ. Donationes verò moderatæ juxta proportionem redituum Ecclesiasticorum, & consuetudinem loci, præsertim ob benè merita, & remuneratoriæ, vel ad pias causas pro discretione Prælati rectè fieri possunt, *c. 3. h. t. c. aurum 12. q.* Barb. *in d. c. per tuas num.* 2. Et hæc si Prælati, vel beneficiati de rebus Ecclesiæ donare velint; idque potissimùm procedit in Prælatis Regularibus, qui propria bona, & reditus non habent. Alii verò Prælati, & Clerici Sæculares sicut de bonis suis patrimonialibus, & Industrialibus, liberè disponere, ita etiam donare possunt: de bonis autem, & reditibus prospectu Ecclesiæ, acquisitis, quæ ultra congruam substentationem supersunt, possunt quidem, imò tenentur ad pias causas donare, & applicare, sed ad profanas non nisi modicè, & moderatè, vel causa remunerationis, ut *in Tit. seq.* prolixiùs tradunt Interpretes.

IV. Donatio inter virum, & uxorem, ex qua una pars ditior altera pauperior evadit, prohibita est, ne, vel nimius amor alterum ad paupertatem redigat, vel certè difficultas donandi, & denegatio rei ab altero desideratæ inimicitiarum, & litium causam præbeat, qua de re *in lib. seq. Titulo de Donat. inter Virum, & uxor.* dicemus.

V. Pater filio, quem in potestate habet, donare non potest, *l. cùm de bonis 11. Cod. tit. l. donationes, quas parentes 25. Cod. de Donat. inter virum & uxorem.* Rationem communiter assignant, quod pater, & filius juris fictione censeantur una persona, & quod ex re Patris ad filium venit, dicatur esse *peculii profectitii*, cujus dominium est patris, & sic pater quasi sibi ipsi donare, ac eodem momento, quo dominium rei donatę transiret ad filium, id mox ad patrem reverteretur, *arg. l. placet 79. ff. de Acquirenda hæreditate.* Quia tamen ista ratio videtur nimis generaliter probare, ut pater vix ullo casu posset filio efficaciter donare, nec apparet, cur illud acquisitionis jus in favorem patris introductum ipse pater donando remittere non possit, & huic suo favori renunciare, *arg. l. cùm oportet 6. §. 2. vers. fin. autem C. de Bon. quæ liber*, ideo plane dubito, an jura solam hanc subtilitatem attenderint, quin potiùs exemplo donationis inter virum & uxorem (in quo *Tit.* eandem materiam conjunxerunt) considerarint, posse nimio amore erga liberos parentes in vita sua donando depauperari, aut occasionem tristis odii inter parentes, & liberos, vel inter plures liberos ejusdem patris præberi, si pater non donaret, cùm posset, aut uni
plus reliquis donaret, sicut confirmat historia Biblica *Ge-* 13
nes. 37. de Josepho plus cæteris filiis à patre dilecto.

Interim ex causa etiam permittitur, ut pater liberis donet, videlicet ex causa dotis, & donationis propter nuptias, *l. ult. C. de Dotis promissione.* studiorum, seu liberalium artium, aut etiam honesti opificii, *arg. l. si paterno 15. Cod. de Negotiis gestis*; remunerationis, ob bene merita singularia à filio in patrem collata, *arg. l. cùm pater 77. §. arg. 25. ff. de Legatis* 2. cessat enim his casibus non tam prior, quàm posterior assignata ratio, & ex tali causa facta donatio non tam libera donatio, quàm expensa de jure filiis debita censenda est. Similiter ex causa militiæ armatæ, vel togatæ scilicet ad Gradum, vel honorem adipiscendum pater rectè donat, cùm talis donatio efficiatur *castrensis peculi, vel quasi*, in quo filius familias pro patrefamilias habetur, & libera ei desuper dispositio conceditur, *l. miles 4. ff. de Castrens. peculio l. jubemus 5. C. de Silentiariis, & decurionibus juncta l. Advocatis 14. C. de Advocatis diversorum judiciorum.*

Sicut, & generaliter filiis emancipatis, & extra potestatem constitutis) quales hodie de consuetudine Germaniæ censentur etiam matrimonio juncti, & separatim à domo patris degentes (pater validè donare potest, *l. 2. & l. sive emancipatis 17. C. h. tit.* tum quòd inter mancipantes liberos cesset ratio *profectitii peculii*, tum quòd erga emancipatos plerumque non sit tam intensa affectio, & propter separatam habitationem cessent etiam à potiori reliqua pericula.

Matrem quoque, & Aviam, vel avum maternum libe- 14
ris, & nepotibus donare posse, docet Gomez *Var. Resol. l. 1. c. 4. in fin.* cum Mol. & Less. apud Paul. Laym. *in Th. moral. lib. 4. Tract. 4. c. 12. num.* 21. quia in his personis non obtinet patria potestas *§. fœmina Instit. de Adoptionibus*, & licet Matres ardentiùs diligant liberos, fœminia tamen donare prohibitum in jure non est, vel quia id saltem in magna quantitate facere non solent, *arg. l. sed si ego 4. §. 1. ff. Ad S. C. Vell.* vel ex defectu bonorum, aut administrationis non possunt. Videtur quidem obstare tex. *in l. 3. §. 4. ff. de Donat. inter virum, & uxorem*, ubi prohibetur mater filio in potestate constituto donare, nisi ad castrense peculium. Sed responderi potest, ibi matrem tantùm fuisse prohibitam donare, quia per talem donationem eludebatur lex prohibens donationem inter virum, & uxorem, cùm jure veteri quidquid filiofamilias undecunque donatum erat, totum id patri acquirebatur, utpote illo jure nondum introducta peculii adventitii distinctione, quam novissimè Imperator Justinian. constituit *§. 1. ubi DD. Instit. Per quas personas cuique acquiritur.*

Confirmatur denique donatio facta filiofamilias per 15
emancipationem ejus, vel mortem patris, qui priùs non revocavit, *d. l. sive emancipatis 17. C. h. t. l. donationes 25. C. de Donat. inter virum, & uxor.*

Cæterùm de controversa illa questione, & potiùs ad materiam successionum, ac hæreditatum pertinente, utrum, & quando donationem à Patre factam teneatur filius post mortem patris ad communem hereditatis divisionem cum reliquis fratribus conferre, & tantò minùs ex hereditate paterna accipere? vid. Fachin. *lib. 5. Controvers. c. 57. & seqq.* Paulus Laym. *d. c. 12. n.* 13. & Interpretes *ad Tit. ff. & C. de Collationibus.* Prolixè etiam tra-

ctat

ctat Harpr. *ad §. 2. Instit. hoc tit. n.* 55. de sumptibus, quos pater pro filio studiorum causa fecit, an teneatur conferre? & negativè concludit.

---

§. III.

De Revocatione Donationis.

SUMMARIA.

16 *Donatio inofficiosa qua dicatur.*
17 *Donatio quando revocetur propter supervenientiam liberorum.*
18 *Donatio facta pia causa non revocatur propter supervenientes liberos, nisi quoad legitimam,*
19 *Donatio revocatur propter ingratitudinem donatarii.*
20 *An hæc revocatio etiam detur hæredibus, & contra hæredes.*
21 *Donatio facta pia causa, vel remuneratoria non revocatur propter ingratitudinem.*

Licet donatio facta à persona, vel in re non prohibita, tanquam pactum legitimum jure naturali, & civili obligatorium, regulariter irrevocabilis maneat, sunt tamen aliqui casus excepti, de quibus.

16 Notandum I. Si donatio fuerit tam immoderata, & excessiva, ut per eam præjudicetur legitimæ filiis, aut parentibus debitæ, talem donationem dici *inofficiosam*, & revocari posse saltem quo ad supplementum legitimæ; qua de re sunt textus, & ibi agunt DD. *in l. 1. l. si filius* 4. *& passim tot. tit. C. de inofficiosis donationibus.*

17 Notandum II. Revocari posse donationem, si donatori post donationem liberi contra spem, & de quibus tempore donationis non cogitavit, nascantur, *l. si unquam* 8. *Cod. de Revocandis donationibus*, ex ea ratione, quòd donator non censeatur habuisse animum, & intentionem donandi etiam in illum casum, quo sibi liberi nascentur, cùm nemo propriæ soboli extraneum præferre voluisse præsumatur, *l. cum avus* 102. *ff. de Condit. & demonstrat.* & sic talis donatio habeat tacitam conditionem si liberi non supervenerint. Quamvis autem *d. l. si unquam*, tantùm de donatione inter patronum, & libertum loquatur, quia tamen ratio legis generalis est, ideò, & constitutio ejus generaliter ad alias quoque donationes ex communiori DD. sententia porrigitur; & quod in *d. l. si unquam*, tantùm patroni, & liberti mentio facta sit, utique propterea contingit, quòd solus casus de patrono, & liberto fuerit Imperatori propositus, ut verisimile sit, idem omninò rescripturum fuisse in quolibet alio donationis casu. Fach. *Lib. 3. Controv. c.* 85. Adeò ut etiam donationes juramento firmatæ possint ex hac causa revocari, nisi juramentum, vel pactum nominatim quoque in casum nascentium liberorum conceptum fuerit, cum juramentum reguletur secundùm naturam actus, cui apponitur, & non extendatur ad incognita, *arg. c. quemadmodum de Jurejurando.* Julius Clarus *in §. donatio q. 23. n.* 1. De remuneratoriis donationibus similiter idem sentit Fachinæus *d. l. cap.* 89. saltem quatenus arbitrio prudentis viri merita donatarii notabiliter excedunt.

Item volunt, quòd donator quidem tempore donationis liberos habens, si alii supernascantur, valeat donationem tantùm usque ad supplementum legitimæ revocare, ut paulò ante dictum, at verò si nullos omnino liberos, neque spem eorum habuerit, tunc iis supervenientibus possit donationem totam revocare, per textum *in d. l. si unquam*: & rationem superius adductam. Harprech. *ad dict. §. 2. h. t. n.* 179.

Notandum tamen III. Quòd revocationi non sit locus, si donatio fuerit modica, qualem etiam facere solent, qui liberos habent; quanta verò debeat esse donatio revocabilis, potissimùm arbitrio Judicis in singulis factis ex qualitate personarum, bonorum, & damno filiorum determinandum esse censet Menochius, *de Arbitrariis Judicum casu* 133. *num.* 2. An verò donatio revocari possit, si liberi nati vivo adhuc donatore decesserint? pro utraque parte videantur authores, & rationes apud Fach. *d. lib. 3. c.* 90.

18 Notandum IV. Donationem factam Ecclesiæ, vel piis causis propter supervenientes liberos probabiliùs de rigore juris non revocari, nisi tantùm quo ad supplementum legitimæ; tum quòd Ecclesia censeatur jure filiorum, *arg. cap. in præsentia v. sed etsi de Probationibus & authent. si qua mulier. Cod. de SS. Ecclesiis*; tum quod licet donator plus præsumatur diligere liberos, quàm extraneum, non tamen plus quàm Deum, cui principaliter, & animam suam, pro qua donationem ad pias causas fecit. Panorm. *in c. fin. hoc tit. in* 6. Sed opponitur textus difficilis *in c. fin. causa* 17. *q.* 4. ubi D. Augustinus refert factum S. Aurelii Episcopi, qui donationem Ecclesiæ factam propter supervenientes liberos donatori restituit; & subjungit, quod potuisset quidem retinere *jure fori, sed non jure poli*, ergo videtur D. Augustinus in ea fuisse sententia, quòd donatio propter natos liberos *in foro externo* revocari nequeat, In *foro* autem *interno* etiam Ecclesiæ facta restitui debeat, quod utromque nostris assertis repugnat. Omissis aliis, & aliorum responsionibus dico, ex hoc textu imprimis confirmari, quòd donatio facta Ecclesiæ *in foro externo*, seu Judiciali excepta legitima non revocetur. Quod verò attinet *ad forum internum*, posse illa accipi non de obligatione justitiæ, sed potiùs honestatis, vel charitatis, ut cum Molina, & Lessio notavit Paulus Layman. *in Theol. moral. lib. 3. tract. 4. c. 21. n.* 20. quemadmodum talem honestatis obligationem oriri ex testamento non solemni docet Covar. *ad c. cùm esse* 10. *de Testamentis n.* 17. & quòd verbum: *debet*, nonnunquam importet tantùm *honestatis obligationem*, sicut in desponsatione liberorum à parentibus facta, advertit Glossa *in c. 1. de Desponsatione impuberum*, & Panorm. *ibid. n.* 7.

19 Notandum V. Propter ingratitudinem donatarii concedi quoque revocationem. Sunt autem 5. tantùm ingratitudinis species expressæ *in l. fin. Cod. de Revocandis donationibus*, nimirum si donatarius in donatorem impias manus injecerit: si atroces injurias verbales (ut à priori injuria reali fiat distinctio) in eum effuderit: si grave damnum rebus ipsius inferre præsumpserit; si vitæ insidiatus fuerit: & denique si conditiones seu conventiones in donatione appositas non impleverit. Unde quia Imperator *in d. l. fin.* ait ex his tantummodo causis revocari posse donationem, inferunt DD. quòd aliæ causæ, licet ad exhæredationem liberorum sufficientes, exclusæ censeantur, neque revocari posse donationem, quamvis donatarius donatorem captivum non redemerit, pauperem non alimentaverit, furiosum non curarit &c. Quare autem quatuordecim causæ pro exhæredatione liberorum assignatæ sint *in Novel.* 115. *c.* 3. & non tot ac tales pro revocatione donationis; illa videtur posse dari ratio, quòd liberi non tantùm obligentur malum non agere contra parentes, sed etiam ipsis positivè benefacere, utpote à quibus vitam, bona, & educationem acceperunt, neque pravis moribus ab iisdem degenerare, seu familiæ notam inferre; unde non facit suum officium filius, si injuriam non inferat, nisi etiam egentem, & in periculis constitutum juvet, & liberet, societatem mimorum, hæreticorum, & aliam perversam vitam declinet. At vero donatarius, qui tantùm unam, vel alteram rem donatam accipit tenetur solùm injuriam donatori non inferre, aliàs si obligaretur rigorosa aliqua obligatione etiam positivè benefacere donatori, donatio non esset mera liberalitas, sed potiùs contractus onerosus: *do ut facias &c.* alia quoque vita, & mores donatarii ad donatorem non pertinent. excepta donatione feudi, de qua superiùs *in Tit. XX.* egimus.

20 Notandum VI. Quòd jus revocandi donationem propter ingratitudinem ex parte donatoris, donatarii sit ita personale, ut nec hæredibus, nec contra hæredes detur. Adeòque si donatarius ingratus moriatur, antequam donatio ab ipso revocata sit, ab hæredibus ejus revocari non poterit: nam pœnæ suos tantùm authores tenere debent. Similiter econtra si donator moriatur, nec donationem in vita revocarit, hæredibus ejus revocandi nullum jus relictum est, *l. his solis 7. vers. actionem & l. fin. vers. hoc tamen Cod. de Revocandis donationibus.* Sed hunc posteriorem casum ita limitat Panormitanus *in cap. fin. hoc tit. n.* 7. & ibidem Barbosa *num.* 23. ut procedat

cedat

cedat, si donator injuriam scivit, & tempus revocandi habuit, si verò injuriam ignorarit, vel morte præoccupatus revocare donationem nequiverit, atque injuria tanta sit, ut dissimulaturus minimè fuisset, existimant citati DD. donationem etiam per hæredem revocari posse. Item quòd actio ista revocatoria eo quoque sensu sit personalis, ut non detur contra tertium possessorem rei donatæ, sed præcisè contra ipsum donatarium ingratum, probat Harprecht. *in §. 2. Instit. hoc tit. n.* 167. contra Donelium *in Comment. Juris Civilis lib.* 20. *c.* 9.

Notandum VII, Quod donatio Ecclesiæ, vel piæ causæ facta propter ingratitudinem Prælati revocari non possit, quia regulariter delictum personæ non nocet Ecclesiæ *c. delictum* 76. *de R. J. in* 6. idque etiam ad eum casum extendendum, quo Prælatus una cum Capitulo ingratus foret, quia in donatione facta piæ causæ ex principali intentione donantis, donatarius est ipse Deus, qui nunquam ingratus, sed omnium gratiarum liberalissimus largitor. Barb. *in d. c. fin. n.* 15. Julius Clarus *lib.* 5. *sententiarum in §. donatio q.* 21. *n.* 5.

Notandum denique donationem remuneratoriam non esse revocabilem propter ingratitudinem donatarii, nisi in quantum arbitrio prudentis viri merita excedit, talis enim donatio propter merita antecedentia potius exigit gratitudinem ex parte donatoris, quàm donatarii, nec proinde tam obligat, quàm compensat, sicut docet cum plurimis citatis Barb. *dict. loc. n.* 17.

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

SUMMARIA.

1 *Peculium quid.*
2 *Bona patrimonialia Clericorum, quæ dicantur.*
3 *Filiusfamil. post Clericatum non acquirit usumfructum patri.*
4 *De bonis industrialibus Clericorum.*
5 *De bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis.*
6 *An eorum dominium habeant Clerici.*
7 *De bonis parsimonialibus.*
8 *Sustentatio Clerici potest desumi ex reditibus Ecclesiasticis, licet adsint bona patrimonialia.*
9 *Quomodo accipienda sit congrua sustentatio.*
10 *Clericus in officio diligentior plus potest impendere in sui sustentationem.*
11 *Quid veniat nomine piarum causarum quibus superflui ecclesiastici distribuendi.*
12 *Consanguinei non sunt ditandi ex bonis Ecclesiæ: possunt tamen juvari, ne egeant secundùm suum statum.*
13 *Quænam dicatur notabilis quantitas redituum malè impensorum.*
14 *Malè impendentes probabiliter excusantur à restitutione, quamvis hæc illis pro tutiori consulenda sit.*
15 *Quæ sunt comparata ex reditibus ecclesiasticis assumunt naturam bonorum Ecclesiasticorum.*

1 QUemadmodum de jure civili *peculium* dicitur illa pecunia, quam servus, vel filiusfamilias à rationibus domini, vel patris ejus permissu separatam habet, *l.* 5. *§. fin. ff. de Peculio*, ita per quandam similitudinem bona Clericorum, quæ separatim à bonis immediatè ad Ecclesiam spectantibus possident, in hoc titulo *peculium* appellantur; vel generaliter peculii nomine cujusque patrimonium, & substantia possessa intelligitur, *l. cogi* 16. *ff. ad S. C. Vellejanum.*

2 Porro Clericorum peculium distinguitur in quatruplicia bona: quædam dicuntur *patrimonialia*, nimirum ex successione parentum, aut cognatorum, vel donatione amicorum, aliave profana causa requisita, in quibus plenum dominium, & plena dispositio tam inter vivos, quàm in ultima voluntate Clericis conceditur, *c. quia de*
3 *Testamentis*. Insuper quæ filiusfamilias post clericatum assumptum acquirit, non ampliùs rationem peculii adventitii, sed quasi castrensis habent, neque in iis patri fructus debetur, *l. Sacrosancta* 34. *juncta auth. presbyteros Cod. de Episcopis, & Clericis.*

Alia sunt bona *industrialia*, seu *quasi patrimonialia*, de 4
quibus Clerici non minùs, quàm de præcedentibus liberè disponere possunt; & dicuntur illa, quæ acquiruntur non tantùm ex profana industria, vel officio, sed etiam ex industria spirituali, & extraordinariis functionibus, veluti ex missis votivis, anniversariis, & similibus. Item docet Navarrus *de Reditibus Ecclesiasticis q.* 1. *monitio* 19. *n.* 2. & Zoes. *hoc tit. n.* 2. illas largitiones fidelium, quæ sunt incertæ, & dantur Parochis propter speciales functiones v. g. Baptismum, Nuptias, Sepulturas &c. & vulgò *reditus stolæ* vocantur, accensendas esse *bonis industrialibus*. Licet aliter sentiat Hostiensis *in summa hoc tit. num.* 3. ubi regulam putat, omnia illa bona esse prospectu Ecclesiæ acquisita, quæ clericus non acquisivisset, si Ecclesiam non habuisset.

De distributionibus autem quotidianis, quas Canonici propter singulas in choro præsentias accipiunt, major est difficultas; eas enim bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis annumerat Navarrus *dict. q.* 1. *monitio* 30. *num.* 2. eo quòd directè ab Ecclesia dentur, & juxta Concilium Trident. *sess.* 21. *de Reform. c.* 3. tertia pars redituum ordinariorum in distributiones, ubi aliæ nimis tenues sunt, converti debeat; nihil proinde videtur mutatum in qualitate bonorum, sed tantùm in distribuendi modo. Hæc quidem sententia tuta est; contraria tamen etiam non improbabiliter sustineri potest cum Tusco *lit. D. Conclus.* 512. quòd istæ distributiones quotidianæ tanquàm denarius diurnus dentur ab Ecclesia propter specialem industriam, & diligentiam, neque veniant nomine fructuum Canonicatus; prout superiùs in *Tit. de Clericis non residentibus* dictum, à multis percipi fructus canonicatus, à quibus non percipiuntur distributiones. Præsertim in illorum sententia, qui docent, dominium bonorum *prospectu Ecclesiæ acquisitorum* non acquiri Clericis, confirmari potest opinio Tusci ex *c. unico vers. qui vero de Clericis non resid. in* 6. ubi dominium distributionum Canonicis, & Clericis expressè adscribitur.

Alia sunt bona *prospectu Ecclesiæ acquisita*, quæ scili- 5
cet consistunt in stabilibus, & ordinariis reditibus, ac fundationibus beneficii, v. g. decimis, fructibus agrorum, aut rerum ad beneficium ipsum, seu Ecclesiam spectantibus. De his Clerici non aliter disponere possunt, quàm ut in suam congruam sustentationem desumant, & quòd superfluum est in pias causas erogent; post mortem verò eorum omnia residua ad Ecclesiam de jure revertuntur, *cap. fin.* 12. *quæst.* 1. *cap.* 1. *& 3. hoc tit. c.* 1. *c. cùm in officiis cap. tua nos de Testamentis*. Trident. *sess.* 25. *de Reform. c.* 1.

Licet enim plerique RR. soleant Clericis in istis bonis 6
dominium concedere cum Less. *de Just. & Jur. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 43. Zoes. *hoc tit. num.* 3. (contra Navar. *de Reditibus Ecclesiasticis q.* 1. *monito* 21. *& seq.* Panorm. *in. cap. cùm esse* 10. *de Testamentis n.* 29. & alios antiquiores Deo vel Ecclesiæ adscribentes horum bonorum dominium) tum quòd divisio beneficiorum per Dionysium Papam *in c. un. causa* 13. *q.* 1. inter Clericos facta sustulerit illam antiquam bonorum communionem, & fructus cuilibet fecerit proprios, *arg. l.* 1. *Cod. Communia utriusque judicii*, tum quòd in Concilio Tridentino *sess.* 23. *de Reform. c.* 1. argumento à contrario sensu Clerici residentes dicantur fructus beneficiorum suos facere; atque textus contrarios *in c. quod autem* 23. *q.* 7. *c. res Ecclesiæ, & seq.* 12. *q.* 1. in Tridentino *d. c.* 1. *sess.* 25. soleant exponere, vel de primitivo statu Ecclesiæ, ubi ante beneficiorum divisionem omnia erant inter Clericos communia, *c. duo sunt c.* 12. *q.* 1. vel obligatione restituendi superflua pauperibus, & ad pias causas; hoc tamen dominium non est simplex, & absolutum, sed cum dicta restituendi obligatione restrictum, & limitatum, eique applicari debent verba, quæ in definitionem dominii ponuntur, quòd sit *potestas liberè disponendi de re sua, nisi quatenus jure prohibeatur.*

Demum ex his bonis Ecclesiasticis quartum genus 7
bonorum clericalium constituitur, videlicet *parsimonialia*, quæ clericus sibi de congrua sustentatione parcius viven-

vivendo subtraxit. Non est quidem eadem omnium sententia, an de istis bonis Clerici pro suo arbitratu disponere valeant; negant enim Panorm. *in dict. c. cum esses num.* 27. Sarmientus *de Reditibus Ecclesiasticis parte* 2. *c.* 8. *n.* 26. eò quòd sacri Canones generaliter disposuerint, ut bona Ecclesiastica superflua non aliter quàm ad pias causas distribuerentur, non distinguendo, an ex parsimonia, vel ex non indigentia supersint. Verùm contrarium probabilius videtur cum Navarro *dict. q.* 1. *monito* 16. Less. *d. c.* 4. *dub.* 6. *n.* 37. quia pars redituum Ecclesiasticorum respiciens congruam sustentationem Clerici libera est ab omni onere restituendi pauperibus, vel Ecclesiæ, & liberè absumi potest; consequenter nullum fit præjudicium pauperibus, vel Ecclesiæ, sive Clericus in sua alimenta, & competentem sustentationem consumat, sive parcius vivendo consanguineis, vel amicis donet, aut ad alios usus honestos licet profanos expendat.

Nec propterea sequitur, quòd parcus, & avarus sit melioris conditionis, quàm liberalis integram competentem sustentationem insumens, qui nihil potest de reditibus Ecclesiasticis ad profanas causas distribuere, sicut inferunt prioris sententiæ Authores: nam circa hoc punctum uterque censetur esse paris conditionis, quia illam partem redituum, quæ respicit congruam sustentationem uterque liberè expendere potest, per accidens autem contingit, quòd in victu parcior expendat aliorsum, idque etiam liberali licebit, si velit parcius vivere; Si verò ad sorditiem usque, & dedecus sui status vellet quis parcè aut magis avarè, vivere, non dubito, quin Episcopus talem ad decentem modum reducere debeat.

Porrò ut scias, quid hic veniat nomine congruæ sustentationis, & distributionis ad pias causas, sequentes regulas nota.

8 I. Tametsi Clericus alia bona habeat, nihilominus illis reservatis poterit totam suam sustentationem ex bonis & reditibus Ecclesiæ desumere, quia dignius est operarius mercede sua, & nemo suis stipendiis militare cogitur, Innoc. & Panorm. *in c. Episcopus de Præb.* Quod si Clericus ex bonis patrimonialibus vixerit antequam reditus Ecclesiasticos percipere potuit, fas erit ei, posteà ex reditibus Ecclesiasticis tantundem inter bona patrimonialia computare. Lessius *d. dubio* 6. *n.* 38. Lugo *de J. & J. disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 44.

9 II. Congrua sustentatio personæ non est quoad strictam vivendi rationem accipienda, sed etiam consideratio status, & dignitatis haberi debet, ita ut Parochus nobilis, vel Graduatus plus in suam sustentationem impendere valeat, quàm alius minus litteratus, & humilioris conditionis, *arg. c. de multa de Præb. & Extrav. execrabilis XVII. de Præb* Navar. *d. q.* 1. *num.* 36. Prætereà nomine congruę sustentationis etiam intelligitur debita hospitalitas; non solùm illa, quæ fit erga pauperes, & peregrinos; & maximè commendatur Clericis in Conc. Trid. *sess.* 24. *de Reform. c.* 8. sed etiam hospitalitas urbana cum moderatione debita juxta statum, & qualitatem beneficii. † Item in eandem sustentationem rectè imputantur moderatæ donationes remuneratoriæ, & aliæ, quibus boni amici fiunt, aut conservantur, quia virtus liberalitatis pro qualitate, & conditione status plurimùm decet virum honestum, & ingenuum. Lugo *d. disp.* 4. *sect.* 4. *num.* 66. *& n.* 73. Generaliter pro regula tradit Molina *de J. & J. disp.* 145. *num.* 13. congruitatem sustentationis desumendam esse ex usu, & consuetudine virorum, qui sunt ejusdem conditionis ac timoratæ conscientiæ. In omnibus verò modestæ honestatis, & decentis frugalitatis ratio habenda est, & observandum, quod S. Bern. *in Epist. ad Fulc.* scribit: *Conceditur tibi*, inquit, *ut si bene deservis, de altari vivas; non autem ut de altari luxurieris, ut de altari superbias, &c.* & idem Bernard. *in Epistola* 40., *de Henr. Sen. Archiepisc. clamant*, ait, *nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur; nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris &c.*

10 III. Clericus, qui in administratione sui officii diligentior est, quàm de Jure teneretur, v. g. crebriùs per seipsum audiendo confessiones, concionando, Missas legendo, docendo rudimenta fidei, visitando, & consolando infirmos, &c. talis, inquam, Clericus poterit etiam plus boni viri arbitratu in suam sustentationem impendere: & consequenter si voluerit aliquanto parciùs vivere, plus bonis parsimonialibus, vel industrialibus accensere, juxta illud Apost. 1. *ad Timoth.* 5. *Presbyteri, qui benè præsunt, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* Navar. *d. q.* 1. *mon.* 29. Molin. *disp.* 144. *num.* 23.

11 IV. Nomine *piarum causarum*, quibus superflua distribuenda sunt, non tantùm intelliguntur pauperes, non habentes necessaria ad usum, sed etiam ii, qui carent necessariis ad sustentandum statum juxta suam qualitatem, & conditionem. Deinde rectè quoque dicuntur ad pias causas distribui, quæ expenduntur in usum Religiosorum in fundandas Capellanias, aut missas, alimentationem alicujus studiosi, quem sui parentes; vel nolunt, vel non possunt in studiis alere, in erectionem, vel conservationem Seminarii pauperum Scholarium, & universim quęcunque ad cultum Divinum, vel ad misericordiam spiritualem, vel corporalem alterius ordinantur. Lugo *d. disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 47. *& seq.* 4. *n.* 68.

V. In expediendis bonis ad pias causas potest se gerere Clericus, ut bonus Oeconomus, & ita aliqua pro futuris necessitatibus reservare, quæ verosimiliter timentur eventuræ. Non tamen debet hæc reservatio transire in speciem avaritiæ, ut Clericus velit nimis anxiè, & Divinæ providentiæ parum confidens, omnes casus, qui quoquo modo evenire possunt, prævidere, † & interim nihil, vel modicum in pias causas erogare, Navar. *d. q.* 1. *mon.* 25. *num.* 5. Lugo *dict. disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 41. *& sect.* 4. *n.* 74.

12 VI. Licèt in Concil. Trid. *sess.* 25. *de Refor. c.* 1. interdicatur quibuscunque beneficiatis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos augere studeant, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, &c. Nihilominùs ex communi sententia non est damnandus Beneficiatus, si aliquanto plus in suos consanguineos eroget, ne secundum suum statum egeant, vel ut honestiores in domo ipsius conspici possint, quia status consanguineorum humilium nonnihil elevatur per promotionem Beneficiati. † Sed non esse dandum consanguineis, ex quo superbi, otiosi aut malè vitiosi vivant, monet Navar. *d. q. mon.* 27. *numero* 4. & 5. Lugo *dict. sect.* 4. *num.* 20.

13 VII. *Notabilis quantitas*, quæ in malè expensis reditibus Ecclesiasticis peccatum mortale constituit, non est eadem, quæ in furto sufficit, sed multò major requiritur; quia cùm in mala applicatione bonorum Ecclesiasticorum non immediatè lædatur aliquis certus, & proximus, sicut in furto, siquidem ejusmodi bona non magis debent distribui pauperibus, quàm applicari ad ornatum Ecclesiæ, vel alium pium usum, ideò videtur sufficere, quòd moraliter, & à potiori bena distribuantur. Quare Joann. de Lugo *de J. & J. tom.* 1. *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 42. *vers. fateor*, putat in primis attendendam esse quantitatem redituum beneficialium, ita ut qui v. g. in centum superfluis viginti malè impenderit, dicatur peccasse; non verò ille, qui in mille superfluis tantùm 20. ad profanas causas exposuerit; generaliter autem existimat aliquem moraliter reditus Ecclesiasticos benè impendisse, & à gravi peccato excusatum esse, qui ex 100. 5. tantùm profanis rebus applicavit.

14 VIII. Consulendum foret omnibus Parochis, & Beneficiatis, ut si aliqua de reditibus Ecclesiasticis malè impenderint in profanos usus, de bonis suis patrimonialibus, vel parciùs impostetùm vivendo restitutionem eis de necessitate incumbere, ut videre est apud Cov. *in c.* 7. *de Testam. n.* 10. Laym. *in Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *sub num.* 3. Interim omittentem hanc restitutionem non auderem facilè damnare, propter authoritatem aliorum DD. qui contrarium docent cum eodem Cov. & Lessio *de J. & J. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *num.* 33. Docet quoque Lugo *d. disp.* 4. *Sect.* 3. *num.* 48. accipientes à Clericis superflua non expensa in pios usus non peccare, si modo Clericos ad donandum, vel alienandum non incitent, & inducant, quæ sententia in rebus majoris momenti, & ubi accipiens non potest præsumere bono jure alienari, non caret scrupulo, & contrarium asserit Sanch. *lib.* 2. *Consil. cap.* 2. *dub.* 38. †
15 Illud tamen adnotandum est, quod ea, quæ ex reditibus

tibus Ecclesiasticis comparata sunt, adhuc maneant sob tatione bonorum Ecclesiasticorum, & consequenter in vivis sint distributioni ad pias causas obnoxia, & post mortem ad Ecclesiam devolvantur, *c. 1. de Peculio Cleric.* aliàs facilè eluderetur obligatio distribuendi superflua ad pias causas, quia si beneficiatus ex superfluis emeret fundos aut prædia, vel econtra, si frumentum, & Decimas venderet, jam illa prædia comparata, vel istud pretium ex Decimis acceptum liberè expendere posset.

Ad materiam hujus Tituli etiam pertinent ea, quæ in Tit. seq. *de Testamentis, & de Successionibus ab intestato* tradentur.

TITULUS XXVI.

De Testamentis, & ultimis Voluntatibus.

SUMMARIA.

1 *Testamentum quid?*
2 *Testamentum aliud in scriptis, & aliud nuncupativum, & quomodo differat à Codicillo.*
3 *Testari de Jure Can. qui specialiter prohibeantur, & ibi copiosè, an consuetudine introduci possit, ut Clerici ad profanas causas testentur.*
4 *Testari ad pias causas an possint prohibiti de Jure Civili, & n. 6.*
5 *Testamenti factio an sit Juris gentium?*
6 *Filiusfam. an in Testamento ad pias causas teneatur habere consensum Patris.*
7 *Testari an possint excommunicati?*
8 *Testandi licentia Clericis à quo concedatur, & qualiter impetranda.*
9 *Testamentum Clerici secundum Jus Can. factum valet ubique.*
10 *Testamenti solemnitates, quæ sint de Jure Can. & an per eas tollantur solemnitates Juris Civilis n. 12.*
11 *Testamentum in necessitate, & extremis an requirat solemnitates?*
12 *Testamentum de Jure Can. an requirat Parochum, & testes de substantia, vel tantum de probatione.*
13 *Ultima voluntas an possit Jure Canon. in alterius arbitrium conferri?*
14 *Legatum rei alienæ an valeat de Jure Can.*
15 *Filius gravatus an possit duas quartas detrahere?*
16 *Testamentum ad pias causas an requirat duos testes?*
17 *In testamento ad pias causas an possint inseri relegata profana.*
18 *Testamento profano corruente an debeantur legata pia?*
19 *Falcidia vel Trebell. an detrahatur de relictis piis?*
20 *Hæredis incerti institutio an valeat in piis causis.*
21 *De commutatione ultimarum voluntatum.*
22 *In testamentis piis quis sit Judex, & Executor.*
23 *Filii ingratitudo purgatur per Religionem.*
24 *Fideicommissum: si sine liberis, an tollatur per ingressum in Religionem.*

POst actus inter vivos, & contractus ad ultimas voluntates, seu testamenta descendimus, quibus homines de *rebus suis* disponere solent.

1 Testamentum ab Etymologia nominis dictum ait Imp. *princ. Instit. h. t.* quod *testatio mentis sit*. Idque definit J. C. *in l. 1. ff. Qui testam. fac. poss.* quòd sit, *voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult*,

Testamenti appellatione quamvis in genere, & latè omnis ultima voluntas etiam minus solemnis, ut codicillus, testamentum militis, Patris inter liberos, ad pias causas &c. veniat, propriè verò ac specialiter testamentum solemne intelligitur, quod omnes illas solemnitates, & requisita habet, quæ præscribuntur ab Imper. *in l. hac consultissima 21. & passim C. de Test. §. 3. & seqq. Inst. eod. t.*

Est porrò testamentum solemne duplex, unum *in scriptis*, sive clausum, quod testator sua ipsius manu conscriptum septem testibus masculis, puberibus, liberis, ad id rogatis, omnibus simul præsentibus, ipsumque testatorem videntibus offert, profitendo esse suum testamentum, insuper ipsemet, si sciat, ac possit, sua manu coram testibus subscribit, vel alius pro eo octavus testis, & subscriptor adhibetur, idque omnes septem testes uno eodemque continuato tempore subscribunt, & subsignent. 2

Alterum est *nuncupativum*, quando testator viva voce coram illis septem testibus hæredem noncupat, & voluntatem suam declarat, *d. l. hac consultissima, & d. §. 3.* Quod posterius testamentum tunc plerumque fieri solet, si instans mortis periculum solemnem scripturam erigere non concedat, aliàs verò non solent testatores facilè suam voluntatem circa hæredem, & legatoris manifestare, ne cupiditate acquirendorum bonorum mors ipsorum optetur, aut etiam à malis hominibus procuretur.

Differt testamentum à Codicillo, quod in hoc quinque tantùm testium numerus requiratur, neq; in eo hæreditas directè dari vel adimi possit, sed tantùm per fideicommissum & verbis precariis, ut scilicet hæredes ab intestato hæreditatem nominato hæredi in codicillo restituant, qui propterea, & quartam trebellianicam prius detrahent, *tit. Instit. & C. de Codicillis.*

Hanc testamentorum, & ultimarum voluntatum materiam prolixè, & integris libris exponunt Juris Civilis tum Conditores, tum Interpretes; nos quæstiones illas, quæ præcipuè ad forum Canonicum spectant, resolvemus.

Quæritur itaque I. an specialiter de jure Canonico aliqui prohibeantur testamentum facere? Quòd de Jure Civili prohibeantur testari ob defectum integri status, & quòd sui Juris non sint servi, deportati, & filiifamilias in patria potestate constituti; deinde propter defectum rationis impuberes, furiosi, mente capti, & prodigi, quibus à Magistratu bonis interdictum est; item propter defectum corporis surdi simul, & muti, vel etiam muti tantum, si scribere nesciant, pluribus tradunt Interpretes *ad tit. Instit. quibus non est permissum facere testament. & ff. & C. Qui testamenta facere possunt.*

Specialiter verò de Jure Canonico prohibentur I. Clerici, ut de reditibus suorum beneficiorum (secus est de bonis patrimonialibus, industrialibus, & parsimonialibus) testari nequeant, licet inter vivos, cùm adhuc istorum bonorum dominium habent, saltem ad pias causas, & suam congruam sustentationem disponere valeant; post obitum enim illorum isti reditus Ecclesiastici ipso Jure ad Ecclesiam devolvuntur, *c. 1. & 9. de Peculio Clericorum c. cùm in Officiis 7. c. relatum 12. h. t.*

An verò consuetudine introduci possit, ut Clerici passim ad profanas causas testentur? Non desunt pro, & contra hanc consuetudinem multæ graves authoritates, & rationes, quas refert Cov. *in d. c. 7. num. 23. & seq.* Rem ita componunt Molina *de J. disp. 147. num. 27.* & Azor. *instit. mor. p. 2. l. 7. c. 9. q. 1.* quòd per consuetudinem Clerici *validè* testari possint, sed non *licitè*.

Verùm ego considero substantiale requisitum consuetudinis (sine quo nullum effectum habet) esse, ut sit *rationabilis, c. fin. de Consuet.* talem verò consuetudinem, qua sine peccato mortali ex sententia Azorii, & Molinæ uti non licet, & per quàm id, quod ex sententia SS. Patrum & enixa constitutione Canonum pauperibus, ac Ecclesiæ debetur, ad profanas causas distribuatur, esse rationabilem, sanè mihi nemo persuaserit, & hinc non vana est vulgi opinio, vel experientia, quòd bona Clericorum apud Laicos hæredes parùm fructificent. Accedit, quòd experientia constet per talem consuetudinem non exiguum damnum inferri Ecclesiis, quando decedentibus Parochis omnia ad hæredes devolvuntur, & interim Ecclesia vix sarta tecta, nedum debita ornamenta, & novus parochus vix media se alendi habet; ut vel ex hoc capite prædicta consuetudo invalida videatur, *cap. 1. de Consuet. junct. c. cùm in officiis* ibi: *nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, &c hoc tit.* Quare illam valere consuetudinem existimo, quæ approbatur in *cap. relatum 12. hoc tit.* ut Clericus possit aliqua de reditibus Ecclesiasticis in ultima voluntate relinquere piis locis, pauperibus, qui sibi in vita aliquod servitii meritum

exhi-

exhibuerunt, sive deinde isti pauperes, aut servientes sint consanguinei, sive extranei.

Sed quid ad præcipuum Adversariorum (defendentium ex consuetudine *validam*, sed non licitam Clericorum dispositionem) argumentum respondebimus? Quòd nimirùm Clerici sint *veri domini* suorum redituum etiam superfluorum, ideoque sicut inter vivos saltem *validè* quamvis non *licitè* eos ad profanas causas alienare possunt sine restitutionis onere, ita etiam per testamentum; cùm ex multis instantiis appareat, plurima fieri *illicitè* non tamen *invalidè &c.*

Profectò si hoc argumentum accuratè expendatur, non est tam solidum, ut prima fronte videtur. Nam inprimis palam est, hic *incertum per incertum probari*. Siquidem hæc omnia apud DD. planè dubia, & controversa sunt, an Clerici suorum redituum superfluorum ita habeant absolutum, simplex, & irrastrictum dominium, ut eos valeant validè, & irrevocabiliter in alios profanos usus transferre, sine ullo restitutionis onere? contrarium enim ab authoritate plurium Doctorum, & rationibus gravibus pulchrè ostendit Paulus Laym. *in Theol. Mor. lib. 4. tr. 2. c. 3. num. 3. v. ad alteram quæstionem*. Nec est semper bona consequentia, hic est Dominus rei, ergo potest dominium suum in alium transferre. Licet enim hoc procedat, ubi dominium est absolutum, & liberum, non tamen ubi est certo modo restrictum, modificatum, & limitatum. v. g. si testator jubeat hæredem dare pauperibus 100. non assignata specie monetæ, hæres erit debitor *generis*, & consequenter ante solutionem verissimus Dominus. Quid, si in alios quàm pauperum usus omnes facultates hæreditarias insumpserit, anne liberatus est ab obligatione solvendi pauperibus? Minimè: planè quòd testator hæredibus, hoc Canones, hoc Fundatores ex Canonum interpretatione beneficiatis injungunt. *c. quod autem 23. q. 7.* Trid. *sess. 25. de ref. c. 1.* Similiter cui fidei commissum familia relictum est, in vita sua verus est Dominus, extra familiam tamen alienare non potest, &c. Unde rectè additur definitioni Dominii, quòd sit potestas liberè disponendi de re sua, *nisi jure prohibeatur*. Deinde etiam ex supposito Adversariorum non est difficilè, interactus inter vivos, & ultimas voluntates differentiam assignare. Nam dum Clericus superfluos reditus alienat inter vivos, ipse tunc, & non alius habuit dominium: si verò disponat per testamentum, testamentum incipit valere post mortem, *ad Hebr. 9. l. 1. ff. Qui testam. fac. l. 4. ff. de Adim. Leg.* Post mortem autem non tantùm Clericus non est ampliùs Dominus, sed *Jure ipso* bona ejus prospectu Ecclesiæ acquisita ad Ecclesiam devolvuntur, cui proinde per suam dispositionem præjudicare non potest. *Respondemus*, inquit Pontif. *in c. relatum 12. h. tit. quod generaliter bona quælibet per Ecclesiam acquisita, ei debent juxta Later. Conc. post acquirentis obitum remanere*, Et infra. *Nec de jure in alios pro morientis arbitrio transferri* possint. Adde *c. cum in officiis 7. hoc tit.* ibi in fine: *sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint penes Ecclesias eadem bona precipimus remanere*. Adde c. 1. & 3. *de Peculia Cler.* Quo jure ergo hæc bona ab Ecclesiis auferuntur, & extraneis *validè* relinquuntur? Non sanè *Jure scripto*, quia universi Canones reclamant: anne *consuetudinario*? Ita, ajunt adversarii, *consuetudinario*. Sed doceant, quæso, me sic argumentantem: Consuetudo quæ non est *rationabilis*, non valet contra Canones. *text. Clarus in c. fin. de Consuet.* non enim consuetudo, sed *corruptela* est. At verò hæc consuetudo, ut Clerici ad profanas causas suo arbitrio testentur, non est *rationabilis*, ergo &c. minorem probo: consuetudo, quæ toties, quoties exercetur, invitat ad delinquendum, imò facit semper mortaliter peccare utentem illa, non est *rationabilis*, sed consuetudo, ut Clerici testentur ad profanas causas, non potest exerceri *licitè*, & sine peccato Clericorum, ergo est *irrationabilis*, & *invalida*, ergo contra Canones nihil operatur. Major est lumine naturæ nota, quomodo enim potest esse *rationabile*, quod me conjicit in periculum, imò, & damnum salutis æternæ. *tex. in d. cap. fin.* ubi *ex periculo salutis* judicatur *corruptela cap. ex parte cum suo Summario de Consuet. cap. fin. de Prescrip.* Minor est adversariorum Molinæ, Azorii, Lessii, & aliorum, consequentia (salvo tamen meliori judicio) est nostra. Ut nihil dicamus de damno Ecclesiarum, propter quod ipsum consuetudines tanquam irrationabiles reprobantur *in cap. 5. de Consuet.* Quòd verò dicitur, multa in Jure esse *illicita*, sed non *invalida*, *cap. ad Apostolicam de Regular.* id verum est, si *illiciti* actus valor sustineatur à *Jure* aliquo *valido* nimirum à justa Lege, vel Canone, aut à justa, legitima, & rationabili consuetudine, qualis in præsenti non est, ut ostensum.

Nihil quoque movere debet id, in quo contrariæ sententiæ DD. plurimùm se fundant, quòd nimirum S. Pontifex non contradicendo videatur tacitè approbare prædictum usum ad profanas causas testandi, quem vix potest ignorare, cùm in multis Orbis partibus practicetur. Præterquam enim quòd in novissimo Concil. Trid. *d. sess. 25. cap. 1.* satis contradictum videatur, jam in fere simili materia (videlicet circa pluralitatem beneficiorum à multis sine legitima dispensatione, & scrupulo obtentam) declaravit Pont. quod sua taciturnitas non approbet tales usus, qui non satis rationabiliter adversus SS. Canones inducuntur, *multa*, inquit, *per patientiam tolerantur, quæ cum in judicium deducta fuerint, exigente Justitia tolerari non debebunt. c. cum jam dudum. 19.* ubi Gloss. *in v. patientiam. de Preb.* Demùm neque illud argumentum aliquid evincit, quòd S. Pontifex per privilegium concedat licentiam testandi Clericis ad profanas causas, quæ testatio si irrationabilis esset, non rectè per Pontificem concederetur. Multa namque in uno, vel altero particulari casu rationabiliter conceduntur, quæ tamen universaliter concedi *rationabiliter* non possent, veluti si inter consanguineos in 2. vel 3. gradu ad Matrimonium, aut cum laicis, illegitimis, vel alio modo irregularibus ad SS. Ordines dispensentur. Unde illa etiam consuetudo præ cæteris tolerari potest, si Clerici antequam testentur, saltem licentiam Episcopi requirere debeant, ex cujus prudentia præsumitur necessitatibus communibus pauperum, & Ecclesiarum satis provisum iri. Ita ut non aliter concedat testandi facultatem, quàm si viderit indemnitati Ecclesiæ satis consultum, eique aliqua saltem portio in tali testamento relinquatur. Videatur etiam pro hac nostra sententia Paul. Laym. *in Theol. mor. lib. 4. trat. 2. c. 3. n. 7.*

Addo tamen finaliter, antequam hæc consuetudo authoritate superiorum declaretur invalida, posse hæredes Clericorum in foro interno excusari ab authoritate extrinseca magni nominis Doctorum, qui hanc consuetudinem validam pronunciant.

II. Religiosi ante Professionem quidem de bonis suis liberè disponere possunt, post professionem autem jus testandi una cum liberæ voluntatis arbitrio, quod in Prælatum resignarunt, amittunt, *c. fin. de Sepul. in 6.* Quare si absque prævia dispositione profiteantur, omnia illorum bona Monasterio acquiruntur. *Auth. ingressi Cod. de SS. Ecclesiis, & authent. nunc autem Cod. de Episcopis, & Clericis.* Excipiunt communiter casum *Canonis si qua mulier 19. quæst. 3. desumpti ex Auth. si quæ mulier Cod. de SS. Ecclesiis* ubi Professus, qui in sæculo liberos reliquit, nec prius testatus est, etiam post professionem bona inter liberos distribuere potest, reservata Monasterio una portione filiali. Sed de hac & aliis Monasteria ingredientium dispositionibus videantur à me tradita *inferius in Tit. XXXI. de Regul. & Transeunt. ad relig.*

III. Testamentum non facere possunt usurarii manifesti antequam usuras restituerint, vel saltem de restituendo idoneam cautionem præstiterint, *c. 2. de Usuris in 6.*

IV. Hæretici, & hæreticorum receptatores, defensores, & fautores *c. excommunicamus 13. §. credentes. de Heret.* Quod tamen in locis, ubi hæresis impunè grassatur, & hæretici permixtim cum Catholicis vivunt, non practicatur, sicut, & multæ aliæ constitutiones in Jura contra hæreticos latæ.

V. Demùm testari nequeunt, qui Romanæ Ecclesiæ Cardinalem hostiliter insequuntur, percutiunt, cadunt vel ad id consilium vel auxilium præstant. *c. felicis 6. de Penis in 6.*

Quæ-

Quær. II. an prodigi, filiifamilias, damnati ad ultimum supplicium (quorum hodie bona non confiscantur, excepto crimine læsæ Majestatis, & hæresis. *Authen. bona damnatorum C. de Bonis proscriptorum c. vergentes de Hæreticis*) Item, & deportati, qui de Jure Civili testari prohibentur, saltem ad pias causas testamentum condere valeant? Pro negativa facit, quòd testamentum, & dispositio in tempus, quo aliquis ampliùs non est futurus dominus, scilicet post mortem, sit merum Juris Civilis inventum, sicut probat Vasquez *Illustr. controv. lib. 3. c. 100. num. 3.* ergo quibus nec de Jure Civili, nec de Jure Canonico (quod ipsum in hac parte non reperitur differentiam à Jure Civili statuisse) potestas testandi data est, nullo modo, & ne quidem ad pias causas testari poterunt.

Verùm sententia affirmativa semper mihi probabilior visa est, videlicet quemlibet ad pias causas testari posse, qui Jure naturali ob defectum rationis incapax non est, sicut etiam docet Riccius *in Praxi aurea parte 4. resolut. 89.* Ideò enim in testamentis ad pias causas solemnitates Civiles non attenduntur, quia regulantur secundùm Jus gentium, ut communiter Doctores concedunt, de quo Jure non habemus solemnitates, sed sola voluntas defuncti, ejusque probatio sufficit, atqui omnes isti, quos enumeravimus, licet quoad actus Civiles sint inhabiles, sunt tamen capaces actuum Juris gentium, ut contractuum, exceptionum, defensionum, & similium. Optimus text. *in l. idem est 23. §. 2. ff. de Testam. militis* ubi: *deportati, & fere omnes*, inquit, J. C. *qui testamenti factionem non habent, à milite heredes institui possunt*, non utique ex alia causa, hoc J. C. responsum processit, quàm quòd in testamento militis præcisè ad jus gentium respiciatur, quod deportati, & similes non amittunt, *l. sunt quidem 7. §. 1. ff. de Pœnis*, ergo ad pias causas testari poterunt.

5 Quòd autem testamenti factio origine Juris gentium sit, quamvis Jus civile certas ei solemnitates addiderit post Covar. *Var. Resol. lib. 3. c. 6. n. 7.* Julium Clarum *lib. 3. sentent. §. testam. q. 2.* & plurimos alios demonstrat Harprecht. *ad princ. Institut. de Testamentis ordinandis, à n. 62.* Nam si Jus gentium est, quod apud omnes gentes peræquè custoditur, *§. 1. Institut. de Jure nat. gent. & Civil.* ex variis, tum sacræ, tum profanæ historiæ exemplis probari potest, testamenta, & ultima elogia non solum à Civibus Romanis, sed apud diversas gentes longè etiam ante jus civile conditum usitata fuisse, sicut refert Harprecht. *d. l. num. 64.* & Petrus Gregorius *lib. 7. de Repub. c. 12.* ipsaque naturalis ratio hominibus illum affectum de rebus suis in ultima voluntate disponendi suggessit. Idque satis insinuatur *in l. lege obvenire 130. ff. de Verb. signific.* ubi dicitur, quòd lege 12. Tabularum, sicque primo jure Romano, & Civili testamentariæ successiones confirmentur. Nemo autem dubitat, quin res confirmanda præexistat ante confirmationem, neque ordinariè confirmatio aliquid novi inducere, sed præexistens ratificare censetur. *DD. ad cap. 4. de Confirmatione utili.*

Quæ verò in contrarium adferuntur, id solum probant, quòd sicut aliàs Jus Civile juri naturali, & gentium in hypothesi, & singulis factis addere, & detrahere potest, ita etiam circa testamenta fecerit, eoque respectu, quoad suam solemnitatem, & ultimam perfectionem testamentum Juris Civil. dicatur. Quemadmodum in simili matrimonium non ideò minùs contractus juris naturalis, & gentium est, *princ. Inst. Jure Nat. & Civ.* quod hodie ex Concil. Trid. novas solemnitates, scilicet præsentiam Parochi, & testium requirat.

Accedit pro nostra sententia ratio, quòd leges Civil. non putuerint, nec Christiani Imperatores verisimiliter voluerint, aliquem habentem rerum suarum dominium jure gentium, & testandi privare, quantum id expedit pro salute animæ suæ, & ad pias causas. Bonus textus *in l. 1. Cod. de SS. Ecclesiis*, ubi Imperator Constantinus *unicuique* nulla facta personarum distinctione, dat licentiam, *sacris locis, quod voluerit, relinquere*.

6 De prodigo quidem negat Bartholus apud Panorm. *ad Rubric. hujus tit. numer. 10.* quòd possit testari etiam ad pias causas, cùm ei non competat bonorum administratio, sed magis comparetur pupillo, & furioso. Verùm ista ratio convincens non est: nam minorennis quoque sub curatore constitutus administrationem non habet, & tamen testari potest, ut noti juris *ex l. 5. ff. hoc tit.* Quòd verò prodigus, pupillo, & furioso comparetur, id verum est ratione prohibitæ administrationis inter vivos, quoad ipsam autem mentis integritatem res in facto consistit, cùm per se loquendo disponens ad pias causas, & pro anima sua non inconsultò agat. Sed specialiter.

Quæritur III. circa filiumfamilias, an in testamento 7
suo ad pias causas condito teneatur semper patris consensum adhibere? In *cap. penult. de Sepult. in 6.* ita legitur *quamvis filiusfamilias absque patris assensu sibi possit liberè eligere sepulturam, pro anima tamen sua præter ipsius assensum (nisi peculium castrense, aut quasi castrense habeat) aliquid judicare non potest*. Ex quo textu plerique Doctores inferunt, filiumfam. posse quidem de bonis adventitiis disponere ad pias causas, sed non aliter quàm consentiente patre, Panorm. *ad Rubricam hujus t. n. 10.* Barb. *in Collect. ad d. c. pen. n. 6.* Et licet Bartholus *in l. 1. C. de SS. Ecclesiis*, teneat, filiumfam. saltem in iis, quibus pater usufructum non habet posse eo invito ad pias causas testari, cum tale testamentum non ex Jure Civili, sed gentium reguletur; imò etiam profana testamenta in his bonis nunnulli defendant apud Harprecht. *princ. Inst. Quibus non est permissum facere testamentum num. 29.* contrarium tamen docet Baldus *in dict. l. 1.* & Panormitan. *dict. n. 10.* per textum in *d. c. pen.* qui tantum peculium castrense, & quasi castrense excipit.

Verùm, si considero argumenta, & rationes, quibus Doctores probant, consensum patris in testamento filii ad pias causas semper requiri, parùm me convincunt. Etenim, si spectetur Juris Civilis prohibitio, ea circa testamenta ad pias causas juxta hactenus dicta non obtinet, si præjudicium patris circa usumfructum, nullum apparet, non tantum in bonis pleno jure à filio possessis, ut per se patet, sed etiam aliis adventitiis, quia post mortem filii pater loco ususfructus acquirit partem proprietatis, nimirum legitimam suam; sicut ergo ea de causa, & casu, quo pater cum fratribus defuncti succedit in parte cohæredum fratrum non haberet usumfructum, *authent. item hæreditas, Cod. de Bonis quæ liberis, & Novell. 118. c. 2.* ita nec prætendere posset in casu cohęredis Ecclesiæ, vel piarum causarum, eo etiam argumento, quòd piæ causæ in multis liberorum jure censeantur. Textus, & DD. *in c. in præsentia 8. de Probationibus*. Ut nihil dicamus, quosdam Patres forsan rarò, aut valdè parce consensuros in dispositionem filiorum ad pias causas, & pro animabus suis.

Potissima, fateor, difficultas est *in c. pen. de Sepulturis in 6.* Sed videtur, non incongruè explicari posse juxta verisimilem mentem legislatoris, ut procedat, in 8
quantum filius per suum judicium, & dispositionem posset patri præjudicium inferre, ideoque intelligitur vel de peculio *profectitio*, quod totum est patris, sicut ita inter se conciliantur *l. 1. §. 1. ff. de Tutela, & rationibus distrahendis, & l. tam is 25. §. 1. ff. de Mortis causa donat.* (quæ *lex* non potest loqui de peculio *adventitio*, cum jure Digestorum istod peculium fuerit incognitum, *§. 1. Instit. Per quas personas cuique acquiritur.*) vel certè, si textus noster intelligatur etiam de peculio adventitio, tunc exaudiendus erit, si filius vellet patri in legitima nocere, aut cùm textus non utatur verbo *testari*, sed *judicare*, hoc verbum tanquam indifferens etiam accipi poterit de actibus inter vivos, in quibus statim transferretur dominium, & patri ususfructus tolleretur. Existimo proinde salvo doctiorum judicio in Theoria probabiliter defendi posse, valere testamentum, quod filiusfam. relicta patri competenti legitima etiam sine ipsius consensu de quibuslibet bonis adventitiis ad pias causas conderet.

Quæritur IV. An non tantum hæretici, sed etiam generaliter omnes excommunicati, de jure Canonico testari prohibeantur, Respondetur, licet id voluerit quædam Gloss. in *cap. decernimus 8. de Sententia excomm. in 6.* alia tamen Gloss. *in eodem cap. 8. in propositione casus*, asserit, communem Doctorum opinionem esse in contrarium, & consentiunt citati apud Barb. *in Collect. ad d. c. 8. n. 7.* Est enim testamenti factio juris prohibitorii & omnibus permissa, quibus expressè non prohibetur.

Imò hoc ipso, quòd jura specialiter prohibuerint hæreticos, non statuendo idem generaliter de excommunicatis, procedunt vulgata juris axiomata, quòd exceptio firmet regulam in casibus non exceptis, & constitutiones pænales ultra casus expressos prorogandæ non sint.

Dices: excommunicatus assimilatur deportato, *arg. d. c. Decernimus*, ubi excommunicatus ab agendo, patrocinando, & testimonio ferendo repellitur; deportatus autem saltem de jure civili, & ad profanas causas testari prohibetur. Responderi potest; similitudinem inter excommunicatum, & deportatum non obtinere in omnibus sed tantùm in quibusdam à jure expressis, procaduntque isti effectus ex diversa causa; deportatus enim enumeratos actus propterea facere nequit, quia privatur jure civitatis Romanæ, & desinit esse civis Romanus, quo jure institutum est, actionem in judicio proponere, testamentum solemne ordinare, &c. excommunicatus autem propterea, quia ipsi inhibetur fidelium communio ab Ecclesia, nec circa eum aliquid de juribus civitatis Romanæ statuitur. Deinde deportatio est pœna vindicativa, & perpetua, excommunicatio verò medicinalis, ut peccator resipiscat, & satisfaciat mandatis Ecclesiæ, quod ubi fecerit, mox absolvitur, & restituitur, ut *in tit. de Sententia excom.* pluribus traditur.

9 Quæritur V. Quid requiratur, ut Clerici de reditibus suorum beneficiorum testari valeant? Respondetur, requiri licentiam S. Pontificis, qui supremam potestatem habet contra jura dispensandi, & de beneficiis, eorumque reditibus disponendi. Covar. *in c. cùm in officiis* 7. *hoc tit. num.* 20. Et talis licentia semel concessa non expirat morte S. Pontificis: quia gratiæ regulariter non expirant morte concedentis, etiam re integra, *c. sicut* 36. *de Præbendis in* 6. *c. Si super gratia de Officio delegati in* 6. *cap. decet. ubi* Glossa, & DD. *de Regulis Juris in* 6. Fach. *lib.* 5. *controv. c.* 100. ubi etiam *c.* 99. rectè docet, eam testandi facultatem à Summo Pontifice concessam non esse restrictam (nisi verba Privilegii, seu facultatis concessæ aliud expressè dicant) ad primum testamentum à Clerico conditum, sed interpretandam esse juxta naturam actus; ad quem conceditur, ut nimirum pro arbitrio primum testamentum mutari, revocari, & aliud condi possit, adeoque ut simpliciter Clericus valeat testatus decedere. Quamvis in hoc, & priore puncto contrarium teneat Covar. *in d. c. cùm in officiis. n.* 23. quòd licentia testandi de reditibus Ecclesiæ, utpote contra jura, & præjudicium piarum causarum, sit odiosa, & strictè interpretanda.

In eo videtur major difficultas, an si Clericus priùs testamentum fecerit, & postea primùm licentiam impetrarit, hoc ipso testamentum illud priùs factum convalescat, si nihil post impetratam licentiam circa id innovatum sit? Rationem dubitandi facit textus *in l. Tribunus* 20. §. 1. *ff. de Testam. militari* ubi dicitur, non valere testamentum militis ante militiam sine solemnitatibus confectum nisi miles ex post facto in expeditione constitutus per actum aliquem v. g novitet signando, corrigendo, addendo, &c. priorem voluntatem confirmarit, aut renovarit. Potest tamen defendi affirmativa cum Tusco *V. Testamentum conclus.* 145. eò quòd privilegia accipiunt interpretationem ex intentione supplicantis, & concedentis, quæ simpliciter fuit, ut Clericus posset cum testamento decedere, sive facto, sive faciendo. Estque disparitas inter testamentum Clerici, & militis, quia privilegium clerici est simpliciter cum testamento decedendi; privilegium vero militis, ut non teneatur adhibere solemnitates, est expressè in jure restrictum ad tempus actualis militiæ, seu expeditionis, quia tunc propriè subest ratio legis, quod ob instantem belli necessitatem solemnitates adhibere non possit, vel non posse præsumatur.

10 Istud quoque adnotari potest, quòd Clericus etiam in terris Imperii existens probabiliùs non teneatur in suo testamento adhibere solemnitates Juris Civilis, sed sufficiat, si secundùm jus Canonicum testetur. Ubi enim Jus Civile, & Canonicum discrepant, Clerici non subjacent legibus civilibus, sed canonicis, *c. quòd clerici* 6. *de Foro competenti*, & passim DD. *Tit. de Immunitate Eccl. Barb. in Collect. ad c. cùm esses* 10. *hoc tit. num.* 2. Ubi dicit, quòd constitutio illius *cap.* 10. circa causas ad forum canonicum pertinentes observari debet etiam extra terras Romani pontificis.

Quæritur proinde VI. quales solemnitates de Jure Canonico ad testamentum requirantur? De solemnitatibus Juris Civilis obiter diximus superiùs ad principium tituli & præscribuntur *in l. hac consultissima* 21. *Cod. h. tit.* De Jure Canonico difficilis textus est *in c. cùm esses* 10. *h. t.* ubi Alexander III. sic rescripsit Hostiensi Episcopo: *proposuisti talem in tuo Episcopatu consuetudinem obtinere, quòd testamenta, quæ fiunt in ultima voluntate, penitus rescindantur, nisi cum subscriptione septem vel quinque testium fiant, secundum quod leges humanæ decernunt; quia verò à divina lege, & à Sanctorum Patrum institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine noscitur alienum cùm scriptum sit, in ore duorum vel trium stet omne verbum: præscriptam consuetudinem improbamus, & testamenta quæ parochiani coram presbytero suo, & tribus vel duabus aliis personis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere sub interminatione anathematis, prohibentes ne quis hujusmodi audeat rescindere testamenta.* Ex hac porrò decretali duæ principaliores nascuntur controversiæ. Prima est, de qua. 11

Quær. VII. Utrùm per hanc Pontificiam constitutionem universim correctum, & abrogatum censeri debeat Jus civile, quatenus plures alias solemnitates ad testamentum requirit, & propterea in utroque foro jus Canonicum circa testamenta observandum sit? Affirmativam defendit Panor. *in eodem c. Cùm esses sub num.* 8. eò quòd S. Pontifex expressè declaret leges civiles adversari Juri Divino, ac SS. Patrum institutis; atque hic agi de materia peccati facilè colligatur exinde, quòd anathema dicatur impugnantibus testamentum non secundùm leges civiles factum, qualis censura non nisi propter peccatum mortale infligitur, in materia autem peccati Canones prævalere juris Civilis dispositioni in *Proœmio Decretalium* explicatum. 12

Verùm communior est DD. sententia potiori consuetudine approbata, circa materiam testamentorum ad profanas causas disponentium quodlibet jus in suo foro esse observandum: Jus Canonicum quidem in terris Romano Pontifici subjectis, Jus civile autem in terris Imperatoris, & aliorum Principum. Citati apud Barb. *in eod. cap.* 10. *n.* 2. *hoc tit.* Covar. *in eodem cap.* 10. *num.* 7. *&* 8. Neque enim solemnitas testamentorum profanorum ad evitandas fraudes statuta res spiritualis, aut contra salutem animarum est; imò dum dolosis machinationibus viam intercludit, potiùs saluti animarum consulit, ut propterea nihil causæ videatur, cur à Jure Canonico damnari debeat.

Non obstat argumentum Panorm. quòd leges civiles contrarientur Juri divino duos tantùm, vel tres testes requirenti: nam S. Pontifex non dicit, quòd lex quinque vel septem testes desiderans sit juri divino contraria, sed à jure divino *aliena*, id est, diversa: Jus etenim divinum non præcipit, quòd in omnibus causis præcisè duobus, vel tribus testibus credi debeat, nec plures possint statui, sed tantùm declarat, quòd ordinariè duobus, vel tribus testibus prudenter credatur; aliàs ipse quoque Panormitanus, & plurimi Juris Canonici Interpretes in hoc eodem *cap.* responderent contra jus divinum, dum ad substantiam testamenti præter duos testes (quibus tamen de Jure Divino credi deberet) etiam Parochum, vel loco Parochi duos alios, adeoque quatuor testes requirunt. Et quomodo non foret contra Jus divinum, quod *in c. nullam damnationem.* 2. *q.* 4. ad condemnationem. Episcopi 72. testes idonei, & jurati statuantur. Item quomodo non contra Jus divinum expressè dixisset summus Pontifex *in c. licet.* 23. *de Testibus.* quòd quædam sint causæ, quæ plures, quàm duos exigunt testes?

Præterea etiam non obstat, quòd anathema possit infligi impugnantibus testamentum coram Parocho, & duobus testibus confectum; quia intelligitur, quando impugnans peccaret contumaciter contra justitiam, retinendo bona ex testamento alteri debita, in casu, quo tale testamentum valeret, scilicet: in foro Canonico, & terris Pontificiis: utrùm autem in terris Imperii, & generaliter quando certò constat de voluntate defuncti, licet debitæ solemnitates adhibitæ non sint, oriatur in conscientia obligatio implendi voluntatem illam?

illam? pluribus dictum est in *Lib. I. Decretalium in Tit. de Constitutionibus* §. 3. ubi pro, & contra rationes, & authoritates adduximus. Videri etiam poterit Cov. *d. loc. n. 9.*

Demùm singularem quandam interpretationem ex Zenedo adfert Barb. *in Coll. ad d. c.* 10. *n.* 8. ex illis c. verbis: *testamenta quæ fiunt in ultima voluntate*, Item *quæ Parochiani in extrema fecerint voluntate &c.* ut scilicet correctio Juris canonici tantùm procedat circa ægrotos in extremis constitutos, qui ob instans mortis periculum solemnitates ordinarias adhibere non possunt. Hæc sententia, ut aliquibus displicet, videtur mihi verbis textus, rationi, & æquitati non parùm consentanea; haud equidem ignoro ultimam voluntatem dici quodlibet testamentum quandocunque confectum, sed aliud est *ultima voluntas*, aliud testamentum *in ultima, ac in extrema voluntate* confectum. Illud generalius, & juris, hoc specialius, & facti est. Quem sensum non obscurè arguit, quòd S. Pontifex in *d. c.* 10. Presbyteri, seu Parochi, qui plerumque tantùm solet ab agentibus in extremis advocari, mentionem fecerit: quid enim ad profana testamenta aliàs fuisset qualitas Parochi necessaria? Rationi vero, & æquitati videtur convenire hæc interpretatio: quia necessitati regulariter non censetur lex posita, & sicut tempore pestis ex plurimorum Doctorum sententia (vid. Gall. 2. *Observ.* 118. *num.* 18. & Minsing. *Cent.* 1. *Observ.* 96.) & in conflictu militari non requiritur solemnitas, sed tantùm probatio ultimæ voluntatis, ita simile potest esse judicium, si qui forsan ex inopinato casu in periculosum morbum, & agonam mortis incidat, nec tempus adhibendis solemnitatibus supersit: satis enim durum est, ut quis in tali eventu jure disponendi de rebus suis, quod tamen semper inter causas favorabiles numeratur, & jure gentium ei concessum est, sine culpa sua privetur, unde posset non improbabiliter tentari *dictum cap.* 10. non esse tam correctorium, quàm declaratorium juris civilis in utroque foro circa dispositionem factam à moribundo, qui copiam testium, & aliarum solemnitatum ampliùs non habet.

14 Quæritur VIII. De altera controversia ex eodem *cap. cum esses* 19. *hoc tit.* an præsentia Parochi, & duorum vel trium testium sit de substantia testamenti, vel tantùm de probatione? Si *de substantia*, nullum erit testamentum aliter confectum: si *de probatione* tantùm, valebit quomodocunque factum dummodo de voluntate testatoris constet, sive per scripturam manu propria nota, & indubitata, exaratam, sive per testes absque Parocho, sive per confessionem adversarii, aut similem modum. Communior opinio videtur præsentiam Parochi, & testium pro forma substantiali assignare. Panor. & Barb. *in d. c. cum esses* Cov. *ibid. n.* 23. Sed, ut verum fatear, inter alias opiniones DD. quæ mihi semper displicuerunt, aut certè non benè percepi, etiam hæc est: quia nec *textui*, nec *rationi* satis accommodare possum, idque ex sequentibus causis. I. Quia S. Pontif. *in d. c. cum esses* reprobat solemnitatem Juris Civilis, quæ est ultra probationem necessariam, ergo non fuit ipsius intentio, ibi exigere solemnitatem circa testamenta, sed tantùm probationem: si enim ex sententia Panorm. & Cov. *cc. ll.* & in absentia Parochi pro forma substantiali requiruntur ad minus 4. testes, quodnam fuisset tam grande motivum, ut S. Pon. cum objectione legum divinarum *duos tantùm testes* requirentium, tam graviter inveheretur in leges civiles, quæ 5. testes adeoque uno tantùm plures statuunt, cùm, & ipsemet uno, vel duobus plures testes requisivisset quàm Lex divina: ne proinde Pontifex sibi ipsi contradicat, nihil est verisimilius, quàm quòd ibi tantùm *probationem* non verò *solemnitatem* desiderarit; nam, & ipse tex. S. Script. ibid. allegatus, *ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum*, ad probationem solummodo pertinet. Nihil obstat, quòd etiam Parochi mentio fiat, quia ut rectissimè advertit D. Antonin. *apud* Panorm. *in* 2. *repet. d. c. cum esses num.* 13. S. Pontifex tantùm narrat *accidentia facti*, loquitur enim de testamento, quòd fit in *extrema voluntate*, hoc est ab ægrotis, & lethaliter decumbentibus teste Barbos. *in eod. c. cum esses num.* 8. ubi plerumque Parochus solet ob animæ dispositionem advocari. Censet quidem Panorm. hoc esse divinatorium. Sed, salva reverentia tanti viri, magis mihi videtur divinatorium, quòd S. Pontifex voluerit Parochi præsentiam, vel loco Parochi duos alios testes, ideoque ad minus 4. pro forma substantiali statuere, quod posteriùs scil. suppletio 2. testium loco Parochi, in textu nec verbo insinuatur. Et si Parochi præsentia est de forma, non potest per æquipollens suppleri. Text. & DD. *in §. tutor autem l. de Auth. tut.* sicut, & in matrimonio manifestum est. Trid. *sess.* 24. *de Reform. Matrim. c.* 1. Quam difficultatem præsentiens Barb. *d. l. n.* 7. respondet, Parochum non esse *de forma cum decreto irritant.*, sicut in Matrimonio, sed tantùm per modum excellentioris testis. Anne hoc textus? Minimè. Mera ergo conjectura menti Canonis multùm dissona, ut ex dictis, & dicendis apparebit. Deinde, vel Parochus est de forma substantiali, vel tantùm de probatione necessarius? Si priùs; habet per se implicitum decretum irritans, ex recepta regula, *quod non servata forma resultet nullitas actus*. Si posterius Pontifex sibi contradicit, & non servat Jus divinum, cùm præter 2. vel 3. testes insuper Parochum ad probationem requirat.

II. Si dubitetur, an Lex vel Canon præscribat certam formam substantialem actui, debet id decidi ex stilo, & modo loquendi aliarum legum formas actibus præscribentium, sed si omnes similes leges precurramus, ut in Matrimonio Trid. *sess.* 24. *de Refor. Matr. c.* 1. in alienatione rerum Ecclesiasticarum. *Extrav. ambitiosæ, & t. t. de Reb. Eccles. non alien.* in alienatione rerum pupillarium *t. t. C. de Præd. minor.* in testamentis de Jure Civ. *d. l. hac consultissima Cod. hoc t.* & pluribus aliis, constanter reperiemus, quòd leges non sint contentæ, si dicant, actum ita factum valere, *ut in d. c. cum esses*, sed positivè statuant, & præcipiant, ita, & non aliter debere fieri. Sanè non est bona consequentia: actus hoc modo factus firmus, & validus est, ergo hoc, & non alio modo debet fieri; veluti si dicam, emptio coram testibus sine scriptura valet, non proptereà infertur, ergo emptio necessariò debet fieri coram testibus. Item *in c. relatum* 11. *h. t.* dicitur, quòd testamentum *ad pias causas* coram 2. testibus factum subsistat, & tamen ex communi, & receptissima sententia testamentum ad pias causas neque testes, neque aliam solemnitatem, sed tantùm probationem voluntatis desiderat. Tiraq. *de Priv. piæ caus.* 1. & 2. *in eod. c. relatum n.* 4.

III. Non fuisset ratio præcipiendi, ut in testamentis mere profanis Parochus interveniret. Quid profanarum rerum dispositio ad Parochum? vel enim testamentum exhibendum foret Parocho, & testibus *clausum*, vel *apertum*? Si *clausum*; cur necessaria qualitas Parochi, ad rem sibi incognitam: Si *apertum*; nimis magna esset obligatio, ut testator ante mortem suam teneretur invitus (secus si sponte vellet *nuncupative* testari) manifestare hæredem & legatarios, nec non bona, & substantiam suam, atque ita se periculo captandæ mortis, aliisque incommoditatibus exponere, quod nulla lege Juris Civ. vel Canone est statutum; nec sine inconvenientissima divinatione asseri potest. Accedit, quòd hoc modo Parochis imponeretur nova obligatio suam præsentiam exhibendi testamentis profanis, quam utique tam parùm gratis exhiberent, quàm alias ad infirmos Sacramentorum causa accedunt, vel in matrimonio assistunt, indeque etiam difficultas testandi laicis pareretur.

IV. Si præsentia Parochi, & testium statuitur de Jure Canon. pro forma testamenti, tunc casus, quo Parochus ipse de bonis suis Patrimonialibus, vel aliis fecit testamentum, est indecisus, vel certè per meram conjecturam, & divinationem decidi debet, quia Parochus non est ex *parœcianis*, de quibus *c. cum esses* loquitur, nec propriè alium Parochum habet, sed potest se subjicere cuilibet legitimè exposito sacerdoti. Si dicas, debere loco Parochi accedere 2. alios testes. Ubi hoc ex textu elicis? Erubesce sine textu expresso novam formam præscribere. *Auth. consideremus C. de Triente, & semiss.* Si per conjecturam laboriosè, & anxiè textum explicas, cur non facilius, & longè convenientiùs dicis Parochum *in sæpè d. c.* 10. non poni *ordinativè*, sed tantùm *narrativè*.

Instas: periculum evitandæ fraudis circa testamenta committi solitæ desiderare plures testes. Resp. Hoc periculum posse quidem esse causam, ut plures testes statuantur, sed non esse causam necessariam, ex qua simpliciter ita statui debeat, cùm veritas rei etiam sine superfluis

solemnitatibus, per aliàs legitimas probationes detegi possit. Text. *in l. fin. C. de Fideicom.*. Certè etiam in testamentis ad pias causas, vel ex invidia erga hæredem ab intestato, vel alio modo; item in testamento militari, aut patris inter liberos posse fraudes committi, nemo rationabiliter dubitare potest, & tamen in his nulla solemnitas, sed probatio tantùm requiritur.

Concludo igitur, mihi videri probabilissimum mentem S. Pont. fuisse *in sæpè d. c. cum esses* 10. *h. t.* non tam *solemnitatem* aliquam statuere, quàm *probationem* ultimæ voluntatis exigere, sive (ut ex Joan. Gott. refert Cov. *in eod. c.* 10. *n.* 26. testamenta ad solemnitatem juris gentium reducere. Quam sententiam illi præ cæteris amplecti deberent, qui cum eodem Panor.) *d. l. n.* 10. & copiosè relatis à Cov. *d. l. nu.* 10. docent in conscientia esse debitum, quod testator sine omni solemnitate reliquit, dummodo de ejus voluntate constet (quod idem, & nos fatemur, si agatur de testamento, quod vel in territorio S. Pontificis, vel à persona Ecclesiastica, vel ad pias causas secundum jus Can. fieri potuit) qui SS. Canones solent se ad forum conscientiæ præcipuè accommodare, *c. novit* 13. *de judic. c. ut animarum* 2. *de Constit. in* 6. Qua tamen de re videantur tradita superiùs *de Constit.* §. 3. Quid autem dicendum sit de casu, quo testamentum debuit fieri secundùm jus civile, *in eod.* §. 3. tradidimus.

Sanè consuetudo quorundam locorum etiam in terris Imperii est, ut ultimæ voluntates defuncti præsertim in extremis pronuntiatæ serventur, dummodo de illis legitimè per ordinarias probationes constet, licet solemnitates juris civilis adhibitæ non sint: de quali consuetudine attestatur etiam Zoes. *h. tit. n.* 27. Quòd autem consuetudo valeat juri communi derogare, & multò magis illud declarare, passim tradunt Interpretes *ad cap. fin. & tot. tit. de Consuetudine*.

15 Quæritur IX. an de jure Canonico ultima voluntas in alterius arbitrium committi possit, juxta textum *in c. cum tibi* 13. *h. t.* ubi dicitur: *quod qui extremam voluntatem suam in alterius arbitrium committit, non videatur decedere intestatus*? Quòd de jure civili hæredis institutio in alianum arbitrium conferri nequeat; si v. g. testator ita dicat: illum instituo hæredem, quem Titius voluerit: textus est in *l. illa institutio* 32. *ff. de Hered. instit.* Utrum proinde hac in parte Jus Canonicum, & civile inter se discordent, vel quis proprius *d. c.* 13. sensus esse debeat, varii variè interpretantur, ut videre est apud Cov. *in eod. c. n.* 13. Barb. *in Collect. ibidem n.* 2. Sequor fidem Fachinei *lib.* 5. *Controv. cap.* 57. qui integram epistolam Innocent. III. refert, cujus fragmentum prius est *cap. cum tibi* 18. *de V. signific.* & posterius, *d. c. cum tibi* 13. *h. t.* ut ex inscriptione ab eodem Pontifice eidem Episcopo, & verbis initialibus utriusque capituli satis apparet. Ubi proposita fuit quæstio S. Pontifici, an cùm Episcopo à sede Apostolica indulgetur, ut possit disponere de rebus clericorum ab intestato decedentium, censeantur etiam illi intestati decessisse, qui in dispositionem, & voluntatem alterius suam committunt ultimam voluntatem? Quod igitur ad hanc quæstionem *juxta d. c.* 13. *h. tit.* rescripsit Pontifex, tantùm videtur habere eum sensum, ut circa dispositionem rerum clericalium nominatus à defuncto præferatur Episcopo, non ut propriè alium hæredem instituat, seu ut ex vera, aut verosimili mente defuncti ejus bona, quemadmodum fecisset Episcopus, ad pias causas erogat. Innoc. Panorm. Covar. & alii *in eod. cap.* 13. & sic defunctus non erit quidem intestatus ad sensum hujus loci, videlicet, ut possit se intromittere Episcopus vigore indulti sui disponendi de rebus Clericorum ab intestato decedentium, quia saltem est quædam testatio mentis latiori modo loquendi, alteri committere, ut res suas, vel per modum legati, *l. senatus* 34. §. 2. *ff. de Legatis* 1. & *l.* 1. §. 1. *ff. de Legatis* 2. vel pauperibus in genere, quos elegerit, *l. quis ad declinandam C. de Episc. & Cleric.* distribuat: sed an sit in rigore, & propriè testamentum dicendum, ac per hoc juri civili derogetur, ibidem non deciditur, ut etiam explicat Fachin. *d. c.* 57.

Barbosa *in eod. c.* 13. *n.* 2. existimant, si bona alicujus dispositioni committantur, perinde esse ac si ipse hæres institueretur, & propterea tale testamentum utroque jure valere. Si enim valet institutio ista: Titius hæreditatis meæ dominus esto, *l. his verbis* 48. *ff. de Heredibus instit.* valebit etiam sic concepta: Titii dispositioni bona mea committo, quia dominium est jus disponendi de rebus &c. Attamen, sicut generaliter in testamentis potissimùm ad mentem, & intentionem defuncti respiciendum est, ita etiam in proposito; quia potest alicui dispositio de bonis imponi non tanquam domino, sed tanquam executori: neque omne jus disponendi importat dominium, sed jus disponendi de rebus suis: & omnis quidem dominus potest disponere, sed non è converso, qui potest disponere est dominus, sicut in generali rerum alienarum administratore, & procuratore cum libera manifestum est. Atque ita refert Cov. *d. n.* 13. lege Hispanica cautum esse, commissa alicui per defectum testamenti ordinatione, & dispositione, posse ac debere hunc soluto ære alieno quintam bonorum partem in opera pia expendere, reliqua verò bona dare illis, qui defuncto ab intestato succedunt. Et *n.* 23. advertit, non esse standum judicio illius, cui testator commisit voluntatis propriæ revelationem, nisi eam fuisse asserat testantis voluntatem, quæ ex conjecturis apparentibus verisimilis est.

Quæritur X. an de Jure Canonico legatum rei alienæ valeat? De jure civili legatum rei alienæ valere indubium est, dummodo defunctus sciebat alienam esse, vel si ignorabat, legatarius conjuncta persona sit, cui verisimiliter etiam sciens alienam legasset, non quidem ad eum sensum, ut res legata invito domino proprietatis debeatur legatario, sed ut hæres teneatur rem à domino emere, & eam præstare Legatario, aut si dominus bonis conditionibus, & justo pretio vendere nolit, æstimationem communem legatario solvere, §. *non solum* 4. ibi passim DD. *Inst. de Legatis l. cum alienam* 10. *C. de Legatis*. 16

Verùm de jure Canonico valde difficilis est textus *in c. filius noster h. t.* Ubi S. Pontifex *leges* inquit, *sæculi hoc habent, ut hæres ad solvendum teneatur, si quis rem legaverit alienam; sed quia lege Dei, non autem hujus sæculi vivimus, valdè mihi videtur injustum, ut res sibi legata, quæ cujusdam Ecclesiæ esse perhibentur, à te teneantur, qui aliena restituere debuisti.* Diversas Doctorum interpretationes in hunc textum adfert Panor. *ibid. n.* 5. & *seq.* ac tandem concludit, sua opinione esse hac in re differentiam inter jus Civile, & Canonicum admittendam eò quòd verba textus ita convincant; & lucrum de re aliena legata videatur injustum, cum exorqueatur ab hærede invito, quando apertè non constat de voluntate defuncti.

Alii censent speciale esse in legato rei alienæ, ut si ea ad Ecclesiam pertineat, sicut in casu proposito dicti *c. filius*, legatum non valeat, neque æstimatio debeatur, cum res Ecclesiasticæ non possint alienari, *tot. t. de Reb. Eccl. non alien.* adeoque æxistimentur quasi extra commercium hominum: prout idem de jure Civili constitutum est in prædio Cæsaris legato, *l. apud Jul.* §. *fin. ff. Legat.* 1. Gloss. *in c. si Episc.* 12. *q.* 5. Innoc. *in d. c. filius* Barb. *ibid.* ex Menoch. *n.* 3. quæ tamen sententia displicet Pan. *d. loco* quod summus Pontifex non se fundet in qualitate rei Ecclesiasticæ, sed in injustitia causæ; & lege Dei; ac prædia in patrimonium Cæsaris redacta, de quibus Jurisconf. *in d.* §. *fin.* loquitur, minus possint alienari, quàm Ecclesiastica nisi intelligantur de rebus sacris, quæ verè extra commercium hominum judicantur.

Alii considerant, quod jus civile præfato sensu admittens legatum rei alienæ nullam contineat iniquitatem; non quidem respectu veri domini quia is non cogitur rem suam vendere, nec respectu hæredis quia etiam iste succedit ex mero titulo lucrativo, ut non possit de minori lucro legatarii non ex sua propria, sed ex testatoris substantia promanante justè conqueri, & testator potuisset plus in parata pecunia, vel aliis rebus legatario relinquere: proinde sentiunt nullam in hac materia inter Jus utrumque differentiam constituendam esse, & text. in *d. c. filius* exponunt de eo, qui sub prætextu legum civilium volebat rem alienam inscia, vel invita Ecclesia, ad quam spectabat, retinere cit. apud Barb. *in eod. c. n.* 5. Zoes. *h. t. n.* 25. Salicetus, & Castrensis *in d. l. alien. C. de Leg.*

Verùm videtur mihi hic aliqua singularis interpretatio adhibenda, quæ discordantes opiniones magna ex parte conciliet, & colligitur ex integra Epist. Gregorii (unde nostrum capitulum desumptum est) relata

à Fach.

à Fach. *l. 5. Controv. cap. 38.* quòd nimirum decisio ejusdem *c. filius* procedat in illa facti specie, cùm testator legavit rem alienam filiis suis institutis, quibus modicum patrimonium reliquit: cùm enim decisio juris civilis, ut re aliena legata hæres teneatur redimere, aut æstimationem præstare, non fundetur in verbis expressis testatoris, sed tantùm in præsumpta mente illius, adeoq; in præsumptione, declarat Pontifex huic præsumptioni non esse stãdum de æquitate canonica, & lege Dei sive in foro conscientiæ in similibus circumstantiis, ubi probabilius veritas non subest: & si testator scivisset rem alienam, aut vires patrimonii sui (quas sæpè ignorant homines, & amplius sperant, quàm in iis sit) tam tenues esse, & forsan vix legitimæ liberorum suffecturas, utique liberos legato rei alienæ gravare non voluisset. Cæterùm verò in hærede extraneo, & ubi ampla est hæreditas, ac conjecturaliter testator voluit legatarium rem legatam aut ejus æstimationem habere, non apparet ratio iniquitatis, cui debuisset Jus Canonicum à Civili recedere ut præmissum. Consentit nobiscum Fach. *d. c. 38.* & Cov. *in d. c. filius n. 14.*

17 Quær. XI. An de jure Canonico filius gravatus hæreditatem paternam per fideicommissum alteri restituere, possit duas quartas, ut loquuntur, id est præter *legitimam* & *Trebellianicam* deducere? Hæc controversia movetur circa *c. Raynutius 26. & c. Reynaldus 18. hoc tit.* ubi tres diversæ sunt Doctorum sententiæ, una simpliciter inter jus civile, & canonicum differentiam statuit, ut illo jure filius unam tantùm *l. jubemus. Cod. ad S. C. Trebell.* isto autem duas quartas deducere possit, sicut probat Harpr. *ad tit. Institut. de Lege Falcidia §. 1. an. 12.*

Alii distinguunt, an filius sit purè gravatus restituere ut tunc unam tantùm quartam debeat habere, ac Trebellianica imputetur in legitimam, & vice versa: an verò sub conditione, aut in diem v. g. *si sine liberis decesserit, &c.* ut tunc legitima, quæ die vel conditione gravari non potest, statim detrahatur, eveniente verò tempore vel conditione Trebellianica. Atque hoc modo jus Civile per Canonicum declarandum censet. Pan. *in d. c. Raynut. n. 25.* Andreas Gail. *l. 2. observ. 121.*

Alii demùm nulla adhibita distinctione simpliciter utroque jure filio gravato præter legitimam Insuper Trebellianicam concedunt cum Fach. *lib. 5. Controv. cap. 1.* ita ut filius fideicommisso gravatus semissem, id est, sex uncias sive dimidiam partem hæreditatis consequatur. Hac nimirum computatione inita, ut ex asse hæreditatis consistente in 12. unciis filius pro legitima sua hodierno jure detrahat trientem, seu 4. uncias, quia legitima est à restitutione excepta; ex residuis verò 8. unciis detrahat quartam partem jure Trebellianicæ, quæ erunt duæ unciæ, & sic cum illis 4. facient 6. uncias, & hæreditatis paternæ dimidium.

Sanè si in dubio jure aliquando pro favore personæ (qui non procedit ex privato affectu, sed est in ipso jure & ratione fundatus) inclinare oportet, *arg. c. fin. de Sent. & rejud.* existimo, in concursu filii, & extranei hęredis, dum uterque de lucro captando certat, magis esse filio, quàm extraneo favendum, & ideò hanc posteriorem sententiam rectè jure, & æquitate defendi posse. Enim verò quod attinet ad jus Canonicum S. Pontifex in *allegatis capitulis* non se fundat in eo, quòd restitutio per testatorem fuerit sub conditione injuncta, quæ est mera narratio facti, sed in eo, quòd legitimam habeat filius jure naturæ, in qua gravari non potest, & propter quam non tenetur onus restitutionis subire, Trebellianicam autem sicut quilibet alius extraneus hæres restitutione gravatus, quo non debet filius esse deterior. Imò filius purè gravatus magis gravatur, quàm gravatus sub conditione illa: *si sine liberis decesserit*, cùm in isto casu filius per totam vitam suam accipiat omnes fructus, & emolumenta ex integra hæreditate, dum è contra jure gravatus denegata sibi Trebellianica omni commodo hæreditatis præter legitimam careret, onde magis purè, quam conditione gravato succurrendum fuisse.

Circa jus civile major videtur difficultas, quia ex diversis legibus, quas adducit Harprechtus *loco superius cit.* non obscurè colligitur, duplicem detractionem filio non competere. Attamen dici potest, quidquid fuerit de jure antiquo, novissimè aliud constitutum *in Novell. 39. cap. 1.* ubi Justinianus se hoc innovare ait, quòd filio primo debet conservari legitima, & deinde primum restitutiones, & fideicommissa fieri possint. Cùm ergo verba legis novæ debeant habere aliquem innovationis effectum, planè non apparet, quid Imperator conservando filiis legitimam innovare voluerit, quàm hoc, quòd jam non ampliùs secundùm antiquas leges legitima, & Trebellianica confundatur, sed illam filius gravatus jure præcipuo habere, & deinde ad instar cujuslibet extranei hęredis Trebellianica gaudere debeat. Quod autem aliqui respondent, illud solum innovari, quòd filiis non tantùm quarta, sed triens aut semis reservari debeat, ipsi textui repugnat, ubi hoc jam ante innovatum dicitur. Accedit quòd *allegata capitula* juris Canonici sint posteriora Novellis, consequenter sicut alias jus civile minus clarum per jus canonicum apertius declaratur, Text. & DD. *ad c. 1. de Novi operis nunt.* ita etiam in præsenti.

Specialia quædam circa Testamenta ad pias causas.

Præter illa, quę superiùs *in q. 2. & 3.* circa personas ad pias causas testari valentes, non obstante Juris civil. prohibitione dicta sunt, hic specialiter circa solemnia testamenti ad pias causas, & modum exequendi aliquot quæstiones subnectuntur.

Quæritur XII. Utrùm in testamento ad pias causas duo testes, de quibus fit mentio in *c. relatum 11. h. t.* sint de substantia, seu solemnitate essentiali, ita ut tale testamentum aliter factum non subsistat? Affirmativam non pauci sustinent, eò quòd in jure extra testamentum patris inter liberos, & militis in actuali expeditione sive conflictu constituti non reperiatur aliud sine testibus approbatum, imò potiùs contrarium in *d. c. relatum.* statuatur Menoch. *volum. 3. consil. 24. n. 57.* Fach. *lib. 4. cap. Controv. cap. 3. versic. quod attinet ad 3.* Vvamesius apud Zoes. *hoc tit. num. 12.* 18

Verùm probabiliùs est, testamenta ad pias causas regulari præcisè secundùm jus gentium, neque in iis ullam solemnitatem, sed tantùm probationem requiri. Præterquam enim quòd à milite, & quacunque causa favorabili bona sit argumentatio ad Ecclesiam; & si valet testamentum sine testibus favore militis, vel patris, aut liberorum, cur non potiori jure favore Dei, & animæ? Deinde jus civile in prejudicium piarum causarum non potuit, & canonicum probabilius non voluit aliquid statuere, quo faciunt ea quę superiùs *hoc eod. tit. q. 2. & 8.* diximus. Unde quòd in *d. c. relatum* de duobus testibus asseritur, id de probatione in illa contingentia facti, non de solemnitate juris intelligendum est; & propterea valiturum testamentum ad pias causas, si aliundè v. g. per scripturam notoria, & indubitata manu testatoris confectam etiam absque teste de voluntate ejus constare possit docet Laym. *in Th. mor. lib. 3. tract. 5. c. 2. n. 3. & seq.* Zoesius *dict. n. 22.* Barb. *in d. c. relatum n. 4.* Boerius *dec. 240. num. 4.*

Quęritur XIII. an in testamento principaliter ad pias causas sine solemnitate condito inserta legata profana 19
valeant? negativè respondet Jason. *in l. hac consultissima §. ex imperfecto Cod. d. h. t. n. 10.* Julius Clarus *in §. Testamentum q. 5. n. ult.* per textum *in d. §. ex imperfecto, & in l. fin. Cod. Familiæ hercisc.* ubi expresse decidit Imperator, si in testamento non solemni patris inter liberos extranea persona mixta sit, quoad hanc testamentum non valere, ergo simile erit judicium de testamento ad pias causas. Affirmativam tamen sententiam communiorem asserit Laim. *d. c. 2. n. 10.* & fatetur Jason. *d. l.* eamque tenet Covar. *in c. relatum 11. h. tit. n. 2.* quia secundùm vulgatum juris axioma, principale trahit ad se accessorium, & proinde si testamentum sine solemnitate valet quoad hęredis institutionem, vel majorem bonorum partem, valebit etiam quoad reliqua legata. Et confirmatur eodem argumento ducto è testamento patris inter liberos, ubi ex declaratione Novellarum legata inserta pro extraneis subsistunt, *auth. quod sine C. h. t.* Textus verò in dicto *§. ex imperfecto, & l. fin.* explicari possunt, si persona extranea una cum liberis hęres instituta sit. Facit tamen Imperator in *Novell. 107. c. 1.* unde dicta authentica desumpta est, mentionem quòd talia legata dicta sint à testatore coram testibus, quòd fortè de probatione intelligendum est, ut enim ex contextu colligitur, ibi Imperator loquitur de testamento; quod non habet observationem

solemnitatum, & consequenter neque testes ad solemnitatem desiderat.

20 Quætitor XIV. quid, si è converso testamentum principaliter ad profanas causas conditum deficiat, propter omissas solemnitates necessarias, aut quòd hæres institutus hæreditatem non adeat: an saltem legata pia ibidem relicta debeantur? Etiam hic negativam tuetur Jason. *in dicto §. ex imperfecto*, & alii citati apud Covar. *in dicto cap. 11. num. 2. & 4.* quorum ratio est, quòd corruente principali corruat, & accessorium, & regulare sit, hæreditate non adita nec legata deberi, *l. eam 14. C. de Fideicommissis*, etiam favorabilia, & pia, & libertatis. *l. 2. C. Si omissa sit causa testa.* Verùm contraria sententia probabilius defenditur cum Covar. *dicto n. 4. & in cap. Raynald. 18. hoc t. §. 3. à num. 23.* Zypeo *in Anal. Juris Pontif. eod. tit. num. 9.* Tuseo *V. Legatum concl. 109 num. 7.* quia ut sæpiùs hactenus repetitum, in relictis ad pias causas nulla solemnitas juris positivi requiritur; est autem, & hæc ipsa solemnitas juris civilis, quòd legata ab aditione hæreditatis dependeant, cùm testamentum inspecto jure naturali non sit aliquid indivisibile; & verisimilior cujusque testatoris intentio censeatur, ut sua dispositio omni meliori modo valeat, quo potest, quidquid ergo jus civile circa legatum libertatis disposuerit, circa legata pia, & ecclesiarum disponendi potestatem non habuit. Deinde etiam sicut de jure civili hæreditate non adita possunt bona defuncti ex rescripto D. Marci alicui servo, cui libertas relicta est, addici, ad voluntatem ejus, & libertates conservandas data cautione de solvendo ære alieno hæreditario. *l. 2. ff. de Fideicommiss. libert. tot. tit. Instit. De eo, cui libertatis causa bona addicuntur*, ita quoque fieri potest in piis caussis, Covar. *dicto §. 2. num. 27.* Imò hodie ex *Novel. 1. cap. 1. §. 1.* hærede scripto non adeunte hæreditatem datur potestas legatariis, & fideicommissariis adeundi, & voluntatem defuncti implendi. Neque obstat, quod corruente principali, corruat accessorium: quia id tantùm regulariter procedit, nisi adsit specialis causa, ex qua accessorium sustineatur.

Quæritur XV. An relicta ad pias causas debeantur, si testator quidem incepit facere testamentum, sed morte præoccupatus non perfecit? In thesi communis est Doctorum sententia, testamentum neque ad pias causas valere, si non tantùm in solemnitate extrinseca, sed etiam in voluntate imperfectum fuerit, cùm defectus iste ex jure naturali censeatur, scilicet perfectò consensu à jure naturæ ad quemlibet legitimum actum requisito. Barb. *in cap. Cùm tibi. 13. hoc tit. in fine.* Reisuerus *de Testam. p. 4. cap. 12. nu. 11. vers. contrar. tamen.* Attamen potissima difficultas est in hypothesi, quandonam in singulis factis dispositio defuncti ratione voluntatis imperfecta reputatur? Existimo neque hic certam regulam dari posse, sed arbitrio prudentis judicis consideratis facti circunstantiis, rem committi debere, an videlicet testator tantùm propositum aliquid piis causis relinquendi habuerit, quod propositum tametsi coram aliis declaratum utique adhuc voluntas imperfecta est; vel utrum de facto enixam voluntatem posuerit, quo casu licet testamentum, quòd v. g. à legatis ad pias causas incepit, ad finem non perduxerit; sed morte præoccupatus obierit, adhuc probabilius est, voluntatem circa legata pia, quæ tunc expressit, non fuisse imperfectam, Cov. *in c. relatum 11. hoc tit. n. 14.* Tiraqu. *de Privil. piacausa priv. 7.* Laym. *dicta c. 2. num. 6.*

21 Quætitur XVI. An ex relictis ad pias causas possit detrahi Falcidia, vel Trebellianica, si testator legatis hæreditatem exhausit, ut hæredi sua quarta pars, ei de jure debita, non remanserit, aut per fideicommissum jusserit hæreditatem piæ causæ restituere. Circa Falcidiam habetur textus *in auth. similiter. Cod. Ad l. falc. desumpta ex Nov. 131. c. 12* quòd ea legatis piis non detrahatur, licet olim contrarium videbatur decisum *l. 1. §. 5. ff. ad Leg. Falc.* Circa Trebellianicam verò textus quidem clarus non extat, quia tamen eadem utriusque est ratio, propterea idem de hac quoque communiter statuunt DD. copiosè relati à Tiraq. *dict. trat. priv. 26. & seq.* & Cov. *in c. Raynaldus 18. h. t. §. 1. n. 13.* neque enim detractio Falcidiæ, vel Trebellianicæ tam est ex mente testatoris, quàm ex juris civilis dispositione, *text. in d. cap. Raynaldus in fine.* quæ lex piis causis præjudicare non valet, & utique testator in defectu bonorum maluit aliquid decedere hæredi extraneo, quàm piis causis, quorum patrocinium post mortem quæsivit. Potest hoc loco applicari argumentum à testamento militis, in quo cessant istæ detractiones *l. in testamento. C. Ad legem Falcid. l. 5. §. denique ff. ad S. C. Trebell.* quod argumentum procedere docet Everhardus *in Topicis, loco à milite ad Ecclesiam.* Nec obstat nuva constitutio Justiniani in *l. si quis 49. C. de Episc. & Clericis.* ubi Imperator videtur supponere, quòd ad declinandam falcidiam piæ causæ debeant institui hæredes: quia hæc lex quoad falcidiam tantùm continet narrationem facti, ubi v. g. testator in persuasione veteris juris fuit; principalis verò ejus decisio est, quòd si captivi redimendi in genere instituantur hæredes, tale testamentum non valet expugnari ex eo, quasi incertus hæres esset institutus.

Sed hæc in hærede extraneo locum habent, nam filius suam legitimam etiam de legatis ad pias causas detrahere potest, quia legitima debetur filiis jure naturæ, & gravari nequit, Tacit. *cap. fin. 17. quæst. 4.*

Sed quid, si una pia causa, vel Ecclesia sit hæres instituta, & aliæ legatariæ, an saltem hoc in casu deficientis quartæ hæreditariæ competet Ecclesiæ hæredi contra alteram legatariam detractio falcidiæ? Pro utraque sententia sunt Authores apud Tiraquellum, *de Privilegiis piæ causæ, privil. 26.* Affirmativa tamen videtur probabilior ex recepto juris axiomate, quòd privilegiatus contra pariter privilegiatum non utatur privilegio, sed jure communi, quando utriusque par est conditio, & uterque certat de lucro captando, vel damno vitando: secus si unus de lucro captando, & alter de damno vitando, ubi magis favetur damnum evitanti, quàm lucro inhianti *l. verum. 11. §. item quæritur. 6. & l. si minor. 34. ff. de Minoribus.* atqui in nostro proposito utraque pia causa, vel Ecclesia est pariter privilegiata, & utraque certat de lucro hæreditatis captando, ergo, &c. Unde non obstat, quòd Ecclesia contra Ecclesiam non præscribat minori tempore, quàm 40. annis, quia in præscriptione non est utriusque privilegiati par conditio, cùm una Ecclesia certet de lucro, altera de damno vitando. Item non obstat *l. si quis. 49. §. 2. C. de Episc. & Cler.* Quia ibi Episcopus non fuit hæres institutus, sed executor à lege deputatus: imò licet fuisset hæres tamen aliud forsan diceretur in legato illo pro redemptione captivorum, ubi captivi certant, & agunt de damno vitando, hæres autem de lucro captando.

Quæritur XVII. Quando, & per quem debeat fieri executio testamenti circa ea, quæ ad pias causas relicta sunt? Respondetur, nisi testator certum terminum præfixerit, de jure communi legata profana intra annum, & legata pia intra medium exsolvi debere *Novella 131.* Quòd si hæres solutionem legatorum piorum ultra terminum juris eo usque distulerit, donec in judicium vocetur, duplum solvere tenebitur. *§. vi autem. 19. Instit. de Actionibus*, & universum, quòd hæres monitus à judice non implens voluntatem defuncti intra annuum perdat omne lucrum ex hæreditate sibi competens, constitutum habetur *in auth. hoc amplius. Cod. de Fideicom.* Sed ille terminus medii anni tantùm intelligendus est, si certa res, vel quantitas ad pias causas legata sit, si verò testator hæredem pro anima sua aliquid facere jusserit, v. g. Ecclesiam ædificare, &c. pro tali opere inchoando annus datur. *c. 3. h. t.* Poterit quoque Episcopus ex rationabili causa terminum anni medii restringere, & executores citiùs ad implendam voluntatem defuncti compellere: nam in legatorum præstatione illud est observandum quod testator verisimiliter voluit. *l. cùm res. 47. in princ. ff. de Legatis. 1.* plane autem verisimile est, hanc fuisse testatoris mentem, & desiderium, ut legata, maximè quæ ad pias causas, & pro anima sua reliquit, quàm citissimè exsolverentur. Barb. *de Offic. Episc. parte 3. alleg. 82. n. 24.* Porrò executio legatorum, & relictorum ad pias causas in primis pertinet ad hæredem testatoris, vel ad eum, cui testator talem executionem commisit; quòd si testator nullum hæredem, vel executorem nominarit, sed generaliter sua bona jusserit dari pauperibus, vel si executores deputati sint negligentes, & saltem bis moniti ab Episcopo executionem prætermiserint, tunc executor hujus testamenti erit Episcopus, Ita enim in Trid. *Sess. 22. de Reform.*

de Reform. c. 8. Episcopus dicitur executor omnium piarum voluntatum, & idem probatur *in d. c. 3. in c. si haredes. 6. in c. tua nobis 17. h. t.*

22 Quæritur XVIII. qualiter executio facienda, si pauperes in genere, vel Ecclesia indeterminata hæredes aut legatarii scripti sint? Ubi prænotandum, quamvis de Jure Civili hæredis incerti institutio vitiet testamentum, aliter tamen se res habet in testamento ad pias causas, ex illa specialitatis ratione, quod in testamento ad pias causas ipse Deus principaliter institui censeatur, & ita nunquam incertus hæres sit *l. si quis ad declinandam 49. Cod. de Episc. & Clericis.* Barb. *in c. 13. h. t. n. 6.* Circa executionem verò ante omnia in similibus casibus ad præsumptam testatoris voluntatem recurrendum est. Unde si pauperes in genere instituti sint, tunc pauperes consanguinei aliis præferentur, consanguineis verò deficientibus pauperiores minùs egenis, & pauperes illius loci, ubi testator vixit, extraneis anteponentur: eò quòd in dubio potiùs de consanguineis, de pauperioribus, & de indigenis testator cogitasse præsumatur, nisi fortassis defunctus miles, aut ejus conditionis fuerit, ut quosdā ad paupertatem scienter, & injquè redegerit; tunc enim magis restitutionem ex lege justitiæ, quam eleemosynam desiderasse censebitur. Similiter si Ecclesia in genere instituta sit, in dubio testator Ecclesiam suam Parochialem, in qua Sacramenta suscepit, putasse intelligetur; quòd si in diversis Ecclesiis susceperit Sacramenta, tunc verisimiliter illam cæteris præposuit, in qua sepulturam elegit; si nullibi specialem elegerit sepulturam, penes arbitrium Episcopi erit, cui Ecclesiæ consideratis omnibus circumstantiis, & necessitatibus relicta defuncti applicare velit Panor. & Covar. *in c. cùm tibi 13. hoc. tit.*

23 Quæritur XIX. Utrùm aliquando ultima voluntas circa pias causas commutari, & quòd à defuncto ad certum usum relictum est, ad alium applicari possit? Respondetur pro regula quidem tenendum, quòd ea, quæ largitione fidelium ad certum usum pium destinata sunt, ad illum & non ad alium (salva Sedis Apostolicæ potestate) debeant converti, ut dicitur *in clement. 2. de Religiosis domibus.* adeoque de jure communi tantùm S. Pontifici, & non nisi ex rationabili causa concessum esse pias defunctorum voluntates commutare, attamen hodie ex Concilio Tridentino *sess. 22. de Reform. c. 6.* etiam Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus tales commutationes ex justa, & rationabili causa facere potest. Justas autem causas varias enumerat Barb. *de officio Episcopi alleg. 33. à n. 7.* videlicet si pecunia ad certum usum, v. g. ædificationem templi non sufficeret: si intentio fundatoris omnino adimpleri non possit, veluti si pauper, cui aliquid relictum est, jam è vivis decesserit; si usus non sit necessarius, & possit res utiliùs applicari, quia si relicta sit pecunia ad pingendam Ecclesiam ruinosam: denique si Ecclesia, in cujus favorem aliquid relictum est, sit negligens in explenda defuncti voluntate, ut quia non persolvit Missas, quas defunctus fundavit. Verùm circa hoc ultimum advertendum est, quòd si tantus sit Missarum numerus ex relictis defunctorum alicui Ecclesiæ impositus, ut illis nequeat satisfieri, vel propter tenuitatem fundationis non facilè inveniatur, qui velit se tali oneri subjicere, possit Episcopus in Synodo Diæcesana; item etiam Abbates, & Generales Ordinum in Capitulis suis generalibus tales Missas pro sua conscientia ad minorem numerum reducere, ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro sua anima aliquid Ecclesiæ reliquerunt. Trid. *Sess. 25. de Reform. c. 4.* & dictum superius *in Tit. ut Ecclesiast. benef. sine dimin. conf. n. 7.*

24 Quæritur XX. Qualiter res agenda, si circa pias causas non tantum executore, sed & judice opus sit, dum scilicet de valore relictorum controversia movetur? Respondetur, tali casu piis causis ab Episcopo procuratorem ad litem dandum, qui coram Episcopali judicio causam agat, & sic in primis Episcopus judicis, dein sententia pro pia causa lata executoris officio fungetur. Barb. *de Officio Episcopi p. 3. alleg. 82. n. 54.* Neque refert, tametsi adversarius hæres laicus fuerit, quia non poterit declinare forum Ecclesiasticum, si ibidem causa introducta, & præoccupata sit, cùm relicta pia censeantur mixti fori. *c. si haredes. 6. hoc. t. l. hareditas. 50. ff. de Petitione hared. Novell. 131. c. 10.* Gutierez. *pract. q. lib. 1. q. 44. nu. 3.* Imò potest aliquando Episcopus etiam circa testamenta, & legata merè profana suam authoritatem interponere, ubi magistratus sæcularis justitiam administrare neglexerit: committitur enim grave injustitiæ peccatum, quando justa defuncti voluntas non impletur, ratione peccati verò etiam penes Episcopum esse jurisdictionem in laicos, communiter traditur. *in c. novit. 13. de Judicis.*

Notanter quoque adjungit Barb. *d. alleg. 82. nu. 57.* quòd executio piarum, & ultimarum voluntatum non præcisè pertineat ad verum Episcopum, sed etiam ad quosvis alios Prælatos Episcopali jurisdictione, vel quasi præditos, veluti Capitula Sede vacante, Abbates proprium territorium habentes, Archidiaconos, & similes. Idem docet Covar. *in c. Joannes 16. hoc tit. n. 1.* 25

Demùm ad hunc titulum referri potest, quòd antehac tradidi *in Libell. de Privilegiis Monasteriorum privil. 13.* quòd filius, qui ingratitudinem contra parentem commisit, si Monasterium ingrediatur, non valeat propter illam antecedentem ingratitudinem à parente exheredari, & ita Religio dicatur purgare ingratitudinem filii, sicut ex *Novella 123. c. 41.* transcripsit Gratianus *in cap. fin. 19. q. 3.* quæ additio Reformatorum Decreti authoritate S. Pontificis Gregorii XIII. *in eodem cap. fin.* subjuncta satis vindicat à quorundam calumnia, qui Gratiano imponunt, quasi dictam Novellam minùs sincere transtulerit, & attestantur, quòd translatio Gratiani correspondeat veteribus Novellarum exemplaribus; etenim supponendum librum Novellarum, qui nostris temporibus habetur, non esse primum Originale: nam Novellæ fuerunt primitus Græco idiomate scriptæ, & deinde per diversos Authores diversimodè in latinum translatæ, ita ut Gotof. *ad princ. Nov.* attestatur, se unam eandemque constitutionem multoties sibi dissimilem vidisse, & Henr. Aggylæum multas lacunas Hollandicæ editionis supplevisse, & patebit cuilibet legenti Novellas, quàm obscurus in illis verborum sensus sit, ut vix una ex integro absque disputabili interpretatione intelligi valeat, nec de facto habemus alicujus Principis authentizationem, quòd Novellæ nostræ cum Originali concordent, cùm tamen è contra Gregor. Pap. XIII. per litteras ad principium impressas Christi fidelibus notum fecerit, se opera Cardinalium, aliorumque eruditissimorum virorum Decretum Gratiani cum antiquissimis Codicibus contulisse, & ab erroribus emendatum, perfectumque reddidisse. Adde Covar. *in c. Raynutius. 16. de Testam. n. 28.* Qua de re plura in illo *privilegio* 12. & in ejus *additione* dicta sunt.

Item in eodem *libello privilegiorum 16.* inserui, quòd si alicui hæreditas, vel legatum relictum sit, & si absque liberis decesserit per fideicommissum ei substitutus fuerit extraneus, institutus verò, vel legatarius Monasterium bonorum capax ingrediatur, expiret fideicommissum, & Monasterium per modum filii succedat. *Novell. 123. c. 36.* Et tradunt Panorm. & Doctores *in cap. in præsentia. 8. de Probationibus.* Videantur in hac materia ampliationes non tantùm circa Monasteria, sed etiam circa suscipientes Ordines Clericales, atque limitationes, & copiosæ allegationes apud Barb. *in Coll. DD. ad d. c. in præsentia.* Sanch. *in Præcepta Dec. Tomo. 1. lib. 7. c. 16.* 26

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab intestato.

HAnc materiam prolixè tradunt Interpretes in *Tit. 1. Lib. 2. Instit.* & *in tit. ff. & C. De suis, & legitimis heredibus, cum aliis concordantibus*; nos tantùm principaliora breviter explicabimus, ut ea, quæ in Jure Canonico circa successiones Clericorum sunt specialia, meliùs intelligamus. Sit igitur.

§. I.

Generalia de Successionibus ab intestato.

SUMMARIA.

1 *Ab intestato succeditur etiam facto Codicillo.*
2 *Pacta super hæreditate an, & quando valeant?*
3 *Pacta super hæreditate an juramento confirmentur?*
Alia Summaria post §. 2.

1 HÆreditas sive bona alicujus defuncti ex duplici causa ad nos deveniunt, vel ex testamento, de quo *præcedenti titulo* actum, vel ex lege, & juris dispositione, sive ab intestato, de qua successione hic tractatur. Est autem locus successioni ab intestato non tantum, si defunctus testamentum nullum fecerit, sed etiam si fecerit, id tamen propter defectum solemnitatis necessariæ, aut propter injustam exhæredationem, vel præteritionem filii annullatum, & rescissum fuerit. Item si defunctus, non quidem testamentum solemne coram septem testibus, sed Codicillum duntaxat coram quinque scripserit, in eoque aliquem hæredem instituerit, adhuc successio ab intestato fiet, quia in codicillis hæreditas neque dari, neque adimi potest, *§. 2. Instit. de Codicillis*, ita tamen ut hæredes tali casu non capiant totam hæreditatem, sed quartam partem, quæ Trebellianica dicitur (ejus etiam *in q. 10. præced. tit.* mentionem fecimus) quo ad reliquum verò defunctus censetur ipsorum fidei commisisse, ut id hæredi in Codicillo scripto restituant, & hoc est, quod dici solet, hæreditatem in Codicillo directè datam trahi ad fideicommissum, *l. Scævola 76. ff. ad S.C. Trebell.*

2 Porrò cùm, ut præmissum, duo tantùm sint modi, ex quibus hæreditas ad aliquem devolvatur, scilicet ex testamento, vel ex lege, consequens est, ut per pacta, & conventiones hæreditas de Jure acquiri non possit. Valet quidem venditio hæreditatis, quæ post mortem testatoris alicui jam actualiter delata est, *tot. tit. Cod. de Hæreditate, vel actione vendita.* super viventis autem hæreditate pacisci non licet. Unde nulla nascetur obligatio, si quis vendat illam hæreditatem, quam per mortem sui patris, vel cognati adhuc viventis sibi adventuram sperat, nisi is, de cujus hæreditate agitur, tale pactum sciverit, eique suum etiam consensum adjunxerit, atque in isto consensu, usque ad extremum vitæ spiritum perseveraverit, *l. ult. Cod. de Pactis.* Ratio est, quod talia pacta super viventis hæreditate sint plena tristissimi, & periculosi eventus, ut inquit Imperator in *dicta l. fin.* & votum inducant captandæ mortis illius personæ, de cujus hæreditate conventum est.

3 Neque tantùm pacta affirmativa, sive de succedendo Jure prohibita sunt, sed etiam pacta negativa, per quæ viventis hæreditati renuntiatur, *l. 3. de Collationibus l. si quando 35. §. 1. C. de Inofficioso testamento*, tum quòd viventis non sit hæreditas, & consequenter renuntiari nequeat, cum privatio præsupponat habitum, & non entis non sint qualitates; tum quòd etiam periculum captandæ mortis subsit ex parte illius, in cujus favorem tali hæreditati renuntiatur, & illi accrescit.

Verùm an hujusmodi pactum saltem juramento confirmetur, dubitant Doctores. Ratio dubitandi est, quod de jure Civili talia pacta bonis moribus repugnantia censeantur, juramentum autem contra bonos mores præstitum nullam procedat obligationem, *c. Non est obligatorium 58. de Reg. Juris in 6.* Nihilominus verior est sententia, pacta prædicta juramento confirmari; cùm omne juramentum sine dolo, aut metu præstitum, ac sine dispendio salutis, & præjudicio tertii servabile, servandum sit, prout præter textum in *c. cùm contingat 28. de Jurejurando*, in proposita quæstione habetur expressa decisio *in c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* ubi etiam videri poterunt, quæ latè in hac materia congessit Cov. in Relect. istius *cap. Quamvis* præsertim *in p. 3.* Et tali casu dicemus non tam rei, quàm spei esse renuntiationem, quemadmodum spei emptio datur, dum fructus nascituri, aut jactus retis, vel aleæ emitur, *l. nec emptio 8. in princ. & §. 1. ff. de Contrahenda emptione.*

Ad rationem dubitandi respondetur, tale juramentum, vel pactum esse tantum contra bonos mores politicos, & civiles, non verò naturales, vel Canonicos. Si instes, pactum, quod inducit votum captandæ mortis, esse etiam contra bonos mores morales; respondetur, id esse verum, si inducat votum hoc necessariò, & per se, veluti si dicam dabo tibi 100. ut Titium occidas, &c. non autem si per accidens inducat, & tantùm periculum remotum aliquod subsit; aliàs omnia fideicommissa, omnes substitutiones, imò omnes ab intestato successiones è medio tolli deberent, quia possent malis hominibus ad captandam mortem alterius quamcunque occasionem præbere. Neque potuisset Imperator in *l. licet 19. Cod. de Pactis*, talia pacta de futura successione inter milites tolerare, imò hodie in multis locis de consuetudine practicatur, ut pacta super viventis hæreditate etiam sine juramento sustineantur: ita enim filia accepta dote in favorem fratrum renuntiat hæreditati paternæ; ita conjuges in pactis dotalibus conveniunt de mutua successione; ita etiam diversorum matrimoniorum liberi uniuntur, ut æqualiter tam in bonis paternis, quàm maternis indifferenter succedant; illud enim votum captandæ mortis in Christiana Religione, & apud Germanos, ac personas illustres haud facile præsumendum est. Videatur Harpr. *ad princ. T. Inst. de Hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur n. 9. & seqq.* quid verò intersit, an pactum vel renuntiatio juramento confirmetur, vel an ipsum tantùm juramentum servandum sit, dictum est *in Titulo de Jurejurando.*

---

§. II.

De Ordine Succedentium.

SUMMARIA.

4 *Liberorum prima successio, & quotuplices sint liberi.*
5 *Statutum, vel consuetudo, ne filiæ una cum filiis in bonis paternis æqualiter succedant, an valeat.*
6 *Successio in stirpes, Jure repræsentationis quando fiat.*
7 *Naturales filii qui dicantur, & qualiter succedant, item de spuriis, & natis ex damnato coitu.*
8 *De legitimatorum successione.*
9 *Legitimatio, & dispensatio quomodo differant, & ibi Reg. Conc. 50.*
10 *Ascendentes qualiter ab intestato succedant.*
11 *De collateralium successione.*
12 *Fratre consanguineo, & uterino simul succedente, an debeat fieri distinctio bonorum?*
13 *De fratrum legitimorum tantùm, & naturalium tantùm successione.*
14 *Collaterales succedunt in infinitum.*
15 *De conjugum successione.*
16 *Conjuncti in aliquo consortio, vel Collegio etiam sibi succedunt.*
17 *Fiscus quid, & quando succedat?*
18 *Peregrinorum defunctorum bona qualiter distribuenda.*
19 *Fisco quando deferantur bona damnatorum.*
Alia Summaria post §. 3.

QUinque enumerantur Ordines Succedentium. Primus est *Descendentium* sive liberorum. Secundus *Ascendentium* seu parentum. Tertius *Collateralium*, id est, fratrum, & aliorum consanguineorum. Quartus Conjugum inter se. Quintus denique *Fisci*, de quibus ordine agemus. 4

De Successione Liberorum.

PRimò itaque ad successionem vocantur liberi, & descendentes, tum ex voto parentum, qui utique malunt sua bona devolvi ad filios, quàm extraneos; tum etiam ex æquitate, & Jure naturali, ut ex bonis paternis liberi alimenta consequantur, *l. cùm ratio 7. ff. de Bonis damnatorum.*

Sunt autem liberi in varia differentia, alii Spirituales, alii affines, alii legitimi tantùm, alii legitimi, & na-

naturales simul, alii naturales tantùm, qui & rursus subdividuntur, quòd alii sint propriè naturales, alii spurii, alii ex damnato coitu, alii legitimati, Videamus de singulis.

Spirituales filii dicuntur, quos in baptismo, vel confirmatione tenuimus, Et horum nulla successio est, neque enim talis spiritualis cognatio rationem consanguinitatis habet, ut dicitur in c. 1. *causa* 30. *q.* 3.

Similiter etiam filii affines, sive privigni suo vitrico non succedunt, *leg.* 3. *&* 7. *Cod. Communia de successionibus*.

Legitimi tantùm, id est, adoptati, & arrogati; qui sola legis, & Juris fictione filii censentur, quam diu durat adoptio, patri adoptivo ab intestato succedunt; si verò ipso vivente emancipati fuerint, cessat successio, nisi quòd filio arrogato, si absque justa causa emancipatus fuerit, quarta pars bonorum patris arrogatoris debeatur. De quibus videatur textus, & Doctores *in tit. Inst. de Adoptionibus*.

Liberi naturales, & legitimi simul dicuntur ex justis, seu legitimis nuptiis procreati: naturales, quia secundùm naturam à parentibus nati sunt: legitimi, quia istam parentum conjunctionem per legitimum matrimonium lex approbat. Unde & à legitimis tantum, & à naturalibus tantùm distinguuntur. Succedunt autem isti liberi suis parentibus, sine distinctione, masculi sint an fœminæ; sui Juris, an patriæ potestati subjecti, quidquid enim de jure veteri constitutum fuerit, hodie de jure novo in materia successionum sexus, & patriæ potestatis, cognationis & agnationis differentia sublata est *Nov.* 118. *c.* 1. *&* 4. *Auth. in successione C. de Suis, & legitimis liberis &c.* Sed hoc in bonis allodialibus; in bonis autem feudalibus hodie attendi differentiam sexus, & fœminas, atque ex his descendentes à successione Feudi excludi in *Tit. de Feudos* pluribus explicatur.

Item in quibusdam locis consuetudine, & statutis introductum est, ut pro conservatione familiæ nobilium, & personatum illustrium filiæ tantùm in bonis maternis æqualiter cum suis fratribus succedant, in bonis autem paternis certa aliqua dote contentæ esse debeant.

5 Verùm hic controversia suboritur, an talia statuta, vel consuetudines valeant etiam illo casu, quo filiabus minor portio pro dote assignatur, quàm de jure esset ipsarum legitima. Ratio dubitandi est, quòd legitima debeatur jure naturæ, quia succedit in locum alimentorum *Novella* 1. *in præfatione* §. 2. jus autem naturale sit immutabile, §. *sed naturalia* 11. *Instit. de Jure natu. gentium, & civili*. Respondetur, cum consuetudines, & statuta habeant vim legis, *l. omnes populi* 9. *ff. de Iustitia, & Iure l. diuturna* 23. *ff. de LL.* ideò prædictas consuetudines, & statuta, ex quibus filiæ minorem sua legitima dotem accipiunt, tunc saltem valere existimo, si filia ex illa dote, vel ea bonis adventiis aut maternis, vel à marito congrua alimenta, & sustentationem habeat. Sin autem aliunde sustentatio deficiat, tunc utiquè non obstantibus talibus statutis filiæ ex bonis paternis alimenta petere poterunt, quæ ipsi jure naturali debentur, *l.* 1. §. *jus naturale ff. de Just. & jure*. Quòd verò universim pro ratione dubitandi oppositum fuit, legitimam deberi jure naturali, responderi potest, id verum esse in quantùm legitima deservit pro alimentis necessariis, non verò quoad quantitatem jure civili determinatam, & quòd præcise debeatur tertia, vel dimidia pars bonorum; hoc enim respectu legitima est tantùm juris civilis dispositio, quæ per consuetudinem, legem, aut statutum contrarium tolli potest. Fachin. *lib.* 4. *Controv. c.* 32.

6 Cæterùm in successione descendentium hoc obtinet, ut non tantùm filii, qui vivunt, succedant patri, sed etiam si unus, vel alter ex filiis præmortuus nepotes superstites reliquerit, isti nepotes una cum filiis primi gradus ad successionem vocentur, & repræsentent suum patrem prædefunctum, in ejusque locum succedant; sed etsi plures sint unius filii defuncti nepotes, non tamen plus accipient, quàm ipsorum pater, si viveret, accepisset, & ita dicuntur tales nepotes succedere in stirpes. In capita verò fit successio quando omne hæredes sunt primi gradus, & hæreditas in æquales portiones dividitur. E. g. si tres sint filii, & nullus nepos, hæreditas dividetur in capita, & sic in tres partes æquales. Si verò unus sit filius, & ex alio filio prædefuncto tres nepotes, hæreditas dividitur in stirpes, & tantùm in duas partes, unam capiet filius, alteram tres illi nepotes. Idem etiam juris est, si omnes filii præmortui sint, & soli nepotes ex diversis filiis extent, quia adhuc successio in stirpes fiet, ita ut si ex uno filio adsint duo nepotes, ex altero tres, hæreditas tantùm in duas partes dividatur §. *cum filius* 6. *Inst. hoc tit. l.* 2. *Cod. de Suis, & legitimis*. *Novella* 118. *cap.* 1.

Naturales filii tantùm quamvis in genere omnes dici 7
possint extra matrimonium nati, quorum nativitatem lex non approbat, propriè tamen illi dicuntur naturales qui nati sunt ex concubina domi loco uxoris retenta, qualis concubinatus olim jure civili toleratus fuit *toto titulo ff. & C. de Concubinis*, hodiernis verò moribus, & legibus non tantùm in foro Ecclesiastico contra concubinarios proceditur juxta Conc. Trid. *sess.* 24. *de Ref. Matr. c.* 8. *& sess.* 25. *c.* 14. sed etiam in foro sæculari. Istis quoque naturalibus liberis annumerant Doctores illos, qui suscepti sunt ex fœmina aliàs honesta, & seducta, testes Harpt. *ad princ. Inst. h. t. n.* 263.

Porrò naturales liberi de jure non extantibus aliis ex legitimo matrimonio natis, neque uxore legitima, succedunt patri una cum sua matre in sextante, seu duabus unciis (id est duabus partibus, si hæreditas in duodecim dividatur) æqualiter inter eos distribuendis; avo autem paterno non succedunt, sed neque patri, si justi liberi, aut legitima uxor adsit, ita tamen ut etiam hoc casu alimenta illis ex bonis paternis arbitrio boni viri debeantur *Novell.* 18. *c.* 5. *& Novell.* 89. *c.* 12. Matri autem etiam illustri, & omnibus ascendentibus per lineam maternam, una cum justis liberis naturales succedunt, *l. si qua illustris* 5. *Cod. ad S. C. Orficianum* §. *novissimè* 3. *Inst. jam dicto sit.*

Spurii, quamvis etiam generaliori vocabulo omnes illegitimi, in propria tamen significatione appellentur, qui ex muliere publica passim corpus prostituente geniti sunt. Et hi, cùm patrem incertum habere præsumantur *l. vulgo concepti* 23. *ff. de Statu hominum*, successionem paternam prætendere nequeunt. Matri verò, quæ semper certa est, etiam cum justis liberis succedunt, nisi fuerit illustris, in qua talis publica libido magis reprobatur. Videatur Textus, & Interpretes ad *t. Inst. de S. C. Orfician. & d. l. si qua illustris* Cov. *de Matrim. par.* 2. *c.* 8. §. 5.

Ex damnato coitu vocamus, qui ex tali copula nati sunt, quam lex damnat, & pena afficit, quales sunt adulterini, & incestuosi, à consanguineis, vel affinibus in gradibus ad matrimonium contrahendum prohibitis geniti, & isti omni successione, tam paterna quàm materna indigni judicantur; ita ut de Jure civili ne quidem alimenta eis debeantur. *Auth. ex complexu Cod. de Incestis nuptiis, & Novell.* 89. *cap. ult.* de æquitate tamen canonica illis alimenta juxta facultates parentum præstanda, communiter traditur *per textum in c. cum haberet* 5. *De eo qui duxit, &c.* Ad conciliationem utriusque juris posset forsan talis adhiberi interpretatio: sensum Juris Civilis non esse, quasi istis filiis nulla prorsus debeantur alimenta, hoc enim fuisset inditectè parricidium talium liberorum concedere, *l. necare* 4. *ff. de Agnoscendis, & alendis liberis*, quòd à mente Christiani Imperatoris utique alienum fuit; sed quòd præfatis liberis non debeantur alimenta secundum statum parentum, vel dignitatem eorum, aut suam, quam nullam habere censentur: ut v. g. filius adulterinus, vel incestuosus comitis alatur ut comes, sed ut privatus juxta necessariam vitæ conservationem, non obstante quòd *d. c.* 5. dicatur secundùm facultates parentum alimenta danda, quia aliud est secundùm facultates, aliud secundùm statum dignitatis. Non obstante etiam, quòd hoc modo damnati non differrent à naturalibus, qui teste Harpt. *ad princ. Instit. h. t. n.* 267. nec ipsi de familia patris censentur, neque arma, aut insignia familiæ ferunt: nam communi hominum æstimatione honestioris status habentur naturales, quàm damnati, & secundùm hunc statum etiam alendi. Item puto non improbabiliter hanc quoque differentiam adjungi posse, quòd naturalibus detur actio contra patrem ejusque hæredes pro condignis alimentis, damnatis verò nulla competat actio, sed tantùm officio judicis, juxta vitæ

vitæ necessitatem, personæ, & facultatum qualitatem alimenta decernantur, *arg. textus in d. c. 5.* ibi. *solicitudinis tua intereris, &c.* qua tamen in re valdè diversimodè loquuntur Doctores, ut videre est apud Cov. *d. c. 8. §. 6.* & Barbos. *in Collect. ad d. c. cum haberet.* An verò dicatur natus ex damnato coitu, qui ex conjugato, & soluta est natus (de qua etiam loqui videtur *d. c. 5.* si benè expendatur) pro utraque sententia sunt Doctores apud Cov. *d. c. 8. §. 5. num. 22.* Harp. *d. loco num. 348.* ubi isti contra alios affirmativam sequuntur.

Posset item quæri, & in utramque partem disputari, an cum hodie omnis concubinatus, & fornicatio puniatur in utroque foro, liberi inde nati quoad effectum successionis debeant dici ex damnato coitu? Videatur Panor. *in cap. tanta 6. Qui filii sint legitimi num. 52.* Harp. *dicto loco num. 311.* qui pariter contra alios sustinent, non esse sine textu expresso abrogationem veteris juris inducendam. Consuetudo locorum præcipuè attendenda erit, prout lege Hispanica declaratum refert Covar. *d. cap. 8. §. 5. nu. 25.* illum propriè dici damnatum coitum, ex quo fœminæ imminet pæna mortis naturalis à lege statuta.

8 Circa legitimatos supponenda sunt ea, quæ infra *in Lib. 4. in Tit. Qui filii sint legitimi* pluribus traduntur. Ad præsentem materiam breviter notandum, quod legitimati per subsequens matrimonium ex communi Doctorum sententia quoad omnia, scilicet dignitates, successiones, & reliqua legitimè natis æquiparentur: cum enim non tam effectus naturæ, secundùm quam omnes æqualiter nascimur, sit, quàm legis disponentis, ut aliquis pro legitimo habeatur, nihil interest, an lex alicujus nativitatem ab initio, vel ex post facto ratam habeat, & approbet, atque effectum matrimonii ad tempus nativitatis retrotrahat. Textus, & Interp. *in cap. tanta 6. Qui filii sint legitimi* Barb. *in Collect. ibidem numer. 14.* Adeò ut etiam ex receptiori in praxi, & Cameræ Imperialis sententia ad bona quoque feudalia taliter legitimati admittantur. Mynsing. *Cent. 5. observat. 42.* Andreas Gail. *lib. 2. observ. 141. num. 2.* Fach. *lib. 2. Controv. cap. 51.* Qua de re dictum superiùs *in Tit. de Feudis §. 2.*

Porrò legitimati per rescriptum principis, ut in bonis paternis succedant, requiritur, quòd mater talium liberorum in uxorem duci non potuerit, vel saltem non pro dignitate, aut quia mortua est, vel aliàs latet. Deinde quòd nulli extent liberi ex matrimonio justo procreati, quibus extantibus legitimati excluduntur, *l. Imperialis, 23. C. de Nuptiis Novella 89. c. 9.* Posse tamen filium naturalem etiam extantibus justis liberis à Principe de plenitudine potestatis ad successionem legitimari, dummodo pater pro tali legitimatione supplicans justorum liberorum mentionem fecerit, nec legitimato plus relinquat quam uni filiorum, cui minimum relinquit, docet Gail. *d. l. 2. observ. 242. n. 8. & seq. arg. dicta Novell. 89. cap. 3.* In qua *Observatione* idem Author etiam alia notabilia tractat, ut an præjudicium aliorum agnatorum consideretur in legitimatione liberorum? An legitimatio non extantibus justis liberis facta irritetur his supervenientibus An fœminæ excludantur per legitimatum, ubi statutum est, quòd non succedant extantibus masculis? quæ ibidem videri poterunt. Easdemque quæstiones etiam proponit Harp. *ad princ. Inst. h. t. num. 480. & seq.* ubi singulas negativè resolvit.

9 Notant quoque communiter Doctores, differentiam esse constituendam inter legitimationem, & dispensationem: etenim legitimatus dicitur restitutus natalibus, & censetur prima ejus nativitas approbata, habeturque quoad omnia legitimus: dispensatio autem fit tantum quoad aliquos particulares effectus, sicut in foro Ecclesiastico frequens est, quòd Papa dispenset cum illegitimis ad ordines, vel beneficium, & hæc dispensatio est strictæ interpretationis; nec extenditur ultra casus, & effectus in ea expressos. Item cum de Jure non soleant legitimari, seu natalibus restitui, inter quorum parentes non potuisset consistere matrimonium, uti sunt incestuosi, & adulterini, ideò si talibus princeps extra ordinem gratiam facere voluerit, ex multorum Doctorum sententia saltem in dubio potiùs dispensasse, quàm legitimasse censebitur, & tales dispensati non venient in dispositione legis, vel statuti, quoties de legitimis, vel legitimatis liberis aliquid statuitur, nisi princeps de plenitudine potestatis nominatim aliter disposuerit, vel ex verbis privilegii alia ejusdem intentio colligatur, Andreas Gail. *d. observ. 142. num. 17.* latè Cov. *de Matrimonio p. 2. c. 8. §. 8. & seq.*

Et hoc sensu forsan etiam intelligenda est regula Cancellariæ, quæ olim erat 48. hodie verò 50. *de Dispensat. super defectum natalium*, ubi S. Pontifex in dispensatione super defectu natalium, ut illegitimus possit succedere in bonis temporalibus, vult poni clausulam, *quod non præjudicetur illis, ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat*, quam clausulam tantùm habere effectum, ut sic dispensatus deficientibus aliis consanguineis excludat fiscum, & possit succedere ex testamento, sustinet Fach. *lib. 3. Controv. c. 62.* Cujus sententiam refert, nec refutat Joan. à Chok. *in Commentario ad eandem Regulam*, quæ apud eum est 49. contra alios, qui putant, clausulam intelligi de solis liberis naturalibus, & legitimis simul non verò de consanguineis collateralibus. Expediret sanè super hoc dubio juris intellectu Legislatorem, ipsum S. Pontificem, qui post creationem suam semper solet has Regulas renovare, consulere *juxta l. 2. C. de Legibus.*

Defendit etiam idem Fach. *eodem lib. disp. 58.* legitimationem unius principis non suffragari in territorio alterius principis quoad bona ibidem sita, ejusque jurisdictionem spectantia.

De Successione Ascendentium.

Si defunctus nullos filios, aut descendentes reliquerit, successio defertur ascendentibus, seu parentibus. 10
Inter hos autem semper proximior excludit remotiorem nec datur jus repræsentationis, e. g. si defunctus reliquit matrem suam, & avum paternum, sola mater succedet, quia inconveniens est, ut superior repræsentet inferiorem, & pater filium, &c.

Deinde ascendentes nunquam excluduntur quidem à collateralibus, tametsi propinquioribus in gradu: econtra autem nec ipsi omninò excludunt collaterales, quia fratres, & sorores duplicis vinculi, id est, defuncto ab utroque parente conjuncti una cum ascendentibus ad hæreditatem sui fratris admittuntur. Imò si defunctus patrem, & fratrem, & ex altero fratre jam mortuo filios reliquerit, isti filii fratris jure repræsentationis una cum patre, & fratre defuncti succedent, *juxta Novellam 118. c. 2. & 3.* Et quia lex tantùm fratres duplicis vinculi vocat ad successionem cum ascendentibus; ideò communiter DD. inferunt, fratres ex uno tantùm latere defuncto conjunctos, videlicet consanguineos, aut uterinos ab ascendentibus excludi.

Aliter autem succedunt ascendentes, si soli sint, & aliter si cum fratribus defuncti concurrant: nam si soli sint, succedunt in stirpes, & si defunctus reliquerit avum paternum ex una parte, & ex altera avum, ac aviam maternam, hæreditas dividetur bifariam, & medietatem capiet avus paternus, alteram inter se divident avus, & avia materna. Si verò cum ascendentibus concurrant collaterales, successio fiet in capita, & in tot partes dividetur hæreditas, quot sunt personæ succedentes, nisi fortassis, ut præmissum, filiis ex uno fratre defuncto jure repræsentationis veniant; qui tantùm capient portionem sui patris, quem repræsentant, *d. Novell. 118. c. 2. & 3.* Verùm hæc ita se habent, si de parentibus naturalibus, & legitimis simul loquamur. Parentes verò legitimi tantùm, id est, adoptivi, filiis suis adoptatis, quando adoptio est facta ab extraneo, vel arrogatis non succedunt. *DD. ad §. 2. & 3. Instit. de Adopt.*

Circa parentes naturales tantùm jura successionum sunt correlativa, adeoque sicut filius naturalis tantùm succedit patri in duabus unciis, ita vicissim eidem pater; & sicut idem filius succedit matri in universum, ita, & vice versa mater, *authent. licet C. de Naturalibus liberis.* Similiter, sicut spurii non succedunt patri, cum incerti præsumantur; & nati ex damnato coitu, neque patri neque matri, ita econtra spuriis non succedit pater, seu patrem se allegans; & damnatis nec mater, *l. si spurius 4. ff. Unde cognati authent. ex complexu. C. de Incestis nuptiis.*

De Suc-

De Successione Collateralium,

11 COllaterales illi dicuntur, qui quidem nec à nobis geniti sunt, nec nos ab ipsis, sumus tamen ex eodem sanguine propagati, unde, & consanguinei nostri appellantur. Ex his alii dicuntur *agnati*, qui ex linea paterna nobis conjuncti sunt, alii *cognati*, qui ex linea materna, quamvis generaliori significatione aliquando cognati omnes consanguinei vocentur.

De jure antiquo Digestorum erat differentia in successionibus constituenda inter agnatos, & cognatos, & absque extantibus agnatis non admittebantur cognati, hodie verò in Novellis Justiniani jura agnationis, & cognationis confusa sunt, & illa differentia successionis sublata. In feudalibus tamen adhuc discrimen inter agnationem, & cognationem constituitur, hoc ipso, quòd in feudo ordinariè fœminæ, & omnes per lineam fœmininam descendentes à successione feudi excludantur.

Inter collaterales primum locum obtinent fratres, & sorores. Sunt autem fratres alii *Germani*, sive *duplicis vinculi* ab utroque parente conjuncti: alii *consanguinei*, cum quibus eundem patrem, sed diversam matrem; alii *uterini*, cum quibus eandem matrem, sed diversum patrem habuimus.

Porrò fratres germani succedunt defuncto exclusis consanguineis, & uterinis, si de bonis aliodialibus loquamur; in feudalibus autem juxta communiorem sententiam consanguineos una cum germanis admitti, *in Tit. de Feudis*, dictum. Imò, & fratrum germanorum liberi mortuis suis parentibus in eorum locum jure repræsentationis, ac in stirpes succedunt, excluduntque uterinos, ac consanguineos. Post fratres autem Germanos eorumque liberos primi gradus neque duplicitas vinculi, neque jus repræsentationis, amplius attenditur, sed inprimis fratres ex uno latere conjuncti vocantur, iis verò deficientibus ad reliquos consanguineos, sine differentia, masculi sint an fœminæ, agnati, vel cognati, successio in capita devolvitur, & semper proximior in gradu excludit remotiorem, & qui in eodem sunt gradu simul admittuntur, *d. Nov.* 118. *c.* 3. *& seq.* Quòd si fratrum filii soli fuerint, eos suo patruo, vel avunculo non in stirpes, sed in capita succedere, ex frequentiori Doctorum calculo, verbis, & mente legum, ac constitutione Caroli V. in Comitiis Spirensibus lata probat Harpt. *ad princ. Inst. h. t. n.* 423. *& seq.*

12 Sed non est sine difficultate, utrùm si defunctus fratrem consanguineum, & uterinum, vel alios agnatos, & cognatos in pari gradu reliquerit, atque isti simul succedant, debeat fieri distinctio bonorum, ita ut in bonis paternis frater consanguineus, vel agnati, in bonis autem maternis uterinus, vel cognati succedant? Talem distinctionem faciendam esse suadet text. *in l. de emancipatis* 13. *§.* 2. *Cod. de legitimis hæredibus*, & docet Glossa *in auth. post fratres in verbo filii C. ead. tit.* Cov. *in Emptione successionum n.* 8. & plures alii. Verùm cum hodie in sæpè dicta *Novella* 118. Justinianus fratres consanguineos, & uterinos, agnatos, & cognatos sine distinctione æqualiter ad hæreditatem defuncti vocaverit, videtur menti Imperatoris conformius, ut hac in parte, quidquid fuerit de jure priorum legum, nulla differentia bonorum sit adhibenda. Ratio rationis est, tum quod bona, quæ ad defunctum pervenerunt, desierint esse bona paterna, vel materna, & sint facta propria ipsius defuncti; tum etiam quòd aliàs illa æqualis agnatorum, & cognatorum ad successionem vocatio sæpissimè destitueretur suo effectu, si nimirum defunctus, vel tantùm paterna, vel tantùm materna bona haberet. Fachin. *lib.* 6. *Controv. c.* 5. Hunnius *lib.* 3. *Variar. Resol. Tract.* 1. *quæst.* 37.

13 Circa fratres legitimatos tantùm, ac naturales tantùm breviter notandum est, quòd legitimi tantùm, seu adoptivi non succedant sibi invicem, nisi ab aliquo ascendentium adoptati sint, *l. penult. §.* 1. *vers. & ideo C. de Adoptionibus*.

Fratres naturales tantùm, sicut, & spurii tunc sibi invicem succedunt, si uterini sint, sive eandem matrem habuerint, non autem si diversam, *l.* 2. *&* 4. *ff. Undè cognati* Notat verò Cov. *de Matrimonio p.* 2. *c.* 8. *§.* 5. *in fin.* si defunctus reliquerit fratrem ex justis nuptiis procreatum, & fratrem naturalem tantùm, illum huic præferri. De natis ex damnato coitu, an sibi invicem succedant, pro utraque sententia videantur Doctores apud Cov. *d. loc. n.* 26. Fach. *d. l.* 6. *c.* 10. ubi ille quidem affirmativam sequitur, isti verò negativa magis placet, eo quòd in his damnatis nullum consideretur naturale vinculum arg. *auth. ex complexu C. de Incestis nuptiis*.

Demùm ad hunc ordinem collateralium etiam addendum, quòd ex probabiliori sententia, licet quidam aliter doceant, collaterales in defectu propinquiorum ad successionem admittantur quasi in infinitum, quocunque gradu sint defuncto conjuncti, dummodo suam genealogiam probare possint, *l.* 2. *§.* 1. *ff. de Suis, & legitimis* §. 3. *Inst. de legitima agnatorum successione*. Non obstat *§. fin. Inst. de Successione cognatorum*, ubi dicitur, agnatos succedere, licet in 10. sint gradu: nam ibi decimus gradus tantùm pro exemplo remoti gradus, non verò pro restrictione ponitur, cum non facilè consanguinei inveniantur, qui ulteriorem gradum exactè probare valeant. Sed hic bene attendendum est, ne consanguinitas, & affinitas inter se confundantur, quia affines nullum jus successionis prætendere possunt, *l. affinitatis* 7. *C. Communia de Successionibus*. 14

De Successione Conjugum, & ex aliquo consortio conjunctorum.

QUantùm ad successionem Conjugum ante omnia attendendum est, an conjuges aliqua pacta dotalia, vel nuptialia instrumenta confecerint, in quibus frequenter disponere, & convenire solent, ut si unus ex conjugibus sine liberis moriatur, tunc ad superstitem conjugem, vel omnia, vel certa bona exclusis consanguineis devolvantur, qualia pacta ex notissima Germaniæ consuetudine valere, & ex diversis Cameræ Imperialis præjudiciis confirmata esse, testatur Mynsinger. *Cent.* 2 *Obs.* 33. *n.* 10. 15

Quòd si nulla talis dispositio inter conjuges præcesserit, tunc primùm superstes conjux conjugi defuncto ab intestato in omnibus bonis succedit, si nulli omnino extent consanguinei ipsius defuncti, *l. unica Cod. Unde vir, & uxor*.

Aliquando tamen etiam extantibus liberis, vel aliis consanguineis uxor viro, & econtra vir uxori succedit, si nimirum defunctus multa bona reliquerit, & conjux superstes pauper sit, ne in opprobium conjugis defuncti mendicare, aut aliàs non secundùm statum suum decenter vivere cogatur. Isto tamen casu successio non fit in omnibus bonis, sicut in priori, sed si tres, vel pauciores adsint filii quartam partem bonorum, si plures saltem portionem virilem, id est, tantam, quanta uni ex liberis, vel consanguineis obtingit, conjux ex bonis defuncti conjugis accipiet.

Est præterea differentia notabilis, an conjux pauper succedat cum filiis, vel an cum aliis consanguineis: nam si cum filiis succedat, tantùm usumfructum acquiret, proprietatem verò ipsis liberis servare tenebitur, neque de ea ullatenus disponere poterit, sed si succedat cum aliis consanguinineis plenum dominium consequitur. *Auth. præterea C. Unde vir, & uxor Novell.* 118. *c.* 5.

Quemadmodum porrò in defectu consanguineorum Jura successionem conjugibus dederunt, propter perpetuum vitæ inter eos consortium, divini, ac humani Juris communicationem, *l.* 1. *ff. de Ritu nuptiarum*; ita propter simile aliquod consortium non extantibus cognatis, aut conjuge succedunt, & Fiscum excludunt consortes seu Collegæ alicujus corporis, sive collegii Jure non reprobati, legio respectu commilitonis, socius imperialis liberalitatis (id est, quando duobus simul aliquid à Principe donatum) respectu socii sine legitimo herede defuncti, Ecclesia respectu personarum divino servitio addictarum, qua de re textus sunt *in l.* 1. *&* 3. *Cod. de Hæreditatibus decurionum l. unica C. Si liberalitatis imperialis socius &c. l. si quis presbyter* 20. *Cod. de Episc. & Clericis*. 16

De Successione Fisci.

17 Fiscus nomen suum traxisse creditur à fiscis, sive sportis, quibus pecuniæ publicæ olim asportari, & concludi solebant, alioque vocabulo etiam Camera, seu ærarium Principis appellatur. Quamvis autem fiscus veniat Jure regalium, & originaliter tantùm ad summum Principem pertinuerit, hodie tamen etiam inferiores Principes, & Domini territoriorum, qui in aliis quoque regalibus utuntur, imò in nonnullis locis etiam inferiores Judices, & Magistratus Jura fisci ex inveterata quadam consuetudine sibi arrogant. Reiger. *in Thesauro Juris in V. fiscus n. 4. & 9.*

Igitur si nulli prorsus adsint legitimi hæredes bona defuncti prætendentes, tunc per publicum proclama, seu patentes litteras in loco publico affixas vocari debent omnes consanguinei, & qui in hæreditate defuncti jus aliquod se habere existimant. Quòd si tales litteræ per hebdomadas, aut menses aliquot juxta singulorum locorum consuetudinem affixæ fuerint, & nullus hæres vel actor apparuerit, tunc bona hæreditaria tanquam vacantia fisco deferuntur; nisi verò fiscus illa intra quadriennium agnoverit, possessor bonorum se adversus fiscum præscriptione tueri poterit *l. 1. & tot. t. ubi DD. C. de Bonis vacantibus.*

18 Speciale est circa peregrinos, quòd si in remotis locis moriantur, tunc omnis quidem cura adhiberi debeat ut bona penes eos reperta ad ipsorum hæredes deveniant, si verò propter distantiam locorum nullus hæres indagari possit, talia bona nec fiscus, nec hospes, in cujus hospitio peregrinus decessit, sed Episcopus loci occupare, & ad pias causas erogare debeat *Auth. omnes peregrini C. Communia de successionibus.*

19 Aliquando fiscus succedit, exclusis omnibus aliis hæredibus, nimirum in bonis illorum, qui atrocius aliquod delictum perpetrarunt, veluti crimen læsæ Majestatis, vel hæreseos, *l. quisquis 5. C. ad l. Juliam Majestatis cap. vergentis 10. de Hereticis.* Quod tamen hodiè circa hæreticos in Germania toleratos non procedit, sed nisi crimen specialiter sit exceptum, ordinariè in bonis damnatorum ad ultimum supplicium non priùs succedit fiscus, quàm si nec descendentes, nec ascendentes, nec collaterales intra tertium gradum supersint. Conjux quoque damnati dotem suam, vel donationem propter nuptias accipit, aut si sine dote, & pauper sit, succedet eo modo, quo superiùs de successione conjugis pauperis dictum est, idque de jure novo, licet olim bona damnatorum generaliter fuerint fisco addicta, *Auth. bona damnatorum C. de Bonis proscriptorum.* Plura de fisco videantur *in t. ff. & C. de Jure fisci*, quæ non pertineot ad præsentem titulum prolixius examinate.

---

§. III.

Quomodo Personis Ecclesiasticis ab intestato succedatur.

S U M M A R I A.

20 *Clericis qualiter succedatur in patrimonialibus,*
21 *Gradus successionis qualiter computentur.*
22 *Quid si Clericus consanguineos non habeat.*
23 *Clericis qualiter succedatur in bonis prospectu Ecclesie acquisitis.*

20 Supposita illa distinctione bonorum clericalium, quam superiùs *in Tit. de Peculio Clericorum* tradidimus, ad materiam præsentis tituli sciendum est, quòd sicut in bonis patrimonialibus, industrialibus, & parsimonialibus plenaria dispositio tam inter vivos, quam in ultima voluntate Clericis conceditur, & in iis jure Laicorum utuntur, ita etiam, si intestati decedant, in his bonis proximi consanguinei Clericorum juxta ordinem in *præcedenti §.* positum succedant. Gloss. *in cap. 1. in verbo traduntur, & ibidem* Barb. *in Collect. DD. n. 2. hoc tit.* Henricus Zoesius *eodem titulo n. 1.*

21 Neque in hac successione computatio graduum secundum arborem canonicam (quæ tantùm ad matrimonium pertinet, quod sicut ex duabus personis constitit, ita in eo duæ personæ ad unum gradum trahuntur) sed secundùm arborem civilem instituitur, in qua generalis regula est, quòd tot sint gradus, quot personæ à communi stipite descendantes ipso stipite non computato. Unde ponamus, quòd defunctus reliquerit ex una parte filium sui fratris, & ex altera patruelem, id est, filium patrui, si jam ex arbore canonica fieret computatio, filius fratris, & filius patrui æqualiter succederent, cùm ea computatione uterque sit defuncto in secundo gradu conjunctus. At verò juxta computationem civilem filius fratris excludit patruelem etiam abstrahendo a jure repræsentationis, quia patruelis est defuncto in quarto, filius fratris autem in tertio gradu conjunctus. Videatur Card. Tuscus *V. successio concl. 861. n. 91.* Circa liberos illegitimos Clericorum in sacris constitutorum (secus volunt, si in minoribus tantùm) non habere locum successionem, quàm superiùs naturalibus tantùm adscripsimus, & magis accenseri adulterinis, quibus non hæreditas ne quidem matris, sed alimenta duntaxat (etiam ex reditibus beneficialibus. Laym. *in Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 3. n. 4.*) debeantur, docet Gloss. *in c. per venerab. 13. V. Adulterinis*; & ibid. Panor. *n. 22. Qui filii sint legitimi.* Cov. *de Matrimonio p. 2. c. 8. §. 5. n. 23.* Navar. *q. 1. cons. 2.* & textus est *in l. sacris 45. C. de Episc. & Cler.*

22 Quod si nulli extent consanguinei Clerici defuncti, successio in bonis supradictis ad Ecclesiam, cui Clericus beneficiatus præfuit, tanquam spiritualem uxorem devolvitur, quo sensu intelligunt, & interpretantur *cap. quicumque 12. q. 3. c. 1. h. t.* Glossa, Panor. & Barb. *ibid.*

Si verò defunctus Clericus nec consanguineos, nec beneficium habuerit, tunc fiscum Episcopalem succedere, asserit Panorm. *in c. 1. h. t. & in c. 2. n. 2.* Episcopum enim habere fiscum, & fiscalia jura, colligitur, *ex can. si quis contumax & can. si quis deinceps 17. q. 4.* & cum Gloss. *in c. quia diversitatem. V. præter ejus de Concessione præbendæ*, tenent communiter DD. citati apud Barbos. *de Officio Episc. alleg. 107. n. 16.*

Videtur quidem hactenus dictis obstare *c. 2. h. t.* ubi bona Clerici defuncti jubentur distribui in quatuor partes, & una Episcopo, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus, & quarta parentibus assignari; sed hunc textum specialiter loqui de servis, qui olim manumissi in Presbyteros ordinati fuerunt (quibus civiliter non est cognatio saltem collateralium successionem prætendere valens. §. *quod autem 6. Instit. de diminut. junct. princ. de Servili cognatione*) exponit Glossa, Panorm. & Barb. *ibid.*

Posset quoque opponi *c. Episc. 34. causa 12. q. 2.* ubi dicitur, quòd Episopus, qui filios aut nepotes non habet, alium quàm Ecclesiam non debeat relinquere hæredem; ergò videntur collaterales à successione exclusi; sed hunc locum de consilio, non de præcepto interpretatur Glossa *ibidem V. alium*, & Covar. *in cap. 1. de Testamentis num. 5.*

23 In bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis nulli hæredes præter Ecclesiam de jure succedunt Text. & DD. *in c. 1. hoc tit.* Quòd si defunctus in diversis Ecclesiis habuerit beneficia, bona ipsius inter Ecclesias juxta proportionem redituum ex singulis Ecclesiis perceptorum dividentur, *c. relatum 12. de Testamentis.* Cæterùm quid nomine Ecclesiæ intelligatur, ita distinguitur *in d. cap. relatum*, ut si defunctus unum tantùm successorem in beneficio habeat, v. g. Episcopus, vel Parochus, tunc huic bona consignanda sint, qui ea cum reliquis Ecclesiæ bonis in timore Dei dispenset; si verò successor defuncti sit totum collegium Clericorum, aut Canonicorum, tunc bona non sunt tradenda successori in Canonicatu, sed ad communem Capituli massam conferenda.

Consuetudine autem introduci posse, ut successio in bonis Ecclesiasticis ad Episcopum, vel alium Prælatum Ecclesiasticum pertineat, textus est, & ibi tradunt Interpretes *in cap. fin. de Offic. ordinarii in 6.* Imò si quorundam locorum usu, & consuetudine constanter receptum sit, ut distributio, quæ fit in *c. 2. h. tit.* & de qua paulò

ante

ante dictum, videlicet inter Episcopum, Ecclesiam, pauperes, & cognatos, generaliter in bonis Clericorum ab intestato defunctorum observetur, non auderem improbare *arg. c. relatum* 12. *de Testamentis*. An autem pariter consuetudine introduci possit, ut generaliter in his bonis ad hæredes sanguinis devolvatur successio? Videntur, quæ copiosius pro negativa dixi *in 1. præc. n. 3.* & Laym. *in Theol. morali lib. 4. tr. 2. c. 3. n. 7.*

Illud demùm advertendum, si non constet, Clericum defunctum habuisse alia bona, in dubio, & si beneficiatus fuerit, præsumi prospectu Ecclesiæ acquisita *c. 1. de Peculio Clericorum*, ideoque prætendentibus successionem incumbet probatio, quòd adsint bona alterius qualitatis. Item quamvis in ordine ad dominium pecunia non semper succedat in locum rei, nec res in locum pecuniæ *l. qui vas argenteum. 48. §. fin. ff. de Furtis l. si ex ea 6. C. de Rei vindicatione*: aliud tamen est in bonis prospectu Ecclesiæ, acquisitis in ordine ad obligationem restituendi Ecclesiæ, quæ semper talia manent, licet v. g. Clericus ex pecunia prædium emerit, *d. c. 1. & 4. de Peculio Clericorum*.

Et hæc circa successionem in bonis Clericorum; circa bona autem Religiosorum, & ingredientium Monasteria pluribus dicetur inferius *in Tit. de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem*. Sicut & reliqua materia suis locis tractatur.



TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

SUMMARIA.

1 *Olim cadavera non licebat sepelire in Ecclesia.*
2 *Cur Cadavera in locis sacris sepeliantur.*
3 *Jus funerandi computatur inter jura parochialia.*
4 *Quilibet debet sepeliri in Ecclesia parochiali, nisi habeat sepulturam electam, vel Majorum.*
5 *Uxor sepeliri debet cum marito.*
6 *Quid si sepulchra majorum sint in diversis Ecclesiis.*
7 *Ad electionem sepulturæ qualis solemnitas, vel probatio requiratur.*
8 *Non licet Religiosis parochiam alienam ingredi, ad tollendum funus.*
9 *Videtur congruum, ut maritus post uxorem defunctus cum eadem sepeliatur.*
10 *Prælatus Regularis potest sibi eligere sepulturam.*
11 *Religiosus accedens in loco remoto extra Monasterium potest sibi eligere sepulturam.*
12 *Novitius in Monasterio sepeliri debet, licet ante mortem fuisset in proposito redeundi ad sæculum.*
13 *Cum parochianus alibi eligit sepulturam, debetur parocho portio Canonica, & quid veniat hoc nomine.*
14 *Qualiter prohibitum sit aliquem inducere ad eligendam sepulturam.*
15 *Tituli, an quibus aliquid accipi potest in sepultura.*
16 *Non licet propter mortuaria non soluta corpus inhumatum relinquere.*
17 *Qui non gaudeat sepultura Ecclesiastica.*
18 *Gravis metus quando excuset à transgressione legis humanæ.*
19 *Excommunicati etiam non denunciati privantur sepultura, nisi excommunicatio sit occulta.*
20 *Se ipsos occidentes qualiter priventur.*
21 *Duellantes quando privandi sepultura.*
22 *Suscipientem duellum honoris defendendi causa aliqui saltem in conscientia excusant, quod non videtur practicè admittendum.*
23 *Etiam supposita sententia illa excusante occumbens in tali duello privetur sepultura.*
24 *Multa sunt sine culpa vera, quæ non fiunt sine culpa præsumpta.*

1 Diversos apud diversarum gentium Nationes extitisse modos procedendi cum corporibus defunctorum, heroico carmine narrat Silius Italicus, & post illum Cassanæus *in Catal. Gloriæ mundi. p. 2. consid. 5.* alibi feris, alibi igni, aquis alibi aut aeri lenta tabe diffluentia committebantur, &c. Sed inter Christianos usitatus mos est defunctorum corpora in terram defodere, ut juxta illud *Gen. 3. cap. vers. 19. Homo de terra sumptus, & pulvis, rursus in terram, & pulverem revertatur*. In quem finem piè admodùm Majores nostri cum ipsa nascente Ecclesia constituerunt cœmiteria, seu loco Deo 2 consecrata, in quibus fidelium cadavera tumularentur: quamvis olim prohibitum fuerit, ne quispiam ipsa in Ecclesia (ubi Cristus immolatur, cui mors ultra non dominabitur) sepeliretur. *c. præcipiendum 15. causa. 13. quæst. 2.* posteà tamen partim Jure, partim consuetudine introductum est, ut Episcopis, Abbatibus aliisque piis, & honestioribus præsertim Laicis in ipsa Ecclesia locus sepulturæ concederetur *c. nullus 18. causa 13. quæst. 4.* † Quod verò cadavera potiùs in locis sacratis maximè prupè templa constitutis, quàm in profanis sepeliantur, fit, ut minùs à spiritibus immundis vexentur, ut animæ consequantur patrocinium Sanctorum, quibus Ecclesia cum cæmeterio dedicata est, ut vivi templum intrantes sæpiùs in suis precibus defunctorum, & ibi sepultorum memores reddantur *c. cum gravia 17. & c. animæ 22. d. q. 2.*

Quæritur autem I. an omnes Ecclesiæ habeant jus se- 3
peliendi defunctos? Resp. Jus funerandi computandum esse inter jura Parochialia, propterea cessante privilegio, vel consuetudine ne quidem Monasteria, quæ populum aut Parochiam non habent, extraneos defunctos sepelire posse, præter suos Religiosos Professos, & hospites, itidem Religiosos apud eos morientes *c. 1. causa 16. q. 1. c. in nostra 10. h. t.* Dico cessante consuetudine, nam hodie omnia Monasteria, vel ex privilegio, vel consuetudine jus sepeliendi defunctos habere, saltem si ibi sepulturam elegerint, refert Lancellot. *in suis Inst. de sepult. §. 5. in gl.* & si juxta textum *in c. 2. in fin. hoc tit. in 6.* valet electio sepulturæ etiam in loco minùs Religioso, ergò multò magis hodie in quolibet loco Religioso sepultura eligi poterit. Cæterùm jus sepeliendi, ac cæmiterium alicui Ecclesiæ per Episcopum rectè concedi decisionem Rotæ adducit Barb. *de Offic. Par. par. 3. cap 16. num. 14.*

Quæritur II. An ergò quilibet in sua Ecclesia Paro- 4
chiali, vel ejus cæmeterio sepeliendus sit. Resp. In primis attendendum esse, an defunctus certam aliquam sepulturam in alia, quàm sua Ecclesia Parochiali elegerit, quod cum Jura omnibus permittant etiam filiolæ; sine consensu patris, etiam in quacunque Ecclesia, vel cæmeterio, ejus voluntatem implere modis omnibus oportet. *c. 4. causa 13. q. 2. c. 1. h. t. c. 4. & passim eod. in 6.* Sin autem intestatus quis decesserit, cujus tamen Majores certam pro sua familia constituerint sepulturam, in hac potiùs, quam Ecclesia Parochiali tumulari debet, *c. 1. & 3. h. t. in 6.* Quòd si denique nec defunctus ipse, nec Majores ejus certum sepulturæ locum sibi determinaverint, ad Ecclesiam suam Parochialem, quamvis extra eam mortuus fuerit, deferendus erit, dummodo ad illam commodè deferri possit *d. c. 3. h. t. in 6.* adeò ut si quis alienum Parochianum contra jus proprii Parochi sepellierit, possit ad restitutionem cadaveris, cum omnibus, quæ occasione sepulturæ quomodolibet acceperit, conveniri *c. ex parte 5. & c. cùm liberum 6. h. t. c. 1. eod. in 6.* Porrò nomine Parochiæ non tantùm venit locus ubi quis *verum domicilium* habitationis perpetuæ tanquam civis, & incola collocavit, sed etiam *quasi domicilium*, si nimirum in loco per notabile tempus, ut per majorem anni partem, aut de facto habitarit, aut saltem animo habitandi advenerit: istud enim *quasi domicilium*, ex recepta DD. sententia fundat jurisdictionem fori pœnitentialis ad recipienda Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam, Sanch. *de Matr. lib. 3. dis. 23. n. 12.* Tus. *L. S. Concl. 198. n. 7.* Decisum est tamen *in c. 3. h. t. in 6.* quòd habens domicilium in civitate, vel castro, quando se transfert in illam recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura ibidem decedat, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali, vel sepultura Majorum debeat sepeliri. Si defunctus in duobus locis æqualiter domicilium habuit, v. g. in uno per æstatem,

in

in altero per hyemem, & in duabus Ecclesiis Parochialibus Sacramenta frequentare soleat, in illa sepelietur, in qua decessit, vel si extra utramque mortuus sit; ad quam arbitrio propinquorum faciliùs deportari poterit: ubi enim duo, vel plures habent æquale jus, & singuli in solidum ad rem, ordinariè melior solet esse præoccupantis conditio, *arg. c. cum plures 8. de Offic. deleg. in 6.*

5 Circa uxores speciale est, quòd sicut in vivis relicta familia propria secutæ sunt viros suos, ita post mortem non in sepulcro familiæ, sed maritorum tumolandæ sint, nisi propriam sibimet elegerint sepulturam, vel nisi divortium perpetuum ex causa adulterii, vel hæresis (secùs si temporale tantùm ex causa sævitiæ, vel morbi contagiosi) intervenerit, nec id ante mortem reconciliatum sit. Quòd si aliqua plures successivè maritos habuerit, cum ultimo, cujus nomen, & statum tenuit, sepelietur. Text. & DD. *in c. unaquaque 3. causa 13. q. 2. c. 3. h. t. in 6.*

6 Quæritur III. Quid dicendum sit, si sepulchra Majorum sint in diversis Ecclesiis? Resp. in hac quæstione tres casus esse distinguendos. I. Si in una Ecclesia sepultus sit Abavus, Proavus, in alia verò Pater, & avus, filius propter majorem conjunctionem cum Patre, & Avo sepelietur. II. Si Avus, Proavus, & Abavus in uno loco sepulti sint, Pater verò elegerit sepeliri in alio, filius non cum patre, sed potiùs cum Avo, proavo sepelietur, *per text. in c. fraternitatem 3. Ext. & c. is qui 3. h. t. in 6.* ubi dicitur, quemlibet in eo loco sepeliendum esse, in quò patentes, & majores *ab antiquo* soliti sunt tumulati. III. Si Pater, Avus, & Proavus in diversis locis tumulati sint nonnulli censent, filium in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse quasi hoc casu cesset sepulchrum Majorum; alii contra volunt, Patrem sequi debere, *authoritate text. in cap. unaquaque 3. causa 13. q. 2. §. item in novo.* Vid. Sylv. *sepultura n. 8.* Mihi prior sententia videtur verior; pro conciliatione tamen alteram tunc amplector, si pater non simpliciter pro se tantum, sed universim pro sua familia sepulturam elegerit, de quo casu non obscurè loquitur text. *in d. §. item in novo.*

7 Quæritur IV. Utrum ad electionem sepulturæ requiratur aliqua solemnitas? Resp. Quamvis electio sepulturæ sit species ultimarum voluntatum, *ut per Gl. addit. in c. 1. h. t, in 6. in V. prædictos arg. c. Ultima 4. causa 13. q. 2.* nihilominùs tamen, cum sit dispositio ad *pias causas*, probabilius judico, nulla alia solemnitate muniri debere, nisi quod eligens sit pubes *c. penult. h. t. in 6.* compos mentis, & sufficienter constet de ejus voluntate: nam quod favore militiæ *in t. de Militari testam.* & favore Patriæ potestatis *in l. hac consultissima 21. §. ex imperfecto C. de Test.* concessum est, ut testamentum militis, & patris inter liberos nullam solemnitatem, sed tantùm probationem requirat, idem etiam DD. communiter, & rectè *ad pias causas*, favore earundem, & propter salutem animæ, pro qua defunctus tale testamentum fecit, extendunt, & ita, ut ne quidem duo testes, de quibus fit mentio *in c. relatum 11. de Test.* ad substantiam necessarii sint, Cov. *in c. relatum n. 12.* Tiraquel. *de Privil. piæ causæ privil. 2.* Quòd verò ad probationem electionis sepulturæ attinet, illa non nimis exacta requiritur; quia licèt præjudicium Parochialis Ecclesiæ interveniat, id tamen non est valde notabile. Unde electionem sepulturæ probari posse per testes singulares, & unum etiam concurrentibus adminiculis, & quidem per solum Confessarium, cui tanquam interpreti voluntatis defuncti sit fides habenda *arg. l. 1. in fin. & ibi DD. de V. O.* tradi Pasqual. *in Addit. ad Lauret. de Franch. in controv. inter Episc. & Regul. p. 2. q. 64. n. 3. & seqq.* Solum tamen propositum eligendi sepulturam, antequam quis actu eligat, nihil operatur. Lauret. de Franc. *d. q. 64.*

8 Quæritur V. An Religiosi, quibus, vel ob electam sepulturam, vel sepulchrum Majorum jus funerandi cadaver competit, possint propria authoritate illud de domo tollere, & per alienam Parochiam processionaliter ad suam Ecclesiam deferre? Resp. Omnium primò attendendam esse loci consuetudinem, vel specialia pacta cum Parocho inita *arg. c. 1. de Pact. in 6.* Cæterum abstrahendo à speciali consuetudine, pacto vel privilegio, Juri conformius censeo non licere ad tollendum funus alienam Parochiam, sine licentia Parochi ingredi *arg. c. nu. 14. q. 1.* Pro qua sententia etiam Bullam Leonis X. allegat Zypæus *in Annal. jur. Pont. t. de Sepul. n. 5. & seq.* eo ferè modo, quo de Jure Civ. cuilibet quidem competit jus venandi, alienum tamen fundum ingredi à domino prohiberi potest. *§. feræ 12. I. de Rer. divis.* Notandum proinde est, quod Parochi corpora defunctorum in Ecclesiis Religiosorum humanda usque ad Ecclesias præfatas associare possint, & ibi permanere, non tamen cum stola, neque ibidem decantantes aut aliam functionem facientes. Ita ex Declar. Card. & Tamburino docet Petrus de Murga *in q. post p. 3. q. 7. n. 6.*

Quær. VI. An si uxor specialem sepulturam sibi elegerit, & ante Maritum defungatur, debeat Maritus postea sine electione sepulturæ decedens cum illa sepeliri? Pan. quamvis prima fronte id affirmaverit, tamen mox in negativam magis propendere videtur *in c. de uxore 7. h. t. n. 7.* eo quòd Jura tantùm de Uxore loquantur, neque fœmineo vocabulo masculi contineantur, ut ait J. C. *in l. si ita scriptum 45. ff. de Leg.* & uxor quidem virum, non autem Vir Uxorem sequatur. 9

Ego puto non improbabiliter hoc modo distingui posse; ut siquidem Maritus habuerit *sepulchrum majorum*, debeat potiùs exemplo Patriarcharum cum suis patribus tumulari. Sin autem nec specialiter *electam*, nec *sepulturam Majorum* habeat, & matrimonium in concordia transactum sit, existimo satis congruè dici posse maritum potiùs cum uxore, quàm in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, etenim propter individuam vitæ societatem, affectionem, & unionem conjugalem Jus disposuit, ut uxor sepeliretur cum marito; quæ ratio, cum etiam ex parte mariti procedat, idem sanè & circa hunc statuendum erit *c. inter corporalia 2. v. sicut ergo de Transl. Episc.* quæ extensio Juris satis ex præsumpta voluntate Mariti defuncti induci potest, si enim sit uxoris electa sepultura, & non facit contrariam dispositionem, videtur planè ob maritalem affectionem eandem tacitè saltem etiam elegisse, ut *quarum mens una fuit in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separet*, sicut in simili dicitur *in c. unaquaque 3. causa 13. q. 2.*

Quæritur VII. An Prælatus Regularis possit sibi eligere sepulturam? Affirmativa communis est apud Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franch. p. 2. q. 61. n. 3.* atq. à contrario sensu *c. fin. h. t. in 6.* nam ibi decernitur Religiosos non posse sibi eligere sepulturam, qui cum alterius potestati subjecti sint, velle *proprium* non habent: unde cum Prælati circa ea, quæ pertinent ad regimen Conventus, & sui ipsorum, habeant *suum velle*, poterunt eligere. Verùm advertendum esse ait Pasq. *d. l.* quòd hujusmodi electio, sicut quælibet potestas, debeat esse rationabilis, unde nullam fore censet electionem sepulturæ, si eligeret Prælatus in loco, quò deferri non posset sine notabilibus expensis: aut si ex tali electione læderetur honor, & bona opinio Religionis, sicut læderetur, si non appareret specialis prærogativa loci electi, quæ esset præponderans motivum ad relinquendam rationabiliter sepulturam in proprio Monasterio. 10

Quæritur VIII. An Religiosi inferiores possint sibi eligere sepulturam, si extra Monasteria decedant? Etiam hic affirmativa communior, & probabilior est, dummodo Religiosus ita remotè à suo Monasterio decedat, ut ad id commodè deportari non possit: nam in *c. fin. h. t. in 6.* ubi Religiosis interdicitur electio sepulturæ, apertè additur hæc exceptio, *nisi tam remotè à Monasteriis moriantur, commodè ad ipsa deferri nequeant* Pasq. *d. p. 2. q. 60. n. 3.* & plurimi apud eum cc. Facit text. *in c. nimis iniqua 16. de Excess. Prælat.* 11

Quæritur IX. An Novitius, qui sine electione sepulturæ decedit, sepeliendus sit in Monasterio, vel Ecclesia sua Parochiali? Pro Ecclesia Parochiali respondet Pet. de Ubaldis *de Canon. Episc. cap. 34.* Angelus *in V. Sepult. n. 26.* eò quòd Novitii non sint verè Religiosi, seu de corpore Monasterii. Nihilominus dicendum est, Novitios in ipso Monasterio sepeliri debere, quia quoad plerosque effectus (extra votorum obligationem) Religiosis connumerantur; nimirùm quoad Sacramentorum perceptionem, privilegium Canonis *cap. Religioso 21. de Sent. excom. in 6.* & fori, Navar. *Cons. 5. & 6. de Foro comp.* Sed quid si Novitius ante mortem fuisset in proposito redeundi ad sæculum, nunquid, quia tunc ele- 12

gisset

gisset mori in seculo, censendus foret etiam extra Monasterium elegisse sepulturam? Negativa verior est contra Syl. *V. Sepultura quæst.* 8. quia solum propositum non extrahit Novitium à statu novitiorum, sicut nec voluntas mutandi Parochiam subtrahit à Jure Parochi, *arg. l. domicilium* 20. *ff. ad Municipalem, &c.* sed requiritur factum solvens illum contractum, quo Novitius se tradidit experiendum Religioni, & ipse acceptavit Religionem experiendam, Lauret. de Franch. *in Controv. inter Episc. & Regular. p.* 2. *q.* 57.

13 Quær. X. Quid Juris habet Parochus, si Parochianus alibi elegerit sepulturam? Resp. Quod debeatur ipsi portio canonica de iis, quæ alteri Ecclesiæ, ubi sepultura electa est, occasione funeris obveniunt, ut qui Sacramenta administrando onus habuit cum vivente, post mortem ejus etiam de funere aliquod emolumentum participet. Si quis in duobus locis æqualiter habuerit domicilium, & in tertio elegerit sepulturam, portio canonica inter utriusq; domicilii Ecclesias dividenda erit, *c.* 2. *h. t. in* 6. & quidem si de puncto Juris communis præsertim antiqui loquamur, hæc portio aliquando est dimidia, aliquando tertia, & aliquando quarta pars pro cujusvis loci consuetudine, non tantùm de candelis, oblationibus, panno tumbæ, &c. sed etiam de omnibus, quæ vel titulo institutionis, vel legatis defunctus pro anima sua Ecclesiæ electę sepulturæ reliquerit, *c.* 4. *c. cum super* 8. *c. certificari* 9. *c. in nostra* 10. *h. t.* Specialiter tamen excipitur *in c. fin. de Testam.* quod non sit solvenda portio canonica de his, quæ pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum Divinum legantur. Et quamvis *in clem. dudum* 2. *h. t. d. c. fin.* videatur abrogatum, nihilominus Gloss. *in d. clem. in §. verum* & Cov. *in c. Officii de Test. in* 6. censent, eandem Clementinam utpote correctoriam, & strictæ interpretationis non esse ultrà FF. Prædicatores, & Minores, de quibus loquitur, extendendam. Dixi porrò de puncto juris communis hæc ita procedere: nam per Bullas, & Privilegia specialia, item multorum locorum consuetudinem, Monasteria, & Religiosorum Ordines, vel nullam omninò portionem canonicam, vel non nisi de funeralibus propriè dictis, quæ scilicet eodem die cum funere deferuntur, uti sunt candelæ, pannus, oblationes, &c. persolvere tenentur, sicut etiam *d. Clem. dudum*, circa portionem canonicam respectu Prædicatorum per privilegium Sixti, & respectu Minorum per privilegium Pii V. abrogatam esse refert Syl. *V. Portio Canonica in fin.* & Miranda *in Man. Prælat. tom.* 2. *q.* 48. *art.* 8. Vide etiam Tambur. *de Jur. Abb. to.* 1. *disp.* 15. *q.* 17. Molina *de I. & I. tr.* 2. *disp.* 215.

14 Quær. XI. an liceat Religiosis, aut Clericis aliquem inducere, vel persuadere, ut in suis Ecclesiis eligat sepulturam? R. Id sub pœna excommunicationis S. Pontifici reservatæ & restitutionis cadaveris jam sepulti probibitum esse *in c.* 1. *h. t. in* 6. & *Clem. cupientes.* 3. *§. sanè de Pœnis*. Attamen rigor hujus constitutionis ita communiter temperatur, ut procedat in electione irrevocabili, quæ voto, juramento, aut alio pacto *perpetuo* concipitur, non verò in electione mutabili, quæ fit per testamentum, codicillum aut aliam promissionem revocabilem. Item cum textus loquatur de inductione circa proprias Ecclesias, non incurretur censura, si regulares inducant ad eligendam sepulturam in aliena Ecclesia, pœnalia enim sunt strictè interpretanda. Pasqual. ad Lauret. de Franch. *d. p.* 2. *q.* 63. *n.* 2. & *seqq.* Angelus *in V. sepultura n.* 35. Nav. *in Man. c.* 27. *n.* 103.

15 Quær. XII. Quomodo defendi possit consuetudo, quæ undequaque inolevit, quòd pro sepulturis pecunia accipiatur? In *c. cum in Eccl.* 9. *de Simonia* dicitur horribile, quòd pro sepulturis, & exequiis mortuorum aliquid exigatur, &c. Econtrà in *c. ad Apostolicam.* 42. *de Sim.* damnantur Laici, qui id solvere recusant, quod Clerici pro exequiis mortuorum juxta laudabilem consuetudinem petunt. Resp. Non esse pro ipsa sepultura, nec pro loco Deo consecrato, tanquam pro rebus spiritualibus, aliquid temporale peti, sine labe simoniæ, *c. quæstio.* 12. *causa.* 13. *q.* 2. *c. abolenda.* 13. *h. t.* Verùm consuetudine præsertim accedenta non est iniquum, si aliquid petatur I. pro conservatione cæmiterii, vel loci specialis sepulturæ, aut sustentatione cantorum II. propter specialem laborem, ad quem sepeliens, qui Parochus non est, non tenetur: sicut in simili pro electione Missarum stipendium accipi potest. III. pro sustentatione Parochi, qui alias exiguos reditus habet. IV. Cùm decimæ *personales* passim in desuetudinem abierint, & difficile fuerit 16
hominum substantias, dum viverent, perscrutari, ut sciretur quantum quotannis lucrati fuerint, ideò fas est credere, in locum decimarum *personalium* mortuaria successisse, & Parochos contentos fuisse, quod sibi post mortem cujuslibet summatim aliquid vice decimarum personalium exsolveretur. V. Quod honor, & præeminentia specialis sepulturæ (dummodo illa præeminentia sit propter respectum aliquem temporalem; ut quia est in loco sublimiori, & conspicatiori) item obligatio Ecclesiæ, quod nullum alium velit recipere ad locum electæ sepulturæ, quàm eligentis familiam, sit pretio æstimabilis, cum plurimis tam Theologis quàm Canonistis censet Barb. *de Offic. Par. p.* 3. *c.* 26. & *seqq.* Sed admoneo in hac quæstione, nullo modo esse licitum, sed contra Chri- 17
stianæ pietatis officium, & per Ordinarios castigandum, quòd propter exactionem pecuniariam, seu mortuaria non soluta, defunctorum cadavera inhumata relinquantur. *c. ad abolenda.* 13. *h. t. Sacr. Congreg. Episc. quam ex Sylv. refert.* Barb. *in Collect. DD. ad Conc. Trid. sess.* 25 *de. Reform. c.* 13. *n.* 36.

---

§. Unicus.

Quinam sint indigni Sepultura Ecclesiastica.

INdigni censentur, qui non sunt de Ecclesia, videlicet Judæi, & Gentiles, *c. Ecclesiam* 27. *de Conc. dist.* 1. quibus etiam adnumerantur infantes Christianorum, qui ante Baptismum decesserunt. Si tamen infans ab obstetrice, vel cum materia, aut forma dubia, aut etiam, dum de ejus vita dubium erat, baptizatus sit, sepultura Ecclesiastica privari non debet; item si in utero matris maneat, unà cum matre illa sepeliendus est, quia pars matris esse censetur, *l.* 1. *§. ex h. ff. de Vent. inspic.* si verò propter spem vitæ à præmortua matre exsectus fuerit (quod fieri debet, quando vita infantis servanda) nec tamen speratur, quòd vivus baptismum attigerit, extra locum consecratum humabitur.

II. Indigni sunt hæretici, atque omnes, qui ipsis in 18
puncto hæresis (non in aliis negotiis) favorem, auxilium, aut receptaculum præbent *c.* 2. *de Hæret. in* 6. Sed quia nonnunquam contingit, quòd familia alicujus potentis hæretici cum comminatione gravium malorum desideret sepulturam Ecclesiasticam hæretici defuncti, ideò quæritur, an ad evitandum grave malum possit Parochus dictam sepulturam concedere? Difficultatem facit *c. sacris* 5. *De his, quæ vi metusvè causa &c.* ubi S. Pontifex dicit, quod propter metum nullatenus liceat communicare cum excommunicato *quamvis enim*, inquit, *metus attenuet culpam, eam tamen non prorsus excludit cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, &c.* Ex quo textu nonnulli concludunt, quòd metus non tantùm non excuset à transgressione legis divinæ, aut naturalis, sed nec etiam à transgressione legis humanæ, siquidem prohibitio communicationis cum excommunicato (de qua *in d. c. sacris:* mentio fit) tantùm Jure humano Pontificio statuta sit; sicut etiam videtur nullatenus posse licere, ut propter metum liceat contrahere cum consanguinea intra 2. vel 4. gradum, licet id impedimentum tantùm Juris positivi sit, neque debeat existimari insolitum, quòd lex humana atiam cum periculo mortis obliget, quemadmodum in legibus militaribus quotidianum est. Verùm ego puto distinguendum, an sepultura hæretici, vel quævis alia transgressio legis Pontificiæ petatur in contemptum Ecclesiæ, vel ex alia causa v. g. ad splendorem familiæ conservandum; &c. Priori casu locum habebit text. *de c. sacris.* nam cooperari ad contemptum Ecclesiæ, non est tantùm lege humana, sed utique etiam divina prohibitum juxta illud *Matt.*

18. *Qui*

18. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Posteriori autem casu communior est sententia, quòd gravis metus excuset à transgressione legis humanæ, quia non est verisimile legislatorem voluisse obligare in casu tam extraordinario *l. nam. ad ea 5. ff. de LL.*. & cum magno alterius damno. Unda qui justo metu adactus contraxerit cum consanguinea, non peccabit per contractum, peccabit autem per copulam, cum enim tale matrimonium propter impedimentum consanguinitatis (quod metus tollere non potest, sed tantùm excusare à peccato) sit nullum, copula consequens non tantum lege humana, sed & divina prohibita erit. Verum quidem est, quòd dux belli possit imperare militibus, eosque etiam ad periculum vitæ obligare, sed id exigit salus publica, & natura belli, atque ibi apertè constat de imperantis voluntate, & milites tam periculosarum legum non ignari, nihilominus se ultroneè Ducis potestati subdiderunt. Syl. V. *Metus n. 7.* Azor. *inst. Mor. lib. 1. c. 11. q. 1.* Quòd si igitur contingat cum tam periculosis minis peti sepulturam Ecclesiasticam non in contemptum Ecclesiæ, sed pro honore familiæ, ut præmissum, Parochus non tenebitur cum gravi suo damno resistere, cessante tamen periculo tale cadaver, si ab aliis dignosci possit, iterum exhumari debet, ut clarè constitutum est, *in c. sacris 12. h. t.*

19 III. Indigni sunt in excommunicatione, aut interdicto degentes, si ante mortem saltem à simplici Sacerdote absoluti non sunt: quibus enim non communicamus vivis, etiam non communicare defunctis debemus, *d. c. sacris, & c. fin. h. t. c. is, cui 10. de Sent. excom. in 6.* si tamen ante mortem signa pænitentiæ dederint, etiam post mortem absolvuntur, & sepulturæ Ecclesiasticæ mandantur, *c. à nobis 28. de sent. excom. & d. c. is cui*. Cùm autem hodie per Extrav. Martini V. *Ad evitanda scandala, &c.* nullus excommunicatus necessariò vitandus sit, nisi fuerit per ordinarium tanquam excommunicatus *denunciatus*, vel sit notorius *percussor Clerici*, ideò controvertunt DD. utrum hodiè excommunicati, qui vitandi non sunt, sepultura Ecclesiastica gaudeant? Affirmativam sustinent Nav. *de Sepult. Cons. 4.* & Paul. Laym. *in Theol. mor. lib. 5. tr. 5. c. 5. n. 8. circa finem*, & plures apud eum citati, ex eo, quòd circa tales excommunicatos deficiat ratio *in d. c. Sacris*, assignata. Nihilominus probabilius judico, si de excommunicatione constet publicè, non esse dandam Ecclesiasticam sepulturam, quia *d. Extrav.* non vult adjuvare excommunicatos, sed tantùm fideles innocentes, ne facilè aliquam censuram incurrant. Cov. *in Relect. c. Alma Mater de Sent. excom. in 6. p. 1. §. 2. n. 11.* Zoes. *ad hunc t. n. 9.* Notanter dico: si excommunicatio sit *publica*; nam si sit occulta, & fortè soli Parocho cognita, non erit sepultura Ecclesiastica deneganda, quia privata scientia uti quidem licet quandoque in privato, non autem ad condemnationem in publico.

Quòd si quis notoriè excommunicatus de facto in loco consecrato sepultus esset fortè posset tolerari propter authoritatem DD. qui primam sententiam docent, multa namque prohibentur, quæ tamen facta sustinentur. *c. ad Apostolicam 16. de. Regular.* maximè quando irritatio facti multa incommoda secum trahit, ut in nostro proposito exhumationem cadaveris, pollutionem, & necessitatem reconciliandi Ecclesiam, vel cæmiterium, præjudicium Parochianorum, qui interim propter pollutam Ecclesiam Sacrificiis, & sepultura carere debent; sicut in simili Cov. *in Relect. Clem. si furiosus de Homic. in pr. n. 9.* circa irregularitatem expositi, cujus parentes ignorantur, censet ob diversas opiniones expositum ad ordines non facilè admittendum, admissum tamen tolerandum.

20 IV. Sepultura Ecclesiastica privantur omnes in notorio peccato mortali decedentes, uti sunt in ipso crimine furti, vel adulterii, &c. interempti *c. fures 31. causa 13. q. 2.* Item sibi mortem inferentes ex desperatione, vel iracundia *c. placuit 12. causa 23. q. 5.* secus est, si ex fatuitate, vel si inflicto sibimet vulnere lethali ante mortem pœnituerint. Imo in dubio non debet statim præsumi, quòd peccaminosè sibi ipsi mortem aliquis intulerit, nisi ex aliis conjecturis appareat. Nav. *h. t. Cons. 7.* Cov. *Var. Res. l. 2. c. 5. n. 11.* Interim tamen quia communi hominum existimatione creditur ex desperatione, & in malo statu decessisse, qui v. g. in cubiculo suspensus, aut in puteum præcipitatus repetitur, ideò si ex adverso aliquæ conjecturæ adsint pro ipso defuncto, quòd ex corrutione mentis, aut ab aliis suspensus sit, vel quòd casu in puteum deciderit, &c. ad evitandam qualem qualem hominum offensionem fortè non inconsultum fiet, si tale cadaver de noctu sine consuetis solemnitatibus, in loco consecrato sepeliatur. Cæterùm subitanea morte extincti, etiamsi constet, quòd in vita sæpiùs peccaverint, nihilominus saltem privatim pœnituisse censebuntur Tex. & Pan. *in c. ex parte 11. h. t.*

V. Ecclesiastica sepultura non gaudent, qui omiserunt Paschalem communionem, nisi ante mortem pœnituerint, *c. omnis utriusque 12. de Pæn. & remiss.* An autem hac pœna affici possit, qui quidem tempore Paschali omisit communionem, sed intra annum semel, aut sæpiùs eam peregit? Non putarem, cum enim privatio sepulturæ sit pœna valde gravis, & infamis, videtur benigniori interpretatione temperanda *L. pæn. ff. de Pæn. c. odia de R. I. in 6.* ut in *d. c. 12.* statuta referatur ad omnia verba præcedentia, si nimirum aliquis nec *semel saltem* in anno confessus fuerit, nec communionem *ad minus* in Pascha susceperit, quæ non verificantur de eo, qui extra tempus Pascale semel, aut sæpiùs confessus est. Accedit, quòd committentem contra *d. c. 12.* ideò DD. tam graviter puniri existiment quòd se suspectum de hæresi reddat, quasi minus curans *Pænitentiæ* Sacramentum Barb. *in d. c. 12. n. 11.* id verò rationabiliter dici non possit de eo, qui intra annum hoc Sacramentum ritè suscepit.

VI. Usurarii manifesti mortui antequam restituerint, vel de restituendo inculcarint. *c. 2. Usuris in 6.* Sed cum materia usurarum sit altioris indaginis, & multi contractus ab usura excusari possint, ideò non erit facilè concedendum Parocho, ut propria authoritate sine prævio Judicio Ecclesiastico tam gravem pœnam exequatur.

VII. Religiosi proprietarii, *c. 2. cùm ad Monasterium de statu Mon.*

VIII. Qui in Torneamentis non causa recreationis, & honestæ armorum exercitationis, sed cum periculo vitæ institutis decedunt, *c. 1. de Torneam*.

IX. Demum excluduntur à sepultura Ecclesiastica, 21 qui in duello etiam privato, sine patrinis, & sociis, cum ordinario tamen periculo vitæ, ex condicto, statuto tempore, & in loco convento instituto, occumbunt, Trid. *S. 25. de Ref. c. 19. juncta Bulla Greg. XIII. Ad tollendum, & Clem. VIII. Illius &c.* Quòd si tamen aliquis in duello quidem lethaliter vulneretur, sed extra illud receptis Sacramentis, vel saltem datis pænitentiæ signis moriatur, mihi videtur benignius, non esse privandum sepultura Ecclesiast. quidquid alii contradicant: quia Conc. tantùm loquitur de occumbentibus in duello, nec ex Bullis aliis evincitur: proinda locus est receptæ doctrinæ, quòd pœnæ potiùs interpretatione leniendæ, quàm exasperandæ, nec ad casus etiam planè similes extendendæ sint.

Præterea pœnæ duellantium non habent locum in illis, qui dum sese invicem in platea offendunt, statim ibidem dimicant; quia cùm termini pænales sint strictè accipiendi, talis dimicatio non est propriè duellum, quod fit ex condicto, & statuto tempore, sed potiùs repentina aggressio, & defensio. Item volunt nonnulli, calore iracundiæ excusari à pœnis duelli, qui in continenti accederent ad locum aliquem, ibiq; dimicarent. Vid. cc. apud Bar. *in coll. DD. ad conf. Tr. se. 25. de Ref. c. 19. n. 13. & seq.*

Sed quid si miles in exercitu, vir equestris in Aula 22 Regia, officio, dignitate Ducis, aut Principis favore ob ignaviæ suspicionem excidere debeat nisi identidem provocanti se sistat. Item si ad pugnandum lacessens alterum, crebra convitia, & contumelias adiiciat, qua iste molestia se liberando, & subeundo dedecora aliter liberare non possit, nisi armis congrediatur, nunquid si talis provocatus in duello occumbat, sepultura Ecclesiastica privari debebit? In similibus circumstantiis acceptantem duellum oblatum non animo occidendi provocantem, sed gratia meræ defensionis, saltem in foro interno excusari putant Lucas Florenos *de duel. 6. §. 2.* Filiuc. *to. 1. tr. 15. c. 5. n. 107. & 123.* Lay. *in Theol. mor. lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. nu. 3.* Nav. *c. 15. n. 3. & 4.* Pro eadem sententia speculativè plures rationes faciunt, quas adducit Lessius *de J. & J. lib. 2. c. 9. dubio 12. nu. 83.* Praticè tamen contrarium tenendum videtur propter malas consequentias, & quod ple-

tum-

rumque aliud medium sit conservandi honorem, v. g. dicendo ad provocantem, se paratum fore si per Ecclesiam liceret, vel provocantem experturum, quo cum negotium habeat, si palam, & non proditoriè aggressus fuerit, &c. Lessius *d. l. n.* 84. Peregrin. *de duello q.* 24.

23 Sed quidquid sit de hac difficultate, an excusetur qui merè defensivè duellum honoris causa suscipit, quæ non est de præsenti instituto latiùs examinanda, interim tametsi supponerem sententiam affirmativam, dicerem tamen occumbentem in tali duello non esse Ecclesiasticè sepeliendum, id quod evincere videtur Bulla Clem. VIII. *illius vices, &c. §.* 5. ubi apertè statuitur pœnas duellantium procedere, si unus miles cum altero etiam ex hostili castro, etiam ducum permissu, privata tamen de causa duellum ineat: quale duellum profectò miles sine ingenti apud totum exercitum diffamatione, & contemptu otique detrectare non potest. Ratio autem fundamentalis est, quòd ad execrationem, & extirpationem alicujus gravis criminis (in genere talis) aut abusus multa fiant sine culpa vera, quæ non fiunt sine causa, aut culpa præsumpta; & sæpe numero aliquis ex præsumptione mali damnetur, qui tamen revera est innocens: ita electus per simoniam alterius etiam ignoranter, dignitate privatur, *c. nobis fuit* 27. *de Simonia*, ita filii hæreticorum, item filii eorum qui crimen læsæ Majestatis perpetrarunt, graviter puniuntur, per privationem bonorum, successionum, dignitatum, &c. ut ipsis *mors sit solatium, & vita supplicium*, quamvis ex sua persona nihil commiserint. *c. vergentis* 10. *de Heret. l. quis quis C. Ad. L. Jur. Majest.* ita multorum locorum sunt statuta, ut cum armis deprehensus in carcerem impingatur, imò nonnumquam illicò suspendatur, nulla admissa excusatione, quòd fortassis ad defensionem contra hostem arma gestaverit.

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

§. I.

De Parochiis.

SUMMARIA.

1 *Quid sit Parochia, & Parœcia.*
2 *Ut ab Episcopis fiat certa Parochiarum designatio Concil. Trident. mandat.*
3 *Quando, & qualiter nova parochia erigenda.*
4 *Licitum est locorum Ordinariis ob causas rationabiles duas parochias in unam conjungere.*
5 *Quæ sint jura parochialia.*
6 *Si constat Ecclesiam esse parochialem, fundatam habet intentionem in jure.*
7 *Ad probandam parochiam quatuor conjunctim requiruntur.*
8 *Parochiæ Monasteriis incorporatæ, licet per Vicarios provideantur, retinent tamen omnia jura parochialia.*
9 *Non est idem beneficium curatum, & Ecclesia parochialis.*
10 *Quædam beneficia sunt actu curata, quædam tantùm habitu.*

1 Parochia dicitur locus, in quo degit populus alicui Ecclesiæ (quæ propterea parochialis vocatur) deputatus, certis finibus limitatus. Tusc. 1. *p. Concl.* 94. *n.* 1. onde, & frequenter in jure parochia Parœcia appellatur, quod græce idem sonat, ac Conventus, seu habitatio accolarum.

Pertinet autem ad Episcopi officium Parochiarum fines, & populum designare *c. nullus omninò* 11. *causa* 16. *q.* 7. Trid. *sess.* 24. *de Ref. c.* 13. ubi mandat, ut in iis Civitatibus, & locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, sed promiscuè petentibus Sacramenta administrantur, Episcopi pro tutiori animarum salute, distincto populo in certas propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum, & proprium Parochum assignent, à quo solo licitè Sacramenta percipiantur &c.

Olim quidem constitutum erat *in c. n.* 10. 3. *causa* 10. *q.* 3 3. ut non minùs quàm decem municipia sive domus, & familiæ Ecclesiæ parochiali assignarentur: sed rectiùs arbitrio Episcopi relinquitur, qui providere debet de tanto, & tali parochiæ districtu, ut populus ad divina commodè convenire, & Parochus ex decimis, & oblationibus congruè ali possit.

Quòd si parochianorum numerus in tantum excrescat, vel locorum distantia faciat, quominùs præsertim tempore hyemali populus ad unam Ecclesiam commodè conveniat, vel ægrotantibus Sacramenta deportentur, poterunt Episcopi novas parochias etiam invitis prioribus rectoribus erigere, & pro sustentatione novorum parochorum competentem portionem ex reditibus matricis, sive antiquioris Ecclesiæ assignare, aut si necesse fuerit, populum ad alimenta (quæ ex priori Ecclesia satis haberi nequeunt) novis parochis præstanda compellere, Trident. *sess.* 21. *de Ref. c.* 4.

Circa quam constitutionem Trid. desumptam ex *c.* 3. *x. de Eccles. adif.*

Not. I. quòd Ecclesia matrix in nova parochia ex suo quasi gremio erecta acquirat jus patronatus, ejusque rector sive parochus possit præsentare Sacerdotem ad istam novam Ecclesiam, *d. c.* 3. *de Eccles. adif.* si tamen partem suorum redituum contribuerit. Garc. *de benef. p.* 5. *cap.* 9. *num.* 57.

Not. II. decimas ad Ecclesiam matricem pertinentes non transire ipso jure ad Ecclesiam novam, sed in arbitrio Episcopi esse, an decimas, vel alios fructus eidem assignare velit, Barb. *in Collect. ad d. c.* 4. *Trid. n.* 16.

Not. III. quod Episcopus citare, & audire debeat antiquæ Ecclesiæ rectorem, & patronum, si forte justam causam habeant contradicendi; & si fortè parochia sit incorporata, ejus defensio non ad vicarium curam exercentem, sed ad Prælatum loci, cui parochia incorporata est, pertinebit. Barb. *d. l. n.* 11. *&* 14.

Not. IV. quòd ad evitationem novæ parochiæ erigendæ numerositati populi, vel distantiæ locorum provideri possit per erectionem novæ capellæ (quæ, & filialis dici solet) quæ sit in potestate, & proprietate parochialis antiquæ, & in qua parochus, vel Prælatus habens Ecclesiam incorporatam exponat Sacerdotem principalis Ecclesiæ coadjutorem, sive vicarium, Rota apud Tamb. *post tom.* 3. *de jure Abbat. dec.* 32. *n.* 6. Barb. *de offic. Episc. alleg.* 68. *num.* 7.

Ex adverso si aliqua parochia ad tantam paupertatem deveniat, ut ex ejus reditibus sarta tecta conservari aut 4 Parochus ali nequeat, nec per unionem aliorum beneficiorum simplicium ei provideri possit, licet locorum ordinariis ex duabus parochiis unam facere. Trid. *d. sess.* 21. *c.* 5.

Porro ad Ecclesias parochiales pertinet jurisdictionem in foro pœnitentiali exercere, Sacramenta admini- 5 strare, matrimonia solemnizare, Eucharistiam asservare, fontem baptismalem, cœmiterium, & jus sepeliendi defunctos habere, ut demùm ejus Rectori jus sit decimas oblationesque percipere, teste Innoc. & Pan. *ad rubric. hujus Tit.* Licèt verò ex singulis his narratis juribus non præcisè probetur, nec ex eorum defectu semper reprobetur Ecclesia esse parochialis, cum similia possint etiam aliis Ecclesiis ex privilegio, vel consuetudine, aut præscriptione competere, quando tamen constat Ecclesiam esse parochialem, tunc quoad omnia ista jura habet fundatam intentionem, ut si desuper cum alia Ecclesiæ parochiali, sed alteri onus probandi incumbat.

Attamen de hoc ipso nonnunquam disceptatur, qui- 6 bus argumentis Ecclesia propriè parochialis esse convincatur: Quatuor requisita conjunctim justificanda esse ad probandam parochiam ex dictis aliorum DD. & Rotæ Dec. colligit Barb. *de parocho p.* 1. *c.* 1. *n.* 37. *Primum* est, inquit, potestas fori pœnitentialis. *Secundum* locus certis finibus limitatus, in quo populo alicui Ecclesiæ deputatus degit. *Tertium*, ut Parochus curam exerceat nomine proprio. *Quartum*, ut sacerdos tanquam rector singulariter, & non cum aliis ad regimen parochialis Ecclesiæ admittatur.

Verùm circa hæc duo ultima requisita advertendum

dum est quòd ea non Ecclesiam, sed personam respiciant
7 id est probanda sint ad eum solummodo effectum, si quis contendat se esse verum, & proprium parochum loci. De cætero ipsa Ecclesia ex primis duobus requisitis satis probatur esse parochialis, frequens enim est, quòd Parochiæ soleant Monasteriis, Capitulis, Collegiis, aliisque beneficiis uniri, & incorporari, in quibus Sacerdos curam non proprio sed vicario nomine, nec solus sed cum aliis exercet. Interim ipsa Ecclesia retinet omnia parochialia jura, & si desuper sive Vicario, populo, Episcopo, vel Extraneis lis moveatur, Monasterium, vel Capitulum, cui incorporata est, fundatam intentionem habebit. Rota apud Tambur. *de Jure Abbat. tom.3. dec.* 102.

8 Demùm advertendum est, non semper esse idem beneficium curatum, & Ecclesiam parochialem. Nam Ecclesia sive beneficium curatum generalius quid est, continens sub se plures species; & quamvis Parochia, sine cura non sit, potest tamen cura sine parochia esse, ut in Ecclesiis, quæ Filiales appellantur, in locis noviter ad fidem cõversis, vel ad habitandum accommodatis, in quibus necdum limites parochiales per Episcopum assignati sunt.

9 Alia quoque beneficia sunt curata non parochialia, quæ curam tantùm fori externi habent, sive potestatem, & jurisdictionem visitandi, excommunicandi, absolvendi, corrigendi, judicandi, &c. Et hæc cura largè, & impropriè cura dicitur teste Barb. *de Paroch. p.1. c.1. n.* 47. Cura autem propriè accepta est cura fori pœnitentialis, & Sacramentorum administratio. Interim quoad incompatibilitatem, & residentiæ obligationem non est inter utriusque curæ beneficia diversitas, Trid. *sess.6. c.1. sess.7. c.4. sess.23. c.1. de Ref.*

10 Sed, & beneficia curata, quædam sunt actu curata, in quibus de facto exercetur cura, quædam autem habitu tantùm curata, quibus nimirum ex prima institutione cura annexa fuit, sed ea postea per unionem, privilegium, consuetudinem, aliumve casum sublata fuit: & hæc beneficia habitu solum curata ad instar simplicium beneficiorum habentur, nec cadunt sub dispositionem Juris de curatis beneficiis loquentem, v.g. quoad incompatibilitatem, residentiam &c. Barb. *d. l. n.*50.

---

§. II.

De Parochis, eorumque requisitis, Officio, & Potestate.

S U M M A R I A.

11 *Parochus, & Plebanus quomodo differant.*
12 *Parochus unus in qualibet Parochia esse debet.*
13 *Requisita Parochi, ætatis maturitas, morumgravitas, & debita scientia.*
14 *Parochus ab initio non necessariò debet esse sacerdos, sed sufficit quod sit 25. annorum inchoatorum, & in minoribus constitutus.*
15 *Intra annum tamen debet suscipere sacerdotium, nisi Ecclesia sit Collegiata.*
16 *Morumgravitas, & bonum exemplum maximè in Parocho commendatur, & requiritur.*
17 *Qualis ejus debeat esse scientia?*
18 *In quibus consistat officium Parochi.*
19 *Qualiter Missæ sacrificium pro suis ovibus Parochi offerre teneantur.*
20 *Quatenus teneantur ad residentiam personalem.*
21 *Parochus habet tantùm Jurisdictionem in foro pœnitentiali, & Sacramentali, quam tamen etiam extra territorium privatim exercere potest.*

11 PArochum esse, qui parochiæ præest, constat. Et vocatur nonnunquam etiam Rector Ecclesiæ, scilicet parochialis, aut plebanus: quamvis propriè plebanus sit, qui plebaniam habet, id est, Ecclesiam sub se plures Ecclesias, vel capellas habentem. Text. & Gloss. *in c.1. ne Cler. vel Mon. in 6.* Barb. *I. E. V. l.1. c.18. num.* 5.

12 Possunt quidem, imò de Jure deberent in una parochia esse plures Clerici. *cap.3. de Vit. & hon. Cler.* (quamquam id de consuetudine non servetur, nec ob exilitatem redituum plerumque servari possit) unus tamen tantùm in una Ecclesia potest esse parochus: non plures: sicut nec vicissim unus in pluribus parochiis esse potest. *c. cùm non ignores* 15. *de Præbend.*

13 Porrò, cùm ars artium sit regimen animarum, *c. cùm sit de Æt. & qual.* nemo debet id suscipere, & in parochum constitui, qui idoneus non sit. Dicuntur autem idonei, in quibus 3. concurrunt requisita, nimirùm ætatis maturitas, morum gravitas, & debita scientia, *c. cùm in cunctis 7. §. inferiora de Elect.*

14 Quòd attinet ad ætatem, in parocho requisitam, ea est 25. annorum inchoatorum *d. c. inferiora*, & *c. licet Canon.* 14. *eod. in 6.* Neque tamen Parochus statim initio, quando sibi confertur parochia, sacerdos esse tenetur, dummodò sit Clericus saltem in minoribus constitutus, c.2. *de Instit. in 6, c. si pro Clericis. de Præb. in 6.* Nec obstat textus *in c. præterea* 5. *de Æt. & qual.* cum Gl. *ib.* ubi dicitur, quòd non debet ad regimen Ecclesiæ Parochialis aliquis, *nisi Subdiaconus sit ad minus*, admitti. Nam statim subditur; *dispensativè tamen in minoribus ordinibus constitutos consueverunt assumi*. Per quæ verba declaratur illud procedere de rigore Juris antiqui, & saltem de consuetudine, quæ tacitam dispensationem inducit, istud non servari. Imò Jus illud antiquum, & strictum per *d. c.2.* & *c. si pro Clericis*. indifferenter correctum esse docent Arch. Joan. Andr. & alii teste Glossa *in d. c. si pro Clericis*.

15 Porro talis Clericus in minoribus, vel sacris constitutus intra annum à die adeptæ possessionis suæ parochiæ numerandum in sacerdotem promoveri debet, aliàs, si intra hunc terminum, cessante legitimo impedimento, promotus non fuerit, elapso anno ipso Jure privatus erit *d. licet Canon.* & *c. commissa de Elect. in 6.* exceptis tamen Ecclesiis Collegiatis, etiamsi aliàs Parochiales sint, & iis, qui ad earum regimen assumuntur: in his enim non habere locum hanc constitutionem, ut quis elapso anno ipso Jure sit privatus, sed requiri, ut juxta antiquiores Canones monitio Episcopi præcedat, & si monitus aliquis non ordinatus fuerit, tum demum per sententiam privari possit, declaratum est in *c. statutum de Elect. in 6.*

16 Circa morum gravitatem recolantur tradita in *Tit. de Vit. honest. Cleric.* & quæ monet Concil. Trid. *sess.* 22. *de Ref.* c.1. Optimè S. Greg. *l.34. Mor.* c.30. ait: *Non debet hominum ductum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire, ne qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quod resecare debuit, ipse committat.* Certè quæ de Clericis generaliter statuta sunt circa bonos mores à SS. Canonibus multò magis in Parochis, qui aliis bono exemplo, non minùs, quàm verbo præesse debent, obtinenere censenda sunt.

17 Circa scientiam in Parocho requisitam optandum quidem foret, ut nonnisi optimè instructi in S. Theologia, & SS. Canonibus assumerentur; quia verò id in majoribus præsertim Parochiis haud facilè haberi potest, ideo saltem in Parocho desideratur, ut sciat ea, quæ plebi sunt ad salutem necessaria, nempe ut sciat articulos fidei, & Decalogum, eaque aliis explicare possit, & insuper sufficienter sciat ea, quæ pertinent ad Sacramentorum administrationem. Sotus 4 *dist.* 25. *arg.4. conc.3.*

18 Officium, & potestatem Parochi constare in cura animarum, & administratione omnium Sacramentorum (Confirmatione, & Ordine exceptis, quæ muneris Episcopalis sunt) constat. Quò pertinet etiam prædicatio Divini Verbi, & catechizatio puerorum, ac rudium, quæ in Conc. Trid. *sess.24. de Ref. c.4. specialiter* eis commendatur. Item celebratio Missarum, maximè festivis, aut aliis ex fundatione præscriptis diebus. Ubi iterum in d. Conc. *sess.* 23. *c.1. in pr.* insinuatur, quòd Parochi ex præcepto Divino (imò, & naturali ratione) teneantur pro suis ovibus Sacrificium Missæ offerre.

19 Quòd tamen non eo sensu accipiendum est, quòd semper totum sacrificium principaliter pro subditis offerendum sit, & nunquam possit Parochus secundùm aliam intentionem celebrare: sed sufficiet, si secundario suarum ovium meminerit, & quandoque arbitrio boni viri principalem intentionem pro eis faciat. Barb. *de Offic. Par. p.1. c.11. n.*10.

20 Ad prædictas autem functiones peragendas necessariam esse residentiam in parochia, manifestum est.

Quæ

Quæ parochis multò strictiùs, quàm Canonicis, & aliis beneficiatis imponitur præsertim à Conc. Trid. *sess. 23. de Ref. c. 1.* ubi cavetur, ut præter justam causam etiam licentia Episcopi in scriptis obtenta requiratur, quæ sine gravi causa ultra duos menses extendi non potest. Unde, & licentia, ut causa studii Parochus abesse possit olim *in c. cùm ex eo. de Elect. in 6.* ad septennium protensa, correcta hodie per idem Concilii Decretum censetur teste Barb. *ibid. n. 55.* Vid. tradita sup. *Tit. 4. de Cler. non resid.*

21 Jurisdictionem in foro externo Parochus non habet, sed tantum in pœnitentiali: unde nec pœnas, & mulctas externas infligere, nec censuras inferre, aut in foro externo ab iis absolvere, nec causas audire, & lites decidere potest: sed si quæ hujusmodi incidunt, ad Judicem Ecclesiasticum, seu Consistorium Episcopale referre debet. Potest autem non tantùm validè, sed licitè quoque potestatem, & jurisdictionem suam non solum in parochia, verùm etiam extra parochiam exercere, irrequisito licet Parocho loci dummodò privatim id fiat, confessiones v. g. excipiendo, aut alia Sacramenta administrando sibi subditis parochianis. Publicè autem, & cum stola Ecclesiam, vel Confessionale ingrediendo sine licentia Parochi illius loci id facere non liceret, ne alienam Jurisdictionem videatur turbare: sicut nec Episcopus sine alterius Episcopi licentia in aliena diœcesi, vel loco exempto jurisdictionem, & Pontificalia exercere potest *c. cùm Episcopus de Offic. ord. in 6. Clem. 1. de foro comp.* Plura de Parochis, eorumque obligatione, & officio eorumque juribus, ex instituto tradita sunt *in manuali Parochorum*.

---

§. III.

De propriis, & alienis Parochianis.

S U M M A R I A.

22 *Quinam dicantur Parochiani proprii, vel alieni.*
23 *Quommodo in duobus locis quis possit habere domicilium & esse Parochianus.*
24 *Etiam quasi domicilium alicubi habens habetur pro parochiano.*
25 *Parochiani tenentur Sacramenta suscipere à proprio Parocho, & quid de consuetudine?*
26 *Missam audire in diebus etiam festivis alibi possunt si non adsit contemptus.*
27 *Si maior pars à Parochia abesse velit, parochus non debet tolerare.*
28 *Parochiani pro certa persona in Parochum assumenda, vel contra eam supplicare possunt.*

22 PArochiani dicuntur, qui intra limites Parochiæ alicujus stabiliter habitant, & domicilium posuerunt, sive Clerici sint, sive Laici; dicunturque proprii respectu ejus Parochi, in cujus parochia degunt eique subsunt; respectu alterius, in cujus parochia domicilium non habent, alieni. Nec solùm respectu Parochi, sed etiam Episcopi parochiani vocantur: quia diœceses etiam nomine parochiarum nonnunquam appellantur, ut constat *ex c. pen. & ult. h. t.*

23 Quommodò domicilium constituatur, animo scilicet, & facto, *L. domicilium* cum Gl. *ibid. ff. ad Municipal.* jam diximus in *Lib. I. Decret. Tit. XI. §. 3. de Temp. ordin.* Potest autem quis habere domicilium in 2. locis, & parochiis, & sic utriusque parochi proprius Parochianus esse. Quod tamen non statim contingit, si in 2. locis aliquis domos, vel hortos habeat, vel ad villam in alia parochia sitam, sive causa recreationis, sive ad exercenda ruralia venire soleat, *c. is qui 3. de Sepult. in 6.* sed tum demum, si utrobique ita instructus sit, ut in ambobus locis se collocasse censeatur juxta text. *in l. assumptio 6. §. 2. ff. Ad Municipal.* ita erit, si quis in uno loco per æstatem, in altero per hyemen habitare soleat: nam ad domicilium non requiritur, ut quis perpetuò ibi maneat, dummodo non recedat, nisi cum intentione redeundi. Ibi enim unusquisque domicilium habet, *unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet: unde cùm profectus est, peregrinari videtur, quod si redit, peregrinari jam destitit* ut loquitur Imperat. *in L. cives 7. de Incolis.*

Sed quid si aliquis longò tempore in aliqua parochia, 24
in qua domicilium non habet, fortè propter studia, & negotia commorari debeat, aut velit, an non etiam iste pro parochiano habendus erit? *Resp.* Affirmativè nam etiam per quasi domicilium quis redditur parochianus, præsertim in ordine ad suscipienda Sacramenta (excepto Sacramento ordinis) à Parocho, & Prælato loci teste Gl. *in Clem. 1. de Privil.* Panor. *in c. cùm contingat. n. 29. de For. comp.* Laym. *Theol. mor. l. 5. tr. 6. c. 10. n. 5.* Hinc studiosus v. g. Salisburgi existens parochiam suam hic habere censetur: licet si discedat in patriam, etsi reversurus ad studia, etiam ibi propriam parochiam habeat, teste Laym. *l. cit.*

Igitur sicut Parochus parochianis suis tenetur ad Sa- 25
cramenta ministranda: ita ipsi vicissim tenentur in parochia sua Sacramenta Eucharistiæ, & Pœnitentiæ frequentare, Missam audire, coram eò, si velint, matrimonium celebrare. Imò in *Clem. 1. de Priv.* sub excommunicatione reservata prohibetur Regularibus, etiam exemptis, ne sine speciali licentia parochorum Extremam Unctionem, vel Eucharistiam alienis parochianis administrent, aut matrimonium assistant. Verùm tam per privilegia Mendicantium, quàm per consuetudinem ab hoc Juris rigore recessum: nam extra tempus Paschale passim, non solùm Sacramentum Pœnitentiæ, sed etiam Eucharistiæ, sive apud Regulares, sive in aliis Ecclesiis frequentari permittitur, scientibus, & non contradicentibus Parochis, qui propterea tacitè consentire censentur. De quibus plura Casistæ.

Quod attinet ad auditionem Missæ, licet *in cap. 2. h. t.* 26
statuatur, parochum alienos parochianos, qui propria parochia contempta suam volunt audire Missam, ab Ecclesia sua abjicere debere. item in *Extrav. Vices de Tregu. & pace.* Religiosis Mendicantibus sub excommunicatione inhibeatur, ne prædicent populum non teneri audire Missam diebus festis in propria Parochiali Ecclesia, nisi fortè justam causam se absentandi habeat &c. Nihilominus de consuetudine, si desit contemptus, etsi justa causa fortè non adsit, alibi sine peccato Parochiani Missam audire possunt, præsertim post declarationem Leonis X. PP. quàm refert Barb. *de Offic. Par. p. 1. c. 11. n. 13.* qua declaravit, omnes fideles, qui apud Mendicantes, dummodò non contempto proprio Parocho Missas audiunt, præcepto Ecclesiastico satisfacere, nec peccatum, vel pœnam propterea incurrere. Quod idem innuitur in Concil. Trid. *sess. 24. c. 4. de Ref.* ubi Parochianos tantùm monendos dicit, ut in propria Parochia Divina officia frequentent. Igitur, si contemptus desit, excusantur. Nec verò iste contemptus, etiam ex repetitis absentiis præsumitur: cùm alia delicta non præsumantur.

Interim ex cit. authoritatibus Juris rectè adhuc infer- 27
ri potest, si fere omnes aut etiam major pars Parochianorum alibi, quàm in Parochia sua Missam audire vellet, id à Parocho tolerari non debere.

Quæres. An Parochiani possint certam personam pro 28
Parocho petere, aut oblatum ab ordinario collatore recusare. *Resp.* Quoad primum nullum jus competere parochianis nominandi, vel eligendi sibi Parochum: si tamen pro certa persona supplicent, eaque cæteris paribus sit æquè idonea meliùs facturum Ordinarium, si eum assumat, quàm alium invitis parochianis obtrudat: eò quòd hoc ipso, si alia requisita concurrant, ille qui parochianis est gratior, magis idoneus videatur, tanquam majori cum fructu profuturus, *arg. c. quod DEI timorem 5. de Statu Monach.* ubi Panorm. *n. 1.* Ad 2. dicendum, non esse in arbitrio Parochianorum oblatum Parochum recusare. Supplicare tamen eis licebit, si rationabilem causam eum recusandi habere se putent: sicut in simili instare possunt, ut si Parochus suus malè vivat, à parochia amoveatur; ipsorum enim magnopere interest, ne sub malo pastore periculum incurrant per *t. in C. Maximan. dist. 81.* & Panorm. *ibid.* Cæterùm quæ Jura parochiani suis Parochis debeant, circa decimas præsertim, oblationes, & sepulturas, suis locis dictum, & dicendum est.

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

§. I.

Quid ſint, cui, & quomodo ſolvantur Decimæ.

SUMMARIA.

1 *Quid, quotuplices ſint decimæ.*
2 *Decimæ quatenus ſint juris divini.*
3 *Pro Decimis Parochus habet intentionem fundatam in Jure.*
4 *Declaratio* c. 2. de *Reſtit. ſpol.*
5 *Monaſterium circa Parochiam ſibi incorporatam cenſetur loco Parochi.*
6 *Cui Parocho ſolvendæ ſint decimæ.*
7 *Quid ſint, & cui debeantur Decimæ novalium.*
8 *Laici habentes Jus decimandi ex privilegio, vel infeudatione non poſſunt exigere Decimas novalium.*
9 *Idem de Religioſis, qui jus decimandi à Laicis acceperunt.*
10 *Reſolvitur quæſtio, an Eccleſiaſtici habentes Jus decimandi ex privilegio poſſint petere decimas novalium?*
11 *Fallit in certis caſibus.*
12 *Parochus poteſt prohibere, ne decimæ ſeparentur ſe, vel ſuo nuncio abſente.*
13 *An in ſolutione decimarum admittenda ſit impenſarum deductio.*
14 *De Jure decimæ ſumptibus Parochianorum deferendæ ſunt in horrea Parochorum, valet tamen conſuetudo contraria.*
15 *Moram committenti nocet interitus Decimarum.*
16 *Decimæ non ſolutæ an ſequantur poſſeſſorem prædii?*
17 *Qualis actio competat contra tertium poſſeſſorem.*
18 *Reſpondetur ad contraria.*
19 *Exceptio circa decimas competens Laicis ex privilegio.*

1 DEcimæ ſunt pars decima fructuum, tam terræ, quàm aliarum rerum Deo in recognitionem univerſalis dominii debita, & ipſius miniſtris perſolvenda. Sunt autem decimæ aliæ *prædiales*, quæ ex fructibus prædiorum debentur, ut de vino, fromento, oleo, pomis, fæno, & ſimilibus. Aliæ *perſonales*, quæ debentur ex lucro humana potiſſimùm induſtria quæſito, ut ex mercatura, militia, ſtipendiis, aliiſque negotiationibus, & obventionibus. Tertium quoque genus decimarum nonnulli conſtituunt, quas *mixtas appellant*, eò quòd partim quantùm ad productionem naturæ de prædialibus, partim quantùm ad accedentem induſtriam de *perſonalibus* participent, & hujuſmodi cenſent eſſe *decimas animalium*, ſeu ex fructu pecorum perceptas ut lanæ, lactis, ovorum, &c. Sed magis placet iſtas decimas animalium ad *prædiales* referre, tum quòd in jure tantùm duo genera decimarum, ſcilicet *prædialium*, & *perſonalium* exprimantur, *cap. ad Apoſtolica* 20. *hoc tit.* tum quòd plus in illis natura quam induſtria operetur; tum quia etiam in frumento, & vino magna hominum induſtria accedere debet, & tamen nemo dixerit, decimas frumenti, & vini perſonales eſſe.

Originem habere decimas ex Jure Divino nullus am-
2 bigit, (ſi de *prædialibus* loquamur, ſecus de *perſonalibus* ut infra *in q. 7.* dicetur) ut videre eſt *Levit.* 24. *n.* 18. *Deut.* 14. An verò etiamnum hodie in novo teſtamento Juris divini ſint, ſicut aſſeritur *in cap. Parochianos* 14. *& c. cùm tua nobis* 37. *h. tit.* inter antiquiores præſertim DD. gravis fuit concertatio, à qua illa quæſtio principaliter dependet, an decimæ per conſuetudinem, privilegium, vel præſcriptionem Parocho auferri poſſint. Sed omiſſis quæ foſè pro, & contra paſſim adducuntur, hodie magis receptum eſt, decimas eatenus eſſe Juris divini, in quantum deſerviunt pro neceſſaria ſuſtentatione miniſtrorum Eccleſiæ, quia teſte Scriptura *dignus eſt operarius cibo ſuo Matth.* 10. *v.* 10. & Apoſtolus 1. *Cor.* 8. *v.* 17. dicit: *Dominus ordinavit, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, & qui Altari deſerviunt de Altari vivant.* Unde hoc reſpectu nec privilegio, nec conſuetudine tolli poſſe, infra dicetur. Cæterùm autem quòd præcisè decima, & non major, vel minor pars dari debeat, cenſent unam eſſe de legibus cæremonialibus, & judicialibus, quæ per legiſlatorem hominem in novo Teſtamento acceptatæ obligant tantum ex Jure humano, *arg. c. un. de Purif. poſt part.* Vid. Azor. *Inſtit. mor. p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 23. Hen. Caniſ. *de Decim.* c. 3. idque non parum confirmatur ex eo, quòd ſummi Pontifices pridem conceſſerint, & adhuc concedere ſoleant Religioſis, aliiſque privilegia exemptionis, & immunitates à ſolvendis decimis, *c. ex parte cum ſeqq. h. t.* quod fieri non poſſet, ſi decimæ ſimpliciter Juris divini forent.

3 Decimæ Parocho propter ſpirituale miniſterium perſolvendæ ſunt, & ita quidem ad eum ſpectare cenſentur, ut ſi cum Monaſterio, Clerico, vel Laico ſeu quocunque, qui Parochus non eſt, ſuper decimis litiget, non cogatur jus ſuum probare, quia fundatam intentionem habet in Jure, ex quo præſumitur, quòd decimæ ad ipſum pertineant, niſi Adverſarii contrarium oſtendant, c. *cùm contingat. & c. cùm in tua h. t.* Imò quamvis aliàs ſpoliatus ante omnia reſtituendus, ſpoliatus tamen à Parocho ſuper decimis non reſtituitur, niſi plenè de jure ſuo docuerit, *c. 2. de Reſtit. ſpol. in* 6.

4 Verùm hunc text. *c. 2. de Reſt. ſpol. in* 6, putarem procedere in circumſtantiis caſus *ibid.* propoſiti, ſi nimirum ſpolia *aliquamdiu*, id eſt, modico tempore fuerit in poſſeſſionem, & ita non tantùm contra illius jus decimandi ſed etiam contra poſſeſſionem præſumator. Aliàs enim daretur anſa Parochis aliorum jura liberè invadendi, litem movendi, pacem turbandi, ſcandala violentiarum excitandi, &c. quod utique juri, & æquitati conſentaneum non eſt, cum regulare ſit, quòd etiam vero domino non liceat violenter poſſeſſionem rei ſuæ apud alium exiſtentem invadere ſub pœna amiſſionis dominii. *L. ſi quis in tantam* 7. *C. Unde vi* §. *ſed ne l. de Vi. bon. rap.* & prædo etiam ſpoliatus reſtitui debeat *cap. in litteris* 5. *de Reſtit. ſpol. l.* 1. *qui à me ff. de Vi, & vi arm.* à qua regula æquitate plena, & paci Reip. conſulente non ita facilè recedendum, quin potiùs jura juribus concordanda, *c. cùm expediat. de Elect. in* 6. Sunt quidam, qui ex hoc textu ſtatuunt generalem *exceptionem* à regula, *quod ſpoliatus ante omnia reſtituendus ſit*, quoties *jus reſiſtit ſpoliato, & aſſiſtit ſpoliatori* Hen. Can. *d. l. cap.* 16. Sed cum *exceptio* potiſſimum tantùm in hoc textu ambiguo fundetur, qui ad concordiam jurium, & pro bono pacis publicæ aliter explicari poteſt, non video quare neceſſe ſit hanc *exceptionem* generalem ex particulari textu ſtatuere, cùm alii textus non obſcurè pugnent in contrarium videl. *c. 3. de Cauſ. poſſ. & prop.* ubi circa jus eligendi præſumptio fuit contra extraneos pro capitulo, ut propterea Barb. *ad d. c. 2. de Reſt. ſpol. in* 6. *n.* 8. rectè differentiam ex modica poſſeſſione (de qua *in d. c.* 2. aſſignaverit. Item *in c. licet* 20. *de Preb. in* 6. ubi detinens duas Parochias ſpoliatus ab Epiſcopo reſtituitur, cum tamen contra ſpoliatum, & pro ſpoliante faciat jus *c. de multa. X. & extrav. execrabilis de Preb.* Urget, quod alibi tradit Barb. *de Offic. Epiſc. p.* 3. *alleg.* 127. *num.* 41. Ricc. *tom.* 4. *reſ.* 303. *in fin. addit. ad Greg. XV. deciſ.* 312. quòd Epiſcopo circa Jura Epiſcopalia in quibus habet juris aſſiſtentiam contra quemcunque non detur manutentio, quando adverſarius *eſt in poſſeſſione temporis conſiderabilis*, ergò nec in ſimili Parocho contra poſſeſſorem decimarum.

5 Quòd ſi Parochia ſit Monaſterio incorporata tunc quantùm ad decimas Monaſteriorum cenſebitur loco Parochi, & tam contra Parochianos, quam etiam contra Epiſcopum, & Vicarium curam exercentem fundatam intentionem habebit *deciſ. Rota apud Tamb. de Jur. Abb.* 3. *deciſ.* 120.

Quæritur autem I. Cui Parocho ſolvendæ ſint decimæ,

cimæ, si quis in una parochia Sacramenta percipiat, in altera sua prædia sita habeat?

Hæc quæstio deciditur *in c. ad Apostolica 20. h. t.* ubi Pont. respondet, Decimas personales solvendas esse Parocho Sacramenta ministranti, quantùm ad prædiales verò attendendam esse locorum consuetudinem. Quid autem si nulla constans consuetudo probari valeat, & propterea ad terminos Juris communis recurratur? Resp. de Jure esse probabilius, quòd decimæ prædiales illi Parocho intra cujus Parochiam prædia sita sunt, persolvi debeant, ne parochiæ limites confundantur, & plurimæ lites subnascantur. *c. cùm sint homines 18. eod. tit.* Idem dicendum de decimis *animalium*, quas superiùs prædialibus annumeravimus, ut illi Ecclesiæ solvantur, in cujus territorio aluntur. Si in duobus pascantur locis, pro diversitate temporum, decima inter illas parochias dividetur pro rata temporis, nisi consuetudo aliud habeat. Rebuf. *tr. de decim. q. 8. n. 11.*

7 Quæritur II. Cui debeantur decimæ Novalium? Supponendum inprimis Novale aliquando sumi *propriè* aliquando *impropriè*. *Propriè* dicitur locus priùs omninò sterilis ad culturam redactus v. g. si ex sylva extirpata, vel palude siccata agri fiant; aut si fundus, qui ab hominum memoria fuit incultus, denuò ad culturam redigatur, *c. quid per novale de Verb. sig.* *Impropriè* autem, si in locum ante cultum novi fructus inferantur v. g. si ex vinea aut prato fiat ager, vel econtra: vel certè prout in Jure Civili Novale dicitur terra præcisa, quæ anno inculta jacuit. *l. Sylva 30. §. novalis ff. de V. S. d. c. quid per noval.* His præmissis. Resp. Si Novalia intra fines alicujus parochię exurgant, decimæ eorum debentur illi parochię, si verò in loco nullius parochiæ fiant v. g. si sylva, quæ inter duas Parochias jacens pro utriusque termino fuit assignata, ad culturam redigatur, decimæ horum novalium debentur Episcopo, quia ipse est Parochus loci, qui proprium Parochum non habet, *c. quoniam 3. & ibi* Panor. *n. 2. h. t.* Sed

Quæritur III. An etiam Parocho debeantur Decimę
8 Novalium, si alius intra fines suæ parochiæ jus decimandi habeat ex privilegio, vel infeudatione? In hac quæstione duo quasi extra controversiam sunt. I. Quòd privilegium, vel infeudatio aut emphyteusis de decimis concessa *Laicis* non extendatur ad Novalia *propriè* dicta (bene autem ad *impropria*) quia talis concessio tum propter personam Laici non implentis spirituale ministerium, ob quod dantur decimæ, tum propter præjudicium Parochialium Ecclesiarum, odiosum, & restringendum est, *c. tua 25. in fin. h. t.* II. Quòd Religiosi, qui decimas acquirunt cum consensu Episcopi de manibus Laicorum justè petentium, *jux. c. cum Apostolica 7. De his quæ fiunt à Præl.* non possint ex translatione hujus Juris in se, decimas Novalium petere, sicut nec ipsi Laici potuissent, secundùm vulgatas Regulas, quòd nemo plus Juris in alium transferre possit, quàm ipse habeat, & surrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum surrogatur *c. 2. in fin. h. t. in 6.*

9 At magna est distensio; utrùm si *personis Ecclesiasticis* privilegium decimandi à S. Pontif. concessum sit, per tale privilegium etiam decimæ Novalium comprehendantur: Affirmativam cum Gloss. & Abbate *in c. ex parte 27. h. t. per tex. ibid.* plerique veteres Canonistæ tenuerunt, ut refert Barb. *in eod. cap. ex parte 27. hoc tit.* ita enim sonat text. *in d. c. ex parte, cum tibi, quod majus est, sit concessum; ut videlicet decimas de laboribus terræ Parrochiarum tuarum cum integritate percipias, de Novalibus eas exigere satis potes: quia ubi majus conceditur, minus concessum videtur.* Econtra Recentiores qui existimant Privilegium decimandi etiam *Ecclesiasticis* concessum non comprehendere decimas novalium, fundantur partim in communibus Juris regulis, quòd privilegia concernentia præjudicium tertii restringenda *c. olim de V. S.* item quòd privilegia non extendantur ad futura tempore concessionis non extantia *c. fin. de Rescript.* partim verò *in cap. 2. de Decim. in 6.* ubi satis claré insinuatur, quòd jus percipiendi decimas novalium debeat per speciale privilegium concedi, & non contineatur in Jure percipiendi veteres decimas. Textum autem *in d. c. ex parte* accipiunt de casu, de quo loquitur, videlicet, quòd Prælatus possit petere decimas novalium de Parochiis suo Monasterio incorporatis, in quibus loco Parochi est: Covar. *Var. Resp. 2. c. 17. nu. 13.* Gutier. *Canon. qq. lib. 2. cap. 21. num. 120.* Barb. *in d. c. ex parte num. 6.*

Puto in hac difficultate in primis inspicienda esse ver- 10
ba, & mentem privilegii; nam si habeat verba ampla, & favorabilia, ex quibus colligi possit, mentem privilegiantis se extendere etiam ad novalia v. g. *concedimus, ut omnes & quascumque decimas, vel omnem decimationem talis territorii percipere possit &c.* dicendum erit tale privilegium etiam Novalia comprehendere, sicut id ipsum secundæ sententiæ authores admittunt. Gutier. *d. l. n. 25.* & fundamentum est in *d. c. ex parte*, ibi: *ut decimas cum integritate percipias &c.* Cæterum si privilegium sine hujusmodi verbis prægnantibus tantum in forma communi concessum sit, utraque sententia suis non destituitur argumentis, & rationibus. Verùm cùm in causa, & interpretatione novalium plurimum attendendum sit ad præjudicium Ecclesiarum, *per tex. in d. c. quid per Novale. in fin. de V. S.* nec non in qualibet causa favor litigantis (si ille non sit privatus, sed publicus, & de jure) considerari debeat, *c. fin. de Cens. & re jud.* ideò putarem has dissentientes opiniones aliqualiter ita conciliari posse: si nimirùm Parochus in hac quæstione concurreret cum Monasterio, quod ipsum etiam Sacramenta fidelibus dispensare solet, & idcirco magnum favorem meretur, jusque decimandi esset in parvo districtu concessum, ita ut Parocho sufficiens sustentatio relicta fuisset, existimarem primam sententiam pro Monasterio fore præferendam, eamque confirmo ex *c. quia circa 22. de Privil.* ubi remissio decimarum Episcopalium Monasterio indefinite facta extenditur etiam ad decimas possessionum futuri temporis, quas scilicet Monachi primùm ex post facto acquirent; *cum nihil*, inquit ibidem Pontifex, *exceperit, & potuerit excepisse, ac in beneficiis sit plenissima interpretatio adhibenda, nec debeat una eademque substantia diverso Jure censeri.* Quæ decisio, & rationes Pontificis optime adduci possunt contra rationes pro secunda sententia adductas; neque *text. in c. 2. h. t. in 6.* adeò clarus est, quin responderi possit, eum non loqui de privilegio à S. Pontif. concesso, sed si Religiosi decimas à Laicis acceperint, sicut in fine declarari videtur, item si valdè grave prejudicium Parochorum vertatur. Interpretatio verò, quæ à Cov. & aliis adfertur ad *d. c. ex parte*, quòd nimirum loquatur de Jure communi, & propriis Monasterii Parochis, in quibus Abbas loco Parochi est, non omnimodè satisfacit; tum quòd hoc modo non fuisset dubitandi ratio, quin decimæ novalium ad Abbatem pertinerent, utpotè nullo alio ibidem existente, qui jura parochialia prætendere posset; tum quòd Pontifex non se fundet in Jure communi, & proprietate parochiarum, sed in eo, quod *ubi majus conceditur, & minus concessum esse videtur.* Quia tamen additur in textu, *de laboribus Parochiarum tuarum &c.* ideò hoc rectiùs accipitur de illis parochiis, non quę *pleno Jure* pertinebant ad Monasterium, (circa quàs ut dictum, non fuisset dubitandi ratio) sed in quibus Monasterium habebat solum Jus præsentandi, & decimas ex privilegio, ut etiam advertit Hentic. Canis. *de Decim. c. 15. n. 9.* Sin autem Parochus concurreret cum singulari aliqua persona Ecclesiastica, vel cum Monasterio quidem, sed posset probare, per amplitudinem privilegii se multum gravatum, & vix habere congruam sustentationem, tali casu non dubitarem, alteram sententiam in Parochi favorem amplecti.

Quęritur IV. Utrum, qui ex *præscriptione* habet jus 11
decimandi in aliena parochia, possit decimas novalium exigere? Resp. esse distinguendum inter Novalia impropriè dicta, & Novalia propriè dicta. De novalibus impropriè dictis, quando scilicet vinea ager fit, &c. præscribens decimas de novis fructibus petere poterit: quia jus decimandi in illo agro hactenus possedit, & pręscripsit *cap. cùm in tua 30. h. t.* De Novalibus autem *propriè* dictis regulariter decimas petere non poterit, sed ad Parochum pertinebunt: quia cum in loco novalium ex defectu culturę, & consequenter fructuum, nullam decimationem exercere potuerit, intrat regula, quod non censeatur plus pręscriptum, quàm possessum *c. cùm contingat 29. & ibi DD. h. t.*

Idem dicendum existimo, si ex prato, in quo pręscribens nullas decimas foeni percepit, ager fiat

arg. in d. c. cùm contingat. Licèt enim hujusmodi novale forsan in rigore sit *impropriè* tantùm Novale, subest tamen respectu præscribentis ratio, quæ in novalibus *propriè* dictis militar, quod nimirùm in tali loco nullum jus decimandi exercitum, possessum, & præscriptum sit.

12 Quær. autem V. Utrum præscribens nullo casu possit decimas de novalibus *propriè* dictis accipere? summus Pontif. *in d. c. cùm contingat*. generaliter excipit casum, quo præscribens potest aliquam *rationabilem causam* allegare, ex qua demonstret decimas Novalium ad se pertinere. Porrò quænam sit talis *causa rationabilis* ibidem non exprimitur, sed Doctores unam, vel alteram enumerant. Nimirum I. Si decimæ præscriptæ sint intra limites certi predii, & ibi pars aliqua inculta ad culturam noviter redigatur, maximè si pars illa minor sit, quia una eademque res non debet universo Jure censeri, & major pars ordinariè trahit ad se minorem. II. Si ex loco inculto præscribens decimarum nomine aliquid saltem utilitatis prius perceperit; v. g. ex ligno, glandibus, arundinibus &c. Vid. Gutierez. *l. 2. c. 21. n. 102.* Gilken. *de Præscript. p. 1. c. 6. n.* 281. III. Videtur planè *causa rationabilis*, si præscribens præter ordinarium jus decimandi insuper præscriptionem juris percipiendi decimas Novalium probare possit, demonstrando videlicet, quòd hactenus de exurgentibus novalibus semper solitus fuerit decimas accipere, quæ tamen *præscriptio*, si resultet ex diversis actibus respectu diversorum, videtur potiùs assumere naturam *consuetudinis*, neque verum est, ut idem actus diverso respectu nunc *præscriptio* nunc *consuetudo* dicatur teste Panorm. *in c. fin. de Consuet.* veluti si Episcopus sine consilio Capituli soleat visitare diœcesim, respectu Capituli, & Episcopi erit *præscriptio*, respectu diœcesis, & populi erit *consuetudo*; poterit forrassis etiam huc accommodari doctrina Panorm. *in c. cùm in tua 30. h. t.* & Harp. *ad tit. Instit. de usucap. n.* 253. quòd ex præscriptione specierum resultet præscriptio generis.

Quær. VI. An Parochus possit inhibere parochianis, ne decimas separent, nisi se vel suo nuntio præsente: Resp. Affirmativè *arg. l. si suspecta 29. ff. de Inoffic. test.* Spec. *in tit. de Decim. ad fin.* Cov. *lib. 1. c. 17. n. 8. v. octav.* imò tametsi de consuetudine contraria in aliquo loco decimatio absente Parocho, vel in horreo fieri soleret, si tamen Parochus posset probare, se multoties exinde defraudatum esse, justè peteret ab Episcopo istam consuetudinem declarari invalidam, ex eo, quòd sit damnosa Ecclesiæ, & occasionem peccato præbeat, *c. 1. de Consuet.*

13 Quær. VII. An decimæ de integris fructibus, vel de iis tantùm, qui supersunt deductis impensis necessariis solvi debeant? R. Differentiam esse faciendam inter decimas *prædiales*, *& personales*. In illis nulla fit expensarum deductio, secus in istis, *c. pastoralis 28. h. t.* Rationem hujus differentiæ communiter assignant, quòd decimæ *prædiales* debeantur eo modo, quo fuerunt institutæ in veteri lege, in qua Deus non respexit ad Jus Civile futurum, quatenus ex illo verbum *fructus* interpretandum sit, sed id verbum *fructus* intellexit naturaliter, prout in feudo crescunt, & Dei beneficio percipiuntur. At verò cum decimæ *personales* debeantur ex sola lege Ecclesiæ, nec ullum de illis in lege veteri sit præceptum meritò effectum est, ut in illis Jure humano inventis, & post Jus Civil. institutis, verbum *fructus* civiliter (id est, deductis impensis *l. fructus 7. ff. soluto Matrim.*) consideretur Barb. *de Offic. Par. parte 1. c. 6. n.* 181.

14 Quæritur VIII. Utrùm parochiani teneantur propriis sumptibus deferre decimas in horrea Parochorum? Respondetur principaliter attendendas esse consuetudines locorum, & diœcesium: valent enim consuetudines, ut decimæ, vel à Parocho asportentur, vel ab ipsis parochianis deferantur Gutier. *Canon. qq. lib. 2. c. 21. n. 45.* abstrahendo autem à consuetudine magis communiter sentiunt Doctores de Jure obligari parochianos, ut in hor-
15 rea Parochi decimas deferant, suis etiam propriis sumptibus per text. & Gloss. *in c. Revertimini 65. 16. q. 1.* Gutier. *d. l. n. 43.* Riccius *in praxi aurea p. 2. resol.* 244. Si rusticus fuerit in mora solvendi, quando tenebatur solvere, & Parochus paratus erat accipere, interim verò decimæ pereant, hic interitus ad rusticum spectat; secus si voluisset solvere, & Parochus noluisset acceptare: mora enim sua cuilibet nocere debet. *c. mora de R. J. in 6.* Si tamen Parochus postea voluisset acceptare, & rusticus non dederit, attenditur posterior mora, *l. illud. de Peric. & commod. rei vend.* Gloss. *in c. cùm homines 7. in v. fructibus collectis. h. t.* Panor. *ibid. num.* 7.

Quæt. IX. An decimæ non solutæ sequantur possesso- 16
rem prædii? Pone, quòd venditor prædii longo tempore non solverit decimas, nunquid Parochus possit illa decimas non solutas ab emptore petere? Resp. Affirmative, ita tamen emptor suum regressum ad compensationem damni propter evictas decimas contra venditorem habeat. Ratio desumitur ex *l. Imperatores 7. ff. de Publican. & l. prædiis 36. ff. de Jure fisci.* ubi ita de vectigalibus, & tributis constitutum est, ut ad ea etiam *præteriti temporis* solvenda possessores prædiorum conveniri possint, eo quòd ipsa prædia potiùs, quàm personæ obligentur. Unde rectissimè argumentum ad decimas deduci potest, tum quod decimæ (quæ etiam *tributa egentium animarum* dicuntur, *c. decimæ 66. 16. q. 1.* & ante omnia *tributa* propter prærogativam dominii generalis persolvendæ sunt, *c. cùm non sit. 33. h. t.*) magis à prædiis, quàm persona debeantur, sicut ea de causa etiam Judæi decimas *prædiales* solvere debent, *c. de terris 16. ubi* Gl. *in v. persolvendas hoc t.* & habens prædia in alia Parochia, quàm ubi percipit Sacramenta, in illa, ubi eadem prædia sita sunt, decimas dare debet, ut supra *quæst. 1.* dictum: tum quòd decimæ sint *onus reale*, quod in quemcunque possesso- 17
rem transit, atque si extent, utili vindicatoria (prævia actione *ad exhibendum*, vel *communi dividendo*, si à reliquis fructibus separatæ non sint) aut si non extent, utili condictione *ex d. l. Imperatores*, junct. *cap. 1. de Novi oper. nunc.* peti possint. *cap. moderamine. 23. ubi* Gl. *in V. vindicent. 19. q. 1. c. pastoralis & c. cùm non sit x. hoc t.* Atque hanc sententiam cum multis antiquis tradit. Panor. *in c. cùm homines 7. h. t. n. 6.* Riccius. *p. 2. resol.* 57. Robuf. *de Decim. q. 9. n. 9.* ubi, & aliud notabile referunt ex Fed. de Senis. *Consil.* 81. *n. 2.* Si Parochus, vel Ecclesia propter decimas malit venditorem convenire, quàm novum emptorem, qui fortè propter potentiam suam est difficilis conventionis, hoc esse ei concedendum, ne id, quod in favorem Ecclesiæ est introductum, ut novum possessorem convenire possit, in ejus odium retorqueatur, dum enim venditor prædium possedit, & fructus integros percepit, nata est contra eum actio personalis, seu condictio ex Canone ad solvendas decimas, quæ per venditionem prædii exspirasse non videtur.

Verùm hæc, quæ hactenus dicta sunt non admittit 18
Henr. Canis. *de Decim. c. 4.* & Henr. Zoesius *eod. t. n.* 52. eamque inter tributa seu vectigalia, & inter *decimas* differentiam constituunt, quòd onere *tributorum* ipsa prædia, onere verò *decimarum* ipsi tantùm fructus afficiantur: qua ratione, inquiunt, si prædia elocata sint, non domini prædiorum, sed conductores, seu fructuum perceptores ad solvendas decimas obligantur. *c. dilecti. 8. c. à nobis. 24. & c. tua nobis 26. h. t.*

Attamen hac contraria opinione Canisii, & Zoesii non obstante, (cui suam relinquo probabilitatem) videtur mihi prior sententia Panorm. Ricii, & aliorum *ee. LL.* optimè ex jure defendi posse, pro favore nimirum Ecclesiæ, quæ aliàs regulariter privilegia fisci, & Reipublicæ participat, quoties casus est applicabilis. Ever. *in Top. à fisco ad Ecclesiam.* Lauter. de Franch. *de Controv. regul. p. 2. q. 96. & ibi* Pasqual. *in addit.* Indubitatum autem est fisci privilegium, ut novos possessores ob non soluta tributa convenire possit, *d. L. prædiis 36. ff. de Jure fisci, & L. Imperatores 7. ff. de Publican. l. 7. C. Sine censu, &c.* & tantò magis procedet argumentum *à fisco ad Ecclesiam*, cum decimæ magis quàm tributa privilegiatæ sint, & ante hæc persolvi debeant. *d. c. cùm non sit* 33. *h. t.* Parùm verò convincit illa assignata inter, & tributa, & decimas differentia, quia hoc ipsum est in quæstione, an ob decimas præcisè tantùm ipsi fructus, vel potiùs prædia propter fructus quatenus decimales obligata sint, prout etiam *tributa fructuum impendia sunt*, ut ait *J. C. in l. neque stipendium 13. ff. de Impens. in reb. dotal.* & per *as, & libram* imponuntur juxta proportionem redituum, sive fructuum bonorum. Roland. à valle. 1. *Cons. 66. cum* 15. Nec est bona illatio, conductores prædiorum tenentur ad solvendas decimas, ergo ipsa prædia non sunt obligata. Imò redit hic iterum pulchrè argumentum à tributis ad decimas:

nam

nam per text. notab. cum expositione Gottofredi *in l. obsistere 10. C. de Annon. & tribut.* etiam tributa à colonis, & emphyteutis solvuntur junct. *l. 2. C. de Jure Emphyteut.* & si isti revoluto anni spatio intra 6. menses non solverint tributa, domini prediorum conveniuntur. Et in effectu per colonum non incongruè dici potest, dominum solvere decimas, utpote cui illud onus decimarum in sua pensione decedit, & tantò minus à colono accipit.

Si instes: tributa solvenda etiam data sterilitate, decimas verò non nisi e natis fructibus, ideò patere, quòd illa præcisè prædiis, istæ fructibus adhæreant, Resp. ex hac instantia non plus evinci, quam quòd tributa simpliciter sit onus prædiorum, decimæ verò sub implicata conditione nascliturorum fructuum: preterquam quòd in magna sterilitate, ubertate priorum, vel sequentium annorum, aut aliorum bonorum, seu prædiorum non compensabili, saltem de æquitate etiam tributorum remissio facienda sit, tanquam cessante causa *arg. l. 1. C. de Omni agro deserto.*

Deinde *decimatio* valdè similis est exactioni *annonæ*, quæ de frugibus dabatur, teste Gottofred. *ad rubric. C. de Annon.* & tamen hanc tributis comparari vix dubium esse potest *ex rubrica, & t. t. C. de Annonis, & tributis*, & quidem in specie ad propositum nostrum, quòd *annona* à defuncto debita non præstetur à cohæredibus pro portione hæreditaria, sed à possessore prædiorum frugiferorum decisum est in *l. 2. C. jam d. t.* Dico: *à defuncto debita*; quod exinde satis apparet, quia ibi Imper. loquitur de *ære alieno*, & iis, quæ heredes quatenus hæredes, adeoque *ex persona defuncti* solvere debent; de *futura* enim annona, ubi prædia hæreditaria jam sunt facta proprium Patrimonium hæredis non fuisset dubitandi ratio.

19 Addo tamen, cùm hæc argumentatio à tributis ad decimas præcipue favore Ecclesiæ, & ob administrationem Divinorum procedat, eidem locum haud fore, si decimatio competat laico, vel Clerico ex titulo patrimoniali, vel singulari privilegio.

---

§. II.

Quo fundamento aliis præter Parochum jus deimandi competere possit.

S U M M A R I A.

20 *Ecclesiastici acquirunt decimas ex privilegio, incorporatione, præscriptione, & donatione laicorum.*
21 *Quid requiratur ad præscriptionem decimarum.*
22 *Laici quamvis sint incapaces decimarum, possunt tamen aliquot modis eas habere.*
23 *Præscriptione etiam immemoriali non potest laicus jus directum decimandi acquirere.*
24 *Neque etiam consuetudine generali alicujus loci.*
25 *Laici multi habent decimas cum periculo animarum suarum.*
26 *Ex temporis immemorialitate præsumitur omni meliori modo pro decimis laicorum.*
27 *Quid intersit, an Laicus præscripserit decimas, vel an tantum ex præsumptione relinquatur in possessione.*
28 *Præsumptiones præsumptionibus eliduntur.*
29 *Ex immemorialitate non oritur præsumptio Juris, & de Jure.*
30 *Immemorialitas etiam tunc est, quando non constat de initio possessionis, licet constet de contrario.*
31 *An tempus immemoriale debeat 100. annos excedere.*
32 *Negativa probatur.*
33 *Qualiter probetur immemorialitas.*
34 *Notabilis limitatio in causa decimarum.*
35 *Prohibitio Concil. Lateran. potest consuetudine abrogari.*
36 *Illa prohibitio videtur tantùm procedere in infeudatione perpetua.*
37 *Ex consuetudine potest valere, ut unus laicus jus utile in alium alienet.*
38 *Obligationi præstandi servitia feudalia, & canonem emphyteuticum potest præscribi.*
Engel in Decret. Lib. III.
39 *Jus utile potest quidem præscribi contra laicos, sed non contra Ecclesiam.*
40 *Præscriptio non procedit contra prohibitionem Juris publici.*
41 *Differentia, cur magis res Ecclesiæ immobiles præscribi possint, quàm jus utile decimandi.*

QUamvis regulariter omnes decimæ ad Parochum spectare censeantur, sunt tamen de Jure aliqui modi proditi, quibus jus decimandi ad alios non solùm Ecclesiasticos, sed etiam laicos transferri potest.

Enim verò *Ecclesiastici* ex privilegio Papali, per Incorporationem Parochiarum Monasteriis aut Canonicatibus factam, & per præscriptionem decimas acquirunt. Item Laici, qui justè habent decimas, possunt eas alicui alteri Ecclesiæ, quàm suæ Parochiali, maximè verò cuidam Monasterio solius Episcopi accedente consensu donare. *c. cùm Apostolica 7. De his quæ fiunt à Præl.* 20

Dico: si Laici *justè* habeant decimas; aliàs enim donatio à laico ne quidem præscriptionis titulum parat. *c. dudum 31. & ibi Pan. h. t.* quod tamen limitat Rebuf. *tr. de Decim. c. 13. n. 93.* ut illi qui receperunt decimas à manibus laicorum, quandiu vivunt, præscribere nequeant, secus verò eorum successores in bona fide existentes, saltem tempore immemoriali, neque successori in dignitate nocet mala fides antecessoris, quia non ab ipso, sed à superioris institutione causam habet. Gl. sing. *in c. cura in fine de jure Patr.* quæ Glossa generaliter loquitur de præscriptione, nec requirit immemorialitatem; & planè videtur, quòd ipse titulus successionis in beneficio, vel dignitate, ex quo Prælatus, vel beneficiatus etiam plerumque sub juramento (quod in confirmatione, seu investitura præstat) tenetur defendere, & conservare jura suæ Ecclesiæ, sicut est justus titulus ad possessionem talium decimarum (supposito quòd aliunde nesciat vitiosam) *pro suo* adipiscendam, vel retinendam, ita etiam ad præscriptionem ordinarii temporis 40. annorum. *text. not. in L. fin. ff. Pro suo.*

Circa præscriptionem decimarum notandum est, quòd allegans præscriptionem contra Parochum debeat vel tempus immemoriale, vel saltem 40. annorum cum titulo probare propter præsumptionem Juris, quæ militat pro Parocho, & contra præscribentem. *c. 1. de Præscript. in 6. junct. cap. 2. de Restit. spol.* Idem dicendum circa Parochias Monasteriis pleno jure incorporatas, ita ut decimæ earum non nisi 40. annis cum titulo contra Monasterium præscribantur, quia per incorporationem Monasterium habetur loco Parochi. Decisio Rotæ apud Tamb. *de Jure Abb. tom. 3. dec. 120. n. 15.* Quòd si autem præscriptio allegetur contra aliam Ecclesiam, cui tantùm ex privilegio, vel etiam præscriptione decimæ competebant, sufficiet posse probare possessionem bona fide per 40. annos continuatam *d. c. 1.* imo contra Clericum privatum, vel Laicum 10. anni inter præsentes, & 20. inter absentes cum titulo, & sine titulo 30. sufficient, quia hìc nec præsumptio Juris adest, nec favor Ecclesiæ ob quem quadragenaria præscriptio requiratur. Pet. Rebuf. *de Decim. q. 13. num. 100.* 21

Laici quidem de Jure omnes sunt incapaces juris decimandi, tanquam spiritualis, & propter spirituale Ministerium competentis, *c. causam 7. de Præscript. & c. quamvis 17. h. t.* Nihilominus I. ex privilegio Papali jus decimandi acquirere possunt: quia non excedit vires Papæ, Laicum ad jus spirituale habilitare, & secundùm quid Clericis æquiparare: sicut de facto ad jus patronatus, quod spirituale est, omnes Laici habilitati sunt. 22

II. Ante Concil. Lat. quod probabiliter fuit habitum Anno salutis 1179. Vid. Henric. Canis. *de Decim. c. 13. nn. 6.* Laici poterant jus decimandi ab Ecclesia in feudum, vel Emphyteusim accipere, quia tunc tantùm acquirebant jus utile, & temporale, non directum, & spirituale, per dictum verò Concil. Lat. id prohibitum est, *c. 1. 16. q. 7.* Si tamen alicujus Majores ante Concilium decimas in feudum accepissent, is etiamnum hodie eas rectè retinere posset. *arg. c. 2. §. sanè h. e. in 6.*

III. Per contractum locationis, aut ususfructus etiam laici decimas habere possunt, quia tunc nihil de dominio juris spiritualis in illos, sed tantùm commo-

ditas quædam percipiendi decimas, non tanquam sibi sed Parocho debitas transfertur.

Quædam decimæ sunt merè profanæ, & *laicales*, quas olim Domini suis prædiis, deinde subditis in usumfructum, feudum, vel Emphyteusim datis tanquam loco tributi, pensionis annuæ, vel Canonis imponebant. Greg. Tholos. *in Syntagm. Juris lib.* 2. *c.* 20. quo etiam referri posse videtur illa portio vini, quæ ex quibusdam vineis, præsertim in Austria exigitur, & vulgo *Bergrechs* appellatur.

V. Laici conversi, seu religiosi de certo aliquo ordine, uti sunt Equites Mellitenses, Teutonici &c. decimas quoque possidere possunt. *c.3. de Priv.* Panor. *in c. quamvis 17. h. t.*

23 *Præscriptione* autem etiam immemoriali ex commoni DD. opinione laicus decimas, quoad titulum dominij *directi* acquirere non potest quia est incapax possessionis, sine qua non currit præscriptio *c. causam 7. de Præscript.* Unde non obstat, quòd à quibusdam in contrarium opponitur; videl. quidquid per privilegium acquiri potest, id etiam possit per præscriptionem immemorialem, quam constat habere vim privilegii, per text. & Gloss. *in cap. super quibusdam de V. S.* atqui jus decimandi laicus per privilegium acquirere potest, ut dictum, ergò &c. nam negandum est suppositum; quòd ex persona laici detur immemorialis decimarum præscriptio; datur quidem immemorialis *detentio*, quæ facti est, sed ex defectu possessionis, & propter Juris resistentiam non datur immemorialis *præscriptio*.

24 Similiter nec consuetudine generali alicujus Provinciæ introduci potest, ut laici passim decimas jure dominii directi sibi vindicent, quia in primis hæc consuetudo foret irrationabilis, ut laici sine omni causa id habeant, quod Deo, & Ministri ejus in recognitionem universalis dominii, & propter spirituales labores debetur; dinda hæc consuetudo damnificaret Ecclesias, eas decimis privando, merito proinde invalida intelligeretur *in cap. 1. de Consetud.* Notanter autem hactenus loquor de jure *directo* decimandi: nam quid dicendum sit de jure utili, paulò inferius exponam.

Grandis igitur est difficultas, quomodo defendendi sint laici, qui passim in nostris partibus decimas non ex titulo ususfructus, vel locationis, sed jure proprietatis sibi vindicant, nec privilegium Papale, nec infeudationem ante Concilium Lat. factam ostendere possunt nesciunt tamen quo jure, vel titulo primitus acceperint?

25 Vereor, ne multi laici cum animarum suarum periculo decimas detineant *juxta text. in c. 1. prohibemus 16. h. t.* quando experientia constat, à tempore, quo hæreses ordinem, & tranquillitatem Ecclesiæ turbarunt, eò temeritatis perventum esse, quòd præsertim Patroni, & advocati Ecclesiarum jura, & reditus Ecclesiasticos, quasi liberè in suam utilitatem convertant, Parochos, & Beneficiatos etiam non requisito Episcopo, & nescio quibuscum illicitis pactis instituant, destituantque. Quare optandum foret magnoperè, & quidam laici saltem opulentiores ad eligendam viam tutiorem, & exonerandam suam, aut suorum Majorum conscientiam induci possent, ut decimas, aliaque jura Ecclesiis Parochialibus restituerent, Verùm quia prædicti excessus non sunt de omnibus laicis præsumendi, & satis colligitur ex Jure, & DD. olim non fuisse infrequens, quòd laicis, vel ob merita sua in Ecclesiam, vel ob ipsius Ecclesiæ utilitatem, vel ex privilegio aut per contractum feudalem decimæ concederentur: idcirco in proposita quæstione duos casus principales distinguo.

I. An laici habeant decimas à tanto tempore, ut nec *de initio*, nec de *contrario* constet.

II. An habeant decimas à tanto tempore, ut de *initio* possessionis quidem non constet, constet autem de *contrario*, v. g. ex libris antiquis, vel instrumentis authenticis, ex quibus ostenditur, quòd decimæ ante annos 100. vel 200. adhuc pleno jure penes Ecclesiam fuerint?

26 Quod attinet ad primum casum, dico, quamvis laicus decimas præscribere etiam tempore immemoriali non possit, operatur tamen hæc immemorialitas temporis quòd ex ea præsumatur, antecessores laici omni meliori modo, sive deinde per privilegium, sive per infeudationem ante Concil. Lat. decimas acquisivisse. *arg. cap. super quibusdam de V. S. cap. 1. de Præscript. in 6. lib. hoc jure §. ductus aquæ ff. de Aq. quot. & æstiv.* Pulchrè ad propositum loquitur Gilken. *de Præscript. p. 3. cap. 8. num. 22.* Quamvis, inquit, 100. imò 1000. annorum possessio, ubi de non justo primordio constat, non minuat possessionis causam, cùm in persona possessoris, & Majorum, & Authorum ipsius tale jus coalescere non potuerit, *cap. causam de Præscript.* tamen ex quo de hujusmodi exordio non constat, & talis res sit, quæ ex causa laico acquiri possit, existimando est, cùm tot annorum intervallo nemo ipsi quæstionem moverit, justam quoque initii rationem fuisse; cùm enim tam varii sint casus, ex quibus instrumenta intercidere, vel interverti possint, videl. incendium, furtum, injuria concernentium, vetustas ipsa omnia paulatim hauriens, infirmitas memoriæ ignorantium, quo loco quid positum, aut conditum sit, fiducia sui juris ex tam longa, & inconcussa possessione, non debet Ecclesia in tot humanæ conditionis casibus occasionem, quem ex inopinato casu suo jure evertendi, aucupari, cujus fortè Majores propter optima in Ecclesiam merita decimas quasi pro recompensatione acquisiverunt, quo etiam referri possunt, quæ infra *n. 37.* dicentur.

Sed inquies, quid interest, an Laicus præscripserit 27
decimas, vel an in illarum possessione, & perceptione relinquatur? R. Differentiam jam satis insinuatam esse; si enim ponatur laicum præscripsisse decimas, acquisivit dominium juris, & id retinebit, tametsi aliquando post completam præscriptionem emergat titulus, & initium inhabile, quia imposterum non amplius possidet decimas ex primo illo titulo, sed ex jure præscriptionis. Sin autem laicus tantùm ex præsumptione boni tituli, quæ oritur ex immemorialitate temporis relinquatur in possessione, privabitur hac possessione, si per Parochum de vitioso initio convictus fuerit. Felin. *in c. accidentes. num. 6. & in cap. cùm ex officii. num. 13. de Præscript.* Non obstat, quod dicit Vasquez *illustr. Controv. par. 1. lib. 2. cap. 81. num. 12. & 15.* licet constet de uno titulo inhabili, nihilominus ex diuturnitate temporis de alio meliori ex postfacto superveniente præsumendum esse; eò quòd ex antiquitate temporis factum non tantùm unum, sed etiam plura, si necessaria sint, præsumantur. Non obstat, inquam, ut enim hoc fortè procedat in aliis causis, in quibus Successores saltem mediatè in bona fide existentes per longissimum tempus præscribere possunt, tametsi Antecessores eorum fuerint in mala fide Fachin. *lib. 8. Controv. cap. 27. vers. nec obstant.* Cov. de 28
Præscript. par. 2. §. 9. num. 7. secus tamen est in causa decimarum, in qua nulla præscriptio laicum juvare potest. Propterea, quando Parochus probat vitiosum initium possessionis, habet triplicem fortissimam præsumptionem pro se: unam ex incapacitate laici, alteram ex jure ipso, quo omnes decimæ ad Parochum spectare censentur, *c. 2. de Restit. spol. in 6.* tertiam ex demonstratione vitiosi initii in possessione laici: dum contra laicus solam, & unam præsumptionem ex immemorialitate temporis prætendere potest: notorium est autem, unam præsumptionem aliis præsumptionibus pluribus & fortioribus penitùs elidi ac enervari *arg. cap. in nostra. 4 de Procurat.* 29
l. divus. 7. ff. De in integ. rest. Neque verùm est, quod quidam contendunt, ex immemorialitate temporis oriri præsumptionem Juris, & de Jure, contra quam non admittatur probatio in contrarium, etenim nulla est præsumptio Juris, & de Jure, nisi quæ expressè in aliquo Canone, vel lege contineatur, quod de immemorialitate temporis non reperimus, eamque ob causam contra probatam immemorialitatem admittendas esse probationes de vitioso initio, rectè docet Arnold. Rath. *Tract. de Usucap. c. 5. assert. 47. num. 2. & 3.* Henr. Canis. *de Decimis. c. 9. in fin.* Fachin. *Controv. l. 8. c. 33.*

In *altero casu principali* potissima difficultas dependet 30
ab eo, an dicatur tempus immemoriale, quando quidem non constat, quo *initio* cœperit possessio, constat autem de *contrario*, quòd scil. ante tot, & tot annos necdum apud antecessores moderni possessoris fuerit. Nam si dici debeat tempus immemoriale, de cujus initio non constat, habebit laicus præsumptionem juris ex immemorialitate temporis pro se, & relinquendus erit in possessione decimarum, usque dum Parochus vitiosum initium ostendat? licèt enim non desit, qui cum Host.

in cap.

in cap. cùm Apostolica boc tit, num. 10. & Canisio *de Decim. cap. 13. num. 9.* putant non sufficere immemorialitatem temporis, contraria tamen sententia æquitati magis convenit, ne quis ob difficultatem probarionis facilè suo jure privetur, & ne nihil antiquitati temporis tribuatur Burtius, & Imola *in d. cap. cùm Apostolica*, aliique apud Cov. *lib. 1. Var. Res. cap. 17. n. 5.* citati. Sanè hæc quæstio non tantùm vix apud aliquem authorem in terminis reperitur, sed à plerisque confunditur, & nulla inter *contrarium*, & *initium* distinctio adhibetur, ut per Gloss. *in c. 1. in v. memoria de Præscript. in 6.* Mascard. *de Probat. vol. 2. Conclus. 2042.* imò *in d. cap. 1.* expressè dicitur illa immemorialis præscriptio, *cujus contraria memoria non existit*. Verùm frequentiùs DD. supponunt, rectè dici possessionem immemorialem, quamvis constet, quòd aliquando contrarium fuerit, dummodo de initio præsentis possessionis non constet. Craveta *de Antiq. tem. p. 4. sect. absolutis differentiis*, omnium clarissimè Molina *de J. & J. tract. 2. disp. 76. num. 3.* Facit Text. *in cap. super quibusdam de V. S.* ibi: *ex antiqua consuetudine à tempore, cujus non extat memoria, & in L. 3. §. ductus aquæ ff. de Aqua quot. cujus origo memoriam excessit, Jure constituti loco habetur.* Doctores autem, & textus supra relati optimè cum hac opinione conciliati videntur per illum modum loquendi, quo utitur Menoch. *de Arbit. Jud. lib. 2. Cent. 1. casu 43. num. 2.* Nimirùm, quòd illud dicatur tempus immemoriale, *cujus initii memoria non est in contrarium*. Bonus text. *in c. 1. de Consuet. in 6.*

31 Nova est disputatio, an sit immemorialis possessio, quam constat infra 100. annos cæpisse, nescitur autem, quando? adeoque an tempus immemoriale necessario debeat 200. annos excedere?

32 Affirmant Card. *in c. si diligenti de Præscript.* Molina *d. disp. 76. num. 2.* Cov. *de Præscript. p. 2. §. 3. sub num. 9.* Sed, si istorum DD. argumenta perpendo, parùm me persuadent: etenim quòd ita inferant: centenaria præscriptio requirit titulum *c. si diligenti in fin. de Præscript.* ergo immemorialis, quæ titulum non requirit, debet esse major centenaria; rectè negari potest consequentia, quia quòd in centenaria requiratur titulus, hoc ipsum in specialem favorem Ecclesiæ Romanæ constitutum est, ne tam facilè per præscriptionem damnificetur. Unde, quod addit Molina, præscriptionem immemorialem esse magis privilegiatam quàm centenariam, verum est respectu præscribentis, non verò respectu ejus contra quem præscribitur.

33 Quare in hac difficultate ego breviter sic dicendum arbitror, quòd in illis caussis, in quibus præscriptio 40. annorum cum titulo procedit, probabilius sit, ex nullo Jure evinci, quin etiam infra 100. annos ad effectum, quòd aliquis non teneatur probare titulum, detur immemorialis possessio, si testes saltem per 40. annos testentur de visu proprio, quòd semper viderint rem in hoc statu fuisse, & de cætero non audiverint de initio; quia tunc sufficienter probatum est, quòd *origo memoriam excesserit*, prout id solùm ad immemorialem possessionem requiritur *in c. l. 3. §. ductus aquæ ff. de Aqua quot. & æst.* & quia de Jure civili in præscriptione 30. & 40. annorum absolutè non requiritur titulus, *l. sicut & l. omnes C. de Præscript. 30. annor.* de Jure verò Cannonico per quandam correctionem sit inductum, ut in præscriptione 40. annorum requiratur titulus, ubi jus resistit præscribenti, *c. 1. de Præscript. in 6.* videtur omninò congruum, ut hæc correctio strictè accipiatur, *l. præcipimus Cod. de Apell.* & non extendatur ad eum casum, quo aliquis per famam & testes probare potest possessionem 40. annos longiùs excessisse, & ita quidem, ut initii memoria non existat, quamvis fortè 100. anni elapsi non sint. Atque hujus opinionis (ex aliis tamen fundamentis) etiam est Craveta *de Antiq. temp. p. 4. sect. absolutis differ. nu. 2.* cum Gl. *in c. cùm nobis v. contum de Præscript.* & Alexand. apud eundem Crav. *n. 4.* cit.

34 Interim tamen quia in causa decimarum non est locus præscriptioni, sed solum ex præscriptione proceditur, ut jam sæpiùs repetitum; ideò libenter concesserim, quando constat possessionem intra 100. annos cæpisse, nescitur autem quando, posse tamen circumstantias, & conjecturas concurrere, ex quibus præsumptio temporis antiqui elidatur, & pro Parocho (qui aliunde jam præsumptionem Juris pro se obtinet) sufficienter probetur, laicum malam possidendi causam habere, nisi de legitimo titulo docuerit verb. grat. si constet possessionem multùm infra 100. annos cæpisse, antecessores laici fuisse potentes hæreticos, si testes super immemoriali producti varient, &c.

35 Postremò quæri potest, utrum saltem circa jus utile decimandi, cujus laicus non est incapax, consuetudo vel præscriptio aliquid operari valeat.

Respondeo I. Cum Canon. Lateran. Con. quo prohibetur, ne laici de decimis infeudentur, non sit juris naturalis, aut divini, nihil putarem obstare, quin per contrariam consuetudinem abrogari possit, *arg. cap. fin. de Consuet. l. de quibus, cum seq. ff. de LL.* haud enim videtur irrationabile, quòd laicis decimæ in feudum concedantur cum authoritate Episcopi: si id ipsorum merita, vel Ecclesiæ utilitas exposcat.

36 Deinde illam prohibitionem Concilii plurimi DD. tantùm accipiunt de infeudatione *perpetua*, & in hæredes transitoria, unde cùm correctiones Jurium non sint extendendæ, *l. præcipimus in fin. Cod. de Apell.* existimant, etiamnum hodie posse per Episcopum, aliumve Ecclesiæ Prælatum decimas alicui laico ex justa causa, & cum ordinaria Juris solemnitate ad tempus vitæ, vel aliud longum tempus in feudum, vel emphyteusim concedi. Gl. & Abb. *in c. quamvis 17. h. t. Var. Resol. lib. 1. c. 14. n. 5.*

37 Resp. II. Quamvis inter DD. controvertatur in *c. prohibemus 19. h. t.* utrùm jus *utile* per unum laicum acquisitum in alium rectè alienetur? nihilominus per consuetudinem tales alienationes convalidari posse, quia in Jure dubio optima legum interpres est consuetudo, *l. si de interpretatione 37. ff. de LL.* & hinc non dubito, quin multæ decimæ ante Concil. Lat. ab Ecclesiis, per modum feudi, vel emphyteusis separatæ sint, quæ etiamnum hodie apud laicos manent, non quidem semper jure hæreditario, sed per diversas venditiones, & alienationes bonorum ad eos devolutæ. Licèt autem laici, qui hujusmodi decimas possident, nulla pro iis servitia, aut fidelitatem secundum naturam Feudorum Ecclesiæ præstent, non tamen statim evincitur, quòd tales decimæ ab initio non fuerint per modum juris utilis concessæ, nam præstatio servitiorum, & fidelitatis juramentum non est substantiale, sed tantum naturale contractus feudalis, unde pacto, & consequenter etiam præscriptione illa obligatio tolli potest, quemadmodum dari *feudum Francum*, in quo nulla servitia præstantur, & in feudo concesso Ecclesiæ non præstari fidelitatem, *c. unic. Ecclesiam fidel. non fac.* nemo est, qui ignoret. Item quod obligatio præstandi annuum canonem præscribi possit per Emphyteutam, dicetur inferiùs *in §. 3. sub num. 7.* Est tamen inter res feudales, & emphyteuticas *profanas*, ac inter *decimas* differentia, quòd illæ per præscriptionem possint transire in *allodium*, non verò istæ, quia juris *directi* decimandi incapax est laicus.

38 Sed ait: quid valebit hoc jus *directum* apud Ecclesiam, si Laicus id non recognoscat, nulla pro eo servitia, fidelitatem, canonem, aut laudemium præstet? Respondeo Sicut in aliis rebus præscriptio contra Ecclesiam admittitur, ita etiam in his. Et unum saltem reperio hujus juris directi effectum, quòd nimirùm Ecclesia has decimas à laico possessas contra fiscum vindicare possit, si laicus sine legitimo hærede defunctus bona vacantia reliquerit: aut crimen confiscatione bonorum dignum commiserit, in feudis enim, & emphyteuticis domino directo præjudicari non potest. Utrùm autem S. Pont. pro plenitudine potestatis suæ non posset Ecclesias adversus præscriptionem laicorum eatenus restituere, ut laici in recognitionem directi dominii tenerentur de decimis possessis singulis annis certam aliquam portionem solvere, altioris indaginis est, & licet id foret æquitate plenum, ac Ecclesiis utile, vix tamen sine cooperatione Imperatoris, & Principum terrarum posset in executionem deduci.

39 Respondeo III. Hodie stante prohibitione Concilii Lateranens. posse quidem laicum contra alium laicum ante Concilium infeudatum jus utile præscribere, contra Ecclesiam autem post Concilium non posse, vel enim sciret post Concilium non licere habere decimas in feudum ab Ecclesia, vel ignoraret? Si priùs, foret in mala fide *vera*; si posterius esset in mala fide *ficta*, seu in igno-

tan-

rantia Juris, quæ non prodest acquirere volentibus, *l. Juris 7. ff. de Juris, & facti ignor. l. unnquam 31. inp. ff. de Usucap.*

Sed ais: posse contingere, ut aliquis sciat, non licere dare feudum decimarum laicis post Concilium, & tamen sit in bona fide, si nimirum ipse, & ejus antecessores tempore immemoriali decimas ex titulo feudi possederint. Respondeo, Si in hac immemoriali possessione non constet de initio, omni meliori modo præsumendum esse; Laici majores fortè ex privilegio, & dispensatione speciali tale feudum accepisse; sin autem Parochus docere possit, quòd tantùm per privatas conventiones inter suos, & laici antecessores (quamvis Episcopi authoritate accedente, feudum datum sit) quantocunque etiam tempore non erit præscriptum, sicut enim pactis privatorum Juri publico derogari non potest, ita nec contraveniri
40 prohibitioni legis communis publicam utilitatem concernentis per privatorum, & particularium hominum præscriptionem. Cui non obstat, quòd res temporales Ecclesiæ immobiles, vel mobiles pretiosæ alienari prohibitæ, nihilominus præscribi possint. Riccius *in Praxi*
41 *aureap. 1. ref. 32.* nam diversitatis ratio est ista, quòd res Ecclesiæ temporales non prohibeantur absolutè devenire in manus laicorum, sed tantùm sine solemnitatibus, quas cursus temporis, & bonæ fidei possessio per 40. annos continuata supplere videtur. Sed circa decimas absoluta est prohibitio, ne per viam etiam juris utilis ad laicos quibusvis cum solemnitatibus transferantur.

---

§. III.

Qualiter detur Immunitas à solvendis decimis.

S U M M A R I A.

42 *An, & qualiter detur immunitas à solvendis decimis.*
43 *Religiosi qualiter de jure exempti à solutione decimarum.*
44 *Quorundam specialia privilegia extra corpus iuris, & qualiter intelligenda.*
45 *An habentes communicationem Privilegiorum, communicent privilegium immunitatis à solvendis decimis.*
46 *Consuetudine etiam datur immunitas, sed regulariter tantum immemoriali.*
47 *Præscriptione etiam Laici immunitatem acquirere possunt.*
48 *An præstationibus annuis præscribi possit, & quis sit sensus L. cum notissimi §. fin. C. de Præscript. 30. annorum.*
49 *Quanto temp. præscribatur immunitas.*
50 *A restitutione decimarum ante completam præscriptionem non excusat consumptio bona fide facta, aut triennalis possessio.*
51 *Ecclesia habet dominium in decimis nondum solutis in sui favorem, non verò in sui præjudicium.*
52 *Pupillus mutuans, aut solvens manet dominus pecuniæ, quamdiu dominium sibi est utile.*
53 *Clericus minorennis in beneficialibus habetur pro majorenne, ut possit agere in judicio, non verò, ut careat auxilio restitutionis in integrum.*
54 *Immunitas per contractum potest acquiri gratis, vel pro aliare spirituali.*
55 *Conciliatio* c. statuimus, &c. veniens, de Transact.
56 *Abbates possunt dare consensum in alienatione rerum ad suas Parochias pertinentium.*
57 *Quo sensu pro re temporali possit acquiri immunitas.*
58 *Pauperes an sint immunes à solvendis decimis?*
59 *Quis in causa decimarum sit Judex competens?*

42 NOn defuerunt ex antiquioribus præsertim DD. existimantes neminem posse à solutione decimarum eximi; eo moti argumento, quòd decimæ sint Juris divini, & consequenter per humanas inventiones non temutabiles. Verum hanc sententiam cum communiori ita limitandam censeo, ut exemptio à solvendis decimis dari non possit, si per eam congrua sustentatio Parochorum adimeretur, etenim decimas non aliter esse juris divini, quàm in quantùm ad sustentationem Clericorum necessariæ sunt, jam supra *in §. 1.* explicavimus. Quare si Parochus aliunde sufficientes reditus habeat, vel si ex decimis aliquotum tantùm Parochianorum congruè sustentetur, rectè dicitur, dari exemptionem, seu immunitatem à solvendis decimis per *privilegium Pontificium, consuetudinem, præscriptionem aut contractum.*

Per *Privilegium*, idque in Corpore juris clausum Re- 43
ligiosi, & alia pia loca diversimodè per Canones à solutione decimarum eximuntur, quos diversos Canones ita in ordinem redigit Glossa *in c. ex par. 10. in V. laborum suorum hoc t.* quod nimirum Monachi in primitiva Ecclesia decimas dederint tanquam Laici, *arg. cap. alia causa, & cap. generaliter 16. q. 1. cap. duo q. 1.* posteà Paschalis II. statuerit, quòd nec Monachi, nec Clerici communiter viventes decimas de suis laboribus solverent, *c. decimas 16. q. 1.* tempore verò procedente Hadrianus Papa solis Cisterciensibus, Hospitalariis, Hierosolymitanis, seu Templariis concesserit hoc privilegium, ut de laboribus suis, quos propriis manibus, vel sumptibus excolunt, decimas solvere non teneantur, alios verò Monachos tantùm in decimis Novalium suis manibus, aut sumptibus factorum; item, & in horris, & nutrimentis animalium suorum exemerit, *d. cap. ex parte cum seqq. hoc t.* demum Innocent. III. in Concil. Later. privilegium Cisterciensium, & aliorum *in d. cap. ex parte* respectu possessionum post dict. Concil. acquirendarum sustulerit. Novalium autem nomine intelliguntur illæ terræ noviter per Religiosos ad culturam redactæ, de quarum cultura non extat memoria: ex quibus priùs Parochus nullas, vel exiguas decimas percipiebat, *cap. fin. de Privil. &c. quid per Novale 21. de V. S.*

Cæterùm extra corpus Juris per speciales Bullas multi 44
Ordines Religiosorum exempti sunt, non tantùm in novalibus, sed etiam quibuscunque terris, quas suis laboribus vel sumptibus colunt. Sicut de Religiosis Congreg. Cassinensis, Camaldulensibus, Prædicatoribus, Carthusianis, & pluribus aliis attestatur Barb. *in dict. c. ex parte num. 5.* Sed hæc privilegia non extenduntur ad illas possessiones, quæ non sunt Religiosorum propriæ, sed ab aliis conductæ, *cap. dilecti 8. hoc tit.* Neque ad illas, quas Religiosi aliis vendiderunt, vel elocarunt, concernit enim privilegium tantùm personas Religiosorum, non extraneas, *cap. licet 11. hoc tit.* sicut in simili, licet fiscus de possessionibus, quas tenet, non solvat vectigal; emptores tamen, & conductores solvere tenentur, *l. locatio 9. §. ult. ff.* de *Publican.* Cæterum verò, si in privilegio concedatur exemptio à solvendis decimis *de laboribus*, hic terminus non debet restringi ad sola Novalia, sed universas proprias possessiones propriis laboribus, vel sumptibus cultas, *c. ad audientiam 11. h. t.*

Quæritur autem, an alii Religiosi, qui in specie qui- 45
dem à solutione decimarum exempti non sunt, attamen generalem communicationem privilegiorum cum exemptis habent, hoc ipso etiam quo ad decimas privilegiati censeantur. Negativè aliquoties fuisse in Rota decisum, refert Barb. *de Offic. Par. p. 3. c. 28. §. 3. num. 41.* quia immunitas à solvendis decimis est difficilis concessionis propter præjudicium Parochorum *arg. cap. nuper 34. hoc tit.* ut proinde locum habeat regula, quòd in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus, *cap. qui ad agendum de Procurat. in 6.* & quia *dict. cap. nuper* in quo similia Privilegia abrogantur, est constitutio Conciliaris, cui non derogatur sine expressa mentione. Nihilominus tamen notabiles limitationes ex aliis Rotæ decisionibus ponit Pasqual. *in Addit. ad Laurent. de Franchis de Controv. inter Epis. & Reg. p. 2. q. 72. num. 10. & seqq.* quòd nimitùm in generali communicatione privilegiorum etiam veniat exemptio à decimis, si communicatio sit talis, ut exprimat aliqua præjudicialia privilegia saltem in genere, vel adsit talis amplitudo verborum, ut significet mentem communicantis se extendere ad omnia, item si in privilegio communicato jam sit inserta clausula derogatoria *dict. c.*

nuper

nuper. quia privilegium communicans communicat privilegium cum suis qualitatibus: præsertim si privilegium communicationis habeat annexam clausulam: *quorum tenore &c.* quæ operatur, ut privilegia communicata censeantur literis communicationis de verbo ad verbum inserta. Accedit, quòd privilegia exemptionis à decimis dantur Religiosis intuitu laborum, quos sustinent in Ecclesia prædicando, & Sacramenta ministrando, ut dixit Rota *decis 79.5.num.* 27. ergo æquitas suadere videtur, ut hujusmodi privilegia ad Religiosos communicantes, qui similes labores subeunt, pariter extendantur.

46 Per *consuetudinem* quoque dari immunitatem à solvendis decimis, verior est sententia: Ita enim videmus decimas *personales*, item decimas minutas passim abrogatas esse, sicut attestantur DD. qui in diversis Europæ partibus *de Decimis* scripsere. Sed hoc cum generali illa limitatione accipiendum est, si nimirum Parocho per talem consuetudinem congrua sustentatio non subtrahatur. Præterea rectè advertit Paulus Laym. *in Theolog. mor. l. 4. tract. 7. cap. 6. num.* 11. quamvis regulariter ad introducendam consuetudinem adversos legem Ecclesiasticam 40. anni sufficiant; quia tamen lex decimarum obligat sub gravi peccato, non posse ordinariè immunitatem per consuetudinem nisi tempore immemoriali introduci, ex quo scilicet successores bona fide credant suis majoribus per privilegium, aut alium titulum obligationem decimarum remissam esse: nam aliàs locum habebit text. *in cap. cùm haberet de eo qui duxit, &c.* quòd *diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet*, & *in cap. fin. de Consuet.* quòd *tantò sint graviora crimina, quantò diutius infelicem animam tenuerunt.*

47 Quod de consuetudine magis de *præscriptione* sentiendum est: cùm enim præscriptio in eo differat à consuetudine, quòd consuetudo inducatur ab aliqua communitate, præscriptio verò à singularibus personis, sanè minùs præjudicabit Parocho, si unus, vel alter per præscriptionem à solutione decimarum se eximat, quàm si tota communitas. Imò quamvis laici jus decimandi tanquam spirituale, & propter spirituale ministerium competens acquirere non possint per supradicta, immunitatem tamen eos præscribere posse magis inter DD. convenit, quia per hanc nullum jus spirituale, sed tantùm potestatem fru-
48 ctus suos integros percipiendi consequuntur Cov. *Var. Res. l. 1. c. 17. n.* 10. Neque verum est, quod quidam docent *ex l. cùm novissimi §. fin. C. de Præscript. 40. ann.* obligationibus annuis absolutè præscribi non posse: nam contrarium evincitur *ex cap. de quarta, &c. ad audientiam de Præscript. l. eos 22. C. de Usur.* Quòd verò Imperator *in d. l. cùm novissimi*, dicat in iis obligationibus, quæ dationem per singulos annos continent, præscriptionis tempus non ab exordio obligationis, sed ab initio cujusque anni computandum esse, &c. ita intelligi debet, quòd circa obligationem annuam duæ quasi diversæ præscriptiones concurrant: una, quæ præscribitur ipsi principali, & generali annuæ obligationi, quæ se habet respectu omnium præstationum annuarum; & altera, qua præscribitur obligationi speciali, & secundariæ dandi res singulas annis singulis: in illa præscriptio computatur à die, qua primitus in solutione cessatum est, *l. pen. in fin. Cod. de Præscript. 30. ann.* in hac à singulis annis, vel mensibus, in quibus res illæ solvi debuissent, *d. l. cùm novissimi §. fin. in pr.* Unde, qui v. g. per 50. annos decimas bona fide non solvit, non tenebitur quidem illas decimas restituere, quas primo decennio percepit, quia etiam respectu illarum 40. anni elapsi sunt; neque illas, quas ultimo decennio percepit, quia illæ post præscriptionem jam completam perceptæ sunt, illas verò, quas intermediis 30. annis percepit, restituere omninò tenebitur, cùm respectu illarum (numerando præscriptionem à singulis annis quibus solvi debuissent) ex defectu 40. annorum necdum completa sit præscriptio. Quam eandem interpretationem quondam docuit Reverendissimus Dominus Gregorius Kimpher nunc Abbas Schyrensis, Professor, & antecessor meus de hac Universitate nostra olim sua præclarissima doctrina, nunc suis gratiis meritissimus. Videtur quidem in contrarium facere, quod Imp. *in d. l. cùm novissimi §. fin.* exemplum subiiciat de Emphyteuta (cujus etiam est obligatio annua) quòd nullo temporis curriculo rem Emphyteuticam tanquam propriam præscribere possit. Sed, nisi fallor, ex illo exemplo nostra sententia non parum confirmatur: nam Imperator vult dicere, quamvis Emphyteuta possit præscribere obligationi dandi annuum Canonem (alias enim frustra præmisisset qualiter præscriptiones circa obligationes annuas computari debeant) non tamen propterea posse prætendere quòd res quoad dominium *directum* ad se pertineat ex defectu scilicet possessionis, quam non habuit ut dominus *directus*, sed tantum ut Emphyteuta, quòd si interverteretur Domino possessio v. g. per alienationem in eum, qui rem tanquam liberam, & propriam possideret, tunc etiam usucapio quoad dominium directum procederet, ut advertit Gloss. *in d. §. fin. v. conductori, & in l. 2. v. usurpet. C. eod. tit.* Sed.

Quær. I. Quanto tempore immunitas à solvendis decimis præscribatur? Distinguitur, an præscriptio prætendatur contra Ecclesiam Parochialem, vel contra aliam Ecclesiam, aut Monasterium, vel omninò contra privatum Clericum, aut Laicum: In primo casu requiritur cum titulo 40. annorum spatium, & sine titulo tempus immemoriale *c. 1. de Præscript. 6.* In secundo casu 40. anni etiam sine titulo sufficiunt: & tertio. 10. cum titulo, & sine titulo 30. juxta vulgata præscriptionis Jura. Ante 49
50 omnia tamen in hac immunitatis, sicut in quavis alia præscriptione *bona fides* requiritur *cap. fin. de præscript.* ut scilicet immunitatem prætendens sine contumacia, aut fraude justo errore ductus decimas hactenus solvere recusarit, puta quia agrum tanquam immunem à decimis emit, venditore privilegium, vel compositionem cum Parocho factam allegante; vel quia putativum privilegium haberet, aut sui antecessores nunquam ab hominum memoria decimas persolverint. Text. *in leg. fin. ff. Pro suo.*

Quæritur II. An is, qui bona fide per 10. vel 20. annos decimas Ecclesiæ non solvit, si ex post facto ad solutionem decimarum condemnetur teneatur, non tantùm decimas futuri, sed etiam præteriti temporis persolvere? Videtur quidem negativè respondendum, cùm passim inter DD. conveniat, bonæ fidei possessores, à quo res possessa per sententiam evincitur, non teneri ad restitutionem fructuum consumptorum *§. si quis à non Domino 35. Inst. de Rer. divers.* neque extantium, quos bona fide per triennium possedit, & consequenter usucepit. Barth. *in l. 4. §. fructus ff. de Usucap.* Reyger. *in Thesauro Jure v. fructus num.* 57. Quod autem præscriptio triennalis, & quælibet minor decennio etiam contra Ecclesiam procedat, communis est DD. *in auth. quas actiones. Cod. de SS. Eccles.* 51

Verùm hac ratione dubitandi non obstante, puto etiam decimas præteriti temporis restituendas esse, nisi respectu singulorum annorum quadragenaria præscriptio intervenerit; etenim alia est ratio fructuum ex re aliena perceptorum, & alia decimarum; in fructibus præscribitur dominium verum, & *irrevocabile*, cùm priùs fuerint revera alieni, & tantùm in quasi seu *revocabili* dominio possessoris, ad eum principaliter effectum, ut exclusa actione *in factum* possessor eos jure consumere potuerit. Harp. *in dict. §. si quis à non Domino num. 56. & seqq.* In decimis autem præscribitur obligationi, & actioni tanquam in quibus Ecclesia necdum *in sui præjudicium* dominium habuerit, sed actionem seu condictionem ex canone Gl. *in cap. tua nobis h. t.* Constat verò, obligationes, & actiones regulariter esse perpetuas, & durare usque ad 30. & contra Ecclesias usque ad 40. annos *Princip. Instit. de Perpet. & temp. act. junct. l. omnes & leg. sicut. Cod. de Præscript. 30. annor.* Neque in decimis rectè applicatur illa regula: quòd possessor bonæ fidei lucretur fructus: cùm decimæ respectu Parochi non se habeant per modum accessorii, & fructuum, sed ipsæ per se principaliter sint in obligatione, sicut si hæres frumentum defuncto mutuatum ignarus mutui tanquam proprium consumpserit, non ideò minus ex mutuo tenebitur.

Sed nunquid veriùs est, quod docet Panor. *in c. commissum, & in c. tua nobis, hoc tit. num.* 12. decimas ante solutionem esse in dominio Ecclesiæ propter tex. *in capit. moderamine 16. quæst.* 1. ubi *vindicatio* pro decimis conceditur, quæ non nisi domino competere solet, *leg. in rem. ff. de Rei vind.* & *arg. l. ut inter Cod. de SS. Eccles.* in qua communiter notant Interpretes, quòd dominium

in

in Ecclesiam etiam sine traditione transferatur. Res. Hanc sententiam Panorm. procedere, in quantùm est Ecclesiæ favorabilis, ut scil. possit decimas à tertio possessore vindicare, *c. cùm non sit*, *& c. pastoralis hoc t.* ut boni parochiani subhastatis in decimis extantibus ante omnes privilegiatos creditores ponatur *l. si ventri §. in bonis ff. de Privil. Cred.* non autem si exinde aliquod præjudicium Ecclesiæ inferatur, si propterea breviori præscriptione damnificetur, ne quod in favorem Ecclesiæ est introductum, in ejus odium retorqueatur, *c. quod ob gratiam de R. J. in 6.*

52 Quemadmodum in simili pupillus (à quo bonum est argumentum ad Ecclesiam, *cap. 1. de In integr. rest.*) si absque tutoris authoritate mutuam det pecuniam, vel solvat debitori, manet quidem adhuc dominus pecuniæ mutuatæ, vel solutæ, & si extet, eam vindicare potest, *l. non omnis 19. §. 5. ff. de Reb. cred. l. quod si 14. §. fin. ff. de Solut.* Sin autem pecunia consumpta fuerit, aut perierit penes accipientes, pupillus in sui præjudicium non censebitur habuisse dominium, sed mutuum, vel solutio convalescet, & condictionem in mutuo, vel liberationem in soluto operabitur, ob eandem scilicet causam, *ne quod in favorem &c.* Pariter Clericus minorennis in beneficialibus causis habetur pro majorenne, unde, & in iis procuratorem constituere, vel ipsemet agere poterit, *cap. fin.*
53 *de Judic. in 6.* Sed, & hoc dum de favore ejus agitur. Quid ergo si inconsulta facilitate ductus suum beneficium resignaverit, an ne exemplo minorennium læsorum in integrum restituetur? Affirmativa magis recepta est ex eodem iterum fundamento, *ne quod in favorem*. Covar. *Var. Resol. lib. 1. cap. 5. n. 3.* Zoes. *ad tit. Decret. in integr. rest. n. 4.*

54 Quæritur III. Qualiter immunitas à solvendis decimis per contractum acquiri possit? Quòd per gratuitam, & liberalem compositionem; item etiam pro re, aut jure aliquo spirituali (v. g. si Religiosi obligari ad solvendas decimas pro immunitate se obligent ad faciendas conciones in Ecclesia parochiali) immunitas rectè acquiratur, satis colligitur *ex c. statuimus, & c. veniens de Transact.* ita ta-
55 men, ut nisi Superioris Authoritas interveniat, talis contractus minimè obliget Parochum successorem, *d. c. veniens*, quamvis enim successor hæreditatis factum sui defuncti præstare debeat, ex cujus persona lucrum sentit, & cùm in eum omnes regulariter actiones passivè, & activè transeant, *l. cùm matre Cod. de Rei vindic. l. ex qua personas 149. & l. qui in jus 177. ff. de R. J.* Successor tamen in dignitate, vel officio, cùm omne suum jus non à defuncto, sed ab electione, institutione, vel concessione Superioris habeat, regulariter non tenetur stare pacto sui antecessoris, si illud pactum non sit jam absolutum, & expeditum (ut venditio, donatio &c. circa res sine solemnitate alienabiles) sed habeat causam continuam, & etjam successorem obligare deberet ad aliquod de præsenti faciendum, vel patiendum; ut in remissione decimarum in futurum, in locatione rei Ecclesiasticæ, & similibus, nisi tale pactum nomine Ecclesiæ, scil. cum consensu Superioris (vel in majoribus Ecclesiis cum consensu Capituli) factum sit, Covar. *Var. Resol. lib. 2. c. 15. num. 6.* Gutier. *Can. qq. lib. 1. c. 6.*

56 Quæritur IV. Quis in proposito veniat nomine Superioris? Dissonant inter se *capitula* in priori quæstione citata; in altero Episcopi, in altero summi Pontificis Authoritas desideratur. Libenter dicerem, Monachos, de quibus *in d. cap. veniens*, agitur, fuisse exemptos, vel sub immediata jurisdictione Papæ, sed quia non habeo hujus assertionis speciale fundamentum, ideò satis placet, quod pro concordatione dicit Panor. *in d. cap. statuimus*, nimirum distinguendum esse, an liberatio à decimis per contractum quæratur in perpetuum, vel tantùm ad tempus? in primo casu, quia relaxatur Jus commune, & contractus induit speciem privilegii, requiretur consensus, seu authoritas Papalis, in altero autem casu Episcopalis sufficiet. Item solam Episcopi Authoritatem sufficere censet Panorm. *d. l.* si contractus fiat super jure decimandi dubio, & controverso. Licèt autem *per d. c. Veniens*: in transactione (quæ tantùm fieri potest super re dubia, *t. 1. ff. de Transact.*) requiratur consensus Papalis; nihilominus illum text. de transactione sine causæ cognitione, & evidenti utilitate Ecclesiæ parochialis inita intelligit Gl. *in d. c. statuimus*. Barb. *in eod. c. veniens nu. 3.* Porrò quod de Episcopo dicitur, de Abbatibus quoque sentiendum est circa Parochias suis Monasteriis pleno jure incorporatas; quia ex communi DD. sententia per talem incorporationem, jurisdictionem quasi Episcopalem acquirunt, ut inter alia etiam authoritatem in alienatione rerum ad hujusmodi parochias pertinentium interponere valeant Panor. *in d. statuimus de Transact. nu. 4.* Innoc. *in c. statuimus in fine*. Gl. *in Clem. 1. in v. proprii de Reb. Ecclesiæ non alienand.* KoK. *de Jurisd. in exempt. pag. 1. q. 9. n. 7. & pag. 4. q. 20.*

Quæritur V. An immunitas à solvendis decimis pro 57
pecunia vel alia re temporali acquiri possit? Negativè favet text. *in c. fin. de Rerum permutat.* eamque multi DD. sequuntur cum Henr. Canis. *de Decimis cap. 17. num. 18.* Sed videtur mihi affirmativa satis probabiliter defendi posse, hoc saltem sensu, quòd per contractum v. g. emptionis, qui initur super immunitate, censeantur decimæ, quatenus considerantur ut fructus imposterum nascituri, & decimationi obnoxii in proprio agro emi, seu acquiri. Etenim valere emptionem fructuum, qui nascituri sunt text. est *in l. nec emptio 8 ff. de Contrah. empt.* Item quòd rem, quæ mea est, possim emere sub conditione, & in illum eventum, ubi mea esse desierit, apertè probatur ex *l. existimo 61. ff. jam dicto tit.* unde rectè advertit Barbos. *in d. c. fin. num. 2.* Moneta *de Decimis cap. 5. n. 130.* quòd in illo *cap. fin.* pecunia data sit pro *decimationibus*, id est jure decimandi in alienis fundis, non verò pro immunitate, & fructibus in proprio agro percipiendis. Dices: saltem Parochus accipiendo pecuniam pro immunitate vendet jus decimandi, quòd in agro habuit, vendere autem jus decimandi quod spirituale est, simonia censetur *d. cap. fin.* Respondeo. Non esse propriè venditionem juris decimandi, sed fructuum nasciturorum, ut dictum. Si enim esset propria venditio juris decimandi, deberet id emptori acquiri, emptor autem non percipit fructus tanquam decimator, sed tanquam Dominus, & ut jam ab onere decimarum liberos, sicut superiùs etiam de præscribente immunitatem traditum.

Quæritur VI. Utrùm pauperes, qui non plus colli- 58
gunt ex fructibus, nisi quantum sibi, & suæ familiæ sufficit ad alimentationem, sint immunes à solvendis decimis? Pro affirmativa, quam tenuit Melendus antiquus Canonista apud Innoc. *in c. licet de Cens.* facit quòd non videatur Ecclesia velle obligare pauperes ad dandas decimas, quæ jubet, ut Clerici pauperibus liberaliter subveniant, *cap. aurum 12. q. 1.* E contra negativam communiter amplectuntur DD. cum Gl. fin. *in cap. quia tua 12. q. 1.* Sylv. *de Dec. n. 13.* Rebuf. *de Decimis q. 5. num. 14.* eò quòd decimæ solvendæ sint instar debiti *c. Parochianos 14. h. t.* in debito autem non habeatur paupertatis respectus, nisi postquam debitor *bonis cessit*, & propterea quòd ad solvendas decimas non tantùm personæ, sed agri, & fundi ipsi obligati censeantur *c. de terris 16. h. tit.* debeanturque decimæ Deo in recognitionem universalis dominii, quod non tantùm divites, sed & pauperes oportet recognoscere. Utranque sententiam ita conciliandam esse puto; quòd pauperes à solvendis decimis ipso jure quidem liberati non sint, debeat tamen ipsis remissio per Parochos fieri. Panor. *in c. cùm homines n. 5. h. t.* Suar. *de Relig. tom. 1. l. 1. c. 16. sub n. 16.*

Quæritur VII. pro Coronide hujus materiæ decima- 59
rum, quis in casu decimarum sit Judex competens? Res. Causam decimarum (si *petitorio* agatur) accenseri spiritualibus, *arg. de c. an. de Rerum permut. c. Parochianos 14. & c. tua 25. hoc t.* ideoque regulariter ad Judicem Ecclesiasticum pertinere, *d. c. tua c. 2. de Jud.* Dico: *si petitorio agatur*: nam si solùm agatur *possessorio judicio*, & v. g. Parochus, vel alius Ecclesiasticus conveniat Laicum *interdicto adipiscendæ, retinendæ, vel recuperandæ possessionis*, aut quæratur, an decimæ sine fraude, & integræ solutæ sint? &c. plurimorum est opinio hanc cognitionem esse *mixti fori*, & etiam Laicum Judicem pertinere, arg. *c. 2. de Jurejur. in 6. junct. cap. ult. de Foro comp. in 6.* ubi executio juramenti (quod utique spirituale est) ad utrumque Judicem pertinet, diversa enim est possessio à proprietate, *l. naturaliter 12. §. 1. ff. de Acq. poss.* Henr. Canis. *de Decim. 18. num. 13.* Idem est, si ex contractu actio intentetur, quæ non tam jus decimandi

quàm

quàm ipsos fructus concernat, v. g. pro mercede locationis, vel pretio emptionis solvendo &c. Si tamen contra Ecclesiam, vel Ecclesiasticum agatur *possessorio*, vel alia actione, tantum Ecclesiasticus Judex erit, *c. si diligenti. de Foro competenti.*

Quid, si Laicus contra Laicum agat petitorio judicio super decimis ante Concil. Lat. vel per privilegium acquisitis, & actor decimas ab altero possessas titulo hæreditatis, legati, empti &c. ad se pertinere contendant? Respondeo. Non videri improbabile, tales decimas præsertim consuetudine accedente censeri inter alias res patrimoniales Laici, quæ Judicio sæculari subjacent; dummodò non simul involvatur quæstio tangens radicem juris decimandi ex SS. Canonibus dependentem, veluti an privilegium, infeudatio, vel alienatio Jure Canonico substiterit, articulus à Judice Ecclesiastico decidendus foret, *arg. c. tuam de Ord. cogn.*

§. IV.

De Primitiis, & Oblationibus.

SUMMARIA.

60 *Differentia inter Decimas, Primitias, & Oblationes.*
61 *Quid debeatur nomine Primitiarum.*
62 *Primitiæ possunt abrogari per consuetudinem.*
63 *Ex communi sententia non est præceptum faciendi oblationes.*
64 *In actibus meræ voluntatis non inducitur consuetudo.*
65 *Quo fundamento procedat consuetudo circa oblationes.*
66 *Etiam stante consuetudine non peccat, qui aliquando ommittit facere oblationes.*
67 *Parochianis non facientibus oblationes non debet Parochus negare Sacramenta.*
68 *Regulariter oblationes intra fines Parochiæ factæ pertinet ad parochum.*
69 *Oblationes factæ in Ecclesiis Regularium pertinent ad Regulares, de funeralibus tamen debetur Parocho portio canonica.*

60 INter DECIMAS, PRIMITIAS, & OBLATIONES, hanc constat esse differentiam, quòd *Decima* singulis annis in recognitionem universalis Dominii de omnibus fructibus, *Primitia* tantùm semel de primis fructibus Novalium agrorum, & animalium in signum gratitudinis erga Deum, *Oblationes* sine determinatione temporis, qualitatis, aut quantitatis ex causa devotionis persolvantur.

Discussa materia Decimarum, circa Primitias, & Oblationes
61 blationes

Quæritur I. An nomine Primitiarum omnes primi fructus debeantur? Respondeo. Primitiarum nomine in fructibus agrorum tantùm portionem aliquam, quæ quadragesimam partem ipsorum fructuum non excedat, in animalibus verò non ipsum primogenitum in natura, sed de ejus æstimatione quadragesimam, vel sexagesimam partem, juxta locorum consuetudinem persolvendum esse. Tit. & Gloss. *in c. 1. h. t.*

62 Quær. II. An Primitiæ per contrariam consuetudinem abrogari possint? Respondeo. Affirmativè, ita enim vix alicubi videmus primitias exsolvi, & quamvis primitiæ debeantur ex præcepto, tamen hoc præceptum in nova lege non esse Juris Divini probabilius existimo, quemadmodum supra de præcepto solvendi decimas dictum est. Neque obstat, quòd primitiæ debeantur ex gratitudine erga Deum, gratitudo autem consuetudine tolli non possit; nam respondetur, quòd quidem gratitudo in genere (id est, ut aliquis non teneatur esse gratus erga Deum) utique nulla ratione tolli possit, in specie autem, ot ex causa gratitudinis præcisè hoc, vel illud solvi debeat, non apparet, cur tolli nequeat, possunt enim homines per preces aut alia pietati opera suam erga DEUM gratitudinem demonstrare.

Quær. III. An sit præceptum aliquod ex quo Parochiani cogantur certis temporibus oblationes facere? 63
Difficultatem movet. *cap. omnis Christianus 69. de Consec. dist. 1.* ubi hæc verba leguntur: *Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quòd Deus per Moysem dixit, non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim, in collectis SS. Patrum liquidò apparet, ut omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu Sanctorum Patrum debent, &c.* Verùm communis est sententia, nullum esse præceptum de oblationibus faciendis, imò de ratione oblationis esse, ut sit spontanea juxta illud *Exodi: Ab omni homine, qui offert ultroneus accipietis eas.* Textum verò *in d. c. omnis Christianus*, cum Gloss. DD. intelligunt, procedere in casu, quo Parochus congruam sustentationem ex decimis non haberet. Pan. *ad Rub. de Parochiis num. 3.* Guttierez. *Canon qq. lib. 2. q. 21. n. 139. & seq.* Ego quid in hac quæstione sentiam, ex resolutione sequentis quæstionis apparebit.

Quæritur. IV. Utrùm per consuetudinem obligari possint Parochiani ad præstandas certas oblationes? In Affirmativam passim conveniunt DD. *arg. c. ad Apostolicam 42. de Simonia.* Sed videtur non leviter obstare generalis doctrina, quàm tradunt Interp. *in c. Abbate de V. S. & in leg. 2. ff. de Via pub.* quòd in actibus meræ voluntatis non introducatur consuetudo, neque præscriptio. Respondet quidem Guttierez. *Can. qq. lib. 2. c. 21. n. 144.* hanc doctrinam fallere, quando de favore Ecclesiæ agitur; quæ tamen responsio non videtur in Jure aliquod solidum fundamentum habere, neque probatur in *c. veniens 10. de Testib.* quod allegat Gutier. in quo licet dicatur, quòd Parochiani *consueverint* vinum beneficiato date, non tamen ibi exprimitur, qualiter hæc consuetudo introducta sit, ex pacto, vel propter necessariam sustentationem Parochi, &c. 64

Quare puto hanc difficultatem aliter solvendam esse, & ut liberè dicam, quod sentio, ad summum concedo, oblationes quoad *quantitate*, & *qualitatem* esse *meræ facultatis*, in genere autem, & quoad se existimo habere aliquod principium obligationis ex Jure divino *ex cap. 23. Exod.* acceptum in nova lege per usum SS. Patrum, ut ex *d. c. omnis Christianus dist. 1. de Consec.* satis apparet. Enim verò mihi planè persuadeo authoritate text. nimis clari *in c. omni Christian.* olim in Ecclesia fuisse generalem usum per illum Canonem confirmatum, ut fideles certis saltem anni festivitatibus intra Missarum solemnia oblationes facerent; quare si in aliquo loco fideles id ipsum etiam hodie observant, videtur vel illum Canonem ab antiquo retinuisse, vel de novo in usum deduxisse. Quòd verò Gl. *citatum Canonem* interpretetur procedere supposita necessitate Parochi; hanc interpretationem verbis textus generaliter loquentis non correspondere, & propterea *misericordem* esse, notat aliqua glossella marginalis supperaddita. Haud quidem diffiteor, quin Parochiani compelli possint ad faciendas oblationes Parocho, si aliunde congruam sustentationem non habeat, id tamen non probatur, nec dicitur in illo text. *c. omnis Christian.* sed potiùs evincitur ex principio Juris Divini, & Naturalis ut is, qui servit Altari, vivat de Altari, &c. 65

Dices: si saltem quoad *quantitatem & qualitatem* oblationes sunt meræ voluntatis, quomodo ergo per consuetudinem introduci potest, ut Parochiani teneantur hoc, & non aliud offerre, v. g. certam quantitatem ceræ, certum numerum ovorum, &c. Respondeo. Si tales oblationes sint valde ab antiquo fieri solitæ, & Parochus cæteroquio nullas percipiat decimas *minutas*, planè credibile est, quòd ejusmodi oblationes nec quoad *quantitatem*, & *qualitatem* sint *meræ voluntatis*, sed sint surrogatæ in locum decimarum *minutarum*, arg. eorum, quæ *supra de Sepulturis q. 12. vers. IV. Cum decimæ*, diximus: & oblationes successisse in locum *primitiarum* usu abrogatarum censet Rebuf. *de Decim. qu. 1. num. 25.* Quòd si autem Parochus simul percipiat decimas minutas, vel non percipiat quidem, prædictæ tamen oblationes in certa specie primùm ante decennium v. g. inceperint fieri, censeo puncto Juris esse conformiùs, in iis non aliter induci præscriptionem, vel consuetudinem, quàm si Paro-

Parochianis aliquando ab illis oblationibus cessare volentibus Parochus bona fide (ductus sententia Gutierez supra *num.64.* relata) contradixerit, & ita parochianos huic contradictioni acquiescentes in putativa obligatione, & se in possessione hujus juris perpetuò percipiendi certas oblationes constituerit, per ea quæ docet Gl. *in l. qua luminibus ff. de Servit. urb. prædior.* Arnold. Rath. *in Tract. de Usucap. cap.* 4. *ass.* 5. Cæterùm circa hanc quæ-
66 stionem adhuc notari potest, quod dicit Sylv. *v. Decima num.*4. oblationes ratione consuetudinis esse in præcepto, quomodo est ipsa consuetudo, scilicet quòd offerat major pars populi, non autem semper singuli de populo, sed solum pro majori parte solemnitatum, unde non erit alicui mortale, si oblationem nonnunquam intermittat.

Quæritur V. An si Parochiani per consuetudinem obligati ad faciendas oblationes, aliquando recusent eas facere, liceat Parocho propria authoritate sine Judicio E-
67 piscopi à Divinis Officiis, & Sacramentorum administratione cessare. Respondeo. Negativè; tum quòd sæpiùs ejusmodi consuetudines requirant causæ cognitionem, an legitimè introductæ sint, & Parochus non debeat esse Judex in propria causa: tum etiam, & vel maximè, quòd talis cessatio à Divinis videretur habere aliquam speciem simoniæ, quasi verò Parochus tantùm vellet Divina propter pecuniam, & oblationes administrare, *arg. c. cum in Ecclesia 6. de Simon.* Gutier. *d. c.*21. *n.* 122.

68 Quær. VI. Cujus sint oblationes, quæ non fiunt immediatè ipsi Parocho, sed vel alteri Sacerdoti celebranti, vel certæ alicui imagini, aut in speciali quadam Capella? Respondeo. Nisi offerentes aliud intenderint, aut consuetudine, & præscriptione aliud introductum sit, omnes oblationes intra fines alicujus Parochiæ factæ censebuntur esse de jure Parochiali, & pertinere ad Parochum, *cap. pastoralis* 28. *& c. quoniam* 13. *h. tit.* Pan. *in Rub. de Paroch. num.*4. Zerola *in Praxi Ep. p.* 1. *v. Parochia, vers. ad quintum*, & communiter alii. Notanter autem dixi: *nisi offerentes aliud intenderint*; nam si v. g. Capella, vel Ecclesia, in qua fiunt ejusmodi oblationes, indigent ædificatione, reparatione, aut (propter modicam ejus dotem) necessaria conservatione, in dubio oblationes in ea potiùs intuitu ipsius, quàm parochi factæ censebuntur, & consequenter non Parocho, sed Ecclesiæ, seu Capellæ acquirentur. Riccius *in Praxi aur. par.* 4. *resol.* 297. Rebuf. *de Decim. q.* 1. *n.*30.

69 Quær. VII. An etiam oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, in quibus ipsi Regulares non habent jura Parochialia, pertineant ad Parochum? Affirmat Azor. *Instit. mor. p.*1. *lib.* 7. *cap.* 27. *q.*13. nisi Regulares speciali privilegio, aut præscriptione contra Parochum muniti sint. Verùm quia hæc sententia nullo juris fundamento subnixa est, contrarium dicendum cum Pasquai. *in addit. ad Lauret. de Franch. p.*2. *q.*69. *per text. in c.* 1. *de Stat. Mon. & c. nimis iniqua de Excess. Prælat.* ubi disertis verbis statuitur, quòd nec Ordinarii locorum, nec Parochi possint Regularibus circa oblationes apud eos factas præjudicare. Quo faciunt etiam declarationes Card. quas refert Pasq. *d. l. num.* 3. & Petrus de Murga *in suis qq. p.*3. *q.* 8. *n.* 7. *&* 8. Quòd nimirùm Regulares possint in Missa recipere oblationes fidelium, dummodo à perambulantibus per Ecclesiam, ac similibus eleemosynarum extorsionibus abstineant. Quid autem dicendum sit de illis oblationibus, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium occasione sepulturæ, quam apud eos Parochianus aliquis eligit, in *Tit. de Sepulturis*, dictum est, nimirùm quòd de Jure ex his oblationibus debeatur Parocho *portio Canonica*, ut qui Sacramenta administrando onus habuit cum vivente, etiam de funere sentiat utilitatem.

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & Transeuntibus ad Religionem.

§. I.

De Religione, & ejus requisitis.

S U M M A R I A.

1 *Religio quid?*
2 *Religionis quis sit finis.*
3 *Cur diversæ Religiones in Ecclesia.*
4 *De origine Religionum.*
5 *Laus vitæ Monachalis à Justiniano Imperatore.*
6 *Tria vota substantialia religionis, & cur magis ista, quàm alia.*
7 *Non habentes omnia tria vota non sunt veri Religiosi, & possunt ad veram Religionem transire.*
8 *Ordines militares an sint veri Religiosi.*
9 *In professione Religiosa non requiritur specifica trium votorum expressio.*
10 *Solemnitas votorum consistit in actuali sui traditione.*
11 *In Societate emittentes vota simplicia censentur Religiosi.*
12 *Solemnitas votorum est tantum juris positivi.*
13 *Approbatio Religionis ad quem spectet.*
14 *Ad Monasteriorum erectionem, vel translationem, quæ requirantur, remissivè.*
15 *Monachorum appellatione qui veniant.*

Alia Summaria post §. 2.

Regulares, & Religiosi dicuntur, qui sub certa regu- 1
la aut religione vota emittunt; unde *Regulares*, & *Religiosi* dicuntur. Vocabulum quidem *Regulares* latiùs patet, & omnes ita appellari possunt, qui sub aliqua *Regula* vivunt; *Religiosi* verò illi duntaxat propriè nuncupantur, qui votis substantialibus Religionis, scilicet *Castitatis*, *Paupertatis*, & *Obedientiæ* adstringuntur, ut mox amplius declarabimus.

Porrò *Religio* ex primæva sua significatione denotat excelsam illam virtutem, quæ inter omnes morales est præcipua, ac potissima justitiæ pars, qua Deo debitum cultum, & honorem exhibemus, propter ipsius excellentiam, quatenus creationis, & gubernationis rerum omnium est primum atque universale principium, sicut ex S. Thoma tradit Miranda *in Man. prælat. tom.* 1. *art.* 1. Quod ipsum etiam Cicero solius naturalis luminis ductu agnovit, dum 2. *Rhetor.* ait *Religio est virtus quædam naturæ, quam divinam vocant, quæ cultum, & cæremoniam DEO affert.*

At verò magis specificè, & ad nostrum propositum *Religio* significat vivendi modum, & statum Religiosorum: potestque describi cum Paulo Laym. *in Theol. Mor. lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 1. *n.* 1. quod sit *fidelium ad Christianæ vitæ, & charitatis perfectionem tendentium editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis, ac obedientiæ stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus.* Ex qua definitione.

Colligitur I. Quòd licèt diversi sint Religiosorum 2
Ordines, unus tamen omnium sit scopus, & finis, *tendere ad perfectionem vitæ Christianæ, & totum sese addicere ad servitium, & cultum divinum*, quam in rem præter innumeros S. Scripturæ textus, Mundi divitiarum, & voluptatum contemptum, Christi verò imitationem enixè commendantes, celebris est locus apud Mathæum *c.* 19. ibi: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata* (nota Regulam sæcularium, neque enim *omnes capiunt verbum istud* quod sequitur, *sed quibus datum est, dicto cap.*19.) *Si vis perfectus esse; vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.*

me. Dixi: *tendere ad perfectionem*: nam teste S. Doctore *Religiosus non est transgressor professionis, si non sit perfectus, sed si contemnat ad perfectionem tendere*, cùm Religio sit schola virtutum, in qua sicut in litteraria aliqui citiùs, aliqui seriùs proficiunt.

3 Expediebat autem diversos instituere in Ecclesia Ordines, quia propter diversas Nationes, complexiones, & naturas hominum aliqui perfectionem facilius in hoc, quàm in illo assequuntur, dum forsan hujus rigorem, vel illius laxitatem sine corporis, aut animæ periculo ferre non possent. Item convenientissimum erat, ut ornatissima Christi sponsa Ecclesia *circundata varietate* diversarum virtutum, & perfectionum ad exemplar, & imitationem Christi, haberet in corpore suo diversas membrorum operationes (juxta illud Apost. *ad Rom. 12. cum concord. 1. ad Corinth. 12. in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*) & quosdam Religiosos ordinaret ad vitam contemplativam divinorum mysteriorum, atque canendas, & psallendas jugiter divinas laudes quosdam ad docendum, prædicandum, & salutaria fidelibus ministranda: ut etiam probat Miranda *in Man. Præl. tom. 1. q. 2.*

4 Cæterum institutum vitæ Religiosæ incepisse à temporibus Apostolorum (imò multi à Prophetis solitariis, & Joanne Baptista initium derivant) conformiter doctrinæ Evangelicæ temporalium desertionem, soliusque Christi imitationem suadenti ex *Act. Apost. 4. cap.* satis apparet. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una; nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia &c.* Unde S. Chrisost. *in lib. 3. contra Monast. vitæ vitup.* ait Ecclesiam Dei fuisse initio veluti Monachalem Religionem, & Apostolos duxisse vitam religiosam, imò emisisse vota Religionis ex Suarez, & aliis tradit Tambur. *de Jure Abb. t. 1. disp. 2. quæst. 3. & 4.* Postquam verò dilatata fuit Ecclesia, & ex persecutionibus gentilium dispersa, & dissipata, sensim etiam abondavit iniquitas, & refrigescere cœpit charitas multorum, tunc sancta illa, & generalis fidelium communio cessavit, & tantum penes paucos per Religiosorum ordinum fondatores, & institutores conservata fuit: Ita enim jam S. Marcus Evang. in Alexandria, & Cletus secundus post Petrum Romanus Papa Monasteria, & Cœnobia instituerunt, sicut de his, & omnibus
5 subsequentibus Ordinum Fundatoribus prolixè agit Barbosa *Juris Ecclesiast. univers. lib. 1. cap. 41.* Miranda *dict. tom. 1. q. 1.* Plurima possemus hic addere Religionis encomia, SS. Patrum testimoniis corroborata, non sine magno splendore, & utilitate Ecclesiæ inde obvenienti (teste Concilio Trid. *sess. 25. de Regular. c. 1.*) comprobata, de quibus ante hæc diximus in Libello *de Privilegiis Monasteriorum*, & legi poterunt apud Hier. Platum *de Bono status Religiosi*, & alios Asceticos. Sufficiat studiosis Juris Augustissima Authoritas, & sententia Justiniani Imperatoris *in Nov. 5. in præfat. Conversationis*, inquit, *Monachalis vita sic est honesta, sic commendare novit DEO ad hoc venientem hominem, ut omnem quidem humanam ejus maculam detergat, purum autem declaret, ac rationabili natura decentem, & plurima secundum mentem operantem, & humanis cogitationibus celsiorem.*

6 Colligitur II. quod ad statum Religionis essentialiter requiratur editio trium votorum, quæ substantialia, & solemnia dicuntur, scilicet *obedientiæ, castitatis, & paupertatis*, cum actuali sui ipsius in Religionem traditione, de quorum votorum materie, & obligatione infra *in Tit. XXXIV.* tractatur.

Cur autem hæc 3. vota potiùs, quàm alia utcunque pia Religionem constituant? ratio est, quòd per hæc vota homo propriè, & totaliter se offerat Deo in holocaustum: habet enim homo hæc tria principalia *Animam, corpus, & bona*: itaque assumptione Religionis *animam* offert per *obedientiam*, ponendo Prælatum vice Dei super caput suum, *c. si Religiosus 27. de Elect. in 6.* subiiciendo animam sublimioribus potestatibus, & obediendo præpositis suis, quos credit sibi loqui verbum Dei *ad Rom. 13. ad Hebr. 13.* Et hoc est præcipuum votum, quia per id, quod est excellentissimum in homine, nimirum *anima* offertur, & subiicitur Deo: *Extravag. quorundam Joann. 22. de Verb. signif.* Dein *corpus* offertur per *castitatem*, per quam efficitur *hostia vivens, sancta, Deo placens. & templum Spiritus Sancti, ad Rom. 12. & 1. ad Cor. 6. & 7.* Demùm *bona* temporalia aut possessa, aut possidendorum cupiditas per voluntariam *paupertatem* ad Dei honorem, & servitium promptiùs exequendum dimittuntur, & offeruntur. *Matth. 19. Act. 4.* Erubescant ergo Acatholici, qui se veros Evangelii sectatores jactitant, nec ullos hujus Evangelicæ perfectionis sectatores inter suos sectarios monstrare valent.

Colligitur III. quòd illi, qui non omnia tria vota emittunt, Religiosi propriè dicendi non sint, tanquam deficiente Religionis substantia, *arg. c. cum ad Monasterium, in fin. ad Statum Mon.* & ita aliquando in facti contingentia responsum erat, Mulieres per modum Religiosarum & Monialium cohabitantes, quæ non haberent votum paupertatis, licet essent sub directione alicujus Ordinis Mendicantium, licitè posse transire ad alium approbatum Ordinem etiam non mendicantium; eò quòd non essent propriè Religiosæ, & alia ipsorum vota censerentur tantùm simplicia, quæ in vota solemnia veræ Religionis cujuscunque commutari possunt, *c. scriptura 4. & ibi DD. de Voto, & voti red.* 7

Ordines quoque militares, qui castitatem tantùm conjugalem vovent, non esse propriè Religiosos, licet censeantur personæ Ecclesiasticæ docet Paulus Layman. *in Theol. moral. lib. 4. tract. 4. cap. 1. num. 5.* Teutonicos verò, & sancti Joannis Hierosolymitani propriè Religiosos asserit cum Miranda, & Henriq. *ibidem* cc. & refert Miranda *d. tom. 1. q. 10. art. 4.* quòd quidam professus ordinem S. Joannis (vulgò de Malta) obtinuerit, solvi matrimonium ratum priùs contractum, secundùm ea, quæ in Tit. *de convers. conjugat.* dicemus. 8

Veruntamen hic advertendum est, quòd non præcisè requiratur singulorum istorum votorum expressio in professione, sed quicunque religiosus, qui secundum morem, & consuetudinem suæ Religionis à Sede Apost. approbatæ, vel unum etiam votum ex præditis in professione voverit, v. g. *obedientiam secundum Regulam S. Benedicti, vel S. Augustini*, non minus obligetur voto *castitatis*, & *paupertatis*, quàm si ea in specie expressisset, etenim, qui vovet *obedientiam secundùm Regulam*, vovet omnia, quæ sunt Regulæ substantialiter annexa, sed non minus voto *castitatis, & paupertatis*, quàm *obedientia* sunt Regulæ Monachali substantialiter annexa, *d. c. cum ad Monasterium*, ergo. estque promissio aliquando *implicita*, & ipsi actui, quem quis agit, concomitanter annexa, prout Clericus suscipiendo SS. Ordines censetur vovere castitatem, licet non exprimat, *cap. un. de Voto in 6.* & tacita professio obligat sine votorum expressione, ut *in §. seq.* dicemus. atque in jure Civili traduntur obligationes ex tacitis pactis, & ex quasi contractibus sine verborum extrinseca promissione, *leg. 2. ff. de Pactis, & tot. tit. Inst. de Oblig. quæ quasi contractu.* Innoc. *in c. consulti hoc tit. num. 1.* Nav. *in Comment. 1. de Regul. num. 18. v. vigesimum quartum* Azor. *Instit. Mor. p. 1. lib. 12. c. 4. quæst. 2.* & communiter alii. Quid verò hac in re possit error, aut intentio contraria *in Tit. XXIV.* dicetur. 9

Colligitur IV. ad statum Religionis non sufficere, si prædicta 3. vota quocunque modo emittantur, sed concurrere debet actualis sui in Religionem, & Ordinem traditio, atque hujus traditionis ex parte Religionis acceptatio; ex qua traditione, & acceptatione vovens se obliget Religioni, & vicissim Religio voventi; quæ censetur esse istorum votorum *solemnitas*, unde, & *solemnia* dicuntur, & à *simplicibus*, quæ quisque privatim, & separatim tantùm Deo se obligando emittit, distinguuntur. 10

Speciale est circa PP. Societatis, quòd licet post biennium Novitiatus vota tantùm simplicia emittant, neque se Religio illis obliget, cum à superioribus rursus ad sæculum dimitti possint; nihilominus Religiosi dici debeant, habeantque hæc vota sicut alia solemnia vim matrimonia irritandi, quæ ante dimissionem legitimam contracta sunt, pluribus habetur in Bulla Greg. XIII. *Ascendente Domino*. Neque hoc constituere fuit supra potestatem S. Pont. ut aliquibus videtur; cùm enim juris tantùm positivi consideratio sit, quòd aliqua vota habeantur pro *solemnibus*, & aliqua pro *simplicibus* per textum expressum in c. *un. Voto. in 6.* quia in ordine ad Deum par est voto- 11

tum

rum obligatio; quædam autem dicuntur solemnia propter aliquam solemnitatem extrinsecam accedentem, scilicet publicam professionem, & fui traditionem in Religionem, aut S. Ordinis susceptionem, ideò in arbitrio erit S. Pontificis (ad qoem dispositio juris positivi, & humani pertinet) quænam vota pro solemnibus saltem in effectu habere, & quales voventes (qui tamen 3. vota substantialia emittunt) Religiosos declarare velit, præsertim cùm circa hæc vota in Societate emissa illa sit major præ reliquis simplicibus ratio, quòd saltem vovens ex parte sua se irrevocabiliter obliget, & tradat Religioni. Quò pertinet etiam, quod inferius in *Tit. XXXIV. §. 2. nu. 30.* dicetur, posse S. Pontificem ex causa statum Religiosorum, & obligationem votorum solemnium ab aliquo tollere, & dispensando auferre.

Colligitur V. non esse propriè Religiosos dicendos, qui vota qoidem substantialia emittunt, sed non in Religione approbata. Hæc verò approbatio ante Concilium Lateranense, quod fuit celebratum Anno 1216. & refertur *c. fin. de Relig. dom.* etiam Episcopis laicorum competebat, utpote quibus nullibi reperitur prohibita. Sed postea, ne nimia Religionum diversitas confusionem in Ecclesia faceret, interdictum est in d. Concil. Later. & in Conc. Lugd. *in c. un. de Relig. dom. in 6.* omnis licentia novos ordines seu Religionis instituendi sine Authoritate, & approbatione Sedis Apostolicæ, quæ sola regulariter Constitutiones Conciliorum, aliasque canonicas relaxandi, & desuper disponendi potestatem habet. Miran-
14 da *in Man. Prælat. tom. prim. quæstione 3. art. 6.* Præterea quæ requirantur ad erectionem, vel translationem novi Monasterii, vel alterius habitationis Religiosorum, aut hospitii, inferiùs in *Titul. de Relig. domibus*, & in *Tit. de Capellis Monach.* dicendi locus erit. Interim videri poterit Miranda *d. tom. 1. qu. 33.* & prolixè Lauratus de Franchis *in tract. de Controv. inter Episc. & Regul.* cum additionibus Zach. Pasqualigi. *Par. 1. d n. 399. & seqq.* ubi Bullæ Clem. VIII. *Quoniam ad institutam*. Gregor. XV. *Cùm alias*, & Urbani VIII. *Rom. Pontifex* hac super materia editæ referuntur, & cum resolutione plurimarum difficultatum præclarè explicantur.

15 Postremò ad hunc §. notandum est, quod licet in rigorosa significatione nomen Monachi haud omnibus Regularibus conveniat, qui ob curam animarum, vel alias functiones inter homines versantur, cùm Monachus ex græca significatione denotet solitarium, & merè contemplativam vitam agentem; interim tamen, quia quilibet Religiosus intra clausuram degens suo modo solitarius, & à consortio sæcularium remotus est, neque id pro suo arbitrio frequentare potest, ideo *Monachorum* appellatione non tantùm in acceptione vulgi, sed etiam in jure, & apud DD. omnes fermè Religiosi comprehenduntur: nisi in aliqua materia specialis ratio diversitatis assignari valeat, *arg. c. ex parte de Postulando, & ibi* Panor. *num. 2.* Syl. *V. Religio 7. q. 1.* Miranda *d. tom. 1. quæst. 10. art. 5.*

---

§. II.

De ingredientibus Religionem, ubi de Novitiatu, & Professione.

S U M M A R I A.

16 *Consensus parentum non requiritur ad ingressum in Religionem.*
17 *Quid, si parentes sint inopes, quos ingrediens in sæculo juvare posset.*
18 *Parentes an possint liberos offerre Monasterio, & quid operetur hæc oblatio.*
19 *Cogentes, vel impedientes fœminam circa ingressum excommunicantur.*
20 *Metus reverentialis non inducit hanc censuram, ubi alia quoque limitationes.*
21 *Masculinum comprehendit fœmininum, sed non econtra.*
22 *Vovens ingredi Religionem, si non suscipiatur in uno Monasterio, an teneatur aliud ingredi, item an obligetur ad perseverantiam.*
23 *Quis possit admittere ad novitiatum, & professionem.*
24 *De requisitis validæ professionis.*
25 *De professione tacita.*
26 *Professio invalida qualiter ratificari possit.*

HUnc §. paucis quæstionibus magis practicis expediemus.

Quæritur itaque I. ad ingressum in Religionem an re- 16
qoiratur consensus parentum? Respondeo omninò quidem decens esse, & convenire reverentiæ parentibus debitæ, ut eorum consensus requiratur, attamen si consensum dare nolint, licebit etiam illis invitis ingredi, *c. cùm virum 12. in fin. h. tit.* ibi: *quæ in ætate nubili noscitur constituta, quia liberum habet arbitrium, in electione propositi sequi parentum non cogitur voluntatem*, & clarius *in c. 2. caus. 29. q. 2.* ibi: *si verò in fortiori ætate adolescentula servire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Consentiunt SS. Patres allegati apud Laym. *in Theol. Mor. lib. 4. tract. 5. c. 4. num. 1.* qui conformiter Evangelio *Lucæ 13.* docent, potiorem esse causam Dei, & Christi, quàm parentum.

Sed quid, si parentes pauperes sint, quibus filius in sæ- 17
culo subvenire posset? Respondeo. Si necessitas parentum extrema, vel saltem gravis existat, & filius habeat vel habere possit media subveniendi parentibus, tenebitur differre ingressum in Religionem, ex præcepto Naturali, quod dictat parentibus subveniendum, & juxta illud *Matth. 9. misericordiam volo, & non sacrificium*, Dummodo filius sine proximo periculo peccandi mortaliter, & interitus animæ suæ in sæculo manere queat. Si verò professio jam emissa sit, non potest filius sine consensu Prælati exire ex Monasterio, ut succurrat parentibus (excepta necessitate extrema) nec etiam ad id obligatur: quia præceptum subveniendi parentibus est affirmativum, quòd obligat quidem semper, sed non ad semper, & juxta conditionem personæ, salvoque statu, cui quis se perpetuò obstrinxit. Item videntur aliquando excusandi filii, quominùs teneantur abstinere ab ingressu, si in ea ætate sint, ut ante multos annos media succurrendi parentibus speranda non habeant, & fortassis etiam tunc res incerta futura sit, ne obligentur incertum, & dubium commodum alterius temporale certiori bono proprio spirituali anteponere. Vid. de hac q. Paulus Laym. *d. c. 4. nu. 1. & 2.* ubi etiam inquit, necessitatem fratrum, sororum debere esse graviorem quàm parentum, ut propter eas teneatur quis differre ingressum, cùm respectu illorum minor sit obligatio, & Barbosa *Jur. Eccles. univ. lib. 1. c. 42. n. 20. & 26.*

Quær. II. utrùm è contra parentes possint liberos ab- 18
sque eorum consensu Monasteriis offerre? Rationem dubitandi facit textus *c. Monachum 20. q. 2. & in cap. cùm virum 12. h. t.* ubi dicitur quòd *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio faciat: quidquid horum fuerit alligatum, tenebis facultatem revertendi ad sæculum aditu penitus interdicto.*

Respondeo. Sensum istorum verborum ita communiter exponi à DD. quod parentes (idque etiam plores de matre intelligunt *arg. c. quicunque 20. q. 1.* & communem dicit Panor. *ubi infra*) possint quidem liberos impuberes Monasteriis offerre ad eum effectum, ut ante pubertatem egredi nequeant, post pubertatem tamen ad obligationem Religionis perpetuam constituendam liberorum tacitus, vel expressus consensus requiratur, præsertim hodie post Concilium Trid. *sess. 25. de Regular. cap. 15.* ubi generaliter annolatur professio ante decimum sextum ætatis annum emissa: Ut proinde obligatio parentum assimiletur desponsationi impuberum à parentibus factæ, quæ tunc demùm liberos firmiter obligat, si puberes facti ratam habuerint tacitè vel expressè, *cap. à nobis 8. de Despons. impub. & c. un. Eod. in 6.* Pan. & Innoc. *in cap. 2. hoc tit.* Vall. *eod. tit. §. 2. n. 5.*

Quær. III. Utrùm sit aliqua pœna constituta in eos, 19
qui personam cogunt ad ingressum in Religionem, vel ab ea impediunt? Hac de re habetur constitutio Conc. Trid. *sess. 25. de Regular. c. 18.* in his formalibus: *Anathemati S. Synodus subjicit omnes, & singulas personas,*

cujus-

cujuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quàm Laicos, seculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quancunque mulierem invitam, praterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitũ cujuscunque Religionis, vel ad emittendam professionẽ; quique consilium, auxilium, vel favorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui, vel prasentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint. Circa eos verò, qui ingressum liberum impediunt, pergit Concilium ibidem: *simili quoque Anathemati subjicit eas, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.*

20 Porrò in hanc censuram excommunicationis latæ etiam incidere parentes, qui violenter cogunt, vel impediunt filias circa ingressum Religionis; ita tamen, si verum metum, seu coactionem positivam adhibuerint, secùs verò si metus fuerit tantùm reverentialis, dummodo non excesserit limites simplicis persuasionis, nec fuerit conjunctus cum minis verberum, alteriusve gravis mali, resolvunt DD. citati apud Barbos. *in Collect. ad d. cap.* 18. *Trid. num.* 3. *&* 4. Item *num.* 8. *&* 9. docent, non incurri censuram, si metus aut coactio quidem adhibita, sed effectus scilicet ingressus secutus non fuerit: neque tunc, si puella fuerit coacta non ut habitum assumeret, sed ut educationis causa in Monasterio maneret.

21 Præterea cùm Constitutio Concilii solummodo de fœminis loquatur, censent non comprehendi casum, quo viri, seu masculi coguntur, aut impediuntur, cc. apud Barb. *atil. leg. num.* 6. licet enim in sensu juris sub masculino tanquam digniori intelligatur regulariter etiam fœmininum, *leg.* 1. *ff. de Verb. sign. cum concord.* non tamen è contra sub fœminino masculinum, *leg. si ita sit scriptum* 45. *ff. de Leg.* 2. præsertim in materia pœnali, & odiosa, *cap. odia. De R. J. in* 6. ubi ne quidem ex paritate rationis solet fieri extensio. Interim non est dubitandum, quin etiam hoc casu grave peccatum committi possit injustè cogendo, vel impediendo, secundùm ea, quæ tradit Molina *in Man. Præl. tom.* 1. *q.* 16.

22 Quær. IV. an is, qui fecit votum ingrediendi Religionem, si in uno Monasterio non suscipiatur, teneatur aliud ingredi? Item an obligetur ad perseverantiam in Religione? Respondeo ad I. esse distinguendum, an quis in genere voverit aliquam Religionem ingredi, vel an certùm tantùm Ordinem, vel denique an certum Monasterium? In primo casu repulsam passus ab uno Ordine tenebitur alium ingredi, non tamen strictissimum, aut valdè austerum, quia in generali promissione non continentur ea, de quibus aliquis verisimiliter non cogitavit, *c. in generali* 81. *De R. J. in* 6. Altero casu non susceptus in uno Monasterio debet facere petitionem in alio ejusdem Ordinis, si nullibi suscipiatur, vel saltem non in tali Monasterio, quòd suę vocationi correspondeat, in quo quietè, & rigorosè vivere possit, voto tantisper liberatus est. Tertio casu pariter solvitur voto, qui non suscipitur in illo Monasterio, quod in specie se ingressurum vovit. Vid. Paulus Laym. *in Theol. Mor. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. ubi *num.* 4. contra alios docet, quod si ex post facto Religiosi mutata voluntate parati sint repulsum suscipere, denuò urgeat votum ad ingrediendum tanquam impedimento temporali remoto, nisi tamen notabilis mutatio intervenerit, & vovens v. g. bona fide sponsalia contraxerit, aut in alio laxiori Ordine Novitiatum ingressus sit.

23 Respondeo Ad II. qui enixam intentionem non habuit se ad ipsam professionem quoquo modo obligandi, in dubio tantùm censetur se obligasse ad experiendam Religionem, unde si in Novitiatu bona fide usus comperiat, sibi Religionem non congruere, per ingressum suo voto satisfecit, & ad sæculum redire potest. Laym. *d. l. n.* 12. Illud adhuc notari potest, quod vovens Religionem strictiorem, quamvis Religionem laxiorem citra dispensationem, aut legitimam voti commutationem non licitè ingrediatur, si tamen in ea professionem fecerit, valeat professio, quia votum illud simplex per solemne Religionis sublatum est.

Quæritur V. ad quemnam pertineat susceptio Novitiorum, vel admissio ad professionem? Respondeo breviter: ubi non est consuetudo contraria, ut pertineat ad solum Abbatem, juris esse conformius, ut susceptio Novitiorum, & admissio ad professionem pertineat ad Abbatem cum consensu Capituli, vel majoris partis Capitulatium *arg. cap. ea noscitur. De his, quæ fiunt à Prælatis &c.* Barb. *Jur. Eccles. un lib.* 1. *cap.* 42. *numer.* 146. Qualiter verò debeat in Monasteriis Monialium Episcopus ante susceptionem habitus, & professionem per se, aut Vicarium, vel alium Commissarium explorare fœminæ voluntatem liberam, aliqua Religionis illius requisita, videatur Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 17. *&* ibi Barb. *in Collect. DD. & de Offic. Episcop. allegat.* 100.

Quæritur VI. quænam requirantur, ut professio in Religione valida sit? Respondeo præter liberum cujusque consensum non vi, aut metu extortum insuper de Conc. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus, cap.* 15. requiri, ut in quacunque Religione tam virorum, quam mulierum professio fiat post 15. ætatis, & unum Novitiatus annum, adeò ut professio aliter facta nulla sit, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, Religionis, vel Ordinis observationem, aut alios quoscunque effectus. Imò licet Novitius ultrò suo huic favori renuntiare, simulque Prælatus cum Conventu eum ante completum annum Novitiatus, vel 16. ætatis ad professionem admittere vellet, nihilominus talis professio invalida foret. De speciali autem privilegio Monialibus Ord. S. Dominici, & qui cum iis communicationem privilegiorum habent, à Pio V. concesso, ut intra annum Novitiatus in articulo mortis valeant profiteri ad lucrandas indulgentias, & alias gratias professarum, & an hæc professio quoad bona præjudicet heredibus? vid. Miranda *in Man. Præl. to.* 1. *q.* 22. *art.* 10. Præterea etiam ex communi DD. sententia requiritur, ut annus Novitiatus sit *cõtinuus*, & non interruptus, dicitur autem interruptus, si Novitius dimisso habitu exeat è Monasterio animo revertendi ad sæculum, licet statim post unum, vel alterum diem pæniteat, & ad Monasterium redeat, nihilominus Novitiatum denuo inchoare debebit. Non autem dicetur Novitiatus interruptus, si retento habitu certa aliqua ex causa v. g. curandæ infirmitatis cum licentia Prælati extra Monasterium Novitius moram faciat. Miranda *d. q.* 23. *art.* 4. 24

Deinde hic adnotari potest, quòd completo anno Novitiatus non statim rejiciendus, aut suscipiendus sit, sed possit ipsi certa de causa forte ad meliorem probationem, si morbo laboret, usque ad cessationem morbi professio per aliquod tempus differri Late. Barb. *d. c.* 24. *num.* 105. *& seqq. in Collectaneis DD. ad dictum c.* 15. *Trid.*

Quær. VII. Qualiter fiat tacita professio, & an etiam hodie post Trid. locum habeat. Resp. de jure antiquo clarè constitutum esse, ut quicunque habitum Noviciorum ultra annum gestaverit, aut actibus Professorum propriis se ingesserit, vel si Novitius ante completum annum Novitiatus habitum professorum distinctum ab habitu Novitiorum susceperit, & per triduum gestaverit, hoc ipso tacite professus, & Religioni obligatus censeatur, sub ea tamen differentia, ut si tacita professio fiat intra annum probationis, obliget alicui religioni in genere, si post annum autem expletum, obliget religioni illi in specie, in qua facta est, *c.* 2. *&* 3. *h. t. in* 6. *Clem.* 2. *eodem tit.* 25

Porrò hanc tacitam professionem per Trid. sublatam non esse, magis inter DD. convenit, dummodo forma Trid. observetur, ut scilicet actus ille, per quem tacita professio inducitur, à Novitio libere, scienter, & cum intentione profitendi, atque post 16. ætatis annum, & unum continuum probationis fiat, atque vicissim à Religione, & Monasterio acceptetur. Barb. *ad d. c.* 15. *Trid. in fine* Miranda *in Manuali Prælatorum tom.* 1. *q.* 24 *art.* 12.

Quær VIII. qualiter professio nulla ratificari, & valida fieri possit. R. sufficere, si is, qui nulliter professus est, suam obligationem per actum etiam internum, & novum consensum renovet, neque requiri novum annum probationis aut novam acceptationem superioris: supponimus enim annum probationis rectè transactum esse, & superiorem, ac Monasterium in consensu circa acceptationem perseverare. Navar. *h. t. consilio* 17. Less. *de Inst. & Jure lib.* 2. *c.* 51. *n.* 67. Non tamen censebitur ratificata 26

professio, si ex ignorantia nullitatis aliquis fecerit actus, quos solent Religiosi facere: cùm enim prior consensus fuerit invalidus, novus consensus requiritur, id autem, quod aliquis agit ex suppositione, vel opinione veteris obligationis, non importat novum consensum: quia ignorantis, & errantis non est consensus, quemadmodum si rem meam tibi dem, putans esse tuam, non propterea transfero dominium. *L. 3. §. subtilius ff. de Condict. causa data.*

---

§. III.

De Dispositione Ingredientium, & juribus circa bona eorum.

S U M M A R I A.

27 *Ingrediens Religionem qualiter hodie possit de rebus suis disponere* ex Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 16.
28 *Ampliatio, & restrictio hujus constitutionis conciliaris.*
29 *An comprehendat dispositionem ante Novitiatum.*
30 *An obliget etiam in terris Imperii.*
31 *Executio dispositionis ab ingrediente facta quando assumenda.*
32 *Novitius an teneatur adhibere in sua dispositione solemnitates Juris Civilis.*
33 *Religiosus non censetur propriè civiliter mortuus.*
34 *Religiosus non benè comparatur cum servo, & ibi multa disparitates.*
35 *Ingredientem sine dispositione sequuntur res sua.*
36 *Monasteria omnia etiam Ordinum mendicantium (exceptis Capucinis, & Franciscanis) hodie sunt bonorum capacia.*
37 *Bona feudalia, emphyteutica an transeant ad Monasterium.*
38 *Ususfructus quo sensu acquiratur Monasterio.*
39 *Novitii dispositio ante professionem mortui an valeat.*
40 *Novitio sine dispositione mortuo quis succedat.*
41 *Patria potestas an, & quatenus per ingressum in Religionem solvatur?*
42 *Pater ingrediens an amittat usumfructum in adventitiis filii?*
43 *Filio ingrediente an Pater usumfructum retineat?*
44 *Legitima an debeatur filio professo in vita parentis.*
45 *Quid è contra si pater fuerit professus, an statim legitima debeatur liberis in sæculo relictis?*
46 *Pater sine dispositione professus an, & qualiter adhuc post professionem inter liberos disponere possit?*
47 Auth. si qua mulier. C. de SS. Eccles. *an sit valida constitutio.*
48 *Disponens ante ingressum an teneatur Monasterio relinquere legitimam.*
49 *Professus, quia acquirit omnia Monasterio, an, & quatenus teneatur Monasterium ex ejus contractu, vel delicto.*
50 *Fidejussor Religiosi illicitè contrahentis an obligetur.*

27 QUæritur I. an, & qualiter Ingrediens Religionem de rebus suis disponere permittatur? Resp. Licet aliàs quilibet rei suæ moderator sit, & arbiter, ac cæteris paribus si scilicet legitimæ ætatis, sui juris, & sanæ mentis; liberè de rebus suis disponere valeat, *l. in re mandata. C. Mandati*, atque contractus semel initi fiant necessitatis, & regulariter irrevocabiles. *L. sicut 5. C. de O. & A.* quia tamen facilè accidere potest, ut Ingressuri Religionem nimio zelo ducti, nec prævidentes inconstantiæ, & regressus, fortassis ob novam causam morbi aut aliud periculum bona sua præmaturè in alios distribuant, ita ut, si ex post facto ad sæculum redire vellent, aut deberent, magna egestate laborarent, ideo Concil. Trid. *sess. 25. de Regul. c. 16.* pro favore ingredientium edidit constitutionem in hæc verba: *Nulla renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causa pia valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta Professione, aliter verò facta etiam si cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus. Sed neque ante Professionem, excepto victu, & vestitu Novitii, vel Novitia illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel majorem partem substantia sua Monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit: quin potius præcipit S. Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant &c.*

Itaque ex hoc textu satis constat, ut contractus, vel obligatio ante Professionem facta valeat irrevocabiliter, tria debere concurrere. I. ut fiat intra duos menses proximos ante Professionem. II. ut fiat cum licentia Episcopi, vel ejusdem Vicarii. III. ut Professio subsecuta sit. 28

Explicatur hæc Trid. constitutio per DD. quos plena manu refert Barb. *ad d. c. 16. Trid.* & *de Offic. Episc. alleg. 99. num. 17.* ut præter donationes liberales comprehendat etiam renunciationem beneficiorum Ecclesiasticorum, & officiorum sæcularium, fidejussionem, liberationem, qua Novitius Tutorem, vel Curatorem suum reddendis rationibus liberat; item ut intelligitur de Professione subsequenti valida, & non sufficiat Professio de facto tantùm emissa, si jure non subsistat, nisi ex post facto de novo ratificetur; & demùm ut locum habeat non tantùm de Minorennibus, sed generaliter quibuscunque etiam majorennibus, ut à S. Congregatione declaratum referunt cc. apud Barb. *de alleg. n. 18.*

Restringitur verò eadem constitutio, ut non comprehendat contractus onerosos v. g. emptionis, venditionis, permutationis &c. in quibus tantundem recipit Novitius, quantum dat; neque testamentum, codicillos, aut donationes mortis causa, quæ ex sua natura revocari possunt, si Novitius ex Monasterio regrediatur, tanquam morte naturali, vel civili non confirmata; neque victum, aut vestitum, quem pro se tribuit Novitius Monasterio. Item in aliquibus Religionibus usu receptum non esse, ut ab Episcopo petatur licentia disponendi de rebus suis, ex Vega, & Sanch. refert Barb. *d. c. 16.* Trid. *n. 28.*

Denique multi DD. existimant hoc Concilii Decreto, quod expresè tantùm de Novitiis loquitur, non comprehendi obligationem, aut renunciationem factam ante Novitiatum adhuc in sæculo. Alii verò contrarium sustinent putantes, Concilium æquè de dispositione in sæculo facta, quàm in Novitiatu intelligendam esse, dummodo intuitu ingressus facta sit. Vid. cc. apud Barb. *dd. locis.* Prioris sententiæ fundamentum sumitur ex communibus regulis, nimitùm, quòd correctio Juris, vel constitutio pœnalis, aut irritans contractus sit odiosa, & strictè, prout loquitur, interpretanda: quòd volenti non fiat injuria: quòd damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi imputandum sit, quòd ingrediens debuisset fuisse cautius mercatus &c. Posterior sententia fundatur in *mente* Concilii Trident. cujus intentio fuit præcavere, ne Ingredientes ob præproperam bonorum distributionem à regressu impediantur, vel certe regredientes in paupertate vivere debeant: quæ ratio tantò magis etiam circa existentes in sæculo procedit, quando ipsi eventum Religionis, & supervenientes causas regressus minus prævidere possunt. Et aliàs frequenter eludi posset Concilium, si nimirum curarent Parentes, vel consanguinei, ut ante ingressum liberi renunciarent, ne deinde post ingressum possent retrocedere. Accedit etiam ratio æquitatis, quòd in dubio potior sit conditio ejus, qui certat de damno vitando, quàm qui de lucro captando. 29

Quare si quis notabilem bonorum partem per donationem, aut alio modo intuitu ingressus inconsulta facilitate alienasset, ita ut ad sæculum redire non posset, vel rediens magnum exinde damnum sentiret, crederem ipsi saltem per beneficium restitutionis in integrum de æquitate subveniendum, idque non tantùm, si minorennis esset, sed etiam si majorennis, ex illa generali clausula Prætoris *in l. 1. ff. Ex quibus causis Majoris* ibi: *si qua alia mihi justa causa videbitur, in integrum restituam* ad quam claus. toties descendendum, monet Ulp. *in l. sed, & si 26. §. item inquit ff. jam d. t.* quoties *æquitas restitutionem suggerit.*

Quæritur II. an ista constitutio Concilii Tridentini 30
etiam

etiam in terris Imperii obliget? Resp. affirmativè I. quia loquitur de Novitiis, qui quoad privilegium Canonis, & fori, aliosque effectus censentur esse de foro Ecclesiastico, *cap. Religioso de Sent. excom. in 6.* Navar. *cons. 5. & 6. de Foro comp.* consequenter in eorum dispositionibus attenditur jus Canonicum *c. quod clericis de Foro comp.* Nec obstat, quòd possint redire ad sæculum: nam ad valorem contractus spectatur tempus, & locus, quo initus est, *l. 6. ff. de Evict.* II. quia jus Civile suppletur per Canonicum ex causa præsertim æquitatis, *cap. 1. de Novi pro nunc.* licet verò hic jus Civile sit contrarium in terminis generalibus, *l. in re mandata. Cod. Mandati*, non tamen in hoc speciali casu, ubi multa æquitas pro jure Ecclesiastico pugnat III. quia causa, de qua disponit Concilium, rectè numerari potest inter *Ecclesiasticas*, cùm agatur de rectè ordinando statu Ecclesiastico, & non impediendo regressu ex Monasterio.

31 Quær. III. an executio dispositionis ingredientis statim facienda post professionem, vel expectanda sit mors naturalis professi? Resp. si ingrediens actum inter vivos v. g. donationem fecerit, talis actus, sicut statim obligat, ita statim executioni mandandus erit. Si verò ingrediens disposuerit per actum ultimæ voluntatis, testamentum, codicillum, &c. (circa quam Novitius, qui actu Novitius est, non tenetur observare solemnitates Juris
32 Civilis, sed potest se conformare Juri Canonico, de cujus foro jam effectus esse censetur, *cap. quod clericis de Foro comp.* Clarus *in §. testamentum q. 28. num. 2. & ibidem* Harpr. *in addit. n. 1.* Tamb. *de Iure Abb. tom. 3. disp. 6. quæst. 28.* secùs si ante Novitiatum testetur; nisi quatenus disponit ad pias causas. Salic. *in auth. si qua mulier Cod. de SS. Eccles. arg. l. ex eo 42. ff. de Milit. testam.*) si inquam, per actum ultimæ voluntatis disposuerit ingrediens, tunc si Monasterio aliquid relinquit, id statim illi acquirit, quia idem fieret, licet dispositionem non fecisset *auth. ingressi Cod. de SS. Eccles.* si verò reliquerit extraneis, consuetudo locorum inprimis attendenda erit: à qua abstrahendo, multorum est doctrina cum Barth. *in d. auth. si qua mulier num.* 10. Panorm. *in cap. in præsentia de Probat. n. 60.* quos sequitur Covar. *in c. 1. de Testament. n. 6.* Sanch. *de Matrim. lib. 6. disp. 17. n. 9.* esse distinguendum inter Monasteria bonorum capacia, & incapacia, ita ut in his professio comparetur morti naturali, cùm dominium nec in communi, nec in particulari retineatur, unde nisi statim fieret executio testamenti, dominium bonorum in vita Religiosi videretur esse nullius: in illis verò volunt mortem naturalem expectandam esse, interim bona à Monasterio possideri, nisi tamen ingrediens nominatim aliter disposuerit. Adde Molinam *de Justit. & jure disp. 140. n. 4.* prout legata in vita testatoris præstari, & aliquid *pro legato* in vita testatoris usucapi potest. Colendiss. meus olim D. Professor Arnald. Rath. *in Tract. de Usucap. c. 3. ass. 21.*

33 Dices: etiam in Monasteriis bonorum capacibus professus censetur *civiliter* mortuus. Resp. quòd Religiosus Professus moriatur quidem mundo *spiritualiter*, non verò propriè *civiliter*, id est, quoad effectus juris civilis, aliàs ne quidem cum consensu Prælati posset agere in judicio, & minus judex esse, neque succedere. Deinde *mors civilis* non confirmaret, sed potiùs irritaret testamentum *§. 5. Instit. Quib. mod. testam. infirm.* Quòd autem Religiosus non possit testari post professionem, fit exinde, quòd suam voluntatem in alium resignarit, sicut arrogatus filiusfam. effectus. Minus Religiosus perdit *libertatem in sensu juris*, ita ut *servus* efficiatur; certè nec filius prohibente Patre pro suo libitu agere, aut testari potest, nihilominus homo *liber* non *servus* censetur: quamvis enim libertas describatur, quòd *sit naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet*; additur tamen: *nisi quod vi, aut jure prohibeatur*. In cæteris quoque plurimum dissimilis est similitudo inter *monachum*, & *servum*, ut ecce! servus nullo respectu quid proprium habere potest, sed quidquid acquirit domino acquirit, etiam ignoranti, & invito, *§. item vobis 3. Instit. Per quas personas cuique acquir.* Monachus quamvis ex sua particulari persona nihil proprium habeat, ea tamen, quæ toti Monasterio, etiam ipsi jure identitatis, quatenus in corpore Monasterii esse habet, sunt propria, ut paulò inferiùs ex dicendis apparebit. Servus ne quidem consensu domini potest munera publica, vel judicialia obire, cùm dominus per suum consensum non possit derogare Juri publico, *leg. Barbarius ff. de Officio Prat. l. 7. ff. de Testibus*. Religiosus cum consensu Prælati potest esse procurator in judicio. *Clem. 3. de Procurat.* Advocatus *cap. 2. & ibi* Barb. & DD. *de Postulando* imò, & judex, scilicet Episcopus, vel vicarius Episcopi. Barb. *de Offic. Episc. alleg. 54. num. 22.* Servus non potest accusare dominum, *l. pen. & fin. Cod. de his, qui accus. non poss.* Monachus potest accusare Abbatem etiam sumptibus Monasterii, *cap. ex parte 11. de Accus.* Deinde ut innumera alia prætereamus, status servilis abjectus est, & vilis, statum autem Monachalem præter SS. Patres commendat Justinianus *in Novell. 5.* ut, & *§. præced.* dictum.

Quær. IV. quid juris nulla dispositione facta ante pro- 34
fessionem? Respondeo. Quòd si ingrediens professionem fecerit in Monasterio sine præcedenti dispositione, hoc ipso omnia sua censetur transtulisse in Monasterium *auth. ingressi Cod. de SS. Eccles. & auth. nunc autem C. de Episcopis, & Cler.*

Ubi etiam adnotandum, quòd hodie Concilium Trid. 35
sess. 25. de Regular cap. 3. concesserit, *omnibus Monasteriis, & Domibus tam virorum, quàm mulierum, & mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minores de observantia vocantur etiam quibus ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.*

Quid autem dicendum sit de bonis feudalibus, fidei- 36
commissis, & Emphyteuticis, in quibus domini directi aliorumque præjudicium versatur, ne eorum efficiatur durior conditio, cùm Monasterium sit alterius fori, & difficilioris conventionis, & nunquam moriatur, adeoque nulla sit aperturæ, seu caducitatis, aut laudemii spes? Videatur optimè pro favore Monasteriorum Barbosa *Jur. Eccles. univ. lib. 2. rap. 31.* Tambur. *de Iure Abbat. tom. 3. disp. 11. q. 4.* Sententia est probabilior talia bona posse saltem retineri à Monasterio, quamdiu Religiosus vivit: quia si in sæculo mansisset, potuisset ista bona possidere ad vitam suam, ergo non debet esse deterioris conditionis, si Monasterium ingrediatur.

Ad textus porro feudales, qui in contrarium allegari solent, plures explicationes adducit Fachin. *lib. 8. contr. cap. 34.* ex quibus illa videtur inter DD. receptior, quòd intelligendi sint, de talibus feudis, quæ requirunt personale servitium, quod non sit pecuniarium, nec per substitutum convenienter impleri possit; sicut colligitur ex illa causali, quam tradit Feudista C. in tit. *de Vasallo milite, qui arma bellica deposuit*: ibi: *eò quòd desinit miles esse sæculi, qui factus est miles Christi, nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.* Unde etiam in Regnis, Ducatibus, & similibus dignitatibus non succedit Monasterium, quia requirunt personalem administrationem, & præsentiam in Comitiis, bello, &c. Cæterùm verò clericos, & Monasteria non esse simpliciter feudorum incapacia, constat ex tit. feud. *de Capitulis Corradi in fine, & cap. verum de Foro comp.* Fachin. *dict. cap. 35.* Illud quoque hic adnotandum est, quòd si vasallus, vel emphyteuta facit professionem, non teneatur propterea Monasterium renovationem investituræ petere, vel præstare laudemium, quia persona vasalli non mutatur (supposito quòd etiam eadem domini persona perseveret) cùm Monasterium tantùm retineat feudum, vel emphyteusim, quatenus Religiosus unam fictam personam cum Monasterio constituit quæ fictio identitatis personæ per mortem naturalem Religiosi solvitur.

Quemadmodum per eandem fictionem explicari po- 37
test, qualiter *usufructus*, quem aliquis in sæculo habuit, ad Monasterium transeat saltem quoad vitam usufructuarii, cùm tamen ususfructus jus mere personale sit, & in alium transferri nequeat *L. si usufructus 66. ff. de Jure dotium*, quia retinetur à Monasterio, quatenus Religiosus usufructuarius est membrum Corporis Monastici, & cum eo unam fictam personam constituit.

Quær. V. si novitius ante professionem moriatur, 38
valebitne ejus dispositio, vel donatio facta Monasterio, aut alteri?

39 Reſpond. I. In caſu factæ diſpoſitionis per actum inter vivos, ſcil. renunciationem, aut donationem plures DD. cenſent per mottem ante profeſſionem totam diſpoſitionem irritari, eò quòd in Concilio Tridentino *d. ſeſſ.* 25. *de Regul. c.* 16. expreſsè dicatur, quòd quæcunque obligatio per novitium facta *nan aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſiane*, talia autem verba, *non alias; non aliter*, debent in forma ſpecifica impleri, & non recipiunt aliquam modificationem per extenſivam interpretationem, teſte Jaſ. *val. 3. conſ. 86. nu.* 16. Deinde II. In eodem Concilii loco jubetur, ut *abeuntibus omnia ſua reſtituantur*, morientes autem dicuntur *abeuntes* apud Terent. in Phormione, *mortem obiit, & de medio abiit*. Denique III. etiam ante Concilium fuit probabile revocari donationem per mottem ante profeſſionem, ex præſumpta voluntate donantis. Atque ex his argumentis iſtam ſententiam cum pluribus DD, cc, amplectitur Sanch. *in præcepta Decal. tam. 2. lib. 7. c. 5. n.* 49.

Verùm pro contraria ſententia, & diſpoſitionis valore ſtat Paulus Fuſcus *de viſitat. Epiſc. lib 2. c. 15. nu.* 17. apud eundem Sanch. *dict. l. num.* 48. cui, & ego ante hac in libello *De Privileg. Monaſt. Privil.* 10. calculum addidi, & multùm probabilis mihi videtur, licet pro priori plures numero DD. videam allegari, ponderandæ tamen, non numerandæ ſententiæ Text. & Gl. *in leg. 1. Cod. de Vet. jure enuc.* Enim verò certi, & notorii juris tam naturalis, quàm humani eſt donationem, aliamve obligationem deliberarè, & circa res, ſuper quibus alicui diſpoſitio competit factam eſſe perpetuam, niſi aliquis caſus oſtendatur ſpecificè in jure exceptus, *l. 1. ff. de Pact. l. ſicut 5. C. de O. & A. t. t. de Donat. cum concard.* Sed caſus mortis in noviriatu contingentis non eſt ſpecialiter exceptus, ergo &c. & quidem de jure communi non extare textum expreſſum hujus exceptionis in confeſſo eſſe debet. Tota igitur difficultas pendet ex Concilio Trid. Sed quia intentio Concilii tantùm fuit providere, ne, vel ultimo momento regreſſus ex Monaſterio impediatur, ideo ubi ampliusnon eſt libertas regrediendi, ſcilicet poſt profeſſionem, vel mortem naturalem, tollitur etiam dicta Concilii proviſio, & habet locum, quod dicitur, ceſſante ratione legis, ceſſat ipſa lex. *l. adigere v. quamvis ff. de Jure Patron.* & leges ita interpretandæ ſunt, ut verba intentioni, & non intentio verbis deſerviat, *cap. ſecunda 41. de Apell. l. ſcire leges ff. de LL.* Neque conveniens, ut quod in favorem Novitiorum ad avertendum damnum, & impedimentum regreſſus eſt introductum, in eorum odium retorqueatur, ut v. g. in periculo mortis, & extra ſpem profeſſionis conſtituti donare, aut inter vivos diſponere nihil valeant, *cap. quod ob gratiam de R. I. in 6.* indeque deterioris conditionis efficiantur, quàm quilibet alii homines.

Ad contraria non eſt difficile reſpondere: nam ad I. dici poteſt, quòd eſto verba: *nan aliàs &c.* non recipiant modificationem, id tamen procedat in caſu, de quo ſecundùm intentionem legis, vel conſtitutionis loquuntur, ut in propoſito, quando ſumus in terminis, ubi poteſt ſequi profeſſio, vel adhuc ſupereſſe regreſſus ad ſæculum, ſecùs in diverſo, & ubi mors, intervenit, nec impeditur libertas regreſſus, nec bonis opus eſt morienti. Accedit, quòd profeſſio non ſit forma diſpoſitionis, quia eam non ingreditur, ſed tantùm conditio extrinſecè ſuperaddita.

Ad II. cuilibet facilè incidit, quòd Trid. verbo, *abeuntibus*, non intellexerit morientes, ſed abeuntes ex Monaſterio, neque enim modus loquendi, nec ratio eſt, *ut morientibus reſtituantur res ſua*. Unde licet morientes dici poſſint per phraſim *abeuntes*, ſed non dicuntur ad ſenſum hujus loci.

Contra III. facit, quòd ante Concilium Trid. docuit Panorm. celeberrimus SS. Canon. Interpr. *in c. in præſentia 8. de Probat. n.* 67. bona morientis ante profeſſionem acquiri Monaſterio, ſi ea expreſsè contulit Monaſterio, nec ante mortem voluntatem mutavit. Idemque poſt concilium ſcribens tenet Miranda *in Man. Prel. q. 23. art. 8. concl.* 5. Fachin. *lib. 6. Controv. c.* 19. Dicans: ſi Novitius ſciviſſet ſe non aſſecuturum profeſſionem, forſan aliter diſpoſuiſſet, Replico, forſan non aliter, præſertim ſi pro cauſa pia, ſi pro anima ſua diſpoſuit, in dubio melior poſſidentis conditio; poſſeſſio autem pro voluntate in diſpoſitione facta expreſſa ſtare videtur. Interim non omninò negaverim, poſſe in aliquo ſpeciali caſu forſan tales circumſtantias concurrere, ut qui diſpoſuit in ordine ad profeſſionem, non cenſeri debeat idem voluiſſe diſponere in caſum mortis ante profeſſionem, quod prudens judex arbitrabitur.

Hactenus de diſpoſitione per actus inter vivos. Quòd ſi diſpoſitio facta ſit per actum ultimæ voluntatis, teſtamentum, codicillum, donationem mortis cauſa, ſicut iſta diſpoſitio ex magis communi DD. ſententia non comprehenditur ſub conſtitutione Concilii Trid. *d. cap.* 16. ut tradit Barb. *de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 99. nu.* 12. ubi penè innumeros authores accumulat, ita quoque ad eam non pertinebit ſupradicta Concilii clauſula, *ut non aliàs intelligantur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione*, ſed tanquam *ultima voluntas* morte confirmabitur.

40 Quær. VI. Si Novitius, abſque diſpoſitione deceſſerit & ſaltem *tacitè* profeſſus non fuerit, an tunc Monaſterio vel conſanguineis debeatur hæreditas? Reſp. in utramque partem eſſe DD, apud Clarum *in §. Teſtamentum q.* 28. præcipuè verò apud Sanch. *in Præcepta Decal. lib. 7. c. 3. n. 91. & ſeq.* Pro conſanguineis tamen reſolvit Pan. *in d. c. in Præſentia de Probat. n.* 68. eò quòd non ſit cauſa petendi ex parte Monaſterii, cùm ante profeſſionem aliquis cum effectu Religioſus non cenſeatur, *c. Religioſa 21. v. quamvis. De Sent. excam. in 6.* Idemque tenet cum ingenti cumulo Authorum Sanch. *d. l. n. 62. & c. 5. n.* 51. Reprobat etiam *c. 3. n.* 96. illam limitationem, quam quidam ponunt cum Fachin. *lib. 6. Controv. c.* 19. & aliis, niſi Novitius habuerit abſolutam voluntatem manendi in Religione. Nam iſta voluntas (quam ſupponuntur omnes Novitii ſaltem initio habere) non ſufficit ad perpetuò obligandum Monaſterio, niſi accedente expreſſa, vel tacita profeſſione, præſertim hodie poſt Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de Regul. c.* 15. ex quo nulla profeſſio obligat ante annum integrum Novitiatus expletum.

Quòd ſi Conſanguineos Novitius defunctus non haberet, putarem Monaſterio potiùs quam Fiſco ſucceſſionem adcribendam, ſi quis enim ex aliquo Collegio honeſto Decurionum, Militum, Naviculariorum, &c. decedat ſine legitimis hæredibus bona ipſius non ad Fiſcum, ſed ad ipſum Collegium deferuntur, *l. 1. & t. t. C. de Hered. Decur.* At verò Novitius cenſetur eſſe de Collegio Monaſterii, cùm ibidem habeat forum judiciale, & paræciale, item, & privilegium canonis: Navar. *conſ. 4. & 6. de Foro comp. d. c. Religioſa*, ergo, &c. Idque confirmatur, ex *leg. quis presbyter.* 20. *Cod. de Epiſc. & Cler.* ubi generaliter deciditur, quod in bonis quarumcunque perſonarum ad vitam, vel ſervitium Eccleſiaſticum deſtinatarum, ſi abſque legitimo herede defungantur (quod tamen hodie in Religioſis *profeſſis* aliter ſe habet, in quorum bonis etiam conſanguinei excluduntur, quibus legitima non debetur *auth. nunc. autem. Cod. jam d. tit.*) non fiſcus, ſed Eccleſia ſuccedat. Adde text. *in l. 10. ff. de Jure fiſci*, quòd in dubiis quæſtionibus rectè contra Fiſcum reſpondeatur, idque tantò magis, ſi cum eo cauſa pia, & favorabilis concurrat, *l. ſunt perſona ff. de Religian. & ſumpt. fun.*

41 Quær. VII. De Patria poteſtate an, & quatenus per ingreſſum in Religionem ſolvatur? Conveniunt DD. quod *circa perſonam* per Ingreſſum ſolvatur Patria poteſtas, ſive Pater, ſive filius ingrediatur, Ratio eſt quo ad Patrem, quia cùm is jam ſit in poteſtate Abbatis, alium in poteſtate habere non poteſt: quoad filium verò, quia per profeſſionem prorſus ex domo Paterna, & Patris obedientia abſtrahitur, tranſitque in obedientiam Abbatis incompatibilem cum poteſtate ſæculari Paterna. Panorm. *in dict. cap. in præſentia 8. de Prabat. num. 54. & in cap. 2. hac. tit. num.* 2. Sanch. *in Præcepta Decal. tam. 2. lib. 5. cap. 5. num.* 29. & alii communiter. Addunt item plerique, quòd patria poteſtas reſpectu filii Ingreſſi ſolvatur, in quantùm eſt Monaſterio oneroſa, non autem in quantum eſt favorabilis, unde inferunt, filiumfam. per ingreſſum jura ſucceſſionis, & ſuitatis non amittere. Additio ad Pan. *d. n.* 54 cum Barth. & aliis Sanch. *d. n. 30. arg. c. quod abgratiam de R. I. in 6.* Adde *arg. ex Nov.* 81. *c.* 2.

Conveniunt prætereà, quòd circa bona, quæ filio poſt profeſſionem adveniunt, Pater nihil juris acquirat; tum quòd jam cauſa acquiſitionis, ſcil. Patria poteſtas ſublata

ſit;

sit, tum etiam, quòd ex speciali privilegio Imper. omnia bona filiis post clericatum advenientia in numerum *quasi castrensis peculii* redacta sint, *auth. Presbyteros. Cod. de Episc. & Cler.* Panor. *in d. c. 8. n. 56.* Sanch. *d. tom. 2. lib. 7. c. 13. n. 44.* ubi ait, nullum à se visum esse, qui circa hoc punctum dubitaret.

Tota igitur difficultas est circa bona adventitia filii, in quibus Pater ante ingressum ex jure Patriæ potestatis usumfructum habuit, an eumdem per ingressum suum amittat? Suppono tamen patrem, aut filium aliunde habere sufficientia bona, & media ad vitæ congruam sustentationem: in præjudicium enim alimentorum non dubito quidpiam statuendum haud esse, cùm ad subveniendum his personis conjunctis in necessitate ipsum quoque ingressum differendum superiùs in *§. 2. q. 1. num. 2.* diximus.

42 Quòd si itaque Pater ingrediatur, triplex est sententia. Una simpliciter affirmat amitti usumfructum tanquam cessante causa Patriæ potestatis, alimentationis, administrationis, cui etiam adstipulatur Fach. *lib. 6. Controv. cap. 12.* cujus tamen novum, ut vocat, argumentum, quòd scil. ususfructus in persona patris consistere, vel ad monasterium utpote jus personale transire nequeat, solidum non est, qualiter enim ususfructus possit ad Monasterium transire superiùs diximus, & explicat Sanch. *d. lib. 7. cap. 13. num. 49.*

Altera (quam probabiliorem reputat Sanch. *d. l. 7. c. 13. n. 70.*) simpliciter negat amitti usumfructum, eumque Monasterio in vita patris adscribit, cùm non appareat differentia inter usumfructum paternum, & alium, generaliter verò *in auth. ingressi Cod. de SS. Eccles.* statuatur, ut ingressi omnia sua transferant, & ususfructus dependeat quidem à patria potestate in acquiri, sed non in conservari, possintque bona satis per officiales Monasterii administrari, sicut si pater in amentiam incideret, & administrationi ineptus redderetur, non propterea usumfructum amitteret.

Tertia sententia usumfructum dividit, & pro medietate tantùm patri assignat, fundaturque *in l. cùm oportet 6. §. 3. Cod. de Bonis quæ liberis*, ubi si pater filium è sua potestate dimiserit, in præmium emancipationis dimidia pars ususfructus ei relinquitur. Atqui pater ingrediendo Religionem, non quidem formaliter per emancipationem, sed saltem in effectu filium à sua potestate dimittit, ergo &c. Et ita cum Barth. *in auth. idem est Cod. jam d. t.* sentit Panorm. *in c. in præsentia 8. de Probat. n. 57.* Syl. *v. Relig. 6. n. 1.* Armilla *eod. v. n. 20.*

Sanè hæc controversia nullo certo jure determinata est, sicut, & plurimæ aliæ in hac materia, & omnes relatas sententias probabiles censet Sanch. *d. nu. 70.* ut proinde privato Doctori difficile sit aliquid decidere. In praxi ad consuetudinem locorum, tanquam optimam legum interpretem, *l. si de interpretatione ff. de LL.* & amicabiles compositiones potissimùm recurrendum. Abstrahendo verò à consuetudine (cùm casus iste non sit adeò frequens) hæc posterior sententia videtur juri, & æquitati magis consentanea; juri quidem, quia pro neutra ex prioribus habetur clarior juris decisio, cùm *d. auth. ingressi*, nullam mentionem faciat de usufructu paterno, vel de casu, quo pater suo facto, & voluntate filium à potestate dimittit: æquitati autem, quia mediam viam tenet, & utrique parti aliquid attribuit, satis enim durum, ut Monasterium integrum usumfructum ex persona patris in bonis filii retineat, & bona filii per officiales Monasterii administrentur, pater verò administret nihil, filium non alimentet, non curam ejus gerat &c. Nec multùm urget instantia de amentia patris, quia ibi præter causam miserationis, *cum afflicto non sit addenda afflictio cap. ex parte 5. de Clerico ægrot.* saltem ex bonis patris alimenta præstantur filio. E contra tamen etiam satis durum foret patrem, qui ante hac multam curam filio impendit, omni jure paterno, quod leges ipsi tribuunt, privare, cùm utilitas, quæ obvenit Monasterio, etiam in ipsum aliquo modo redundet.

43 Quær. VIII. Quando ponitur filius ingressus Religionem, an tunc pater in sæculo retineat usumfructum, quem priùs habuit in bonis adventitiis filii? Rursus gravis inter DD. concertatio est. Affirmativè pro favore patris respondet Sanch. *dict. lib. 7. cap. 13. nu. 39.* eò quòd nulla possit esse ratio amittendi hujus ususfructus, quam cessatio patriæ potestatis, at verò jam superiùs dictum est, usumfructum semel acquisitum non dependere à patria potestate in conservati, & allegat *l. ult. C. ad Tertull. & l. 3. C. de Usufructu*, quæ tamen hunc casum in specie non habent; posset verò *d. l. 3. §. 1.* aliquod argumentum sumi. Citat præterea in eandem sententiam Authores quam plurimos, qui ibidem videri poterunt.

In Contrarium, & pro favore Monasterii præter paucos apud Sanch. *d. l. n. 38.* citatos inclinat Panorm. *in d. c. in præsentia num. 56.* sed nullo efficaci argumento confirmat, relinquo tamen pro hac parte considerandum. I. Textum *in Nov. 5. c. 5.* ubi Imperator vult, ut res professi transeant *omninò* in Monasterium, sed non transit *omnino*, quod transit quoad solam proprietatem. II. Valet argumentum à Republ. & Militia ad Religionem Everh. *in Top. loco: à fisco ad Ecclesiam, & loco: à milite ad Ecclesiam* Lauret. de Franchis *de Controv. inter Episc. & Regul. par. quæst. 96. & ibidem* Pasqual. *in addit.* sed quando filius favore reipublicæ, aut militiæ ob dignitatem, vel cingulum liberatus à curia liberatur, à patria potestate liberatur quoad personam. & bona, *Nov. 18. c.* ibi *peculium eis donans, & liberi arbitrii esse prabens &c.* ergo &c. Et sicut in illo casu pater, in quantum gravatur ex amissione ususfructus, relevatur ex honore filii, ita in isto ex precibus, ex accommodatione sancta, & honesta filii, & honore status Ecclesiastici, ex cessatione alimentorum, administrationis bonorum &c. Et licet aliàs nemo per factum suum possit alterius conditionem deteriorem facere, id tamen non procedit, quando deterioratio non est directè ex facto, sed ex authoritatem juris, sicut si filius in casu *d. Nov. 18.* dignitatem affectaret, & consequenter. Cùm igitur pro utraque parte sint rationes, & authoritates, si res in praxi ex consuetudine, vel amicabili compositione decidi non posset, forsan non incongruè tentaretur iterùm via media, & dimidia pars ususfructus patri, altera Monasterio assignaretur; authoritate *d. l. cùm oportet §. 3. Cod. de Bonis, quæ liberis*. pater enim consentiendo in ingressum filii, in effectu idem præstat, ac si emanciparet, ubi autem eadem est ratio, eadem censetur esse juris dispositio, *l. non possunt 12. cum l. seq. ff. de LL.*

44 Quær. IX. Quid statuendum sit de *legitima*, anne hanc filio Religionem professo teneatur pater adhuc in vita sua protinus consignare. Negativam dicit indubitatam Jas. *in auth. si qua mulier C. de SS. Eccles. n. 56.* quem refert, & sequitur cum aliis Sanch. *d. Lib. 7. c. 10. num. 12.* quia viventis non est hæreditas, *l. qui superstitis ff. de Aquirenda hered.* & legitima post mortem primùm computatur, *l. 1. §. si impuberi de Collat. bon.* Excipiunt tamen casum, quo pater vergeret ad inopiam dissipando bona sua. Item sicut in Matrimonio carnali pater tenetur dare dotem filiæ, & filio donationem propter nuptias. *L. fin. C. de Dotis promiss.* ita pariter ad aliquid simile teneri, si filia, aut filius per ingressum in Religionem, aut susceptionem SS. Ordinum ad spirituales nuptias transituri sint, docet Sanch. *de Matrim. lib. 4. disp. 26. num. 7.* Barb. *de Officia Episc. p. 2. alleg. 19. num. 63.* cum Baldo *in d. l. fin. &* pluribus aliis ibidem citatis, cùm admittatur argumentum à matrimonio carnali ad spirituale *c. inter corporalia de Translat. Episc.* Everh. *in Top. loco à Matrimonio carnali ad spirituale n. 4.*

45 Quær. X. Quid è contra, si pater Religionem profiteatur, an statim debeatur filiis in sæculo relictis legitima, vel potiùs Monasterium possit eam retinere, quamdiu pater vivit. Licet DD. satis conveniant, quòd statim debeatur legitima filiis, quando Monasterium est bonorum incapax, quia tunc professio assimilatur morti naturali; nec est causa retinendi ex parte Monasterii, plurimi tamen in utramque partem se cedunt, quando Monasterium est bonorum capax. Etenim pro Monasterio facit text. *in dict. auth. si qua mulier*, ubi patre sine dispositione obeunte dicitur, filiis deberi legitimam, ergo ante obitum non debetur. Cùm, & aliàs ordinarii juris sit, legitimam in vita non deberi, *dict. l. 1. §. si impuberi ff. de Collat. bon.* nec pater post professionem debet esse deterioris conditionis, quàm priùs, ut superiùs etiam de retentione bonorum feudalium, & Emphyteuticorum dictum. Verum

pro filiis allegatur *c. cùm simus 3. h. t.* ubi hæc quæstio videtur decisa (quamvis aliqui existiment, ibi patrem jam fuisse mortuum, quia *successionis* fit mentio) Item text. *in Nov. 5. c. 5.* in illis verbis: *postquam abrenuntians conversatus fuerit inter Monachos, nihilominus quarta debeatur filiis, aut supplementum si contingit jam eos aliquid accepisse, aut etiam quatenus totum eis detur.* Et quia *in auth. si qua mulier* conceditur patri dividere bona sua inter liberos. Durum denique foret, filios, & cura paterna, & alimentis, & legitima carere debere, vel hæc eis continuò à Monasterio præstari. Atque hanc posteriorem sententiam probabiliorem reputat Sanch. *d. lib. cap. 10. n. 3.* & multi alii apud hunc, & Barb. *in Collect. ad d. c. cùm simus* citati. Planè cum textus juris pro neutra parte sint sufficienter clari, & rationes hinc inde militent, utraque sententia in theoria probabiliter defendi potest, secunda verò præsertim propter ultimam rationem videtur magis practicabilis, Cov. *de Testam. c. 2. n. 12.* ad consuetudinem, & amicabilem compositionem in his juris articulis potissimum recurrendum, usque dum sequatur clarior, quæ in multis optanda foret, competentis Legislatoris decisio.

Theoricè qui defendere vellet primam sententiam, respondere posset ad argumenta secundæ; in casu *cap. cùm simus h. t.* patrem probabiliter fuisse mortuum. In *Nov. 5. c. 5.* dici, quartam deberi; & *in d. auth. si qua mulier* concedi dispositionem, non determinari tempus solutionis; à Monasterio posse interim præstari curam, & alimenta, in quantum æquum est.

Qui verò defenderet secundam contra primam, diceret, textum in *auth. si mulier* posse accipi de obitu patris ante petitionem filiorum: hæreditatem, & legitimam non deberi in vita, nisi talis mutatio superveniat, quæ saltem secundum quid morti comparetur; in feudo, & Emphyteusi non tanti interesse domini, quanti filiorum in legitima, ut eam nunc propria patris cura destituti in suam utilitatem meliùs applicent.

46 Quær. XI. Quis sit sensus, & valor *auth. si qua mulier C. de Eccl.* Resp. Speciale esse ex *d. auth. & Novel.* 123. *c.* 38. quòd in ea concedatur patri professo, qui liberos in sæculo reliquit, etiam post professionem bona sua inter eos dividere, reservata Monasterio saltem vitili portione, quantum scil. uni ex liberis assignat, sicut ita communiter DD. *d. auth.* exponunt: quamvis in ea non expressè de professo, sed de intrante Monasterium mentio fiat: verbum enim, *professus*, non erat olim valde usitatum, & verba *ingredi, intrare, &c.* sumebantur cum effectu, *arg. auth. ingressi Cod. SS. Eccles.* neque de non professo videbatur dubitandi ratio, an bona ipsius sine dispositione defuncti competerent Monasterio, ut superiùs dictum.

47 Attamen licet hæc constitutio, ejusque interpretatio inter DD. valde communis sit, & credatur canonisata in Decreto Gratiani, *c. si qua mulier 19. q. 3.* vel saltem tacitè approbata à SS. Pontificibus, ut censet Sanch. *in prac. Dec. tom. 2. lib. 7. c. 9. n. 7.* quasi pater ex authoritate juris sit ad hanc divisionem executor constitutus. Nihilominus Navar. *de Regular. consil. 2. n. 53.* putat facile defendi posse, talem dispositionem factam post professionem esse invalidam, nihilque liberis præter legitimam deberi, cùm non videatur fuisse in potestate Imperatoris Religiosum professum qui secundum Canones nec nolle nec velle habet, *c. ult. de Sepult. in 6.* ad testandum, & disponendum de bonis, quorum dominium post professionem ampliùs non habet, idoneum, & potentem reddere, vel bona jam concomitanter cum persona Monasterio acquisita, *c. quanquam de Censur. in 6. c. si quis 5.* ubi Pan. *n. 3. de Foro comp.* ex voluntate solius Religiosi denuò à Monasterio separare, *c. Eccles. 10. & ibi DD. de Constit.* Leges verò Civiles in Decreto Gratiani, sicut & ipsum Decretum ad primævam authoritatem revocari, superiùs *in Proœmio n. 5.* tradidimus. Addi insuper potest, quòd *d. auth. si qua mulier*, non sit simpliciter relata in Decretum, sed cum annexa *auth. nunc autem. Cod. de Episc. & Cler.* quæ habere videtur sensum contrarium, & correctorium prioris ibi: *indicia ejus cessante lege disponitur, &c.* ut propterea jam olim quidam intellexerint *d. auth. si qua mulier*, de dispositione in Novitiatu, & si non disposuerit, obierit que scil. post professionem, bona ejus, excepta legitima liberorum, competant Monasterio teste Gl. *in d. c. si qua mulier in V. cessante.*

Quær. XII. *Ex d. auth. si qua mulier*, an tantùm in casu illo sit speciale, quòd pater disponens debeat portionem aliquam reservare Monasterio, cùm aliàs major pars bonorum apud Monasterium mansisset, vel habeat locum in quovis Novitio, vel ingressuro disponente, ut debeat Monasterio relinquere legitimam? Res iterum prorsus incerta est, & pro negativa videatur Pan. *in c. in præsentia 8. de Prob. n. 52.* Sanch. *d. lib. 7. c. 3. n. 8.* & alii apud eum cc. cùm non appareat sufficiens juris textus, qui generaliter statuat Monasterio legitimam deberi, sed potius libera detur disponendi facultas. *Nov. 5. c. 5.* Pro affirmativa verò Covar. *de Testam. c. 2. n. 9. & 10.* & alii ibidem allegati, *arg. auth. si qua mulier*, & quòd Monasterium habeatur vel loco filii, *arg. d. c. in præsentia*, vel propter continuam imposterum alimentationem, & curam succedat quasi in locum parentum; quam ob causam forsan tam repetitis vicibus Imperator voluit bona Religiosi sine dispositione professi ad Monasterium transire. Quæ sententia videtur habere æquitatem saltem in Monasteriis depauperatis, maximè verò non extantibus liberis naturalibus, & legitimis, eo ferè modo, quo filii parentes inopes, Ecclesia patronum pauperem propter beneficia ab istis personis accepta potius, quàm extraneos alere tenentur. Quia tamen hæc legitima non reperitur in jure tam rigorosè injuncta, sicut liberorum, & parentum naturalium, ideò per omissionem ejus non rumpi totum testamentum, sed ipsam solùm peti posse docet D. Anton. apud Panorm. *d. t. n. 52.* & Covar. *d. nu. 10.* Plura ad hunc §. pertinentia videantur prolixè, & enucleatè tradita apud Sanch. *d. tract. in prac. Dec. tom. 2. lib. 6. & 7.* & quæ diximus in Libello *de Privilegiis Monast.* & in hoc Lib. III. in Tit. *de Test.* & in Tit. *de Success. ab intest.* 48

Quær. XIII. postremò, an quia Religiosus professus propter votum paupertatis incapax dominii, quidquid acquirit, acquirit Monasterio, teneatur Monasterium ex contractu, vel delicto illius? De qua quæstione videri poterit Sanch. *in Decal. lib. 7. c. 31.* Molina *de J. & J. tom. 1. disp. 140.* ubi distinguunt inter obligationes contractas ante ingressum, & contractas post actualem professionem. Illis tenebitur monasterium pro ratione bonorum sibi per illum Religiosum acquisitorum, etiamsi post professionem per hæreditatem, vel legatum advaniant, quia similia bona censentur transire cum onere, ne monasterium cum damno creditorum, quibus professus, aut Monasterium illum suscipiendo per suum factum præjudicare non potuit, locupletetur. Obligationibus autem post professionem contractis non aliter tenebitur Monasterium, quàm si cum licentia legitimi superioris expressa, vel saltem tacita (ut si ei administratio quædam commissa, si ad studia missus sit, & ibi ex rationabili causa sumptus, aliamve obligationem exegerit) contraxerit, aut certè contractus in utilitatem monasterii versus probetur. Quo faciunt textus *in c. pen. de Fidejuss. c. t. de Solutionibus c. delictum de R. J. in 6. leg. civitas ff. de Reb. cred.* Censent tamen DD. præfati, & plures alii, contractus Religiosi sine licentia Prælati initos comparari contractibus, quos pupilli, vel minorennes absque tutorum, vel curatorum authoritate ineunt cum majorennibus, qui ex parte quidem illorum inefficaces, ex parte verò illorum eatenus obligatorii sunt, ut à tutoribus, & curatoribus, si ita judicaverint expedire, ratihaberi, & utrinque convalidari possint. *Princ. Inst. Author. tut.* Molina *d. L. n. 22.* Dummodo integer contractus ratihabeatur non separando commoda ab oneribus Sanch. *d. c. 31. n. 30. cum* Tiraq. *de retract. Convent. ad fin. tit. à n. 4. usque ad 16.* 49

An demùm Religiosus illicitè contrahens saltem naturaliter obligetur, ut ei fidejussor validè, & efficaciter accedere possit? pro utraque sententia videantur rationes, & Authores apud Sanch. *d. l. n. 35. & seqq.* ubi affirmativam tenet, eò quòd Religiosus licet non habeat *velle, aut nolle* Canonicum, & efficax, habeat tamen naturale (sicut in emissione voti particularis, quòd Monasterio non præjudicet, in peccando &c.) quod sufficit ad naturalem obligationem constituendam, & fidejussorem obligandum *l. 1. in fin. ff. de Novat. l. ult. ff. de Jurejur. l. Marcellus 25. ff. de Fidejuss.* præsertim si se fidejussor ut principalem debitorem obligarit. 50

§. IV.

§. IV.

De egressu ex Religione, & transitu ab una Religione ad alteram. Item, & de promotis ad Episcopatum, vel aliud beneficium extra Monasterium.

S U M M A R I A.

51 *Novitius egrediens an teneatur solvere expensas?*
52 *An, & qualis professio nulla dici possit?*
53 *Quinquennium datum ad reclamandum contra professionem, fundatur in præsumptione.*
54 *Non currit impedito, vel ignoranti.*
55 *Dimittens habitum ante quinquennium debet ante omnia restitui, sed non excluditur à petitorio.*
56 *Ejicere Religiosos ex Monasterio an, & quando liceat; & qualiter ejecti, & fugitivi reducendi, & ad quid obligentur?*
57 *Ejecti, & fugitivi cui acquirant.*
58 *Monasterium reducens ejectos, & fugitivos an teneatur solvere expensas pro illis ab aliis factas; vel ejectis dare alimenta, si bona priùs intulerunt in Monasterium? remissivè.*
59 *Transire ex uno ordine ad alium quibus conditionibus liceat.*
60 *Moniales an possint transire?*
61 *Mendicantes non possunt transire ad non mendicantes præterquam ad Cartusianos; ad alios autem etiam de licentia Papæ transeuntes nulla ibi officia gerere possunt.*
62 *Transeuntes sunt incapaces beneficiorum sacularium etiam curatorum.*
63 *Transeundi ad ordinem æqualem, vel laxiorem quis possit dare licentiam.*
64 *Transiens debet facere Novitiatum, & regrediens ante professionem in priori Monasterio recipi.*
65 *Transeuntium bona, cui Monasterio cedant.*
66 *Religiosus factus Episcopus manet Religiosus, obligatur votis substantialibus, aliis verò particularibus observationibus Religionis tantum ex honestate.*
67 *Religiosus factus Episcopus cui acquirat.*
68 *Expeditur tex.* in c. un. 18. q. 1.
69 *Religiosus promotus ad aliquod beneficium, vel parochiam extra Monasterium ad quid obligetur, & cui acquirat?*
70 *Prior ex alio Monasterio assumptus cui acquirat.*
71 *Abbas ex alio Monasterio assumptus efficitur, & manet Monachus illius Monasterii, cui præficitur.*

QUær. I. Utrùm Novitius, qui egreditur ex Monasterio teneatur solvere expensas, quas pro ipso Mo-
51 nasterium fecit in victu, vestitu, morbis, & aliis necessariis? Negativa communior est, tum ne Novitius ob prætensionem expensarum à libero egressu retineatur; tum etiam, quòd alimenta, & necessaria dentur Novitio, quia ejus probatio simul respicit favorem Monasterii, ne indignum suscipiat, & quia ipse vicissim debet Monasterio inservire, per accidens autem est, quòd ratione morbi, vel alia causa quandoque inservire nequeat: cùm etiam econtra si labor excederet valorem expensarum, non haberat Novitius propterea jus aliquid exigendi. Existimant tamen valere pactum, aut consuetudinem, ut expensæ à Novitiis egredientibus, maximè in Monasteriis Monialium solvantur. arg. text. in Trid. *sess. 24. de Reg. c.* 16. dummodo vi talis pacti, vel consuetudinis Novitio egressus non prohibeatur, priusquam expensas solvat. *c. non solùm h. t. in 6.* Tamb. *de Jure Abb. t. 3. disp. 6. q. 9. n. 5.* Laur. de Franchis *de controv. inter Episc. & Reg. p. 2. q. 50.*
52 Quær. II. An, & qua ratione professio nullitatis argui, & professus ad sæculum redire possit? Resp. Quòd is, qui gravi metu adactus (etiam *reverentiali* saltem concurrentibus adminiculis, importunis persuasionibus, minis, odio &c. ut modesta contradictio nihil juvisset, Laym. *in Th. mor. lib. 4. tract. 5. c. 5. n. 6.*) vel non in legitima ætate, aut Novitiatu necdum expleto professionem emisit, vel intentionem profitendi non habuit, debeat hujusmodi causas intra *quinquennium* à die professionis numerandum coram legitimo superiore, scilicet coram Prælato Monasterii, & simul coram Ordinario loci deducere. Quod si per quinquennium tacuerit, imposterum non audietur, quia præsumitur *præsumptione juris, & de jure*, contra quam probatio in contrarium non admittitur, tanto tempore saltem tacitè suam professionem renovasse, aut ratificasse. Si verò quis etiam intra quinquennium propria authoritate habitum Religionis dimiserit, ad Monasterium redire cogendus, tanquam Apostata puniendus, nec ad causam aliquam allegandam admittendus erit. Ita expressè statutum est in Conc. Trid. *sess. 25. de Regul. c. 19.*
Verùm hæc constitutio rigorosa Concilii patitur suas 53
limitationes, quas ponunt DD. cc. apud Barb. *in Collect. ad c. 19.* & Tambur. *de Jure Abb. tom. 3. disp. 7. q. 35. & seq.* Latè Sanch. *de Matr. lib. 7. disp. 37. n. 3.* Nam I. cum eo casu, quo aliquis per *quinquennium* tacuit, Concilium fundetur in præsumptione ratificatæ professionis, ideo si ratificatio revera non intervenerit, talis putativus Religiosus in conscientia obligatus non erit, quia præsumptio juris non obligat nisi veritate subexistente, in dubio tamen, si ipsemet professus de validitate professionis non satis certus sit, standum est præsumptioni juris in utroque foro. Sanch. *d. l. n. 12.* Utrùm autem certus de nullitate elapso quinquennio possit clam fugere, vel occultè à Prælato dimitti, aut potiùs teneatur ratificare professionem, pro utraque sententia videatur Sanch. *d. l. num. 11. & 13.*
Tambur. *d. disp. 25. n. 4.* II. Si quis ex justa causa, vel igno- 54
rantia tacuerit, ut quia metus continuò duravit, vel ignoravit nullitatem professionis, tunc etiam post quinquennium reclamare, & saltem extraordinarium remedium
restitutionis in integrum petere poterit. III. illud pun- 55
ctum constitutionis *de dimittente habitum ante quinquennium*, benignius interpretantur DD. ex Tit. *de Restit. spoliatorum*, quòd scilicet abjiciens habitum ante omnia sine admissione alicujus excusationis debeat Monasterio restitui tanquam qui illud sui possessione spoliarit, & pro excessu puniri, post pœnitentiam autem peractam ad petitorium, seu causas nullitatis allegandas nihilominus admitti. Sanch. *d. disp. 37. n. 3. & 4.*
Quær. III. An & qualiter Religiosus professus à Supe- 56
rioribus ex Monasterio ejici valeat? Difficultatem facit *c. ult. h. t.* ubi dicitur: *Ne Religiosi vagandi occasionem habentes salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur: Statuimus, ut præsidentes capitulis celebrandis, seu Patres, Abbates, seu Priores fugitivos suos, & ejectos de ordine suo requirant sollicitè annuatim, &c.* & subjungitur, quòd idem fugitivi & ejecti debeant, vel ad Ordinem recipi, vel si id salva ordinis disciplina fieri nequeat, in aliis Religiosis domibus ejusdem ordinis ad agendam pœnitentiam deputari. Verùm communior est DD. sententia, professum, qui in gravi crimine notoriè incorrigibilis est, vel ob criminis infamiam sine gravi Ordinis detrimento tolerari non potest licitè ejici resecando carnem putridam, & separando ovem morbidam, ut ex *c. cùm ad Monasterium, & c. fin. de Stat. Monach. c. relatum. Ne Clerici vel Monach. c. cùm in Eccles. de Major. de obed.* & diversorum Ordinum Regulis à Sede Apost. approbatis cum pluribus aliis DD. docet Tamb. *de Jure Abbat. t. 3. disp. 8. q. 7. & seqq.* Sanch. *in Decal. sive Mor. lib. 6. c. 9. n. 3. & seqq.* Laym. *in Th. Mor. lib. 4. tract. 5. c. 13.* Barb. *in Collect. DD. ad dict. c. fin. h. t. n. 3.* Laurentius de Franchis *de Controv. inter Episc. & Regulares cum addit. Pasq. p. 1. n. 957. & seq.* apud quos DD. multa notabilia circa ejectos, & fugitivos invenies. Textum verò *in d. c. fin. h. t.* vel de ejectis injustè, vel emendatis accipiunt; vel, quod plerique magis approbant, in desuetudinem abiisse sentiunt, cùm non videamus à Prælatis practicari. Sed cùm constitutio illius *cap.* sit valdè rationabilis, & circumvagatio ejectorum in detrimentum ipsorum, & contemptum Religionis cedat, considerandum foret, an non expediret meliùs in usum deducere, quatenus id sine gravi scandalo, aut ordinis detrimento fieri posset, cum scandalo autem, & damno Monasterii non esse obligationem revocandi etiam fugitivos, & apostatas notat Laym. *d. c. 13. sub num. 7.* Et quòd cum hujusmodi hominibus reverti volentibus non sit duriter agendum à superioribus, sed potiùs *instituendi*

sint in Spiritu lenitatis, ad Galat. 6. ad Timoth. 2. ex Decreto S. Congreg. Card. tradit Tambur. *d. disp. 8. q. 4. n. 2.* Item quòd ejecti non obligentur quidem substantialibus votis, ita ut etiam obdientia saltem virtualiter perduret, quatenus justè revocari poterunt, & ipsi se emendare, & ad resusceptionem disponere tenentur, & obligentur taman aliis particularibus observationibus sui Ordinis, ut certorum jejuniorum, mortificationem, (non verò à gestatione habitus, nisi in pœnam delicti eo privati sint) etiam ex communiori tenent DD. præcitati, ubi plura videri poterunt.

Quæritur IV. Si Religiosi fugitivi, & ejecti extra Monasterium aliquid acquirant, cui ejus rei dominium acquiratur? De fugitivis certum est, quòd per suum factum Monasterium jure, quod in eos haber privare non potuerint, ideòque unà cum acquisitis omnibus ad Monasterium cum assistentia Episcoporum revocari possint, *cap. Abbates 16. 18. q. 2.*

57 De aliis vero, qui perpetuò ab aliquo Ordine ejecti sunt ut diximus, non cessant voto paupertatis obligari, quamvis juxta status sui conditionem, & exigentiam plenior intelligatur ipsis administratio, & acquisitorum dispensatio concessa, quàm Religiosis claustralibus actu sub obedientia Prælati viventibus. Laym. *all. c. 13. n. 2.* & Sanch. *dist. cap. 9. n.* 47. Major ast difficultas, cui proprietatem rerum in vita sua, vel post mortem extra Monasterium contingentem acquirant?

Et quidem si ejecti, aliique Religiosi permanentes extra claustra viventes decedant, eorum bona tanquam spolia Cameræ Apostolicæ ex SS. Pontificum constitutionibus, & multis Authoribus refert Pasqual. *in addit.* ad Lauret de Franch. *d. l. n. 997.* idemque de acquisitis fugitivorum extra claustra decedentium cum Navar. *de Spoliis Cler. §. 7. n 4.* tradit Layman, *dict. l. sub nu.* 3. Verum cùm hæc spolia vix practicentur in Germania, adhuc dubium remanet, quid ibi dicendum, vel quid, stantibus etiam spoliis censendum de dominio Religiosi ejecti in vita ejus? Lauretus de Franchis, *dict. l. n. 993.* ait, dominium acquiri DEO, jus verò supremum administrandi summo Pontifici ejusdem Vicario, speciale autem Ecclesiæ sæculari, vel Regulari, ad quam ejecti legitimè fuerint translati, alioquin Episcopo. Sanch. *in Decal. sive Mor. lib. 7. c. 33. n. 26. & seqq.* docet bona hujusmodi Religiosi pertinere ad Pontificem, vel Ecclesiam, vel Episcopum, instar bonorum, quæ vacantia dicuntur, non verò ad Monasterium, quod jam ampliùs nulla cum ejecto fuerit injustitia, & circa eam solus Prælatus sine consensu majoris partis Conventus deliquerit, cujus delictum non debet nocere Ecclesiæ, *vulg. c. delictum de R. J. in 6.* Cui suffragatur Abb. *in c. un. de Infans. & languid. expos.*

Nihilominus rectè defendi potest aliorum sententia, qui pro Monasterio concludunt, quia Religio per expulsionem solum separat à convictu Religiosorum, ne cæteros inficiat, non autem abdicat à se jura, quæ habet contemplatione ipsius, imò tenetur procurare reductionem ipsius, & recipere redire volentem, si sit emendatus juxta, *d. cap. fin. Regular.* innovato in Decreto S. Congreg. *de Regular. Apostatis, & ejectis*. Ita Pasqual. in *addit.* ad Laur. de Franch. *d. l. num. 999.* (de limitatione verò quam circa translatos ad aliam Religionem, vel Ecclesiam subjungit in *ult. qq.* agemus) & apud eum Molina *tom. 1. de J. & J. disp.* 140. Lessius *lib. 1. de J. & J. c.* 41. *n.* 112. & alii. Accedit, quòd Religiosus per suum factum incorrigibilitatis non debeat præjudicare Monasterio, vel Monasterium per actum justitiæ, & a Jure sibi concessum in favorem, & gratiam conservandæ disciplinæ Religiosæ damnum sentire. Et si Religiosus ejectus ex communi sententia priorum etiam DD. adhuc manet verus Religiosus tribus substantialibus votis obligatus, iisque solemnibus, quæ Religionem constituunt, solemnitas autem voti consistat in traditione sui ipsius, & reciproca obligatione Monasterii, ut superius *in §. 1.* dictum, sequitur obligationem, & inde acquisitionis causam esse respectu illius Monasterii cui se Religiosus per professionem tradidit, quamvis interim ex parte Religiosi propter summer delictum effectus hujus obligationis suspendatur. Quemadmodum si filius ingratitudinem in patrem committat, ob quam ab eo juste exhæredetur, domoque expellatur, donec sibi debitè reconcilietur, causa dein eveniente ut filius ante Patrem decedat, & bona adventitia, vel castrensia relinquat, nunquid innocens Pater à legitima successione excluderur? Sanè non credo id ullo jure statutum, aut rationabiliter statui potuisse, ne Pater pro injuria sibi illata non tantùm nullam satisfactionem habere, sed insuper pœnam amissæ hæreditatis filialis sustinere debeat.

Utrum verò Monasterium reducens ejectos, aut fugi- 58
tivos teneatur solvere expensas in eorum alimentationem necessariam factas, præsertim si bona fide, & ex ignorantia fugæ, vel ejectionis alimenta extra Monasterium ipsis præstita sint? Item an ejectis, qui multa bona intulerunt Monasterio, etiam durante ejectione præstanda sint alimenta? videatur Sanch. *in Decal. lib. 6. cap. 9. nu.* 20. Surdus *de Alimentis t. 7. quæst.* 35. *junct. q. 7.* Pasqual. *in addit. ad* Lauret. de Franch. *de Controv. inter Episcop. & Reg. p. 1. num. 992. & num.* 1000. apud quem universim in materia ejectorum fugitivorum plurima notabilia enucleatè tradita legi poterunt, quo brevitatis causa remittimus.

Quær. V. An, & quibus conditionibus possit Religio- 59
sus de uno Ordine ad alium transire? Respondeo. Cùm nullum votum, vel promissio debeat impedire majus bonum, ideò Religiosus licet se uni Religioni per professionem obligaverit, nihilominus Zelo melioris vitæ, & majoris perfectionis potest transire ad ordinem strictiorem petita tamen, quamvis non obtenta licentia sui Prælati, & privilegia de non transeundo ordini concessa intelliguntur de transitu ex temeritate, vel levitate. Ita communiter DD. sumunt *cap. licet 18. hoc tit.* Verùm hic ex Innoc. & Panorm. *ad d. cap. licet*. Tambur. *de Jure Abb. tom. 3. disp. 7. quæst. 1. & seqq.* Barb. *in Collect. ad d. c. licet* Sanch. *in Decal. lib. 6. c. 7.* Laym. *in Theol. Moral. lib. 4. tract. 5. cap. 6. n. 9. & seqq.* aliqua notabilia breviter subjungenda sunt.

I. Circa transitum istum non consideratur, quænam Religio ex fine suo perfectior, sed quæ in externis observationibus magis rigida, & austera sit, & quidem non tantùm ex primæva sua institutione, sed ex moderna observatione in illo ipso monasterio, ad quod petitur transitus, *cap. sanè 10. & ibi* Panorm. *hoc tit.* imò professus Ordinem ex primæva Regula strictiorem, si modo ex observatione sit laxior, potest transire ad alium Ordinem ex primæva Regula laxiorem, sed ex moderna observatione strictiorem, dummodo non sit spes futuræ reformationis in proprio ordine, vel nullum sit Monasterium ejusdem ordinis observantiæ strictioris in Provincia. Sanch. *d. l. num. 24. & seqq.* Item Canonicos Regulares cùm profiteantur Regulam laxiorem, *c. quòd Dei timorem 5. de Statu Monach.* posse ad Monachos transire ex S. Thoma, & Nav. tradit Laym. *d. l. num.* 11. non obstante *cap. mandamus 19. q. 3.* quia intelligitur de veteri statu Monachorum, quo dediti tantùm vitæ contemplativæ sacra mysteria non tractarent.

II. Non statim, ac petitur licentia, fas est Religioso transire, sed interroganti Prælato suas rationes transitus exponere debet, ab eoque per aliquod tempus responsionem exspectare: quòd si superior judicans causam esse justam, nihilominus deneget licentiam, nihil respondeat, vel alleget causam denegationis evidenter injustam, tunc demum absque ulteriori licentia transire licebit. Si dubium sit, anne Ordo, ad quem petitur transitus, strictior existat, aut potiùs temeritas, vel levitas, quàm Zelus, & dictamen Spiritus S. subsit, ad superiorem Prælati, qui aliàs in causa appellationis foret superior, judicium pertinebit. Et præterea non priùs Monasterio exire debet Religiosus, quàm certus sit de susceptione in altero Ordine, nisi Abbas specialiter licentiam dederit Monasterium strictioris Ordinis, in quo suscipiatur, quærendi, Tamb. *d. q. 1. n. 11. & seqq.* An autem transiens non petita licentia, aut non injustè denegata, aut ex causa non satis legitima possit in alia Religione validè profiteri, vid. Sanch. *d. c. 6. n. 88. & seqq.*

III. Quamvis *d. c. licet hoc tit.* tantùm de viris Reli- 60
giosis loquatur, communius tamen receptum est, etiam Moniales eo juris privilegio gaudere; ut ex causa majoris perfectionis (saltem ab Ordinario loci, vel superiori Prælato,

lato, cui Monasterium subjacet approbata) transire valeant *c. 1. ibi* Gloss. *in v. Virgines* 20. *q.* 4. Neque refragatur Concilium Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 5. omnem egressum Monialium è clausura prohibens, (de quo infra *in Tit. XXXV.* dicemus) quia non comprehendit hunc casum legitimi transitus. Addit verò Tambur. *d. q.* 1. *n.* 26. ex Declarat. Card. quasdam conditiones, sub quibus Mo-
61 nialibus transitus conceditur.

IV. Circa Regulares mendicantes specialis est prohibitio sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, ne quis eorum sine licentia S. Pontificis ad Ordinem non mendicantium, præterquam ad Carthusianos transeat. *Extrav.* 1. *h. t. inter Com.* de qua tamen constitutione videri etiam poterunt, quæ tradit. Sanch. *in Decal. lib.* 6. *c.* 7. *n.* 68. an ex justa causa nunquam liceat superioribus date licentiam transeundi ad alios non mendicantes? vel an d. *Extravag.* fundetur tantum in præsumptione? ibi: *fucatis coloribus, & ut liberius degant, beneficia monastica*
62 *consequi valeant*.

V. Ne transiens possit prætexere Zelum, & interim occulta ambitione moveri, vel Zelum commutare, statuitur *in Clem.* 1. *h. t.* quòd mendicantes etiam licitè, & cum licentia Papæ transeuntes ad non mendicantes apud hos nec prioratus, nec officia quæcunque etiam tanquam aliorum Vicarii obtinere, nec curam animarum pro se, vel pro aliis gerere valeant, nec vocem in Capitulo habituri sint. Sanch. *d. c.* 7. *n.* 125. Existimat tamen Sanch. *d. c.* 7. *n.* 130. hac constitutione non comprehendi transeuntes ex juris communis permissione ad Carthusianos.

VI. In Concilio Trid. *sess.* 14. *de Ref. cap.* 11. constitutum, est, ut nemo cujuscumque Ordinis Prælatus, vel superior vigore cujusvis facultatis aliquem transeuntem Regularem ad habitum, & professionem admittere possit nisi ut in ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia in claustro perpetuò maneat, ac taliter translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, *ad beneficia sæcularia etiam curata*, omninò incapax
63 existat.

Quæritur VI. An, & qua ratione licere possit aliquando ad æqualem, vel laxiorem Ordinem transire? Resp. Si justa ac rationabilis causa subsit, v. g. debilitas corporis ex infirmitate, vel senectute, aeris inconvenientia in loco Monasterii, nec aliud sit ejusdem Ordinis intra Provinciam, necessitas parentum, quibus in Religione alia subveniendi occasio est, tunc his, & similibus casibus, quos enumerat Sanch. *d. c.* 7. *n.* 72. & Tamb. *d. disp. q.* 5. *n.* 8. præsertim si professio in minorenni ætate emissa fuerit, posse non tantùm summum Pontificem (quamvis tutiùs saltem ad laxiorem ab hoc petatur) sed etiam inferiores Prælatos cum authoritate Episcopi, si Monasterium exemptum non sit, licentiam transeundi ad ordinem æqualem, vel etiam laxiorem concedere, Doctores tam Veteres, quàm Recentiores asserunt Sanch. *d. c.* 7. *n.* 44. & 53. ubi dicit *communissimam sententiam* Tamb. *d. q.* 5. Laym. *in Theol. Mor. lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 6. *sub. n.* 9. *v. ad æqualem*, & alii apud hos citati, prout alias commutationem alicujus voti urgente necessitate, vel rationabili de causa fieri posse, interiùs in *Tit. de Voto*, &c. dicemus. Nec obstare ajunt Concil. Trid. *sess.* 25. *de Reg. c.* 19. eò quòd ibi tantum prohibeatur, ne quis vigore cujusdam privilegii, adeoque sine justa causa, aut causæ cognitione, vel legitimi superioris Ordinis licentia ad laxiorem Ordinem transferatur. An autem etiam Conventus consensus accedere debeat, pro utraque sententia videantur
64 Doctores apud Sanch. *d. l. n.* 49. & 57.

Quær. VII. An transiens ab una Religione ad aliam debeat denuò Novitiatum facere? & quid, si intra annum pœniteat, an à priori Monasterio recipiendus? Resp. Affirmativè quoad utrumque, quia inprimis hodie ex Concilio Trid. nulla professio valet, nisi quis per annum Religionem priùs expertus sit: deinde quia de Natura Novitiatus est, ut pœnitere liceat, & antequam aliquis in secunda Religione profiteatur, manet adhuc membrum priori, in qua ipsi per professionem jus quæsitum est, rectè sequitur, quòd ad priorem Religionem redire, ab eaque suscipi debeat. Imò tametsi à priori Prælato omninò licentiatus, & dimissus esset, id tamen, vel sub conditione secundæ Professionis factum, vel absolutè, & simpliciter factum invalidum censeretur, cùm talis dimissio esset injusta, & occasionem vagandi Religioso tribueret. Syl. *V. Religio* 4. *n.* 5. Miranda *in Man. Prælatorum*. 1. *q.* 12. *art.* 18. & *seqq.* Laym. *d. c.* 6. *sub. n.* 11.

Quær. VIII. Quid Juris circa bona illorum, qui ad 65
aliam religionem transeunt? Resp. Esse distinguendum inter bona jam priori Monasterio acquisita, & inter bona, quæ acquiruntur post translationem Religiosi. Priori casu bona manent irrevocabiliter apud Monasterium, cui semel acquisita sunt. Imò etiam illa bona priori Monasterio acquiruntur, quæ cedunt, dum Religiosus in secundo Monasterio Novitiatum agit, quia eo tempore adhuc revera est Religiosus prioris Monasterii, quod eum regredientem recipere debet, ergo eidem acquirit. Quod si Religiosus à mendicantibus bonorum incapacibus transeat ad non mendicantes v. g. Carthusianos, bona, in quibus eo tempore, quo transiens erat in Religione mendicantium, consaguinei successerunt, etiam imposterum apud eos manebunt, & similiter quæ tempore Novitiatus in secunda Religione obveniunt, ad consanguineos devolventur. Posteriori verò casu, quando bona acquiruntur post professionem in secunda Religione factam, subdistinguendum est, an secunda Religio sit bonorum capax, vel non? Si sit capax talia bona ad eam pertinebunt, ex prædicta Regula, quòd quilibet Religiosus acquirat suo Monasterio. Si sit incapax, ut si quis à Benedictinis transierit ad Capucinos, & ei post professionem ibidem emissam deferatur hæreditas, hæc non priori Monasterio, à quo per professionem in secundo planè liberatus est, sed consanguineis acquiretur. Ita ex Declarat. Card. & dec. Rot. Rom. tradit Barb. *J. E. V. lib.* 1. *c.* 42. *n.* 91. Tambur. *d. tom.* 3. *disp.* 7. *q.* 6. *n.* 7. ubi plures allegat. Addit verò *n.* 9. aliud esse circa Moniales transeuntes, quæ possunt suas dotes secum ferre, & concordat, quod ex Congreg. Card. adducit *de disp.* 7. *quæst.* 1. *num.* 26. Videtur etiam Covar. *in c.* 1. *de Testam. num* 28. *usque ad finem*.

Quær. IX. Ad quid obligetur Religiosus factus Episco- 66
pus, & cui acquirat? Religiosum posse in Episcopum eligi licèt Ecclesia sit sæcularia, constat ex *c. nullus Religiosus* 28. *c. si Abbatem* 36. *de Elect. in* 6. *Clem.* 1. *eod. tit.* Talem porrò Episcopum adhuc manere verum Religiosum tribus substantialibus votis obligatum (voto obedientiæ in S. Pontificem tanquam omnium Ordinum Caput, & Generalem translato; à quo ex causa depositus denuo possit ad Monasterium reduci) communiter sentiunt DD. indeque etiam habitum gestandum teneri, patet ex *c. pro. in fin. de Vit. & honest. Cler.* In Rituali tamen Romano per Clem. III. reformato concessum est Episcopis Regularibus, ut retento colore habitus suæ Religionis valeant se conformare cum Episcopis sæcularibus in forma, & figura illius Sanch. *in Decal. lib.* 6. *c.* 6. *nu.* 2. & 22. Laym. *in Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 1. *numer.* 9. & 10. Aliis autem particularibus obligationibus, & observationibus Religionis v. g. jejunii, silentii, certarum precum, & mortificationum, abstinentiæ à carnibus, &c. solummodo ex morali honestate adstringitur *c. un.* 18. *qu.* 1. ibi: *quem Canonica electio à jugo Regulæ Monasticæ professionis absolvit*. Gloss. & Barb. *in Collectaneis ibidem* Sanch. *dict. l. n.* 17. & *sequentibus* Layman. *dict. l. n.* 10.

Cùm igitur Episcopus Religiosus voto paupertatis ad- 67
strictus administrationem duntaxat (liberam, & suæ dignitati congruentem) non verò dominium acquisitorum adipiscatur, ideò DD. concludunt, acquisita undecunque ante confirmationem quoad dominium cedere Monasterio, post confirmationem verò Ecclesiæ Cathedrali, ad quam Religiosus promotus est, per text. *in cap. un.* 18. *q.* 1. Sanch. *d. tr. lib.* 7. *c.* 32. *nu.* 62. & *seqq.* Verùm quamvis libenter consentiam, si de bonis post confirmationem *prospectu Ecclesiæ* acquisitis loquamur: plurimùm tamen subsisto circa bona aliunde acquisita v. g. successione consanguineorum, industria, parsimonia, &c. Etenim si in his quoque Ecclesiæ fieret acquisitio, causa istius acquisitionis esset vel *superioritas*, prout filius acquirit patri, servus Domino, subditus sine legitimo hærede decedens fisco, vel *matrimonium, & vinculum spirituale*, vel *specialis contractus*, vel *delictum*, vel *Constitutio Canonis, aut legis*, alia non incidit. Non *superioritas*, quia Episcopus est caput, & Prælatus Ecclesiæ, ipsius autem Episcopi

scopi Archiepiscopus, & S. Pontifex. Non *matrimonium, vel vinculum spirituale*, quia licet maritus teneatur alere & sustentare uxorem (prout, & Episcopus facere impensas necessarias in Ecclesiam saltem de quarta *cap. quatuor 27. cum seqq. 12. q. 2.*) non tamen ei cætera acquirit, ut noti juris, & usus. Deinde si istæ duæ causæ forent, obtinerent etiam in Episcopis sæcularibus, qui tamen non alia, quam bona prospectu Ecclesiæ acquisita eidem re-
68 stituere tenentur, ut apud omnes inconfesso est. Non prætereà *specialis contractus*, & obligatio inde resultans, quia suppono à Religioso Episcopo nullum tale pactum exigi, vel iniri neque jure aliquo exigendum appatet. Nou etiam, *delictum*, ut per se patet. Non denique *constitutio Canonis, aut legis* hanc acquisitionem imperare videtur, quia non video alium textum allegari, quàm *d. c. un. 18. q. 1.* cujus hæc sunt formalia: *Statutum est, ut Monachus, quem Canonica electio à jugo Regulæ monasticæ professionis absolvit, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vindicandi potestatem habeat, sed quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, Monasterio relinquat, & Abbatis sui, qui fuerat secundùm Regulam S. Benedicti arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur, ad Altare, ad quod sanctificatur, & titulatur secundùm sacros Canones, quod acquirere poterit restituat.* Planè hic textus in primis etiam pro Monasterio allegari potest, loquitur enim de Monacho, quem jam *Sacra Ordinatio*, id est consecratio Episcopum fecit; hæreditatem paternam vindicante, eandemque esse Monasterio relinquendam innuere videntur illa verba; *vel habere visus fuerat*: filius enim *hæreditatem patris* jam in vita ejus *habere videtur*, jure scilicet *Suitatis* (quod non omitti per ingratum *§. præced.* diximus) *§. sui autem. I. de Hæred. qualit. & different.* Deinde illa verba finalia: *Ad Altare secundum sacros Canones restit.* convenientissimè tantùm de *bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis* intelligi possunt, hoc enim tantum jubent *Sacri Canones c. Episcopi 29. 12. quæst. 1. c. 1. & seqq. 12. q.* & hoc insinuat illud verbum: *restituat*, id est, reddat ad Altare, quod ab Altari accepit. Alia verò, quæ ab Altari accepta non sunt, sed aliunde, minùs propriè *ad Altare restitui* dicerentur. Cùm igitur nec verba constitutionis clara sint pro communi DD. sententia, nec ratio constituendi secundùm communem interpretationem appareat, putarem erroris convinci vix posse, qui contra prædictam communem sententiam circa bona aliundè, quàm ex redditibus Ecclesiæ acquisita pro summo Pontifice, vel pro Monasterio doceret. Præsertim in sententia illorum, qui tenent Episcopum Religiosum depositum, vel renunciantem debere ad Monasterium redire, nullo novo obedientiæ voto emisso, sed priori reviviscente, à quo tantùm per accidens liberatus extiterat, qua de re videri poterunt DD. apud Sanch. (qui tamen in alia est opinione, licet hanc probabilem reputet) *d. l. 6. c. 6. n. 29. & 31.* relati. Adde similitudinem, quòd sicut pater, è cujus potestate liberatur filius per Episcopalem dignitatem, *auth. sed, & Episcopalis C. de Episc. & Cler.* non propterea privetur ejus successione, si idem filius præmoriatur, *Nov. 118. c. 2.* ibi: *sive sua potestatis sive subpotestata fuerit, cui succedunt.* ita pari ratione videtur Monasterium non esse excludendum à successione sui filii spiritualis Religiosi, licèt is per Episcopalem dignitatem à potestate proprii Prælati exemptus fuerit; & sicut in priori casu adhuc remanet naturalis qualitas paternitatis, ita in isto qualitas spiritualis filiationis, ex qua Religioso Episcopo semper adhæsit Religionis, & votorum obligatio.

69 Quæritur X. Ad quid obligetur, & cui acquirat Religiosus promotus ad aliquod beneficium, vel parochiam extra Monasterium? De tali Religioso, cùm non sit constitutus in Magisterio perfectionis sicut Episcopus, ob quod oporteat eum eximere à jugo Regulæ, communis est sententia obligari non tantum ex morali honestate, sed ex debito legali, ad omnem observantiam suæ Regulæ, in quantum id commodè cum suo munere, & laboribus consistere potest. Sanch. *d. l. 6. c. 6. n. 36.* Laym. *in Theol. mor. lib. 4. tr. 5. c. 1. n. 11.*

Cui verò acquirat Religiosus iste, si beneficium non sit Monasterio incorporatum (data enim incorporatione utique Monasterio acquirit) major est difficultas. Plenissimam quidem administrationem cum onere tamen superflue ultra congruam sustentationem ex redditibus Ecclesiasticis in pias causas erogandi concedit, & in *parsimonialibus* liberam dispositionem huic Religioso relinquit Laym. *d. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 11.* sed circa dominium, cujus ob votum paupertatis est incapax, diversæ sunt Doctorum sententiæ, aliqui simpliciter pro Ecclesia, cui Religiosus inservit; aliqui pro Monasterio saltem in beneficio simplici respondent; aliqui distinguunt, ut bona prospectu Ecclesiæ obvenientia acquirantur Ecclesiæ, aliunde verò quæsita Monasterio. Videantur Sanch. *in Decal. lib. 7. c. 32. n. 71. & seqq.* Laym. *d. tr. 5. c. 7. n. 17.*

Qui cum Panorm. *in c. fin. h. t. n. 3.* Monasterium prorsus excludunt, in eo potissimùm se fundant, quòd Reli- 70
giosus legitimè ad beneficium extra Monasterium, maximè ex S. Pontificis authoritate promotus, desinat habere communionem cum Monasterio: eximatur ab obedientia sui Prælati, & transeat in obedientiam Episcopi, vel S. Pontificis. Verùm quia talem Religiosum depositum, vel renunciantem teneri redire ad Monasterium suum rectè docet Sanch. *d. l. 6. c. 6. sub n. 36.* & spectato jure communi, & ipsius rei natura subjectum manere Prælato Ordinis in iis, quæ pertinent ad Regulam, nec obedientiam, quam præstat Episcopo, esse ex voto, sentit Laym. *d. tr. 5. c. 1. n. 12.* ideò planè sequitur, jus aliquod radicale in hunc Religiosum penes Monasterium remanere, & inde causam acquirendi potius respectu Monasterii, quàm Ecclesiæ, saltem in quæsitis aliunde præter redditus Ecclesiæ censeri debere; & huc pertinent etiam, quæ paulò ante de Episcopo Religioso diximus.

Adde, quod tradit Laym. *lib. 4. tr. 2. c. 3. n. 11.* ea, quæ de bonis beneficiatorum sæcularium in Jure, & à Doctoribus statuuntur, (Vid. *Man. Par. p. 4. c. 4. & Tit. de Peculio Clerici.*) pleraque in effectu etiam in Beneficiatis Regularibus procedere, ita ut hi quoque bona *parsimonialia* habere possint. Unde sicut beneficiari sæculares tantùm *bona prospectu Ecclesiæ acquisita*, quæ post mortem supersunt, eidem relinquere tenentur, non verò *patrimonialia, industrialia, parsimonialia*, ita simile judicium erit de beneficiatis Regularibus. Imò cùm beneficiatus sive sæcularis, sive regularis obligatus ad superflua in pias causas impendenda satisfaciat suæ obligationi, si Monasteriis donet, quæ & ipsa nomine piarum causarum veniunt. Tymq. *de Priv. pia causa in præf. V. primum igitur* Lugo *de J. & J. tom. 1. disp. 4. sect. 3. n. 37. & sect. 4. n. 68.* an non id ipsum censebitur factum, si Monasterio acquirere dicatur, & an non saltem in illis locis hoc admittendum, ubi ex inveterato usu, vel magis ob usu, bona Clericorum etiam prospectu Ecclesiæ acquisita, per ultimas quoque voluntates, & successiones liberè ad profanas causas distribuuntur? Ut tamen Ecclesiæ pro necessaria ejus conservatione aliqua portio relinquatur, videatur æquitati omninò consentaneum, *arg. c. 2. de Success. ab intestato.*

De Religioso facto Priore alterius Monasterii resolvit 7
Sanch. *d. lib. 7. cap. 32. n. 81.* ex Berolo *in præsentia de Probat. n. 549.* quòd si aliquid ei relinquatur facta Prioratus mentione, vel acquirat aliquid ex re, vel ratione dicti Prioratus, acquirat prioratui, secùs si simpliciter aliquid sibi obvenisset ex testamento, vel ab intestato, vel aliunde; tunc enim censeretur contemplatione suæ personæ sibi relictum, & ideo acquireret suo Monasterio, in quo professus est. Sed hoc de Priore revocabili intelligitur, ut insinuat Sanch. *d. l. in fine.* Prior autem stabilitus, & perpetuus, ac etiam Abbas ex alio Monasterio ritè assumptus efficitur de gremio, & Monachus illius Monasterii, & manet talis etiam renuncians dignitati, vel depositus, per ea, quæ docet Panor. *in c. cum ad Monasterium de Statu Monachorum. 13. &* Tambur. *de Jure Abb. tom. 1. disp. 13. q. 4.* ideò simile judicium erit de eo, quod generaliter de Religiosis ad aliud Monasterium translatis superius *quæst. 8.* posuimus.

TITULUS XXXII.

De Converſione Conjugatorum.

SUMMARIA.

1 *Matrimonium ratum diſſolvitur per ingreſſum quoad vinculum, conſummatum autem tantum quoad cohabitationem.*

2 *Redditur ratio diverſitatis, & ibi qua ſit ſignificatio Sacramentalis Matrimonii rati, & conſummati.*

3 *An Pontifex juſtè concesſerit hoc privilegium?*

4 *Per legem communem poteſt Princeps aliquem privare ſuo Jure.*

5 *Reprobatur opinio illorum, qui putant, tantùm bimeſtre tempus dari conjugatis pro Novitiatu.*

6 *In Matrimonio ſæpe aliquis cogitur continere ſine culpa, ſed non ſine cauſa.*

7 *Copula antecedens Matrimonium non operatur, ut matrimonium dicatur ex ea conſummatum.*

8 *An copula vi extorta impediat ingreſſum?*

9 *Profeſſio ſine licentia alterius Conjugis poſt Matrimonium conſummatum facta non valet, ut ſolemnis, valet tamen ut votum ſimplex caſtitatis.*

10 *Nec convaleſcit Profeſſio ſine novo conſenſu, licet alter conjux ratificaverit, vel mortuus fuerit.*

11 *Propter adulterium unius poteſt alter ad Religionem tranſire.*

12 *An ſi profeſſio non valeat niſi in vim voti ſimplicis, poſſit profitens liberè exire etiam non revocatus.*

13 *Quid, ſi conjux dans licentiam ex poſt facto nolit ipſe quoque ingredi.*

14 *Per aſſumptionem Ordinum Clericalium non diſſolvitur Matrimonium.*

1 NOn tantùm homines cælibes, ſed etiam Conjugati ad Religionem tranſire poſſunt, & per iſtum ingreſſum matrimonium priùs contractum diſſolvitur adhibita tamen diſtinctione inter matrimonium *ratum*, & *conſummatum*. Nam ſi matrimonium quidem *ratum*, & in facie Eccleſiæ contractum, nec dum tamen per copulam carnalem *conſummatum* ſit, dantur his novis Conjugibus duo menſes ad deliberandum, an Matrimonium conſummare, vel Religionem ingredi velint. Quod ſi alter ex conjugibus ingreſſus fuerit, Matrimonium *ratum* etiam *quoad vinculum* diſſolvetur, & alter in ſæculo remanens aliud matrimonium inire poterit, ſed tunc primùm, ubi ingrediens profeſſionem fecerit, c.2. & 7. *h. t.* Hoſtienſ. *eod. tit. n.1.*

2 Matrimonium autem *conſummatum* quamvis *quoad vinculum* diſſolvi non poſſit, ſi tamen alter conjux cum expreſſa licentia alterius poſt conſummatum matrimonium ingredi, & alter etiam ſequi, vel ſaltem (ſi propter ſenium aut valetudinem de incontinentia ſuſpectus non ſit) voto ſimplicis caſtitatis obligare ſe velit, Matrimonium quoad *mutuam cohabitationem* ſicut per divortium ſolvetur *c.4. & ſeq. c. uxoratus 8. c. ad Apoſtolicam 13. h. t.*

3 Sed quare potiùs *vinculum* Matrimonii *rati* per ingreſſum in Religionem diſſolvitur, quàm *vinculum* Matrimonii *conſummati*. Rationem aſſignat Hoſtienſ. *h. t. n.7.* quòd illa *conjunctio animarum*, quæ fit per Matrimonium *ratum*, tametſi verùm ſit Sacramentum, & perfectum Matrimonium, tamen ſolùm ſignificet *conjunctionem Chriſti cum anima fideli per gratiam*, quæ conjunctio non immutabilis, & quia & in melius mutari ſive intendi, & etiam per peccatum omnino tolli poteſt. At verò *conjunctio corporum*, & matrimonium *conſummatum* ſignificat *conjunctionem Chriſti cum Eccleſia* juxta illud Apoſtoli *ad Epheſ. 5. v. 32. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*, quæ conjunctio omnino indiſſolubilis eſt.

4 Quær. autem I. Quomodo S. Pontifex potuerit in Matrimonio *rato* dare licentiam ingrediendi Religionem etiam altero Conjuge invito, & ſic alterum jure ex matrimonio quæſito privare? R. Cùm Matrimonium *ratum* ex ſua natura non ſit indiſſolubile, ideò rectè poteſt Papa juſta aliqua ex cauſa ejus obligationem, & *vinculum* tollere, vel per diſpenſationem, vel per procurationem majoris boni, & conceſſionem ingreſſus in Religionem: Nec obſtat, quòd alter Conjux privetur jure ſuo ex contractu Matrimonii quæſito: nam ex juſta cauſa poteſt Princeps aliquem jure ſuo privare, maximè ſi id faciat per legem publicam, & communem, quemadmodum factum videmus in lege *præſcriptionis*, per quam ei, qui patitur longo tempore rem ſuam ab alio poſſideri, aufertur dominium, & transfertur in poſſidentem, ne dominia rerum ſint incerta, & ut lites tandem finiantur. Neque propterea tales leges magnum gravamen habent, quia ſunt communes omnibus, quæ ſicut poſſunt obeſſe in uno caſu, ita poſſunt prodeſſe in altero, e. g. hoc anno præſcribitur contra me altero fortaſſis ego præſcribam contra alium: in hoc Matrimonio uxor invito marito ingreditur Religionem, in altero invita uxore maritus &c. Deinde quia jam per legem generalem conſtitutum eſt, ut Religionem ante conſummationem ingredi liceat, ideò obligatio matrimonii non eſt omni ex parte pura, & abſoluta, ſed habet tacitam conditionem: obligo me, niſi intra bimeſtre placuerit Religionem ingredi. Textus denique, qui ex ſcriptura poſſent in contrarium adduci, ut quòd *non liceat dimittere uxorem excepta cauſa fornicationis*: Item: *quos Deus Conjunxit, homo non ſeparet*; de matrimonio conſummato intelligantur. *c.7. h. t.*

Quær. II. An ſi unus ex conjugibus ad Religionem tranſeat, alter debeat per integrum annum expectare, uſque dum ingrediens profeſſionem faciat? Non deſunt, qui putent, perſonis conjugatis tantum *bimeſtre tempus* eſſe aſſignatum, intra quòd Novitiatum agere, & poſt illud expletum, vel profeſſionem facere, vel ad conjugium redire debeant, per textum in *d. c.7. h. t.* quem ajunt etiam hodiè per Concil. Trid. non eſſe correctum propter ſpecialem rationem, quæ in conjugibus militat, ne ſcilicet conjux in ſæculo expectans propter longiorem moram periculo incontinentiæ exponatur, Zoeſ. *h. t. n.21.* Verum cùm generaliter omnibus de jure antiquo annus probationis ſit conceſſus, *c. ad Apoſtolicam 16. de Regul.* eumque Trident. Conc. in quacunque Religione tanquam omninò neceſſarium ſine diſtinctione requirat, circa conjugatos autem apertè, & in claris terminis contrarium ſtatuatur, ideò probabilius eſt, etiam conjugatum ingredientem Monaſterium *Annum novitiatus* explere, & alterum conjugem interim expectare debere. Ita docet Sanch. *de Matrim. lib.2. d.24. n.4.* Quòd verò in *d. c.7. h. t.* dicitur, conjugem debere intra duos menſes ad Monaſterium tranſire, vel ad conjugem redire, accipiendum eſt de tempore deliberatorio, non de tempore Novitiatus, & in caſu illius capituli, ubi mulier à marito adhuc in ſæculo ſe ſeparavit. 5

6 Demum circa id quod obiicitur de periculo incontinentiæ, ſi alter conjux tamdiu expectare debeat; reſponderi poteſt per verba Pontificis *in c. quoniam 5. verſ. ſi autem de carnali. Ut lite non conſtet*; quòd in matrimonio multi caſus emergant, in quibus conjuges ſine culpa, ſed non ſine cauſa continere coguntur: ut ſi alter ex morbo, vel maleficio impotens reddatur, ſi lis ſuper aliquo impedimento Matrimonii inſtituatur.

7 Quæritur III. An copula ante Matrimonium habita cum ea, quam quis uxorem duxit, faciat, quominùs liceat Religionem ingredi? Ratio dubitandi eſt, quòd ex multorum ſententia copula ante Matrimonium habita fictione Juris cenſeatur in ipſo matrimonio contigiſſe, unde fit, quòd liberi ante nati, vel concepti per ſubſequens matrimonium legitimentur *juxta cap. 2. & 6. Qui filii ſint l.* Nihilominus tenendum eſt, talem copulam non impedire liberum ingreſſum ad Religionem, cùm extra matrimonium facta, & merè fornicaria non faciat Matrimonium conſummatum, nec ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. Ad rationem dubitandi dicitur, illam fictionem Juris tantùm locum habere circa legitimationem liberorum, non autem generaliter, & eo caſu, quo de conſummatione Matrimonii, & *ſignificatione ſacramentali* inquiritur, ubi proinde

inde non ex fictione juris, sed veritate proceditur.

8 Quær. IV. An copula vi, aut metu ab uxore extorta impediat Religionis ingressum? Negativè respondet Sanch. *d. l. 2. disp.* 22. *n.* 6. quia per violentiam mariti uxor jure suo privari non debuit, nec maritus ex suo delicto debet commodum reportare, ut hoc modo uxorem in Matrimonio retinere possit. Idem docet Glos. *in c. fin. in V. invitus dist.* 55. Verùm contrarium probabilius videtur, quia talis copula verè facit virum, & mulierem unam carnem, & matrimonium consummatum, ut fatetur ipse Sanch. *d. l. n.* 4. consequenter inducit sacramentalem significationem matrimonii *consummati*, scilicet conjunctionem Christi, & vinculum indissolubile. Rationibus Adversariorum breviter responderi potest, uxorem quidem privari suo jure sine *culpa*, non autem *sine causa*, & maritum reportare commodum ex delicto non per se, & directè, quatenus ex delicto, sed potiùs indirectè, & occasione delicti, per se autem ista indissolubilitas provenit ex consummatione matrimonii, ut dictum.

9 Quær. V. Quid Juris, si post consummatum matrimonium coniux ignaro, vel invito altero coniuge Religionem ingrediatur, ibique professionem faciat? Resp. talem professionem non valere, & ideo profitentem liberè ab altera parte revocari posse. Quamvis autem revocatus mortua coniuge non teneatur ad Monasterium redire, cùm professio non valuerit; quia tamen in professione votum castitatis emittendo hoc ipso promisit nunquam exigere debitum coniugale, quod cùm in ipsius fuerit potestate, ideò quo ad hoc votum tenuit, non quidem tanquam *solemne*, sed tanquam *simplex*, ac propterea non tantùm constante matrimonio sine dispensatione debitum exigere, sed nec eo dissoluto aliud saltem licitè (validè tamen, utpotè cum voto duntaxat simplici) contrahere poterit, *c. 3. c. placet.* 12. *ubi DD. h. t.* Sunt quidem qui censent, vel talem invalidam professionem habere saltem vim *voti Religionis impedimento sublato*, eos tamen redarguit Sanch. *de Matrim. lib. 7. disp.* 34. *n.* 10. per text. *in d. c.* 3. ubi dicitur, *quod votum non tenuit, & ratione voti non tenetur ad religionem redire* idemque confirmatur *in d. c. placet.* ubi tantùm *consultius* esse deciditur, ut uxor inscio marito professa, & revocata, eo mortuo ad Monasterium redeat, *invita* autem *cogenda* non sit.

Obiiciet fortassis nonnemo etiam contra obligationem voti simplicis castitatis, quòd is, qui voluit vovere castitatem in Religione, non hoc ipso voluit etiam in sæculo, proinde habebit hìc locum: *quod potuit non voluit, &c.* Resp. Hoc argumentum posse aliquando obtinere in conscientia, si vovens talem limitatam intentionem posuerit, interim de jure præsumi quod voluit se eo modo obligare, quo potuit, juxta illud, *si actus non valet, ut ago, valeat omni meliori modo, quo potest §. fin. & ibi DD. Instit. de Adopt.* Sanch. *d. l. n.* 3. Istas: quare non etiam alia vota, scil. *Obedientia, Paupertatis* professione annullata valent in vim voti simplicis? R. quòd habeant majorem dependentiam, & connexitatem cum Monasterio, ut nemo rationabiliter præsumi possit, ad ea se voluisse extra Monasterium obligare, ounquid enim maritus ex vi voti simplicis obediet uxori, aut eidem acquiret?

Quòd si circa votum non exigendi debitum inter cohabitandum, vel postea foret frequens periculum transgressionis, dispensatio desuper peti posset, tutius quidem à S. Pontifice, probabiliter tamen etiam ab Episcopo, quia hoc votum non est illud votum simplex castitatis absolutæ, seu virginalis reservatum, quod circa redditionem debiti vovere non fuit in voventis potestate, sed est tantùm votum non exigendi debitum *d. c. 3. & c. placet h. tit.* quod reservatum non esse cum pluribus aliis docet Laym. *in Th. Mor. lib. 4. c. 8. n. 8.* Imò etiam in voto simplici castitatis post contractum matrimonium in ordine ad petendum debitum eo durante dispensari posse per Episcopum sentit Nav. *in Man. c. 16. n.* 30.

10 Porrò professio unius Coniugis sine licentia alterius Coniugis facta per ratificationem, vel mortem alterius Coniugis in sæculo relicti ex probabiliori sententia non convalescit, nisi per novum consensum tacitum, vel expressum renovetur *Juxta regulam 18. Jur. in 6. quod ab initio non valet, tractu temporis convalescere non potest*; & quia prior consensus in religionem sine licentia uxoris fuit invalidus, ergo novus omnino consensus requiritur. Sunt quidem, qui putant, talem professionem valere sub conditione, si coniux consenserit, vel mortuus fuerit, sed id potius divinatorium est, cùm nullo expresso textu probetur, econtra autem in *c. 3. h. t.* absolutè dicatur, professionem non valuisse. Sanch. *de Matrim. lib. 7. disp.* 34. *numer.* 16. Videtur quoque in contrarium facere, *cap. consuluit.* 10. *hoc tit.* ubi respondit Pontifex, quòd vir professus mortua uxore nec ad sæculum redire, nec matrimonium validè contrahere possit. Sed hic textus non loquitur apertè de nostro casu, quo maritus invita uxore Religionem ingressus est, imò non obscurè ex verbis ibi positis colligitur, ipsam quoque uxorem ad Domum Regularem transivisse, & consequenter ante professionem licentiam tacitam, vel expressam dedisse.

Ulterius etiam illud notatu dignum; quod adulterium 11
unius coniugis sicut causat perpetuum divortium, ita etiam faciat, ut coniux innocens irrequisito Coniuge adultero Religionem ingredi, in eaque validè profiteri possit, Navar. *h. t. Cons.* 7. non tamen convalescet professio ab initio inutiliter, & sine consensu Coniugis facta, licet Coniux in seculo ex post facto adulterium commiserit, per ea, quæ statim antea diximus.

Quæritur VI. An eo casu quo professio coniugis non valuit, nisi in vim voti simplicis, possit is propria authoritate ex Monasterio exire, quamvis ab altero Conjuge non petatur?

Pro affirmativa, quam tenet Sanch. *d. disp.* 34. *n.* 13. facit, quòd professione invalida non sit causa, cur aliquis in Matrimonio retineatur. *arg. c. accedens* 17. *h. t. & cap. 2. 33. quæst.* 5. ubi invalidè professus proprio motu exiens non propterea reprehenditur. Econtra pro negativa, quam docet Gloss. & Pan. *in c. placet* 12. fortiter stringit textus *in eod. cap. placet.* in illis verbis: redire autem ad sæculum non erat in ejus potestate. Cui accedit ratio, quod talis professio saltem valeat ut votum simplex castitatis, propter quod tenetur vovens, quantum in se est, vitare omne carnale commercium uxoris.

In hac difficili quæstione inprimis dico, Monasterium posse explere talem nulliter professum, post quam ejus nullitatem cognovit: quia obligatio Monasterii ad retinendum Religiosum tantùm provenit ex professione. ergo ubi nulla est professio, nulla quoque est obligatio ad retinendum, prout idipsum docet Sanch. *d. loc. sub n.* 16. Quòd verò attinet ad personam ipsius professi existimo eum obligari, ut nullitatem professionis Monasterio indicet propter defraudationem ejus, & multa inconvenientia, quæ ex occultatione sequi possent; participaret enim de redditibus Monasterii sine justo titulo ad instar malæ fidei possessoris, ad actus capitulares jus non haberet &c.

Quòd si Monasterium paratum foret eum per modum *Oblati*, aut *Donati* non emittentis professionem (de quibus Miranda *in Man. Prel. q. 29. art. 2. & seqq.*) retinere, adhuc obligatum puto, ut coniugem alterum de statu suo certiorem reddat, cùm eum quoque per ingressum jure coniugali defraudarit, atque ab ipso expectet, jure suo uti, & ad cohabitationem revocare velit, si revocaverit parendum est, nisi forsan uxor ingressa mariti sævitiam timeat, *c. litteras de Restit. spoliat.* si revocare noluerit, sit verò suspectus de incontinentia, videtur adhuc restitutio corporis ex contractu matrimoniali debiti facienda, cùm debitor possit debitum etiam non petente creditore restituere, imò teneatur, si ex retentione alter in periculum peccati coniiciatur, ut mox in *seq. q.* dicetur: si de incontinentia suspectus non sit de consilio esse credo, ut procurato istius pari ingressu, vel saltem continentiæ voto ac expressa licentia invalidè professus suam professionem convalidet, & renovet. text. *in d. c. placet.* si persuaderi nequeat, nihilominus tutius opinor (salva tamen probabilitate sententiæ Sanchezii) & verbis, ac menti *d. c. placet.* conformius, conjugem ingressum in Monasterio manere debere, & quantum in se est, vitare coniugale consortium, quod etiam in primo ingressu intendit. Neque enim illa verba; *redire ad sæculum in ejus potestate non erat, sed mariti*: facile explicantur cum Sanch. *d. l. n.* 15. id est; *deserto marito profiteri, nec redire ad pristinam conjugalem vitam*, quia *deserto marito profiteri*, non est *redire ad sæculum*, redire autem *ad pristinam conjugalem*

lem vitam (quod intelligo circa exactionem, & redditionem debiti) nec in potestate mariti est. Debitor potest quidem, & debet etiam non petenti creditori rem restituere, in quantum is est rationabiliter invitus ad retentionem, vel saltem indifferens: si verò consentiat, & debitor restituendo exponat se peccandi periculo, impediat majus bonum, ad quod se, in quantum potuit, obligavit, aliud planè dicendum videtur. E.g. Titio, & Cajo sit communis servus, hic à Titio pro jure suo, quod in eundem habet, deputetur ad servitium Ecclesiæ, ita ut Cajo intervertatur servi utendi copia, Cajus licèt possit pro pari jure suo servum vindicare, si tamen scienter toleret, ac in communi usu sit frequens rixarum periculum, servus ipse soleat Dominum pellicere ad malum &c. non video, quomodo Titius teneatur, aut possit servum communem pro sua parte ad usum Ecclesiæ deputatum ab ea auferre, & cum peccati periculo Cajo non petenti, & opus illud bonum toleranti restituere.

Interim hæc manendi in Monasterio obligatio non est directè ex voto, sed potiùs ex præcepto, vel declaratione S. Pontificis consecutivè ad votum, aut tanquam medium ad illud constante matrimonio tutius servandum, uti sunt clausura, & alia statuta in Monasteriis, quæ ex votis substantialibus non sunt, sed ad ea servanda ordinantur. Unde conjux ab altero ad sæculum revocatus, eo mortuo, & ubi jam cessavit carnalis commercii occasio, tantùm de consilio, non verò de necessitate tenetur ad Monasterium redire, *d. c. placet*; dummodo in sæculo continenter vivere possit; quia obligatio voti non cessavit, nisi desuper dispensatio impetretur.

13 Quær. VII. Quid statuendum sit, si Conjux Conjugi expressam licentiam ingrediendi religionem dederit, ipse verò in sæculo remanens, & suspectus de incontinentia nolit ad Religionem transire? Communis est distinctio, an maritus dederit licentiam uxori ingrediendi Religionem, vel an econtra uxor marito? Priori casu censent maritum ad ingressum in Religionem etiam per censuras cogi posse: quia hoc ipso se ad ingressum in Religionem obligasse intelligitur, quòd Conjugi licentiam ingrediendi dederit, quam tamen se dare non posse scivit, aut scire debuit, nisi etiam ipse ingrederetur. Altero autem casu, si uxor, quæ dedit licentiam marito, alleget, se ignorasse hanc obligationem, aliàs se non daturam fuisse licentiam, cùm sibi nunquam animus fuerit ad Religionem, & dicat, mulierem excusari, si ignorantia juris laboret. *l. cùm de indebito* 25. *§. 1. ff. de Prob.* putant, eatenus audiendam, ut si periculum incontinentiæ sit, nec persuaderi ad Religionem possit, valeat Episcopus ex officio maritum etiam professum ex Monasterio evocare, & uxori restituere: qui tamen maritus post mortem uxoris ad Monasterium redire teneatur, cum habita licentia uxoris validam voverit professionem. Atque ita intelligunt Text. *in c. 1. h. t.* Gloss. & Panorm. *in d. c. 2. & c. ex parte* 9 *eod.*

Verùm prior hujus distinctionis pars videtur nimis dura, & contra libertatem professionis, & non possent non timeri pessimi effectus, & turbatio Religionis, si maritus contra omnem suam voluntatem ad Religionem cogeretur. Ipsum quoque *c. 1. h. t.* sine data distinctione loquitur, & absolutè concedit, ut coniugi nolenti ingredi Religionem conjux professus restituatur: sicut etiam advertit Zoes. *h. t. n.* 14. Quare ergo potius credo incumbere Monasterio, ne coniugem Novitium ad professionem admittat, antequam etiam altera pars Religionem ingrediatur, & spes certa sit de ejus professione. Quòd si de facto admiserit, & alter Religionem ingredi teneatur, valdè videtur probabile, coniugem professum in sæculo existenti, & de incontinentia suspecto indistinctè restitui posse; cum Innoc. *in d. c. 1.* & aliis, quos allegat Sanch. *de Matr. lib. 7. disp. 33. n. 12.* quamvis ipse priorem distinctionem sequatur; addit tamen *n. 14. in fin.* quòd differentia inter virum, & uxorem intelligatur de foro externo, ubi juris ignorantia in viro non præsumitur, consequenter innuit, aliud esse in foro animæ, quando vir ex ignorantia juris revera intentionem se obligandi ad ingressum non habuit, in foro autem Ecclesiastico etiam habendam esse rationem fori animæ passim notatur *in c. novit de Judic. c. 1. de Const. in 6.* & pluribus aliis locis, & contra præsumptam scientiam juris admittendam esse probationem de ignorantia notat Sylv. *v. ignorantia n. 13.* ea verò quæ interna in animo consistunt, plerumque aliter quàm per juramentum probari non possunt *c. fin. Qui Matr. accus. c. pastoralis de Except.* Cail. 2. pp. OO. 48. n. 24.

Quæritur postremò, utrum solvatur matrimonium, si maritus efficiatur *Clericus sæcularis*, & suscipiat sacros Ordines? Respondeo per susceptionem sacrorum Ordinum in sæculari Clericatu nec matrimonium ratum, nec consummatum dissolvi: nisi uxor ultro Religionem ingredi vellet. Quia hoc privilegium dissolvendi matrimonium tantùm Religioni concessum est, quòd ibidem coniux professus quasi mundo mortuus censetur, *Extrav. antiqua. Joann. 22. de Voto.* Ordines tamen validè suscipiuntur, & votum solemne castitatis annexum habent, quod quidem uxori in petitione debiti non præjudicat, (cum jure suo sine culpa privari non debuerit) sed marito; & ita ut post mortem uxoris nec licitè, nec validè propter votum solemne aliud matrimonium contrahere possit, sed debeat statum Clericalem reassumere, vel Monasterium ingredi. Sanch. *d. lib. 7. disp. 38. n. 23.* 14

Quòd si uxor spontaneè consenserit, reddetur licita Ordinatio, sed juxta probabiliorem sententiam, si uxor Religionem ingressa fuerit, aut saltem ob senium, vel valetudinem de incontinentia non suspecta votum simplex continentiæ emiserit. *c. Episcopus, dist. 77.* Vid. Sanch. *de Matr. lib. 7. disp. 39.*

Plura ad hunc titulum enucleatè tradita videri poterunt apud Sanch. *de Matr. lib. 2. disp. 18. & seqq. lib. 7. disp. 32. & seqq.* quò Lectorem, cum casus in praxi fiunt rari, remissum velim.

TITULUS XXXIII.

De Conversione infidelium.

SUMMARIA.

1 *Contrahens in infidelitate cum impedimento an sint separandi post conversionem amborum?*

2 *An, & quando conversus possit repellere alium conjugem non conversum.*

3 *Quinam intelligantur nomine infidelium?*

Si duo infideles inter se contraxerint matrimonium, id jure naturali validum erit, & propterea, si ambo ad fidem convertantur, ab invicem separari, nec possunt, nec debent, tametsi fortè cum aliquo impedimento dirimenti jure tantùm humano Pontificio introducto v. g. in 2. & 4. consanguinitatis gradu lineæ collateralis contraxerint, quia eo tempore, quo contraxerunt, non ligabantur jure Pontificio, utpote qui per baptismum nunquam in Ecclesiam ingressi, ejusque subditi effecti sunt: post conversionem autem talia impedimenta censentur primùm supervenire matrimonio, & ideò illud non dirimunt, sicut si inter Catholicos post contractum matrimonium aliqua affinitas ex parte uxoris induceretur; ut quia ipsius soror à marito cognita esset. *c. gaudemus* 8. *de Divort.* 1

Si verò aliquis in infidelitate plures uxores habuerit, primam, cum qua contraxit, retinere debebit, quia cum illa sola verum fuit matrimonium, non obstante, quod fortassis eam ante conversionem repudiaverit, cùm talis repudiatio, quantum ad dissolutionem vinculi matrimonialis non valuerit *d. c. gaudemus vers. quia verò.* Dico autem, si ambo convertantur: nam si unus tantùm conversus fuerit, nondum erit Sacramentum: quia matrimonium in uttoque conjuge est unum numero Sacramentum, sicut est unum numero matrimonium, ergo si in uno non est Sacramentum, nec erit in altero. Sanch. *de matrim. lib. 2. disp. 8. & 9.*

Matrimonium infidelium, quamvis consummatum, potest dissolvi, ex speciali privilegio Christi in fidei favorem dato, & per Apostolum Paulum promulgato, si alter conjux ad fidem convertatur; alter autem in infidelitate pertinax nolit cohabitare, vel saltem non sine 2

con-

contumelia, vel blasphemia Creatoris, & quin alterum ad peccatum pertrahat, ita enim inquit Apost. 1. *ad Cor.* 7. *vers.* 15. *quod si infidelis discedit discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror ejusmodi*; & id ipsum confirmatum est *in c. quanto 6. de Divort.* Interim non ipso facto dissolvetur matrimonium, quando infidelis declaravit se nolle cohabitare, sed tunc primùm ubi fidelis ad alias nuptias transierit; quare si ante contractas nuptias infidelis pœnitentia ductus etiam convertatur, à fideli prius converso ad conjugium recipi debet *d. c. gaudemus in fine De Divortiis*.

Si infidelis nolit quidem converti, velit tamen converso pacificè cohabitare, is à converso admittendus est. *Cæteris autem*, inquit Apost. *d. l. V.* 12. *dico ego non dominus, si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*. Sed quia per hæc verba insinuare videtur Apostolus, non esse præceptum Christi, ut fidelis cohabitet infideli, ideò non pauci sunt qui putent, Apostolum ibidem tantùm *consilium* tradidisse, & absolutè loquendo matrimonium dissolvi posse, si alter conjux nolit converti, licèt velit pacificè cohabitare; imo etiam ipsam cohabitationem tantùm in primitiva Ecclesia, ubi in dies multi convertebantur ad fidem, propter spem conversionis permissam fuisse docent, hodiè verò, ubi refrigescente charitate magis periculum perversionis est, dictam cohabitationem non ampliùs admitti. Quo faciunt text. *in c. 8. & 10. caus. 28. q. 1.* Verùm, cùm utraque sententia multis DD. auctoritatibus, & rationibus stabiliatur apud Sanch. *de Matr. lib. 7. disp.* 74. *n.* 8. Ego puto in hac controversia plurimùm esse tribuendum arbitrio Episcopi, ita ut si ex cohabitatione fidelis cum infideli speretur conversio infidelis, Episcopus admittens cohabitationem sequatur priorem sententiam, posteriorem autem tunc, si ex dicta cohabitatione (ut communiter inter Judeos propter pertinaciam eorum, & inconstantiam in fide accidere solet) rationabiliter timeatur, fore periculum perversionis.

Quæ autem hactenus, de infidelibus diximus, intelligenda sunt de iis, qui nunquam baptismum susceperunt, non verò de Apostatis, qui per baptismum in Ecclesiam ingressi, ejusque subditi effecti, postea verò ad infidelitatem defecerunt: horum enim matrimonia, cùm semel fuerint Sacramentum, & baptismus imprimat characterem in anima, qui per abnegationem fidei deleri non potest, ideò sunt, & manent semper quoad vinculum indissolubilia. Dico quoad vinculum: nam quoad cohabitationem, tanquam propter adulterium spirituale dissolvi posse, inferiùs Lib. IV. *Tit. de Divortiis §. 2.* dicetur.



TITULUS XXXIV.

De Voto, & voti redemptione.

§. I.

Quid sit Votum, & quænam ejus requisita, & obligatio.

SUMMARIA.

1 *Votum quid, & quomodo differat à proposito.*
2 *Si dubitetur, fuerit ne votum, vel propositum, præsumitur non fuisse votum.*
3 *Votum aliud explicitum, aliud implicitum.*
4 *Voto obligatur etiam, qui non habuit animum servandi; secus, si non obligandi.*
5 *Quanta deliberatio requiratur in voto, & quid si dubitetur, an fuerit sufficiens deliberatio?*
6 *Qualis error tollat obligationem voti.*
7 *Difficultates novæ emergentes, vel non prævisæ cur potiùs tollant obligationem voti, quàm contractuum.*
8 *Votum debet fieri Deo, saltem mediate, ut si fiat Sanctis.*
9 *Votum debet esse de meliori bono; & ibi an res indifferentes, vel res bona ob malum finem voveri possint?*
10 *An, & quando valeat votum contrahendi Matrimonium?*
11 *Voveri possunt etiam ea, quæ aliàs sunt de præcepto.*
12 *Quanta sit voti obligatio, & an detur parvitas materiæ;*
13 *Quandiu executio voti differri possit, & an prævidens impedimentum, teneatur prævenire?*
14 *Quid si votum sit partim de re possibili, partim impossibili?*
15 *An votum possit per alium impleri?*
16 *Exponitur* text. in c. quod super de Voto.
17 *Vota quatenus obligent Successores.*

Alia Summaria invenies in §. seq.

VOtum communiter definitur, quod sit *promissio deli-* 1
berata Deo facta de meliori bono. Dico I. Votum esse *promissionem*; ut distinguatur à *proposito*: nam propositum concipitur sine actuali obligatione; unde qui propositum utcumque firmiter, & efficaciter conceptum non servaverit, peccati propterea reus non erit, quia nulla se obligatione obstrinxit. *c. 3. & ibi Gl. h. t.*

Contingit non rarò, ut homines dubii reddantur, an- 2
ne *votum*, vel solùm *propositum* conceperint? In quo dubio poterit præsumi, non fuisse votum: quia *in dubio melior est conditio possidentis c. in pari 65. de R. J. in 6.* fuit autem talis dubitans priùs in possessione libertatis, qua eum non constat privatum esse. Item in dubio non est obligatio inducenda. *l. Arianus 47. ff. de O. & A.* Hen. Zoes. ad *hunc tit. n.* 50. Suar. *de Voto lib.* 4. *c.* 5. Non obstat quòd *in dubio tutior via sit tenenda*: quia hæc regula plerumque est tantùm de consilio, non de præcepto, nisi quis in
dubio practico perseveraret, neque ad ejus depositio- 3
nem se resolvere posset: tunc enim non liceret agere cum conscientia practicè dubia. Item in dubia irregularitate orta ex homicidio, quando factum scilicet homicidium, vel mutilatio est certum, & tantùm culpa incerta, ad qualequale scandalum, & offensionem hominum evitandam jussit subinde Pontifex tutiorem viam, & & abstinentiam ab Ordinibus eligi, *c. ad audientiam* 12. *& c. pen. de Homicidio*.

Porrò hæc promissio aliquando est *implicita*, & actui, 4
quem quis agit, *annexa*: ut si Clericus suscipiat SS. Ordines, quibus scit *votum Castitatis* annexum esse, hoc ipso eandem promittere censetur *c. un. h. t. in 6.* quemadmodum de jure Civili sunt *tacita pacta* juxta *l. 2. ff. de Pactis*, & obligationes, quæ ipso facto contrahuntur, & ex *quasi contractu* appellantur. *toto tit. Instit. de Obligat. quæ ex quasi contractu*.

Sed quid, si aliquis promissionem quidem votivam faciat, non tamen animum habeat illud votum servandi? e. g. si habens domi concubinam emittat votum castitatis, vel SS. Ordines Clericales suscipiat, anne tale votum valebit? Resp. affirmativè; quia obligatio voti, est distincta ab executione voti, nec ab ea dependet; unde rectè obligatio sine executione consistere potest, prout sine dubio is, qui de facto votum non servat, nihilominus voto tenetur. Navar. *in Manuali c. 12. n. 29.* & in similii obligationem ad matrimonium B. Virginis cum S. Josepho fuisse sine intentione executionis infra in Lib. IV. *in Tit. de Condit. appos. n.* 10.

Aliud verò dicendum, si quis non tantum non habuerit animum non servandi votum, sed etiam non habuerit intentionem se obligandi, & verba merè extrinsece protulerit, intrinsecè autem contrariam protestationem fecerit, talis enim voto non obligabitur, quia nulla est obligatio sine consensu tacito, vel expresso, & si Clericus in susceptione SS. Ordinum non habuerit intentionem vovendi castitatem, non obligabitur quidem ad cœlibatum ex voto, obligabitur tamen ex præcepto Ecclesiæ, Interim graviter peccabit: quia decipit Ecclesiam, quæ non vult alicui sacrum Ordinem dari, nisi qui se castè victurum promiserit, *c. 1. dist. 27. c. 1. dist. 28.*

Quòd si quis suscipiens SS. Ordines pœnitùs ignoraverit obligationem voti esse annexam, non videtur voto adstrictus; quia ignorantia tollit voluntatem, & consensum, nisi ut plerumque fit, habuerit generalem, & impli-

Implicitam intentionem se obligandi ad illa omnia quæ conditio Ordinis requirit, quamvis in specie de voto castitatis nihil sciverit.

Dico II. votum esse *promissionem deliberatam*: ubi aliqui perfectam deliberationem, & majorem quàm ad peccatum mortale requirunt, ut Lessius *de Voto*, *dubio* 1. *n.* 4. Alii autem probabilius statuunt, eam deliberationem, quæ obligarat nos diabolo per peccatum mortale, sufficere ad obligandum nos Deo per votum, si scilicet plena advertentia accedat, ut vovens sibi præsens sit, & sine subitaneo motu, vel animi passione judicium, ac deliberationem perturbante advertat se vovere, Gutierez. *Canon. q. lib.* 2. *c.* 22. *n.* 7. *arg. c. sunt qui opes* 3. *causa* 17. *q.* 4. *& c.* 2. *h. t.*

Quid, si dubitetur, an adfuerit sufficiens deliberatio? Sunt, qui hoc, & superiori casu sub *n.* 2. pari passu procedunt, censentque possessionem, & consequenter præsumptionem stare pro *libertate*. Tutius tamen videtur, ut hoc casu possessio, & præsumptio pro voto asseratur: nam quando certum cum incerto concurrit, possessio regulariter stat penes id, quod certum est, sicut in possessorio judicio qui actus possessorios certos præsentes probat, præfertur illi, qui per petitorium disputat, tales actus non fuisse legitimos, usque dum revera non legitimos fuisse monstraverit. Atqui in ista hypothesi supponitur votum fuisse certò emissum, & tantùm dubitatur, an cum sufficienti deliberatione, ergo possessio stat pro voto, in altero autem casu constat, me priùs fuisse liberum, & dubitatur de ipso voto, ergo possessio est penes libertatem. Vid. Sanch. *de Matr. lib.* 1. *disp.* 8. *n.* 20. & fusius *lib.* 2. *disp.* *lib.* 7. *d.* 29. *n.* 5.

5 Vota autem ex metu cadente in constantem virum emissa non obligant, cùm non sint promissio voluntaria, & libera, dummodo metus sit injustus ab extrinseco, & ad finem eliciendi votum incussus, vel saltem votum pro medio evadendi concessum, veluti *in c.* 1. *de his, quæ vi metuvè.* dicitur, non valuisse professionem mulieris in Monasterio, quæ suspecta de adulterio à marito tradita fuit ministris occidenda, à quibus tamen dimissa erat sub conditione, ut Monasterium ingrederetur. Secùs est, si metus tantùm proveniat ab intrinseco timore, vel ab extrinseco quidem, sed qui non sit ad eliciendum metum incussus. Unde non est dubitandum, quin valeant vota metu naufragii, latronum vel infirmitatis emissa *c. ex parte* 9. *de Conv. conj.* Suar. *lib.* 1. *de Voto c.* 7. Sanch. *de Mar. lib.* 7. *d.* 29. *n.* 5.

6 Circa errorem, aut deceptionem, qui aliquando in votis intervenit, distinguitur inter vota *simplicia*, & *solemnia*: simplicia enim, cum sola voluntate voventis sine actuali sui traditione constituantur, non tantùm expressas, sed etiam tacitas conditiones admittunt; ac proinde error in causa etiam merè impulsiva, ac circumstantiis solùm accidentalibus notabiliter tamen rei statum mutantibus obligationem voti tollere potest, si vovens ita constitutus sit, ut non nisi in talibus circumstantiis se obligare intendat; v. g. si voveat peregrinationem, quia putat esse vicinam, & facilem, aliàs non facturus tale votum, postea verò audiat esse remotam, difficilem, & sumptuosam. Ita generalem regulam tradunt DD. Antonin. Angel. Sylv. Hostiens. Navar. & alii plures apud Sanch. *de Matr. lib.* 10. *disp.* 9. *n.* 15. quòd vovens non obligetur in eo eventu, quem excepisset, si tempore voti emissi de eo cogitasset; tum quòd in talem eventum censeatur se virtualiter noluisse obligare; tum quòd *in generali promissione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non promisisset c. in generali* 89. *de R. I. in* 6. *c. qui ad agendum* 4. *de Procur. in* 6. *clem.* 2. *Eod. tit.* quam quidem doctrinam tunc veram censet Sanch. *dict. l. & n.* 16. si eventus ignoratus claudatur in virtute voluntatis vovendi, & non sub objecto promissionis, aut sit causa finalis; ut si quis voveat dare Paulo eleemosynam, quem ignorat locupletem; secus verò, si includatur in virtute aliorum actuum, vel habituum, & claudatur sub objecto promissionis, aut si sit causa merè impulsiva, e. g. non vovissem Paulo pauperi eleemosynam, si scivissem furem, ebriosum &c. quia tamen pauper est, claudetur sub objecto promissionis, scilicet eleemosynæ, & ideo votum obligat. Verùm hæc limitatio, quæ ob magnam subtilitatem, & plurimas difficultates, ac scrupulos in singulis factis emersuros, haud facilè poterit Confessariis, nedum confitentibus ad clarum intellectum explicari, non videtur mihi necessaria, sed id potissimum attendendum esse, an quis eventu ignorato præcognito vovisset, vel non, si non vovisset deficit perfecta voluntas in talibus circumstantiis sive jam ad objectum promissionis pertineant, sive non, & habet locum regula *d. c.* quòd *in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non fuisset concessurus; & verba accipienda sint secundum verisimilem, atque adeo etiam habitualem intentionem proferentis c. secundò* 41. *de Appell.*

Non obstat, quòd alii contractus non rescindantur ob 7
difficultates postea emergentes, quibus prævisis non fuissent initi, cùm aliàs nulla forent firma inter homines commercia sicut argumentatur Sanch. *d. l. num.* 14. Lessius *de Voto dub.* 2. *num.* 10. nam responderi potest, in primis frequentissimas in jure esse rescissiones contractuum ob accidentalia non prævisa, veluti si occultum rei emptæ vitium detegatur, si malus vicinus celatus fuerit &c. *t. t. ff. de Ædil. edict. & de Act. empt.* si conductor ædium spectris vexetur, latrones timeat, &c. *L. habitatores* 27. *ff. Locati*. Deinde quidquid sit de contractibus, qui simpliciter acceptantur ab hominibus, atque ad firmanda commercia, , & minuendas lites non facilè solent leges concedere rescissionem, vel admittere exceptionem deficientis consensus, aliud tamen est in voto; quòd cùm principaliter fiat Deo, qui voluntatem nostram, & animi consensum perfectissimè cognoscit, non censetur acceptare in illis circumstantiis, quas non prævidimus, & si prævidissemus consensum minimè daturi fuissemus. Cessat etiam in votis minuendarum litium, & firmandorum commerciorum ratio, imò potiùs è contrario per nimiùm rigorosam, & scrupulosam simplicium votorum obligationem, & lites, anxietates in conscientiis generamus, & homines à meritorio vovendi actu deterremus. Laym. *de Voto c.* 3. *n.* 4. nimis enim durum est dicere, quòd Deus me obliget ex mea voluntate (neque præceptum voti servandi aliter obligat, quam ex voluntate humana præsupposita) in tali casu, & circumstantia, ad quam ipse scit, quòd voluntas mea se non extenderit. Huc referri potest, quod cum Joann. Andr. & Molina tradit Zoes. *h. t. n.* 56. voventem abstinentiam, vel jejunium diebus Veneris, non teneri, si Natalis Domini in diem Veneris incidat.

At verò *solemnia* vota, cùm per actualem sui traditionem perficiantur, & regressio ex Monasterio post professionem emissam admodum scandalosa sit, regulariter non irritantur ex errore, vel deceptione: quia censetur professus se absolutè, & simpliciter obligasse sine reservatione alicujus tacitæ conditionis, si hoc, vel illud fuerit &c. prout exemplum ponitur *in c. ex parte* 14. *de Conversione conjugatorum*. Ubi mulier post matrimonium ratum ingressa est religionem, quia audivit maritum esse leprosum: respondet ibidem inter cætera summus Pontifex, quòd matrimonium fuerit dissolutum, & valida professio, si qua facta sit, licet fortassis causa, quæ ad ingressum movit, falsa extiterit; hinc est, quòd illa regula: *dolus dans causam contractui bonæ fidei facit contractum nullum*, desumpta ex *L.* 7. *ff. de Dolo*, non procedat in illis contractibus, qui per actualem sui traditionem perficiuntur, ut in professione religiosa, & matrimonio carnali, quorum annullatio propter scandalum non ita facilè admittenda est; nisi tamen error sit circa substantialia Religionis, v. g. si ideò aliquis certum Monasterium ingrediatur, quòd putet in eo licere habere proprium alias nullo modo ingressurus. Vid. Sanch. *dict. l. à num.* 18. Laym. *in Theolog. Moral. lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 5.

Dico III. votum esse *promissionem Deo factam*; si enim 8
aliquis tantùm intendat se obligare homini, non Deo v. g. si quis promittat Confessario, aut Parentibus certum locum vitare; promissio votum non erit, nec per ejus transgressionem sacrilegium committetur. Non autem requiritur, ut votum immediatè Deo fiat, dummodo finaliter in Deum dirigatur, sic votum ad Sanctos, vel eorum imagines factum verè votum est, quia saltem mediatè Deo fieri censetur, quatenus id, quod petitur à Deo per intercessionem Sanctorum impetrari speratur Syl. *verbo Votum*.

Dico

9 Dico IV. votum debere esse *de meliari bona*; quia si res *indifferens*, quæ moraliter nec bona, nec mala sit, & multo magis si ex se, vel leviter mala sit, voveatur, inutile votum erit: nisi tamen res indifferens bono aliquo fine cohonestetur. Unde licet non obliget votum non intrandi certam domum, non gestandi gladium, valebit tamen, si propter evitationem fortè periculi peccati fiat, vel si aliquis nimis affectus esset erga talem actum indifferentem, & ideò pro sui mortificatione voveret abstinentiam ab eo.

De illis votis difficultas est, an valeat, in quibus res bona quidem vovetur, sed ob finem malum v. g. si Dux ad injustum bellum proficiens votum faciat exstruendi templum, si victor evaserit, vel usurarius voveat largam eleemosynam, si usuras integras à debitoribus perceperit? Res. talia vota ordinariè non valere; quia facere votum ad impetrandam à Deo rem illicitam, vel tanquam in gratiarum actionem, quod res illicita quasi per Dei auxilium acquisita sit, est mala, & blasphema operatio, quia Deo adscribit operationem peccati, quæ ipsi non congruit; nisi prædictæ conditiones quasi pro tempore exsolvendi voti simpliciter facti statuantur, v. g. quod vovens velit templum ædificare, vel eleemosynam dare, postquam victoriam reportaverit, absque intentione mediante voto talem illicitum finem consequendi.

Alia est ratio, si quis rem bonam, jejunium v. g. aut eleemosynam voverit ad finem impetrandi à Deo rem temporalem, licitam, & honestam, vel in gratiarum actionem, quod obtinuerit V. g. officium in aula, dives matrimonium &c. quia similia à Deo tanquam eorum authore petere, vel pro impetratis gratias agere, bonum & honestum est.

10 Præterea non sufficit, ut votum sit *de re bona* aliqua quacumque, si per id *præjudicetur meliori bono*. Unde regulariter non valet votum contrahendi matrimonium, quia per id impeditur continentia, & ingressus in Religionem, bonum *melius*, & perfectius, t. *ad Car. 7.* Trid. *sess. 24. canon.* 10. propterea in definitione dictum est votum esse *promissionem de meliori bono*: nam Deo non potest esse gratum, & acceptum, quòd aliquis vovendo minus bonum hoc ipso se obliget, quòd non velit amplecti majus bonum.

Dixi autem, votum matrimonii *regulariter* non valere: nam ab hac regula aliqui casus excipiuntur, ut I. si per matrimonium possit procurari bonum publicum, pax, Religio inter Magnates. II. Si fiat causa pietatis ad liberandam fœminam ex statu, vel periculo peccati, quod liberanti proficiet in remissionem peccatorum *cap. inter opera* 20. *de Sponf.* III. Si vovens ipse frequenti periculo peccati obnoxius sit, cui aliter quam per matrimonium haud facile mederi queat. Si tamen ex post speraret se cum Dei gratia continere, & v. g. religionem ingredi posse, non obligaret votum in præjudicium status perfectioris. Sicut etiam in priori casu volunt DD. votum non obligare cum exclusione Religionis, sed tantum conditionaliter, si aliquam ducturus est. Zoes. *h. t. n.* 23. Laym. *d. d. c.* 2. *n.* 12. Suar. *lib.* 2. *Vot. cap.* 8. *nu.* 23. Si quæras, cur potius juramentum de ineundo matrimonio alicui factum simpliciter obliget *c. commissum* 16. *de Sponf.* & non etiam votum? Respondetur, votum fieri principaliter Deo, qui id non acceptat in præjudicium melioris boni, juramentum autem fieri homini cum Divina solùm attestatione, qui id simpliciter acceptat, quatenus sibi inde jus, & utilitas quæritur. Interim etiam juramentum habere tacitam conditionem, nisi *jurans maluerit religionem ingredi*, communiùs sentiunt DD. ait tamen Pontifex *in d. cap.* 16. tutiùs esse, priùs matrimonium contrahere, & postea ingredi, sed id DD. explicant, si multum interesset sponsæ, vel ob infamiam, vel lucrum antenuptialis donationis ex statuto &c. Vid. Sanch. *de Matr. l.* 1. *Disp.* 43. *n.* 6. Zoes. *ad t. de Sponf. n.* 26.

11 Cæterum autem non tantùm ea, quæ *de consilio Evangelica* sunt, voveri possunt, sed etiam ea, quæ sunt *de præcepto* v. g. non blasphemare, non fornicari, &c. ut aliquis ex gravitate, & duplicitate obligationis tantò magis à peccato absterreatur; nihil enim impedit aliquem circa eandem rem pluribus teneri, veluti si rem alienam, quam ex jure divino, & naturali restituere debeo, etiam per specialem promissionem me restituturum pollicear. Latiùs hæc prosequitur Less. *de Voto dub.* 7. Lay. *de Voto cap.* 2. Ulterius post explicatam voti definitionem circa ejus obligationem, & executionem.

Quæritur I. quæ, & quanta sit voti obligatio? Resp. De 12
fide certum esse, quod omne votum validè emissum ex virtute Religionis obliget ad præstandum id quod voto promissum est juxta illud *Deut.* 23. *vers.* 22. *si nolueris polliceri, absque peccato eris; quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis*, & illud *Psal.* 75. *V.* 12. *vovete, & reddite Domino DEO vestro*, estque transgressio voti peccatum ex genere suo mortale; quia violare fidem, & promissionem Deo datam gravis culpa est: aliquando tamen ob parvitatem materiæ veniale esse potest, puta si ex materia voti levis aliqua pars subtrahatur, & votum pro majori parte impleatur, v. g. si vovens orare Rosarium, unum, vel alterum *Ave Maria* omittat.

Quid si tota materia voti sit parva, v. g. si quis voverit singulis diebus orare unum *Ave Maria*, & illud omittat; Adhuc venialem tantum culpam esse docet Lessius *de Voto dub.* 9. *n.* 58. & ita testatur *plerosque* sentire Recentiores. Consulerem tamen pro tutiori, ne tale peccatum facile in Confessione omittatur: quia aliqui graves DD. in diversa sunt opinione, Cajetan. *de juram. q.* 49. *art.* 7. Ang. *v. Votum* 3. *q. ult.*

Deinde in foro etiam externo Ecclesiastico ille, qui scitur votum fecisse, ad ejus observationem rectè compellitur: quia Ecclesia judicat de quovis peccato mortali, & præcavere debet, ne crimina committantur *c. novit. de Judiciis c. quòd super in fine* 7. *de fide instrum.* præsertim si Ecclesiæ, vel alterius intersit, votum impleri, ut quia aliquis voto se obligavit Ecclesiam ædificare, pauperibus, vel terræ Sanctæ subvenire &c. *c. licet* 6. *h. t.*

Quæritur II. Quamdiu executio voti differri possit? 13
Resp. si certum tempus vovens ipse sibi determinaverit: illud sine peccato elabi non patietur; si prævideret impedimentum illo tempore futurum, tunc votum priùs exsolvere debet; neque elapso tempore, si votum non impleverit, hoc ipso liber erit, sed postea implere debebit, nisi votum ob specialem Dei cultum ad hunc, & non ad alium diem determinatum sit, v. g. si quis in festo certi alicujus Sancti se jejunaturum promisit, & illo die non jejunavit, peccavit quidem, sed alio die jejunare non tenebitur. Imò tametsi prævideret impedimentum, non cogetur anticipare: quia tunc solum anticipatio prævisio impedimento est necessaria, quando obligatio est absoluta, & tempus tantum dilatio executionis, secus verò, si tempus sit quasi pars voti, & votum proprium diei onus Suar. *de Voto lib.* 4. *c.* 14. Zoes. *h. t. n.* 54.

Quòd si nullum certum tempus vovens sibi præfixerit, debet votum exequi, quàm primum commodè potest, juxta illud *Deut.* 23. *vers.* 21. *cùm votum voveris Domino non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*, quemadmodum etiam in aliis obligationibus ab eo, qui se sine certo tempore obligavit, res statim peti potest, quàm primùm debitor facultatem solvendi habuerit. *L. promissor.* 21. §. 1. *ff. de Pecunia constit.* ita tamen ut juxta humanum modum, & arbitrium boni viri hæc res accipiatur; neque enim qui fortassis peregrinationem vovit, cogetur diebus, ac noctibus, vel omni tempestate, & periculo, & incommoditate contempta illam explere, *arg. text. notab. in l. continuus* 137. §. 2. *ff. de Verb. obligat.*

Quæritur III. si votum pro aliqua parte sit moraliter, 14
vel physicè impossibile, utrum saltem obliget quo ad partem possibilem? Res. esse distinguendum, utrùm materia voti, si dividua, vel individua? Priori casu locum habebit *Regula* 37. *Juris in* 6. quòd *utile non vitietur per inutile*: adeoque si vovens votum implere secundùm unam partem non possit, tenebitur secundùm eam, quam potest; quare qui vovit se jejunaturum tota septimana, si singulis diebus id sine periculo facere non possit, tenebitur illis diebus, quibus potest. Item qui vovit, se Ecclesiæ donaturum 1000. florenos, si propter supervenientem paupertatem totam summam dare nequeat, tenebitur ad illam partem, quam dare potest salva congrua sua sustentatione. Illam tamen exceptionem hìc addunt DD. nisi pars impossibilis sit *principalis*; & altera tantùm *accessaria*, & non aliter quam respectu illius principalis promissa, unde qui vovit se peregrinaturum ad certam Ecclesiam, & ibidem oblationem

tionem facturum, si peregrinari non possit, non tenebitur oblationem eo mittere, juxta vulgatum, quòd *principale trahat ad se accessorium*. si tamen oblatio esset in magna quantitate promissa, tunc censaretur illa principaliter esse in obligatione, & peregrinatio tantùm accessoriè, ideoque peregrinatione impossibili illa oblatio transmittenda foret; nam pereunte accessorio non perit principale.

Altero autem caso si materia voti sit *individua*, tunc una parte impossibili non tenebitur vovens possibilem implere, v.g. qui vovit templum ædificare, & propter supervenientem inopiam totum ædificare non potest, non tenebitur capellam ædificare Suarez *de Voto lib. 2. cap. 2.* Generaliter aotem tota hæc quæstio potissimum ex intentione voventis resolvenda est, an voluerit se ad omnes partes voti collectivè tantum sumptas, vel etiam ad singulas divisim obligare. In dubio, quando nec ex conjecturis constaret de intentione voventis, suaderem observationem partis possibilis: quia in dubio tutior via est tenenda saltem de consilio; sed multum tenitenti non auderem imperate: quia in dubio non est facilè inducenda obligatio, *L. Arianus 47. ff. de Obligat. & act.* & votorum obligatio ex communi sententia non est amplianda; sed strictè accipienda *arg. c. ex parte ubi* Panot. *de Censibus*. Item *in obscuris quod minimum est, sequimur. Regul. 30. juris in 6.* Sanch. *de Matr. lib. 6. disp. 35. n. 8.*

15 Quæritur IV. An liceat votum per aliam personam implere, vel an teneatur per aliam implere, qui per se ipsum non potest?

Resp. I. Esse distinguendum inter vota *personalia, realia, & mixta*; votum *personale* est, quando solum factum proprium promissum, ut jejunium, oratio, &c. Votum *reale*, quando vovens promisit sa aliquid daturum v.g. eleemosynam, aot dotem pro Ecclesia. Votum denique *mixtum*, quando præter donationem tei etiam ipsa actio, seu functio personalis promissa est, ut peregrinatio cum obligatione.

Resp. II. Votum *personale*, vel etiam *mixtum*, (si nullum impedimentum ex parte voventis, de quo insta) per ipsam personam voventem implendum alt, nec per aliam impleri potest: quia illa tantùm, & non alia obligata est. Neque hic locum habet regula, quod *quis per alium facit, per se ipsum fecisse censetur*: prout eadem regula nec in aliis casibus obtinet, in quibus ipsius personæ obligatæ factum, ejusque industria maximè pro majori sui mortificatione, promissa est. Votum autem *reale* aliquando per aliam personam impleri potest; ut si quis solvat pto ma eleemosynam, quam promisi date pauperibus: quia tunc censetur mihi donasse pecuniam, & ita *brevi manu* illa eleemosyna de meo data esse, prout observat Sanchez *lib. 4. Moralium c. 10. n. 10.*

Resp. III. Qui non potest votum *personale* v.g. jejunii, aut orationis per se implere, non tenetur id implere per alium: quia actus non obligat ultra intentionem agentis, fuit autem intentio voventis, suam tantùm, non alterius personam obligare, & quilibet vovet eo animo, ut velit se, non alium affligere. Illum tamen casum excipit Sanch. *d. lib. 4. c. 15. n. 9.* Si votum *personale* non tam intendatur pro sui afflictione, quàm pro utilitate alterius, v.g. si quis votum fecerit jejunii, aut Missæ dicendæ pro tedemptione animarum in purgatorio; quæ sententia Sanch. vidatur habere æquitatem, & propterea voventi consulenda, cùm finis voti tali casu etiam per alium obtineri possit. Si tamen vovens non posset facilè babere alium, per quem votum impleat, non foret cogendus, nisi fuisset ipsius intentio, implendi votum sive per se, sive per alium; nam in dubio quilibet præsumitur se tantùm obligare voluisse.

16 Sed bis opponi posset difficilis textus *cap. quod super 8. h. t.* ubi S. Pontif. decidit, quòd illi, qui fecerunt votum sucurrendi terræ Sanctæ, si ob impedimentum perpetuum in propria persona ire, aut militare nequeant, teneantur expensas, quas facturi fuissent, transmittere, & votum per alios exequi. Hanc decisionem non esse ex natura hujus voti (utpote quod potius *personale*, quàm reale sit) sed ex præsumpta mente voventis, qui in defectu suæ personæ ad expensas sa obligasse censeatur, existimat Paul. Laym. *d. L. c. in fine* cum Paul. Nav. & aliis. Verùm quia non est bene credibile, quòd S. Pontifex voluerit quæstionem voti quæ immediatè conscientiam tangit, ex præsumptione, non habente locum in conscientia nisi veritas subsit, decidere, & verba *in d. c. 8.* ita simpliciter proferuntur, ut nulli supposito, vel præsumptioni inniti videantur: propterea magis puto, votum peregrinationis Hierosolymitanæ, quod non causa devotionis, sed in subsidium Terræ Sanctæ emissum est, accenseri votis *realibus*, vel *mixtis*, in quibus principale est id, quod est *reale*, ideoque habera locum, quod dicetur *in seqq. responsionibus*. Nam tunc votum dicitur tala, quando in eo principaliter consideratur, & intenditur utilitas Ecclesiæ, vel piæ causæ, accessoriè autem devotio, vel labor personæ, sed in promisso subsidio Terræ Sanctæ utique principaliter intenditur utilitas Ecclesiæ Catholicæ, accessoriè autem personæ labor, qui bene, & forsan fructuosiùs potest per substitutum impleri: argò &c.

Resp. IV. Vota *realia* per alium implenda sunt, si per ipsum vovantem impleri non possunt: quia nihil interest, an ipse vovens, an alius ejus nomine etiam de ipsius substantia eleemosynam expendat.

Resp. V. In votis *mixtis* quantum ad eorum tealitatem quæstio dependet à præcedenti, an nimirum, si votum quoad partem obligationis personalis sit impossibile, impleri debeat saltem quoad obligationem tei? proinde illa distinctio est adhibenda, quam ibidem tradidimus, an scilicet id, quod est, reale voti v.g. peregrinatio, & ita oblatio, fuerit accessoriè, vel principaliter in obligatione, item an intentio voventis fuerit sa ad singulas partes voti divisim obligare? Vid. Suat. *de Voto tit. 2. c. 1. & 2.* Laym. *d. l. c. 2.*

Quær. VI. An, & quatenus vota defuncti obligent hæredem? Resp. Rursus distinguendum esse inter vota: nam vota *realia* regulariter omnia ad bæredem transeunt, & per eum expleri debent, quia sunt opus bonis defuncti annexum, quod consequenter in bæredem transmittitur, *c. ex parte 18. de Censibus*. Quamvis autem executio voti *realis*, quòd defunctus fecit, anta omnia legata etiam pia fieri debeat, cùm obliget animam defuncti, ante alia verò debita, quæ Creditoribus debentur, votum non est solvendum; oam votum teale tantùm debetur ex *bonis* dafuncti, non autem sunt *bona*, nisi *deducto are alieno*. Quare si deductis debitis oon remaneat tantùm, ut eleemosyna, vel donatio à defuncto per votum promissa possit ex toto impleri, sufficit si hæres impleat, & exequatur, in quantum vites bæreditaris patiuntur, Sanch. *d. c. 15. n. 39.* ita tamen ut nullam *Falcidiam, vel Trebellianicam* detrahat: quia cùm io legatis piis, ad quæ defunctus non fuit obligatus non detur *Falcidia* detractio, *auth. similiter C. ad L. Placid.* Tytaq. de *Priv. piæ causæ priv. 26.* multò minus dabitur sive ex Lege, sive ex voluntate defuncti in voto, in quo defunctus proptiam animam obligavit. 17

Vota *merè Personalia*, ut jejunia, peregrinationes, & similia hæres regulariter implere non tenetur: quia jura, & obligationes, quæ personæ defuncti in individuo cohærebant, non transeunt in hæredem, nisi ultrò se impleturum promisisset, vel sub hac conditione implendi votum hæres institutus fuisset, *c. licet 6. & ibi DD. h. t.*

Nequa ea vota, quæ nonnunquam faciunt communitates, oppida, vel civitates peregrinandi, jejunandi &c. in tatione voti, & sub reatu sacrilegii obligant successoret, sed potiùs ex pacto, consuetudine, vel statuto, accedente approbatione expressa, vel saltem tacita Episcopi, qui etiam ejusmodi leges, vel consuetudines diœcesanorum ex causa abrogare potest. Vid. Sanch. *d. c. 15. nu. 19.* Laym. *d. c. 3. sub. n. 6.* Suar. de *Voto l. 4. c. 9. n. 10.*

In votis *mixtis* iterum attendendum est, an defunctus ita voverit, ut si id, quod fuit *personale* in voto non potuisset impleta, saltem tenebatur implere id, quod fuit *reale*, vel an *personali* impossibili non tenebatur etiam ad *reale*? priori casu hæres tenebitur ad rem præstandam, non autem posteriori. Suat. *d. lib. 4. c. 11.*

§. II.

Qualiter Obligatio Voti tollatur.

S U M M A R I A.

18 *Votum tollitur quatuor modis.*
19 *Materia voti deficit quando non est amplius de meliori bono.*
20 *Quotuplex sit potestas superiorum irritandi vota?*
21 *In directa potestate non attenditur an votum superiori præjudicet? & ibi de votis Religiosorum.*
22 *Vota pupilli possunt etiam post pubertatem irritari, & successor superior potest irritare vota sub suo Antecessore emissa.*
23 *Maritus qualiter possit irritare vota uxoris?*
24 *An uxor possit aliqua vota mariti irritare?*
25 *Votum irritatum an reviviscat cessante potestate irritantis?*
26 *Qualiter, & à quo fiat commutatio voti?*
27 *Qualiter dispensetur in voto?*
28 *Quinque vota reservata Papæ; & quænam?*
29 *Qua ratione possit fieri dispensatio in votis, cùm obligent ex jure divino?*
30 *An Papa valeat dispensare in votis solemnibus Religionis, vel Clericatus?*

18 QUatuor modi sunt, quibus votum rectè, & valide emissum tolli potest, ita ut ampliùs obligatorium non sit; I. *Si materia voti deficiat*; II. *Si à superiore irritetur*. III. *Si commutetur*: & IV. *Si voventi dispensatio concedatur*.

19 *Materia* voti deficit, quoties opus DEO promissum propter aliquas supervenientes circumstantias illicitum, aut etiam melioris boni impeditivum, vel omnino indifferens, adeoque non ampliùs Deo gratum, vel denique prorsus impossibile redditur. E. g. vovisti non intrare certam domum propter periculum peccandi evitandum, si ex post facto periculum cesset, voto deobligaris. Vovisti longiores peregrinationes, vel statum cælibatus, aut Clericatus sæcularis, sed malles jam ingredi Religionem non impedieris ab istis votis: quia omne votum potest mutari in votum Religionis, cùm nullum votum obliget in præjudicium melioris, & perfectioris boni *c. 5. h. t.*

20 Potestas irritandi vota aliquando est *spiritualis*, aliquando *temporalis*, quatenus scilicet talia vota à voluntate superioris, sive is spiritualis, sive temporalis sit, dependent. Est autem prænotandum, quòd ista dependentia à superioris voluntate sit in duplici differentia; una est per se, & simpliciter dicta, in quantum voluntas voventis simpliciter, & absolutè dependet à directione, & voluntate superioris, qualis est voluntas Religiosi respectu sui Prælati, *c. si Religiosus 27. de Electione in 6.* item filii impuberis respectu patris, vel tutoris, *c. mulier 14. 32. q. 2.* Altera dependentia est secundùm quid, & quasi per accidens, videlicet ratione materiæ, in qua alterius juri, vel potestati præjudicatur, ut si servus, filiusfamilias pubes, conjunx, Novitius aliquid voveat, quod sine præjudicio, & damno domini, patris, mariti, aut Monasterii observari non possit.

21 Igitur in casu prioris dependentiæ datur superiori directa potestas votum subditi irritandi, & annullandi, licet sibi, aut potestati suæ damnosum non sit: quia voluntas inferioris effectum non habet, nec à Deo acceptatur, nisi in quantum confirmata, vel tolerata est superioris authoritate, ut constat ex *Lib. Num. c. 30.* Licet verò leges *judiciales* veteris testamenti post adventum Christi cessarint, ut suprà in Lib. I. *in Tit. de Const. §. 1. n. 5.* dictum, quatenus tamen sunt deobligatoriæ, & favorabiles conscientiæ, rectè potest ex iis divinæ voluntatis interpretatio, an votum acceptet, vel non desumi, & *in c. 2. caus. 20. q. 4.* dicitur: *Monacho non licet votum vovere, & si voverit, frangendum erit.* Imo valebit talis irritatio, licet sine causa fiat: quia etiam hoc casu deficit consensus superioris, sine quo votum durare non potest; peccabit tamen juxta probabiliorem opinionem superior saltem venialiter, si absque justa causa votum irritet, quia abutitur jure, & potestate sua, impediendo promptitudinem subditi ad exhibendum Deo cultum per votum. Lessius *de Voto dubio* 10. *n.* 17.

Interim licet Religiosus aliter quodcunque votum vovere non possit, nisi sub tacita conditione, si Abbas toleraverit; quoad licentiam tamen, seu consensum superioris petendum distinguendum est, an Religiosus votum fecerit in actione aliqua sibi licita, & concessa, v. g. certas orationes privatim dicendi: vel in actione quidem bona, Religioso tamen ex certa causa prohibita, v. g. peregrinandi extra Monasterium? Priori casu non tenebitur petere licentiam Prælati, sed de facto obligabit votum, usque dum ab Abbate aliunde resciente, vel per generalem prohibitionem in Capitulo irritetur. Altero autem casu obligabitur Religiosus ad petendam licentiam Abbatis: quia saltem ex voto tenetur facere, quantum in se est.

Præterea communiter tradunt DD. quòd pater, vel tutor possit irritare vota liberorum in impubertate facta etiam postquam illi ad pubertatem pervenerunt, nisi post pubertatem talia vota nova voluntate confirmarint. Ratio est, quòd parentibus, atque tutoribus (quo nomine in defectu patris venit etiam avus paternus, vel in defectu ascendentium masculini generis etiam mater, cum ad eam quoque jure naturali cura filii impuberis spectet) detur simpliciter potestas vota in impubertate facta irritandi, ac in similibus attendatur primordialis natura obligationis, & qualitas agentis dum actum fecit. Quemadmodum *in c. ult. de Sententia excom.* percussio Clerici facta à puero impubere absolvi potest ab Episcopo etiam post ejus pubertatem. Navar. *in Man. c. 12. n. 71.* Sanch. *lib. 4. Moral. c. 30. n.* 14. Laym. *d. l. c. 7. n.* 11. Tradit etiam Sanch. *de Matrim. lib. 9. disp.* 41. quòd vota uxoris, quæ tempore prioris matrimonii poterat vir, vel si tunc erat impubes, & innupta, pater, aut tutor irritare, possit etiam succedens maritus, utpotè qui etiam in locum patris, & tutoris succedit; idemque judicium sit de alio quovis superiore succedente in officio, ut possit irritare vota sub suo antecessore emissa, tametsi vota fuerint de licentia prioris mariti, vel superioris emissa: quia per hanc non potuit præjudicari successori pari potestate functuro *c. innotuit 20. de Elect.* ita tamen ut hoc casu fiat irritatio ex justa causa. Et hæc quo ad casum primæ dependentiæ voventis ab ipso superiore. 22

In altero autem casu, quando tantum per accidens, & ratione materiæ voventis voluntas dependet à superiore, votum inferioris sui aliter superior irritare non potest, quàm quatenus id sibi, vel rei suæ damnosum est. Unde si v. g. uxor longam peregrinationem, jejunium, aut eleemosynam de bonis dotalibus voveat, non valebit votum, nisi sub tacita conditione, si vir permiserit. Imò licet maritus semel assensum dederit, & uxori executionem voti sui aliquandiu permiserit, nihilominùs ex post facto sententiam mutare, & votum irritare potest, *c. manifestum, num. causa 33. q. 5.* Eadem est ratio de filiofamilias, si post pubertatem aliquid voveat, quod in detrimentum, vel incommodum patris cedat, v. g. sumptuosam peregrinationem, abstinentiam à carnibus, eleemosynas ex bonis patris &c. secus autem est, si uxor voverit se donationem facturam Ecclesiæ de bonis suis *receptitiis*, aut filiusfamilias de *bonis Castrensibus*: in talibus enim bonis non fit præjudicium marito, vel patri, cùm pleno jure spectent ad voventem, & consequenter votum circa ea irritari non potest, *DD. mox citati*, & hæc sententia quoad uxorem tanquam tutior suaderi potest. 23

Interim valde probabile est, quod docet Sanch. *de Matr. l. 9. disp. 39. n. 4. & seqq.* uxorem subdi marito non tantum quoad materiam voti, sed etiam quoad voluntatem; vir enim caput est mulieris *ad Eph. 5.* & mulier est sub viri potestate *Gen. 3.* videturque Deus ea de causa mulieris voluntatem subdidisse viro, quia mulier est levis, imprudens & facilis in emittendis votis, ideoque posse maritum omnia vota uxoris etiam continentiæ, non petendi debitum &c. sicut pater filii impuberis irritare; ita enim hæc potestas marito *n. 30.* simpliciter conceditur; & confirmant dicta SS. PP. *in c. noluit 16. & c. fin. 33. q. 5.* D. Thom. 22. *q. 88. ar. 8. ad 3.* ibi: *nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati, nec uxoris, nisi sit de consensu viri.* Imò ulterius putat Sanch. *d. l. n. 16.* quòd maritus possit irri-

irritare vota uxoris constante matrimonio emissa, sed collata in tempus dissoluti matrimonii: quia tempore emissi voti voluntas voventis sobdita est marito. Et *eod. lib. 6. disp. 40. n. 4. & seqq.* quòd maritus possit irritare vota uxoris, etiam de sua licentia emissa, quamvis peccet irritando sine causa. Divortio tamen facto ex causa adulterii nulla potestas irritandi est, *d. disp. 39. n. 8.*

Sed an etiam econtra uxor aliqua vota mariti irritare valebit? Ref. Affirmativè, in quantum ea uxori in jure suo conjugali, quod habet in corpus mariti, vel in bonis suis præjudicant, ut si maritus voveat longam peregrinationem, & diuturnam absentiam, donationem ex bonis dotalibus, & similia. Sanch. *d. l. 9. d.* 45.

24 Uno tamen casu jura propter publicam necessitatem Christiani populi derogarunt potestati uxoris, quatenus scilicet maritus præter uxoris assensum possit liberè vovere peregrinationem Hierosolymitanam pro terræ sanctæ redemptione, si nimirum in ea qualitate sit, ut vel ipse militare, vel milites secum ducere, aut suo consilio militantibus adesse possit, *cap. ex multa 9. §. penultimo h. t.* Similiter juri mariti, vel uxoris derogatum est in voto religionis ante matrimonium consummatum, *tot. tit. de Convers. conjug.* Item Prælato in voto Religiosi ad strictiorem Ordinem transituri, *c. licet 18. de Regul.* Sanch. *d. disp. 39. n. 19.*

25 Demùm hic quæritur, an reviviscat votum semel irritatum, postquàm per mortem mariti, vel patris subjectio cessavit? In hac quæstione satis conveniunt DD. I. quòd votum Religiosi, vel impuberis à Prælato, vel patre irritatum semper irritatum maneat: quia isti habent simplicem, & directam irritandi potestatem. II. quòd votum a muliere factum, antequam in matrimonium transivit, vel à servo, antequam in potestatem Domini venit, possit quidem à marito, vel Domino interim irritari, quatenus sibi præjudicat, postquàm verò conjugium, vel potestas dominica cessavit, votum incipiat, ut priùs obligare, quia non fuit simpliciter irritatum, sed tantùm respectu dictæ potestatis, cui præjudicavit. Sed in III. dissentiunt, an scilicet votum, quod uxor constante matrimonio, vel filius jam pubes, dum adbuc in potestate patris erat, emisit atque irritatum fuit, obliget iterum postquam matrimonium, aut patria potestas soluta est? Affirmativa sententia tutior est dummodo votum fuerit, in omne vitę tempus conceptum, & non præcisè ad statum conjugii, vel certos annos, qui jam elapsi sunt, restrictum, ut si uxor voverit se tota vita aliquot diebus in hebdomade jejunaturam &c. Ratio est eadem, quę in pręcedenti articulo, quod scilicet irritatio voti constante matrimonio facta non fuerit simplex, & totaliter tollens obligationem voti, sed solum in quantum præjudicavit. Innoc. *in c. scriptura 4. h. t.* Lessius *de Voto dubio* 10. *n.* 86.

Quia tamen etiam pro contrario sunt non pauci DD. cum Panorm. *d. c. Scriptura, & c. quidam 3. de Convers. conjugat.* Sanch. *d. l. 9. disp. 38. n.* 16. ideò fortassis Episcopus in tali voto ad cautelam dispensare poterit: nam quando est dubium, an res egeat dispensatione, posse Episcopum dispensare, vel declarare, quod non sit opus dispensatione, tradit Garzias *de Beneficiis parte 6. cap. 3. num.* 10.

26 Per *commutationem* tollitur obligatio voti, si id, quod antea erat promissum, in aliud opus bonum, & DEO gratum commutetur. Ad *commutationem* duo principaliter requiruntur, scilicet *causa*, & *superioris authoritas*. Causa est, vel difficultatis, vel utilitatis: *difficultatis*, si propter paupertatem, debilitatem corporis, periculum frequentis omissionis, aliasve circumstantias difficilis sit voti executio; imò levior etiam difficultas sufficit, si votum in puerili ætate ex facilitate potiùs, quam arbitrio discretionis emissum sit, *cap. 2. hoc tit.* Causa verò *utilitatis* est, si vovens pro opere Deo promisso aliud Ecclesiæ utilius, & DEO gratius pręstare paratus sit. Quamvis autem authoritas superioris non requiratur, si opus in quod votum commutatur, manifestè Deo gratius sit, ut si vovens vellet Religionem ingredi, *c. 4. h. t.* vel si voverit, se daturum Ecclesiæ certæ, & deinde velit dare pauperiori, & magis indigenti; quia in similibus casibus non tam violatur votum, quàm sanctius, & solemnius redditur; si tamen dubium sit, quodnam opus omnibus consideratis melius, & Deo acceptius habendum, tunc authoritas, & arbitrium superioris omninò intervenire debet *c. 1. & ibi DD. h. t.*

Porrò nomine superioris non tantùm venit S. Pontifex, sed etiam inferiores Prælati jurisdictionem Episcopalem habentes; ipsi quoque aliquando Confessarii, vel ex Jubilæo, vel aliunde privilegium commutandi vota obtinent.

Est tamen in *commutatione* observandum, ut opus illud, in quod fit commutatio, moraliter, & arbitrio prudentis viri aliquo modo æquivaleat rei per votum promissæ. Interim nihil obstabit, quin votum reale commutari possit in personale, vel econtra, licet plerumque convenientius sit, ut reale in reale, vel etiam personale in reale commutatur: quia ordinariè onera realia, etiam charitatem erga proximum, vel utilitatem Ecclesiæ concomitantem habent, nisi personale fuerit corporis afflictivum, & certis peccatis resistens, quod proinde expedit, ut in aliud simile, quod vovens perficere possit, convertatur, v. g. jejunium in orationes quotidianas &c. In specie autem de commutatione votorum, quæ à Confessariis fit tempore Jubilæi, & qualiter singula vota commutanda sint, utiliter legi poterit R. P. Gobat *de duplici Jubilæo.*

Denique per *dispensationem* extinguitur votum, si subexistente causa ejus obligationem Pontifex, vel alius Prælatus etiam inferior jurisdictionem Episcopalem, aut speciale privilegium habens remittat. Causæ autem dispensandi recensentur, si votum ex minori deliberatione, ut in ira, metu, ætate puerili, vel aliqua animi perturbatione, non tamen auferente prorsus mentis judicium emissum sit: ut deinde difficulter observari possit; aut si aliqua magna, & publica utilitas per dispensationem obtinenda speratur, veluti si unicus hæres alicujus Principatus, vel insignis familia votum castitatis fecerit, &c. Et hæc dispensatio plerumque necessaria est in votis majoribus, quæ propter dignitatem materiæ non recipiunt aliquam æquivalentem commutationem; in minoribus autem magis commutatio, quam dispensatio locum habet: quia obligatio Deo facta debet omni meliori, quo potest, modo impleri; unde, & in ipsa dispensatione circa vota minora aliquod saltem opus bonum voventi loco voti peragendum injungitur. 27

Porrò in votis dispensare non tantùm potest S. Pontifex, sed etiam inferiores Prælati jurisdictionem episcopalem habentes, *c. 1. & ibi DD. h. t.* videlicet Legatus Pontificis in Provincia suæ Legationis; Episcopus in sua Diœcesi: Capitulum sede vacante, Prælatus exemptus cum suis subditis, Archiepiscopus cum subditis suorum suffraganeorum, non quidem semper, & ubique, sed si quasi per appellationem adeatur denegata dispensatione à suffraganeo, vel dum actu provinciam visitat, quia extra appellationem, & Visitationem Archiepiscopus in subditos suffraganeorum regulariter jurisdictionem non habet *c. Venerabilibus 7. de Sententia exc. in 6. c. fin. de Sensibus in 6.*

Sunt autem *quinque vota* specialiter *reservata*, in quibus nemo præter S. Pontificem, vel cui is ex singulari privilegio concessit, dispensare potest, nimirum I. votum *perpetuæ castitatis*. II. votum *ingrediendi religionem*. III. votum *peregrinandi Romam*, seu ad limina Apostolorum. IV. peregrinandi *Hierosolymam*, & V. peregrinandi *ad S. Joacobum Compostellam. Extrav. etsi dominici fin. de Pœnit. & remiss. inter Com.*

Verum, cùm hujusmodi reservatio à communi jure exorbitet, & Episcoporum potestati deroget, odiosę, & strictæ interpretationis censetur, ac propterea non extenditur ad illa vota, quæ licet habeant cum istis aliquam similitudinem, non tamen sunt omninò, ac in specie eadem. Quare non est reservatum votum *castitatem* servandi non perpetuò, sed tantùm ad certos annos: nec votum *non petendi debitum conjugale*, vel *non nubendi*, aut *non fornicandi*, nec votum *suscipiendi Ordines Clericales*: nec votum *conditionatum* (puta, si convaluero ex morbo ingrediar Religionem) ante conditionis eventum. Votum *ingrediendi Religionem strictiorem*, ut liceat ingredi minus strictam, vel permanere in minùs stricta: votum *pœnale* V. g. si fornicatus fuero, voveo me iterum Romam, etiam post pœnam commissam DD. mox citandi probabiliter non reservatum ajunt, quod non habeat naturam aliorum votorum, quæ simpliciter, &

directè fiunt ex affectu erga rem promissam, & ob cultum divinum, sed hoc fiat directè ob aversionem, & detestationem peccati.

Votum quoque peregrinationis Hierosolymitanæ nonnulli tantùm eo casu reservatum putant, quo factum est intentione subveniendi terræ sanctæ contra hostes Christiani nominis *arg. text. & Gloss. in cap. ex multa 9. hoc tit.*

28 Denique in votis reservatis dispensare potest Episcopus, quando est impedimentum adeundi S. Pontificem, & est necessitas accelerandi dispensationem, quod plerumque in voto castitatis contingit, postquam matrimonium jam contra votum contractum est, propter periculum quotidianæ incontinentiæ. In votis autem peregrinationum impedimentum frequentiùs solet esse tantùm temporale, ut propterea potiùs dilationem, quàm dispensationem requirant.

Sed & tunc Episcopo dispensationem concedunt si subsit dubium juris, aut facti, an votum in talibus circumstantiis obligatorium sit. Item si votum reservatum priùs S. Pontifex in aliud opus commutarit, tunc Episcopus ex nova causa denuò aliam commutationem facere poterit: neque enim aliud opus, in quod commutatio facta est, censebitur reservatum, ex regula juris, quòd *subrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum subrogatur:* quia procedit circa substantialia subrogati, ut circa obligationem, non autem circa accidentalia, si ea sint strictæ interpretationis, & non extendenda, sicuti est reservatio. Vid. Sanch. *de Matr. lib* 8. *disp.* 9. *& seq.* Less. *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 13. Laym. *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 8. *num.* 8. *& seqq.* Suar. *d. L. C. c.* 20.

29 Sed inquies: quomodo Pontifex, vel Episcopus potest dispensare in voto, cum tamen votum obliget ex jure divino, in quo dispensatio non conceditur? R. Jus divinum, aliquando obligare omnes per se, sine omni præsupposita voluntate humana, ut in præceptis Decalogi, & similibus; ac in his verum est dicere, quòd dispensare non liceat; aliquando autem obligat jus divinum ex præsupposita obligatione humanæ voluntatis, & quamdiu ista durat, ut in votis, & juramentis; igitur si ista obligatio humana per irritationem, commutationem, aut dispensationem tollatur, cessabit etiam obligatio juris divini, quæ obligationi humanæ voluntatis tanquam fundamento innititur: quia non aliter obligat votum ex jure divino, quàm quatenus valet, & durat. Vid. Sanch. *de Matr. lib.* 8. *disp.* 6.

30 Demum vulgatis est controversia an summus Pontifex possit in votis solemnibus dispensare, adeoque efficere, ut Religiosus professus possit rursus ad sæculum redire? Rationem dubitandi facit text. *in c. cum ad Monasterium.* 6. *in fine. de Statu Monachorum.* ubi dicitur, quòd *abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, ita sint regula Monachali annexa, ut contra eam, nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Nihilominus apud Recentiores, & DD. cc. communiùs receptum est, posse summum Pontificem etiam in votis solemnibus dispensare: quia solemnitas votorum est tantùm Juris positivi. *Tex. in c. unico h. t. in* 6. ergo si Pontifex tollat solemnitatem, quæ est juris positivi consentiente maximè Religione, & remittente jus suum, quod habet in religiosum, manet tantùm votum *simplex*, in voto autem *simplici*, quin Pontifex dispensare possit, nemo facilè dubitaverit. Ad text. *in d. c. cum ad Monasterium*, communis, & vera est responsio, quòd loquatur in *sensu composito*, quòd scilicet non possit dispensari in votis solemnibus cum Religioso, ut maneat Religiosus: quia per talem dispensationem cessarent substantialia Religionis; non autem loquatur ibidem Pontifex *in sensu diviso*, & quòd status Religionis totaliter ab aliquo tolli non possit.

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

SUMMARIA.

1 *Religiosus non potest habere proprium pecuniarium, seu honoris, & jurisdictionis.*
2 *Prælatus potest Religioso concedere aliquod peculium.*
3 *Legatum factum Religioso, ut ad eum solum pertineat, an valeat?*
4 *Tacita etiam, seu præsumpta licentia excusat à vitio proprietatis.*
5 *Religiosus proprietarius quas pœnas incurrat?*
6 *Paupertas habet gradus.*
7 *Religiosus peccans contra castitatem contrahit duplicem malitiam.*
8 *Votum obedientiæ in quantum obliget?*
9 *De Clausura, & Monasteriis Monialium quid statuerit Concil. Trid.*
10 *Abbatissa an possit dare licentiam intrandi Monasterii clausuram?*
11 *Infantes, & puellæ causa educationis an, & qualiter possint admitti ad Monasteria Monialium?*
12 *Excommunicatio ob ingressum in clausuram probabiliter non est reservata.*
13 *Mulieres ingredientes Monasteria virorum possunt probabiliter à Censura excusari.*

POstquam in *præcedentibus Titulis* de Votis in genere, & de ingredientibus in Religionem præmisimus, in præsenti specificè ad obligationem *Votorum solemnium, scilicet paupertatis, castitatis, & obedientiæ* descendimus, Quia verò de hac materia prolixè scribunt Theologi, & Commentatores in diversas Ordinum regulas, ideo tantùm pro summaria aliqua cognitione.

Not. I. quòd ex voto *paupertatis* obligentur omnes Religiosi, ne quid proprium habeant. *c.* 2. *&* 4. *&* 6. *h. t.* Intelligendum tamen hoc circa bona pecuniaria; dominium autem famæ, & honoris; item jus eligendi, jurisdictionemque spiritualem, & beneficii titulum (secus de reditibus beneficialibus) proprium Religiosus habere potest, ut ex S. Thoma, Navarro, & aliis notat Laym. *in Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 2. Cæterùm verò *proprium* hic non præcisè juridicè sumitur, quatenus scilicet dominium importat, cùm Religiosus etsi maximè velit, tamen dominium de jure habere non possit, sed accipitur secundùm terminos Regularis Instituti, & complectitur omne id, quod Religiosus contra voluntatem Prælati expressam, vel saltem rationabiliter præsumptam detinet, aut expendit. Laym. *d. l. n.* 4. 1

Dico: *contra voluntatem Prælati*; nam ex plurium DD. sententia potest Prælatus Religioso aliquod peculium in genere ad usus honestos concedere, dummodo non simul potestatem revocandi à se abdicet, & Religiosus paratus sit ad quamcumque Prælati avocationem id resignare, statutum autem Concilii Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 2. tantum de concessione perpetua, & irrevocabili DD. exponunt. Vid. cc. apud Barb. *in Collect. ad d. c.* 2. *Trid. n.* 3. 2

Legatum quoque conditionatum in favorem alicujus Religiosi factum, ut res legata ad eum, & non ad Monasterium pertineat, explicandum est (juxta conditionem personæ, *l. plenum*, *§. equitii. ff. de Usu, & hab.* & ne voluntas ultima pereat, *l. in contrahenda ff. de R. J. l. qui quadraginta ff. Ad L. Fal.*) de solo usu ejus cum licentia Prælati; Prælato consentiente in usum Monachi (dissentiente enim corruit legatum) poterit Monachus huic usui in favorem Monasterii renuntiare. Vid. Panorm. *in c.* 2. *h. t. n.* 8. Molina *tom.* 1. *d. disp.* 140. *n.* 20. Sanch. *lib.* 7. *mor. c.* 17. *n.* 9. 3

Præterea, ut Religiosus sine peccato aliquid detinere, vel in suos usus convertere possit, non semper expressa voluntas Prælati requiritur, sed etiam tacita, & præsumpta sufficit, si res exiguæ quantitatis, & Religiosus

ratio-

rationabiliter præsumere possit, Prælatum tametsi resciret, non fore invitum; quod plerumque ex eo cognoscitur, quando Prælatus multoties tantundem per expressam licentiam in usum Religioso concessit; semper tamen minùs de voluntate Abbatis præsumere potest Religiosus degens in Monasterio, quàm extra in studiis, aut Parochia, cùm in Monasteriis bene disciplinatis nullus specialis præsertim pecuniarum usus Religiosis concedatur, nisi illis, qui administrationem habent.

5 Pœnæ verò Religiosi proprietarii tres statuuntur, I. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, si proprietas in magna quantitate fuerit. *c. Monachi. & c. c. cum ad Monasterium, h. tit.* Licet autem ibidem jubeatur, ut etiam proprium inventum cùm Religioso sepeliatur; ne tamen Monasterio, ad quod pertinebat, ex delicto personæ damnum inferatur, censent DD. sufficere aliquam partem illius proprii sic sepeliri. Barbos. *ad d. cap. cum ad Monasterium num.* 5. Et cùm ratio hujus constitutionis sit, quòd talis propriatarius in peccato mortali decesserit, ut notat Gloss. ibidem; ideò antequam hæc gravissima pœna infligatur, considerandum erit, an non adsint aliquæ conjecturæ pro defuncto, quæ hanc pœnam mitigent, aut excludant, ut quia ante mortem pænitens facultatem restituendi non habuit: quia de tacito consensu Prælati bona fide præsumpsit, aliave rationabili causa retinendi nitebatur &c. II. privatio vocis activæ, & passivæ in Capitulo per biennium, id est, ut ad actus capitulares talis proprietarius vocari non debeat, nec eligere, nec eligi possit. Trid. *sess. 25. de Regularibus. c. 2.* III. expulsio è Monasterio *d. c. cum ad Monasterium*, cujus tamen loco Prælatus pro arbitrio suo potiùs aliam pœnam infligere debet, quia magis curandum, ut ad evitanda scandala Religiosi in congregatione contineantur, quàm expellantur. *c. fin. de Regularibus*. juxta ea, quæ *in §. ult. Tit. XXXI.* dicta sunt, & universim pœnas jure Canon. præsertim antiquiori statutas de consuetudine plerumque esse arbitrarias, tradit Vallensis *ad Tit. de Pœnis. §. 4. in fin.* Deinde istæ pęnæ tantùm procedunt si Religiosus peccet contra paupertatem per illicitam rerum detentionem, non verò per illicitam alienationem, de qua constitutiones istæ pęnales non loquuntur, & ideo ad eam extendendæ non sunt, *cap. odia. de Regul. jur. in 6. & l. penult. ff. de Pœnis.* Porrò quæ hactenus dicta sunt, de singularibus Religiosis intelligi debent: nam Monachum in communi rectè bona possidere potest; imò omnes etiam Ordines mendicantes, qui fortè ex prima sua institutione erant bonorum etiam in communi incapaces, hodie fundationes, & bona immobilia acceptare possunt; exceptis Capucinis, & Fratribus Minoribus S. Francisci, qui de observantia dicuntur. Trid. *sess. 25. de Reg. cap. 3.*

6 Habet enim paupertas suos gradus, & una major est altera, ita ut quælibet notabilis restrictio administrationis rerum suarum paupertas suo modo dici possit, quemadmodum Apostolus *ad Gal.* 4. pupillum comparavit servo nihil habenti, & omnis proprietatis de jure incapaci *§. 1. instit. de stipulat. servorum* ex eo quòd esset quidem dominus omnium; sed sub Tutoribus, nec bonorum suorum haberet administrationem. Unde, & Societates emittentes simplicia vota suo modo paupertatem habent, & Religiosi dicuntur, licet adhuc dominium radicale etiam in particulari retineant, sed illud vinculatum, & dependens à superiore. Cæterum qualiter Religiosi habeant jus testandi, vel succedendi in hereditatibus, vel cui acquirant, jam supra in *Tit. XXVI. de Testam. & XXVII. de success. ab intest.* item in Tit. XXXI. *de Regularibus*. dictum est.

7 Not. II. quod ex voto *Castitatis* teneatur Religiosus abstinere ab omni delectatione venerea tam extra, quàm intra Conjugium, ita ut Religiosus peccans contra castitatem præter violationem præcepti Decalogi, etiam per transgressionem voti sacrilegium, adeoque duplicem malitiam committat. Circa quod peccatum plura apud Theologos legenda erunt.

Not. III. Quod obedientia voveatur Prælato juxta cujuscumque Ordinis, Regulas, ac Constitutiones, ita ut Prælati præceptum non obliget sub culpa, nisi in illis, quę aut directè, aut indirectè ad observationem Regulæ pertinent. Unde non obligabit, si jubeat acceptare Episcopatum, vel Abbatiam in alio Monasterio, assumere strictiorem Regulam, quam quis professus est &c. In iis verò quæ, vel explicitè, vel virtualiter in Ragula continentur, & ordinantur ad vitæ correctionem, Monasterii, ejusque disciplinæ conservationem, potest Prælatus imperare sub culpa, eique non obedientes sacrilegium committunt: non tamen censetur semper sub culpa jubere, nisi ex verbis, vel circumstantiis id appareat, maximè si sint talia in quibus nec ipsa Regula, nec intentio fundatoris obligat sub mortali, sed tantùm ad pęnam sustinendam, si quis transgressus fuerit. Imò nec semper justum, & validum est, ut in materia leviori Prælati conscientias subditorum sub gravi culpa onerent. De hac obligatione statutorum in conscientia, & an Religiosi teneantur acceptare reformationem sui Ordinis, superiùs *in Lib. I. in Tit. II. §. 2. n. 23. & §. 3. n. 36.* dictum est. Vid. etiam Layman. *in Theolog. Moral. lib. 4. tr. 5. c. 9.*

9 Not. IV. Recte constitutum esse in *cap. un. h. t. in 6.* & in Trid. *sess. 25. de Regul. c. 5.* ut Episcopi in Monasteriis Monialium etiam exemptis, ut Sedis Apostolicæ delegati, in subditis verò ut Ordinarii clausuram rigorosam procurent, & ad eam acceptandam Moniales per censuras, & invocationem brachii sæcularis compellant; item ut Monasteria Monialium extra urbem, vel oppida existentia, si fieri possit, intra urbes reducant, licet fortassis ante hac clausura observata non fuerit, vel Monasterium extra urbem fundatum sit. Ulterius quoque statuit Trid. *d. loco*, ut nulli Moniali post professionem liceat exire ex Monasterio etiam ad breve tempus quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbata, indultis quibuscunque, & privilegiis non obstantibus. Ingredi autem Monasteria monialium nemini liceat cujuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis pęna ipso facto incurrenda; licentiam autem Episcopus, vel Superior dare debeat tantùm in casibus necessariis. Nomine autem Superioris etiam Abbatem, vel alium Prælatum venire, cujus Monasterio Monasterium Monialium annexum est docet Tambur. *de Jure Abbatissarum. disput. 23. quæst.* 1. Porrò circa hanc Trid. constitutionem ulteriùs,

10 Not. V. Licet Abbatissa per se non possit alicui dare licentiam etiam ex justa causa intrandi clausuram (excepta magna necessitate, quæ legem non habet, puta incendii, ruinæ, subitaneæ infirmitatis &c.) posse tamen Episcopum dare potestatem ipsi Abbatissæ, vel Confessario, ut in casibus frequenter occurrentibus licentiam concedant, maximè si ipse Episcopus propter distantiam commodè adiri nequeat, tradit Barb. *ad d. c. 5. Trid. n. 6.* Causæ autem necessitatis, & frequenter occurrentes sunt, si Monialis, vel ex Regula, vel ex devotione confiteri desideret, & propter infirmitatem, aut surditatem commodè ad fenestellam audi nequeat: si Medicus, aut Chirurgus ad ægrotantes vocetur: si structura aliqua in Monasterio conficienda sit, ob quam frequenter oportet introire operarios, ubi tamen semper talis provisio debet fieri, ut omnia extra suspicionem sint. Ipse quoque Superior, quòd causa visitationis, aut electionis Abbatissæ cum decenti comitatu Ecclesiasticorum possit ingredi clausuram Monialium, habetur in Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Ubi ingratia, &c.*

Not. VI. Licet *ex allegato Trid. loco* prohibeatur omnibus generaliter ingressus in Monasteria Monialium, nihilominus infantes discretione carentes, sive septennio minores nonnunquam admitti posse communiter receptum est, secus autem dicendum de fatuis, seu adultis rationis usu carentibus: quia ex mente Trid. non tantùm illi, qui peccare, sed omnes, qui ad peccandum movere possent, à clausura excluduntur.

11 Præterea cum Trid. etiam sexus differentiam non habendam esse statuat, ideo neque fęminæ absque licentia, & juxta causa admitti debebunt, prout in specie Episcopum non posse dare licentiam, ut vidua quamvis honesta in habitu sæculari inter Moniales commoretur, licet perpetuo ibi commorari vellet Tambur. tradit *de Jure Abbatissarum disp. 24. quæst. 14. num. 3.* Interim puellas causa educationis ab anno 7. usque ad 25. in Monasteriis Monialium commorari posse, dummodo consensus

Superioris, & Abbatissæ, ac Monialium accedat, & in loco separato à dormitorio Monialium, ac ubi laboribus manuum Moniales vacare solent, habitent, nec ancillas, aut famulas secum introducant, docet, & à sacra Congregatione declaratum refert Quaranta *in Summa Bullarii v. Monasteria Monialium §. puellæ*, Barb. *d. l. n.* 39. non enim videtur subesse periculum divulgandi mores sæculares, & mundanos inter Moniales cum eorum scandalo, & perturbatione, si tales puellæ, quàm si viduæ recipiantur. Post completum autem 25. annum remanens in Monasterio nullam propterea censuram incurrit, sed Episcopus determinabit tempus, intra quod egredi, vel habitum induere debeat.

12 Not. VII. Quòd excommunicatio, quæ incurritur per ingressum in Monasterium Monialium, juxta communiorem sententiam non sit reservata S. Pontifici, sed à quolibet Confessario absolvi possit, quia ubi lex absolutionem non reservaverit specialiter Pontifici, vel Episcopo, censetur eam etiam inferioribus permisisse, *c. nuper* 29. *v. in secundo casu de Sent. excomm.*

Non obstat dicta Bulla Greg. XIII. per quam videtur talis excommunicatio apertè reservata: nam ibidem Pontifex revocavit omnia privilegia, & indulta, ex quibus nonnullis Ducibus, & Comitissis, ac similibus personis licebat Monasteria ingredi, & propterea in eos tantùm sententiam excommunicationis reservatam tulit, qui illa antiqua privilegia pertinaciter defendere, & vigore illorum Monasteria Monialium ingredi præsumunt; unde qui sine tali prætextu privilegiorum antiquorum Monasterium ingrederetur, eum non incursurum excommunicationem reservatam Papæ, communiter inferunt DD. apud Barb. *d. l. n.* 74.

13 Not. VIII. Quod constitutio Concil. Trid. de Monialibus non sit extendenda ad Monasteria virorum, circa quæ probabiliter dici potest, non esse generaliter censuram inflictam; in Monasteriis virorum enim non reperitur aliqua inflictio, vel mulieribus ingredientibus, vel Religiosis mulieres introducentibus, neque præsertim in pœnalibus fœminino vocabulo mares intelliguntur, *l. si ita sit scriptum* 45. *ff. de Legat.* 2. aut censura sine textu expresso statuenda est. Quamvis interim ob circumstantiam pravi finis, scandali, occasionis peccati, aut transgressionis alicujus certæ Regulæ graviter inhibentis mulierum introductionem possit per eam aliquando grave peccatum committi. Et generalis prohibitio nulla tamen addita censura est *in c. luminoso* 18. *q.* 2. Solet quidem in contrarium allegari Bulla Pii V. quæ incipit *Regularium*, & d. Bulla Greg. XIII. *Ubi gratia*. Ubi in mulieres etiam intrantes Monasteria virorum fertur excommunicatio reservata. Nihilominus sentiunt DD. quòd juxta responsionem sub *priore not.* datam dictæ Bullæ tantùm loquantur de mulieribus magnæ dignitatis, quæ prætextu privilegiorum præsumunt quasi violenter Monasteria virorum intrare, eorumque pacem turbare. Suar. *t.* 5. *de Censuris disp.* 22. *sect.* 6. *n.* 12. Laym. *in Theol. mor lib.* 3. *tr.* 5. *c.* 12. *n.* 4. Refert autem Nav. *de Regular. comment.* 4. *n.* 62. Pium V. declarasse suam Bullam universim de mulieribus ingredientibus Monasteria virorum procedere. Sed respondet Laym. *d. n.* 4. *vers. sed, & fidemus*, istam declarationem nec authenticè promulgatam, neque saltem in Germania secundùm eum rigorem receptam fuisse.



TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

SUMMARIA.

1 *Religiosa loca quæ dicantur.*
2 *Monasterium sine Episcopi consensu ædificatum an possit destrui?*
3 *Monasteria ædificandi licentia, à quo petenda.*
4 *In Monasteriorum ædificatione quæ observare debeat Episcopus.*
5 *Quid circa Monasteria Monialium.*
6 *Monasteria dupla scilicet virorum, & mulierum simul prohibita.*
7 *Religionis nova approbatio pertinet ad S. Pontificem.*
8 *Episcopus habet fundatam jurisdictionem super omnia loca Religiosa suæ diœcesis.*
9 *Episcopi jurisdictio in loca Religiosa quatenus se extendat.*
10 *Administratores piorum locorum tenentur singulis annis rationes reddere Episcopo; & alia circa eosdem.*
11 *Fundationes Religiosorum locorum à quo, & qualiter commutanda.*

PRænotandum, quòd sicut ad erectionem Ecclesiæ 1
consensus Episcopi requiritur, ita etiam ad fundationem domus, vel loci Religiosi. Et dicuntur loca Religiosa non tantùm Ecclesiæ, vel Monasteria, sed etiam Hospitalia, Xenodochia, Leprosaria, aliaque similia ad pium usum cum authoritate Episcopi ædificata. E contra verò Oratoria privata, hospitalia, & quæcunque alia ad honorem quidem Dei, & pios usus absque tamen authoritate Episcopi constructa loca Religiosa non sunt, nec immunitate Ecclesiastica, aliisque privilegiis locorum piorum gaudent, pro arbitrio construentium destrui, vel alienari possunt. Trid. Tusc. *V. hospitalia concl.* 158.
Barb. *de Offic. Episc. p.* 4. *alleg.* 75. *à n.* 25. *& n.* 32. Docet ta- 2
men Lauretus de Franch. *de Controv. inter Episc. & Reg.* & cum eo Pasqual. *in addit. p.* 1. *n.* 461. Monasterium sine licentia Episcopi ædificatum non posse pro arbitrio destrui, sed jam censeri rem Deo dicatam, atque inter res Ecclesiasticas. Proponemus materiam hujus tituli aliquot quæstionibus magis obviis.

Quæstio I. quis valeat licentiam concedere ædificandi 3
nova monasteria? Ex textu Concilii Trid. *sess.* 25. *De Regul. c.* 3. *in fin.* Item *c. de Monachis* 12. *causa* 18. *q.* 2. videtur solius Episcopi Diœcesani licentia sufficere, & ita docent Sorb. *ad compend. mend. v. ædificare vers. circa* §. 20. Roderiq. *in qq. reg. tom.* 2. *q.* 49. *a.* 3. Verùm invenio, hos textus apud alios DD. ita exponi, ut licentia Episcopi requiratur quidem, sed sola non sufficiat, principaliter verò S. Pontificis desideretur. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 26. *n.* 4. Tamb. *de Jure Abb. tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 1. *n.* 3. Ad hoc probandum allegant *c. un. §. confirmatos h. t. in* 6. & *un. de Excess. Prælat. in* 6. Attamen ista jura non de quibuslibet Religiosis, sed de Mendicantibus loquuntur, circa quos dici potest, specialem esse considerationem, cum plerique in toto suo Ordine exempti, & S. Pontifici immediatè subjecti sint; item quòd ex incertis eleemosynis vivant, atque talis eleemosynarum quæstus aliis præjudicet, & gravis esse possit. Imò *in d. §. confirmatos*, tantùm egit S. Pontifex de extinguendis illis Ordinibus mendicantium, qui post Concil. Generale Lateran. fuerunt instituti. De Monachis autem (quo nomine in propria significatione veniunt non mendicantes) nihil requiritur in jure Decret. contra *d. c. de Monachis* 18. *q.* 2. mutatum. Idque non obscurè confirmatur ex Bulla Urbani VIII. (de qua mox) in illis verbis: *Servata duntaxat S. Canonum, & Concilii Trid. Decretorum forma de sola Ordinarii licentia fundandi, erigendi &c.* Subintrant proinde vulgata jura, quòd exceptio de Mendicantibus firmet Regulam in aliis: & non censeatur plus de veteri jure correctum, quam expressum, &c.

Allegabitur forsan adhuc Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex* ubi revocantur quorumvis Ordinum privilegia construendi nova Monasteria *de sola Ordinarii licentia &c.* Sed intentio hujus Bullæ (ut ex Summaria ejus inscriptione, & contextu patet) non fuit, hic aliquid novi circa erectionem Monasteriorum, & consensum Superioris desuper requisitum statuere, & revocare privilegia, quatenus obstant Bullæ Clem. VIII. *Quoniam ad institutam*, & Greg. XV. *Cum alias fel. rec.* quæ Bullæ consensus Pontificii ad erectionem Monasteriorum non Mendicantium necessarii neutiquam meminerunt. Sensus ergo illorum verborum: *de sola ordinarii licentia:* hic planè videtur, quòd ly *sola* non dicat oppositionem ad simultaneam licentiam S. Pontificis, sed ad alia requisita, quæ ex præfatis Bullis præter *solam licentiam Episc.* concurrere de-

debent. Unde nisi forsan aliud stylo Curiæ Rom. receptum sit, non reperio circa Monasteria non Mendicantium textum juris, ex quo licentia Papæ necessaria convincatur.

4 Quæstio II. Quid ergo præter *solam Episcopi licentiam* ad erectionem novi monasterii requiratur? R. in primis observandam esse Bullam Clem. VIII. *Quoniam ad instituitam.* ubi declarat, *locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cujuscumque Mendicantium Ordinis* (in Bulla Greg. XV. est additum *præsertim* Mendicantium) *in civitatibus, & locis eorum ordinaria jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa servatis servandis cognita constiterit, in eisdem civitatibus, & locis novos hujusmodi erigendos Conventus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse. Si verò ab eorum in hujusmodi causis sententiis ad Apost. Sedem provocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quousque ab Apost. Sede in eadem causa pronunciatum extiterit, Irritum &c.*

Deinde sub Gregorio XV. factum est Decretum in hæc verba: *quod de cætero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel societas Religiosorum, seu Regularium cujuscunque etiam Mendicantium Ordinis, Societatis, & Instituti, quocunque nomine nuncupentur, etiamsi de illis particularis expressa, & specifica mentio habenda esset, in quacunque civitate, vel oppido, seu quocunque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem 12. Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex reditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeat, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutionum hujusmodi non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis, ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus Regularis sic erigendi, seu erigenda absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus anteà in Civitatibus, seu locis hujusmodi erectis degentium ibi in numero duodecim, & congruè manu teneri, & ali posse. Si vero novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujusmodi instituendæ erunt, nullique alii Regulares ibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores, quorum, & consensum requirant, ac adhibeant, hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut præmittitur, instituendis commodè alere, & manutenere valeant, &c.*

Hæc duo Pontificia Decreta refert, & pluribus adjunctis quæstionibus exponit Lauretus de Franchis *de Controv. inter Episc. & Regul. par. 1. à nu. 399. usque ad nu.* 530. & apud eum Zach. Pasqual. *in addit.* Item Barbosa *de Officio Episc. p. 2. alleg. 26. à num.* 5. Tambur. *de jure Abb. Tom. 3. disp. 5. q. 1.* atque bis Bullis contraria Privilegia revocavit Urbanus VIII. ut *in præc. quæst.* dictum, & Bulla revocatoria refertur apud cc. DD. qui, & easdem constitutiones extendunt ad mutationem Monasterii de uno loco ad alium; non verò ad ampliationem in eodem loco, neque ad hospitia, ut vocant, Religiosorum, causa duntaxat itinerantium absque alio præjudicio erecta.

5 Quæ verò specialiter observanda sint in erectione Monasterii Monialium vid. Barb. *d. l. ante n.* 8. & Conc. Trid. *Sess. 25. de Regular. c. 5. in fin.* statuit his verbis: *Quia Monasteria Monialium extra mœnia urbis, vel oppidi constituta malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus sine ulla sæpè custodia sunt exposita; curent Episcopi, & alii Superiores, si ita videbitur expedire, ut Sanctimoniales ex iis ad nova, vel antiqua Monasteria intra urbes, vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, impedientes verò, vel non obedientes per censuras Ecclesiasticas parere compellant.*

6 Duplicia Monasteria, Id est Monachorum, & Monialium simul ædificare pridem inhibitum fuit. *c. diffinimus 21. & seq. 18. q. 2.*

7 Demùm novam Religionem hodie non posset Episcopus recipere priusquam ab Apost. Sede approbata *c. fin. h. t.* licet ante Concil. Later. secus fuerit, ut tradit Miranda *in Man. Prælat. tom. 1. q. 3. art. 6.*

Engel in Decret. Lib. III.

8 Quæst. III. An juxta Rubricam Tituli omnia loca Religiosa Episcopo, in cujus diœcesi sunt sita, subjecta esse debeant? Resp. Episcopum Diœcesanum habere fundatam intentionem in jure, quod omnia loca Religiosa de ipsius jurisdictione censeantur, nisi ab adversa parte specialis exemptio probetur, *c. omnes basilicæ.* 10. 16. *q.* 7. *c. monasteria.* 17. 18. *q. 2. c. 3. c. constitutus h. t.* Qualiter autem probetur exemptio, & alia circa privilegium exemptionis, traditur *in Lib. Tit. XXXIII. §. IV.* videri etiam poterit Erasmus à Chokier in speciali Tract. *de Jurisdictione Ordinarii in exemptos* Barb. *de Offic. Episc. p. 3. alleg.* 105. & 106. Tambur. *de Jure Abbat. tom. 3. disput. 5. quæst.* 11.

9 Prætetea tametsi locus Religiosus uniatur loco Religioso alterius diœcesis, nihilominus manebit sub jurisdictione Episcopi, in cujus diœcesi situs est. *c. 2. h. t.* sed quia per tales uniones fit aliqua diœcesium confusio cum Ordinariorum, & subditorum incommodo, ideo Conc. Trid. *sess. 24. de Ref. c. 9.* prohibuit Ecclesias, & loca pia diversorum diœcesium inter se uniri.

Quæst. IV. Quousque potestas, & jurisdictio Episcopi in loca Religiosa extendatur? Præter jurisdictionem fori contentiosi, de qua *Lib. I. in Tit. de officio Judicis Ordinarii. Lib. II. Tit. de Foro competenti, & in Tit. de Appellat.* dictum fuit, item præter exactionem jurium Episcopalium, de quibus infra *in Tit. de Censibus, exactionibus, & procurationibus.* specialiter constituit Conc. Trid. *Sess. 22. de Ref. c. 8.* ut *Episcopi etiam tanquam Sedis Apost. delegati in casibus à jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint executores, habeant jus visitandi hospitalia, collegia quæcunque, ac confraternitates laicorum, etiam quas Scholas, sive quocunque alio nomine vocant, non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt sine eorum licentia, eleemosynas Montis pietatis, sive charitatis, & pia loca omnia quomodocunque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita, ac omnia ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sint, ipsi ex officio juxta SS. Can. statuta cognoscant, & exequantur, non obstantibus quacunque consuetudine etiam immemoriali, privilegio, aut statuto.*

10 Deinde idem Concil. Trid. *ea sess. 22. c. 9.* decrevit, ut *Administratores tam Ecclesiastici, quàm laici fabricæ cujusvis Ecclesiæ etiam Cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ, Montis pietatis, & quorumcumque piorum locorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario: consuetudinibus, & privilegiis quibuscunque in contrarium sublatis: nisi secus fortè in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expressè cautum esset. Quòd si ex consuetudine, aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius; & aliter factæ liberationes dictis administratoribus minimè suffragentur.*

Circa quas Concilii constitutiones videri poterunt, quæ copiosè congessit Barb. *in Collect. DD. ibid.* & in *Tr. de Offic. Episc. p. 3. alleg. 75.* & *Juris Eccles. univ. lib. 2. c. 11.* Inter alia refert *in Collect. ad d. c. 9. Trid. n. 18.* ad hanc rationum redditionem non teneri Abbates, Præpositos; & Abbatissas Regularem vitam ducentes, prout attestatur resolutum Armend. *in Addit. ad recampil. leg.* Nav. *lib. 7. de Episc. n. 79. v. & Abbates.* Adde Zoes. *h. t. n. 2.* loquitur enim Concilium de puris administratoribus piorum locorum, Prælati autem Ecclesiarum, qui in iisdem Ecclesiis per electionem, confirmationem, benedictionem, aliove titulo ritè instituti, & jus inre, ac jurisdictionem consecuti sunt, utique pari jure cum meris administratoribus censeri non possunt, sicut etiam notavit Panor. *in c. qualiter, & quando. 24. de Accusat. n. 25.* contra Gloss. *in eod. c. 24. v. redde rationem.*

Quod si hospitalia Monasterii, in quibus viget Regularis observantia, vel militari ordini subjecta fuerint, tota eorum cura, & inspectio ad Prælatum Ordinis, seu Monasterii spectabit. *Clement. 2. §. præmissa. h. t.* Trid. *sess. 25. de Ref. c. 8.*

Statuit præterea Concilium Trid. *de Ref. sess.* 25. *c.* 8. ut per censuras, & amotionem ab administratione Ordinarius procedere possit contra administratores, qui juxta fundationem hospitalitatem non exercent, iique ad integram restitutionem fructuum in foro etiam conscientiæ teneantur, quos neglecta hospitalitate debita in suos usus converterunt; & denique ut administratores tantùm triennales constituantur, nisi in fundatione aliter institutum fuerit.

11 Quæstio V. Quis possit loca Religiosa ad certum usum, vel pro certo genere personarum destinata ad alium usum, vel aliud genus hominum transferre? Quamvis regula sit *in Clem. h. t.* quòd ea, *quæ largitione fidelium ad certum usum destinata sunt, ad eum debeant, & non ad alium applicari, salva Sedis Apost. authoritate*, interim hodie in Conc. Trid. *sess.* 25. de *Ref. c.* 8. constitutum est, ut si hospitalia ad certum numerum peregrinorum, infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in eo loco similes personæ, aut perpaucæ reperiantur, possit Ordinarius cum duobus de Capitulo per ipsum eligendis fructus illorum hospitalium in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, & tempore utilior, convertere.

Circa monasteria specialiter in Jure decisum est, ut si Religiosi alicujus Monasterii quacunque ex causa deficiant, non tamen propterea Monasterium, aut ejusdem reditus mensæ Episcopali incorporari, vel Clericis secularibus, aut laicis concedi debeant, sed alii Religiosi ex eodem ordine, vel si ejusdem ordinis haberi non possint, alterius Ordinis substituendi sint. Quòd si nulli prorsus Religiosi reperiantur, qui velint tale Monasterium acceptare, tunc Clerici sæculares advocari possunt, ut quantum possibile à prima fundatione pro Religiosis facta non recedatur, Text. & Gloss. *in c. inter quatuor. h. t. c. possessiones. de Reb. Eccles. non alien. c. relatum. 7. Ne Clerici, vel Monachi.* Licet porrò *in c. Clerici. 2. h. t.* supponatur, ex authoritate Papæ posse quascunque fundationes liberè mutari, nihilominus etiam S. Pontifex non censetur à Jure communi recedere, aut plenitudine potestatis uti velle, præsertim in præjudicium aliorum auferendo eis jus suum, nisi ex causa gravissima, adeoque præcedente causæ cognitione, & in specie exprimendo, quòd ex certa scientia, aut plenitudine potestatis procedat. *arg. c. licet. 12. de Offic. Ord.* Innoc. *in c. quæ in Ecclesiarum. de Const. Reg. Canc. de non tollendo jus quæsitum. c. quamvis 8. de Rescr. in 6.* Unde si de facto parte inaudita Bullas concedat de Monasteriis, aliisque piis locis ad alium Ordinem, vel statum transferendis, merito de sub: aut obreptione suspectæ censebuntur.

TITULUS XXXVII.

De Capitulis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

§. I.

SUMMARIA.

1 *Beneficia alia sæcularia, alia regularia, & quæ talia.*
2 *An in dubio omnia beneficia præsumantur sæcularia?*
3 *Beneficium sæculare qualiter in Monasterio fundari possit.*
4 *Beneficia regularia regularibus, sæcularia sæcularibus conferenda procedit in simplicibus.*
5 *Regularis potest fieri Episcopus Ecclesiæ sæcularis.*
6 *Etiam præpositus, vel Decanus Ecclesiæ Collegiatæ.*
7 *Vicarius quoque generalis Episcopi.*
8 *Etiam Parochus in Ecclesia sæculari.*
9 *Quid observandum in promotione Regularium ad parochias.*
10 *Parochia quando dicatur incorporata quoad temporalia tantùm.*
11 *Parochia pleno jure unita quando dicatur, & quid in ea Monasterium juris habeat.*
12 *Unio quædam dicitur plenissimo jure.*

NOmine Capellarum *in hoc tit.* non tantùm intelliguntur beneficia simplicia, quæ propriè capellæ, seu capellaniæ sunt, ut supra in *Tit. de Præbendis*, dictum est, sed etiam Prioratus, Præposituræ, Parochiæ, aliæque Ecclesiæ, & beneficia ad Religiosos spectantia, & Monasteriis unita.

Possent in *hoc tit.* duo tractari imprimis *de unione* Ecclesiarum, & beneficiorum, deinde de qualitate beneficiorum *Regularium*, juxta divisionem illam, quam in *Tit. de Præbendis*, tradidimus, quòd beneficia alia sint *sæcularia*, alia *regularia*, sicut etiam *de Unione* actum est superiùs *in Tit. Ut Ecclesiastica beneficia sine Dimin. conferantur*. Hic breviter aliqua de beneficiis *Regularibus* dicemus.

Communis igitur divisio beneficiorum est, quòd alia sint *sæcularia*, alia *regularia*; *sæcularia* dicuntur illa, quæ, vel ab initio pro Clericis sæcularibus fundata sunt, vel in quibus ex succedente præscriptione 40. annorum, vel legitima fundationis, ex authoritate Sedis Apostolicæ, commutatione (quæ commutatio tunc demum de jure rectè fieri censetur, si beneficia regularia nec per Religiosos ejusdem, nec alterius Ordinis provideri possint. Text. & Gloss. *in c. inter quatuor. 5. de Relig. dom. c. possessiones. 10. de Rebus Eccl. non alien. c. relatum. 7. Ne Clerici, vel Monach.*) Clericis sæcularibus jus quæsitum est. *Regularia* verò beneficia sunt, quæ similiter, vel ex prima fundatione, vel succedente præscriptione, fundationis commutatione, aut uniona, seu incorporatione Regularibus conferuntur, sicut tradunt Interp. in c. *cùm de Beneficio 5. de Præb. in 6.* Garc. *de Benef. p.* 7. *c.* 10. 1

Porrò quamvis non omnes Capellaniæ, seu beneficia in Ecclesiis Monasteriorum fundata hoc ipso beneficia regularia sint, aut per Regulares administranda, cùm ex voluntate Fundatorum dependeat, an pro Sæcularibus, vel Regularibus beneficium fundare velint: Interim quandiu non apparet de contraria fundatorum intentione, tale beneficium in Monasterio fundatum semper præsumetur regulare, Abb. *cons.* 50. 2. *part. vers.* 4. Rebuf. *in Prax. benef. c. quotuplex sit beneficium in 6.* Mascardus *de Probat. Concl.* 172. *n.* 17. quia non est verisimile, quòd erigens beneficium cum onere legendi missas in Ecclesiis Regularium voluerit ab eo ipsos Regulares excludere, cùm potiùs contra videamus ab hominibus Religiosorum preces multum desiderari. Quòd verò aliqui docent, omnia beneficia in dubio præsumi sæcularia, eò quòd S. Petrus fuerit sæcularis, rationem meritò miramur, cùm qualitas beneficiorum ex intentione fundatorum desumenda sit, neque S. Petrus fundavit omnia beneficia, imò tempore S. Petri nulla fuit beneficiorum divisio, quam primum Dionysius Papa introduxit, *c. un. 13. q. 1. c. pastoralis. de his quæ fiunt à Præl.* Et Dionysium, qui unus tantùm inter Pontifices hujus nominis numeratur, fuisse Græcum Monachum refert Bullarium *p.* 8. Accedit, quòd S. Chrys. *in lib. 3. contra Monastica vita vitup.* dicit, Ecclesiam Dei fuisse initio veluti Monachalem Religionem, & Apostolos duxisse vitam Religiosam, nihil habuisse proprium, & vixisse in communi unanimiter oratione. *Act.* 4. imò emisisse vota Religionis ex Suarezio, & aliis probat Tamb. *de Jure Abb. tom.* 1. *d.* 2. *q.* 3. *&* 4. 2

Præterea ut in Monasteriis, & Ecclesiis Regularibus fundetur capella, seu capellania, & ad quam debeat præsentari Clericus sæcularis, non sufficit sola authoritas Episcopi, sed etiam consensus Abbatis, & Conventus requiritur, neque alicui invitis Monachis potest acquiri jus Patronatus, seu præsentandi Clericos sæculares in eorum Ecclesia, ut rectè docet Garc. *d. c.* 10. *sub n.* 37. *in fin.* quia Episcopus non potest nova gravamina, vel onera Religiosis imponere, maximè quæ eorum Communitatem perturbent, prout foret, si Clerici sæculares contra eorum voluntatem in Monasterio jus aliquod prætendere possent. *c. luminoso* 18. *q.* 2. Deinde etiam istud notabile est, quòd erigens altare, & beneficium in Monasterio non solus sit futurus Patronus, sed etiam ipsum Monasterium debeat haberi pro compatrono, tanquam quod fundum con- 3

concesserit, ut advertit Pan. *in c. 3. de Eccl. ædif. n. 11.* Etenim *fundatio*, seu *fundidatio* æquè est causa juris Patronatus, quàm *donatio* (sive redituum assignatio) vel *constructio*, sive ædificatio; & si alius *fundaverit*, alius donaverit, alius *ædificaverit*, tres erunt ejusdem beneficii patroni, & nisi aliter inter se conveniant, ut v.g. alternis vicibus, præsentent, omnes ad præsentandum admittentur; & si diversos præsentent, prævalebit is, qui majora vota habuerit, vel si paria sint, quem Episcopus elegerit, Pan. *in c. 1. de Jure Patr. n. 6.* Barb. *in Col. lect. DD. ad Conf. Trid. sess. 14. de Ref. c. 12. n. 16.*

4 Quæstionis est, utrum è converso Regulares possint promoveri ad beneficia sæcularia?

Certa quidem Regula est, quòd beneficia *regularia regularibus, & sæcularia sæcularibus* conferenda sint, *c. cum de beneficio 5. de Preb. in 6. Clem. 2. de Sepul. negl. Prælat.* Eaque de beneficiis simplicibus, Canonicatibus Cathedralium, vel Collegiatarum Ecclesiarum satis recepta est, ita ut similium Religiosi sine dispensatione (extra unionem factam Monasteriis per Episcopum ut *in §. seq. n. 57.*) incapaces censeantur, ut notant Barb. & DD. *in c. super eo de Reg.*

5 Attamen quoad beneficia curata hæc regula non æquè procedit. Nam inprimis, si beneficia habeant *Curam fori externi*, eorum capaces esse Regulares, † exinde manifestum redditur, quòd Religiosus etiam possit eligi in Episcopum, quamvis Ecclesia sit *sæcularis*, per text. expressum *in Clem. 1. de Elect. c. nullus Religios. 28. & c. si Abbatem 26. eod. t. in 6.*

6 Idque complures extendunt, ut Religiosus etiam possit eligi in Prælatum, seu Præpositum, aut Decanum Ecclesiæ Collegiatæ sæcularis. Gl. *in c. 2. de Statu mon. in v. parochiales.* Abb. *in c. quod DEI timorem de Statu mon. n. 5.* & ibidem Zachar. *q. 7.* Graffis *in aur. decis. p. 2. lib. 3. c. 9. n. 1.* Azor. *Instit. mor. p. 1. lib. 11. c. 16. q. 13.* Less. *de J. & J. l. 2. c. 14. dub. 12. n. 99.* Syl. *v. Religio 7. quæst. 4. & 6.*

7 Vicarium quoque Episcopi generalem posse esse Religiosum cum licentia sui Prælati, dummodo sit natus legitimè (illegitimi enim per ingressum in Religionem legitimantur quidem quoad Ordines, sed non dignitates, *c. 1. de filiis presb.*) & habeat secum socium sui Ordinis ex communi DD. sententia tradit Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 54. n. 12.*

8 Quòd si beneficia habeant solùm curam *fori interni* uti Ecclesiæ Parochiales, an tunc ad ea promoveri possint Regulares? jam olim prolixè tractavit Gratianus in *causa 16. q. 1.* ubi inprimis multas authoritates pro sententia negativa adducit, quas deinde *incipiendo ic. dicitos* ar. per contrarias refellit, inter quas insigne illud decretum Bonifacii Papæ relatum in *c. sunt nonnulli 25. ead. causa 16. q. 1.* in hæc verba, *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti audacissimè quidem zelo magis amaritudinis, quã dilectionis inflammati asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo vivunt, sacerdotalis officii potentia indignos, neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotalis officii divinitus sibi injunctam potestatem; sed omnino labuntur; neque enim B. Benedictus Monachorum Præceptor almificus hujus rei aliquo modo fuit interdictor, sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo, quod quidem Apostolicis documentis, & omnium SS. Patrum institutis non solum Monachis, sed etiam Canonicis maximoperè imperatur. Nos verò tantorum Patrum instituti exemplis (quibus periculosissimum est refragari) credimus a Sacerdotibus Monachis ligandi, solvendique officium Deo operante dignè administrari, si eos dignè contigerit hoc ministerio sublimari.* Et sanè si cura *fori externi* multas curas, & distractiones à vita religiosa habeos annexas potest committi Religioso, vix apparet non cur etiam, imò multò magis cura *fori interni*. Experientia quoque comprobat, à fidelibus Laicis Sacramenta apud Religiosos multò libentiùs frequentari, de quorum spiritualitate, & doctrina magis confidunt. In Concilio quoque Trid. *sess. 23. de Ref. c. 15. & sess. 25. de Reg. cap. 11.* apertè supponitur Regulares posse sæcularibus in cura animarum præesse. Unde communis est DD. sententia Religiosos de jure generaliter capaces esse beneficiorum sæcularium curatorum, & ita ob favorem *vera*, & utilitatem spiritualem animarum, esse exceptionem ab illa regula, quòd sæcularia beneficia tantùm sæcularibus conferenda sint, per text. Gloss. & Panorm. *in cap. quod Dei timorem 5. de Statu Monach.* Less. & Azor. *dd. ll.* Nav. *de Statu Monach. cons. 11. & 12.* & plures alii quos refert Tamburin. *de jure Abbatum 3. disp 9. q. 8. n. 4.* Gar. *de Benef. p. 7. c. 10. n. 17.* & arguitur ex Concil. Trid. *sess. 14. de Ref. c. 12.* ubi specialiter de Religiosis translatis ab uno ordine ad alium decernitur, quòd in Monasterio manere debeant, & omnium beneficiorum *sæcularium, etiam Curatorum* incapaces sint: unde cùm exceptio firmet regulam in casibus non exceptis rectè infertur alios Religiosos non translatos beneficiorum *sæcularium Curatorum* capaces esse. Non obstat *c. de Statu Monach.* quia ibi Concil. Later. tantùm prohibet ne singuli Monachi, id est, sine socio in Parochiis habitent, & sic magis pro nobis facit. Nec etiam *c. 1. h. t.* quia ad evitandam jurium correctionem explicari potest, vel de antiquo statu Monachorum, quando plerique erant Laici conversi, & pauci Sacerdotes neque studiis eruditi, *c. ex multa de Voto*, & in perpetua clausura vivebant sicut Carthusiani: vel quòd sine consensu Episcopi populus per Monachos regi non debeat, Gloss. *in eod. c. 1.*

Ratio autem est, quia utique non est inconveniens, ut quod Religiosi per exercitia spiritualia in Monasterio didicerunt, de eodem etiam alios instruant, juxta illud *Matth. 5. Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum*: & si teste Hieronymo in *cap. sic vive 26. & c. seq. 16. q. 1. multo tempore discendum est, quod postmodum doceatur, ne prius Magister esse debeat, quàm discipulus*, eamque ob causam lata est sanctio Conc. Trid. *sess. 23. de Ref. c. 11. & seqq. de interstitiis temporum*, bonis moribus, & probitate ordinandi observandi, (neque enim intra quadrantem anni, intra quem hodie in Sacerdotes promoveri solent prius toti mundo immersi, tam facilè relinquuntur mores sæculi, & vitia, & experientia docet, quam citò revertantur ad vomitum) sanè non parùm expectandum est à Religioso, circa doctrinam Christianam, consolationem fidelium, præsertim in mortis articulo, qui per multos annos à vitiis sæculi purgatus, nonnunquam à puero inter mera pietatis exercitia, ac sanctas meditationes enutritus est. Sunt quidem non pauci ex Recentioribus, qui dicunt, per quandam novam constitutionem Greg. XIII. item per declarationem Cardinalium obtentum esse; ut Religiosi absque dispensatione Sedis Apost. non possint ad curata beneficia sæcularia promoveri, ut docent Garc. Sanch. & Gonzal. apud Tambur. *d. l.* sed idem Tamburin. *in d. q. 8. n. 11. & seqq.* dictam constitutionem Gregor. XIII. nunquam fuisse usu receptam testatur, cum post eam contrarium practicatum, & per Rotam decisum, atque per Cardinales declaratum fuerit.

Verùm generaliter circa promotionem Religiosorum ad Parochias tria sunt animadvertenda. I. Ne ad 9
Parochias exponantur illi, qui indisciplinatis moribus sunt, & in Monasterio contineri nequeunt, *qui enim domui suæ præesse nescit quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? 1. ad Tim. 3.* per tales enim, qui jam habita occasione, *quã data porta ruunt*, scandalizantur Parochiani, Prælatorum conscientiæ onerantur, Monasterium, & Religionis fama gravatur. II. Ut ii, qui in Parochiis collocantur, si fieri possit cum socio sui ordinis sint, *cap. 2. & 5. de Statu Monach.* III. ne in perpetuum ibidem relinquantur, sed ne nimis sæcularibus curis, & negotiis immergantur, quandoque pro renovatione spiritus ad Monasterium revocentur, alio interim substituto. Non tamen ideò minus Religiosus erit Parochus, quòd, sicut Clericus sæcularis, ipse, vel ejus nomine Prælatus (in quem omnis Religiosi voluntas collata censetur) parochiam resignet. Optimus tex. *in Clem. un. vers. præmissa, de Sepul. Præl.* ubi dicuntur constitui posse speciales Rectores Ecclesiarum, & beneficiorum non ad mensam unitorum, qui possunt liberè ad claustrum revocari.

Quod attinet ad Parochias Monasteriis unitas, & 10
incorporatas, sciendum est, earum quasdam unitas esse tantùm *quod temporalia*, quasdam autem *pleno jure*.

Unico

Unio *quoad temporalia* tunc censetur facta, quando decimæ, aliique reditus Parochiæ sunt assignati Monasterio, sed jus instituendi Rectorem beneficii pertinet ad Episcopum, solo jure præsentandi Monasterio relicto, & de hac unione loquitur *c. sanè 16. q. 2.* ubi dicitur, quòd tales Parochias cum consensu Abbatis Sacerdotibus Episcopus committere debeat, qui de populi quidem cura Episcopis rationem reddant, Abbati verò pro rebus temporalibus ad Monasterium pertinentibus subjectionem debitam exhibeant.

Quòd si pars tantùm decimarum fuerit ex certa Parochia Monasterio data sine jure instituendi, vel etiam præsentandi, tunc potiùs *dismembratio beneficii*, quàm *unio* censebitur, neque Prælato circa Parochialia quidquam juris competet. Garc. *de Benef. pag. 12. cap. 2. n. 4.*

Pleno jure dicuntur unitæ, seu incorporatæ Paro-
11 chiæ, quando præter jus percipiendi temporales reditus etiam administratio spiritualium, scilicet curæ animarum in Monasterium translatum est, atque in tali Parochia Rector principalis censetur esse Abbas Monasterii, isque potestatem habet Vicarium aliquem curam exercentem exponendi *c. 1. 16. quæst. 2.* Neque pro collatione talis Parochiæ Episcopus *concursum* publicare potest, nec Abbas tenetur, Pius V. in Bull. *Ad exequendum.* Barbos. *in Collectaneis DD.* ad Concil. Trid. *sess. 24. de Ref. cap. 18. num. 16.* Neque in ea locum habet terminus Lateranensis Concilii, & ideo ejus collatio propter vacantiam ultra 6. menses ad Episcopum non devolvitur, cum nunquam vacare censeatur, ex quo principalis cura penes Abbatem residet. *Clement. un. de Excess. Prælat.* Joann. Hon. *in tit. de Preb. p. 4. nu. 60.* Barb. *de Offic. Ep. pars. 3. alleg. 58. nu. 16.* Chokiet. *de Jurisd. Ord. in exempt. p. 1. q. 17. n. 9.*

Porro in Parochiis *pleno jure* incorporatis potest Abbas exponere Vicarium tam regularem, quam sæcularem, (nisi in litteris unionis expressè insertum sit, ut *per sæcularem* deserviatur) etiam absque investitura, & ita temporalem ad nutum seu voluntatem Prælati amovibilem; & tunc in his Parochiis non erit propria institutio, sed potiùs provisoria administratio, cùm titulus beneficii sit penes Monasterium, sicut hanc esse communem sententiam refert Barb. *de Offic. Ep. d. p. 3. alleg. 72. num. 109.* cum pluribus ibidem citatis. Quibus adde Tamb. *de jure Abb. tom. 3. d. 9. q. 8. n. 2.* Less. *de I. & I. lib. 2. cap. 21. dub. 12. n. 98.* Licet verò in Concil. Trid. *sess. 7. de Ref. c. 7.* data sit potestas Episcopis, ut in Parochiis, Monasteriis aut Collegiis quibuscunque incorporatis Vicarium perpetuum ponere possint, etiamsi priùs semper Vicarius temporalis positus fuerit, declaravit tamen Pius V. in sua Bull. *Ad exequendum. 47. §. 5.* hanc Trid. constitutionem non procedere in Parochiis, in quibus semper per Vicarios *regulares*, non *sæculares* deserviri consuetum fuit, quia non est credibile fuisse intentionem Concilii omnia Monasteria uno verbo privare jure suo, quod habent exponendi Regulares ad Parochias, vel certè ipsos Prælatos cogere, ut aliquem regularem tanquam perpetuum Vicarium instituant, & ita eundem quasi ab obligatione vitæ Monasticæ & obedientiæ in perpetuum absolvant. Constituit quidem Pius V. *ibidem*, quòd Vicarius regularis debeat secum habere 4. socios sui ordinis: sed idipsum Greg. XIII. correxit & unum sufficere decrevit. Tambur. *d. disp. 9. q. 18. num. 3.* Deinde etiam notabile est, quòd in illis Parochiis, in quibus Vicarius sæcularis exponitur, Episcopus non pro suo libitu possit instituere Vicarium perpetuum, sed id debeat facere ex justa causa, qua deficiente dabitur appellatio. Barb. *d. alleg. 72. num. 190.* Et prættereà, quia nonnulli Episcopi abutebantur potestate sibi data in Concil. *d. c. 7. sess. 7.* & Vicariis perpetuis tantam portionem assignabant, ut vix aliquid Monasteriis aut Collegiis de fructibus remanserit, ideo rursus Pius V. in d. Bull. *Ad exequendum*, declaravit, quòd cujuscunque valoris vel oneris Parochia fuerit, non debeat Vicario pro sua portione major, quàm centum, nec minor 50. scutorum annuorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis assignari, nisi jam priùs ante designationem Episcopi Vicario plus fuerit dari solitum.

Prættereà Monasteriis circa Parochias *pleno jure* incorporatas multa alia privilegia passim adscribunt DD. ita ut Abbati præsertim Monasterii exempti jurisdictionem quasi Episcopalem concedant, ex qua proinde possit instituere, & destituere, & resignationem beneficii (intelige si *Vicarius perpetuus* sit, temporalis enim non est propriè beneficium) recipere. Chok. *de Jurisd. Ord. in exempt. p. 4. q. 67. num. 3.* authoritatem in alienatione rerum Ecclesiasticarum interponere. Gloss. *in Clem. 1. in V. proprii. de Reb. Eccl. non al.* beneficia *pleno jure* sibi incorporata inter se, cùm expedierit, unire. Barb. *de Offic. Ep. p. 3. alleg. 66. num. 14.* visitare, cùm inde descendat potestas puniendi, privandi & destituendi: pulchrè Paris. *de Resig. d. benef. p. 1. lib. 6. q. 15.* Chok. *d. q. 67. num. 3.* censuras Ecclesiasticas ferre & promulgare, quis censuratio non est ordinis sed jurisdictionis Episcopalis, Chok. *p. 4. q. 20. num. 2.* arg. eorum, quæ docet Covar. *in Relect. c. alma mater. de Sent. excom. in 6. p. 1. §. 11. num. 1.*

Alii tamen distinguunt inter unionem, quæ fit *pleno jure*, & eam, quæ fit *plenissimo jure*. Unionem *pleno jure* appellant, quando ipsa quidem Ecclesia est subjecta Abbati cum jure percipiendi temporalia, & exponendi Vicarium, populus tamen subest Episcopo, quo casu ipsum quoque Vicarium in iis, quæ pertinent ad curam animarum, debere approbari ab Episcopo, ejusque jurisdictioni, & visitationi subesse ajunt juxta Trident. *sess. 25. de Reg. cap. 11.* juncta Bulla Greg. XV. *Inscrutabili*, ita tamen ut Vicarii, sive Regulares, sive sæculares ponantur ad arbitrium superiorum Regularium, non verò Episcopi, nisi quòd ab Episcopo curam animarum accipiant.

Plenissimo autem *jure* tunc unionem censent, quando 12
non tantùm Ecclesia, sed, & populus ab Episcopo exemptus est. Barb. *in c. quoniam 21. de Priv.* Abbas *in c. 2. §. in Eccles. eod. tit.* Et hoc casu nihil habet Episcopus in Parochia, sed Abbas juxta superiùs dicta *num. 11.* loco Episcopi Ordinarii censetur. Card. apud Barb. *in declar. pretermissis, super Trid. sess. 25. cap. 11.*

Interim in hac materia, in qua jura, & DD. valde intricatè, & confusè loquuntur, censeo plurimum tribuendum esse locorum consuetudini, concordiis, & contractibus, & particularibus præscriptionibus. Videatur Eras. ChoKiet. *de Jurisd. Ord. in exempt. p. 2. q. 50.* Pan. *in c. cum non liceat 12. de Præscript. n. 17.* Barbosa *de Offic. Episc. pag. 3. alleg. 72. n. 185. & alleg. 127. n. 18. alleg. 128. n. 14. & alleg. 129. n. 9.* Et ego in speciali Tractatu *de Privilegiis Monasteriorum privil. 46. n. 77. & seqq.*

Quia vero Parochiæ incorporatæ per Vicarios provideri solent, ubi ex prædictis supra colligitur, de his *§. seqq.* plura subjungemus.

---

§. II.

De Vicariis Parochialium Ecclesiarum.

S U M M A R I A.

13 *Vicarii alii perpetui, alii temporales.*
14 *Vicaria perpetua est beneficium.*
15 *Institutio authorizabilis potest præscriptione acquiri.*
16 *Quis possit erigere Vicarias.*
17 *Parochiales Ecclesiæ hodie prohibentur uniri, fallit, ut ibi.*
18 *Incorporatio antiqua præsumitur facta fuisse legitimè.*
19 *Notabiles declarationes Concil. Trid. sess. 7. cap. 7. circa potestatem Episcoporum instituendi Vicarios perpetuos in Ecclesiis unitis.*
20 *Cura animarum an sit penes Vicarium, vel exponentem?*

Vicarii dicuntur, qui beneficio alicui non tam suo,
quàm alieno nomine præsunt, iique vel perpetui 13
sunt, vel temporales.

Vicarii *perpetui* sunt, qui potissimum in Parochiis unitis, & incorporatis Monasteriis, Collegiis, Canonicatibus, aliisve piis locis per Episcopum instituuntur ad

præ-

14 præsentationem Prælati, vel Rectoris loci, cui talis parochia incorporata est. Ideoque etiam Vicaria perpetua beneficium propriè dictum est *c. postulasti.* 16. *de Resc.* & quæ in jure de beneficiis, & beneficiatis statuuntur, cæteris paribus etiam de Vicariis perpetuis accipienda sunt.

Vicarii *temporales* dicuntur, qui ad beneplacitum Prælatorum, & rectorum exponuntur, & deponuntur, unde, & Vicarii *ad nutum amovibiles* vocantur. Idque conceditur cum unione beneficii *pleno jure* quoad spiritualia, & temporalia, ubi Episcopus non habet institutionem, vel investituram, sed ad summum tantùm insti-
15 tutionem *authorizabilem*, sive approbationem quoad curam animatum juxta Trid. *sess.* 23. *c.* 15. *& sess.* 25. *de Reg. c.* 11. nisi, & hæc ipsa approbatio vi privilegii, aut præscriptionis ad inferiores Prælatos pertineat. Pan. *in c. cum non liceat, circa fin. de Præscript.* Barb. *de Offic. Episc. p.* 3. *alleg.* 72. *n.* 285. *& alleg.* 127.

16 Erectio Vicariarum de jure communi quidem, cum ex potestate uniendi dependeat, non tantùm S. Pontifici, sed etiam Episcopo competit, qui regulariter omnia beneficia suæ Diœcesis inter se, vel cum aliis piis locis ex rationabili causa, & saltem cum consensu Capituli unire potest. *c. sicut unire de Excess. Præl.* At in Conc. Tr. *sess.* 24. *de Ref. c.* 13. probibetur, ne parochiales Ecclesiæ
17 uniantur dignitatibus vel præbendis Ecclesiæ Cathedralis, aliisque beneficiis, vel piis locis. Nihilominus etiam stante hac constitutione Trid. facere potest Episcopus unionem Parochiarum pro fundatione, dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, Monasteriorum, & aliorum piorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, bonarumque artium cultum ut post Gonz. *gl.* 5. *§.* 7. *n.* 46. tradit. Barb. *in collect. ad d. loc. Trid.* & *Jur. Eccles. univers. l.* 3. *c.* 16. *n.* 34. non est tamen dubitandum, quin consuetudine, aut præscriptione jus antiquum retineri, aut recuperari potuerit, secundùm vulgata consuetudinis jura, quæ potestatem habet leges humanas, vel abrogandi, & antiquandi, vel abrogatas, & antiquas renovandi, aut novas inducendi, prout Interp. passim ad *Tit. de Consuetud.* exponunt, sed, & in beneficiis simplicibus, vel curam tantum *habitualem* habentibus nihil immutatum legitur. Barb. *an d. loc. Trid. n.* 10. sicut ergo olim, etsi *sæcularia*, potuit Episcopus loco Religioso unire. Joan. Hon. *ad tit. Decret. de Præb. p.* 4. *n.* 63. ita etiam hodie; execeptio enim Tridentini tantùm de *Parochialibus Ecclesiis* firmat regulam in aliis Ecclesiis non exceptis, neque plus censetur de jure veteri mutatum, quàm expressum, *l. præcipimus* 32. *§.* 6. *C. de Appellat.*

Potest etiam hic adnotari, si in antiquis litteris incor-
18 porationis non sit expressus consensus Capituli, non tamen invalida debeat reputari incorporatio, cum enim ex diuturnitate temporis omnia præsumantur legitimè acta fuisse. Dec. & alii *in l.* 1. *C. Qui admitti.* Bald. *vol.* 2. *Cons.* 511. rectè etiam boc casu præsumi potest vel consensum intervenisse, vel Episcopum consuetudine, aut præscriptione non requirendi consensum contra Capitulum munitum fuisse.

Portò in Concilio Trid. *sess.* 7. *de Ref. c.* 7. potestas da-
19 tur Episcopis, in beneficiis curatis, quæ Cathedralibus, vel aliis Ecclesiis, aut Monasteriis unita sunt ponendi Vicarium perpetuum, cum tertiæ partis fructuum, aut majoris, vel minoris arbitrio ipsorum Ordinariorum portionis assignatione. Verùm circa hanc Concil. constitutionem.

Not. I. Non posse Episcopum pro suo libitu, absque justa, & necessaria causa instituere Vicarium perpetuum, maximè si per talem institutionem turbaretur bonum pacis, & lites subnascerentur, aliàs dabitur appellatio Contra Episcopum. Garc. *de Benef. p.* 11. *capit.* 2. *num.* 8. Sanch. *in Præcepta Decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 29. *num.* 191.

Not. II. Ex vi hujus Decreti non posse Episcopum deputare Vicarium perpetuum, quando unio facta est per viam pacti, & concordiæ à Sed Apost. approbatæ cum clausula de serviendo beneficio per Vicarium ad nutum amovibilem, quia ex clausula derogatoria ind. Decreto Concilii posita non derogatur pactis, quæ specialem mentionem requirunt. Sanch. *d. l.*

Not. III. Quòd neque in illis locis possit institui Vicarius perpetuus, ubi ab Immemoriali tempore semper per Vicarium ad nutum amovibilem deserviri solitum fuit, ut iterum docet Sanchez *d. l.* & Barb. *in Collect. ad d. l. Trid. n.* 16.

Not. IV. Neque in Parochiis Monasteriis incorporatis, ubi per regularem deservitur, posse poni Vicarium perpetuum juxta Bullam Pii V. *Ad exequendum §.* 5. de qua etiam testatur Barb. *c. l. num.* 17. vel enim Episcopus deberet ibidem exponere pro Vicario perpetuo Clericum sæcularem, vel regularem? Non primum: quia privaret Monasterium suo jure, quod habet exponendi Religiosos; qualem potestatem privandi nec Concilium, nec alii Canones Episcopo tribuunt. Non secundùm: quia non potest Episcopus, nec debet Religiosum ab obedientia, & revocatione sui Prælati absolvere, quod etiam Papa non facit, *c. ad nostram* 5. *c. porrecta* 6. *de Confir. util.*

Not. V. Ne Episcopi abutantur potestate sua in assignanda congrua portione Vicariis, ideo post Concilium constitutum esse à Pio V. in d. Bulla: *Ad exequendum*, quod cujuscunque valoris, vel oneris parochia fuerit, non debeat Vicario pro sua portione major, quam centum, nec minor, quàm 50. scutorum annuorum summa computatis omnibus obventionibus assignari, nisi priùs Vicarius majorem portionem percipere solitus fuerit.

Quæri etiam posset, penes quem sit cura animarum 20
in unitis Ecclesiis, an penes Vicarium, vel Rectorem loci, cui unita est Ecclesia, vel penes utrunque? Resp. distinguendum esse inter Vicarios perpetuos, & temporales: nam in Vicarios perpetuos censetur tota cura translata, adeo ut Rector loci principalis in dictam curam se ingerere audiendo ibidem confessiones, aliave Sacramenta administrando, non possit. In Vicarium autem temporalem, seu ad nutum amovibilem tantummodo exercitium curæ transfertur, & ipsa cura adhuc penes Rectorem loci principalis residet, & si per eum exerceatur, intelligitur Vicarius tantisper revocatus. Barb. *de Parochop.* 1. *c.* 1. *n.* 53.

Alia de hac materia in *libel. de Privil. Monaster. privil.* 46.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus.

SUMMARIA.

1 *Jus Patronatus quid, & quis ejus effectus.*
2 *Patrono debetur honor præcedentiæ, & præsentationis, an etiam, ne sine venia in jus vocetur? & an institutio sine ejus præsentatione sit nulla?*
3 *Patronus an possit se, vel filios, aut consanguineos suos præsentare.*
4 *Patroni jus quale sit in Ecclesiis collegiatis.*
5 *Patrono incumbit onus inspectionis, non tamen datur ei vera jurisdictio, vel administratio bonorum Ecclesiæ aut eorum usurpatio, nisi ex constituto censu.*
6 *Patronus concurrit ad reparationem Ecclesiæ.*
7 *Patronus ad inopiam lapsus debet ab Ecclesia alimentari.*
8 *Jus Patronatus quotuplex.*
9 *Quid sit jus Patronatus Ecclesiasticum Laicale.*
10 *Jus Patronatus potest competere omni laico sine differentia sexus, vel ætatis, loco impuberum tamen præsentant tutores.*
11 *De differentiis Juris Patronatus Laicalis, & Ecclesiastici, & ibi de præsentatione accumulativa Patroni Laici, & tempore ad præsentandum.*
12 *Quid si jus Patronatus Laicum transferatur in Ecclesiam, aut vice versa?*
13 *Patronis ignorantibus, impeditis, discordantibus, excommunicatis an currat tempus, & an post lapsum tempus possit Episcopus præsentationem admittere.*

14 *Pa-*

14 *Patronus possessor an præsentare possit alio de proprietate contendente.*
15 *Jus Patronatus aliud hereditarium, aliud familiare, sive gentilitium, & ibi quòd plures hæredes succedant in stirpes.*
16 *Aliud activum, & aliud passivum.*
17 *Aliud personale, & aliud reale.*
18 *Jus Patronatus acquirit ex 3. causis.*
19 *An hæ causæ conjunctim requirantur?*
20 *Ad Juris Patronatus constitutionem an requiratur specialis consensus Episcopi, vel reservatio?*
21 *Jus Patronatus an, & quando acquiratur per ædificationem Ecclesiæ collapsæ?*
22 *Jus Patronatus qualiter ab uno in alium transferri possit.*
23 *Jus Patronatus spirituale est, & per se vendi nequit, benè tamen accessoriè.*
24 *Jus Patronatus an transeat in conductorem, vel creditorem?*
25 *An in fiscum?*
26 *Jus Patronatus qualiter amittatur.*
27 *Jus Patronatus extinctum an possit Episcopus de novo donare.*
28 *Advocati Ecclesiarum qui dicantur, & quommodo à Patronis differant.*

Quid sit Jus Patronatus, quis effectus, & quotuplex.

1 JUs Patronatus describit Barb. *Juris Ecclesiastici universi lib.3.c.12.n.1.* quòd sit *Jus honorificum, onerosum, & utile, alicui competens in Ecclesia, quam de ordinarii consensu construxit, fundavit, vel dotavit.* Breviùs definit Host. quòd, jus Patronatus sit *potestas præsentandi Clericum ad beneficium vacans.*

Porrò effectus omnes Juris Patronatus 2. vulgatis versiculis comprehenduntur.

Patrono debetur honos, onus, emolumentum.
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

2 *Honor* Patroni consistit in duobus, videlicet in præcedentia, & præsentatione: debetur enim Patrono honor processionis, c. *nobis fuit 25. h.t.* quo nomine non tantùm in Litaniis, & similibus processionibus præcedentia intelligitur, sed etiam quòd Patronus in Ecclesia patronata præcedentia dignioris sedis, & loci prioritate in suscipienda pace honorari debeat. Barb. *d. loco n. 215.* Quærit hoc loco Henr. Zoes. *h.t.n.27.* an, & ille honor debeatur Patrono, ne sine venia in jus vocetur? Et id solùm de honestate, non verò necessitate esse asserit, eo quòd constitutio civilis, & pœnalis, quæ tantùm de parentibus, & patronis libertorum loquitur, non sit ad alios diversos patronos trahenda.

Ex præsentatione illum honorem habet patronus, quòd beneficium Ecclesiasticum sine ipsius consensu, & voluntate conferri validè non possit, sed si de facto collatum sit alteri, quàm illi, quem patronus præsentavit Episcopo, collatio annullari, & beneficiatus amoveri debeat, c. *ex insinuatione 14. h.t.* Docet tamen Barb. *de Offic. & potest. Episc. 3. alleg. 72. n. 171. & d. tr. I. Eccl. univ. 3. c. 12. n. 164.* quod collatio beneficii absque Patroni præsentatione non sit ipso jure nulla, sed tantùm possit per Patronum contradicentem irritari, ad eum modum, quo electio potest irritari per capitularem non vocatum. Unde si Patronus intra tempus ad præsentandum à jure concessum non reclamaverit, manebit firma collatio.

3 Se ipsum Patronus, licet Clericus sit, ad beneficium præsentare non potest: debet enim esse distinctio inter dantem, & accipientem, *c. fin. de Inst.* nec convenit, ut aliquis se ingerat proprio motu Ecclesiasticæ prælationis officiis: poterit tamen supplicare Episcopo, ut sibi conferat beneficium, quia supplicando non dicitur aliquis ambitiosus, & se ingerere Ecclesiasticis officiis, cùm supplicatio respiciat gratiam, præsentatio autem justitiam. Panor. & Barb. ac DD. communiter *post tex. in c. per nostras 26. h.t.*

Filios tamen suos, vel alios consanguineos ex communiori sententia Patronus præsentare non prohibetur, ne sint deterioris conditionis, quàm alii, quorum parentes nullum beneficium Ecclesiæ præstiterunt, & hoc ipsum jus patronatus, quod in favorem fundatoris, ejusque hæredem introductum est, in eorundem odium retorqueatur, *c. quod ob gratiam de R. J. in 6.* Nec obest *c. consuluit hoc t.* ubi prohibetur, ne Patronus vel sibi ipsi reservet, vel filio concedat beneficium: quia intelligitur non de præsentatione, sed de ipsa concessione, sive usurpatione beneficii, quæ fit sine authoritate Episcopi, ut ex textu satis apparet. Item si plures sint Patroni ejusdem beneficii, illi unum ex se ipsis nominare possunt, & nominatus licet non possit se ipsum, sive solus, sive cum aliis præsentare, potest tamen præsentationem aliorum acceptare, & Ipse pro ea vice omninò à præsentatione cessare. Gl. *in d. c. consuluit h.t. in fin.* Azor. *Inst. Mor. p. 2. lib. 6. n. 21. q. 1. 2. & 3.* Facit *c. cùm in jure 33. de Elect.* Henr. Zoes. *h. t. n. 33. & seqq.*

Circa Monasteria, & Ecclesias collegiatas, in quibus per electionem assumitur prælatus, illud singulare est, non posse fundatorem, seu Patronum nominare, aut eligere prælatum, nisi Clericus sit, & in fundatione cum consensu Pontif. jus eligendi sibi expressè reservaverit, vel aliunde per consuetudinem, aut præscriptionem acquisiverit. Gl. & Barb. *n. 3. in c. nobis 25. h. t.* neque etiam ad electionem instituendam, sed primum post factam electionem ejus assensum requirendum esse, prout in nostris partibus usitatum est, ut Imperatoris, vel alterius Principis terræ post electionem perfectam consensos, sive *placet* requiratur *d. c. nobis h. t.* Idque non tantum procedit in casu, quo ab initio Ecclesia collegiata, vel conventualis fundata est, verùm etiam, si illa Ecclesia propriè patronata, in qua fundator hactenus potestatem præsentandi habuit; cum ipsius voluntate (vid. Laym. *in Th. mor. lib. 4. tr. 2. c. 13. n. 12.*) erigatur in Ecclesiam conventualem, ita ut hoc ipso Patronus jus patronatus non aliter retineat, quàm quoad alias præcedentias, & consensum electioni jam factæ præstandum. Prætereà iste consensus Patroni, & approbatio electionis juxta veriorem sententiam magis de honestate, & in obsequium, ac reverentiam Patroni, & quasi in recognitionem fundationis, quàm de necessitate requiritur, ad eum principaliter effectum, ut si Patronus rationabilem contradicendi causam habeat, eam proponere possit; de cætero autem, si nihil aliud obstet electioni, quò minus canonica censeri debeat, etiam invito Patrono valida, & per superiorem confirmanda erit: videtur enim inconveniens, ut confirmatio prælati potiùs à voluntate patroni præsertim Laici, quàm ab electione Capituli, vel judicio superioris dependeat: & frustra daretur libera electio Capitularibus, si res tota in arbitrio Patroni consisteret. Panor. *in c. sacrosancta de Elect. n. 6.* Barb. *d. l. n. 4.* 4

Onus incumbit Patronu in primis, ut curam, & inspectionem habeat, quoad Ecclesiam, & jus, bona ne malè alienentur, aut dilapidentur, & si quid in detrimentum Ecclesiæ fieri deprehenderit, nec beneficiatus honesta monitione desistere velit, id Episcopo denunciet *c. filiis 31. 16. quæst. 7.* utque Ecclesiam, cujus advocatus dicitur *in c. cùm autem h. t.* defendat: non tamen debet Patronus veram aliquam jurisdictionem in beneficiatum usurpare, neque visitationem instituere, vel in administrationem Sacramentorum se ingerere. Trid. *sess. 24. de Ref. cap. 3. in fine vers. Patroni*, nisi quòd de notabili negligentia circa divina beneficiatum admonere, & non secuta emendatione Episcopo denuntiare valeat. Laym. *d. c. 13. sub n. 9.* exactionem quoque rationum, vel administrationem Gazophylacii non ad Patronum, sed ad Prælatum, aut ministrum Eccles. spectare, notavit Laym. *eod. c. 13. n. 11.* Patrono autem Ecclesiastico concedi exactionum rationem saltem aliquam in genere, licet non ita rigidam. probat text. *in c. ex litteris 7. ubi* Panor. *n. 3.* Barb. *n. 12. h. t. c. sanè 15. q. 2.* 5

Item patroni, & advocati Ecclesiarum non possunt bona Ecclesiastica usurpare, intercipere, aut in suos usus convertere, nec beneficiatos in perceptionem fructuum & redituum impedire sub pœna excommunicationis, & amissionis juris patronatus ipso facto. Trid. *sess. 22. de Ref. c. 11. & sess. 25. de Ref. c. 9.* atque *in c. præterea 23. h. t.* sub pœna nullitatis contractus, & excommunicationis (saltem ferendæ sententiæ) prohibetur, ne advocati, vel patroni Ecclesiarum, aut vice domini jus advocatiæ, vel patronatus alienent, Ecclesias, aut subditos earum exactionibus onerent, nisi specialiter antiqui, & moderati reditus ipsis fuerint constituti, quod tempore fundationis cum consensu Episcopi fieri potest. Pan. *in d. c. præterea n. 4. & 5. c. gravis de Censibus.* 6

Dein-

7 Deinde etiam *Onus* incumbit Patrono, ut juxta constitutionem Conc. Trid. *sess.* 21. *de Ref. c.* 7. ad reparationem Ecclesiæ concurrat, qua de re tamen, & cui incumbat reparatio Ecclesiæ ruinosæ, dicitur inferiùs in *Tit. de Eccles. adif.* Vid. etiam Laym. *in Th. mar. lib.* 3. *tr.* 1. *c.* 13. *n.* 10.

8 *Emolumentum*, seu *utilitas* competens Patrono in eo consistit, quòd census, si quos in fundatione sibi reservavit, percipiat *d. c. præterea*, præsertim verò quòd egenus, & ad inopiam lapsus ab Ecclesia alimenta petere possit, si seipsum honesta professione alere nequeat; de his tamen, quæ supersunt deductis necessariis ad cultum divinum, & ministrorum sustentationem. Sed dices de superfluis tenetur Ecclesia omnes pauperes alere. *c. aurum* 12. *q.* 2. *c. quod autem* 23. *q.* 7. ergo hoc non est singulare Patroni privilegium. R. quòd Ecclesia debeat abundantiùs alere Patronum, quàm alios pauperes, habendo rationem status: item, & familiæ ejus domesticæ, uxoris, & liberorum, moderatè tamen non ad luxum, vel superbam ostentationem, Pauperibus quoque subvenit Ecclesia ex lege charitatis, Patrono ex lege justitiæ, qui, & propterea actionem contra Ecclesiam instituere potest, nisi ingratus fuerit. Text. Pan. & Barb. *in c. nobis* 25. *h. t. c. contra* 29. *quicunque* 16. *q.* 7. Barb. *l. Eccl. univ. lib.* 3. *c.* 12. *n.* 16. *& seqq.* Surd. *de Alim. t. t. q.* 54. *t.* 4. *q.* 14. *n.* 21. *& q.* 18. *n.* 18. *& tit.* 7. *q.* 32.

9 Dividitur Jus patronatus I. & principaliter in *Ecclesiasticum*, *& Laicale*. II. in *hæreditarium*, & *familiare*, sive *gentilitium*. III. in *activum*, *& passivum*. IV. in *reale*, *& personale*. Sed cum istæ divisiones propter speciales effectus, quos habent, plentorem indaginem desiderent, ideo de singulis agendum.

De singulis speciebus juris patronatus. De jure patronatus Ecclesiastica, & Laicali.

JUs patronatus *Ecclesiasticum* dicitur, quòd personæ Ecclesiesticæ nomine, & ratione Ecclesiæ, Capituli, & Monasterii competit, quamvis fortassis à Laico primitus originem habeat, qui deinde id Ecclesiæ concesserit; è contra *Laicale* dicitur, non tantùm, quòd Laico competit, sed etiam quod à Clerico ex patrimonio, & successione paterna, vel alio titulo sæculari obtinetur, Text. & Gloss. *in c. cùm dilectus*, 28. *§. nos igitur. h. t.*

10 Potest quoque jus patronatus competere non tantum masculo, sed etiam fœminæ *c. ult. de Concess. preb. c. ex litteris*, *h. t.* impuberi, illegitimo, teste Laym. *d. c.* 13. *n.* 10. ubi etiam notat, quòd præsentatio à minorenne facta sine curatore valeat, quia curator non datur minori ad spiritualia, & Ecclesiastica. *arg. c. fin. de Judic. in* 6. pro impubere verò tutor præsentat; volunt tamen, & hunc præsentare, vel præsentationi tutoris contradicere posse, si ultra septennium, & in annis discretionis constitutus sit, Vid. Garc. *de Benef. p.* 5. *c.* 9. *§.* 1. *n.* 186. *& seqq.* Zoes. *h. t. num.* 40.

11 Regulariter autem (excepto tempore ad præsentandum, ut infra dicemus) semper magis privilegiatum est jus patronatus Laicorum, quàm Ecclesiasticum, ut Laici habeant remunerationem aliquem fundationum suarum, & ad eas faciendas tantò magis invitentur. Ecclesiastici verò, cum raro jus patronatus habeant ex fundatione, sed frequentiùs ex privilegio, vel donatione, ideò tantùm favorem non mereri videntur. Differt igitur in effectu jus patronatus Laicale ab Ecclesiastico, I. Quòd Patronus *Laicus* non tantùm unum Clericum, sed plures simul, aut successivè ad idem beneficium præsentare possit. *Clem.* 2. *h. t.* non quidem *privativè*, scilicet revocando illum, quem primò præsentavit, sed *accumulativè*, ut Episcopo relinquatur electio, quemnam ex istis pluribus præsentatis instituere velit, sicut exponunt tex. *in c. cum autem* 24. *hoc tit.* Pan. *ibidem n.* 2. & Barb. *in Collect. n.* 2. *&* 6. cum aliis citatis. Quamvis textus circa denegationem *privationis* sit obscurior, & potius videatur in facto supponere, non fuisse à patrono primum præsentatum revocatum, quàm eam revocationem de jure denegare, & innuit Gloss. *in V. alium*. nisi forsan dicatur, primò præsentato respectu patroni tanquam in donatione sibi facta, & accepta esse jus quæsitum, quòd ipsi ab eodem auferri nequeat. At verò Patronus *Ecclesiasticus* unum tantùm præsentare potest, qui si fuerit idoneus, non attenta alia præsentatione instituendus erit *d. c.* 24. *& c. pastoralis* 29. *h. t.* Imò nec eo casu, quando Patronus Ecclesiasticus indignum præsentavit ad beneficium, alium præsentare permittitur, sed potiùs libera beneficii collatio pro ea vice Episcopo relinquitur. *c. inter dilectos* 31. *de Excess. Pral.* quod aliter se habet in patrono laico, qui uno indigno præsentato alium dignum per accumulationem præsentare potest, dummodo tempus præsentationis elapsum non sit. Pan. & Barb. *in d. c.* 24.

Quid autem, si primus præsentatus per laicum revera fuerit dignus, & iniquè, vel malitiosè per Episcopum rejectus, isque iniquitatem rejectionis coram superiore Episcopi per viam appellationis, vel querelæ demonstraverit, interim verò secundò præsentatus de facto institutus sit, anne prior ille rejectus, vel iste institutus beneficium habebit? Respondeo, hanc quæstionem esse decisam *in c. quod autem* 5. *& c. pastoralis* 29. *hoc t.* ubi Pontifices rescripserunt, meliorem esse possidentis conditionem, adeoque de facto institutum in beneficio relinquendum, ita tamen ut priori præsentato, & per malitiam rejecto Episcopus alia via providere teneatur. Sed quia paulò ante dictum est, licere Patrono laico plures accumulativè præsentare, inter quos electio detur Episcopo, videtur inconveniens, ut Episcopus utendo jure suo pœnam incurrat, ex qua teneatur primo præsentato non instituto aliunde providere: iden Pan. *in d. c. pastoralis n.* 9. explicat hanc decisionem tunc solùm procedere, quando Episcopus primum præsentatum *malitiosè*, ut textus loquitur, rejecit, videlicet sine causa rationabili denegando institutionem, & ita quasi incitando patronum ad secundi præsentationem. Secluso autem dolo non debere Episcopum propera institutione primi intervertere tempus patrono ad secundum, si voluerit, præsentandum, qui fortè priori dignior erit, docet Zoes. *h. t. n.* 50.

II. Differt Jus Patronatus Ecclesiasticum, & sæculare circa concursum, qui ad parochiales Ecclesias faciendus est juxta Trid. *sess.* 24. *de Ref. c.* 18. de quo superius in Tit. *de Prabendis n.* 72. dictum.

Tertia differentia est, quod si summus Pontifex sive per jus commune, sive per Regulas Cancellariæ, aut Concordata Germaniæ certa beneficia specialiter suæ collationi reservet, tales reservationes, & aliæ quæcunque non intelligantur de beneficiis, quæ pertinent ad jus patronatus Laicorum, dummodò Laici illud jus habeant ex fundatione, aut donatione, aut constructione, & non ex privilegio, vel præscriptione, quia Pontifex nunquam vult derogare juri patronatus Laicorum, ne à fundationibus absterreantur; & cum summus Pontifex id facere non soleat, Legatus ejus de latere facere non potest, ut sibi, & suæ liberæ collationi reservet beneficia ad jus patronatus Laicorum spectantia, secus autem est in jure patronatus Ecclesiastico, cui Pontifex, & Legatus per reservationes præjudicare solent, & possunt, quia ut supra notavimus, jus patronatus Ecclesiasticum tantum favorem in jure non habet, *c. cum dilectus* 28. *h. t.* Barb. *de Officio Epis. alleg.* 57. *n.* 26. cujus rei aliquoties superiùs in Tit. *de Prab.* meminimus, ut sub. *n.* 8. *&* 12.

Quarta demùm differentia est ratione temporis, quia Patronus Ecclesiasticus intra sex menses, Laicus autem intra quatuor præsentare debet, aliàs jus providendi Ecclesiæ ad Episcopum, sive eum, qui jus instituendi habet, libere devolvetur, *c. unico §. finali h. t. in* 6. Ratio fortassis hujus differentiæ est, cum patronus Ecclesiasticus in eo gravetur, quod unum tantùm præsentare possit ad beneficium, in eo saltem televetur, ut plus temporis habeat ad inquirendum de Clerico aliquo digno, & habili.

Si Jus Patronatus à Laico fuerit donatum Ecclesiæ, 12
vel Monasterio, efficietur prorsus Ecclesiasticum, & tempus præsentandi sex mensium erit, *d. c. unica h. t. in* 6. Sicut, & vice versa, si jus patronatus casu aliquo v. g. cum universitate bonorum ab Ecclesia transferatur in Laicum, efficietur Laicale, quia mutata persona mutatur & conditio rei *arg. d. c. unico* Zoes. *h. t. n.* 52.

Quid autem si ex pluribus patronis unus tantùm suum jus donaverit Ecclesiæ, & ite jus patronatus incipiat esse mixtum, scilicet partim Ecclesiasticum, partim

tim

tim Laicale? Resp. Tali casu etiam Laicis patronis competiturum tempus sex mensium; eò quod in una eademque re, quæ commodè dividi non potest, servanda sit paritas, & magis dignum trahat ad se minus dignum, in odiosis autem Patronus Ecclesiasticus non trahit ad se Laicum, qui non debet suo jure sine culpa, aut causa privari; unde si ejusdem Ecclesiæ duo sint Patroni, unus Ecclesiasticus, alter sæcularis, iique diversos præsentarint, licebit patrono sæculari variare, & per accumulationem alium præsentare. Notanter dico, *si diversos præsentarit:* nam si ab initio uterque patronus præsentaverit unum eundemque, hic præsentatus necessariò instituendus erit, licet Laicus velit deinde alium insuper præsentare, quia cum jam semel obtinuerit amborum patronorum, & sic majora vota, plus juris habeat ad beneficium, quàm ille, qui ab uno tantùm patrono præsentatus est. Sicut generaliter, quando plures patroni præsentant, ille præfertur, qui plurium patronorum calculum obtinuit. Videatur Pan, *in c. cum autem* 24. *n.* 4. *& in c. cum propter* 27. *in fine h.t.* Utrùm verò, si v. g. ex tribus patronis, fundatore, constructore, donatore, unus alteri succedat, eidem sit duplex votum, unum jure proprio, alterum jure successionis? vid. Henric. Zoes. *h.t.n.* 54.

13 Cæterùm tempus ad præsentandum non currit Patrono ignoranti, vel aliàs legitimè impedito, imò in dubio potiùs ignorantia Patroni, quàm scientia præsumitur, nisi concurrentes circumstantiæ, ut vicinitas loci, patroni præsentia aliud suadeant *Arg. c. quia diversitatem* 5. *de Concess. præbendæ*, Pan. *in c. cum propter* 27. *h. t. n.* 3. Zoes. *h. t. n.* 57.

Ad evitandam omnem disputationem usu apud nos receptum est, ut de beneficio vacante certioretur, & ad præsentandum per Episcopum moneatur. Notat quoque Barb. *de Offic. Ep. p.* 3. *alleg.* 72. *n.* 170. quòd Episcopus etiam post lapsum tempus valeat præsentationem patroni ex gratia admittere, *arg. c.* 12. *in v. liceat.* quòd importat arbitrium, *& c. litteras. de Suppl. neglig. Prælat.* nisi inciderit in pœnam privationis pro ea vice propter præsentationem indigni, fueritque patronus Ecclesiasticus; secus etiam hoc casu, si fuerit Laicus, qui potest accumulare. Vide eundem Barb. *Jur. Eccl. univ. d. lib.* 3. *c.* 12. *n.* 174. *& seqq. tex. in c. cum vos de Offic. Jud. Ord.* Laym. *in Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *n.* 7.

Excommunicato non currere tempus, nisi fuerit in mora petendi absolutionem, tradit Zoes. *h. t. n.* 58. *arg. c. un. §.* 1. *Ne sede vac. in* 6. atque 536. quòd Episcopus possit quidem instituere præsentatum à Patrono Laico excommunicato, licet non teneatur; non verò à Clerico, cui competit ratione beneficii; à quo per excommunicationem suspenditur, & allegat decis. Rotæ. 526. *in antiq.*

Si Patroni inter se discordes fuerint, & de ipso jure patronatus inter se litigent, currit eis tempus, & nisi aliquis ex eis intra legitimum tempus præsentarit, devolutio fiet ad Episcopum, salvo tamen jure illius, qui evicerit, ut proxima vacatione liberè præsentare possit.

14 Quòd si unus ex litigantibus in possessione præsentandi fuerit, & alter de proprietate contendat, possessor præsentabit, nec removebitur præsentatus, licet de proprietate contendens victoriam in judicio obtinuerit, dummodo possessor in bona fide fuerit, ad quem sicut in aliis, ita etiam hic perceptio fructuum spectat, est autem præsentatio fructus juris patronatus. *c. consultationibus* 19. *h. t. c. querelam* 24. *de Elect. cum olim.* 7. *de causa possess.*

Et hoc quidem ita in dubio procedit, si præsentatio facta sit ante litem actualiter in judicio introductam, an verò idem dicendum lite mota, seu pendente? discordant DD. & non pauci volunt, præsentationem tunc recipiendam, sed institutionem usque post finem litis differendam, propter text. *in c. ex litteris* 7. *h. t.* Ibi: *antequam de jure patronatus controversia esset suborta.* Estque ratio, quia lite pendente non possunt fructus percipi, qui re evicta non possunt restitui: ita post Gloss. *fin. in eodem c.* 7. tenet Pan. *ib. n.* 8. *&* 9. Barb. *in Collect. ad d. c. ex litteris n.* 11. & inclinat Zoes. *h. t. n.* 43. Verùm mihi semper probabilius visum est, etiam lite pendente patronum cum effectu præsentare posse, dummodo ipsa possessio in dubium non vocetur, quæ est sententia Joan. & aliorum, de quibus attestatur Gloss. *in d. c. ex litteris.* Innoc. *ib. in v. suborta.* Rochi de Curte *h. t. v. competens alicui nu.* 43. & Host. *in summa h. t. v. quid juris*, & communem dicit Pan. *d. l. n.* 6. poteritque textus *in d. c. ex litteris*, & argumentum à contrario inde deductum congruè explicari de casu, quo non constat, aliquem in pacifica possessione existere, sicut in facti specie illius *c. ex litteris.* Miles probabiliter tunc prima vice præsentavit. Ratio autem est hujus sententiæ, tum quia pendente lite non debet aliquis privari commodo suæ possessionis, *c.* 2. *Ut lite pendente nihil innovetur*, tum, quia in præsentando solùm attenditur possessio juris patronatus, *c. cum Ecclesia de causa possessionis, & proprietatis, & c. ex litteris c. consultationibus h. t.* Non obstat, quòd evincenti in petitorio fructus restitui debeant, *L. certum* 22. *C. de Rei vind.* nam in primis hæc regula fallit in iis fructibus, qui ex sua natura sunt tales, ut salvo usu possessionis (qui per litem auferri non debet) restitui nequeant: ut ecce pendente lite super matrimonio potest maritus eo uti, *c.* 1. *&* 2. *Ut lite pendente*, quomodo hi fructus restituentur? Deinde rectè etiam respondet Joannes Hon. *h. t. n.* 58. cum Ripa *in c. cum Ecclesia n.* 93. *in fin. de Caus. poss. & propr.* quòd circa fructum juris patronatus deficiat ratio æquitatis, ex qua restitui debeat, cum juspatronatus non producat alios fructus, quos possessor lucretur, neque possessor præsentans inde locupletior evadat cum jactura proprietarii, sicut contingit in aliis fructibus naturalibus, neque huic per se aliquid decedat, sive ipse possessor præsentet salvo jure suo post evictionem: quòd si petitor contra personam præsentati rationabilem oppositionem haberet, crederem ante institutionem coram Episcopo audiendum.

Adde, si præsentatio lite pendente est valida, & admittenda ex sententia Innoc. Jo. Hon. *dd. LL.* Joan. And. *in c. quoniam sub n.* 7. *h. t.* ergo acquiritur jus præsentato ad petendam, & obtinendam institutionem, eamque omnino suadet æquitatis ratio, cum diuturnior vacatio Ecclesiis præsertim parochialibus dispendiosa sit, *cap. quàm sit* 6. *de Elect. in* 6. *c.* 36. *de Præb. in* 6. quæ plerumque per provisores interim datos non æquè benè, ac per proprios Parochos, & Pastores administrantur. Acquiritur autem possessio per unum actum præsentationis cum bona fide, & secuta institutione. Joan. Hon. *d. loco n.* 59.

De aliis divisionibus Juris Patronatus.

SEcunda divisio Juris Patronatus est, quòd aliud sit *hæreditarium*, & aliud *familiare*, sive *gentilitium*: *hæreditarium* dicitur, quod transit ad quoscunque hæredes etiam extraneos, *gentilitium* verò, in quo tantùm succedunt illi, qui sunt de sanguine, & familia fundatoris. 15
Res tota ex prima constitutione juris patronatus dependet: est enim in potestate fundatoris, an velit omnino remittere jus patronatus, vel sibi tantùm, aut familiæ suæ, vel etiam aliis hæredibus reservare. In dubio autem quando non satis constat de mente fundatoris, omne jus patronatus censetur hæreditarium, neque tantùm ad filios, vel consanguineos patroni, sed alios etiam hæredes extraneos devolvetur, nisi in fundatione, aut per consuetudinem, vel præscriptionem aliud introductum sit. Licet verò, ut jam dictum, in dubio jus patronatus præsumatur hæreditarium, eliditur tamen hæc præsumptio, & censetur potiùs gentilitium, si in constitutione juris patronatus semper fuerit habita mentio familiæ, & descendentium, nunquam verò hæreditariæ qualitatis, quamvis expressè hæredes extranei exclusi non sint. Barb. *Juris Eccl. univ. d. lib.* 3. *c.* 12. *n.* 20. *&* 23. ubi etiam notat, quòd ad probandum jus patronatus gentilitium leviores probationes sufficiant. Videtur addi posse ratio, quòd qualitas gentilitia magis sit pro libertate Ecclesiæ, cum faciliùs extinguatur, quàm hæreditas.

Præterea de istis hæredibus, & successoribus in jure patronatus notandum est, quòd eorum successio non fiat in capita, sed in *stirpes*, ita ut si ex pluribus patronis unus mortuus fuerit, relictis e. g. tribus hæredibus, isti tres hæredes unum tantum votum in præsentando habeant, adeoque inter se convenire debeant, ut in unum clericum præsentandum conspirent, vel ut alternis vicibus singuli eorum præsentent. *Clem.* 2. *h. t.* Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell.*

sell. Gloss. 45. *n.*61. Steph. Grat. *Discep. forens. c.* 521. *per tot.* Lambert. *de Jure patron. lib.*1. *p.*2. *q.*1. *princ. art.*25. *& art.*27. *& lib.*2. *p.*3. *q.*4. *princ. art.*7. *Tertia* divisio est,
16 quòd jus patronatus aliud sit *activum*, aliud *passivum*. *Activum est*, ex quo Patronus potest præsentare ad beneficium, *passivum* verò, per quod certi de aliqua familia (si idonei adsint) exclusis extraneis debent ad beneficium præsentari, & admitti. Barb. *d. l. n.*52.
17 *Quarta* demum divisio est in *jus patronatus personale, & reale*. *Personale* dicitur, quod cohæret personæ fundatoris, vel hæredis ejus, ubicunque locorum is existat: *reale*, verò, quòd cohæret loco, scilicet castro, prædio, & similibus bonis, idque transit non tantùm ad hæredem fundatoris, sed etiam ad quemcunque possessorem talis boni, de quo reali jure patronatus in sequentibus sæpiùs mentio fiet.

Quibus modis acquiratur, & amittatur Jus Patronatus.

18 TRes sunt causæ, ex quibus originaliter jus patronatus descendit, nimirum Ecclesiæ *fundatia, constructia, & dotatia*, reliqui verò patronatus omnes, & facultates, sive privilegia quæcunque nominandi, vel præsentandi clericos per Conc. Trid. penitus abrogantur, exceptis tamen illis privilegiis, quæ magnis principibus, vel in favorem studiorum generalium, & universitatum concessa sunt. Insuper in eodem Concilio requiritur, ut is, qui jus patronatus prætendit, ejus titulum, scilicet fundationem, aut donationem per authentica documenta probare debeat, nisi possit tanti temporis probare possessionem, quæ hominum memoriam excedat. Imò si prætendentes jus patronatus sint personæ potentes, in quibus id jus plerumque ex usurpatione, & injusta occupatione quæsitum præsumitur, exactior probatio ad ostendendum verum titulum requiritur, nec immemorialitas temporis eis aliter suffragatur, quàm si præter reliqua ad eandem immemorialitatem probandam necessaria præsentationes per 50. annos continuatas, quæ omnes sortitæ sunt effectum, authenticis scripturis demonstrare valeant. Videatur textus Concilii *sess.*14. *de Ref. cap.*12. *& sess.*25. *de Ref. c.*9.
19 Quærunt autem hoc loco Doctores, an copulativè requiratur, ut unus idemque Ecclesiam, & fundaverit (id est, fundum dederit) & construxerit, & dotaverit? Ratio dubitandi est, quia in *d. c.*12. Trid. dicitur, neminem posse obtinere jus patronatus, nisi qui Ecclesiam fundaverit, & construxerit. Nihilominus probabilius, & magis communiter receptum est, fundationem, constructionem, & dotationem non copulativè, sed disjunctivè requiri, adeoque dari jus patronatus etiam illi, qui tantum fundaverit, vel tantùm construxerit, aut tantùm dotaverit. Ita enim *in c.*3. *h. t.* solius fundatoris & *in c. nobis* 25. tantùm constructionis mentio fit, ac idem Concilium Trident. *dicta c.*9. non copulativè loquitur, ex quo posteriori Concilii textu *illud caput* 12. rectè declarari potest, Barb. *in eod. c.*12. *n.*86. Abb. *in cap. ad audientiam. n.* 10. *& t*1. *de Eccl. adif.* Host. *in summa h. t. n.*2. Rota *p.*1. *decis.* 498. *& p.*4. *decis.* 565. *n.*2. Quare si alius fundaverit, alius dotaverit, alius construxerit, tres ejusdem Ecclesiæ diversi patroni erunt, & nisi inter se ultrò convenire velint, ut alternis vicibus unus tantùm semper ex illis præsentet, omnes tres ad præsentandum admitti debent, & si diversos præsentent, prævalebit is, qui majora vota habuerit, vel si paria sint, quem Episcopus elegerit. *c. quoniam.* 3. *ubi* Panormitan. *h. t.* Laym. *in Th. Mor. lib.*4. *tract.* 2. *c.* 13. *nu.* 8. *q.*8. Item qui in Ecclesia Altare, vel Capellaniam erexerit, ipsam Ecclesiam (ejusque nomine Rectorem, vel Prælatum) habere debet pro compatrona, tanquam quæ fundum erigendo altari dederit, nisi consuetudine, vel præscriptione aliud introductum sit. Panorm. *in c.*3. *de Eccles. adif.* Præterea notabile est, quod docet idem Pan. *in c.*1. *h. t. n.* 6. Laym. *d. c.* 13. *n.* 2. si plures ad fundi collationem, vel ædificationem, aut dotationem concurrant, ita ut singuli suas portiones sive æquales, sive inæquales conferant, omnes isti patroni futuri sint.
20 Illud etiam quæritur, an ad acquisitionem juris patronatus specialis consensus Episcopi, ac reservatio fundatoris requiratur? Affirmat Henr. Zoes. *h. t. n.* 4. quòd alias censeatur Ecclesiam potiùs libere fundasse, & allegat Covar. *in Relect. cap. possessor. p.*2. *§.* 10. *num.*3. *in fine*, qui tamen non de quolibet patrono in inferiori beneficio, sed de volente præsentare Prælatum ad Ecclesiam collegiatam loquitur, Sed video alios magis communiter sentire, pręter consensum Episcopi ordinario jure ad fundationem Ecclesiæ necessarium, non requiri specialem consensum ad constitutionem juris patronatus, nec expressam reservationem fundatoris, dummodo contrarium actum non sit, & illud jus remissum; eo quòd SS. Canones per se hoc privilegium remuneratorium conferant Fundatori. Barb. *in Collect. ad c. nobis.* 25. *h. t. num.*2. *& Jur. Eccles. univ. lib.*3. *cap.*12. *num.*32. Garc. *de Benef. p.*7. *cap.*9. *nu.* 62. qui plures allegant.

Porrò non tantùm ex prima constructione, vel dotatione Ecclesiæ acquiritur jus patronatus, sed etiam, si post primam dotem constitutam novi fundi, vel pecunia adjiciatur, verùm hoc non indifferenter de quavis nova reparatione, vel dotatione accipiendum est, sed de ea, quæ Ecclesiam quasi *ad non esse* produxit, ut si priùs tota, vel majori parte collapsa sit, ut reparata nova consecratione indigeat, vel si prior dos injuria belli, aut quacunque ex causa interierit. Cæterùm autem, qui Ecclesiam tantùm à ruina præservat, vel in modica sua parte reparat, aut etiam extante prima dote novas divitias adjicit, talis pius benefactor tantùm, non verò patronus dicetur. Patronus enim propriè dicitur quasi pater Ecclesiæ, à quo habet, ut sit Ecclesia, sicut in Jure Civili patronus dicitur, qui servum antea quasi pro non homine habitum, liberum, & aliis hominibus in jure parem fecit. Garcias *de Beneficiis. par.*5. *c.* 9. *n.* 50. 21

Hactenus de prima, & originali constitutione juris patronatus locuti sumus, quod ex tribus tantùm enumeratis causis nascatur. At verò ubi jam semel per unum ex fundatione, dotatione, aut constructione constitutum est, ad alium deinceps variis modis transferri potest, non tantùm per successionem hæreditariam, de qua in præcedentibus, sed etiam per contractum, & actus inter vivos, circa quam proinde juris patronatus translationem

Nota I. Quòd patronus laicus liberè jus suum Ecclesię, vel Monasterio donare possit, etiam irrequisito consensu Episcopi. *c. unica h. t. in* 6. per quod corrigitur *cap. nullus.* 17. *X. eod. t.* ubi prohibetur, ne Laicus aliquid Ecclesiastici juris irrequisito Episcopo præsumat Monasteriis donare, quod vero ulterius *in dicto c. unica.* additur, per talem donationem juri Episcopi, qui eidem assensum non præbuerit, non derogari, intelligendum est juxta *c. pastoralis.* 7. *de Donationibus*, ubi deciditur, si Episcopus cum consensu patroni viris Religiosis aliquam Ecclesiam simpliciter concedat, per talem concessionem non tantùm jus patronatus, sed etiam, quidquid priùs Episcopus de fructibus illius Ecclesiæ percipere potuit, transferri.

Nota II. Quòd Laicus alteri Laico jus patronatus sine consensu Episcopi, vel ejusdem Vicarii ad hoc speciale mandatum habentis donare non possit, ut ex decisionibus Rotę Romanę, & aliis Doctoribus tradit Barb. *sæpè cit. cap.*12. *n.*246. nisi alter Laicus fuerit compatronus: tunc enim, sicut ad evitandam discordiam pręsentationis valet inter plures patronos compositio, ut unus tantùm alternis vicibus pręsentet, *Clem.*2. *h. tit.* ita ex eadem ratione valere debet, si unus ex patronis in favorem alterius suo juri planè renunciare velit. Piasec. *in Praxi Episc.* 2. *cap.* 2. *cap.* 5. *num.*9. Zerola. *p.* 1. *v. jus patronatus §.* 2. 22

Nota III. Quòd Ecclesia, vel Monasterium obtinens jus patronatus non possit alteri Ecclesiæ, minus Laico illud jus donare sine ordinariis solemnitatibus ad alienationem rei immobilis Ecclesiasticę requisitis, quia jura ista Incorporalia rebus immobilibus accenseri *in tit. de Rebus Ecclesiæ non alienandis.* demonstratur.

Nota IV. Jus Patronatus, quamvis Laicis competat, nihilominus esse spirituale, aut spirituali annexum, & tantùm personam Laici ex privilegio Pontificis ad id esse habilitatam, adeoque sine vitio simonię vendere, aut pro aliqua temporali permutari non posse, *cap. de jure* 16. *h. t.* Quòd si aliquis defacto jus patronatus vendere, aut alio contractu improbato in alium transferre pręsumat, pręter excommunicationem à judice Ecclesiastico infligendam jus patronatus ipso facto amittet, & Ecclesia deinceps libera erit. Trid. *dict. sess.* 25. *de Ref. c.* 9. pretium 23

quoque

quoque neque venditori, qui jus patronatus vendere non potuit, neque emptori, qui in mala fide fuit, simoniacè emendo, sed potius Ecclesiæ, quæ per talem injuriam passa est, applicandum erit. Panorm. *in d. cap. 16. hoc t. n. 3.*

Not. V. Licet jus patronatus tanquam spirituale per se vendi nequeat, si tamen *reale* sit, & annexum certis bonis, vel etiam certæ hæreditati rectè accessoriæ cum ipsis bonis aut hæreditate vendi poterit, dummodo in venditione de jure patronatus specialis conventio, & propter id argumentum pretii non interveniat. Textus, & Interpretes *in c. ex litteris 7. & c. cùm seculum 13. h. t.* Suar. *de Simonia c. 28. n. 13.* Bonac. *de Simonia quæst. 4. §. 11. n. 5.* ut autem jus patronatus censeatur *reale*, debet vel ex prima fundatione, vel succedente consuetudine, aut præscriptione ita esse introductum, ut semper possessoribus talium bonorum præsentatio competat, aliàs *personale* censebitur.

Not. VI. Etiam per contractum feudalem, & Emphyteuticum universitate bonorum, vel certis bonis transferri jus patronatus, ita ut ille, cui bona jus patronatus annexum habentia in feudum, vel Emphyteusim data sunt, liberè præsentare valeat. Item si maritus hujusmodi bona in dotem acceperit, non uxor ejus, sed ipse præsentationem exercebit, cum ad maritum dominium civile dotis, & jus percipiendi fructus ex re dotali pertineat. Menoch. *Cons. 66. n. 27.* Mantic. *dec. 140. n. 2. & 13.* Barb. *sæpè dict. c. 12. n. 223.*

24 Verùm quid de conductore talium bonorum dicendum sit, multùm dissentiunt Doctores propter textum ambiguum *in cap. ex litteris 7. h. tit.* ubi quidem dicitur, jus patronatus transire in illum, qui bona *ad firmam* tenet, sed non satis explicatur, qualis contractus per ista verba denotetur: quidam enim de locatione, quidam de contractu emphyteutico accipiunt, Omnium probabilior videtur sententia Panorm. *in eod. cap. 7. num. 5.* Barth. *l. 1. Cod. de Jure Emphyteutico n. 8.* Menoch. *Consil. 90.* esse distinctionem faciendam inter locationem ad longum tempus v. g. 10. annorum, & inter locationem, & quę fit ad brevius tempus: in locatione ad tempus longum dicendum est, jus patronatus transire in conductorem, non autem in locatione ad tempus modicum: tum quia conductor ad longum tempus habeatur pro possessore. *L. 1. §. 3. ff. de Superficiebus*, & fructus regulariter omnes, qui specialiter excepti non sunt, percipere potest, quòd secus est in conductore modici temporis, qui non omnes omninò, sed ordinarios tantùm fructus percipiendi jus habet: tum quia, quòd illa verba *ad firmam*, sint termini linguæ Anglicanæ, ex quibus locatio ad tempus longum intelligitur, ut notat Barth. *d. loco*, & colligitur ex *eodem c. 6. & ex c. 2. de Locato* item ex *c. querelam. Ne Prælati vices suas &c.* quæ *Capitula* Anglis scripta sunt, ut ex eorum inscriptione patet. Non desunt tamen, qui de locatione modici tempori idem volunt, nisi jus præsentandi fuerit nominatim exceptum, cum Barb. *in Collect. ad c. ex litteris 7. h. t. sub n. 4. vers. ego tamen*, quo, & inclinat Zoes. *h. t. n. 39.* Putarem quod prȩter consuetudinem loci etiam attendendum, sub qua amplitudine fiat locatio, an scilicet tantummodo circa fructus ordinarios naturales conveniatur, vel an generaliter exercitium quoque aliorum jurisdictionalium bonis adhærentium pacto includatur, iisque conductor uti soleat, ut hoc casu idem de jure patronatus probabiliter censeri possit.

Nota VII. Quòd creditor, cui castrum, aut bonum aliquod habens annexum jus patronatus oppignoratum est, non possit uti illo jure patronatus, prout satis apertè deciditur *in c. cum* Barth. 18. *de Sent. & re jud.* Ratio redditur à Pan. *in d. c. 7. h. t. n. 5.* & Gloss. *in eodem c. 18. in fin.* quod creditor fructus pignoris aliter percipere non possit, quàm si velit debitori restituere, vel in sortem imputare; atqui, si præsentare Clericum, isque institueretur, perciperet fructum, quem nec debitori restituere, nec in sortem imputare valeret.

25 Nota *ultimò*, quod publicatis, & confiscatis bonis patroni propter delictum ejus, etiam jus patronatus ad fiscum deferatur, ex generali regula, quòd cum universitate bonorum etiam transeat jus patronatus, sed hoc si jus patronatus *reale* sit, si verò sit *personale*, extinguetur, & Ecclesia libera erit: si gentilitium, devolutio fiet ad alios consanguineos, quibus delinquens in jure quæsito per suum factum præjudicare non potuit, juxta regulam, quod factum cuique suum, non alteri nocere debet. Barb. *d. loco n. 238.* Zoes. *eod. t. num. 26.* argumento etiam possunt esse, quæ de fideicommisso familiæ non confiscando docet Fachin. *l. 4. Controv. c. 16.* & de Feudo *lib. 7. c. 20.*

Amittitur jus patronatus. I. Si Ecclesia totaliter de- 26
struatur, vel etiam dos, & reditus penitus deficiant, neque reviviscet, licet Ecclesia rursus ædificetur, vel dotetur, nisi prior patronus ad reædificandum, vel dotandum concurrerit. II. Si patiatur patronus ex Ecclesia patronata fieri collegiatam, aut Monasterium, ex tunc enim cessabit præsentatio, & succedet electio, sine consensu autem patroni status Ecclesiæ in ejus præjudicium mutari non potest. Mager. *de Avoc. c. 10. n. 372.* Guttier. *in c. nobis 25. h. t. n. 26.* Laym. *in Theol. Mor. lib. 4. tract. 2. c. 13. n. 12.* III. deficientibus successoribus, aut extincta familia patroni. IV. per non usum amittitur jus patronatus, si duabus saltem vicibus patronus non præsentarit: cum enim jus patronatus sit Ecclesiæ aliquo modo grave, & Episcoporum liberæ collationi præjudicans, econtra verò libertas Ecclesiæ favorabilis, ideo per omissionem duarum præsentationum censetur patronus suo juri renuntiasse, sicut aliàs privilegia onerosa per non usum, aut usum contrarium facilè amittuntur. Barb. *d. loco n. 227.* V. si patronus beneficiatum, vel quemcunque Clericum Ecclesiæ patronatæ sine causa necessariæ defensionis occiderit, aut mutilarit, *c. in quibusdam §. sacri & c. ad aures de Pœnis.* VI. Si patronus fiat hæreticus, apostata, vel schismaticus, ut notatur *in c. final. de Hæreticis.* VII. Si patronus se ingesserit in perceptione fructuum beneficii, eos, vel in proprio usu convertendo, vel saltem impediendo, ne ad beneficiatum, aut eum, ad quem de jure spectant, perveniant. Trid. *sess. 22. de Ref. c. 11.* VIII. denique ex eodem Conc. Trid. *sess. 25. de Ref. c. 9.* statutum est, ut qui jus patronatus sibi competens contra canonicas sanctiones per venditionem, vel alium titulum, & modum prohibitum in alium trãsferre prȩsumpserit, ipso facto eodẽ privatus existat.

Utrum autem Episcopus valeat jus patronatus extin- 27
ctum de novo alicui Laico donare? videatur Riccius *in Praxi aurea p. 3. Ref. 483.* ubi negativè respondet, quia certis tantùm modis constituitur jus patronatus, & Episcopus non potest Ecclesiis novum onus imponere. Non videtur tamen negandum, quin aliquando Laico præsertim minorenni, si v. g. ob non usum amiserit jus patronatus, possit Episcopus per restitutionem in integrum succurrere.

Sed, & istud notabile est, quod privatio juris patronatus ex causa delicti, tunc effectum habeat, si sententia judicis declaratoria secuta fuerit, tametsi delictum notorium extiterit. Mager. *de Advocatia c. 15. n. 875.* Gail. *2. Obs. 51. n. 6.* Grammar. *dec. 15. n. 8.*

Demum pro coronide breviter adnotandum, quòd li- 28
cet, ut superius dictum, patrono incumbat onus defendendi Ecclesiam, & propterea etiam Advocatus Ecclesiæ noncupetur *c. præterea 4. & c. cum autem 24. h. tit.* in quibusdam tamen Europæ partibus, præsertim verò in Germania, & Gallia receptum sit, ut quidam Advocati Ecclesiæ (germanicè Bugtherren) dicantur, qui patroni non sunt, neque ex hoc solo titulo Clericum ad Ecclesiam vacantem præsentare possunt, nisi aliunde, puta ex fundationa &c. id ipsis competat. Munus igitur istorum advocatorum præcipuum est, Ecclesias contra violentas oppressiones defendere, curam, & inspectionem habere, ne bona Ecclesiæ malè dissipentur, aut alienentur: & propterea etiam illis nonnunquam cum consensu Episcopi constituitur jus aliquam partem de fructibus Ecclesiarum, sive deinde in pecunia, frumento, vel avena percipiendi, *d. c. præterea*. Advocatia, & ea suprema competit imperatori in suo imperio respectu omnium Ecclesiarum tam majorum, quàm minorum. Item principibus, & Dominis Territoriorum circa Ecclesias in suis territoriis sitas. Inferiores quoque Domini uti Comites, Barones, & Nobiles hoc jus advocatiæ, vel ex antiqua consuetudine, vel speciali contractu cum certis Ecclesiis authoritate superioris initio sibi vindicant.

Amittitur jus advocantiæ iis fermè modis, quibus jus patronatus, & in specie (quod nostris temporibus per sæpe contingit) si advocatus eo jure abutatur ultra censum sibi constitutum usurpando bona, fructus, aut jura Ec-
clesiæ,

d.ſſx, in perſonas Eccleſiaſticas dominando, &c. *c. in quibuſdam 12. de Pœnis c. generali de Elect. in 6.* junct. conſtit. Frideric. *in tit. de Pace tenend. & ejus viol. §. publici latrones verſ. quicunque advocatiam* Gall. *lib. 2. obſ. 54. n. 6.* De iſto jure advocatiæ videri poterit inſignis tractatus, quem edidit Martinus Magerus, ubi tem totam latiſſimè exponit, *& c. 14. & c. 16.* prolixiùs tractat, qualiter ob non præſtitam defenſionem jus advocatiæ, & exigendi cenſum amittatur.

TITULUS XXXIX.

De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus.

SUMMARIA.

1 *Epiſcopi poteſtas dividitur in legem Juriſdictionis, & legem Diœceſanam.*
2 *Cenſus quid, & quotuplex?*
3 *Cenſus novus poſt fundationem non poteſt imponi Eccleſiis, exceptis quibuſdam caſibus.*
4 *Seminarium Clericorum in quaibet Eccleſia Cathedrali erigendum.*
5 *Cathedraticum quid?*
6 *Solidi olim quantum valor?*
7 *Cathedraticum an poſſit tolli præſcriptione?*
8 *Charitativum ſubſidium quid?*
9 *Charitativi ſubſidii exigendi cauſa.*
10 *Charitativum ſubſidium tantum exigitur ab Eccleſiaſticis beneficiatis.*
11 *Non ſolutum exigitur a ſucceſſore beneficii.*
12 *Monaſteria ſunt libera a lege Diœceſana, & charitativo ſubſidio, niſi exigatur a propriis Prælatis Ordinis.*
13 *Procuratio quid?*
14 *Procuratio poteſt ſolvi, vel in natura, vel in pecunia.*
15 *Valet conſuetudo non ſolvendi procurationem.*
16 *Præter procurationem non debet quid aliud à Viſitatoribus accipi, vel exigi.*
17 *Procuratio non debetur à ſingulis Eccleſiis eadem die viſitatis?*
18 *Portio Canonica quid, & quotuplex?*
19 *Qualiter exigatur de relictis ad pias cauſas, & decimationibus.*

1 IN *cap. dilectus 18. de Offic. ord.* poteſtas Epiſc. dividitur in *legem Juriſdictionis*, & *legem Diœceſanam*: atque ut Gloſſ. ibid. interpretatur *lex Juriſdictionis* illa dicitur, quæ conſiſtit *in dando*, ut in datione ordinum, beneficiorum, diſpenſationum, ſententiarum judicialium & ſimilium; lex verò *Diœceſana* eſt, quæ conſiſtit *in recipiendo*, & verſatur circa illas exactiones, quas Epiſcopus a ſuis Diœceſanis petere, recipereque poteſt.

Porrò de iis, quæ ad *legem Juriſdictionis* pertinent, frequenter hactenus in diverſis titulis diximus, hic autem principaliter de *lege Diœceſana*, ſive exactionibus Epiſcopalibus, quæ beneficiis Eccleſiaſticis (de quibus hactenus egimus, & in *hoc Libro in Tit. XII. ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione*, aut oneris additione conferenda diximus) imponuntur, tractatur. Habent iſtæ exactiones ſua ſpecialia nomina in Jure; alia enim exactio dicitur *Cenſus*, alia *Cathedraticum*, alia *Charitativum ſubſidium*, & alia denique *portio canonica*.

De Cenſibus.

2 VAria cenſuum acceptio traditur a Cov. *lib. 3. Ref. c. 7. n. 1.* magis propria eſt illa, quòd cenſus accipiatur pro æſtimatione bonorum in ordine ad tributa ſolvenda juxta *l. 4. ff. de Cenſibus*; vel etiam pro ipſo tributo annuo proportionaliter ſecundùm cujuſque facultates Principi ſolvendo ducta Ethimologia à *cenſendo*, ſive æſtimando patrimonio. In noſtro propoſito cenſus nihil eſt aliud, quã penſio quædam de proventibus certæ Eccleſiæ, aut beneficii Epiſcopo, vel aliis de ejuſdem authoritate perſolvẽda.

Dividitur iſte cenſus, quòd alius ſit *antiquus*, alius *novus* uterque perpetuus, vel temporalis. *Antiquus cenſus* dicitur, qui fuit impoſitus tempore fundationis vel conſecrationis Eccleſiæ: nam eo tempore non tantùm Epiſcopus ſibi ipſi, ſed etiam patronis, & fundatoribus, vel aliis quibuſcunque ex juſta cauſa, & cum conſenſu Fundatorum moderatum cenſum conſtituere poteſt, per textum & *DD. in c. præterea 23. de I. patron. in c. quanto 16. h. t.*

3 Econtra *novus cenſus* dicitur, quem Epiſcopus primùm poſt fundationem, aut conſecrationem Eccleſiis imponit. De quo novo cenſu exſtat prohibitio Concilii Lateranenſis *in c. prohibemus 7. h. t.* ne ab Epiſcopis, Abbatibus, vel aliis Prælatis novi cenſus imponantur Eccleſiis, nec veteres augeantur, nec partem redituum ſuis uſibus Prælati appropriare præſumant. Si quis verò aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur. Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. Gloſſa 5. n. 40.*

Verùm ab hac Concilii conſtitut. quidam caſus excipiunt, in quibus permittitur Epiſcopus novum cenſum imponere. I. ſi Epiſcopus Eccleſiam aliquam à ſua Juriſdictione eximat (quod ex juſta cauſa, & cum conſenſu ſui Capituli facere poteſt, tradit Barb. *de Offic. Epiſ. p. 3. alleg. 89. n. 5.*) in recognitionem beneficii cenſum, & penſionem aliquam ſibi poterit reſervare, prout id ipſum facit Pontifex, quando Eccleſiam à Juriſdictione Epiſcopi eximit: vel in ſuam protectionem ſpecialiter recipit, *c. cum venerabilis 21. h. t.* non tamen poteſt Epiſcopus inponere cenſum Eccleſiæ, quam de manibus Laicorum eripuit, *c. Eccleſiis 9. h. t.* II. dicta prohibitio Lateran. ex communi Doctorum ſententia tantùm intelligitur de cenſibus perpetuis, quibus ipſum beneficium perpetuò gravatur, non verò de cenſibus temporalibus, qui ad certos annos, vel etiam ad vitam beneficiati imponuntur, dummodò juſta cauſa interveniat. Cauſas autem juſtas conſtituendi novum cenſum, vel penſionem recenſet Barb. *d. p. 3. alleg. 85.* videlicet ſi ex duobus litigãtibus de beneficio unus cedere velit reſervata ſibi aliqua penſione beneficii, *c. de cætero 5. de Tranſact. c. niſi eſſent de Præbendis.* ſi beneficiatus decrepitus, aut ægrotus renunciet beneficio, penſione tamen alimentorum loco ſibi data. Item pro ſuſtentatione pauperum ſcholarium, vel aliorum indigentium, aut pro neceſſitate Eccleſiæ Cathedralis ad ejus reparationem, aut ad ſolvenda debita pro Epiſcopatu contracta. Illud addendum, quòd impoſitio penſionis debeat fieri beneficio vacante; nam eo impleto ſine concenſu beneficiati fieri non poſſet, utpotè cui per collationem jus ad omnes reditus beneficii quæſitum eſt. Requirit etiam Barb. *d. Alleg. 85.* ad impoſitionem penſionis conſenſum Capituli, & alias ſolemnitates ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum requiſitas, ſed collato *nu. 2. 5. & 6.* intelligendus videtur de cenſu, ſeu penſione perpetua.

III. In Concil. Trid. *ſeſſ. 23. de Ref. 4. mat. c.* 18. ſtatutum eſt, ut in qualibet Eccleſia Cathedrali Seminarium aliquod erigatur, in quo juvenes, & adoleſcentes educentur, ac in diſciplina Eccleſiaſtica inſtruantur, ad quod Seminarium conſervandum, & ſuſtentandum poterit Epiſcopus omnibus quibuſcunq; beneficiis ſuæ Diœceſis certam penſionem perpetuò imponere, ut *in eod. c.* 18. latius habetur. 4

de Cathedratico.

5 CAthedraticum ſunt de Jure *duo ſolidi*, qui de reditibus Eccleſiarum Epiſcopo annuatim perſolvendi ſunt in recognitionem, & honorem Cathedræ Epiſcopalis, *c. conquerente 16. & ibi* Gloſſa *de Officio Ordinarii.* Quia verò inter DD. non ſatis convenit, quantæ æſtimationis fuerit olim *ſolidus*, quem alii pro aureo, alii pro minori valore accipiunt, ut videre eſt apud Cov. *de Veter. Coll. ut. numiſm. c. 3. in princ. n. 3. & §. 2. n. 5. & Var. reſol. lib. 1. cap. 51. nu. 3.* ideò hac in re ad conſuetudinem locorum attendendum erit, de qua alicubi major, alicubi minor pecunia ſolvitur. Gloſſ. *in d. c. conquerente V. duos ſolidos.* Alio nomine hæc exactio etiam *Synodaticicum* appellatur, eò quòd in Synodo Epiſcopali, quæ ſingulis annis ex præſcripto juris celebrari deberet, ab omnibus Parochis, & beneficiatis ad Synodum vocatis danda ſit, hodie verò in multis locis uſu præceptum eſt, ut in Synodo Decanali, ſive Conventibus, & Capitulis ab Archipreſbyteris, &

Decanis ruralibus celebratis ipsis Decanis loco Episcopi cathedraticum persolvatur ad Episcopum deferendum.

6 Hanc exactionem duorum solidorum Episcopus ab omnibus Ecclesiis, & beneficiatis suæ Diœcesis exigere potest, exceptis Monasteriis, quæ regulariter sunt *à lege Diœcesana* exempta, nisi specialiter in uno, vel altero casu expressè in jure inclusa reperiantur, *c. inter cætera* 8. *causa* 10. *q.* 3. *c. cum pro utilitate* 34 *causa* 16. *qu.* 1. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 86. *in fin.* & *alleg.* 87. *n.* 45.

7 Utrum autem præscriptione, aut consuetudine Cathedraticum abrogari possit dubitatur? non pauci sentiunt præscribi contra Cathedraticum haud posse, nisi præscriptione immemorialis temporis, quæ juxta *c. super quibusdam. de V. S.* vim privilegii obtinet, citati apud Barb. *dict. allegat.* 86. *n.* 44. Ratio eorum, quantùm conjicio, est, quod cum Cathedraticum debeatur in signum obedientiæ, & reverentiæ Episcopo, sicut contra hæc præscribi non potest, ita nec contra Cathedraticum, sicut nec contra Procurationem debitam ex visitatione. *c. cùm non liceat.* 12. & *c. cùm ex Offic.* 16. *X. de Præscript.* sed quia de præscriptione Cathedratici non habetur textus expressus, aliunde autem constat, contra jura Episcopalia, imo contra subjectionem dari præscriptionem *c. de quarta. c. auditis. de Præscript. c. cum Persona. Eod. in* 6. Barb. *de Offic. Episc. p.* 3. *alleg.* 128. *n.* 3. & 8. ideo vix erraret, qui contrarium teneret, potestque dari differentia inter Procurationem, & Cathedraticum, quod illa, stante jure visitandi, veniat ex naturali consequentia, ne Episcopus absterreatur à visitatione, si debeat eam suis sumptibus peragere, cùm dignus sit operarius alimentis &c. Obediensia autem, & reverentia possit exhiberi etiam præter solutionem Cathedratici, sicut in Monasteriis ad Cathedraticum non obligatis exemplum est, imo etiam contra procurationem consuetudinem admittit Conc. Trid. *sess.* 24. *de Reform. c.* 3.

De Charitativo subsidio.

8 *Charitativum subsidium* est quædam exactio extraordinaria propter manifestam, & rationabilem causam cum charitate à subditis postulata *c. cum Apostolus* 6. *h. t.* ubi *prohibemus*, inquit Concil. Lateran. *ne Episcopi subditos suos exactionibus gravare præsumant, sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, & rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare.* Verùm hæc non ita accipienda sunt, quasi subditi pro suo arbitrio dare, vel denegare possint charitativum subsidium, sed licet ab initio cum charitate, & demonstrata necessitate peti debeat, ex post facto tamen propter eandem necessitatem ex naturali æquitate, & lege charitatis subditi omninò ad præstandum auxilium obligantur, & compelli possent, Innocent. & Panorm. *in d. c.* 6. *h. t.*

9 Porro justæ causæ petendi charitativum subsidium, quamvis omnes, & singulæ in specie exprimi facile non possint, & Textus tantùm in genere manifestæ, & rationabilis causæ mentionem faciat, ideo potissimùm in judicio, & conscientia superioris positum sit, quænam talis rationabilis causa censeri debeat teste Pan. *in eod. c.* 6. *n.* 4. Interim tamen unam, vel alteram causam præ cæteris rationabilem referunt DD. ita in primis à sacra Congreg. declaratum ajunt, novum Episcopum posse propter expensas in sui electione, confirmatione, & consecratione factas charitativum subsidium exigere. Præterea etiam sufficiens causa petendi subsidium communiter reputatur, si Episcopus magnas fecit expensas pro causis, & negotiis totius Diœcesis. Item si debita pro bono communi Ecclesiæ, vel totius Episcopatus contracta dissolvere velit, si ex causa publica, & necessaria ad Papam, vel Imperatorem, aut Concil. generale, vel provinciale venire debeat Bar. *de Episc. alleg.* 87. *n.* 26. & *seq.* Tamb. *de Jure Abbat tom.* 3. *disp.* 10.

10 Exigitur autem charitativum subsidium tantùm à personis Ecclesiasticis ratione suorum beneficiorum, non verò à Laicis, ut ex *dict. c. conquerente. de offic. Ordinarii* & *c.* 6. & 7. *causa* 19. *quæst.* 3. satis colligitur: licet enim *in dicto c. cùm Apostolus h. t.* generaliter dicatur charitativum subsidium à subditis exigi posse, tamen in propria significatione Diœcesani laici non dicuntur subditi Episcopi, quamvis quoad aliqua spiritualia forum Ecclesiasticum recognoscere debeant, ut rectè not. Gloss. *in clem.* 1. *V. subditos de Foro compt.* Quòd si Episcopus non tantùm sit Episcopus, sed etiam Princeps, & Dominus territorii, tunc qualiter ab illis utpote veris suis subditis, steuras, & collectas exigere valeat nostri fori non est, hic & nunc examinare, sed ex generalibus Imperii legibus, & usibus petendum. Notanter dixi, à personis Ecclesiasticis ratione beneficiorum postulari charitativum subsidium; unde Clerici, qui beneficium non habent, licet habeant ampla bona patrimonialia, vel qui beneficium quidem habent, sed ita tenue, ut præter congruam sustentationem nihil ipsis de fructibus supersit, ad charitativum subsidium non obligantur, ut Navar. resolvit *de censibus, consilio* 5. & Barbosa *dicto loco n.* 48. & *sequentibus.* Ubi etiam istud notabile ponit, quòd charitativum subsidium ab
Antecessore in beneficio petitum, & non solutum possit à 11
successore tanquam onus reale, & tributum beneficio impositum exigi *arg. l. Imperatores.* 7. *ff. de Publ.* & *vectig.*

De Monasteriis dubitatur, utrùm ad charitativum sub- 12
sidium Episcopo teneantur? Pro affirmativa facit *text. in clem.* 1. *de Excessibus Prælat.* ubi dicitur, quòd Episcopi in exigendo charitatis subsidio ab exemptis, eorumque subditis excedunt nimium contra eos, Unde à contrario videtur inferri posse, quòd moderatum subsidium a Monasteriis, & quibuscunque exemptis peti valeat. Nihilominùs sententia negativa communiter recepta est, quia charitativum subsidium est de lege diœcesana, à qua omnia Monasteria sunt exempta, nisi quatenus expressè repetiuntur comprehensa. *cap. ne pro cujuslibet.* 16. *quæst.* 1. Non obstat textus *dict. clement.* 1. quia intelligitur de exemptis, & Monasteriis habentibus parochias, vel Ecclesias sæculares, quæ exemptæ non sunt, ex quibus antequam ad Monasteria pervenerunt jura Episcopalia persolvi consueverit, ita ut de illis etiam imposterum persolvi debeant *clemens.* 1. *h. t.* nam res transit cum suo onere, & Monasterio exempto non hoc ipso omnes ejus parochiæ exemptæ sunt *c. ex ore* 17. *de Privil.* Barb. *dict. loc. n.* 45. Tambur. *de Jure Abbatum tom.* 3. *disp.* 30. *qu.* 4. *n.* 3.

De Abbatibus, & aliis Prælatis Episcopo inferioribus docet idem Tambur. *dict. lib. quæst.* 2. & 3. quòd saltem ex consuetudine, & privilegio possint à Monasteriis, & Ecclesiis sibi subjectis de causis (quas *dict. q.* 3. enumerat) charitativum subsidium exigere.

De Procurationibus.

Procuratio non est aliud, quàm victus, & sustentatio de- 13
bita Episcopo pro eo tempore, quo Ecclesias suæ Diœcesis visitat danda ex reditibus Ecclesiarum visitatarum. Licet enim Episcopi aliàs largos reditus habeant, ut tamen eò faciliùs permoveantur ad visitationem Ecclesiarum, jure constitutum est, ut tempore visitationis suis sumptibus parcere, & procurationes ab ipsis Ecclesiis exigere possint, cum suis stipendiis nemo facilè militare soleat. Circa istas procurationes primitus quidem constitutum fuit ab Innoc. IV. & Greg. X. *in c.* 1. & 2. *h. t. in* 6. ne
eorum nomine pecunia Visitatori paretur, sed victualia 14
ipsa in natura subministrarentur, id tamen postea Bonif. VIII. *in c.* 3. *eod. t.* correxit, & liberum reliquit visitatis,
utrùm pecuniam, vel victualia dare velint, quod ipsum 15
deinde Concil. Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 3. confirmavit, adjiciens, ut in iis locis, & in quibus consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à visitatoribus accipiantur, sed omnia gratis fiant, id omninò observetur. Illud quoque, quod jam prius in *dict. c.* 1. &
2. *h. t. in* 6. prohibitum erat, repetiit Concil. Trid. ne vide- 16
licet extra procurationem pecunia, aut munus quodcunque etiam oblatum à visitatoribus, vel iis, quos secum habent, accipiatur, consuetudine quacunque etiam immemoriali non obstante, adeò ut præter dupli restitutionem intra mensem faciendam; aliis insuper pœnis à Synodo Provinciali determinandis accipiens puniri debeat.

Præterea advertit Panormit. *in c. procurationes.* 23. *h. tit. nu.* 4. quòd Episcopus sive Visitator non possit computare expensas, quas fecit in emendis, aut conducendis equis, minùs æstimare equos mortuos, vestes detritas &c. cùm tantùm victualia, aut eorum æstimationem accipere de jure permittatur, exceptionem aliqui ponunt apud Barb. *in Collect. ad d. c.* 3. *Trid. n.* 30. Prælato a

S. Pon-

S. Pontifice delegato, cui aiunt, deberi mercedes equorum, & viaticum, ut possit de loco ad locum commodè transire.

17 Cæterùm omnes quidem Ecclesiæ visitatæ (exceptis Oratoriis privatis, *c. fin. h. t.* & ex quorundam sententia Hospitalibus, & similibus piis locis. Zerola *in Praxi Episcoporum p. 2. V. Visitatio §. 6. dub. 7.*) Procurationem visitanti præstare debent, ita ut nec Monasteria ab ea exempta sint, juxta Trident. *dict. cap. 3. & cap. sopita 14. h. t.* Si tamen Episcopus una die plures Ecclesias visitaverit, non à singulis singulas procurationes exigere, sed una tantùm procuratione pro illa die sufficiente contentus esse debet, atque ad eam præstandam non una sola Ecclesia gravari, sed etiam reliquæ illa dia visitatæ juxta proportionem suorum redituum concurrere debent per tex. & *DD. in c. cum instantia 17. §. sanè & c. procurationes 23. X. h. t. c. 3. eod. Titulo 6.*

De Portione Canonica.

18 CAnonica Portio est pars aliqua, ex institutione Canonum de iis, quæ in testamento relinquuntur Ecclesiis, item de decimis ad Ecclesias parochiales spectantibus Episcopo debetur: introducta ast ista portio ex similitudine legitimæ patri, vel patrono debitæ in bonis filii vel liberti, ad instar cujus visum fuit in bonis Ecclesiarum certam portionem Episcopo adscribere, qui quasi pater, & patronus spiritualis earum habetur, & nomine Episcopi hoc loco intelligit Barb. *de Offic. Ep. pag. 3. alleg. 68. n. 8.* etiam inferiores Prælatos respectu Ecclesiarum sibi subjectarum, in quibus habent quasi Episcopalem jurisdictioné.

Est autem hæc portio canonica duplex, ut jam insinuatum, una quæ debetur ex relictis Ecclesiæ, altera quæ debetur ex decimationibus, & cum regulariter de jure *quarta pars* relictorum, vel decimarum assignata sit Episcopo (nisi consuetudo tertiam partem introduxerit) ideò aliis nominibus hæc portio canonica dividitur *in quartam re-*
19 *lictorum ad pias causas*, & quartam *decimarum*. Quod attinet ad *quartam relictorum ad pias causas* sciendum est, quòd de jure ex omnibus illis, quæ testator indeterminatè, sive Ecclesiæ Cathedrali, sive inferioribus quibuscunque Ecclesiis, aut Monasteriis legavit, Episcopus quartam, vel tertiam partem juxta locorum consuetudinem exigere possit. *c. requisivisti 15. de Test.* Notanter autem dixi quæ testator *indeterminatè* Ecclesiis reliquit, nam si expressè, & in specie pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, pro Anniversario, septimo, vigesimo, ac trigesimo die, sive aliàs, ad perpetuum cultum divinum testator legasset, ex talibus relictis portio canonica non deberetur, *c. fin. de Test.* Præterea ex textibus citatis communiter notant DD. quòd portio canonica tantùm exigatur ab Ecclesiis, & locis piis, non autem ex iis, quæ personis relinquuntur, ut ideò non debeatur portio canonica Episcopalis, si testator aliquid reliquerit pauperibus in genere, vel specie.

De quarta decimationum similiter sciendum est, quod tempore primitivæ Ecclesiæ, quando Episcopi erant pauperes, statutum fuerit, ut de oblationibus Ecclesiis factis sumerent medietatem *cap. antiquis 10. q. 1.* & procedente tempore tertiam partem ex fructibus parochialium Ecclesiarum cum onere tamen fabricæ, id est, ut illas Ecclesias ruinosas reficere tenerentur *c. unico 10. q. 3.* de jure recentiori tantùm Episcopis concessum est, ut de decimis ad Ecclesias parochiales pertinentibus, & non de aliis reditibus quartam partem sine onere tamen fabricæ accipere possint, *cap. conquerente de Officio Ordinarii c. de quarta. de Præscript.* plura de istis quartis tractare prætermittimus, quia jam passim in desuetudinem abierunt, & quadraginta annorum spatio posse contra portionem præscribi, text. est *in c. de quarta X. de præscript.* & plura videri poterunt apud Barb. *de Offic. Episc. p. 3. alleg. 86.*

De portione canonica debita Parocho, quando quis extra Ecclesiam parochialem eligit sepulturam, dictum est supra *in Tit. de Sepultura n. 13.* & text. sunt *in c. 4. c. cum super c. certificari c. in nostra de Sepult. clem. dudum eod. t.*

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

SI Judæi loca, in quibus Domino sacrificia offerebant divinis habebant supplicationibus consecrata, multò magis apud Christianos id fieri convenit, ubi non jam illa umbratilia sacrificia, & præfigurativa tantùm nostrorum, sed verum sacrificium immaculati corporis, & sanguinis Domini offertur.

---

§. I.

SUMMARIA.

1 *A quo, & quibus ceremoniis Ecclesiæ sint consecrandæ.*
2 *Quibus casibus destructa, & reædificata Ecclesia consecrari debeant?*
3 *Specialis etiam consecratio Altaribus impendenda est.*
4 *Quid sit altare portatile, & fixum; Et quibus casibus exsecrentur?*
5 *Calices, & patena specialiter consecrari, & ex certa materia perfici debent.*
6 *An consecratio repetenda, si calici nova deauratio accedat?*
7 *Quare campanæ Ecclesiarum benedicantur, & chrismate inungantur?*
8 *Vestes, & paramenta ad missam spectantia etiam benedicuntur.*
9 *Quibus de jure, vel ex privilegio competat consecrare, & benedicere Altaria, Calices &c.*

COnsecratio Ecclesiarum facienda est ab Episcopo per 1
signationem, & unctionem parietum cum oleo sacro, & alias ceremonias præscriptas in Pontificali Romano, atque ante prandium inter missarum solemnia, de decentia (non de necessitate) in die festivo *c. sua 2. h. t. c. omnes Basilicæ 3. de Consec. Dist. 1.* Ugol. *de Potestat. Episc. c. 28.* Non tamen priùs consecranda est Ecclesia, quàm competens illi dos pro ejus consecratione assignetur, *c. 1. q. 2. cap. cum sicut causa 8. h. t.*

Quamvis autem Ecclesia non debeat sæpiùs, quàm semel consecrari, si tamen dubitetur, an Ecclesia quandoque fuerit consecrata, præsumitur contra Ecclesiam, quòd nonnunquam fuerit consecrata, nisi probationes aliquæ pro ea adferri possint, ac proinde denuò consecranda erit: non enim intelligitur iteratum, quod nescitur factum, *c. Ecclesia 18. c. solemnitates Dist. de Consec. 16. 1.* Probatur autem consecratio per scripturam, vel cruces, quæ dum consecratur Ecclesia, in parietibus fiunt, vel per unum testem, aut famam aliaque indicia, quando enim de nullius præjudicio agitur imperfectæ probationes admittuntur. Pan. *in c. proposuisti 4. h. t. n. 6.*

Item si Ecclesia tota, vel ex majori parte corruerit, & reædificata sit, denuò consecranda erit, licet ex eadem materia reædificetur, quia nihilominus nova Ecclesia est, etsi prior forma interiit. Gloss. *in c. de fabrica 24. de Consecr. dist. 1.* Nec distinguendum erit, an casu corruerit Ecclesia, an ea mente tigna pro majori parte deposita, ut reponerentur. Barb. *de Offic. Episc. p. 2. alleg. 27. n. 25.* Sed opponitur difficilis textus *in l. inter stipulantem 83. §. 5. ff. de V. O. & in l. qui res 98. §. 8. ff. de Solut.* ubi navis ea mente dissoluta, ut ex iisdem tabulis reficeretur, dicitur manere eadem navis. Existimo responderi posse, in casu *dd. legum* manere eandem navim quantum ad retentionem dominii, & possessionis civilis ejus, qui per dissolutionem navim non voluit interire: non autem quoad eandem numero formam, (quod tamen in consecratione consideratur) si enim per refectionem ex eadem materia eadem numero forma conservaretur, malè dixisset J. C. in *cc. LL.* quòd navis sine intentione refectionis dissoluta, & postea mutato consilio ex iisdem tabulis refecta alia navis fit, sola enim intentio dissolventis, tanquam composito prorsus extrinseca, nihil mutat in substantialibus compositi.

Deinde si magis moraliter loqui velimus, quidquid sit de navi, certè in ædificio major est mutatio, neque ut eædem tabulæ, ita idem cœmentum, iidem lapides, & lateres eò, quo priùs fuerunt modo, accommodantur; ut, vel hinc J. C. *in d. l. 83. §. 5.* responderit, aliter de domo usq; ad aream deposita, quàm de navi sentiendum, ut illa etiam intentione reficiendi dissoluta, & reædificata alia sit, nisi pauca tantùm tigna dissoluta, & reposita sint.

Non tamen erit opus nova consecratione, si subsistentibus parietibus tectum corruat, quòd rursus de novo imponatur; vel si successivè etiam ipsi parietes per partes reficiantur, & ita quidem, ut paulatim nec pars de primo ædificio supersit (dummodo simul, & semel totius, vel majoris partis Ecclesiæ ruina, & reparatio non fiat) quia his casibus moraliter non censetur nova, sed prior Ecclesia, ut ex mente omnium DD. tradit Barb. *in c. ligneis 6. h. t.* & pulchris exemplis confirmat Jurisconf. *in l. proponebatur 76. ff. de Judic.* quod scilicet eadem legio militum, idem populus censeatur, licet prioribus hominibus emortuis novi substituantur; idem corpus hominis, licet ex novis accedentibus alimentis in dies reficiatur, specie enim extrinseca non mutata res eadem existimatur. Quòd si Ecclesia amplificetur, & nova pars addatur, quæ tamen minor sit parte vetere remanente, etiam tunc nova consecratione opus non erit, quia major pars trahit ad se minorem, *c. quod in dubii 3. hoc tit.* Gloss. margin. *in d. c. de fabrica de Consecr. dist. 1. in v. innovata*, ubi addit sufficere, si aqua exorcizata, seu benedicta nova pars accedens aspergatur.

Porrò specialis consecratio Ecclesiæ, specialis altaribus intra eam existentibus impenditur; unde confracto altari non tota Ecclesia, sed ipsum tantùm altare; & vicissim execrata Ecclesia propter ruinam, & reparationem majoris partis ipsa quidam Ecclesia, non autem altare (si salvum, & integrum permanserit) consecrari debebit.

3 Altaria autem omnia sive portatilia, sive fixa in superiore parte lapidea esse debent, ad designandum, quod sacerdotes sacrificantes annuntient mortem Domini, *1. ad Cor. 11.* qui sepulchro lapideo tumulatus est. Sepulchrum quoque, & sigillum omnia altaria habere debent, id est, cavitatem aliquam, in qua reliquiæ Sanctorum recludantur, *c. placuit 26. de Consec. dist. 1.* Syl. *V. altare q. 1.* text. *in d. c. placuit*, & quod usus optimus legum interpres, *l. cum de interpretatione ff. de LL.* constanter in Ecclesia observatus demonstrat, & introitus missæ indi-
4 cat per illa verba *quorum reliquiæ hic sunt &c.* Altare quidem portatile est tabula lapidea, quæ de loco ad locum portari potest. Altare autem fixum tam ex superiori mensa lapidea, quàm ex inferiori structura, seu pede firmo essentialiter constituitur. Quare si in altari fixo superior tabula a suo pede amota fuerit, exsecratum censebitur.

5 Cæterùm tam in Altari portatili, quàm fixo, si notabilis fractura acciderit, si reliquiæ extractæ sint, imò si sepulchrum tantùm, vel sigillum apertum, aut lapis claudens sepulchrum fractus fuerit, execratur, & ad novam consecrationem deveniendum erit. Innoc. & communiter alii *in c. 1. h. t.* Circa fracturas tamen plurimùm tribuendum esse arbitrio Episcopi, an, & quando execratio facta dici debeat, monet Barb. *de Offic. Episc. alleg. 27. n. 3. 6.* & tantam esse debere, ut in nulla parte altaris calix cum patena, moraliter rem æstimando, consistere possit, ut si per medium altare transeat, ubi calix ponitur, habetur apud Laym. *in Theol. mor. de Sacrif. miss. c. 6. n. 4.* ubi *n. 5. v. id vero*, reprobat sententiam illorum, qui putant amitti consecrationem, si cornua altaris, in quibus unctio facta est, frangantur; eò quòd consecratio intelligatur inesse toti altari, & in majori ejus parte capiendo calici idonea conservari. Addit etiam Barb. ex decis. Sacr. Congr. Rit. lapidem altaris profanatum posse licitè vendi, & applicari ad usum profanum honestum, & decentem.

6 Præter Ecclesias, & altaria, etiam calices, & patenæ consecrari debent, ut notum. Et hæc vasa debent esse de auro, vel argento, vel ob causam paupertatis ex stanno, non autem de ære, aut aurichalco, aut cupro, quia hæc propter æruginem vomitum provocant, nec ex ligno, ne sanguis per poros imbibatur, nec ex vitro, vel cristallo propter fragilitatem, nec de lapide propter ineptitudinem *c. vasa &c. ut calix de Consecr. dist. 1.* Sylv. *V. Calix n. 1.* amittunt autem suam consecrationem per amissionem formæ, & usus, sicut contingit per notabilem fractionem, licèt illa fractio de facili iterum refici possit, ut si pes calicis à cuppa abrumpatur. Si tamen calix torneatilis foret, separatio pedis à cuppa, quæ fit absque fractione, non nocere: nam forma ex prima destinatione operis mutabilis non censetur interire per mutationem reparabilem, & aliam rationem adfert Laym. *c. l. nu. 6.* quod scilicet in calice torneatili cuppa per se sola consecretur.

Non etiam amitti consecrationem calicis per aliquos ictus à fabro inflictos, nisi per fractionem forma mutetur, ex Armilla *in V. Calix n. 4.* & Azor. *Instit. moral. p. 1. lib. 10. c. 28. q. 5.* refert Barb. *d. alleg. 27. n. 39.* quod notandum circa profanationem calicum vendendorum, vel commutandorum.

Quòd si diuturnitate temporis aurum in calice, & patena absumptum sit, non propterea interit consecratio, quæ toti calici, & patenæ inest. Armilla, & Syl. *V. Calix* Azor. *d. l. q. 6.* & alii communiter. Attamen si nova deauratio accedat, an tunc repetenda sit consecratio, dubitatur? Sunt, qui negent apud Laym. *d. l. n. 7.* eò quòd major pars consecrata trahat ad se minorem in his, quæ inter se uniuntur, & quorum partes seorsim rationem, & appellationem non habent, quòd in simili non ideò exsecrata dicatur Ecclesia, quia muri ejus pinguntur, aut dealbantur. Ideoque sufficere putant, si majoris reverentiæ ergò ob contactum manuum profanum (potest enim ex causa rationabili laico v. g. aurifabro dari licentia contingendi vasa sacra Laym. *c. l. num. 19.*) aqua benedicta calix abluatur. Quibus addi potest, quòd etiam per sacrificium Missæ nova sanctificatio tribuatur, *c. de fabrica 24. de Consecrat. dist. 1.* prout, & in corporalibus manibus fœminarum lotis, & mundatis accidit, ut postquam iterum desuper celebratum est, non licet laicis ea attingere. Et hæc sententia propter authoritatem DD. & rationes valde probabilis est. Contrariam sententiam, quam cum Sylv. Armilla, Angelo, & Tabiena *in v. Calix*, & Azor. *d. l. q. 4.* aliisque pluribus tenet Barb. *dict. loco num. 38.* in praxi receptam testatur ipse Laym. *c. l. nu. 6.* ex eo quòd in calice principalis pars non consideretur ex quantitate materiæ, sed ex immediato contactu Corporis, & Sanguinis Domini, quæ proinde, si nova non consecrata accedat, consecranda erit. Ad rationem contrariam respondere potest, quòd quidem major pars consecrata trahat ad se minorem, nisi minor sit pars principalior. Attamen stante hac ratione difficile videtur cum Sylv. *v. Calix n. 2.* & aliis sustinere, quòd per absumptionem auri non execretur calix, tanquam parte principali pereunte nisi subtiliore distinctione inter partem *principalem*, & *majorem* inventa dicamus, consecrationem quidem perire per interitum partis *majoris*, ut pote ex quo totam suam formam amittit, non autem semper (nisi fortassis aliter io jure cautum sit) per interitum partis *principalis* quæ si non sit simul pars *major* in ratione quantitatis, nō immutat formā totius, in quo propterea consecratio adhuc cōservatur.

Præterea etiam Campanæ Ecclesiarum benedicuntur 7
& Chrismata unguntur, ut sono quasi sacrato ad laudes divinas convocetur populus, repellantur hostes, & dæmones, incantationes magicæ, fugentur noxiæ tempestates. Si hæc rident hæretici, irrideant Deum ipsum, ait Durand. *de Ritibus Eccles. lib. 1. c. 12. n. 4.* qui *Num. 10.* præcipit populo: *clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum.* Sed hæretici extra Ecclesiam ejecti, & Satanæ traditi (teste Augustino *in c. omnis 32. causa 11. q. 3. sicut enim in Ecclesia Christus, ita extra diabolum est*) facilè deponunt arma spiritualia: pulsara negligit, quos quieto jure possidet; fœdus iis potius, quàm colluctatio est cum Apostolo *ad Ephes. 6. v. 12. Adversus insidias diaboli, adversus Principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Verè illi nequam spiritus quondam cœlestes, principes dæmoniorum *Matt. 12. 24.* rectores tenebrarum harum, & exilii nostri, qui in nos exules filios Evæ tantam potestatem exercent, ut ad occultum (nisi miseri in nostrammet perniciem cæcutire velimus) nobis quotidie monstrant magi incantatores, energumeni, sive obsessi, peccatores in interitum temporalem, & æternum ambulantes. Sed *& Crux Christi pereuntibus stultitia, nobis autem qui salvi sumus, Dei virtus est.* In fide quidem

resistitut diabolo 2. *Pet.* 5. Sed in fide observante mandasa DEI, *Matt.* 19. *I. Joan. c.* 3. *in fine.* in fide. *cum bona conscientia* 1. *ad Tim.* 1. 18. in fide, *crucifigente, & mortificante carnem cum vitiis, & concupiscentiis, ad Rom. c.* 8. *ad Gal.* 5. 22. *ad Colos.* 3. in libertatem vocasi suns Christiani *sed non in libertatem carnis d. c.* 5. *ad Gal.* in fide, dedita orationi, & jejunio *Matt.* 17. 20. *Marci* 9. 28. in fide, *non diligente mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & ambitionem spiritus, qua non sunt ex parte* 1. *Joan.* 2. in fide, *quæ Ecclesiam audit ut matrem*, aliàs non fides, sed infidelitas est, *Matt.* 18. 17. qualem fidem an habeant hæretici, seipsos probent, & judicent.

8 Vestes quoque sacræ, & paramenta ad sacrificium Missæ deservientia benedici debent, ut tanto cum majori reverentia divinum sacrificium peragatur. Amittuns hæc paramenta suam benedictionem, si eorum forma mutetur, ut si ex stola fiat manipulus, ex alba amictus, &c. quia singulis paramentis speciales benedictiones suns accommodatæ. Item si adeò lacerentur, ut ad usum sacrum deservire amplius non possint, quo casu fragmenta potiùs comburi, quàm ad usum merè profanum applicare debens. Ugol. *de Potest. Ep. c.* 32. *§.* 3. *n.* 6. Si laceræ vestes ex materia non consecrata reficiantur, dummodo materia hæc sit in minori quantitate, participat de consecratione majoris partis *arg. c.* 3. *h. t.*

9 Demum consecrationes, & benedictiones altarium, calicum, campanarum, & reliquorum paramentorum ordinario jure quidem Episcopis competunt, nihilominus ex privilegiis, & communicatione privilegiorum etiam inferioribus Prælatis competere possuns. Deinde consuetudine multorum locorum recepta videtur sententia Glossæ *in Clement. attendentes de Statu monach.* quòd generaliter Prælati habentes usum infulæ, & baculi consecrationes præfatas facere possint. Si enim tales Prælati possunt dare minores Ordines, & aliàs ordo Episcopalis secundum Theologos essentialiter non differat ab ordine sacerdotali, imò plus sit consecrare Corpus Domini quàm altare, calicem, &c. non est adeò inconveniens, ut vel per privilegium, vel per consuetudinem saltem immemorialem alius etiam actus ordinis Episcopalis sacerdoti acquiri possit.

Ex eadem quoque consuetudine passim videmus Abbates exercere consecrationes etiam pro aliis Ecclesiis, quàm suis. Ad declarationes autem Card. quæ in contrarium emanarunt, dici potest, eas usu receptas non esse, vel loqui tantùm de jure utendi Pontificalibus, & benedicendi vestes competensi ex privilegio speciali non ex consuetudine generali, sicut etiam notavit Pasq. ad Laus. de Franch. *de Contr. inter Episc. & Reg. p.* 2. *q.* 28. *n.* 3.

Sed, & illud notabile est, quod docet Laym. *in qq. Can. de Præl. elect. &c. q.* 219. quòd Abbas ex privilegio Apostolico (idem si ex consuetudine) semel habilitatus ad faciendas consecrationes pro sua Ecclesia tantùm, possit eas etiam facere pro aliis Ecclesiis, si ab Episcopo ei committatur. Adest enim potestas delegandi ex parte Episcopi, & capacitas exequendi ex parte delegati. Illa autem restrictiva clausula privileg. *pro suis Ecclesiis tantùm*, intelligitur, ne faciat pro alienis authoritate propria, sicut nec Episcopo cujusvis privilegii prætextu in aliena diœcesi pontificalia exercere permittitur sine licentia Ordinarii loci Trid. *sess.* 6. *de Ref. c.* 5.

---

§. II.

De Reconciliatione Ecclesiarum pollutarum.

SUMMARIA.

10 *Quando Ecclesia censeatur polluta.*
11 *Cur tantùm ob sanguinis, & seminis effusionem, & non alia delicta Ecclesia polluatur.*
12 *Quid faciendum si Ecclesia polluatur per sepulturam infidelis, hæretici &c.*
13 *An sepultura catechumeni, vel infantis non baptizati Ecclesia polluatur?*
14 *Cur locus sacer potius censeatur pollui, per sepulturā Engel in Decret. Lib. III. pagani &c. quàm decedentis in notoria peccato?*
15 *Pollutio Ecclesia fit per omne homicidium injuriosum in ea perpetratum.*
16 *An polluta censenda sit Ecclesia, si intra eam bannitus occidatur.*
17 *Quid sit sentiendum de sacrilega occisione viri sancti intra Ecclesiam?*
18 *Non per mortem, sed per injuriosam occisionem intra Ecclesiam, polluitur Ecclesia.*
19 *Per quam vulnerationem censeatur pollui Ecclesia.*
20 *Quando per voluntariam seminis humani profusionem polluatur Ecclesia, & quid de copula conjugali sentiendum.*
21 *Si effusio sanguinis, vel seminis fiat tantum in parte vicina Ecclesia v. g. sacristia &c. non censetur polluta Ecclesia.*
22 *Qui sint effectus pollutionis.*
23 *Quid faciendum sacerdoti, si durante missa contingat pollutio?*
24 *An per solam missam reconcilietur Ecclesia?*
25 *An Episcopus possit dispensare, ut ante reconciliationem legantur missa.*
26 *An inferior Episcopo possit reconciliare.*

Ecclesia pollui dicitur, quando certæ quædam actiones turpes, indecentes, & loco sacro injuriosæ (quas mox enumerabimus) in ea committuntur. Non possunt quidem revera, & physicè sancta à profanis, & turpibus coinquinari *c. vestra de Cohab. Cler. & Mul.* quia tamen domum Dei deces sanctitudo, morali hominum existimatione indecens reputatur, ut hostia immaculata, & divinum officium offeratur in loco sceleribus contaminato, antequam aliqua ejus loci expurgatio fiat. 10

Censetur autem pollui Ecclesia I. Per sepulturam infidelis, vel etiam fidelis excommunicati, aut hæretici. II. Per homicidium, aut sanguinis injuriosam effusionem. III. Per effusionem seminis. Dices: quare propter sanguinis, & seminis effusionem (de sepultura quæremus paulò inferiùs) & non etiam ob alia delicta in Ecclesia patrata v. g. furtum, sacrilegium, blasphemiam, perjurium &c. polluitur Ecclesia? Vix dari aliam rationem, quàm quòd peculiariter circa enumerata delicta ita ab Ecclesia statutum sit cum Valentia, Vasquez, & aliis putat Sanch. *de Matrim. l.* 9. *d.* 15. *num.* 4. & sequitur Barb. *de Offic. Ep. alleg.* 28. *n.* 21. Sed ignoscent tanti viri, si non sequar tam facile confugientes ad *Leg. non omnium ff. de L. L.* quin potiùs existimo eam fuisse rationem Ecclesiæ sic statuentis, quòd hæc duo crimina, scilicet sanguinis, & seminis effusionem præ cæteris vitiis semper sacræ paginæ à ministerio divino exclusêrint: effusionem quidem sanguinis, quòd contrarietur mansuetudini Christi, qui nullius sanguinem, sed suum innocentissimum pro nobis effudit: effusionem autem seminis, quòd contrarietur immaculatæ hostiæ, & Virgineæ proli. Si hæc ratio displicet, rogo mihi assignari aliquam, cur Clericus potius ob homicidium, vel mutilationem reddatur irregularis, & non ob aliud quamvis gravius delictum? Cur à celebratione, vel sacra communione potius ob effusionem seminis, quàm aliud peccatum abstinendum? & cur etiam in veteri testamento quoad utrumq; casum Judæis fuerit præceptum à sacris abstinere. 11

Igitur I. si polluitur Ecclesia per sepulturam infidelis, vel hæretici, aut excommunicati, ejus cadaver exhumari (dummodo ab aliis dignosci possit) & Ecclesia, vel Cœmiterium reconciliari debet, nec prius aliquis etiam Catholicus ibidem sepeliri, vel sacra fieri possunt. *c. Ecclesiam* 27. *& seq. de Cons. dist.* 1. *cap. consuluisti.* 7. *hoc tit.* hodie tamen post Concil. Constant. & Extravag. Martini V. *ad evitanda scandala*, nisi excommunicatus fuerit denuntiatus, aut notorius percussor clerici, probabilius non polluetur Ecclesia. Quidquid enim sit an talis excommunicatus non denunciatus possit sepeliri in loco sacro (de quo diversas opiniones retulimus superiùs in Tit. *de Sepulturis*) si tamen de facto sepultus fuerit, magis est, ut dicamus non pollui Ecclesiam: quia quoad hoc punctum non agitur de favore excommunicati, sed Ecclesiæ, & aliorum fidelium, qui juxta d. Concil. Constant. non debent divinis officiis privari ob communionem cum excommunicato non denuntiato. 12

Idem quod de excommunicatis non denuntiatis, etiam

de hæreticis servandum docet Nav. *Consil.* 10. *de Hæret. & in tract. de Orat. & horis Can.* c. 21. quæ sententia pro usu nostræ Germaniæ deservit, ubi cum hæreticis impunis est commonio. Imo in novissimo bello Turcico auxiliares Copiæ à Principibus Acatholicis transmissæ, hoc expressè in pactum deduxerunt, & ab Ecclesiasticis potestatibus desuper consensum impetrarunt, ut milites Acatholici defuncti in Cœmiteriis Catholicorum (ubi propria Lutheranorum non adessent) resepelientur, quod ob casum magnæ necessitatis ad obtinendum illud militare subsidium, & quia non fuit peritum in contemptum fidei Catholicę, sed potius ob honorem humanum, toleratum fuit.

Per sepulturam etiam Catechumeni, & infantis Christiani non baptizati pollui Ecclesiam tradit Zoes. *ad hunc t. n.* 13. Sed Ugolinus *de Potestate Episc. c.* 29. *§.* 5. excipit Catechumenos, qui cùm vi charitatis conjuncti nobis sint, & separati in sepultura non debeant. Infantes Christianorum non baptizati licet ex usu Ecclesiæ in locis sacris non tumulentur, si tamen de facto contingeret sepeliri, putarem probabiliter dici posse, non pollui locum sacrum, quia ad hanc rem non habetur alius text. quàm *cap. Ecclesiam de Consecr. dist.* 1. quod non loquitur de tali infante, sed de vero pagano, & infideli, in pœnalibus autem, & odiosis termini sunt propriissimè accipiendi. Nec est eadem rationis paritas, quia infideles, & pagani veri formaliter detestantur fidem Ecclesiæ ejusque hostes sunt, at infantes Christianorum magis fidem, & personam parentum repræsentant, in quorum fide etiam baptizantur, & quia ad Baptismum ex fide, & intentione parentum destinati sunt, non video, cur magna irreverentia ex eorum sepultura loco sacto irrogetur, sicut de Catechumeno dictum. Nec etiam obstat, quòd baptismus sit janua ad Ecclesiam, & ante Baptismum nemo sit intra Ecclesiæ gremium recipiendus: nam ex hoc plus non convincitur, quàm quòd infantes non baptizati non sint in Ecclesia sepeliendi, non autem statim sequitur, quòd ex eorum sepultura Ecclesia polluatur: certè etiam omittentes paschalem confessionem decedentes in peccato notorio excluduntur à sepultura, & tamen sepulti de facto non polluunt locum sacrum, quia id in jure expressum non est.

14 Sed *quæres*, cur potiùs pagani, excommunicati, hęretici sepultura polluitur locus sacer, quàm ex sepultura decedentis sine annua confessione, vel in notorio peccato &c. Resp. Præter authoritatem Canonis sic statuentis, si non convincentem, saltem congruentem rationem posse assignari, quia pagani, & excommunicati aut membra Ecclesiæ non sunt, aut si fuerunt, resecta, & separata sunt, & propterea sicut in vivis sine irreverentia inter divina officia tolerari non possunt, ita nec post mortem, juxta vulgarem regulam; *quibus non communicamus vivis, nec communicemus mortuis, c. sacris de Sepult.* At verò reliqui peccatores utcumque graves non censentur à divinis vel ab Ecclesia exclusi, ejus membra permanent, quamvis arida, & sicut in corpore physico membrum aridum per nervos, & pellem reliqui corporis sustinetur, nec non aliquali saltem calore fovetur, ita etiam isti peccatores adhuc de corpore Ecclesiæ ejusque meritis, & suffragiis aliquod fomentum participiant Covar. *in Relect. c. alma Mater de Sent. excom. in 6. in princ. n. 7. & §. in 6. n.* 3.

15 II. Polluitur Ecclesia per omne homicidium injuriosum in Ecclesia quocunque modo etiam per suffocationem, aut occasionem sui ipsius factum *c. proposuisti* 4. *h. t.* & Gl. *in c. un. Eod. in 6.* Dico: *injuriosum*, unde per homicidium, vel casu, vel causa defensionis, vel ab amente aut infante factum non censetur fieri pollutio, quia, cùm non sit delictum in occidente, non videtur fieri irreverentia Ecclesiæ. Volunt tamen DD. cum Barb. *de Offic. Episc. p. 2. alleg. 27. n.* 15. quòd sicut Clericus, & sacerdos, qui templum Dei spirituale est, ex homicidio casuali, ubi culpa intervenit, item, & ex homicidio necessario, si modus inculpatæ tutelæ excedatur, pollutus, & irregularis censetur, ita etiam templum materiale ob homicidium culpabile (quãvis non dolosum) reconciliatione indigeat,

16 Quid, si in generale bannum declaratus, in cujus vitam potestas omnibus data sit, & quidem sub promissione præmii, in templo ab aliquo occidatur? Polluta censebitur Ecclesia, licèt enim respectu personæ occidentis, & occisi tale homicidium supponatur licitum, & non injuriosum, est tamen injuriosum respectu loci sacri, sicut de alio malefactore justè condemnato, & in Ecclesia pro merito supplicio affecto tradit Zoes. *ad hunc t. n.* 5. Barb. *d. l. n.* 15. Obiter hic adnotandum est, quod etiam monet Molin. *de J. & J. tract.* 2. *d.* rarò, & non nisi ob gravem causam licere dare publicam potestatem cuilibet occidendi reum, tum ob alia incommoda, tum quòd tales rei Sacramentis destituti in corpore, & anima pereant, quod utique Christianæ mansuetudini repugnat; ideò etiam data potestate à Magistratu fori externi non videtur facile ejus usus in conscientia, & foro interno admittendus, nisi ex vita malefactoris proscripti quotidianum periculum Reipubl. immineret, tunc enim publica salus ab occisionis peccato sicut in quocunque hoste excusaret.

De occisione alicujus Sancti, & justi viri in Ecclesia etiam quęritur, an exinde polluatur Ecclesia? Affirmativa magis legitur apud Authores, eò quòd licèt sanguinis sanctorum Martyrum consecret potiùs, quàm fęder Ecclesias, *text. in c. fundamenta de Elect. in 6.* ipsa tamen nefaria, & sacrilega actio occidentis Ecclesiæ injuriosa est. Gloss. *in c. un. in v. sanguinis h. t. in 6.* Zoes. *d. l.* Vall. *eod. t. n.* 5. Ait tamen Gloss. *in fin.* locum ubi sanguis effusus est, non esse in reconciliatione abluendum. 17

Cæterum non polluitur Ecclesia, si quis morbo correptus, aut extra Ecclesiam vulneratus in eadem moriatur: non enim ipsa mors per se irreverentiam infert Ecclesiæ, sed causa, sive occisio in ea facta. 18

Quid autem dicendum, si quis in Ecclesia existens foris prætereuntem, vel è converso foris existens stantem in Ecclesia jaculo conficiat? Communius receptum est, ut posteriore tantùm casu, quo consummativè homicidium in Ecclesia contingit, censeatur polluta Ecclesia, non priori, in quo non propriè verificantur textus Canonici *c. un. h. t. in 6. c. tantum de Privil.* qui in pollutione Ecclesię loquuntur de morte aut sanguinis effusione in ipsa Ecclesia contingente. Zoes. *d. l. n.* 6. Barb. *d. l. n.* 26.

III. Polluitur Ecclesia non solum per mortem, sed etiam per vulnerationem injuriosam, ex qua sequatur sanguinis humani effusio; quod verbum *effusio* communiter DD. interpretantur de copioso fluxu sanguinis unde concludunt non sufficere paucarum guttarum destillationem, vel si ex inflicto pugno ex naribus sanguis profluat (nisi ex gravibus verberibus id accideret) neque sola percussio, quamvis gravis, satis est, sed sanguis sequatur necesse est, quia de sanguinis tantùm effusione textus Canonici loquuntur, qui in materia pœnali ultra propriam verborum significationem extendendi non sunt, Non tamen requiritur, ut sanguis ipsam Ecclesiam contingat, dummodo intra Ecclesiam effusus, licet in vestimentis absorptus, vel in vase collectus. Vid. Barb. *d. l.* Navar. *in Manual. c.* 27. 19

IV. Polluitur Ecclesia per voluntariam seminis humani profusionem, sive cum, sive sine complice factam, dummodò ea notoria, & saltem per famam, aut opinionem hominum publicata sit, non autem suffirit, si v. g. solus Parochus ex confessione sciat, vel aliqui tantùm ex parochianis, penes quos non sit periculum divulgationis. Sa. *v. Ecclesia n.* 19. 20

Quid de copula conjugali in Ecclesia facta dicendum? Ratio dubitandi est, quod, *c. si motum de Consec. dist. 1. & c. significasti. de Adult.* solùm loquatur de profusione seminis illicita, & adulterina, in pœnalibus autem termini sint strictè accipiendi, ut pro negativa sententia argumentatur Pont. *de Matr. lib. 10. c. 10. n.* 13. Sa. *d. l. n.* 14. Nihilominus apud authores receptum est pollui Ecclesiam propter irreverentiam, quæ per talem actum loco sacro infertur, ad eum modum, quo superiùs de executione facta Ecclesia contra justè condemnatum ad mortem diximus Gloss. *in c. un. in v. seminis h. t. in 6.* Navar. *in Man. c. 27. n.* 252. Sanch. *de Matrim. lib. 9. disp. 15. à n.* 7. posset verò contraria sententia obtinere in casu necessitatis, quo conjugati ab hostibus v. g. in templo obsessi, aut conclusi alium locum exercendi copulam non haberent, & sine periculo incontinentiæ abstinere non possent, quia tunc necessitas facit licitum, quòd aliàs foret illicitum. Covar. *de Sponſ. p. 2. c. 7. §. 2. n.* 3. Zoes. *d. d. n.* 8. Barb. *d. l. n.* 48.

Est porrò circa has pollutionis species, quæ fiunt per sanguinis, aut seminis effusionem advertendum, non pollui Ecclesiam, si, vel supra illam in tecto, vel intra eandem in aliqua Crypta, aut juxta eam in campanili, vel sacristia, (dummodo hæc separata sit ab ipso interno corpore 21

Eccle-

Ecclesiæ, quod censetur à tecto interiori usque ad pavimentum, & à porta interna majoris Ecclesiæ, usque ad ultimum parietem internum nullo alio muro intermedio distinctum) pollutio contingat, quia, ut sæpius repetitum, in materia pœnali, & odiosa termini sunt strictè accipiendi. Vid. Fagund. *in 5. Eccl. precepta. p. 1. lib. 3. c. 14. à n. 37.* Sanch. *d. disp. 15. à n. 21.* Item si pollutio contingat in gradibus Ecclesiæ, velante januam extra scilicet clausuram portæ internæ, Barb. *d. l. n.* 20.

Quòd si polluta sit Ecclesia censebitur etiam pollutum cœmiterium tanquam accessorium, non verò e converso, quia accessorium non trahit ad se principale. *c. un. h. t. in 6.*

22 Effectus pollutionis est, quòd in Ecclesia polluta antequam ab Episcopo per aquam cum vino, sale, & cinere, benedictam reconcilietur, non debeant sacra, vel divina officia fieri, neque mortuus sepeliri, qui tamen de facto hæc faceret, temerarie quidem ageret, & moraliter peccaret, nullam tamen irregularitatem, vel censuram incurreret, *c. is qui 18. de Sent. excom. in 6.*

23 Si contingeret durante Missa pollutionem evenire v. g. per homicidium, aut vulnerationem communiter distinguitur, an ante consecrationem, vel postea id accidat, itaut priori casu Missa etiam cæpta deserenda sit, non verò posteriori. Ugolin. *de offic. Episc. c. 29. §. 7. num. 3.* Fagund. *d. l. c. 18.*

24 Verùm si de facto post pollutionem Missa celebrata sit sive bona, sive mala fide, jam Ecclesiam propter infinitam virtutem tanti sacrificii haberi pro reconciliata putant Sa. *v. Ecclesia n. 19.* Castro *de Leg. pœn. lib. 2. c. ult.* Cui opinioni videtur aliqualiter suffragari text. *in c. d. Fabrica 24. de Consec. dist. 1.* ubi dicitur, aliquando totius consecrationis sanctificationem per Missarum solemnitatem impleri; tutius tamen est vera reconciliatione uti, quam sacri Canones præscribunt: neque enim *d. c. de Fabrica* continet hunc casum, sed juxta communem interpretationem alium, quando nimirum parietes per partes reficiuntur, & innovantur, ut *priori* §. dictum.

25 Si reconciliatio Ecclesiæ fieri tam citò commodè nequeat, poterit Episcopus ex multorum sententia interim dispensative concedere in ea fieri divina officia, sicut potest in casu necessitatis ad evitandum damnum spirituale vel temporale in alio jure positivo dispensare. Sa. *d. leg.* Fagund. *d. l. c. 14. n. 2.* Alii verò existimant, non esse facile ad istam dispensationem deveniendum, si interea in aliquo Oratorio cum Altari portatili possint divina fieri: cum sepultura tamen plerumque necessitas exigit dispensationem, neque alio modo facilè evitari potest.

Delegare autem reconciliationem alicui Sacerdoti simplici Episcopus non posset, quia est actus ordinis Episcopalis, *per text. expressum in c. à qua 9. h. t.* nisi fortassis is Sacerdos aliàs ex privilegio Apostolico esset habilitatus ad faciendam talem conciliationem, sicut superioribus Fratrum Minorum à Leone X. tale privilegium concessum refertur, ut possint suas Ecclesias reconciliare. Rodriq. *tom. 1. reg. qq. 19. art. 6.* Henriq. *l. 9. c. 17. n. 6.*



TITULUS XLI.

De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & aliis Divinis Officiis.

§. I.

De Celebratione Missarum.

SUMMARIA.

1 *Ante missam debet præmitti Matutinum cum Laudibus, sed non est gravis obligatio.*
2 *Parochus diebus festivis Missam tenetur legere de præcepto, diebus autem ferialibus tantùm de honestate, nisi habeat amplos reditus, & sit Parochus populosæ civitatis.*
3 *Quid faciendum, si populus ita numerosus sit ut ad*

unam missam convenire non possit, vel solus Parochus ad ministranda Sacramenta non sufficiat?
4 *Propter necessitatem moribundi potest Parochus alteram missam eodem die celebrare, & probabiliter etiam post sumptam ablutionem.*
5 *Leges non extenduntur ad casus insolitos.*
6 *Votum non bibendi vinum non violatur, si in Missa sumatur ablutio.*
7 *Particulæ consecratæ repertæ post ablutionem possunt sumi.*
8 *An liceat aliquando sine paramentis celebrare.*
9 *Qualiter Parochus pro suis Parochianis missam offerre teneatur, & an pro una missa possit à duobus stipendium accipere?*
10 *Parochus ex fundatione obligatus ad plures missas hebdomade dicendas, si modico tempore impeditus fuerit, non tenetur illas missas persolvere per Vicarium.*
11 *Parochus substituens Vicarium ad legendas missas tenetur ei tantum dare, quantum ipse ex fundatione percipit.*

Post Horas Canonicas recitatas ad missam procedere 1
potest Parochus; ita enim habent notæ Regulæ Missalis, ut propter meliorem dispositionem saltem Matutinum cum Laudibus ante celebrationem præmittatur. Sed cum inter Horas Canonicas, & Missam nulla sit necessaria connexio, ideò illam obligationem præmittendi Horas Canonicas plerique DD. non esse gravem existimant, & contravenientem ad summum venialiter peccare, imò nullatenus peccare, si propter necessarias occupationes, aut aliam justam causam Horas commodè præmittere non possit. Lessius *de I. & I. lib. 2. c. 37. dubio* 12. *num.* 81.

Circa Missarum lectionem obligatio incumbit Paro- 2
cho, ut omnibus illis diebus, quibus Parochiani ex præcepto Ecclesiæ Missam audire debent, per se, vel per alium celebret, quæ est communis omnium DD. in æquitate naturali fundata, nam ideò dantur Parocho decimæ, & alii fructus, ut necessaria salutis administret. Quòd vero etiam extra dies festos Parochus Missas legere teneatur, verius est, nullum præceptum extare. Interim tamen id utique maximè decens est: imò si populus in aliqua civitate sit numerosus, & Parochus habeat ampliores reditus, eundem per Episcopum cogi posse, ut sæpius in hebdomada celebret, censet Laym. *lib. 5. tr. 5. c. 3. sub n.* 2.

Præterea si in aliqua Parochia populus ita numerosus sit, 3
ut ad unam Missam convenire nequeat, vel unus Parochus administrandis Sacramentis sufficere non possit, tenebitur Parochus, & per Episcopum cogi poterit, ut alios Sacerdotes sibi ad id munus rectè explendum adjungat. Trid. *sess. 21. de ref. cap. 4.* si autem Parochia fortè propter injurias belli depauperata pluribus Sacerdotibus alendis non sufficeret, licentia datur Parocho (saltem cum consensu Episcopi, ne fiat abusus) uno die duas Missas legendi; sicut etiam si ob penuriam Sacerdotum unus deberet duas Parochias administrare, ex *c. consuluisti 3. h. t.* communiter tradunt Interpr. in quo *c.* permittitur, ut Sacerdos ex causa necessitatis uno die possit plures Missas dicere.

Porrò quia in *d. c. consul.* generaliter fit mentio necessitatis, propterea plures casus referunt DD. in quibus sit licitum secundam Missam dicere, qui cum hodie ob numerositatem Sacerdotum parum practicentur, ideo enarrare omitto. Videatur apud Nav. *in Man. c. 25. n. 87. &* 93. Inter eos casus ille est præcipuus, qui etiam notatur per Gloss. *in d. c. consuluisti*, si nimirùm Sacerdos in Missa moneatur, quòd aliquis moribundus viaticum desideret, nulla autem supersit hostia consecrata: tunc enim (cum in solo pane consecrare non licet) altera Missa dici poterit. Si tamen Sacerdos ante communionem monitus fuerit, non erit necesse, alteram Missam incipere, sed licebit partem suæ Hostiæ ad ægrotum deferre. Sa. *V. Eucharistia numer.* 15. Notant autem DD. communiter, quod Sacerdos duas Missas dicturus, in prima non debeat sumere ablutionem, quod etiam diligenter advertendum est Sacerdoti, si prævideat sibi imminere necessitatem duas Missas legendi. Interim multùm probabile censeo, saltem probabilitate intrinseca à ratione desumpta (*neque enim semper ex multitudine authorum quod melius judicandum l. 1. §. 6. C. de Vet. Jur. enucl.*) etiam

post sumptam ablutionem licitè secundam Missam dici, si v.g. Parochus duas parochias administrans in prima Missa per errorem sumpserit ablutionem, & alteram Missam propter festum, & concursum populi absque magno scandalo omittere non possit: Item si unus, vel plures moribundi Viaticum desiderarent, eò quod præceptum Ecclesiæ, ne Sacerdos non jejunus celebret, non videatur in casibus tam extraordinariis cum detrimento, aut scandalo fidelium obligare. *Ex his enim, quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, Jura non constituuntur, nam ad ea potius debet aptari jus, quæ frequenter & facile, quam quæ rarò eveniunt.* Verba sunt *l.4. & 5. ff. de LL.* sicut ita si Sacerdos in introitu recordetur se jejunum non esse, Missam continuare potest. Et plurimùm facit ad mitigandum rigorem legis, quòd sola ablutione sumpta Sacerdos adhuc moraliter, & commun. hominum acceptione jejunus reputetur, adeoque si iterato celebret, minor irreverentia subsit, quàm si aliud quid per modum cibi sumpsisset.
6 Quemadmodum in simili Sacerdos vovens non bibere vinum, servat votum, tametsi in Missa sumat ablutionem.
7 Barb. *in c. ex parte 5. h. t.* Et propiùs ad nostrum propositum, Sacerdos post sumptam ablutionem reperiens particulas, etiam quas scit consecratas, ex recepta sententia eas sumere potest: quamvis autem id dicatur fieri ex eo, quòd censeatur talis sumptio pertinere ad idem sacrificium, nihilominus reverà sumitur Corpus Domini post ablutionem, & quidem sine gravi causa, cum illæ particulæ possent reponi in aliqua Capsa, vel Ciborio. Sanè si licet mihi Corpus Domini sumere post ablutionem in prima Missa sine irreverentia, vix ratio adferri potest, cur non etiam ex gravi causa in secunda, cum supposita justa causa secunda Missa de se non ponat novam irreverentiam, aliàs nec etiam à non jejuno inchoari posset.

Verum quidem est, quòd Viaticum non sit simpliciter necessarium ad salutem, maximum tamen fructum confert animæ, quo eam privare admodùm durum est. Item Parochiani cæteri multùm scandalizantur, & in Parochum odio exardescunt, si aliquem patiatur sine Viatico decedere. An non ergo expedit hæc evitare, quam prohibere Sacerdotem post ablutionem (quæ plerumque non advertitur à plebe) celebrare, quòd jure Divino non est prohibitum, & jure humano in similibus circumstantiis non expressum.

Dices ex hoc sequi, quòd in propositis casibus liceret etiam sine vestibus sacris, & aliis paramentis celebrare, quia, & hæc jure tantùm Ecclesiastico statuta sunt? Resp. Esse disparitatem, quia defectus vestium, & paramentorum est excusatio publica, & potiùs scandalizaretur populus in celebratione Missæ sine paramentis, quàm in ejus omissione: sumptio autem ablutionis plerumque contingit, vel ignorante, vel non advertente populo, ut nihil dicamus præceptum de vestibus sacris saltem originaliter, & in veteri testamento fuisse juris divini, & propter reverentiam Sacrificio debitam, videri adhuc aliqualem rationem moralitatis retinere, & ideò graviùs obligare. Deinde ex gravi causa, licet Missam celebrare sine stola, vel manipulo, sine ministro, sine Crucifixo, cum uno tantùm lumine, etiam quod non sit ex cera, & in casu gravissimæ necessitatis v.g. ob mortis periculum (dummodò non petatur in contemptum Fidei) licere etiam in communi, & profano vestitu celebrare, tradit Laym. *in Theol. mor. lib. 5. tr. 5. c. 6. n. 17.*

8 Quod ad applicationem sacrificii Missæ attinet, ratio naturalis dictat, & in Conc. Trid. *sess. 23. de Ref. c. 1. in pr.* satis insinuatur, quòd Parochi pro suis ovibus sacrificium Missæ offerre teneantur, attamen id non eo sensu accipiendum est, quòd semper totum sacrificium Missæ principaliter pro subditis offerendum sit, & nunquam possit Parochus secundùm aliam intentionem celebrare: sed sufficiet, si secundario suarum ovium meminerit, & quandoque arbitrio boni viri principalem intentionem pro eisdem faciat, Barb. *de Offic. Par. p. 1. c. 11. n. 10.*

9 Alia est ratio, si quidam ex Parochianis speciale stipendium Parocho offerant, ut pro se Missam faciat, tunc enim acceptans tale stipendium tenebitur ex justitia secundum eorum intentionem celebrare, & quidem si Parochus jam uni propter acceptum stipendium obligatus sit, vel ex fundatione v.g. Anniversarii, jam habeat necessè secundùm certam intentionem celebrare, non poterit eodem die ab alio stipendium pro Missa accipere, & ita una Missa duobus satisfacere, nisi is, qui stipendium offert, hac de re certioratus ultrò contentus esse velit. Laym. *de Sacrif. Miss. c. 3. n. 4.*

Sed quid si Parochus ex fundatione aliqua debeat in hebdomada unam, aut plures Missas dicere, is verò infirmetur, anne tenebitur sui loco alium Vicarium substituere, qui illas Missas persolvat? Existimo tolerabilem esse (maximè in Parochis aliàs tenues reditus, & nullum Capellanum habentibus) sententiam Petri Nav. *lib. 2. de Rest. c. n. 210.* quòd si infirmitas, aut aliud impedimentum, brevi tempore, scilicet per unam, aut alteram hebdomadam, imò etiam per mensem, sit duraturum, non sit præsumendum, quòd fundator voluerit obligare ad compensationem; quemadmodum bonus dominus non solet propter modicam ægritudinem, aut impedimentum servi, ejus mercedem deducere.

Dices, *in l. qui operas 38. ff. Locati*, non fit restrictio ad modicum tempus, sed simpliciter dicitur, *qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum steterit, quo minus operas præstet.* Ad idem est text. *in l. 2. §. Divus ff. de Var. & extra cognit. leg. post duos 15. §. 1. C. de Advoc. divers. Jud.* Resp. Cum fidelium animarum tam defunctorum, quàm vivorum intersit, ut piæ fundationes impleantur, ne divinis sacrificiis priventur, &c. ideò allegati juris textus non incongruè explicari posse videntur *de locatione operarum*, quæ non possunt commodè per substitutum impleri, ubi *personæ industria* electa est, ut in Professore, artifice, &c. vel certè ubi non est in contrarium verosimilis intentio fundatorum, & æquitas ac favor animarum, quibus non debent divina officia subtrahi. 10

Potest hic etiam adnotari, quòd sufficiat, si Parochus substituto ad legendas Missas det congruum, & in loco consuetum stipendium, v.g. medium florenum, quamvis ipse ex fundatione pro quaribet Missa proportionaliter plus accipiat, neque propterea reliquum habebit sine causa, sed propter illud onus, ex quo tenetur certas Missas, vel per se ipsum legere, vel curare, ut per alium legantur, sicut Medicus, vel Advocatus propter solam obligationem serviendi nonnunquam accipit salarium annuum, licèt dominus toto anno non indigeat. Non tamen permittitur aliis Clericis, qui pro una tantùm, vel altera Missa stipendium accipiunt, talem negotiationem cum Missis instituere, & aliis rursus pro minori mercede locare. Declarat. Card. apud Barb. *in Collect. ad Conc. Trid. sess. 22. de Sacrif. Miss. n. 6. & seq.* 11

---

§. II.

De Sacramento Eucharistiæ,

S U M M A R I A.

12 *Eucharistia danda est quoties rationabiliter petitur.*
13 *Videtur verius, quòd etiam quotidiè cæteris paribus peti possit.*
14 *Fallit in conjugatis.*
15 *Eucharistia quandocunque petitur ad ægrotum deferenda est reverenter cum comite, & lumine.*
16 *Ad sumptionem Eucharistiæ requiritur dispositio animæ, & corporis.*
17 *Habens casum reservatum aliquando ante absolutionem communicare potest.*
18 *Non habentes usum rationis non sunt ad Communionem admittendi.*
19 *Communicaturus qualiter debeat esse jejunus.*
20 *Ad ægrotum non debet Eucharistia deferri causa solius adorationis, si eam sumere non potest.*
21 *Extra tempus paschale quilibet Sacerdos potest quoscunque communicare.*

Circa administrationem hujus Sacramenti Not. I. Quòd 12
Parochus regulariter teneatur dare SS. Eucharistiam, quoties pii subditi eam rationabiliter petunt, *ne parvuli petant panem, & non sit qui frangat eis.* Sed quæstionis est, an censeatur rationabiliter petere, qui singulis, aut fermè

fermè singulis diebus peteret? Sanè priscis temporibus peracta consecratione in Missa omnes adstantes sumebant Eucharistiam Hurtado *de Sac. tom. 2. tr. de Euch. disp. 9. diff. 42. vers. recentiores &c.* & in Conc. Trid. *sess. 22. de Sacrif. Missæ cap. 6.* hæc verba leguntur: *Optaret Sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret &c.* † Quapropter dandam esse Eucharistiam etiam quotidiè petenti, si ex ordinaria ejus vitæ conversatione colligi posset, quòd non ad vanam gloriam captandam, aut cum periculo irreve-
13 rentiæ accederet, per plura argumenta, & declarationem Cardinalium concludit Joannes Sanchez *in selecl. disp. 22.* † In conjugatis quidem personis, qui carnali commer-
14 cio inserviunt, non immerito hæc quotidiana communio denegatur illo maximè die, in cujus nocte præcedente copula conjugali usi sunt, ad majorem tanti Sacramenti reverentiam servandam, & distractionem mentis avitandam, juxta illud *Reg. 21. Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem Sanctum, si mundi sunt pueri maxime a mulieribus, manducent, &c.* & juxta monitum Apostoli, qui vult conjugatos abstinere *ad tempus, ut vacent orationi.*

15 Not. II. Quòd in casu necessitatis, videlicet instantis mortis teneatur Parochus non tantùm de die, sed etiam de nocte, instantibus quoque pluviis SS. Eucharistiam ad ægrotum deferre, quia salus alterius spiritualis utique commoditati exiguæ corporali anteponenda est. Quo verò ritu sanctissima Hostia deferenda sit, ex consuetudine singulorum locorum desumendum erit, eo semper observato, ut tanta, quanta potest, sanctissimo Sacramento reverentia exhibeatur. Unde ille abusus, vel maximè tollendus est, quòd aliqui Eucharistiam quandoque sine lumine, & comite deferunt, quod graviter prohibitum est *in c. sane. 10. h. t.*

16 Not. III. Quòd Sacramentum Eucharistiæ non debeat ministrari, nisi iis, qui *in anima, & corpore* ad id dignè recipiendum dispositi sunt. In anima dispositio requiritur, ut nullus ad communicandum accedat qui sibi conscius est alicujus peccati mortalis, nisi confessione Sacramentali præmissa. Trident. *sess. 13. de Sacrament. Eucharist. cap. 7.* Quòd si tamen soli Parocho ex confessione notum esset aliquem indignè, & non obtensa absolutione ad communionem accedere cum aliis, ei Eucharistiam denegare non deberet, ne apud alios infamare, & sigillum confessionis prodere videatur. Sed quid si pœnitens, qui commisit casum reservatum, habeat necessitatem communicandi, v. g. tempore paschali, ita ut sine diffamationis periculo non possit superiorem adire, & interim à communione abstinere? R. Quòd tali casu censea-
17 tur circa casus reservatos deficere copia Confessoris, & ideo possit is, qui casus reservatos habet, obtenta absolutione à non reservatis, & præmissa contritione circa reservatos ad communionem accedere, ita tamen ut deinde quamprimum commode potest, reservatos confiteatur. *arg. text. in d. c. 7. Trid. sess. 13.* ibi: *Modo non desit*
18 *illis copia Confessoris &c.* Eman. Sa: *v. Eucharistia. n. 13.* Castro Palao *de Sacr. Pœnit. sect. 16. §. 4. n. 2.* Præterea communicaturus debet habere usum rationis, ut ea, quæ ad perceptionem hujus Sacramenti pertinent, juxta arbitrium prudentis Confessarii sufficienter intelligat. Unde infantes intra septennium constituti, vel continuò amentes non habentes dilucida intervalla regulariter ad communionem etiam in mortis articulo admittendi non sunt.

19 In *corpore* requiritur dispositio, quòd communicaturus sit jejunus à media nocte die præcedentis *jejunio naturali*, id est, quòd nihil omninò priùs quamvis minimum per modum cibi degluti verit, idque propter reverentiam tanto Sacramento debitam; ut Corpus Christi ante omnem cibum in corpus Christiani intret *c. liquido. 54. dist. 2. de Consec. c. nihil. 7. q. 1.* Dico: *per modum cibi:* nam si quis sanguinem, aliumve humorem ex capite descendentem, aut inter eluendum os cum saliva deglutiat aquæ guttulas, vel si jusculum gustavit, & illicò rejecit, etsi fortè guttas cum saliva deglutiverit, non censebitur jejunium naturale violasse. Vid. Laym. *l. 5. tr. 4. c. 6. n. 18.* Porrò istud jejunium in illis tantùm requiritur, qui seni extra periculum mortis constituti communicare desiderant. At verò quibus periculum mortis instat, etiam non jejuni, & quidem sæpiùs durante eodem periculo morbi (uno tamen, vel altero die interjecto) sacram communionem accipere possunt, cùm enim jejunium tantùm sit de præcepto Ecclesiæ, noluit pia mater illum casum extremæ necessitatis, in quo maximè hoc sanctissimo Viatico indigent fideles, comprehendere. Deinde requiritur quod recepturus SS. Eucharistiam ita sit dispositus quoad sanitatem, ut v. g. propter exquisitionem, seu eructationem nullum sit periculum irreverentiæ, quod si dubitetur, an infirmus sit retenturus sacram Hostiam, vel potiùs iterum ejecturus, nonnulli consilium tradunt, ut priùs cùm Hostia non consecrata experimentum fiat præmonendo tamen infirmum, quod Hostia non consecrata sit, ne eam erroneè adoret. Illud etiam notatu dignum est, quod Eucharistia ad ægrotum deferri non debeat causa solius adorationis, si eam sumere non possit: sicut à sac. Congreg. Card. declaratum refert Zerola *in praxi Episc. p. 1. v. Eucharistia. §. 5.* neque posse dari hoc Sacramentum sub specie vini, si ægrotus non possit accipere sub specie panis, tradit ex Suar. *tom. 2. disp. 71. sess. 7.* Barb. *de Offic. Par. p. 2. c. 20. n. 44.*

Not. IV. Quod extra casum extremæ necessitatis non 20
liceat aliis quàm proprio Parocho, vel delegato ab eo Sacramentum Eucharistiæ Parochianis ministrare. Imo *in Clem. 1. de Privil.* excommunicationem Papæ reservatam incurrere dicuntur Religiosi, qui sine speciali licentia Parochi aliquibus Sacramentum Eucharistiæ ministrant. Attamen post hanc Clementinam per varia privilegia Regularium, & diversorum locorum consuetudines obtentum est, quod in Ecclesiis præsertim Religiosorum Sact. Com-
munio liberè quibusvis petentibus distribuatur. † Et plu- 21
rimi statutum dictæ Clementinæ tantùm de tempore paschali intelligunt, quia *in omnis. 52. de Pœnit. & remis.* videtur injungi, ut tempore Paschali tam confessio quàm communio apud proprium Parochum fiat. Cæterùm autem si aliquis extra tempus Paschale ex causa devotionis communicare velit, id apud quemlibet Sacerdotem posse cum multis DD. tradit Barb. *in Collect. DD. ad c. 6.* Trid. *sess. 22. de Sacrif. Mis. in fin.* quod satis probatur ex *eodem c. 6.* dum enim ibidem optat Sac. Synodus ut fideles adstantes in singulis Missis communicent, videtur planè licentiam dare, ut singuli Presbyteri Missas celebrantes quoscunque petentes communicare valeant.

---

§. III.

De Horis Canonicis.

S U M M A R I A.

22 *Beneficiatus etiam curatus omittens Horas Canonicas tenetur ad restitutionem.*
23 *Controversia an Parochus ad omnes fructus restituendos teneatur ex omissione Breviarii.*
24 *Æquior est sententia, ut propter onera Parochialia possit aliquam partem deducere.*
25 *Æquitas rigori Juris quando præferenda.*
26 *Beneficiatus in primis 6. mensibus omittens horas non tenetur ad restitutionem; secus tamen videtur, si obligatio orandi incumbat ex fundatione.*
27 *Qualis attentio requiratur in orando Breviario.*
28 *Sine interna attentione recitans probabiliter potest excusari à restitutione.*
29 *Qui Psalmos unius horæ interruptim dicit sine causa peccat quidem venialiter, satisfacit tamen præcepto.*
30 *Similiter qui ex errore unum officium pro alio dicit.*
31 *Capellani Parochorum non tenentur ad restitutionem, si Breviarium omittant.*
32 *Parochus regularis quando teneatur ad restitutionem.*
33 *Quid de Vicariis perpetuis dicendum?*
34 *Quid veniat nomine pauperis, & fabricæ Ecclesiæ, quibus facienda est restitutio.*
35 *Causæ excusantes ab oratione.*

36 *Quan-*

36 *Quandonam is, qui potest partem orare, sed non totum, teneatur ad partem orandam.*

22 INter omnes convenit clericos beneficiatos teneri ad solvendas Horas Canonicas, prout text. sunt *in c. fin. dist. 92. c. t. h. t. c. quia per ambitiosam 15. de Rescr. in 6.* id quod etiam de obtinentibus beneficium *curatum* clarè expressit Leo X. in Conc. Lateranensi in sua Bulla, quæ incipit. *Supernæ dispositionis* 5. §. 28. Et Pius V. in alia Bulla, quæ incipit. *Ex proximo &c.*

Porrò omittentem Horas Canonicas, non tantùm graviter peccare, sed etiam ad restitutionem fructuum *pauperibus, vel fabricæ beneficiorum* faciendam teneri, in dd. Bullis statutum est. Eamque restitutionem hoc modo fieri debere declaravit Pius V. ut si aliquis totum Breviarium omiserit, teneatur ad restitutionem omnium fructuum, qui si singulis diebus dividerentur proportionaliter pro una die cederent: si verò omiserit Matutinum, teneatur ad dimidiam partem unius diei: si alias omnes horas præter matutinum, ad alteram dimidiam: si unam tantùm horam, ad sextam partem fructuum restituendam. Sed

23 Quær. I. An sub hac dispositione, & distributione Pii V. etiam Parochi comprehendantur, ut si per unum diem Breviarium non oraverint, teneantur ad omnes fructus illius diei restituendos, vel potiùs possint sibi aliquam partem propter onera Parochialia retinere.

24 Plerique ob textus generalitatem inter Parochos, & beneficiatos non distinguunt. Azor. *Instit. mor. p. 1. lib.* 10. *c. 14. q. 5.* Barb. *de Offic. Par. p. 1. c.* 10. *n.* 32. Suar. *de Hor. Can. c. 30. n. 6.* Verùm non desunt alii celebres Authores, qui magis æquitatem considerant, censentes quòd illa verba: *omnes fructus*, in Parochis (imò etiam in aliis beneficiatis, quibus onus residendi, dicendi Missas &c. incumbit) limitari possint ad omnes fructus correspondentes Breviario: nam fructus non tantùm deberi existimant propter horas Canonicas, sed potiùs propter onera alia, præsertim verò Parochialia, Sacramentorum administrationem; ideoque restitutionem eorum propter non oratum Breviarium debere fieri proportionaliter arbitrio boni, & prudentis viri, ita ut duas partes fructuum possit parochus computare pro labore parochiali, & unam pro Horis Canonicis: & consequenter si v. g. portio redituum Parochialium unius diei fortè sint 3. floreni, propter totum Breviarium omissum tantùm teneatur unum florenum restituere, cujus opinionis sunt Lopez, Toletus,

25 Sa, Sanchez, & alii cc. à Barb. *dict. cap.* 10. *num.* 33. Ego hanc posteriorem sententiam magna æquitate nixam satis tutè practicari posse opinor, secundùm vulgatas juris regulas, quòd æquitas sit rigori juris præferenda, si salva ratione recti sermonis lex aliquè ex bono, & æquo interpretationem recipere possit *l. placuit C. de Judiciis.* Fachin. *lib. 1. c. 3.* Maximè in pœnalibus, & odiosis; in quibus semper benignior est interpretatio facienda, *ut pœna potius molliantur, quàm exasperentur, l. penult. ff. de Pœn. c. odia & c. in pœnis de R. J. in 6.*

26 Quær. II. Quando nam incipiat obligatio restituendi propter non oratum Breviarium? Resp. Primum post sex menses numerandos à die adepti beneficii, sicut in d. Bulla Leonis expressè habetur, & in Bulla Pii V. nihil hac in parte immutatur, sed solùm declaratur, quòd per primos sex menses non orans Breviarium sine justo impedimento graviter peccet. Licèt autem Sotus apud Navar. *de Oratione c. 21. n. 60.* videatur dubitare, utrum Pontifex potuerit tanto tempore non orantibus Breviarium restitutionem relaxare? nihilominus cum eodem Navar. rectius hic scrupulus rejicitur, cùm oratio Breviarii, & propter ejus omissionem consequens restitutio tantùm Jure humano introducta sit, quod S. Pontifex pro suo arbitrio, vel omninò remittere, vel certo modo temperare potest. In illis tamen beneficiis, in quibus fundator obligavit beneficiatum ad recitandas quotidie Horas Canonicas, procedere potest opinio Soti, ut etiam primis 6. mensibus nascatur obligatio restituendi, quia in talibus beneficiis obligatio orandi Breviarium descendit ex Jure naturali, & etiam omittens peccat contra justitiam commutativam tanquam stipendiarius, qui non facit id, pro quo stipendium accipit, prout intelligendus videtur Suar. *de Horis Canonicis c. 29. n. 7.*

Quær. III. Qualis attentio, vel intentio requiratur ad solvendas Horas Canonicas? Resp. Non aliam requiri, quam ut orans verba integrè proferat, & id faciet ex proposito tali modo Deum colendi, licet interim parum curet de intellectu verborum, quæ pleraque mysticum sensum habent, & ne quidem à viris doctis satis intelliguntur. Et propterea sufficit, ut illa intentio colendi DEUM virtualiter perduret, quamvis ex humana infirmitate variæ distractiones interveniant, dummodo illæ distractiones omninò voluntariæ non sint. Paol. Laym. *de Orat. & Horis Canonicis cap. 5. nu. 9. & seqq.* Docent quidem aliqui magni nominis DD. ut Durandus, Paludanus, S. Antonius, Medina, Sylv. & alii cc. apud Laym. *d. c. 5. n.* 10. *v. contrariam*, non requiri aliquam internam attentionem, sed solam externam circa verba integrè proferenda sufficere. Verùm cùm leges debeant accipi secundum verisimilem intentionem legislatoris *c. secundò 41. de Appell. L. contra legem 29. ff. de LL. c. fin. de R. J. in 6.* prior sententia utique est probabilior, eò quòd non sit credibile, Ecclesiam voluisse solam illam materialem, & externam prolationem verborum quacunque mente, vel intentione factam præcipere, quia *in c. 1. h. tit.* profitetur, se velle explere illud Davidis: *Septies in die laudem dixi tibi*, & illud: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ac *in c. dolentes 9. hoc tit.* præcipit, *ut studiosè pariter, ac devotè* Horæ Canonicæ persolvantur. Dicente item S. Hieron. *Audiant ii, quibus psallendi in Ecclesiam officium est, Deo non voce tantum, sed corde psallendum*, & S. Bened. *in Reg. cap. 19. sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.* Quidquid enim sit, an actus merè internos, qui in sola animi cogitatione consistunt, Ecclesia directè præcipere valeat, quod aliqui non improbabiliter affirment, quamvis ob scrupulos conscientiarum non semper expediret, nec Ecclesia ob defectum probationis transgredientes punire posset, *c. cogitationis de Pœnit. dist.* 1. potest tamen præcipere actus mixtos, partim internos, & partim externos, quatenus interna præparatio animi ad operis externi moralem perfectionem, & substantiam necessaria est, v. g. intentionem consecrandi in Missa, absolvendi in pœnitentia &c. nam homo non tantùm quoad directionem externarum actionum, sed etiam quoad directionem animæ subjectus est, juxta illud Apost. *ad Rom. 13. Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, & paulò post: *non solum propter iram* (id est pœnam fori externi) *sed etiam propter conscientiam.* 27

Quær. autem IV. An ad restitutionem teneatur, qui omni interna attentione voluntariè neglecta Horas recitaverit. Resp. Videri quidem tali casu restitutionem pro tutiori consulendam, quia eam imponunt cum Suar. *de Horis Canonicis c. 26. num.* 25. alii quoque DD. si tamen pœnitens difficulter persuaderi posset, non esset, meo judicio, multùm urgendus. Enim verò in proposita quæstione negativa sententia admodum probabilis est: cùm Bullæ in principio hujus §. allegatæ tantùm imponant restitutionem *non dicentibus* Horas Canonicas, at is, qui sine intentione, vel interruptum dixit, non posset omnino haberi pro *non dicente*, aliàs autem odia restringenda sint, neque pro peccato merè interno regulariter à jure pœna infligatur, *L. cogitationis ff. de Pœnis.* Laym. *d. c. 5. sub num.* 10. Medin. *de Orat. quæst. 15. & ibi* Corduba *lib. 4. quæst. Theol. quæst. 13. circa fin.* Henriq. *lib. 9. cap. 25. num.* 5. Non obstat, quod quidam in contrarium adducunt cum Suarez, *de Hor. Canon. cap. 26. num. 25. & seqq.* videlicet omittentem internam attentionem non satisfacere præcepto, teneri ad repetitionem Breviarii, &c. nam Resp. non satisfacere præcepto eo perfecto modo, quo deberet, adeoque ad evitandam culpam; satisfacere autem ad evitandam restitutionem: quia non constat, quòd Ecclesia obligationem restituendi etiam ad eam partem præcepti extenderit, ex qua teneatur recitans internam attentionem adhibere: nam, & sola externa attentio non est sine omni fructu: si enim in choro psalmodia decens fiat, ædificat audientes; si privatim recitetur Breviarium, præbet saltem occasionem devotioni, & plerumque fit, ut vel incidenter interveniat bonus affectus, vel saltem piæ meditationes, aut instructiones ex psalmis, & lectionibus memoriæ hæreant, & quasi præter intentionem in animum irrepant. 28

Quod

Quod verò de neceſſitate repetendi Breviarium dicitur, ſi interna attentio omiſſa ſit, illud non eſt uſquequaque certum; negant enim Medina, & Corduba *cc. ll.* ſed licet concefferimus, non tamen ſtatim ſequitur, quòd omittens repetitionem, teneatur ad reſtitutionem, vel hoc ipſo, quod præcepto, in quantum *non dicentibus* injungit reſtitutionem, jam ſatisfecerit, quamvis non ſatisfecerit præcepto in quantum etiam vult internam attentionem adhiberi, ſed id ſub nulla expreſſa pœna, vel obligatione reſtituendi.

29 Quær. V. An ſatisfaciat præcepto, qui Pſalmos unius Horæ interruptim recitaverit, vel officium ex errore mutaverit, unum pro altero dicendo? R. Quòd interruptio Pſalmorum ſit quidem aliqua irreverentia, & proptereà peccatum, ſed ex communi ſententia tantùm *veniale*, & idcirco interrumpens etiam per unam, vel alteram horam non tenebitur ad repetitionem, quia quilibet Pſalmus continet perfectam orationem. Quod ſi alicui
30 quædam occupatio incidat, quàm commodè differre nequeat, interruptio planè culpabilis non erit Leſſ. *de J. & J. lib. 2. c. 37. dub.* 16. *n.* 57. Similiter etiam ſatisfecit præcepto, & ad repetitionem non tenebitur, qui unum officium præſertim ex errore pro alio dixit, quia ſubſtantia præcepti conſiſtit in eo, ut ſeptem Horæ Canonicæ quotidie dicantur, ut verò dicatur officium v. g. de Sancto, pertinet ſolum ad ritum, & accidentalem ceremoniam: Leſſ. *d. c. 37. dub.* 12. *n.* 77. Sylv. *V. Hora q.* 12.

31 Quær. VI. An Capellani, ſeu Cooperatores Parochorum propter non oratum Breviarium teneantur ad aliquam reſtitutionem? R. Neg. quia ſuum ſalarium non accipiunt tanquam ex beneficio Eccleſiaſtico, ſed propter perſonale ſervitium, & functiones Parochiales, Suarez. *de Horis Canonicis. c.* 22. *n.* 17.

32 Quær. VII. An regularis, qui eſt Parochus, teneatur ad reſtitutionem, ſi Breviarium omittat? Puto diſtinguendum, an Parochia ſit Monaſterio incorporata, & eam habeat Regularis tanquam adminiſtrator, & Vicarius temporalis ad nutum ſuperioris amovibilis, vel utrum non ſit Monaſterio incorporata, & eam habeat Regularis tanquam beneficium? In priori caſu propterea non erit facienda reſtitutio, quia Regularis tantùm percipit ſuam congruam ſuſtentationem, & quidem non tanquam ex beneficio, ſed propter adminiſtrationem Curæ, ipſum verò beneficium ejuſque fructus ratione incorporationis ad Monaſterium ſpectare cenſentur; altero autem caſu Regularis eſt propriè beneficiatus, & conſequenter, juxta naturam omnium beneficiorum, fructus non aliter percipere poteſt, quàm cum onere recitandi Horas, vel reſtituendi.

33 Quær. VIII. Utrum Clerici ſæculares, vel regulares, qui in Parochiis, Canonicatibus v. g. incorporatis Vicarii perpetui conſtituuntur, teneantur ob neglectum Breviarium ad reſtitutionem? Sanè de rigore affirmativa evinci poteſt ex eo, quòd Vicaria perpetua dicatur beneficium, *c. poſtulaſti 26. de Reſcr.* attamen ſi congrua portio talis Vicarii ſit valdè tenuis reſpectu onerum Parochialium, quæ ſubire cogitur, tunc ſuppoſita illa ſententia, quam ſuprà in *quæſtione* I. tradidi, vel ad nullam, vel modicam tantum reſtitutionem ob neglectum Breviarium tenebitur.

34 Quær. IX. Quid veniat nomine pauperum, & fabricæ beneficiorum, quibus facienda eſt reſtitutio? R. Pauperum appellatione etiam venire Monaſteria, Eccleſias, & alia pietatis opera, nomine autem fabricæ beneficiorum non tantùm venire fabricam Eccleſiæ ſed etiam domus, in qua beneficiatus habitat, vel alterius domus ipſius beneficii pro fructibus colligendis, & conſervandis extructæ, & generaliter quidquid in perpetuum fructuum beneficii augmentum inſumitur. Barb. *de Offic. Par. p.* 1. *c.* 10. *in fin.*

35 Quær. X. Quænam ſint cauſæ excuſantes ab oratione Breviarii, & conſequenter reſtitutione? R. Eſſe I. naturalem oblivionem. II. infirmitatem corporalem, ex qua, vel ipſa rei evidentia, vel judicio medici oratio ſine magna difficultate, aut corporis periculo fieri nequit. III. gravem, & repentinam occupationem, quæ ſine ſcandalo, vel notabili damno proprio, aut alieno intermitti non poteſt IV. diſpenſationem Pontificis. V. defectum Breviarii; & impoſſibilitatem illud hic, & nunc acquirendi, prout hæ cauſæ deductiùs videri poſſunt apud Suar. *de Hor. Canon. c.* 26.

Quær. *poſtremò.* Utrùm is, qui ob ægritudinem, vel 36
aliam culpam totum officium recitare non poteſt, teneatur ad partem recitandam, quam poteſt? Item an cæcus, vel is qui Breviarium amiſit, teneatur recitare eam partem, quam memoria tenet; Affirmativam amplectitur Suar. *d. c. 26. n. 27.* eò, quòd unaquæque Hora ſit per ſe totum quoddam, & quod per modum Canonici officii convenienter dicitur, monet tamen in caſu infirmitatis corporalis non eſſe id ſcrupuloſè obſervandum. Sed Navar. *de oratione c.* 11. *n.* 15. *v.* 8. Garc. *de Benef. p.* 3. *c.* 1. *n.* 97. Leſſius *d. l. dub.* 9. *n.* 54. & alii dicunt, non teneri aliquem ad recitationem partis minoris, ſi majorem recitare non poſſit; tum quòd major pars regulariter ad ſe trahat minorem: tum etiam quòd recitatio Horarum ſit unum præceptum, & una actio moralis, quæ ſi non poteſt integrè fieri, non videtur ab Eccleſia mutilate præcepta: ſicut qui non poteſt audire totam Miſſam, non obligatur partem audire; item qui non poteſt abſtinere à carnibus, non tenetur abſtinere à cœna &c. ut pro contraria ſibi ſententia adducit Suar. *d. l. n.* 22. Atque hanc ſententiam cum Azor. & Rodriq. probabilem ait Laym. *de Hor. Can. c. 6. n.* 1. *v. ſed dubitari*; ut proptereà damnare non auſim eam ſequentem, quia plurium DD. authoritate, & bona ratione firmatur. Nec multùm urget, quòd unaquæque Hora ſit per ſe totum, & convenienter dici poſſit, ut argumentatur Suar. ex hoc enim non pluris evincitur, quàm quòd convenienter ab Eccleſia ita præcipi potuiſſet, utrum autem præceptum ſit, ita mutilatè Canonicum Officium dicere, nobis non conſtat, & in dubio potius liberatio, quàm obligatio inducenda eſt *L. Arianum ff. de O. & A.*

TITULUS XLII.

De Baptiſmo, & ejus effectu.

SUMMARIA.

1 *Infans debet baptizari, quàm primùm commodè poteſt.*
2 *Miniſter Baptiſmi non ſolemnis eſt omnis homo ratione præditus, dummodo habeat intentionem faciendi quod facit Eccleſia, ſolemnis autem Baptiſmi miniſtri ſunt Epiſcopi, & Sacerdotes, quandoque etiam Diaconi.*
3 *Præſente digniore non debet baptizare inferior.*
4 *Circa Sacramenta extra caſum neceſſitatis ſemper tenenda eſt ſententia probabilior.*
5 *In caſu neceſſitatis probabiliter licet baptizanti uti materia dubia.*
6 *Item abluere partem baptizandi non principalem.*
7 *Quando dubium occurrit de Baptiſmo legitimè collato, debet repeti ſub conditione.*
8 *In neceſſitate à Laico Baptizatus non debet rebaptizari, niſi rationabile dubium ſubſit de valore Baptiſmi.*
9 *Non baptizatus ſalvari poteſt per Baptiſmum flaminis.*
10 *Monſtra quomodo, & qualiter baptizanda?*
11 *Baptiſmus debet conferri in Eccleſiis. Fallit in filiis Magnatum.*
12 *Patrinus tantùm debet eſſe unus, vel ſummum unus, & una.*
13 *Non requiritur certa ætas in Patrinis.*
14 *Parochus hortari debet, ut baptizando detur nomen alicujus Sancti, cujus tutelæ committatur,*

NOn repeto hic, quibus cum ſolemnitatibus, & ceremoniis Baptiſmus conferendus ſit nam ſuppono In his Parochos ſufficienter ex ſuo paſtorali libro inſtructos eſſe; ſed quaſdam tantùm in dubiis, quæ circa praxin Baptiſmi frequentius occurrere poſſunt, reſolutiones ſubnotabo.

Not. igitur I. Quòd parentes, & alii, qui curam infantium gerunt, obligentur, ut eos, quàm primum commodè

dè possunt, ad Baptismum afferant, nulla tamen certa dies determinatur, in qua infans baptizandus sit, propterea consuetudinem singularum Ecclesiarum attendendam monet Laym. *in Theol. mor. lia.5.tr.1.cap.6.sub nu.8.* imò Sotus *dist. 5. q. un. ar.3.* non improbat illorum morem, secundùm quem baptismus in 8. 10. aut etiam 12. diem differunt. Sed tam longâ dilationem ego semper dissuaderem, quamvis enim non semper appareat periculum prææmaturæ mortis, semper tamen prudenter timeri debet, na infans æternæ salutis jacturam patiatur, cùm improvisæ mortis quotidiana fiot exempla.

2 Not II. Quòd minister Sacramenti Baptismi sit omnis homo ratione prædi tus, etiam non orthodoxus, dummodo habeat generalem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & adhibeat materiam, ac formam essentialem *c. in necessitate. 21. c. Romanus. 23. dist.* 4. de Cons. Trid. *sess.7. de Baptismo. can.* 4. ita tamen, ut inptimis solemnem Baptismum cum ordinariis Ecclesiæ ceremoniis tantum Episcopi, & Sacerdotes conferre possint, & etiam juxta probabilem sententiam, Diaconi, si iliis ob rationabilem aliquam causam Baptizatio à proprio Sacerdote commissa fuerit Gl. *in c. Diaconos. 13. dist. 93.* Laym. *d. l. c. 7. n. 4.* Alii verò inferiores Clerici, & Laici
3 non nisi in casu necessitatis, quando scilicet præsens periculum mortis subest, ad baptizandum cum simplici ablutione, immersiona, vel affusione aquæ, & prolatione verborum sine aliis solemnitatibus admittuntur; eo quoque ordine (ad honestatem, non verò valorem Sacramenti) observato, ut præsente Presbytero non baptizet Diaconus, nec præsente Diacono inferior Clericus, nec præsente Clerico Laicus, nec præsente viro, fœmina *c. mulier 20. & c. in necessitate 21. dist. 4. de Consecr.*

Not. III. Quòd in extrema necessitate multa liceant
4 baptizanti, quæ aliàs minime licerant. Etenim extra casum necessitatis minister Sacramenti in his, quæ ad substantialia Sacramenti pertinent, non quamcumque opinionem probabilem, sed semper certiorem, & probabiliorem sequi debet; at verò in casu necessitatis etiam probabilem aliquam practicare potest: quia utique melius est, dubiam facere salutem infantis morituri, quam desperatam relinquere, eo fermè modo, quo medici in agone omnia tentant, ut æger reconvalescat. Nec est quòd tali casu irreverentia Sacramenti timeatur, utpotè quam probabilitas sententiæ, zelus animæ salvandæ, periculum, & timor instantis mortis penitus excludit, *non enim intervenit temeritas præsumptionis, ubi est diligentia pietatis* inquit Pont. *in c. si nulla. 113. dist. 4. de Conf.* Unde.

Not. IV. Quòd baptizans semper quidem adlaborare
5 debeat, ut materiam certam adhibeat, videlicet *aquam elementaram;* interim tamen si talem habere nequear, & infans jam jam agonizet, probabiliter etiam materia dubia uti non prohibetur: cujusmodi materiæ dubiæ censentur aquæ ex herbis distillatæ jusculum, aut cerevisia tenuiter cocta, lixivium, & similes, saltem sub conditione *si materia hac est idonea* Hurtado *tr. de Baptis. disp. 1. diffic.* 2. Tanner. *tom. 4. disp. 4. dub. 2. n.* 41. Conin. apud Cast. Pal. *de Bapt. punct. 3. n.* 2. Pariter.
6 Not. V. Quamvis communiter teneant DD. quòd ad valorem Baptismi requiratur, ut nisi totus homo, saltem principalis aliqua pars ipsius abluatur, ut caput, vel pectus, & ita quidem ut aqua ad ipsum corpus pertingat; nihilominus in casu necessitatis etiam v.g. manui, quam infans ex utero matris exerit, vel pallii secundinæ, cui involutus est, aquam aspergi posse, plerique consentiunt; Imò licet aliàs totaliter in utero matris existens cum matre baptizari nequear, *quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest*, ut dicitur *in c. qui in maternis. 115. dist. 4. de Conf.* si tamen obstetrix tam perita foret, ut manu in uterum inserta, prolis corpus aqua perfundere possit una cum prolatione verborum baptismi, id omninò tolerandum docent plures apud Laym. *d. l. c. 3. sub. n. 2.*
7 Not. VI. Quòd Baptismus ordinariè sine sacrilegio reperi non possit, quia est de illis Sacramentis, quæ characterem in anima recipientis imprimunt, sicut est Confirmatio, & Ordo, Trid. *sess.7. de Sacramentis in genere. Can. 9.* Dico autem ordinariè: nam quoties dubium *facti* occurrit, an aliquis sit aliquando baptizatus, v.g. infans expositus, vel à matre in captivitate infidelium constituta natus, &c. aut dubium *Juris*, an quis sit legitimè baptizatus, v.g. si sit baptizatus cum materia, aut forma dubia: vel in parte non principali: vel quòd aqua corpus nudum non contigerit: vel denique baptizans ex post facto convictus aut confessus fuerit, quòd plurimos illegitimè baptizaverit, his & similibus, inquam, casibus baptismus reperi potest, & debet, non quidem absoluta, sed sub illa conditionata forma verborum, quæ præscribitur in *c. 2. h. t.* videlicet *si baptizatus es, non te baptizo; si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.* unde monet Barb. *de Offic. Par. p. 2. c.* 17. quòd si infans domi in casu necessitatis baptizatus sit; Parochus diligenter inquirere debeat, quis, qua materia, qua forma, in qua parte corporis &c. baptismum contulerit. Sed quid dicendum de illa consuetudine, quæ in quibusdam locis viget, quòd omnes infantes in casu necessitatis ab obstatricibus baptizati, cessante periculo denuo sub condi-
tione per Parochos rebaptizentur? R. Id quidem fieri 8
debere, ut infantes in necessitate à laicis baptizati cessante periculo ad Ecclesiam deferantur, & ibi unctiones, aliæque solemnitates adhibeantur, *c. Spiritus S. 58. §. ecce. causa 1. q. 1. Sa V. Baptismus n. 5.* Zoes. *h. t. in fin.* Sed ipsa substantialia baptismi non aliter repetenda sunt, quàm si aliqua saltem rationabilis suspicio intersit, baptismum non esse modo legitimo per laicum collatum, ut quia persona rudis est, verba inconsueta protulit, vel si experientia constet, in aliquo loco compiures esse obstetrices veneficas, quæ studio baptismum invalidum conferant. Vid. Catechis. Roman. Pii V. *de Baptis. p. 2. c. 2. n. 43.* Cæterùm à fidelibus parentibus natus, & inter fideles educatus, quamvis de ipsius Baptismo certò non constet nihilominus tam violenter præsumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur, *c. veniens 3. in fi-
ne de Presbyt. non bapt.* Neque in tali periculum damna- 9
tionis subest, si forsan revera baptizatus non sit, quia per Baptismum *flaminis* salvatur, si verum desiderium Baptismi habeat, sicut ille, qui baptizari desiderans morte prævenitur, de quo S. August. *in c. 2. de Presb. non bapt.* dicit, *Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus Religionis, sed terminus necessitatis excludit.*
Not. VII. Quòd si contingat aliquod monstrum na- 10
sci (ut nonnumquam ex congressu cum bestiis fieri solet) tunc antequam Baptismus conferatur, diligenter inspiciendum sit, an partes principales talis monstri, videlicet caput, & pectus hominis figuram referant, nec ne? Quod si non referant, Baptismus quoque conferandus non erit; sin autem aliqualiter dubitetur, dilatio facienda est, usque dum natura talis partus meliùs innotescat, vel certè si periculum mortis instet, baptizationi conditio adiiciatur: *Si tu es homo, ego te baptizo &c.* Sed quid observari debet, si partus propterea sit monstruosus, quòd videatur ex gemellis concretus? R. Distinguendum esse, an certò constet, esse duos homines, ut quia habent duo diversa capita, quatuor pedes diversos: vel certe dubitetur, ut quia unum tantùm caput, & duo pectora appareut, &c. Priori casu utrique homini suus proprius Baptismus specialiter impertiendus est. Altero verò casu Baptismus usque ad meliorem cognitionem differri debet, vel instante morte una pars potest simpliciter baptizari, & altera sub conditione, *si non es baptizatus, &c.* Laym. *ubi supra c. 6. n. 13.* Castro Pal. *d. Baptism. punct. 6. n. 4.*
Not. VIII. Quòd Baptismus non debeat conferri in 11
aulis, vel cameris, vel aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesia, ubi sunt ad hoc fontes specialiter deputati, nisi tamen subfuerit necessitas, ob quam infans sine periculo ad Ecclesiam deferri nequeat; vel nisi fuerint Regum, aut Principum filii, quibus etiam conceditur, ut domi suæ baptizari possint. *Clem. un. h. t.* Imò quòd de Principibus dicitur, tanquam in materia favorabili ad alias personas illustres, & potentes extendunt quidam apud Mascard. *de Prob. concl.* 101. *n.* 4. quod tunc saltem admittendum videtur, si talis in aliquo loco consuetudo vigeat, ut personarum illustrium filiis in suis ædibus, vel palatiis baptizentur.
Not. IX. Quòd de jure communi nonnisi unus, sive 12
vir, sive mulier baptizandum ad sacros fonte suscipere possit, *c. un. de Cogn. spir. in 6.* vel ad summum unus, & una, ut novissimè statuit Concil. Trid. *sess. 24. de Refor. Matrim.*

Matrim. c. 2. Quare in eo.lem *c.* 2. Trid. ulteriùs conſtitutum eſt, ut Parochus, antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter de electis patrinis interroget, neque plures, quàm in Concilio determinatum, admittat; deinde verò in libro eorundem nomina deſcribat, doceatque eos, quam cognationem ſpiritualem contraxerint, &c. Porrò in his patrinis nullam certam ætatem requiri, dummodo rationis capaces ſint, & fideles Catholici, hominesque boni teſtimonii, communiter docent authores, ut videre eſt apud Barb. *de Offic. Par. p.* 2. *c.* 17. *n.* 27. *& ſeq.* nam licèt in adoptione legali, ubi de ſucceſſione hæreditaria, & ſubjectione adoptati ad adoptantem agitur (ubi proinde inconveniens eſt, majorem minori ſubjici, eique ſuccedere) requiratur, ut adoptans adoptatum plena pubertate, id eſt, 18. annis præcedat *ſ. minorem* 4. *Inſtit. de Adopt.* alia tamen eſt ratio in Baptiſmo, ubi eſt quædam regeneratio in Chriſto, in quo non differt maſculus à fœmina, juvenis à ſene, & ideò poteſt quilibet effici pater ſpiritualis alterius, ſi ad ſpiritualem illius regenerationem eo, quo requiritur modo, concurrat, ut etiam advertit Sanch. *de Matr. lib.* 7. *diſp.* 61.

Demùm, quod attinet ad nomen baptizandi, utique inconveniens eſt, ſi id potius ab aliquo gentili, quàm Sancto ducatur: propereà rectè monet Barb. *de Offic. Par. d. p.* 2. *c.* 17. *n.* 20. ut Parochus hortetur patrinos, & deferentes infantem; quatenus ei nomen alicujus Sancti imponant, cujus patrocinio, & tutelæ vita ipſius inter tot
1 humanos caſus commendata ſit.

TITULUS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

S U M M A R I A.

1 *Baptiſmus eſt janua ad Eccleſiaſtica Sacramenta.*
2 *Presbyter non baptizatus baptizandus, & denuò ordinandus.*
3 *Presbyter non baptizatus, an validè conferat Sacramenta?*
4 *Exceptio circa Baptiſmum, & Matrimonium.*
5 *Sine Confirmatione validè recipiuntur Ordines.*

1 IN *h. t.* ponitur caſus, quo ordinatio repetenda eſt, nimirùm ſi quis non baptizatus ordinatus fuerit: eſt enim Baptiſmus janua ad Eccleſiam, & reliqua Sacramenta, at-
2 que ſine eo nec licitè, nec validè ſuſcipiuntur, aut Characterem aliquem imprimunt, ut proinde Clericus non baptizatus baptizari, & denuò ordinari debeat *c.* 1. *& fin. h. t. c. ſi quis per ignorantiam* 59. *cauſa* 1. *q.* 1.

3 Porrò *dubia quæſtio eſt*, inquit Barb. *in Collect. ad c.* 2. *h. t.* in præſenti textu diſputari ſolita, utrùm ille, qui non baptizatus, ſe tamen baptizatum credens Ordines procuravit aſſumere, illos receperit, Chriſtive Corpus conficiat &c. Cui quæſtioni ita reſpondet Sylv. *in V. Baptiſmus* 6. *n.* 3. (ex S. Thoma cum quo concordant alii etiam DD. apud Barb. *d. c.* 2.) dicit S. Thom. *in* 4. *diſt.* 24. *quod non baptizatus non poteſt Ordinem recipere, nec conficere, nec abſolvere, piè tamen credi poteſt, quòd ſummus Sacerdos ſuppleat, quantum ad ultimos effectus Sacramentorum; & quod non permitteret hoc ita latere, quod inde Eccleſia poſſet imminere periculum. Alber. tamen putat talem ſi ordinetur ad Sacerdotium, conficere, non in virtute ſua, ſed Eccleſia, quòd ſum. Ang. ſequitur, & falsò attribuit S. Thom. ſed primùm eſt verius*, hæc Sylveſter *c. l.* Quòd non valeant geſta ob communem errorem, quando eſt defectus in Sacramento ex jure divino dependens, quidquid aliqui ſentiant, rectè docet Sanch. *de Matr. lib.* 3. *diſp.* 22. *n.* 27. cum citatis ibidem.

4 Baptiſmus autem à tali Sacerdote non baptizato acceptus repetendus haud foret, quia ejus Miniſter poteſt eſſe quilibet homo viator, etiam non baptizatus habens intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. *c. in neceſſitate* 21. *& c. Romanus.* 23. *diſt.* 4. *de Conſec.*

Item nec Matrimonium, cui talis Sacerdos adſtitit, repetendum docet Joan. Hon. *h. t. n.* 2. Ratio eſſe poteſt, quia in Matrimonio Parochus, vel Sacerdos non requiritur ut Miniſter Sacramenti, quod contrahentes ſibi ipſi miniſtrare intelliguntur, ſed per modum excellentis teſtis, unde fit, ut etiam invitus, vel excommunicatus validè aſſiſtat, Barb. *in Coll. DD. ad c. Trid. ſeſſ.* 24. *de Ref. Matr. n.* 70. *& ſeqq.* & facit, quod tradit Sanch. *de Matr. lib.* 3. *diſp.* 22. *n.* 91. valere Matrimonium, *licet is, cui concedit Parochus licentiam aſſiſtendi Matrimonio, ſit merus Laicus, ſi communi æſtimatione, & errore credebatur Sacerdos.*

Cæterum, quæ de Presbytero non baptizato dicuntur, 5
non ſunt extendenda ad eum, qui non præmiſſo Confirmationis Sacramento ordinatus eſt, ſine hoc enim, quamvis non licitè, validè tamen SS. Ordines recipiuntur, nec reperitur aliqua Cenſura in pœnam ſtatuta Barb. *in Collect. DD. ad c.* 1. *h. t. n.* 3.



TITULUS XLIV.

De Cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum.

S U M M A R I A.

1 *S. Euchariſtia decenter aſſervanda, & quomodo à Monialibus.*
2 *Quomodo à Parochis Euchariſtia ſervanda.*
3 *Quis teneatur ad Conſervationem lampadis ardentis ante SS. Euchariſtiam.*

IN *c.* 1. *&* 2. *h. t.* jubetur ut ſacroſancta Euchariſtia, & SS. Olea decenter, & ſub fideli cuſtodia aſſerventur, ne temeraria manus poſſit ad ea extendi. Item ne ſuppellex, vel bona profana in Eccleſiis reponantur, niſi cogat hoſtilis metus, quo ceſſante denuo ab eccleſia tollenda ſunt, Et demùm ne paramenta Altaris ſint ſordida, quæ nonnunquam celebrantibus horrorem faciunt, ſed ut ſint decentia, & munda. 1

In Concilio Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regul. c.* 10. ſtatutum eſt, ut in Monaſteriis Monialium SS. Euchariſtia aſſervetur in publica Eccleſia, & non intra Chorum, vel ſepta Monaſterii, non obſtante quocunque indulto, aut privilegio. 2

Singulariter ad officium Parochi pertinet, ut SS. Euchariſtiam in loco decenti, mundo, & honorifico diligenter aſſervet, & frequenter ſaltem ſingulis ſeptimanis ſemel antiquas ſpecies, ne corrumpantur, ſumat & novas conſecret. Paul. Fuſc. *de Viſit. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 3. Item ex generali conſuetudine Eccleſiæ lampas continuò die, noctuque ante Venerabile Sacramentum ardere debet; tum propter ejus reverentiam, tum etiam ut ingredientes Eccleſiam ſciant, ubi primum præſentiam Salvatoris noſtri adorare debeant. 3

Sed quis tenebitur ad præſtationem olei, & conſervationem talis lampadis? R. Quòd ſi conſuetudo ſit in aliquo loco, ut parochiani ad conſervationem lampadis certas oblationes facere ſoleant, illa omninò obſervanda erit: ſin autem conſuetudo legitimè probari non poſſit, puto hanc quæſtionem decidi poſſe ex iis, quæ tum in jure communi *in tit. de Eccleſ. ædif. & repar.* tum in Concilio Trid. *ſeſſ.* 21. *de Ref. c.* 7. generaliter de conſervatione, & reparatione Eccleſiarum conſtituta ſunt, ut nimirum conſervatio Eccleſiæ primò deſumatur ex fructibus, & proventibus quibuſcunque ad eaſdem Eccleſias quomodocunque pertinentibus, qui ſi non fuerint ſufficientes, tunc omnes Patroni, & alii, qui fructus aliquos ex Eccleſia provenientes percipiunt, aut in illorum defectum omnes Parochiani, opportunis Juris remediis cogantur, quamvis autem hæ conſtitutiones in ſpecie de conſervatione lampadis non loquantur, quia tamen loquuntur generaliter *de inſtauratione* Eccleſiæ, utique de omnibus, quæ in Eccleſia neceſſaria ſunt, intelligendæ erunt; *nam quoties lege aliquid introductum eſt, bona occaſio eſt, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel juriſdictione ſupplere*, inquit J.C. *in l. nam ut ait ff. de LL.*

TI-

TITULUS XLV.

De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.

SUMMARIA.

1 *Papa solus approbat, & canonizat Sanctos.*
2 *Abusus in Sanctorum, reliquiarum, & imaginum veneratione tollendi.*
3 *Episcopus quid possit vigore Concilii Trid. in recognitione miraculorum, & Reliquiarium?*
4 *An, & qualiter liceat hominem cum fama sanctitatis defunctum publicè, vel privatim colere, de eo libros edere.*

1 IN duobus *Capitulis hujus Tit.* id solum statuitur, ne liceat, aliquem pro Sancto venerari, vel reliquias novas ad publicam venerationem exponere absque summi Pontificis approbatione. Item ne veteres etiam Reliquiæ venales prostent, aut nimis crebrò præsertim extra thecas populo exhibeantur, unde potiùs earum vilipendium, quàm debitus honor subsequitur. Et demùm ut Prælati caveant, ne qui ad eorum Ecclesias causa devotionis accedunt, seu peregrinantur, variis figmentis, aut falsis documentis de Sanctis, eorumque reliquiis, & miraculis forsan ad faciendum turpem quæstum, & lucrum decipiantur.

2 Prætereà hodie decrevit Concilium Trid. *sess. 25. in Decret. de Invoc. & vener. Sanct. ut omnis superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur; & Sanctorum celebratione, ac reliquiarum visitatione homines ad comessationes, atque ebrietates non abutantur; quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum, ac lasciviam agantur. Hæc ut fidelius observentur, statuit S. Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo.*

3 Verùm quod in hoc Concilii textu de approbatione Episcopi circa nova miracula, & novas Reliquias dicitur non eo sensu intelligendum est, quasi Episcopo detur potestas, aliquem pro Sancto declarandi, aut miracula, vel Reliquias hominis à Pontifice non canonizati, vel beatificati authenticè approbandi, sed id tantùm conceditur Episcopo, ut si circa aliquem Sanctum legitimè à S. Pontifice canonizatum, vel beatificatum, aut saltem communi Ecclesiæ usu, & consensu à longissimis temporibus pro tali habitum nova miracula, & Reliquiæ proferantur, tunc alia non priùs recipienda sint, nisi Episcopus recognoverit, & approbarit.

Cæterùm si quis homo probus cum indiciis, & fama sanctitatis decesserit, non poterit tamen Episcopus indulgere, ut talis ante approbationem S. Pontificis publica veneratione colatur, cum radiis, aut diademate, aliisque sanctitatis signis pingatur; eidem tabellæ pictæ miracula continentes, vel alia anathemata appendantur, &c.

4 Si verò aliqui ex privata devotione, vel divino instinctu talem piè defunctum venerentur, & invocent, atque gratias, vel miracula sibi obvenisse affirment, tabellas offerant &c. licebit Episcopo super assertis veritatem indagare, testes & documenta recipere, oblata in separato, & privato loco asservare, ut desuper suo tempore Sedes Apostolica informari possit.

Libri quoque de gestis, miraculis, revelationibus, & similibus talium hominum in opinione sanctitatis existentium non priùs imprimi debent, quàm Ordinarius adhibito consilio Theologorum, & aliorum piorum virorum recognoverit, eaque de re instructionem ad Sedem Apostolicam miserit, ejusque responsum acceperit: prout hæc omnia disertè habentur in duobus decretis Urbani P. VIII. quæ referuntur à Barbosa *in Collect. DD. ad c. 2. h. t. num. 6.* & inserta sunt in Bullario Angeli Cherubini. *Tom. 4. pag. 54. incip. Sanctiss. D. N.* & videri poterit prolixiùs idem Barbosa *in Tract. de Offic. Episc. p. 3. alleg. 97.*

TITULUS XLVI.

De Observatione Jejuniorum.

IN textu *hujus Tit.* enumerantur in primis Vigiliæ, quibus indicitur jejunium; deinde quod propter necessitatem famis, vel infirmitatem corporalem, aut debilitatem possit in quadragesima, vel aliis jejunii diebus dari licentia comedendi carnes, & in hoc sit attendenda consuetudo Regionum: *Preces tamen sint pro talibus, & cum talibus effundendæ, ne ipsis aliquatenus imputetur: cum bonarum mentium sit, ibi timere culpam, ubi culpa minimè reperitur.* Et demùm quod si Natalis Domini incidat in feriam sextam, tunc propter excellentiam festi liceat comedere carnes, exceptis illis, qui ex voto, aut regulari observantia tenentur abstinere.

De hac materia communi, & practica latè tractant Casistæ, nos tamen etiam hic quædam scitu magis necessaria breviter subjungemus.

SUMMARIA.

1 *Jejunium incidens in bacchanalia potest anticipari.*
2 *Quales cibi interdicti in jejunio.*
3 *De Refectione.*
4 *De tempore refectionis.*
5 *Causa excusantes à jejunio.*
6 *Hæreticorum fides ex contemptu jejunii suspecta, comparatur dissolutis Monachis.*

QUibus diebus jejunia servanda sint ex Calendario satis apparet: nisi quòd Episcopus ex causa jejunium transferre possit, ut si Vigilia S. Matthiæ incidat in triduum Bacchanalium, ubi pauci servarent jejunium poterit id anticipari in Sabbatho. Laym. *lib. 4. tr. 8. c. 3. in fin.* Consistit autem jejunium Ecclesiasticum in tribus nimirum I. In delectu ciborum, ut abstineatur à carnibus, & quidem de Jure Canonum non tantùm à carnibus, sed etiam lacticiniis, quæ trahunt sementinam originem, scilicet, caseo, lacte, ovis, abstinendum est. *c. denique in 6. V. par est. dist. 4.* quod tamen Germaniæ consuetudo immutavit. Imò docent Gl. *in c. Presbyter c. 5. d. caus. 82. & in c. admonere 7. V. carnem 33. q. 2.* Host. *in sum. de Observ. jejun.* Sylv. *V. Jejun. nu. 16.* cum concessione lactis, & ovorum etiam lardi, & sagiminis usum concessum intelligi, cùm formaliter non sit caro; nec videatur major ratio in caseo v. g. quàm in sagimine &c. Verùm in nostris partibus hactenus id non receptum est neque facilè introducendum, ne paulatim in jejunii leges licentiosius peccetur. Interim monet Paul. Laym. *d. l. c. 1. n. 5.* propter authoritatem DD. ex causa inopiæ, vel alia facilius per Parochum concedi posse, ut v. g. loco butyri lardo, vel sagimine uti liceat. 1 2

II. Requisitum est ut in die una tantùm refectio fiat. 3
Sed Sylv. *d. l. n. 9.* circa hoc refert diversas DD. opiniones, ex quibus plerique sentiunt, consuetudine potiùs universalis Ecclesiæ, quàm jure aliquo scripto plures comestiones in die probari. Hæc porrò consuetudo in plerisque locis ita temperata est, ut liceat in meridie prandium, & quidem solito largiùs (dummodo adhuc intra fines temperantiæ) & sub vesperum modicam collatiunculam sumere, cujus collatiunculæ quantitas, & qualitas, cùm in jure determinata non sit, ex rationabili consuetudine consideratis locorum, & personarum plus minusve cibi indigentium circumstantiis desumenda erit, ita ut potius quæratur in quantitate, & qualitate ciborum aliqualis naturæ sustentatio, quàm nutrimentum,

& sa-

& satietas Laym. *d. l. num.* 9. Azor. *leg.* 7. *cap.* 8. *quæst.* 7.

4 III. Requisitum est, observare tempus refectionis, & hoc olim erat vespertinum tantùm, prandio in cœnam mutato *c. solent* 50. *de Consecr. dist.* 1. *c. post pascha* 10. *dist.* 76. Sed, & hic consuetudo tempus meridianum substituit, illudque notabiliter v. g. per unam alteramve horam comedendo anticipare ex causa nullum peccatum, sine causa ad summum venialis culpa est. Rich. *in* 4. *dist.* 15. *art.* 3. *q.* 8. Laym. *d. l. n.* 11.

5 Causæ excusantes à jejunio sunt. I. Juvenilis ætas; nam ante a 21. ætatis annum completum non est jejunandi obligatio, eò quòd tunc corpus adolescens majori indigeat nutrimento. II. Ætas senilis juxta dispositionem corporis, & vitium arbitrio prudentis viri taxandam. III. infirmitas, vel debilitas corporis. IV. Labor, occupatio, & defatigatio corporalis, uti est in mechanicis, itinerantibus, infirmis &c. in conjugatis etiam ex continentia, vel abstinentia periculum animæ, aut corporis passuris.

Istæ causæ ad sumendam alteram largiorem refectionem in cibis jejunalibus ordinariè cujuscunque conscientiæ relinquuntur; sed ad comedendas carnes declarario, vel dispensatio Episcopi, aut eo longius distante, proprii Parochi accedere debet, ne si res cuilibet privato arbitrio committatur, nimis quisque partialis in propria causa judex sit, & paulatim abstinentia quadragesimalis vitia comprimens, mentem elevans, Deum placans, & promerens, Christi Domini exemplo auspicata, Ecclesiæ continuo usu, & SS. Patrum doctrina confirmata de medio tollatur.

Sanè quod hæretici jejunium, & jejunii meritum fastidientes, contemnunt, ex hoc ipso fidem suam de falsitate suspectam, imò & convictam faciunt, & se tantùm carnalibus desiderii, & deliciis immersos ostendunt; quot enim in veteri, & nova lege jejunii exempla? *Exod.* 24. 34. *Deut.* 9. *Joel.* 2. *Matth.* 4. 6. & 78. *Marc.* 2. *Act. Rom.* 13. 1. *ad Cor.* 7. 2. *ad Cor.* 6. *Ephes.* 5. *Thess.* 5. *Tit.* 1. 2. *Act.* 13. 22. Quomodo glorientur se Biblicos, & Evangelicos si omnia illa consilia Evangelica, quæ in mortificationem corporis tendunt, 1. *Cor.* 9. *in fin. Ad Coloss.* 3. *ad Gal.* 5. anguè pejus abhorrent. Certè *si secundum carnem vixerimus, moriemur, si autem spiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus, Ad Rom.* 8. Non sufficit exemplo diaboli *Matt.* 5. legere, scire, & allegare scripturas, nisi simul observemus. Non melius mihi imaginor hæreticos in *arcta via*, quàm ex prædicatione Christi *Matth.* 7. tenet Ecclesia Catholica, quam indisciplinatos, & dissolutos Monachos in aliqua sancta Religione; & non immeritò, à similibus enim suam fidem didicerunt. Sed multi vocati pauci electi: Studeamus ergò *ut per bona opera certam nostram vocationem; & electionem faciamus*, Petr. 1.

TITULUS XLVII.

De Purificatione post partum.

Declaratur *in c. un. h. t.* quod licet in Veteri Testamento mulieribus post partum certi dies erant præfiniti, quibus debebant abstinere ab ingressu templi, iisque expletis certum purificationis modum observare, *Levit.* 12. postquam vero illuxit veritas Evangelii, & evanuit umbra, ac præfiguratio legis non teneatur mulier ampliùs ex præcepto illo ab ingressu Ecclesiæ abstinere, si tamen velit ex veneratione id facere, non est improbanda ejus devotio. Sicut hodierno usu Ecclesiæ mulieres puerperæ solent certam benedictionem ante ingressum accipere. Sed authores, quos legi, non meminerunt alicujus præcepti circa hanc benedictionem. De usu conjugii post puerperium videri poterit Sanch. *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 22. allegatur hoc *c. un.* ad probandum quòd leges cæremoniales veteris Testamenti per adventum Christi expirarint. De quo dictum est supra Lib. I. in Tit. *de Constitutionibus* §. 1. *n.* 4. & 5.

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

SUMMARIA.

Ecclesiam hoc loco accipimus non tam pro collectione, seu congregatione Catholicorum, sicut ex Græca significatione vocatur *in cap. Ecclesia* 8. *de Consecr. dist.* 1. quam sumpta denominatione continentis à suo contento pro ipso materiali, & manufacto templo Dei, & orationis domo, ad quam fidelium multitudo congregatur. 1

Solet autem Ecclesia variis nominibus in jure nostro compellari; aliquando dicitur *Basilica*: aliquando *Cathedralis*: aliquando *Collegiata*: aliquando *Regularis*; aliquando *Matrix*, aut *filialis*: aliquando *Baptismalis*, & *Parochialis*. 2

Basilicam templum non consecratum asserit Panorm. *in rub. tit. de Consecr. Eccles. cum gl. in c.* 1. *de Relig. dom.* alii Ecclesiam principalem, seu Regiam Græco vocabulo denotari sentiunt, ad quam nimirum Princeps divini Officii causa venitare consuevit Barb. *Jur. Eccles. un. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 10.

Cathedralis vocatur, quæ est sedes Episcopi, & principalis Parochia totius civitatis, & diœcesis, & in ea est concurrens jurisdictio cum omnibus inferioribus Parochiis, ibidemque omnibus diœcesanis Sacramenta ministrari possunt. Barb. *Jur. Eccles. un. lib.* 1. *c.* 25. *n.* 19.

Collegiata dicitur in qua adest aliquis ut caput, & Clerici, vel Canonici ut membra, qui congregantur capitulariter, habentque Sigillum, & arcam communem Barb. *d. l.* 2. *cap.* 6. *n.* 9.

Regularis intelligitur erecta pro cohabitatione Religiosorum sub certa, & Sede Apostolica approbata Regula viventium, qua de re partim superiùs in Tit. XXXI. XXXV. XXXVI. & XXXVII. & videri poterit Barbosa *de Offic. Epis. alleg.* 26. *à nu.* 4. Lauret. de Franch. *de Controv. inter Epis. & Reg. cum addit.* Zach. Pasqualigi *p.* 1. *d n.* 399. & *seqq.*

Matrix Ecclesia licet propriè vocetur cathedralis *cap. venerabili* 22. *de Arbitr.* usu tamen etiam inferior venit, quæ alias Ecclesias sibi subjectas habet, quasi *Mater* aliarum, quæ propterea *filiales* nuncupantur. Text. in Trid. *sess.* 21. *de Ref. cap.* 7.

Baptismalis est ubi sunt fontes Baptismales pro baptizandis parochianis; & quamvis à baptismali non necessariò inferatur ad parochialem, tamen plerumque parochialis Baptismalis est, & econtra, & fons baptismalis saltem non leve argumentum parochialis Ecclesiæ censetur. Quæ verò dicatur *parochia*, & *parochialis Ecclesia*, & qualiter constituatur, ac probetur, diximus supra 19. In Tit. XXIX. de Paroch.

Ædificium porrò Ecclesiæ inchoari non debet, nisi priùs Episcopus ad locum accedat, ac cœmiterium publicè designet, ibique *crucem cum precibus figat*, & in jacien-

jaci.ndis fundamentis *primum lapidem* ponat Text. & Gloss. *in c. nemo 9. de Consecr. dist.* 1 non tamen requiritur, ut Episcopus personaliter ista peragat, sed poterit alteri v. g. Vicario, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ delegare. Azor. *Instit. mor. p.* 2. *lib. 9. cap. 9. q.* 4. Barb. *de Offic. Episc. p.* 2. *alleg.* 26. *n.* 1.

Consensus proinde Episcopi ad construendam Ecclesiam necessarius est, saltem tacitus, si sciens non contra-
4 dicat, vel ratificatio ex post facto accedens. Azor. *d. l. q.* 5. Barb. *d. alleg.* 26. *n.* 2. ubi addit, Episcopus prohibere non posse, si patronus dives velit Ecclesiam sufficienter dotatam suis sumptibus ampliare, & exornare. Pariter etiam exempti, si in loco non exempto ædificare velint, consensum Episcopi habere debent, Text. & DD. *in c. auctoritate 4. de Privil. in 6.* aliàs ędificatum acquiretur Episcopo *Text. in c. cùm olim 14. vers. præterea ubi gl. in 6. revocari X. de Privil.* CoKier. *de Jurisd. Ord. in exemptos p.* 2. *q.* 45. *n.* 30. Quænam verò specialiter requirantur ad ædificanda Monasteria Regularium, diximus superiùs in Tit. *de Religiosis domibus*, & in Tit. *de Capellis Monachorum*.

5 Dubitari posset, an hodie Episcopus rectè licentiam concedat privata, & domestica Oratoria construendi, in iisque celebrandi? Ratio negandi habetur in Conc. Trid. *sess.* 22. *de Sacrif. Missæ c.* 8. Verum interpretatio magis in praxi recepta est, quam etiam tradit Navarr. *de Privil. Consil.* 5. & Barb. *ad d. c.* 8. *n.* 16. quòd Concilium tantùm voluerit tollere abusum, ne passim, sine rationabili causa in privatis domibus celebretur. Solent tamen tales licentiæ dari cum clausulis: ut locus sit decenter ornatus, à sæcularibus negotiis liber, desuper à conjugatis non inhabitatus. Item ut concessio intelligatur, sine præjudicio Parochialis Ecclesiæ, ne ibidem conciones, atque oblationes negligantur, & excipiantur dies Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, in quibus cessante impedimento Ecclesia Parochialis frequentanda est, & demum, quòd in diebus festis audiendo missam in Oratorio privato non satisfaciant, qui non sunt de familia personæ, cui licentia conceditur. Riccius *in Praxi aurea tom.* 3. *res.* 298.

6 Præterea ad constructionem Ecclesiæ desideratur congrua dotatio pro conservatione ipsius pro nummericis stipendiis ministrorum, & custodum, aliisque necessitatibus, *c. nemo Ecclesiam 9. de Consecrat. dist.* 1. Quòd si permittente Episcopo sine dote constructa fuerit Ecclesia, neque fundator, aut hæres ejus ampliùs solvendo sint aut cum effectu conveniri possint, Episcopus de suo providere tenebitur. Text. & Gl. not. *in c. cum sicut 8. de Consecr. Eccles.* Antiquitus constitutum erat, ut cuilibet Ecclesiæ pro dote assignaretur *mansus unus* ab omnibus aliis servitiis liber, id est, tanta pars agri fertilis, quam par boum in anno colere possit. Text. & *in c. 1. de Censibus.* Hodie pro circumstantia temporum, & locorum arbitrari solet Episcopus, quanta dos sufficiat.

7 Forma Ecclesiarum ex antiqua traditione oblonga esse consuévit, indicans naviculam Petri inter fluctus hujus mundi salvantem. Item Apostolos instituisse, ut si commodè fieri possit, altare principale versus orientem erigatur, & Christianos ex antiqua pariter traditione solitos versus Orientem orare ex Clemente, & aliis SS. PP. refert Azor. *d. p. 2. lib. 9. c. 3. q.* 12. Tradit verò Barbosa *Juris Eccles. univ. lib. 2. c. 2. n.* 19 ex Tostat. *sup. Mat. c. 6. q.* 91. & aliis, & quòd caput Ecclesiæ debeat *Septentrionem* respicere: Id tamen non invenio apud Tostatum *cit. loc.* ubi solùm de *Oriente* loquitur; forsan librariorum hic error irrepserit. Et plures rationes hujus convenientis orationis adducit, præsertim cùm Christus dicatur ad Orientem ascendisse. *Psal. 67. vers. 33. ibi: Psallite Deo, qui ascendit supra cælum cęli ad Orientem.* Et inde credatur venturus, juxta illud *Matt. 24. ỷ. 27. Sicut exit fulgur ab Oriente, & paret in Occidente, ita erit adventus filii hominis.* Qua in re non videtur magna difficultas facienda, sicut pleraque templa videmus opportunitati locorum accommodata; in omni enim loco Deus, cujus sunt omnes mundi cardines, & plagæ, decenter adorari potest, ut etiam notavit Tostatus *d. q.* 19. asserens superstitiosum fore, qui credere, tantùm versus Orientem adorari posse,

8 Circa reparationem Ecclesiarum ruinosarum omnium Primò attendenda est consuetudo; alicubi enim, ut in Germania nostra ipsæmet Ecclesiæ proprios reditus tum ex donatione, tum ex oblatione, vel piis legatis collectos habent, ad fabricam Ecclesiæ, aliasque ipsius necessitates procurandas destinatos: alicubi plebi, & populo, quem curat Sacerdos, eadem reparandi obligatio incumbit &c. Quòd si nulla specialis consuetudo probari possit, vel reditus ad fabricam deputati deficiant, tenentur beneficiati, & qui ex Ecclesia utilitatem, & fructus percipiunt *c. 1. h. t.* si verò rector beneficii tot reditus non percipiat, ut salva congrua sustentatione suas impensas ferre possit ad collectationem inter populum, cui ibidem sacra administrantur, & vicinos devenitur. Vid. Laym. *lib. 4. tr. 2. c. 13. n.* 10.

9 Circa reparationem Ecclesiarum parochialium ruinosarum observanda est constitutio Concil. Trid. *sess.* 21. *de Ref. c. 7.* quòd nimirum Ecclesiæ parochiales (idem esse de omnibus parochialibus declaravit S. Cong. *in eod. c. 7.*) ex fructibus, & proventibus quibuscunque ad easdem Ecclesias quomodolibet pertinentibus restaurari debeant. Si verò dicti Ecclesiarum reditus sufficientes non fuerint, tunc omnes patroni, & alii, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt; aut in illorum defectum parochiani omnibus opportunis remediis appellatione remota cogi ad reparationem poterunt.

Quia porrò Concilium patronos, aliosque ex Ecclesia utilitatem, & fructus percipientes per copulam *ET* conjungit, videntur omnes simul juxta proportionem redituum, & emolumenti arbitrio Episcopi taxandum in contributionem vocandi: nam omnes simul tangit regula, qui sentit commodum, sentiat & onus. In rectoribus tamen, & beneficiatis deducenda priùs sunt necessaria pro eorum sustentatione congrua juxta decentiam vitæ clericalis, non secundùm exigentiam mundanæ dignitatis, ad quam ampliandam non dati beneficia, sed potiùs pro alimento ministrorum Ecclesiæ, & pauperum, ac augendo cultu divino, refert Barb. *in Collect. ad d. c. 7. Trid. n.* 10.

Quòd si ob notoriam egestatem nemo ex prædictis contribuere valeat, nec spes sit futuræ reparationis, Ecclesia ruinosa omnino destrui poterit, ac ejus jura & fundi dotales, ad matricem Ecclesiam, si filialis sit, vel aliam viciniorem authoritate Episcopi transferri. In hac porrò Ecclesia, ad quam fit translatio, erigendum est altare sub eadem invocatione, sub qua fuit Ecclesia diruta. Barb. *d. l. n.* 25.

Idemque de beneficiis simplicibus dicendum, quæ fuerunt in Ecclesia collapsa, ut arbitrio Episcopi alicui altari vicinioris Ecclesiæ cum omnibus oneribus, & emolumentis, ac prioribus invocationibus applicentur, sicut in text. Trid. habetur.

10 Lapides vero, & tigna destructæ Ecclesiæ quamvis olim non licuerit ad alium quàm Ecclesiasticum usum applicare scil. ad ædificationem alterius Ecclesiæ, *c. ligna. 38. de Consecr. dist.* 1. hodie tamen facultatem concessit Concil. Trid. *d. c. 7.* ut Ecclesiæ dirutæ (id est, tam locus ipse quam materialia. Rota apud Farin. *p. 1. in posthum. dec. 107. n. 2.*) in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibidem cruce, converti possint.

11 Non posse autem ab Episcopo profanari cœmiterium, sicut Ecclesiam *in d. dec.* habetur. Item ligna picta, vel alia materialia aliquo signo notata, ex quo noscerentur fuisse Ecclesiæ, ad vitandum scandalum non posse applicari ad fabricam laicalem, ex Navar. *de Spol. Cler. §.* 18. *prope fin.* refert Barb. *in d. c. 7. Trid. n.* 24.

Est, & notabilis doctrina Azorii *Inst. mor. p. 2. lib. 9. c. 3. q.* 13. quòd si Ecclesia destruatur ex incendio, tumultibus bellicis, vel ut de novo reædificetur, non propterea amittantur Indulgentiæ, vel privilegia tali loco concessa, sed ad novum etiam ædificium extendenda sint, licet aliud sit, si in vindictam sceleris authoritate superioris aliquis locus destruatur,

TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Cœmiterii, & Rerum ad eas pertinentium.

SUMMARIA.

§. I.

1 *Munus, & immunitas quid significet.*
2 *Immunitas Ecclesiarum, & Ecclesiastica differunt.*
3 *Immunitas localis excludit profanas actiones ab Ecclesiis.*
4 *Immunitas localis, seu jus asyli quos protegat, vel non.*
5 *In Ecclesiis quales actus tolerentur salva earum reverentia.*
6 *Contractus in Ecclesia factus an valeat?*
7 *Immunitas localis protegens malefactores sit ne juris divini, vel humani?*
8 *Circa immunitatem prævalent Canones legibus Civilibus.*
9 *Immunitati locali an possit derogare consuetudo.*
10 *Immunitas quibus locis competat.*
11 *Immunitatem an reperiat confugiens ad Sacerdotem deferentem SS. Eucharistiam?*
12 *Immunitate non gaudent publici latrones, nocturni depopulatores agrorum, per assassinii crimen, vel proditoriè occidentes, & qui dicantur tales.*
13 *An ad excludendam immunitatem copulativè requiratur, ut delictum in Ecclesia, simul spe immunitatis commissum sit?*
14 *Circa delictum in Ecclesia commissum plura notabilia.*
15 *Immunitas Ecclesiæ an protegat occidentem in duello?*
16 *Immunitas quando denegetur reis læsæ Majestatis.*
17 *Ad immunitatem an possit proclamare, qui jam vinctus Ecclesiam, aut Cœmiterium ducitur, vel è carcere, aut manibus lictorum elapsus fuit.*
18 *Immunitas an detur etiam Clericis, vel Religiosis delinquentibus.*
19 *Immunitas an detur Hæreticis, Gentilibus, aut Judæis.*
20 *Immunitatis executio erga reum ad Ecclesiam confugientem, qui vel ea gaudet, vel non gaudet, qualiter fiat.*
21 *Immunitatem violantium pœna.*

Sicut *munus* in latino sermone, & sensu Juris non tan-
1 tùm *donum*, sed *& onus*, ac obligationem, seu functionem alicui impositam significat, *l. munus 18. ff. de Verb. sig. & t. t. de Muneribus, & honor.* unde, & *municeps*, quasi communium onerum, & munerum particeps dicitur *l. 1. §. 1. ff. Ad municipal.* ita *immunitas* est vacatio, & liberatio ab onere, & obligatione *t. t. ff. de Vacat. & exc. munerum*; *ff. de Jure immunitatis*.

In præsenti quoque nostro titulo congruè describi po-
2 test immunitas, quòd sit *Jus, quo loca, res vel persona Ecclesiastica à communi onere, seu obligatione libera sunt, & exempta*. Dividitur in *localem, realem, & personalem*. De quibus distinctis §§. breviter ea referemus, unde plurimæ aliæ quæstiones passim à DD. tractatæ potissimùm dependent.

Priùs autem notari potest, quòd licet non pauci DD. *immunitatem Ecclesiarum, & immunitatem Ecclesiasticam* promiscuè appellent *arg. Rubr. hujus tit.* alii tamen faciant differentiam, & *immunitatem Ecclesiarum* vocent immunitatem *localem*, immunitatem verò *Ecclesiasticam* reliquam libertatem, & exemptionem Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum à jurisdictione, & oneribus sæcularium, arg. tex. *in Extrav. 1. §. incendiarios de Priv. inter. Com.* Proinde censent, in materia pœnali, ubi termini propriè, & strictè accipiuntur: pœnas in violatores *libertatis*, seu *immunitatis Ecclesiasticæ* latas ad violatores *immunitatis Ecclesiarum*, sive localis, aut è contra non esse extendendas. Riccius *in Praxi aurea p. 2. res. 53. num. 2.*

§. I.

De Immunitate locali.

Immunitas localis in duobus consistit, nimirùm ut actus profani, & sæculares in Ecclesiis non fiant; deinde 3
ut malefactores confugientes ad Ecclesias ibidem protegantur; de utraque præmittemus, quæ certa sunt, & subjungemus, quæ dubia, & controversa.

Itaque in primis in Ecclesiis, & cœmiteriis omnes negotiationes, nundinæ, profanæ societatum conventiones, & consilia sub pœna arbitrio Ordinarii infligenda prohibentur, *c. 2. h. t. in 6.* Specialiter verò ab Ecclesiis arcentur contentiones, & sæcularium judiciorum strepitus, adeò ut totus processus judicialis, & ipsa etiam sententia in loco sacro lata ipso jure nulla, & sine effectu sit. *d. c. 2. §. ordinariis*.

Maximè autem immunitati Ecclesiarum repugnat, si sanguinis forum efficiatur, & absurdum est, ac crudele, inquit Pontif. *in c. cum Ecclesia 5. h. t.* ibi judicium sanguinis exercere, ubi est tutela refugii constituta. Unde *in eod. c. 5.* præter nullitatem processus etiam excommunicationis, ac anathematis pœna jubetur inferri illis, qui causas criminales in Ecclesiis, vel cœmiteriis agitant.

Prætereà comœdiæ profanæ, & ludi theatrales, choreæ, & convivia, aliæque actiones similes prorsus à locis sacris excludendæ sunt, *cap. cum decorem 12. de vita, & honestate Clericorum*. Denique novissimè Conc. Trid. *sess. 22. in decreto de observandis, & vitandis in Missa*, ita statuit: *ab Ecclesiis musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivũ, vel impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, profana colloquia, deambulationes, strepitus, & clamores arceantur, ut domus Dei vere domus Orationis videatur*, ac in ea Divinum Nomen Salvatoris nostri cum omni reverentia, & devotione adoretur *juxt. text. in d. c. 2. h. t. in 6.*

Quod attinet ad alteram immunitatis speciem scil. *Jus asyli* competens malefactoribus ad Ecclesiam fugienti- 4
bus pro certo tenendum est, quod regulariter omnes non specialiter in SS. Canonibus excepti hoc immunitate gaudeant, ut si ad Ecclesiam, vel cœmiterium confugiant, violenter extrahi, vel pœna corporali sanguinis affligi non possint, quamvis gravia delicta commiserint, sed eorum pœna sit in aliam pecuniariam, vel Ecclesiasticam commutanda, utque civiliter resarciant partibus damna, quæ intulerunt. *c. reum 9. causa 17. q. 4. c. inter alia 6. h. t.*

Certum tamen etiam est ab hoc privilegio exceptos esse publicos latrones, nocturnos depopulatores agrorum, *d. c. 6.* & qui spe immunitatis in ipsa Ecclesia, vel cœmiterio mutilationes membrorum, vel homicidia committunt, *c. fin. h. t.*

Unde neutiquam audienda est quorundam calumnia, quòd per hoc privilegium Ecclesiæ fiant speluncæ latronum: quia Ecclesia non protegit eos, qui in eadem, & de immunitate impiè præsumentes delinquunt, neque pœnam tollit, sed mitigat; quod verò ex humana fragilitate delinquentes in Ecclesia refugium, & veniam contra vindicem pœnarum severitatem reperiant, optabile magis mortalibus, quàm abominabile censendum est.

Quas porrò juris communis exceptiones Greg. XIV, in Bulla: *Cùm alias*, confirmavit, & extendit his verbis: *ut laicis ad Ecclesias locaque Sacra, & religiosa confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut, depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cœmiteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassinii, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet principis rei, immunitas non suffragetur.* Et revocat omnia privilegia pontificia judicibus laicis

concessa procedendi contra reos ad Ecclesias confugientes extra casus hic exceptos. De his exceptionibus vide infra *q. 6. & seqq.* Sed jam ex his certioribus præmissis.

5 Quær. I. An quia in sacris canonibus tantùm negotia, & judicia sæcularia in Ecclesiis fieri prohibentur, ideo saltem tales actus, qui quidem non immediatè deserviunt ad cultum Divinum sunt tamen Ecclesiastici, & pii, in Ecclesiis fieri possint? Affirmativa communior est. Ita enim omnia judicia Ecclesiastica etiam contentiosæ jurisdictionis in Ecclesia permitti, docet Glossa, & Pan. *in d. c. 5. h. t.* arg. à contrario sensu *ex eod. c.* deducto. Ita electiones Prælatorum in Ecclesiis instituere, *c. qua fronte 25. de Appellat.* Synodum, sive Concilium in Ecclesia facere, de reformatione morum in Clero, & populo tractare, de ædificiis, & fabrica Ecclesiæ cum artificibus convenire licebit, Disputationes quoque litterariæ, & promotiones ad gradus juxta antiquissimam multarum Academiarum consuetudinem in Ecclesiis permitti possunt; dicitur enim scientia res Sanctissima *in l. 1. §. proinde ff. de Extraord. cognit.* utpote qua ad obediendum Deo, & Principi vita subditorum informatur. *Auth. habita C. Ne filius pro patre.*

6 Quær. II. An sicut processus judicii sæcularis in Ecclesia factus est ipso jure nullus, ita etiam contractus profanus ibidem celebratus; Pro affirmativa adduci potest vulgata juris regula, quòd ea, quæ contra leges fiunt pro infectis haberi debeant, *l. non dubium 5. C. de LL.* & non videatur major esse ratio de judiciis, quàm de contractibus. Nihilominus contraria sententia, scil. contractus in Ecclesia celebratos esse quidem illicitos, sed non invalidos, magis communiter recepta est: quia cum jura tantùm judicia expressè annullent, habet hic locum alia regula, quòd pœnalia non sint ultra casus expressos extendenda *c. odia 15. de Reg. jur. in 6.* major etiam ratio prohibitionis circa Judicia, quàm contractus hæc assignari potest, quòd judiciales contentiones, & strepitus minus Ecclesiis conveniant, quàm contractus, qui in silentio expediri possunt. Illa porrò regula *ex l. non dubium* desumpta varias habet limitationes, in nostro proposito unam tantùm adferimus, quòd nimirum actus contra leges factus habeatur pro infecto, si actus sit à legibus prohibitus ratione sui, ut quia est iniquus, contra bonos mores, &c. *juxta c. fin. de Pactis*; non autem si tantum sit prohibitus ratione loci, nisi lex etiam in istum casum (ut in judiciis) expressè decreverit nullitatem,

7 Quær. III. Cujus juris sit asylum Ecclesiarum, naturalis ne, vel divini, an potiùs humani, & positivi, ac proinde, an contrario statuto, vel consuetudine mutari possit? R. asylum Ecclesiarum, quo defenduntur malefactores ab ordinaria delicti pœna, probabilius videtur, non esse juris naturalis, nec Divini, sed humani, & positivi nisi inquantum arcet judicem sæcularem, ne propria authoritate actus jurisdictionis in Ecclesia, & loco sacro (qui utique jure Divino ab ejus jurisdictione exemptus est) exerceat. Licet enim in jure Divino, & naturali præceptum sit, Deum colendum, & locis sacris reverentiam exhibendam, non tamen inde rectè ad immunitatem reis præstandam infertur, cum ècontra etiam crimina coercenda esse, jure naturali, & Divino statutum sit. Item licet in lege Veteris Testamenti civitates refugii constitutæ essent, ut *Exodi 21. Num. 35. Josue 20. Deut. 19,* illæ tamen civitates tantùm illis, qui præter intentionem delictum perpetrarunt, patebant, ne injustam persecutionem à propinquis occisorum paterentur, aliis verò, qui ex odio per industriam, & per insidias occiderant, civitates refugii minimè subsidio fuerant, ut ex textu S. Scripturæ *Exod. 21. V. 14. Deut. 19. V. 4. 5. & 6. Josua 20. V. 5.* luculenter apparet. Et exinde leges veteris Testamenti, quæ morales, & in jure naturæ fundatæ non erant, per adventum Christi expirarunt, *c. translato 3. de Constit. c. un. de Purif. post partum.* Ideò illa lex Mosaica in novo Testamento non amplius ex jure Divino obligat, sed tantùm facit, ut per Pontifices, & legislatores humanos idem in novo Testamento ad majorem sacrorum venerationem constitui rationabiliter potuerit, quam venerationis convenientiam vel ipsis Gentilibus ratio dictavit, qui ad suos Flamines, & Vestales confugientes à verberibus, & vinculis liberabant, ut ex Gellio, & Plutarcho refert Gothofredus *in suis notis ad l. ad dictos 6. C. de Episc. audient. lit. B.* suadetque humanitatis benignitas, ut fragilitati humanæ saltem aliquod contra pœnarum acerbitatem remedium sit.

8 Quamvis autem circa hanc immunitatem plures non solùm Canones, sed etiam leges civiles, & statuta sæcularium reperiantur, *ut tota tit. C. De his qui ad Ecclesiam. Item qui ad statuas confugiunt, & Nov. 17. c. 7.* si tamen inter leges, & Canones contrarietas reperiatur, tunc etiam in foro sæculari magis Canones observare debemus: quia ad Summum Pontificem, & judices Ecclesiasticos spectat, illa decidere, quæ ad Ecclesias, earumque jura, & reverentiam pertinent, ut cum plurimis cit. tradit Covar. *Variar. Resolut. lib. 2. cap. 20. num. 3.* Hinc est, quod licet *in d. Nov. 17. c. 7.* raptores virginum, adulteri, & homicidæ quicunque immunitate priventur, id tamen observata Juris Canon. dispositione non procedat, ubi præter specialiter exceptos, omnes reliqui gaudere immunitate dicuntur, quantumcunque gravia delicta perpetrarint. *c. inter alia 6. & ibi*, Gl. *h. t.* Clar. *lib. 5. sent. c. 30. n. 9.*

9 Consuetudinem etiam in hac immunitatis materia observandam esse, monet Covar. *dicto loco num. 4.* licet eandem immunitatem notabiliter restringeret, tum quod non sit juris naturalis, ut Divini, ut dictum, & consequenter contrariam consuetudinem, vel constitutionem admittat, tum etiam, quòd hæc immunitas non sit valdè favorabilis, sed strictæ interpretationis, ne scelera maneant impunita, & homines tantò audacius delinquant cum magno Republicæ detrimento. Quæ sententia tamen aliis displicet, quòd in tali consuetudine deficiat expressus consensus S. Pontificis, qui potiùs immunitatem Ecclesiasticam propugnare, quàm admisso contrario usu tollere intendit, juxta Concil. Trid. *sess. 25. de Ref. c. 20.* & Bullam Urbani VIII. *Roman. Pontif. de Anno* 1641. Sed faciunt pro Covar. ea, quæ *in Lib. I. in Tit. de Consuet. n. 19. & 23.* dicta sunt. Ac saltem in casibus dubiis, atque inter DD. controversis aliquid tribuendum esse consuetudini legitimè probatæ existimo. *l. si de interpretatione 38. ff. de Legibus*. licet de cætero ipse credam, non esse huic consuetudini favendum, si immunitati nimium derogaret: cum enim immunitas canonibus, & legibus, & moribus etiam Gentilium ab omni ævo stabilita, in ratione divinæ venerationis, & humanæ clementiæ fundata sit, & inde propè ad dictamen aliquod naturale accedat, consuetudo contraria plerumque rationabilis, & valida censeri non potest. *cap. fin. de Consuetud.*

10 Quæritur IV. Utrum omnes omninò Ecclesiæ etiam necdum consecratæ, pollutæ, vel interdictæ hoc jus immunitatis habeant, & quid dicendum, si quis in monasterium, vel hospitale confugiat? De Ecclesiis, quæ licet consecratæ non sint, in iis tamen cum licentia Episcopi missæ celebrantur, habetur textus expressus *in c. Ecclesia 9. h. t.* quòd immunitate gaudeant. De aliis Ecclesiis non consecratis, in quibus nullæ adhuc missæ lectæ, textus quidem non habetur, quia tamen loca pia sunt, & ad Divinum cultum destinata, etiam ipsis hoc privilegium à multis adscribitur, quemadmodum etiam monasteriis, hospitalibus, aliisque similibus piis locis cum authoritate Episcopi erectis, quia regulariter omnia privilegia Ecclesiis data etiam ad talia pia loca extenduntur *l. omnia 35. C. de Episc. & Clericis.*

Item Ecclesia vetustate, vel incendio, aut bello diruta, non amittit hoc immunitatis, sicut nec alia privilegia, dummodo authoritate Superioris Ecclesiastici destructa non sit, & ejus reparatio speretur. De quibus omnibus copiosas DD. allegationes habet Barb. *Jur. Eccl. un. lib. 2. c. 3. n. 59. 67. 72.*

Quod verò de jure certum est, non tantùm ipsas Ecclesias, sed etiam atrium in majoribus Ecclesiis ad 40. in minoribus, & capellis ad 30. passus circum circa immunitatem habere, *cap. sicut antiquitus 6. causa 17. quæst. 4.* de consuetudine non observari, nec ultra fines cœmiteriorum, aut fores Ecclesiæ immunitatem attendi testatur Zerola *in Praxi Episc. p. 1. V. Immunitates §. 12.* ipsum tamen cœmiterium, sive conjunctum cum Ecclesia, sive separatum, authoritate tamen Episcopi designatum, & sacratum hanc immunitatem habet. *2. cum Ecclesia 5. ubi* Gloss. *in V. cœmiteriis h. t.* Item si quis foribus Ecclesiæ clau-

clausis limen, aut murum ejus apprehenderit, censent DD. inde avelli per judicem sæcularem non posse. Barb. *d.c.3.n.65.* Diana *Moral. Resol.p.3. Tit. de Immun. Eccles. res. 73.*

11 De oratoriis etiam privatis plerique conveniunt, quòd non habeant hanc immunitatem, quamvis ibidem missæ legantur; quia non sunt propriè loca religiosa Deo dedicata, sed pro arbitrio Domini domus possunt ad alios profanos usus applicari. Clarus *Lib.6. §. fin.7.* Circa Ecclesias *sanguinis, aut seminis profusione pollutas*, vel nominatim per Episcopum *interdictas*, ne in iis Divina celebrentur, communis est Doctorum sententia cum Hostiensi *in Summa hoc tit. n.9.* Pan. *in c. Ecclesia. 9. h.t. n.8. vers. tertio quæro* Suar. de *Relig. tom. 4. lib. 3. cap. 9.* & aliis quòd non admittant jus immunitatis, neque ideò minùs in respectu, & reverentia habendæ sint, cùm pollutio, & interdictum non ex culpa Ecclesiæ, sed hominum circa eam delinquentium aveniant. Idque plurimum confirmatur ex eo, quòd Clericus etiam ex propria culpa interdictus, aut excommunicatus nihilominus privilegia clericalia retineat.

12 Quæritur V. Utrùm Reus confugiens ad Sacerdotem portantem Eucharistiam extra Ecclesiam apud eundem asylum reperiat? Affirmativa communis est, si enim de jure civili immunitas conceditur illis, qui ad statuas Principis confugiunt, *l. unica C. de his, qui ad statuas &c.* cur non potius ipsi Christo Domino hoc privilegium adscribatur? Deinde ipsis Ecclesiis potissimùm propter SS. Eucharistiam, & celebrationem Divinorum immunitas concessa est, ut meritò huc accommodari possit illud, *propter quod unumquodque tale, illud magis tale.* Et haud dubiè non cum minori irreverentia aliquis per lictores à Venerabili, quàm ab Ecclesia abstraheretur. Panorm. *in c. sane 10. de Celebrat. missarum.* Clarus *lib. 5. sent. §. fin. q. 30. n. 24.* Navar. *in Man. Confess. c.25. num.15.* id quod locum habet, non tantùm si Sacerdotem, vel hastam Baldachini apprehenderit, sed etiam, si se personis associantibus SS. Sacramentum immiscuerit; quia illa cum Sacerdote portante SS. Eucharistiam unam Ecclesiam constituunt. Diana *Mor. resol. p. 1. tract. 1. Resol. 28.* Barb. *Jur. Eccl. un. lib. 1. c. 24. n. 69.*

13 Quær. VI. Quinam dicantur *publici latrones, nocturni depopulatores agrorum, per assassinij crimen*; item *proditorie occidentes*, quos tum jus commune, tum Bulla Greg. XIV. ab immunitate excludit. R. ex magis communi interpretatione *publicos latrones* dici, qui interdiu, & palam homines aggrediuntur, armati publicas vias obsident, transeuntes spoliant, resistentibus quoque vulnera, & cædes inferunt; quibus etiam accensentur piratæ, vel qui castra incolunt, unde erumpentes vicinis aut peregrinantibus damna inferunt. Differunt *a nocturnis depopulatoribus* agrorum, quòd illi palam, & publicè deprædentur, hi verò nocturno solùm tempore, & latenter, aut segetes in agris devastant, aut aliàs agrestibus, vel per itinera publica proficiscentibus nocent. Panorm. *in c. inter alia. 6. h. t. n. 5.* Barb. *in Collect. ibidem num. 73. §. 42.* Furtum autem simplex, sive de die, sive de nocte patratum non excluditur ab immunitate, latrocinium enim, & depopulatio dicunt assiduitatem, frequentiam, & quandam violentiam facinoris, aut saltem intentionem, & propositum talis facinorosæ vitæ.

Assassinos fuisse quosdam infideles, qui accepta pecunia occidebant Christianos, notat Glossa *in c. 1. de Homicid. in 6.* Covar. *Var. Resol. lib. 2. cap. n.* 10. ubi docet crimen assassinii, quòd sub gravibus pœnis persequitur *d. cap. 1. de Homicid. in 6.* non committi, nisi infidelis à Christiano pretio conductus alium Christianum occiderit. Fatetur tamen communem opinionem esse in contrarium, cujus authores ponit *n. 9.* qui censent crimen *assassinii* committi ab omnibus, qui aut occisorem conducunt, aut qui operas suas ad occidendum locant, additque hanc sententiam esse consuetudine receptam; quò facit, quòd tales videantur saltem ob qualitatem proditorii homicidii immunitate privandi. *arg. c. 1. X. de Homicidio.*

Denique occidentes *proditorie* dicuntur, qui extra rixam veneno, à tergo, vel alias nihil mali metuentem occidunt. Barb. *in Collect. ad d. c. inter alia. h. t. nu. 46.* aliqui tamen ab eodem Barb. citati sentiunt, homicidium proditorium propriè dici, quando nullus rancor, vel inimicitia præcessit, sed v. g. alter alterum veneno, vel à tergo, aut de nocte occidit, ut possit habere pecunias, uxorem, vel alias res ejusdem. Et quia Bulla Greg. XIV. tantùm homicidii proditorii meminit, id non nisi in hoc posteriori sensu accipiunt, aliisque homicidiis etiam per insidias, & industriam, ubi inimicitia præcessit, immunitatem concedunt. Vid. Diana *Res. Mor. p. 1. tr. 1. resolut. 1.*

Unde per hanc Greg. constitutionem decisa est illa controversia, quæ ex jure veteri da homicidio *proditorio*, an tollat immunitatem, fuit diu multumque agitata. Utur enim *in c. 1. de Homicidio* (quod desumptum *ex lib. Exodi 21.*) ita legatur *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur*; qui hunc textum in eum sensum interpretati sunt, ut si Clericus aliquem per industriam occiderit, is degradari, & curiæ sæculari legitimè puniendus tradi debeat, eò quòd hic textus non fuerit positus sub titulo *de Immunitate*, in quo nulla fit exceptio de homicidio *proditorio*, Alii tamen rectiùs idem *c. 1.* de quolibet homicida *proditorio* ad Ecclesias confugiante acceperunt, quia hic fuit sensus legis Divinæ, ex qua transcriptum est. Quemadmodum Joab qui duos Principes insidiosè occiderat, cum in tabernaculum, & ad altare confugisset, ibidem jussu Salomonis occisus est, 3. *Reg.* 2. Videatur Cov. *Var. resol. 1. c. 10. n. 7.*

Quær. VII. An qui *in Ecclesia* delinquit, sed *absque spe Immunitatis*, fortassis ex rixa ibidem casu oborta; vel econtra qui *extra Ecclesiam* delinquit, sed *spe immunitatis* studio facinus prope Ecclesiam perpetrans, quo citiùs ad eam confugere possit, gaudeat immunitate, adeoque copulativè requiratur, ut delictum *in Ecclesia* fiat, & simul *spe Immunitatis*? Hujus quæstionis decisio prorsus incerta, & altiori declaratione indigere videtur habet enim plures pro utraq; parte rationes, & authores.

Qui negativè, & alterutrum sufficere tenent, fundantur non tam in verbis quàm mente constitutionis, *l. scire leges 17. ff. de ll. c. Secundò 41. de Apell.* eò quòd non sit verisimile, quòd Ecclesia illos in suam protectionem receptura sit, qui eandem homicidio polluunt, sicut frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem, *c. quia frustra 14. de Usuris Tex. c. fin. h. t.* & qui eandem ex proposito receptaculum, & quasi speluncam latrocinii faciunt: cum privilegium mereatur amittere, qui eodem abutitur, *c. privil. 63. causa 11. qu. 3.* Licet verò Ecclesiæ non sit imputandus abusus ad eam confugientium, prout respondit Diana *p. 6. tom. 1. de Immun. Eccl. Res.* 10. videtur tamen hic negari posse suppositum, quòd in similibus circumstantiis Ecclesia aliquod præjudicium sentiat, quin potiùs non tam accedat, quàm decedat ipsius reverentiæ & honori, si privilegio ejusdem abutentes defendat. Ee hujus sententiæ est Barb. *in Collect. ad d. c. fin. h. t. n. 5. & Jur. Eccl. univ. lib. 2. c. n.* 109. cum citatis ibidem *& n.* 104.

Econtra alii utrumque conjunctim requirunt, nimirum ut delictum *in Ecclesia & simul spe immunitatis* commissum sit, ideoque non excludi censent, qui nihil cogitans de immunitate aliquem ex subitanea ira, & rixa in Ecclesia, vel extra eam licet spe immunitatis occiderit. Quorum principalis ratio est, quod textus in *d. c. fin.* hæc duo copulet, & in pœnalibus non sit extensio facienda, *vul. c. odia de R. I. in 6. cum concord.* Videantur iterum copiosè citati apud Barb. *d. c. n. 103. & nu.* 109. Addunt aliqui instantiam de eo, qui virtute Jubilæi à reservatis absolvitur, quamvis ex proposita spe Jubilæi illa perpetrarit. Sed (ut nihil dicamus, etiam incertum esse an cum tali peccatore sit cooperatura intentio Papæ, & præcipuè divina gratia ad consequendum effectum jubilæi hujus, sub cujus præsumptione deliquit) quidquid sit circa forum internum, ubi pœnitentia super temeraria præsumptione potest reconciliare gratiam, an verò idem sit circa immunitatem, ubi magis in foro externo versamur, quod post delictum non semper admittit pœnitentiam, Gloss. *in fin. in c. d. his de Accus.* sicut & totam hac controversiam aliorum judicio relinquo, maloq; in hac sanguinis materia ab aliis discere, quàm docere.

Ulteriùs hic aliqua breviter ex Doctoribus adnotanda sunt. I. quidam sentiunt, quæ de homicidio in Ecclesia commisso dicuntur, tantùm exempli causa dici, idemque 14

esse de furtis, adulteriis, aliisque delictis greyibus, ex quibus loco sacro specialis irreverentia infertur propter generalem rationem, quæ datur *in c. fin. h. t.* quòd sicut frustre legis auxilium invocat, qui committit in legem, ita frustra ab Ecclesie sperate debeat defensionem, qui eandem offendit, & sacrilegio violavit. Alii tamen hic iterum mitiùs sentiunt, asserentes, quòd, cùm Bulla Greg.. XIV. ad certam formam omnes casus Immunitatis redegerit, nec aliorum delictorum, quam homicidiorum, & mutilationem membrorum in Ecclesie mentionem fecerit, non sit jam nec ex paritate, imò nec ex majoritate rationis in hac odiosa, & pœnali meteria ad alios casus non expressos argumentandum. Diane *Mor. p.* 1. *tr.* 1. *resol.* t. Fario. *in Tract. de Immunit. n.* 98. II. Aiunt, qui in una Ecclesia deliquit, non defendatur, tametsi ad aliam confugiat, quia qui unam Ecclesiam contemnit, & offendit, omnes offendisse censetur. III. Qui unum tantum delictum in Ecclesia, & extra eam plura alia fecit, absolutè extrahi, & pro omnibus puniri poterit, quia ex quo semel in Ecclesia deliquit, indignum se reddidit Ecclesiæ defensione. Dissentit tamen Covar. *ubi infra*. IV. Ecclesiæ fecisse irreverentiam, & propterea indignus asyli etiam ille ex DD. interpretatione censetur, qui, vel in Ecclesia existens alium foris stantem, vel è converso, qui foris stans alium in Ecclesia occiderit, quia utroque casu delictum in Ecclesia factum intelligitur; priori casu quoad *Inchoationem* (sufficit enim ut delictum dicatur in loco factum, si ibidem saltem initium sumpserit *L.* 1. *C. Ubi de criminibus agi oporteat*) posteriori quoad *Consummationem* V. Nec illum gaudere immunitate docent, qui aliquem existentem intra Ecclesiam per vim, aut dolum extraxerit, & foris occiderit, vel mutilaverit, cùm enim puniri quis debeat in eo, in quo deliquit, ita iste qui alterum immunitate Ecclesiæ privavit, eadem quoque carere debeat. De hisce porrò quinque notetis, de quibus textus apertos non habemus, nec etiam unanimem per omnia Doctorum consensum, videri poterit ille cumulus Auth. cit. à Barb. *l. E. V. lib.* 2. *c.* 3. *num.* 110. *& seqq.* ellieg. Card. Tuscus *L. E. concl.* 11. *à n.* 11. Covar. *Var. Res. lib.* 2. *c.* 20. *n.* 25. Hent. Zoesius. *h. t. à n.* 61. Covar. Diena. Farin. *cc. ll.*

15 Quær. VIII. Utrum qui in duello alterum occiderit, gaudeat immunitate? Negativa, quæ non quidem ex verbis, sed mente legis desumitur, probabilior videtur Barb. *d. c. n.* 101. Si enim etiam cadaver occisi in duello Ecclesia non recipit juxta Trid. *sess.* 25. *de Ref. c.* 19. quis credat, ipsis occidentibus in Ecclesia refugium præsteri. Sed ut verum fatear, hæc ratio non est omninò convincens, quia probaret generaliter de quolibet delinquente manifesto qui, si in peccato illo decederet non datis pœnitentiæ signis, privaretur sepultura Ecclesiastica, & urgentius de excommunicato, quem tamen gaudere immunitate tradit Covar. *Var. Res.* 2. *c.* 20. *n.* 11. & Barb. *d. c.* 3. *n.* 131. Proinde credo contrarium non improbabiliter defendi posse, & fursan sæpiùs practicatum fuisse. Præsertim in illa sententia, quòd hodie stante Bulla Greg. XIV. nullus casus sit ab immunitate exceptus, nisi ibidem nominatim expressus, sicut refert idem Barb. *d. cap.* 3. *n.* 3. 120. *vers. quæ quidem constitutio.* Deinde sententia Barbosæ de duello propriè dicto, & in justa damnato accipienda foret, quando scilicet alter alterum ad certum tempus, locum condictum, cum armis mortiferis, & ordinario vitæ periculo invitat, non verò de rixa, vel aggressione subitò in domo, vel platea facta, in qua si alter alterum occiderit, & ad Ecclesiam confugerit, ab ea haud dubiè immunis servabitur. Dummodo homicidium *proditorium* non fuerit, vel alia qualitas immunitatis exclusiva non concurrerit.

16 Quær. IX. Quinam *rei læsæ Majestatis* per Bullam Gregorianam excipiantur? R. verba Bullæ sic explicari à DD. ut procedant tantùm de crimine in Summum Principem superiorem non recognoscentem, qui in jure propriè venit appellatione *Principis*, præsertim in materia odiosa, non item in inferiores Principes. Barb. *in Collect. ad c. inter alias h. t. num.* 10. & quidem juxta textum Bullæ directè in personam Principis commisso, secus si indirectè in statuam, vel legatos ejus &c. Farinac. *in Tract. de Immunit. c.* 13. *num.* 100.

Quær. X. An qui jam vinctus, & ligatus per cœmiterium, aut Ecclesiam ducitur, possit proclamare ad im- 16
munitatem, ut ibidem vinculis solvi, & liber dimitti
debeat? Affirmativam se aliquando vidisse in praxi observatam testatur Cassenéus *in Consuetudines Burgundiæ Rubrica.* t. *§.* 45. *n.* 121. Negativa tamen communior, & Juri conformior est, quia talis propriè non evellitur violenter ab Ecclesia, neque ullam violentiam in Ecclesia patitur, cum nunquam in eadem liber, ac sui juris fuerit. Neque enim hoc alicubi constitutum reperimus, quòd Ecclesia de novo in libertatem eripiet, sed tantum quòd in ea existentem conservet Covar. *Var. Resolut. lib.* 2. *c.* 20. *n.* 13. Hostiens. *in Summa h. t. n.* 11. prout in simili, qui ad Sacerdotem portantem Eucharistiam confugit, ibidem immunitatem reperit, non autem is, ad quem Eucharistia in carcerem defertur. Verùm aliter se res habet, si quis è manibus capientium etiam per vim se exemerit, aut perrupto carcere elapsus ad Ecclesiam confugerit, talis enim jam se recepit in libertatem, in
qua per Ecclesiam defenditur, ut observat Covar. *d. l. n.* 17
12. *& n.* 13. & consentit Diane *Mor. Resol. p.* 1. *tract.* 3. *Resol.* 13. Laym. *in Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 3. *n.* 9. *v. sexto aliqui.* Sed obiicitur, talis profugus spoliavit judicem sua præsentia, ergo debet ipsi restitui juxta regulam juris, quod *spoliatus sit ante omnia restituendus.* Resp. Ad hanc regulam præter alias limitationes, quas in *Lib. II. in titulo de Restitutione spoliat.* tradidimus, etiam istam addi posse, quòd restitutio spoliati non fiat, quando agitur de periculo vitæ, vel membrorum. *c. litteras.* 13. *in fin. de Restit. spoliat.*

Dubitetur XI. An Clerici, & Religiosi delinquentes, 18
& ad Ecclesiam confugientes per judices Ecclesiasticos extrahi valeant pro merito puniendi? Pro sententia affirmativa plures rationes adduci possunt, inter quas tres sunt præcipuæ. I. Quòd *c.* 6. *h. t.* non de Clericis, sed Laicis tantùm meminerit, dando maxime immunitatem contra sæculares potestates, non Ecclesiasticas. II. Quòd major sit personalis immunitas Clerici, quæ ipsi conceditur ratione suæ consecrationis, quàm quæ conceditur ratione loci, & nihilominùs delinquens rectè puniatur. III. Denique quòd aliàs Religiosi, & Clerici in Monasteriis, aut Ecclesiasticis domibus degentes semper impunè delinquerent.

In hac difficultate, quæ Doctores nostros in diversas opiniones traxit, ut videre est apud Barb. *d. c.* 3. *num.* 135. censeo distinguendum, inter pœnam Clerico, vel Religioso delinquenti infligendam. Etenim si agatur de pœna merè Ecclesiastica, quæ potiùs correctionem sapiat, quàm vindictam in foro externo sceleri debitam utique immunitas Ecclesiastica nihil suffragabitur, quia non fuit intentio Summi Pontificis per immunitatem Ecclesiarum tollere morum correctionem, sicut etiam Laici ad Ecclesias confugientes pœnam Ecclesiasticam non evadunt. Si verò agatur de pœna propriè dicta, & vindicative, ut si Clericus torqueri, degradari, & curiæ sæculari tradi, vel ad triremes, aut perpetuos carceres condemnari deberet, non video quare Clericus debeat esse deterioris conditionis, quàm Laicus, cum tamen Ecclesia multò magis debeat tueri clericos tanquam sibi servientes, & addictos, & quorum curam specialem habet, dummodo cætera sint paria, ut scilicet crimen, quod Clericus committit ab immunitate exceptum, vel in Ecclesia, aut Monasterio, vel spe immunitatis commissum non sit.

Ad argumenta contraria. Resp. & quidem ad 1. Quamvis *c.* 6. *h. Tit.* Clericorum expressam mentionem non faciat, eos tamen non excludit, sed generaliter loquitur de quibuscunque delinquentibus. Etsi etiam apertè de Laicis loqueretur non tamen censerentur per id excludi Clerici, sed potius factum esset propterea, quòd casus in Clericis rariùs eveniret, prout leges universim accommodari solent ad ea, quæ frequenter accidunt, *l. nam ad ea.* 5. *ff. de LL.* In *secundo* non est bona consequentia: Clericus perdit ex delicto privilegium personale, ergo etiam locale: cùm inter ista duo privilegia non sit necessaria connexio, & priùs ideò perdere debeat, ne in omnibus casibus possit impunè delinquere. *Tertia* satisfit ex eo, quòd Clerici in Ecclesia, vel spe immunitatis delinquentes ab Ecclesia non defenduntur. Vid. Barb. *d. c.*

d. c. 3. à n. 137. Laym. *in Theol. mor. lib. 4. tr. 9. c. 3. n. 11. v. sed quid si Clericus.*

19 Quær. XII. An etiam *Heretici*, *Gentiles*, *ac Judæi* confugientes ad nostras Ecclesias gaudeant immunitate? De *Heretico*, qui propter ipsam hæresim puniendus est, satis constat ex supra allegata Bulla, Gregor. XIV. quòd immunitate non gaudeat. Sed etsi Hæreticus propter alia delicta, quàm hæresim ad Ecclesiam confugerit adhuc quidam volunt eum ab Ecclesia non defendi, utpote qui per hæresim Ecclesiam universalem offendit. Alii tamen benignius censent, hæreticos propter alia delicta non esse privandos immunitate, cùm Bulla Greg. tantùm de reis in crimine hæresis loquatur. Azor. *p. 2. lib. 9. q. 9.* Quorum sententia saltem in nostra Germania, ubi Hæreticis cum Catholicis impunè, & liberum commercium est, admittenda videtur, neque illi propter nimiam suam copiam, & potentiam tam odio, & violentia quàm benignitate, & clementia ad fidem trahuntur.

De *Judæis*, *& Gentilibus* diversæ sunt DD. opiniones, quorum aliqui simpliciter eis denegant immunitatem, ut Covar. *Variar. Ref. lib. 2. c. 20. n. 11.* Clarus *lib. 5. sent. §. fin. q. 30. n. 17.* Aliqui addunt limitationem, nisi parati forent sincero corde fidem amplecti. Laym. *d. tr. 9. c. 3. n. 22.* Aliqui demùm simpliciter illis immunitatem adscribunt cum Sylv. *V. immunitas 3. sub n. 2. v. primum Judæus*, & istorum sententiam fuisse receptam à S. Congr. *Controv. Jurisd. præpos.* refert Barb. *Juris Eccles. univ. lib. 2. cap. 3. n. 44.*

20 Quær. XIII. Circa modum procedendi cum reo ad Ecclesiam confugiente, & in primis, an reus postquam ab Ecclesia egressus, vel dimissus fuerit, possit à Judice sæculari in vita, & membris pro merito suo puniri? Negat Gloss. *in d. c. reum 9. causa 17. q. 4. in V. vel ad mortem.* Panorm. *in d. c. inter alia 6. h. t. n. 9.* eò quod reus hoc ipso, quòd intra Ecclesiam se receperit, consecutus fuerit impunitatem. Alii è contra cum Henr. Zoes. *h. t. n. 38.* existimant, hanc immunitatem præcisè cohærere loco, & reum tamdiu esse impunem, quamdiu in Ecclesia perseveravit.

Utraque sanè opinio patitur suas difficultates; prior trahit post se malos effectus: si enim quilibet homicida, aut malefactor ex hoc solo impunis evaserit, quòd, vel modicum ad Ecclesiam confugerit, quot erunt impunita delicta, & quàm audaces evadent delinquentes? Ex altera necessariò consequetur alterutrum, ut vel sine fructu futurum sit Ecclesiarum privilegium; vel certè ipsis Ecclesiis onerosum, si delinquentem sine periculo vitæ dimittere, vel sine magno incommodo, & quidem toto vitæ tempore reservare non possent. Quare verbis Canonum, & legum diligentiùs inspectis.

Dico I. Rectoribus Ecclesiarum incumbere, servare vitam, & membra confugæ, quod fiet, si pro ipso studeant apud sæculares Magistratus impetrare veniam, & remissionem pœnæ corporalis.

Dico II. Clerici tamdiu debent servare reum, nec eum ad examen, vel inquisitionem judicis sæcularis tradere, quàm ipse Judex priùs etiam juramento de impunitate ejus promiserit, qui si juramentum violaverit, debebit in ipsum excommunicatio fulminari, *c. id constituimus 36. causa 17. q. 4.*

Dico III. Cùm hæc sit eoixa voluntas Canonum, & legum, ne reus ad Ecclesiam confugiens damnum in vita, & membris sustineat, ideò Judices sæculares non tantùm salva justitia poterunt, sed etiam tenebuntur pœnam corporalem remittere, ne hoc privilegium immunitatis inutile sit reo, aut Ecclesiis onerosum, si eundem tamdiu servare debeant. Si verò judices de facto recusent, non videtur propterea in eos aliqua censura ferenda, cùm jura solùm innuant, ut negantibus impunitatem, negetur etiam rei extraditio; Et si inferior Judex recusarit, apud superiorem ejus instandum erit per Rectores Ecclesiarum, utpotè quibus absolutè injungitur, ut vitam confugientis obtinere studeant. Imò non videtur facilè acquiescendum promissioni alicujus inferioris Judicis, qui ex consuetudine, vel privilegio, & jura regalium jus aggratiandi, sive remittendi pœnam ordinariam non haberet, sed protinus superior ejusdem adeunda foret. Quòd si Judex de facto aliquem dolo sub promissione impunitatis, & multò magis, si per violentiam extraxerit, debet ei servari fides, aut Ecclesiæ restitui. Covar. *Var. Ref. lib. 1. c. 2. n. 16. in fin.* Fachin. *de Immun. Eccl. n. 301.* Bar. *in Collect. ad d. c. inter alia n. 34.* Clarus *lib. 5. sent. c. 30. n. 5.*

Dico IV. Si reus propria sponte Ecclesiam egrediatur, videtur ultro deserere locale privilegium, ut innuunt illa verba *in d. c. id constituimus. Si ipse reus de Ecclesia discesserit, à Clericis non quæratur.*

Dico V. Si crimen, ob quod reus ad Ecclesiam confugit, sit *mixti fori*, locus erit præventioni inter sæcularem, & Ecclesiasticum judicem prout in *Tit. de foro comp. p. 2. §. 2.* diximus, præsertim hoc casu, ubi aliàs non pœna corporalis, sed Ecclesiastica, vel pecuniaria ob privilegium immunitatis est reo infligenda. Quod si judex sæcularis causam præocupaverit, aut mere civilis sit (ut si debitor obæratus ad Ecclesiam confugerit) & reus non fidat personaliter, etiam habita impunitatis promissione, coram judice comparere, poterit in Ecclesia remanens agere per procuratorem, & si nec hunc destinarit, procedetur per decreta immissionis in bona ipsius, sicut, & alia executio tum ad obtinendam satisfactionem læsorum, tum ad pœnam contra bona fiet, *l. præsenti 6. Cod. De his qui ad Eccles. confug.* Quòd si de facto reus ab Ecclesiastico judice, vel à sæculari pecuniariter punitus Ecclesiam egressus fuerit, non poterit postea ampliùs de eodem crimine accusari, & puniri, ut per Gloss. *in d. c. reum*, & Panorm. *in c. 6. h. t. n. 9.* ubi non immerito conqueritur, hæc frequenter à Judicibus sæcularibus violari.

Dico VI. Non quidem prohiberi posse judici, si per custodiam militarem animadverti curet in reum, forsan clam de Ecclesia elapsurum; interim non posse impediri alimenta reo subministranda, quia hoc modo reus per indirectum ab Ecclesia extraheretur, vel in ea fame necaretur. *l. præsenti 6. C. de his qui ad Eccl. confug.* Alimenta autem desumenda sunt in primis ex bonis illius, qui ad Ecclesiam confugit, vel propinquorum ejus; his deficientibus reliqui fideles in conciona, vel alio modo commonendi erunt, ut sciant se teneri ex lege charitatis extremè indigenti subvenire; si nemo succurrat, Ecclesiæ *c. aurum 12. q. 2.* atque Ecclesiasticis, qui tenentur vitam, & membra confugientis servare, alimentatio incumbit.

Dico VII. Si reus sit de illis, qui Ecclesiastica immunitate non gaudent, docet quidem. Cov. *Var. Ref. lib. 2. c. 20. sub n. 18.* reum tali casu per Judicem sæcularem propria authoritate etiam absq; licentia Episcopi abduci posse. Verum incognita erat Cov. constitutio Gregor. XIV. *Cum alias, &c.* ubi statuitur requirendam esse licentiam Episcopi, vel ejus Vicarii, qui personam aliquam Ecclesiasticam, quæ capturæ intersit, deputet, & reum prius ad curiam Ecclesiasticam ejusque carcerem, sub custodia tamen, si opus fuerit, sæculari duci debere, atque ibidem per Judicem Ecclesiasticum inquiri, an revera crimen ab immunitate exceptum commiserit, quo competto tunc demum sæculari judici plene tradendum esse.

Præterea in hac Bulla expressè constitutum est, cognitionem super immunitate ad solum Episcopum, vel ejus officialem, non autem ad inferiores pertinere, & si casus eveniat in loco exempto, vel nullius diœcesis, ad viciniorem spectare Episcopum. Quid autem consuetudo, vel præscriptio possit circa Jura Episcopalia, alibi sæpius diximus.

Postremò non est omittendum, varias in jure pœnas esse constitutas adversus eos, qui immunitatem localem violant, injustè abripiendo reos ad Ecclesiam confugientes. 21 *Prima* talis pœna de jure civili est capitalis, *l. 2. & l. præsenti 6. Cod. de His qui ad Ecclesiam confugiunt. Secunda* est pecuniaria, ut scilicet Episcopo nongenti solidi pro mulcta solvantur. *cap. si quis contumax. 20. causa 17. q. 4. Tertia*, ut violator immunitatis immunitate non gaudeat. *c. frater 10. eadem q. 4. Quarta* publica pœnitentia Ecclesiastica arbitrio Episcopi taxanda, *dict. c. si quis contumax. Quinta* demum excommunicatio, quæ ex constitutione Greg. XIV. ipso facto incurritur, eamque inter reservatas S. Pontifici numerat Quaranta *in Summa Bullarii. V. casus reservati pag. mihi* 202. & consentit illud decretum S. Congreg. quod refert Barb. *de Offic. Episc. p. 3. alleg. 50. n. 286.* Interim tamen *alleg. 51. n. 72.* refert, tenere Riccium *in Prax. aurea Ref. 333. n. 2.* absolutionem spectare ad Ordinarium.

§. II.

De Immunitate Rerum, & Personarum Ecclesiasticarum.

S U M M A R I A.

22 *De Immunitate rerum, & personarum Ecclesiasticarum, in quo consistat.*
23 *Immunitas ista sit ne Juris Divini, vel humani?*
24 *An detur bonis patrimonialibus Clericorum?*
25 *Onera antiqua rebus imposita transeunt etiam ad Clericos,*
26 *An requiratur, ut illa onera antiqua sint imposita jure dominii particularis, vel etiam potuerint fuisse imposita jure superioritatis.*
27 *Ecclesiis, & Clericis quando ob causam communis necessitatis possint collecta imponi.*
28 *Clerici an juxta c. 2. h. t. teneantur ad defendendam Urbem contra hostes?*
29 *Clerici an teneantur ad vectigalia, vel gabellas?*
30 *Immunitas Ecclesiastica num possit consuetudine immutari,*
31 *Legibus, & Statutis Laicorum, item jurisdictione fori sacularis an, & quando constringantur Clerici? remissivè.*

22 HÆc immunitatis species, ut breviter dicam, in eo consistit, quòd personæ Ecclesiasticæ, & res illarum ab omni sæcularium dominorum jurisdictione, exactione, & oneris impositione liberæ sint, ac immunes, sive deinde illa onera sint *merè realia*, nimirum pecuniaria, & rebus Ecclesiasticorum imponenda; sive *merè personalia*, per ipsas personas Ecclesiasticas expedienda; sive denique *mixta*, quæ partim personas, partim res earum concernunt, *l. 1. cum sua authent. C. de Episc. & Clericis, c. 4. & 7. h. t. c. 1. & 3. eod. in 6.* (quod quidem c. 3. quatenus excommunicat Laicos etiam sponte à Clericis oblata recipientes, est revocatum *in Clem. un. eod. t. juncta glossa.*) Atque hanc immunitatem acerrimè tuetur Summus Pontifex, dum singulis annis in die Cœnæ Domini violatores ejusdem excommunicat, & absolutionem sibi reservat, ut in Bulla *Cœnæ* §. 18. habetur. Quòd *cœnæ ferculum* multis proh dolor non sapit, caveant, ne sint *de invitatis excusantibus*.

23 Quær. autem I. An jure Divino, vel humano tantùm personæ, & res Ecclesiasticæ à jurisdictione, & exactionibus sæcularium dominorum exemptæ sint? Quamvis in *c. nimis 30. de Jurejurando* Con. Trid. *sess. 25. de Ref. c. 20. in c. quamquam 4. de Cens. in 6.* apertè dicatur immunitatem Ecclesiasticam *juris Divini* esse, non tamen desunt DD. etiam Catholici, imo Theologi, quos refert Paulus Laym. *in Theol. mor. l. 4. tr. 9. c. 8.* asserentes, immunitatem Ecclesiasticam immediatè profectam esse ex Christianorum, & Imperatorum, & Regum privilegiis, cum consensu totius Christiani populi concessis, quæ exemptionum privilegia à SS. Pontificibus, aliisque Ecclesiæ Prælatis non tantum acceptata, sed etiam propriis Sanctionibus confirmata, & defensa fuerunt. Rationem assignant, quòd hæc immunitas nullibi in novo Testamento à Christo Domino statuta legatur; quin potiùs ipse Christus *Matt. 17.* pro se, & Petro tributum Imperatori solverit; & Apostolus Paulus *Act. 25. c.* ad judicium Cæsaris appellarit, & *ad Rom. 13.* velit, *omnem animam sublimioribus potestatibus subditam esse*, & loquitur ibi de principibus, & potestatibus sæcularibus, quibus tributa præstanda sunt; & videtur consentire D. Petrus *in epist. 1. c. 2. v. 13.* ubi scribit. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti &c.* Textum verò in allegatis Canonibus accipiunt, quòd immunitas Ecclesiastica tantùm *originaliter* sit juris divini, id est, quatenus antiqua lex, quæ jam expiravit, de Levitis, & eorum rebus disposuit, ad eum modum, quo, inquiunt, decimas Juris Divini dicimus, & interpretamur text. *in c. Parochianos 14. de Decimis*. Addunt tamen hujus sententiæ authores, quòd Principes hanc exemptionem revocare ampliùs non possint, tanquam à non subditis, & fundamento jurisdictionis sublato, sicut ex iis notavit Laym. *d. c. 8. in pr. vers. addunt tamen.*

Verùm hæc tanti non sunt, ut à genuino Sacrorum Canonum sensu recedamus, & ad tortas interpretationes confugiamus; non enim rectè diceretur hodie *juris Divini*, quod olim tantùm in Veteri Testamento juris Divini fuit si per adventum Christi expiravit, & ampliùs Juris Divini non est. Nec urget instantia de decimis, quia etiam decimas hodie Juris Divini dicimus, in quantum scilicet ad sustentationem Parochi necessariæ sunt, prout late probat Azor. *Inst. mor. p. 1. lib. 7. c. 23.* Igitur quod in veteri Testamento *Num c. 3. & 18. Exodi 30. v. 12. junct. c. 8. v. 47.* circa Levitas à Deo statutum fuit, id non precisè *judicialis*, aut *ceremonialis*, sed simul *moralis* legis, & in naturali dictamine, & æquitate fundatæ rationem habuit, ut Ministri Dei, in sortem ejus specialiter vocari, & consecrati à profana, & sæculari mundana jurisdictione eximerentur, prout in simili preceptum *de Sanctificando Sabbatho* dicimus partim ceremoniale, partim morale fuisse, in quantum scil. naturalis ratio exigebat, quosdam dies in honorem sui Creatoris specialiter deputare.

Deinde si Episcopi, aliique Prælati per Spiritum Sanctum constituti sunt Rectores Ecclesiarum. *Act. 20. v. 28.* & consequenter legitimi Superiores, & Judices earumdem, & rerum, ac personarum ad eas pertinentium, veluti perpetuus Ecclesiæ Catholicæ usus demonstrat, non potest circa unum idemque objectum, alia & toto genere diversi ordinis potestas mundana, & sæcularis rationabiliter, ac sine maxima confusione concurrere. Quis item non palpet summam inconvenientiam, ut *Pastores*, quos Christus, & Spiritus S. Prælatos Ecclesiasticos, & Sacerdotes constituit, ab *Ovibus* judicetur.

Cæterùm quod attinet ad I. Argumentum contrarium, hoc non reperitur scriptum, ergo nunquam fuit à Deo statutum, &c. Id semper Ecclesia tanquam hæreticum rejecit: sufficit enim ad Jus Divinum fundandum Ecclesiæ consensus asserentis aliquid juris Divini esse, sive id habeat ex revelatione, sive ex traditione juxta illud Pauli 2. *ad Thess. 2. tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermones, sive epistolam nostram &c.* Locus porrò Evangelii *Matt. 17. in fin.* ex quo alterum argumentum desumitur, potiùs pro nobis facit, quia ibi Christus se, & Petrum, & ita omnes Ecclesiasticos exemplo Levitarum veteris testamenti liberos, & à tributis immunes pronuntiat. *Ergo liberi sunt filii*, junge *v. psal. Ego dixi Dii estis & Filii excelsi omnes.* Quem & alios similes textus de Sacerdotibus SS. PP. accipiunt, *c. Sacerdotibus 41. causa 11. q. 1.* sed tantùm ad evitandum scandalum jubet pro ea vice tributum exsolvi, *ut autem non scandalizemus eos*, inquit, *da pro me. & te &c.*

Quod denique Paulus contra Judæos ad Cæsarem tanquam ordinarium eorum, & supremum Judicem appellarit, nihil contra nos infertur, cum etiam hodie Clerici possint adversus suos malefactores Laicos coram Judice sæculari actionem instituere *c. cum sit generale 8. de Foro compet.* Neque etiam id, quod ex epist. Pauli *ad Roman. 13.* & Petri *1. cap. 2.* adductum est, convincit, quia verissimum est, *omnem animam debere esse subditam sublimioribus potestatibus*, sed in competenti genere Jurisdictionis, *Spirituales Spiritualibus, Laici Laicalibus.* Quod autem ibidem Apostoli Regum, & Ducum sæcularium meminerint, ratio fuit, quod exhortationem suam potissimùm ad populum direxerint, utique ad amoliendam Judæorum calumniam, qui eos traducebant, quasi prædicatione Evangelicæ libertatis populum ab obedientia Principum, & Magistratuum averterent, & seducerent.

Si quid demùm in primitiva Ecclesia, præsertim ubi propter ingentes persecutiones emergere non potuit Ecclesiastica authoritas, sive principes sæculares in Ecclesia potestatis arrogarint, totum id non tam via juris quàm facti, & per usurpationem practicatum est. Vid. Marta, *de Jurisd. p. 2. c. 6.* Laym. *d. c. 8.* Barb. *Jur. Eccl. un. lib. 1. c. 39. §. 3. n. 5. & §. 5. n. 3.*

Quær. II. Utrùm etiam bona patrimonialia Clericorum gaudeant immunitate? Affirmant DD. quia magis dignum trahit ad se minùs dignum, *c. quod in dubiis 3. de Consecratione Ecclesiæ.* Et quæ Religiosis adhærent, religiosa censentur, *l. quæ Religiosis 43. ff. de Rei vindicatione* idque satis probetur ex *cap. quamquam 4. de Censibus in 6.* ubi dicitur, personas Ecclesiasticas, *& res earum Jure* 24

Di-

Divino exemptas esse. Similiter *in c. si Clericus 5. de Foro Compet.* Res Clericorum, & Res Ecclesiæ quantum ad jurisdictionem sæcularium evitandam parificantur, & notant Glossa, & DD. communiter *in c. fin. de Vita, & honestate Clericorum.* Neque enim agi posset super bonis Clericorum patrimonialibus in judicio sæculari, quin eo ipso quoque persona Clerici traheretur ad judicium, & sententiam Judicis Laici, tanquam ejus jurisdictioni subjectus pati deberet. Item cùm tributa imponantur in signum, & ratione subjectionis, & nonnisi subditis; Clerici autem subditi sæcularium non sint, meritò etiam in quibuscunque suis bonis tributa recusant. Videtur quidem opponi posse, quòd tributa aliquando imponantur præcisè rebus, etiam cum persona subdita non est, veluti dum verbi gratia Bavarus in territorio Salisburgensi bona immobilia habet, licet ea nunquam incolat. Sed n. talem respectu bonorum, quæ saltem per procuratorem, administratorem, conductorem &c. in alieno territorio possidet, censeri ibidem subditum, sicut etiam Clericus alienigena dicitur subditus illius Episcopi, in cujus Diœcesi beneficium obtinet *c. cùm nullus 4. de Temp. ord. in 6.* Magistratus autem Laici subditus Clericus esse non potest.

Illud tamen non est prætermittendum, quòd bona Clericorum tantùm in consequentiam participent exemptionem Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum. Sunt verò quædam privilegia bonis Ecclesiarum principaliter concessa, quæ juxta communem sententiam ad bona privatorum Clericorum patrimonialia non extenduntur, ut restitutio in integrum, præscriptio 40. annorum &c. Laym. *in Theol. mor. l. 4. tr. 9. c. 6. n.* 10. Præterea quæ diximus, de bonis *allodialibus* accipienda sunt: nam bona *feudalia* non transeunt pleno jure ad Clericum, sed Dominus, qui ea concedit, certas sibi conditiones, & jura reservat. Unde etiam Clerici in istis bonis judicium Domini sæcularis declinare non possunt, *c. ex transmissa 6. de Foro compet.*

25 Quæritur III. An ergò Magistratus sæculares nihil omnino possint exigere ab Ecclesiasticis cùm tamen passim videamus contrarium practicari, ut Monasteria, aliqui personæ Ecclesiasticæ amplissimas exactiones dare teneantur? R. Si ex bonis antequam ad Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas pervenirent, certa, & determinata quædam onera fuerint pendi solita, ea ex communi DD. sententia etiam impositorum ab Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis ratione istorum bonorum persolvi debent, quia res transit cum suo onere. Notanter autem loquor *de certis & determinatis oneribus* jam antea bonis, antequam ad Ecclesias devenerint, certo, & stabili modo impositis: nam extraordinariæ contributiones, præsertim verò *capitationes*, quæ potiùs personis, quàm bonis imponuntur, à sæcularibus pro suo arbitrio, & non concurrentibus illis, de quibus inferiùs *in q.* 4. dicemus, circa læsionem immunitatis Ecclesiasticæ exigi non poterunt, quidquid nonnunquam in contrarium practicetur, quam praxim Sacri Canones reprobant, & Pontifices quorannis sub anathemate damnant Barb. *Juris Eccl. univ. lib. 1. c. 39. §. 5. n. 8. & in Collect. de c. non minus h. t. n. 6.* cum cc. ibidem.

26 Volunt quoque nonnulli DD. ut illa onera antiqua sint imposita rebus jure dominii particularis (puta quia illud bonum priùs erat proprium, & camerale Principis) pacto censuali, feudali, vel emphyteutico &c. prout etiam in donatione facta Ecclesiæ admittuntur honestæ conditiones, censuum reservationes &c. *c. cùm dilecti 6. X. de Donat. c. præterea 13. de Jure patron. c. verum 4. de Condit. appos.* secùs verò, ajunt, si talia onera proveniunt solum ex vi supremæ jurisdictionis territorialis, sive lege tributaria, tunc enim mutata persona, mutatur etiam conditio rei. Pro qua sententia inter alios citatur Abb. *Consil. 26. vol.* 1. Item decisio Rotæ apud Barb. *jur. Eccl. univ. lib. 5. c. 39. §. 5. n. 8.*

Verùm quod attinet ad allegatum Abbatis consilium, prout mihi ad manus est, ibi non loquitur de tributis antiquis ordinaria lege de ipsis bonis Principi terræ pendi solitis, sed de novo aliquo statuto quorundam Officialium terræ S. Geminiani, qui statuerunt, ut omnia loca etiam pia, quibus aliquid titulo lucrativo relinquitur, teneantur partem conferre ad utilitatem Sacristiæ S. Geminiani, & concludit, tale statutum non valere, non quidem (ut circa finem consilii expressè dicit) quòd Laici rebus suis aliquod onus imponere nequeant ad Ecclesias transiturum, sed quòd hoc statutum fuerit directè etiam de ipsis Ecclesiis, & piis causis conceptum contra *c. Eccl. 10. de Const.* & onera per hoc statutum imposita non sint certa, & determinata rebus ab antiquo inhærentia, sed effectus talis statuti, & oneris tunc primum inciperet, ubi tei legatæ, vel donatæ dominium in piam causam transiit, ut tunc teneantur piæ causæ, vel earum Rectores solvere; quod statuendo efficere, utique extra potestatem statuentium Laicorum fuit. Pariter decisio Rotæ apud Barb. *d. l. n.* 8. relata, non tamen de antiquis oneribus rebus, antequam Ecclesiasticæ fierent, certo, & stabili modo impositis, quàm de novis gabellis, collectis, & impositionibus loquitur, quibus cum conditionibus Clericis citra incursum pœnarum imponi valeant. Alia autem videtur esse ratio de tributis, quæ Principes de omnibus possessionibus sui territorii jure quasi gentium pro sua sustentatione, & in compensationem curarum, & defensionis, ac justitiæ administrationis prædiis, & bonis sui territorii ab antiquo imposuerunt, & exigunt, dummodo ea moderata sint, ab antiquo certa, & invariata, & Princeps soleat etiam Ecclesiasticorum bonorum fidelem curam habere, *tex. not. in c. tributum 22. causa 23. q. 8.* Unde Abb. Panor. *in c. non minus 4. h. t. sub n. 16. ad fin.* ita scribit: *Si possessio, seu fundus perveniens ad Ecclesiam habeat certum onus annexum, ad illud tenetur, sive habuerit illud onus ex privata dispositione, arg. c. cùm dilecti, de Donatione, & c. quanto, de Censibus, sive ex dispositione publica, puta Principis, antequam perveniret ad Ecclesiam. Exemplum in tributo: nam qualibet possessio erat ab antiquo onerata onere solvendi tributum Imperatori, ut in l. Imperatore ff. de Publicanis, l. placet. C. de SS. Eccl. c. 1. in fin. de Censibus, ideò dico, quòd Ecclesia tenebitur ad tributum ratione possessionis, seu possessionum, quas postmodum acquisivit, quod clarè innuit d. c. 1. & ibi plenè dixi. Fateor quòd Italia, quæ est Princeps Provinciarum non obligatur hodie ad hæc tributa, ut not. in l. 1. ff. de Censib. Idem dico in aliis oneribus, & qua ratione naturali incumbunt ipsis rebus, ut reficere iter ante domū, l. 1. ff. de Via publ. not. Barth. in l. ad Instructionem. C. de SS. Eccl. Item in purgatione putei necessarii toti viciniæ, in qua est Ecclesia, ad quod not. Spec. in t. de Censib. §. nunc dicendum v. item pone quod vicinia. Ad alia autem onera, qua imponuntur rebus secundum necessitatem accidentem, puta Ecclesiam non teneri, quia non possunt res ad alia onerari, imò ex quo pervenerunt ad Ecclesiam, eximuntur ab omni exactione.* Hæc Abb. Panorm.

Paulus Laym. *in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 6. nu. 4. & 6.* videbitur forsan magis supradictam sententiam confirmare, sed quia *n.* 3. inter onera realia etiam pensiones, *& tributa* numerat, ac *num. 4. & 6.* pro sua sententia allegat. Abb. *in c. fin. de Vita, & honest. Cler. n. 12.* Gloss. *in c. generaliter 40. V. collationibus 16. q. 1. & auth. item nulla. C. de Episc. & Cler.* in quibus omnibus locis non excluduntur tributa ordinaria, & perpetua antiqua (imò c. Gloss. nominatim ait, tributa ab Ecclesia præstanda) sed tantùm superindicta pro arbitrio Principis, vel alterius Magistratus, & mutabilia, ac quæ potiùs personis tanquam subditis intuitu possessionum, quàm præcisè rebus sine habitudine ad personæ qualitatem imponuntur; hinc opinor, ejus dicta etiam in talem sensum accipienda esse, salvo meliùs intelligentium judicio, fateor tamen, etiam priorem sententiam suis non destitutam esse rationibus.

Quær. IV. An saltem Ecclesiæ, & Clerici contribuere 27 teneantur, si publica necessitas, vel utilitas non tantùm statum Laicorum, sed etiam Clericorum concernit, ut cùm terra, vel civitas ab hostibus defendenda est, tempore pestis sumptus, & provisiones faciendæ &c. Ad hanc quæstionem extant decisiones *in cap. non minus 4. & cap. adversus 7. X. hoc tit.* ubi quidem etiam Ecclesiastici ad contributionem vocantur juxta naturale illud principium, qui sentit commodum, sentiat, & onus, si tamen 4. concurrant. I. Ut necessitas, vel utilitas sit publica, quæ æquè principaliter, ac directè (secùs si indirectè, ac in quandam consequentiam) statum Ecclesiasticum, ac sæcularem concernat. II. Ut Laicorum non sufficiant facultates. III. Ut talis contributio, vel collecta non imponantur Ecclesiasticis authoritate Magistratus sæcularis, sed Ecclesiastici cum consensu Clerici. Et IV. ut nisi periculum in

in mora fuerit, desuper Summus Pontifex consulatur, cujus interest, communibus utilitatibus providere. Vid. Pan. *in dd. cc.* & Barbosa *in Collect. ibidem*, & *in c. 2. h. t.* & *Jur. Eccles. univ. lib. 1. c. 19. §. 5.* & Decisio Rotæ ibidem *n.* 8. inserta. Laym. *d. c. 6. à n. 7.*

28 Quær. V. Quomodo accipiendum sit, quòd in *c. 2. h. t.* dicitur, neminem per Ecclesiæ nomen à murorum vigiliis excusari? Diversæ DD. interpretationes ita conciliari posse videntur, ut in magno periculo ex hostili obsidione imminente etiam Clerici, vel per sumptus, aut servos, vel famulos suos vigilias murorum procurare debeant. Imò licèt Clericatus officium reddat aliquem inhabilem ad pugnandum *c. ex multa 9. §. X. de Voto*, & miles Christi desinat esse miles sæculi, *c. un. de Vasallo milite qui arma belli depos. 2. Feud.* ac pia opera dicantur esse arma Clericorum, *c. non pila 3. c. reprehensibile 19. & possim causa 23. q. 8.* in maxima tamen necessitate, & Laicis non sufficientibus, etiam ipsos Clericos ad vigilias, & defensionem civitatis teneri (utpote per quam defensionem juvantur ipsæ Ecclesiæ, & proteguntur personæ miserabiles, & innocentes (docet Panot. *in eod. c. 2. n. 6. & 7.* & putat pro sua sententia esse tex. sing. *in c. petitio 24. X. de Homicid.* sed Gl. ibid. *in v. remordet.* non consentit.

29 Quær. VI. An Clerici teneantur ad vectigalia, & telonia, quæ Pontifices *pedagia, & guidagia* appellant Gl. *in c. super quibusdam 26. de V. S.* Hac de re extat quoque decisio *in c. quamquam 4. de Censibus in 6.* ubi sub censuris prohibetur, talia à Clericis, qui non causa negotiationis res suas transferunt, exigere. Et notat Barb. *ibid. in Collect. nu. 6.* cum pluribus cc. quod Clericus transferens fructus sui beneficii ad vendendum non dicatur negotiari; propriè verò negotiari dicitur, qui ex instituto more mercatorum emit, ut cariùs vendat sicut ex D. Thoma *2. 2. q. 77. art. 4. ad* 2. notavit Laym. *in Theol. mor. lib. 3. tr. 4. c. 16. §. 7. n.* 1. Idem tenet Sylv. *V. Immunitas 1. n.* 22. ubi etiam notat, quòd Clerici non teneantur ad gabellas, quæ à Magistratibus sæcularibus ponuntur super vino, carne, aut aliis victualibus.

30 Quær. VIII. Utrum consuetudine alicujus Provinciæ possit tolli hæc immunitas Clericorum, quatenus à Principibus sæcularibus liberè collectari valeant? Resp. Consuetudinem contra Jus Divinum nihil operari posse, adeòque nec contra istam immunitatem, quæ per priùs dicta Juris Divini est Barb. *d. c. 39. §. 5. n. 59. v. septimo quæro.* Sperell. *de c. fori Eccl. dec. 37. per totum, & præcipuè n.* 69. Duar. *in Bulla cœnæ.* 18. *q.* 20. *nu.* 5. Et si Jure Canonico ad introducendam consuetudinem tacitus saltem consensus Pontificis requiritur, ut in Lib. I. *in tit. de Consuetudine*, traditur; quis credat, in hac materia ullo modo consentire Pontificem, qui non tantùm *in d. c. quamquam de Censibus in 6.* omnem hujusmodi consuetudinem tanquam corruptelam damnavit, sed insuper in Bulla *Cœna*, singulis annis contra violatores Immunitatis censuras pronuntiat.

Plura de hac materia videri poterunt apud Authores per decursum citatos. Et de obligatione legum, & quando statuta Laicorum obligent personas Ecclesiasticas, tradunt DD. in *Lib. I. Decretalium in Titulo de Constitutionibus*, & nos diximus ibidem *in §. 3. n.* 35. Item de jurisdictione fori sæcularis, quatenus coram eo Clerici conveniri non possint, dictum est *in L. II. in Tit. de Foro competente.*

TITULUS L.

Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

SUMMARIA.

1 *Negotia sæcularia generaliter vitare debent Clerici.*

2 *Sanguinis effusio, sive per judicium, sive per chirurgiam prohibetur Clericis.*

3 *Clerici possunt esse Tutores, & Procuratores personarum miserabilium.*

4 *Officia sæcularia non videntur prohibita Clericis, qui propter territoria, & bona, quæ sub Principibus sæcularibus possident, Jure sæculari aliquo respectu censentur.*

5 *Tabellionis, seu Notarii officium qualiter prohibitum Clericis.*

6 *Ad studia sæcularia, scilicet Legum, Medicinæ, an, & qualiter Clerici possint admitti?*

NEmo (ut inquit Apostolus 2. *ad Timoth. 2. ℣. 4. mi-* 1
litans Deo implicet se negotiis sæcularibus. De quo proponitur *præsens titulus.* Atque in *c. 1. h. t.* inter negotia sæcularia ponuntur pleraque, quæ supra *Tit. 1.* Clericis evitanda diximus. Et prætereà *in c. 6.* prohibetur, ne
causa lucri negotientur; quod DD. intelligunt de nego- 2
tiatione continua ad instar Mercatorum Barb. *in Collect. ad d. c. 6.* Item in *c. penult. eod. tit.* vetatur ne Clerici dictent, aut proferant sententiam Sanguinis, nec vindictam Sanguinis exerceant, nec, ubi exercetur, intersint, nec litteras dictent, vel ulli scribant pro vindicta sanguinis, aut viris, seu Executoribus sanguinis præponantur. Neque etiam artem Chirurgiæ, quæ adustionem vel incisionem inducit, exerceant. Quando vero ex similibus contrahatur irregularitas *In Lib. V. tit. de Homicidio* commodiùs tractabitur. Et an Clericis interdicta sit Chirurgia, vel medicina absque adustione, vel incisione, vid. Sanch. *in Præcept. Decal. tom. 2 lib. 9. c. 14. n.* 17.

Quod autem in *c. 2. & 5. h. t.* prohibetur ne Clerici 3
sint Ministri, Procuratores, Vice Comites, Præpositi aut locum tenentes Sæcularium, patitur limitationem circa profanas sæculares miserabiles, ut pauperes, pupillos, viduas, & similes, qualium personarum tutelam, & defensionem Clerici non tantùm licitè, sed & laudabiliter suscipiunt *d. c. 1. h. t. c. fin. dist.* 86. Deinde hæc prohi-
bitio suo modo limitanda est circa Prælatos Ecclesiasti- 4
cos, qui sub Imperatore, vel alio Principe terras, & bona temporalia possident, ratione quorum non secùs ac alii Domini sæculares ad Comitia, & Consilia vocantur, & ibidem diversa officia suscipiunt: cùm enim talia officia maximè cedant in utilitatem Ecclesiarum, in quarum præjudicia aliàs per Dominos sæculares nonnunquam multa inducerentur, ideò non est verisimile, quod SS. Canones prohibere voluerint, sed potissimùm illa, quæ causa privatæ avaritiæ cum neglectu divini servitii ab Ecclesiasticis suscipitur, ut *d. c. fin. dist.* 86. colligitur.

Prætereà quòd in *c. sicut 8. h. t.* statuitur Clericum offi- 5
cio tabellionis, seu Notarii fungi non posse, intelligendum est circa forum sæculare, & actus mere sæculares: in foro autem Ecclesiastico, & circa causas, ac negotia spiritualia etiam Clericos hoc officium exercere posse, magis receptum est. Porrò si Clericus, aut Religiosus ante Religionis ingressum legitime Notarius creatus contra prohibitionem juris instrumentum fecerit, antequam sibi exercitium hujus officii à suo superiore interdictum fuerit, valere tale instrumentum, eò quòd irritatio ejus in jure non reperiatur, communior est sententia cum Panot. & Barb. *in eod. c. 8. h. t.*

Demùm quòd *in c. 3. & fin. h. t. & in c. 1. eod. in 6.* non 6
tantùm negotia, sed etiam studia sæcularia interdicantur, ne scil. Clerici, & Religiosi in publicis Universitatibus *Leges Civiles*, aut *Physicam*, id est, *Medicinam* audiant, volunt DD. hac constitutione pœnali, & strictæ interpretationis non comprehendi illos, qui privatim ad majorem intelligentiam juris canonici, quod in plurimis scientiam juris Civilis supponit præcipue circa contractus, hæreditates, &c. legibus student: Item nec eos, qui ut sæculares dicta studia absolverunt, & deinde ut Clerici gradum accipere volunt Barb. *in d. c. 3. & fin.* Denique in multis Universitatibus, sicut, & in hac nostra Salisburgensi per privilegia Papalia ista prohibitio relaxata est, ut Clerici, & Religiosi ad lectiones Juris Civilis admitti possint.

F I N I S III. L I B R I.

LIBER



LIBER IV.
DECRETALIUM.
TITULUS I.
De Sponſalibus, & Matrimoniis.



UT hæc materia ob quotidianam caſuum circa eam emergentiam ſcitu maximè neceſſaria innoteſcat, nonnihil explicatiùs eam tractabimus, iis tamen, quæ in particularibus titulis infra notantur, eò reſervatis. Incipiendo igitur ab his, quæ præcedunt matrimonium, ſit.

---

§. I.

De Differentia inter Sponſalia, Matrimonium, Conjugium, & Nuptias.

SUMMARIA.

1 *Quid & quotuplicia ſint ſponſalia?*
2 *Diſputatio de quibuſdam verbis contrahentium, an importent ſponſalia, vel Matrimonium, hodie inutilis.*
3 *Matrimonium quid & quotuplex?*
4 *Quid Matrimonium legitimum?*
5 *Quid ratum?*
6 *Quid conſummatum?*
7 *Quid ſit conjugium?*
8 *Quid nuptiæ?*

HÆc nomina in jure noſtro aliquando promiſcuè ſumuntur, & tamen in propriis terminis inter ſe differunt.

1 Igitur Sponſalia à ſpondendo, ſeu promittendo dicta ſunt, & alia ſponſalia *de futuro*, alia *de præſenti* nuncupantur. Sponſalia *de futuro* ſunt promiſſio futuri matrimonii, quæ fit per verba futuri temporis, ut: ducam te in uxorem. Sponſalia verò *de præſenti* ſunt ipſe contractus matrimonialis per verba præſentis temporis initus, ut: accipio te in meam uxorem, quibus verbis implicitè mutua cohabitatio, amor conjugalis, & traditio corporum ſpondetur, ac idcircò ſponſalia appellantur.

2 Fuit quidem olim de quibuſdam verbis diſputatio, an importarent conſenſum de præſenti, vel de futuro, ut ſi dictum erat: *volo te habere in uxorem*, cujus controverſiæ deciſio principaliter ex circumſtantiis, & mente contrahentium deſumebatur, an ſcilicet voluerint ſponſalia, vel matrimonium contrahere? ſed hodie, quando poſt Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de Reformatione Matrim. c. 1.* nullum matrimonium ſine Parocho, & teſtibus contrahi poteſt, atque ex generali Eccleſiæ ritu in ipſo templo ambo contrahentes ideò conveniunt, ut non ſponſalia *de futuro*, ſed ipſum matrimonium per verba categorica interrogante Parocho contrahant, vix amplius controverſiæ hujus videtur eſſe utilitas.

Matrimonium definitur *in §. 1. Inſtit. de Patria poteſt.* 3
quod ſit legitima viri, & mulieris conjunctio individuam
vitæ ſocietatem continens. Dividitur in Matrimonium
legitimum, ratum, & conſummatum. Legitimum quamvis
omne matrimonium dici poſſit, quod à jure improbatum non eſt, in ſpecie tamen illud dicitur, quod inter
infideles contrahitur, & in ſolo legitimo, ac naturali 4
conſenſu conſiſtit, nec Eccleſiæ ratificationem habet,
nec Sacramentum eſt. *Ratum* illud propriè appellatur,
quòd per verba de præſenti contractum ab Eccleſia ap- 5
probatum eſt, & rationem Sacramenti habet, cui tamen
necdum acceſſit carnalis copula, de quo matrimonio
accipienda eſt regula *l. nuptias. 30. ff. de R. I.* quod *nu-
ptias non concubitus, ſed conſenſus faciat. Conſummatum* 6
denique illud vocatur, quòd per concubitum, & carnalem copulam præcedente legitimo conſenſu de præſenti completum, & conſummatum eſt. Notanter dico, debere conſenſum legitimum, ſeu matrimonium ratum præcedere: nam ſi copula habeatur ante contractum matrimonialem, ex ea non induceretur matrimonii conſummatio, quia quod non eſt, conſummari non poteſt, ſed ante contractum matrimonialem non eſt matrimonium, ergo &c. Erit proinde talis copula merè fornicaria, nec indiſſolubilitatem, aliosque effectus matrimonii conſummati (de quibus *in tit. de Converſione conjugatorum*) operabitur.

Conjugium autem dicitur à conjunctione; & omne 7
quidem matrimonium conjugium dici poteſt, non tamen vice verſa omne conjugium matrimonium, ſi in rigore loquamur, nam matrimonium à præcipuo fine, qui eſt prolis generatio, nomen accepit, mulier enim nubit ut fiat mater, inquit Gloſſ. *in §. 1. Inſtit. de Patria poteſt.* quare ſi ſenes, qui extra ſpem prolis ſunt, nuptias contrahant, talis contractus conjugium potiùs, quàm matrimonium appellabitur.

Nuptiæ demùm inde dictæ ſunt, quòd olim puellæ pu- 8
doris gratia ſe obnuberent, ſeu faciem velarent, dum viris dabantur, *nec illud. 3. cauſa 20. q. 5.* Inde licet nuptiæ, & matrimonium in jure plerunque confundantur, ut *tot. tit. ff. de Ritu nuptiar.* tamen etiam hodie *nuptiarum* nomine propriè illa ſolemnitas, & pompa externa magis, quàm contractus ipſe matrimonialis intelligitur, quo ſenſu tempore Adventus, & Quadrageſimæ nuptiæ prohibentur, id eſt, pompa nuptialis, non verò ipſe matrimonialis contractus, ſi abſque ſolemnitate privatim ex cauſa inſtituatur *c. 4. de Feriis*.

§. II.

§. II.

Quomodo contrahantur sponsalia de futuro.

S U M M A R I A.

1 *Definitio Sponsalium.*
2 *Ad contrahenda requiritur mutuus consensus saltem implicitus.*
3 *Promissio gratuita non constituit sponsalia.*
4 *Sponsalia inter absentes contrahi possunt per litteras, vel Procuratorem.*
5 *Procurator ad Sponsalia, & Procurator ad alia negotia per tria differunt.*
6 *Parochus, & testes non sunt de substantia, sed de probatione sponsalium.*
7 *De Arrhis, vel pœna an Sponsalibus addi possint.*
8 *Circumstantiæ indicant quando sola taciturnitas, vel simplex acceptatio constituat Sponsalia.*
9 *Simplex promissio ante revocationem semper valet.*
10 *Promittens matrimonium amicis Titiæ habentibus mandatum obligatur, sin minus, non obligatur.*
11 *Verba: nullam aliam ducam nisi te, quid faciant.*
12 *Partem resilientem potest compellere Ecclesia.*
13 *Virginem ficta promissione seducens tenetur eam ducere.*
14 *Notabiliter eminentioris status ficte (secus est, si verè & scienter) promittens potest se redimere pecuniaria compensatione.*

1 JUrisconsultus in *l. 1. ff. de Sponsalibus.* definit sponsalia, quòd sint: *mentio, & repromissio futurarum nu-*
2 *ptiarum*, ideò pro certo tenendum est I. Ad sponsalia constituenda necessario requiri mutuum, & reciprocum consensum viri, & fœminæ super futuris nuptiis: nec sufficere, si tantum pars promittat sine repromissione saltem implicita alterius: nec ex promissione unius alteri quæri obligationem, nisi, & ipsa promiserit; quia promittens non censetur se aliter obligare, quàm secundùm naturam sponsalium, & sub tacita conditione, si etiam altera pars promittat.

3 Potest quidem aliquando fieri promissio ab una parte alteri *mere gratuita*, & sine conditione repromissionis, ut si dives aliquis fœminæ sibi in gravi morbo fideliter servienti pro remuneratione promittat matrimonium, cùm utique in ipsius sit potestate, vel simpliciter, vel sub conditione se obligare dummodo constet de hac sua voluntate, & fœmina non renuat, sed saltem tacendo acceptet talem promissionem; interim tamen ista promissio gratuita non habebit vim, & effectum Sponsalium; unde si fæmina ex sua parte etiam post acceptatam promissionem nolit contrahere matrimonium, ad id compelli non poterit: quia tantùm habuit virum sibi obligatum, ipsa verò defectu repromissionis obligata non fuit, sicut si donationem aliquam merè gratuitam acceptasset.
4 Item ex tali promissione non nascetur impedimentum *publicæ honestatis*, sicut ex sponsalibus, quo minùs mortua fæmina, cui promissio facta est, soror ejus à viro promittente in uxorem, vel èconta mortuo viro ejus frater à fæmina in matrimonium accipi possit.

5 Certùm est II. Sponsalia non tantùm inter præsentes, sed etiam absentes contrahi posse, scilicet per litteras, vel Procuratorem: nam ad sponsalia non requiritur simultaneus formaliter consensus, sed sufficit, si is, qui prior consensit, in hac sua voluntate perseveret, usque dum etiam altera pars vicissim consentiat, prout id universim in aliis quoque contractibus, ut emptione, locatione &c. procedit, & textus sunt in *l. ult. ff. de Contrahenda empt. c. final. de Procur. in 6.* Verùm Procurator, qui ad sponsalia, vel matrimonium contrahendum, & ille, qui ad alios contractus ineundos destinantur, in tribus notabiliter differunt. I. Ut Procurator ex aliis contractibus dominum obligare possit, sufficit, si *generale* mandatum habeat, omnia loco domini peragendi, vel Procurator *cum libera* administratione constitutus sit, *l. Procurator 58. & seq. ff. de Procuratore* sed sponsalia, vel matrimonium Procuratator aliter contrahere non poterit, quam si hoc ei nominatim, & *in specie* demandatum sit. *dict. c. ult. de Procur. in 6.* II. Procurator ad alia negotia constitutus ea per se tractare non tenetur, sed potest alium substituere, non vero procurator ad sponsalia, vel matrimonium contrahendum; cùm enim causa matrimonialis maximi sit præjudicii, ad hanc tractandam personæ industria electa censetur, & consequenter, sine voluntate principalis alteri committi non poterit. Quod tamen etiam ad alia negotia valde ardua propter eandem rationem præjudicii extendit Menochius *de Præsumptionibus lib. 2. præsumptione* 58. III. Demùm in aliis causis, si principalis mandatum Procuratoris revocet in ejus absentia, Procurator adhuc validè procedet, usque dum sibi de ista revocatione innotescat, *Clement. un. de Renuntiatione l. Si mandem. 16. ff. Mandati.* At verò Procurator sponsalium, vel matrimonii etiam in absentia revocari potest, ita, ut si dominus interim pœniteat, & coram protestetur, se nolle consentire in actum à procuratore gerendum, Procurator invalidè contrahat, licet hujus revocationis ignarus sit, quod pro majori matrimonii libertate ita constitutum est *in d. c. ultimo. de Procurat. in 6.*

Certum est III. Ad sponsalia de futuro præter consen- 6
sum mutuum nullam aliam solemnitatem requiri, adeoque etiam sine Parocho, & testibus inita valere. Imò in sponsalibus Parocho non facilè interesse deberet, ne in ipsius præsentia partes non tantum sponsalia, sed ipsum etiam matrimonium cum aliorum præjudicio contrahant; nam in præsentia parochi, & testium etiam extra Ecclesiam, & Parocho invito matrimonium contrahi posse, suo loco dicemus. Interim ad futuram probationem, si fortè alterutra pars sponsalia negare vellet, utique consultum erit, vel testes adhibere, vel scripturam desuper conficere.

Certum est IV. Ad libertatem matrimonii retinendam 7
in jure statutum esse, ut sponsalibus *pœna* non adiiciatur, adeoque non valere tale pactum: Si mihi non nupseris, in pœnam centum florenos dabis. *cap. gemam. 29. hoc tit. l. Titita 134. ff. de Verborum obligationibus. l. penult. in fine. Cod. de Sponsalibus.* Sed non minùs certum est, in contractibus sponsalium *arrhas* intervenire posse, scilicet annulum, pecuniam, vel aliquid simile, ita ut si ille, qui arrhas dedit, contractum non servet, arrhas amittat; si verò alter, qui accepit, resiliat, duplicatas reddere teneatur. *l. arrhis. 3. & d. l. penult. Cod. de Sponsalibus.* Cum autem inter *pœnam*, & *arrhas* nulla in effectu videatur esse differentia, nisi quòd pœna tantum promittatur, arrhæ vero insuper tradantur, ideo in ratione differentiæ inter utramque assignanda omnes DD. laborant, & cum Gloss. *in dict. c. geamm.* Sanch. *Lib. 1. de Matrim. disp. 35. n. 2. in fine* Laym. *de Sponsalibus cap. 1. n. 8.* existimant præter authoritatem legis vix posse aliam convincentem rationem assignari, & ideò respondendum esse ex *l. non omnium 20. ff. de Legibus*, quòd *non omnium, quæ à maioribus nostris constituta sunt, ratio reddi possit.* Verùm ut declinemus miserum refugium, *dict. l. non omnium:* ego soleo hanc interpretationem adhibere, videlicet, quòd non sit in obligatione circa sponsalia inter *pœnam*, & *arrhas* differentia: sicut enim *arrhæ* non perduntur, nec duplicatæ restituuntur, si justa causa subsit non servandi contractum, v. g. propter hæresim, aut fornicationem alterius ex desponsatis *d. lib. penult. §. his. illud Cod. de Sponsalibus.* ita etiam non obligat *pœna*, si ex justa causa à contractu discedatur. Et econtra sicut *arrhæ* debentur, si violatio pacti fiat absque justa causa, ita etiam *pœna*; quod posteriùs, quamvis non omnes admittant, putantes nullo casu stipulationem pœnæ valere, licèt ex injusta causa contractus violetur: nihilominus contraria probabilius defenditur cum ipso Laym. *d. n. 8.* quia *pœnæ* adjectio tantùm prohibita est, ne libertas matrimonii impediatur, at vero si *pœna* tantùm habeat istum sensum, ut solvi debeat, si absque justa causa contractus non servetur, nihil continet contra libertatem matrimonii: cùm etiam sine pœna non liceat recedere à contractu, nisi ex causa rationabili, & à legibus approbata. Porro circa ista, quæ hactenus tanquam *certa* præmisimus, aliquot controversiæ occurrunt, nam,

Dubi-

Dubitatur I. Cùm ad principium hujus §. dictum sit, in sponsalibus non sufficere promissionem unius, sed necessariam esse repromissionem alterius saltem implicitam, quænam sit talis implicita repromissio, an scilicet inducatur per solam taciturnitatem ejus, cui promissio facta est, an per expressam verbalem acceptationem, an per manus porrectionem, vel annuli acceptationem? R. I. Cùm in dubio potiùs liberatio, quam obligatio inducenda sit, *l. Arrianus* 47. *ff. de Oblig. & act.* ideò ex sola taciturnitate ejus, cui facta est promissio, ordinariè non constitui sponsalia, nisi de mente tacentis ex circumstantiis aliud colligi possit: nam licet sit *Regula* 43. *Juris in* 6. *Qui tacet, consentire videtur*; tamen statim subsequitur altera. *Is qui tacet, non utique fatetur, sed nec negare videtur*. Quare dicendum est cùm communiori Interpretum sententia, quòd consensus ex taciturnitate non sit verus, & naturalis, sed tantùm præsumptus ex circumstantiis, & modo agendi, quæ præsumptio in primis admittit probationem in contrarium, & deinde non habet locum in causis magni momenti, quia tacens videtur quidem consentire in sui favorem, non verò in magnum sui præjudicium, præsertim in causis matrimonii, cum jura non soleant facilè libertatem matrimonialem impedire. Hinc responderi potest brevius, quod tacens videatur consentire, in quantum est sibi favorabile, ut scilicet adhuc meliùs deliberare, & demum, vel promittere, vel abnegare possit, non verò ut mox se vicissim obligare, & repromittere intelligatur. Gutierez. *de Matrim. c.* 3. *n.* 1. & 2.

8 R. II. Quòd de taciturnitate diximus, idem etiam probabiliter extendi posse ad simplicem acceptationem, vel gratiarum actionem, ut scilicet tantùm in sui favorem, & ad ulteriorem deliberationem censeatur alter acceptasse, vel gratias egisse, eo quòd ob favorem libertatis matrimonialis in dubio non sit facilè obligatio inducenda, ut dictum, & docet Sanch. *de Matrim. lib.* 1. *disp.* 3. *n.* 3. & 5. Interim hic præcipuè ad circumstantias attendendum erit; nam si actum fuerit de sponsalibus hic, & nunc contrahendis, v. g. in præsentia amicorum, nec altera pars petierit ulteriorem dilationem, vel alia verba aut signa dederit, ex quibus intentio non contrahendi sponsalia declarari potuit, tunc etiam sola acceptatio absque expressa repromissione sufficit. Ratio est, quia promissio non potest aliter acceptari, quàm quatenus facta est, sed præcisè facta est, cum hac intentione hic, & nunc contrahendi sponsalia, ergo hoc, & non alio modo potuit acceptari. Rosella, & Sylvester *in suis Summis Verbo Sponsalia n.* 1.

R. III. Si tractatus de sponsalibus, vel matrimonio præcesserit, & mulier manum porrexerit, annulum, vel alia dona acceptarit, censebuntur esse contracta, quia non tantùm verbis, sed etiam signis juxta communem hominum intellectum consensum, aut promissionem importantibus sponsalia, sicut, & alii contractus celebrari possunt; alias muti similes contractus inire non valerent. Deinde tacens censetur consentire etiam in sui præjudicium, & obligationem, quando præter taciturnitatem alius actus positivus concurrit, ut notat Panorm. *in cap. cum virum* 12. *de Regularibus n.* 3. Sed hæc ita, si tractatus de sponsalibus præcesserit: nam cæteroquin sola manus porrectio, vel annuli, aut alterius rei donatio non est sufficiens signum, ex quo sponsalia convincantur, quia possunt hæc, & similia meræ affectionis causa fieri. Sanch. *l.* 1. *disput.* 22.

9 *Dubitatur* II. An is, qui promissionem matrimonii alteri fecit, possit hanc promissionem revocare, antequam altera pars acceptet, vel repromittat. Resp. cum Gutierez *d. c.* 3. *n.* 6. omnem promissionem matrimonii regulariter & in dubio (aliud est, si expressè de promissione mere gratuita constet, de qua superius sub *Certo* 1. diximus) censeri respectivam, atque habere in se tacitam conditionem, si pars altera statim repromiserit. Quare si hæc repromissio secuta non fuerit, licet fortè simplex acceptatio intervenerit, tunc deficiente conditione cessabit etiam obligatio ex parte promittentis, ac consequenter nihil impediet, quominùs revocari possit; si tamen promittens expressè non revocaverit, censebitur adhuc in sua voluntate, & promissione persistere, ac alteri moram deliberandi concedere.

Accedit, quòd promissio unius partis sit mera pollicitatio (est enim pollicitatio solius offerentis promissio) de cujus natura est, ut ante acceptationem partis alterius liberè revocari possit, ut *tot. t. ff. de Pollicit.* traditur.

Nec obstat, quòd de jure Canonico *in c.* 1. & 3. *de Pactis* omne promissum jubeatur impleri, ex quo textu quidam concludunt, pollicitationem de jure Canonico revocari non posse, non obstat, inquam: quia textus accipiendus est de promissione acceptata, quæ fit purè, non verò de simplici pollicitatione, aut illa promissione, quæ fit sub tacita repromissionis conditione.

Dubitatur III. An statim irrevocabiliter obligetur, 10
qui v. gr. coram amicis, vel consanguineis Titiæ ipsa absente se resolvit, quòd velit cum ea matrimonium inire?

Resp. Non esse imprimis dubitandum, si dicti amici, vel consanguinei mandatum habuerint à Titia, ut suo nomine contraherent sponsalia, promittentem irrevocabiliter obligari; quia nihil interest, an quis cum principali, vel ejus procuratore contrahat, at verò si consanguinei ignorante Titia ejus nomine contraxerint, puto promissionem non obligare, tanquam sponsalia, vel pactum irrevocabile, sed tantùm ut pollicitationem absenti factam, quæ ante principalis personæ acceptationem adhuc revocari potest: quia de jure civili certum est, & de canonico non reperitur contrarium statutum, quòd stipulatio in favorem tertii facta non valeat, stipulationes enim ad hoc inventæ sunt, ita Imperator *in §. alterius* 19. *Inst. de nullit. stipulat.* ut unusquique sibi acquirat, quod sua interest. Ulteriùs etiam illud hic addo, quòd, licet promittens mandaverit consanguineis, ut promissionem suam absenti Titiæ insinuent, ejusque consensum desuper requirant, nihilominus antequam Titia repromiserit, promissio ex parte promittentis validè revocatur, quia consanguinei in hoc casu non sunt plus, quam procuratores ad contrahendum cum Titia destinati, Procuratorem verò in causa matrimonii etiam in absentia revocari posse, jam alibi *ex c. ultimo de Procurat. in* 6. notavimus.

Dubitatur IV. An sponsalia contracta intelligantur, 11
si quis per verba negativa ita dixerit: *nullam aliam ducam nisi te*; Affirmat Menoch. *de Præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 2. *num.* 8. cum Abbate, & aliis, quasi prædicta verba simpliciter habeant hunc sensum. *Te ducam in uxorem*: eo quod particula *nisi*, quando sequitur negationem, importet affirmationem, ut cum Judæi dixerunt: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*, sensus erat, *Cæsar est noster Rex*. Verùm ego in dubio; quando agitur de valore sponsalium (secus, quando agitur de valore matrimonii jam contracti, pro quo in dubio magis respondendum est, ut evitetur scandalum separationis post diuturnam cohabitationem, *c. ultimo, de Sententia, & re judicata*) plerumque soleo pro favore libertatis matrimonialis inclinare; tum quod in dubio non sit facilè inducenda obligatio, *d. L. Arrianus* 47. tum quòd matrimonia coacta soleant difficiles exitus habere, *c. requisivit* 17. *h. t.* Unde ad nostrum propositum existimo dicta verba, & particulam *nisi* in pactis, & promissionibus habere sensum conditionatum in hunc modum: *si aliquam ducturus sum, tunc te ducam, & non aliam*; quemadmodum si dicam: *nulli domum vendam, nisi tibi*. Interim non statim inferunt, quòd velim hic, & nunc matrimonium contrahere, & promittere, vel domum vendere, cùm possim ab omni venditione, vel matrimonio abstinere: optimus textus *in L. si sterilis* 21. §. *sed et si ff. de actionibus empt.*: nisi tamen ex adjunctis circumstantiis alias posset colligi intentio promittentis, quòd reveta voluntas ejus fuerit, sponsalia contrahere, cùm non intentio verbis, sed verba intentioni accommodari debeat, *c. secundo* 41. *de Appellat.* Covar. *de Matrimon. p.* 2. *c.* 4. *num.* 3.

Dubitatur V. An sponsalibus validè contractis, si al- 12
tera pars nolit contractum servare, debeat à judice Ecclesiastico compelli? Rationem dubitandi facit dict. *c. requisivit* 17. *h.* ubi Pontifex eam, quæ jurata etiam sponsalia contraxit, & nubere recusavit, monendam potius ait, quàm cogendam, cum coactiones difficiles sæpe soleant exitus habere. Resp. Juris conforme, & in praxi ubique receptum esse, ut pars illa, quæ absque cau-

§. II.

Quomodo contrahantur sponsalia de futuro.

SUMMARIA.

1 *Definitio Sponsalium.*
2 *Ad contrahenda requiritur mutuus consensus saltem implicitus.*
3 *Promissio gratuita non constituit sponsalia.*
4 *Sponsalia inter absentes contrahi possunt per litteras, vel Procuratorem.*
5 *Procurator ad Sponsalia, & Procurator ad alia negotia per tria differunt.*
6 *Parochus, & testes non sunt de substantia, sed de probatione sponsalium.*
7 *De Arrhis, vel pœna an Sponsalibus addi possint.*
8 *Circumstantia indicant quando sola taciturnitas, vel simplex acceptatio constituat Sponsalia.*
9 *Simplex promissio ante revocationem semper valet.*
10 *Promittens matrimonium amicis Titiæ habentibus mandatum obligatur, sin minus, non obligatur.*
11 *Verba: nullam aliam ducam nisi te, quid faciant.*
12 *Partem resilientem potest compellere Ecclesia.*
13 *Virginem ficta promissione seducens tenetur eam ducere.*
14 *Notabiliter eminentioris status fictè (secus est, si verè & scienter) promittens potest se redimere pecuniaria compensatione.*

1 JUrisconsultus in *l. 1. ff. de Sponsalibus.* definit sponsalia, quòd sint: *mentio, & repromissio futurarum nu-* 2 *ptiarum*, ideò pro certo tenendum est I. Ad sponsalia constituenda necessario requiri mutuum, & reciprocum consensum viri, & fœminæ super futuris nuptiis: nec sufficere, si tantum pars promittat sine repromissione saltem implicita alterius: nec ex promissione unius alteri quæri obligationem, nisi, & ipsa promiserit; quia promittens non censetur se aliter obligare, quàm secundùm naturam sponsalium, & sub tacita conditione, si etiam altera pars promittat.

3 Potest quidem aliquando fieri promissio ab una parte alteri *mere gratuita*, & sine conditione repromissionis, ut si dives aliquis fœminæ sibi in gravi morbo fideliter servienti pro remuneratione promittat matrimonium, cùm utique in ipsius sit potestate, vel simpliciter, vel sub conditione se obligare dummodo constet de hac sua voluntate, & fœmina non renuat, sed saltem tacendo acceptet talem promissionem; interim tamen ista promissio gratuita non habebit vim, & effectum Sponsalium; unde si fæmina ex sua parte etiam post acceptatam promissionem nolit contrahere matrimonium, ad id compelli non poterit: quia tantùm habuit virum sibi obligatum, ipsa verò defectu repromissionis obligata non fuit, sicut si donationem aliquam merè gratuitam acceptasset.
4 Item ex tali promissione non nascetur impedimentum *publicæ honestatis*, sicut ex sponsalibus, quo minùs mortua fæmina, cui promissio facta est, soror ejus à viro promittente in uxorem, vel ècontra mortuo viro ejus frater à fæmina in matrimonium accipi possit.

5 Certùm est II. Sponsalia non tantùm inter præsentes, sed etiam absentes contrahi posse, scilicet per litteras, vel Procuratorem: nam ad sponsalia non requiritur simultaneus formaliter consensus, sed sufficit, si is, qui prior consensit, in hac sua voluntate perseveret, usque dum etiam altera pars vicissim consentiat, prout id universim in aliis quoque contractibus, ut emptione, locatione &c. procedit, & textus sunt in *l. ult. ff. de Contrahenda empt. c. final. de Procur. in 6.* Verùm Procurator, qui ad sponsalia, vel matrimonium contrahendum, & ille, qui ad alios contractus ineundos destinantur, in tribus notabiliter differunt. I. Ut Procurator ex aliis contractibus dominum obligare possit, sufficit, si *generale* mandatum habeat, omnia loco domini peragendi, vel Procurator *cum libera* administratione constitutus sit, *l. Procurator 58. & seq. ff. de Procuratore* sed sponsalia, vel matrimonium Procurator aliter contrahere non poterit, quam si hoc ei nominatim, & *in specie* demandatum sit. *dict. c. ult. de Procur. in 6.* II. Procurator ad alia negotia constitutus ea per se tractare non tenetur, sed potest alium substituere, non vero procurator ad sponsalia, vel matrimonium contrahendum; cùm enim causa matrimonialis maximi sit præjudicii, ad hanc tractandam personæ industria electa censetur, & consequenter, sine voluntate principalis alteri committi non poterit. Quod tamen etiam ad alia negotia valde ardua propter eandem rationem præjudicii extendit Menochius *de Præsumptionibus lib. 2. præsumptione* 58. III. Demùm in aliis causis, si principalis mandatum Procuratoris revocet in ejus absentia, Procurator adhuc validè procedet, usque dum sibi de ista revocatione innotescat, *Clement. un. de Renuntiatione l. Si mandem. 16. ff. Mandati.* At verò Procurator sponsalium, vel matrimonii etiam in absentia revocari potest, ita, ut si dominus interim pœniteat, & coram protestetur, se nolle consentire in actum à procuratore gerendum, Procurator invalidè contrahat, licet hujus revocationis ignarus sit, quod pro majori matrimonii libertate ita constitutum est *in d. c. ultimo. de Procurat. in 6.*

6 Certum est III. Ad sponsalia de futuro præter consensum mutuum nullam aliam solemnitatem requiri, adeoque etiam sine Parocho, & testibus inita valere. Imò in sponsalibus Parocho non facilè interesse deberet, ne in ipsius præsentia partes non tantum sponsalia, sed ipsum etiam matrimonium cum aliorum præjudicio contrahant; nam in præsentia parochi, & testium etiam extra Ecclesiam, & Parocho invito matrimonium contrahi posse, suo loco dicemus. Interim ad futuram probationem, si fortè alterutra pars sponsalia negare vellet, utique consultum erit, vel testes adhibere, vel scripturam desuper conficere.

7 Certum est IV. Ad libertatem matrimonii retinendam in jure statutum esse, ut sponsalibus *pœna* non adiiciatur, adeoqua non valere tale pactum: Si mihi non nupseris, in pœnam centum florenos dabis. *cap. gemam. 29. hoc tit. l. Titia 134. ff. de Verborum obligationibus. l. penult. in fine. Cod. de Sponsalibus.* Sed non minùs certum est, in contractibus sponsalium *arrhas* intervenire posse, scilicet annulum, pecuniam, vel aliquid simile, ita ut si ille, qui arrhas dedit, contractum non servet, arrhas amittat; si verò alter, qui accepit, resiliat, duplicatas reddere teneatur. *l. arrhis. 3. & d. l. penult. Cod. de Sponsalibus.* Cum autem inter *pœnam*, & *arrhas* nulla in effectu videatur esse differentia, nisi quòd pœna tantum promittatur, arrhæ vero insuper tradantur, ideo in ratione differentiæ inter utramque assignanda omnes DD. laborant, & cum Gloss. *in dict. c. geamm.* Sanch. *Lib. 1. de Matrim. disp. 35. n. 2. in fine* Laym. *de Sponsalibus cap. 1. n. 8.* existimant præter authoritatem legis vix posse aliam convincentem rationem assignari, & ideò respondendum esse ex *l. non omnium 20. ff. de Legibus*, quòd *non omnium, quæ à majoribus nostris constituta sunt, ratio reddi possit.* Verùm ut declinemus miserum refugium, *dict. l. non omnium:* ego soleo hanc interpretationem adhibere, videlicet, quòd non sit in obligatione circa sponsalia inter *pœnam*, & *arrhas* differentia: sicut enim *arrha* non perduntur, nec duplicatæ restituuntur, si justa causa subsit non servandi contractum, v. g. propter hæresim, aut fornicationem alterius ex desponsatis *d. lib. penult. §. his. illud Cod. de Sponsalibus.* ita etiam non obligat *pœna*, si ex justa causa à contractu discedatur. Et econtra sicut *arrha* debentur, si violatio pacti fiat absque justa causa, ita etiam *pœna*; quod posteriùs, quamvis non omnes admittant, putantes nullo casu stipulationem pœnæ valere, licèt ex injusta causa contractus violetur: nihilominus contraria probabilius defenditur cum ipso Laym. *d. n. 8.* quia *pœnæ* adjectio tantùm prohibita est, ne libertas matrimonii impediatur, at vero si *pœna* tantùm habeat istum sensum, ut solvi debeat, si absque justa causa contractus non servetur, nihil continet contra libertatem matrimonii: cùm etiam sine pœna non liceat recedere à contractu, nisi ex causa rationabili, & à legibus approbata. Porro circa ista, quæ hactenus tanquam *certa* præmisimus, aliquot controversiæ occurrunt, nam.

Dubitatur I. Cùm ad principium hujus ſ. dictum ſit, in ſponſalibus non ſufficere promiſſionem unius, ſed neceſſariam eſſe repromiſſionem alterius ſaltem implicitam, quænam ſit talis implicita repromiſſio, an ſcilicet inducatur per ſolam taciturnitatem ejus, cui promiſſio facta eſt, an per expreſſam verbalem acceptationem, an per manus porrectionem, vel annuli acceptationem? R. I. Cùm in dubio potiùs liberatio, quam obligatio inducenda ſit, *l. Arrianus* 47. *ff. de Oblig. & act.* ideò ex ſola taciturnitate ejus, cui facta eſt promiſſio, ordinariè non conſtitui ſponſalia, niſi de mente tacentis ex circumſtantiis aliud colligi poſſit: nam licet ſit *Regula* 43. *Juris in* 6. *Qui tacet, conſentire videtur*; tamen ſtatim ſubſequitur altera. *Is qui tacet, non utique fatetur, ſed nec negare videtur*. Quare dicendum eſt cùm communiori Interpretum ſententia, quòd conſenſus ex taciturnitate non ſit verus, & naturalis, ſed tantùm præſumptus ex circumſtantiis, & modo agendi, quæ præſumptio in primis admittit probationem in contrarium, & deinde non habet locum in cauſis magni momenti, quia tacens videtur quidem conſentire in ſui favorem, non verò in magnum ſui præjudicium, præſertim in cauſis matrimonii, cum jura non ſoleant facilè libertatem matrimonialem impedire. Hinc reſponderi poteſt brevius, quod tacens videatur conſentire, in quantum eſt ſibi favorabile, ut ſcilicet adhuc meliùs deliberare, & demum, vel promittere, vel abnegare poſſit, non verò ut mox ſe viciſſim obligare, & repromittere intelligatur. Gutierez. *de Matrim. c.* 3. *n.* 1. & 2.

8 R. II. Quòd de taciturnitate diximus, idem etiam probabiliter extendi poſſe ad ſimplicem acceptationem, vel gratiarum actionem, ut ſcilicet tantùm in ſui favorem, & ad ulteriorem deliberationem cenſeatur alter acceptaſſe, vel gratias egiſſe, eo quòd ob favorem libertatis matrimonialis in dubio non ſit facilè obligatio inducenda, ut dictum, & docet Sanch. *de Matrim. lib.* 1. *diſp.* 3. *n.* 3. & 5. Interim hic præcipuè ad circumſtantias attendendum erit; nam ſi actum fuerit de ſponſalibus hic, & nunc contrahendis, v. g. in præſentia amicorum, nec altera pars petierit ulteriorem dilationem, vel alia verba aut ſigna dederit, ex quibus intentio non contrahendi ſponſalia declarari potuit, tunc etiam ſola acceptatio abſque expreſſa repromiſſione ſufficit. Ratio eſt, quia promiſſio non poteſt aliter acceptari, quàm quatenus facta eſt, ſed præciſè facta eſt, cum hac intentione hic, & nunc contrahendi ſponſalia, ergo hoc, & non alio modo potuit acceptari. Roſella, & Sylveſter *in ſuis Summis Verbo Sponſalia n.* 1.

R. III. Si tractatus de ſponſalibus, vel matrimonio præceſſerit, & mulier manum porrexerit, annulum, vel alia dona acceptarit, cenſebuntur eſſe contracta, quia non tantùm verbis, ſed etiam ſignis juxta communem hominum intellectum conſenſum, aut promiſſionem importantibus ſponſalia, ſicut, & alii contractus celebrari poſſunt; alias muti ſimiles contractus inire non valerent. Deinde tacens cenſatur conſentire etiam in ſui præjudicium, & obligationem, quando præter taciturnitatem alius actus poſitivus concurrit, ut notat Panorm. *in cap. cum virum* 12. *de Regularibus n.* 3. Sed hæc ita, ſi tractatus de ſponſalibus præceſſerit: nam cæteroquin ſola manus porrectio, vel annuli, aut alterius rei donatio non eſt ſufficiens ſignum, ex quo ſponſalia convincantur, quia poſſunt hæc, & ſimilia meræ affectionis cauſa fieri. Sanch. *l.* 1. *diſput.* 22.

9 *Dubitatur* II. An is, qui promiſſionem matrimonii alteri fecit, poſſit hanc promiſſionem revocare, antequam altera pars acceptet, vel repromittat. Reſp. cum Gutierez *d. c.* 3. *n.* 6. omnem promiſſionem matrimonii regulariter & in dubio (aliud eſt, ſi expreſsè de promiſſione mere gratuita conſtet, de qua ſuperius ſub *Certo* 1. diximus) cenſeri reſpectivam, atque habere in ſe tacitam conditionem, ſi pars altera ſtatim repromiſerit. Quare ſi hæc repromiſſio ſecuta non fuerit, licet fortè ſimplex acceptatio intervenerit, tunc deficiente conditione ceſſabit etiam obligatio ex parte promittentis, ac conſequenter nihil impediet, quominùs revocari poſſit; ſi tamen promittens expreſsè non revocaverit, conſebitur adhuc in ſua voluntate, & promiſſione perſiſtere, ac alteri moram deliberandi concedere.

Accedit, quòd promiſſio unius partis ſit mera pollicitatio (eſt enim pollicitatio ſolius offerentis promiſſio) de cujus natura eſt, ut ante acceptationem partis alterius liberè revocari poſſit, ut *tot. t. ff. de Pollicit.* traditur.

Nec obſtat, quòd de jure Canonico *in c.* 1. & 3. *de Pactis* omne promiſſum jubeatur impleri, ex quo textu quidam concludunt, pollicitationem de jure Canonico revocari non poſſe, non obſtat, inquam: quia textus accipiendus eſt de promiſſione acceptata, quæ ſit purè, non verò de ſimplici pollicitatione, aut illa promiſſione, quæ ſit ſub tacita repromiſſionis conditione.

10 *Dubitatur* III. An ſtatim irrevocabiliter obligetur, qui v. gr. coram amicis, vel conſanguineis Titiæ ipſa abſente ſe reſolvit, quòd velit cum ea matrimonium inire?

Reſp. Non eſſe imprimis dubitandum, ſi dicti amici, vel conſanguinei mandatum habuerint à Titia, ut ſuo nomine contraherent ſponſalia, promittentem irrevocabiliter obligari; quia nihil intereſt, an quis cum principali, vel ejus procuratore contrahat, at verò ſi conſanguinei ignorante Titia ejus nomine contraxerint, puto promiſſionem non obligare, tanquam ſponſalia, vel pactum irrevocabile, ſed tantùm ut pollicitationem abſenti factam, quæ ante principalis perſonæ acceptationem adhuc revocari poteſt: quia de jure civili certum eſt, & de canonico non reperitur contrarium ſtatutum, quòd ſtipulatio in favorem tertii facta non valeat, ſtipulationes enim ad hoc inventæ ſunt, ita Imperator *in §. alterius* 19. *Inſt. de inutil. ſtipulat.* ut unuſquique ſibi acquirat, quod ſua intereſt. Ulteriùs etiam illud hic addo, quòd, licet promittens mandaverit conſanguineis, ut promiſſionem ſuam abſenti Titiæ inſinuent, ejuſque conſenſum deſuper requirant, nihilominus antequam Titia repromiſerit, promiſſio ex parte promittentis validè revocatur, quia conſanguinei in hoc caſu non ſunt plus, quam procuratores ad contrahendum cum Titia deſtinati, Procuratorem verò in cauſa matrimonii etiam in abſentia revocari poſſe, jam alibi *ex c. ultimo de Procurat. in* 6. notavimus.

11 *Dubitatur* IV. An ſponſalia contracta intelligantur, ſi quis per verba negativa ita dixerit: *nullam aliam ducam niſi te*; Affirmat Menoch. *de Præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 2. *num.* 8. cum Abbate, & aliis, quaſi prædicta verba ſimpliciter habeant hunc ſenſum. *Te ducam in uxorem*: eo quod particula *niſi*, quando ſequitur negationem, importet affirmationem, ut cum Judæi dixerunt: *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*, ſenſus erat, *Cæſar eſt noſter Rex*. Verùm ego in dubio; quando agitur de valore ſponſalium (ſecus, quando agitur de valore matrimonii jam contracti, pro quo in dubio magis reſpondendum eſt, ut evitetur ſcandalum ſeparationis poſt diuturnam cohabitationem, *c. ultima, de Sententia, & re judicata*) plerumque ſoleo pro favore libertatis matrimonialis inclinare; tum quod in dubio non ſit facilè inducenda obligatio, *d. L. Arrianus* 47. tum quòd matrimonia coacta ſoleant difficiles exitus habere, *c. requiſivit* 17. *h. t.* Unde ad noſtrum propoſitum exſtimo dicta verba, & particulam *niſi* in pactis, & promiſſionibus habere ſenſum conditionatum in hunc modum: *ſi aliquam ducturus ſum, tunc te ducam, & non aliam*; quemadmodum ſi dicam: *nulli domum vendam, niſi tibi*. Interim non ſtatim inferunt, quòd velim hic, & nunc matrimonium contrahere, & promittere, vel domum vendere, cùm poſſim ab omni venditione, vel matrimonio abſtinere: optimus textus *in L. ſi ſterilis* 21. *§. ſed et ſi ff. de actionibus empt.*: niſi tamen ex adjunctis circumſtantiis alias poſſet colligi intentio promittentis, quòd revera voluntas ejus fuerit, ſponſalia contrahere, cùm non intentio verbis, ſed verba intentioni accommodari debeat, *c. ſecundo* 41. *de Appellat.* Covar. *de Matrimon. p.* 2. *c.* 4. *num.* 3.

12 *Dubitatur* V. An ſponſalibus validè contractis, ſi altera pars nolit contractum ſervare, debeat à judice Eccleſiaſtico compelli? Rationem dubitandi facit dict. *c. requiſivit* 17. *h.* ubi Pontifex eam, quæ jurata etiam ſponſalia contraxit, & nubere recuſavit, monendam potius ait, quàm cogendam, cum coactiones difficiles ſæpe ſoleant exitus habere. Reſp. Juris conforme, & in praxi ubique receptum eſſe, ut pars illa, quæ abſque cau-

§. II.

Quomodo contrahantur sponsalia de futuro.

SUMMARIA.

1 *Definitio Sponsalium.*
2 *Ad contrahenda requiritur mutuus consensus saltem implicitus.*
3 *Promissio gratuita non constituit sponsalia.*
4 *Sponsalia inter absentes contrahi possunt per litteras, vel Procuratorem.*
5 *Procurator ad Sponsalia, & Procurator ad alia negotia per tria differunt.*
6 *Parochus, & testes non sunt de substantia, sed de probatione sponsalium.*
7 *De Arrhis, vel pœna an Sponsalibus addi possint.*
8 *Circumstantiæ indicant quando sola taciturnitas, vel simplex acceptatio constituat Sponsalia.*
9 *Simplex promissio ante revocationem semper valet.*
10 *Promittens matrimonium amicis Titiæ habentibus mandatum obligatur, sin minus, non obligatur.*
11 *Verba: nullam aliam ducam nisi te, quid faciant.*
12 *Partem resilientem potest compellere Ecclesia.*
13 *Virginem ficta promissione seducens tenetur eam ducere.*
14 *Notabiliter eminentioris status fictè (secus est, si verè & scienter) promittens potest se redimere pecuniaria compensatione.*

1 JUrisconsultus in *l. 1. ff. de Sponsalibus.* definit sponsalia, quòd sint : *mentio, & repromissio futurarum nu-*
2 *ptiarum*, ideò pro certo tenendum est I. Ad sponsalia constituenda necessario requiri mutuum, & reciprocum consensum viri, & fœminæ super futuris nuptiis: nec sufficere, si tantum pars promittat sine repromissione saltem implicita alterius: nec ex promissione unius alteri quæri obligationem, nisi, & ipsa promiserit; quia promittens non censetur se aliter obligare, quàm secundùm naturam sponsalium, & sub tacita conditione, si etiam altera pars promittat.

3 Potest quidem aliquando fieri promissio ab una parte alteri *mere gratuita*, & sine conditione repromissionis, ut si dives aliquis fœminæ sibi in gravi morbo fideliter servienti pro remuneratione promittat matrimonium, cùm utique in ipsius sit potestate, vel simpliciter, vel sub conditione se obligare dummodo constet de hac sua voluntate, & fœmina non renuat, sed saltem tacendo acceptet talem promissionem; interim tamen ista promissio gratuita non habebit vim, & effectum Sponsalium; unde si fæmina ex sua parte etiam post acceptatam promissionem nolit contrahere matrimonium, ad id compelli non poterit: quia tantùm habuit virum sibi obligatum, ipsa verò defectu repromissionis obligata non fuit, sicut si donationem aliquam merè gratuitam acceptasset.

4 Item ex tali promissione non nascetur impedimentum *publicæ honestatis*, sicut ex sponsalibus, quo minùs mortua fæmina, cui promissio facta est, soror ejus à viro promittente in uxorem, vel ècontra mortuo viro ejus frater à fæmina in matrimoniom accipi possit.

5 Certùm est II. Sponsalia non tantùm inter præsentes, sed etiam absentes contrahi posse, scilicet per litteras, vel Procuratorem: nam ad sponsalia non requiritur simultaneus formaliter consensus, sed sufficit, si is, qui prior consensit, in hac sua voluntate perseveret, usque dum etiam altera pars vicissim consentiat, prout id universim in aliis quoque contractibus, ut emptione, locatione &c. procedit, & textus sunt in *l. ult. ff. de Contrahenda empt. c. final. de Procur. in 6.* Verùm Procurator, qui ad sponsalia, vel matrimonium contrahendum, & ille, qui ad alios contractus ineundos destinantur, in tribus notabiliter differunt. I. Ut Procurator ex aliis contractibus dominum obligare possit, sufficit, si *generale* mandatum habeat, omnia loco domini peragendi, vel Procurator *cum libera* administratione constitutus sit, *l. Procurator 58. & seq. ff. de Procuratore* sed sponsalia, vel matrimonium Procurator aliter contrahere non poterit, quam si hoc ei nominatim, & *in specie* demandatum sit. *dict. c. ult. de Procur. in 6.* II. Procurator ad alia negotia constitutus ea per se tractare non tenetur, sed potest alium substituere, non vero procurator ad sponsalia, vel matrimonium contrahendum; cùm enim causa matrimonialis maximi sit præjudicii, ad hanc tractandam personæ industria electa censetur, & consequenter, sine voluntate principalis alteri committi non poterit. Quod tamen etiam ad alia negotia valde ardua propter eandem rationem præjudicii extendit Menochius *de Præsumptionibus lib. 2. præsumptione* 58. III. Demùm in aliis causis, si principalis mandatum Procuratoris revocet in ejus absentia, Procurator adhuc validè procedet, usque dum sibi de ista revocatione innotescat, *Clement. un. de Renuntiatione l. Si mandem. 16. ff. Mandati.* At verò Procurator sponsalium, vel matrimonii etiam in absentia revocari potest, ita, ut si dominus interim pœniteat, & coram protestetur, se nolle consentire in actum à procuratore gerendum, Procurator invalidè contrahat, licet hujus revocationis ignarus sit, quod pro majori matrimonii libertate ita constitutum est *in d. c. ultimo. de Procurat. in 6.*

Certum est III. Ad sponsalia de futuro præter consen- 6
sum mutuum nullam aliam solemnitatem requiri, adeoque etiam sine Parocho, & testibus inita valere. Imò in sponsalibus Parocho non facilè interesse deberet, ne in ipsius præsentia partes non tantum sponsalia, sed ipsum etiam matrimonium cum aliorum præjudicio contrahant; nam in præsentia parochi, & testium etiam extra Ecclesiam, & Parocho invito matrimonium contrahi posse, suo loco dicemus. Interim ad futuram probationem, si fortè alterutra pars sponsalia negare vellet, utique consultum erit, vel testes adhibere, vel scripturam desuper conficere.

Certum est IV. Ad libertatem matrimonii retinendam 7
in jure statutum esse, ut sponsalibus *pœna* non adjiciatur, adeoque non valere tale pactum: Si mihi non nupseris, in pœnam centum florenos dabis. *cap. gemam. 29. hoc tit. l. Titita 134. ff. de Verborum obligationibus. l. penult. in fine. Cod. de Sponsalibus.* Sed non minùs certum est, in contractibus sponsalium *arrhas* intervenire posse, scilicet annulum, pecuniam, vel aliquid simile, ita ut si ille, qui arrhas dedit, contractum non servet, arrhas amittat; si verò alter, qui accepit, resiliat, duplicatas reddere teneatur. *l. arrhis. 3. & d. l. penult. Cod. de Sponsalibus.* Cum autem inter *pœnam*, & *arrhas* nulla in effectu videatur esse differentia, nisi quòd pœna tantum promittatur, arrhæ vero insuper tradantur, ideo in ratione differentiæ inter utramque assignanda omnes DD. laborant, & cum Gloss. *in dict. c. gemam.* Sanch. *Lib. 1. de Matrim. disp. 35. n. 2. in fine* Laym. de *Sponsalibus cap. 1. n. 8.* existimant præter authoritatem legis vix posse aliam convincentem rationem assignari, & ideò respondendum esse ex *l. non omnium 20. ff. de Legibus*, quòd *non omnium, quæ à majoribus nostris constituta sunt, ratio reddi possit.* Verùm ut declinemus miserum refugium, *dict. l. non omnium:* ego soleo hanc interpretationem adhibere, videlicet, quòd non sit in obligatione circa sponsalia inter *pœnam*, & *arrhas* differentia: sicut enim *arrhæ* non perduntur, nec duplicatæ restituuntur, si justa causa subsit non servandi contractum, v. g. propter hæresim, aut fornicationem alterius ex desponsatis *d. lib. penult. §. his. illud Cod. de Sponsalibus.* ita etiam non obligat *pœna*, si ex justa causa à contractu discedatur. Et econtra sicut *arrhæ* debentur, si violatio pacti fiat absque justa causa, ita etiam *pœna*; quod posteriùs, quamvis non omnes admittant, putantes nullo casu stipulationem pœnæ valere, licèt ex injusta causa contractus violetur: nihilominus contraria probabilius defenditur cum ipso Laym. *d. n. 8.* quia *pœnæ* adjectio tantùm prohibita est, ne libertas matrimonii impediatur, at vero si *pœna* tantùm habeat istum sensum, ut solvi debeat, si absque justa causa contractus non servetur, nihil continet contra libertatem matrimonii: cùm etiam sine pœna non liceat recedere à contractu, nisi ex causa rationabili, & à legibus approbata. Porro circa ista, quæ hactenus tanquam *certa* præmisimus, aliquot controversiæ occurrunt, nam.

Dubi-

Dubitatur I. Cùm ad principium hujus §. dictum ſit, in ſponſalibus non ſufficere promiſſionem unius, ſed neceſſariam eſſe repromiſſionem alterius ſaltem implicitam, quænam ſit talis implicita repromiſſio, an ſcilicet inducatur per ſolam taciturnitatem ejus, cui promiſſio facta eſt, an per expreſſam verbalem acceptationem, an per manus porrectionem, vel annuli acceptationem? R. I. Cùm in dubio potiùs liberatio, quam obligatio inducenda ſit, *l. Arrianus 47. ff. de Oblig. & act.* ideò ex ſola taciturnitate ejus, cui facta eſt promiſſio, ordinariè non conſtitui ſponſalia, niſi de mente tacentis ex circumſtantiis aliud colligi poſſit: nam licet ſit *Regula 43. Juris in 6. Qui tacet, conſentire videtur*; tamen ſtatim ſubſequitur altera. *Is qui tacet, non utique fatetur, ſed nec negare videtur*. Quare dicendum eſt cùm communiori Interpretum ſententia, quòd conſenſus ex taciturnitate non ſit verus, & naturalis, ſed tantùm præſumptus ex circumſtantiis, & modo agendi, quæ præſumptio in primis admittit probationem in contrarium, & deinde non habet locum in cauſis magni momenti, quia tacens videtur quidem conſentire in ſui favorem, non verò in magnum ſui præjudicium, præſertim in cauſis matrimonii, cum jura non ſoleant facilè libertatem matrimonialem impedire. Hinc reſponderi poteſt brevius, quod tacens videatur conſentire, in quantum eſt ſibi favorabile, ut ſcilicet adhuc meliùs deliberare, & demum, vel promittere, vel abnegare poſſit, non verò ut mox ſe viciſſim obligare, & repromittere intelligatur. Gutierez. *de Matrim. c. 3. n. 1. & 2.*

8 R. II. Quòd de taciturnitate diximus, idem etiam probabiliter extendi poſſe ad ſimplicem acceptationem, vel gratiarum actionem, ut ſcilicet tantùm in ſui favorem, & ad ulteriorem deliberationem cenſeatur alter acceptaſſe, vel gratias egiſſe, eo quòd ob favorem libertatis matrimonialis in dubio non ſit facilè obligatio inducenda, ut dictum, & docet Sanch. *de Matrim. lib. 1. diſp. 3. n. 3. & 5.* Interim hic præcipuè ad circumſtantias attendendum erit; nam ſi actum fuerit de ſponſalibus hic, & nunc contrahendis, v. g. in præſentia amicorum, nec altera pars petierit ulteriorem dilationem, vel alia verba aut ſigna dederit, ex quibus intentio non contrahendi ſponſalia declarari potuit, tunc etiam ſola acceptatio abſque expreſſa repromiſſione ſufficit. Ratio eſt, quia promiſſio non poteſt aliter acceptari, quàm quatenus facta eſt, ſed præcisè facta eſt, cum hac intentione hic, & nunc contrahendi ſponſalia, ergo hoc, & non alio modo potuit acceptari. Roſella, & Sylveſter *in ſuis Summis Verbo Sponſalia n. 1.*

R. III. Si tractatus de ſponſalibus, vel matrimonio præceſſerit, & mulier manum porrexerit, annulum, vel alia dona acceptarit, cenſebuntur eſſe contracta, quia non tantùm verbis, ſed etiam ſignis juxta communem hominum intellectum conſenſum, aut promiſſionem importantibus ſponſalia, ſicut, & alii contractus celebrari poſſunt; alias muti ſimiles contractus inire non valerent. Deinde tacens cenſetur conſentire etiam in ſui præjudicium, & obligationem, quando præter taciturnitatem alius actus poſitivus concurrit, ut notat Panorm. *in cap. cum virum 12. de Regularibus n. 3.* Sed hæc ita, ſi tractatus de ſponſalibus præceſſerit: nam cæteroquin ſola manus porrectio, vel annuli, aut alterius rei donatio non eſt ſufficiens ſignum, ex quo ſponſalia convincantur, quia poſſunt hæc, & ſimilia meræ affectionis cauſa fieri. Sanch. *l. 1. diſput. 22.*

9 *Dubitatur* II. An is, qui promiſſionem matrimonii alteri fecit, poſſit hanc promiſſionem revocare, antequam altera pars acceptet, vel repromittat. Reſp. cum Gutierez *d. c. 3. n. 6.* omnem promiſſionem matrimonii regulariter & in dubio (aliud eſt, ſi expreſsè de promiſſione mere gratuita conſtet, de qua ſuperius ſub *Certa 5.* diximus) cenſeri reſpectivam, atque habere in ſe tacitam conditionem, ſi pars altera ſtatim repromiſerit. Quare ſi hæc repromiſſio ſecuta non fuerit, licet fortè ſimplex acceptatio intervenerit, tunc deficiente conditione ceſſabit etiam obligatio ex parte promittentis, ac conſequenter nihil impediat, quominùs revocari poſſit; ſi tamen promittens expreſsè non revocaverit, cenſebitur adhuc in ſua voluntate, & promiſſione perſiſtere, ac alteri moram deliberandi concedere.

Accedit, quòd promiſſio unius partis ſit mera pollicitatio (eſt enim pollicitatio ſolius oferentis promiſſio) de cujus natura eſt, ut ante acceptationem partis alterius liberè revocari poſſit, ut *tot. t. ff. de Pollicit.* traditur.

Nec obſtat, quòd de jure Canonico *in c. 1. & 3. de Pactis* omne promiſſum jubeatur impleri, ex quo textu quidam concludunt, pollicitationem de jure Canonico revocari non poſſe, non obſtat, inquam: quia textus accipiendus eſt de promiſſione acceptata, quæ ſit purè, non verò da ſimplici pollicitatione, aut illa promiſſione, quæ ſit ſub tacita repromiſſionis conditione.

10 *Dubitatur* III. An ſtatim irrevocabiliter obligetur, qui v. gr. coram amicis, vel conſanguineis Titiæ ipſa abſente ſe reſolvit, quòd velit cum ea matrimonium inire?

Reſp. Non eſſe imprimis dubitandum, ſi dicti amici, vel conſanguinei mandatum habuerint à Titia, ut ſuo nomine contraherent ſponſalia, promittentem irrevocabiliter obligari; quia nihil intereſt, an quis cum principali, vel ejus procuratore contrahat, at verò ſi conſanguinei ignorante Titia ejus nomine contraxerint, puto promiſſionem non obligare, tanquam ſponſalia, vel pactum irrevocabile, ſed tantùm ut pollicitationem abſenti factam, quæ ante principalis perſonæ acceptationem adhuc revocari poteſt: quia de jure civili certum eſt, & de canonico non reperitur contrarium ſtatutum, quòd ſtipulatio in favorem tertii facta non valeat, ſtipulationes enim ad hoc inventæ ſunt, ita Imperator *in §. alterius 19. Inſt. de inutil. ſtipulat.* ut unuſquique ſibi acquirat, quod ſua intereſt. Ulteriùs etiam illud hic addo, quòd, licet promittens mandaverit conſanguineis, ut promiſſionem ſuam abſenti Titiæ inſinuent, ejuſque conſenſum deſuper requirant, nihilominus antequam Titia repromiſerit, promiſſio ex parte promittentis validè revocatur, quia conſanguinei in hoc caſu non ſunt plus, quam procuratores ad contrahendum cum Titia deſtinati, Procuratorem verò in cauſa matrimonii etiam in abſentia revocari poſſe, jam alibi ex *c. ultimo de Procurat. in 6.* notavimus.

11 *Dubitatur* IV. An ſponſalia contracta intelligantur, ſi quis per verba negativa ita dixerit: *nullam aliam ducam niſi te*; Affirmat Menoch. *de Præſumpt. lib. 3. præſumpt. 2. num. 8.* cum Abbate, & aliis, quaſi prædicta verba ſimpliciter habeant hunc ſenſum. *Te ducam in uxorem*: eo quod particula *niſi*, quando ſequitur negationem, importet affirmationem, ut cum Judæi dixerunt: *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*, ſenſus erat, *Cæſar eſt noſter Rex*. Verùm ego in dubio; quando agitur de valore ſponſalium (ſecus, quando agitur da valore matrimonii jam contracti, pro quo in dubio magis reſpondendum eſt, ut evitetur ſcandalum ſeparationis poſt diuturnam cohabitationem, *c. ultimo, de Sententia, & re judicata*) plerumque ſoleo pro favore libertatis matrimonialis inclinare; tum quod in dubio non ſit facilè inducenda obligatio, *d. L. Arrianus 47.* tum quòd matrimonia coacta ſoleant difficiles exitus habere, *c. requiſivit 17. h. t.* Unde ad noſtrum propoſitum exſtimo dicta verba, & particulam *niſi* in pactis, & promiſſionibus habere ſenſum conditionatum in hunc modum: *ſi aliquam ducturus ſum, tunc te ducam, & non aliam*; quemadmodum ſi dicam: *nulli domum vendam, niſi tibi*. Interim non ſtatim inferunt, quòd velim hic, & nunc matrimonium contrahere, & promittere, vel domum vendere, cùm poſſim ab omni venditione, vel matrimonio abſtinere; optimus textus *in L. ſi ſterilis 21. §. ſed etſi ff. de actionibus empt.*: niſi tamen ex adjunctis circumſtantiis alias poſſet colligi intentio promittentis, quòd revera voluntas ejus fuerit, ſponſalia contrahere, cùm non intentio verbis, ſed verba intentioni accommodari debeat, *c. ſecundo 41. de Appellat.* Covar. *de Matrimon. p. 2. c. 4. num. 3.*

12 *Dubitatur* V. An ſponſalibus validè contractis, ſi altera pars nolit contractum ſervare, debeat à judice Eccleſiaſtico compelli? Rationem dubitandi facit dict. *c. requiſivit 17. h. t.* ubi Pontifex eam, quæ jurata etiam ſponſalia contraxit, & nubere recuſavit, monendam potius ait, quàm cogendam, cum coactiones difficiles ſæpe ſoleant exitus habere. Reſp. Juris conforme, & in praxi ubique receptum eſſe, ut pars illa, quæ abſque

cau-

§. II.

Quomodo contrahantur ſponſalia de futuro.

SUMMARIA.

1 *Definitio Sponſalium.*
2 *Ad contrahenda requiritur mutuus conſenſus ſaltem implicitus.*
3 *Promiſſio gratuita non conſtituit ſponſalia.*
4 *Sponſalia inter abſentes contrahi poſſunt per litteras, vel Procuratorem.*
5 *Procurator ad Sponſalia, & Procurator ad alia negotia per tria differunt.*
6 *Parochus, & teſtes non ſunt de ſubſtantia, ſed de probatione ſponſalium.*
7 *De Arrhis, vel pœna an Sponſalibus addi poſſint.*
8 *Circumſtantia indicant quando ſola taciturnitas, vel ſimplex acceptatio conſtituat Sponſalia.*
9 *Simplex promiſſio ante revocationem ſemper valet.*
10 *Promittens matrimonium amicis Titia habentibus mandatum obligatur, ſin minus, non obligatur.*
11 *Verba: nullam aliam ducam niſi te, quid faciant.*
12 *Partem reſilientem poteſt compellere Eccleſia.*
13 *Virginem ficta promiſſione ſeducens tenetur eam ducere.*
14 *Notabiliter eminentioris ſtatus ficte (ſecus eſt, ſi verè & ſcienter) promittens poteſt ſe redimere pecuniaria compenſatione.*

1 JUriſconſultus in *l. 1. ff. de Sponſalibus.* definit ſponſa-
lia, quòd ſint: *mentio, & repromiſſio futurarum nu-*
2 *ptiarum*, ideò pro certo tenendum eſt I. Ad ſponſalia
conſtituenda neceſſario requiri mutuum, & reciprocum
conſenſum viri, & fœminæ ſuper futuris nuptiis: nec ſuf-
ficere, ſi tantum pars promittat ſine repromiſſione ſal-
tem implicita alterius; nec ex promiſſione unius alteri
quæri obligationem, niſi, & ipſa promiſerit; quia pro-
mittens non cenſetur ſe aliter obligare, quàm ſecundùm
naturam ſponſalium, & ſub tacita conditione, ſi etiam
altera pars promittat.
3 Poteſt quidem aliquando fieri promiſſio ab una parte
alteri *mere gratuita*, & ſine conditione repromiſſionis,
ut ſi dives aliquis fœminæ ſibi in gravi morbo fideliter
ſervienti pro remuneratione promittat matrimonium,
cùm utique in ipſius ſit poteſtate, vel ſimpliciter, vel
ſub conditione ſe obligare dummodo conſtet de hac ſua
voluntate, & fœmina non renuat, ſed ſaltem tacendo ac-
ceptet talem promiſſionem; interim tamen iſta promiſ-
ſio gratuita non habebit vim, & effectum Sponſalium;
unde ſi fæmina ex ſua parte etiam poſt acceptatam pro-
miſſionem nolit contrahere matrimonium, ad id com-
pelli non poterit: quia tantùm habuit virum ſibi obliga-
tum, ipſa verò defectu repromiſſionis obligata non fuit,
ſicut ſi donationem aliquam merè gratuitam acceptaſſet.
4 Item ex tali promiſſione non naſcetur impedimentum *pu-
blicæ honeſtatis*, ſicut ex ſponſalibus, quo minùs mor-
tua fæmina, cui promiſſio facta eſt, ſoror ejus à viro pro-
mittente in uxorem, velècontra mortuo viro ejus frater
à fæmina in matrimonium accipi poſſit.
5 Certùm eſt II. Sponſalia non tantùm inter præſentes,
ſed etiam abſentes contrahi poſſe, ſcilicet per litteras, vel
Procuratorem: nam ad ſponſalia non requiritur ſimul-
taneus formaliter conſenſus, ſed ſufficit, ſi is, qui prior
conſenſit, in hac ſua voluntate perſeveret, uſque dum
etiam altera pars viciſſim conſentiat, prout id univer-
ſim in aliis quoque contractibus, ut emptione, locatio-
ne &c. procedit, & textus ſunt in *l. ult. ff. de Contrahenda
empt. c. final. de Procur. in 6.* Verùm Procurator, qui ad
ſponſalia, vel matrimonium contrahendum, & ille, qui
ad alios contractus ineundos deſtinantur, in tribus no-
tabiliter differunt. I. Ut Procurator ex aliis contractibus
dominum obligare poſſit, ſufficit, ſi *generale* manda-
tum habeat, omnia loco domini peragendi, vel Procu-
rator *cum libera* adminiſtratione conſtitutus ſit, *l. Pro-
curator 58. & ſeq. ff. de Procuratore* ſed ſponſalia, vel ma-
trimonium Procuratator aliter contrahere non poterit,
quam ſi hoc ei nominatim, & *in ſpecie* demandatum ſit.
dict. c. ult. de Procur. in 6. II. Procurator ad alia negotia
conſtitutus ea per ſe tractare non tenetur, ſed poteſt ali-
um ſubſtituere, non vero procurator ad ſponſalia, vel ma-
trimonium contrahendum; cùm enim cauſa matrimo-
nialis maximi ſit præjudicii, ad hanc tractandam perſo-
næ induſtria electa cenſetur, & conſequenter, ſine volun-
tate principalis alteri committi non poterit. Quod ta-
men etiam ad alia negotia valde ardua propter eandem
rationem præjudicii extendit Menochius *de Præſumptio-
nibus lib. 2. præſumptione* 58. III. Demùm in aliis cauſis,
ſi principalis mandatum Procuratoris revocet in ejus ab-
ſentia, Procurator adhuc validè procedet, uſque dum
ſibi de iſta revocatione innoteſcat, *Clement. un. de Renun-
tiatione l. Si mandem.* 26. *ff. Mandati.* At verò Procu-
rator ſponſalium, vel matrimonii etiam in abſentia re-
vocari poteſt, ita, ut ſi dominus interim pœniteat, & co-
ram proteſtetur, ſe nolle conſentire in actum à procura-
tore gerendum, Procurator invalidè contrahat, licet
hujus revocationis ignarus ſit, quod pro majori matri-
monii libertate ita conſtitutum eſt *in d. c. ultimo. de Pro-
curat. in 6.*
Certum eſt III. Ad ſponſalia de futuro præter conſen- 6
ſum mutuum nullam aliam ſolemnitatem requiri, adeo-
que etiam ſine Parocho, & teſtibus inita valere. Imò in
ſponſalibus Parocho non facilè intereſſe deberet, ne in
ipſius præſentia partes non tantum ſponſalia, ſed ipſum
etiam matrimonium cum aliorum præjudicio contra-
hant; nam in præſentia parochi, & teſtium etiam extra
Eccleſiam, & Parocho invito matrimonium contrahi
poſſe, ſuo loco dicemus. Interim ad futuram probatio-
nem, ſi fortè alterutra pars ſponſalia negare vellet, uti-
que conſultum erit, vel teſtes adhibere, vel ſcripturam
deſuper conficere.
Certum eſt IV. Ad libertatem matrimonii retinendam 7
in jure ſtatutum eſſe, ut ſponſalibus *pœna* non adjicia-
tur, adeoque non valere tale pactum: Si mihi non nup-
ſeris, in pœnam centum florenos dabis. *cap. gemam. 29. hoc
tit. l. Titia 134. ff. de Verborum obligationibus. l. penult.
in fine. Cod. de Sponſalibus.* Sed non minùs certum eſt,
in contractibus ſponſalium *arrhas* intervenire poſſe, ſci-
licet annulum, pecuniam, vel aliquid ſimile, ita ut ſi il-
le, qui arrhas dedit, contractum non ſervet, arrhas amit-
tat; ſi verò alter, qui accepit, reſiliat, duplicatas red-
dere teneatur. *l. arrhis. 3. & d. l. penult. Cod. de Sponſa-
libus.* Cum autem inter *pœnam*, & *arrhas* nulla in effe-
ctu videatur eſſe differentia, niſi quòd pœna tantum pro-
mittatur, arrhæ vero inſuper tradantur, ideo in ratione
differentiæ inter utramque aſſignanda omnes DD. labo-
rant, & cum Gloſſ. *in dict. c. gemm.* Sanch. *Lib. 1. de
Matrim. diſp. 35. n. 2. in fine* Laym. *de Sponſalibus cap. 1.
n. 8.* exiſtimant præter authoritatem legis vix poſſe aliam
convincentem rationem aſſignari, & ideò reſponden-
dum eſſe *ex l. non omnium 20. ff. de Legibus*, quòd *non
omnium, quæ à majoribus noſtris conſtituta ſunt, ratio red-
di poſſit.* Verùm ut declinemus miſerum refugium, *dict.
l. non omnium:* ego ſoleo hanc interpretationem adhibe-
re, videlicet, quòd non ſit in obligatione circa ſponſa-
lia inter *pœnam*, & *arrhas* differentia: ſicut enim *arrhæ*
non perduntur, nec duplicatæ reſtituuntur, ſi juſta cauſa
ſubſit non ſervandi contractum, v. g. propter hæreſim,
aut fornicationem alterius ex deſponſatis *d. lib. penult. §.
his. illud Cod. de Sponſalibus.* ita etiam non obligat
pœna, ſi ex juſta cauſa à contractu diſcedatur. Et econ-
tra ſicut *arrhæ* debentur, ſi violatio pacti fiat abſque ju-
ſta cauſa, ita etiam *pœna*; quod poſteriùs, quamvis non
omnes admittant, putantes nullo caſu ſtipulationem
pœnæ valere, licèt ex injuſta cauſa contractus violetur:
nihilominus contraria probabilius defenditur cum ipſo
Laym. *d. n. 8.* quia *pœna* adjectio tantùm prohibita eſt,
ne libertas matrimonii impediatur, at vero ſi *pœna* tan-
tùm habeat iſtum ſenſum, ut ſolvi debeat, ſi abſque ju-
ſta cauſa contractus non ſervetur, nihil continet con-
tra libertatem matrimonii: cùm etiam ſine pœna non
liceat recedere à contractu, niſi ex cauſa rationabili,
& à legibus approbata. Porro circa iſta, quæ hactenus
tanquam *certa* præmiſimus, aliquot controverſiæ oc-
currunt, nam.

Dubi-

Dubitatur I. Cùm ad principium hujus §. dictum ſit, in ſponſalibus non ſufficere promiſſionem unius, ſed neceſſariam eſſe repromiſſionem alterius ſaltem implicitam, quænam ſit talis implicita repromiſſio, an ſcilicet inducatur per ſolam taciturnitatem ejus, cui promiſſio facta eſt, an per expreſſam verbalem acceptationem, an per manus porrectionem, vel annuli acceptationem? R. I. Cùm in dubio potiùs liberatio, quam obligatio inducenda ſit, *l. Arrianus* 47. *ff. de Oblig. & act.* ideò ex ſola taciturnitate ejus, cui facta eſt promiſſio, ordinariè non conſtitui ſponſalia, niſi de mente tacentis ex circumſtantiis aliud colligi poſſit; nam licet ſit *Regula* 43. *Juris in* 6. *Qui tacet, conſentire videtur*; tamen ſtatim ſubſequitur altera. *Is qui tacet, non utique fatetur, ſed nec negare videtur*. Quare dicendum eſt cùm communiori Interpretum ſententia, quòd conſenſus ex taciturnitate non ſit verus, & naturalis, ſed tantùm præſumptus ex circumſtantiis, & modo agendi, quæ præſumptio in primis admittit probationem in contrarium, & deinde non habet locum in cauſis magni momenti, quia tacens videtur quidem conſentire in ſui favorem, non verò in magnum ſui præjudicium, præſertim in cauſis matrimonii, cum jura non ſoleant facilè libertatem matrimonialem impedire. Hinc reſponderi poteſt brevius, quod tacens videatur conſentire, in quantum eſt ſibi favorabile, ut ſcilicet adhuc meliùs deliberare, & demum, vel promittere, vel abnegare poſſit, non verò ut mox ſe viciſſim obligare, & repromittere intelligatur. Gutierez. *de Matrim. c.* 3. *n.* 1. *&* 2.

8 R. II. Quòd de taciturnitate diximus, idem etiam probabiliter extendi poſſe ad ſimplicem acceptationem, vel gratiarum actionem, ut ſcilicet tantùm in ſui favorem, & ad ulteriorem deliberationem cenſeatur alter acceptaſſe, vel gratias egiſſe, eo quòd ob favorem libertatis matrimonialis in dubio non ſit facilè obligatio inducenda, ut dictum, & docet Sanch. *de Matrim. lib.* 1. *diſp.* 3. *n.* 3. *&* 5. Interim hic præcipuè ad circumſtantias attendendum erit; nam ſi actum fuerit de ſponſalibus hic, & nunc contrahendis, v. g. in præſentia amicorum, nec altera pars petierit ulteriorem dilationem, vel alia verba aut ſigna dederit, ex quibus intentio non contrahendi ſponſalia declarari potuit, tunc etiam ſola acceptatio abſque expreſſa repromiſſione ſufficit. Ratio eſt, quia promiſſio non poteſt aliter acceptari, quàm quatenus facta eſt, ſed præcisè facta eſt, cum hac intentione hic, & nunc contrahendi ſponſalia, ergo hoc, & non alio modo potuit acceptari. Roſella, & Sylveſter *in ſuis Summis Verbo Sponſalia n.* 1.

R. III. Si tractatus de ſponſalibus, vel matrimonio præceſſerit, & mulier manum porrexerit, annulum, vel alia dona acceptarit, cenſebuntur eſſe contracta, quia non tantùm verbis, ſed etiam ſignis juxta communem hominum intellectum conſenſum, aut promiſſionem importantibus ſponſalia, ſicut, & alii contractus celebrari poſſunt; alias muti ſimiles contractus inire non valerent. Deinde tacens cenſetur conſentire etiam in ſui præjudicium, & obligationem, quando præter taciturnitatem alius actus poſitivus concurrit, ut notat Panorm. *in cap. cum virum* 12. *de Regularibus n.* 3. Sed hæc ita, ſi tractatus de ſponſalibus præceſſerit: nam cæteroquin ſola manus porrectio, vel annuli, aut alterius rei donatio non eſt ſufficiens ſignum, ex quo ſponſalia convincantur, quia poſſunt hæc, & ſimilia meræ affectionis cauſa fieri. Sanch. *l.* 1. *diſput.* 22.

9 *Dubitatur* II. An is, qui promiſſionem matrimonii alteri fecit, poſſit hanc promiſſionem revocare, antequam altera pars acceptet, vel repromittat. Reſp. cum Gutierez *d. c.* 3. *n.* 6. omnem promiſſionem matrimonii regulariter & in dubio (aliud eſt, ſi expreſsè de promiſſione mere gratuita conſter, de qua ſuperius ſub *Certo* 1. diximus) cenſeri reſpectivam, atque habere in ſe tacitam conditionem, ſi pars altera ſtatim repromiſerit. Quare ſi hæc repromiſſio ſecuta non fuerit, licet fortè ſimplex acceptatio intervenerit, tunc deficiente conditione ceſſabit etiam obligatio ex parte promittentis, ac conſequenter nihil impediet, quo minùs revocari poſſit; ſi tamen promittens expreſsè non revocaverit, cenſebitur adhuc in ſua voluntate, & promiſſione perſiſtere, ac alteri moram deliberandi concedere.

Accedit, quòd promiſſio unius partis ſit mera pollicitatio (eſt enim pollicitatio ſolius offerentis promiſſio) de cujus natura eſt, ut ante acceptationem partis alterius liberè revocari poſſit, ut *tot. t. ff. de Pollicit.* traditur.

Nec obſtat, quòd de jure Canonico *in c.* 1. *&* 3. *de Pactis* omne promiſſum jubeatur impleri, ex quo textu quidam concludunt, pollicitationem de jure Canonico revocari non poſſe, non obſtat, inquam: quia textus accipiendus eſt de promiſſione acceptata, quæ ſit purè, non verò de ſimplici pollicitatione, aut illa promiſſione, quæ ſit ſub tacita repromiſſionis conditione.

Dubitatur III. An ſtatim irrevocabiliter obligetur, 10
qui v. gr. coram amicis, vel conſanguineis Titiæ ipſa abſente ſe reſolvit, quòd velit cum ea matrimonium inire?

Reſp. Non eſſe imprimis dubitandum, ſi dicti amici, vel conſanguinei mandatum habuerint à Titia, ut ſuo nomine contraherent ſponſalia, promittentem irrevocabiliter obligari; quia nihil intereſt, an quis cum principali, vel ejus procuratore contrahat, at verò ſi conſanguinei ignorante Titia ejus nomine contraxerint, puto promiſſionem non obligare, tanquam ſponſalia, vel pactum irrevocabile, ſed tantùm ut pollicitationem abſenti factam, quæ ante principalis perſonæ acceptationem adhuc revocari poteſt: quia de jure civili certum eſt, & de canonico non reperitur contrarium ſtatutum, quòd ſtipulatio in favorem tertii facta non valeat, ſtipulationes enim ad hoc inventæ ſunt, ita Imperator *in §. alterius* 19. *Inſt. de inutilit. ſtipulat.* ut unuſquique ſibi acquirat, quod ſua intereſt. Ulteriùs etiam illud hic addo, quòd, licet promittens mandaverit conſanguineis, ut promiſſionem ſuam abſenti Titiæ inſinuent, ejuſque conſenſum deſuper requirant, nihilominus antequam Titia repromiſerit, promiſſio ex parte promittentis validè revocatur, quia conſanguinei in hoc caſu non ſunt plus, quam procuratores ad contrahendum cum Titia deſtinati, Procuratorem verò in cauſa matrimonii etiam in abſentia revocari poſſe, jam alibi *ex c. ultimo de Procurat. in* 6. notavimus.

Dubitatur IV. An ſponſalia contracta intelligantur, 11
ſi quis per verba negativa ita dixerit: *nullam aliam ducam niſi te*; Affirmat Menoch. *de Præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 2. *num.* 8. cum Abbate, & aliis, quaſi prædicta verba ſimpliciter habeant hunc ſenſum. *Te ducam in uxorem*: eo quod particula *niſi*, quando ſequitur negationem, importet affirmationem, ut cum Judæi dixerunt: *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*, ſenſus erat, *Cæſar eſt noſter Rex*. Verùm ego in dubio; quando agitur de valore ſponſalium (ſecus, quando agitur de valore matrimonii jam contracti, pro quo in dubio magis reſpondendum eſt, ut evitetur ſcandalum ſeparationis poſt diuturnam cohabitationem, *c. ultimo, de Sententia, & re judicata*) plerumque ſoleo pro favore libertatis matrimonialis inclinare; tum quod in dubio non ſit facilè inducenda obligatio, *d. L. Arrianus* 47. tum quòd matrimonia coacta ſoleant difficiles exitus habere, *c. requiſivit* 17. *h. t.* Unde ad noſtrum propoſitum exiſtimo dicta verba, & particulam *niſi* in pactis, & promiſſionibus habere ſenſum conditionatum in hunc modum: *ſi aliquam ducturus ſum, tunc te ducam, & non aliam*; quemadmodum ſi dicam: *nulli domum vendam, niſi tibi*. Interim non ſtatim inferunt, quòd velim hic, & nunc matrimonium contrahere, & promittere, vel domum vendere, cùm poſſim ab omni venditione, vel matrimonio abſtinere: optimus textus *in L. ſi ſterilis* 21. *§. ſed etſi ff. de actionibus empt.*: niſi tamen ex adjunctis circumſtantiis alias poſſet colligi intentio promittentis, quòd revera voluntas ejus fuerit, ſponſalia contrahere, cùm non intentio verbis, ſed verba intentioni accommodari debeat, *c. ſecundo* 41. *de Appellat.* Covar. *de Matrimon. p.* 2. *c.* 4. *num.* 3.

Dubitatur V. An ſponſalibus validè contractis, ſi al- 12
tera pars nolit contractum ſervare, debeat à judice Eccleſiaſtico compelli? Rationem dubitandi facit dict. *c. requiſivit* 17. *h. t.* ubi Pontifex eam, quæ jurata etiam ſponſalia contraxit, & nubere recuſavit, monendam potius ait, quàm cogendam, cum coactiones difficiles ſæpe ſoleant exitus habere. Reſp. Juris conforme, & in praxi ubique receptum eſſe, ut pars illa, quæ abſque

cau-

In mora fuerit, desuper Summus Pontifex consulatur, cujus interest, communibus utilitatibus providere. Vid. Pan. *in dd. cc.* & Barbosa *in Collect. ibidem, & in c. 2. h. t. & Jur. Eccles. univ. lib. 1. c. 19. §. 5.* & Decisio Rotæ ibidem *n.* 8. inserta. Laym. *d. c. 6. à n. 7.*

28 Quær. V. Quomodo accipiendum sit, quòd in *c. 2. h. t.* dicitur, neminem per Ecclesiæ nomen à mutorum vigiliis excusari? Diversæ DD. interpretationes ita conciliari posse videntur, ut in magno periculo ex hostili obsidione imminente etiam Clerici, vel per sumptus, aut servos, vel famulos suos vigilias mutorum procurare debeant. Imò licèt Clericatus officium reddat aliquem inhabilem ad pugnandum *c. ex multa 9. §. X. de Vote*, & miles Christi desinat esse miles sæculi, *c. un. de Vasalle milite qui arma belli depos. 2. Feud.* ac pia opera dicantur esse arma Clericorum, *c. non pila 3. c. reprehensibile 19. & possim causa 23. q. 8.* in maxima tamen necessitate, & Laicis non sufficientibus, etiam ipsos Clericos ad vigilias, & defensionem civitatis teneri (utpote per quam defensionem juvantur ipsę Ecclesiæ, & proteguntur personæ miserabiles, & innocentes (docet Panor. *in eod. c. 2. n. 6. & 7.* & putat pro sua sententia esse tex. sing. *in c. petitte 24. X. de Homicid.* sed Gl. ibid. *in v. remordet.* non consentit.

29 Quær. VI. An Clerici teneantur ad vectigalia, & telonia, quæ Pontifices *pedagia, & guidagia* appellant Gl. *in c. super quibusdam 26. de V. S.* Hac de re extat quoque decisio *in c. quamquam 4. de Censibus in 6.* ubi sub censuris prohibetur, talia à Clericis, qui non causa negotiationis res suas transferunt, exigere. Et notat Barb. *ibid. in Collect. nu. 6.* cum pluribus cc. quod Clericus transferens fructus sui beneficii ad vendendum non dicatur negotiari; propriè verò negotiari dicitur, qui ex instituto more mercatorum emit, ut cariùs vendat sicut ex D. Thoma *2. 2. q. 77. art. 4. ad* 2. notavit Laym. *in Theol. mor. lib. 3. tr. 4. c. 16. §. 7. n.* 1. Idem tenet Sylv. *V. Immunitas 1. n.* 22. ubi etiam notat, quòd Clerici non teneantur ad gabellas, quæ à Magistratibus sæcularibus ponuntur super vino, carne, aut aliis victualibus.

30 Quær. VII. Utrum consuetudine alicujus Provinciæ possit tolli hæc immunitas Clericorum, quatenus à Principibus sæcularibus liberè collectari valeant? Resp. Consuetudinem contra Jus Divinum nihil operari posse, adeòque nec contra istam immunitatem, quæ per priùs dicta Juris Divini est Barb. *d. c. 39. §. 5. n. 59. v. septimo quæro.* Spetell. *de c. fori Eccl. dec. 37. per totum, & præcipuè n.* 69. Duar. *in Bulla cœnæ c. 18. q. 20. nu.* 5. Et si Jure Canonico ad introducendam consuetudinem tacitus saltem consensus Pontificis requiritur, ut in Lib. I. *in tit. de Consuetudine*, traditur; quis credat, in hac materia ullo modo consentire Pontificem, qui non tantùm *in d. c. quamquam de Censibus in 6.* omnem hujusmodi consuetudinem tanquam corruptelam damnavit, sed insuper in Bulla *Cœnæ*, singulis annis contra violatores Immunitatis censuras pronuntiat.

Plura de hac materia videri poterunt apud Authores per decursum citatos. Et de obligatione legum, & quando statuta Laicorum obligent personas Ecclesiasticas, tradunt DD. in *Lib. I. Decretalium in Titulo de Constitutionibus*, & nos diximus ibidem *in §. 3. n.* 35. Item de jurisdictione fori sæcularis, quatenus coram eo Clerici conveniri non possint, dictum est *in L. II. in Tit. de Foro competente.*

TITULUS L.

Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

SUMMARIA.

1 *Negotia sæcularia generaliter vitare debent Clerici.*

2 *Sanguinis effusio, sive per judicium, sive per chirurgiam prohibetur Clericis.*

3 *Clerici possunt esse Tutores, & Procuratores personarum miserabilium.*

4 *Officia sæcularia non videntur prohibita Clericis, qui propter territoria, & bona, quæ sub Principibus sæcularibus possident, Jure sæculari aliquo respectu censentur.*

5 *Tabellionis, seu Notarii officium qualiter prohibitum Clericis.*

6 *Ad studia sæcularia, scilicet Legum, Medicinæ, an, & qualiter Clerici possint admitti?*

NEmo (ut inquit Apostolus 2. *ad Timoth. 2. v. 4. militans Deo implicet se negotiis sæcularibus.* De quo 1
proponitur *præsens titulus.* Atque in *c. 1. h. t.* inter negotia sæcularia ponuntur pleraque, quæ supra *Tit. L.* Clericis evitanda diximus. Et prætereà *in c. 6.* prohibetur, ne
causa lucri negotientur; quod DD. intelligunt de nego- 2
tiatione continua ad instar Mercatorum Barb. *in Collect. ad d. c. 6.* Item in *c. penult. eod. tit.* vetatur ne Clerici dictent, aut proferant sententiam Sanguinis, nec vindictam Sanguinis exerceant, nec, ubi exercetur, intersint, nec litteras dictent, vel ulli scribant pro vindicta sanguinis, aut viris, seu Executoribus sanguinis præponantur. Neque etiam artem Chirurgiæ, quæ adustionem vel incisionem inducit, exerceant. Quando verò ex similibus contrahatur irregularitas *In Lib. V. tit. de Homicidio* commodiùs tractabitur. Et an Clericis interdicta sit Chirurgia, vel medicina absque adustione, vel incisione, vid. Sanch. *in Præcept. Decal. tom. 2 lib. 9. c. 14. n. 17.*

Quod autem in *c. 2. & 5. h. t.* prohibetur ne Clerici 3
sint Ministri, Procuratores, Vice-Comites, Præpositi aut locum tenentes Sæcularium, patitur limitationem circa profanas sæculares miserabiles, ut pauperes, pupillos, viduas, & similes, qualium personarum tutelam, & defensionem Clerici non tantùm licitè, sed & laudabiliter suscipiunt *d. c. 1. h. t. c. fin. dist.* 86. Deinde hæc prohibitio suo modo limitanda est circa Prælatos Ecclesiasti- 4
cos, qui sub Imperatore, vel alio Principe terras, & bona temporalia possident, ratione quorum non secùs ac alii Domini sæculares ad Comitia, & Consilia vocantur, & ibidem diversa officia suscipiunt; cùm enim talia officia maximè cedant in utilitatem Ecclesiarum, in quarum præjudicia aliàs per Dominos sæculares nonnunquam multa inducerentur, ideò non est verisimile, quod SS. Canones prohibere voluerint, sed potissimùm illa, quæ causa privatæ avaritiæ cum neglectu divini servitii ab Ecclesiasticis suscipitur, ut *d. c. fin. dist.* 86. colligitur.

Prætereà quòd in *c. sicut 8. h. t.* statuitur Clericum offi- 5
cio tabellionis, seu Notarii fungi non posse, intelligendum est circa forum sæculare, & actus mere sæculares: in foro autem Ecclesiastico, & circa causas, ac negotia spiritualia etiam Clericos hoc officium exercere posse, magis receptum est. Porrò si Clericus, aut Religiosus ante Religionis ingressum legitime Notarius creatus contra prohibitionem juris instrumentum fecerit, antequam sibi exercitium hujus officii à suo superiore interdictum fuerit, valere tale instrumentum, eo quòd irritatio ejus in jure non reperiatur, communior est sententia cum Panor. & Barb. *in eod. c. 8. h. t.*

Demùm quòd *in c. 3. & fin. h. t. & in c. 1. eod. in 6.* non 6
tantùm negotia, sed etiam studia sæcularia interdicantur, ne scil. Clerici, & Religiosi in publicis Universitatibus *Leges Civiles*, aut *Physicam*, id est, *Medicinam* audiant, volunt DD. hac constitutione pœnali, & strictæ interpretationis non comprehendi illos, qui privatim ad majorem intelligentiam juris canonici, quod in plurimis scientiam juris Civilis supponit præcipue circa contractus, hæreditates, &c. legibus student: Item nec eos, qui ut sæculares dicta studia absolverunt, & deinde ut Clerici gradum accipere volunt Barb. *in d. c. 3. & fin.* Denique in multis Universitatibus, sicut, & in hac nostra Salisburgensi per privilegia Papalia ista prohibitio relaxata est, ut Clerici, & Religiosi ad lectiones Juris Civilis admitti possint.

FINIS III. LIBRI.

LIBER



LIBER IV.
DECRETALIUM.
TITULUS I.
De Sponsalibus, & Matrimoniis.


UT hæc materia ob quotidianam casuum circa eam emergentiam scitu maximè necessaria innotescat, nonnihil explicariùs eam tractabimus, iis tamen, quæ in particularibus titulis infra notantur, eò reservatis. Incipiendo igitur ab his, quæ præcedunt matrimonium, sit.

---

§. I.

De Differentia inter Sponsalia, Matrimonium, Conjugium, & Nuptias.

SUMMARIA.

1 *Quid & quotuplicia sint sponsalia?*
2 *Disputatio de quibusdam verbis contrahentium, an importent sponsalia, vel Matrimonium, hodie inutilis.*
3 *Matrimonium quid & quotuplex?*
4 *Quid Matrimonium legitimum?*
5 *Quid ratum?*
6 *Quid consummatum?*
7 *Quid sit conjugium?*
8 *Quid nuptiæ?*

HÆc nomina in jure nostro aliquando promiscuè sumuntur, & tamen in propriis terminis inter se differunt.

1 Igitur Sponsalia à spondendo, seu promittendo dicta sunt, & alia sponsalia *de futuro*, alia *de præsenti* nuncupantur. Sponsalia *de futuro* sunt promissio futuri matrimonii, quæ fit per verba futuri temporis, ut: ducam te in uxorem. Sponsalia verò *de præsenti* sunt ipse contractus matrimonialis per verba præsentis temporis initus, ut: accipio te in meam uxorem, quibus verbis implicitè mutua cohabitatio, amor conjugalis, & traditio corporum spondetur, ac idcircò sponsalia appellantur.

2 Fuit quidem olim de quibusdam verbis disputatio, an importarent consensum de præsenti, vel de futuro, ut si dictum erat: *volo te habere in uxorem*, cujus controversiæ decisio principaliter ex circumstantiis, & mente contrahentium desumebatur, an scilicet voluerint sponsalia, vel matrimonium contrahere: sed hodie, quando post Concilium Tridentinum *sess. 24. de Reformatione Matrim. c. 1.* nullum matrimonium sine Parocho, & testibus contrahi potest, atque ex generali Ecclesiæ ritu in ipso templo ambo contrahentes ideò conveniunt, ut non sponsalia *de futuro*, sed ipsum matrimonium per verba categorica interrogante Parocho contrahant, vix amplius controversiæ hujus videtur esse utilitas.

Matrimonium definitur *in §. 1. Instit. de Patria potest.* 3
quod sit legitima viri, & mulieris conjunctio individuam
vitæ societatem continens. Dividitur in Matrimonium
legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum quamvis
omne matrimonium dici possit, quod a jure improbatum
non est, in specie tamen illud dicitur, quod inter
infideles contrahitur, & in solo legitimo, ac naturali 4
consensu consistit, nec Ecclesiæ ratificationem habet,
nec Sacramentum est. *Ratum* illud propriè appellatur,
quòd per verba de præsenti contractum ab Ecclesia ap- 5
probatum est, & rationem Sacramenti habet, cui tamen
necdum accessit carnalis copula, de quo matrimonio
accipienda est regula *l. nuptias. 30. ff. de R. I.* quod *nu-*
ptias non concubitus, sed consensus faciat. Consummatum 6
denique illud vocatur, quòd per concubitum, & carnalem copulam præcedente legitimo consensu de præsenti completum, & consummatum est. Notanter dico, debere consensum legitimum, seu matrimonium ratum præcedere: nam si copula habeatur ante contractum matrimonialem, ex ea non inducetur matrimonii consummatio, quia quod non est, consummari non potest, sed ante contractum matrimonialem non est matrimonium, ergo &c. Erit proinde talis copula merè fornicaria, nec indissolubilitatem, aliosque effectus matrimonii consummati (de quibus *in tit. de Conversione conjugatorum*) operabitur.

Conjugium autem dicitur à conjunctione; & omne 7
quidem matrimonium conjugium dici potest, non tamen vice versa omne conjugium matrimonium, si in rigore loquamur, nam matrimonium à præcipuo fine, qui est prolis generatio, nomen accepit, mulier enim nubit ut fiat mater, inquit Gloss. *in §. 1. Instit. de Patria potest.* quare si senes, qui extra spem prolis sunt, nuptias contrahant, talis contractus conjugium potiùs, quàm matrimonium appellabitur.

Nuptiæ demùm inde dictæ sunt, quòd olim puellæ pu- 8
doris gratia se obnuberent, seu faciem velarent, dum viris dabantur, *nec illud. 3. causa 20. q. 5.* Inde licet nuptiæ, & matrimonium in jure plerunque confundantur, ut *tot. tit. ff. de Ritu nuptiar.* tamen etiam hodie *nuptiarum* nomine propriè illa solemnitas, & pompa externa magis, quàm contractus ipse matrimonialis intelligitur, quo sensu tempore Adventus, & Quadragesimæ nuptiæ prohibentur, id est, pompa nuptialis, non verò ipse matrimonialis contractus, si absque solemnitate privatim ex causa instituatur *c. 4. de Feriis.*

§. II.

Dubitatur I. Cùm ad principium hujus §. dictum sit, in sponsalibus non sufficere promissionem unius, sed necessariam esse repromissionem alterius saltem implicitam, quænam sit talis implicita repromissio, an scilicet inducatur per solam taciturnitatem ejus, cui promissio facta est, an per expressam verbalem acceptationem, an per manus porrectionem, vel annuli acceptationem? R. I. Cùm in dubio potiùs liberatio, quam obligatio inducenda sit, *l. Arrianus 47. ff. de Oblig. & act.* ideò ex sola taciturnitate ejus, cui facta est promissio, ordinariè non constitui sponsalia, nisi de mente tacentis ex circumstantiis aliud colligi possit: nam licet sit *Regula 43. Juris in 6. Qui tacet, consentire videtur*; tamen statim subsequitur altera. *Is qui tacet, non utique fatetur, sed nec negare videtur*. Quare dicendum est cùm communiori Interpretum sententia, quòd consensus ex taciturnitate non sit verus, & naturalis, sed tantùm præsumptus ex circumstantiis, & modo agendi, quæ præsumptio in primis admittit probationem in contrarium, & deinde non habet locum in caussis magni momenti, quia tacens videtur quidem consentire in sui favorem, non verò in magnum sui præjudicium, præsertim in caussis matrimonii, cum jura non soleant facilè libertatem matrimonialem impedire. Hinc responderi potest brevius, quod tacens videatur consentire, in quantum est sibi favorabile, ut scilicet adhuc meliùs deliberare, & demum, vel promittere, vel abnegare possit, non verò ut mox se vicissim obligare, & repromittere intelligatur. Gutierez. *de Matrim. c. 3. n. 1. & 2.*

8 R. II. Quòd de taciturnitate diximus, idem etiam probabiliter extendi posse ad simplicem acceptationem, vel gratiarum actionem, ut scilicet tantùm in sui favorem, & ad ulteriorem deliberationem censeatur alter acceptasse, vel gratias egisse, eo quòd ob favorem libertatis matrimonialis in dubio non sit facilè obligatio inducenda, ut dictum, & docet Sanch. *de Matrim. lib. 1. disp. 3. n. 3. & 5.* Interim hic præcipuè ad circumstantias attendendum erit; nam si actum fuerit de sponsalibus hic, & nunc contrahendis, v. g. in præsentia amicorum, nec altera pars petierit ulteriorem dilationem, vel alia verba aut signa dederit, ex quibus intentio non contrahendi sponsalia declarari potuit, tunc etiam sola acceptatio absque expressa repromissione sufficit. Ratio est, quia promissio non potest aliter acceptari, quàm quatenus facta est, sed præcisè facta est, cum hac intentione hic, & nunc contrahendi sponsalia, ergo hoc, & non alio modo potuit acceptari. Rosella, & Sylvester *in suis Summis Verbo Sponsalia n. 1.*

R. III. Si tractatus de sponsalibus, vel matrimonio præcesserit, & mulier manum porrexerit, annulum, vel alia dona acceptarit, censebuntur esse contracta, quia non tantùm verbis, sed etiam signis juxta communem hominum intellectum consensum, aut promissionem importantibus sponsalia, sicut, & alii contractus celebrari possunt; alias muti similes contractus inire non valerent. Deinde tacens censetur consentire etiam in sui præjudicium, & obligationem, quando præter taciturnitatem alius actus positivus concurrit, ut notat Panorm. *in cap. cum virum 12. de Regularibus n. 3.* Sed hæc ita, si tractatus de sponsalibus præcesserit: nam cæteroquin sola manus porrectio, vel annuli, aut alterius rei donatio non est sufficiens signum, ex quo sponsalia convincantur, quia possunt hæc, & similia meræ affectionis causa fieri. Sanch, *l. 1. disput. 22.*

9 *Dubitatur* II. An is, qui promissionem matrimonii alteri fecit, possit hanc promissionem revocare, antequam altera pars acceptet, vel repromittat. Resp. cum Gutierez *d. c. 3. n. 6.* omnem promissionem matrimonii regulariter & in dubio (aliud est, si expressè de promissione mere gratuita constet, de qua superius sub *Certo 1.* diximus) censeri respectivam, atque habere in se tacitam conditionem, si pars altera statim repromiserit. Quare si hæc repromissio secuta non fuerit, licet fortè simplex acceptatio intervenerit, tunc deficiente conditione cessabit etiam obligatio ex parte promittentis, ac consequenter nihil impediet, quominùs revocari possit; si tamen promittens expressè non revocaverit, censebitur adhuc in sua voluntate, & promissione persistere, ac alteri moram deliberandi concedere.

Accedit, quòd promissio unius partis sit mera pollicitatio (est enim pollicitatio solius offerentis promissio) de cujus natura est, ut ante acceptationem partis alterius liberè revocari possit, ut *tot. t. ff. de Pollicit.* traditur.

Nec obstat, quòd de jure Canonico *in c. 1. & 3. de Pactis* omne promissum jubeatur impleri, ex quo textu quidam concludunt, pollicitationem de jure Canonico revocari non posse, non obstat, inquam: quia textus accipiendus est de promissione acceptata, quæ fit purè, non verò de simplici pollicitatione, aut illa promissione, quæ fit sub tacita repromissionis conditione.

Dubitatur III. An statim irrevocabiliter obligetur, qui v. gr. coram amicis, vel consanguineis Titiæ ipsa absente se resolvit, quòd velit cum ea matrimonium inire? 10

Resp. Non esse imprimis dubitandum, si dicti amici, vel consanguinei mandatum habuerint à Titia, ut suo nomine contraherent sponsalia, promittentem irrevocabiliter obligari; quia nihil interest, an quis cum principali, vel ejus procuratore contrahat, at verò si consanguinei ignorante Titia ejus nomine contraxerint, puto promissionem non obligare, tanquam sponsalia, vel pactum irrevocabile, sed tantùm ut pollicitationem absenti factam, quæ ante principalis personæ acceptationem adhuc revocari potest: quia de jure civili certum est, & de canonico non reperitur contrarium statutum, quòd stipulatio in favorem tertii facta non valeat, stipulationes enim ad hoc inventæ sunt, ita Imperator *in §. alterius 19. Inst. de inutil. stipulat.* ut unusquisque sibi acquirat, quod sua interest. Ulteriùs etiam illud hic addo, quòd, licet promittens mandaverit consanguineis, ut promissionem suam absenti Titiæ insinuent, ejusque consensum desuper requirant, nihilominus antequam Titia repromiserit, promissio ex parte promittentis validè revocatur, quia consanguinei in hoc casu non sunt plus, quam procuratores ad contrahendum cum Titia destinati, Procuratorem verò in causa matrimonii etiam in absentia revocari posse, jam alibi ex *c. ultimo de Procurat. in 6.* notavimus.

Dubitatur IV. An sponsalia contracta intelligantur, si quis per verba negativa ita dixerit: *nullam aliam ducam nisi te*; Affirmat Menoch. *de Præsumpt. lib. 3. præsumpt. 2. num. 8.* cum Abbate, & aliis, quasi prædicta verba simpliciter habeant hunc sensum. *Te ducam in uxorem*: eo quod particula *nisi*, quando sequitur negationem, importet affirmationem, ut cum Judæi dixerunt: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*, sensus erat, *Cæsar est noster Rex*. Verùm ego in dubio; quando agitur de valore sponsalium (secus, quando agitur de valore matrimonii jam contracti, pro quo in dubio magis respondendum est, ut evitetur scandalum separationis post diuturnam cohabitationem, *c. ultima, de Sententia, & re judicata*) plerumque soleo pro favore libertatis matrimonialis inclinare; tum quod in dubio non sit facilè inducenda obligatio, *d. l. Arrianus 47.* tum quòd matrimonia coacta soleant difficiles exitus habere, *c. requisivit 17. h. t.* Unde ad nostrum propositum exstimo dicta verba, & particulam *nisi* in pactis, & promissionibus habere sensum conditionatum in hunc modum: *si aliquam ducturus sum, tunc te ducam, & non aliam*; quemadmodum si dicam: *nulli domum vendam, nisi tibi*. Interim non statim inferunt, quòd velim hic, & nunc matrimonium contrahere, & promittere, vel domum vendere, cùm possim ab omni venditione, vel matrimonio abstinere: optimus textus *in l. si sterilis 21. §. sed et si ff. de actionibus empt.*: nisi tamen ex adjunctis circumstantiis alias posset colligi intentio promittentis, quòd revera voluntas ejus fuerit, sponsalia contrahere, cùm non intentio verbis, sed verba intentioni accommodari debeat, *c. secundo 41. de Appellat.* Covar. *de Matrimon. p. 2. c. 4. num. 3.* 11

Dubitatur V. An sponsalibus validè contractis, si altera pars nolit contractum servare, debeat à judice Ecclesiastico compelli? Rationem dubitandi facit dict. *c. requisivit 17. h.* ubi Pontifex eam, quæ jurata etiam sponsalia contraxit, & nubere recusavit, monendam potius ait, quàm cogendam, cum coactiones difficiles sæpe soleant exitus habere. Resp. Juris conforme, & in praxi ubique receptum esse, ut pars illa, quæ absque 12

cau-

causa legitima à sponsalibus resilit, per censuram ecclesiasticam, excommunicationem, aliaque opportuna remedia ad contrahendum matrimonium cogatur, idque probatur ex *c. ex litteris* 10. *h. t.* & ex *c.* 1. *de Pactis*; aliàs haud dubiè frustrà longus, & partibus valde dispendiosus processus in judiciis super contractis sponsalibus admitteretur. Textum verò *in d. c. requisivit*. DD. communiter interpretantur, si tanta sit animorum aversio inter ipsos desponsatos, ut judex periculosum matrimonium prudenter timere possit, & para malit censuras, & omnia perferre, quàm matrimonium contrahere, tunc enim præstat minus malum violatæ promissionis permittere, ut majus malum coacti matrimonii evitetur. Laym. *de Sponsalibus c.* 1. *n.* 4.

13 *Dubit. VI.* An is, qui ficto animo fœminæ promisit matrimonium, tantùm ut ad peccatum induceret, teneatur eam in uxorem habere, si non ob consensum, saltem ad compensationem fraudis, & corruptionis? Resp. Si quis sub ficta promissione matrimonii corrupit virginem ex communiori DD. sententia, quam allegat, & sequitur Sanch. *d. l. disput.* 10. *n.* 3. tenebitur eam ducere etiam in conscientia, nec sufficiet illatam injuriam pecunia compensare, nisi femina ultroneè acceptare velit. Hæc conclusio probatur textu, & ratione. Textu quidem *c.* 1. *de Adulteriis & stupro*, quod desumptum est ex *lib. Exodi c.* 22. *ỷ.* 16. ubi hæc verba leguntur: *Si quis seduxerit virginem, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem.* Ratione verò probatur, quia justitia commutativa non tantùm petit reddi æquale, sed ut idem reddatur ex justitia debitum; ut si quis equum furatus sit, non sufficit reddere pecuniam, cum aliud pro alio invito creditori reddi non possit, *L.* 2. *§.* 1. *ff. de Rebus creditis*, sed hic ex justitia tenebatur habere consensum in matrimonium, quando altera pars vicissim verè consensit, & insuper corpus suum tradidit, ergo cum possit restituere adhibendo dictum consensum, tenebitur ad id, & non satisfaciet præstando aliud.

Porrò quia hæc ratio non tantùm in virgine, sed generaliter de quavis femina etiam corrupta probare videtur, ideo non pauci existimant, idem juris etiam in corrupta procedere. Alii tamen satis probabiliter ajunt in corrupta sufficere, si injuria illata pecunia arbitrio prudentis viri taxanda compensetur, eo quòd ducere corruptam, ubi nulla vera promissio præcessit, non sit æqualis compensatio copulæ cum illa habitæ, sed aliquid notabiliter excessivum. Nisi tamen esset vidua bonæ famæ, infamiamque ex copula contraheret, ob quam aliud matrimonium facilè invenire non posset, tunc enim prior sententia valdè probabilis tenenda foret, quia damnum illatum non posset alio modo ad æqualitatem reduci, quàm per matrimonium. In dubio autem puella virgo præsumitur, sicut virgo nascitur, & neganti puellam virginem fuisse incumbit onus probandi. Pan. & Barb. *in d. c.* 1. *de Adulteriis*.

14 *Dubitatur* VII. An si fictè promittens sit in multò digniori conditione, & statu constitutus, quàm virgo decepta, teneatur eam ducere, vel possit compensationem pecuniariam facere, & dotem constituere? Valdè probabilis est sententia, sufficere pecuniariam compensationem, quia promittens non tenetur eam ducere ratione promissionis, quæ ex supposito tantùm fuit ficta, & invalida: nec etiam ratione justitiæ, cum justitia non obliget ad restituendum plus, quàm damnum æstimetur, sed damnum corruptionis non æstimatur tanti, quanti, si vir debeat ducere suo statu notabiliter indignam, ergo &c. Notanter autem loquor de ficta promissione: nam si quis verè, & scienter promiserit matrimonium fœminæ minus dignæ, maximè accedente defloratione, tenebitur eam ducere, si aliud grave scandalum, vel damnum inde non oriatur, cum enim sit dominus rei suæ, & scivetit conditionem alterius, censebitur voluisse liberè cedere juri suo, & nihil de excessu suæ conditionis prætendere. Videatur Sanch. *d. disp.* 10. & *disp.* 14. Demum in foro externo non creditur dicenti, se ficto tantùm animo promisisse matrimonium; quia interna intentio ex actu externo præsumitur, *l.* 1. *C. Ad legem Corneliam de Sicariis & l.* 5. *Cod. de Injuriis*, nisi alia indicia pro se allegare possit, v. gr. quòd priùs hunc fictum animum coram amicis declaraverit, ita ut his, ac aliis similibus indiciis concurrentibus in supplementum ulterioris probationis juramentum præstare valeat.

---

§. III.

Quibus modis dissolvantur Sponsalia?

S U M M A R I A.

1 *Sponsalia dissolvuntur mutuo consensu.*
2 *Etiam jurata.*
3 *Sponsalia de futuro qualiacunque solvuntur per sponsalia de præsenti.*
4 *Matrimonium contra interdictum Ecclesiæ, vel Episcopi contractum est quidem illicitum, sed non invalidum.*
5 *Sponsalia simplicia de futuro non solvuntur per alia sponsalia de futuro etiam jurata &c.*
6 *Sponsalia semiplena impedimenti probatione solvuntur, sed matrimonium tantùm plena.*
7 *Sponsalia per ingressum religionis quoad partem remanentem in sæculo solvuntur.*
8 *At non etiam per susceptionem ordinum clericalium, aut votum simplex castitatis, licet solvantur per votum ingrediendi religionem.*
9 *Solvuntur elapso termino præfixo nuptiis.*
10 *Quando, & quandiu pars absens expectanda?*
11 *Solvuntur superveniente notabili mutatione ex parte non mutata.*
12 *Quando Judicis Ecclesiastici sententia sit necessaria?*
13 *Resolvuntur breviter argumenta contraria.*

VArii modi sunt dissolvendi sponsalia, quos per ordinem referemus, singulis etiam suas controversas quæstiones adjungentes, itaque,

Solvuntur I. Mutuo, & unanimi dissensu *c.* 2. *h. t.* quòd 1
enim solo consensu contractum est, contrario dissensu iterum dissolvi potest, cum nihil tam naturale sit, quàm unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est, *l. nihil* 35. *ff. de Regulis Juris*.

De sponsalibus juratis dubitant aliqui, an mutuo dis- 2
sensu dissolvi possint? id enim negare videtur Gloss. *in d. c.* 2. *in V. inducendi h. t.* argumento *c. ex litteris* 10. *eodem* Verius tamen est idem in juratis sponsalibus procedere, quia juramentum in favorem hominis factum ab homine remitti potest, nec à Deo aliter acceptatur, quàm quatenus ab homine, in cujus gratiam factum est, Barb. *in d. c. n.* 6. Nec obstat *c. litteris h. t.* quia non loquitur de dissensu mutuo, sed tantùm de dissensu unius partis altera parte invita, ac repugnante.

Dices: si sponsalia etiam jurata mutuo dissensu liberè 3
dissolvi possunt, quare ergo Pontifex *in d. c.* jubet dispensatos moneri, & induci, ut sibi fidem præstitam servent, & tantùm ob metum majoris mali dissolutionem concedit? Responderi potest cum Innoc. & Panor. Pontificem hoc statuisse ad tollendum scandalum plebeorum, qui fortè possent existimare per talem recessum à sponsalibus juramentum violari, & perjurium committi:

II. Sponsalia de futuro, etiam quibus copula carnalis 4
accessit, solvuntur per sponsalia de præsenti, sive matrimonium cum alia persona contractum tanquam per vinculum fortius, & quod rationem Sacramenti habet, *c. sicut* 12. *hoc tit.* sicut de jure civili re duobus vendita præfertur is, cui insuper tradita est. *l. quoties* 15. *C. de Rei vindicatione*. Interim hoc licitè, & absque injustitiæ peccato fieri non potest, & prior sponsa derelicta sponsum cum alia persona nuptias contrahentem ad interesse, & compensationem ob violatam fidem utique convenire poterit: nam fœminæ plerumque difficilius nubunt, si jam semel cum alio sponsalia, & ita nimiam familiaritatem habuerint. Item si propter aliquod impedimentum dirimens irritum esset matrimonium, obligarent adhuc propria sponsalia, quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *c. non præstat.* 52. *de Regulis Juris in* 6. Notanter autem dico per sponsalia

de

præſeoti ſolvi ſponſalia de futuro: nam alia ſponſalia de futuro ſtantibus primis non tantùm illicita ſunt, ſed etiam invalida. *c. ſicut 22. & ibi Gloſſ. & DD. h. t.*

5 Quid ſi contra expreſſam prohibitionem Epiſcopi, vel Eccleſiæ matrimonium contractum ſit, an validum erit? Ratio dubitandi deſumitur, *ex c. 2. de Sponſa duorum* ubi dicitur, *accepiſti illam uxorem, quam alter ſibi deſponſavit; dimitte illam, quia nunquam poteſt tibi fieri legitima.* Item *ex c. penult. eod. tit.* ubi Epiſcopo datur poteſtas irritandi matrimonium contra interdictum Eccleſiæ celebratum. Nihilominus indubitatè tenendum eſt, tale quidem matrimonium eſſe illicitum, ſed non invalidum: quia matrimonium ſubſequens tanquam vinculum indiſſolubile, & Sacramentum annexum habens ſemper diſſolvit priora ſponſalia de futuro, ut apertè deciſum eſt in *c. 1. & 2. de Matrim. contract. contra interdict. Eccl.* Ad text. priores. R. Eos loqui de caſu, quo prima ſponſalia, ſuper quibus lis pendebat, non erant de futuro, ſed præſenti, adeoque verum matrimonium; quia ſponſalia de præſenti nunquam ſolvuntur per alia ſponſalia etiam de præſenti. Aliquando tamen matrimonium pendente lite cum tertia perſona contractum nullum redditur, ſi nimirum à ſummo Pontifice tale decretum impetratum fuerit, quo matrimonium pendente lite non tantùm prohibeatur, ſed etiam invalidetur; quia juxta ſuperiùs dicta Summus Pontifex contractum matrimonialem certis ex cauſis quandoque irritare poteſt. Epiſcopus autem tale decretum dare non poteſt, niſi haberet ex ſpeciali privilegio, vel antiqua conſuetudine, quia cùm non ſit ſupra jus, non poteſt abrogare cit. textus juris Canonici, in quibus matrimonium pendente lite cum tertio contractum validum dicitur.

6 Sed dubitatur, quid dicendum, ſi ſponſalia prima tantùm fuerint ſimpliciter contracta, ſecunda verò juramento, vel carnali copula confirmata? Reſp. Nihilominus priora ſponſalia obſervanda, & ſecunda, invalida eſſe; etenim juramentum ſecundis ſponſalibus adjectum fuit de re iniqua, & in præjudicium tertii, ſcilicet prioris ſponſæ, conſequenter non obligatorium, *c. ex re. 22. & c. cùm contingat 38. in fine de Jurejurando. cap. non eſt obligatorium 58. de Regulis juris in 6.* Similiter nec copula confirmare poteſt ſecunda ſponſalia: licet enim ante Trident. ſponſalia per copulam tranſierint in verum matrimonium, & ſic diremerint omnia alia ſponſalia de futuro *cap. is qui fidem 30. hoc. tit.* hodie tamen, quando matrimonium aliter contrahi non poteſt, quàm coram Parocho, & teſtibus, copula in ſponſalibus merè fornicaria cenſetur, nec effectum aliquem juris habet. Si tamen poſterior ſponſa priorum ſponſalium ignara per copulam deflorata eſſet, & indè magnum damnum, & honoris jacturam pateretur, prior verò leviter tantùm læderetur, tunc ex æquitate quadam concedendum eſſet, ut potius cùm ſecunda, quàm prima matrimonium contraheretur, ut non improbabiliter docet Sanch. *de Matrim. lib. 1. diſp. 49. nu. 6.* eò quod prior ſponſa teneatur modicum damnum ſuſtinere ad evitandum proximi graviſſimum.

7 Solvuntur Sponſalia III. ſi impedimentum aliquod dirimens, v. g. conſanguinitas, affinitas, vel aliud hujuſmodi inter deſponſatos detegatur. In modo probandi tale impedimentum notabilis differentia eſt inter matrimonium, & ſponſalia: nam matrimonium de facto contractum non dirimitur, niſi impedimentum plenè probetur, & in dubio potiùs pro matrimonio judicatur, cujus ſeparatio plerumque ſcandalo eſt, *c. ultimo de Sententia, & re judicata.* At verò in ſponſalibus de futuro, etiam ſola fama, dictum unius teſtis, vel alia ſemiplena probatio de impedimento ſufficit, ut ſponſalia diſſolvi poſſint, & debeant: quia, cùm agitur de peccati, ac matrimonii nulliter contrahendi periculo, in dubio ex communi omnium DD. pronuntiato, & ſententia ſemper via tutior eſt eligenda, & potiùs ab ipſo matrimonio contrahendo abſtinendum. *cap. præterea 12. h. tit. c. ſuper eo 22. de Teſtibus c. ſuper eo 2. de Conſanguinitate, & affinitate.*

8 IV. Dubitari non poteſt, quin per ingreſſum in religionem Sponſalia diſſolvantur, cùm ipſum etiam matrimonium ratum per profeſſionem religioſam diſſolvi poſſe *ex tot. tit. de Converſione conjugatorum* apertum ſit. Nec obſtat, quòd Pontifex *in c. commiſſum 16. h. tit.* tutius eſſe dicat, ut is, qui ſponſalia contraxit, prius fidem ſervet, atque matrimonium contrahat, & poſteà primùm ante conſummationem Religionem ingrediatur: quia Pontifex loquitur de ſponſalibus juramento confirmatis, & tutiùs conſuliſſe juramentum implere, non quidem de præcepto, ſed de conſilio, ad evitandum ſcandalum plebejorum, & ob reverentiam juramenti Barboſ. *in eod. c. 16. n. 3.* Verum circa hoc punctum aliqua controverſa ſunt.

I. An ſponſalia ſolvantur per ſolum ingreſſum in novitiatum, vel primum per profeſſionem? R. Licèt vinculum ſacramentale matrimonii non diſſolvatur, niſi per actualem profeſſionem Religionis, & conjux in ſæculo remanens durante alterius novitiatu aliud matrimonium contrahere non poſſit, ut in *Libello, de Privileg. Monaſt. Privileg. 33. num.* 5. tradidi. Probabilius tamen eſt, ſponſalia *de futuro* ex parte remanentis in ſæculo ſtatim diſſolvi, dum alter novitiatum ingreditur, ita ut liberè poſſit aliud matrimonium inire. Ratio eſt, tum quòd ingrediens monaſterium hoc ipſo ex ſua parte renuntiarit ſponſalibus; tùm etiam quòd altera pars non cenſeatur ad iſtum ſpecialem caſum ſe obligaſſe, ut tanto tempore expectare, & deinde ſponſum, cui poteſt reprobari, quòd Religioſum habitum exuerit, & toties ſigna inconſtantiæ dederit, recipere teneatur. Dixi autem, quoad partem remanentem in ſæculo ſolvi ſponſalia, id eſt, ut illa pars ulterius ſponſalia obſervare non teneatur; at verò ex parte ingredientis Monaſterium non aliter ſolvuntur ſponſalia, quàm ſecuta profeſſione, quare ſi remanens in ſæculo ultrò expectare, & regredientem ex monaſterio recipere velit, iſte ſic deſerens Religionem matrimonium recuſare non poterit: quia per ſuum factum non potuit jus alteri quæſitum auferre niſi ſecuta profeſſione. Silv. *verb. Sponſalia quæſt. 10. caſu 2.*

Dub. II. An, ſicut ingrediendo Religionem licet ſpon- 9
ſalia diſſolvere ita etiam ſuſcipiendo ordines Clericales? R. Negativè: quia privilegium diſſolvendi matrimonium Religioni conceſſum eſt, quòd profeſſio religioſa magis aſſimilatur morti naturali, nec extenditur ad ordines Clericales, ut deciſum *in Extravag. Antiqua de Voto & voti redempt.* & in tit. *de Oblig. ad ratiocin. non ordinandis*, generaliter prohibetur, ne quis in præjudicium alterius, cui aliqua obligatione adſtrictus, ordinetur. Si verò de facto aliquis poſt ſponſalia ſacros Ordines ſuſcepiſſet, matrimonium ampliùs contrahere non deberet, nec poſſet, quia ſacri Ordines ſunt impedimentum dirimens matrimonii. Interim talis ordinatus ex æquitatis ratione reſarcire deberet damna, & expenſas ſponſæ, quas intuitu nuptiarum fecit, eademque expenſarum reſtitutio ſecundum probabiliorem ſententiam etiam ab ingrediente Monaſterium fieri debet, *arg. L. ſi pecuniam 5. ff. de Condict. cauſa data* &c. & ne privilegium ingrediendi Religionem in nimis magnum alterius præjudicium extendatur, &c.

Dub. III. An non tantùm per ipſum actualem ingreſ- 10
ſum, ſed etiam per *votum ſimplex* ingrediendi, vel ſervandi *caſtitatem* adhuc in ſæculo emiſſum dirimantur ſponſalia? De voto ingrediendi Religionem communis eſt ſententia cum Nav. *in Manual. confeſſ. c. 22. ſub n. 27.* quòd ſolvat ſponſalia: cùm enim ſponſus liberè Religionem ingredi poſſit, conſequenter etiam eam poterit vovere & deinde vi talis voti ingredi, & ſponſalia diſſolvere tenebitur. Unam tamen inſignem limitationem ponit Nav. *de Voto conſil. 3.* niſi ex tali voto ſponſæ grave damnum ferat, ut quia ſpe matrimonii imprægnata eſt: tunc enim votum Religionis cum tanto damno alterius non eſſe gratum Deo, adeoque nec obligatorium exiſtimant.

De voto ſimplici caſtitatis, quamvis diſſentiant DD. illa tamen videtur probabilior opinio, per iſtud votum non diſſolvi ſponſalia, cum nec juramentum, nec votum in alterius præjudicium obliget, proinde tale votum eatenus tantùm obligabit ipſum voventem, quatenus id ex ſua perſona implere poteſt, ut ſcilicet contracto matrimonio debitum petere non audeat, ſed tantùm reddere, niſi legitimam diſpenſationem ab Epiſcopo impetrarit. Nav. *dict. loc. num. 27.* Sanchez. *d. lib. 1. diſp. 46.*

10 V. Si sponsalibus certum tempus, & terminus contrahendi matrimonii sit adjectus; eo elapso, si matrimonium contractum non sit, solvuntur sponsalia, *c. sicut* 22. *h. t.* Quod est verum, & obtinet, si tempus ad finiendam ipsam obligationem appositum, & tanquam conditio adjectum sit; secùs verò dicendum, si sponsalia pure contracta, & posteà primùm de die celebrandarum nuptiarum conventum sit, tunc enim tempus non refertur ad obligationem, sed ad executionem, & quamvis elapsum sit, manebit tamen obligatio sponsalium, prout idem accidit in aliis debitis, & contractibus, si debitor consueto tempore non solvat. Panorm. & DD. *in eod. c. sicut h. t.*

11 VI. Si sponsus non habita licentia sponsæ lungum iter & diuturnam absentiam faciat, liberum est sponsæ ad aliàs nuptias transire. *c. de illis* 5. *h. t.* quantum autem debeat esse tempus absentiæ, de jure quidem Canonico nihil expressum habetur, sed de jure Civili talis adhibetur distinctio, ut si sponsus absit ex causa necessaria, teneatur sponsa semper ipsius reditum expectare; si verò ex causa voluntaria, justa tamen, & rationabili, sufficiet expectare biennium, si sponsus absens moretur intra eandem Provinciam, triennium autem, si extra eandem Provinciam. Text. & Gloss. *in l. 2. Cod. de Sponsal.* Verùm licet plerique sentiant hac in parte id, quod in jure Canonico non est decisum, petendum esse à civili, *arg. c. 5. de Novi operis nunt.* illa tamen moderatio adhibenda erit, ut judex Ecclesiasticus non ita præcisè adstringatur termino Juris civilis, quin aliquando propter periculum incontinentiæ, aut alias justas causas illum terminum abbreviare, & licentiam ad alias nuptias transeundi sponsæ concedere possit, quia in caussis spiritualibus, præsertim ubi de periculo animæ agitur, plus tribuendum est judicis Ecclesiastici, quàm legis Civilis dispositioni, ut rectè etiam observat Laym. *de Spons. c. 2. n. 13.*

VII. Si post sponsalia alterutra pars cum aliqua persona extranea fornicetur, innocens poterit à sponsalibus resilire. Imò etiam sponso propter antecedentem fornicationem, & corruptionem sponsæ, quam tempore contractorum sponsalium ignorabat, à sponsalibus recedere permittitur, non autem sponsę propter antecedentem fornicationem sponsi; ex ea ratione differentiæ, quòd illud dedecus famæ corruptæ non similiter æstimetur in viro fornicationem committente, ac in fęmina, *c. quemadmodum* 25. *& ibi DD. de Jure jurando.*

12 VIII. Denique solvi possunt sponsalia etiam jurata propter quamcunque notabilem, & gravem mutationem supervenientem, qua cognita sponsalia non fuissent contracta, v. g. si notabilis deformitas, morbus contagiosus, famæ, vel bonorum jactura, gravis inimicitia inter consanguineos, qui se fortassis opponunt sponsalibus, vel alia causa de novo superveniat, vel priùs ignota detegatur, *d. c. quemadmodum*. Sed hic duo adnotanda sont, *primo*, quòd in similibus casibus sponsalia non solvantur ex parte ejus, qui solvendorum sponsalium causa est, sed tantùm ex parte alterius, utpote in cujus favorem introductum est, ne mutatio superveniens sit ipsi nimis onerosa, proinde si v. g. sponsus huic suo favori renuntiare, & non obstante fornicatione, vel deformitate sponsæ nihilominus velit eam in uxorem habare, non poterit id sponsa recusare. *Secundo*, si sponsus cognita mutatione sponsam carnaliter cognoverit, censebitur tacitè suo juri renuntiare, & sponsalia ratificasse.

Ultimò solet hic controverti, an ad dissolvenda sponsalia ob causas hactenus recensitas Judicis Ecclesiastici sententia accedere debeat, vel an desponsati propria authoritate à se invicem discedere possint? R. Si causa dissolvendi sponsalia sit certa, & manifesta tam in Jure, quàm in facto, ita ut negari ab altera parte non possit, licere etiam sine judicio Ecclesiastico à sponsalibus recedere, nisi contraria in aliqua Diœcesi consuetudo foret ut rectè docet Sanch. *de Matrim. lib. 1. disp. 69.* habent enim sponsalia tacitam conditionem, si notabilis mutatio non intervenerit, ea ergo interveniente eo ipso cessat obligatio sponsalium, & consequenter sicut in aliis contractibus liber recessus conceditur. Si tamen causa dissolvendi sponsalia occulta foret, & sponsalia publicè contracta, tunc ad tollendum scandalum hominum judicis authoritas requiritur.

13 Cæterùm nostræ conclusioni non obstant text. contrarii ex *c. 3. de Divortiis c. 1. causa 33. q. 2. c. 12. de Desponsatione impuberum*; quia, vel loquuntur non de sponsalibus, sed de matrimonio, cujus separatio ordinariè scandalosa est, si absque judicio Ecclesiæ fiat: vel de tali casu ubi causa dissolutionis non est certa, & satis apertè manifesta. Si consuetudo sit in aliquo loco, ut universim à sponsalibus sine præscitu Ordinarii recedi non possit, ea exinde rationabilis est, ut appareat, an dissolutis sponsalibus non remaneat impedimentum publicæ honestatis juxta ea, quæ inferius §. 6. dicemus.

---

§. IV.

De errore circa contractum Matrimonii.

SUMMARIA.

1 *Error alius in Persona, alius in qualitate.*
2 *Error in qualitate non causat impedimentum, nisi in 3. Casibus.*
3 *Quando dicatur error qualitatis redundare in errorem Personæ.*
4 *Consensus, vel dissensus habitualis nihil operatur, & ibidem, quòd dolosa persuasio non irritet matrimonium, irritet tamen sponsalia.*

Multa circa matrimonium contrahendum incidere possunt, quæ illud vitiare solent, & IMPEDIMENTA dicuntur, de quibus infra Tit. XVI. singulariter agemus; huc tamen præcipuè pertinent ex hic tria, ERROR, VIS, & METUS, & PUBLICA HONESTAS; circa Primum sciendum, quod 1

Error alius est in substantia, seu persona, ut si putans se contrahere cum Bertha contrahat cum Titia, &c. Alius in qualitate, v. g. si putans se ducere divitem ducat pauperem. 2

Porrò solus *error in Persona* causat impedimentum dirimens, non item *error in qualitate*, nisi in tribus casibus nimirum. I. Si qualitas deducatur in conditionem expressam, v. g. duco te si sis dives, &c. conditio enim suspendit consensum, & dum deficit, etiam consensum, & consequenter contractum deficere facit. II. Si error qualitatis redundat in errorem personæ, si videlicet contrahens non tam habuerit respectum ad qualitatem, quàm per ipsam qualitatem certam aliquam personam aliam, & distinctam à præsenti sibi determinaverit, v. g. si volens contrahere cum primogenita Titii contrahat cum secundò genita, si nimirùm non tam ipsam primogenituram, quàm personam primogenitam consideret; vel si volens contrahere cum filia pulchra Titii, contrahat cum altera filia deformi non habendo respectum ad qualitatem pulchritudinis, quin potiùs ad ipsam personam, quam pulchritudo ab altera distinguit. 3

Sed quid si aliquis ita sit dispositus, ut tametsi sciret non esse illam, quam intendit, nihilominus contraheret: vel è contra si sciret non esse divitem, vel nobilem, nullo modo contraheret, an his casibus valebit, aut dirimetur matrimonium? Resp. Talem dispositionem esse tantùm consensum, vel dissensum *habitualem*, qui nec ad validandum, nec dirimendum matrimonium sufficit, antequam aliquis actualem consensum, vel dissensum ponat, v. g. dicendo, aut deliberatè cogitando contraho cum ista, quamvis non sit Titia, quam intendo; vel non consentio in istam nisi sit dives; unde licet sponsus ex falsa jactatione divitiarum sponsæ dolosè persuasus sit ad contrahendum matrimonium, tamen resilire non poterit, quia illa regula, quòd dolus dans causam contractui bonæ fidei faciat contractum nullum, *juxta l. Et eleganter 7. ff. de Dolo*, locum quidem habet in aliis contractibus ordinariis, ubi de rebus nostri Patrimonii agitur, ut in emptione, locatione, & similibus: non autem in illis contractibus, qui traditione *sui ipsius* perficiuntur, ut professione Religiosa, & matrimonio. *arg. c. dudum 20. & c. p. 54. de Convers. Conjug.* Guttier. *de Matrim. c. 89. n. 6.* Etenim in prioribus contractibus, cum omnia ex bona fide agi debeant, Juris interpretatione censetur subesse illa tacita 4

condi-

conditio: *si ita est, ut dicis &c.* at verò in posterioribus, cùm regressio ex monasterio, sicut, & separatio matrimonii sit scandalosa, ideò professio, & contractus matrimonii censetur fieri sine omni restrictione voluntatis, aut reservatione tacitæ Conditionis.

De errore Conditionis servilis vide infra Tit. IX.

---

§. V.

De Vi, & Metu.

SUMMARIA.

1 *Differentia inter vim, & metum.*
2 *Metus invalidat contractum matrimonialem.*
3 *Quid dicatur justus metus.*
4 *Metus reverentialis an sit justus.*
5 *Metus non incussus ad eliciendam obligationem, vel propria culpa causatus non est justus.*

1 QUamvis *Vis*, & *Metus* in propriis terminis differant, eo quod *vis* sit corporalis coactio de præsenti alicui illata, *metus* autem dicatur, mentis trepidatio instantis, vel futuri periculi causa, quia tamen utrobique tollitur libertas consensus, ideo quod in contractibus de *vi* dicitur, de *Metu* quoque cæteris paribus sentiendum est. *l. 1. & seqq. ff. Quod metus causa.*

Porro ex communi sententia gesta ex metu regulariter ipso jure valeant, sed tantùm per sententiam judicis rescinduntur, habent enim causam obligationis, scilicet consensum, cùm etiam voluntas coacta sit voluntas, *l. si mulier 21. §. penult. ff. Quòd metus causa.* Attamen
2 communis etiam est sententia, hanc Juris subtilitatem non attendi in spiritualibus, in quibus metu gesta ipso jure nulla sunt, præsertim in matrimonio, electionibus, & votis, ob quorum substantiam non qualiscunqua voluntas sufficit, sed omnino *libera* requiritur, specialiter verò circa matrimonium pulchram rationem assignat Pan. *in c. cum locum 14. h. t. n. 7.* nimirùm, quòd metus, præterquam quod non significet omninò voluntariam conjunctionem Christi cum Ecclesia (quam Sacramentum matrimonii denotat.) adversetur *bonis* matrimonii, ut *bono prolis*, cùm propter displicentiam coactus non intendat procreationi, & *bona fidei*, cùm propter invitas nuptias conjuges facilè labantur in adulterium. Sed ut metus faciat impedimentum, debat esse justus, & ad eliciendam promissionem incussus.

Dico I. *Metum* debere esse *justum*, qui scilicet in virum
3 constantem cadat. *c. ad audientiam. 4. de his, quæ vi metusve, &c. l. 6. ff. Quod metus causa* cujus metus plura passim in jure enumarantur exempla, ut carceris, servitutis, verberum, mortis, &c. *l. 3. & 4. l. qui in carcerem. 22. ff. d. t.* Licet autem jura loquantur de metu in virum cadente, nihilominus conditio personarum attendenda erit, ita ut levior metus in fœmina, quàm viro sufficiat, & ideò ex parte mulieris requiritur metus, qui cadat in constantem mulierem, teste Panorm. *in d. c. cum locum n. 6.* & notabilem doctrinam ponit Barb. *in collect. ad c. sacris. 5. De his, quæ vi, &c. vers. pro resolutione*, quod ille dicatur justus metus, per quem aliquis eligit minus malum ad vitandum majus. Deinde nomina justi metus is intelligitur, qui contra bonos mores irrogatur, non quem judex pro sua jurisdictiona facit *l. 3. §. 1. ff. Quod metus causa.* Unde sine dubio valebit matrimonium, tametsi Judex Ecclesiasticus sponsum per arrestationem, aut Censuras ad contrahendum matrimonium cum sponsa ad sponsæ Instantiam compellat.

4 Celebris est Quæstio, an *metus reverentialis* sit *justus metus*, an valeat matrimonium, si liberi, aut subditi propterea contraxerunt, quia ob raverentiam parentum, vel dominorum non sunt ausi contradicere? Quod talis metus justus non sit, videtur evinci posse ex *l. ad invidiam. 6. C. De his, quæ vi, metusve causa. l. fidejussor. 26. §. 1. ff. de Pignor. l. si Patre. 22. ff. de Ritu nupt.* in quibus locis satis declaratur, quod sola *reverentia* pro justo metu allegari nequeat. Econtrario æquè fortiter pugnet *l. pen. ff. de Furt. & l. 1. §. in summa 6. ff. Quarum rerum actio non datur.* Ubi *metus* & *nimia reverentia* æquiparantur. In hac quæstione omissis aliorum sententiis breviter statuo, quod *reverentia* superiori debita non indistinctè pro injusto metu allegari possit, alias nullus foret locus efficaci contractui inter dominum, & subditum, vel in præsentia parentum, si prætensione *reverentiæ* quælibet cavillatio concederetur, quo sensu accipiendæ erunt leges primitùs allegatæ. Si autem præter *reverentiam* alia insuper adminicula concurrant, ex quibus colligi possit, aliquem reverà fuisse invitum, ut inæqualitas contrahentium, periculosæ minæ, importunæ persuasiones, & ut verbo dicam, si modesta contradictio nihil juvisset, tunc metus *reverentialis* etiam pro *justo* metu habendus erit. Vid. Rota apud Farin. *in decis. crim. & test. dec. 242.* Cov. *de Mat. p. 2. c. 3. §. 6. n. 4.* Fachin. *2. Controv. c. 96.* Guttier. *de Matr. c. 44. n. 31.*

Dico II. Metum debere esse ad eliciendam obligatio- 5
nem, seu promissionem incussum; quare valebit matrimonium, si propter delictum in carcerem conjectus ad favorem judicis, & sui liberationem impetrandam cum ejusdem filia contrahat; vel si puella in periculo latronum, vel naufragii constituta, alicui ad liberandum promittat matrimonium. *Arg. l. metum. 9. §. 1. ff. Quod metus causa.* Illud etiam matrimonium valere probabile est, quod contractum est ab eo, quem Pater in delicto cum filia deprehenderit, eique minitatus est mortem, vel accusationem nisi filiam duxerit: nam metus, in quem quis se propria culpa conjecit, maximè si in compensationem damni illati exigatur matrimonium, sicut in defloratione *jux. cap. 1. & 2. de Adult. & stupro.* non est satis justus ad matrimonium irritandum. Guttier. *de Matrim. c. 76. num. 49.*

Præterea ex nova constitutione Concilii Trident. *sess. 24. de Reform. matrim. c. 6.* inter raptorem, & raptam, quamdiu hæc in potestate raptoris manet, matrimonium consistere non potest, ut dicetur infra in Tit. XVI. *§. 5. num. 6.*

---

§. VI.

De Honestata publica.

SUMMARIA.

1 *Quid sit publica honestas, & quomodo differat ab affinitata.*
2 *Differentia juris antiqui, & hodierna circa honestatem publicam.*
3 *Hoc impedimentum non manet, sponsalibus mutuo consensu dissolutis.*
4 *Manet tamen, si solvantur ex qualibet alia causa.*
5 *Ex matrimonio in forma Tridentini non contracto non oritur hoc impedimentum.*
6 *Quid si quis cum duabus sororibus successivè contrahat sponsalia?*
7 *An, & quando hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus conditionatis.*
6 *An consurgat hoc impedimentum ex matrimonio, vel sponsalibus à parentibus pro liberis contracto.*

PUblica honestas est aliqua *affinitas*, quæ per *conjunctionem animorum* oritur, tam ex sponsalibus de 1
futuro, quàm præsenti.

Differt à *vera affinitate*, quòd hæc non tantùm ex *animorum conjunctione*, sed *corporum & copula carnali* proveniat. Estque hujus publicæ honestatis seu quasi affinitatis effectus, ut impedimentum dirimens matrimoniū constituat, ita quidem, ut non tantùm stantibus primis sponsalibus, sed etiam illis dissolutis cum prioris sponsi, vel sponsæ consanguineis intra certum gradum constitutis matrimonium nec licitè, nec validè contrahi possit. *c. si quis uxorem 14. cum seq. caus. 27. quæst. 2.* Rem totam aliquot quæstionibus expediam.

Quæritur I. An circa hoc impedimentum sit aliqua 2
differentia inter jus antiquum, & hodiernum?

R. Olim

R. Olim de jure Decretalium ex unanimi DD. opinione hoc impedimentum diremisse matrimonium usque *ad quartum gradum* inclusivè, & fuisse natum etiam ex sponsalibus nullis, & invalidis, dummodò non fuissent nulla ex defectu consensus, v.g. si alter fictè tantùm vel gravi metu adactus, vel errando in persona consensisset, quo casu deficiente consensu deficiebat etiam vera animorum conjunctio in ordine ad matrimonium, & consequenter etiam publica honestas, quæ ex ista conjunctione nascitur, *c. unico h. t. in 6.* Hodie verò constituit Trid. *sess. 24. de Reform. matrim. c. 3.* ut publicæ honestatis impedimentum primùm gradum non excedat, & si sponsalia quacunque ratione valida non fuerint, nullum oriatur impedimentum.

Verùm quia Conc. in terminis valde generalibus loquitur, & aliàs appellatione sponsalium non veniat matrimonium, & sponsalia de præsenti, ideò Pius V. in sua Bulla *Ad Romanum* declaravit, hanc correctionem Trid. tantùm procedere in sponsalibus *de futuro*, non autem *de præsenti*, in quibus adhuc hodiè antiqua jura observari debent: cùm enim sponsalia de præsenti, sive matrimonium *ratum* publicè in Ecclesia, *consummatio* autem occultè fiat, & plerumque impedimenta matrimonii occulta sint, scandalosum foret, si quis defunctæ uxoris (licèt matrimonium revera consummatum non sit) consanguineam intra quartum gradum duceret, quæ communi hominum opinione affinis censetur. Barb. *ad d. l. Trid. num. 7.*

3 Quæritur II. An, si sponsalia de futuro mutuo consensu dissolvantur, maneat impedimentum publicæ honestatis?

Affirmativè respondet Sanch. *ff. de Matrim. lib. 7. disp. 66. numer. 21.* Verùm cùm in dubio impedimenta Matrimonii tanquam odiosa potiùs restringenda sint, quàm amplianda, arg. *text. in Trid. sess. 24. de Reformat. matrim. c. 2. in princ.* ideò quidquid per rationes in utramque partem hic disputari possit, S. Congr. Card. declaravit, non manere hoc casu publicam honestatem, prout refert Barb. *de Offic. Episcop. p. 3. alleg. 51. n.* 288. Ratio fortè hæc assignari potest, quòd res quælibet eo modo dissolvatur, quo modo colligata est, *l. nil tam naturale. 35. ff. de Regulis juris*. Sed publica honestas nata, & colligata est ex mutuo partium consensu, ergo mutuo earum dissensu iterum dissolvi poterit, &c.

4 Quæritur III. An idem sit, si propter aliam notabilem mutationem supervenientem, v.g. deformitatem, inopiam, fornicationem solvantur sponsalia?

R. Sponsalibus hoc modo dissolutis manere publicam honestatem: nam publica honestas est impedimentum perpetuum, quod etiam durat dissolutis sponsalibus, si illa sponsalia aliquando fuerunt valida, sed talia sponsalia ex supposito fuerunt valida, & tantùm ex post facto dissensu unius dissoluta ob supervenientem mutationem, ergo &c. Dices, in dissolutione ob fornicationem intervenit dissensus utriusque: nam fornicans frangendo fidem censetur dissentire, & pars altera resiliendo à sponsalibus. Resp. Dissensum ex parte fornicantis esse tantùm præsumptum, seu interpretativum: potest enim contingere, ut retinuerit affectum erga sponsam lapsus humana fragilitate. Si verò ponantur sponsalia his casibus, insuper verò mutuò dissensu dissoluta, idem quod in priori quæst. dicendum erit.

5 Quæritur IV. An ex matrimonio, quod non est contractum coram parocho proprio, & testibus juxta formam Trident. oriatur publica honestas? Pro affirmativa facit, quòd etiam hodie stante declaratione Pii V. publica honestas oriatur ex matrimonio qualitercunque nullo, dummodo non sit nullitas ex defectu consensus.

Nihilominus negativa sententia mihi videtur valde probabilis, quam etiam docet Sanch. *de Matrim. lib. 7. disp. 70. n. 17.* eo quòd talis contractus ex defectu formæ substantialis non habeat formam, aut figuram matrimonii, sicuti si propter aliud impedimentum matrimonium nullum esset, oritur verò publica honestas ex conjunctione animorum non qualicunque, sed illa, quæ fit in forma matrimonii, vel sponsalium. Si tamen admittatur matrimonium clandestinum valere in vim sponsalium de futuro, tunc etiam concedendum erit, ex tali matrimonio tanquam ex sponsalibus usque ad primum gradum nasci impedimentum.

Quæritur V. Quid si aliquis cum duabus sororibus 6
successivè contrahat sponsalia, quamnam in uxorem teneatur habere? Videtur, quòd neutram: non primam, quia ex secundis sponsalibus licèt invalidis, si de præsenti sint, nascitur impedimentum publicæ honestatis respectu cujusvis sororis, adeoque etiam respectu ejus, cum qua priùs contraxit: nec etiam secundam, quia, & respectu hujus ex contractu priorum sponsalium ortum est publicæ honestatis impedimentum.

Resp. In dicto casu illam esse retinendam, cum qua primitus contractus initus est, secunda verò sponsalia cum altera, quamvis de præsenti fuerint, propter impedimentum publicæ honestatis invalida esse: Atque illud hic notandum, quod impedimentum publicæ honestatis non operetur retrorsum, ut vulgò DD. loquuntur, id est, quòd secundis sponsalibus de præsenti etiam invalidis oriatur quidem impedimentum respectu aliorum consanguineorum, non tamen in præjudicium illius, cum qua priùs sponsalia contracta sunt, per text. expressum *in c. unico h. t. in 6.* Aliud autem dicendum, si quis cum duabus sororibus successivè contraheret sponsalia, & secundam etiam carnaliter cognosceret: tunc enim neutram habere posset; non primam, quia ex copula nata fuisset vera affinitas, quæ etiam dirimit sponsalia præcedentia, *c. ex litteris. 8. De eo, qui cognovit*. Neque etiam secundam, propter impedimentum publicæ honestatis ex primis sponsalibus ortum.

Quæritur VI. An, & qualiter ex sponsalibus conditionatis oriatur publica honestas?

Resp. Ex sponsalibus sub conditione contractis, v.g. 7
si mille in dotem dederis, si parentes consenserint, &c. regulariter pendente conditione non oriri publicam honestatem; proinde, si sponsa ante eventum conditionis moriatur, soror, vel alia ex consanguineis licitè, & validè in uxorem duci poterit. *d. c. un. h. t. in 6.* Imò si quis juxta casum in priori quæstione positum cum duabus sororibus successivè contraxerit, cum prima de futuro, & sub conditione, cum altera de præsenti, & purè, quamvis hoc licitè, & sine peccato non fecerit, cùm debuisset eventum conditionis expectare, nihilominus hanc secundam retinere tenebitur: quia cum ex primis sponsalibus conditionatis orta non fuerit publica honestas respectu alterius, sororis, ideò sponsalia de præsenti, seu matrimonium cum ea contractum fuit validum, & dissolvit priora sponsalia de futuro, *c. sicut. 22. h. tit.* Notanter autem dico: pendente conditione non oriri impedimentum publicæ honestatis; nam si apposita conditio jam extiterit, & v.g. parentes consenserint, mille in dotem numerati fuerint, sponsalia erunt purificata, & perinde censebuntur, ac si nullam ab initio habuissent conditionem. Præterea, si conditio etiam sit præsentis, vel præteriti temporis, ut si sis nobilis, si sis artifex, &c. tunc quia talis conditio statim ab initio non suspendit ipsam obligationem, sed jam tunc, vel subest, vel non subest, & ita contracta sponsalia sunt valida, vel invalida, ita etiam statim ab initio oritur, vel non oritur publica honestas. Unde quamvis fortasse sponsa moriatur, antequam de conditione apposita constet, an sit nobilis, si tamen verè fuerit, ejus soror validè in uxorem duci non poterit, nec attenditur, quòd primùm ex post facto illa conditio declarata fuerit.

Quæritur VII. An oriatur impedimentum publicæ ho- 8
nestatis, si parentes, vel alii nomine liberorum contrahant sponsalia?

Resp. Hujus quæstionis decisionem pendere ab eo, an, & quando talia sponsalia, quæ parentes pro liberis contrahunt, valida sint, vel non? de qua *t. seq. §. 2.*

TITULUS II.

De Desponsatione Impuberum.

§. I.

De Ætate requisita ad Sponsalia, vel Matrimonium.

SUMMARIA.

1 *Alia atas ad contrahendā sponsalia, alia ad Matrimonium requiritur.*
2 *Qua atas requiratur ad sponsalia?*
3 *Pubertas quando incipiat?*
4 *Quomodo, & quando sponsalia impuberum obligent?*
5 *Ex sponsalibus impuberum nascitur impedimentum publica honestatis.*
6 *Sola taciturnitas venientium ad puberbatem ratificat eorum priora sponsalia.*
7 *Nisi fuerint ante annos discretionis contracta, ubi requiritur novus consensus.*
8 *Qua atas requiratur ad contrahendum matrimonium?*
9 *Valet matrimonium ex gravi causa ante annos pubertatis dispensativè contractum.*
10 *Matrimonium inter impuberes contractum an valeat saltem in vim sponsalium?*

1 ALiam ætatem in sponsalibus, aliam in matrimonio requiri palam est, quia in sponsalibus tantùm usus rationis, in matrimonio autem habilitas ad generandum consideratur.

2 Licèt verò Jurisconsultus *in l. 14. ff. de Sponsalibus*; dicat in sponsalibus nullam certam ætatem definitam esse, nihilominùs hac in parte, sicut universim in materia matrimoniali standum est juri Canonico, quod tam in masculis, quam fæminis 7. annos constituit, ut ante hanc 7. annorum ætatem sponsalia validè contrahi minimè possint, nam ante hoc tempus homines non præsumun-
3 tur capaces usus rationis ac discretionis, ut satis intelligere possint, quid agatur, *c. literas h. t.* Porrò etiam post annum 7. contracta sponsalia non inducunt irrevocabilem obligationem, quando aliquis in impubertate contraxit, adveniente deinde pubertate (quæ in masculo censetur post 14. & in fœmina post 12. completum ætatis
4 annum, *l. fin. Cod. Quando Tutores esse desinant*) ea irritare poterit. Quòd si unus tantùm contrahentium sit impubes, alter autem adultus, hic simpliciter, & irrevocabiliter obligabitur, impuberi verò, quando ad annos pubertatis pervenerit, liberum erit, sponsalia ratificare, vel resolvere, *c. de illis 9. & seq. eod. tit.*

Interim quia talia sponsalia post annum 7. contracta se-
5 mel fuerunt valida, quamvis ex post facto jure sic permittente ab una parte resolvantur, manebit tamen impedimentum publicæ honestatis, ita ut neuter ex ipsis desponsatis cum alterius consanguineis intra primum gradum contrahere valeat. *d. c. literas 4. eodem t.*

6 Prætereà etiam illud advertendum est: ad ratificationem sponsalium in impubertate contractorum non requiri novum aliquem consensum, sed solam taciturnitatem, & quod pubes factus sponsalibus jam contractis non contradicat, sufficere; eo usque etiam prior obligatio valet usque dum per novum dissensum revocetur; ergo si ad pubertatem perveniens obligationem non revocavit, quando potuit, censebitur tacitè id quòd in impubertate gestum est, ratum habuisse.

7 Secùs autem dicendum, si sponsalia ante annos discretionis contracta sint, tunc enim, quia prior obligatio nulla fuit, debebit per novum consensum verbo, vel facto declaratum reiterari, Gloss. & DD. *in c. literas 4. hoc tit.*

8 Circa ætatem *matrimonio* necessariam sciendum est utroque quidem jure constitutam esse ætatem pubertatis, scil. in masculo 14. & in fœmina 12. completos annos *in princip. §. 1. Instit. de Nuptiis L. 4. ff. de Ritu nuptiarum*. illa tamen declaratio de Jure Canonico est adhibenda, quòd hæc ætas non sit ita præcisè determinata, quin ante eam aliquando matrimonium contrahi possit si nimirum *malitia suppleat ætatem*, & jam tunc ad generandum aliquis habilis inveniatur per text. & interpretes *in c. puberes 3. c. de illis 9. & cap. ult. hoc t.*

Sed quid si masculus etiam post annum 14. vel fœmina post 12. ad contrahendum inhabilis sit, an matrimonium inter eos contractum valebit?

R. Affirmativè, dummodo spes sit aliquando habilitatem adventuram, quia impotentia concumbendi non causat nullitatem matrimonii, nisi perpetua, & incurabilis fuerit. Quid etiam an saltem ex causa gravi, & publica v. g. inter magnos Principes ad conservationem regnorum, vel pacis, matrimonium ante annos pubertatis contrahi poterit? R. Cùm determinatio ætatis ad contrahendum matrimonium non sit juris naturalis, vel divini, sed positivi humani, nec impotentia concumbendi jure naturali dirimat matrimonium, nisi perpetua, ideò potest S. Pontifex matrimonium ante annos pubertatis ex causa aliqua gravi concedere, & de facto concessit *in eod. tit.* ita tamen, ut saltem Episcopus causæ cognitionem, & dispensationem interponat. Barbosa *in eodem cap. 2. nu. 3.* 9

Demum, & illud hic in controversiam vocatur, an indistinctè procedat decisio *c. unici §. idem quoque eodem in 6.* quòd nimirum matrimonium inter impuberes contractum non valeat quidem ut matrimonium, sed tamen ut sponsalia de futuro juxta regulam. *Si actus non valet, ut ago, valeat tamen omni meliori modo, quo valere potest* R. Pro favore libertatis matrimonialis mihi videri probabilius S. Pontificem *in d. c. unico* loqui præsumptive, quòd scilicet in dubio, quando non constat, an impuberes voluerint sponsalia, vel matrimonium contrahere ob defectum ætatis, potiùs censeantur sponsalia contraxisse; at verò, si constaret, quòd voluerint ipsum matrimonium contrahere; tunc quia ad valorem cujusvis actus requiritur voluntas, & potentia, ideò succedit alia regula ex *c. cum super 23. de offic. delegat quod voluit*, scilicet matrimonium, *non potuit*, & *quod potuit*, scilicet sponsalia, *non voluit*, sicut idipsum multi, & plures numero (aliis tamen dissentientibus) DD. docent de matrimonio sine Parocho, & testibus contracto, ut ne quidem in vim sponsalium valeat, nisi mens contrahentium fuisset, se omni meliori modo obligare, vel nisi sponsalia de futuro præcessissent, quæ utique per matrimonium invalidum subsecutum non fuissent extincta. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 52. n. 143.* cum pluribus, ibidem citatis. 10

---

§. II.

An Parentes pro Liberis, vel Liberi sine consensu Parentum Sponsalia, vel Matrimonia contrahere possint?

SUMMARIA.

1 *Parentes possunt despondere liberos,*
2 *Quando, & qualiter illa desponsatio obliget?*
3 *Explicatur textus contrarius.*
4 *Quis nomine parentum, & liberorum intelligatur?*
5 *Pupillus, vel soror tutoris, vel fratris tractatum expresso consensu ratificare debet.*
6 *Resolvitur Hereticorum contrarium arg.*
7 *An filii nubentes invitis parentibus exheredari possint.*
8 *Filius alimentandus, & filia pro statu mariti dotanda est etiam invitis parentibus nubentes.*
9 *Quomodo, & quando saculares Princeps matrimonii pœnam statuere possint?*
10 *Parentes liberorum matrimonia sine causa impedire*

non possint, nec tamen impedientes excommunicationem incurrunt.

11 *Quando parentum dissensus solvat sponsalia?*

1 CErti, & indubitati juris est, quòd parentes liberos suos despondere, & pro iis matrimonium, vel sponsalia contrahere possint. *c. honorum q. 13. causa 32. c. 1. h. t.*

2 Ita tamen hæc desponsatio obligabit liberos, si præsentes fuerint, & non contradixerint, quamvis de cætero expressè consensum non declaraverint; quòd si minores septennio, vel absentes fuerint liberi tempore illo, quo parentes contraxerunt, eorum liberorum ratihabitio, & approbatio accedere debebit, tempore pubertatis adveniente; aliàs sponsalia nulla erunt, nec inde publicæ honestatis impedimentum exsurget, *c. unica §. porro eod. in 6.* Imo ampliùs dico, licet pater liberos impuberes etiam post septennium desponderit, ii tamen, sicut alia sponsalia, quæ ante pubertatem contraxissent, adveniente pubertate irritate possent, juxta dicta *in §. præc.* ita etiam ista; quia absolutè verum est, quod matrimonium sine consensu puberis validè contrahi nequeat, & consensus filiorum à parentibus in contrahendo matrimonio necessariò non dependeat.

3 Nec obstat *c. 1. eod. t.* ubi dicitur, quòd filius, pro quo nondum adulto pater sponsalia contraxit, ea debeat, si ad perfectam ætatem pervenerit, omnino adimplere. Nam hic *textus* explicari potest de debito honestatis si scilicet filius nullam rationabilem dissentiendi causam habeat, non autem de debito præcepti, vel necessitatis. Pan. *eod. c. 1. n. 7.*

4 Cæterùm parentum, vel liberorum nomine non tantùm pater, sed etiam mater; item non tantùm liberi in potestate patria constituti, & legitimi, sed etiam emancipati, & naturales intelliguntur; quia dispositio juris inter parentes, & liberos non facit distinctionem, nec fundatur in potestate patria, sed in affectione paterna, quæ sanè ratio tam in patre, quàm in matre, tam in liberis in potestate quàm extra eam constitutis procedit, ut cum communi DD. tradit Guttierez *de Matr. c. 13. §. 5.*

5 Aliud tamen ex communiori sententia dicendũ videtur, si tutor pro pupillo, frater pro sorore præsente, & non contradicente sponsalia contrahat; hæc enim sponsalia non ex eo solo valebunt, quòd pupillus, vel soror non contradixerint: sed insuper requiretur, ut verbo factove, vel prius per mandatum, vel posteà per ratificationẽ consensum suum declararint, quia in re tam gravi non censetur ille, qui tacet, consentire in sui præjudicium, ac detrimentum, & jura id voluerunt specialiter solis parentibus attribuere, ut eorum consensus pro filiorum consensu haberetur, non autem idem statuerunt de aliis consanguineis, ut rectè notavit Gloss. *in c. 1. de Matr. contract. contra interdict. Eccles. per text. ibidem* Sanch. *lib. 1. de Matr. disp. 27. nu. 4.* Quare licèt fortè pupillus aut soror tutore, vel fratre promittente reverà internè consenserit, antequam tamen hunc consensum suum per signum externum expresserit, non obligabitur. Ratio est, quia promissio non acceptata non obligat, sed talis promissio mere

6 tè interna acceptari ab altera parte non potest; ergo &c.

Opponunt quidem hæretici sectantes hac in parte Jus Civile, Iure divino, & naturali esse præceptum, *honorare Parentes*, adeoque ipsis invitis nil facere, præsertim in re ardua, & magni alicujus momenti, in qua etiam ipsorum præjudicium versatur; ut si filius cum dedecore suæ familiæ matrimonium cum satis sibi impare in nobilitate v. g. vel divitiis contrahat; atqui, inquiunt, statutum jure divino, & naturali S. Pontifex, & Conc. abrogare, vel immutare non possunt. Sed responderi debet, tantùm in genere jure divino constitutum esse, *honorare Parentes*, ut verò quòd in specie matrimonium, vel alius actus sine consensu parentum factus valeat, vel non valeat, non haberi ex jure divino, sed ex declaratione, vel constitutione Pontificia, vel humana.

Quod si hæretici suam sententiam ex illo præcepto: *honora patrem, & matrem:* stabiliri volunt, necessario etiam contra omnes suos DD. hæreticos concedere debebunt, in contrahendo matrimonio non tantùm patris, sed etiam matris consensum requiri, quia tam pater, quàm mater honorari præcipiuntur, quod tamẽ Juri Civili adversatur, ubi tantùm ejus parentis consensus desideratur in cujus potestate liberi sunt; notum autem est, matres non habere liberos in potestate. *§. fœminæ 10. Inst. de Adoption.*

Interim tamen si liberi absque rationabili causa inconsultis, vel invitis parentibus matrimonia contrahant, id licitè non faciunt, & plerumque etiam mortaliter peccare, ac exinde puniri possunt, quamvis matrimonium ita contractum subsistat, & valeat.

Sed an propterea liberi à parentibus exheredari possint? controvertitur. Negativa communiter recepta est, quia contrahere nuptias invitis parentibus non recensetur inter causas exheredationis, *in Nov. 115. c. 3.* aliunde autem communis doctrina, quod ex aliis causis, quam ibi expressis exheredatio non concedatur; eo quòd in pœnalibus, & odiosis extensio non facienda, *vulgata c. odia 15. de Reg. juris in 6.* Harp. *ad §. fin. Inst. de Exhered. lib. n. 66.* 7

Porrò sicut pater filio se invito contrahenti nuptias, hereditatem, multò minùs alimẽta denegare non potest, ita etiam filiæ sine suo consensu nubenti dotem constituere debet, quia dos succedit in locum alimentorum: sub hac tamen moderatione, ut, si filia indigno, & vilioris conditionis nupserit, non teneatur pater dotem dare juxt. conditionem, & statum filiæ, sed statum mariti, quia uxor sequitur conditionem mariti, sive deinde maritus fuerit dignior, vel vilior, *leg. mulieres Cod. de Incolis*, adeoque sufficit eam secundum conditionem mariti alimentare. Videatur Sanch. *l. 4. de Matr. disp. 24.* 8

Utrum autem Principes sæculares possint pœnas statuere liberis sine consensu parentum nubentibus? in utramque partem rationes afferri possunt. Quidam negativam reputant probabiliorem, eo quòd causæ matrimoniales, & condere leges circa matrimonia sint de foro Ecclesiastico, & non pertineant ad principes sæculares, *Arg. c. tua in 3. de Ordine cognationum c. 1. de Spons.* 9

Altera tamen sententia etiam non est improbabilis, dummodo leges concipiantur de illo casu, quo liberi sine rationabili causa invitis parentibus nubunt: nam quando actus est malus, tunc etiam Principes sæculares possunt adjuvandi Juris Canonici gratia eundem prohibere, & punire, præsertim si aliquo modo in præjudicium Reipublicæ tendat, sicut hic, ubi ex nuptiis liberorum graves nonnunquam inimicitię inter parentes, & consanguineos proveniunt.

Econtra sicut liberi non debent invitis parentibus sine rationabili causa nuptias contrahere, ita parentes peccant, si absque causa liberorum matrimonia impediant, & multò magis, si eos, ad certa matrimonia invitos cogant; tum propter scandalum & malos exitus, qui ex invitis nuptiis sequuntur; tum etiam quòd liberos privent jure suo quod habent circa status electionem. An verò parentes sine causa legitima impedientes matrimonia liberorum, vel ad matrimonia cogentes incidant in excommunicationem quam tulit Trid. *sess. 24. de Ref. matr. cap. 9.* contra omnes impedientes libertatem matrimonii, dubitari potest: verius est non incidere; quia Conc. tantùm loquitur de Dominis, & Magistratibus, qui ex vi jurisdictionis, quã in foro externo habent, subditos ad matrimonia cogunt, vel ab iis impediunt, consequenter in materia odiosa, & pœnali ad alias personas facienda non est extensio. Guttiet. *Canon. Quæstion. l. 1. c. 29.* 10

Unum adhuc notabile placet hic adscribere, quòd licet dissensus patris non invalidet matrimonium jam contractum, si tamen sola sponsalia jam contracta sint, & inde ex dissensu parentum, & consanguineorum fortè propter inæqualitatem contrahentium aut aliam causam magnum scandalum timeatur, vel alius malus exitus, possit Judex Ecclesiasticus tale matrimonium prohibere, & sponsalia irritare, cum virtus justitiæ non obliget ad actum peccaminosum, ex quo notabiliter læditur charitas proximi, parentum pietas, & cognatorum amicitia dissolvitur, sicut docet Guttierez *d. c. 29. n. 23.* Sanch. *libr. 1. de Matr. disp. 14. n. 3.* 11

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

SUMMARIA.

1 *Duplex solemnitas matrimonii.*
2 *Quotuplex solemnitas extrinseca?*
3 *Pœna Sacerdotis omittentis denuntiationes.*
4 *Quibus diebus possint fieri denuntiationes?*
5 *Quando omitti possint?*
6 *Causa, cur omitti possint?*
7 *De benedictione secundarum nuptiarum.*
8 *Pœna Sacerdotis benedicentis secundas nuptias.*
9 *Intrinseca solemnitas matrimonii.*
10 *Tridentinum per solemnitatem intrinsecam invalidavit matrimonia clandestina.*
11 *Resolvitur hæreticorum argumentum pro matrimonio clandestino.*
12 *Quis proprius parochus contrahentium?*
13 *Quis parochus vagorum?*
14 *Parochus non ut minister, sed ut testis excellens assistit.*
15 *An validè assistat alienus Parochus ex præsumpta licentia, vel ratihabitione.*
16 *Parochus non debet facilè credere dicenti se habere licentiam.*
17 *Insignis disputatio, an Parochus alienus valide adstiterit matrimonio ex præsumpta licentia, quæ revera quidem data est, assistenti tamen non innotuit.*
18 *In matrimonio quales testes sufficiant.*
19 *Necessitas vel ignorantia non excusat ab observatione formæ.*
20 *Per plures conclusiones resolvitur quæstio de matrimonio contracto in loco, vel ab incolis non recepti Concilii.*

1 NE matrimonium esset clandestinum, Concil. Trid. duplicem ei solmnitatem præscribit, unam *extrinsecam*, & accidentalem, alteram *intrinsecam*, & substantialem.

2 Solemnitas *extrinseca* est, uti desponsati ante actualem contractum matrimonii à suo proprio parocho tribus festivis diebus in Ecclesia publicè denuntientur; ut parochus mutuo desponsatorum consensu interrogato dicat: Ego vos coniungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ut ante sacerdotalem benedictionem in templo suscipiendam conjuges in eadem domo non cohabitent; hæc, inquam, solemnitas extrinseca, & accidentalis est, ejusq; omissio non irritat matrimonium, omitti tamen sine peccato, & pœna arbitraria non potest: quia in præcepto est. 3 Imò parochum omittentem denuntiationes incurrere triennalem suspensionem tradit Barb. *ad Trid. sess. 24. de Ref. matr. c. 1. n. 31. per tex. in c. 3. §. Sane h. t.* Quòd tamen ego non credo, nec textus hoc dicit, sed tantum loquitur de illo casu, ubi parochus patitur aliquos in consanguinitate, vel aliquo alio impedimento existentes contrahere. Et etiam isto casu, non ipso jure suspensum parochum, sed primùm per sententiam Judicis Ecclesiastici suspendendum esse non obscurè ex eodem text. colligitur aliunde autem nota est regula, quòd nulla censura sine textu expresso ipso jure infligatur *arg. c. is qui 18. de Sent. excom. in 6.*

4 Cæterum *denuntiationes* non ita precisè in diebus festis fieri debere videtur, quin etiam aliis diebus ubi v.g. propter litanias, vel processionem magnus concursus est populi, fieri possint, sicut notavit Barb. 4. *l. n.* 13. Si contrahentes sint ex diversis parochiis, tunc in utriusq; parochia denunciationes faciendæ erunt; atque idem, si quidem jam tempore sponsalium sint ejusdem parochiæ, sed ante modicum tempus fuerint diversarum; nam etiam tunc in parochia, ubi priùs, vel unus tantum, vel ambo habitaverunt, denuntiandi erunt, quia ibi melior habetur personarum notitia, án aliquo impedimento affectæ sint.

Aliquando tamen denuntiationes; vel prorsus omitti possunt, vel una tantùm pro tribus fieri, vel post contractum matrimonium differri, si rationabilis causa accelerandi matrimonii subsit, & licentia Ordinarij, vel Vicarii accedat. Imò si necessitas valdè magna, & urgens fuerit, & commodus accessus ad ipsummet Ordinarium haberi nequeat, etiam solus parochus eam desponsatis gratiam facere poterit, ut vel unam tantùm, vel post contractum matrimonium ante consummationem (quam interim prohibere poterit, ac debebit) denuntiationes faciat. 5

Plures autem sunt causæ ordinariæ dispensandi circa denuntiationes, ut si contrahentes sint in conditione, fortunis, vel ætate admodum inæquales, unde minùs honorificè, vel non sine irrisione aliorum denuntiarentur. Item si duo jam diu cohabitarint, & pro conjugibus habiti sint: si tempus quadragesimæ, vel repentinus discessus instet, & generaliter quoties notabilis utilitas contrahentium speretur, vel ex denuntiationibus demùm aliquod notabile incommodum timeatur. Barb. *ub. supra n. 62.* Illis tamen casibus, quibus remittuntur, vel differuntur denuntiationes ob causam accelerandi matrimonium, vel suspicionem rationabilem, ne quidem se maliciosè oppositurі sint, aut similem aliã considerationem, usus obtinuit, ut juramentum à contrahentibus præstetur, quòd in nullius præjudicium, & sine impedimento canonico contracturi sint. Solemnitas etiam *extrinseca* est, nè conjugati ante Sacerdotalem benedictionem in templo suscipiendã cohabitent Trid. *sess. 24. de ref. m. c. 1.* 6

Circa secundas nuptias autem advertendum est, quòd benedictiones nuptiales, quæ à Sacerdote post copulationem in Ecclesia Neoconjugibus impenduntur, sint omittendæ in secundis nuptiis, nisi in primo conjugio neuter benedictionem accepisset *c. 1. & de Secund. nupt.* ut enim major sit reverentia benedictionum, non solent ejusdem rei benedictiones solemnes repeti sæpiùs, quòd DD. etiam ad eum casum extendunt, quo unus tantùm ex conjugibus jam in priori matrimonio suscepisset benedictionem, puta si viduus ducat virginem, tum quòd *d. c. 3.* loquatur sub disjunctione, si vir, vel mulier ad secundas nuptias transierit: tùm quòd benedictio non possit impẽdi uni parti, quin etiam impendatur alteri, consuetudinem tamen locorum in hoc casu observandam monet Barb. *in eod. c. 3. n. 3.* 7

Pœna Sacerdotis benedicentis secundas nuptias traditur *in c. de Sec. nuptiis* ut ab officio, beneficioque suspensus Romam mittatur pro absolutione; sed quia hæc pœna videtur nimis austera ideò in primis sentiunt aliqui, quòd non incurratur ipso jure, sed per sententiam, & quòd missio Romam sit sublata per quandam extravagantem Joannes XXII. ut refert Barb. *eod. c. 1. n. 5. & 8.* Imo valdè probabile est, quòd docet Sanch. *l. 7. de Matr. disp. 82. n. 30.* pœnam esse arbitrariam, & illud. c. 1. intelligi de presbytero benedicente secundas nuptias, quæ prioribus nondum dissolutis temerè contractæ sunt. 8

Intrinseca, & substantialis solemnitas est, ut matrimonium non aliter valeat, quàm *si contrahatur coram parocho, vel alio de ipsius, aut Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus* Trid. *sess. 24. c. 1.* 9

Matrimonia quidem *clandestina* semper prohibuit Ecclesia, ut apparet *ex c. 1. & passim caus. 30. q. 5.* non tamen invalidavit, usq; dum Trid. hanc solemnitatem præscripsit. Est quidem difficilis tex. in *d. c. 1. caus. 30. q. 5.* ubi matrimonium sine solemnitatibus ibidem præscriptis contractum dicitur non esse *legitimum*, & quamvis iste terminus possit explicari de matrimonio *non licito* tamen mox *in v. ita per acta* additur: *aliter verò præsũpta cõjugia adulteria potius, & fornicationes judicate &c.* consequenter etiam *invalida*, sed cùm ex aliis Canonibus appareat matrimonium olim solo consensu contrahi potuisse, existimo tex. in *d. c. 1.* loqui *præsumptivè* quòd scil. præsumatur contra matrimonium clandestinum, usq; dum verum matrimonium probetur, idq; arguunt verba finalia *d. c. nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitimam.* 10

Hæc tamen solemnitas non ad statuenda sponsalia de futuro requiritur sed præcisè circa ipsum matr. sponsalia autem de futuro adhuc hodiè nullam aliam solæmnitatẽ præter mutuum consensum desponsandorum requirunt.

Sed inquiunt hæretici, Ecclesia non potuit facere

ex Sacramento non Sacramentum, sed matrimonium clandestinum ante Conc. Trid. fuit Sacramentũ, ergo &c.

R. Ecclesia non potuit facere ex Sacramento non Sacramentum, directè, hoc est mutando, vel tollendo ma-
11 teriam, & formam determinatam à Christo, conceditur: indirectè, hoc est mutando aliquid sub directione, & determinatione Ecclesiæ relictum, negatur. Ecce enim Christus Dominus instituit quidem contractum pro materia Sacramenti matrimonii, sed non omnem, & quemcunque, sed tantùm contractum *validum*, quis verò dicendus sit contractus validus pro Sacramento matrimonii, ipse Christus Dominus non determinavit, sed sicut aliàs principes, & legislatores sæculares possunt leges contractibus præfigere, eosque certis casibus irritare, ut ex utroque Jure tàm Canonico, quàm Civili apertum est ita pari modo summus Pontifex, qui contractum matrimonialem propter annexam rationem Sacramenti suæ jurisdictioni reservavit, potuit eidem certas leges statuere, & illis non observatis irritare, nihil autem propterea mutavit ratione materiæ, quæ semper in contractu *valido* consistit, unde, & contractus clandestinus olim fuit materia Sacramenti, non quatenus *clandestinus* sed quatenus tunc temporis *validus*, in simili, sicut qui potest corrumpere species panis, & vini, potest indirectè irritare Sacramentum Eucharistiæ, ita etiam Ecclesia potest indirectè irritare Sacramentum matrimonii ex justis caussis contractum annullando.

12 Quoniam verò superiùs dictum est, *intrinsecam, & substantialem* solemnitatem esse ex constitutione Trid. ut matrimonium contrahatur corã *proprio* parocho, vel alio de ejus, aut *Ordinarij* licẽtia (quo nomine præter Episcopum etiam intelligitur Capitulum sede vacante, Vicarius Episcopi generalis, Legatus de *Latere* in provincia Legationis, Abbas habens proprium territorium. Barb. *ad dict. c. 1. Trid. num. 98.*), sciendum est, *proprium* parochum esse, in cujus parochia, vel ambo contrahentes, vel unus tantum domicilium habitationis fixit, neque hic verum domicilium requiritur, ut scilicet habitatio sit *perpetua* sed *quasi domicilium* sufficit, si nimirum desponsati per majorem anni partem actu in parochia habitarunt, vel animo habitandi advenerunt, licet ibidem sint non ut parochiani, & domum propriam habitãtes, sed ut conductores, & famuli, vel quovis alio modo,

Si omnino *vagi* sint contrahentes qui nullibi constan-
13 ter habitent, à quovis parocho copulari poterunt, Ordinarii tamen licentia, & examen accedere debet, quia tales homines nonnunquam plures uxores diversis in locis ducunt, adeoque juramentum etiam ab eis exigendum est, quod nullo impedimento canonico, vel alio matrimonio jam priùs ligati sint, Trid. *sess. 24. de Matr. c. 7.*

Præterea licèt Parochus non requiratur tanquam mi-
14 nister Sacramenti, sed ipsi contrahentes censeantur sibi ministrare Sacramentum matrimonii, ipse verò parochus personam excellentis alicujus testis exerceat, & proinde etiam invitus, prohibitus, vel excomunicatus validè assistat, etiam extra parochiam suam, cùm sit actus voluntariæ jurisdictionis. *L. 2. ff. de Offic. procons.* requiritur tamen, ut ita sit præsens, ut actum, qui agitur percipere, & intelligere possit.

Item ut alius, quàm proprius parochus validè assistat
15 proprii parochi licentia accedere debet, & non sufficit ratihabitio sequens; quæ enim sunt de forma actus, non possunt per æquipollens impleri, *§. tutor autem 2. Inst. de Auth. tut.* Barb. *d. l. n. 108. & seq.* Menoch. *de Arb. casu 453. n. 13.* nisi fuerit ratihabitio de præsenti præsumpta ex tolerantia parochi scientis, & non contradicentis *l. qui patitur ff. Mandati.* Sanch. *lib. 3. disp. 35. n. 10.*, & hæc sententia, quòd non sufficiat licentia subsequens, ita passim inter DD., & in praxi recepta est, & per eam evitantur multæ malæ consequentiæ: quia plerunque, qui coram proprio parocho noluut contrahere impedimentis quibusdam affecti sunt.

Est quoque advertendum parocho alieno, ut non facilè
16 credat dicentibus se habere licentiam à proprio parocho nisi ostendant aliqua saltem verisimilia indicia, aut essent personæ nullatenus suspectæ, & fide dignæ, licet enim in iis, quę præcisè ad forum animæ spectant, credatur dicenti se habere licentiam v.g. alieno Sacerdoti confiteatur, secùs tamẽ est in matrimonio, & aliis (v.g. absolutio à censuris *c. sicut 39. de Sent. excom.*) quæ etiam ad rectam fori externi gubernationem pertinent. Sanch. *d. lib. 2. disp. 47.* Barb. *ad d. 1. Trid. s. 24. n. 1. 19.*

Sed quid, si Parochus, vel Ordinarius alteri Sacerdoti, vel parocho licentiam dederit ad assistendum, is verò ante acceptam notitiam hujus Ecclesiæ de facto adstiterit matrimonio an ne valebit? Communissimam DD. sententia distinguit, an data sit licentia ad instantiam alieni parochi, vel motu proprio: priori casu censent sufficere, quòd licentia fuerit data, & insinuata nuncio pro ea misso, altero autem casu non habere effectum ante accep-
tam notitiam, idemque tametsi aliquis tertius (sine man- 17
dato tamen parochi assistentis) licentiam impetrasset argumento eorum, quæ de privilegiis tradi solent, quòd non priùs habeant effectum, quam privilegiato innotuerint. Ita Sanch. *d. lib. disp. 36.* Barb. *d. l. n. 117.* Hurtado *de Matrim. disp. 5. difficul. 13.* & alii plerique, ut vix sit reperire dissentientem.

Verum quia cardo, & fundamentum (ut fatentur CC. DD.) consistit in paritate ducta à privilegio, ideò res ista theoricè examinata non est tam certa, quin omissa distinctione generaliter in hoc casu pro valore matrimonii magna probabilitas adferri possit,

Etenim quòd privilegia habeant effectum à tempore quo data sunt, etiam ante acceptam notitiam, ab eod. Sanch. *d. l. sub. n. 1.* allegantur 12 magni nominis DD. & præter rationes, & argumẽta ibi adducta, etiam non parùm stringit, quòd in literis *gratiæ* (quibus accensentur privilegia) non attendatur tempus *præsentatæ*, sed tempus *datæ*, ita ut statim tunc cùm datæ sunt, parti jus acquiratur sicut cum communi docet Rebuf. *in Praxi benef. in c. differentia inter rescripta gratiæ, & justitiæ n. 5. c. eam te de Rescript. c. si eo. 9. eod. in 6.* Accedit, quod in proposito casu serventur *finis, & verba* Concilii Trid. *Finis* quidem, quia matrimonium contrahitur publicè coram parocho, & testibus, & excluditur periculum abnegandi illud; *Verba* autem, quia data est *licentia* alieno Sacerdoti; utrum verò hæc licentia debuerit ipsi priùs innotuisse, hoc in Concilio non est expressum, & quamvis DD. id asserant, tamen fundamentum eorum admodum dubium, & controversum est. Cum igitur de jure veteri (de quo tale matrimonium indubiè valuerat) non censeatur plus correctum, quàm ea pressum, *L. præcipimus 32. in fin. c. de Appel.* & in dubio potiùs favendum matrimonio *c. fin. de Sent. & re jud.* cujus irritatio est odiosa, & plerunque scandalosa, ita ut, vel ex unius Doct. Classici singulari opinione sustineri possit Sanch. *l. 1. disp. 18. n. 7.* atq; æquitas rigori Juris sit præferenda *l. placuit 8. Cod. de Jud.* planè opinor, probabilem esse hujus matrimonii valorem.

Videamus quid argumentis à Sanch. *d. disp. 36. n. 2.* adductis reponi possit. I. *in c. de Concess. preb. in 6.* dicitur privilegium prodesse à tempore scientiæ. R. in primis esse allegationem partis: deinde ibi non deciditur, an non aliquando prosit à tempore, quo datum est, sed alia quæstio movetur, an nimirum si agatur in privilegio de jure tertii, requiratur ut privilegium illi tertio innotuerit? & ideò pars dixit, sufficere quòd innotuerit privilegiato.

II. In beneficio absenti collato non acquiritur jus ante acceptationem *c. si tibi absenti 17. de Preb. in 6.* Consularis dignitas acquiritur litteris præstitis, id est præsentatis, *l. fin. junct. gloss. C. de Consul.* servo absẽti non acquiritur libertas data ante certiorationem ejus. *L. qui absenti 38. ff. de Acquir. poss.* Donatio non confert jus donatario ante acceptationem. *l. absenti 10. ff. de Donat.* Legitimatio liberorum per rescriptum Principis desiderat eorum ratihabitionem. *Ath. quib. mod. naturales. §. illud tamen col. 7.* Resp. ex his omnibus non rectè necessariò inferri ad privilegia, & multò minus ad licentiam datam alieno parocho: quia in illis propterea requiritur alterius partis acceptatio, quòd trahant secum aliquam ejus reciprocam obligationem, ita beneficiatus tenetur ad onera beneficii, & subjectionem Episcopi; Consul ad opera consularia: servus manumissus ad Jus Patronatus, & operas liberorum: Donatarius ad antidora, & evitandam ingratitudinem, *juxt. l. fin. c. de Revoc. don.* liberi legitimati ad jus Patriæ potestatis. In privilegiis autem, præsertim verò dispensationibus gratuitis, vel licentia ad assistendum matrimonio (quàm assistentiã parochus alienus per se paratus est facere) nulla talis reciproca obligatio est.

Cæte-

Cæterum ex *d. c. si tibi absenti* 17. *de Præbendis in 6.* non leve argumentum pro contrario desumi potest, hoc ipso quòd ante notitiam quæreret beneficiato saltem jus ad rem, ita ut Episcopus illud beneficium sine consensu ejus alieri nequeat conferre. Deinde in allegatis locis non deciditur, an secuta ratihabitione non quæratur beneficiato, vel aliis jus in re à die primæ collationis; sicut in legatis, quæ etiam requirunt acceptationem, & tamen cedunt à die mortis. Valorem autem matrimonii etiam quandoque posse esse in suspenso dicetur inferiùs in tit. V. *de Conditionibus appositis.*

III. Parochus non potest exercere jurisdictionem, quam ignorat se habere. R. cùm Parochus in matrimonio potiùs testis, quam judex, aut minister sit, ideò assistentiam matrimonialem non esse propriè exercitium jurisdictionis, aliàs parochus, invitus, vel excommunicatus validè non assisteret, quòd tamen docet Sanch. *Lib. 3. disp. 39. & eod. l. 3. disp. 21. n. 4.* & hoc ipsum est in quæstione, an actus, qui ab alterius licentia dependet, non possit exerceri ex rationabili illius licentiæ præsumptione, præsertim quando jam actu data est, licèt adhuc incognita. Demùm etiam illa opinio Sanch. *d. disp. 36. n. 7. &* 8. qua in casu, quo per nuntium licentia petita est, requirit, ut saltem data licentia ipsi nuntio innotuerit juxta ea, quæ promisit *Lib. 1. disp. 6. n. 20. & disp. 7. n. 35.* non est extra controversiam, quia multi, & graves DD. apud eundem Sanch. CC. contrasentiunt. Quibus etiam potest addi Laym. *Lib. 1. tractat. 4. c. 23. sub n.* 10. ubi docet, ex petita, & rationabiliter præsumpta dispensatione (si actu data sit, quamvis needum cognita) validè contrahi posse. Nam ex mente omnium DD. concessio quæcunque valet, quando concurrit consensus utriusque, sed quando unus petit, & alter dat, concurrit consensus dantis, & accipientis, sicut in stipulatione per interrogationem unius, & responsionem alterius statim nascitur obligatio, nec requiritur, ut interrogans responsionem denuò acceptet. Et in *clem. 1. de Procurat.* procurator constituitur, si unus per litteras rogaverit, & rogatus litteras sine protestatione retinuerit.

18 *Testes* porrò, qui ad contractum matrimonii præsentes esse debent, non requiruntur omni exceptione majores, sed ne matrimonia frequenti periculo nullitatis exponantur (sicut testamenta, in quibus tam exacti testes considerantur) quoscunque testes rationis compotes, & intelligentes rem, de qua agitur, etiam domesticos, infames, fœminas, consanguineos &c. sufficere tradit Barbosa *d. l. n.* 131.

19 Nulla tamen necessitas, vel ignorantia excusat ab observatione legis, quæ formam actui præscribit, quatenus ut forma non servata actus valere possit. Quare licèt ante repentinum discessum contracturus Parochum, vel testes habere non posset, vel homo rudis invincibiliter ignoraret requiri, nihilominus sine eorum præsentia invalidè contraheret *text. in Trid. f. 4. de Reform. matrim. c. in princ.* Sanch. *d. lib. 3. disp.* 17.

Postremò breviter inquirendum, quid censendum de matrimonio contracto in loco, ubi Conc. Trid. in puncto reformationis matrimonii receptum non est? &

20 Dico I. si matrimonium contrahatur ab incolis talis loci, illud haud dubiè validum erit secundùm antiquos Canones, ex quibus ad substantiam matrimonii solummodo mutuus consensus, & absentia impedimenti dirimentis requirebatur, ubi enim lex nova promulgata, vel recepta non est, non obligat. *c. in istis 3. vers. leges dist.* 4. Navar. *in Man. cap.* 23. *n.* 41. Chok. *de Jurisd. ord. in exempt. p.* 1. *q.* 50. *n.* 8.

Dico II. Si quidem ex loco recepti Concilii excurrat ad locum non recepti Concilii, & ibi contrahat cum incola illius loci, pariter valebit matrimonium; cum enim contractus matrimonii sit individuus, regulatur secundùm locum unius cujuslibet ex contrahentibus. Sicut aliundè constat, proprium parochum sponsi esse etiam proprium sponsæ, si ex diversis parochiis sint desponsati.

Dico III. Si utraque pars emigraverit ad locum non recepti Concilii *sine fraude*, & ex causa transferendi *verum*, vel *quasi* domicilium, aut etiam per modum transitus, valebit matrimonium juxta morem illius loci contractum. Tum quòd contractus reguletur secundùm leges loci ubi celebratur, *l. fundus 6. ff. de Evict.* Gail. *lib. 2. Obs.* 123. tum quòd peregrini ex probabiliori non obligentur legibus domesticis, Non obstat, quòd Trid. *inhabilitaverit personas* ad contrahendum sine præscripta solemnitate, inhabilitatio autem personæ comitetur ipsam personam sicut umbra corpus. Nam hoc procedit, quando persone est in individuo per sententiam judicis inhabilitata, secus si inhabilitatio sit generalis ex lege, tunc enim habet legis naturam, ut non obliget, ubi non est recepta, *arg. c. 2. de Constitut. in 6.* Sanch. *de Matr. l. 3. disp.* 18. Pont. *de Matr. l. 5. c. 9. n. 2.* Barb. *de Offic. Episc. p. 2. alleg. 32. n.* 153. & alii ibid. magno numero citat.

Dico. IV. Si excursus ad locum non recepti concilii fiat hac sola intentione contrahendi sine proprio Parocho, adeòq; *in fraudem legis* dubitant DD. an valeat matrimonium. Nam transiens ad talem locum, & ibidem contrahens secundùm leges illius, videtur uti jure suo, adeoque nemini fraudem, aut injuriam facere. *l. nullus videtur 55. ff. de R. J. L. 3. §. 2. ff. de Lib. hom. exhib.* Intentio quoque mala, quamvis aliquando actum faciat *illicitum*, non tamen statim *invalidum*, ut si quis Parochum corrumpat, ut sine denuntiationibus in fraudem prioris sponsæ copulet: si filiusfamilias, aut Clericus bona inter vivos alienent, eò quòd de his testari nequeant, &c.

Nihilominus à Sac. Cong. Card. decisum, & ab Urbano VIII. confirmatum esse, quòd matrimonium ita contractum invalidum sit, refert Lugo *in Resp. mor. dub.* 36. Barb. *de Par. c. 21. n.* 36. Bossius *de Contract. Matr. c. 1. §.* 29. & pro hac decisione facit, quòd fraus, & dolus non debeant patrocinari. *c. sedes 15. de Rescript.* quòd *contra legem* facere, & *in fraudem legis* æquiparentur. *l. contra legem 29. cum L. seq. ff. de LL. L. ex facto 43. §. fin. ff. de Vulg. subst. L. 3. §. is autem. ff. ad S. C. Maced. c. ult. de R. J. in 6.* ita in *l. h. modo 64. de Condit. & demonst.* notanter constitutum est, ut si per fraudem præjudicetur Legi Reip. utili, ipso jure rescindatur, quod fraudandæ Legis gratia factum est. Quis verò non videat, Conc. Trid. cum tanta præstantissimorum virorum deliberatione conclusum, esse legem Reipub. utilissimam, & si id defraudari permittatur, januam aperiri raptibus, & clandestinis desponsationibus cum ingenti nonnunquam præjudicio parentum, & priorum sponsalium, aliorumque interesse habentium. Quare ad rationes contrarias responderi potest, negando, quòd jure suo utatur, qui legem defraudare cogitat. Deinde quod mala intentio non *irritet* actum, si nihil mutet in substantialibus à lege requisitis.

Dico V. Hæretici si permixti cum Catholicis, apud quos Concilium receptum est, vivant, & in minori numero sint, tenentur statuto Concilii. *argum. l. quod major 19. ff. Ad municip.* Declaratio Card. apud Cip. *Lib. 4. de Sponsal.* 16. Bossius *de Contr. matrim. capit. 1. §. 24. nu. 65. & §. 28.* sunt enim hæretici per baptismum intra januam Ecclesiæ recepti, & ejus subditi effecti, subditus autem quamvis rebellis utique ad leges sui Superioris tenetur. Inde etiam fit, quòd Ecclesia magis hæreticos ad fidem compellat. *tot. tit. X. de Hæret.* quàm judæos, & gentiles, qui non sunt propriè ejus subditi, dicente Apost. *quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare.*

Dico VI. Principes. & Domini sæculares possunt punire adjuvandi juris Ecclesiastici causa tales excurrentes, vel alia illicita matrimonia contrahentes, Sanch. *lib. 3. disp. 47. n.* 13. laudabile est enim Principi Ecclesiam ejusque statuta defendere, *arg. c. excommunicamus 12. §. moneantur. de Hæret. c. decernimus 8. de Sent. excom. in 6. clem. un. de Jurejur. Extrav. unam sanctam de Major. & obed. inter Com.*

Dico VII. qui vice versa ex loco non recepti Concilii veniunt ad locum, in quo receptum est, tenentur secundùm formam Concilii contrahere. Quidquid enim sit, an, & quando peregrinus teneatur ad leges, loci, per quam transit, (quod de legibus juris communis probabiliùs affirmatum cum Nav. *in Man. c. 25. n.* 120. Laym. *de ll. c. 12. n. 3.*) recepta est doctrina, quòd circa solemnitatem contractum teneatur. Sanch. *d. disp.* 18. *num.* 26.

TITULUS IV.

De Sponsa duorum.

SUMMARIA.

1 *Polygamia damnata in fide Orthodoxa.*
2 *Cur, & quomodo in veteri testamento plures uxores concessa?*
3 *Secunda nuptia non admittuntur, nisi solutis primis per mortem, aut dispensationem.*
4 *Quid si quis vivente prima uxore superinduxerit alteram?*
5 *Quæ probationes requirantur ad probandam mortem alterius coniugis.*
6 *Quando uti liceat matrimonio secundo, si dubitetur de morte primi coniugis?*

DE fide Christiana credimus damnatam esse *polygamiam*, nec uni viro licere habere simul, & semel 1 plures uxores, vel uni mulieri plures viros, ut definit Tridentin. *Sess.* 13. *de Matr. can.* 2., & constat ex Evangelio *Matth.* 19. ubi Christus dicit adulterium committi, si quis una uxore dimissa, aliam ducit, & revocat matrimonium ad primam institutionem, ubi Deus unum virum, & unam fœminam creavit: adversatur enim polygamia fini saltem secundario matrimonii, quia impeditur cohabitatio matrimonialis pacifica: & si maritus erga unam uxorem magis affectus esset, quàm erga alteram, periclitaretur alterius castitas, & ita matrimonium respectu hujus uxoris minùs à marito dilectæ non esset remedium sed potiùs periculum peccati; unde cùm hoc impedimentum ligaminis Juris Divini, & naturalis sit, nulla consuetudine, vel dispensatione humana tolli potest.

Quod verò in Veteri Testamento Patriarchis, & Judæis licuerit simul, & semel habere plures uxores, di-
2 cendum est, DEUM Matrimonii, & naturæ auctorem, in lege, quam ipse posuit, ad gentis suæ electæ multiplicationem dispensavisse, eamque dispensationem postea à generis humani reparatore revocatam esse, argumento c. *gaudemus* 4. *de Divort.*

Id autem nunquam licuit, ut una mulier simul, & semel haberet plures viros, quia talis cohabitatio impediret etiam finem primarium matrimonii, cùm ex sententia medicorum rarò, aut nunquam inde sequi soleat prolis generatio; & deinde omnia jura pro patre, & filio la-
3 ta confunderentur, quia incertus pater esset.

Porrò ut hodie liceat inter Christianos ad secundas nuptias transire, debet priùs matrimonium, quoad vinculum fuisse dissolutum, & si quidem fuerit matrimonium *ratum* per dispensationem Pontificis, aut ingressum in religionem; si autem consummatum per mortem alterius coniugis.

Quod si quis de facto contraxerit matrimonium vivente prima uxore, distinguendum erit, an mulier sciverit virum legitimam habere uxorem, vel an ignoraverit? si scivit ab initio, vel ex post pacto, & insuper passa est se cognosci ab eo (secus si cognita nunquam fuisset) tunc etiam post mortem primæ propter adulterium, & fidem datam est impedimentum dirimens inter ipsos; si ignoravit secunda uxor vitam prioris toto tempore ante mortem ejus tunc in potestate quidem secundæ uxoris deceptæ est, separari à viro putativo, eo quòd matrimonium mortua prima uxore non confirmetur, cùm consensus in matrimonium propter impedimentum fuerit illegitimus, vir tamen si mala fide egit, ratione promissionis, & deceptionis compelli potest ad contrahendum de novo cum decepta, de quibus omnibus videatur tex. & Gloss. *in c.* 1. *conveniens &c. fin. de eo, qui duxit &c.*

4 Quæres. Si alter conjux dicatur mortuus in remotis locis, quales probationes ad demonstrandam mortem ejus requirantur?

Resp. Licet de jure civili uxoribus dubitantibus de morte mariti concedatur licentia ad alias nuptias transeundi, si maritus ultra spatium 5. annorum abfuerit, ut apertè constat *ex l. uxores* 9. *ff. de Divort.* Aliud tamen de jure Canon. constitutum est, ut scilicet post quantecunque temporis absentiam non aliter permittatur, ut conjux præsens ad secundas nuptias transire, quam si certum nuntium de morte absentis acceperit tex. *c. in præsentia* 19. *de sponsal.* neque nomine *certi nuntii* intelligendus est unus testis, aut fama de morte conjugis, ut quidam volunt apud Barb. *in eod. c.* 19. *n.* 3. sed illud verbum *nuntium* accipiendum est in *neutro* genere, ut significet certã probationem, & denuntiationem, cui judicio fides adhiberi possit: 5 cùm enim per transitum ad secundas nuptias possit conjugi absenti, & forsan adhuc viventi grave præjudicium fieri, non est æquum, ut hic transitus concedatur, nisi plena probatio de morte proferatur; interim tamen, quia ex parte præsentis potest esse periculum incontinentiæ, aliæque justæ causæ, ex quibus ad secundas nuptias urgeatur, & alias noti juris est, quòd ob difficultatem probationes imperfectæ admittantur per text. & D. D. *in L. non omnes* 5. *ff.* 5. *barbaris* 16. *ff. de Re militari*, ideò etiam moralis certitudo de morte conjugis absentis sufficit, cui nimirum arbitrio judicis, & prudentis viri rationabiliter credi possit, quamvis absolutè infallibilis non 6 sit; unde sufficiet si cum uno teste fama, aliæve circumstantiæ concurrant, ut quia absentia est diuturna, & absens fuit senio, vel morbis confectus, in periculo belli, latronum, naufragii, vel pestis constitutus post diligentem, & longam inquisitionem nullibi repertus. Ad maiorem tamen cautelam usus judiciorum obtinuit, ut quando rationabile dubium subest de morte prioris coniugis, licentia transeundi ad secundas nuptias à judice Ecclesiastico petatur, qui si probationes minùs perfectæ sint, solet juramentum conjugi, quòd vitam alterius conjugis nec sciat, nec credat deferre: quòd si de facto ante certum nuntium secundum matrimonium contractum sit, ejus valor erit in suspenso, usque dum de rei veritate appareat.

Circa usum autem talis matrimonii generalis quæstio 7 movetur à DD. an, & quando sit licitus, si dubitetur de valore matrimonii? R. tres casus esse distinguendos. I. si utriq; conjugi saltem probabiliter constet de impedimento, aut uterq; rationabiliter dubitet, usus matrimonii ex neutra parte licitus erit. II. si unus sciat impedimentum, aut rationabiliter dubitet, sciens nec exigere, nec reddere, qui verò dubitat, is ex sua parte debitum quidem exigere non potest, alteri tamen parti in bona fide existenti, & nihil dubitanti, si petet, reddere tenebitur, qua de re alibi plura dicuntur. III. si nec adsit scientia impedimenti, nec rationabile dubium, sed tantùm scrupulus, & levis anxietas, ad consilium Episcopi, Parochi, vel Confessarii deponenda erit, & licitus utrinque sequetur matrimonii usus, sicut hac de re sunt textus valde notabiles *in c. litteras* 13. *de Restit. spol. c.* 2. *de Secund. nupt. & c. inquisitioni* 44. *de Sentent. excommunic.*

TITULUS V.

De Conditionibus appositis in desponsatione, vel aliis contractibus,

SUMMARIA,

1 *Conditio, Modus, demonstratio, causa,*
2 *Quid sit Conditio?*
3 *Quid modus?*
4 *Differentia Modi, & Conditionis,*
5 *Quid sit Demonstratio?*
6 *Quid causa?*
7 *Conditio, vel Modus contra substantiam matrimonii illud annullat.*
8 *Conditio, & Modus turpis, vel impossibilis habentur pro non adiectis.*
9 *Tria bona substantialia matrimonii.*
10 *An conditio contra bona matrimonii, sed honesta matrimonium invalidet?*
11 *Resolvitur argumentum contrarium.*
12 *Conditio, vel modus impossibilis joci causa adiectus præsumitur.*

13 *Sed*

13 *Sed hac prasumptio est tantum juris.*
14 *Conditiones turpes de praterito non invalidant matrimonium,*
15 *An sponsalia invalidentur per adjectionem conditionis turpis, vel impossibilis.*
16 *Sponsalia consanguineorum sub conditione, si Papa dispensaverit, contracta valent.*
17 *Resolvitur argumentum contrarium.*
18 *Quando Parochi, & testium prasentia requiratur ad matrimonium conditionatum.*
19 *Sponsi utentes copula non videntur recedere à conditione apposita.*
20 *Causa, & Demonstratio qualiscunque semper habetur pro non adjecta.*

Sicut omnes contractus non tantùm purè, & absolutè, sed etiam conditionate initi possunt, ita quoque sponsalia, & matrimonium; quia verò hodie quando post Concil. Trid. matrimonium coram parocho, & testibus contrahi debet, inauditum est, id sub conditione contrahi, ideò prætermittimus plorimas difficultates, quas fusè tractat Sanch. *de Matr. toto lib.* 5. & aliqua tantùm, quæ ad intellectum Canonum, & praxin maximè circa sponsalia conditionata deservire possunt, attingemus.

1 Præsuppono sponsalibus posse aliquid adiici, vel ut *conditionem*, vel ut *modum*, vel ut *demonstrationem*, vel ut *causam*, quæ omnino inter se differunt.

2 Nam *conditio* est, cum aliquid adiicitur suspendens contractum, nec partes ante illius eventum obligari volunt, & explicatur per particulam *si*, v. g. ducam te, si mille dederis in dotem.

3 *Modus* est adjectio oneris, ad quod post contractum volumus alterum obligare, & ordinariè exprimitur per conjunctionem *ut*, v.g. duco te, ut mecum mercimonia exerceas. Differt à conditione, quòd modus non suspendat obligationem principalem, sed habeat suam obligationem, propriam, ad quam implendam alter cautionem præstare debet, & si fortassis non præstiterit, non statim propterea irritum est matrimonium, cum principalis obligatio adhuc subsistat, sed per judicem ad implendum modum compelli debet.

4 Si dubitetur an adjectio sit *conditio*, vel *modus* quia contrahentes usi sunt verbis dubiis, attendendum erit, an non priùs voluerint ratam obligationem, quam illa adjectio expleatur, & erit *conditio*, si verò prius voluerint ratam obligationem, & postea primùm alterum gravatum ad aliquid faciendum, erit *modus*, sicut docet Bartholus *in l. quibus* 40. *ff. de Condition. & demonstrationibus.*

5 *Demonstratio* est, quando significatur aliqua qualitas in contrahentibus, & explicatur per relativum, aut dictionem importantem aliquam qualitatem, v. g. duco te, quæ de tali stemmate es, &c.

6 *Causa* demum illa dicitur, quę denotatur per dictionem *Quia*, & indicat matrimonium, seu causam contractus, v. g. duco te; quia dives es, &c. His præsuppositis.

7 Quæritur I. Quid juris, si matrimonio *conditio*, vel *modus* adiiciatur naturaliter, vel civiliter *impossibilis*, id est, ut per naturam, vel (cum contra bonos mores sit) per leges licitè impleri nequeat, ut si cęlum tetigeris, si patrem, si inimicum meum occideris, &c.

8 De Jure Civili distinguitur inter contractus, & ultimas voluntates, sive testamenta, si de hujusmodi conditionibus agatur. In contractibus conditio impossibilis statim ab initio vitiat contractum, quasi non censeantur habere animum contrahendi, qui conditionem impossibilem adiiciunt, *l. non solum* 31. *ff. de Obligation. & actionibus l. impossibilis* 7. *ff. de Verborum obligationibus.* Modos autem impossibilis, vel contra bonos mores non vitiat contractum, sed vitiatur, & pro non adjecto habetur, v.g. dono tibi equum, ut cœlum ascendas, ut hæreticus fias, &c. sicut ex communi docet Medina *de Instit. & Jur. tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 28. §. *impossibilis*. At verò in testamentis, & ultimis voluntatibus conditio, & modus impossibilis pro non scriptis habentur, propter singularem favorem ultimarum voluntatum, ut potiùs sustineantur, quàm pereant. §. *impossibilis* 18. *Inst. de Heredibus instituendis.*

Circa matrimonia hujus quæstionis decisio habetur, *c. ultimo hoc tit.* ubi distinguitur: an tales conditiones sint contra substantiam matrimonii, vel an aliunde sint turpes, aut impossibiles? priori casu dicitur esse nullum matrimonium sub tali conditione contractum, posteriori verò valere matrimonium, & propter ejus favorem, sicut in testamentis conditionem haberi pro non adjecta. Ad hoc autem ut sciatur, quando conditio sit contra substantiam matrimonii advertendum est secundum Gloss. *in eod. c. fin. in V. contra substantiam*, tria esse bona conjugii, nimirum *bonum fidei, bonum prolis, & bonum Sacramenti, c. omne* 10. *caus.* 27. *q.* 2. Si jam conditio uni ex istis adversetur, dicitur contra substantiam matrimonii. *Bono prolis* adversatur conditio; si generationem prolis evitaveris, si venena sterilitatis sumpseris, &c. *Bono fidei*, si te adulterandam dederis pro quæstu. *Bono* denique *Sacramenti*, quod matrimonium facit inseparabile, si dicas. contraho tecum, donec aliam inveniam honore, & opibus ditiorem, prout ista exempla ponuntur *in d. c. fin. eod.*

10 Quæst. II. An idem dicendum sit si conditio adjecta adversetur quidem bonis matrimonii, sed sit honesta, v. gr. contraho tecum, si mecum in perpetua castitate vivere velis? Pro affirmativa facit, quòd dicta bona matrimonii non sint necessaria in executione, alias sterilitas, vel adulterium semper dissolverent matrimonium, quia deficeret bonum prolis, & fidei conjugalis. Item B. Virgo, & D. Josephus videntur non potuisse aliter, quam hoc modo contraxisse, cùm jam priùs votum castitatis emiserint, & hanc sententiam probabilem dicit Sanch. *l.* 5. *de Matr. d. n.* 5. Contrariam tamen probabiliorem existimamus cum eodem Sanch. quamvis enim dicta bona matrimonii non sint necessaria in executione, & matrimonium esse possit sine copula, debent tamen esse in obligationem & de substantia matrimonii, sine qua matrimonium perfectum dici non potest; est enim matrimonium viri, & mulieris conjunctio, non qualiscumque, sed ordinata ad copulam, aliàs inter fratrem, & sororem, matrimonium dici deberet. De matrimonio B. V. dicendum est, non habuisse talem conditionem, sed fuisse simpliciter con- 11 tractum, quamvis neuter ex desponsatis habuerit intentionem utendi copula: nam obligatio bene potest consistere sine executione, & cum proposito intermittendæ executionis, præsertim quando per DEI revelationem notificatum est, nunquam ab altera parte executionem petendam, obligationem, enim, & executionem diversam esse nemo dubitavit, atque in hunc sensum non obscurè de matrimonio B. V. loquitur August. *c.* 3. *causa* 27. *q.* 2.

12 Quæritur III. An, & quando matrimonium censendum sit adjecta conditione turpi, vel impossibili, si aliquis revera non aliter, quam sub tali conditione se obligare intenderit?

Omnes DD. laborant, quo sensu Pontifex potuerit, vel voluerit conditiones turpes, vel impossibiles à matrimoniis reiicere, & matrimonium pro simpliciter contracto habere, cum tamen jure naturę consensus ad matrimonium requiratur, & sine consensu matrimonium esse non possit, non intelligitur autem consentire, qui noluit se obligare nisi sub conditione turpi, aut impossibili, juxta text. apertum *in l. non solum* 31. *ff. de Obligationibus, & Actionibus*. Breviter dicendum S. Pontificem in illo *c. final.* inducere præsumptionem, quod scilicet quilibet pręsumatur in contrahendo matrimonio, quoad negotium principale seriò agere, & obligationem suam purè facere propter reverentiam Sacramenti; conditionem autem impossibilem, vel joci causa, vel ut modum (qui per superiùs dicta, si impossibilis sit, non obligat) adiicere, & cum dubium sit, an faciens conditionem impossibilem habuerit seriam intentionem, vel contrahendi matrimonium, vel ponendi conditionem, jura in tali dubio pro favore matrimonii pręsumunt.

13 Quæst. IV. An hæc præsumptio sit, & *juris, & de jure*, ita ut nulla probatio in contrarium admittatur; ut qui revera non consenserit, nisi sub conditione, nihilominus pro consentiente habendus sit?

Resp. Esse præsumptionem *juris tantum*, adeoque cedere veritati, & aliis probationibus, ac fortioribus præsumptionibus elidi posse. Unde non reiicietur conditio, sed potiùs matrimonium censebitur esse nullum, si ex variis qualitatibus, & circumstantiis, qualitate, affectu, & interesse contrahentium colligi possit, quòd, vel ideò conditioné impossibilé adjecerint, quod nullo modo obligari

voluerint, ut si nobilis dicat rusticæ, contraho tecum, si montem aureum in dotem dederis, vel revera non aliter, quàm expleta conditione turpi, ut si hæreticus dicat Catholicæ contraho tecum, si lutherana fias. Item si conditio adjecta non sit simpliciter impossibilis, v. g. si pauperi, quæ credebatur dives, dicatur, contraho tecum, si mille in dotem dederis, non poterit præsumi conditionem tantùm joci causa adjectam esse. Præterea
14 etiam conditiones turpes de præterito, ut si patrem occidisti, ex communi sententia non rejiciuntur, cum enim non invitant amplius ad delinquendum, sed jam supponantur extitisse, non sunt hoc respectu turpes censendæ. Cov. *de Matr. p. 2. c. 3. §. 2. 2. n. 3.*

15 Quæritur V. An sicut in matrimonio, ita etiam in sponsalibus de futuro conditiones turpes, aut impossibiles rejiciantur, & sponsalia pro absolutè contractis habeantur. Affirmativa communis est apud Sanch. *d. lib. 5. disp. 17. n. 2.* eò quòd favor matrimonii videatur etiam ad sponsalia extendendus, utpote quæ sunt via ad matrimonium. Negativa tamen, quam tenet Zoesius *h. t. num. 32.* videtur mihi æqua, & probabilior, quia *c. fin. eod. t.* tantùm loquitur de matrimoniis, sed ubi agitur de restringenda libertate matrimonii, & inducenda obligatione, non est facilè obligatio extendenda.

Accedit, quòd *c. fin.* sit correctivum Juris Communis, de quo in contractibus conditiones impossibiles non rejiciuntur, sed vitiant contractum. *l. non solum 31. ff. de Obligation., & action.* Correctio autem juris est strictè accipienda, *l. præcipimus 32. in. fin. C. de Appell.* Unde ulterius infero, si aliquis dicat: promitto tibi matrimonium, si mecum concubueris, si me in tali scelere juveris, talē non obligari, nisi secuto concubitu, vel scelere.

16 Quæritur VI. An valeant sponsalia vel matrimonium contractum inter consanguineos sub conditione, *si Papa dispensaverit*, adeoque non pendente tali conditione alterutra pars resilire, & cum alio contrahere valeat, vel dispensatione obtenta novus consensus requiratur? Negant non pauci cum Sylv. *verb. Matr. 3. q. 9.* conditio enim, quæ dependet ex principis voluntate, inquiunt est impossibilis, quia ordinatio jure fieri non potest, *per text. in L. continuus 137. §. cum quis & l. inter stipulantem 83. §. sacram. ff. de verb. oblig.* Si ergo talis conditio; *si Papa dispensaverit*, tanquam impossibilis rejiciatur, utpote dependens ex Principis voluntate, sponsalia, vel matrimonium valere non poterunt, quia absolutè consanguinei ad contrahendum inhabiles sunt.

Nihilominus dicendum est, non esse conditionem impossibilem, & consequenter valere contractum, dummodo ponatur casus, in quo Pontifex solet dispensare, si nimirum consanguinei non sint in gradu valde propinquo & simul habeant justam causam petendi dispensationem, quod enim frequenter, & quotidie fieri solet non est impossibile, sed dispensationes inter consanguineos quotidie impetrari solent, ergo, &c.

17 Ad argumentum contrarium R. conditionem, quæ dependet à principis voluntate reputari impossibilem, quando princeps id concedere non solet, nisi de extraordinaria sua potestate, & rarissimis in casibus &c. Præterea promittens fœminæ matrimonium sub conditione: *si Papa dispensaverit*, tenetur insuper hanc dispensationem impetrare, quia qui obligatur ad principale, obligatur etiam ad accessorium, sine quo principale haberi non potest. Sanch. *d. lib. 5. n. 12. & 36.*

18 Quæritur VII. Si hodie post Trid. contraheretur matrimonium conditionatum, quandonam parochus, vel testes intervenire deberent, an tempore, contractus, vel postquam conditio extiterit?

Resp. Utroque tempore, etenim si non intervenirent tempore contractus, dicerentur tantùm sponsalia de futuro, non matrimonium, quia ut sæpe dictum, nullum hodie post Trid. est matrimonium sine parochi, & testium præsentia. Tempore verò existentis conditionis, nisi intervenirent parochum, & testes, non possent in foro externo testari, matrimonium verè, & substantialiter contractum esse, sed tantùm fuisse contractum inchoatum, pendentem, & adhuc solubilem, quod utique intentioni Trid. adversatur, quod ideò parochum, & testes requisivit, ut de matrimonio in foro externo ad multa incommoda evitanda testificari valeant. Sufficit autem, ut ipsi contrahentes coram parocho, & testibus affirment, conditionem esse impletam, nam hoc ipso satis intelliguntur purificare contractum, licet parochus, vel testes per se conditionem impletam non viderint, teste Laym. *de Matr. p. 2. n. 24.* qui tamen putat sufficere, ut tempore contractus præsentia parochi, & testium accedat.

Quæritur VIII. An hodie post Concil. Trident. si con- 19
trahentes post sponsalia conditionata utantur copula carnali pendente conditione, censeantur per hoc à conditione recessisse, & sponsalia purè contraxisse? Licet ante Conc. certum fuerit, quòd copula accedens sponsalibus tantam vim habuerit, ut non solùm conditionem à sponsalibus sustulerit, sed etiam verum consensum de præsenti, & matrimonium induxerit, quia præsumptione *juris, & de jure*, contra quam non admittebatur probatio in contrarium, sponsus non præsumebatur alio quam affectu maritali suam sponsam cognovisse, *c. is, qui fidem 30. de Sponſ. cap. per tuas 6. h. t.* Attamen hodie post Concil. Trid. quando matrimonium sine parocho, & testibus non subsistit, certum quidem est, quòd sola carnalis copula non habeat ampliùs vim efficiendi matrimonium; an verò partes præsumantur, saltem à conditione apposita recessisse, dubitatur? id aliqui satis probabiliter affirmant, eo quòd in hac parte Trid. nil mutaverit, adeòque sub constitutione Juris veteris reliquerit. Zypæus *Consultat. Canon. lib. 4. consult. 1.*

Negativam docet Sanch. *lib. 5. disp. 26. n. 12.* Fundamentum est, quòd hodie post Trid. cesset ratio legis, quæ olim præsumebat recessum à conditione per copulam: quia olim ista præsumptio oriebatur, ne Ecclesia presumeret delictum fornicationis, præsumpsit copulam factam affectu matrimoniali, & consensum de præsenti, quod hodie post Trid. non potest ampliùs fieri cùm solus consensus de præsenti non sufficiat ad matrimonium, ut diximus. Si tamen ex tali copula sponsa grave damnum incurrisset, ut quia esset imprægnata, diffamata, & inde difficilius nuptura, æquitas suadet, tale damnum per matrimonium compensari, & priorem sententiam amplecti. Pro cujus confirmatione forsan non incongruè dici posset, quòd illa præsumptio juris de copula conjugali non fuerit ratio adæquata Canonis tollentis conditionem, sed etiam æquitas, ut damnum copulæ per matrimonium compensetur, & alia præsumptio, quòd non facilè fœmina consensura sit in copulam, nisi sub certa spe matrimonii, quæ certitudo firmatur rejecta conditione.

Quæritur IX. An, quòd hactenus de *conditionibus* 20
dictum est, id etiam procedat, *si demonstratio*, vel *causa turpis, impossibilis*, aut *falsa* adjiciatur, v. gr. contraho tecum, quia sterilis es, quia nobilis es, cum tamen non sit? Resp. Demonstrationem, vel causam per se sumptam non quidem suspendere, vel vitiare matrimonium, sive sit turpis, sive contra substantiam matrimonii, sive falsa, sed potius haberi pro non adjecta, arg. *l. falsa 33. ff. de Condit. & demonstrat.* quia tamen falsa causa, vel demonstratio inducit *errorem*, & *error* nonnunquam facit deficere consensum, & consequenter matrimonium, ideò hic observanda erunt, quæ supra *Tit. de Errore* dicta sunt.

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel Voventes Matrimonium contrahere possunt.

§. I.

De Voto.

SUMMARIA.

1 *Quid, & quotuplex sit Votum.*
2 *Tantum votum solemne irritat matrimonium.*

3 Vo-

3 *Votum simplex contracto matrimonio impedit exactionem debiti.*
4 *Quid de voto ingrediendi religionem?*

1 CONstat votum castitatis aliud esse *simplex*, aliud *solemne*, nimirum quod in Religione ab Ecclesia approbata emittitur, vel sacris Ordinibus clericalibus annexum est.

2 Porrò tantùm votum *solemne* irritat matrimonium non autem votum *simplex*. Votum quidem simplex impedit matrimonium, & si contrahatur, pœnitentia Ecclesiastica mulctandi sunt contrahentes, non tamen proptereà annullatur, ut clarè decisum est *in cap. unico de Voto in 6.*

Licet autem matrimonium cum voto *simplici* castitatis contractum valeat, votum tamen non expirat, sed adhuc obligat ex parte voventis, in quantum ab eo servari potest, ut scilicet nunquam exigat, sed tantùm alteri parti exigenti (cui votum alterius præjudicare non potuit) reddat debitum conjugale.

3 Attamen propter quotidianum periculum transgressionis consulitur hujusmodi voventi, ut ipse, vel alius ejus nomine dispensationem petat, quam ob periculum incontinentiæ, & difficultatem adeundi Pontificem concedere solet Episcopus, cum ea moderatione, ut supplicans stante matrimonio jam contracto valeat reddere, & exigere debitum conjugale, dissoluto autem matrimonio per mortem alterius conjugis votum obliget, sicut priùs &c.

4 Verùm alia est ratio de votis ingrediendi religionem, suscipiendi ordines clericales, aut vivendi in celibatu, absque expresso voto castitatis: cum talibus enim votis, licet matrimonium absque peccato mortali, & violatione voti contrahi non possit, contractum tamen valebit, neque hic erit abstinendum à petitione debiti, quia necdum castitas actu promissa est, Sanch. *lib. 9. disp. 33. num. 9.*

---

§. II.

De Ordine.

S U M M A R I A.

1 *Ordines sacri dirimunt matrimonium.*
2 *Qua pœna sit contrahentium in ordinibus sacris?*
3 *Matrimonium non dissolvitur per susceptionem Ordinum sicut per ingressum monasterii. Et ordinatus efficitur irregularis.*
4 *In minoribus ordinibus validè contrahitur matrimonium.*
5 *In minoribus contrahens est ipso jure privatus suis beneficiis; fallit tamen si tantùm sponsalia de futuro contraxit.*

1 POrrò Clerici in *majoribus ordinibus* constituti matrimonium contrahere nullatenus possunt propter votum castitatis, quòd Sacris ordinibus annexum est, & in quod suscipiendo sacrum ordinem ipso facto consentire censentur, quamvis aliis verbis non exprimant, *c. un. de Voto in 6.* Si de facto contrahere præsumpserint ad dimittendas mulieres, & agendam pœnitentiam per suspensionis, & excommunicationis censuram compellendi sunt, *c. 1. de Cler. conjug.* imò *ex clem. un. de Consang.*
2 *& affin.* ipso facto excommunicationem incurrunt, fiuntque Irregulares, ita ut nec in susceptis ordinibus ministrare, nec ad altiores valeant promoveri: in qua tamen irregularitate post peractam pœnitentiam dispensare Episcopo concessum est, dummodo cum vidua non contraxerint. *c. 1. & 2. h. t. & c. 4. de Cler. conjug. c. fin. de Bigam. non ord.*

3 Quid autem juris, si post contractum matrimonium aliquis laicus suscipiat Sacros Ordines, anne tali casu dissolvetur matrimonium, sicut superiùs de ingressu in Religionem dictum est? De hac quæstione extat constitutio *in extrav. un. Joan. XXII. de Voto.* quòd votum solemnizatum per suscep tionem sacri Ordinis dirimat quidem matrimonium post contrahendum, non autem matrimonium antea contractum, etiamsi id per carnis copulam consummatum non sit, eò quòd nec jure divino, nec per sacros canones reperiatur hoc statutum. Præcipit item S. Pontifex, ut si aliquis de facto post contractum matrimonium ordinatus fuerit, id tamen necdum consummaverit, per Ordinarium instanter moneatur, & inducatur, ut Religionem ingrediatur, quòd si forsan renuerit adimplere ipsum, si uxor ejus institerit, per censuram Ecclesiasticam compellat contractum matrimonium consummare. Cæterùm post contractum matrimonium ordinatus efficitur irregularis, & manet talis etiam soluto matrimonio, si tamen Religionem approbatam ingressua fuerit, & professionem tacitam, vel expressam fecerit, poterit cum ipso Episcopus dispésare. *d. Extrav. un.*

Sed quare potiùs sacri Canones statuerunt, ut per ingressum in Religionem dissolveretur matrimonium ratum, quàm per susceptionem sacrorum ordinum? R. Illam (præter alias, quas refert gl. *in d. Extrav. un. in V. est censendum*) posse congruentiæ rationem assignari, quòd ingrediens Religionem censeatur spiritualiter mundo mortuus, *c. placuit. 8. ubi gl. in v. mortuus. 16. q. 1.* & ab omni consortio prioris sponsæ in perpetuum separatus: è contra, quia tantùm sacros suscipiens in sæculo remanet, multis occasionibus, & tentationibus expositus sit, ad relictam sponsam mutata voluntate, & reconcepto pristino amore revertendi.

Clerici in *minoribus ordinibus* constituti matrimonium quidem contrahere possunt, sed si contrahant, omnibus beneficiis Ecclesiasticis privantur: quia simul voluptatibus, & carnalibus desideriis, ac divinis, & Ecclesiasticis obsequiis vacare non valent, ait Pont. *in c. 3. de Cler. coniug.* & quòd hæc privatio *ipso Jure* inducatur etiam ante sententiam Judicis, nec post contractum matrimonium tuta conscientia clericus contrahens possit amplius percipere fructus sui beneficii, innumeris penè authoritatibus probat Barb. *in Collect. ad c. 1. de Cler. conjug. n. 2.* cui non resistit, quòd pœna in conscientia ante sententiam Judicis saltem declaratoriam locum non habeant, nam responderi potest, quòd supradicta privatio non proveniat propriè ex pœna, sed magis ex *incompatibilitate* beneficii cum statu matrimoniali, & ita ex interpretativa renunciatione beneficii à Clerico per contractum matrimonii facta. Est autem hic notandum, quod de privatione beneficii dicitur, esse intelligendum si ipsum matrimonium actu contractum sit; si verò sponsalia tantùm de futuro Clericus in minoribus contraxit necdum suo beneficio renunciasse censebitur, quia necdum statum incompatibilem actu suscepit. Sanch. *de Matr. lib. 7. disp. 46. n. 23.* 4

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.

S U M M A R I A.

1 *Quid nomine criminis intelligatur?*
2 *Sola promissio non constituit impedimentum.*
3 *Quando, & qua machinatio constituat impedimentũ.*
4 *Machinatio debet habuisse effectum.*
5 *Occisio tam viri quàm fœminæ causat impedimentum.*
6 *Homicidium factum non causa matrimonii non causat impedimentum.*
7 *Adulterium, & promissio diverso etiam tempore facta causant impedimentum.*
8 *Soluta ignorans complicem esse uxoratum acceptans promissionem non contrahit impedimentum.*
9 *Qualis debeat esse promissio, ut causet impedimentum.*

HIc agitur de Impedimento CRIMINIS, cujus nomine in præsenti tantùm intelligitur *Crimen adulterii, & Homicidii.*

DI-

1 Dicendum ergò, quòd solum adulterium per se quidem non sit impedimentum dirimens matrimonii, si tamen una cum adulterio concurrat matrimonii promissio, ubi legitimus mortuus fuerit; & multò magis, si de facto per verba de præsenti matrimonium attentetur, vel machinatio in mortem legitimi conjugis interveniat, statim insurget impedimentum criminis, & nunquam inter tales adulteros matrimonium esse poterit, *c. super 3. c. significasti 6. c. cùm haberet 5. & passim h. t.* quod ad excludendum votum captandæ mortis ita statutum est, ne, si talia matrimonia tolerentur, frequenter adulteri in vitam insontis conjugis insidias struerent. Nunc autem

2 Quæritur I. An sola *promissio* sine *adulterio* constituat impedimentum dirimens, si v. g. uxor promittat alicui matrimonium, postquam maritus mortuus fuerit.

R. Negativè, quamvis enim etiam sola promissio possit inducere votum captandæ mortis, tamen impedimenta matrimonii, tanquam odiosa potiùs restringenda sunt, quàm ultrà casus in jure expressos extendenda, & majus est semper periculum, si promissio conjungatur adulterio, quàm si sit sola, cùm homines libidine excæcati majora facinora temerè audere soleant. Pro hac conclusione textus est satis clarus *in c. ult. eod.* Attamen talis promissio licèt non irritet matrimonium ex post facto per novum consensum contractum, ex se tamen non est obligatoria, neque vim sponsalium habet, quia constante matrimonio de alio pacisci turpe pactum reputatur, & aliquam saltem occasionem captandæ mortis præbet, prout in simili de Jure civili pactum super viventis hæreditate *plenum strictissimi eventus*, & propterea invalidum dicitur. *l. ult. C. de Pactis*.

3 Quæritur II. An sola machinatio in mortem conjugis absque adulterio causet nullitatem matrimonii? Inter diversas DD. opiniones illa videtur probabilior, quòd machinatio unius ex desponsatis non causet impedimentum, nisi conjuncta fuerit cum adulterio; secus autem, si uterque consilio, auxilio, consensu, aut conspiratione ad mortem conjugis innocentis concurrerit, ita non obscurè colligitur ex *c. 1. de Conversione infidelium*, ubi propter hoc solùm, quòd mulier cum alio viro soluto conspiraverit in mortem sui mariti, dissolvitur inter ipsos conjugium, nulla facta mentione adulterii, quare reliqui text. qui de sola machinatione loquuntur, de conjuncto adulterio explicandi sunt, ut ultra casus clarè in jure expressos non fiat impedimentorum extensio. Panorm. & Barb. *in d. c. 1. de Convers. infidel.*

4 Quæritur III. An requiratur, ut machinatio habuerit effectum, & conjux occisus sit?

R. Affirmativè, quia in materia pœnali, & odiosa verba strictè, & cum effectu accipienda sunt, deducitur ex *c. si quis vivente 5. caus. 31. qu. 1.* ubi dicitur cum adultera contrahi posse matrimonium, nisi fortè vir, aut mulier priorem maritum, qui mortuus fuerat, *occidisse* noteтur.

5 Quæritur IV. An sit verum, quòd impedimentum criminis tantùm ex occisione uxoris nascatur, è contra cùm de casu, quo uxor mariti mortem procurat, nihil in jure dispositum sit, adeò nec ad eum tanquam tarius contingentem extendendum juxta *l. nam ad ea 5. ff. de Legibus*. Sicut docent Victor, Ledesma, Henriquez apud Gutierez. *de Matrim. q. 105. n. 10.* Resp. Nullam inter viri, & uxoris occisionem faciendam esse differentiam, ita apertè convincitur ex *c. 1. de Convers. infid. & in d. c. si quis vivente 5. caus. 31. q. 1.* quæ capitula de occisione uxoris loquuntur.

6 Quæritur V. An oriatur impedimentum, si homicidium cum adulterio quidem concurrat, sed factum sit ex alia causa, quàm intentione ineundi matrimonii, v. g. ex rixa orta, & ob injuriam illatam?

R. Non oriri in tali casu impedimentum probabilius videtur, quia ratio prohibitiva legis non subest in omni homicidio, sed tantùm in illo, quod intentione matrimonii committitur, ne scilicet adulteri spe matrimonii illecti frequenter in vitam innocentis conjugis insidientur, Sanch. *lib. 7. disp. 18. n. 13.*

7 Quær. VI. an ad constituendum impedimentum *criminis* requiratur, ut simul, & semel concurrat promissio, & adulterium?

R. Sufficere, si utrumque sit factum constante matrimonio priori, sive deinde acciderit eodem tempore promissio, & adulterium, sive diverso, ut satis colligitur *ex c. ult. h. t.* in illis verbis: *Ceterùm tolerari non debet, si prius, vel postea, cùm vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluerit.*

Quæritur VII. Quid juris, si fœmina soluta peccet cum conjugato, ignorans eum esse conjugatum, ex post facto autem, cùm jam de hoc est certiorata, promissionem acceptet, vel de facto contrahat matrimonium? R. Tali casu valdè probabiliter dici posse, nullum subesse impedimentum: quia illa copula ex parte fœminæ ob ignorantiam status conjugalis in altero non fuit formale adulterium, neque etiam adulterorum pœnam meretur, consequenter nec istam, quæ à jure tantùm adulterio cum promissione matrimonii conjuncto infligitur Barb. *in c. 1. h. t. n. 2.*

Quæritur VIII. Qualis debeat esse promissio, quæ con- 8
currens cum adulterio constituat impedimentum, an debeat habere connexam repromissionem, vel an sufficiat alterius partis promissio, acceptatio, vel taciturnitas; & quid si ficta tantùm cum intentione alteram partem ad peccatum inducendi?

Resp. I. Requiri promissionem, quæ habeat obligationem determinatam ineundi matrimonium cùm adultera: adeoque non sufficere, si v. g. adulter dicat: *nisi essem uxoratus, te ducerem, &c.* quia talia verba needum continent actualem promissionem, sed intentionem tantùm, & propositum. Item & illa verba probabiliter excusari possunt ab impedimento, si adulter dicat: *mortua uxore nullam aliam ducam nisi te*: cùm ita promittens non præcisè se obliget ad matrimonium, quin possit ab eo abstinere, ut superiùs *Tit. I. de Sponsal.* traditum. Non tamen requiritur, ut promissio sit juramento firmata, sicut latè probat Sanch. *lib. 7. disp. 79. n. 29.* contra quosdam contrarium sentientes.

Resp. II. Quamvis sola *promissio* sine *repromissione* alterius partis sufficiat ad constituendum impedimentum, si cum adulterio concurrat, quia Canones solius *promissionis*, nullibi autem *repromissionis* circa hoc impedimentum meminerunt, necesse tamen est, ut promissio ab altera parte per signum aliquod externum acceptetur, sola autem interna acceptatio, vel taciturnitas non sufficit; tum quòd jura non soleant actui merè interno pœnam statuere, sicut dicitur, quòd cogitationis pœnam (in foro externo) nemo patiatur, *c. cogitationis 14. de Pœnitentia dist. 1. & l. cogitationis 18. ff. de Pœnis*, tum etiam, quòd tacens in dubio non censeatur consentire in sui præjudicium: & cùm talis acceptatio sit illicita, & delictum non presumatur, *l. merito 51. ff. pro socio*.

Resp. III. Etiam fictam promissionem sufficere dummodò altera pars seriò intellexerit, & acceptarit, quia tunc periculum captandæ mortis saltem ex parte acceptantis æquè subest, ac in promissione vera.

Demum hic advotari potest, non oriri impedimentum, si promissio adhuc durante priori matrimonio fuerit mutuo consensu remissa, & dissoluta; quia tunc perinde est, ac si nunquam imposita fuisset, &c.

Neque etiam ab infidelibus impedimentum istud contrahitur, cùm jure tantùm Ecclesiastico sit statutum, ideoque matrimonium cum crimine in infidelitate contractum valebit, aut crimen tunc commissum non nocebit post baptismum, quo minùs cum adultera contrahi possit: nisi una pars tempore commissi criminis fuerit fidelis. Sanch. *lib. 7. disp. 79. n. 42.*

Utrum autem hoc impedimentum contrahatur etiam ab ignorantibus invincibiliter, colligi poterit ex iis quæ inferiùs *ad Tit. de Consanguinitate, & affinitate l. 2. n. 21.* dicentur.

TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum .

MOrbus contagiosus scil. lepra, morbus gallicus, &c. ex magis communi DD. sententia est causa separationis quoad cohabitationem, si judicio Medicorum probabile corporis periculum alteri conjugi immineat; quia naturalis æquitas dictat ne matrimonii obligatio eo usque extendatur contra verisimilem intentionem contrahentium. Videtur quidem adversari difficilis text. *in c. 2. h. t.* ubi Pontifex, *si virum* inquit *sive uxorem leprosam fieri contingerit, & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cujus præcepti nulla in h. casu exceptio invenitur*. Verùm ut in interpretatione legum, & Canonū æquitas rigori præferatur. *l. placuit. 8. C. de Judic.* potest hic text. intelligi cum Barb. *in d. c. 2.* quando judicio Medicorum non est valdè notabile periculum, sicut ordinariè in fœmina admittente virum morbosum contingere ajunt, vel de casu, quo morbus ante matrimonium non fuit ignoratus, & proinde eo non obstante conjuges, se ad cohabitationem obligasse censeri possunt: nam leprosis non est interdictum matrimonium contrahere, & licet nemo sit dominus membrorum suorum, *L. liber. homo. 13. ff. ad Leg. Aquil.* ideoque ad actualem membri amissionem se nequeat obligare, ad periculum tamen corporale se obligare quandoque non est prohibitum, ut in militibus, nautis, alisque similibus quotidianum est.

TITULUS IX.

De Conjugio Servorum.

SUMMARIA.

1 *Servi, qui dicantur.*
2 *Servitus an etiam hodie inter Christianos locum habeat.*
3 *Homines proprii qui dicantur.*
4 *Servi, an & qualiter possit Matrimonium contrahere.*
5 *Error in qualitate servili cur magis irritare possit Matrimonium, quàm in alia.*

1 SErvorum appellatione in jure non veniunt famuli nostri temporis, qui nobis pro certa mercede, vel gratis inserviunt, & verè liberi sunt, sed illi, qui ex jure gentium, vel civili alieno dominio contra naturalem libertatem subiiciuntur, ita ut instar aliarum rerum nostri patrimonii possideri, vendi, & alienari possint, & ii olim habebantur, qui in bello capti erant; unde & mancipia quasi manu capti dicebantur, & qui deinde ex hujusmodi captis ancillis nascebantur, licet ex congressu hominis liberi, etenim conditionem suæ matris, & statum servilem induebant, ut prolixè tradunt Interpretes in *tit.*
2 *Inst. de Jure Personarum*. Hodie verò inter Christianos generali consuetudine servitus sublata est, ita ut capti in bello inter Christianos gesto non fiant propriè capientium servi; tum ob dignitatem Christiani Nominis, & honorem, ac memoriam libertatis, qua nos Christus donavit: tum quòd bella inter Christianos Principes, adeoque inter cives Romanos gesta potiùs bella intestina censeri debeant, in quibus capti nec olim servi efficiebantur. In bello tamen, quòd contra Turcas, & Barbaros geritur, adhuc hodiè servituti locus est, ea tamen inter jus antiquum, & hodiernum differentia constituta, quòd olim Romani capti ab hostibus etiam apud Romanos pro servis habiti fuerint, & si testamentum apud hostes fecissent, id nullum, & irritum censebatur: hodiè verò Christiani habent quidem captos Turcas pro servis, sed non suos Christianos captos à Turcis: quia indignum videtur, Christianum à Christiano censeri servum Turcarum, & infidelium.

Prætereà licet in nostra Germania, & aliis vicinis locis 3
reperiantur homines, qui proprii, sive vulgò *Leibeigne* vocantur, quos aliqui adscriptitios, qui scilicet fundo colendo perpetuo adscripti sunt; vel originarios, qui ex adscriptitiis nati sunt, censent, nihilominus tales homines proprii sicut, & adscriptitii, & originarii, licet forassis primitus ex servis descenderint, hodie tamen vere liberi reputantur, nisi quòd majori aliqua obligatione, quàm cæteri subditi suis dominis teneantur. Sanch. *de Matrim. lib. 7. d. 19. num. 9.* Gail. *de Pignorat. Observat. 8. num. 1.*

Porrò leges quidem civiles inter servos non matrimo- 4
nium, sed *contubernium* tantùm agnoscunt. *l. 3. C. de Incest. nupt.* attamen de Jure Canonico, quod in materia matrimoniali prævalet, verum matrimonium inter servos habetur, *c. 1. h. t.* ita ut non tantum inter servum, & ancillam, vel etiam inter servum, & liberam, vel è contra matrimonium contrahi possit, dummodò error conditionis servilis non interveniat, sed scienter libera cum servo, aut ingenuus cum ancilla contrahat. *c. si quis ingenuus. 4. causa 29. quæst. 2.* Imò nihil interest, quoad valorem matrimonii, an dominus in matrimonium servi consenserit, vel non, *juxt. c. 1. h. t.* quia matrimonium concessum est jure naturali, & divino in remedium concupiscentiæ, & propagationem generis humani, quod jus dominus servo auferre non potest; cùm ipsum jus Gentium, quod servitutes introduxit, non nisi salvo jure naturali, & divino potestatem in servum domino dederit. Barb. *in d. c. 1. n. 3.*

Verum per talem contractum Matrimonii inter ser- 5
vos initi non debet etiam Domino jus suum auferri, vel minui; undè nec ancilla, quæ servo alterius domini nupsit, proprium dominum deserere potest, neque maritus servus prætextu conjugii servitia domini negligere, sed ita utrobique res temperanda est, ut ex imperio, & occupatione Domini servus non impediatur suo tempore ab usu matrimonii, & vicissim servus ita moderatè uti debet matrimonio, ne Domino notabile præjudicium faciat, per text. & DD. *in sæpè d. c. 1. h. t.*

Cæterum quòd ex errore in conditione servili, si scilicet putans ducere liberam, vel liberum, ducat ancillam vel servum, irritari possit matrimonium, *text. est in c. 2. & fin. h. t.* Quare autem magis errorem in conditione servili, quàm alia qualitate v.g. nobilitate, divitiis, &c. concedatur irritare matrimonium, hæc assignari potest ratio, quia ex qualitate servili valde grave præjudicium infertur, & ipsi substantiæ, & fini matrimonii repugnans; cum servus non possit absolutam sui corporis potestatem tradere; sed tantùm quatenus servitia Domini admittunt; similiter nec uxori perpetuò cohabitare; nec si quis ancillam duceret: proles tam ad se, quàm potiùs ad Dominum pertineret, cùm partus sequitur ventrem, id est, matris conditionem, ut mox dicemus.

TITULUS X.

De Natis ex libero ventre.

QUòd partus sequatur ventrem, paulò ante diximus; adeoque non tantùm si mater serva fuerit, partus nascetur servus licet pater fuerit liber, sed etiam, si mater fuerit libera, quamvis pater servus, partus liber, & sui juris erit. Idque etiam tunc, si modò mater uno ex temporibus, scilicet, vel tempore *Conceptionis*, vel *Nativitatis*, vel *medio* aliquandò libera extiterit, licet postea in servitutem reducta sit: quia fictione Juris, is qui in utero est, pro jam nato habetur, quoties de ejus commodo agitur, & sic eo tempore, quo mater libera fuit, Tex. & Interpret. *in c. un. h. t.* & clarius *in l. 5. §. 1. & 3. & l. 7. ff. de Statu hominum*. Sed hæc circa statum & conditionem servilem ita obtinent; de cætero inter homines liberos partus quoad dignitates, & honores non matris, sed patris conditionem sequitur, sicut & ipsa mater, seu uxor dignitatem & om-

... omnimodam conditionem etiam inferiorem sui mariti, *l. fœmina 8. ff. de Senatoribus l. 1. & l. mulieres 13. C. de Dignitatibus*.

TITULUS XI.

De Cognatione Spirituali.

UMMARIA.

1 *Quid sit cognatio spiritualis?*
2 *Inter quos contrahatur.*
3 *Tantum unus, & una admittitur ad levandum baptizandum.*
4 *An, si plures levent infantem, omnes contrahant cognationem.*
5 *Ad contrahendam cognationem requiritur tactus baptizandi.*
6 *An principalis, vel procurator levans contrahat cognationem?*
7 *An levans in casu necessitatis contrahat cognationem.*
8 *Pater baptizans filium amittit jus petendi debitum.*

NOtum est, *cognationem*, quæ impedimentum dirimens matrimonii constituit, aliam esse *spiritualem*, aliam *legalem*, aliam *naturalem*, de duabus posterioribus in sequentibus, de prima modò in hoc tit. agemus.

1 . *Cognatio spiritualis* oritur ex Sacramento Baptismi, & Confirmationis, atque hodie non extenditur ultra personas in Trid. *sess. 24. de Ref. matr. c.* 2. denuntiatas, ut videlicet patrinus tantùm ad baptizatum ipsum, & baptizati patrem, ac matrem; item baptizans ad baptizatum, & baptizati parentes cognationem spiritualem contrahat. Similiter ut cognatio, quæ ex confirmatione oritur confirmantem, & confirmatum illiusque parentes, ac tenentem, seu patrinum non egrediatur.

2 Unde nihil obstat, quin inter baptizatum, & filiam, vel uxorem baptizantis, (supposito, quòd is laicus foret), vel patrini, & inter baptizantem, & levantem, seu patrinum, vel inter ipsos patrinos, si vir & fœmina simul levent, matrimonium consistere possit, quamvis olim contrarium fuerit statutum *in c. 3. 4. & ult. h. t.*

3 Prætereà constituit Trid. *in d. c.* 2. ut unus tantum, vel ad summum unus, & una baptizatum de baptismo suscipiat, ut parochus antequam ad baptismum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectat, nimirum parentibus sciscitetur, quam, vel quos elegerint, ut baptizandum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum ad suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat doceatque quam cognationem contraxerint, quòd si alii præter designatos baptizandum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahent.

Ex quo text. Trid. qui vult admitti unum, & unam tantùm primitus advertendum est, non esse permissum, ut duo viri, vel duæ fœminæ concurrant ad levandum infantem, sed debere esse homines dispatis sexus, ut generatio spiritualis imitetur naturalem, & ita à Cardinal. declaratum refert Sanch. *lib. 7. disp. 57. n. 4.*

4 Sed quid, si contra Concil. plures, quam duo levaverint, & parochus eos admiserit, an omnes contrahent cognationem? Resp. Si Trid. in aliquo loco receptum non sit, minus dubium est, quin standum sit juri antiquo, ex quo omnes tangentes, seu levantes contrahunt cognationem, *c. ult. eod. tit. in 6.* atque idem puto procedere, etiamsi Trid. receptum sit, & parochus per incuriam neglexerit designationem duorum, quia Trid. prohibens plurium admissionem non irritat factum contra prohibitionem, nisi eo tantùm casu, quo *designatione facta* plures præter designatos baptizatum tetigerint, consequenter etiam hoc casu res manet sub dispositione juris antiqui. Zoes. *h. t. n. 7.* Sanch. *d. l. n.* 15. Requiritur tamen, ut omnes *tangant*. sine *tactu* enim non contrahitur hæc cognatio, licèt baptizandus sit adultus, quia cæremonia sustentationis non est ab Ecclesia ad sustentandam corporis infirmitatem, sed ad significandam animæ imbecillitatem instituta, verba autem patrini ad substantiam hujus cognationis non requiri, communis est sententia. Zoes. *d. l. n.* 11.

Quær. etiam, quis contrahat cognationem spiritualem, si patrinus non ipse levet, sed sui loco procuratorem mittat? Resp. à Congr. Cardin. declaratum dici, principalem contrahere cognationem. Zoes. *d. l. n.* 10. Sa. V. *Matrimonium de Impedim. diriment. n. 3.* Si verò abstrahatur ab hac declaratione (quæ debet, vel usu esse recepta, vel apparere in forma authentica cum sigillo, vel subscriptione juxta mandatum Urbani VIII. quòd refert Barb. *Jur. Eccles. univ. lib. 1. c. 4. n. 84.*) in jure probabiliter defendi posset, neutrum contracturum cognationem. Non *procuratorem*: quia non levaret suo nomine, nec haberet intentionem per se existendi patrinus. Nec *principalem*: quia actu non tetigit infantem, qui tamen contactus physicè factus videtur necessariò ad contrahendam hanc cognationem requiri per omnes illos Canones, qui de hac cognatione loquuntur, ut passim in *causa 30. qu. 1. 3. & 4.* quemadmodum de Jure Civili in actione famosa condemnatus per procuratorem nec ipse (quia sententia lata est in procuratorem) nec procurator ejus (quia non suo, sed alieno nomine egit) infamiam contrahit *l. furti 6. §. 2. & l. Servus 14. ff. de his, qui not. infam.* 6

Circa Baptismum, qui in necessitate à laicis confertur sciendum est, quòd baptizans ad baptizatum, & parentes ejus cognationem contrahat, levans verò probabiliter ab hac cognatione excusetur, quia potius commoditatis causa, quàm ut patrinus infantem tenuisse censebitur, cum in casu necessitatis nullæ observentur patronorum solemnitates, nec talis tenens pro baptizato spondeat, aut respondeat. 7

Quid autem, si Pater proprium filium baptizarit?

Resp. Contractum esse cognationem respectu matris, & si matrimonium necdum initum sit, sed filius v. g. tantùm ex fornicatione conceptus, ampliùs sine dispensatione contrahi non poterit, contractum verò matrimonium talis cognatio non dissolvit, sicut nullum aliud impedimentum matrimonio jam contracto superveniens. Si tamen pater extra casum necessitatis scienter proprium filium baptizasset, per antiquos Canones separabatur ab uxore, per posteriores verò id immutatum est, & constitutum, ut tantùm jus petendi debitum conjugale amittat, reddere autem teneatur. Vid. *caus. 30. q. 1.* Vallensis *h. t. in fin.* Notanter autem dicitur, si extra casum necessitatis aliquis proprium filium baptizarit; nam existente necessitate jus petendi debitum conjugale non auferunt Canones. 8

TITULUS XII.

De Cognatione Legali.

SUMMARIA.

1 *Quid cognatio legalis?*
2 *Quid, & quotuplex sit adoptio?*
3 *Tantum arrogatio inducit impedimentum.*
4 *Inter quos arrogatio inducat impedimentum de jure canonico?*
5 *Inter quos etiam de jure civili?*
6 *Requisita ad adoptionem.*
7 *Ex unione prolium non nascitur impedimentum.*

COgnatio *Legalis* dicitur, quæ primitus à Legibus Civilibus est inventa, & deinde per Sacros Canones recepta *in c. unico h. t. & c. 1. caus. 30. q. 3.* Estque illa, quæ oritur ex adoptione, Adoptio verò dicitur actus legiti- 1

gitimus, per quem is, qui filius, non est, iu filium assumitur.

2 Dividitur *in arrogationem & adoptionem in specie. Arrogatio* dicitur, quando homo sui juris authoritate principis in filium assumitur, ac in arrogantis potestatem, & familiam transit. *Adoptio* verò in specie, quando quis in sui patris naturalis, vel avi potestate remanens in filium authoritate inferioris magistratus assumitur §. 1. & ibi interpretes *Inst. de Adoptione*.

3 Nascitur porrò impedimentum dirimens legalis cognationis ex communiori DD. non ex qualibet adoptionis specie, sed tantùm ex arrogatione, tum quia illa conjunctio personarum, quæ subest in arrogatione, non reperitur in adoptione in specie, cùm tantùm arrogans in potestatem arrogantis ejusque familiam sicut filius naturalis transeat: tum quia in arrogatione propter simultaneam cohabitationem occasioni matrimonii contrahendi magnum fuisset incontinentiæ periculum, nisi leges matrimonium prohibuissent, & ita omnem prætextum suspectæ conversationis substulissent: aut denique, quia impedimenta extendenda non sunt, cùm impediant libertatem matrimonii valdè favorabilem, & consequenter odiosa reputantur. Sanch. *lib. 7. disp. 63. n. 9.* Zoes. *h. t. n. 2.*

4 Quod attinet ad personas, inter quas propter hanc cognationem matrimonium consistere non potest, sciendum est, in Canonibus non reperiri aliam prohibitionem expressam, quàm inter adoptantem, & adoptatum, & inter filium, vel filiam naturalem adoptantis, & filiam vel filiam adoptivam, *d. c. 1. caus. 30. q. 3. & c. unico h. t.*

5 In legibus tamen Civilibus major est, & extensior prohibitio, quam etiam de jure cannnico sequimur: quia tum *ex dict. c.* 1. tum ex Rubrica *hujus tit.* qua *de Cognatione legali* inscribitur, leges generaliter in hac materia, à SS. Canonibus approbantur, sicut & aliàs, quod deest juri Canonico, aliquando ex Civili suppletur, si utrumque eandem materiam pertractet. *c. 1. de Novi operis nunciatione*. Panorm. *ad rubricam hujus tit. n.* 1. & communiter alii.

Igitur in primis inter eos, qui per adoptionem sibi loco parentum, & liberorum esse cœperunt, matrimonium etiam finita arrogatione contrahi non potest, velut inter adoptantem, & adoptatum, ejusque liberos, & descendentes inter adoptantem, & adoptati uxorem, tanquam inter socerum, & nurum, & vice versa, inter adoptatum, & uxorem adoptantis tanquam inter novercam, privignum *L. adoptivus 14. & L. quin. etiam 55. ff. de Ritu nuptiar.* Deinde in linea collaterali sive inter eos, qui fratrum, & sororum locum obtinent, eo usque se extendit impedimentum quousque patria potestas, proinde inter adoptatum, & filiam naturalem adoptantis matrimonium consistere non potest, durante adoptione, & patria potestate.

Nec obstat, quòd ex post facto per emancipationem, aut mortem adoptantis possit hoc impedimentum cessare, non enim proptereà matrimonium ab initio nulliter contractum convalescet, nisi novus consensus accedat; habet enim hic locum regula, quod ab initio nullum est, tractu temporis convalescere non potest. *c. non firmatur. 18. de Regulis Juris in 6.* sicut si in alio impedimento dispensatio impetretur, postquam matrimonium jam contractum est.

Verùm si filia emancipata, adoptio post mortem adoptantis, aut emancipationem adoptati finita, aut si filia naturalis tantùm, id est, illegitima, adeoque nunquam in potestate patris fuerit, matrimonium cum ea validè contrahetur, *l. per adoptationem. 17. & l. 55. §. 1. ff. de Ritu nuptiar. c. unic. h. t.*

Inter ipsos adoptatos ab eodem patre matrimonium non reperitur aliqua lege expresse prohibitum. Unde quidam probabiliter docent, posse filium adoptatum ducere filiam adoptatam, quia impedimenta dirimentia, cùm sint odiosa, & restringenda, sine textu expresso etiam ex paritate rationis non sunt facilè constituenda. Sanch. *d. l. n.* 28. Zoes. *h. t. n. 6.*

6 Postremò ex hactenus dictis facilè colligitur non statim censeri aliquem adoptatum, & legaliter cognatum, si forsan ex misericordia in defectu priorum parentum tanquam filius alimentetur, nisi solemnitates juris interveniant, videlicet ut arrogans 18. annis sit major arrogato ut si impubes sit arrogatus, causæ cognitio adhibeatur, an expediat pupillo arrogatio, ut authoritas principis accedat, & alia quæ præscribuntur *in §. cùm autem. 3. Inst. de Adopt. & l. fin. C. eodem.*

Deinde quamvis in Germania *unico prolium* (*ein Kind.* 7
schafft oder Erbverbürderung) species sit adoptionis, ejusdemque solemnitates requirat teste Gail. *Lib. 2. observ. 325. n. 6. & 8.* Nihilominus verius puto, exinde non nasci impedimentum legalis cognationis: quia, ut prædictum, non omnis adoptio causat impedimentum, & talis unio non tam fit propter majorem conjunctionem personarum, quàm potiùs bonorum, ut diversorum matrimoniorum liberi æqualiter in bonis tam paternis, quàm maternis succedant. Quare si viduus ducat viduam, & ambo jam priùs ex alio matrimonio habeant liberos, quos deinde per unionem conjungant, non obstante hac conjunctione adhuc inter eos matrimonium esse poterit, cum enim hæc unio prolium sit de jure scripto incognita, & tantùm de consuetudine introducta, leges nihil de ea constituerunt, sine textu autem expresso aliquod impedimentum statuere plane inconveniens videtur. *Auth. consideremus: de Triente, & semisse.*

TITULUS XIII.

De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ.

SUMMARIA.

1 *Quid Incestus.*
2 *Superveniente post matrimonium saltem ratum affinitate per copulam incestuosam pars delinquens perdit jus exigendi debitum.*
3 *Pœnæ incestus non extenduntur ad incestum cum propria consanguinea commissum.*
4 *Textus contrarii explicantur.*
5 *Incestus etiam post mortem uxoris commissus annexas habet constitutas pœnas.*
6 *Incestus commissus ultra secundum gradum non habet annexas illas pœnas.*
7 *Ut Incestus mereatur pœnas, copula debet esse perfecta.*
8 *Pœnæ Incestus non extenduntur ad peccatum cum cognatis spiritualiter.*
9 *Confessarius non tenetur monere incestuosum invincibiliter ignorantem suæ obligationis.*
10 *Sponsus committens peccatum cum consanguinea constituit impedimentum dirimens.*

IN hoc titulo agitur de INCESTU, ex quo oritur *Impedimentum impediens* matrimonii, & ratione affinitatis etiam *dirimens*. de quo

Not. I. Si post matrimonium ratum, vel consumma- 1
tum affinitas superveniat, ut si vir consanguineam suæ uxoris cognoscat, vel ècontra uxor cum consanguineo mariti peccet, tunc matrimonium quidem nec quoad vinculum, nec quoad cohabitationem dissolvetur, ille tamen, cujus culpa orta est affinitas, nunquam ampliùs poterit petere debitum conjugale, sed tantùm parti in-
nocenti, si exigat, reddere. *c. 4. & 10. h. t.* Item mortuo 2
conjuge innocente nullum aliud matrimonium licitè contrahere poterit *c. 1. eodem t.* sed hæc posterior pœna, sicut, & alia multa impedimenta videtur in desuetudinem abiisse, vel saltem, ut aliqui putant, per dispensationem Episcopi tolli possunt.

Notandum II. Quamvis nonnulli existiment, ali- 3
quem incestum etiam cum propria consanguinea commissum habere prædictas pœnas annexas, eo quod gra-
vior

nem esse in infinitum, prout in jure civili expressè constitutum est, *in L. nuptia. 53. ff. de Ritu nuptiarum*, *&* *§. 1. Instit. de Nuptiis*. Idque in jure Canonico circa hanc lineam apertè correctum non reperitur, in dubio autem jurium correctio non præsumitur, *cap. cum expediat. 29. de Elect. in 6.* & quod deest juri Canonico, ex Civili suppletur, & vice versa, *c. 1. de Novi operis nunciat.*

In *linea transversa*, quamvis olim de Jure Canonico antiquissimo simpliciter inter consanguineos, quousque gradus, ac generationis memoria retineri poterat, matrimonia prohibita fuerint *c. 8. h. t. c. in copulatione 18. causa 35. q. 3.* Id tamen Jure posteriori ad *septimum*, & demum, jure novissimo, quo hodie utimur, ad *quartum gradum inclusivè* limitatum, & restrictum fuit, *c. non debet. 8. & c. ult. h. t.*

10 Sunt quidem aliqui existimantes, universim tam in linea *recta* quàm *transversa* non extendi impedimentum extra quartum gradum propter *d. c. non debet*, quod generaliter, & sine distinctione loquitur, sicut docet Sanc. *L. 7. disp. 51. n. 13.* quod tamen ex prædictis refutari potest, nec huic disputationi parum utili longiùs immoror, cum conditio, & brevitas vitæ humanæ, sine miraculo vix admittat videre descendentes in quinto gradu, &c.

De dispensatione autem tam super hoc impedimento cognationis, quàm aliis, infra *Tit. XVI. §. 3.* dicetur, ubi etiam, quo jure, divino ne an humano singula impedimenta, & cur aliqui gradus consanguinitatis, & affinitatis ultra prohibitionem juris naturalis statuantur.

---

§. II.

De Affinitate.

SUMMARIA.

1 *Quid sit affinitas, & quomodo contrahatur?*
2 *Vir, & uxor sunt principium affinitatis, non vero affines.*
3 *Quomodo affinitas habeat gradus?*
4 *Regula affinitatis traduntur.*
5 *Inter quos contrahatur affinitas?*
6 *Triplex affinitas de jure antiquo.*
7 *Copula perfecta constituit impedimentum affinitatis.*
8 *Etiam ex copula illicita nascitur affinitas.*
9 *Differentia affinitatis orta ex copula licita, & illicita.*
10 *Restrictio Trid. in impedimenta affinitatis non extenditur ad consanguinitatem.*
11 *Impedimentum affinitatis ex copula illicita, etiam ab ignorante contrahitur, sicut & impedimentum criminis probabilius,*

Affinitas est propinquitas personarum ex copula carnali proveniens de se non involvens consanguinitatem. Clarissimè hanc definitionem, & nominis etymologiam explicat I. C. *in L. non facile 4. §. 3. ff. de Gradibus, & affin. Affines*, inquit, *sunt viri, & uxoris cognati, dicti ab eo, quòd dua cognationes, qua diversa sunt inter se, per nuptias copulantur, & altera ad alterius fines accedat.* Ratio autem fundamentalis hujus propinquitatis est, quòd vir, & uxor per copulam efficiantur, una caro. *Gen. 2. V. 14.* adeoque sanguis unius dicatur alterius sanguinem tangere, & consanguinei unius trahantur ad cognationem alterius, unde affines, seu quasi confines, & propinqui appellantur. Porrò circa hoc affinitatis impedimentum.

2 *Not. I.* Virum, & uxorem non esse inter se propriè affines, sed principium affinitatis, & quasi stipitem, ex quo affinitatis gradus numerentur, & distinguantur.

3 *Not. II.* Licet in dicta *L. non facile. 14. §. 5.* dicatur, Affinitatem gradus non habere, id tamen intelligendum esse, quòd non habeat gradus sicut consanguinitas, quæ fit per diversas generationes; sed affinitas etiam ex una copula contrahatur ad omnes consanguineos alterius partis: De cætero autem sicut unus ex consanguineis propinquior est altero, ita etiam inter eos respectu affinitatis diversos gradus constituere necesse est, & utique magis propinqua affinitate mihi conjungitur soror uxoris meæ, quàm illius sororis filius, aut nepos. Atque hoc intellectu non tantùm cognatis, sed & affinibus suos gradus esse probatur ex *L. Jurisconsultus. 10. ff. jam dicta t. de gradibus, & affin.*

4 *Not. III.* Computationem graduum in affinitate desumi ex regulis hoc tit. *§. praced. n. 7.* traditis, nam circa affinitatem una est generalis regula; *quod aliquis eo gradu sit affinis alteri conjugi, quo gradu est alteri consanguineus*, v. g. soror uxoris est uxori in primo gradu consanguinea, consequenter, & marito in primo gradu affinis, & sic de raliquis consanguineis dicendum erit. Præterea sicut in consanguinitate alii sunt nobis conjuncti in linea ascendenti, alii in descendenti, alii in transversa, ita eædem lineæ etiam in affinitate observantur, *ascendentes* sunt socer, socrus, vitricus, & noverca: *descendentes* gener, nurus, privignus, & privigna: *transversales* sunt, reliqui uxoris, vel mariti consanguinei, qui specialia nomina non habent, sed simpliciter affines nuncupantur.

5 *Not. IV.* Quamvis omnes consanguinei uxoris sint affines marito, & econtra, intra ipsos tamen consanguineos utriusque partis non contrahi affinitatem, quæ causet impedimentum matrimonii.

Hinc est, quòd fratres ex altera parte possint ducere duas sorores, pater & filius ex altera parte matrem, & filiam ut clarè decisum habetur *in c. quod super. 5. h. t.*

6 *Not. V.* De jure antiquo triplicem fuisse affinitatem, scilicet *primi, secundi, & tertii generis*, & singulas has affinitates obstitisse matrimonio. *Primum genus* affinitatis erat inter virum, & consanguineos mulieris. *Secundum* inter virum, & affines mulieris, vel inter uxorem, & affines mariti, vel inter unum conjugem, & tertium aliquem, qui cum altera conjuge copulam habuit. *Tertium genus* affinitatis erat inter unum conjugem, & alterius conjugis affines secundis generis, ita in his duobus posterioribus generibus ex affinitate oriebatur affinitas sicut colligitur ex *c. 3. & c. ult. caus. 35. q. 3.* Verùm hodie tantùm *primum genus* affinitatis attenditur, reliqua verò nullum ampliùs impedimentum causant, prout constitutum est in Conc. Lateran. & habetur *in c. non debet. 8. h. t.* Sed quid si in secundo genere affinitatis constituti sint in linea recta, & se habeant per modum parentum, & liberorum, v. g. si quis vellet ducere privignam, vel novercam suæ uxoris defunctæ. Negant nonnulli inter tales personas consistere posse matrimonium propter text. *in L. uxorem. 15. ff. de Ritu nuptiarum*. Melius tamen dicitur, quidquid leges civiles, vel antiqui Canones circa secundum genus affinitatis disposuerint, totum id per dictum Conc. Lateran. & *c. non debet*, generaliter abrogatum esse.

7 Notanter autem pono casum de privigna, aut noverca uxoris, quæ cum uxori sint affines, sunt marito in secundo genere affinitatis conjunctæ, vera autem mater, & vera filia uxoris, licèt ex alio matrimonio habita, esset marito in primo genere affinitatis conjuncta, consequenter in uxorem duci non posset.

Not. VI. Ad contrahendam affinitatem non sufficere copulam attentam, sed requiri copulam perfectam, & consummatam, ex sua natura aptam ad prolis generationem, quamvis generatio secuta non sit, ut fuse deducit Sanc. *Lib. 7. d. 6. n. 7. & seq.* Nec obstat *c. Juvenis 3. de Sponsal. c. fraternitati 7. De eo, qui cognovit consanguineam, & c.* ubi etiam ex imperfecta copula dicitur sequi impedimentũ quia ista capitula intelliguntur de impedimento publicæ honestatis, quod non ex copula, sed ex contractu sponsalitio nascitur, ut superiùs ad *Tit. I. §. 6.* declaratum est.

8 *Not. VII.* Non tantùm ex copula licita, sive matrimoniali, sed etiam illicita nasci impedimentum affinitatis inter virum, & consanguineos fœminæ.

9 *Not.* tamen *VIII.* Inter affinitatem ortam ex copula licita, & illicita hanc esse in effectu differentiam, quòd impedimentum ortum ex copula *licita* dirimat matrimonium usque *ad quartum gradum* inclusivè; orta verò ex copula *illicita* hodie per Trid. *Sess. 24. de Reformat. matr. c. 3.* tantùm ad *secundum gradum* restricta sit; quod vel ideò necesse fuit statuere, ne matrimonia essent periculo nullitatis exposita, cùm affinitas ex fornicatione sit plerumque occulta, & frequens.

10 An autem hæc restrictio Trid. etiam procedat in *consanguinitate* orta ex copula *illicita* dubitari potest, eò quòd consanguinitas, & affinitas, quoad prohibitionem matrimonii æquiparentur, atque favorabile sit pro libertate matrimonii respondere, & ejus impedimenta minuere. Probabilius tamen videtur circa consanguinitatem nihil immutatum esse, si enim id voluisset Tridentinum, utique eadem facilitate, sicut de affinitate expressisset, aliun-

aliunde autem notum est, corectionem jurium sine textu aperto non esse admittendam, *c. cum expedit 29. de Electione in 6. L. præcipimus. 32. §. ul. C. de Appellationibus.* Nec verum est, quod consanguinitas, & affinitas in omnibus parificentur, cùm major sit conjunctio ex consanguinitate, quàm affinitate. Item frequentiùs ex copula illicita oritur affinitas, quam consanguinitas, ut potiùs illa, quàm ista periculosa sit matrimonio, & consequenter ad pauciores gradus constringenda.

Præterea etiam in dubium fortè non nemo vocabit, an in tertio, & quarto gradu affinitatis ortæ ex copula *illicita* non tantùm validè, sed etiam licitè, & sine peccato matrimonium contrahatur ex ea dubitandi ratione, quod olim ante Trid. nec licuerit, nec valuerit matrimonium in illis gradibus, Trid. autem tantùm disposuerit de validitate contractus, & nihil dixerit de licentia contrahendi, ergò videtur sub dispositione juris antiqui reliquisse, *arg. d. L. præcipimus.* Verùm hoc dubium resolutum est per bullam Pii V. quæ incipit. *Ad Romanum.* Ubi expressè declaratur, in prędictis gradibus liberè, & licitè posse contrahi matrimonium, sicut refert Nav. *in Man. confess. c. 22. n. 42.* Illud quoque hic addendum est, quòd, dum Trid. restrinxit affinitatem ortam ex fornicatione, nomen fornicationis acceperit generaliter pro omni concubitu illicito, etiam adulterio, stupro, incestu &c. Teste Sanch. *d. l. Disp. 67.*

11 Postremò etiam dubitatur, an ignorans invicibiliter impedimentum affinitatis oriri ex copula illicita, validè contrahat matrimonium cum consanguinea intra secundum gradum fœminæ cognitæ conjuncta? Id affirmant nominati DD. apud Dian. *p. 10. tr. 13. ref. 51.* Et Adam Burgaber *Cent. 2. Sel. Cas. consc. cas. 54.* eò quod hoc impedimentum sit statutum in pœnam delicti, pœna autem non contrahatur ab ignorantibus, ex qua ratione etiam aliqui sustinent, nec impedimentum *criminis* contrahi ab ignorantibus. Verùm contraria sententia receptior est teste Burgaber *d. l.* & de Dicastillo. *tr. 10. de Matrim. disp. 9. n. 108.* quia hæc impedimenta non sunt puræ pænæ, sed inhabilitationes personarum ex aliis justis causis: in *affinitate* ob reverentiam naturalem propinquitatis, in *crimine* autem ad tollendum periculum captandæ mortis conjugis innocentis; post matrimonium tamen de facto bona fide contractum, & si impedimentum occultum sit, ad matrimonium etiam contrahendum accedente præsertim justa causa facilius forsan Episcopo dispensatio concederetur juxta doctrinam Eman. Sa *V. Dispensatio n. 1.* Laym. *d. L. L. c. 22. n. 4.* & Garc. *de Benef. p. 7. c. 2. n. 10.* quod Episcopus possit in jure dubio dispensare, aut declarare.

TITULUS XV.

De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coeundi.

SUMMARIA.

1 *Impotentia est impedimentum dirimens matrimonii.*
2 *Quanam requirantur, ut impotentia dirimat matrimonium?*
3 *An sterilitas, vel senectus sit impedimentum dirimens?*
4 *An valeat matrimonium in articulo mortis contractum cum concubina?*
5 *An, & quomodo Hermaphroditus possit contrahere matrimonium?*
6 *Quomodo probetur, an impotentia sit perpetua, vel temporalis?*
7 *Quid juris, si dissoluto primo, impotentia cesset in secundo matrimonio?*
8 *An separari possint, qui scienter impotentes contraxerunt?*
9 *An impotentia superveniens matrimonio rato illud dirimat?*
10 *Solutio textuum contrariorum cum 2. notabilibus.*

Engel In Decret. Lib. IV.

QUamvis nuptias non concubitus sed consensus faciat, ut dicitur *L. nuptias 30. ff. de Reg. Juris*, quia tamen consensus de mutua corporum traditione esse debet, ideò, si hæc conditio, vel ex naturali indispositione, aut maleficio, sive magica incantatione sit impossibilis, contractus jure naturæ nullus est, & invalidus, sicut venditio, quæ etiam solo consensu contrahitur, nulla censetur, si fiat de re quæ tradi nequit, aut in commercio hominum non est. Circa istud impedimentum. 1

Queritur I. Quænam requirantur, ut impotentia di- 2
rimat matrimonium?

Resp. Tria principaliter requiri. I. Ut sit impotentia ad copulam perfectam, quę per se sit apta ad generationem, sicut propterea Sixtus V. ex motu proprio *de Eunuchorum matrimoniis* prohibuit, & invalida declaravit matrimonia ab eunuchis utrinque exsectis contrahenda, qui licet possint uti aliquo congressu, destituuntur tamen vero semine.

II. Requiritur impotentia perpetua, quæ scilicet nec successu temporis, nec modo naturali, & licito, nec sine corporis periculo tolli valeat text. & DD. *in c. fraternitatis h. t.* hinc licèt contrahentes ob ætatem juvenilem, vel infirmitatem aliquot etiam annis ad consummandum matrimonium inhabiles sint, dummodo speretur aliquando cessaturum impedimentum, non debeant ab invicem separari.

III. Requiritur, ut impotentia præcesserit matrimonium, & non primum ex infirmitate, vel alio casu matrimonio jam contracto supervenerit: obligatio enim ab initio rectè contracta non dissolvitur, quamvis de veniat ad eum casum, à quo incipere non posset, sicut nec affinitas, nec aliud impedimentum matrimonio ex postfacto superveniens id adnullare valeat.

Quæritur II. An sterilitas, vel senectus sit impedimen- 3
tum dirimens matrimonium?

Resp. Licet Felinus *in c. dum sit 6. de Foro competenti. n. 15.* & Jason *Volum. 1. consil. 115. n. 1.* existiment, non minùs sterilitatem, quàm impotentiam dirimere matrimonium, nec esse verè matrimonium, si v. g. fœmina sexagenaria, & ad generandum inepta illud contrahat, eò quòd finis matrimonii, scilicet prolis generatio deficiat; atque hinc factum, quòd jure antiquo Civili ex Lege Julia, & Papia prohibitum fuerit contrahere matrimonium viris post annos 60. fœmiois autem post 50. Contraria tamen sententia totius Ecclesiæ usu recepta; tum quòd steriles, & senes possint uti naturali copula per accidens tantùm inepta ad generandum; Imò aliquando contra spem generant prolem: tum etiam quòd matrimonium non tantùm propter prolem, sed etiam in remedium concupiscentiæ permissum sit, esto igitur, propter sterilitatem proles obtineri nequeat, adhuc tamen alter finis subsistit, quòd sit infirmitatis remedium, & humanitatis solatium, ut dicitur *in c. nuptiarum. 41. caus. 27. quæst. 1.* Unde etiam Justinianus Imperat. *in l. sancimus 27. C. de Nuptiis.* sustulit dictam legem Juliam, & concessit in quavis ætate matrimonia contrahere, si tamen aliquis senex morbis, vel ætate ita exhaustus foret, ut nulla arte medica ad actum conjugalem habilis reddi posset, talem incapacem esse matrimonii docent communiter DD. apud Barbos. *in capit. 2. h. t. n. 6.*

Quæritur III. An valeat matrimonium in periculo 4
mortis contractum cum concubina ad legitimandam prolem priùs ex ea susceptam? Quòd proles illegitima per subsquens matrimonium cum ejus matre contractū legitima efficiatur certi juris est *ex. l. nuper 11. C. de Natur. liberis & c. tanta. 6. Qui filii sint legitim. l.* ubi hæc quæstio explicatur, hic autem tantùm controversia est, an valeat matrimonium eo tempore contractum, quo usus ipsius ampliùs non speratur. Affirmativa tamen sententia concordi DD. calculo recepta est, test. Barb. *n. d. c. tanta n. 8.* & Covar. *de Matrim. p. 2. c. 8. §. 2. n. 10.* partim quia infirmus morti propinquus non semper habet impotentiam perpetuam, sed temporalem hic, & nunc per accidens à morbo causatam: partim etiam, quia in tali matrimonio bonum prolis saltem eo respectu subest, quod proles antea illegitima, & quasi pro non prole habita jam

nem esse in infinitum, prout in jure civili expressè constitutum est, *in L. nuptiæ. 53. ff. de Ritu nuptiarum, & §. 1. Instit. de Nuptiis*. Idque in jure Canonico circa hanc lineam apertè correctum non reperitur, in dubio autem jurium correctio non præsumitur, *cap. cum expediat. 29. de Elect. in 6.* & quod deest juri Canonico, ex Civili suppletur, & vice versa, *c. 1. de Novi operis nunciat.*

In *linea transversa*, quamvis olim de Jure Canonico antiquissimo simpliciter inter consanguineos, quousque gradus, ac generationis memoria retineri poterat, matrimonia prohibita fuerint *c. 8. h. t. c. in copulatione 18. causa 35. q. 3.* Id tamen Jure posteriori ad *septimum*, & demum, jure novissimo, quo hodie utimur, ad *quartum gradum inclusivè* limitatum, & restrictum fuit, *c. non debet. 8. & c. ult. h. t.*

10 Sunt quidem aliqui existimantes, universim tam in linea *recta* quàm *transversa* non extendi impedimentum extra quartum gradum propter *d. c. non debet*, quod generaliter, & sine distinctione loquitur, sicut docet Sanc. *L. 7. disp. 51. n. 13.* quod tamen ex prædictis refutari potest, nec huic disputationi parum utili longiùs immoror, cum conditio, & brevitas vitæ humanæ, sine miraculo vix admittat videre descendentes in quinto gradu, &c.

De dispensatione autem tam super hoc impedimento cognationis, quàm aliis, infra *Tit. XVI. §. 3.* dicetur, ubi etiam, quo jure, divino ne an humano singula impedimenta, & cur aliqui gradus consanguinitatis, & affinitatis ultra prohibitionem juris naturalis statuantur.

---

§. II.

De Affinitate.

SUMMARIA.

1 *Quid sit affinitas, & quomodo contrahatur?*
2 *Vir, & uxor sunt principium affinitatis, non vero affines.*
3 *Quomodo affinitas habeat gradus?*
4 *Regula affinitatis traduntur.*
5 *Inter quos contrahatur affinitas?*
6 *Triplex affinitas de jure antiquo.*
7 *Copula perfecta constituit impedimentum affinitatis.*
8 *Etiam ex copula illicita nascitur affinitas.*
9 *Differentia affinitatis orta ex copula licita, & illicita.*
10 *Restrictio Trid. in impedimento affinitatis non extenditur ad consanguinitatem.*
11 *Impedimentum affinitatis ex copula illicita, etiam ab ignorante contrahitur, sicut & impedimentum criminis probabilius,*

Affinitas est propinquitas personarum ex copula carnali proveniens de se non involvens consanguinitatem. Clarissimè hanc definitionem, & nominis etymologiam explicat I. C. *in L. non facile 4. §. 3. ff. de Gradibus, & affin. Affines*, inquit, *sunt viri, & uxoris cognati, dicti ab eo, quòd duæ cognationes, quæ diversæ sunt inter se, per nuptias copulantur, & altera ad alterius fines accedat.* Ratio autem fundamentalis hujus propinquitatis est, quòd vir, & uxor per copulam efficiantur, una caro. *Gen. 2. V. 24.* adeoque sanguis unius dicatur alterius sanguinem tangere, & consanguinei unius trahantur ad cognationem alterius, unde affines, seu quasi confines, & propinqui appellantur. Porrò circa hoc affinitatis impedimentum.

2 *Not. I.* Virum, & uxorem non esse inter se propriè affines, sed principium affinitatis, & quasi stipitem, ex quo affinitatis gradus numerentur, & distinguantur.

3 *Not. II.* Licet in dicta *L. non facile. 14. §. 5.* dicatur, Affinitatem gradus non habere, id tamen intelligendum esse, quòd non habeat gradus sicut consanguinitas, quæ fit per diversas generationes; sed affinitas etiam ex una copula contrahatur ad omnes consanguineos alterius partis: De cætero autem sicut unus ex consanguineis propinquior est altero, ita etiam inter eos respectu affinitatis diversos gradus constituere necesse est, & utique magis propinqua affinitate mihi conjungitur soror uxoris meæ, quàm illius sororis filius, aut nepos. Atque hoc intellectu non tantùm cognatis, sed & affinibus suos gradus esse probatur ex *L. Jurisconsultus. 10. ff. jam dicto t. de gradibus, & affin.*

4 *Not. III.* Computationem graduum in affinitate desumi ex regulis hoc tit. *§. præced. n. 7.* traditis, nam circa affinitatem una est generalis regula; *quod aliquis eo gradu sit affinis alteri conjugi, quo gradu est alteri consanguineus*, v. g. soror uxoris est uxori in primo gradu consanguinea, consequenter, & marito in primo gradu affinis, & sic de reliquis consanguineis dicendum erit. Præterea sicut in consanguinitate alii sunt nobis conjuncti in linea *ascendenti*, alii in descendenti, alii in transversa, ita eædem lineæ etiam in affinitate observantur, *ascendentes* sunt socer, socrus, vitricus, & noverca: *descendentes* gener, nurus, privignus, & privigna: *transversales* sunt, reliqui uxoris, vel mariti consanguinei, qui specialia nomina non habent, sed simpliciter affines nuncupantur.

5 *Not. IV.* Quamvis omnes consanguinei uxoris sint affines marito, & econtra, intra ipsos tamen consanguineos utriusque partis non contrahi affinitatem, quæ causet impedimentum matrimonii.

Hinc est, quòd fratres ex altera parte possint ducere duas sorores, pater & filius ex altera parte matrem, & filiam ut clarè decisum habetur *in c. quod super. 5. h. t.*

6 *Not. V.* De jure antiquo triplicem fuisse affinitatem, scilicet *primi, secundi, & tertii generis*, & singulas has affinitates obstitisse matrimonio. *Primum genus* affinitatis erat inter virum, & consanguineos mulieris. *Secundum* inter virum, & affines mulieris, vel inter uxorem, & affines mariti, vel inter unum conjugem, & tertium aliquem, qui cum altera conjuge copulam habuit. *Tertium genus* affinitatis erat inter unum conjugem, & alterius conjugis affines secundi generis, ita in his duobus posterioribus generibus ex affinitate oriebatur affinitas sicut colligitur ex *c. 3. & c. ult. caus. 35. q. 3.* Verùm hodie tantùm *primum genus* affinitatis attenditur, reliqua verò nullum ampliùs impedimentum causant, prout constitutum est in Conc. Lateran. & habetur *in c. non debet. 8. h. t.* Sed quid si in secundo genere affinitatis constituti sint in linea recta, & se habeant per modum parentum, & liberorum, v. g. si quis vellet ducere privignam, vel novercam suæ uxoris defunctæ. Negant nonnulli inter tales personas consistere posse matrimonium propter text. *in L. uxorem. 15. ff. de Ritu nuptiarum.* Melius tamen dicitur, quidquid leges civiles, vel antiqui Canones circa secundum genus affinitatis disposuerint, totum id per dictum Conc. Lateran. & *c. non debet*, generaliter abrogatum esse.

7 Noranter autem pono casum de privigna, aut noverca uxoris, quæ cum uxori sint affines, sunt marito in secundo genere affinitatis conjunctæ, vera autem mater, & vera filia uxoris, licèt ex alio matrimonio habita, esset marito in primo genere affinitatis conjuncta, consequenter in uxorem duci non posset.

Not. VI. Ad contrahendam affinitatem non sufficere copulam attentam, sed requiri copulam perfectam, & consummatam, ex sua natura aptam ad prolis generationem, quamvis generatio secuta non sit, ut fuse deducit Sanc. *Lib. 7. d. 6. n. 7. & seq.* Nec obstat *c. Juvenis 3. de Sponsal. c. fraternitati 7. De eo, qui cognovit consanguineam, & c.* ubi etiam ex imperfecta copula dicitur sequi impedimentum; quia ista capitula intelliguntur de impedimento publicæ honestatis, quod non ex copula, sed ex contractu sponsalitio nascitur, ut superiùs ad *Tit. I. §. 6.* declaratum est.

8 *Not. VII.* Non tantùm ex copula licita, sive matrimoniali, sed etiam illicita nasci impedimentum affinitatis inter virum, & consanguineos fœminæ.

9 *Not.* tamen *VIII.* Inter affinitatem ortam ex copula licita, & illicita hanc esse in effectu differentiam, quòd impedimentum ortum ex copula *licita* dirimat matrimonium usque *ad quartum gradum* inclusivè; orta verò ex copula *illicita* hodie per Trid. *sess. 24. de Reformat. matr. c. 3.* tantùm ad *secundum gradum* restricta sit; quod vel ideò necesse fuit statuere, ne matrimonia essent periculo nullitatis exposita, cùm affinitas ex fornicatione sit plerumque occulta, & frequens.

10 An autem hæc restrictio Trid. etiam procedat in *consanguinitate* orta ex copula *illicita* dubitari potest, eò quòd consanguinitas, & affinitas, quoad prohibitionem matrimonii æquiparentur, atque favorabile sit pro libertate matrimonii respondere, & ejus impedimenta minuere. Probabilius tamen videtur circa consanguinitatem nihil immutatum esse, si enim id voluisset Tridentinum, utique eadem facilitate, sicut de affinitate expressisset,

aliun-

aliunde autem notum est, corectionem jutium sine textu aperto non esse admittendam, *c.cùm expediat 29. de Electione in 6. L.precipimus.32.§.ul.C.de Appellationibus.* Nec vetum est, quod consanguinitas, & affinitas in omnibus parificentur, cùm major sit conjunctio ex consanguinitate, quàm affinitate. Item frequentiùs ex copula illicita oritur affinitas, quam consanguinitas, ut potiùs illa, quàm ista periculosa sit matrimonio, & consequenter ad pauciores gradus constringenda.

Præterea etiam in dubium fortè non nemo vocabit, an in tertio, & quarto gradu affinitatis ortæ ax copula *illicita* non tantùm validè, sed etiam licitè, & sine peccato matrimonium contrahatur ex ea dubitandi ratione, quod olim ante Trid. nec licuerit, nec valuerit matrimonium in illis gradibus, Trid. autem tantùm disposuerit de validitata contractus, & nihil dixerit de licentia contrahendi, ergò videtur sub dispositione juris antiqui reliquisse, *arg. d. L.precipimus.* Verùm hoc dubium resolutum est per bullam Pii V. quæ incipit. *Ad Romanum.* Ubi expresè declaratur, in prędictis gradibus liberè, & licitè posse contrahi matrimonium, sicut refert Nav. *in Man.confess.c.22.n.42.* illud quoque hic addendum est, quòd, dum Trid. restrinxit affinitatem ortam ex fornicatiune, nomen fornicationis acceperit generaliter pro omni concubitu illicito, etiam adulterio, stupro, incestu &c. Teste Sanch. *d.l. Disp.67.*

11 Postremò etiam dubitatur, an ignorans invicibiliter impedimentum affinitatis oriri ex copula illicita, validè contrahat matrimonium cum consanguinea intra secundum gradum fæminæ cognitæ conjuncta? Id affirmant nominati DD. apud Dian. *p. 10. tr.13.ref.51.* Et Adam Burgaber *Cent. 2. Sel.Cas.consc.cas.54.* eò quod hoc impedimentum sit statutum in pœnam delicti, pœna autem non contrahatur ab ignorantibus, ex qua ratione etiam aliqui sustinent, nec impedimentum *criminis* contrahi ab ignorantibus. Verùm contraria sententia receptior est teste Burgaber *d.l.* & de Dicastillo. *tr.10.de Matrim.disp.9.n.108.* quia hæc impedimenta non sunt puræ pænæ, sed inhabilitationes personarum ex aliis justis causis: in *affinitate* ob reverentiam naturalem propinquitatis, in *crimine* autem ad tollendum periculum captandæ mortis conjugis innocentis; post matrimonium tamen de facto bona fide conctractum, & si impedimentum nccultum sit, ad matrimonium etiam contrahendum accedente præsertim justa causa facilius forsan Episcopo dispensatio concederetur juxta doctrinam Eman. Sa *V. Dispensatia n.1.* Laym. *d.L.L.c.22.n.4.* & Garc. *de Benef. p. 7.c.2.n.10.* quod Episcopus possit in jure dubio dispensare, aut declarare.

TITULUS XV.

De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coeundi.

SUMMARIA.

1 *Impotentia est impedimentum dirimens matrimonii.*
2 *Quanam requirantur, ut impotentia dirimat matrimonium?*
3 *An sterilitas, vel senectus sit impedimentum dirimens?*
4 *An valeat matrimonium in articulo mortis contractum cum concubina?*
5 *An, & quomodo Hermaphroditus possit contrahere matrimonium?*
6 *Quomodo probetur, an impotentia sit perpetua, vel temporalis?*
7 *Quid juris, si dissoluto primo, impotentia cesset in secunda matrimonio?*
8 *An separari possint, qui scienter impotentes contraxerunt?*
9 *An impotentia superveniens matrimonia rato illud dirimat?*
10 *Solutio textuum contrariorum cum 2. notabilibus.*

Engel In Decret. Lib. IV.

QUamvis nuptias nnn concubitus sed consensus faciat, ut dicitur *L.nuptias 30.ff. de Reg. Juris*, quia tamen consensus de mutua corporum traditione esse debet, ideò, si hæc conditio, vel ex naturali indispositione, aut maleficio, siva magica incantatione sit impossibilis, contractus jure naturæ nullus ast, & invalidus, sicut venditio, quæ etiam solo consensu contrahitur, nulla censetur, si fiat de re quæ tradi nequit, aut in commercio huminum non est. Circa istud impedimentum. 1

Queritur I. Quænam requirantur, ut impotentia dirimat matrimonium? 2

Resp. Tria principaliter requiri. I. Ut sit impotentia ad copulam perfectam, quę per se sit apta ad generationem, sicut propterea Sixtus V. ex motu propriu *de Eunuchorum matrimoniis* prohibuit, & invalida declaravit matrimonia ab eunuchis utrinqua exsectis contrahenda, qui licet possint uti aliquo congressu, destituuntur tamen veru semine.

II. Requiritur impotentia perpetua, quæ scilicet nec successu temporis, nec modo naturali, & licito, nec sine corporis periculo tolli valeat text. & DD. *in c.fraternitatis h.t.* hinc licèt contrahentes ob ætatem juvenilem, vel infirmitatem aliquot etiam annis ad consummandum matrimonium inhabiles sint, dummodo speretur aliquando cessaturum impedimentum, non debeant ab invicem separari.

III. Requiritur, ut impotentia præcesserit matrimonium, & non primum ex infirmitate, vel alio casu matrimonio jam contracto supervenerit: obligatiu enim ab initiu rectè contracta non dissulvitur, quamvis de veniat ad aum casum, à quo incipere non posset, sicut nec affinitas, nec aliud impedimentum matrimonio ax postfacto supervaniens id adnullare valeat.

Quæritur II. Au sterilitas, vel senectus sit impedimentum dirimens matrimonium? 3

Resp. Licet Felinus *in c.dum sit 6. de Foro competenti. n.55.* & Jason *Volum.1.consil. 115.n.1.* existiment, non minùs sterilitatem, quàm impotentiam dirimere matrimonium, nec essa verè matrimonium; si v.g. fæmina saxagenaria, & ad generandum inepta illud contrahat, eò quòd finis matrimonii, scilicet prolis generatio deficiat; atque hinc factum, quòd jure antiquo Civili ex Lege Julia, & Papia prohibitum fuerit contrahere matrimonium viris post annos 60. fæminis autem post 50. Contraria tamen sententia totius Ecclesiæ usu recepta; tum quòd steriles, & senes possint uti naturali copula per accidens tantùm inepta ad generandum; Imò aliquando contra spem generant prolem: tum etiam quòd matrimonium non tantùm propter prolem, sed etiam in remedium concupiscentiæ permissum sit, esto igitur, propter sterilitatem proles obtineri nequeat, adhuc tamen alter finis subsistit, quòd sit infirmitatis remedium, & humanitatis solatium, ut dicitur *in c. nuptiarum. 41. caus. 27. quæst. 1.* Unde etiam Justinianus Imperat. *in l.sancimus 27.C. de Nuptiis.* sustulit dictam legem Juliam, & concessit in quavis ætate matrimonia contrahere, si tamen aliquis senex morbis, vel ætate ita exhaustus foret, ut nulla arte medica ad actum conjugalem habilis reddi posset, talem incapacem esse matrimonii docent communiter DD. apud Barbos. *in capit. 2. h. t. n. 6.*

Quæritur III. An valeat matrimonium in periculo mortis contractum cum concubina ad legitimandam prolem priùs ex ea susceptam? Quòd proles illegitima per subsquens matrimonium cum ajus matra contractū legitima efficiatur certi juris est *ex l.nuper 11.C.de Natur. liberis & c.tanta. 6. Qui filii sint legitim.* l. ubi hæc quæstio axplicatur, hic autem tantùm controversia est, an valeat matrimonium eo tempore contractum, quo usus ipsius ampliùs non speratur. Affirmativa tamen sententia concordi DD. calculo recepta est, test. Barb. *n.dic.tanta n.8.* & Covar. *de Matrim.p.2.c.8.§.2.n. 10.* partim quia infirmus morti propinquus non semper habet impotentiam perpetuam, sed temporalem hic, & nunc per accidens à morbo causatam: partim etiam, quia in tali matrimonio bonum prolis saltem eo respectu subest, quod proles antea illegitima, & quasi pro non prole habita jam 4

nem esse in infinitum, prout in jure civili expressè constitutum est, *in L. nuptiæ. 53. ff. de Ritu nuptiarum*, *&* *§. 1. Instit. de Nuptiis*. Idque in jure Canonico circa hanc lineam apertè correctum non reperitur, in dubio autem jurium correctio non præsumitur, *cap. cum expediat. 29. de Elect. in 6.* & quod deest juri Canonico, ex Civili suppletur, & vice versa, *c. 1. de Novi operis nuntiat.*

In *linea transversa*, quamvis olim de Jure Canonico antiquissimo simpliciter inter consanguineos, quousque gradus, ac generationis memoria retineri poterat, matrimonia prohibita fuerint. *c. 8. h. t. c. in copulatione 18. causa 35. q. 3.* Id tamen Jure posteriori ad *septimum*, & demum, jure novissimo, quo hodie utimur, ad *quartum gradum inclusivè* limitatum, & restrictum fuit, *c. non debet. 8. & c. ult. h. t.*

10 Sunt quidem aliqui existimantes, universim tam in linea *recta* quàm *transversa* non extendi impedimentum extra quartum gradum propter *d. c. non debet*, quod generaliter, & sine distinctione loquitur, sicut docet Sanc. *L. 7. disp. 51. n. 13.* quod tamen ex prædictis refutari potest, nec huic disputationi parum utili longiùs immoror, cum conditio, & brevitas vitæ humanæ, sine miraculo vix admittat videre descendentes in quinto gradu, &c.

De dispensatione autem tam super hoc impedimento cognationis, quàm aliis, infra *Tit. XVI. §. 3.* dicetur, ubi etiam, quo jure, divino ne an humano singula impedimenta, & cur aliqui gradus consanguinitatis, & affinitatis ultra prohibitionem juris naturalis statuantur.

---

§. II.

De Affinitate.

SUMMARIA.

1 *Quid sit affinitas, & quomodo contrahatur?*
2 *Vir, & uxor sunt principium affinitatis, non vera affines.*
3 *Quomodo affinitas habeat gradus?*
4 *Regula affinitatis traduntur.*
5 *Inter quos contrahatur affinitas?*
6 *Triplex affinitas de jure antiquo.*
7 *Copula perfecta constituit impedimentum affinitatis.*
8 *Etiam ex copula illicita nascitur affinitas.*
9 *Differentia affinitatis ortæ ex copula licita, & illicita.*
10 *Restrictio Trid. in impedimento affinitatis non extenditur ad consanguinitatem.*
11 *Impedimentum affinitatis ex copula illicita, etiam ab ignorante contrahitur, sicut & impedimentum criminis probabilius.*

1 AFfinitas est propinquitas personarum ex copula carnali proveniens de se non involvens consanguinitatem. Clarissimè hanc definitionem, & nominis etymologiam explicat I. C. *in L. non facile 4. §. 3. ff. de Gradibus, & affin. Affines*, inquit, *sunt viri, & uxoris cognati, dicti ab eo, quòd duæ cognationes, quæ diversæ sunt inter se, per nuptias copulantur, & altera ad alterius fines accedat.* Ratio autem fundamentalis hujus propinquitatis est, quòd vir, & uxor per copulam efficiantur, una caro. *Gen. 2. V. 24.* adeoque sanguis unius dicatur alterius sanguinem tangere, & consanguinei unius trahantur ad cognationem alterius, unde affines, seu quasi confines, & propinqui appellantur. Portò circa hoc affinitatis impedimentum.

2 *Not. I.* Virum, & uxorem non esse inter se propriè affines, sed principium affinitatis, & quasi stipitem, ex quo affinitatis gradus numerentur, & distinguantur.

3 *Not. II.* Licet in dicta *L. non facile. 14. §. 5.* dicatur, Affinitatem gradus non habere, id tamen intelligendum esse, quòd non habeat gradus sicut consanguinitas, quæ fit per diversas generationes; sed affinitas etiam ex una copula contrahatur ad omnes consanguineos alterius partis: De cætero autem sicut unus ex consanguineis propinquior est altero, ita etiam inter eos respectu affinitatis diversos gradus constituere necesse est, & utique magis propinqua affinitate mihi conjungitur soror uxoris meæ, quàm illius sororis filius, aut nepos. Atque hoc intellectu non tantùm cognatis, sed & affinibus suos gradus esse probatur *ex L. Jurisconsultus. 10. ff. jam dicto t. de gradibus, & affin.*

4 *Not. III.* Computationem graduum in affinitate desumi ex regulis hoc tit. *§. praced. n. 7.* traditis, nam circa affinitatem una est generalis regula; *quod aliquis eo gradu sit affinis alteri conjugi, quo gradu est alteri consanguineus*, v. g. soror uxoris est uxori in primo gradu consanguinea, consequenter, & marito in primo gradu affinis, & sic de reliquis consanguineis dicendum erit. Præterea sicut in consanguinitate alii sunt nobis conjuncti in linea ascendenti, alii in descendenti, alii in transversa, ita eædem lineæ etiam in affinitate observantur, *ascendentes* sunt socer, socrus, vitricus, & noverca: *descendentes* gener, nurus, privignus, & privigna: *transversales* sunt, reliqui uxoris, vel mariti consanguinei, qui specialia nomina non habent, sed simpliciter affines nuncupantur.

5 *Not. IV.* Quamvis omnes consanguinei uxoris sint affines marito, & econtra, inter ipsos tamen consanguineos utriusque partis non contrahi affinitatem, quæ causet impedimentum matrimonii.

Hinc est, quòd fratres ex altera parte possint ducere duas sorores, pater & filius ex altera parte matrem, & filiam ut clarè decisum habetur *in c. quod super. 5. h. t.*

6 *Not. V.* De jure antiquo triplicem fuisse affinitatem, scilicet *primi, secundi, & tertii generis*, & singulas has affinitates obstitisse matrimonio. *Primum genus* affinitatis erat inter virum, & consanguineos mulieris. *Secundum* inter virum, & affines mulieris, vel inter uxorem, & affines mariti, vel inter unum conjugem, & tertium aliquem, qui cum altera conjuge copulam habuit. *Tertium genus* affinitatis erat inter unum conjugem, & alterius conjugis affines secundi generis, ita in his duobus posterioribus generibus ex affinitate oriebatur affinitas sicut colligitur ex *c. 3. & c. ult. caus. 35. q. 3.* Verùm hodie tantùm *primum genus* affinitatis attenditur, reliqua verò nullum ampliùs impedimentum causant, prout constitutum est in Conc. Lateran. & habetur *in c. non debet. 8. h. t.* Sed quid si in secundo genere affinitatis constituti sint in linea recta, & se habeant per modum parentum, & liberorum, v. g. si quis vellet ducere privignam, vel novercam suæ uxoris defunctæ. Negant nonnulli inter tales personas consistere posse matrimonium propter text. *in L. uxorem. 15. ff. de Ritu nuptiarum.* Melius tamen dicitur, quidquid leges civiles, vel antiqui Canones circa secundum genus affinitatis disposuerint, totum id per dictum Conc. Lateran. & c. *non debet*, generaliter abrogatum esse.

7 Notanter autem pono casum de privigna, aut noverca uxoris, quæ cum uxori sint affines, sunt marito in secundo genere affinitatis conjunctæ, vera autem mater, & vera filia uxoris, licèt ex alio matrimonio habita, esset marito in primo genere affinitatis conjuncta, consequenter in uxorem duci non posset.

Not. VI. Ad contrahendam affinitatem non sufficere copulam attentam, sed requiri copulam perfectam, & consummatam, ex sua natura aptam ad prolis generationem, quamvis generatio secuta non sit, ut fuse deducit Sanc. *Lib. 7. d. 6. n. 7. & seq.* Nec obstat *c. Juvenis 3. de Sponsal. c. fraternitati 7. De eo, qui cognovit consanguineam, & c.* ubi etiam ex imperfecta copula dicitur sequi impedimentũ quia ista capitula intelliguntur de impedimento publicæ honestatis, quod non ex copula, sed ex contractu sponsalitio nascitur, ut superiùs ad *Tit. I. §. 6.* declaratum est.

8 *Not. VII.* Non tantùm ex copula licita, sive matrimoniali, sed etiam illicita nasci impedimentum affinitatis inter virum, & consanguineos fœminæ.

9 *Not.* tamen *VIII.* Inter affinitatem ortam ex copula licita, & illicita hanc esse in effectu differentiam, quòd impedimentum ortum ex copula *licita* dirimat matrimonium usque *ad quartum gradum* inclusivè; orta verò ex copula *illicita* hodie per Trid. *sess. 24. de Reformat. matr. c. 3.* tantùm ad *secundum gradum* restricta sit; quod vel ideò necesse fuit statuere, ne matrimonia essent periculo nullitatis exposita, cùm affinitas ex fornicatione sit plerumque occulta, & frequens.

10 An autem hæc restrictio Trid. etiam procedat in *consanguinitate* orta ex copula *illicita* dubitari potest, eò quòd consanguinitas, & affinitas, quoad prohibitionem matrimonii æquiparentur, atque favorabile sit pro libertate matrimonii respondere, & ejus impedimenta minuere. Probabilius tamen videtur circa consanguinitatem nihil immutatum esse, si enim id voluisset Tridentinum, utique eadem facilitate, sicut de affinitate expressisset,

alium-

aliunde autem notum est, corectionem jurium sine texto aperto non esse admittendam, *c.cum expedi it 29. de Electione in 6. L.præcipimus.32.§.ul.C.de Appellationibus.* Nec verum est, quod consanguinitas, & affinitas in omnibus parificentur, cùm major sit conjunctio ex consanguinitate, quàm affinitate. Item frequentiùs ex copula illicita oritur affinitas, quam consanguinitas, ut potiùs illa, quàm ista periculosa sit matrimonio, & consequenter ad pauciores gradus constringenda.

Præterea etiam in dubium fortè non nemo vocabit, su in tertio, & quarto gradu affinitatis ortæ ex copula *illicita* non tantùm validè, sed etiam licitè, & sine peccato matrimonium contrahatur ex ea dubitandi ratione, quod olim ante Trid. nec licuerit, nec valuerit matrimonium in illis gradibus, Trid. autem tantùm disposuerit de validitate contractus, & nihil dixerit de licentia contrahendi, ergò videtur sub dispositione juris antiqui reliquisse, *arg. d. L.præcipimus.* Verùm hoc dubium resolutum est per bullam Pii V. quæ incipit. *Ad Romanum.* Ubi expressè declaratur, in prædictis gradibus liberè, & licitè posse contrahi matrimonium, sicut refert Nav. *in Man.confess.c.22.n.42.* Illud quoque hic addendum est, quòd, dum Trid. restrinxit affinitatem ortam ex fornicatione, nomen fornicationis acceperit generaliter pro omni concubitu illicito, etiam adulterio, stupro, incestu &c. Teste Sanch. *d.l. Disp.67.*

11 Postremò etiam dubitatur, an ignorans invicibiliter impedimentum affinitatis oriri ex copula illicita, validè contrahat matrimonium cum consanguinea intra secundum gradum fæminæ cognitæ conjuncta? Id affirmant nominati DD. apud Dian. *p.10.tr.13.res.51.* Et Adam Burgaber *Cent.2. Sel.Cas.consc.cas.54.* eò quod hoc impedimentum sit statutum in pœnam delicti, pœna autem non contrahatur ab ignorantibus, ex qua ratione etjam aliqui sustinent, nec impedimentum *criminis* contrahi ab ignorantibus. Verùm contraria sententia receptior est teste Burgaber *d.l.* & de Dicastillo. *tr.10.de Matrim.disp.9.n.108.* quia hæc impedimenta non sunt puræ pœnæ, sed inhabilitationes personarum ex aliis justis causis: in *affinitate* ob reverentiam naturalem propinquitatis, in *crimine* autem ad tollendum periculum captandæ mortis conjugis innocentis; post matrimonium tamen de facto bona fide contractum, & si impedimentum occultum sit, ad matrimonium etiam contrahendum accedente præsertim justa causa facilius forsan Episcopo dispensatio concederetur juxta doctrinam Eman. Sa *V. Dispensatio n.1.* Laym. *d.l.L.c.12.n.4.* & Garc. *de Benef. p.7.c.2.n.10.* quod Episcopus possit in jure dubio dispensare, aut declarare.

TITULUS XV.

De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coeundi.

SUMMARIA.

1 *Impotentia est impedimentum dirimens matrimonii.*
2 *Quanam requirantur, ut impotentia dirimat matrimonium?*
3 *An sterilitas, vel senectus sit impedimentum dirimens?*
4 *An valeat matrimonium in articulo mortis contractum cum concubina?*
5 *An, & quomodo Hermaphroditus possit contrahere matrimonium?*
6 *Quomodo probetur, an impotentia sit perpetua, vel temporalis?*
7 *Quid juris, si dissoluto primo, impotentia cesset in secundo matrimonio?*
8 *An separari possint, qui scienter impotentes contraxerunt?*
9 *An impotentia superveniens matrimonio rato illud dirimat?*
10 *Solutio textuum contrariorum cum 2. notabilibus.*

Engel In Decret. Lib. IV.

1 QUamvit nuptias non concubitus sed consensus faciat, ut dicitur *L.nuptias 30.ff. de Reg. Juris,* quia tamen consensus de mutua corporum traditione esse debet, ideò, si hæc conditio, vel ex naturali indispositione, aut maleficio, sive magica incantatione sit impossibilis, contractus jure naturæ nullus est, & invalidus, sicut venditio, quæ etiam solo consensu contrahitur, nulla censetur, si fiat de re quæ tradi nequit, aut in commercio hominum non est. Circa istud impedimentum.

2 Quæritur I. Quænam requirantur, ut impotentia dirimat matrimonium?

Resp. Tria principaliter requiri. I. Ut sit impotentia ad copulam perfectam, quæ per se sit apta ad generationem, sicut propterea Sixtus V. ex motu proprio *de Eunuchorum matrimoniis* prohibuit, & invalida declaravit matrimonia ab eunuchis utrinque exsectis contrahenda, qui licet possint uti aliquo congressu, destituuntur tamen vero semine.

II. Requiritur impotentia perpetua, quæ scilicet nec successu temporis, nec modo naturali, & licito, nec sine corporis periculo tolli valeat text. & DD. *in c.fraternitatis h.t.* hinc licèt contrahentes ob ætatem juvenilem, vel infirmitatem aliquot etiam annis ad consummandum matrimonium inhabiles sint, dummodo speretur aliquando cessaturum impedimentum, non debeant ab invicem separari.

III. Requiritur, ut impotentia præcesserit matrimonium, & non primum ex infirmitate, vel alio casu matrimonio jam contracto supervenerit: obligatio enim ab initio rectè contracta non dissolvitur, quamvis de veniat ad eum casum, à quo incipere non posset, sicut nec affinitas, nec aliud impedimentum matrimonio ex postfacto superveniens id adnullare valeat.

3 Quæritur II. An sterilitas, vel senectus sit impedimentum dirimens matrimonium?

Resp. Licet Felinus *in c.dum sit 6. de Foro competenti. n.15.* & Jason *Volum.1.consil. 115.n.1.* existiment, non minùs sterilitatem, quàm impotentiam dirimere matrimonium, nec esse verè matrimonium, si v.g. fæmina sexagenaria, & ad generandum inepta illud contrahat, eò quòd finis matrimonii, scilicet prolis generatio deficiat; atque hinc factum, quòd jure antiquo Civili ex Lege Julia, & Papia prohibitum fuerit contrahere matrimonium viris post annos 60. fæminis autem post 50. Contraria tamen sententia totius Ecclesiæ usu recepta; tum quòd steriles, & senes possint uti naturali copula per accidens tantùm inepta ad generandum; Imò aliquando contra spem generant prolem: tum etiam quòd matrimonium non tantùm propter prolem, sed etiam in remedium concupiscentiæ permissum sit, esto igitur, propter sterilitatem proles obtineri nequeat, adhuc tamen alter finis subsistit, quòd sit infirmitatis remedium, & humanitatis solatium, ut dicitur *in c. nuptiarum. 41. caus. 27. quæst.1.* Unde etiam Justinianus Imperat. *in l.sancimus 27.C. de Nuptiis.* sustulit dictam legem Juliam, & concessit in quavis ætate matrimonia contrahere, si tamen aliquis senex morbis, vel ætate ita exhaustus foret, ut nulla arte medica ad actum conjugalem habilis reddi posset, talem incapacem esse matrimonii docent communiter DD. apud Barbos. *in capit. 2. h.t.n.6.*

4 Quæritur III. An valeat matrimonium in periculo mortis contractum cum concubina ad legitimandam prolem priùs ex ea susceptam? Quòd proles illegitima per subsquens matrimonium cum ejus matre contractū legitima efficiatur certi juris est *ex.l.nuper 11.C.de Natur. liberis &c.tanta. 6. Qui filii sint legitim. l.* ubi hæc quæstio explicatur, hic autem tantùm controversia est, an valeat matrimonium eo tempore contractum, quo usus ipsius ampliùs non speratur. Affirmativa tamen sententia concordi DD. calculo recepta est, test. Barb. *n.d.c.tanta n.8.* & Covat. *de Matrim.p.2.c.8.§.2.n.10.* partim quia infirmus morti propinquus non semper habet impotentiam perpetuam, sed temporalem hic, & nunc per accidens à morbo causatam; partim etiam, quia in tali matrimonio bonum prolis saltem eo respectu subest, quod proles antea illegitima, & quasi pro non prole habita jam

legitimetur, & quo ad omnes effectus juris vera proles efficiatur; imò Ecclesiæ consuetudinem esse ait Laym. *de Matr. p. 4. c.* 1 *r. n. 6.* quòd morituris interdum suadeatur, ut concubinas, quibus diu adhæserunt, in uxores accipiant; tum ut affectus eorum impudicus saltem ad finem conjugalem commutetur, tum ut proles legitimetur, &c.

5 Quær. IV. An hermaphroditus valeat contrahere matrimonium?

R. Esse distinguendum, an alterutro sexu, scilicet fœmineo, aut virili magis prævaleat, vel an in utroque æqualis sit, quod ex inspectione corporis à medicis facienda judicandum erit. Priori casu poterit matrimonium contrahere juxta prævalentem sexum; altero autem casu dabitur ipsi electio juxta quem velit matrimonium inire, debebit tamen coram iudice Ecclesiastico priùs jurare, quòd tantum eo sexu, quem elegit, uti velit, nec eundem, sive in hoc, sive in alio matrimonio mutare, sicut post Sylv. Armil. & Summistas communiter in *V. Hermaphroditus* tradit Sanch. *de Matr. lib. 7. disp.* 106.

6 Quær. V. Qualiter probetur, an impotentia sit perpetua, vel temporalis.

R. Hic non attendendum esse, an conjuges ultro confiteantur in judicio, se esse impotentes, eò quòd mutuæ cohabitationis pertæsi facilè colludere possent, & separationem atque licentiam ad aliud matrimonium transeundi impetrare, sed incumbere officio judicis Ecclesiastici, ut si veritas aliunde haberi non possit, inspectionem corporis fieri iubeat, in viro quidem per medicos, in fœmina autem per obstetrices, & honestas matronas. Si igitur post inspectionem appareant signa impotentiæ; ea vel sunt manifesta, quæ declarant impotentiam perpetuam, vel verisimilia, aut dubia: si manifesta signa sint, statim separatio conceditur, esset enim contra naturam permittere copulam imperfectam. Si verisimilia sint signa, & conjuges iam cohabitarint per aliquod tempus, quod verisimiliter etiam sit sufficiens ad probandam potentiam, vel impotentiam, tunc divortium quidem concedi potest ita tamen ut priùs à conjugibus juramentum cum septima propinquorum manu, vel vicinorum præstetur, hoc est, ut priùs conjugati jurent, se post omnem operam adhibitam non potuisse consummare matrimonium, & simul septem ex cognatis (in istorum defectu septem ex vicinis, vel his in tanto numero etiam deficientibus duo saltem testes bonæ famæ, & vitæ) jurent se credere, quòd conjugati verum dicant. Ubi advertendum, quòd conjugum juramentum sit de *veritate*, testium verò *de credulitate*, & id ipsum juramentum *de credulitate* etiam medicis, ac fœminis inspicientibus imponi solet. Si deuique signa sint dubia, triennium conceditur coniugibus, intra quod matrimonii consummationem tentare possint eo verò transacto, si nihil effecerint, tunc præstito prædicto juramento ab invicem separantur, & matrimonium fuisse nullum declaratur, atque ita distinguendo inter signa impotentiæ conciliari, & explicari poterit *c.* 1. cum *c. laudabilem* 5. *h. t.* quæ capitula inter se diversa videntur. Si conjuges discordent altero affirmante, altero negante, quòd intra triennium perfecta copula intercesserit, nec ex inspectione oculari certum aliquid, aut verisimile appareat, potius viro (cum juramento tamen) credendum esse, quàm mulieri dicitur *in c. pen. caus. 33. q. 1. & c. 1. h. t.* Sed ista principaliter procedunt, si impotentia appareat ex causa naturali, si autem judicetur esse ex maleficio, sive magica incantatione, quamvis signa impotentiæ sint manifesta, nonnunquam ultra triennium (prius spiritualia media adhibita non censeantur) arbitrio judicis differri potest separatio, & interim iniungitur conjugibus, ut exorcismis, orationibus, confessionibus, aliisque piis operibus studeant à Domino Deo sublationem maleficii impetrare, si autem triennium, vel tempus à Judice Ecclesiastico præfixum elapsum sit, nec tamen maleficium cessarit, imposterum conjuges tanquam perpetuò impotentes reputari debebunt, licet etiam ex postfacto maleficium fortè per miraculum, aut solutionem ipsius maleficii, vel per aliud maleficium contrarium, aut superstitiones tolli possit, quia tamen miraculum, & maleficii solutio non est in potestate conjugum, maleficium autem alio maleficio, vel superstitione tollere apud Christianos illicitum est, ideò nihilominus impotentia perpetua censebitur, *c. ult. caus. 33. q. 1.*

Quæritur VI. Quòd si post separationem ex causa impotentiæ concessam, & fortè jam aliud matrimonium contractum, cesset impotentia, an primum matrimonium redintegrandum, & secundum separandum sit? 7

R. Si impotentia sublata sit per miraculum, vel artem magicam, aut aliam viam præternaturalem, valete primam separationem, & secundum matrimonium, quia impotentia ex se verè fuit perpetua, ut habetur, *in d. c. ult.* Si verò impotentia cessaverit modo naturali per usum secundi matrimonii, ita ut verisimiliter etiam in primo sublata fuisset, dummodo conjuges debitam diligentiam adhibuissent, invalida censebitur prima separatio, & secundum matrimonium, adeoque primum redintegrandum erit, Text. & DD. *in c. fraternitatis 6. hoc tit.*

Quæritur VII. An si contrahentes jam ante matrimonium solverint suam impotentiam, nihilominus deinde possint separationem petere? Pro negativa adducitur *c. 4. eodem.* Ubi juxta summarium videtur decidi, quòd scienter contrahentes cum impotentibus non separentur, sed ut ibidem ait Pontifex, *quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores*, proinde tales scienter contrahentes cum impedimento impotentiæ videntur sibi invicem copulam remisisse, & in effectu non tam ad matrimonium, quàm perpetuam vitæ societatem, & alia obsequia domestica sese obligasse sicut putant Innoc. & Panorm. *eodem t. n. 5.* etiam scienter contrahentes cum impotentia posse ex post facto ab invicem separari, quia certum est, tale matrimonium propter impossibilitatem mutuæ corporum traditionis esse invalidum; ergo ex eo desponsati ad perpetuam cohabitationem non tenentur, sed neque ex contractu societatis tenebuntur; tum propter incontinentiæ periculum; tum quòd societas etiam in perpetuum contracta dissolvi queat, si subnascantur rixæ, & dissensiones, vel alia justa causa suboriatur, *L. si convenerit 14. ff. Pro socio.* 8

Porro ad *d. c. 4. h. t.* Resp. Quòd impotentes contra suam voluntatem, & inviti separari non debeant. Attamen etiam hic aliqua limitatio est addenda, quòd scilicet ista voluntaria cohabitatio non aliter permittenda sit, quàm si nullum periculum timeatur, ne inter istos cohabitantes actus imperfecti, & illiciti exerceantur, ac propterea ex constitutione Sixti V. *de Eunuchorum matr.* prohiberi debent, ne in eodem lecto impotentes condormiant.

Quæritur VIII. An impotentia, quæ supervenit post matrimonium ratum necdum tamen consummatum, causet nullitatem matrimonii? Negativa sententia passim inter DD. recepta est, paucis dissentientibus apud Sanch. *lib. 7. disp.* 102. Ratio esse potest, quòd matrimonium initio rectè contractum non dissolvatur, licèt ex postfacto aliquod impedimentum incidat, sicut superiùs *q.* 1. diximus, sed tale matrimonium fuit ab initio rectè contractum, cùm ex supposito tunc nullum adfuerit impedimentum, ergò &c. Et confirmatur ex *cap. hi qui 25. caus. 32. q. 7.* Ubi generaliter deciditur, matrimonium propter supervenientem impotentiam non esse dissolvendum. Textus, si aliqui videantur contrarii, ut *in c. quod proposuisti. 18. ead. q. 7. & c. ex litteris 3. h. t.* explicandi sunt de impotentia, cujus causa jam erat ante matrimonium. Duo tamen hic adnotanda sunt. I. Quòd cum matrimonium ratum ex dispensatione papali dissolvi possit, talis impotentia ei superveniens sit justa dispensationis causa. II. Quòd in dubio, an impotentia præcesserit matrimonium, vel primùm posteà supervenerit, præsumendum sit præcessisse, sicut valdè probabiliter docet Panorm. *in c. fraternitatis 6. eod. n. 6.* 9

T I-

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

AD interdictum Ecclesiæ pertinent pleraque Impedimenta tam impedientia, quàm dirimentia, de quibus hic dicendum erit.

---

§. I.

De Impedimentis impedientibus matrimonii.

S U M M A R I A.

1 *Quid, & quotuplicia sint Impedimenta?*
2 *Impedimenta* impedientia *enumerantur,*
3 *Quid sit Ecclesiæ vetitum?*
4 *Quid tempus Feriarum?*
5 *Quid Catechismus?*
6 *Raptus olim impedimentum impediens, hodie post Concilium Trid. dirimens.*
7 *Quatuor casus excipiuntur à pœnis raptus.*
8 *Quid sit susceptus propria sobolis?*
9 *Quid mors, seu occisio presbyteri?*
10 *Quid pœnitentia solemnis?*
11 *Qui sanctimoniale ad matrimonium saltem tentaverint, etiam cum alia persona nunquam contrahere possunt.*
12 *Quænam impedimenta impedientia hodie in usu sint?*

1 DUplicia sunt impedimenta matrimonii, *Impedientia* scilicet, & *Dirimentia*. Illa dicuntur quæ quidem ab initio impediunt, & prohibent matrimonium contrahi, de facto autem contractum validum relinquunt, & ad summum præter reatum peccati aliam pœnam arbitrio Episcopi taxandam inferunt; ista verò posteriora non tantùm ab initio resistunt matrimonio, sed etiam contractum dirimunt, nullum, & invalidum reddunt. Porrò impedimenta memoriæ causa sequentibus versiculis comprehenduntur.

2 *Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum.*
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum.
Incestus, raptus, sponsata mors mulieris.
Susceptus propria sobolis, mors presbyteralis.
Aut si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.

3 Ad *Ecclesiæ vetitum* quamvis hæc omnia impedimenta referri possint, quia propterea ab Ecclesia prohibentur matrimonia, specialiter tamen hic intelligitur prohibitio Episcopi, de qua jam actum est supra. *Tit. I. §. 3. n. 4.*

4 *Tempus feriarum* est illud, quo solemnes nuptiæ interdicuntur, & licet olim pluribus anni temporibus talis inhibitio fuerit, ut a diebus Rogationum usque ad octavam Pentecostes, & tribus septimanis ante festum D. Jo: Baptistæ *c. non oportet* 18. & passim *caus. 33. q. 4. c. Capellanus 4. de Feriis.* Hodie tamen Trid. *sess. 24. de Ref. matr. c.* 10. abrogatis aliis feriis constituit, ut solemnes nuptiæ prohibeantur tantùm à Dominica I. Adventus usque ad Festum Epiphaniæ, & à die Cinerum inclusivè usque ad Octavam Paschæ. Præthereà communiter inter DD. receptum est, idque à S. Cong. Card. declaratum, quòd in prædictis Feriis tantùm solemnis, & externa nuptiarum pompa interdicatur, non autem sponsalia de futuro, imò nec ipsum matrimonium, si ex justa causa differri nequeat, & privatim sine publica pompa coram parocho, & testibus saltem cum licentia Episcopi celebretur, sicut notavit Barb. *in eod. c.* 10. *n.* 4.

5 *Catechismi* nomine intelligitur illa instructio fidei, quę olim præcedere baptismũ, & ante januã Ecclesiæ cum catechumeno, seu noviter baptizando jam adulto fieri solebat, juxta *c. ante baptismum* 54. *de Consecrat. dist.* 4. & quia habebat rationem alicujus paternitatis, seu regenerationis spiritualis, ideò si baptizanda fuisset fœmina, inter eam, & catechizantem oriebatur impedimentum impediens, non autem dirimens, *c. 2. de Cognat. spirituali in 6.*

De *Sponsalibus* quatenus cum una persona contracta impediant matrimonium cum alia, superiùs *Tit. I. §. 3. n.* 3. Similiter de Voto in *Tit. VI.* & de Incestu *Tit. XIII.* hujus *Libri* egimus.

6 *Raptus* hoc loco dicitur violanta Mulieris abductio; & quamvis olim Raptus fuerit tantùm impedimentum impediens, eo casu quo alterius sponsa fuisset abducta, *cap. statutum* 34. *caus.* 27. *q.* 2. de cætero autem non aliter annullarit matrimonium, quàm si Mulier abducta nunquam libere consensisset, hodie tamen Trid. *sess.* 24. *de Ref. matr. c.* 6. edidit constitutionem in hæc verba: *decernit S. Synodus, inter raptorem, & raptam, quandiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat: & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

Ex hac constitutione apparet, raptum hodie esse impedimentum dirimens, si matrimonium eo tempore contrahatur, quo rapta in potestate raptoris est, etiamsi rapta liberè consentiat, ut notat Barb. *in eod. c. 6. n. 9.* & alii communiter.

7 Ibi tamen enumerat Barbosa aliquos casus, qui à nonnullis DD. probabiliter excipiuntur ab hoc impedimento, ut I. si raptus non fuerit factus intentione matrimonii contrahendi, sed libidinis causa. II. si fœmina invitis Parentibus ipsa tamen consentiente abducatur. III. si propria sponsa rapiatur. IV. si in aliquo casu raro fœmina curatet rapi virum, eò quòd leges præsertim pœnales non extendantur ad casus insolitos: *l. nam ad ea 5. ff. de Legib.*

Mors mulieris, sive uxoricidium etiam impedimentum causat, ut Maritus occidens sine spe alterius conjugali manere debeat, *c. interfectores 5. caus. 33. q. 2.*

8 *Susceptus propria sobolis* tunc inducit impedimentũ, si quis extra necessitatem proprium filium baptizarit, aut eum tanquam Patrinus tenuerit: talis enim non tantùm constante matrimonio perdit jus exigendi debitum conjugale, sed etiam ab alio matrimonio contrahendo prohibetur, *c. de eo 5. ubi* Gloss. *& DD. causa 30. q. 1.*

9 *Mors presbyteralis*, seu occisio presbyteri etiã impedit occidentem, ne matrimonium contrahere possit, *c. qui presbyterum 2. de Pœnit. & Remission.* quod tamen aliqui tantùm obtinere volunt, ubi quis in judicio de homicidio convictus, & condemnatus fuerit, ut docent Panorm. & Host. *eod. c.* 2.

10 *Pœnitentia solemnis* dicitur, quæ ob crimina graviora injungitur publicè peragenda, ita ut aliquis certo tempore ante Ecclesiam stare, vel domi jejunare, à gestatione gladii, aut equitatu abstinere debeat; quæ pœna olim valde frequens fuit. Intra hoc ergo Pœnitentiæ tempus etiam matrimonium prohibetur *c. de his 12. & c. ult. caus. 33. q. 2.*

11 Demum etiam illis interdicitur matrimonium cum quavis alia persona, qui Deo desponsatas *Moniales*, sibi matrimonio jungere præsumpserunt, *c. hergo* 13. *caus.* 27. *q.* 1. Imò de jure Civili tales, qui vel tantùm attentarunt Moniales matrimonii jungendi causa, & multò magis qui rapuerunt, aut violarunt easdem, capitali supplicio puniuntur, *l. si quis 5. C. de Episc. & Cler.* quam legem de verbo ad verbum in corpus Juris Can. retulit Gratian. *c. 6. de Pœnitent. dist.* 1. qui tamen intelligendus est, quòd loquantur de Jure Civili, & foro sæculari, non autem de foro Canonico: quia Ecclesia nulli infert pœnam sanguinis, vel mortis ex quovis scelere, sed tantùm censuras, pœnam carceris, aut alias similes, nisi quòd aliquando ob delicti gravitatem etiam Clericos priùs degradatos Judici sæcularis tradat *c. cùm non ab homine 10. de Judiciis cap. novimus* 27. *de Verb. signific.*

12 Si quæras, an omnia prædicta impedimenta etiam hodie in usu sint? R. Quamvis consuetudo abrogans legem non præsumatur, nisi probetur, nec à consuetudine potius,

vel alterius loci rectè ad universalem consuetudinem inferatur, nihilominus DD. qui in diversis orbis partibus de matrimonio scripserunt, communiter attestantur, impedimanta inpedientia usu hodierno recepta non esse, si quatuor excipias, scilicet *Ecclesiæ vetitum*, id est interdictum Episcopi, *Tempus feriarum*, *Sponsalia*, & *Votum*. Atque hanc consuetudinem etiam operari, ut in omnibus impedimentis impedientibus (excepto Voto, & Sponsalibus, quæ jure divino, & naturali obligant (dispensare possit Episcopus, tradit Sanch. *lib. 7. disp. 27. n. 15.* Et Nav. *in Manuali Confessar.*) quod jam Nonagenarius senex dedicavit Greg. XIII.) *c. 22. n. 85.* testatur, quòd nunquam audiverit super impedimentis impedientibus (intelliga exceptis illis quatuor) dispansationem impetrari.

---

§. II.

De Impedimentis dirimentibus.

S U M M A R I A.

1 *Quid sint Impedimenta dirimentia.*
2 *Enumerantur.*

1 Impedimenta dirimentia, quæ non tantùm illicitum faciunt matrimonium, sed & invalidum, his vulgatis versiculis comprehenduntur.

2 *Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.*
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas. Si sis Affinis si fortè coire nequibis.

De his excepta *Cultus, disparitate* jam supra suis locis egimus, nempe de *Errore, Vi, & Publica honestate* in Tit. I. de *Ligamine*. in Tit. IV. de *Conditione*. in Tit. V. de *Voto & Ordine*. in Tit. VI. de *Crimine*. In Tit. VII. de *Cognatione*, & *Affinitate*. in Tit. XI. & tribus sequentibus de *Impotentia*. in Tit. præcedenti. Nunc restat dicendum.

De Disparitate cultus.

S U M M A R I A.

1 *Ex continuo usu Ecclesiæ irritum est matrimonium fidelis cum infideli.*
2 *Matrimonium Catholici cum heretica est illicitum, non tamen invalidum. & quidam in Germania.*
3 *Pacta, ut liberi aliqui in fide heretica educentur, sunt impia.*
4 *Contrahentes in infidelitate cum impedimento an sint separandi post conversionem amborum?*
5 *An, & quando conversus possit repellere alterum conjugem non conversum.*
6 *Quinam intelligantur nomine infidelium?*

1 Propter *disparitatem cultus* irritum est matrimonium à fideli contractum cum infideli juxta illud Apost. 2. *ad Corinth. 6. V. 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus &c.* quamvis autem hic textus, sicut & alii, qui ex Scriptura, & jure Canonico allegantur *ut c. cave 15. cap. non oportet 16. & c. Judæi* 10. *causa 28. q. 1.* non loquantur in propriis terminis de irritatione, sed tantùm prohibitione matrimonii fidelis cum infideli, tamen quod ex continuo usu Ecclesiæ etiam irritum habeatur matrimonium fidelis cum infideli contractum, testis est Sanch. cum Soto, Bellarmino, & aliis *lib. 7. disp. 1. n. 8.* citatis.

2 Matrimonium autem Catholici cum hæretica est quidem illicitum, & sine peccato non contrahibile, non tamen est invalidum: Imò in Germania, ac aliis locis, ubi hæretici permixti cum catholicis vivunt, planè non esse illicitum matrimonium Catholicæ personæ cum hæretica tenet Sanc. *d. l. 7. disp. 72. n. 5.* Azor. *Inst. mor. l. 8. c. 11. q. 5.* quia illa conjugia inter Catholicos, & hæreticos ineuntur instar aliorum contractuum ob communem pacem, & tranquillitatem, dummodo Catholica liberè permittatur, & absque perversionis periculo in fide; quod periculum, quia ordinariè subest, difficulter excusandi sunt parentes, qui aliquando nulla necessitate cogente propter respectum aliquem merè temporalem v. g. honores, aut divitias liberos suos cum hæreticis conjungunt. Pacta verò, ut quidam ex liberis nascituri in fide Catholica, quidam in hæretica educentur, prorsus impia, & contra jus divinum pugnantia meritò asserit Sanch. *d. l.* Nav. *Cons. 1. de Consti. n. 6.*

Quòd si duo infideles inter se contraxerint matrimonium, id jure naturali validum erit, & propterea, si ambo ad fidem convertantur, ab invicem separari nec possunt nec debent, tametsi fortè cum aliquo impedimento dirimenti jure tantùm humano Pontificio introducto v. g. in 2. & 3. consanguinitatis gradu lineæ collateralis contraxerint, quia eo tempore, quo contraxerunt, non ligabantur Jure Pontificio, utpote, qui per baptismum nunquam in Ecclesiam ingressi, ejusque subditi effecti sunt: post conversionem autem talia impedimenta censentur primùm supervenire matrimonio, & ideò illud non dirimunt sicut si inter Catholicos post contractum matrimonium aliqua affinitate ex parte uxoris induceretur, ut quia ipsius soror à marito cognita esset, *c. gaudemus 8. de Divort.* 3

Si verò aliquis in infidelitate plures uxores habuerit, primam, cum qua contraxit, retinere debebit, quia cum illa sola verum fuit matrimonium, non obstante, quod fortassis eam ante conversionem repudiaverit, cum talis repudiatio, quantum ad dissolutionem vinculi matrimonialis non valuerit, *d. c. gaudemus vers. quia verò.* Dico autem, si ambo convertantur; nam si unus tantùm conversus fuerit, nondum erit Sacramentum, quia matrimonium in utroque conjuge est unum numero Sacramentum, sicut est unum numero matrimonium; ergo si in uno non est Sacramentum, nec erit in altero. Sanch. *de Matr. lib. 2. disp. 8. & 9.* 4

Matrimonium infidelium, quamvis consummatum potest dissolvi, ex speciali privilegio Christi in fidei favorem dato, & per Apostolum Paulum promulgato, si alter conjux ad fidem convertatur, alter autem in infidelitate pertinax nolit cohabitare, vel saltem non sine contumelia, vel blasphemia Creatoris, & quin alterum ad peccatum pertrahat, ita enim inquit Apost. 1. ad Cor. 7. *V. 15. quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror hujusmodi*, & idipsum confirmatum est *in cap. quanto 7. de Divort.* Interim non ipso facto dissolvetur matrimonium, quando infidelis declaravit, se nolle cohabitare, sed tunc primùm, ubi fidelis ad alias nuptias transierit; quare si ante contractas nuptias infidelis pœnitentia ductus etiam convertatur, à fideli prius converso ad conjugium recipi debet, *d. c. gaudemus 8. in fine de Divortiis.* 5

Si infidelis nolit quidem converti, velit tamen converso pacificè cohabitare is à converso admittendus est, *Cæteris autē*, inquit Apostolus *d. l. dico ego, non Dominus, si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Sed quia per hæc verba insinuare videtur Apostolus, non esse præceptum Christi, ut fidelis cohabitet infideli, ideò non pauci sunt, qui putent, Apostolum ibidem tantùm *consilium* tradidisse, & absolutè loquendo matrimonium dissolvi posse, si alter conjux nolit converti, licèt velit pacificè cohabitate; imò etiam ipsam cohabitationem tantùm in primitiva Ecclesia, ubi in dies multi convertebantur ad fidem propter spem conversionis permissam fuisse, docet; hodie verò, ubi refrigescente charitate magis periculum perversionis est, dictam cohabitationem non ampliùs admitti. Quo faciunt text. *in c. 8. & 10. caus. 28. q. 1.* Verùm, cum utraque sententia multis DD. authoritatibus, & rationibus stabiliatur apud Sanch. *de matr. lib. 7. disp. 74. n. 7.* Ego puto in hac controversia plurimùm esse tribuendum arbitrio Episcopi, ita ut, si ex cohabitatione fidelis cum infideli speretur conversio infidelis, Episcopus admittens cohabitationem sequatur priorem sententiam, posteriorem autem tunc si ex dicta cohabitatione (ut communiter inter Judæos propter pertinaciam eorum, & inconstantiam in fide accidere solet) rationabiliter timeatur, fore periculum perversionis.

Quæ autem hactenus de infidelibus diximus, intelligenda sunt de iis, qui nunquam baptismum susceperunt, non verò de Apostatis, qui per baptismum Ecclesiam ingressi, ejusque subditi effecti, posteà verò ad infidelitatem defecerunt: horum enim matrimonia cùm semel fue- 6

fuerint Sacramentum, & baptismus imprimat characterem in anima, qui per abnegationem fidei deleri non potest, ideò sunt, & manent semper quoad vinculum indissolubilia. Dico quoad vinculum: nam quoad cohabitationem, tanquam propter adulterium spirituale dissolvi posse, inferius *in Tit. XIX. §. 1.* dicetur.

---

§. III.

De Dispensatione super Impedimentis,

SUMMARIA.

1 *Quid abrogatio, irritatio, declaratio, & dispensatio?*
2 *Earum differentia.*
3 *Qualiter, & qualia impedimenta tolli possint?*
4 *Quæ impedimenta non admittant dispensationem, & ibi quid de casu Erdfurtiano?*
5 *Ad quotum gradum consanguinitas dirimat matrimonium?*
6 *Ad quotum affinitas?*
7 *Cur jus positivum ad plures gradus impedimentum consanguinitatis, & affinitatis extenderit?*
8 *Decem causæ, propter quas dispensatio conceditur.*
9 *Quando dispensatio valeat impetrari per allegationem falsitatis, aut suppressionem veritatis.*
10 *Exempla allegatæ falsitatis, & suppressæ veritatis.*
11 *Qui præter S. Pontificem super impedimentis dispensare possit?*

1 PRænotandum est obligationem legis alicujus cessare, vel per *irritationem*, vel per *abrogationem*, vel *declarationem* vel *dispensationem*, quæ omnia inter se differunt. Nam *irritari* dicitur lex, cujus obligatio statim ab initio non admittitur, v. g. si princeps nolit confirmata statuta civium. *Abrogare* legem, est cassare, postquam semel obligavit. *Declarare* est interpretari legem ex mente legislatoris de tali casu non loqui, aut in eo aliquam vim obligandi habere. *Dispensatio* est relaxatio legis, ob
2 justam causam in particulari aliquo casu.

Unde differt *Dispensatio* primò ab *abrogatione* legis quòd abrogatio tollat totam obligationem legis in omnibus casibus, in quibus prius valebat, *dispensatio* autem tantùm in particulari casu, & circa particulares personas. Item differt à *declaratione*, quòd *declaratio* supponat legem nunquam in casu obligasse, *dispensatio* verò supponat obligationem, & tamen ob justam causam hic, & nunc relaxet.

3 Quær. ergo I. an omnia impedimenta matrimonii possint tolli sive deinde per abrogationem, sive per dispensationem? Ad hanc quæstionem præsciendum est, quædam impedimenta esse à jure naturæ, & divino statuta, alia verò jure humano, & Pontificio. In impedimentis jure humano introductis nemo dubitat dari posse dispensationem, aut abrogationem: quia is, qui habet potestatem concedendi legem, habet utique etiam potestatem abrogandi, & contrarium ponendi, cùm lex totam suam auctoritatem ab ipso habeat. Nec tamen propterea rectè infertur, quòd lex abrogata fuerit irrationabiliter à Pontificibus lata, nam R. Non sequi hoc est rationabile, ergo contrarium est irrationabile: quia propter rationem circumstantiarum, loci & temporis, item propter imbecillitatem nostri intellectus, qui non potest semper genuinam veritatem prospicere, datur medium inter rationabile, & irrationabile, scilicet magis rationabile. Optimus tex. *in c. alma mater 24. de Sent. exc. in 6.* ubi Pontifex inquit, *Alma mater Ecclesia multa rationabiliter ordinat, quæ tamen rationabilius reformat.* In impedimentis jure naturali, & divino introductis non desunt, qui doceant posse summum Pontificem ex urgentissima aliqua causa, & de plenitudine suæ potestatis dispensare, quos refert Sanch. *Lib. 8. disp. 6. n. 8.* quorum ratio ducitur à paritate, nimirùm quod sicut recta Ecclesiæ gubernatio exigit ut Episcopus aliquando in lege Pontificis ob necessitatem, & difficultatem adeundi Pontificem dispensare possit, ita etiam exigat eadem Ecclesiæ gubernatio, ut Pontifex quandoque dispenset in Lege Dei, qui adiri non potest. Contraria tamen sententia verior videtur, & conformior usui Ecclesiæ, quæ hactenus in nullo tali casu dispensavit. Nec valet adducta paritas: quia Pontifex tanquam homo non potuit omnes casus prævidere, qui subinde indigeant dispensatione, quod de DEO, qui perfectissimè omnia cognoscit, convenienter dici non potest, sicut notavit Barb. *Jur. Eccl. univ. lib. 1. c. 8. n. 120.* & licet utilitas alicujus Regni procurari posset per dispensationem v. g. inter fratrem, & sororem, attamen indecentia naturalis in tali casu, & periculum, ne occasione talis dispensationis inter fratres, & sorores frequens peccatum admitteretur, præponderat utilitati etiam alicujus regni, quod Deus, si velit, & videat suas leges accuratè custodiri, benè potest aliter, quàm per tale scandalosum matrimonium conservare; ex qua ratione scandali cum pluribus aliis citatis id etiam tenet Sanch. *d. l. n.* 10. quamvis de cætero putet summo Pontifici non esse semper denegandam potestatem dispensandi in jure divino, si modò detur causa, quæ vincat turpitudinem actu præcepto divino contrarii.

Engel in Decret. Lib. IV.

Quæritur II. Quænam sint impedimenta jure naturali, aut divino introducta, quæ abrogationem, aut dispen- 4
sationem non admittant?

R. Quamvis multa sint impedimenta dirimentia matrimonii, interim tamen aliqua tantùm jure naturali, aut divino, cætera jure humano dirimunt matrimonium.

I. Igitur *jure naturali* dirimitur matrimonium si desit consensus, prout fit, si error in persona interveniat, aut conditio apposita deficiat, si violentia, & metus gravis ad extorquendum consensum adhibeatur, si ratio naturalis deficiat, ut in amentibus. II. Si quis jam alio matrimonio ligatus sit, de fide Christiana credimus, non posse contrahi matrimonium cum alia. Refertur quidem Erdfurti extare tale monumentum, ubi alicui binæ uxores simul concessę fuerunt, cum priorem, quam amissam credebat, contra spem reciperet, & secundam super inductam ob affectionem nollet dimittere. Verùm si retentio secundæ non fuit de facto attentata, sed à Papa, ut dicitur, concessa, explicanda hæc reserit *juxt. c. 4. de Frig. & malef.* ut secunda non potuerit retineri per modum *uxoris, sed sororis.* III. Si nimis propinqua sit sanguinis conjunctio &c.

Quæritur III. Usque ad quotum gradum consanguini- 5
tas jure naturali, vel divino faciat irritum matrimonium? R. Inter ascendentes, & descendentes, item inter collaterales primi gradus scilicet fratrem, & sororem jure naturæ prohiberi matrimonium excepto casu necessitatis, quo genus humanum aliter conservari non posset, sicut factum est in exordio mundi, & post diluvium. De cætero extra istum casum necessitatis omne gentes liberaliter educatæ à tali conjugio tanquam inhonesto, vel turpi abhorrent, estque inter tales personas naturalis pudor, ac reverentia, quam tolleret conjugium. In secundo verò gradu lineæ transversę, quamvis indecens sit matrimonium contrahere, non tamen, tale matrimonium est irritum jure naturæ, ita enim Abraham duxit Saram filiam fratris sui teste August. *In c. quarit. 22. caus. 28. q. 2.* Et Nachor duxit Melcham pariter sui fratris filiam *Genes. 11. V. 29.* Unde in *c. Gaudemus 8. de Divortiis.* concedit Pontifex, ut pagani, qui in secundo, vel tertio gradu contraxerunt matrimonia, si ad fidem convertantur, possint in talibus matrimoniis persistere, quia tempore matrimonii contracti non erant ligati Ecclesiasticis statutis? quasi diceret Pontifex, matrimonium in secundo gradu consanguinitatis contractum non tam jure naturæ, quàm Ecclesiastica constitutione irritum censeri. Item in Trid. *Sess. 24. de Reform. matrim. c. 5.* dicitur, *in secundo gradu* cum magnis principibus, & ex publica causa dispensari posse. Nec obest, quòd in veteri testamento *Levit. 18.* matrimonium etiam in secundo gradu veluti cum sorore patris fuerit prohibitum; nam illæ leges non erant omnes *morales*, sed quędam *judiciales*, aut, *ceremoniales* specialiter pro Judeis traditę, quę per adventum Christi expirarunt. *un. de Purific. post quartum*, prout in Trid. *sess. 24. de Sacr. matr. can. 3.* anathema dicitur, qui negat Ecclesiam in quibusdam gradibus prohibitis *in Levitico* dispensare posse.

Quæritur IV. An etiam in affinitate quædam sit juris 6
naturalis, vel divini prohibitio: Satis conveniunt DD.

Bb 3 quòd

quòd in linea affinitatis transversa, sive collaterali nullus gradus ne quidem primus sit jure naturali adeo prohibitus, ut eo jure irritum faciat matrimonium; ita enim Jacob Patriarcha duxit Liam, & postea sororem ejus Rachelem *Genes.* 29. imò *Deut.* 25. universim præceptum fuit Israelitis, ut, si fratrum unus sine liberis decederet, alter uxorem ejus acciperet, licèt interim jure gentium, & naturali indecens esse videatur sine gravi causa cum affinibus intra primum gradum contrahere propter reverentiam, quam aliquis debet fratri, cum quo uxor ejus una caro reputatur, juxta illud *Levit.* 18. *Turpitudinē uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est.*

Verùm quid dicendum sit in linea recta affinitatis de matrimonio inter novercam, & privignum, socerum, & nurum &c. diversæ sunt DD. opiniones. Multi negant, multi affirmant, sicut tradit Sanch. *lib.* 7. *disp.* 66. & Lay. *de matr. p.* 4. *n.* 5. In praxi certum est, Ecclesiam non solere inter eos dispensare. Si autem casus contingeret, ut aliqui ad fidem converterentur, qui prius in infidelitate in linea recta affinitatis contraxissent, putarem summum Pontificem esse consulendum, cum aliàs tale matrimonium sine scandalo vix tolerari possit propter auctoritatem affirmantium, jure naturæ esse irritum, vel separari propter auctoritatem idipsum negantium.

7 Quær. V. Quare jus positivum Ecclesiasticum ultra prohibitionem juris naturalis adhuc alios gradus in consanguinitate, ac affinitate indixerit.

R. Id factum esse ex quatuor causis. I. Propter reverentiam, quam ob communicationem sanguinis cognati sibi invicem debent. II. Ne cum consanguinei, & affines plerumque soleant simul esse, sub prætextu conjugii frequens peccatum admittatur. III. Ne naturalis amor ex consanguinitate, aut affinitate ortus, si addatur amori, & licentiæ conjugali nimis faciat effrænem libidinem. IV. Denique causa est politica, ut amicitiæ vinculum non tantùm inter consanguineos constet, sed per viam matrimonii etiam ad alios homines protendatur, & ita confœderatio, ac societas inter homines tantò melius conservetur.

Cur autem Ecclesiæ prohibitio præcisè quarto gradu concludatur, & non sit amplior, vel restrictior, dicendum est, id propterea factum, quòd usque ad illum gradum plerumque inter homines duret consanguinitatis amicitia, ulteriùs autem deficiente jam sanguinis virtute alter alterum speciali amore tanquam consanguineum, vel affinem prosequatur.

8 Quær. VI. Quænam sint causæ, ex quibus concedi soleat dispensatio in gradibus à jure positivo prohibitis? Decem tales causas refert Barb. ad Trid. *sess.* 24. *de Refor. c.* 5. & DD. ibidem cit.

I. Est paupertas supplicantis propter quam suo statui parem maritum habere non potest, quam aliquem ex consanguineis, vel affinibus.

II. Est angustia locorum, si in vicinia (sicut plerumque in locis montanis fit) nullus sit paris conditionis, cum quo nuptiarum spes esse possit, & istæ duæ causæ humaniter sunt considerandæ, ut procedant, licèt adsit aliquis, qui velit fœminam ducere, sed ei ob ætatem, aut mores valdè contrarius.

III. Si per matrimonium graves inimicitiæ inter consanguineos, vel affines componi possent.

IV. Evitatio magni alicujus scandali, vel delicti.

V. Si locus ob milites, vel piratas non sit securus; atque ad eum extranei accedere non soleant, quæ causa ad angustiam loci referri potest.

VI. Conservatio famæ mulieris, v. g. quia jam passim dicitur à consanguineo corrupta, & adeò nunquam, vel difficilius nuptura est.

VII. Quia fœmina 24. annum excedens hactenus virum paris conditionis non invenit.

VIII. Est conservatio divitiarum in familia.

IX. Est excellentia meritorum in Ecclesiam.

X. Proles, vel copula habita cum consanguinea, & multò magis, si matrimonium jam de facto contractum sit. Sed circa hanc causam advertendum est, quòd debeat ab initio abfuisse ignorantia consanguinitatis, & in matrimonio debitæ solemnitates fuisse adhibitæ, aliàs qui mala fide, aut sub spe obtinendæ dispensationis peccavit, vel contraxit cum consanguinea, non obtinebit dispensationem juxta Trid. *d. c.* 5.

Quæritur VII. An valida sit dispensatio, si quis eam impetrarit allegando causam falsam, vel tacendo veritatem. Hæc quæstio potissimùm dependet *ex Tit. de Rescriptis*, ubi de valore rescriptorum, & gratiarum papalium ex instituto tractatur. Interim ad nostram rem breviter dicendum est, falsitatem expressam, aut veritatem occultatam aliquando esse causam finalem dispensationis, aliquando tantùm impulsivam; causa finalis tunc est, quando ea non existente Papa non dispensasset, vel saltem non eo modo, quo dispensavit, sed magis strictè, & clausulatè; causa impulsiva est, quando cognita veritate suppressa, aut falsitate expressa Papa nihilominus dispensasset, licet difficiliùs. Itaque si falsitas expressa, vel veritas occultata sit causa finalis dispensationis obtentæ, talis dispensatio nulla erit, nec impetrans tuta cōscientia uti poterit, omnia enim rescripta habent hanc tacitam conditionem, si preces veritate nitantur, *c.* 2. *de Rescript.* Secus autem est, si falsitas expressa, vel veritas occultata fuerit tantùm causa impulsiva, tunc enim nihilominus valebit dispensatio.

Dices, hoc ipsum esse planè incertum, quandonam Pontifex dispensaret si falsitatem, ac veritatem cognosceret.

Resp. Ex stylo Curiæ Romanæ, vel quando de eo non constat, ex arbitrio prudentis viri desumendum esse, & hodie fermè omnes casus, qui contingere possunt circa impetrationem dispensationis, complexus est Sanch. *de Matr. toto lib.* 8. *præsertim disput.* 11. *& seqq.* Cujus sententiæ licèt non sint infallibiles, nisi quatenus textu expresso nituntur, potest tamen vir prudens ex eisdem rationibus, & authoritatibus, quas allegat, suum judicium formare. Ut autem ex innumeris tantùm aliqua magis quotidiana referamus. I. Non erit valida dispensatio, si una 10
tantùm causa in rescripto allegata sit, & ea falsa fuerit, quia licèt Pontifex possit sine causa dispensare, id tamen in dubio non præsumitur facere, nisi ex causa expressa. II. Si non exprimatur, quòd copula intervenerat scienter cum consanguinea, maximè spe dispensationis impetrandæ. III. Si impedimentum exprimatur sub dubio, quod erat certum, v. g. si dicat, se dubitare, an votum castitatis emiserit, & tantùm ad conscientiæ tranquillitatem petere dispensationem; quia qui dispensat in impedimento dubio, non statim dispensat in impedimento certo, vel saltem non eodem modo: nam dubium votum castitatis per dispensationem tollitur absolutè, certum autem regulariter tantùm ad unum matrimonium, quo finito rursus obligat. IV. Si impedimentum affinitatis ponatur pro consanguinitate, vel ècontra: dispensatio enim est strictæ interpretationis, & non extenditur ultra expressa. V. Si quis dicat, se in gradu remotiori v. g. in quarto, cum sit in tertio. Aliud autem est, si quis, cum sit in quarto, dicat se in tertio: quia tunc Pontifex dispensando in tertio censetur etiam dispensasse in quarto.

De eo olim inter DD. fuit magna controversia, an in linea collaterali inæquali sit necesse non tantùm gradum remotiorem, sed etiam proximum exprimere v. g. dicendo, quòd una persona sit stipiti in secundo, altera in tertio, conjuncta, eò quòd major videatur conjunctio, si alterutter ex consanguineis ita propinquè ad stipitem accedat. Sed Pius V. anno 1566. in motu proprio, qui incipit: *Sanctissimus*, decidit, valere dispensationem absque dicta expressione gradus propinquioris, ita tamen ut ex post facto litteræ declaratoriæ desuper impetrentur, in quibus Pontifex declaret, priorem dispensationem valere, eas autem declaratorias tantùm ad tollendum scandalum requisitas non desiderari, si nullum ex tali dispensatione scandalum oriretur; ut quia res ad forum externum delata non est, & homines ignorant, an supplicantes omnia expresserint, docet Sanch. *d. l. disp.* 24. *n.* 31.

Quæritur demum, an præter Pontificem in impedimentis nemo dispensare possit?

R. Cum inferior in lege superioris nihil immutare 11
possit *Clement. Ne Romani* 2. *in princ. de Elect.* ideo regulariter, & in ordine ad matrimonium contrahendum nec Episcopus, nec etiam Legatus quivis Sedis Apostolicæ in impedimentis dirimentibus matrimonii dispensare potest, nisi speciale privilegium à summo Pontifice habeat. Dico autem, regulariter, & in ordine ad matrimonium contrahendum: nam communis, & notabilis est exceptio,

quòd

quòd Episcopus dispensare valeat istis concurrentibus. I. Quod matrimonium jam publicè, & præmissis denuntiationibus contractum sit. II. Quòd sit contractum bona fide, id est, absque scientia impedimenti juxta Trid. *sess.* 23. *c.* 5. sufficit tamen, si unus ex conjugibus in bona fide fuerit. III. Quod propter paupertatem, & distantiam loci, & incontinentiæ periculum difficilis ad summum Pontificem, vel alium ex privilegio jus dispensandi habentem accessus detur. IV. Quòd impedimentum sit tale, in quo solet concedi dispensatio, adeoque non in primo, aut secundo gradu consanguinitatis. In affinitate autem ex copula illicita (puta si quis duxerit eam, cum cujus sorore, vel consanguinea priùs peccavit) ipse scio in primo, & secundo gradu contracto jam matrimonio dispensationem ab Episcopo datam esse, V. Denique, quòd impedimentum sit occultum; dicitur autem occultum, etsi unus, vel alter sciat, non tamen in loco divulgatum sit. Videatur Sanch. *lib.* 2. *disp.* 40. Hoc insuper adnotari potest quòd si dubitetur, an sit impedimentum inter contrahentes, possit Episcopus declarare, nullum esse impedimentum, aut etiam ad cautelam dispensare, sicut docet Garzias *de Beneficiis p.* 9. *c.* 2. *n.* 10. & Laym. *in Theol. de Legibus c.* 22. *n.* 4.

TITULUS XVII.

Qui Filii sint Legitimi.

SUMMARIA.

1 *Illegitimi in multis deterioris conditionis, quàm legitimi*
2 *Natus constante Matrimonio præsumitur legitimus, licet uxor adulterium fecerit.*
3 *Matri asserenti filium illegitimum, an sit fides habenda?*
4 *Natus ex Matrimonio putativo quando censeatur legitimus?*
5 *Conceptus ante Matrimonium, & natus in eo est legitimè natus.*
6 *Natus ante Mensem nonum quando habeatur pro legitimo?*
7 *Quid si post nonum Mensem?*
8 *De legitimatione per subsequens Matrimonium.*
9 *Sufficit matrimonium ratum, non tamen putativum.*
10 *Circa legitimationem* per subsequens Matrimonium *differentia inter Jus Can. & Civile.*
11 *Filii adulterini, & incestuosi non legitimantur.*
12 *Natus ex incestu Materiali, ignorata scil. consanguinitate, an legitimetur?*
13 *Filii Clerici in minoribus constituti an legitimentur per subsequens Matrimonium;*
14 *De legitimatione* per rescriptum Principis vel Indultum Comitis Palatini, *& ejus effectu.*

POst quam hactenus visum est quænam solemnitates, & impedimenta, observari debeant, ut matrimonium rectè contractum dicatur, nunc in hoc Titulo, de Matrimonii effectu agitur, qualiter nimirum Liberi per
1 matrimonium *legitimi* sint, aut fiant.

Notandum itaque I. plurimùm Interesse, an quis pro legitimè vel illegitimè nato habeatur: nam illegitimè natis cùm adhæreat semper macula paterni peccati, eorumque genitura à LL. reprobata sit, ideò in multis deterioris sunt conditionis, quam legitime nati; ita etenim ad Ordines Ecclasiasticos promoveri non possunt *tot. tit. de Filiis Presb. non ordinand.* nec ad beneficia curata, vel Prælaturas. *c. cum in cunctis* 7. *c. innotuit.* 20. *de Elect.* tametsi per dispensationem, aut ingressum in Monasterium ad Ordines habilitati fuissent, nisi Pontifex specialiter etiam quoad dignitates dispensasset *c.* 1. *ubi* Pan. & DD. *d. t. de Filiis Presb.* Item nec Patri, nec Fratribus aut aliis Consanguineis lineæ paternæ legitimè natis succedunt, qua de re videantur, quæ in Lib. III. in Tit. *de Successione ab intestato.* dicta sunt; & licet matri succedant in allodialibus,

& nonnunquam Patri in duabus unciis, ut ibidem traditum, in bonis tamen feudalibus generaliter excluduntur. *in c. naturales. in Titulo. Si de Feudo defuncti contentio sit.*

Notandum II. Quòd natus constante matrimonio adeò 2
habeatur pro legitimo, ut tametsi probari possit uxorem sæpius adulterium commisisse, nihiluminus favore prolis potiùs ex marito, quam adultero concepisse præsumatur *L. miles* 11. *§. defuncto.* 8. *ff. ad L. Jul. de Adult.* Interim hæc præsumptio, licet ordinarias probationes, vel alias præsumptiones in contrarium non admittat, cedit tamen evidentiæ, & veritati, si v. g. eo tempore, quo mulier concepit, & alio insuper longiore maritus absens, vel ob infirmitatem, aut aliam causam ad generandum patenter inhabilis fuerit. *l. filium.* 6. *ff. De his qui sui, vel alieni iuris.* Sed quid, si uxor ipsamet fateatur partum adulte- 3
rinum esse? Communis est sententia, filium, pro quo stat juris præsumptio, non teneri fidem habere huic maternæ confessioni, nisi evidentiores probationes concurrant. Text. cum Not. Gottofr. *in L. impetratores.* 29. *§. mulier. ff. de Probat.* Panorm. *in c. per tuas.* 10. *de Probat. num.* 4. Andr. Gail. *Pract. obs. lib.* 1. *obs.* 97. *n.* 8. Layman. *in Theol. moral. lib.* 3. *Tract.* 3. *p.* 3. *c.* 14. *n.* 1. apud quem ibidem plura de obligatione ex adulterio videri poterunt, quæ ad lib. V. ad Tit. *de Adulteriis, & stupro* remittimus.

Notandum III. Non tantùm natos ex matrimonio va- 4
lido esse legitimos, sed etiam illos, qui nati sunt ex matrimonio putativo, quòd revera quidem propter impedimentum aliquòd occultum consanguinitatis, aut simile fuit invalidum, publicè tamen credebatur validum: dummodò duo concurrant; nimirum *primo*, quòd saltem unus ex conjugibus putativis (tempore contractus) fuerit in bona fide, & ignarus impedimenti. *Secundo*, ut matrimonium fuerit contractum publicè in facie Ecclesiæ, & præmissis denuntiationibus. *c. ult. §. si quis de Cland. despons. & c. pen. h. t.* Hic autem breviter circa utranque conditionem subnotandum I. quòd in dubio, & pro favore prolis præsumatur potiùs ignorantia, quàm scientia impedimenti, teste Cov. *de Matr. p.* 2. *c.* 8. *§.* 1. *n.* 5. facit regula. 47. *juris in* 6. ubi dicitur, *præsumi ignorantiā, nisi probetur scientia.*

II. Omissionē denuntiationis impedire legitimitatem prolis, & quamvis uterque conjunx fuerit in bona fide, si culpabiliter, seu dolosè facta fuerit, non autem si justa de causa, & ex authoritate Episcopi, qui *d. c. ult. de Cland. despons.* partim est latum in pœnam clandestinè contrahentium, partim verò fundatur in præsumptione, quòd ij, qui denuntiationes ad revelandum impedimentum institutas omiserunt, scientiam, aut saltem affectatam tantùm ignorantiam impedimenti habuerint; ergò si in omissione denuntiationum nihil peccatum sit, cessabit etiam pœna, & præsumptio.

Notand. IV. Natos constante matrimonio haberi in 5
jure pro legitimis, licet ante matrimonium per copulam fornicariam concepti fuissent, sicut apertè decidit Justin. Imperat. *in l. nuper.* 11. *vers. & multo magis. C. de Naturalibus lib.* etiam generaliter pronuntiat, quòd in quæstionibus statum liberum concernentibus, pro favore eorundē non conceptionis, sed Nativitatis tēpus inspiciendū sit.

Sed dices, quomodo imperator potest illos dicere legitimè natos filios, qui reverà non ex copula matrimoniali, sed fornicaria nati sunt? Respondetur, ut aliquis legitimè natus dicatur, non esse effectum juris naturalis, secundùm quòd jus omnes æqualiter nascimur ex viro, & ex fæmina, sed esse potiùs effectum legis (unde, & legitimi dicuntur) & juris positivi, quòd alicujus nativitatem approbat, eique jura legitimè natorum attribuit, ergò cum Imperator tam in hoc casu natos constante matrimonio, quamvis antea conceptos, & in priori casu Pontifex natos ex matrimonio putativo bona fide contracto voluerit legitimè natos, ideo etiam à nobis tales dici, & haberi debebunt. Nec obstat quòd cōstitutio *d. l. nuper.* non habeatur expressè in jure Can. vel constitutio *d. c. ult. de Clandest. desp.* in Jure Civ. quia Jus Canonicum, & Civile sibi mutuum subsidium præstant, ut quòd in uno decisum non est, ex altero suppleatur, *jn. v. c.* 1. *de Nov. op. nunc.*

Sed quid si mulier pariat quidem in matrimonio, sed 6
tam maturè, ut maritus qui ante matrimonium negotium cum ea non habuit, dubitare possit, an partus suus vel alienus sit? R. quamvis ordinarium tempus pariendi *novem mensium* æstimetur, si tamen mulier peperit *septimo*

mense, partus legitimus reputabitur, quia intra hoc tempus naturalem partum edi posse, ex sententia Medicorum recepum esse tradit. J. C. *in l. septimo mense 12. ff. de Statu hominum*. Idque non tantum de completo mense septimo accipiendum est, sed, & ad initium septimi mensis legitimum partum nasci, satis apertè probatur *ex l. 3. §. ult. ff. de Suis, & legit. hared.* ubi dicitur, quòd ex sententia Hippocratis ab Imperatore Pio approbata 182. *die natus* legitimo tempore natus habeatur: jam si more Græcorum 30. dies pro mense computentur, ut notat Gottof. *ad eundem §. ult.* erunt *sex menses & duo dies*.

Notandum V. Non ita præcisè tempus nativitatis inspici circa legitimitatem liberorum, quin aliquando potiùs tempus conceptionis consideretur, si hoc sit eis favorabilius. Unde qui in matrimonio conceptus, & mortuo patre natus est, haud dubiè legitimus posthumus dicetur.

7 Quid autem si mulier post mortem mariti non pariat intra 6. menses, sed multò post, v. g. in mense decimo aut undecimo. Respondetur sicut ob diversas naturæ qualitates mulier aliquando citiùs, ita etiam aliquando seriùs parere potest, ita quidem, ut omnes facile consentiunt partum in mense decimo editum cæteris paribus, si nimirum mortuus ante mortem fuisset dispositus ad generandum, legitimum censendum esse. De mense 11. Difficultas esse videtur propter *Novellam 39. c. 2.* ubi imperator partum 11. mense perfecto editum vocat *impium*, & ait impossibile, ut conceptio ex marito defuncto in tantum tempus extendatur. Sed quia imperator de partu mense undecimo perfecto, & circa terminum anni edito loquitur, ideò concedendum quidem est, talem partum præsumptione juris haberi pro illegitimo, si tamen ad initium, vel etiam medium undecimi mensis peperisset, & de cætero bonæ famæ, & vitæ æstimata fuisset, & maritus quoque ante mortem nullo generandi impedimento laborasset, pro favore prolis respondendum putarem, quia in dubio non præsumitur delictum *l. merito 51. ff. Pro socio*, imò ipsam Novellæ præsumptionem circa partum post mensem undecimum natum per judicium Medicorum (quibus non dubito juramentum deferendum esse, quòd ita, sicut dicunt, & non aliter in conscientia sentiant) elidi posse, si attestentur juxta dispositionem naturæ mulieris partum sine suspicione tamdiu retentum esse, & concurrat bona mulieris apud vicinos existimatio, quibusdam exemplis probat Gottofred. *in not. ad d. c. 2. Nov. 39. l. 2.*

8 Notandum VI. Quòd tanta sit vis matrimonii, ut non solùm illi, qui in eo concepti, aut nati sunt, sed etiam qui antea sunt geniti, post illud contractum legitimi habeantur *c. tanta 6. h. t.* ubi prolixè Barbosa *in Collect. Doctorum* Neque refert, an immediatè, vel post intervallum longioris temporis, aut aliarum nuptiarum illa fœmina in uxorem ducatur, ex quia priùs liberi per fornicarium congressum suscepti sunt. E. gr. nihil obstabit legitimationi, si primo postquam filium ex concubina genuit, relicta concubina aliam in uxorem accipiat, & hac mortua tunc primùm concubinam ducat, Pan. *in eod. c. 6. n. 3. &* DD. communiter.

9 Notandum VII. Ad legitimationem liberorum solum matrimonium ratum sufficere, nec requiri ejusdem consumationem: quia *in d. c. tanta* dicitur, filios post contractum matrimonium esse legitimos, & nulla ibi fit mentio consummationis. Unde si contingeret Patrem ante consummationem mori, vel ipsum matrimonium in periculo mortis contrahi, nihilominus filius legitimus haberi deberet, Barb. *in eod. c. 6. n. 8.*

Per matrimonium autem putativum non legitimatur quia quòd est de jure nullum, nullum producit effectum; quare autem magis natus in matrimonio putativo legitimus censeatur, est, quia non est natus ex delicto, sed in forma matrimonii supposita bona fide; ille verò ex delicto, ergo debet aliquid accedere legitimum, quòd illud delictum cum effectu purget,

10 Notandum VIII. Quamvis de jure civili ad legitimationem liberorum duo videantur requiri. I. Ut dotalia instrumenta una cum nuptiis confecta sint. *Novell. 89. c. 8.* II. Ut concubina ex qua illegitimus susceptus est, fuerit domi loco uxoris detenta adeòque sine suspicione, quòd ex alio fortassis conceperit, *l. nuper in pr. C. de Natur. lib.* De Jure tamen Can. neutrum requiritur: quia tex. *in d. c. tanta* generaliter loquitur, ergo pro favore legitimationis etiam generaliter est accipiendus. Barb. *d. l. n. 4. & 5.* Atque hac in parte Jus Canonicum etiam in terris Imperii receptum est. Et meritò quidem: tum quòd effectus legitimationis dependeat ex matrimonio, quòd ex sui substantia non requirit dotalia instrumenta, solo mutuo consensu cum præsentia parochi, & testium sufficienti *c. is qui fidem 30. de Spon.* Trid. *sess. 24. de ref. matr. c. 1.* & aliàs in dubiis matrimonio dependentibus semper magis jus Can., quàm Civile sequi debeamus *c. tuam 3. de Ord. cog. c. latar. 5. hoc tit.* tùm etiam quòd hodie amplius non toleretur concubinatus, ideoque rarus, vel nullus esset hodie tam favorabilis matrimonii effectus.

Notandum IX. Ad legitimationem liberorum per subsequens matrimonium requiri, ut saltem uno ex tribus temporibus inter parentes potuerit matrimonium consistere, videlicet, vel tempore *conceptionis*, vel *media*, vel tempore *partus*; quia liberi merè adulterini, incestuosi, aut aliàs damnati io jure per subsequens matrimonium non legitimantur. Unde si v. g. aliquis ex adulterio conceptus, & viventa legitimo marito natus sit, non fiet legitimus, quamvis marito mortuo mater ejus ab adultero in uxorem ducatur; similiter nec Jura legitimorum consequitur, qui ex incestu cum consanguinea genitus licèt post ejus nativitatem mater per dispensationem in uxorem ducatur, nisi ante nativitatem in utroque casu impedimentum (in priori per mortem mariti, in altero per dispensationem) fuisset sublatum; tunc enim saltem tempore medio, aut partus potuisset inter parentes matrimonium consistere Text., & DD. *in c. tanta h. t.* 11

Sed hic quæritur, an ignorantia impedimenti patrocinetur filio? an qui v. g. natus quidem ex consanguinea, parentibus tamen consanguinitatem ignorantibus legitimus censeatur, si postea per dispensationem matrimonium contrahatur: Negativè respondet Barb. *in d. c. tanta n. 42.* partim ex generalitate tex. *in d. c. tanta* qui non distinguit, an parentes habuerint impedimenti ignorantiam, sed solum considerat, an inter eos tempore conceptionis, vel nativitatis potuerit consistere matrimonium; partim etiam quòd parentes peccantes non potuerint habere excusationem ignorantiæ quia dederunt operam rei illicitæ, *danti autem operam rei illicitæ, imputantur etiam, quæ præter ipsius intentionem sequuntur c. tua 17. de Homicidio & c. ult. eod. in 6.* 12

Contrariam tamen sententiam aliquando in Rota Romana prævaluisse ex Cassiodoro refert Barb. *d. l. n. 41*, eaq; etiam apud nos in praxi recepta est. Ratio mihi videtur esse valdè efficax, quod talis filius non sit natus ex formali incestu, nec parentes in tali casu, tanquam incestuosi propter ignorantiam impedimenti pœna incestus ordinaria puniuntur, ergo in materia favorabili non venit nomine incestuosi. Unde *d. c. tanta h. t.* explicandum est de illis, qui ex formali adulterio, vel incestu sunt geniti. Item illa regula *quod dant operam rei illicitæ imputentur, quæ sequuntur*, plerumque tantum circa homicidium in ordine ad irregularitatem incurrendam) quæ etiam ex culpa levissima contrahitur) locum habet.

Quæritur præterea, utrum filius à Clerico in minoribus Ordinibus constituto genitus legitimetur, si postea Clericus deposito Clericatu matrem in uxorem ducat? Affirmativa communis, & vera est: quia inter talem Clericum, & fæminam etiam tempore conceptionis potuit consistere matrimonium, cum minores Ordines non constituant impedimentum ditimens. Cov. *d. c. 8. §. 2. n. 5.* 13

Notandum X. Licèt illegitimè nati etiam per rescriptum Principis, vel indultum Comitis Palatini legitimari possint, majoris tamen effectus est legitimatio per matrimonium; nam legitimati per rescriptum Principis non succedunt Patri, si alii Filii ex justis nuptiis procreati adsint, nisi pater ipse supplicaverit Principi, & legitimationi inserta, ut clausula: *non obstante quod adsint filii legitimi &c.* Imò in bonis feudalibus, fideicomissis familiatum & majoratibus prorsus excludetur, at verò legitimati per matrimonium legitimè natis in omnibus; & per omnia æquiparentur: inducitur enim legitimatio ab ipsa lege tàm Canonica, quàm Civili, adeoque omnes effectus legis ipsi tribuuntur: nam verè est legitimus, quem lex pro tali habet: cum aliquem legitimum esse 14

non

non proveniat à natura, secundùm quam omnes æqualiter nascimur, sed à lege ejus nativitatem, sive ab initio, sive ex post facto approbante, sicut hac de re dictum est in lib. III. in Tit. *de Successione ab intestata*. Et videri poterunt, quæ tradit Harprechtus *ad principium instit. de Success. ab intestato*. 2. 271. *& seq.* Porrò dum diximus legitimationem per subsequens matrimonium ipso Jure induci, ulteriua quædam consequuntur, de quibus.

15 Notandum est *ultimo*, quòd legitimatio per rescriptum Principis sæcularis, vel Comitis Palatini non habeat effectum in foro Ecclesiastico, v. g. ut talis legitimatus possit Ordines suscipere. Panorm. *in c. per venerabilem*. 13. *h. t. n.* 26. imò non pauci DD. sentiunt teste Fach. *lib. 3. Controv. cap.* 28. quòd legitimatio ab uno Principe facta non habeat effectum in territorio alterius Principis, adeò ut v. g. legitimatus ab Imperatore non succedat in Papali territorio sitis, Item ad legitimationem per rescriptum Principia requiritur, ut tam pater, quàm filii legitimandi, & secundùm quorundam opinionem etiam alii filii legitimi, si extent, consentiant. *Nov. 89. c. 9. &* 11. Verùm in his omnibus aliter se res habet, si legitimatio per matrimonium contingat; talis enim filius, cùm ipso Jure legitimus effectus sit, tam in foro Ecclesiastico quoad Ordines, Beneficia, & dignitates, quàm in civili quo ad hæreditates, statum familiæ, Jura retractus &c. atque ubique terrarum pro legitimo habendus erit, neque interest, an pater, vel alii filii in matrimonio nati consentiant, aut dissentiant. Vide Barb. *in sæpe d. c. tanta. h. t.*

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.

SUMMARIA.

1 *Omnes causa matrimoniales coram solo Judice Ecclesiastico tractari debent.*
2 *Causa Matrimoniales de jure tantùm ad Episcopos, eorumque Vicarios pertinent.*
3 *Conjux propria authoritate compartem dimittens, tenetur iterum recipere, non obstante quocunque impedimento.*
4 *An post receptionem, non obstante impedimento, licitus sit conjugii usus?*
5 *Non tantum conjuges, sed quicunque notitiam impedimenti habentes matrimonium accusare possunt.*
6 *Conjugibus impedimentum ultrò confitentibus, non statim credi debet.*
7 *Ad matrimonium contractum dissolvendum requiruntur plena probationes.*
8 *Consanguinei circa impedimentum consanguinitatis pro testibus accipiendi sunt.*
9 *In dubio pro favore matrimonii judicari debet.*
10 *Causa matrimoniales brevissimè tractari debent.*
11 *Sententia lata in causa matrimoniali non transit in rem judicatam.*
12 *Accusatio matrimonii etiam post lapsum longissimi temporis institui potest.*
13 *Quando agitur de impedimento Canonico, nunquam transactio locum habere potest.*

Contingit non rarò, ut desponsatis, vel conjugatis aliquod impedimentum Canonicum objiciatur, atque contra eos ad impediendum matrimonium contrahendum, vel contractum dissolvendum agatur. Ideò hoc loco trademus, quid Judicibus in tali processu observandum sit.

1 Igitur *sciendum* I. omnes causas matrimoniales pertinere ad judicium Ecclesiasticum; quam propositionem si quis contumaciter negaverit, anathemate damnatur à Concilio Tridentino *sess. 24. de Sacramenta matrimonii can.* 12. Unde Judices sæculares se immiscere non possunt, quia cùm matrimonium sit Sacramentum, causa illius censetur esse spiritualis, quam non convenit a sæcularibus Judicibus tractari. *c. decernimus*. 2. *de Judiciis*. Imò tametsi causa principalis sit sæcularis, & quæstio tantùm incidat de valore matrimonii (e. g. si agatur de hereditate, & filius, qui hæreditatem prætendit, negetur esse legitimus, & natus ex valido matrimonio) adhuc judices sæculares in causa principali supersedere, & illam quæstionem de valore matrimonii ad Judicem Ecclesiasticum decidendam remittere debent, licèt aliàs causa connexa dividenda non sit *l. nulli*. 10. *C. de Judiciis*. excipitur tamen, si sit spiritualis, quæ à Judice sæculari nequit cognosci. *c. tuam 3. de Ordine cognationum. c. lator. 5. & c. causam. 7. Qui filii sint legitimi*. Mynsing. *Centur. 5. observ.* 100. qui ita in Camera Imperiali practicari asserit, nisi quæstio de matrimonio esset *meri facti*, & *non juris*. e. g. si diceretur filius merè ex concubinatu genitus, & negaretur inter parentes ejus aliquando matrimonium fuisse contractum; tunc enim de isto facto, an matrimonium contractum sit, abstrahendo à valore ejus, etiam Judex sæcularis rectè cognosceret.

2 *Sciendum II.* Causas matrimoniales non ad quosvis Judices Ecclesiasticos, sed tantum ad Episcopos eorumque Vicarios pertinere. Unde Decani, & Archidiaconi hanc cognitionem causarum matrimonialium sibi de jure vindicare non possunt. Trid. *sess. 24. de Reform. c.* 20. in amplis tamen dioecesibus, sicut in hac Salisburgensi, solent Episcopi Archidiaconis causas matrimoniales in certo aliquo districtu emergentes judicandas committere, & sibi tantùm appellationem reservare, ne partes cum magnis sumptibus, & temporis dispendio cogantur semper Episcopale Consistorium adire. Abbates quoque nonnulli exempti, qui totum territorium, & in eo jurisdictionem quasi Episcopalem habent, quamvis ipsi de cætero Episcopi non sint, etiam de caussis matrimonialibus cognoscere possunt; nam ad decisionem istarum causarum non requiritur ordo Episcopalis, sed jurisdictio.

3 *Sciendum est III.* Neminem posse propria authoritate conjugem ob quodcumque impedimentum sine sententia Judicis dimittere, licèt fortassis notoria consanguinitas inter ipsos conjugatos post contractum matrimonium appareat. Imò si de facto e. g. maritus dimisisset uxorem, ad recipiendam eam, & cogendus, & insuper pœna arbitraria mulctandus esset. *c. 3. & 4. de Divortiis*. Utrum autem post talem receptionem licitus sit usus matrimonii superiùs ad Tit. IV. *de Sponf. duorum. n. 6.* dictum est.

4 *Sciendum IV.* Quòd non tantum ipsi conjuges, vel illi, quorum interest, possint matrimonium accusare, & impedimentum Judici notificare, sed si fama spargatur, quosdam conjugatos aliquo impedimento Canonico laborare, Judex de veritate ex officio inquirere debeat; imò quilibet de populo, cui impedimentum notum est, id judici proponere, & matrimonium accusare permittatur, ne aliqui sub specie conjugii impunè adulteria, vel incestus committant, dummodò non sit præsumptio, quod ex odio, aut malitia, vel ad extorquendam pecuniam accusator alienum matrimonium turbare velit. *c. 5. h. t.*

5 Oritur autem præsumptio contra accusatorem, si eo tempore, quo denuntiationes ante matrimonium in Ecclesia factæ sunt, ipse in loco præsens fuerit, nec contradixerit, & primùm post matrimonium contractum accusationem instituat. Quare non erit facilè audiendus, nisi juramentum præstiterit, quòd primùm ex post facto in veram notitiam impedimenti devenerit, & nulla malitia ad accusandum moveatur. *c. ult.* ubi Panor. *n. 9. x. h. t. & c.*

6 *Sciendum V.* Quamvis aliàs propria confessio dicatur optima probatio; si tamen conjugati ultrò faterentur impedimentum, e. g. consanguinitatis, impotantiæ, criminis, non propterea matrimonium statim separandum foret, nisi ex aliis conjecturis de veritate appareret, ne conjuges cohabitationis pertæsi colludere, & impedimentum fingere possint, *cap. super De eo, qui cognovit*. Si verò conjuges non petant separationem, sed tantùm dispensationem, & ulteriùs cohabitare velint, creditur simplici eorum assertioni; quia hic nulla causa est,

cur

cur de falsitate suspecti sint: nam confessio non est in eorum favorem, sed potius gravamen impetrandæ dispensationis.

7 *Sciendum VI.* Causam matrimonialem reputari in jure causam *arduam, & magni præjudicii*, adeoque in ea non sufficere qualescumque probationes, sed requiri plenas, & integras. Verum hoc intelligendum est, si de matrimonio *jam contracto dissolvendo* agatur. Sin autem agatur *de impediendo matrimonio*, quod necdum contractum est, tunc etiam semiplenæ probationes admittuntur, ut dictum unius testis, fama communis. vel alia indicia, & conjecturæ, *c. 2. de Consanguinitate, & affinitate*. Ratio est, quia ex tali imperfecta probatione res fit saltem dubia, & periculosa, in dubio autem, & periculo tutior via est tenenda: & expedit ab initio impedire matrimonium, quàm cum periculo peccati admittere, ut fortassis ex post facto cum scandalo dissolvi debeat.

8 *Sciendum VII.* Licèt regulariter consanguineus pro consanguineo non sit testis idoneus, si tamen agatur circa matrimonium de impedimento consanguinitatis, potiùs consanguinei quàm extranei pro testibus admittendi sunt, eò quòd censeantur optimam habere suæ genealogiæ notitiam, & non facilè incestas nuptias in sua familia toleraturi sint *c. 3. h. t. c. super 22. de Testibus.*

9 *Sciendum VIII.* Si aliqui testes aliquid contra matrimonium deponant, vel res ipsa in puncto juris controversa sit, tunc potiùs pro matrimonio quàm contra pronunciandum esse. *arg. c. finalis de Sententia, & re judicata.*

10 *Sciendum IX.* Causas matrimoniales tractandas esse *summariter*, & quantùm fieri potest, brevissimè, ut longiores dilationes, & frustratoriæ exceptiones ex officio Judicis amputentur, ne litigantes ob longiorem moram periculo incontinentiæ exponantur. *Clem. 2. de Judiciis, & Clem. sæpe 2. de Verborum signif.*

11 *Sciendum X.* Quòd sententia lata in causa matrimoniali non transeat in rem judicatam, etiamsi ab ea appellatum non fuerit, propterea si quandocunque novæ probationes impedimenti emerserint, nova accusatio institui poterit, vel contra, si matrimonium ex falsis probationibus separatum fuerit, & ex post facto de veritate constet, rursus redintegrari debebit. *c. lator. 7. & ubi glossa de Sententia, & re judicata.*

12 *Sciendum XI.* Quamvis aliæ actiones regulariter extinguantur lapsu 30. vel 40. annorum *l. sicut 3. & l. omnes 4. C. de Præscriptione 30. annorum*. Accusationem tamen matrimonii post lapsum tanti temporis institui posse: neque enim matrimonium ab initio invalidum tractu temporis convalescit, aut impedimentum tollitur. Hoc tamen concedendum videtur, quòd post mortem conjugum 30. vel etiam 20. annis elapsis non possit disputari de valore matrimonii præteriti, e. g. ut filius, vel nepos à successione hæreditaria excludatur; quia cum tali casu jam cessaverit peccatum conjugum, non apparet ratio, cur dispositio juris civilis, quæ post tantùm tempus omnem actionem tollit, locum non habeat. Facit enim textus *in l. querela* 12. *ubi* Bartholus, & DD. *Ad legem Cornelianam de falsis.*

13 *Sciendum ultimo*, in aliis quidem causis dubiis consulendum esse partibus, ut transactione, vel amicabili compositione liti finem imponant. At verò in matrimonio, quando agitur super impedimento Canonico, non esse permissam transactionem, neque juramentum voluntarium, vel compromissum, aut alia similia, quæ speciem transactionis continent *c. ult. de Transactionibus*. Quia super illis tantùm admittitur transactio, quæ sunt in potestate partium litigantium: non est autem in eorum potestate cum impedimento Canonico in matrimonio permanere, vel sine impedimento à matrimonio discedere, ergò. Super expensis autem in lite factis, item si contra filium agatur, de valore matrimonii parentum jam defunctorum in ordine ad successionem hæreditariam, transactionem procedere, nemo facilè dubitarit. Alia ad processum judicialem in causa matrimonii pertinentia ex *Lib. II. Decretal.* desumenda sunt.

TITULUS XIX.

De Divortiis.

SUMMARIA.

1 *Matrimonium aliud propriè tale, aliud impropriè seu attentatum.*
2 *Magis interdum congruum est, impedimentum quovis modo tollere, quàm conjuges invitos ab invicem separare.*
3 *Qualiter matrimonium nullum ex defectu consensus in alterutro reconvalidari possit?*
4 *Qualiter matrimonium cessante impedimento dirimente occulto reconvalidari debeat?*
5 *An ad reconvalidationem matrimonii debeant etiam repeti solemnitates?*
6 *An Parochus, vel confessarius teneatur monere habentes impedimentum, si id ignorent?*
7 *Matrimonium dupliciter dissolvi potest, vel quo ad vinculum, vel quo ad thorum.*
8 *Matrimonium ratum duobus tantùm casibus: Consummatum verò nunquam, excepta morte, quod vinculum dissolvi potest.*
9 *Occurritur objectioni hæreticorum contendentium, saltem ob adulterium matrimonium consummatum etiam quoad vinculum solubile esse.*
10 *Matrimonium consummatum 6. de causis quoad thorum dissolvi potest.*
11 *Ex solo adulterio matrimonium consummatum quoad thorum in perpetuum dissolvitur.*
12 *An sicut maritus uxorem, ita uxor maritum propter adulterium dimittere possit?*
13 *An etiam oscula, vel amplexus uxoris, aut suspicio tantùm adulterii divortium causare possint.*
14 *Quales probationes requirantur, ut judex divortii sententiam ex causa adulterii proferre valeat?*
15 *Ob paritatem delicti denegatur divortium etiamsi pars innocens primùm post latam sententiam adulterium committat.*
16 *Maritus uxori etiam indirectè tantum dans causam adulterii, divortium petere non potest.*
17 *Bona fides, uti & violenta oppressio, vel etiam metus cadens in constantem mulierem excusat à divortio.*
18 *Tollitur divortium ex condonatione injuriæ, & quando hæc condonatio fieri possit.*
19 *Si conjux innocens nocenti injuriam condonet, tenetur nocens acceptare, & ad cohabitationem redire.*
20 *Cur hæresis sit causa divortii?*
21 *An conjux Catholicus teneatur recipere hæreticum post latam sententiam revertentem?*
22 *Meritò etiam ob periculum peccati divortium fieri debet.*
23 *Demùm ex sævitia conjugis rectè dissolutio matrimonii petitur.*

MAtrimonium aliquando dissolvitur, quia invalidè contractum cum impedimento dirimente, quod quidem non est propriè matrimonium, sed matrimonium *attentatum*: aliquando verò validè ubi initio contractum ex causa superveniente.

---

§. I.

De Separatione Matrimonii ob nullitatem.

MAtrimonium nulliter contractum propriè quidem, & de jure matrimonium dici non potest; dicitur tamen matrimonium impropriè, seu de facto attentatum. Porrò matrimonium tale attentatum ob quodcun-

cunque impedimentum, non aliter separandum est, quàm accedente authoritate Judicis Ecclesiastici. Est autem hic advertendum, quòd non semper invitis conjugibus matrimonium separandum sit, dummodò impedimentum, vel causa nullitatis per dispensationem aut alium modum tolli possit. Imò si vir tantùm fuerit in mala fide, & fœminam ignaram impedimenti deceperit, videtur planè ex naturali æquitate ad tollendum impedimentum, & dispensationem impetrandam cogi posse.

2 Quæritur autem I. An si nullitatis causa sit occulta, & uni tantùm parti cognita, aliquando convalidari possit matrimonium absque eo, ut alteri parti ignoranti id significetur, posset enim nonnunquam ex notificatione impedimenti oriri dissentio, perplexitas, infamia, aut aliud scandalum.

3 Responsio affirmativa communiter est recepta. Quoad modum autem convalidandi distinguendum est, an matrimonium sit nullum ex defectu consensus in alterutro, vel an ob aliud impedimentum ditimens occultum. Priori casu convalescet matrimonium, si ille, qui fictè tantùm consensit, ex post verè consentiat: neque enim ad matrimonium necessarius est consensus viri, & fœminæ formaliter simultaneus, sed sufficit, quòd is, qui priori tempore consensit, in sua voluntate perduret, usque dum etiam pars altera consentiat; aliàs matrimonium per procuratorem contrahi non posset, cùm principalis, qui procuratorem mittit, longo tempore priùs consentiat, quàm altera persona, ad quam procurator mittitur. Volunt tamen Doctores, ut iste novus consensus non sit mere internus, sed per signum aliquod externum, per verba, quæ conjugalem affectum indicent, aut per copulam exprimatur, quia ad essentiam Sacramenti requiritur signum visibile. Licet verò in tali casu jam priùs adfuerit signum scilicet contractus extrinsecus matrimonii, & tantùm defuerit consensus; reputatur tamen hoc signum insufficiens: quia tunc temporis, quando positum erat, fuit solummodo putativum, & falsum.

4 Altero casu, si occultum impedimentum cessatit, v. g. in affinitate occulta dispensatio clam obtenta sit; uxor legitima, de qua nihil sciebatur, mortua sit &c. requiritur quidem novus utriusque consensus: quia prior propter tale impedimentum erat invalidus: interim tamen non est necesse, ut uxor v. g. ignara nullitatis priùs de ea certioretur, & ita novus ipsius consensus petatur, sed satis erit, si dissimulata nullitate interrogationi de præsenti factæ consentiat, ut si maritus dicat: *si non esses mea uxor, velles fieri? & de facto vis esse mea uxor, &c.* qua de re videatur Sanchez. *de Matrimonio l. 3. d. 36.*

5 Quæritur II. An ad reconvalidationem matrimonii debeant reiterari solemnitates Conc. Trid. ut scilicet denuo interveniat Parochus cum testibus.

R. Hic distinguendum, an impedimentum ita occultum sit, ut probari nequeat? vel utrum juridicè saltem per duos testes probari possit? priori casu sufficiet, quòd solemnitates ab initio adhibitæ sint: quia earum effectus etiam imposterum censetur durare, hoc ipso, quòd matrimonium tali casu negari facilè non possit, cum constet de contractu publico, & non constet de impedimento. At in posteriori casu propterea solemnitates reiterandæ sunt; quia sine his subesset periculum, ne quandoque matrimonium negaretur, si nullitas in primo contractu propter impedimentum probari posset, & consensus novus ex defectu solemnitatum esset omninò occultus. Verùm ne passim divulgetur, quòd duo conjugati impedimento Canonico laborent, notabilis est cautela, ut Parochus, vel Confessarius petens licentiam à Parocho in præsentia duorum testium, qui possunt esse de consanguineis, aut aliis bonis amicis partes coram se privatim conjungat.

6 Quæritur III. An si Confessarius, vel alius quiscunque ex privata scientia advertat, conjugatos habere ignorantiam impedimenti, teneatur eis impedimentum, & nullitatem matrimonii indicare?

R. Non teneri; imò plerumque non esse consultum admonere conjuges in bona fide existentes, si tamen ista concurrant. I. Ut impedimentum sit occultum, & non sit scandalum apud alios homines. II. Ut ignorantia non sit mortaliter culpabilis, sicut ordinariè ignorantia juris excusat homines plebeos, fæminas, milites, & alios similes *l. cùm de indebito §. 1. ff. de Probationibus*, & ignorantia facti excusat omnes. III. Ut pœnitens nullum omnino dubium habeat de valore matrimonii: quia Confessarius, vel alius vir doctus interrogatus de valore matrimonii tenetur veritatem dicere, ne causam erroris præbeat. IV. Ut prudenter timeantur dissensiones, infamiæ, periculum incontinentiæ, & alia scandala, vel gravia incommoda. Ratio autem, cur istis concurrentibus rectè ommittatur admonitio, ista est: quia nemo obligatur ad actum inutilem, & proximo nocivum; esset verò talis admonitio inutilis, & nociva: tum propter incommoda subsequentia, tum quod conjuges priùs in bona fide existentes, per usum matrimonii putativi non peccarint, jam autem post indicationem impedimenti periculo peccandi exponantur, ergò &c. Idque confirmatur ex *c. quia circa. 6. de Consanguinitate, & affin. &* *c. si quis autem 4. de Pœnit. dist. 7.* Non obstat difficilis textus in *c. 3. x. de Regulis Juris*, ubi dicitur: quòd utilius scandalum nasci permittatur, quàm veritas relinquatur. Nam explicari potest de tali veritate, quæ sine peccato taceri non potest, & ad quam manifestandam aliquis tenetur, ut si partes sint in mala fide, vel dubio, aut culpabili ignorantia. Item Concionator, aut Professor publicus tenetur veritatem dicere, licet fructus alicujus privati non speretur, sed potiùs scandalum, quia talis doctrina ordinatur ad bonum publicum, ideò ob privatum alicujus malum non est intermittenda. Pluribus examinat hanc quæstionem Sanch. *d. l. disp. 28.*

---

§. II.

De Separatione Matrimonii validè contracti.

Matrimonium validè contractum aliquando separatur, vel quoad *vinculum*, ita ut prorsus cesset esse
matrimonium: vel tantùm quoad *thorum, & mutuam co-* 7
habitationem, manente vinculo conjugii.

Quoad vinculum matrimonium ratum duobus casi-
bus dissolvitur, scilicet per ingressum in Religionem, & 8
dispensationem S. Pontificis; quia matrimonium ratum, cùm tantum significet conjunctionem Christi cum anima fideli (quæ, & magis intendi, & per peccatum tolli potest) non est indissolubile. At verò matrimonium consummatum, cum significet indissolubilem conjunctionem Christi cum unica sponsa Ecclesia, nullo casu, excepta morte naturali, quo ad vinculum dissolvi potest: ita enim illam legem Hebræorum *Deut. 24. c.* ex qua licebat dare libellum repudii uxoribus, apertè, & iteratò sustulit Christus *Math. c. 5. & c. 19.* his verbis: *Moyses ad duritiem cordis vestri* (intellige ex dispensatione DEI) *permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*

Sed Hæretici suo more semper proni ad carnis liberta-
tem (quam prohibet Apostolus *ad Galat. 6. ad Rom. 8. c.*) 9
& Evangelii jugum excutiendum, ergò inquiunt, saltem ob fornicationem uxoris solvetur matrimonium consummatum, eaque dimissa licebit aliam ducere. Hunc errorem, quem plerique hæretici nostri temporis amplectuntur, anathemate damnavit Concil. Tridentinum *sess. 24. de Sacramento Matrimonii Canon. 7.* & pluribus demonstrat Bellarm. *lib. 1. de Matrim. c. 15. & seqq.* etenim textus allegatus in hunc modum interpretandus est, ut illa exceptio de fornicatione uxoris referatur tantùm ad verba *præcedentia*, ut scilicet non liceat dimittere uxorem *excepta causa fornicationis*: non autem ad verba *subsequentia*, quasi insuper ob causam fornicationis aliam ducere liceat, sicut cum S. Thoma *in 4. p. dist. 35. q. un.* communiter Scholastici explicant. Doctrinam autem hæreticorum ineptam esse. I. Probatur ex interprete Christi Paulo Apostolo, qui *1. ad Corinth. 7.* inquit *ut, autem,*

autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. ubi in prioribus verbis *præcipio, à viro non discedere:* loquitur Apostolus de discessu injusto, in posterioribus autem de discessu justo, scilicet ob causam fornicationis, quem discessum Christus dicto loco permisit, aliàs si etiam in posterioribus locutus fuisset Apostolus de discessu injusto, non potuisset dare optionem uxori, an vellet innupta manere, aut viro reconciliari, sed simpliciter debuisset jubere, ut ad virum reverteretur; Deinde probatur ratione: quia si propter adulterium dissolveretur conjugium, aperiretur janua infinitis repudiis, & conjunx volens esse liber tantùm adulterium committeret, & ita ex suo delicto commodum reportaret, atque ad alias nuptias pro libitu transire valeret.

Verùm matrimonium *consummatum*, licèt quoad
10 vinculum dissolvi nequeat, quoad thorum tamen, & mutuam cohabitationem 6. de causis dissolvitur. I. Propter adulterium. II. Propter hæresin. III. Propter incitationem ad peccatum. IV. Propter sævitiem. V. Propter ingressum in Religionem mutuo consensu factum. Et VI. Propter morbum contagiosum.

Instant autem hoc loco iterum hæretici dicentes, si juxta nostram explicationem is fuit sensus Christi, ut non liceat dimittere uxorem, excepta causa fornicationis, quomodo ergò hic ultra fornicationem plures separationis causæ conceduntur? R. Nostram explicationem ulteriùs declarandam esse in hunc modum, ut ex solo
11 adulterio liceat dimittere uxorem in perpetuo, & etiam nolentem ac invitam: aliæ verò causæ hic enumeratæ ex sua natura non sint perpetuæ, vel certè non sint contra voluntatem alterius partis, sicut ingressus in Religionem mutuo consensu factus. Unde cessante hæresi, periculo peccati, sævitia, & morbo contagioso cohabitatio separata rursus restaurari debebit, non autem cessante adulterio, quia fides conjugalis semel violata, semper manet violata; & sanè, si Apostolus *ad Corinth. 7.* potuit concedere temporalem separationem conjugum ex consensu causa orationis, potuerunt utique etiam Pontifices ex aliis justis causis, scilicet propter periculum corporis, vel animæ talem separationem indulgere: etenim Pontifices tanquam Christi in terris Vicarii Apostolica authoritate perfruuntur, iisque non minùs quàm Apostolis jus divinum interpretari, ac declarare convenit.

---

§. III.

De Separatione propter Adulterium.

Quæritur I. Utrùm non tantùm maritus uxorem,
12 sed etiam viceversa uxor maritum propter adulterium dimittere possit? Affirmativa sententia communis, & vera est. Ratio enim hujus divortii consistit in violatione fidei conjugalis, quæ haud dubiè non tantùm per adulterium uxoris, sed etiam mariti contingit, cùm conjuges non debeant ad imparia judicari. *c. gaudemus 8. hoc tit. cap. ult. causa 32. q. 5. c. placuit 5. eadem causa. q. 7.*

Non obstat quòd Christus Dominus *Matth. 5. & 19.* tantum de dimissione uxoris meminerit, quia intelligitur locutus fuisse de eo, quod frequentius accidit, prout etiam in *d. c. ult.* ait Innocentius, quòd viri frequentiùs soleant mulieres de adulterio accusare, quàm è contra mulieres viros suos. Item dici potest, quòd ibi Christus tantùm de dimissione uxoris à Judæis interrogatus fuerit, & ideò juxta interrogata responderit.

Quæritur II. An etiam propter oscula, vel amplexus uxoris, aut suspicionem tantùm adulterij possit cohabitatio dissolvi? Pro Affirmativa facere videtur *l. consensu.*
13 *8. §. 3. Cod. de Repudiis*, ubi justa divortij causa esse dicitur si mulier invito marito aliena convivia appetat, aut extra domum pernoctet. Item textus *in lib. 1. feudarum t. 5.* ubi statuitur, quòd vasallus feudum perdere debeat, non tantùm, si cum uxore Domini adulterium commiserit, sed etiam, si committere attentaverit, vel cum ea turpiter luserit. Negativa tamen sententia verior est, quidquid enim leges civiles statuerint, & permiserint, ut ex aliis etiam pluribus causis, quam ex solo adulterio matrimonium quoad ipsum vinculum misso libello repudii dissolvi posset, prout constat ex toto tit. *ff. & Cod. de Divortiis, & de Repudiis.* Istæ tamen leges invalidæ reputantur: quia causa matrimonii secundùm Canones, & Evangelium tractanda est, ubi matrimonium consummatum quoad vinculum nunquam quoad cohabitationem solùm propter adulterium in perpetuum separari conceditur, ut superius diximus. Deinde si ab adulterio ad oscula &c. argumentari vellemus, esset argumentum à *majori* ad *minus*, quod utique in pœnalibus, & odiosis extra casus in jure expressos locum non habet, cùm in pœnalibus ex recepta doctrina nequidem à simili argumentum procedat. Unde etiam allegata constitutio feudalis ad causam matrimonialem tanquam multò graviorem, & majoris præjudicii trahenda non est. Hoc tamen rectè admittitur, quòd nomine adulterii veniant etiam reliqui concubitus contra naturam, secundùm ea, quæ prolixè tradit Sanchez *de Matrim. lib. 10. disp. 4.*

Quær. III. Qualiter constare debeat de adulterio, & 14
quales probationes requirantur, ut Judex divortii sententiam profarre valeat?

Resp. Cùm delicta carnis sint difficilis probationis, non requiri testes de visu ipsius peccati deponentes, sed sufficere conjecturas, & præsumptiones violentas, ex quibus si non *physica*, saltem *moralis* certitudo inducatur, ut scilicet quilibet prudenter credere possit, adulterium commissum esse; quales autem sint tales præsumptiones violentæ, traditur per textum, & DD. *in c. litteris. 12. de Præsumpt.* & multis explicat Farinac. *in Praxi criminali de Delictis carnis.* & Sanch. *d. lib. 10. disp. 12.* Desumuntur verò ex circumstantia loci, temporis, & personarum, veluti si uxor aliàs malè diffamata, aut suspecta, sola cum solo, tempore, & loco ad peccandum apto deprehendatur. Oscula etiam, & tactus, quamvis ex se non constituant causam divortii, ut dictum, concurrentibus tamen aliis circumstantiis valdè aggravant præsumptionem adulterii.

Est verò advertendum, quod tales conjecturæ, ex quibus peccatum præsumitur, plenè probandæ sint per testes, aut confessionem propriam uxoris, proin non sufficiet, si e. gr. solus maritus dicat se actus suspectos uxoris vidisse: quia in causa propria nemò testis idoneus reputatur, ex qua nimirùm aliquod commodum sperat, sicut hic, ubi propter adulterium uxoris maritus non tantum à jugo matrimonii liberatur, sed insuper uxoris dotem lucratur.

Quær. IV. An sint aliqui casus, in quibus propter adul- 15
terium non conceditur divortium?

Resp. Varios casus enumerari, qui facilioris memoriæ causa ad tria capita reduci possunt. *Primum* est paritas, vel causa delicti in altero conjuge. *Secundum* excusatio delicti à culpa. *Tertium* conciliatio, seu condonatio injuriæ.

Ex primo capite denegatur divortium I. si uterque conjux commiserit adulterium, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur. *c. ult. Adult. & c. 5. h. tit.* idque probabilius extendunt DD. ut si. e. g. maritus etiam post latam divortii sententiam adulterium commiserit, adhuc ad recipiendam uxorem dimissam cogi possit: sicut enim uxor ex primo adulterio amisit jus quæsitum per contractum matrimonii, ita, & multo magis maritus per subsequens adulterium amittet jus quæsitum per sententiam: est enim jus ex matrimonio quæsitum multò fortiùs quàm quæsitum ex sententia Judicis, & cohabitatio matrimonialis favorabilius quàm separatio. Nav. *l. 5. consil. 1.*

16 II. Maritus divortium petere non potest, si uxori causam adulterii dederit, ipsam prostituendo, vel non prohibendo, cùm potuisset, aut denegando debitum conjugale, *c. si tu abstinens 24. causa. 27. q. 2.*

Sed quid si uxor ob nimiam mariti sævitiam fugerit ex domo, & extra eam adulterium commiserit? Non excusari uxorem à divortio, docet Sanch. *d. l. 10. disp. 5. n. 10.* contra quosdam alios gravissimos Doctores, eo

quòd

quòd talis sævitia non sit directa adulterii causa, *Argum. c. significasti. 4. h. t.*

Nihilominus si mulier necessitate compulsa fugerit ad talem locum, ubi fuit periculo incontinentiæ exposita; non video, quomodo tale adulterium marito imputari non possit, qui inhumaniter tractando conjugem, ei in effectu cohabitationem denegavit, & à loco periculoso revocare debuisset. Ad *d. c. significasti* responderi potest, quod ibi mulier sine necessitate fuerit in loco periculoso vel quòd intelligatur, quando vir non tenebatur reddere debitum propter adulterium præcedens, sicut ex casu illius capituli intelligitur. Interim licèt hoc casu denegetur divortium, alia tamen pœna adulterium uxoris rectè punietur.

17 *Ex secundo Capite* cessat divortium I. Si conjux probabiliter credens, alterum conjugem decessisse, vel matrimonium ex falsis probationibus consanguinitatis, vel alterius impedimenti separatum sit, alteri nubat, nisi tamen jam certiorata de vita prioris conjugis, aut valore prioris matrimonii perstiterit in secundo conjugio debitum reddens ac petens: tunc enim jam verè rea adulterii censetur, ut rectè docet Hostiensis *in Summa hoc tit. num.* 8.

II. Si uxor per violentiam oppressa sit, cui resistere non potuit; imò non improbabiliter tenet Sylv. V. *Adulterium n.* 50. quòd non tantùm violenta oppressio, sed etiam alius justus metus cadens in constantem mulierem excuset à divortio; licèt enim metus non soleat in foro interno excusare à transgressione legis divinæ præceptivæ, & ita à peccato, excusat tamen quo ad pœnas legales, & ab injuria marito illata, *arg. l. vim passa, n. 39. & l. si 13. §. si quis 7. ff. Ad legem Juliam de Adulteriis.*

III. Si quis uxorem accesserit, simulans se esse maritum, cui uxor bona fide nihil mali cogitans credidit, *c. in Electum 6. causa. 34. q. 2.* nam sicut hoc casu bona fides tollit culpam adulterii, ita etiam pœnam divortii; ad probandam autem hanc conjugis bonam fidem sufficere ejus juramentum, habito respectu ad ejus honestatem, & alias probabiles conjecturas, tradit Hostiensis *d. n. 8. casu 3.*

18 Ex tertio Capite tollitur divortium I. Si conjux innocens expressis verbis injuriam, & adulterium alteri condonaverit, cùm quilibet possit juri suo renuntiare *l. penult. C. de Pactis.*

II. Censetur tacita condonatio, si innocens conscius adulterii cum altera parte nocente spontè matrimonio usus sit, petendo, aut reddendo debitum. Notanter autem dico, debere id factum fuisse *scienter, & sponte:* unde ex sola adulterii suspicione sine apertis indiciis per usum matrimonii sibi non præjudicat innocens. Item si lite pendente super adulterio judex jubeat uxorem reddere debitum marito accusato, ne pendente lite commodo possessionis privetur, *juxta c. 2. Ut lite pendente nil innovetur*, vel si maritus gravi metu uxorem ad usum matrimonii cogat, nullum inde exurget divortio præjudicium.

III. Censetur facta reconciliatio, & condonatio injuriæ, si innocens scienter, & sponte nulla necessitate etiam honestatis compulsus, familiarem se exhibeat conjugi adulterinn cum eo ludendo, ridendo, comedendo, & multò magis amplexus, & oscula dando; nam per tales actus aboleri injuriam, docent Glossa, & Doctores communiter *in §. finali Instit. de Injuriis.* Videatur
19 Sanch. *dict. lib.* 10. *disp.* 14.

Quæritur V. An si conjux innocens velit ultrò reconciliari nocenti, teneatur nocens acceptare, & ad cohabitationem redire? Ratio dubitandi est, quod innocens dimittendo adulterum dimisserit jus suum, quod in ipsum habuit; remittentibus autem jura sua non sit dandus regressus. *L. quæritur 14. §. si venditor ff. de Ædilitio edicto.* Affirmativa tamen sententia verior est; quia divortium ex causa adulterii solùm in gratiam innocentis concessum est; ergo non debet in ejus odium, & incommodum retorqueri. *cap. quod ob gratiam 61. de Regulis juris in 6.* & sententia non debet prodesse reo, contra quem lata est. *L. evidenter. 16. ff. de Exceptione rei judicatæ.*

Ad rationē dubitandi Resp. quòd per actionem, & sententiam divortii innocens non remittat suum jus, sed potiùs adulteri jure suo, quod priùs in innocentem ex matrimonio habuit, volente conjuge innocente privetur. Unde ulteriùs infertur, quòd adulter non possit ad religionem transire invito conjuge innocente, nisi is monitus adulterum resipiscentem, & pœnitentem nolit recipere. Per textum, & interpretes *in c. gaudeamus. 19. de Conversione conjugatorum.*

---

§. IV.

De Separatione Matrimonii propter hæresim, periculum peccati, sævitiem, & morbum.

HÆresim esse causam divortii, inter omnes convenit, in ratione autem assignanda discrepant. Quidam putant, hoc propterea, quòd hæresis sit spirituale adulterium; In qua sententia videtur fuisse Aug. *in c. idololatria 5. caus. 28. qu. 1.* Alii existimant, hæresim esse contra *bonum prolis*, eò quòd proles in vero Dei cultu non educetur. Alii ob periculum animæ id factum asserunt, ne hæreticus Catholicum pervertat. Alii demum in pœnam hæresis ab Ecclesia statutum sentiunt; quæ omnes rationes satis congruè, & probabiliter assignari possunt. 20

Cæterùm hanc separationem propter hæresim, si fiat ante Judicis sententiam, qua conjugem hæreticum declarer, non esse perpetuam, sed eò usque durare, donec 21
hæreticus ad fidem revertatur, omnes etiam facilè admittunt *juxta cap. 6. h. t.* Verùm non levis est controversia, an si hæreticus post sententiam latam revertatur, recipiendus sit ab altera parte catholica. Negativam probabiliorem credit Sanch. *lib. 10. disp. 15. nn. 19.* propter textum *in d. c. 9. hoc t.* qui satis apertè pro hac sententia loquitur, & confirmatur *ex c. ult. de Hæreticis.* Ubi in pœnam hæresis omnes, qui aliqua obligatione hæretico adstricti fuerunt, obsolvuntur. Hanc sententiam, quamvis ipse putem, de rigore juris valde probabilem, attamen de æquitate illam censeo præferendam, quæ distinguit; An conjux catholicus velit ad religionem transire, aut in sæculo remanere, ut priori casu ex speciali privilegio Religionis non teneatur recipere conjugem ab hæresi reversum, sicut decisum est in *c. ult. de Conversione conjugatorum:* posteriori autem casu recipere omnino teneatur, tum quòd causa perpetui divortii solùm adulterium carnale à Christo assignatum sit: tum quòd separatio matrimonii periculum incontinentiæ, & alia scandala, ac damna non sit facilè concedenda, præsertim, si uterque in sæculo vivere velit: tum denique, quòd id satis colligatur ex *cap. quando, in fine h. t.* Ad contraria R. & in primis *ad ult. de Hæreticis* quòd id tanquam pœnale non extendendum ad obligationem matrimonialem, quæ est ex Jure Divino, *secundò* quòd *c. 6. h. t.* sic explicandum juxta dictum *c. ult. de Conversione conjungat.* Atque hanc sententiam communem, & probabilem agnoscit ipse Sanchez. *dict. loc. num.* 18. Barbosa *in d. c. 6. num. 5.*

Ob periculum peccati meritò etiam separatur matri- 22
monium; si enim hoc licet propter morbum contagiosum, scilicet lepram, aut similem, & ita ob periculum corporis, multò magis ob periculum animæ. Censetur autem tale periculum, si e. g. maritus velit uxorem prostituere, & lenocinium exercere; si homines impudicos in domum introducat; si ex usura, & furtis velit uxorem alere; si ad patranda, vel tegenda homicidia adhibere; &c. Propter alia autem delicta conjugis, quæ in periculum animæ, vel corporis alterius conjugis non redundant, divortium minimè concedi notant Doctores communiter per textum *c. 3. h. t.*

Ex sævitia, seu crudelitate conjugis ideo rectè petitur 23
divortium, quia nimis durum esset, obligationem matrimonii ad magnum corporis periculum extendere, nec verisimile, quòd contrahentes cum tanto suo damno se ad cohabitationem obligare voluerint. Porrò quan-

quanta sævitia conjugis esse debeat, ut alteri divertere liceat, Doctores non usque adeo conveniunt: sunt enim, qui putent; tantùm ob vitæ periculum divortium concedi cum Barbosa *de Rubric. ff. Soluto matrimonio. part. 2. num. 31.* Verum communiùs receptum, etiam ob atrocia verbera non tantùm actu illata, sed, & quæ inferenda probabiliter timentur, rectè posse separationem indulgeri: quia ratio superiùs allata etiam hic locum habet, & facit. *l. consensu. 8. Cod. de Repudiis.* Hoc tamen intelligi non debet de levibus verberibus (habet enim maritus ex rationabili causa potestatem moderatè, & leviter, non verò nimis excessivè castigandi uxorem, sicut docet Abbas *in c. quemadmodum. 25. de Jurejurando*, & Sylvester *V. Uxor. num. 3.*) neque de verberibus jam præteritis, quæ forsan ex aliquo extraordinario iræ calore illatæ sunt, & imposterum non sit magnum periculum ea ampliùs inferendi. Cæterùm cùm in casu sævitiæ plerumque periculum in mora esse soleat, non vitio vertitur conjugi, si propria authoritate à sæviente recedat, nec restituitur, nisi à sæviente idonea cautio de non offendendo præstetur. Hæc cautio, quæ generaliter exigitur, quoties probabile periculum offensionis imminet, præstanda est regulariter per pignora, aut fidejussores, ut mulier in eventum læsionis habeat, unde satisfactionem etiam pecuniariam propter injuriam exigere possit; quia *in c. litteras. 13. in fin. de Rest. spoliat.* requiritur sufficiens cautio, qualis est illa, quæ fit per pignora, aut fidejussores. *L. si mandato. 59. §. ult. ff. Mandati*, quòd si conjux sæviens ob inopiam pignora aut fidejussores habere nequeat, ejus juramentum pro cautione acceptabitur. *auth. generaliter. Cod. de Episcop. & Cleric.* Si vero sævitia conjugis dum tanto furore intentetur, ut alteri non possit sufficienter cautum esse, aut fortassis maritus parùm sit Religiosus, qui juramentum non multùm timeat, cohabitatio uxori injungi non debebit. *d. c. litteras in fine.* Demum hoc divortium, sicut alia, excepto eo, quòd fit ob adulterium, temporale est, usque dum scilicet conjux mitescat, & ad saniorem mentem redeat. Unde in praxi usitatum est, ut Judex Ecclesiasticus non proferat absolutam divortii sententiam, sed tantùm ad duos, vel tres annos concedat tolerantiam, ut vocant, ut tantisper probetur resipiscentia sævientis.

De ingressu in Religionem videatur tex. & tradita per nostrinque interp. ad t. *de Convers. conjug.*

24 *Morbus contagiosus* scilicet lepra, morbus gallicus, &c. ex magis communi DD. sententia etiam est causa separationis quoad cohabitationem, si judicio Medicorum probabile corporis periculum alteri conjugi immineat; ut supra in Tit. VII. *de conjugio leprosorum* diximus.

TITULUS XX.

De Donationibus inter virum, & uxorem: & de Dote post divortium restituenda.

SUMMARIA.

1 *Donatio inter conjuges regulariter prohibita, valet tamen in certis casibus.*
2 *Donatio inter conjuges confirmatur morte, etiam Civili, & professione Religionis bonorum incapacis.*
3 *Potest in vita expressè, vel tacitè revocari, non revocata retrotrahitur ad tempus quo facta est, nisi fuerit ultra 500. solidos.*
4 *De donatione inter sponsos.*
5 *De dote, paraphernis, & donatione propter nuptias.*
6 *Pater tenetur dotare liberos, fallit ut ibi.*
7 *Maritus est dominus dotis; non item paraphernorum, & qualiter inde fructus percipiat.*
8 *Maritus an, & quando valeat rem dotalem alienare?*
9 *Pro dote non præstatur cautio, nec datur constante matrimonio repetitio, exceptis certis casibus, & cui acquiratur post mortem?*
10 *Pacta dotalia an valeant, ubi agitur de universitate bonorum?*
11 *In dote qua culpa, & quando interius præstetur.*
12 *Pro dote datur uxori actio hypothecaria cum prælatione, sed in paraphernis à die illationis.*
13 *Maritus, vel hæredes ejus in restituenda dote habent beneficium competentiæ.*
14 *Societas omnium bonorum an ipso jure contrahatur inter conjuges?*
15 *De amissione dotis propter adulterium.*

MAteriam hujus tituli prolixè tradunt Interpretes Juris Civ. in ff. & Codice Titulo *de Donat. inter virum & uxorem.* in tit. *de Jure dotium.* & in tit. *Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur*, ex quibus principaliora referemus.

Sciendum igitur I. Donationem inter conjuges regulariter prohibitam esse, ne vel nimius amor alterum ad paupertatem redigat, vel certè difficultas donandi, & denegatio rei ab altero desideratæ concordiam conjugalem lædat. Sed hoc, si ex tali donatione una pars ditior, & altera pauperior evadat. Unde si conjuges reciprocè sibi donarint vel uxor marito, ut dignitatem aliquam consequatur, ex qua ipsa quoque participet; vel si maritus rem donatam malè consumpserit, nec inde locupletior factus sit; aut maritus hæreditatem sibi ex testamento delatam, quæ aliàs uxori ab intestato competeret, in favorem ejus repudiet, irrevocabiles erunt hujusmodi donationes; *l. si id 28. l. sed si. 31. §. 7. & l. quod adipiscendo 40. ff. h. t.* Pluribus, & enucleatè de his, & aliis casibus, in quibus donatio inter conjuges subsistit, vel non, agit Sanch. *de Matr. lib. 6. disp. 1. & seqq.* specialiter *disp. 2.* inquirit, utrum inter conjuges, qui veri non sunt, sed putativi valeat donatio? Et distinguit, an donans sciverit nullitatem matrimonii, nec ne: priori casu resolvit valere donationem, non verò posteriori. Item *disp. 6.* tractat, an valeat donatio remuneratoria inter conjuges? & concludit valere dummodo merita sint æquivalentia, atque extraordinaria, quæ non fuissent aliàs stricto jure conjugali debita. An verò si maritus ignobilis, vel senex ducat nobilem, vel juvenculam, possit in compensationem nobilitatis, aut juventutis eidem donare? pro utraque sententia videantur DD. apud Harprechtum *ad t. Inst. de Donat. §. alia autem. 2. n. 31.* 1

Cæterùm morte conjugis donantis etiam hæc donatio confirmatur, ita ut hæredes donationem revocare non possint. *l. 3. Cod. eodem tit.* Idem non tantùm de morte naturali, sed etiam accidentali scilicet ultimo supplicio, vel Civili, ut deportatione, seu exilio perpetuo, item de professione in Religione incapaci bonorum (secus in bonorum capaci, ubi mors naturalis expectanda foret) intelligit Sanch. *d. l. 6. disp. 17.* Requirunt tamen DD. communiter, traditionem rei donatæ præcessisse, per text. in *l. Papinianus 23. ff. hoc tit.* quod multis modis explicat, & limitat Sanch. *d. lib. 6. disp. 14. à numer. 6.* 2

Quòd si verò conjux donatarius præmortuus, & donans superstes fuerit, vel si alio modo divortium intervenerit, aut constante etiam matrimonio placuerit rem donatam revocare tacitè, vel expressè, conceditur revocatio. *c. fin. X. h. t.* & ibi Gl. Pan. & DD. communiter. 3

Quamvis enim aliàs nemo contra factum proprium venire permittatur. *l. cum à matre. 14. Cod. de Rei vindic.* id tamen non procedit, si factum proprium ipso jure nullum sit: sicut in simili de revocatione rei Ecclesiasticæ malè alienatæ tradunt DD. *ad c. si quis 6. de Rebus Eccl. non alienandis*, quod autem donatio inter conjuges ipso jure nulla sit; patet ex *l. 3. §. sciendum. ff. h. t.* ibi. *ipso jure, quæ inter virum, & uxorem donationis causa geruntur, nullius momenti sunt.* Licet verò ex parte donantis nullam obligationem, nec naturalem, nec Civilem ob Juris resistentiam inducat, ex parte tamen donatarii nulla iniquitas committitur, si rem donatam tantisper ex voluntate domini retineat, usquedum per eum aut revocetur, aut morte confirmetur, indeque habebitur pro bonæ fidei possessore, & effectus donationis quoad lucrum fructuum

trahe-

trahetur retrò ad tempus factæ traditionis *l. donationes, quas parentes 25. C. h. t.* Illud quoque advertendum, si donatio fuerit ultra 500. solidos, ea debebis, vel apud acta fuisse insinuata, vel expressè in ultima voluntate confirmata, & tunc ista confirmatio, quoad excessum non se. srottaherut. Text. *in d. l. donationes.*

4 Porrò quod de conjugibus hactenus dictum est, non eodem modo procedit inter sponsos de futuro, inter quos donatio non ast prohibita, habet tamen tacitam conditionem, si matrimonium sequatur, nisi pactum de non revocando obstet, vel culpa donantis matrimonium secutum non fuerit, vel copula post sponsalia intervene ris, qua de re videatur iterum prolixè Sanch. *de Matr. d. l. 6. disp. 18. & seqq.*

5 Sciendum II. Bona uxoris dividi in tres Classes, ut alia sint *dotalia*, alia *paraphernalia*, & alia *receptitia*. *Dotis* nomine intelligitur pecunia, aut res quæcumque mobilis, vel immobilis causa nuptiarum viro data ad sublevanda onera matrimonii, ut scilicet ex ejus fructibus faciliùs uxorem, & familiam alere possit *l. pro oneribus 20. C. de Jure dotium.* & in nostra vernacula dicitur, *das Heisrath-Gut.*

Parapherna sive *bona paraphernalia* vulgò *das zugebrachte Gut*, illa dicuntur, quæ uxor marito ultra dotem attulit; dependet enim ex conventione, & pactis conjugum, quantum uxor in dotem dare, vel maritus accipere velit *l. si ego §. 3. ff. de Jure dotium*, quid autem inter ista bona dotalia, & paraphernalia in effectu intersit, paulo post dicemus. *Receptitia* demum illa sunt, quæ mulier sibi, & suæ dispositioni reservavit.

Sciendum III. Maritum accepta dote vicissim uxori promittere, aut obligare certa bona, aut pecuniæ quantitatem, quæ *donatio propter nuptias* germanicè *die Miderlag*, vocatur: eaque cum de Jure communi proportionata doti esse debeat *juxta Novell. 97.* inde fit, ut si mulier plura bona habeat quàm maritus, tunc tantùm aliqua in dotem, & reliqua pro paraphernis acceptari soleant, imò in quibusdam locis hanc æqualitatem inter dotem, & donationem propter nuptias consuetudo sustulit.

6 Sciendum VI. Paternum esse officium, ut *dotem* vel *donationem propter nuptias* suis liberis constituat, *l. ult. C. de Dotis promissione.* Ubi etiam decidit Imperator, quòd pater dotans filiam, vel pro filio faciens donationem propter nuptias de propriis, non de liberorum bonis id facere debeat, nisi nimia inopia oppressus sit. Non tamen tenetur pater dotare filiam hæreticam. *Novel. 115. c. 3. §. 14.* Nec turpiter viventem, *l. 19. C. de Inoff. test. & d. Novel. §. 11.* Nec eam, quæ se inscio ante annum 25. ætatis nupsit indigno *d. §. 11. v. si vero.* Indignum autem maritum intelligere oportet eum, qui turpitudine vitæ, & infamia aliqua laborat, non qui inferioris sit conditionis, per ea, quæ fusè tradit. Gail. *Lib. 2. pract. Obs. obs. 95.*

7 Sciendum V. quòd maritus in re dotali *Civile* dominium habere censeatur, *naturali* tantùm, eòque sopito penes uxorem remanente, sicut explicant Interpretes *ad princ. Inst. Quibus alienare licet.* Unde pro re dotali maritus contra quemcunque possessorem rei vindicationem suo nomine instituere poterit, fructus quoque ex eadem re dotali propter onera matrimonii pleno jure lucratur, adeo ut soluto matrimonio dos quidem ad uxorem revertatur, non tamen fructus, licet extantes sint, dummodo non excedant ratum temporis, quo matrimonium duraverit, ut si maritus post primum quadrantem anni mortuus fuerit, non totius anni fructus, sed quarta tantùm pars hæredibus ejus debebitur *l. dotis fructus in 7. ff. de Jure dotium.*

At verò bonorum paraphernalium maritus nulla ratione dominus est, nec pro iis suo, sed uxorio nomine, & tanquam procurator (sine mandato tamen) agere potest. Neque ex his bonis fructus pleno jure lucratur, sed tantùm potestatem habet, eos expendendi in communes usus suos, & uxoris *l. ult. C. Pact. conventis tam super dote &c.* Quare si soluto matrimonio fructus paraphernalium extent, vel maritus inde locupletior factus sit, vel invita uxore aliorsum, quàm in communes usus expenderit, de Jure Civili, (nisi consuetudo alicujus loci sit in contrarium) uxori restituendi sunt, juxta doctrinam Menochii *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 9.*

Sciendum VI. Quòd licet maritus subtili Juris ratione dominus sit rerum dotalium, eas tamen, si servando servari possunt, ne quidem consentiente muliere alienare 8
valeat *l. unic. §. cum lex Julia 15. C. de Rei uxor. act. & tot. tit. ff. & C. de Fundo dotali pr. Inst. &* ibi latè Harp. & DD. *Quibus alienare licet.*

Fallit tamen I. si dos æstimata tradita sit: quia hæc æstimatio inducit venditionem, & efficit maritum verum dominum, ita ut soluto matrimonio non rem ipsam, sed pretium ejus restituere teneatur *l. plerumque 10. ff. de Jure dotium.* II. si mulier post biennium lapsum à tempore primi consensus iterum consenserit; quia lapsus tanti temporis, & repetitus consensus excludit præsumptionem, quòd à marito falsis persuasionibus inducta sit. *Novel. 61. c. 1. §. 1.* III. si mulier absque dolo, aut metu juraverit, se non velle revocare rem dotalem alienatam *c. cum contingat. 28. de Jurejur. & c. 2. ead. tit. in 6.* IV. bona paraphernalia etiam uxor alienare non prohibetur, vel maritus consentiente uxore *l. 8. & l. ult. C. de Pact. conventis.* 9

Sciendum VII. Quamvis pro conservatione dotis nec fidejussores, nec aliæ satisdationes regulariter intervenire debeant, ne conjuges se invicem perfidiæ arguant, & si mulier suam personam non veretur credere marito, tantò minùs in credenda dote difficilis esse debet *l. 1. & 2. C. Ne fidejuss. dot. dentur*, aliquando tamen etiam cautio pro dote conservanda exigi, vel ipsa dos etiam constante matrimonio omnino repeti potest, si nimirum maritus bona dissipando ad inopiam vergat. Atque hæc dos sic repetita non penes uxorem remanere, sed apud sequestrum deponi, vel alicui mercatori pro honesto lucro credi debet, ut ex ejus fructibus maritus onera matrimonii supportare valeat, & ita sola proprietas salvetur, *c. per vestras 7. h. tit. & ibi in Collect. n. 1.*

Aliæ etiam causæ repetendæ dotis constante matrimonio enumerantur *in l. mutus 73. §. 1. ff. de Jure dotium l. quamvis 10. ff. Soluto matrimonio. Novel. 22. c. 39.* Veluti pro liberis prioris matrimonii: item parentibus, fratribus, aut sororibus egenis alendis, vel si captivi sint, redimendis. 10

Sciendum VIII. Quod soluto matrimonio per mortem, aut ingressum in Religionem, vel propter impedimentum dirimens detectum dos uxori, vel hæredibus ejus. & similiter donatio propter nuptias viro, ejusdem hæredibus restituenda sit, *l. un. C. de Rei uxor. act. & l. un. C. Soluto matrim.*

Verùm huic Juris constitutioni derogatur, si inter conjuges pacta conjugalia confecta sint, ut altero præmortuo ad superstitem dos, vel donatio propter nuptias, aut alia etiam bona pleno jure pertineant: talia enim pacta valere constat ex *tot. t. ff. de Pact. dotal. & l. si convenit 6. C. de Pactis conventis.* Et si quidem de particularibus rebus ut de domo, vel prædio dotali lucrandis agatur, omnes tale pactum libenter admittunt: at vero, si agatur de universali, & mutua successione conjugum in omnibus bonis, de puncto Juris magna est controversia, quia pactis hereditas dari non potest propter periculum captandæ mortis ejus, cujus hereditas promissa est, *l. licet 19. C. de Pactis & l. hereditas 5. C. de Pactis. conventis.* Nihilominus consuetudine Germaniæ receptum est, ut pacta mutua, & reciproca de futura successione inter conjuges tolerentur teste Andrea Gail. *lib. 2. obs. 126. n. 3.* & Mynsing. *Centur. 2. obs. 33.* proinde allegatæ leges explicari possunt, ut non loquantur de pacto conjugum, eòque mutuo, & reciproco, cum inter conjuges mutuus amor, & vicissitudo pacti excludat mortis captandæ periculum, & suspicionem.

Sciendum IX. in restitutione dotis veniri quidquid maritus dolo, lata, vel levi culpa in re dotali deliquerit 11
l. in rebus 17. ff. de Jure dotium. Si verò res dotalis sine sali culpa mariti interierit, aut deteriorata sit, nil maritus ob eam causam præstabit: nisi res fungibiles, & servando non servabiles, ut pecuniam, vinum, frumentum, &c. acceperit, tunc enim, quia non rei in specie acceptæ, sed debitor generis est (quod perire non potest) nec eandem pecuniam, vel idem vinum reddere tenetur, sed aliud ejusdem generis, & bonitatis, omne periculum ad ipsum pertinet, *l. res in dotem 32. ff. de Jure dotium.* Idem est, si verbi gratia prædium dotale æstimatum traditum sit, hæc enim æstimatio operatur venditionem, & transfert omne dominium, & periculum in maritum. Si

tamen

tamen additum sit, ut, vel rem, vel pretium soluto matrimonio restituere maritus possit, tunc ejus tanquam debitoriterit electio, utrum restituere velit, re tamen non extante, æstimationem omninò præstabit; si extiterit res etiam deteriorem sine sua culpa factam reddere poterit, quia tale pactum sub alternatione conceptum, ut, vel res vel pretium restituatur, arguit, non absolutam venditionem fuisse, sed in eum tantùm eventum, si maritus rem restituere non vellet, *l. plerumque* 10. *in princ. & §. ult. cum. l. seq. ff. de Jure dotium*.

12 Sciendum X. Quòd in repetenda dote uxor habeat privilegiatam hypothecam in omnibus bonis mariti, & ante omnes alios creditores solutionem dotis accipere debeat, *l. assiduis* 12. *C. qui pot. in pignor.* Utrum autem præferatur creditoribus expressam hypothecam anteriorem habentibus? valdè controversum est inter Juris Civ. Interpretes, & pro negativa videri poterit Andr. Gail. PP. OO. *lib.* 2. *obs.* 25. *n.* 29. Barth. *in d. l. assiduis n.* 6. cum aliis apud Gail. cc. Pro affirmativa verò Mynsing. *Cent.* 4. *obs.* 13. Fachin. *lib.* 10. *controv. c.* 35. Propter bona autem paraphernalia habet quidem uxor etiam tacitam hypothecam in bonis mariti, ea tamen non est privilegiata, ut anterioribus creditoribus præferatur, sed computatur à die illationis, quo illa bona ad maritum pervenerunt *l. ult. C. de Pact. convent.* Unde ob privilegia dotis consultiùs esset uxori, omnia bona marito in dotem tradere.

13 Sciendum XI. Quòd si uxor, vel hæredes ejus à marito, vel hæredibus (dummodo isti hæredes sint liberi, & non extranei) soluto matrimonio dotem repetant, maritus, & liberi habeant beneficium competentiæ, ut non teneantur in plus, quam reservata congrua sua sustentatione solvere possunt. Idque tametsi tempore contracti matrimonii pactum contrarium appositum fuisset: nam tale pactum contra bonos mores, & invalidum reputatur, cum humanitatis ratio non patiatur, ut inter conjunctas personas tam severa exactio instituatur, & alter per alterum ad paupertatem redigatur *l. maritum* 12. *& l. alia causa* 15. *ff. Soluto matrim.*

14 Sciendum XII. non levem esse controversiam, an uxor soluto matrimonio non tantùm dotem repetere, sed etiam ex aliis bonis constante matrimonio per maritum acquisitis medietatem exigere valeat? Affirmant nonnulli propter text. *in c.* 2. *hoc. t.* ubi bona constante matrimonio acquisita inter conjuges dividi jubentur, & volunt ipso jure inter conjuges omnium bonorum societatem cōtrahi, ut æqualis sit divisio lucri, & damni. Verùm communior est sententia teste Barb. *in collect. ad d. c.* 2. *h. t. n.* 5. cum cc. ibidem. Hanc generalem societatem bonorum nullo Jure probari, & proinde text. *in d. c.* 2. intelligendum esse, si vel expressè de societate conventum sit, vel constante matrimonio res aliqua utrique conjugi donata, aut legata fuerit, vel si conjuges paribus expensis, & communi nomine rem emant, aut denique pari labore (ut aliquando inter opifices, & mercatores consuerum) acquisiverint. Non etiam obstat *c. cum societas* 17. *causa* 27. *q.* 2. ubi inter conjuges societas dicitur: quia intelligitur de societate vitæ, non de societate bonorum, *arg. l.* 1. *ff. de Ritu nupt.*

15 Sciendum XIII. quòd ob adulterium uxoris maritus lucretur dotem, & vicissim uxor propter adulterium mariti donationem propter nuptias *c. plerumque* 4. *h. t. l. consensu* 8. *§.* 5. *C. de Repud. Novel.* 117 *cap.* 8. *&* 9. ita tamen, ut hæc pœna non extendatur ad bona paraphernalia uxoris: cum id in jure expressum non sit, & odia extendi non debeant, sicut rectè docet Sanch. *de matr. lib.* 10. *disp.* 8. *n.* 10. quidquid aliqui in contrarium sentiant ex eò, quòd in *d. c. plerumque h. t.* dicatur mulierem, & dotem, & dotalitium perdere. Etenim nomine *dotalitii*, non parapherna, sed donatio propter nuptias ibidem intelligitur, eo scilicet casu, quo ex pacto marito præmortuo ad uxorem pertinuisset.

Sciendum XIV. quòd hæc pœna per sententiam judicis infligatur, & judex Ecclesiasticus, qui est competens circa divortium, propter connexitatem causæ censeatur etiam competens circa dotem, vel donationem propter nuptias, *c.* 3. *& ibi DD. h. t.* Quare ulteriùs notandum, quod ante sententiam non sit obligatio in conscientia tradendi dotem marito innocenti, ex recepta doctrina, quod leges pœnales ante sententiam judicis non soleant in conscientia obligare. Item quòd interveniente reconciliatione tacita, vel expressa, aut compensatione propter mutuum adulterium, cesset hæc pœna hoc ipso, quòd cesset divortium, & sententia judicis. Hæredibus quoque, aut contra hæredes ante sententiam (id est, si per mortem unius conjugis matrimonium ante sententiam solutum sit) non dari hanc actionem, tradit Sanch. *d. l. nu.* 13. & Zoes. *h. t.*

Sed quid, si post sententiam latam conjuges iterum ad cohabitationem reconcilientur, anne dos semel amissa restituenda erit? Respondetur, nihil quidem obstare, quin reconciliationi possit addi pactum, ut fiat salvo jure ex adulterio quæsito. Interim si nihil exprimatur, censebitur matrimonium etiam quoad dotem redintegratum, sicut, & colligitur ex *d. c. plerumque*, & notat Barb. *n.* 12. *&* 14. Sanch. *d. l.* 10. *disp.* 8. *n.* 21. Idem dicendum puto, si post sententiam latam pars, quæ fuit priùs innocens, adulterium commiserit: quia tunc ob paritatem delicti jus ex sententia quæsitum amittit, & noviter adulterantem ad cohabitationem cogi posse in tit. *De Divort.* diximus, & docet Barb. *in l. viro* 30. *ff. Soluto matrimonio n.* 3. Videatur tamen pro contraria Sanch. *d. lib.* 10. *disp.* 9. *num* 37.

Sciendum XV. quòd si extent ex eodem, vel alio matrimonio liberi legitimi, tunc commisso adulterio per parentes eis servanda sit dos, & donatio propter nuptias quoad proprietatem; ita ut in extraneum alienari non possit, & conjux innocens non plus, quàm usufructum lucretur, per text. in *d. Nov.* 117. *c.* 8. ex qua Novel. Interpretationem recipit *d. c. plerumque*, quod generaliter de amissione dotis loquitur: sunt enim jura juribus concordanda, ut evitetur jurium correctio *c. cum expediat* 19. *de Elect. in* 6. Sanch. *d. l.* 10. *disp.* 8. *n.* 12.

TITULUS XXI.

De secundis Nuptiis.

Licet *secunda*, imò & *tertia*, & ulteriores nuptiæ Christianis permissæ sint, sicut contra quosdam antiquos hæreticos relatos à D. Aug. *l. de Hæresibus c.* 26. clarè probatur ex Apostolo Paulo ad Romanos *c.* 7. *&* 1. *ad Cor.* 7. ibi *si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat, tantùm in Domino, beatior autem erit si sic permanserit, &c.* & idem Apostolus 1. *ad Tim.* 5. *vers.* 14. consulit, *ut juniores viduæ nubant*. Legibus tamen civilibus exosæ sunt, & variis pœnis affectæ fuerunt.

Sunt verò istæ pœnæ legales in duplici differentia, aliæ sunt principaliter in odium secundarum nuptiarum, vel accelerati transitus, aliæ principaliter in favorem liberorum prioris matrimonii statutæ. Primi generis pœnæ sunt, quòd mulier intra annum luctus nubens fiat infamis nec secundo marito possit ultra tertiam bonorum partem relinquere, nec ipsa sit capax hæreditatis ex testamento, vel ab intestato, nec legati ut fideicommissi, *l.* 1. *C. h. t.* Et hæ pœnæ de Jure Canonico correctæ sunt *in c. pen. & ult. eod.* eò quòd videatur injustum per LL. civiles auferri potestatem quandocunque libuerit ad secundas nuptias transeundi, quam Apostolus *d. l.* absolutè concessit.

Secundi generis pœnæ duæ sunt principaliores. I. quòd conjux transiens ad secundas nuptias amittat proprietatem omnium bonorum, quæ à defuncto conjuge consecutus est, eamq; transferat ad liberos prioris matrimonii, neque alienare possit *l. fœmina* 3. *C. h. t.* II. Non potest in dotem dare, vel alio titulo secundo conjugi plus relinquere, quam dederit uni ex filiis prioris matrimonii, cui minus reliquit, *l. hoc edictali* 6. *C. eod. t.* Istæ porrò duæ pœnæ quamvis juxta communiorem sententiam tam in marito quàm uxore ad secundas nuptias transeunte, locum habeant, per text. *in d. l.* 6. *& l. generaliter* 5. *C. eod. Nov.* 22. *c.* 23. & quidam procedere velint, tametsi liberi secundis nuptiis consenserint, qua de re videatur Sarmientus,

Select.

Selell. interp. lib.1 c.4. & Fachin *Lib.3 Controv.c.63.* cessabunt tamen si liberi prioris matrimonii, vel nulli extent vel ante parentem binubum præmoriantur. *d. l. fæmina §. 2.* Ex quo ipso satis apparet, has pœnas non in odium secundi matrimonii introductas, neque propriè loquendo pœnas esse, aut delictum supponera; aliàs enim non minus defunctis, quam viventibus liberis infligendæ. III. Mater transiens ad secundas nuptias amittit filiorum tutelam, *l. ult. & auth. Sacramentum. Cod. Quando mulier tutela officio &c.* IV. Mater binuba amittit jus educandi liberos prioris matrimonii, ita ut potiùs apud consanguineos educari debeant. *l. 1. C. ubi pupilli educari debeant.* Plura de his, & aliis secundarum nuptiarum pœnis (ut quod mater binuba perdat tutelam, item educationem liberorum, saltem si propterea circa aducationem suspecta sit,) longiores commentarios scripserunt. Jur. Civ. Interp. ad tit. *de Secundis nuptiis.* Quæ pleraque etiam videri poterunt apud Sanch. *de Matrim. lib. 7. disp. 88. & seqq.* Nobis sufficiat scire, quod istæ pœnæ in favorem liberorum introductæ Jure Canonico correctæ non sint: correctio enim Juris est strictæ interpretationis, nec ad alios casus trahenda. *l. Præcipimus 32. in fine C. de Appell.* neque fuisset ratio, ut Pontifex abrogaret illas leges, quæ non tam odium secundarum nuptiarum respiciunt, quam liberis prioris matrimonii prospiciunt quos parentes binubi plerumque negligere solent, omnemque suum amorem, & substantiam secundis conjugibus adjicere.

Istud adhuc quæri posset, an legato quod maritus relinquit uxori possit adjici talis conditio, ut id uxor, vel petere non possit, vel obtentum etiam amittat, si ad secundas nuptias transierit? R. Quamvis conditio, quæ primas hominis nuptias impedit, v.g. si puellæ aliquid legetur in testamento *si non nupserit &c.* sit de jure reprobata, & quasi de jure impossibilis, in testamento habeatur pro non apposita, & nihilominus legatum peti possit, quia Reipublicæ interest ex nuptiis homines multiplicari *l. quoties. 22. l. cum tale 72. §. Mævia, & l. Titia si non nupserit. 100. ff. de condit. & demonstrat.* Imò de jure antiquo etiam conditio obstans secundis nuptiis fuerat rejecta *l. 2. Cod. de Indicta viduitate.* Hodie tamen de Jure novo constituit Justinianus Imperator *in Novell. 22. c. 43. & seqq.* valere hanc conditionem, qua maritus cum certo aliquo legato uxori, vel uxor marito viduitatem indicit: & si legatarius velit habere legatum, debet præstare cautionem, quod id iterum una cum fructibus restituere velit, si ad secundas nuptias transiverit. Sunt enim secundæ nuptiæ propter honorem, & amorem conservandum prioris conjugis, & liberorum minùs favorabiles, & ideò faciliùs eorum impedimentum conceditur. Neque hoc de jure Canonico correctum est, quia Canones tantùm corrigunt leges, quæ absolute omnibus mulieribus intra annum luctus nuptias prohibent, testator autem non absolutè prohibet nuptias, sed tantùm sub conditione, si conjux superstes lecto gaudere velit. Sanch. *l. 7. d. 91. & lib. 1. disp. 34. n. 30.*

Casus matrimonialis perplexus, & difficilis.

DUm hæc in Lib. IV. Decretalium scribo, proponitur mihi casus admodum rarus, & intricatus, qui quidem longis ab hinc annis, nimirum circa tempus Concilii Constantiensis, & Basileensis contigit, potest tamen ejus decisio etiam nostris temporibus inservire, & cum præ cæteris involvat illam practicam quæstionem, *an & qualiter usus matrimonii invalidè contracti sit licitus, quando impedimentum est planè occultum, & uni tantum parti cognitum,* nolui omittere, quin cominidis loco hic adstruerem.

Rem gestam oculatus, & in facto proprio testis omni exceptione major describit Joannes Nyder Ordinis Prædicator, Theologus, & Professor suo tempore præstantissimus *in Formicatorio l. 3. c. 3.* placuit ejus verba formalia ponere, quia in plerisque verbis, & circumstantiis vis aliqua, & consideratio est.

Sequuntur verba formalia:

Me predicante, inquit; *in Diœcesi Basileensi consilii gratia ad me venit fæmina secundum sæculum non infimi status. Cumque fletu tanto inundaret, ut Magdalenam alteram credidisses, nisi quod ad pedes peccatoris procedit, & ego quid haberet tristitiæ ab ea quærerem tandem subjunxit. Pater ego peccatrix parata pænitere omnibus modis mihi possibilibus, & satisfacere, & quatuor viros habui, & quem nunc habeo non est meus cum his omnibus per verba de præsenti contraxi, & ex his viventes tres hodie supersunt. Quibus auditis satis obstupui, sciens, quòd talibus perplexitatibus summam oportet dara operam, si enodare quis quempiam velit. Unde investigata diligenter causa, quam priùs nesciveram, didici, quod de ambobus viventibus difficultas adorat, nam de mortuo, si quod fuit ligamentum illud cum vita termino solutum erat. Primum enim virum ex viventibus percepi anteà cum quadam contraxisse, licet clandestinè, & ita in foro conscientia ab eodem liberam esse. Cùm secundo clandestinè etiam contraxerat, & consummatum fuit matrim. carnali opere sed ipsa hoc perjurio negante coram judice Eccl. divortiata est viro secundo. Cum tertio verò postmodum traxit in facie Ecclesiæ cum quo jam domicilium habuit, & natos quosdam. Et quid inter hos duos consulerem, ut anima adultera salva fieret anxius valde fui. Erant enim ambo viri animosi, ad arma nutriti, rebus ditati, amicis valliti, ad incontinentiam proni, & juxta communem existimationem in conscientiis valdè lati. Unde vidi quod quamvis jure fori fæmina uxor esset tertii, non tamen jure poli, sed tantùm secundi, à quo perjurio mediante ipsa divortiata extitit. Et quodcunque juberem videlicet, manere cum tertio, vel redire ad secundum, aut ab utroque se secernere, in foribus semper aderat ex una parte aut verisimile homicidium, aut fæmina adulterium, aut ulterius mortalis criminis periculum. Nam si jubere volui reditum ad secundum, sequebatur hæc incontinentia verisimiliter, videlicet, primò quod zelotypia motus tertius secundum viam facti invaderet, & occideret. Secundo quod fœmina cum secundo manere nequiret, quia divortii celebratio obstitit facta in judicio Ecclesiæ, quam ob rem omni jure humano eam tertius à secundo obtinere poterat, imo excommunicare. Tertio vita fæmina sic fuisset in periculo utrinque dum ille tanquam perjuram, vel iste tanquam adulteram trucidare valeret. Sileo de nota infamia super facto juramento, quod perjurium esse nemo nisi ipsa, & fortassis secundus sciebat, quod propter contractum clandestinum probare contra eam non potuit, nec fæmina crederetur verbis si se in hoc infamaret. Si denique ex adverso fæminam sinebam manere cum tertio, sequebantur mala anima in ipsa deteriora, quia quoties à viro tertio cognoscebatur, toties adulterium committebat, non suo marito in hoc obediendo, quamquam ipse hoc exigere posset quem perjurium putata uxoris latebat non autem ipsa vice reciproca, qua impedimentum non ignorabat. Et si suadere volebam, ut cum tertio velut soror ejus casta maneret hoc quidem ipsa paratissimo subiisset animo, sed ipse velut incontinens jure exigendi debitum nullatenus carere voluisset, prout ex multis conjecturis vidore poteram. Porro si mediam viam fæmina consulere volui, videlicet, recessum ab utroque, tam habitatione, quam thoro, pericula multa minebar obviare, quia si posita esset in monasterio, tunc nulla prudentes eam ad professionem recipere debebant viro vivente invito, nec ipsa periculo fraudulentia se exponere debuit. Si vero extra monasterium latentiam ei consulere volui, quod plus mihi placere cœpit, ut animam saltem salvare posset, terrebat me quod pulchra facie, & sexu fragilis vix tuta castitate maneret, quod tertius zelotypia motus fugientem letaliter invaderet. Nescit enim iste fœmineus sexus fuga se, sicut masculinus, celare, vel tueri. Quid igitur assertive consulerem ad præsens non habui, nisi quod pœnitenti respondi eam consolando, ut Deum sine intermissione pro sua liberatione invocaret, eleemosynas pauperibus (quia lucrosa valde fuit) pro se, & pro tertia viro erogaret, & quid sibi consulerem deliberatior factus, & similiter alii prudentes viri pa-*

vato animo omnino susciperet. Ad qua verba consolata aliquantisper abscessit. Intereà libros consului, quibus me juvare non potui. Redii ad fœminam, & ultimum modum fuga supratactum ipsi suasi. Ad quem cum se præpararet, de quo tamen mihi periculum non modicum corporis, sibi majus, & forte aliis imminere poterat, affuit divina gratia, qua quæstionis difficilima solutionem dedit facillimam. Sibi enim incidit, ut quotiescunque vir tertius debitum exigeret, ipsa se per hujusmodi obedientiam lethalem infirmitatem contrahere fingeret, & ne id mendacium esset, ad animæ infirmitatem hoc mente tenus apud se retorqueret, ex qua infirmitate animæ scilicet per mortale crimen, certum est secundum nostram fidem quemque necdum anima, sed etiam corporis perpetuam mortem subire. Ita fecit ut cogitavit, & divina arridente gratia, vir prius incontinens fœmina compati cœpit, quam in aliis veracem sæpè esse didicerat, & usque modo jam annis plurimis eam tantummodo ut sororem habet intactam, nec de adulterio viri quicquam aliunde male audivi.

SAnè hunc casum maximis difficultatibus intricatum esse nemo non videt.

Assimilemque jugi loris, quæ Gordius olim
Nexuit, atque Jovis Phrygii suspendit ad aras.

Ut autem doctrina aliqua Canonica exinde capiatur, resolvam breviter in aliquot quæstiunculas.

I. Quo Jure polygamia prohibita, & an aliquo modo possit licere?

II. Matrimonium clandestinum quando fuerit validum, & quando, ac quare invalidatum?

III. An post Concilium Trid. ex matrimonio clandestino nascatur naturalis, & conscientiæ obligatio?

IV. Utrum sententia Judicis in causa matrimoniali transeat in rem judicatam?

V. Si quis probare nequat, aut manifestare sine gravi damno, vel periculo nullitatem matrimonii non audeat, sit tamen certus, an liceat exigere, vel reddere debitum conjugale saltem ad evitandum damnum vitæ, vel famæ (quæ vitæ comparatur *arg. l. justa ff. de Manum. vind.*) vel aliud scandalum aut periculum?

VI. Quæ sit cautela ad evitandum usum matrimonii cognito impedimento.

VII. An medium, quod ista fœmina apprehendit, fuerit justum, & licitum?

VIII. An liberi ex ultimo matrimonio invalido nati fuerint legitimi?

Ad I. Quæst.

Quo Jure polygamia prohibita, & an aliquo modo possit licere?

SUme responsionem ex hoc Lib. IV. *tit. IV.* An verò Deus possit dispensare, ut una uxor pluribus viris matrimonio jungatur? negat Bellarm. *lib. 1. de Matrim. c. 11.* Asserit Sanch. *de Matr. lib. 7. disp.* 80. *num.* 15. Si prope sacrilegium ast, summi Principis potestatem, in dubium vocare, *L. 3. C. de Crim. sacril.* quomodo præsumat scintilla infirmissimi intellectus humani abyssum æternæ Sapientiæ intra certos limites coarctare? qua fronte dicat creatura Omnipotentissimo Creatori, figmentum fictori virtutis, & potestatis infinitæ, *non potes amplius?*

Ad II. Quæst.

Matrimonium Clandestinum quando, & quare invalidatum?

REspondetur, ante Concilium Trid. *Sessione* 24. quæ fuit habita sub Pio IV. Pontif. die XI. Novemb. Anno M.D.LXIII. ad substantiam Matrimonii solùm consensum mutuum de præsenti absque alia solemnitate sufficisse, ut ex *c. is qui fidem, de Sponsal. cap.* 1. & 2. *de Cland. desp.* & pluribus aliis locis satis apparet. Sed quia experientia docuit, ut ex præsenti casu abundè patet, plurimas polygamias fuisse commissas, & matrimonia clandestina contra Jus fasque abnegata, ideo per concilium Trid. *d. Sess.* 24. *de Refor. matr. c.* 1. optimè constitutum est, ut nullum valeret matrimonium, cui *proprius Parochus & 2. vel 3. testes* non interessent. Dices, quomodo matrimonia clandestina ante Concilium Trid. valida fuisse pronuntiantur, cùm tamen repugnet expressus text. in *c.* 1. 30. *q.* 5. ubi pridem Evaristus Papa statuisse legitur in hæc verba: *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus, & propinquioribus sponsetur, & suo tempore sacerdotaliter benedicatur &c. Aliter vero præsumpta non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima.* Fateor, difficilis textus est, nec benè subsistere videtur communis interpretatio, quod *non legitimum*, idem sit quod *illicitum*, proinde matrimonium clandestinum ex hoc textu sit quidem *illicitum*, sed non *invalidum*, idque colligatur ex verbis finalibus, *nisi voluntas propria suffragaverit &c.* quomodo enim *validum* matrimonium est *potius adulterium fornicatio &c.* quàm *legitimum conjugium?* Deinde per ipsa verba finalia non parum intricatur textus, nam vel adest *consensus mutuus*, vel non? si adest, tunc etiam sine enumeratis solemnitatibus matrimonium erit *legitimum*: si abest, erit nullum, non ex defectu *solemnitatum*, sed *consensus*. R. posse sustineri communem interpretationem declarando textum in hunc sensum, ut illa verba: *Aliter vero præsumpta non conjugia, sed adulteria vel contubernia &c. esse non dubitate*, non tam contineant *decisionem* invaliditatis matrimonii, quàm vehementem *præsumptionem juris* contra talia matrimonia. Hæc tamen *præsumptio* non est *juris, & de jure* sed *jure tantum*, cùm admittat probationem in contrarium *c.* 1. & 2. *de Clan. desp.* & licet Pontifex dicat; *non dubitate*, attamen ista verba rectè etiam de gravi *præsumptione juris*, non est *dubitandum*, usq; dum contrarium probetur, veluti *non dubitatur*, decimas ad Parochos spectare, diœcesanum esse de jurisdictione Ordinarii, quamdiu contrarium non ostenditur. Prætereà cùm Pontifex *d. l.* matrimonia clandestina etiam *contubernia* vocet, forsan poterit adjungi alia explicatio desumpta ex *c. is qui &c. Christiano d.* 34. ubi Christiano loco uxoris *concubina* permittitur, ad quē textum ibidem subnotatur, quod *concubina* etiam olim dicebatur uxor ducta quidē *validè*, sed *illicitè*, & *clandestinè*.

In casu igitur nostro, qui contigit circa Annum Domini 1430. ideòque longè ante Concil. Trid. indubitatè tenendum est, & matrimonium clandestinum, quod mulier cum illo vero, à quo ob perjurium suum libera pronuntiata est, contraxit, tunc temporis valuisse, & fuisse verum matrimonium.

Ad III. Quæst.

An post Trid. ex Matrimonio clandestino saltem in conscientia nascatur obligatio?

REsp. cùm Concil. Trid. contrahentes sine parocho & testibus *ad sic contrahendum omnino inhabiles reddat, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernat*, per hanc *inhabilitatem, & irritationem* censetur ita efficaciter resistere contractui, ut omnem ejus, & *civilem, & naturalem* obligationem tollat per ea, quæ superiùs *hac eadem p.* 5. *c.* 1. *p.* 254. dicta sunt, minimè etiam fuisset obtentus finis Concilii, nimirùm evitatio periculorum ex matrimoniis clandestinis oriundorum, si obligatio, vel valor talium matrimoniorū in conscientiæ foro relictus fuisset.

Utrum autem matrimonium clandestinum hodie saltem valeat in vim sponsalium *de futuro*, ut contrahens ab initio clandestinè, posteà publicas solemnitates adhibere teneatur? videantur plurimi DD. in utramq; partem relati à Barb. *in collect. ad d. c.* 1. Trid. *S.* 24. *n.* 130. & diximus aliquid *in p.* 3. *c.* 5. *§.* 2. *n.* 10. si fœmina, quę aliàs juris ignorantia faciliùs excusatur, *L. cum in debito ff. de Probat.* per contractum clandestinum decepta, & deflorata, vel aliàs jam propè extra spem alterius conjugii ob clandestinum hoc matrimonium, & cohabitationem posita fuisset, affir-

affirmativa sententia magis æquitati consentanea foret, *arg. c. 1. de Adult. & stup.* & per ea quæ dicta sunt *d. c. 5. §. sect. 2. n. 53.*

Ad IV. Quæst.

An sententia in Causa matrimoniali transeat in rem judicatam?

NOn transire, etiam in hoc lib. IV. tit. XVIII. n. 11. dictum est, cùm enim transitus sententiæ in *rem judicatam* fundetur potissimùm in tacito consensu, & approbatione ejus, qui contra sententiam potuisset appellare, & non appellavit, ideò propriè tantùm obtinet, quando agitur circa res patrimonii nostri, quas pro nostro arbitrio possumus alienare, aut vindicare, actionem pro lis competentem remittere &c. non verò in aliis rebus, quæ in nostra dispositione non sunt, ut matrimonium, ob impedimentum dirimens invalidum, reddere validum aut vice versa matrimonium rescindere. Licèt ergo secundus maritus in proposito casu, à quo mulier mediante perjurio divortiata est, minimè appellavit, non tamen exinde mulier liberationem consecuta est.

Ad V. Quæst.

An cognita nullitate matrimonii non manifestabili licitum sit exigere, vel reddere debitum?

QUoad *petitionem*, seu exactionem *debiti* difficultas non est, utique enim ex matrimonio nullo nullum jus petendi est, & activè accedere ad personam, quę conjux non est, haud dubiè contra sextum Decalogi præceptum est, aliasque leges divinas, quæ omnem immunditiam, & carnalem commixtionem præter matrimonialem damnant 1. *ad Cor. 6. ad Gal. 5.*

Ardua autem quæstio est, an saltem ad vitanda magna damna, & pericula liceat reddere debitum? Pro negativa est text. valde clarus *in c. litteras de Rest. spoliat.* & *in c. inquisitioni 44. de sent. excom.* ubi S. Pontifex rescribit, quòd mulier conscia nullitatis, & impedimenti matrimonii ne quidem ad præceptum judicis sub censuris emanatum possit absque peccato mortali *reddere* debitum. Tales enim censuræ non stringunt animam, & conscientiam fęminæ, quia sunt latæ ex falsa præsumptione, (quę locum non habet in conscientia, juxta dicta superius *p. 5. c. 1. n. 8.*) cum Judex fori externi, qui de occultis non judicat, præsumpserit fœminam frivolè allegare impedimentum, cujus nullam probationem adferre potest. Ratio autem principalis est, quod concessa in similibus circumstantiis *debiti redditione*, sequeretur, fornicationem, aut adulterium, quæ sunt intrinsecè mala, ad vitandum vitæ aut famæ periculum licere, cùm tamen propter nullum metum liceat peccatum mortale admittere *c. sacris de his quæ vi metusve &c.* Et hanc sententiam cum Sanch. *lib. 2. de matr. disp. 39. n. 5.* Guttier. *de matr. c. 46. n. 1.* Barb. *in d. c. inquisitioni nu. 3.* Gobat. *in Alphab. Matr. p. 2. n. 637.* docent plerique Theologiæ, & Canonum Interpretes, esto quævis scandala, & damna ex denegatione debiti sequantur, ut dicit Barb. *d. n. 3.*

Verùm testes Gobat, *d. l.* multi graves viri olim pronuntiarunt à culpa immunem, *qui reddit debitum ob metum mortis, alii, si ob mandatum Magistratus Ecclesiastici ignorantis illud impedimentum, tunc enim Judicem Ecclesiasticum dispensare ex commissa sibi potestate, si sit juris Ecclesiastici*, in specie autem pro hac sententia affirmativa citatur à Sanch. *d. l. n. 2.* Magister *4. d. 38. in fine*. Hugo de S. victore *de Sacram. p. 11. c. 6. & alii.* Rationes quoque sunt. I. Quòd justè potest alter *petere*, hoc possum imò aliquando teneor *reddere*, (licet justitia petitionis sit tantùm putativa ex errore, & persuasione hominum causata, ut in exemplis seq.) sed conjux alter in bona fide existens justè potest *petere*, ut omnes fatentur, ergò &c. II. Ex multorum sententia judex potest occidere reum, & ipse pati mortem, qui publice habetur pro nocēte, licet Judex privatim sciat ejus innocentiam, Cov. *var. res. lib. 1. c. 1. n. 4.* cum tamen occidere innocentem intrinsecè malum sit. III. Similiter quamvis dare SS. Eucharistiam indigno sacrilegium sit, potest tamen Parochus, si privatim solùm sciat indignum, undè à fortiori? sed Parochus habet jus dandi SS. Eucharistiam iniquè petenti ad conservandam famam ejus, cur non etiam mulier ad conservandam vitam, & famam propriam potest dare debitum marito non iniquè petenti? IV. Ratio prioris sententię videtur niti falso supposito, quòd *redditio debiti* quæ fit in figura Matrimonii publica opinione validi ac ei *usse peris*, sit formale adulterium? fornicatio aut peccatum, tunc enim dici non potest, mulierem reddendo cooperari peccato, quando *petendo* peccatum non committitur. V. Confessarius qui novit aliquos habere impedimentum dirimens, quod ipsi invincibiliter ignorant, non tantùm non tenetur eos impedimenti admonere, si ex inde sequeretur ut scandalum, vel perplexitas, sed insuper si alteruter ex putativis conjugibus ex alia causa renuat *reddere debitum*, potest, & debet positivè imperare, ut debitum reddatur, sicut docet Sanch. *d. l. 2. disp. 48.* si ergo licet in uno casu scienter permittere, imò, & imperare copulam inter non legitimos conjuges, quare non in altero. Potest enim etiam conjux conscia nullitatis matrimonii in bona fidē esse in ordine ad reddendum debitum, credens ex rationibus, & authoritatibus hactenus adductis id sibi licere, præsertim concurrentibus gravissimis periculis, ni id fiat. VI. In sententia contraria sequuntur gravia pericula, & damna corporis, & infamiæ, perplexitates, desperationes, incontinentię (supponuntur enim tales circumstantię concurrere) in ista autem nihil: & quamvis omnia illa essent parvi pendenda, si offensa Dei esset manifesta, aliud tamen videtur, si sit dubia, & incerta. Et si ex duobus malis minus eligi potest, cur non præ malo certo malum incertum? VII. Contra textus allegatos opponi potest alius *in c. pastoralis §. quia vero de Offic. deleg.* Ubi Ordinarius jubetur sententiam delegati Papalis executioni mandare, licet sciat esse injustam. Deinde textus cc. loquuntur de illo casu, quando impedimentum fuit deductum ad judicem fori externi, & mulier non timuit propalare, habuitq; non tantùm scientiam impedimenti, sed etiam conscientiam de non reddendo debito: neque præter excommunicationem alterius magni damni ibidem mentio fit. Nos vero supponimus, mulierem sine gravi periculo (ut in casu enarrato) impedimentum dicere, vel debitum negare non posse, Decisio autem S. Pontif. in uno casu tollit quidem in eo omnem probabilitatem contrarii, sed non in diverso.

Quid igitur dicendum? Sanè nisi tam gravi censura hanc posteriorem sententiam perstringeret Sanch. *d. disp. 35. n. 5.* ut asserat esse *falsissimam, & in fide periculosam* (quod an verum sit, aliorum judicio relinquo) vix non eam saltem probabilem adstruerem. Verum non traducat velle patrocinari sententiæ, quæ pro periculosa in fide à quibusdam habetur, nolo pro hic, & nunc à priori discedere. Responsiones ad argumenta posterioris sententiæ ad 2. priora videantur apud Sanch. *d. disp. 36. n. 12.* Ad reliqua responderi potest, sufficere, quòd habeat ut decisio S. Pontificis *in c. literas, & c. inquisitioni* reddere debitum cum scientia impedimenti esse peccatum mortale, quale peccatum ob nullum metum committere permittitur *d. c. sacris de his quæ vi &c.* contra quam decisionem argumentari non licet *c. in istis dist. 4. c. ego solis dist. 9. c. pastoralis §. quia verò, de Offic. deleg.* quidquid alii exinde probare velint, tam in criminalibus quàm civilibus causis licere Judici condemnare reum contra propriam suam scientiam, ego tamen potius iis accedo, qui existimant, id præsertim in causis criminalibus minimè licere, sed referendam esse causam ad superiorem, coram quo Judex testimonium suæ scientiæ deponat, *arg. c. dilecto de Test.* sive deinde superior credat, sive non, judex inferior erit excusatus: quòd si esset præsentis instituti, possem pluribus rationibus propugnare, ideoque puto textum *in d. §. quia vero* locum habere duntaxat in sententiam *iniqua*, quæ transivit in rem judicatam, & cujus iniquitas ex tacita approbatione (de qua etiam paulo ante in q. 4. dictum) purgata est, secùs verò in causa criminali, matrimoniali, vel ipso jure nulla, quæ in rem judicatam non transit.

Cæterùm quid censendum, si non habeatur vera impedimenti scientia, sed tantùm credulitas, vel dubium,

ſuperius *in d. p. 3. c. 6.* traditum eſt, & declaratur *in d. c. inquiſitioni de Sent. excomm.* & apud Sanch. *d. l. 2. diſp. 41.*

Ad VI. Quæſt.

Quæ ſint media ad evitandam redditionem debiti?

VAria enumerat Sanch. *d. diſp. 39. à n. 13.* I. Fugere in locum, ubi ſcandalum ceſſet. II. Matrimonio nondum conſummato ingredi Religionem. III. Petere divortium ex cauſa ſævitiæ, & adulterii, ſi hæ cauſæ ſubſint. IV. Cohabitare ſicut frater, & ſoror, jux. *c. Laudabilem de Frigid. & malefic.* Subjungit tamen, hoc medio moraliter nunquam uti licere propter periculum incontinentiæ. V. Si impedimentum ſit juris Eccleſiaſtici tantùm, ut clam impetretur diſpenſatio, quam etiam Epiſcopus concedere poteſt, ut probat *in diſp. 40. eod. lib. 2.*

Quid autem dixiſset vir doctiſſimus in propoſita facti ſpecie, ubi juxta recenſitas circumſtantias nullum ex his mediis profuiſset? Non *fuga*, quia corpori, & animæ periculoſa; non *Religio*, quia matrimonium cum altero vero marito erat conſummatum, & cum tertio communiter habebatur pro legitimè conſummato. Non *divortium*, quia cauſa non fuit. Non *cohabitatio*, quæ propter periculum incontinentiæ uti non licet. Non denique *diſpenſatio*, quia impedimentum *ligaminis* eſt diſpenſabile, ut ſuo loco dictum.

Ad VII. Quæſt.

An medium quod fœmina apprehendit in noſtro caſu fuerit juſtum & licitum?

MAllem ſanè aliorum deſuper judicium audire, quam meum tenue in re difficili, & perplexa edicere. & vix firmiter aliquid nunc certi ſtatui poteſt, quia difficultas *in facto* eſt, juxta circumſtantias loci, temporis, & perſonarum, quæ modo præter narrationem ſupra poſitam incognitæ ſunt.

Conſidero quidem, ſicut ob damnum famæ, & multò magis vitæ, poteſt reſtitutio rei ad alium ſpectantis differri, Laym. *in Theol. mor. lib. 3. tr. 2. c. 12.* ita etiam reſtitutio corporis ex matrimonio alteri debiti. Prout id in ſpecie, & ad noſtrum propoſitum, quando prius cum una clandeſtinè, & poſteà cum alia publicè contractum eſt, aſſerit Sylv. *verbo debitum conjugale in fine.* Item quòd *reſtrictiones mentales* ex juſta cauſa à mendacio excuſentur Nav. *in c. humanæ aures 22. q. 5.* Sanch. *l. 3. Mor. c. 6.* Zoeſ. *ad t. Decret. de Jurejur. n. 85.* & denique quòd mulier piis operibus addicta, atque conſilio Joan. Nyder à doctrina, & pietate commendatiſſimi, & celeberrimi uſa non facilè debeat præſumi in errorem inducta.

Interim tamen cùm fœmina juxta deſcriptionem Joan. Nyderi fuerit elegantis formæ, prona ad complexus virorum, quod toties iteratæ nuptiæ judicant, & ex parte altera viri ſuperſtites moribus militares, de incontinentia ſuſpecti, conſcientiæ latæ &c. Planè hoc medium in ſe ſpectatum (abſtrahendo a ſpeciali dictamine Spiritus Sancti, quod Legi non ſubjacet) ab initio quidem in defectu alterius medii tolerari, vix autem in plures annos practicari potuiſset, juxta doctrinam Sanch. *d. diſp. 39. n. 16.* quis enim non videat, omnes tres perſonas, ſcilicet mulierem, maritum verum, & putativum fuiſse incontinentiæ periculo affectas, & effectum perpetrandæ expoſitas? Maritum *verum* jure ſuo ſine ſua culpa privatum, & inſuper potuiſse inſtigante diabolo facilè cum alia illegitimum matrimonium attentare; Maritum *putativum* impeditum legitimas nuptias contrahere?

Sed quod remedium? Jam præmonui, hanc *facti* potius, quàm *Juris* quæſtionem eſse. Prima *iuris* ratio poſtulavit, mulierem ſeparari à viro *putativo*, & reſtitui *vero*, vel ſi hic ob cauſam adulterii nollet recipere, ſaltem à *putativo marito* manere ſeparatam, ne in adulterio, aut periculo ejus, perſeveret. Quomodo autem hoc executioni mandari potuit, abſque eò quod mulier proclamaretur, & graviter puniretur tanquam adultera, polygama, & perjura?

Putaſſem maritum *putativum*, data bona opportunitate per Confeſſarium, vel alios viros idoneos fuiſſe de nullitate matrimonii certiorandum, & diſponendum (qui utique jam ſine uſu matrimonii conſtitutus facilè conſenſiſſet) ut pateretur negotium ad Conſiſtorium Eccleſiaſticum tanquam caſum occultum deferri, à quo potuiſſet pronunciari divortii ſententia: *ex Cauſa impedimenti occulti ſibi cogniti, & coram ſe legitimè probati*, & mulieri ob præcedens perjurium aliqua etiam occulta pœnitentia dictari ſicut apud nos ſæpe deferuntur caſus occulti matrimoniales ad Conſiſtorium, qui alterius non propalantur quemadmodum enim SS. Canones, non tantùm ad forum *externum*, ſed principaliter ad *internum* ordinantur *c. novit. de Judic. c. ut animarum de Conſtit. in 6.* ita etiam Judex Eccleſiaſticus, in quantum fieri poteſt, *fori interni* conſiderationem habere debet.

Dices, quomodo potuiſſet mulier probare impedimentum *ligaminis*, cùm ipſi tanquam perjuræ, & propriam turpitudinem alleganti non fuiſſet habenda fides, *Arg. c. ſicut nobis 6. x. de Teſtibus?* & in ordine ad ſeparationem matrimonii jam contracti plena probatio requiratur? Reſp. Mihi videri, ſufficientem eſſe potuiſſe probationem ex his concurrentibus. I. Ex depoſitione veri mariti, jam priùs habita. II. Ex depoſitione nova ipſius fœminæ. III. Ex depoſitione Confeſſarii cum licentia revelandi ſigilli ſibi à pœnitente facta. IV. Ex circumſtantiis, & diſpoſitione fœminæ, lacrymantis, pœnitentis, fugam periculoſam meditantis, à conjugii uſu cum maximo incommodo abſtinentis &c. Quod autem ex vehementibus præſumptionibus (præſertim in cauſis non capitalibus, & ubi non agitur de ablatione vitæ aut membri) ſumi poſſit plena probatio, & exemplo Salomonis *3. Reg. c. 3.* aliquando definitiva ſententia ferti, notatur communiter per text. & DD. *in c. afferte de Præſumpt.* Circa text. quidem *in d. c. ſicut nobis*, inſignis eſt diſputatio, cui depoſitioni credendum ſit, ſi teſtis juratus poſtea dicat, ſe perjurium commiſiſſe? Probabilius eſt, judicem id ex circumſtantiis, & præſumptionibus concurrentibus arbitrari debere. Fachin. *lib. 6. controv. c. 74.* Rota apud Farin. *in deciſ. crimin. & teſtium dec. 119. & 163.*

Obtenta hac divortii ſententia fuiſſet jam diſponendus vetus maritus, (cui jam anteà erat cognitum mulieris delictum) ut ſimulato quaſi novo affectu, & diſſimulato priori clandeſtino contractu eam publicè in ſuam uxorem reciperet; quòd ſi noluiſſet, mulier debuiſſet in Monaſterio, vel alio loco ſibi non periculoſo degere. An autem mulier adultera ante latam divortii ſententiam invito marito poſſit ad profeſſionem recipi, videatur Sanch. *de Matrim. lib. 10. diſp. 10. n. 7.* quod communiter apud eum negatur, quia innocens non tenetur invitus dimittere nocentem, & ſi ſemel dimiſerit, poteſt denuò recipere.

Si caſus de præſenti foret, & circumſtantiæ loci, temporis, & perſonarum cognitæ, forſan melius conſilium incideret, interim hoc diſcurſus gratia libuit inſerere.

Ad VIII. & ult. Quæſt.

An ſeparato Matrimonio putativo Filii inde nati ſint legitimi?

EX ſuppoſita narratione, quòd matrimonium publicè in facie Eccleſiæ præmiſſis denuntiationibus, & ſine contradictione contractum, & unus ſaltem ex conjugibus in bona fide fuerit, proles legitimè nata cenſebitur text. planè ad propoſitum, *in c. ex tenore pen. Qui filii ſint legitimi c. 2. eod. t. c. 3. §. ſi quis vero de Clandeſtin. deſponſ.* Hen. Zoeſ. *ad dict. t. Qui filii ſint legitimi.*

FINIS IV. LIBRI.

LIBER

L I B E R V.

DECRETALIUM.

T I T U L U S I.

DE ACCUSATIONIBUS, & INQUISITIONIBUS, & Denuntiationibus.

S U M M A R I A.

1 *Quid sit Accusatio, & inscriptio?*
2 *Pœna talionis hodie mutata est in arbitrariam.*
3 *Accusatio instituitur ad vindictam publicam etiam in delictis privatis.*
4 *Differentia inter actionem civilem, & accusationem quoad libellum.*
5 *Laicus non potest accusare Clericum nisi in criminibus exceptis, & ubi suam suorumve injuriam prosequitur.*
6 *Nec Clerici, vel Religiosi Laicos, maximè in causa sanguinis.*
7 *Magistratus in genere moneri possunt à Parochis, vel Concionatoribus de administranda in malefactores Justitia.*
8 *Pro compensatione damni sibi illati agere possunt Clerici; etsi deinde mors rei sequatur.*
9 *Inimici ab accusando repelluntur, si sit gravis inimicitia.*
10 *Reaccusare licet accusantem de majori, aut pari crimine.*
11 *Fratres, & sorores contra invicem ad accusandum non admittuntur.*
12 *Nec pupillus, mulier, magistratus, miles &c.*
13 *Item liberi, liberti, alimentati, contra parentes, suos patronos, aut alimentatores.*
14 *Pupilli, & mente capti accusari nequeunt; sed benè minores, quibus tamen nonnunquam pœna mitigatur.*
15 *Semel absolutus de eodem delicto reaccusari non potest.*
16 *Lapsu temporis 20. annorum aboletur accusationis facultas.*
17 *Magistratus temporalis durante officio accusari non potest: nisi de crimine notoriè, vel circa officium commisso.*
18 *Contra absentem præsertim contumacem quomodo procedatur in Accusatione.*
19 *Reus contumax post annum habetur pro confesso, & convicto: potest tamen purgare delictum ex post facto.*
20 *Tam Accusator, quàm Reus dari possunt in custodiam.*
21 *Quando, & quomodo in judicio criminali procedi possit ad capturam?*
22 *Incarceratio de Jure Canonico, & consuetudine etiam est pœna.*



N hoc Libro V. Decretalium tractatur de variis delictis, eorumque pœnis, & punitione. Unde in hoc tit. 1. præmittitur, quòd duplici via crimen ad judicium deferatur, scilicet per *accusationem, & denuntiationem*.

§. I.

De Accusationibus.

A*Ccusatio* est criminis alicujus hominis apud judicem competenten inscriptione interveniente legitima facta delatio ad vindictam publicam.

Dico I. accusationem esse *declarationem criminis* apud judicem competentem: cùm in criminalibus alia sit jurisdictio, quàm in civilibus, ideo quinam judices, & quando de crimine rectè cognoscant, vidari poterit superiùs in *Tit. da Officio Judicis, & Tit. de Foro competenti*.

Dico II. *inscriptione interveniente*: est autem *inscriptio* nihil aliud, quam obligatio scripta, qua accusator se obligat ad crimen objectum probandum, vel si in probatione defecerit, ad pœnam talionis, id est, ad eam pœnam subeundam, quam reus pati debuisset, si crimen probatum fuisset, *l. 3. ff. de Accusat. & l. ult. C. eodem tit.* Hæc taman pœna talionis hodie mutata est in arbitrariam, & extraordinariam, quia per eam multi ab accusando deterriti fuerunt, & ita delicta impunita manserunt, ut *in s. seq.* dicemus.

Dico III. accusationem institui *ad vindictam publicam*. Licet enim delicta alia sint *publica*, quæ statum Reipublicæ perturbant, & offendunt, & quorum accusatio cuivis de populo datur, ut crimen læsæ majestatis, homicidii, adulterii, violentiæ publicæ, & reliqua, quæ anumerantur in *Lib. 4. Instit. de Publicis delictis*: alia verò sint delicta *privata*, quæ magis privati alicujus hominis, quàm Reipublicæ interesse concernunt, ut furtum, rapina, damnum injuria datum, injuria, &c. nihilominus ex quolibet delicto etiam *privato* agi potest non tantùm civiliter ad compensationem damni ex delicto illati, vel ad pœnam actori applicandi, sed etjam criminaliter ad pœnam publicam judicis authoritata corpori imponendam, vel ad pecuniariam fisco inferendam, §. *in sum.* 10. *& ibi DD. Instit. de Injuriis*. Et hæc actio criminalis propriè *accusatio* est. Ea quoque

differentia inter actionem civilem ex delicto, & accusa-
tionem notanda est, quòd libellus in actione civili post
facti narrationem, & causam applicatam debeat habera
conclusionem, ut sciatur, quid, & quantum actor petat;
cùm in ipsius sit arbitrio, vel totum, vel partem petere;
in *accusatione* autem sufficiat sola facti narratio, & obli-
gatio ad probandum sine conclusione ad pœnam, quia
quando constat de delicto, tunc lex ipsa facit conclusio-
nem ad pœnam, quàm remittere, vel moderari non est
in Accusatoris potestate.
5 Accusare possunt regulariter omnes, qui non prohi-
bentur. Sunt autem plures, qui ab accusando prohiben-
tur. Ut I. Laicus non admittitur ad accusandum Cleri-
cum, propter reverentiam Clericis debitam, *c. 1. & seq.
causa 2. q. 7.* & quòd præsumatur esse infestus Clerico,
sicut dicit Pontifex *in c. 3. de Immunitate Eccles. in 6.* Nisi
tamen Laicus injuriam sibi, & suis à Clerico illatam per-
sequatur, *c. de cætero 14. de Testibus*. Item in crimina-
libus excessivis, & atrocibus, ut simonia, hæresi, sacri-
legio, & similibus Laici bonæ famæ ad accusandum ad-
mittuntur, imò etiam aliquando Laici malæ famæ, &
personæ viles si Clericus talium personarum familiarita-
te priùs usus, aut de crimine infamatus fuerit, *c. null. 9.
h. t.* Parochiani quoque, & Patronus Ecclesiæ de crimine
civiliter agere possunt contra Rectorem Parochiæ, vel
beneficii, ut amoveatur à beneficio; quia ipsorum inter-
est habere bonum Parochum.
6 II. Clerici, aut Monachi non possunt accusare Laicos,
quia non debent se immiscere sæcularibus negotiis *tot. tit.
ne Clerici, vel Monachi &c.* idque, vel maximè, si deli-
ctum mereatur mortem, vel membri mutilationem:
fierent enim accusatores illata tali pœnæ Irregulares,
tanquam cooperantes ad mortem, vel mutilationem al-
terius, sicut infra in Tit. *de Homicidio* dicemus.
7 Interim nihil obstat, quin Parochus, vel Concionator
absque speciali designatione hominis, vel pœnæ in genere
monere possit Magistratus, ut pro securitate publica, &
ad scandalum evitandum justitiam administrent, & in
malefactores inquirant. Item si Clericus non vindictam
publicam, sed compensationem damni ex furto, vel alio
8 delicto sibi illati persequatur, poterit etiam suum male-
factorem ad judicium sæculare deferre cum protestatio-
ne, quòd non faciat ad pœnam sanguinis, sed ad interes-
se suum consequandum. Neque ipsi imputabitur ad irre-
gularitatem, si deinde judex ex officio, malefactorem me-
rita pœna etiam mortis afficiat: si enim Clericis omne jus
agendi contra malefactores adimeretur, ipsorum vita, &
bona libere aliorum prædæ exposita forent, Text. nota-
bilis *in c. 2. de Homicid. in 7.*
III. Inimicus Accusati, & qui inimico cohabitat ab
9 accusatione repellitur, *c. repellantur 7. & c. meminimus
13. h. t.* dummodò non sit levis inimicitia, sed capitalis,
cujus æstimatio, quamvis regulariter arbitrio judicis re-
linquatur, communiter tamen ea censetur, si quis alte-
rius vitæ, vel majori parti bonorum insidiatus sit: item
si eundem jam alia vice de gravi crimine per calumniam
accusavit, *c. 10. h. t.*
10 IV. Accusator repellitur per reaccusationem Accusa-
ti, & dummodo reaccuset de majori crimine; si autem
Accusatus reaccusare vellet de crimine pari, aut minori,
non audiatur, antequam accusationis judicium esset fi-
nitum: præsumeretur enim ex inimicitia, & ad eluden-
dam accusationem facere: neque enim relatione crimi-
num, sed innocentia, reus purgandus est, *l. si quis reus,
5. ff. de Publicis judiciis*. Excipitur tamen si Accusatus
velit reconvenire Accusatorem civiliter ad interesse, vel
persequi suam, aut suorum injuriam, *l. 1. & l. neganda
19. C. De his qui accusare non poss.*
11 V. Frater fratrem, vel sororem accusare non potest, ita
quidem, ut accusanti exilii pœna statuatur: nimis enim
inhumanum videtur, ut frater fratris publicam damna-
tionem desideret, *l. si magnum 13. C. De his qui accusare
non poss.* nisi accusatio fieret de crimine levi, vel ad pro-
priam vitam conservandam; ut quia frater fratri insidias
vitæ parat, *l. propter insidias 14. C. jam d. t.*
VI. Accusare prohibentur anumerati in *l. qui accusa-
12 re 8. cum ll. seqq. ff. de Accusat.* ut Pupillus, Mulier, Ma-
gistratus, Miles, (ne ille ab officio, hic à militia avoce-
tur) Suspectus de calumnia, quia falsum testimonium fu-
bornatus dixit, Pauper, qui minùs quàm 50. aureos in
patrimonio habet; præsumitur enim vel corruptus pecu-
nia, vel ad extorquendam pecuniam accusare: hi tamen
omnes, si suam, vel suorum injuriam persequantur, ab ac-
cusatione non repelluntur, *l. hi tamen 11. ff. eodem tit.*
VII. Denique Liberi, Liberti, & à tenera ætate Ali-
mentati, ne quidem suam injuriam persequentes Paren- 13
tes, Patronos, aut Alimentatores criminaliter accusa-
re possunt, sed tantùm civiliter convenire, si fortè re-
rum suarum jacturam ab iis sunt passi. E. g. si pater fi-
lium à possessione expulerit, non de vi, aut rapina, ex *l.
si quis 5. ff. ad L. Jul. De vi privata*, sed interdicto recu-
perandæ possessionis contra patrem aget, *d. l. hi tamen, &
l. iniquum 17. C. Qui accusare non poss.*
Sicut autem quidam ab accusatione activa, ita alii ab 14
accusatione passiva excipiuntur. Ut I. Pupilli, Furiosi, &
mente capti, utpote quibus ob defectum rationis delicta
non imputantur, *l. infans 12. ff. ad L. Corn. de Sicariis,
l. divus 14. ff. de Officio Præsidis*. Minores vero qui
excesserunt 14. ætatis annum, vel etiam Pupilli proximi
pubertati, & doli capaces accusari quidem possunt, sed
pœna eisdem interdum habita ætatis, & imprudentiæ
consideratione pro discretione judicis mitigatur, *l. auxi-
lium 37. ff. de Minoribus l. ferè in omnibus 108. ff. de R.
J.* II. semel accusatus, & per judicem absolutus iterum ac-
cusari non potest de eodem crimine, quia de delicto uni-
us hominis sæpiùs quæri non potest, *l. si cui 7. §. 1. ff. h. t.* 15
licèt 6. §. ult. ff. Nauta, caupona &c. quia tamen res in-
ter alios acta aliis præjudicare non debet, ideo, si secun-
dus accusator suam injuriam persequatur, & doceat pri-
mam accusationem se ignorasse, vel certè primum accu-
satorem prævaricatum esse, audiri debebit, *l. si quis 11.
C. eod.* III. non possunt accusari, imò nec ex officio pu- 16
niri, qui ante plures annos delictum commiserunt: ita
enim omnia delicta carnis regulariter aboleantur lapsu
quinquennii *l. mariti 26. §. sex mensium 5. & §. quinquen-
nium 6. ff. ad L. Jul. de Adult.* excepto crimine raptus
item adulterii cum incestu, vel violenta oppressione con-
juncti, quæ de jure communi, scilicet ut cætera crimina,
quæ delicta carnis non sunt, ad sui abolitionem 20. an-
norum lapsum requirunt *l. vim passam 39. §. præscriptio-
ne 5. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Arnold. Rath. *in Tract. de
Usucap. c. 4. assert. 21. & assert. 30.*
IV. Magistratus temporalis durante officio accusari 17
non potest, nisi circa officium delinquat, vel crimen no-
torium sit; in reliquis autem differtur accusationis exe-
cutio usq; ad depositionem officii data interim cautione
de judicio *l. si adulterium 33. §. ult. ff. ad L. Jul. de Adult.*
V. Denique absens à loco judicii accusari non potest,
cap. 5. causa 2. q. 8. & l. absentem 6. Cod. de Accusat. Sed
hoc intelligendum est; quòd contra absentem deduci, &
finiri non possit accusatio, proponi autem potest, ut ac-
cusatus citetur à Judice ad comparendum. Quòd si legi-
timè citatus non comparuerit, nec realiter citari, seu
corporaliter apprehendi possit (quia fortassis profugus,
aut Judex, sub cujus districtu latet, non præbet alteri
Judici auxiliares manus) annotantur ejus bona, idest,
à judice obsignantur, sive arrestantur; ut si intra an-
num redierit, & se purgaverit, integram rem suam re-
cipiat, intra quem annum Judex res tempore perituras
v. g. frumentum, vinum &c. vendere, & pretium apud
se deponere debet. Sin autem annum per contumaciam
elabi passus sit, bona ejus omnia annotata in fiscum de-
feruntur *l. mandatis 5. ff. de Requirendis Reis vel absent.
dam.* nisi intra annum decesserit: quo casu exspirabit
criminis causa, & bona successoribus restituentur, *l. 1. §.
ult. ff. in cit. tit.* In Clericis autem accusatis, & contuma-
cibus pœna relinquitur arbitrio Judicis Ecclesiastici; ut
propterea etiam contra Clericos per annotationem bo-
norum, vel si bona patrimonialia non habeant, per pri-
vationem beneficiorum, aut censuras procedi possit. Id
tamen monet Conc. Trid. *sess. 25. de Refor. c. 3.* ut Judices
Ecclesiastici sive contra laicos, sive contra Clericos non
priùs censuris, præsertim verò excommunicatione utan-
tur, quàm si apprehensioni personæ, vel bonorum locus
esse non possit: ne si facilè, & ex qualibet causa infligan-
tur censuræ, contemnantur potiùs, quàm observentur.
Sed quid si Reus etiam post annum in contumacia persti-
terit, & fortassis nulla, vel pauca bona habeat, quæ curet?

Resp.

Resp. Talem Reum propter contumaciam haberi pro confesso, & convicto criminis, cujus insimulatur, ita ut pœna relegationis, infamiæ, vel excommunicationis etiam absens mulctari possit *l. absentem 6. ff. de Pœnis*. Quia tamen contumacia tantùm fictam, seu præsumptam probationem inducit, sententia autem ex præsumptionibus lata, præsertim in criminalibus, non transit in rem judicatam, cum cessat præsumptio, quando de veritate constat, arg. *l. si qui adulteris 35. C. ad l. Jul. de adult.* ideo si accusatus ex post facto suam innocentiam docere velit, audiendus erit. Minsing. *Cent. 2. Observat. 78.* bona verò semel fisco ob contumaciam acquisita, etiam demonstrata innocentia, non constituuntur, quia hæc pœna contumaciæ est; nisi accusatus non tantùm à crimine se purgaverit, sed etiam à contumacia ostendendo legitimum comparendi impedimentum *l. 2. C. de Requirendis reis*.

20 Cæterum si, & Accusator, & Accusatus in judicio compareat, uterque de jure in carcerem, seu custodiam recipi, & ibi usque ad decisionem causæ manere debet: quia non tantùm Accusatus, sed etiam Accusator propter pœnam calumniæ, si in probatione defecerit, de fuga suspectus est, *l. ult. C. de Accusat. l. 2. C. de Exhibendis reis*.

21 Verùm hic quæritur, an judex in criminalibus indistinctè possit incipere à captura, & reum accusatum omnium primò in carcerem mittere? Hanc quæstionem tractat Minsing. *Cent. 5. observ. 69.* ubi magis receptam esse sententiam ait: quòd incarceratio, & captura, nonnisi præmissa causæ cognitione, & saltem aliquali instructione ac probatione delicti præcedente, non verò ad primam statim delationem, sive accusationem concedenda sit, per text. notabilem *in l. 1. ff. de Custodia reorum*. Quòd si criminis pœna non sit corporalis, sed tantùm pecuniaria, vel aliàs levis, vel suspicionem fugæ non inducat, vel reus sufficientia bona habeat, in quæ possit fieri executio, tunc sola cautio per fidejussores, aut pignora, vel aliquando per juramantum *de judicio sisti, & judicatum solvendo* sine incarceratione sufficiet: imò Magistratum indebitè incarcerantem posse de injuria coram suo superiore per incarceratum conveniri, docet ibidem Minsing. *in fine*, & probatur ex *l. nec Magistratibus 32. ff. de Injuriis*.

22 Quia tamen hodie de jure Canonico in *c. 3. de Pœnis in 6.* & passim de consuetudine sæcularium etiam judiciorum aliquando carcer non tantum pro custodia, sed etiam pro pœna assignatur, ideò in levioribus quoque delictis, si tamen probata sint, incarceratio frequenter statuitur. Sin verò incarceratio fiat non pro pœna, sed pendente accusatione pro custodia non debebit tunc reus nimis duro, aut tetrico carcere constringi: est enim iniquum, ut prius affligatur reus, & executio in ipsum fiat, quàm delictum probatum sit *l. 1. C. de Custodia reorum*, nisi hoc nonnunquam fiat post semiplenam delicti probationem ad confessionem rei extorquendam.

---

§. II.

De Inquisitionibus, & Denuntiationibus.

S U M M A R I A.

23 *Quid sit Inquisitio; estque alia generalis, alia specialis.*
24 *Inquisitionem specialem debet præcedere infamia, vel judicia sufficientia.*
25 *Puncta Inquisitionis, item dicta, & nomina testium reo pro sui defensione specificè sunt communicanda.*
26 *Non servato debito ordine, si reus ultrò confessus fuerit, non poterit processum postea impugnare.*
27 *In inquisitione contra regulares non publicantur nomina testium.*
28 *Quid sit Denuntiatio, & quare introducta.*
29 *Denuntiatio alia Evangelica, alia Canonica, alia civilis, & quid sit Evangelica?*
30 *Quid sit Canonica denuntiatio, & quomodo detur etiam ad proprium interesse consequendum?*
31 *Quid sit civilis denuntiatio, & quatenus in ea credatur ministris publicis?*

INquisitio est investigatio criminis à judice ex officio facta, cum enim non facilè reperiantur, qui velint se pro accusatoribus gerere, onus probandi delictum in se suscipere, & nisi probarint se ipsos ad pœnam obligare, ideò ne delicta maneant impunita, judicis officio incumbet, etiam sine accusatore in malefactores inquirere, sicut in *l. congruit 13. ff. de Officio Præsidis* jubetur, ut Præses Provinciæ malos homines conquirat, & in *Nov. 128. c. 21.* mandat Imperator, ut Magistratus per se requirant malefactores. 23

Non obstat vulgaris regula, quòd sine accusatore nemo damnandus sit *rescripto 6. §. si quis 2. ff. de Muneribus, & honoribus*, quia intelligitur, nisi fama aut indicia sint loco accusatoris, ut mox dicemus, aut reipublicæ intersit aliquando delictum præcavere, aut extinguere. 24

Est autem *Inquisitio* alia generalis, alia specialis. Generalis inquisitio est, quæ de nulla certa persona instituitur, sed generaliter de toto aliquo loco, vel districtu, ut si Episcopus visitet Diœcesim, vel in civitate, aut Provincia dicantur grassari latrones, & ideo Præses milites emittat. Specialis autem inquisitio est, quæ fit de certa aliqua persona suspecta de crimine.

Ad hanc inquisitionem duo principaliter requiruntur, I. Ut præcedat diffamatio non tantum à malevolis, & paucis, sed à pluribus, & gravibus etiam viris, qui eundem de crimine suspectum habeant, aut alia probabilia indicia contra ipsum militent; & ideò in judicio inquisitionis accusatoris loco censentur, reoque excipiente, quòd diffamatus non sit, prius desuper cognosci debet; nam judex inquirendo de certa persona sine præcedenti infamia, & sufficientibus indiciis peccat graviter, cum diminuat ejus honorem, & existimationem, nisi, ut præmissum, reipublicæ intersit aliquando perniciosum delictum præcavere. II. Capitula, & puncta inquisitionis sunt reo communicanda, contra quæ potest excipere, de non facta legitima specificatione loci, temporis, aliarumve circumstantiarum: quia habita tali specificatione reus potest faciliùs demonstrare suam innocentiam, quòd forsitan in tali loco, & tempore absens fuerit. Item etiam dicta, & nomina testium sunt inquisito publicanda, ut quid, & à quo sit dictum appareat, ejusque exceptiones defensionales tam contra dicta, quam personas testium admittendæ, ne per suppressionem nominum testium, & defensionis exclusionem infamandi, aut falsum deponendi audacia præbeatur *c. cum oporteat 19. c. inquisitionis, quando 24. h. t.* 25

Est tamen notabile, quòd si hic ordo observatus non fuerit, & judex non præcedente infamia, vel non traditis capitulis ad inquisitionem processerit, reus autem non contra exceperit, vel protestatus fuerit, sed forsan simpliciter crimen confessus sit, non possit ex post facto propter ordinem judiciarium non servatum confessionem revocare, vel processum impugnare *c. ad petitionem 22. x. h. t. & c. 1. eod. in 6.* 26

In Ecclesiis, & Monasteriis Regularium, si inquisitio fiat contra Abbatem, aut religiosum, dicta quidem testium, si illi regulares sint, esse inquisito communicanda existimo, non autem nomina, aut personas, ne exinde discordiæ, & inimicitiæ oriantur, ac pax religionis turbetur. Quæ etiam causa est, cur in electione Abbatis vota, & nomina eligentium non publicentur, ut in *Lib. 1. in Tit. de electione* traditur, ac in *d. c. qualiter, & quando,* expresse habetur, quòd contra regulares præscriptus inquisitionis ordo non sit necessariò observandus. 27

Denuntiatio est criminis alicujus apud judicem sine inscriptione delatio. Differt ab accusatione, quòd licet denuntians teneatur facere aliquam probationem criminis, non tamen puniatur, si in probatione defecerit, dummodo appareat cum bono zelo, & non calumniandi animo ad denuntiationem processisse: recipitur enim denuntiatio ad eum potissimum finem, & etiam nostris temporibus usitata est, ac loco accusationis introducta, ut dein judex ex officio inquirat *c. ult. h. t.* 28

Dividitur *Denuntiatio*, quòd alia sit *Evangelica*, alia *Canonica*, & alia *Civilis*. *Evangelica* dicitur, quæ intenditur ad spiritualem emendationem alterius, eam- 29

que debet præcedere una aut altera monitio, sicut traditur in Evangelio *Matth.* 18. V. 15. his verbis *si peccaverit in te frater tuus* (quo nomine omnis Christianus intelligitur) *corrige ipsum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum stet omne verbum, quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ &c.* Si tamen monitio ista privata nihil efficeret, posse fieri denuntiatio apud judicem Ecclesiasticum, etiam ea non præmissa, frustra enim aliquis obligaretur ad actum inutilem, Nav. *Consilio* 4. *h. t.*

30 *Canonica* denuntiatio dicitur, quæ ex SS. Canonibus conceditur, ut si impedimentum denuntietur inter duas personas, quæ volunt matrimonium contrahere, vel aliud crimen contra Canones, vel à personis Ecclesiasticis commissum. Non requirit monitionem prævlam, neque tantùm ad emendationem spiritualem, sed etiam ad pœnam Canonicam instituitur, vel acceptatur: *c. qua propter 47. causa 2. q. 7.* Item ad hanc *Canonicam* denuntiationem etjam referri potest illa denuntiatio, quæ fit ad proprium interesse consequendum. Quamvis enim sæpius de jure civili non detur actio, ut propter læsionem ex contractu, que non est ultra dimidium justi pretij, *l. 3. Cod. de Rescindenda vendit l.* nec contra hæredem defuncti ex delicto à defuncto commisso, *l. unica Cod. ex delictis defunctor. &c.* in foro tamen Ecclesiastico quoties adversarius obligatur in conscientia, potest denuntiari, & ad satisfactionem compelli, cùm Ecclesia judicet de quovis peccato mortali, *c. novit* 13. *de Judiciis*. Videantur quæ dixi sup. *de Foro compet.*

31 *Civilis* demum denuntiatio est, quam faciunt ministri publici ad hoc à judice deputati, & crimina in republica, vel civitate commissa scrutentur, & ad judicium referant. Non creditur ipsis simpliciter, sed concurrentibus Indiciis movent judicem ad inquisitionem instituendam *l. ea quidem 7. & singulis 14. Cod. de Accusat.* Puniuntur, si per calumniam detulerint. Sin autem aliquali saltem probabilitate sunt ducti, excusantur propter necessitatem officii, *l. 6. ff. de Custodia corum.*



TITULUS II.

De Calumniatoribus.

SUMMARIA.

1 *Quid sit calumniari, & quæ calumniantis pœna?*
2 *In foro Canonico ex consuetudine ferè omnes pœna hodie arbitraria.*
3 *Præsumptio calumniæ in accusatore, vel denuntiatore tollitur præsumptionibus contrariis.*
4 *Quid sit prævaricari? Et quæ pœna istius?*
5 *Quis dicatur Tergiversator, & qualiter puniatur*

TRadunt in hoc Titulo Interpretes, quibus modis delinquant accusatores scilicet *calumniando*, *prævaricando*, aut *tergiversando*.


1 *Calumniari* est falsa crimina intentare, seu Innocentem per malitiam in judicium deferre. Pœna calumniæ est, ut calumniator ultra condemnationem in expensas factas ab accusato, notetur infamia, & puniatur *talione*, id est tali supplicio, quali crimine probato affectus fuisset reus, *l. 8. & ult. Cod. de Calumniatoribus*. De Jure Canonico in *c. 1. h. t.* circa Clericos calumniantes statuitur pœna depositionis, & exilii.

2 De consuetudine in locum talionis successit pœna extraordinaria pro arbitrio Judicis, & hodie de Jure Canonico ex generali consuetudine omnes ferè pœnas factas esse arbitrarias testatur Val. *hoc Lib. V. ad tit. de Pœnis. §. 4 in fine.*

3 Porrò licet Gloss. *in c. 2. h. t. in verbo calumniandi*, generaliter doceat, hoc ipso præsumi calumniam, si accusator, vel denuntiator non probat delictum? advertendum tamen est, hanc præsumptionem admittere probationem in contrarium, & concurrentibus aliis præsumptionibus, & circumstantiis, ac juramento accedente se penitus tolli & purgari, veluti si accusatus prius delicto apud viros etiam graves infamatus fuerit, si accusator delictum saltem semiplenè probaverit, si testes durante judicio ante examen mortui sint; præsertim si necessitas officii, vel justus dolor ad accusandum moveat, ot in personis publicis, vel tutoribus circa res pupillares contingit, *l. 2. C. De his qui accusare non poss.* Item in accusante marito uxorem de adulterio, *L. 6. C. Ad L. Jul. de Adult.* prout rectè ad *tit. Gloss.* notavit Pan. *in c. 2. h. t. num. 5.*

Prævaricari dicitur ille, qui cùm accusasset, vel denuntiasset aliquem de crimina publici judicii, postea corruptus dissimulavit veras probationes, & adduxit inefficaces, vel quoquo modo adjuvit reum, ut absolveretur. 5
Pœna injungitur prævaricatoribus extraordinaria, sive arbitraria, *l. 1. & 2. ff. de Prævaricatoribus.*

Tergiversari (quasi per modum fugientis *tergum vertere*) dicitur, qui post litem contestatam ab accusatione publici criminis prorsus desistit. *Tergiversationis* pœna ex Senatus consulto Turpiliano statuitur quinque librarum auri, vel alia extraordinaria, *L. 3. in fin. ff. de Prævaricatoribus*, sed ex *l. 1. C. ut intra certum tempus criminal. quæstio terminetur*; quarta omnium bonorum parte cum infamia *tergiversator* punitur. De Jura Canonico nulla certa pœna præstituta est, ideo dici potest juxta superius dicta, esse arbitrariam.



TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur, vel promittatur.

SUMMARIA.

1 *Simon a nomen trahit à Simone Mago, estque species sacrilegii.*
2 *Simonia etsi à SS. Canonibus dicatur hæresis tamen potest esse sine vera hæresi.*
3 *Ponitur, & explicatur definitio Simoniæ.*
4 *Est alia mentalis, alia conventionalis, alia realis.*
5 *Emptio, & venditio circa Simoniam latè accipitur pro quovis contractu temporali.*
6 *Spirituali annexum 3. modis accipitur.*

SImonia delictum est, quod à Simone Mago nomen, & originem traxit, is enim, ut in *Qu. Apostolor, 8. c.* legitur, cùm vidisset, quòd per manus impositionem daretur Spiritus S. obtulit Apostolis pecuniam dicens: *date, & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum S.* cui respondit Petrus; *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum DEI existimasti pecunia possideri.* Est igitur *Simonia* species *sacrilegii*, quam SS. Canones variis nominibus detestantur prout in *c. reperiuntur 7. causa 1. q. 1*, appellatur execrabile flagitium, & in *c. 6. h. t.* dicitur pestis sui magnitudine alios morbos vincens. Ejus malitia consistit in irreligiosa, & indigna tractatione rei sacræ, vel spiritualis, dum ita vilis putatur, ut in commutationem rerum temporalium venire possit, vel quòd dona spiritualia existimentur esse in potestate, & commercio hominum, & non potiùs a solius DEI gratia, & gratuita voluntare dependere. Item hoc delictum valde perniciosum est Ecclesiæ si nimirum Prælaturæ Ecclesiasticæ, ordines, beneficia, & similia potiùs ob turpe lucrum, quàm personarum merita, & virtutes distribuantur. 1

Licet verò error Simonis Magi fuerit hæreticus, dum putavit donum spirituale posse pretio comparari, & ideo etiam *Simonia* hæresis vocetur in *c. 5. h. t. &c. Presbyter 1. causa 1. q. 1.* nihilominus sciendum est, Simoniam cōmitti posse sine isto errore, & ab eo, qui pro spiritualibus accipit temporalia, quamvis non credat spiritualia vendi posse: quia etiam hoc casu irreverentia spiritualium, & indigna tractatio, ac violatio Evangelici præcepti: 2

gratis

gratis accepistis gratis date, &c. concurrit, unde nomen hæresis *cit.* c. intelligendum est, quòd simonia origine sua fuerit hæresis, & etiam hodie esse possit, si ille error interveniat.

Definitur *Simonia* à Gl. communiter recepta *in princ. causa* 1. *verbo Quidam*, quod sit *studiosa voluntas* emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.

3 Dicitur I. *studiosa voluntas*; id est, deliberata cum advertentia mali; nam voluntas, & propositum distinguunt maleficia. Dividitur autem *Simonia* in *Mentalem*, quæ sola voluntate committitur, nec in actum prodit exteriorem; *Conventionalem*, quæ in pactum deducta est: & *Realem*; ubi ultra pactum etiam traditio rei spiritualis accessit, de qua divisione plura dicemus, quando inferiùs de pœnis *Simoniæ* agemus.

4 Dicitur II. *emendi* aut *vendendi*, quæ verba latè accipienda sunt, ut includant omnem contractum, in quo res temporalis pro spirituali datur, qualis est permutatio, vel alius contractus innominatus, *do*, *ut facias*, *facio*, *ut facias*, &c.

5 Dicitur III. *aliquid spirituale:* id est quodvis supernaturale donum ad animæ salutem directè institutum, vel *spirituali annexum:* quòd annexum potest esse tribus modis; vel antecedenter, ut Jus Patronatus ad beneficium, vasa sacra ad sacrificium, &c. vel concomitanter ut labor corporis in spirituali officio; vel consequenter ut reditus beneficiorum; qui dantur propter spirituale officium. Sed hæc omnia, quia involvunt plures difficiles quæstiones, in particulari magis *seqq.* §§. examinabimus.

6 Colliges autem in primis ex data definitione, & ejus explicatione ad constituendam *Simoniam* tria debere concurrere, scilicet *pactum*, *pretium temporale*: & *mercem* sive rem spiritualem, aut spirituali annexam.

§. I.

De Pacto Simoniaco.

S U M M A R I A.

7 *Sine pacto non est Simonia formalis: & quid de muneribus datis ante collationem beneficii ad obligandum ex gratitudine collatorem.*

8 *Non est Simonia, si res temporalis detur tantùm ut incitamentum ad opus bonum.*

9 *Simonia est, etsi pactum cedat in favorem tertii, non dantis.*

7 NOmine pacti Simoniaci, ut jam præmisimus, venit omnis contractus reciprocus, seu utrinque obligatorius, quo alter ad rem spiritualem tradendam obligatur. Adeò verò pactum præcedens est necessarium, ut sine eo non reputetur *Simonia*, quamvis res temporalis pro spirituali detur. Unde qui liberè, & sponte aliquid donat ei, à quo rem, aut beneficium spirituale accepit, non propterea *Simoniam* committit: quia res spiritualis non est deducta in commercium, & obligationem pro re temporali tanquam ejus pretio, sed munus datum est ostendendi animi grati causa, sicut videmus tales donationes solere fieri Episcopis, qui consecrant Ecclesias, vel altaria, dummodo eas tanquam ex justitia debitas non exigant, *c. etsi quæstiones* 18. *h. t.* Si tamen in collationibus beneficiorum Ecclesiasticorum fiant antecedenter ab eo, qui supplicat pro beneficio, licet fortassis possint excusari à formali *Simonia*, quia non dantur tanquam pretium beneficii, sed ut collator ex gratitudine antidorali obligetur ad beneficium conferendum: nihilominus, cùm saltem abeant in speciem *Simoniæ*, & movere possint animum collatoris ut indigno potiùs, quàm digno conferat beneficium; ideo propter scandalum, malam consequentiam, & affectionem Simoniacam in foro externo pœnam merentur, in interno autem peccatum inducunt, arg. *text. in d. c.* 18. *vers. quod autem*, nam munera excæcant sapientes, & Apostolus vult non abstinere nos tantum à malo, sed propter scandalum etiam *à specie mali*.

Præterea ex veriori sententia non est *Simonia*, si aliquid temporale detur non ut pretium, sed ut incitamentum ad opus bonum, veluti si parentes donent liberis, ut Ecclesias frequentent: si hæretico promittantur nuptiæ, vel malefico infideli à Principe condonetur supplicium, ut fidem Catholicam suscipiat, sicut docet Laim. *in Theol. mor. de Simonia*. §. 2. *n.* 11. 8

Cæterum autem quamvis pactum non cedat in favorem dantis, sed alicujus tertii, dicetur tamen Simoniæ commissa, si res spiritualis in obligationem deducta, prout in *c. nobis fuit*. 27. *hoc titul.* deciditur, cassandam esse electionem ejus, cujus amici etiam ipso ignorante pecuniam electoribus promiserunt, nisi in fraudem electi, vel eo contra protestante pecuniæ promissæ fuissent.

§. II.

De Pretio Simoniaco.

S U M M A R I A.

10 *Pretium simoniacum est omnis res temporalis, cùm datur pro re spirituali.*

11 *Dicitur etiam munus: est que triplex, à manu, à lingua, ab obsequio.*

12 *Propter pactum implicitum committitur etiam suo modo Simoniæ peccatum.*

QUamvis in emptione, & venditione *pretium* consistere debeat in pecunia numerata, & si alia res detur, quàm pecunia, v. g. bos pro equo non sit emptio, sed permutatio. *L.* 1. §. 1. *ff. de Contrahenda empt.* quia tamen in materia Simoniæ nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus utrinque obligatorius, ideo etiam nomine *pretii* venit omnis res temporalis æstimabilis, vel utilis, quæ pro re spirituali datur.

Dico autem rem temporalem esse pretium Simoniæ, nam unam rem spiritualem dare pro alia re spirituali caret Simoniæ vitio, sicut notant DD. communiter in *c. statuimus*. 2. & *c. super eo*. 7. *de Transact.* Gloss. *in c. ad quæstiones* 6. *de Rerum permutat.* Unde non erit prohibitum, Reliquias sacras cum aliis Reliquiis, beneficium cum beneficio, decimas unius Ecclesiæ cum decimis alterius permutare, dummodo observentur solemnitates, quæ in permutatione beneficiorum, & alienatione rerum Ecclesiasticarum requiruntur: de quibus in *Lib. III. t.* 13. diximus.

Porrò pretium simoniacum scriptores Ecclesiastici solent etiam *munus* appellare, ut in *c. Salvator*. 8. *causa*. 1. *q.* 3. eo sensu, non ut significet donum gratuitum (ex quo non constitui Simoniam paulò superius traditum est) sed debitum ex obligatione, quemadmodum etiam de Jure Civili, *ff. de Muneribus, & honoribus*. *munus* accipitur pro onere, servitio, aut tributo. 11

Dividunt DD. pretium simoniacum in munus *à manu*, munus *à lingua*, & munus *ab obsequio*, eaque divisio patenter traditur in *d. c. Salvator circa med. vers. ideo qui easdem*, & clarius in *c. sunt nonnulli* 114. *causa* 1. *q.* 1. Munus *à manu* dicitur res quælibet temporalis æstimabilis, & utilis. Item etiam debiti, vel obligationis remissio, ut si Episcopus suo creditori conferat beneficium, ut is vicissim remittat debitum, ad quòd Episcopus tenetur. Per munus *à lingua* intelliguntur laudes, preces, vel commendationes. v. g. apud Principem, vel populum in alia causa pro eo interponendæ qui beneficium, aut rem spiritualem contulit. Denique per munus *ab obsequio* intelliguntur quælibet servitia, vel obsequia alicui præstanda sub obligatione beneficii conferendi.

Verum hìc iterum advertendum est, quòd ista munera tunc quidem constituant formalem Simoniam, si in pactum, vel obligationem utrinque deducta sint, non si ab altera parte liberè, & spontè exhibita. Interim si Episcopus patiatur v. g. aliquem famulum gratis, vel pro modico pretio inservire sub spe recompensandi per collationem beneficii Ecclesiastici, plerumque præsumi implicitum pactum simoniacum, & saltem committi peccatum propter scandalum, & speciem Simoniæ, & quòd inde benefi-

cia

cla non juxta qualitates personæ sed obligationem privatam distribuantur, docet Suarez. *Tom. 1. de Religione. tract. 3. lib. 4. c. 30. n. 5.* & Less. *de Justitia & Jure lib. 2. c. 22. dub. 20.*

---

§. III.

De Re spirituali, sive materia, & merce Simoniæ.

S U M M A R I A.

13 *Quomodo pro Sacramentorum administratione possit exigi licitè aliquid temporale?*

14 *Non licet Parochis ob denegatam pecuniam consuetam denegare Sacramenta.*

15 *Pro Missis, & precibus quomodo pecunia possit accipi?*

16 *Ex quibus causis consuetudo accipiendi aliquid pro sepulturis, & Sacramentorum administratione possit admitti? conciliantur textus in* c. cùm Ecclesiæ, &c. ad Apostolicam h. t.

17 *An, & quomodo res consecratæ vendi possint?*

18 *Illicitum est rei consecratæ usum locare pro pretio.*

19 *Omnis actus jurisdictionis spiritualis regulariter ponit materiam Simoniæ.*

20 *Quid sentiendum de stylo Curiæ Romanæ, quo pro dispensationibus exigitur pecunia?*

21 *Simoniacum est pro ingressu in Religionem, vel susceptione in Canonicum aliquid ex pacto petere: quod tamen declaratur.*

22 *Decimæ possunt in contractum temporalem deduci, quoad fructus, & jus utile, non directum.*

23 *Jus decimandi in uno loco potest commutari cum jure decimandi in alio loco.*

24 *Jus Patronatus directè in contractum temporalem deduci non potest, sed cum universitate bonorum, vel re, cui adhæret, potest transferri.*

25 *Quid si in contractu specialis mentio Juris patronatus fiat?*

26 *Circa beneficia Ecclesiastica, contractus onerosi sunt Simoniaci.*

27 *Annatæ tamen, vel primi fructus de consuetudine etiam ab Episcopis peti possunt.*

28 *Resignatio beneficii est Simoniaca, si pactum temporale etiam circa expensas interveniat.*

29 *Pensio tamen resignanti potest constitui.*

30 *Beneficia inæqualium redituum, si permutentur, excessus pretio compensari non potest; sed pensio potest constitui.*

31 *Quid in hac parte speciale circa Monasteria habentia parochias incorporatas.*

32 *Transactio super lite beneficiali fieri non potest, dato temporali: ad redimendam tamen vexam aliquid dari potest, cum distinctione.*

Quænam dicatur res spiritualis, & spirituali annexa præmisi in tertio membro definitionis, sed in specie.

13 Quæritur I. Si Sacramenta propriè sint specialia, ad salutem animæ directè instituta, quomodo ergo Parochi pro Baptismo, Confessionibus, ministratione Eucharistiæ &c. pecuniam à populo exigunt.

R. Quòd talis pecunia non exigatur tanquam pretium Sacramenti, quod est inæstimabilis valoris, sed tanquam stipendium necessarium pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, nam juxta testimonium Christ. *Matth. 10. vers. 10. dignus est operarius mercede sua*, & Apostolus *1. ad Corinth. 9.* ait, neminem suis stipendiis militare, & Dominum ordinasse, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, & qui altari deserviunt, de altari vivant.

14 Hinc tamen advertendum est non licere parochis ob denegatam pecuniam denegare sacramenta, sed debere alia via, aut apud Episcopum jus suum prosequi: alias enim non leve foret scandalum, species Simoniæ, & grave parochianis aliis detrimentum, si ob modicam pecuniam salutaribus mediis frustrarentur, *c. audivimus. 41. & c. in tantum 36. h. t.*

Quæritur II. Quo jure pro Missis, vel precibus ad aliorum intentionem faciendis pecunia accipiatur?

R. Eam hic pecuniam non dari ut *pretium* pro Missa, vel precibus, cùm utique sit nulla proportio inter medium v. g. florenum, & sanctissimum Missæ Sacrificium, sed pro mercede operis, & servitii, ad quod alicui gratis præstandum non est obligatio secundùm allegatam Christi, & Apostoli sententiam, ac decretum Concilii Agathensis, relatum in *c. ult. causa 1. q. 2.* quòd etiam de spiritualibus dignus sit operarius, & Minister Ecclesiasticus mercede sua. Porro hæc ratio etiam in eo procedit, qui aliàs sufficientes reditus habet: cùm non propterea teneatur mihi gratis servire, nisi illi reditus in hunc finem sint ei deputati, sicut in Parocho, qui propterea percipit decimas, ut Sacramenta Parochianis administret. Unde si Parochus ex decimis, vel aliis proventibus habeat abundanter reditus pro se, & Capellanis suis, volunt plerique DD. eum pro administratione singulorum Sacramentorum nihil exigere posse per text. *in c. cùm in Ecclesia 9. & in c. suam 29. h. t.* Alii tamen ex diuturna consuetudine tales exactiones excusant, de hac autem consuetudine. 15

16 Quæritur III. Quomodo inter se concilianda sint, dictum *c. 9. & c. ad Apostolicam 42. h. t.* Ubi in priori omnis consuetudo exigendi aliquid pro sepulturis, & Sacramentorum administratione damnatur; in posteriori autem pontifex præcipit in similibus pias consuetudines observari.

R. *c. 8. & 9. h. t.* explicandum esse de tali consuetudine, quæ non fuit legitimè, & absque peccato introducta, aut præscripta, ut, quia Clerici aliàs sufficientia beneficia habentes, nihilominus pro administratione Sacramentorum pecuniam exegerunt, & denegantibus pecuniam negarunt Sacramenta, vel sepulturam, &c. apertè enim ibidem Pontifex loquitur de similibus actibus peccaminosis, ex quibus ait, non induci consuetudinem, cum diuturnitas temporis peccatum non minuat; sed augmentet, *& tanto sint graviora crimina, quò diutiùs animam tenuerunt obligatam.* Verùm alterum *cap. ad Apostol. h. t.* accipiendum est de tali consuetudine; quæ sine peccato, & ex rationabili causa est obtenta: plures autem causæ enumerari possunt, ex quibus talis consuetudo fit rationabilis, & legitima. *Primò* si parochus non habeat sufficientes reditus pro se, & Capellanis suis, neque ista sufficientia ita strictè de quotidiano tantùm victu intelligenda est, quin etiam futurarum necessitatum aliqua ratio, sine avaritia tamen, habeatur. *Secundò* si consuetudo sit immemorialis, & non constet, quo initio cœperit, videtur tutò observari posse; quia consuetudo immemorialis habet vim legis, & privilegii, atque possessio tanti temporis, quod hominum memoriam excedat, omnem præsumptionem mali excludit *c. super quibusdam. 26. & ibi* Gloss. *& DD. de Verb. significat l. 3. ductus aquæ 4. ff. de Aqua quotidiana, & æstiva*, dummodo à violentis extorsionibus abstineatur, & in quantitate præsertim respectu pauperum excessus non fiat. Unde solent Episcopi tales exactiones (quas vulgò de *stola* vocant) taxare, & moderari. Circa sepulturas *tertiò* specialiter potest aliquid peti pro conservatione cæmiterii, vel loci specialis sepulturæ, aut sustentatione cantorum, vel propter specialem laborem, ad quem is, qui parochus non est, non tenetur, ut si in alia Ecclesia, quam Parochiali electa sit sepultura: item quòd honor, & præeminentia specialis sepulturæ, ut quia est in loco sublimiori, & conspicatiori (adeoque respectus temporalis), vel obligatio Ecclesiæ, quòd nullum alium velit recipere ad particularem sepulturæ locum, quam certam familiam, sit pretio æstimabilis, cum pluribus cit. docet Barb. *de Off. Paroc. p. 3. c. 26.* *Quartò* cùm in plerisque parochiis decimæ personales de lucro, & negotiatione hominum solvi solitæ, & in pluribus etiam decimæ minutæ v. g. de ovis, lacte, pomis, lino, lana, & similibus in desuetudinem abierunt, credibile est, quòd fortassis ex antiquis pactis inter Parochos, & Parochianos in locum decimarum istarum aliæ particulares exactiones successerint.

Quær. IV. An res consecratæ, vel benedictæ, ut Calices, & paramenta, Missalia, Cruces, Hispanicæ aliaque simi- 17

similia vendi possint saltem ratione materiæ, quam continent, quia fortè ex auro, vel argento sunt; Canonistæ veteres plerique in ea fuerunt sententia, tales res consecratas, quandiu consecrationem retinent, vendi non posse, sed si quæ sint, quæ confractæ, aut scissæ amittere possunt consecrationem, ut calices argentei, vestes sericæ &c. priùs tales res frangendas, aut scindendas esse, ut deinde tanquam profanatorum materia vendi possint. Fundamentum est in *c. quis obiecerit 7. causa 1. q. 3.* ubi regula traditur, ut quando duo sunt necessariò sibi connexa, unum sine altero vendi non possit, & ponitur exemplum de Ecclesia consecrata, quod non possit vendi ratione materiæ, sive ædificii. Item in *capit. abolenda 13. de Sepulturis.* prohibet Pontifex, ne pro sepultura in cæmiterio ratione terræ effossæ aliquid exigatur, similiter. *c. dictum 105. causa 1. q. 1. & c. non satis 8. h. tit.* interdicitur, ne pro oleo, chrismate, aut balsamo, ex quo chrisma conficitur, aliquid petatur. Verùm Recentiores, præsertim verò Theologi, communiùs docent, ex sua natura non esse Simoniam, vendere præcisè materiam rei consecratæ, quanti valeret, si consecrata non esset, eò quòd materia secundum se spectata nihil speciale sit, & vendens pro ea priùs pecunias exposuerit. Item in apportandis Crucibus Hispanicis, vel sacris reliquiis sumptus itineris, & molestiæ æstimetur.

Circa textus contrarios ajunt observandum esse aliqua esse prohibita, quia *Simoniaca*, alia *Simoniaca*, quia *prohibita* quidem, hoc est, numerari inter Simoniaca, non quòd propriè talia sint, sed quòd aliquam simoniæ speciem habeant, & ideò Jure Ecclesiastico prohibeantur. Unde eosdem textus interpretantur procedere illis casibus, quando exinde esset scandalum fidelium, vel si cum rebus consecratis institueretur quædam mercatura, & negotiatio, vel si materia cariùs æstimaretur, quia consecrata. His verò circumstantiis sepositis, non improbabiliter putant excusari posse consuetudinem, in qua talis materiæ venditio practicatur. Prolixè hanc quæstionem examinat Suar. *de Simon. c. 14. n. 4. & seqq.* ubi *n. 5.* monuit, illicitum esse, rem consecratam, v. g. calicem, aut paramenta missalia locare pro pretio, censeretur enim venditus usus rei, qui est spiritualis, & sacer, nisi fortassis pecunia peteretur pro reparatione rei deterioratæ.

Quær. V. An pro dispensationibus in impedimentis Matrimonii, voti, & similibus accipere pecuniam sit simoniacum.

19 R. Omnem actum jurisdictionis spiritualis regulariter ponere materiam simoniæ, præsertim vero si talis actus circa forum internum, & relaxationem vinculi conscientiæ versetur. Unde etiam in Conc. Trid. *Sess. 21. de Ref. c. 1. Sess. 24. de Ref. c. 6. Sess. 24. de Ref. matr. c. 5.* dispensationes, collationes ordinum, & concessiones dimissorialium, ac beneficiorum jubentur gratis fieri. In *c. ad aures 24. h. t.* prohibetur pecunia accipi pro absolutione ab excomunicatione. Et generaliter *in c. cùm ab omni 10. de vita, & honest. Cleric. & c. statutum 11. §. in super de Rescript. in 6.* statuitur, ut administratio justitiæ gratis fiat, quòd Judices Ecclesiastici propterea sua beneficia habere censeantur.

20 Sed obiici solet stylus Curiæ Romanæ, & Legatorum Pontificiorum, ex quo stylo dispensationes sine pecunia non conceduntur. R. Causas hujus exactionis esse varias, & non solvi pecuniam tanquam pretium dispensationis, sed vel in sustentationem officialium, vel etiam ipsius summi Pontificis, aut Legatorum eo modo, quo Parochis ob suam sustentationem admittitur exigere pecunias ab illis, quibus Sacramenta administrant. Item Judex delegatus Ecclesiasticus, quamvis justitiam gratis debeat administrare, si tamen indigeat assessore, pro eo à partibus litigantibus salarium petere potest *d. c. statutum. §. assesserem autem de Rescriptis in 6.* Deinde pecunia pro dispensatione exacta aliquando imponitur à Pontifice in pœnam delicti præcedentis, sicut in irregularitatibus ex homicidio, vel alio delicto provenientibus, aut in affinitate ex copula illicita contracta.

21 Quær. VI. An pro ingressu in Religionem, vel susceptione in Canonicum possit pecunia peti?

Resp. Regulariter esse Simoniacum aliquid ex pacto petere pro ingressu in Religionem; vel susceptione in Canonicum; est enim utique admissio in Religionem vel Canonicatum aliquid spirituale, *c. non satis 8. cap. veniens 16. & c. quoniam 40. h. tit.* Dico autem, si ex pacto aliquid petatur: nam liberalis oblatio suorum bonorum Religioni, vel Ecclesiæ cuilibet permissa est *l. 1. & auth. ingressi Cod. de SS. Ecclesiis.* Præterea communis est Doctorum limitatio, quam etiam consuetudo approbat, quòd in Monasteriis non sufficienter fundatis, sicut multa sunt Monasteria Monialium, possit fieri certa compositio pecuniaria pro alimentis, & sustentatione ingredientis Suarez *d. l. c. 17. n. 7. & seqq.*

Quæritur VII. An decimas liceat in contractum pro re temporali deducere absque vitio simoniæ. 22

Resp. Decimas posse tripliciter considerari. *Primò* ut sunt ipsi fructus, qui ex alieno agro colliguntur, ut frumentum, vinum &c. & hoc sensu utique hos fructus vendere, vel commoditatem percipiendi alteri pro annua pensione elocare Parocho permissum est; quia fructus agrorum nihil spirituale sunt. *Secundò* accipiuntur decimæ pro ipso jure directo decimandi, quod est spirituale, vel spirituali annexum, quia competit propter spirituale officium Ministrorum Ecclesiæ, & primitus à Deo introductum est, ut homines solverent decimas intuitu Dei Ministris ejus in recognitionem universalis dominii: propterea hoc jus directum decimandi in contractum venditionis, permutationis, aut transactionis pro re temporali deduci non potest. Attamen jus decimandi competens in uno loco, rectè potest mutari pro jure decimandi, competente in alio loco, ob majorem fortassis commoditatem, vel etiam pro alia re, aut officio spirituali, ut si Monasterium se obliget ad faciendas conciones in aliqua Parochia, vicissim verò cum authoritate Episcopi Monasterio assignetur jus decimandi in certo loco illius Parochiæ, res enim spiritualis non est pretium constituens Simoniam, ut superius dictum est. *Tertiò* decimæ accipiuntur pro jure utili decimandi, prout olim ante Concilium Lateranense frequenter fuerunt datæ decimæ Laicis ab Ecclesia in feudum, vel emphyteusin, & translatum fuit in ipsos jus utile decimandi; directo penes Ecclesiam remanente, eo ipso enim quòd jus decimandi directum spirituale sit, ejus incapaces de jure Laici censentur, nisi speciali privilegio Pontificio ad id habilitentur. *c. quamvis 17. de Decimis.* Istud igitur jus utile decimandi, cum spirituale non sit, sed temporalis titulus de novo per contractum feudalem, vel emphyteuticum creatur, ideò ex sua natura non est materia simoniaca, & consuetudine in multis locis receptum est, ut Laici decimas suas rursus aliis vendant, quæ omnia magis declarari possunt iis, quæ supra *in Lib. III. in Tit. de Decimis* diximus. 23

Quær. VIII. An Jus patronatus sit materia simoniæ. 24

Resp. Jus patronatus numerari inter jura spiritualia, aut spiritualibus annexa; est enim jus patronatus jus præsentandi Clericum ad beneficium vacans, ut *Lib. 3. in Tit. de Jure patronatus* pluribus explicavi; unde per se vendi, aut pro temporalibus commutari non potest. *c. de jure 16. de Jure patronat.* Quod si de facto Jus patronatus vendere, aut alio contractu improbato in alium transferre quis præsumat, præter excommunicationem à Judice Ecclesiastico infligendam, ipso facto Jus patronatus amittet juxta Trident. *sess. 25. de reformat. c. 6.* Atque pretium ipsi Ecclesiæ per talem contractum injuria affectæ applicandum esse docet Panorm. *in eod. cap. 16. nu. 3.* Neque Jus patronatus ideò minùs spirituale est, quòd frequenter etiam Laicis competat; nam dicendum, Laicos ex speciali juris, & Pontificis indulto ad hoc Jus spirituale habilitatos, & hoc respectu secundùm quid Clericis æquiparatos esse.

Verum hæc ita se habent, si Jus patronatus per se, & principaliter vendatur; at verò si Jus patronatus sit reale, annexum certis castris, prædiis aut hæreditati, tunc venditis istis bonis etiam per consequentiam in emptorem transferetur Jus patronatus, dummodo specialis æstimatio Juris patronatus non fiat. Text. & DD. *in cap. ex literis 7. & cap. cùm seculum 13. de Jure patronatus.*

Sed quid si v. g. venditor dicat, se castrum cum Jure patro- 25

patronatus annexo vendere, nunquid, & ipsum tunc jus patronatus specialiter venditum censebitur? Resp. id colligendum esse ex toto pacto venditionis, an scilicet pretium intuitu Juris patronatus auctum sit, quo casu valebit quidem venditio Castri, sed non Juris patronatus; imò tam Jus patronatus, quam pretium ei correspondens amittetur juxta dicta, in dubio autem præsumetur Juris patronatus mentio, non causa venditionis, sed declarationis tantum facta esse, ut nimirum emptor sciat jura bonis annexa. Barbosa *in d. cap. 16. de Jure patron. n. 3.*

26 Quær. IX. An pro collatione beneficii Ecclesiastici permissum sit absque *simonia* accipere pecuniam? Resp. in beneficiis Ecclesiasticis regulariter omnes contractus onerosos, in quibus pro beneficio aliquid temporale recipitur, esse prohibitos per textus apertos in *cap. ult. de Pactis c. super eo 7. de Transaction. c. querelam 15. c. ına nos 34. h. t. &c. un. Ut Ecclesiastica beneficia sine diminut. confer.* quamvis enim reditus, qui ex beneficio spirituali percipiuntur, temporales sint; titulus tamen beneficii, seu illud jus ex quo percipiuntur reditus, cum detur propter spirituale officium, res spiritualis, aut spirituali annexa reputatur.

27 Interim potest summus Pontifex pro plenissima sua in omnibus beneficiis potestate de fructibus beneficiorum tempore collationis sibi aliquam partem (quam vulgo annatas, sive primos fructus vocant) reservare, vel eo nomine aliquid à beneficiato petere; Episcopi verò quamvis hoc de jure communi prohibitum sit in *d. c. un. ut Ecclesiastica beneficia &c.* & in Conc. Trident. *sess. 24. de Refor. c. 14.* de consuetudine tamen in multis Diœcesibus practicatur, ut beneficiatus loco primorum fructuum certam taxam persolvere teneatur, quæ taxa datur non tanquam pretium beneficii, sed pro sustentatione Episcopi, & officialium ejus, vel aliis necessitatibus, pro quibus posset Episcopus fructus beneficiorum vacantium applicare.

28 Quæritur X. An in permutatione, vel resignatione beneficiorum possit committi Simonia? Suppositis iis quæ in *Lib. 1. in tit. de Renunciat. & in Lib. III. in tit. de Rerum permut.* tradita sunt dico breviter omnem permutationem, aut resignationem beneficiorum censeri simoniam, in qua privato partium pacto pecuniam, vel aliud temporale intervenit *cap. super hoc 5. de Renunciat.* adeò ut etiam istud pactum reprobetur, ex quo aliquis vult resignare suum beneficium in favorem alterius, si vicissim ab eo recipiat expensas in obtinendo illo beneficio factas, *c. cum pridem 4. & ibi DD. de Pactis.* Suarez de *Simonia c. 5. n. 24.* Potest tamen Episcopus, & multò magis summus Pontifex Clerico propter ægritudinem, aut aliam inhabilitatem resignaturo beneficium, vel in lite beneficiali ob bonum pacis cessuro pro sustentatione ejus aliquam pensionem de proventibus beneficii resignati constituere *c. nisi essent 21. de Prabendis.*

29 Quær. XI. An si beneficia permutanda sint æqualium redituum, liceat pacisci, ut ei, qui minus beneficium accipit, pecuniaria compensatio fiat? R. Id non posse fieri ex pacto partium, quia pecunia intelligeretur dari pro illo titulo, seu jure spirituali ampliores reditus percipiendi, posset tamen emptor causa sustentationis, si minus beneficium ad eam sufficiens non sit, aliam pensionem à pinguiori beneficio separare, secundum ea quæ mox præmisimus. Non obstat difficilis textus in *c. ad quaestio-*
30 *nes 6. de Rerum permut.* ubi Pontifex admittit talem compensationem pecuniariam: quia communior est interpretatio, quòd hic textus procedat tantùm in casu, de quo loquitur: si videlicet duo Monasteria inter se permutent possessiones Parochiarum sibi incorporatarum, quæ possessiones reputantur inter alia temporalia Monasteriorum bona. Secus autem est, si duo Clerici permutent beneficia, quæ permutatio aliter fieri non potest, quàm quoad titulum beneficii, cùm possessiones, & prædia beneficii non sint in dominio temporali Clerici.

31 Quær. Ultimò: An in lite beneficiali possit fieri transactio sine simonia, ut v. g. adversarius accepta pecunia à lite desistat.

R. Negativè per textus apertos in *c. constitutus 4. & c. super eo 7. de Transact.* Sed quid si aliquis dicat se offerre pecuniam adversario non pro beneficio litigioso, sed ne vexetur in judicio, sive ut vulgò loquuntur DD. ad vexam litis redimendam. R. Esse distinguendum, an offerens pecuniam habeat jus in re, & beneficium de facto obtentum, & possessum, vel tantùm habeat jus ad rem, sicut præsentatus ante institutionem, vel electus ante confirmationem. Priori casu admittitur tale pactum, dummodo non constet petitionem adversarii esse manifestè injustam. Altero autem casu reprobatur, quia per pecuniam sterneretur via ad beneficium pacifice acquirendum, arg. *c. Matthæus 23. h. t.*

---

§. V.

De Pœnis Simoniæ.

S U M M A R I A.

33 *Quid sit Simonia confidentialis?*
34 *Simonia mentalis non habet pœnam in foro externo.*
35 *Simonia Conventionalis non habet pœnam ipso jure, etsi ab una parte completa sit, excepta confidentiali Simonia.*
36 *Simonia realis habet pœnas ipso jure annexas tribus casibus, in ingressu religionis, SS. Ordinibus, & beneficiis Ecclesiasticis.*
37 *Pœnæ singulares Simoniæ confidentialis.*
38 *In contractu Simoniaco pretium à Judice Ecclesiastico applicari debet Ecclesiæ, vel pia causa.*

Circa pœnas *Simoniæ* repetenda est illa distinctio, 32
quam superiùs in expositione definitionis tradidi, quod scilicet alia sit simonia *mentalis*, alia *conventionalis*, alia *realis*. Adde hic quartam speciem, quòd alia sit simonia *confidentialis* (hæc autem committitur ab illis, qui beneficium Ecclesiasticum simplex, aut curatum, regulare, aut sæculare alicui procurant eligendo, præsentando, instituendo, confirmando, vel resignando cum certa confidentia, id est, expresso, vel tacito pacto, ut is, cui procurator, elapso aliquo tempore ipsimet cedenti, procuranti, vel conferenti, aut alteri certæ personæ &c. (v. g. collatoris cognato, qui propter ætatem beneficii tunc temporis incapax est) resignet, vel pensionem, aut fructus ex ea præstet.

Porrò simonia *mentalis* in foro externo nullam pœnam 33
habet, sed cum peccatum internum sit, in solo animo consistens, sufficit per pœnitentiam fori interni illud expiare, *c. ult. h. t.* cogitationis enim pœnam in foro externo nemo patitur *c. cogitationis de Pœnitentia dist.* 1. neque Ecclesia judicat de internis quoad pœnas inferendas, nisi in aliquem actum externum prodierint.

De simonia conventionali etiam satis conveniunt 34
DD. quòd non habet pœnam, quæ ipso jure inferatur, possit tamen à Judice Ecclesiastico arbitrariè puniri, quia Canones dictantes pœnas simoniacis, non de sola conventione, sed actuali datione, & acceptione, aliave reali exactione loquuntur. Imò non paucorum est sententia, ad incurrendas pœnas juris non sufficere, si contractus simoniacus ab una tantùm parte completus sit (excepta simonia confidentiali) sed requiri, ut utrinque una pars dederit temporale, & altera spirituale. Cov. *in relect. regula peccatum p. 2. §. 8. n. 7.* & Less. *de Just. & jure lib. 2. c. 35. dub. 27.*

Realis Simonia in triplici tantùm casu habet pœnas 35
ipso jure inflictas. *Primò* si commissa sit in ingressu in Religionem, ut in præcedenti *§. 9. 6. dictum.* Estque hoc casu pœna excommunicationis summo Pontifici reservata, dantibus, & recipientibus imposita, & suspensio Conventus ab officio. Item inhabilitas professi ad manendum in illo Monasterio *extrav. h. t.* putat tamen Less. *d. l. dub. 23. hanc extrav.* non esse receptam, ut tales pœnæ ipso jure incurrantur.

Secundò simonia commissa in susceptione, & collatione ordinum pariter habet pœnam excommunicationis summo Pontifici reservatæ, & suspensionis ab exercitio pontificalium respectu ordinantis, & ab exclusione ordinum respectu ordinati, sicut in Bulla Sixti V. *contra malè promotos* habetur.

Tertiò simonia commissa in adeptione, vel collatione 36
be-

beneficii Ecclesiastici præter excommunicationem reservatam facit irritam collationem, provisionem, vel electionem ita quidem, ut neque per aliam collationem vel electionem promoveri possit ad illud beneficium, is, qui id prius simoniacè obtinuit, nisi ipso ignorante, & multo magis contrarium protestante ab aliis, & fortassis in fraudem ejus simonia commissa sit. *c. sicut nobis h. t. c. penul. de Elect. extrav. 2. h. t.*

37 Simoniæ confidentialis pęnas statuit Pius IV. in Bulla, *Romanum Pontificem*: & Pius V. *in Bulla Intolerabilis &c.* ut annullata tali simoniaca collatione, & reservato illo beneficio sedi Apostolicæ Episcopi, & superiores committentes hanc simoniam, interdictum ingressus in Ecclesiam, inferiores aut excommunicationem reservatam incurrant, & prætereà ille, qui beneficium simoniacè accepit, non tantùm inhabilis fiat ad idem beneficium postea obtinendum, sed etiam omnibus beneficiis priùs obtentis privetur, quod tamen DD. non de privatione ipso jure, sed per sententiam judicis intelligunt cum Less. *d. c. 35. dubio 26.* Istud quoque adnotandum est, quòd ad incurrendas pęnas simoniæ *confidentialis* non requiratur, ut contractus ex utraque parte sit impletus, quia refertur ad diversa tempora, unde sufficiet, si Episcopus hoc pacto beneficium contulerit, & alter acceptarit, ut v. g. post quinquennium resignetur consanguineo Episcopi, quamvis illa resignatio necdum intervenerit.

38 Sciendum postremò, quamvis aliàs de jure civili in contractu turpi, si tam dans, quam accipiens turpiter seu contra bonos mores egerit, melior dicatur conditio possidentis. *l. 2. C. de Condictione ob turpem causam*: tamen in contractu simoniaco rectè per sententiam judicis imperari posse, ut pretium Ecclesiæ injuriatæ, vel pauperibus, aut aliis piis causis restituatur. *c. audivimus. h. t.* qua de re videri poterit Cov. *cit. loco* §. 2. *tit.* 4.

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

SUMMARIA.

1 *Ratio prohibitionis hujus Tit.*
2 *Pœna contravenientibus statuta.*

1 EX hoc titulo confirmatur, quod in superiori tradidimus, videlicet jurisdictionem Ecclesiasticam esse materiam Simoniæ, unde hic prohibentur Episcopi, aliique Prælati, ne vices suas, id est, suam jurisdictionem, vel etiam quodcunque aliud Ecclesiasticum officium, ut Vicariatum, Archipresbyteratum, Decanatum, &c. aliis vendant pro temporali pretio, vel concedant sub tali onere, ut ipsis annua pensio solvatur. Rationem etiam convenientiæ addit Barb. *in c. 2. h. t. n. 2.* ne illi, qui sua officia pecunia acquisiverunt, gravent homines pęnis, & exactionibus pecuniariis, aut aliis mo-
2 dis potius lucro proprio, quàm spirituali fidelium commodo intendant. Quare magis congruit, ut Episcopus det suo Vicario, & Officialibus sufficiens beneficium, vel stipendium pro labore, quem habent in administratione officii, ut ita gratis, & sine querela justitiam subditis exhibeant. Pęna hujus prohibitionis statuitur, ut officialis redimens officium pecunia privetur illo, & à Prælato potestas conferendi tale officium auferatur, quam tamen pęnam non ipso jure, sed per sententiam judicis infligi, latiùs colligitur, *ex c. 1. & 2. h. t.* ubi textus non dicit, privatus sit, sed privetur, scilicet per Judicem superiorem.

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

SUMMARIA.

1 *Quid nomine Magistri hic intelligatur?*
2 *Quales Magistri in Ecclesiis cathedralibus de jure, maximè Tridentini debeant constitui?*
3 *Magistri Theologiæ etiam absentes gaudent fructibus suorum beneficiorum.*
4 *Et quid de aliarum Facultatum Magistris?*
5 *Magistri Theologiæ, si in sua Ecclesia doceant, habentur etiam pro præsentibus in Choro.*
6 *Clerici studentes cum licentia Episcopi Theologiæ, vel Juri Canonico etiam in absentia gaudent fructibus beneficiorum.*
7 *Parochis, & Curatis post Conc. Trid. non conceditur amplius talis licentia.*
8 *Prohibitio, ne quid accipiatur pro licentia docendi, est tantùm Juris Ecclesiastici: nisi hæc licentia à Prælato ecclesiastico ex officio detur.*
9 *Professores possunt exigere stipendia pro doctrina.*
10 *Quando pro Gradibus Academicis, aliquid liceat exigere?*

HUnc titulum Compilator annexit materiæ de *Simonia* propter prohibitionem exigendi aliquid pro licentia docendi: quia tamen generaliter etiam tractat de *Magistris*, de his quædam scitu digna præmittemus.

Magistri nomine hic intelliguntur tam SS. Theologiæ, 1
& SS. Canonum, quam aliarum facultatum, aut artium liberalium Professores, Lectores, vel Doctores. De his statuitur in primis in *c. 1. 4. & ult. h. t.* ut in singulis Ecclesiis Cathedralibus constituantur Magistri, qui saltem Grammaticam doceant, assignata eis congrua præbenda, seu proventibus pro salario, & sustentatione: in Metropolitana verò Ecclesia habeatur etiam Magister SS. Theologiæ, cui similiter à capitulo providendum sit. Deindeà Conc. Trid. *sess. 5. de Ref. c. 1.* constitutum est ut etiam in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, ubi Civitas est populosa, & reditus sufficiunt, Magister Theologiæ instituatur. Insuper in Monasteriis, & Conventibus Regularium sacræ Scripturæ Lectio habeatur.

Magistrorum docentium Theologiam etiam extra 2
suas Ecclesias, & beneficia, privilegium est, quòd non minùs, quam si in iis residerent, fructus beneficiorum suorum integrè percipere possint, non tantùm per quinquennium, sed quam diu in docendo persistunt. *c. quia nonnullis. 4. h. t. & ibi DD.* Rebuffus *in Praxi beneficiar. t. Dispensatio, de non residendo. n. 25.*

Nec refert, quòd *in cit. c. fin.* videatur id restringi ad 3
quinquennium; nam quinquennium illud refertur ad studentes, & discentes, non autem ad docentes, ut notat Barb. *in d. c. fin. n. 5.* Quod de Magistris Theologiæ dictum est etiam de Professoribus SS. Canonum procedere tradunt DD. cum Panorm. *in c. licet 32. n. 5. de Præbend.* De aliarum Facultatum Professoribus secus de Jure com-
munı videtur: Idem tamen etiam istis, si in publica Uni- 4
versitate doceant, conceditur per Bullam Eugenii IV. quam ad omnem Universitatem extendi, docet idem Barb. *in Consult. Canon. l. 3. resol. 88. dub. 1.* videatur etiam Garc. *de Benefic. p. 3. c. 2. num. 52.* Specialiter autem circa Theologiæ Professores à Gregorio XIII. concessum fuisse refertur in *Declar. Card. ad d. c. 1. Concil. Trid. n. 12.* ut si in Ecclesia sua doceant, non tantùm fructibus beneficii, sed etiam quotidianis distributionibus, ac si in Choro deservirent, gaudere possint, non tantùm pro iis horis quibus docent, sed toto die.

Ut vero Clerici etiam in doctrina, & studiis profici- 5
ant, simili modo iisdem conceditur *in d. c. fin.* ut absentes ex licentia sui Prælati in studio Theologico (idem esse de studio Canonico tradunt DD.) gaudere nihilominus

nis fructibus suorum beneficiorum possint, sed per quinquennium; quo studium prædictum absolvi faciliè potest. Etsi autem Curatis, & Parochis quoque in t. *cum ex eo* 34. *de Elect. in* 6. licentia similis ad studendum conceda-
6 tur usque ad septennium, tamen post Constitutionem Concil. Trid. *Sess.* 22. *de Ref. c.* 1. illam licentiam non posse ampliùs concedi, determinatum fuisse à S. Congregatione Cardinal. refert Barb. *in c. relatum* 4. *de Cler. non resid. n.* 7. cum pluribus citatis.

7 In altera hujus rubr. parte subjungitur prohibitio, ne pro licentia docendi, sive pro obtinenda professura aliquid temporale exigatis, ad quem talem licentiam, vel professuram concedere pertinet. Quia tamen professu-
8 ra liberalium artium ex se non est aliquid spirituale, imò nec ipsius Theologiæ, quatenus discursus scholasticus est, qui ut in schola proponitur, non ordinatur principaliter ad salutem animæ, sed ad instructionem potiùs, & eruditionem discipulorum, & ita actus naturalis est, licet ex consequenti illa doctrina à discipulo accepta ad salutem animæ accommodari possit; ideo plerisque placet, hanc exationem pro licentia docendi esse tantùm Jure Ecclesiastico tanquam inconvenientem prohibitam, non autem propriè Simoniacam, nisi eo casu, quo Prælatus Ecclesiasticus, cui ex officio competit professuram aliquam unà cum beneficio conferre, pro licentia docendi à beneficio aliquid specialiter exigat.

9 Non autem prohibetur in *h. t.* quin Professores possint exigere congruam mercedem, & stipendium pro sua doctrina, cùm id possent, tametsi doctrina inter spiritualia reputaretur, sicut in *t. de Simonia* de Clericis diximus, qui pro electione Missarum, vel aliis serviriis spiritualibus honestum stipendium habere possunt. *Nemo enim*, teste Apostolo 1. *ad Corinth.* 9. *suis stipendiis militat, & qui seminat spiritualia, metere potest temporalia:* peccabunt tamen professores artium contra justitiam commutativam, si habentes sufficiens stipendium insuper aliquid à discipulis exigant, nisi liberaliter offeratur; vel extraordinarium laborem, aut instructionem, ad quam ex pacto stipendiali non tenentur, eis impenderint, sicut tradit Panorm. *in c. quia nonnulli h. t. n.* 3. sed.

Inquies: si pro *licentia docendi* non licet exigere pecuniam, quomodo ergo pro gradu *Magisterii*, & *Doctoratus* ab Universitatibus exigitur, cùm tamen in tali gradu principale sit docendi, & interpretandi licentia.

10 R. In gradu Magisterii, vel Doctoratus plura posse considerari, quæ sunt pretio æstimabilia: ut *primò*, labor, & incommoditas examinantur, approbantium, & assistentis Universitatis in tali gradu. *Secundò* Gradus ipse quatenus publicum testimonium scientiæ, & doctrinæ. *Tertiò* honor temporalis per gradum collatus. *Quartò* communicatio privilegiorū gradui annexorum. Ex his ergò titulis meritò aliquid pro Gradibus Accademicis exigi & accipi potest.

TITULUS VI.

De Judæis, Saracenis, & eorum Servis.

SUMMARIA.

1 *Qui sint, & unde dicantur Saraceni?*
2 *Licitum est tolerare Judæos, & magis tolerentur, quàm Heretici?*
3 *Non permittitur tamen Judæis novas synagogas ædificare, aut veteres ampliare.*
4 *Conversatio cum Judæis, & Infidelibus quatenus sit prohibita?*
5 *Judæi, & Saraceni à Christianis distincto habitu uti debent.*
6 *Pœna eorum tam Canonica, quàm Civiles, qui illicitum commercium cum infidelibus exercent.*
7 *Qualis conversatio cum Judæis, & Infidelibus licita esse possit?*
8 *Prohibitum est, Judæis tribuere officium, vel jurisdictionem inter Christianos.*
9 *An liceat infidelibus propter infidelitatem, &c. bellum inferre?*
10 *Judæi, & Infideles ad fidem directè cogi non possunt: indirectè tamen benè, si resistant Evangelii prædicationi.*
11 *Invitis parentibus eorum filii non sunt baptizandi: exceptis certis casibus qui enumerantur n.* 12.
13 *Servi, & filii familias ex Judæis, vel gentilibus conversi liberantur à potestate eorum.*

QUinam sint Judæi scilicet adhuc cultores veteris 1
Testamenti, negantes Christum fuisse DEUM, & Redemptorem nostrum, satis omnibus notum est. De *Saracenis* dubitatur quidem, unde propriè nomen, & originem acceperint, ac qualis sit eorum religio, tradunque communiter antiquissimi scriptores apud Cov. *Variar. Resol. lib.* 4. *c.* 9. quòd ab Agar uxore, & ancilla Abrahę, & Ismaele filios ejus descendant (unde, & Ismaelitæ aliquando vocantur) ut verò servilis originis maculam declinarent, appellarunt se *Saracenos*, quasi a Sara altera uxore Abrahæ libera stirpem ducerent; Judæorum quoque ritus imitati sunt. Inter in præsenti Tit. comprehendi omnes Mahometicæ sectæ adjunctos: sive sint Turcæ, sive Persæ, Tartari, Ægyptii, aut similes, scribit Barb. *in c.* 6. *h. t. num.* 3. & etiam alios Paganos, seu quoscunque Infideles intelligi, vult Zoes. *ead. t. nu.* 3. Porrò in materia hujus t.

Quæritur I. An licitum sit Christianis Principalibus, 2
ut in suis terris tolerent Judæos.

R. Affirmativè, quia ritus Judaici Evangelicam veritatem adumbrant, & gens Judaica, quæ inconstanter suam progeniem, & traditiones suas à Moyse, & Patriarchis derivat, testimonium assiduum præbet sacræ Scripturæ, ne ab Atheis hominibus tanquam figmentum noviter excogitatum explodatur, eaque de causa planè credibile est, quòd Deus gentem Judaicam non penitùs deleri, sed toto orbe dispergi voluerit. Pulchrè D. August. *contra Faustum c.* 23. inquit: *Quid est aliud hodie gens ista, nisi quadam scriniaria bajulans legem, & Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per Sacramentum, quod illa nuntiat per literam.* Cur autem minùs tolerentur Hæretici, imò *in c. excommunicamus*, 13. *§. moneantur de Hæreticis.* omnes Principes sæculares jubeantur, expellere ex finibus suis hæreticos. Ratio est, quia majus perversionis periculum inducunt hæretici, quàm Judæi, cùm vix auditum sit, aliquem ex Christianis ad Judæos transire. Dein Ecclesia potest in pœnam hæresis hæreticos possessionibus suis tanquam rebelles subditos privare: quia semel per baptismum intra fidelium Christianorum Ecclesiam recepti, & consequenter Romano Pontifici, utpote ejusdem Capiti, subjecti sunt? Judæi verò, & cęteri Infideles nunquam per baptismum intra Ecclesiam recepti, propriè ejus subditi non sunt, dicente Apostolo 1. *ad Corinth.* 5. *vers.* 52. *Quid mihi est de illis, qui foris sunt* (hoc est extra Ecclesiam) *judicare?* & præterea etiam ob solam infidelitatem, nisi aliæ culpæ accedant, suis bonis spoliati non possunt, ut mox dicemus.

Interim tamen quia nimia Judæorum in locis Christianis abundantia non caret periculo apud rudem plebem, nec convenit, ut in tanto vigore permittantur ritus Judaici cum frequenti blasphemia Christiani nominis: ideò statuit summus Pontifex *in c. consuluit* 7. *h. t.* ut Judęis quidem permitti possit veteres Synagogas ab antiquis temporibus obtentas restaurare, non autem novas ędificare, vel altiores, ampliores, aut pretiosiores reddere.

Quęritur II. An, & quatenus Christianis prohibita sit conversatio cum Judęis, & Infidelibus.

Resp. Tum ad charitatem Christianę Religionis conservandam, tum ad cavendum perversionis periculum prohibitum esse Christianis, ne assidua familiaritate cum infidelibus, pręsertim verò cùm Judęis utantur, sicut in specie interdicitur, ne aliquis Christianus in eadem domo cum Judęo habitet: ne Judęo Medico utatur, Judęorum azyma comedat, in eodem cum iis convivio, vel balneo versetur: ne quisquam Christianorum

Judęo

Judæo continuò serviat, nisi locando operas ad modicum tempus: ne nutrices Christianæ nutriant Judæorum infantes intra ipsorum domum: ne Christiani, & Judæi vel alii infideles conjugia inter se ineant, prout hæc omnia habentur per plura *cc. in causa*, 28. *q.* 1. Præterea ut inter Christienos, & Judæos sit distinctio, & Christieni sciant Judæorum evitare consortium, mandat Pontifex *in c. in nonnullis*. 15. *h. t.* ut Judæi, & Saraceni utriusque sexus in terris Christianorum debeant uti habitu, per quem à Christianis discernantur, & illis diebus, quibus singulariter celebratur memoria Dominicæ Passionis, non debeant in publicum prodire.

6 Specialiter verò prohibitum est Christianis, ne tempore belli inter infideles & Christianos, querumcunque rerum cum infidelibus commercium habeant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, *c. quod olim* 2. *h. t.* Estque hæc excommunicatio reserveta summo Pontifici circa eos, qui vel tempore belli, vel extra bellum cum Christienis equos, atma, ferrum, naves, vel ligna navium vendunt, vel quoquo modo infidelium bella adjuvent auxilio, vel consilio, & insuper talia facientes rerum suetum dominio privantur, fiuntque capientium servi, infames, intestabiles, & inhabiles ad omnes actus legitimos, nec absolvuntur ab excommunicatione, nisi totum, quod ex damnato commercio perceperint, & tentundem in subsidium terræ sanctæ de suo transmiserint. Quòd si solvendo non fuerint, eliis gravibus pœnis ad terrorem aliorum subiici debent, *c. ita quorundam*. 6. *c. significavit* tt. & *c. ad liberandum*. 17. Bulla Cenæ *h. t. casu* 7.

7 De Jure civili merces prohibitas, quæ deservire possunt ad bellum, Barberis vendentes puniuntur pæna capitali, & confiscatione bonorum, *l.* 2. *C. Quæ res exportari debeant*.

Quær. III. Utrùm sint aliquæ causæ, quæ conversationem cum Judæis, & infidelibus à culpa excusent? R. Principaliter tantùm illam conversionem prohibitam esse cum infidelibus, quæ fit per modum societatis, & familiaritatis, vel aliunde assidua, & diuturna est. Quare qui casu cum Judæo in eodem convivio, vel balneo convenit, non tenetur, ab eodem declinare. Item in illis locis, ubi Judæis conceditur mercaturam exercere, consuetudo declerat, licitum esse cum ipsis contractus emptionis, permutationis, eut similes celebrere. Denique sicut in omni lege, aut transgressione excusat magna necessitas corporalis, aut spiritualis, ita etiam hic non est culpandus, qui ex necessitate famis cum Judæis manducet, qui Judæo medico utitur, si alius curando morbo idoneus haberi nequeat, qui sperans conversionem infidelis, cum eo familiariùs, & frequentiùs conversetur.

8 Quær. IV. An Judæis, vel infidelibus possit à Principe concedi officium, vel jurisdictio eliqua in Christianos. R. Id utroque Jure esse probibitum, quia sub tali prætextu Infideles Christianis plurimum sunt infesti, *c. cum sit* 16. *h. t.* & *l. ult. C. de Judæis*. Unde si Princeps velit aliquos reditus suæ Provinciæ vendere Judæis, debet pro collectione illorum redituum præficere Christianum, *cap. penult. hoc tit.*

9 Quæritur V. An liceat Infideles bello expugnare propter infidelitatem, idololatriam, aut alia eorum peccata contra jus divinum? Communior sententia id negat cum Mol. *de Just. & jure tr.* 2. *disp.* 107. quòd deficiat jurisdictio, sine qua non datur criminis punitio, nisi aliunde tales Infideles subditi fuerunt Magistratui Christiano, vel injuriam intulerint Christianis, aut aliis innocentibus, verbi gratia eos occidendo, immolando &c. juxta illud *Proverb.* 24. *vers.* 11. *Erue eas, qui ducuntur ad mortem &c.* Verùm affirmativa sententia videtur admodùm probabilis, quàm nonnulli docent apud Molin. *d. loc. n.* 1. maximè si consensus Pontificis accedat, cujus est defendere Divinum Jus, eique ratione peccati jurisdictio competit in omnes, si enim licet vindicare injuriam homini illatam, quare non etiam Deo illatam per idololatriam? sicut ea de causa olim Judæis permissum fuit, multas gentes delere, ut in SS. litteris habetur.

Quæritur VI. An Judæi, & Infideles cogi possint ad fidem Catholicam, aut liberi eorum invitis parentibus baptizari.

10 Resp. I. Quamvis Infideles, qui per baptismum nunquam de jurisdictione Ecclesiæ facti sunt (secus de hæreticis, ut Tit. proximo dicemus) ad fidem cogi directè nequeant *c. sicut judæi* 9. *h. t.* nisi aliquando indirectè, negando illis habitationem in terris Christianorum; priusquam se convertetint: si tamen prædicatoribus Evangelii restiterint, aut licentiam prædicandi denegarint; plerique fatentur, licere tunc infideles etiam bello cogere, & expugnare propter injuriam, quam inferunt Evangelio, dum ejus prædicationem, quæ ex mandato Christi toti mundo debet innotescere, impediunt.

Resp. II. Filii Judæorum, & infidelium invitis parentibus ordinariè baptizandi non sunt: quia nec sine injuria parentum ab ipsis abstrahi, nec sine periculo perversionis, & injuriæ baptismi ipsis relinqui, vel restitui possunt. Ita communiter cum S. Thoma 2. 2. *q.* 10. *art.* 12. tradunt DD. 11

Excipiuntur tamen aliqui casus, ut I. si infans in articulo mortis, adeoque extra periculum perversionis constitutus sit. II. si semel à parentibus filius abstractus iis amplius restitui non possit, ut quia mortui sunt &c. III. si unus ex parentibus consentiat, altero dissentiente, consentientis voluntas tanquam justior in favorem prolis præferenda est. IV. si prolem ad usum rationis pervenisse saltem ex quibusdam indiciis probabiliter colligi possit, quia in illis, quæ ad salutem animæ pertinent homo à parentibus non dependet. V. denique, si liberi infidelium perpetuò amentes sint, etiam invitis homo à parente à quibus propter amentiem perverti nequeunt) in fide Ecclesiæ baptizari possunt, ne omni remedio animæ destituantur. 12

Quær. VII. Quid juris, si servus aut filius familias alicujus Judæi, vel Infidelis ultro, & sua sponte fidem Catholicam suscipiant. 13

Resp. Tales servos hoc ipso liberos fieri, neminem enim Judæorum licèt Christianum servum possidere *c.* 1. *& c. h. t. & tot. tit. C. Ne Christianum mancipium Hereticus, vel Judæus, vel Paganus habeat*. Circa filiosfamilias infidelium ad fidem conversos refert Joan. Honor. *h. t. n.* 24. statuisse Paulum III. ut hoc ipso liberati à patria potestate legitima, & alia omnia bona sibi competentia, & priùs a patre possessa, etiam invitis parentibus, tenere & possidere valeant, ita ut nihilominus jura suitatis, cognationis, & successionis retineant. Item si quæ à parentibus ex usuris, aut quomodolibet male quæsita sint, & nesciantur veri domini, quibus ea restitui debent, idem Pontifex Paulus III. concessit, ut apud filios ad fidem conversos remaneant, cum aliàs piis causis applicanda forent.



TITULUS VII.

De Hæreticis.

SUMMARIA.

1 *Quid sit hæresis, & quòd in ea requiratur pertinacia.*
2 *Dubitans in fide, an sit hæreticus?*
3 *Excusatur ab hæresi formali, & pœnis hæreticarum.*
4 *Nondum baptizati non sunt propriè hæretici.*
5 *Pœna prima hæreticorum excommunicatio reservata, & quæ ad eam incurrendam requirantur?*
6 *Quinam hæretici dicantur materiales tantùm?*
7 *Factis quomodo manifestari possit hæresis?*
8 *Excommunicationis pœna extenditur in hæreticarum fautores, & defensores.*
9 *Advertenda circa indicem librorum prohibitorum.*
10 *Libri hæreticorum de religione non tractantes in Germania non habentur pro prohibitis.*
11 *Episcopi ab hæresi occulta conceditur absolvendi facultas à Conc. Trid. quæ per Bullam Cœnæ non videtur sublata.*
12 *Ex indultis particularibus Episcopis, & Regularibus quibusdam concessa est potestas ab hæresi absolvendi.*
13 *Alia pœna hæreticorum, ut irregularitas cum infamia intestabilitas, bonorum confiscatio &c.*

14 *Irre-*

14 *Irregularitas, maximè quatenus in liberos extenditur, usu Germaniæ non ita strictè servatur.*

15 *Hæretici incorrigibiles traduntur Curiæ sæculari, & ultimo supplicio afficiuntur.*

16 *In Germania hæreticorum pleræque pœnæ vix nisi circa hæresiarchas novos locum habent.*

1 HÆresis inquit S. Hieronymus *in c. Hæresis 27. caus. 24. q. 3.* Græcè ab *electione* dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Cæterùm secundùm rei substantiam, & convenienter huic titulo *Hæresis* describitur, quod sit *error* contra aliquam fidei Catholicæ veritatem, cum pertinacia junctus in eo, qui fidem suscepit.

Dico I. *hæresin* esse *errorem contra fidem Catholicam*, id est, contra id, quod Pontifex, *quà pontifex*, & ex Cathedra loquens, vel Concilium authoritate Pontificis legitimè congregatum tanquam veritatem Catholicam definivit, & ejus contrarium ut hæreticum damnavit. Quare antequam controversia aliqua Theologica ab Ecclesia definiatur, in utramque partem sine nota hæresis defendi potest. Quænam verò sint singulæ propositiones ab Ecclesia damnatæ, ad institutum Theologicum pertinet examinare. Pleraque videri poterunt in Concil. Trid. ubi in singulis *Sessionibus* certi Canones, propositionum damnatarum præsertim circa materiam Sacramentorum adjuncti sunt.

Dico II. ad *hæresin* pertinere *pertinaciam*, hoc est, quòd aliquis sciens suam sententiam esse contra Ecclesiæ definitionem, & authoritatem, nihilominus eam defendat, & sequatur, unde qui ex ignorantia licèt crassa, & culpabili aliquid contra Ecclesiam credit, peccat quidem, quòd non laboret tam crassam ignorantiam deponere, non tamen propriè, & simpliciter hæreticus censetur, nec hæreticorum pœnis punitur, dummodò paratus sit in fide meliùs instrui *c. dixit Apostolus 29. & c. qui in Ecclesia 31. causa 24. q. 3.* Excipiunt tamen aliqui, nisi ideò quis fidei veritatem inquirere prætermittat, quòd authoritatem Ecclesiæ, & summi Pontificis parùm curet, talem enim hæreticis annumerant.

2 De eò, qui in aliquo fidei articulo dubitat, non levis est difficultas, an pro hæretico habendus sit? Nam affirmativam sententiam plurimi DD. sustinent, & pro ea valdè urget *c. 1. h. t.* ubi apertè dicitur, quòd dubius in fide *infidelis sit.* Et confirmatur ratione, quod negare fidei articulum esse certum, utique sit hæreticum, sed dubitans, vel explicitè, vel implicitè negat articulum fidei esse certum, alià non dubitaret, ergo &c. Verùm quamvis ex unanimi DD. sententia satis certum sit, eum peccare, qui deliberatè dubitat de articulo fidei (nisi post advertentiam excutiat dubium, & captivet intellectum in obsequium fidei paratus doceri, seque Ecclesiæ authoritati submittere, quo casu actum fidei meritorium facit) non desunt tamen, qui talem dubitantem à formali hæresi, & hæreticorum pœnis probabiliter excusant, quos allegat Barb. *in d. c. 1. n. 2. & 3.* Ratio est, quia hæresis est actualis
3 electio erroris contra fidem, dubitans autem nondum aliquid eligit, cum nec assensum, nec dissensum habeat.

Unde ad Argumentum in contrarium responderi potest, quòd dubitatio non importet formaliter explicitam vel implicitam negationem positivam, sed sit potiùs aliquod medium affirmationis, & negationis suspensivum, textus verò in *c. 1. h. t.* commodam interpretationem recipit, quòd in foro externo quoad inquisitionem instituendam hæreticus præsumatur, qui palam suam dubitationem jactat, & pertinaciter in ea persistit, non autem quòd hoc ipso statim de hæresi convictus sit.

4 Dico III. *hæresin* committi ab eo, qui fidem suscepit, hoc est, qui semel per Baptismum intra Ecclesiam receptus est, quare infideles nunquam baptizati, vel etiam catechumeni sive credentes nondum baptizati, si aliquem articulum contra Ecclesiam teneant, hæretici propriè non sunt, nec hæreticorum pœnis subjaceant.

5 Porrò inter hæreticorum pœnas prima est excommunicatio ipso jure illata, & ex Bulla Cœnæ Domini summo Pontifici reservata; ad hanc tamen excommunicationem tres potissimùm conditiones requiruntur. I. ut aliquis sit formalis hæreticus, non materialis, qui solùm ex
6 ignorantia non autem ex pertinacia hæreticam propositionem credit. II. Requiritur, ut hæresis non tantum in animo consistat, sed extrinsecus significetur, quia Ecclesia in judicio fori externi non judicat de internis, nec punit solas cogitationes *c. cogitationis 14. de Pœnit. dist. 1.* Unde talis hæreticus purè mentalis à quolibet Confessario absolvi poterit. III. ut actio externa, qua verbo, & opere se aliquis hæreticum declarat, sit mortaliter mala, & fiat animo profitendi, vel deferendi hæresin, proinde qui causa quærendæ instructionis alteri suam hæresin in animo conceptam detegit, non propterea excommunicationem incurrit.

Sed quid si aliquis ab auditione Missæ, vel Confessione abstineat, aut in diebus abstinentiæ carnes comedat, ex intrinseco motivo hæretico, qui tamen hoc motivum per verba non exprimit? *Resp.* Si consideratis circumstantiis loci, temporis, & personæ homines moraliter talem actum, vel omissionem actus pro signo aliquo hæretico accipiant, non evitabitur excommunicatio, quia nihil interest, verbis an factis hæresis demonstretur. Sin autem consideratis circumstantiis morali hominum judicio nulla sit suspicio de hæresi; quia v. g. creduntur carnes edi ex oblivione, vel causa morbi, aut Missa omitti ex negligentia &c. non incurretur excommunicatio, licèt interim hæretica intentio lateat, quia actus externus moraliter, & quoad judicium hominum hic, & nunc non existimatur malus, solus autem internus affectus non ponitur juxta dicta. Idem dicendum puto, si quis dicat, se non credere aliquem articulum fidei, sed id ab aliis joci causa dictum accipiatur. 7

Præterea in eadem *Bulla*, & *in c. excommunicamus 13. §. credentes h. t.* eadem excommunicatio reservata lata est in hæreticorum receptatores, fautores, & defensores, quæ tamen verba ita accipienda sunt, ut illi solùm intelligantur, qui hæretico favorem, & auxilium præstant, non quatenus in aliis negotiis cum iis tractat, sed quatenùs hæreticus est, ut hæresin suam facilius docere, & defendere, aut manus Judicis effugere possit, quamvis de cætero ipsi receptatores fidem hæreticam non habeant, sed ex causa forsan amicitiæ eum recipiant, arg. *l. 2. ff. de Receptatoribus.* Duæ tamen limitationes adduntur à DD. *primo*; nisi persona recepta sit valdè conjuncta, ut Patris aut filii, Iterum arg. *d. l. 2. Secundo* ut tunc solùm procedat excommunicatio, si ex receptione, vel favore malus effectus secutus sit, & hæresis propterea magis diffusa, vel hæreticus judicium effugerit. 8

Ulterius ex dicta Bulla Cœnæ excommunicatione reservata damnantur, qui hæretici librum hæresin continentem, vel de religione tractantem sine Apostolicæ Sedis licentia scienter legunt, retinent, imprimunt, vel quomodolibet defendunt. Ut autem sciant Catholici, quos libros evitare debeant, de mandato summorum Pontificum certus index librorum prohibitorum editus est.

Circa tamen Indicem advertere oportet, duas esse classes librorum prohibitorum, in prima classe ponuntur omnes libri hæretici, & de Religione ex Instituto tractantes, quamvis fortassis nullum manifestum errorem contineant: sufficit enim, quod ab hæreticis conscripti, ideò periculosi sint, atque hujus primæ classis libri omnes sub excommunicatione reservata prohibentur. In altera verò classe ponuntur illi libri à quibuscunque conscripti: qui licet hæresin non contineant, aliunde tamen scandalosam doctrinam, aut bonis moribus repugnantem tradunt: & isti si in indicem librorum prohibitorum nominatim relati sint, excommunicationem quidem annexam habent non tamen reservatam; Imò in Germania indicem quoad secundam classem non esse receptum, ait Paulus Laym. *in Theol. moral. lib. 2. tract. 1. c. 15. sub n. 8.* quod fortassis verum est circa pœnam excommunicationis, non autem utique ratione peccati, quod plerumque ob periculum perversionis aut malæ delectationis ex lectione talium librorum committitur. 9

Illud verò communiùs notant Doctores, quòd libri ab hæreticis conscripti ex usu præsertim Germaniæ tunc solùm prohibiti sint, si ex instituto de Religione tractent, non autem si de materia indifferenti v. g. de Jure, Medicina, Philosophia aut aliis, licet quandoque obiter aliqua hæretica inferant. Item quod parvitas materiæ (quam potiores ad lectionem unius paginæ in libro hæretico constringunt) à censura excuset. 10

Portò

11 Portò absolutio ab ista excommunicatione propter hęresin iata principaliter quidem ad summum Pontificem spectat; si tamen hæresis externo opere, aut verbo expressa fuerit occulta, siva à paucis cognita (quod aliqui ad decem personas restringunt) penes quos non sit probabile divulgationis periculum, etiam Episcopo absolutio conceditur, in Conc. Trid. *Sess. 24. de Ref. c. 6.* Licèt verò multi doceant omnem facultatem in Conc. Trid. datam Episcopi absolvendi ab hæresi sublatam esse per Bullam Cęnæ, quæ indistinctè istam absolutionem Pontifici reservat: nihilominùs cùm Bulla Cęnæ generaliter loquatur de hæresi, Concilium autem specialiter de hæresi, & aliis delictis occultis in communi, in omni autem jure generi per speciem derogetur, & leges naturales cedant
12 specialibus; ideo probabiliùs credo per Bullam Cęnæ Jus Episcoporum ademptum non esse cum illis, quos allegat Birh. *in Collect. ad d. c. 6. Trid. sub n. 52. vers. contra.* Quod si hæresis purè mentalis, & interna fuerit, nullo externo verbo, aut opere demonstrata: vel si ex ignorantia sulùm hæreticum aliquid creditum sit, jam superiùs diximus, nullam inde ex communiori sententia incurri excommunicationem, & propterea ejus absolutionem cuicunque Confessario competere. Denique ex privilegiis, & indultis particularibus plerique Episcopi, item nonnulli Religiosorum Ordines jus habent ab hæresi, & alii casibus reservatis absolvendi, quæ tamen licentia non solet dari perpetuò, sed ad certos annos: quibus elapsis ejus renovatio à Sede Apostolica petenda est.

13 Præter excommunicationem aliæ insuper pęnæ in hæreticos statutæ sunt, ut I. irregularitas cum infamia, ex qua hæretici eorumque liberi usque ad secundam generationem ex linea *paterna*, & usque ad primam inclusivè ex linea *materna*, inhabiles sunt ad SS. Ordines, & beneficia Ecclesiastica, etsi defacto ante hæresin beneficia obtinuerint, illis ob crimen hæresis ipso jure privati sunt, & pęna depositionis à SS. Ordinibus puniuntur, *c. 2. §. heretici autem c. ut commissi 12. & c. statutum 15. h. t. in 6.* In Germania tamen hæc irregularitas post conversionem hæretici non ita strictè observatur præsertim circa liberos, dummodò ipsi boni Catholici sint. II. Hæretici eorumque fautores, si per annum in excommunicatione persistant, fiunt intestabiles activè, & passivè, ita ut nec ipsi hæredes instituere, nec hæredes institui possint, *c. excommunicamus 13. §. credentes h. t.* III. Bona hæreticorum de jure confiscantur; siquidem Laici fuerint, à sæculari
14 Judice (postquam scilicet Ecclesiasticus Judex aliquem hæreticum declaravit, quia cognitio de hæresi fori Ecclesiastici est;) si verò Clerici à Judice Ecclesiastico, & applicantur bona Ecclesiæ, quibus inservierunt, *c. vergentis 10. & d. c. excommunicamus §. damnati cit. t. & c. cum secundùm 19. eod. t. in 6.* IV. Filiifamilias liberantur ex patris hæretici potestate, & vasalli ac subditi de obligantur à juramento fidelitatis, si eorum dominus in hæresin labatur, *c. ult. h. t. & c. 2. §. ult. eod. in 6.* Imò si domini temporales terras suas purgare hæresi neglexerint, postquam fuerint requisiti ab Episcopis, per Metropolitanum, & Comprovinciales Episcopos excommunicantur, & nisi satisfecerint, intra annum significatur summo Pontifici, ut tunc ipse tales dominos honore, & dignitate privatos, eorumque subditos à fidelitate absolutos denunciet, ac terras eorum exponat Catholicis occupandas, *d. c. excommunicamus, §. moneantur & c. abolendam 9. §. statuimus h. t. auth. si verò C. de Hæreticis.*

15 V. Demum hæretici, qui parati non sunt suum errorem corrigere, & maximè, qui postquam semel hæresin ex mandato Judicis Ecclesiastici solemniter abjurarunt, denuò in eam relapsi sunt, traduntur judicio seculari, ibidemque morte afficiuntur, & consuetudine igne concremantur, sicut tradit Julius Clarus *Lib. 5. sentent. §. heresis n. 7.*

16 In Germania pleræque hæreticorum pęnę fortassis tantùm locum habent circa hæresiarchas, qui nova dogmata, velut novas hæreses inveniunt, non autem circa Lutheranos, & Calvinistas, qui ex variis pactis, & concordiis, si non consentiente, saltem dissimulante Pontifice (utpote quibus ob potentiam resistere cum effectu non potest) hactenus inter Catholicos tolerantur.

TITULUS VIII.

De Schismaticis, & Ordinatis ab eis.

SUMMARIA.

1 *Quid sit schisma, & quomodo differat ab hæresi?*
2 *Schisma vix unquam datur sine hæresi.*
3 *Pœna Schismaticorum est excommunicatio.*
4 *Clerici schismatici non sunt irregulares, nisi in schismate celebrantur.*
5 *Gesta à Schismatis circa res Ecclesiasticas sunt irrita ipso jure: & excipitur collatio Ordinum, quæ servatis substantialibus valet, licèt ordinatus fiat irregularis.*
6 *Etiam alia sacramenta ab eis collata valent: excepta pœnitentia.*
7 *Inobediens S. Pontifici, vel Episcopo quando non sit schismaticus?*

S*chisma* græcum vocabulum est, & idem quod *scissura* 1
significat: committitur enim *schismatis* peccatum, cùm aliquis se segregat ab Ecclesiæ universalis unitate, prout ea est corpus mysticum ex diversorum statorum fidelibus tanquam membris inter se, & sub uno capite Christo, ejusque in terris Vicario annexis.

Dividitur schisma in *purum*, & *conjunctum cum hæresi.* Schisma autem *purum* non opponitur fidei, sed charitati, & paci, quando scilicet aliqui ex sola malitia voluntatis non summo Pontifici quà tali obedire, vel reliquis Ecclesiæ membris uniri esse, v. g. si certum aliquod regnum constituat sibi Episcopum, vel Patriarcham, cui in spiritualibus obediat, aut alios speciales religionis cultus adhibeat, & non obtemperet mandatis summi Pontificis, quamvis de cætero non neget Pontificatum Romanum, vel alios fidei articulos.

Schisma conjunctum cum hæresi est, quod præter separationem ab Ecclesia insuper in fide dissentit, ut quia negat Romanum Pontificem esse Christi Vicarium, & Ecclesiæ caput, vel Eucharistiam legitimè sub una tantum specie distribui &c.

Verùm quamvis hæc distinctio speculativè tantùm pro- 2
cedat, practicè tamen vix unquam dari purum schisma, testis est D. Hieronymus in *c. inter heresin 26. caus. 24. q. 3. nullum enim schisma,* inquit, *non aliquam sibi confingit heresin, ut rectè ab Ecclesia recessisse videantur.*

Pęna schismaticorum est excommunicatio reservata 3
in Bulla Cęnę *casu* 1. quam tamen aliqui existimant non extendi ad fautores, & receptatores, sicut circa hæreticos: cùm id Bulla circa schismaticos non expresserit, in pęnalibus verò non sit extensio facienda, *cap. odia 15. de R. J. in 6.* Sed hoc fortassis verum est de excommunicatione reservata, quòd autem fautores, & auxiliatores schismaticorum incurrant excommunicationem (quam putat Gloss. esse reservatum) non obscurè habetur, *in cap. un. circa fin. h. t. in 6.* 4

Licèt verò Clerici schismatici tempore, quo in schismate versantur, sint excommunicati, & consequenter suspensi ab executione ordinum, & si parati non sint se corrigere, possit in eos pęnas depositionis proferri, *arg. c. qui contra 32. causa 24. q. 1.* Post peractam tamen pęnitentiam, & abjuratum schisma ab irregularitate eos excusat Barb. *in c. 1. h. t. n. 5.* eò quòd irregularitas non contrahatur sine jure expresso, *c. is, qui 18. de Sent. excommun. in 6.* quam sententiam intelligo, nisi Clerici in schismate celebraverint: nam celebrans post suspensionem efficitur irregularis, *c. 1. vers. sciturus de Sent. & re judicata in 6.* Deinde cùm, ut superiùs dictum, plerumque schisma habeat adjunctam hæresin, ideò quæ de hæreticorum pęnis tradidimus, etiam huc accomodari poterunt.

Prætereà gesta à schismaticis circa collationes ordi- 5
num, beneficiorum, alienationes rerum Ecclesiasticarum, vel alia, quæ jurisdictionis Ecclesiasticæ sunt, declarantur irrita *in d. c. 1. h. t.* Attamen circa collationem

ordinum distinguendum est, an schismatici adhibuerint substantialia illius Sacramenti quibus utitur Ecclesia, vel non? Priori casu valet quidem collatio ordinum, sed ordinatus est irregularis, & non habet executionem sine dispensatione, nisi ignoranter à schismatico fuisset ordinatus: quo casu Episcopo dispensare conceditur, c. 2. *& ibi*
6 Gloss. *h.t.* Altero autem casu deficientibus substantialibus deficit quoque ipsum Sacramentum Ordinis. Eodem modo de aliis Sacramentis discurrendum est, ut à schismaticis priùs in Ecclesia ritè ordinatis validè conferantur, si formam Ecclesiæ observant, excepto Sacramento pœnitentiæ, quod extra articulum mortis à schismatico validè non confertur, quia requirit jurisdictionem, à qua
7 schismaticus propter excommunicationem suspensus est. Demum adnotari potest, non esse schismaticum propriè, nec pœnis schismaticorum subjacere, qui resistit Pontifici, non quatenus *Pontifici*, sed quatenus privato, particularem aliquam inimicitiam contra ipsum, aut ejus familiam gerens, vel circa unum particulare tantùm mandatum propter ejus difficultatem Pontifici non obedit, in cæteris paratus obedire, quod ex data superiùs definitione schismatis satis colligi potest. Item neque is inter schismaticos numerandus est, qui tantùm se segregat ab Ecclesia particulari, v. g. obedientia certi alicujus Episcopi, paratus summo Pontifici obtemperare, quia schisma est separatio ab universali Ecclesia, sicut docet Laym. *in Theolog. moral. lib. 2. tract. 3. c. 11. sub n. 4. & 6.*

TITULUS IX.

De Apostatis, & Reiterantibus Baptisma.

SUMMARIA.

1 *Apostasia triplex genus, à fide, ab obedientia, à religione, vel S. Ordine.*
2 *Apostasia à fide quomodò differat ab hæresi.*
3 *Quomodo committatur Apostasia ab obedientia?*
4 *Quid sit apostata à Religione, & quomodò differat à fugitivo?*
5 *Pœna hujusmodi apostata est excommunicatio.*
6 *Quatenus liceat aliquando occultè ferre habitum Religioni, vel deponere?*
7 *Clerici habitum vel tonsuram deferentes apostasiam ab ordine committere dicuntur.*
8 *Rebaptizantes, & rebaptizati fiunt irregulares.*

1 A*postata* idem quod retro abiens sonat, & interpretatur in *c. non observetis 16. vers. qui autem causa 26. q. 7.* Estque *Apostasia*, ut eam communiter dividunt Doctores, triplex, videlicet apostasia à *Fide*, ab *Obedientia*, à *Religione*, vel *sacro ordine*.

2 Apostasia à *Fide* quamvis omnis hæresia dici possit, propriè tamen differt ab hæresi, quòd hæreticus credat in Christum, & tantùm in quibusdam articulis ab Ecclesia Catholica dissentiat: Apostata verò prorsus à fide Christiana ad infidelitatem, v. g. Paganismum, aut Judaismum deficiat, & propterea pœnæ hæreticorum superiùs in *Tit. de Hæreticis* enumeratæ, non tantùm etiam in apostatis locum habent, sed etiam quædam exasperari solent pro gravitate tanti delicti.

3 Apostasia *ab obedientia* generaliter quidem omne peccatum dici potest, quia peccando non obedimus DEO, & præceptis ejus: magis verò propriè apostasiam ab obedientia committit, qui formaliter, & ex contumacia superiori humano præcipienti legitima resistit, & obedire penitus recusat. Quòd si iste superior sit summus Pontifex quatenus talis, tunc hæc Apostasia schisma dicitur, ut priori Tit. explicatum, atque huc referri possunt, quæ circa obedientiam superioribus præstandam dixi in *Lib. I. Tit. 33. de Majorit. & obedient. ad finem.*

4 A Religione dicitur apostata, qui religionem aliquam professus, non tantùm suum Monasterium, sed omnia etiam alia deserit, & in mundo tanquam sæcularis Clericus, vel Laicus versatur cum animo nunquam ad Religionem redeundi: si enim tantùm ad tempus vagaretur sine licentia Abbatis, fugitivus potiùs, quàm apostata censeretur.

Pœnam hujus apostasiæ tradit Miranda *in Manuali* 5
Prælat. tom. 1. q. 11. c. 2. Quòd juxta privilegia Regularium tam Religiosus apostata, etiamsi habitum retinuerit, quàm ille, qui eum recipit, occultat, aut defendit, excommunicationem incurrat. Notanter autem dico: *juxta privilegia Regularium*: nam in corpore juris communis non est quidem dubitandum, quin talis Religiosus possit, & debeat apprehensione corporali, vel aliis mediis compulsorialibus deficientibus per censuras Ecclesiasticas cogi ad Religionem redire, *c. quanto 7. de Offic. Jud. Ord.* & *c. ult. de Regular.* sed quòd ipso facto ante sententiam judicis ipse si habitum retinuerit, vel ejus fautores excommunicationem incurrant, non reperio expressè constitutum, & ideo, quia talia particularia privilegia non obtenta in jure communi paucis sunt cognita, imò fortassis non singulis Ordinibus concessa, plerumque ignorantia tali excommunicatione excusare non potest, argum. *c. 1. & 2. de Constitut. in 6.* Hoc autem habetur in *c. 2. Ne Clerici, vel monachi in 6.* quòd Religiosi temerariè dimittentes habitum suæ Religionis ipso facto sententiam excommunicationis (quæ tamen non est de reservatis) incurrant. Dicitur verò *temerariè dimittentes*: id est, causa evagandi, ut insinuatur in *princip. d. c. 2.* vel aliàs *ex contemptu*. Secus autem, si dimissio habitus fiat ex aliqua causa, v. g. somni, & quietis, balnei, & infirmitatis, caloris, &c. Imò etiam minùs justam, & honestam causam excusare ab excommunicatione, si ob eam ad breve tempus dimittatur habitus, refert Barb. *in eodem cap. 2. num. 8. & 9.*

Præterea licèt in Conc. Trid. *sess. 25. de Regul. c. 9. in fin.* 6
prohibeatur, ne alicui regulari detur licentia occultè ferendi habitum suæ Religionis, quòd etiam ad eum casum extenditur, quo Religiosus vellet habitum suæ Religionis cooperire habitu Clericali, *Clement. 2. de Vita, & honest. Cleric. ibi* Gloss. *in verbo extrinseci*. Interim quia ista lex non divina, sed humana est, quæ non obligat cum gravi corporis periculo, ideò condemnandi non sunt Religiosi, qui transeuntes per loca hæreticorum, vel infidelium, ubi ipsis tale periculum imminet, occultè ferunt habitum suæ Religionis, vel necessitate ita cogente prorsus ad tempus aliquod deponunt.

Porrò sicut Religiosi à Religione, ita Clerici ab ordi- 7
ne apostasiam committunt, qui habitum, & tonsuram Clericalem deserunt. Non tamen reperitur excommunicatio ipso jure illata, sed ab Episcopo pro excessu puniri, & per censuras, vel alia media ad reassumendum habitum utique compelli possunt, & debent; nisi fuerint Clerici in Minoribus, quibus liberum est à Clericatu recedere. Aliæ autem pœnæ, ut suspensio à beneficio, vel inhabilitas ad beneficia contra Clericos magis sæculariter, quàm Clericaliter incedentes videantur in *d. Clement. 2. de Vita & honest. Cler.* Utrùm verò Clerici dimittentes habitum, & tonsuram hoc ipso perdant privilegia Clericalia, dicemus inferiùs in *Tit. de Sent. excommun.*

Altera pars rubricæ hujus tit. est *de Reiterantibus ba-* 8
ptisma: sunt enim certi hæretici Anabaptistæ dicti, qui hominem semel in infantia baptizatum in adulteri ætate, ubi ipse profiteri fidem potest, denuò rebaptizant, quod grave sacrilegium censetur, & ideò de jure civili scienter rebaptizans, & rebaptizatus ultimo supplicio puniuntur, *l. 1. & 2. C. Ne sanctum baptisma reiteretur.* De Jure Canonico baptizans, & baptizatus est irregularis, & Clericus deponitur, Laicus verò excommunicatur, *c. 2. h. t.* Quando autem is, de cujus baptismo dubitatur, possit iterum baptizari sub conditione, si non est baptizatus, &c. dixi supra *in Lib. III. ad Tit. de Baptismo.*

TITU-

TITULUS X.

De His, qui filios occiderunt.

SUMMARIA.

1 *Quid sit Parricidium: & quando ab eo parentes occidentes liberos, vel econtra excusentur?*
2 *Pena Parricidii de jure Civili, & Canonice.*
3 *Pœna fœminarum partum necantium,*
4 *Pœna parentum, qui infantes in lecto opprimunt inter dormiendum: qui tamen nonnunquam à culpa excusantur,*

IN hoc aliquot sequent. Titulis agit Compilator de *homicidio*, & ejus speciebus. Propter gravitatem delicti præmittit istum, in quo de *Parricidio* tractatur.

1 *Parricidium* enim quasi parenticidium propriè committitur, si vel parentes liberos, vel liberi parentes occidant. Impropriè autem etiam *parricidium* dicitur inter collaterales, & affines, puta fratres, sorores, patrueles, consobrinos, uxorem, virum, nurum, generum, vitricum, & privignum. Limitatur autem, parricidium non committi etiam in parentes, & liberos, si in patriam perduelles fuerint: *Minimè* enim, ait notabiliter J.C. in *l. minimè 35. ff. de Relig. & sumpt. fun. Majores lugendum putarunt eum, qui ad patriam delendam, & parentes, & liberos interficiendos venerit, quem si filius patrem, aut pater filius occidisses, sine scelere, etiam præmio afficiendum omnes constituerunt.*

2 Cæterùm olim de jure Civili, si quis patrem, aut matrem, avum, vel aviam, aut liberos occidisset, inclusus culleo (sive sacco ex corio confecto, ut putat Gottofredus) cum cane, & gallo gallinaceo, vipera, & simia, projiciebatur in mare, vel aliam aquam; si autem alios consanguineos, vel affines occidisset, pœne capitali latrocinii afficiebatur, *l. pœna 9. ff. Ad Pomp. de Parricidiis, & l. un. C. De his, qui parentes, vel liberos occiderunt.* De Jure Canonico occidens filium in monasterium detrudebatur ad agendum perpetuam pœnitentiam *c. 1. h. tit.* Hodie autem de Jure Civili pœnam projectionis in aquam non esse in usu, refert Joan. Calvin. *in suo Lexico Iuris in verbo parricidium*, sed aliam pro qualitate circumstantiatum, ut gladium, vel rotam, cui interdum addantur forcipes candentes. De Jure Canonico similiter, pena est arbitraria pro excessu augenda, vel minuenda.

3 Frequenter committunt parricidium feminæ ex delicto prægnantes, quæ ad occultandum peccatum, aut per medicinas arbortum procurant, aut partum in utero, vel jam editum comprimunt, suffocant, aut in aquas projiciunt, quarum etiam pena capitalis est, si vel partus vivus occisus, vel abortus, eo tempore fuerit procuratus, quo fetus in utero existens jam animatus erat, ut in *Constitutionibus penal. Carol. V. a 131.* habetur, & in *l. si quis 38. §. 5. ff. de Penis.* De Jure Canonico pena iterum est arbitraria, etsi Clericus etiam levi culpa, v. g. joco apprehendendo mulierem prægnantem causam dederit abortui, efficitur irregularis, *c. sicut 20. de Homicidio.*

4 Præterea etiam istud non rarò accidit, ut matres parvulos infantes secum in lectis suis ponant, & inter dormiendum opprimant. Quare ob frequentiam hujus peccati in quibusdam Diœcesibus oppressio infantium est casus reservatus Episcopo. Ejus pena de rigore Juris est penitentia trium annorum: quorum primus debet agi in pane, & aqua, *c. ult. h. t.* sed de consuetudine pena arbitraria, & levior infligi solet pro qualitate culpæ. Imò aliquando talem oppressionem prorsus carere culpa refert Barb. *in eod. c. ult. n. 2.* Nav. *in Man. c. 15. n. 13.* si scilicet lectus sit satis amplius, & infans implacabilis, vel quia aliter à frigore defendi non possit.

TITULUS XI.

De Infantibus, & Languidis. expositis.

SUMMARIA.

1 *Homicidiis annumerantur exponentes infantes, & quæ eorum pena?*
2 *Expositus servus, vel filius liberatus à potestate exponentis in odiosis.*
3 *A quibus præstari debeant expositis alimenta?*
4 *Bona ab expositis, vel languidis. à parentibus seu consanguineis desertis relicta, deferuntur ad hospitale, vel eos qui eorum curam gesserunt, non ad fiscum, vel consanguineos.*
5 *Quomodo dominus famulo ægrotanti teneatur ad alimenta, curam, & salarium?*

CUm nihil intersit, an occidat quis, vel causam mortis 1
præbeat, teste J.C. *in l. 15. ff. Ad l. Cornel. de Sicar.* Ideo homicidis non immeritò connumerantur illi, qui eas personas, quibus alimenta, & curam in languoribus seu infirmitatibus suis præstare deberent, ut parentes liberis, vel liberi parentibus, exponunt, & derelinquunt *necare enim videtur*, ait textus in *l. 4. ff. de Agnoscendis liberis, non tantum is qui partum præfocat, sed, & is qui abjicit, & qui alimenta denegat, & is, qui publicis locis misericordia causa exponit quam ipse non habet.* Pena hujus delicti præscribitur in *Const. pen. Caroli V. c. 132.* quòd mulier abjiciens, vel exponens infantem pena extraordinaria juxta consilium prudentum affici debeat, siquidem Infans adhuc superstes sit; si verò propterea mortuus, juxta circumstantiã periculosæ expositionis, in corporis, aut vita puniri.

De Jure Canonico pena est arbitraria, & præterea 2
statuitur in *c. un. h. t.* quòd filiusfamilias à patre expositus liberetur ex patria potestate (in quantum scilicet est filio onerosa, non autem in quantum est favorabilis, scilicet quoad successionem, alimenta, dotem, &c.) libertus, vel servus à Patrono, vel Domino expositus in ingenuitatem, & libertatem eripiatur.

Portò infantibus expositi, quorum parentes ignorantur, præstantur alimenta ab Ecclesia, si habet sufficientes reditus, *c. autem 70. causa 12. q. 2.* vel in hujus defectu à populo, & communitate; nisi cùm specialia loca, & hospitalia pro talibus infantibus constituta sint. 3

Quòd si expositi, vel languidi à parentibus, & consanguineis deserti, post mortem suam aliqua bona reliquerint, in illis hospitale, vel alius, qui eorum curam gessit, excluso fisco, & consanguineis tanquam indignis succedit. Nov. 115. c. 3. Surdus *de Alimentis t. 6. q. 18. n. 19.* & quòd nutritor alicujus expositi expensas ab illis reparare possit, qui nutrire tenebantur, docet Stephan. Gratian. *Discept. forens. c. 265. n. 41.* 4

Quæri hoc loco opportunè potest: an & quatenus famulo ægrotanti teneatur dominus de necessaria cura providere? R. communiter DD. sentire cum Bart. *in l. si cùm dotem 22. §. sui autem 8. ff. Soluto matr.* & Sylvest. *in verbo familia n. 4.* non teneri dominum ex lege justitiæ ad magnas expensas in Medicos pro famulo faciendas; sed tantùm ad tenues, & alimenta quotidiana, ita tamen, ut si de facto dominus, dives pro famulo majores expensas fecerit, neque contrarium protestatus sit, censeatur intuitu pietatis fecisse, nec repetere possit, arg. *l. 1. & l. Alimenta 11. C. ne Neg. gestis.* Utrum autem eo tempore, quo famulus ægrotat, debeatur ipsi merces, tradidi *in lib. III. in t. de locato q. 5.* ubi affirmativè respondi per *l. quò operas 38. ff. locati*, sed ne ista obligatio in immensum, & plures annos excrescat, puto eatenus limitandam, ut procedat quoad illum annum tantummodò, quem famulus servire saltem inceperit, arg. *L. post duos 16. §. 1. C. de Advocatis diversor. judicior.* Deinde dominus, qui fecit majores expensas in famulum ægrotum, poterit eas deducere juxta dicta. 5

TITULUS XII.

De Homicidio voluntario, vel casuali.

SUMMARIA.

1 *Homicidium aliud voluntarium, aliud casuale, aliud necessarium: & voluntarium aliud directè, aliud indirectè tale.*

1 HOmicidium esse hominis occisionem, vulgò notum est. Ejus species Compilator in hac rubr. duas tantùm posuit, scil. quòd aliud sit homicidium *voluntarium*, aliud *casuale*; sed interpretes communiter tertiam speciem addunt nimirum homicidium *necessarium*, quod, vel ex causa justitiæ, vel defensionis committitur. Sed & ista species non incongruè ad homicidium voluntarium referri potest, si homicidium distinguamus in licitum & illicitum.

Cæterùm homicidium *voluntarium* aliud est directè, & plenè voluntarium, quod ex proposito, & intentione, opere, consilio, vel auxilio committitur. Aliud *indirectè* voluntarium, seu ut DD. loquuntur, volitum in causa, quando quis agit talem actum, ex quo facilè prævidere potest homicidium secutum, quamvis directè homicidium non intendat, ut si fœminam pregnantem percutiat, quæ deinde fetus animati abortum facit; si explodat sclopetum in loco, ubi frequenter homines transeunt, &c.

Homicidium *casuale* est, quod nec *directè* nec *indirectè* est volitum; sive quod nec dolo, nec culpa commissum est, sed mero casu accidit. Quando autem, & qualiter puniatur homicidium indirectè voluntarium, vel si culpa casum præcesserit, dicemus inferiùs, ubi de pœnis homicidii.

---

§. II

In quibus casibus licitum sit homicidium.

SUMMARIA.

2 *Maleficis rectè jure Divino, & humano mors infertur servato tamen Juris ordine.*
3 *Jus vitæ, & necis nec Dominis in servos hodie ampliùs permissum.*
4 *An bannitum liceat occidere?*
5 *Conditiones certæ requiruntur, ut hoc liceat.*
6 *Licentia occidendi proscriptum rarò, & non nisi ex gravi causa à magistratu concedenda, nec in conscientia sententia affirmativa facilè est practicabilis.*
7 *Permissio Juris Civilis de occisione filiæ in adulterio deprehensæ, vel adulteri non procedit de Jure Canonico, nec in conscientia.*
8 *Quomodo excusentur ab injustitia Leges Civiles præfatæ?*
9 *Occidens seipsum graviter peccat, & etiam in foro externo meritò punitur.*
10 *Mutilatio membri proprii licita est ad conservationem vitæ: non autem castitatis.*
11 *Bonum est corpus castigare, & affligere moderatè, sed sine notabili vitæ periculo.*
12 *Ex speciali Dei inspiratione aliquando sui ipsius occisio permissa.*
13 *Indirecta sui occisio, vel occisionis permissio licita esse potest.*
14 *Occisio alterius ad defensionem suæ vitæ est licita cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ.*
15 *Milites Nobiles, & honestæ personæ non tenentur fugere si invadantur: & quid de Clericis?*
16 *Invasus non tenetur expectare primum ictum aggressoris, ut se legitimè defendat.*
17 *Qualis paritas armorum inter invasorem, & invasum requiratur.*
18 *Non tantùm licet, sed etiam obligatio charitatis, & aliquando justitiæ est proximum ab interitu liberare.*
19 *Filii ex naturali pietate tenentur subvenire parentibus; & quid de servis?*
20 *Quid intersit an quis ad defendendum proximum ex justitia, an charitate teneatur?*
21 *Pro defensione mixta rerum, & personæ licet occidere aggressorem.*
22 *Propter defensionem solarum rerum, seu fortunarum, an occidere liceat?*

QUæst. I. an & quatenus authoritate publica Magistratus, superioritatis, vel dominii licitum sit subditos, aut servos occidere. 2

Resp. Licitum est ex causa legibus comprobata, & authoritate publica maleficis, hominibus, priùs legitimè convictis, mortem inferre, ita enim non tantùm ex profanis, sed etiam SS. Legibus, & literis probatur, ut *Exodi* 21. & 22. præsertim ibi *vers.* 18. *maleficos non patieris vivere*. Ubi etiam plura supplicia pro variis maleficiis enumerantur, *& ad Rom.* 13. *v.* 4. ibi; judex *non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit*. Nam cùm hominum societas corpus quoddam sit, planè, sicut in humano corpore necessarium est, putrida membra rescindere, ne reliqua inficiantur. At verò si non servato juris ordine Domini tyrannidem in subditos exerceant, sine dubio graviter peccant, & propterea jurisdictionibus suis per superiorem privandi sunt, sicut tradit Minsing. *Cen.* 5. *observ.* 8.

Licèt etiam olim domini habuerint jus vitæ, & necis in servos, postea tamen id eis ampliùs concessum non est, juxta *l.* 1. §. 1. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*, & hodie illa antiqua servitus inter Christianos in desuetudinem abiit: unde hodie dominis in subditos non dominium propriè dictum, seu ut ita loquar, patrimoniale, sed jurisdictio tantùm competit. 3

Quæritur II. an bannitum, cujus occidendi potestas cuilibet à Magistratu publicè concessa est, etiam in conscientia occidere liceat. 4

Respond. Affirmativam sententiam esse valdè communem, cùm enim Magistratus habeat potestatem occidendi malefactorem, eandem aliis rectè demandare potest, quando propter fugam rei per ordinarios Ministros exequendi occasio non est, lex autem superioris, & mandatum justum in foro externo, etiam in foro interno justum censetur, dummodò adsint sequentes conditiones.

Primò, ut talis occisio fiat ex zelo justitiæ, non ex privata vindicta. *Secundò*, ne fiat pendente appellatione, id est eo tempore, quo reus appellationem à tali sententia banni, seu proscriptionis interpositam cor. superiorem prosequitur. *Tertiò*, ne extra territorium proscribentis, *arg. l. ult. ff. de Jurisdict. omn. judic. & c.* 2. *de Constitut. in* 6. *Quartò*, ut proscriptus non sit parens, filius, frater, vel conjux, cui jure debentur alimenta, quem consequenter occidere natura abhorret, naturalia autem jura per civilia immutari non possunt, *§. sed naturalia* 11. *Instit. de Jure natur. genti & civ.* 5

Verùm, ut sententia hæc communis sit ut nihilominus Mol. *de Just. & jur. tract.* 3. *disp.* 7. benè monet, quòd rarò, & non nisi ob gravem causam liceat Magistratui dare publicam potestatem cuilibet occidendi reum; tum ob alia incommoda; tum quòd tales rei sacramentis destituti, in corpore, & anima pereant, utique Christianæ pietati repugnat. Ita ex eadem ratione dicta sententia affirmativa videtur mihi rarò in conscientia practicabilis, excepto eo casu, quo ex vita malefactoris proscripti quotidianum periculum Reipublicæ immineret: tunc enim publica Reipublicæ salus ab occisione talis hominis, sicut cujuscunque hostis excusaret. 6

Quær. III. an sicut de Jure civili patri permittitur adulterum, vel filiam in adulterio deprehensam occidere, *l. patri* 20. *cum seq. ff. ad L. Jul. de Adult.* & cuilibet marito occidere adulterum, si persona vilis sit, deprehensum cum uxore (non tamen ipsam uxorem) *L. Gracchus* 4. *& ibi DD. C. ad L. Jul. de Adult.* ita ipsum de jure Canonico, vel in foro interno licitum sit? 7

Resp.

Resp. Negativè, nam quod attinet ad jus Canonicum, hoc jure propter mansuetudinem ecclesiasticam non infertur alicui pęna sanguinis, & multò minùs à privatis inferri permittitur, prout textus est ad propositum notabilis, in c. *inter hac 6. causa 33. q. 3.* Circa conscientiam ratio desumitur ex priori quæstione, quòd contra Christianam pietatem foret aliquem in corpore, &
8 anima perdere. Unde plerique DD. censent dictas LL. Civiles non esse justas, si talem occisionem permittant positivè: quod nimis durum sit, inauditum, & indefensum, nec spiritualibus mediis munitum, à privatis occidi, & inde fieret, ut multiores ex sola suspicione homicidia contingerent. Secus si tantùm permittant negativè, id est, non approbando factum, sed condonando pęnam propter nimium dolorem, prout in simili de jure Canonico non incurrit excommunicationem, qui in Clericum deprehensum cum matre, filia, uxore, vel sorore violentas manus inijcit, *cap. 3. de Sent. excommunicat.*

Quæst. IV. an liceat se ipsum occidere, vel mutilare?

9 Resp. Deum quidem omnia alia animantia subjecisse potestati hominis. *Ps.* 8. vitæ tamen, & mortis humanæ potestatem sibi reservasse juxta illud *Sap. 16. vers. 13. Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem*, & J.C. *in l. liber homo 13. ff. Ad l. Aquil.* inquit, neminem esse membrorum suorum dominum: quare qui seipsum occidit, vel mutilat, ordinariè non tantùm grave peccatum contra charitatem sui committit, sed etiam injuriam Deo infert, tanquam usurpans potestatem Deo, vel subordinato ejus Magistratui competentem, propterea etiam in foro externo rectè punitur, ut inferiùs dicemus. Dico autem,
10 *ordinariè*: nam excipiuntur aliqui casus. Ut I. vitandi majoris mali causa licitum est se mutilare, vel mutilationem procurare, si nimirùm ex mutilatione alicujus membri possis liberari ex periculo vitæ, quod in variis morbis contingere potest. Ratio est: nam licèt homo non sit Dominus membrorum suorum, est tamen custos, & conservator, ergo à Deo omnia illi concessa intelliguntur, quæ ad custodiendum pertinent; atqui rectè custodit, si ad conservationem totius aliquam partem amputet, cùm utique sit melius partem, quàm totum perire,
11 ergò. II. ut caro spiritui subjiciatur, opus virtutis, & meritorum censetur, carnem moderatè affligere, illud Apostoli *1. ad Corinth. 9. vers. 27. castigo corpus meum, & in servitutem redigo &c.* dummodò non fiat cum notabili vitę, vel membrorum periculo, quod peccaminosum potius, quàm meritorium censetur. Unde ob tuendam castitatem (quod olim quidam hæretici falsò existimarunt) minimè licitum est, seipsum castrare, aut castrationem procurare, cùm hoc non sit necessarium medium ad conservandam Castitatem, sed per orationes, Jejunia, aliaque pia opera conservari possit, c. 4. *& 5. dist. 55.* neque ille textus Evangelii *Matth. 19. vers. 12. sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum*, est intelligendus literaliter de *castratione* corporis, sed spiritaliter de voluntaria abstinentia corporis. III. Excipitur, si ex speciali jus-
12 su, vel instinctu Dei causam suæ mortis aliquis præbeat, qua ratione SS. Patres excusant quasdam sacras virgines, quæ timore violandæ Castitatis in persecutionibus se in flumen præcipitarunt. Item Samsonem, qui *Judic.* 16. concussis columnis domus se unà cum Philistęis oppressit, c. *si non licet 9. causa 23. q. 5.* IV. Excipiuntur, qui non
13 directè ex proposito malæ voluntatis in suam mortem cooperantur, sed mortem ab aliis sibi injustè illatam permittunt, se non defendendo, prout SS. Martyres; item qui evitandi alicujus magni damni causa se in periculum mortis conjiciunt, veluti si effugiendo incendium aliquis ex alto desiliat &c. de quibus plura videri poterunt apud Less. *de just. & jure lib. 2. c.* .

Quæst. V. an & qualiter ob defensionem proprii corporis liceat alterum occidere.

14 Resp. Cùm defensio sui jure divino, naturali, & humano permissa sit, atque vim vi repellere omnia Jura, omnesque leges permittant, *c. 3. de Sent. excommun.* ideò quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, alterum vulnerando, vel occidendo, tametsi in alterius damnum fecerit, jure fecisse censetur. *L. 3. ff. de Just. & jure*, ita tamen, si, ut solemus loqui, *moderamen inculpatæ tutela* non excesserit,

Consistit verò hoc *moderamen* in eo, quòd invasus arbitrio boni viri, consideratis loci, temporis, personarum circumstantiis, invasori modo faciliori parcere non potuisset. Unde ulteriùs,

Notandum I. Quòd homo nobilis, miles, aut alius 15
etiam honestioris conditionis non teneatur fugere, si ab alio impetatur: quia hoc ei ignominiosum reputatur, & cùm alter non habeat jus eum de via depellendi, rectè in ea persistere potest, & vim vi repellere, quæ est communis sententia DD. cum Panorm. *in c. olim 12. de Restitut. spoliat. n. 17.* & satis colligitur ex *Constitutionibus pœnalibus Caroli V.* c. 140. Excipiunt tamen aliqui personas vilis conditionis, item Ecclesiasticas, quibus potiùs occisio, quàm fuga ignominiosa censetur, quæ sententia saltem in foro interno tutior est. Panorm. *in c. suscepimus 10. h. t. n. 4.*

Notandum II. Quòd non teneatur invasus expecta- 16
re primum ictum, si ex indiciis præcedentibus satis certus sit de percussione alterius, sicut expressè habetur in *Constitutionibus pœnalibus cit. loc.* meliùs enim est intacta jura servare, quàm post vulneratam causam remedium quærere, ut in simili dicitur in *l. ult. C. In quibus causis restitutio in interpr. necessaria non est.*

Notandum III. Quamvis DD. communiter velint, requiri ad *moderamen*, ut fiat conflictus paribus armis,
nec invasorem inermem armis percuti posse, id tamen 17
rectè explicat Nov. *in manual. c. 15. sub num.* 3. ut procedat, si inter invasorem, & invasum sit paritas in fortitudine, & conditione status. Quare damnandus non est, qui contra validum latronem cum fuste venientem sclopetum explodit; vel nobilis, qui contra plebejum non pugno sed gladio se defendit, dummodò à majori violentia, quàm ad sui defensionem necessaria sit, abstineat.

Quæritur I V. an etiam ad defensionem proximi liceat ejus invasorem occidere.

Resp. Cùm mandatum divinum sit, proximum dilige- 18
re, *sicut seipsum*, ideò non tantùm licet, sed etiam quilibet Christianus obligatur, si commodè possit, proximum ab interitu liberare: *scriptum enim est*, inquit Pontifex in *cap. sicut dignum 6. §. illi etiam h. t. potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit &c.* Est autem hæc obligatio aliquando ex charitate tantùm, qua tenemur proximo; aliquando insuper ex justitia, & quidem rigorosè cum proprio etiam periculo; veluti si alicui ex officio incumbat alios ab injuriis, & damnis defendere, ut Principibus, vel Magistratibus respectu subditorum; vel ex pacto, & obligatione, ut Vasallis respectu Dominorum, à quibus feuda acceperunt, c. 2. *§. item qui Dominum, quæ fuit prima causa benefic. amit.* militibus respectu eorum pro quibus militant, & Ducum suorum,
l. 3. § ult. & 9. l. 6. § 3. 8. & 9. ff. de Re militari, filii quoque 19
ex naturali pietate, & gratitudine tenentur subvenire parentibus: quod nisi faciant, hæreditatis eorum redduntur incapaces, *Nov. 115. c. 3. §. 13.* famulos verò nisi tacitè, vel expressè ad hoc conducantur, teneri solùm ex charitate, ut Dominum in quocunque periculo defendant, non verò ex Justitia commutativa, docet Mol. *de Just. & jure tract. 2. disp. 33. n. 9.*

Interest autem, an quis teneatur ex charitate, vel ju- 20
stitia; nam ex charitate non tenetur aliquis cum magno sui periculo, secus ex justitia. Item ex Justitia oritur obligatio restituendi damnum, si non fiat, quod ex Justitia debetur; ex charitate verò oritur quidem peccatum, & quandoque pęna, si actus charitatis intermittatur, non verò restituendi obligatio.

Quæritur V. an non tantùm pro defensione corporis, sed etiam rerum, & bonorum liceat raptorem sive aggressorem occidere?

Resp. Si defensio sit mixta rei, & personæ, id est, si 21
consideratis circumstantiis loci, temporis, & personarum periculum sit, ne raptor non tantùm in bona, sed etiam personam aliquid moliri ausus sit, saltem si ei præstita fuerit resistentia, affirmativa satis inter DD. recepta est, per text. in *c. 2. h. t.* Unde de Jure Civili furem nocturnum impunè occidere licet, si absque periculo capi, aut expelli nequeat: quia cùm nox reddat homines temerarios, dignosci facilè non potest, an ad furandum, vel occidendum venerit, aut quale facinus tentaturus sit.

Diurnum autem furem tunc occidere licet, si se armis defendat, *c. 3. h. t. l. 4. §. 1. ff. Ad l. aquil. l. furem 9. ff. ad leg. Cornel. de Sicariis.*

Tota autem difficultas est, an idem dicendum, si nullum personæ periculum imminenter an si v. gr. fur cum meo equo, aut sarcina jam aufugiat, quem adhuc telo, vel sclopeto insequi possum, hoc mihi liceat? Negativam sententiam de Jure Canonico maximè amplectitur Felinus in *c. 3. h. t. n. 4.* eamque videtur approbare Fachin, *Lib. 1. controv. c. 31.* fundamentum est in *eod. c. 3. h. t.* ubi aliud homicidium tantùm impunè dicitur, quod aliquis committit se, & sua liberando, adeòque non tantùm res, sed & personam defendendo: item meliùs fundamentum in *c. suscepimus h. t.* in illis verbis, *expediebat*, inquit Pontifex, *potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vilibus, & transitoriis rebus tam acriter in alios exardescere, &c.* & hæc opinio tutior est in conscientia.

22 Interim si res essent valde magnæ æstimationis, & earum ablatio magnum damnum inferret, & fortassis paupertatem causaret, ne aliter sivè per Judicem, sivè quodcunque facilius medium res recuperari possent, non auderem damnare eum, qui contrariam sententiam sequeretur, quam docet Sylvester *in verbo Bellum* §. 2. q. 3. & Less. *de Just. & jure lib. 2. c. 9. dub. 11.* Ratio est, quòd res sint ad vitam necessariæ, ergò sicut licet defendere vitam, ita etiam res. Item quòd, ut consuetudo omnium Rerumpublicarum declarat, pro recuperatione solarum rerum liceat inter Principes suscipere bellum, quamvis in tali bello nonnunquam aliquot milia hominum pereant. Daretur quoque occasio furibus incognitis, ut tantò audaciùs delinquerent, si sine metu possent res aliorum asportare. Et confirmatur ex *c. delicto 6. de Sent. excomm. in 6.* ubi Pontifex videtur supponere pro defensione rerum licere uti gladio temporali. Item ex *l. 1. C. unde vi*, ubi rectè possidenti datur potestas suam possessionem vi defendere contra alium vim inferentem.

Ad contraria responderi potest, & quidem ad *c. 2. h. t.* illa verba: *se suaque liberando*, aliquando posse accipi disjunctivè, ut sensus sit: *se, vel sua &c.* Ad textum verò in *c. suscepimus*, non incongruè dicitur eum procedere, si res ablatæ fuerint viles, exigui momenti, & damni, ut quia amittens aliàs opulentus est, vel si cognita persona raptoris potuerint per Judicem, licèt fortassis non ita facilè, recuperari.

---

§. II.

De Poenis Homicidii, & Obligatione compensandi damnum datum per Homicidium aut vulnera.

SUMMARIA.

23 *Qua pœna homicidii de Jure Canonico, maximè in Clericos.*
24 *Qua pœna de Jure Civili.*
25 *In Homicidio indirectè voluntario infligitur pœna arbitraria.*
26 *In delictis lata culpa non æquiparatur dolo, ut in contractibus.*
27 *Non præsumitur dolus, si quis occiderit aliquem armis ad mortem non usitatis.*
28 *An, & quomodo ebrio imputetur Homicidium in ebrietate commissum? distinguuntur varii casus.*
29 *Ebrietas, qua non totaliter usu rationis privat, excusare tamen potest à pœna ordinaria.*
30 *Quid si plures ad aliquem occidendum intervenerint?*
31 *Quid Juris, si vulneratus non statim, sed ex intervallo mortuus sit?*
32 *Ei, qui occidit se defendendo, non servato moderamine, imponitur pœna extraordinaria.*
33 *Occidens seipsum Jure Canonico privatur sepultura Ecclesiastica.*
34 *De Jure Civili ejus bona confiscentur: & quando hoc procedat?*
35 *Vulnerans seipsum quomodo puniatur?*
36 *Non obstante pœna criminali homicida, seu vulnerantis debet satisfacere damnificato.*
37 *Impensa in Medicos, & lucrum cessans quoque restitui debet.*
38 *Non solum vulnerato, sed etiam aliis, qui inde damnum sentiunt, fieri debet restitutio: & quid de creditoribus?*
39 *Si ultimo supplicio reus efficiatur, an nihilominùs fieri debeat satisfactio?*
40 *An pro vulneribus, vel cicatrice debeat fieri satisfactio, & n. 42.*
41 *In foro pœnitentiali homicidæ rectè imponuntur pia opera pro anima defuncti.*
42 *Occidens non servato moderamine tutelæ quatenus teneatur ad satisfactionem, & quid de duellante provocato.*

Sicut ad principium hujus Tituli diximus, aliud homicidium esse *directè* voluntarium, aliud *indirectè*, sive quod idem, aliud ex dolo, & proposito, aliud ex culpa commissum, ideo pro qualitate facti alia, & alia pœna statuenda est.

Quær. ergo I. Quænam sit pœna homicidii directè voluntarii?

Resp. De Jure Canon. Laicum excommunicari per sententiam judicis Ecclesiastici, sicut notavit Panor. *in c. 1. h. t. n. 3.* Clericum verò deponi: & si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari, & si nec sic resipuerit, anathematizari, (i. e. solemniter excommunicari; nimirum circumstantibus Episcopum Presbyteris candelas tenentibus, quas deinde in terram projiciant, ac pedibus conculcent juxta modum præscriptum in Rituali, & in *c. debent 106. causa 11. q. 3.*) Et demum crescente contumacia degradari, & judicio tradi sæculari, secundùm leges puniendum *c. cum non ab homine 10. de Judiciis.* Solet autem nonnunquam pro qualitate facti pœna exasperari, ut Clericus homicida ad diuturnos, imò aliquando perpetuos, carceres condemnetur. Præterea in Concilio Trid. *sess. 14. de Ref. c. 7.* statuitur, ut homicida voluntarius, quamvis occultus, nec in judicio convictus nullo tempore ordinum, vel beneficiorum Ecclesiasticorum capax sit. Volunt tamen DD. communiter apud Jul. Clarum §. *homicidium num.* 21. Clericum homicidam esse quidem inhabilem ad beneficia postea obtinenda, non verò ipso jure privatum beneficiis prius obtentis, sed privandum per sententiam. Qualiter autem universim tam Laici, quàm Clerici ex homicidio, vel mutilatione contrahant irregularitatem, sivè inhabilitatem ad ordines, & beneficia in *§. seq.* dicemus. 23

De jure civili *voluntarium* homicidium, siquidem ex ira, & vindicta commissum sit, capitis amputatione punitur, si verò per insidias, aut latrocinium, rota, & crurifragium adhibetur *l. 3. §. penult. ff. Ad l. Cornel. de sicar. juncta Constitutione pœnali Caroli V. a 35.* Licèt verò, in *d. §. penult.* ab hac pœna excipiantur nobiles, & altioris conditionis homines, iisque pœna deportationis, & publicationis bonorum statuatur: testatur tamen Mol. *Tr. 3. disp. 31.* multarum regionum usu, & Nobiles ob homicidium *voluntarium*, pro qualitate facti capite puniri. 24

Quær. II. Qualiter puniatur homicidium indirectè voluntarium, sive culpa tantùm commissum? v. gr. si quis lapidem in plateam dejiciat, nec proclamaverit, vel bombardam in loco solito exploserit, & ita aliquem ex transeuntibus occiderit.

R. in similibus casibus, pœnam utroq; Jure esse extraordinariam, & pro qualitate culpæ, ac juxta consuetudinem loci pro arbitrio judicis infligi, ita ut aliquando relegatio, aliquando pœna pecuniaria, aut carceris imponatur. Est q; hìc advertendum, quòd licèt in contractibus lata culpa dolo æquiparatur *l. quod Nerva 32. ff. Depositi*, non tamen in delictis, in quibus ad pœnam ordinariam infligendam non sufficit lata culpa, sed propositum, & directa voluntas occidendi requiritur, ut habetur in *l. 4. ff. ad l. Cornel. de sicar.* ad de *Constitutionem Carolinam a 150.* Unde ulteriùs non dolo, sed culpa, & absque animo occidendi homicidium præsumitur (nisi aliunde de animo occidendi appareat) si quis armis ad occidendum ordinariè non usitatis in altero mortem causarit, veluti si alter alterum 25

pu-

pugno, lapide, baculo, cantharo, calceo, sive pede in rixa percusserit, ac exinde mors secuta sit, prout pluribus declarat Farinac. *Oper. crimin. par. 5. Homic. concl. 126. n. 127. & seqq.*

Quæritur III. Quid dicendum de eo, qui in ebrietate aliquem occidit?

28 R. Et dico I. si ebrietas sit tanta, ut omni usu rationis privet, non imputabitur homicidium ebrio, quia deliberationem, & propositum habere non potuit, sed magis amenti, & furioso similis est, quorum delicta non puniuntur. *Clem. un. h. t.* idque probabiliter etiam ad eum casum extenditur, si aliquis voluntariè, sed sine intentione homicidii se inebriasset, deliquisset enim tunc se inebriando quidem, non autem occidendo, *arg. c. inebriaverunt 9. & c. sanè 8. causa 15. q. 1.* Nec obstat vulgare dictum *causa causæ est causa causati &c.* quia R. id intelligendum de causa directa, ex qua per se solet sequi malus effectus, sive homicidium, qualis non semper est ebrietas.

Dico II. Si quis propterea se inebriaverit, ut ad facinus audacior reddatur, jam concepto priùs occidendi proposito, talis utique nullam excusationem habet, sed verè homicida voluntarius censetur. Similiter nequit eum à poena ordinaria immunem esse, qui levi tantùm ebrietate non privante usu rationis oneratus occidit, docet Men. *de Arbit. casu 326. n. 6.* Interim non dubito, aliquando poenam minui posse, si ebrietas non quidem totaliter, notabiliter tamen, & majori ex parte usum rationis inverterit, *arg. l. omne delictum 6. §. 7. vers. per vinum ff. de re militari.*

29 Dico III. qui solitus est in ebrietate rixari, & alios cædere, tenetur hanc occasionem evitare, & à vino abstinere, quare si se inebriaverit, & aliquem occiderit, dicetur homicidium saltem indirectè, seu in causa voluntarium, & culpabile commisisse. Less. *de just. & jure lib. 4. c. 3. n. 16.* ideoque saltem poena extraordinaria, sive arbitraria punietur, non tamen ordinaria: quia eo tempore, quo homicidium factum est, dolus propter nimiam ebrietatem, & antecedenter deliberata, & directa occidendi voluntas ex supposito abfuit.

Quæritur IV. Quid si plures in occisione alicujus intervenerint, & nesciatur, ex cujus percussione, aut vulnere occisus interierit.

30 R. Si ex proposito plus ad occidendum aliquem concurrentes, omnes ordinaria homicidii poena puniuntur, licèt unus tantùm occiderit. *Constitutio Carolina 148. cap. sicut dignum 6. §. illi h. tit.* si verò in rixa casu oborta plures, v. g. strictis gladiis adfuerint, vel plures percusserint, sed unus tantùm letale vulnus inflixerit, nesciatur verò quis, neque per tormenta, aut alias probationes veritas haberi possit, volunt communiter DD. tali casu propter incertitudinem nullum capite, sed omnes extraordinaria poena puniendos esse: quia omnes aliquo modo rei sunt, vel propter auxilium præstitum, vel quòd mortem non impedierunt. Clarus *Lib. 5. sentent. §. homicidium nu. 28.* Cov. *in Relect. Clem. si furiosus h. t. part. 2. §. 2. num. 5.*

Quæritur V. Quid juris, si vulneratus per aliquod tempus vixerit, & ideò dubitetur, an vulnus inflictum fuerit lethale: an potiùs ex imperitia Medicorum, inordinata vita, vel alio morbo superveniente vulneratus decesserit?

31 R. Judici incumbere, ut maturè, vel per se, vel per delegatum adhibitis peritis Medicis, & Chirurgis saltem duobus, si haberi possint, vulnus inspiciat, qui Medici, & Chirurgi juramentum præstare debent, quòd suam opinionem sincerè edicere velint, ex quorum deinde Medicorum depositione, consideratis aliis quoque circumstantiis, judex suam sententiam formabit. *Constitutio Carolina a 147.* Julius Clarus *d. loc. n. 43.* ubi *n. 44. ex Angelo, & Gloss. in l. 1. C. de Emendatione servorum* refert, quòd vulneratus, qui ambulavit per triduum, vel qui vixit etiam in lecto decumbens ultra 40. dies, non præsumatur ex vulnere, sed aliis potiùs accidentalibus interiisse.

Quær. VI. Qua pena sit afficiendus, qui aggressorem occidit, non servando moderamen inculpatæ tutelæ, cùm ipsi fortassis in vita parcere potuisset?

32 Resp. Quamvis nonnulli cum Bal. *in d. leg. 11. Cod. de Emend. serv.* putent ordinaria pena afficiendum, eò quòd generaliter habens animum occidendi ordinaria poena puniendus dicatur in *l. 1. §. divus 3. ff. ad l. Cornel. de sicar.* communius tamen receptum est, penam esse mitigandam, & extraordinariam statuendam, eò quòd aggressor sibi imputare debeat damnum ex offensione alterius secutum, & ignoscendum aliquo modo sit invaso, & provocato, si non potuit in continenti justam iram temperare, arg. text. *in l. si adulterium 38. §. Imperatores 8. ff. de Adulter.* ibi: *difficilimum est justum dolorem temperare, & ideo pena est mitiganda &c.* Similis textus habetur in *l. 1. §. ult. ff. Ad L. Cornel. de Sicar.* in *l. qui cum 14. §. si liberias 6. ff. de bonis liberior.* & docet Fach. *Lib. 1. Controv. cap. 32.*

Quær. VII. Quæ sit pena occidentis, aut vulnerantis seipsum?

Resp. De jure Canonico privatur sepultura Ecclesiastica, dummodo constet, quòd aliquis sanæ mentis, & deliberatè se ipsum occiderit, adeoque in statu malo, & peccati decesserit, ut alibi de sepultura tradidimus. De jure Civili occidentis se ipsum bona fisco applicantur, si tamen duo concurrant. I. Quòd id fecerit metu penæ promeritæ, non ex impatientia carceris, tristitia, aut alia causa &c. II. Quòd jam priùs crimen commiserit habens annexam penam confiscationis, ut læsæ Majestatis, hæresis &c. sicut habetur in *leg. ult. §. item rescripsit 2. ff. de Bonis eorum &c.* & clariùs in *Constitutione Carolina* à 135. & tradit Fachin. *loco supra cit. quæst. 328. num. 77.* Quod notandum contra quosdam absolutè docentes bona occidentis seipsum semper confiscari. 33 34

Portò si quis se tantùm vulneravit, præsertim animo occidendi, videtur quidem alicubi præter infamiam etiam penam capitis statui, si scilicet ex mere malitia, non ex impatientia doloris, luctu aut alia causa fecerit, *l. si quis 38. §. ult. ff. de Pœnis L. omne delictum 6. §. qui se vulneravit 7. ff. de Re militari*, magis tamen practicam credo opinionem, quam refert Farinac. *d. loc. n. 34.* quòd vulnerans seipsum puniatur pro arbitrio judicis extraordinariè, sicut vulnerans alterum. 35

Quær. VIII. An, & quatenus occisor, vel vulnerator teneatur illis, quibus per homicidium, aut vulnus damnum dedit, compensationem pecuniariam facere.

Resp. Cùm pena, quam occisor, vel vulnerator in corpore sustinet, ad eum principaliter finem infligatur, ut injuria Reipublicæ, & legibus illata vindicetur, aliisque terror incutiatur, ideo quantum ad læsum, & damnificatum alia satisfactio præstari debet. 36

Unde I. In æstimationem damni veniunt impensæ in Medicos, & Chirurgos, seu generaliter in curationem vulneris factæ *c. 1. de Injur. l. qua actione 1. ff. ad L. Aquil.* 37

II. Si vulneratus ejus conditionis sit, ut quotidiano labore lucrum, & victum quærat, quo lucro jam propter vulnus careat, etiam eo nomine compensatio facienda est, *d. c. 1. & l. ult. ff. de his, qui dejecerint, &c.* deducendæ tamen sunt expensæ, quas vulneratus quærendo lucrum fecisset, v. g. si pingendo tabulam debuisset colores, & alia materiala emere, quia non est lucrum, nisi deductis impensis. Pro labore verò aut molestiis corporis ex communiori sententia nihil deducendum est, quia operarius libenter subit pro victu necessario, & lucro talem laborem, licèt (cùm labor correspondere debeat mercedi, aut lucro, si deduceretur) plerumque nihil restitueretur, tamen interim vulnerator suo facto illud lucrum impendivisset, quod sine dubio iniquum foret, Less. *lib. 2. c. 9. dub. 19.*

III. Homicida tenentur resarcire damnum illis, qui ex homicidio per se, & directè læduntur, hoc est illis, quibus defunctus ad alimenta, vel rem aliam præstandam ex justitia obligatus fuit, qua nunc propter mortem ejus carere debent, prout sunt liberi, parentes, & uxor, quibus jus petendi alimenta à defuncto competit. Item ex probabili sententia creditores, qui propterea suo debito defraudantur. Pro quando autem tempore debeat fieri æstimatio alimentorum, nisi in thesi certò determinari potest: forsan enim occisus diu vixisset, forsan naturaliter, vel alio casu brevi fuisset mortuus, ideò in qualibet hypothesi consideratis circumstantiis personarum, ætatis, valetudinis, loci, & temporis judex, vel transactionem inter partes procurabit, vel per senten- 38

neglexerit, quam communiter omnes boni homines ad-
hibere solent, etsi alii putent etiam culpa levi in tali casu
contrahi irregularitatem. Ratio verò assignari potest, quòd
cùm hoc casu circa culpam ad irregularitatem requisi-
tam aliquid in specie in jure expressum non habeatur,
ideò irregularitas tanquam aliquid odiosum, & pœnale,
ac impedimentum à SS. Ordinibus, potiùs restringenda,
quàm interpretatione extendenda sit *vulg. c. odia 15. de R.*
49 *l. in 6.* Exempla pro ista parte habentur *in c. delictus 13.*
cum tribus seqq. h. t. quæ ibi videri poterunt. Præsertim
autem reprobandus est quorundam scrupulus, qui vulne-
rato, vel ægro subvenire recusant levando, ne si forras-
sis inter eorum manus expiret, ipsi accelerasse mortem,
& propterea irregulares censeantur: si enim irregulari-
tas oritur ex lenitatis defectu, sanè ex ejus contrario, scil-
cet ipsa lenitate actu misericordiæ, charitatis Christianæ
oriri non potest. Nec est verisimile, quòd Pontifices volue-
rint per interdictam irregularitatem tollere charitatem.
50 Si rei illicitæ opera data sit, hoc est, factum, ex quo
mors alicujus preter intentionem secuta est, ex se fuerit
illicitum, & prohibitum agenti, commune habetur di-
ctum, quòd *danti operam rei illicitæ* imputentur, quæ
sequuntur, licèt diligentiam habuerit in præcavendo da-
mno, sicut notatur *in summario super c. continebatur 8. c.*
suscepimus 10. & c. tua nos 19. h. t. Verùm etiam istud di-
ctum explicat Cov. *in Relect. Clement. si furiosus, par. 2. §.*
4. n. 10. ut homicidium casuale danti operam rei illicitæ
tunc ad irregularitatem imputandum sit, quando actus
ille illicitus ex sua natura est ordinatus, vel periculosus
ad læsionem alterius, atque ex eo si non semper, saltem
frequenter soleat homicidium, vel mutilatio consequi:
veluti si quis jaculetur, aut dejiciat gravia pondera in lo-
cum, per quem passim homines transire solent, si impe-
ritus chirurgiam, vel medicinam exerceat spe lucri, &
per modum professionis ordinariæ (secus putarem, si
quis in casu necessitatis extremæ, & in defectu peritio-
rum ex misericordia medicamentum, quod putavit expe-
dire, adhibuerit) imperitia enim culpæ annumeretur in
his, qui artem aliquam profitentur, *§. 7. & ibi DD. Instit.*
de L. Aquil. Econtra si actus ex alio fine fuerit illicitus,
non inducetur irregularitas, si per accidens, & casualiter
contingat homicidium (nisi alio modo egens in culpa sal-
tem levi fuerit. (Unde non erit irregularis, qui gladium
furto ablatum alteri bono animo donat, si donatarius ex
postfacto illo gladio aliquem occidat, vel si Clericus, de
quo exemplum ponitur *in c. dilectus 13. h. t.* domi suæ atte-
status contra præceptum judicis foras equitaret, & equus
effrenis factus aliquem obviantem occideret.
51 Quæritur II. Quid veniat nomine *mutilationis?* Cùm
in ordine ad irregularitatem passim in jure homicidio en-
numeretur mutilatio, ut *in c. 1. de Clericis pugnantibus c.*
ult. h. t. in 6. & Clement. un. eod. tit. ideò sciendum est, ex
communi DD. interpretatione hunc terminum *mutilare*
in materia pœnali esse propriè, & strictè accipiendum, ut
significet totalem membri amputationem, sicut colligi-
tur *ex c. Clericis 5. ne Clerici, vel Monachi & c. Archiepisco-*
patu 4. de Raptor & propterea non sufficiat ad irregulari-
tatem, si quis tantùm alterum vulneraverit, aut mem-
brum inutile reddiderit. Præterea plures docent cum Syl-
52 vest. *in verbo Homicidium §. 10. n. 4.* & Cov. *in Relect. Cle-*
ment. si furiosus, hoc t. par. 3. in princ. n. 8. Quòd nomine
membri intelligi debeat totum organum, sive corporis
pars aliqua principalis peculiarem in corpore functio-
nem obtinens, ut manus, pes, oculus &c. & proinde excu-
sari posse ab irregularitate, qui alteri tantùm unum digi-
tum, & ita tantùm partem membri, vel auriculæ cartila-
ginem absciderit. Addit tamen Sylvester *d. loc.* aliquam
exceptionem, quòd scilicet per vulnerationem, debilita-
tionem, aut digiti abscissionem, tunc quasi jure talionis
aliquis fiat irregularis, si alter propterea inhabilis ad Or-
dines redditus sit, ut quia notabiliter deformatus est, vel
pollicem aut indicem amisit, sed non exponit hujus exce-
ptionis speciale, & expressum Juris fundamentum. Illud
certius est, quòd mutilans seipsum ex iracundia, vel im-
patientia irregularis fiat, in quacunque parte corporis
seipsum mutilaverit, ut ex claris Juris textibus diximus
in Lib. 1. in Tit. de corpore vitiatis ordinandis, vel non:
53 quia major est deformitas, & magis infamis actio in vul-
neratione sui, quàm alterius.

Quæritur III. Quid si vulneratus fuerit mortuus, non 54
quidem immediatè ex vulnere, sed vel ex imperitia me-
dicorum, vel morbo, aut alio casu superveniente, anne
tunc saltem vulnerans censeatur irregularis? Resp. Si
mors secuta sit occasione vulneris, quamvis non imme-
diatè ex vulnere, ut quia febris, aut inflammatio super-
venit, quam imperiti Medici curare non potuerunt, vul-
nerans erit irregularis; danti enim operam rei illicitæ im-
putantur, quæ sequuntur, *c. de cætero, tt. & c. ad au-*
dientiam tt. h. t. Si verò mors contingerit prorsus à causa
extrinseca, veluti si etiam lethaliter vulneratum alius o-
mninò occiderit, vel si vulnus fuit levissimum, & nullo
modo periculosum; Medicus verò, vel ipse æger noci-
vum medicamentum adhibuerit, his, & similibus casibus
vulnerans nullam contrahet irregularitatem. *d. c. ad au-*
dientiam in fine.

Quæritur IV. An homicidium ob defensionem corpo-
ris, vel rerum factum commissum inducat irregularita-
tem. Resp. Certum esse, quòd invasus ab altero, cui 55
imminet vitæ periculum, si invasorem mutilet, vel oc-
cidat, non fiat alter irregularis, quàm si moderamen in-
culpatæ tutelæ excesserit, id est, severiùs cum adversa-
rio egerit, quàm ad defensionem necessarium fuerit. *Clem.*
un. h. t. idemque dicendum cum Cov. *in Relectione ejus-*
dem Clement. part. 3. §. un. n. 5. & Barb. *de Officio Episcopi*
allegat. 51. n. 10. de illo, qui ob defensionem sui proximi
ejus aggressorem servato moderamine occiderit, cùm ad
talem defensionem quandoque ex charitate, quandoque
ex justitia obligetur juxta superiùs dicta. *§. 5. q. 6.*

Verùm non æquè expeditum est, an irregularitatem
incurrat, qui ad defensionem bonorum raptorem occi- 56
dit?

Etenim de jure antiquo affirmativæ satis certa fuit
propter textum in *c. suscepimus 10. in c. significasti. 18. & c.*
petitio 24. h. t. & cùm in *d. Clement.* tantùm ille excipiatur,
qui mortem alter vitare non valens suum occidit aut mu-
tilat adversarium, ideo videtur habere locum hîc vulga-
tum axioma, quòd *exceptio firmet regulam in casibus non*
exceptis, & consequenter esse irregularem, quicunque,
vel relinquendo res suas potuisset mortem evitare, ut no-
tat Glossa *ibidem, & in allegatis capitulis.*

Nec obstat, quòd homicidium sine culpa commissum
excuset ab irregularitate; tale autem homicidium ob de-
fensionem rerum quandoque sit licitum, adeoque sine
culpa, per ea, quæ diximus in *§. 1. p. 7.* quia respondeti po-
test tantùm homicidium casuale, quod est sine culpa, &
præter intentionem excusare ab irregularitate, non autem
homicidium, etsi licitum, ex intentione commissum, si-
cut in Judice ferente sententiam sanguinis paulò post
dicemus.

Quare ipse puto, eandem sententiam affirmativam es- 57
se hodie etiam tutiorem cum iis, quos allegat, & sequitur
Paulus Laym. *in Theolog. Morali de Injusta læsione corpo-*
ris. c. 6. n. 3. ubi ex Nav. refert, ita de stylo Curiæ Roma-
næ servari. Videri tamen poterunt pro contraria senten-
tia Covar. *d. §. un. n. 9.* & Castro *de L. pœnali lib. 2. c. 14.*
quorum sententia non destituitur omni probabilitate eo
saltem casu, quo defensio fuit mixta rei, & personæ, &
agebatur de magna quantitate bonorum ad sustentatio-
nem sui, & suorum necessaria: cùm enim bona secundus
sanguis, & vita hominis dicantur per Gloss. *in l. advocatas.*
2. C. de Advocatis diversorũ judiciorum. ideò sicut in con-
servatione vitæ, ita etiam bonorum videtur *d. Clement.*
utpotè in re favorabili, interpretationem recipere posse.

Quæritur V. an, & quando Milites censeantur irregu-
lares? Resp. Quamvis in *c. 1. 2. & 4. dist. 51.* generaliter Mi-
lites à SS. Ordinibus prohibeantur, nihilominus sequens
interpretatio recepta est. Et

Dicendum I. milites pugnantes in bello injusto, ex quo
cædes factæ sunt, fieri irregulares, licèt ipsi propria ma-
nu neminem occiderint, idemque est, quoties etiam ex-
tra bellum plures concurrunt consilio, vel auxilio ad
unius hominis occisionem, qui omnes irregulares fiunt;
quamvis unus tantùm occiderit. *c. sicut dignum. 6. §. ult.*
h. t. c. quod in dubiis, 5. de Pœnis.

Dicendum II. qui in bello justo pugnarunt liberè, & 58
spontè; gratis, vel pro stipendio, tunc demum irregulares
fieri, si aliquem propria manu occiderint, vel mutilarint
(vulneratio autem non sufficit juxta dicta superiùs. *q. 2.*)

licèt

licèt fortassis ex post facto in periculo vitæ constitui id fecerint; quia *Clement. un. h. t.* tantùm illos excipit, qui mortem evitare non valentes occidunt; tales autem potuissent evitare non dando nomen militiæ: unde liberè censentur se periculo homicidii exposuisse, atque ideò perfecta lenitate carere.

Quòd si dubitent, an in tumultu bellico aliquem occiderint, & pro parte affirmativa sint verisimiles conjecturæ, in tali dubio tutior via tenenda est, & ab Ordinibus usque ad dispensationem abstinendum. *c. petitio.* 24. *h. t.* Si verò leve tantùm sit dubium, videtur melior esse conditio possidentis jus accipiendi Ordines.

59 Dicendum III. Qui contra invasores Reipublicæ, vel civitatis necessitate coacti pugnant, cùm sint in periculo vitæ, irregulares non fiunt, quamvis occidant. *arg. sæpe d. Clement. un. h. t.* Non obstant *d. c. petitio h. t.* quia explicari potest de Clericis sine necessitate pugnantibus, quando potuisset locus defendi per Laicos.

60 Dicendum IV. Clericos non fieri irregulares, qui in bello justo hortantur, & invitant milites ad fortiter pugnandum, quamvis multæ cædes fiant, teste Barb. *in d. c. petitio n.* 2. arg. c. *igitur 7. c. omni timore*, & c. *hortatur* 10. *causa* 23. *q.* 8.

Quæritur V. an etiam ob homicidium publica authori-
61 tate factum contrahatur irregularitas? Resp. ex communi, & recepta DD. sententia irregulares fieri Judices, Assessores, Accusatores, tabelliones, dictantes, publicantes sententiam, aut literas executionem homicidii, vel mutilationes continentes, & generaliter alios ad executionem hujusmodi juvantes (non verò spectantes, qui ad mortem alterius, nec directè, nec indirectè cooperantur) Textus. & DD. c. *Clericis.* 5. & *c. sententia* 6. *Ne Clerici vel Monachi &c.* Nav. *in Manuali c.* 27. *n.* 212.

62 Notabile tamen est, quòd etiam Clerici sine metu irregularitatis possint agere civiliter contra suos malefactores ad compensationem damni, vel restitutionem rei ablatæ cum protestatione, quòd hoc non faciant ad pœnam, seu vindictam, quamvis deinde Judex ex officio pęnam sanguinis irroget, ne detur malis hominibus occasiones Clericorum liberè deprædandi, si scirent ab iisdem propter metum irregularitatis accusari non posse, sicut expressè habetur in *c. h. t. in* 6. Item Clerici qui simul sunt domini, & Principes temporales, non possunt quidem ipsi personaliter dignoscere, & judicare in causa sanguinis, possunt tamen easdem causas aliis suis officialibus delegare, & in genere jubere, ut fiat justitia. *c.* 3. *Ne Clerici vel Monachi in* 6. pęnas quoque à suis Judicibus statutas moderari possunt, & v. g. rotam promerito pęnam gladii dictare: quia hæc non est condemnatio ad mortem (quæ jam antea à judicibus sæcularibus supponitur facta) sed remissio, & actus misericordiæ.

Quæritur ultimò, quis possit in hac irregularitate dispensare? Resp. Ordinariè dispensationem in Jure competere summo Pontifici, qui solus est super Jus. *Clement. ne Romani.* 2. *in princip. de Electione.* Interim hodie in Conc. Trid. *sess.* 23. *de Reform. c.* 6. datam esse potestatem Episcopis dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepto homicidio voluntario occulto, & aliis deductis ad forum contentiosum, id est, de quibus in judicio litigare cœptum est. Unde, si irregularitas proveniat non ex homicidio, sed ex mutilatione tantùm, quamvis voluntaria, vel ex homicidio culpabili, non tamen voluntario, vel si modus in defensione excessus sit, dispensare poterit Episcopus, dummodò factum non sit deductum ad forum contentiosum, & occultum sit. Potest autem dici *occultum*, quod non est propalatum, nec est ejus propalandi periculum, quamvis unus, vel alter sciat, vel quamvis aliigando deductum sit ad forum contentiosum, si ex post facto reus accusatus ob defectum probationum tanquam innocens absolutus sit. Videatur Barb. *in Collectaneis ad dict. c.* 6. *Trid.*

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

SUMMARIA.

1 *Torneamenta quid sint, & unde dicta?*
2 *Prohibitio, & pœna eorundem, & harum revocatio* in extrav. un. h. t. Joan. XXII.
3 *Prohibentur etiam agitationes bestiarum propter vitæ periculum.*
4 *Qui pro mercede cum bestiis dimicant, sunt infames.*

Torneamentum teste Sylvestro *in verbo*, *Torneamentum*, secundùm vulgare Italicum dictum est à circuitu, & regressione pugilum, unde torneamentum appellat Pontifex in *c.* 1. *h. t.* nundinas, vel ferias, in quibus milites ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum temerè congredi. 1

Porrò quia ex istis torneamentis mortes hominum, & animarum pericula sępè provenire solent, ideo non immeritò prohibentur tam de Jure Civili in *l. un. Cod. de Gladiator.* quàm de Jure Canonico in *d. c.* 1. *h. t.* sub pœna privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, si quis ex pugnantibus in tali torneamento decesserit. Imò Clemens V. in quadam sua Constitutione contra torneamenta instituentes, & eis favorem, auxilium, aut consensum pręstantes, sententiam excommunicationis reservarę, & interdicti in loca, ubi exerceri permittuntur, pronunciavit. Quas tamen pęnas Joannes XXII. in *extravag. un. h. t.* revocavit, ex ea causa, ut plures possent fieri exercitati milites pro subsidio terræ sanctæ contra Barbaros mittendi, sed hæc revocatio utique accipienda est de tali armorum exercitio, in quo, quantum fieri potest, pręcavetur corporis, & animę periculum. 2

Eadem ratione, qua torneamenta, & ob causam periculi animæ, & corporis, prohibentur etiam agitationes taurorum, & ferarum bestiarum, ne homines cum iis periculosè in pugnam descendant, additurque pœna excommunicationis contra Dominos permittentes tales agitationes, & ibidem decedentes Ecclesiastica sepultura privantur, sicut ex Bulla Pii V. refert Quar. *in Summa Bullar. verbo Torneamentum.* 3

De Jure Civili, qui pro mercede cum bestiis in arena dimicant, vel aliquod præmium pugnæ in arena cum bestiis actæ accipiunt, infames efficiuntur. *L.* 1. *§. & qui operas ff. de Postulando.* 4

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

SUMMARIA.

1 *Quid sit duellum, & ex quibus causis soleat committi?*
2 *Severa constitutio Concil. Tridentin. contra duellantes.*
3 *Referuntur aliæ constitutiones summorum Pont. qui pœnas duelli aggravarunt.*
4 *Clerici hodie censuras, & inhabilitatem ad beneficia propter duellum ipso facto incurrunt, à quibus solus summus Pont. potest absolvere.*
5 *Excommunicatio contra duellantes lata ex Bulla Clement. VII. est reservata, & an hæc reservatio in Germania recepta.*
6 *Excommunicati quinam hodie sint vitandi?*
7 *De quibus duellis, & quomodo circa ea locum habeant pęna duellantium?*

8 *Qui-*

8 *Qui spectantes duelli pœnas incurrant?*
9 *Sepultura Ecclesiastica non privantur duellantes nisi in duello decedant.*
10 *Duo casus, ex quibus duellum reddatur illicitum.*
11 *Quomodo provocatus aliis mediis, quàm duello honorem tueri possit.*

1 DUellum dictum est quasi duorum bellum; est enim *duellum* singularis pugna à duobus utrinque sponte suscepta, unde, & *monomachia* appellatur in *c. monomachiam 22. causa 2. q. 4.* id est, singularis siveunius pugna à græco *monos*, quod est *unum*, & *machia* pugna. Committitur autem *duellum* aliquando ad rei dubiæ probationem, ut scilicet vincens probasse credatur, & victus in probatione defecisse, qui modus apud antiquos usitatus erat, si aliæ probationes in aliqua causa controversa haberi non poterant. *c. 1. & 2. de Purgatione vulgari*. Aliquando committitur *duellum* ob alias causas, ut ex odio & gloriæ cupiditate, sed quocunque modo fiat, regulariter *duellum* malum, & peccatum est; nam priori modo est species purgationis vulgaris, per quam tentatur Deus, ideoque prohibita, sicut inferiùs *de Purgatione vulgari* dicemus. Altero modo utique malum est, ex odio vindictæ, aut gloriæ cupiditate vitæ periculum subire, vel alterum interimere.

2 Quare severam constitutionem edidit contra duella Concilium Trid. *sess. 26. de Refor. c. 19.* ibidemque statuit, ut Imperator, aliique Principes, & domini temporales, qui locum ad Monomachiam, in terris suis concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac privati dominio civitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, si illum locum ab Ecclesia obtineant; qui verò pugnam commiserint, & eorum patrini excommunicationis bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta SS. Canones puniri debeant, & si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam qui consilium in causa duelli tam in jure, quàm in facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id cuiquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.

3 Eandem Concilii constitutionem sequentes Pontifices per suas Bullas non solùm approbarunt, sed etiam ampliarunt. Ita enim Pius V. *in Bulla*, quæ incipit; *Ea quæ à Prædecessoribus &c.* plures alias pœnas addit, ut pœnas criminis læsæ majestatis, carceris, inhabilitatis ad testamentum faciendum, & similes, easdemque extendit ad eos, qui chartas provocatorias subscribunt, affigunt, vel publicant, cum privatione beneficiorum, & habilitate ad ea, si Ecclesiastici tale quid commiserint. Gregorius XIII. *in sua Bulla*, quæ incipit: *Ad tollendum &c.* extendit decretum Trid. ad omnes illos, qui ex condicto, statuto tempore, & in loco convento duellum commiserint, etiamsi nulli patrini, aut socii ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nec provocatoriæ literæ præcesserint. Similiter Clemens VIII. *in sua Bulla*, quæ incipit: *Illius vices &c.* confirmat, declarat, & extendit supradictas constitutiones Apostolicas, ut locum habeant ubique terrarum, etiam circa milites ex privata inimicitia inter se duellantes eorumque Duces talia duella permittentes. Circa has Pontificias constitutiones

4 Notandum I. quòd licèt olim Clericus offerens alicui duellum, vel oblatum suscipiens, nullam propterea censuram, vel beneficiorum privationem ipso facto incurreret, sed tantùm per sententiam fuisset deponendus, nisi cum ipso Episcopus dispensasset, *c. 1. h. t.* hodie tamen tam excommunicationem, quàm privationem beneficiorum & inhabilitationem ad ea imposterum obtinenda unà cum infamia ipso facto incurrat, à quibus pœnis non ampliùs Episcopus (nisi casus esset occultus juxta Trid. *sess. 24. de Refor. c. 6.*) sed tantùm summus Pontifex absolvere potest. Barb. *in eod. c. 1. in 6.* & Joan. Honor. *ad hunc tit. n. 3.*

5 Notandum II. Excommunicationem, quæ in Conc. Trid. propter duella infligitur, non esse quidem in ipso Concilio Pontifici reservatam, proinde stando soli Concilio posse à quocunque sacerdote absolvi: cùm enim conditor Canonis absolutionem à censura sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi, ut dicitur *in c. nuper 29. v. in secundo de Sent. excomm.* Attamen Clementem VIII. pœnas duellantium, earumque absolutiones Sedi Apostolicæ reservasse, notat Barb. *d. loco* putat tamen Paulus Laym. *in Theol. mor. lib. 3. tract. 3. c. 5. sub n. 4.* apud Germanos, aliosque Septentrionales hanc reservationem receptam non esse.

6 Notandum III. Quamvis olim quilibet excommunicatus fuerit ab aliis evitandus in colloquio, oratione, aliisque commerciis, & conversationibus, adeò ut communicantes cum excommunicato inciderint saltem in minorem excommunicationem. *cap. excommunicatos 17. cum seqq. causa 11. quæst. 3.* hodie verò per quandam Extravag. Martini V. quæ incipit: *Ad evitanda scandala &c.* tantùm in duobus casibus excommunicatum vitandum esse, nimirùm *primò*, si fuerit notorius Clerici percussor: & *secundò* si ob aliam causam (v. g. in præsenti ob duellum) contraxerit excommunicationem, & simul fuerit publicè per Episcopum tanquam excommunicatus denuntiatus, & proclamatus: sicut hac de re inferiùs, *in Tit. de Sentent. excommunicat.* dicemus.

7 Notandum IV. *Constitutiones* supradictas procedere solùm de duellis ex condicto, statuto tempore, & in loco convento, ac cum ordinario vitæ periculo institutis. Quare non incurrentur pœnæ duellantium, si duo sine præcedenti provocatione, & assignatione loci, & temporis subitò in platea rixas, & pugnam incipiant, vel si duo pugnis tantùm, aut armis solùm levioribus, ut plerumque soleat abesse commune periculum, secum dimicent. Item cùm verba accipienda sint cum effectu. *c. cùm super 23. de Officio delegati*. quorundam non est improbabilis sententia non incurri pœnas duellantium per solam comparitionem in loco destinato, nisi duellum actu secutum sit; in pœnalibus enim termini strictè accipiendi sunt, nec ultra casus in jure expressos extendendi. Barb. *in Collectan. ad d. c. 19. Trid. n. 12. vers. sed contrarium*.

8 Notandum V. Quòd de spectantibus dicitur, intelligendum esse de iis, qui studio ad locum duelli accedunt, & ex quorum præsentia duellantes redduntur audaciores. Quare non incideret in excommunicationem, qui casu transiret locum duelli, & obiter aspiceret, non figendo ibi pedem, vel qui ita latenter aspiceret, ut prorsus à duellantibus non adverteretur.

9 Notandum VI. Pœnam privationis Ecclesiasticæ sepulturæ illis tantùm infligi, qui in ipso conflictu decedunt, ut verba Trid. *d. Sess. 25. c. 19.* sonant, & similis textus habeatur, *in c. 1. de Torneament.* ubi dum sepultura Ecclesiastica propter torneamenta denegatur, adduntur hæc verba. *si quis ibi mortuus fuerit, &c.* Unde cùm in pœnalibus termini sint strictè accipiendi, nimis videtur durum, quod quidam docent apud Barb. *ad dict. loc. Trid. nu. 20.* privandum esse aliquem sepultura Ecclesiastica, licèt ob vulnus acceptum non statim, sed alio die moriatur, nisi fortè supponatur, quòd talis impœnitens decedat, quo casu sicut quilibet in peccato mortali decedens meritò carebit sepultura, *arg. c. fures 13. causa 13. q. 2.* Illud fortè plus probabilitatis habet, quòd decedentes in loco duelli, & conflictu sepultura priventur, quamvis ante mortem signa pœnitentiæ dederint, aut etiam Presbytero casu interveniente absoluti sint; quia denegatio sepulturæ non est precisè ob decessionem in peccato, sed in pœnam, & detestationem duelli commissi, & ut homines tantò magis à duellis terreantur, statuta; atque tali casu verè impleta sunt verba Trid. quòd aliquis in ipso conflictu decesserit, sicut satis evinci potest ex textu juncta Gloss. *in d. c. de Torneamentis*. Interim etiam hìc consuetudo locorum attendenda est, quæ teste Sanch. *in Selectis disp. 36. n. 5.* in quibusdam locis in contrarium viget, ut præsertim in duellis privatis, & datis pœnitentiæ signis decedentibus sepultura non negetur.

10 Notandum ultimò, duos tantùm casus principaliores à DD. inferri, ex quibus liceat duellum. *Primus* est, si ex causa publica scilicet ad reipublicæ bonum, belli exitum, & securitatem ab hostibus obtinendam, magis expedire Ducibus videatur, ut totum bellum in *duellum* resolvatur, quale fuit inter David, & Goliath. 1. *Regum 17. Alter* casus est, si quis causa defendendi vitam, honorem, vel bona sua cum aggressore congrediatur. Attamen ex hac causa solummodo ex parte provocati, non autem provocantis, redditur duellum licitum, & tunc demum,

mum, si provocatus aliud medium se defendendi non habeat, v. g. si continenti duellum offeratur, nolenti acceptare verbera, vel vulnera immineant. Nam si intervallum concedatur, atque ad certum diem, & locum provocatio fiat, ordinariè aliis mediis honor, vel fama conservari possunt, val adeundo ordinarium judicem, vel dicendo ad provocantem, se non recusare pugnam, sed duellum tanquam illicitum, & provocantem expertutum, quocum negotia habet, si palam, & non proditoriè aggressus fuerit. Accedit, quòd tantùm apud, vulgares, & plebejos homines honor recusantis duellum periclitetur, non verò apud bonos, & prudentes Christianos. Et deinde quòd valdè dubium sit, an ad defendendum honorem liceat vitam tanquam majus bonum periculo exponere. Videatur Less. *de Just. & Jure lib.* 2. 9. *u.* 83. Laym. *loco cit.* 3. *n.* 3.



TITULUS XV.

De Sagittariis.

SUMMARIA.

1 *Probibitio Sagittariorũ etiã ad alia tela extenditur.*
2 *Procedit in bello injusto, & multò magis, si in bello inter infideles, & Christianos fideles infidelibus deserviant.*

1 IN hoc Tit. sub pœna anathematis seu excommunicationis prohibet Pontifex, ne illi, qui in ejaculandis sive mittendis sagittis periti sunt, hanc artem contra Christianos exerceant; quæ constitutio est antiquitus lata, ubi frequens usus sagittarum fuit: quare hodie idem dicendum erit de illis, qui tormenta, & alias machinas bellicas contra Christianos instruunt. Advertit tamen Joan. Honor. *ad hunc t.* quòd hæc constitutio intelligenda sit, si bellum ex parte illorum, quibus tales Sagittarii, vel jaculatores serviunt, iniquum sit, item Gloss. & Barb. *in c. un. h. t.* excommunicationem hic statutam non esse latæ, sed ferendæ sententiæ: quod forsan proce-
2 dit, si bellum inter Christianos geratur; si autem bellum sit inter infideles, & Christianos, tunc Christiani, qui infidelibus deserviunt, excommunicationem reservatam, aliasque pœnas incurrunt, de quibus *in c.* 6. *& c. quod olim* 12. *de Judais. & in extravag. an Joannis* 22. *&* 1. *inter communes eod. tit. de Judæis.*



TITULUS XVI.

De Adulteriis, & Stupro.

SUMMARIA.

1 *Species luxuria illicita annumerantur.*
2 *Quid sit adulterium? & quomodo in hoc differat Jus Canonicum à Jure Civili.*
3 *Etiam in foro conscientia gravius est adulterium cum conjugata, quàm soluta.*
4 *Quomodo agatur civiliter ex adulterio, & qua sit obligatio restitutionis.*
5 *Quibus casibus ab obligatione restitutionis adulter excusatur?*
6 *Pœna adulterii capitalis de Jure Civili in fœminis mitigata: & quid de consuetudine?*
7 *Polygamia gravius puniri debet: & quando cum effectu censeatur contracta?*
8 *Qua pœna adulterii de Jure Canonico.*
9 *Adulterium puniri debet, etsi uterque conjugum deliquerit.*

1 SIcut in decalogo post homicidium prohibetur *Mœchia*, ita etiam postquam Compilator egit de *homicidio*, In hoc tit. ad delicta carnis progreditur, Cùm autem unus solus concubitus sit licitus, scilicet matrimonialis, cæteri verò omnes Jure Divino, & Canonico prohibiti, & in jure sint plures luxuriæ species, ideo Farin. *in Tract. oper. criminal de Delictis carnis.* q. 137. n. 3. eas species ad sequentia capita reducit, scilicet ad *fornicationem, concubinatum, struprum, adulterium, sodomiam, incestum, sacrilegium, & raptum*, quam divisionem nos quoque imitaturi, convenienter rubricæ hujus tit. præmittemus.

---

§. I.

De Adulterio.

ADulterium quasi transitus *ad alterius torum* dici- 2
tur secundum Hostiensem *in Summa h. t.* 6. *quid sit adulterium. n.* 1. Et quamvis de jure Civili adulterium tantùm in nupta committatur. *l.* 6. §. 1. *& l. stuprum.* 34. §. 1. *ff. Ad l. Jul. de Adulteriis.* & non dicatur propriè adulterium, si committatur cum soluta: quia Jus Civile adulterium potissimùm considerat ex confusione seminis, & incertitudine prolis, cùm ex parte fœminæ adulteræ nesciatur adulterina ne sit proles, an propria mariti. De Jure verò Canonico, & quantum ad forum conscientiæ adulterium committitur, etiamsi conjugatus cum soluta peccet: quia hoc jure læsio justitiæ, & fidei conjugalis attenditur, & ne conjuges ad imparia judicentur, cùm similem sibi invicem debeant continentiam *c. nemo.* 4. *causa* 32. *q.* 8. *& c. ult. ead. causa q.* 6. In- 3
terim tamen in hoc jure etiam, & circa forum conscientiæ semper graviùs peccat conjugatus, qui cum conjugata, quàm qui cum soluta congreditur: quia illo casu non tantùm lædit fidem propriæ uxori debitam, sed etiam jus alterius mariti, frequenter liberorum ejus, si ex tali adulterio filius nascatur, quem deinde veri liberi tanquam putativum fratrem pro coherede habere, & pater alimentare debet.

Ex adulterio agitur vel *civiliter*, vel *criminaliter*. Civiliter agit maritus contra uxorem adulteram, vel viceversa uxor contra maritum ad divortium perpetuum, & amissionem dotis, vel donationis propter nuptias, sicut in *Lib. IV. Tit. de Divortiis* explicavimus. Item Ci- 4
vilis obligatio etiam in conscientiæ foro incumbit adultero, si ex assertione adulteræ, aliisque sufficientibus argumentis sibi persuadeat, vel persuadere debeat, prolem ex se genitam esse, ut restitutionem faciat marito, qui cùm se patrem credidit, prolem adulterinam alimentavit, vel dotavit; & deinde etiam compensare debet damnum reliquis liberis legitimis, qui propter successionem spurii læsi sunt: quia adulter vera causa hujus læsionis est, & consequenter sicut quilibet alius, qui alterum contra justitiam læsit in bonis, ad restitutionem meritò tenetur. Sed & ipsa mater adultera tanquam simultanea causa dictæ læsionis obligatur, ut vel prolem adulteram manifestet marito, aut aliis liberis, vel aliam compensationem de propriis bonis iisdem faciat.

Excusat tamen ab hac obligatione, & restitutione I. 5
Inopia adulteri vel adulteræ, & defectus medii ad compensandum. *L. nam is nullam.* 6. *ff.* de *Dolo malo.* II. Si sciat adulter malum ab adultera compensatum, vel certè compensandum. III. Si crimen sit occultum, & compensatio tacita, vel expressa, vel manifestatio adulterii fieri non possit sine magno periculo vitæ vel famæ. Text. & DD. *in officii.* 9. *de Pœnitent. & remissionibus.* IV. Si adultera revelando nihil proficeret, utpote fidem non habitura omni probatione destituta, cùm filius non teneatur credere, nec Jura præsumant esse adulterinum, quamvis mater adulterium commiserit, nisi alia apertiora indicia concurrant. *c. per tuas.* 10. *de Prob. l. alium* 6. *ff. De his qui sunt sui vel alieni juris l. miles* 11. §. 10. *ff. ad L. Jul. de Adulteriis* V. Si adulter vel adultera verè dubitent, an partus ex adulterio, an verò ex marito conceptus sit, valdè probabile tale dubium à restitutione excusare, quia in dubio debemus esse proniores ad absolvendum, quàm con-

condemnadnum, & obligandum, *l. Arianus 47. ff. de Oblg. & action.* & quia ipsi adulteri hactenus fuerunt liberi ab obligatione, & sic in possessione libertatis, in dubio melior censeatur conditio possidentis *l. in pari. 128. ff. de R. J.* Videatur de hac restitutionis obligatione Less. *lib. 2. c. 10. dub. 6. & 7.* Cov. *in Relect. c. peccatum de R. J. in 6. p. 1. n. 8.*

6 Criminaliter agitur ex adulterio ad poenam, & vindictam publicam adulteris imponendam. De Jure civili pro adulterio pena gladii, sive ultimi suplicii constituta est in *l. quamvis 30. in fine C. ad l. Jul. de Adulteriis.* Quam deinde Justinianus Imperator in feminis adulteris propter sexus fragilitatem mitigavit, ut circa illa cessante pena mortis, verberatæ in Monasterium detrudantur, easque marito intra biennium recipere liceat; biennio verò transacto, si maritus non recepit, toto vitæ tempore in Monasterio ad agendam poenitentiam manere debeant. *auth. sed hodie C. jam dict. tit.*

Verùm de consuetudine, & ex particularibus singularum Provinciarum statutis rarò adulteri maximè pro prima vice morte puniuntur, sed potiùs pena pecuniaria, fustigationis, carceris, relegationis, vel similis, ut proinde usu locorum penam adulterii factam esse arbitrariam non immeritò asserat Farinac. *de Delictis carnis tit. 16. q. 141. n. 72.* Monent tamen DD. & gravis peccati arguunt judices, qui in puniendis adulteriis nimis remissi sunt, unde multoties maxima scandala, imò & cædes proveniunt. Farinac. *d. l. n. 66.* Jul. Clar. *cap. adulterium num. 7.*

7 Graviùs verò puniendum est illud adulterium, quod sub specie matrimonii committitur, & *polygamia* dicitur, cùm per eam Sacramento matrimonii magna irreverentia irrogetur, quando scilicet priore matrimonio adhuc stante, & vivente conjuge, scienter simul, & voluntariè cum alia persona nuptiæ contrahuntur, cujus penam capitalem videtur statuisse Carolus V. *in Constitutionibus pœnal. à 122.* Sed hæc constitutio ita interpretanda est, ut non sufficiat solummodò secundum matrimonium contractum esse, nisi etiam copula carnalis accesserit: habet enim ibidem Imperator tales polygamos pro adulteris, adulterium autem sine copula non committitur. Item cùm Imperator tantùm statuat penam viro, vel feminæ jam alio matrimonio ligatis, ideo hæc pena non erit extendenda ad personam solutam, licèt cum polygamo etiam matrimonium ineat scienter, maximè si fuerit femina, in qua nec pena ordinaria adulterii de Jure civili locum habet, cùm eo jure adulterium non committatur in solutam, sed conjugatam, ut dictum.

8 De Jure Canonico olim Laici contumaciter in adulterio persistentes excommunicabantur *c. intelleximus 6. h. t.* & aliquando capilli ac vestimenta eorum in ignominiam abscindebantur. Hodie verò pena est arbitraria, & quamvis crimen adulterii sit mixti fori, tamen punitio circa Laicos plerumque relinqui solet judici sæculari, atque ex decretis Conc. Trid. *sess. 27. de Reform. c. 3.* excommunicatio non debet fieri nisi in subsidium, quando alia media puniendi, & coercendi deficiunt. Clerici quoque maximè pro primo adulterio non statim deponi, sed ad tempus ab officio suspendi, val incarcerari solent. Deinde in *c. etsi Clerici 4. §. de Adulteriis de Judicis*, cum Clericis etiam ob adulterium depositis conceditur Episcopo dispensare.

9 Demum etiam circa materiam adulterii est advertendum, adulterium puniendum esse, tametsi uterq; conjugum deliquerit, cùm delicta non debeant manere impunita. Nec obstet illa regula, quòd *delicta patria mutua compensatione tollantur*, quia hoc tantùm procedit in actione civili, si maritus, qui ipse adulterium commisit, vellet contra uxorem adulteram ad divortium agere, non autem si agatur *criminaliter* ad poenam authoritate Magistratus infligendam.

§. II.

De Stupro.

SUMMARIA.

10 *Quid sit stuprum, & quæ ejus pena de Jure Canonico?*

11 *An stuprator teneatur copulativè ad defloratam ducendam, & dotandam?*

12 *Leges Divinæ judiciales antiqui Testamenti in novo recepta possunt Jure, vel consuetudine limitari.*

13 *Deflorator sub promissione matrimonii simpliciter eam tenetur ducere.*

14 *Puella deflorata præsumitur fuisse virgo, & seducta à defloratore, nisi aliæ præsumptiones sint in contrarium.*

15 *Si deflorata nullum damnum patitur, ante sententiam judicis deflorator ad nihil ei tenetur.*

16 *Stuprum violentum gravius puniri debet, & etiam pœna capitali.*

Quamvis *stuprum* in latiore significatione plerasq; 10
alias luxuriæ species præter adulterium comprehendat, *l. stuprum 32. ff. ad L. Juli de Adult.* propriè tamen accipitur *stuprum* pro illicita Virginum defloratione, teste Gratiano *in c. 2. §. cum ergo causa 36. q. 1.* Pena de Jure Canonico hujus delicti traditur in *cap. 1. h. t.* per hæc verba: *Si seduxeris quis Virginem nondum dispensatam, dormieritq; cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem. Si verò pater Virginis dare noluerit, reddet pecuniam, quam Virgines accipere consueverunt.* Ex quo textus li- 11
cèt nonnulli antiquiores Canonistæ voluerint *copulativè* imponi, ut deflorator cogatur ad dotandam, & simul ad ducendam: nihilominùs recentiori tum DD. tum judiciorum sententia magis receptum est, ut deflorator non præcisè ad matrimonium, sed sub alternatione, vel ad matrimonium, vel ad dotationem compellatur; in alternativis autem debitoris est electio; ideo sufficit alterum impleri *c. in alternativis 70. de R. J. in 6. l. plerumque 10. in fine ff. de Jure dotium*, atque videtur declaratum in *c. 2. h. tit.* ubi tantùm sub alternatione aliquis ad matrimonium compellitur, nisi malit poenam fustigationis, excommunicationis, ac detrusionis in Monasterium subire: quæ etiam penæ ex communi interpretatione tunc demum infliguntur, si ob inopiam deflorator dotem præstare nequeat, ut locum habeat, quod dicitur, *qui non habet in ære, luat in corpore.*

Nihil quoque in contrarium facit, quod dictum c. 1. 12
sit ex lege divina scilicet ex antiquo testamento *Exodi 22.* desumptum, ubi copulativè ponitur ut deflorator & *ducere, & dotare teneatur.* Nam Resp. illam Legem non esse moralem, sed judicialem, quales Leges per adventum Christi expirasse censetur, ac in novo testamento transumptæ, obligant tantùm ex Jure humano, & proinde possunt à legislatoribus humanis, vel consuetudinibus locorum certo modo temperari ac mitigari. Barb. *in eod. c. 1. hoc tit.* Imò hodie pena excommunicationis, & detrusionis in Monasterium in desuetudinem abiit, ac plerumque punitio hujus criminis sicut aliorum, quæ sunt mixti fori, solent judici sæculari relinqui. Aliud 13
autem dicendum, si quis non tantùm defloraverit virginem, sed insuper promissionem matrimonii sive fictam, sive veram fecerit; talis enim præcisè tenebitur defloratam ducere sicut tradidimus in *Lib. IV. Tit. de Sponsal. & Matr. §. 3. n. 13.*

Cæterùm puella in dubio præsumitur virgo, & neganti 14
virginem incumbit probatio, quòd priùs ab alio fuerit deflorata: sicut quivis præsumitur bonus, donec probetur malus *l. merito 51. ff. Pro socio*, præsertim si puella parata sit juramentum de sua virginitate præstare, cui credendum est, tum odio delinquentis, tum quòd talis assertio habeat præsumptionem naturæ pro se (cùm virgo nascatur) ait Farinac. *de Delictis carnis tit. 16. q. 167. à 135.* Item etiam puellam seductam præsumi, v. g. lascivis jocis, importunis persuasionibus, minis, vel muneribus tradit Barb. *in d. c. 1. n. 6.* ubi tamen *n. 9.* rectè addit, has præsumptiones aliquando per contrarias elidi, &

dispo-

dispositionem sæpe dicti c. 1. non habere locum, si fœmina, cum qua quis peccavit, fuerit vilis, vel minùs honestæ vitæ, passim vagans non servato verecundiæ pudore, vel aliis modis solita affectare impudicos amores, dummodò vilitas personæ non desumatur ex paupertate, vel conditione ejus, sed ex vita, & moribus, nam & pauperi deceptæ compensandum est damnum per matrimonium, vel dotem, si propterea diffamata difficiliùs nubat.

15 Annotari etiam potest quod communiter tradunt DD. defloratorem probabiliter ad nullam restitutionem solutam ante judicis sententiam in conscientia teneri, si deflorata nullum aliud inde damnum perpessa est, ut quia delictum prorsus occultum est, & fœmina alias nuptias, vel de facto contraxit, vel imposterum æquè facilè ac priùs contrahere potest. Less. *lib.* 2. *c.* 10. *dub.* 2.

16 In Clerico pœnam stupri arbitrariam, scilicet suspensionis, carceris, degradationis, vel depositionis pro qualitate personæ, & circumstantiarum concludit Farinac. *cit. loco n.* 63. Acriùs tamen semper punitur stuprum violentum, cujus pœnam circa Laicos capitalem constituit Carolus V. *in Constitut. pœnal. a* 119. non tantùm si in virginem, sed etiam si in quamcunque fœminam honestam maritatam, vel viduam talis violentia commissa sit. His verò duobus vitiis juxta rubricam de adulteriis, & stupro expeditis breviter ad aliàs carnis delicta transeamus.

---

§. III.

De Fornicatione, & Concubinatu.

S U M M A R I A.

17 *Quomodo fornicatio differat à stupro?*
18 *Fornicationem esse peccaminosam, & illicitam ostenditur ex SS. Lit.*
19 *An, & quæ pœna sit fornicationis?*
20 *Fornicator teneatur alere prolem, non dotare, vel ducere uxorem, & quomodo probari possit, esse patrem prolis.*
21 *Concubinatus quid sit de Jure civili, & Canonico?*
22 *Etsi de Jure Civili nullam pœnam haberet, hodie tamen in utroque foro punitur.*
23 *Pœna Concubinariis, & concubinis à Trid. statuta.*
24 *Exponitur textus* in c. 4. & 5. dist. 34. *ubi concubinæ permittuntur.*
25 *Speciales pœnæ Trident. contra Clericos concubinarios.*

17 Quemadmodum stuprum, ita & *fornicatio* talem latam, & strictam significationem habet. Lato modo pro omni illicito concubitu sumitur; creditur enim derivata hæc vox à fornicibus, id est locis occultis, in quibus olim scorta habitare, talia delicta patrare consueverunt. Strictè vero, & propriè significat concubitum personæ solutæ cum soluta jam deflorata, & ad distinctionem aliorum solet fornicatio simplex dici *c.* 2. *§. cum ergo causa* 36. *q.* 1.

18 Licèt autem fornicatio apud quosdam homines adeo involuerit, ut in profundum malorum descendentes contemnant, insuper affirmare audentes, non esse peccatum: nihilominùs pro indubitato tenendum, & apud omnes Ecclesiæ DD. receptum est, non tantùm jure humano Canonico; sed etiam Divino fornicationem, & quamcunq; aliam luxuriam præter concubitum matrimonialem damnari, & sub peccato mortali prohiberi. Ita enim Apostolus *ad Gal.* 5. *V.* 19. inquit: *Manifesta autem sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c.* & mox subdit: *quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Item 1. *ad Corinth. n.* 6. *vers.* 15. *nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit, fugite fornicationem &c.* & *ad Ephes. c.* 5. *vers.* 5. *hoc enim scitote, quòd omnis fornicator, aut immundus non habet hereditatem in Regno Christi, & Dei.*

Sunt quidem nonnulla loca, in quibus fornicatio impunè grassatur, non tamen propterea fornicatio peccatum non est, aut tanquam licita approbatur, sed tantùm dissimulatur pœna, ne calidiores illæ nationes in graviora delicta scilicet adulteria, vel peccata contra naturam proruant: aliquando enim inter duo mala, quorum utrumque evitari nequit, id quod minus est, etiam à probis viris dissimulanter tolerari, docemur exemplis propositis in scriptura *Genesis* 16. & *Judicum* 16. textus notabilis in *c.* 1. *ubi lata* Barb. & *in c.* 1. *vers. est tamen dixi* 13. *c. offerebat* 12. *causa* 32. *q.* 7.

Pœna simplicis fornicationis quamvis de Jure Civili nulla constituta sit, ut apparet ex *l. si uxor* 13. *§.* 2. *ff. Ad L. Jul. de Adult. & L. un. C. de Concubinis.* Hodie tamen tam circa Laicos quàm Clericos apud omnes bonos præsertim Germaniæ Magistratus simplex fornicatio arbitrariè juxta loci consuetudinem punitur, Menoch. *de Arbitrariis casu* 288. *n.* 12. Julius Clarus *§. Fornicatio* 6. 19

Ad dotationem vero vel matrimonium ob fornicationem simplicem sine qualitate stupri commissam fornicator non tenetur, debet tamen alere prolem, quam femina ex eo concepit, *c.* 5. *& ibi DD. De eo qui duxit, &c.* nec audiri solet, tametsi neget, esse patrem: nam si confessus vel convictus fuerit de copula, hoc ipso præsumetur pater, nisi alium monstrare possit. Quòd si plures cum eadem muliere commercium habuerit, recurritur ad circumstantias, cui nimirum, vel tempus partus, vel physiognomia prolis magis correspondeat, imò aliquando favore prolis, ne ob defectum alimentorum intereat, juramento mulieris creditur. Qua de re videri poterit Berlichius *Conclus.* 38. *n.* 41. *& seq.* His de fornicatione præmissis, nunc de concubinatu dicamus. 20

Concubinatus de Jure Civili, & in ordine ad legitimationem liberorum per subsequens matrimonium tunc propriè dicebatur, si quis fœminam solutam domi loco uxoris detinuisset *l. nuper* 11. *C. de Naturalib. liberis*, & per ea quæ diximus in *Lib. IV. in tit. Qui filii sint legitimi.* In ordine verò ad pœnam promerendam Concubinatus rectè dici potest, si quis cum certa aliqua fœmina seu soluta, sive maritata, sive intra, sive extra domum assiduam libidinem exerceat. 21

Licèt verò de Jure Civili non fuerit concubinatui propriè tali (nisi simul habuit adjunctam qualitatem stupri, vel adulterii) pœna statuta, ut colligitur ex toto *tit. ff. & C. de Concubinis.* Hodie tamen non tantùm in foro Ecclesiastico, sed etiam Civili concubinatus acriùs, quàm simplex fornicatio punitur, & meritò: cùm utique perseverantia in crimine sit circumstantia aggravans, & tantò sint graviora crimina, quantò diutius durant, sicut dicitur in *c. ult. de Consuetudine*, ac diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet, juxta *c. cum haberet* 5. *De eo, qui duxit, &c.* 23

Specialiter Conc. Trid. *sess.* 24. *de Ref. matr. c.* 8. ad extirpandum concubinatus crimen statuit concubinarios tam solutos, quàm uxoratos cujuscunque status, dignitatis, & conditionis existant, si postquam ab Episcopo, seu Ordinario etiam ex officio ter moniti ea de re fuerint, & concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicandos esse, nec absolvendos, donec reipsa admonitioni factæ paruerint. Circa ipsas quoque concubinas, & mulieres sive conjugatæ, sive solutæ sint, constituit Conc. *d. l.* ut ab Ordinariis locorum ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum vel diœcesim, si id iisdem Ordinariis videbitur, invocato etiam, si opus fuerit, brachio sæculari, ejiciantur, & huic constitutioni Concilii, & prohibitioni concubinatus etiam in foro sæculari parendum est: quia leges civiles in materia peccati correctionem à SS. Canonibus accipiunt, arg. *c. ult. ubi DD. de Præscript.* 23

Neque scandalizari aliquis debet ex textu Conc. Toletani, & B. Isidori, qui refertur in *c.* 4. *&* 5. *d.* 34. ubi dicitur: *Christianis aut uxorem, aut pro uxore concubinam habere licere*; nam in hoc textu nomine concubinæ non intelligitur scortum (nam hujus usum, utpote jure Divino prohibitum, sicut mox ante de fornicatione diximus, non potuissent SS. Patres permisisse) sed uxor per verba quidem de præsenti desponsata, sine tamen dotalibus instrumentis, vel aliis solemnitatibus, quæ olim saltem ad honestatem matrimonii requirebantur, juxta *cap. alter* 1. *causa* 31. *q.* 5. qualis uxor propterea ob defe- 24

ctum

ctum illarum solemnitatum non uxor, (quamvis revera uxor esset, & matrimonium ejus validum) sed concubi-
25 na, præsertim in foro externo, & de Jure Civili dicebatur. Specialiùs verò circa Clericos, & Ministros Ecclesiæ laboravit Concil. Trid. *seß. 25. de Refor. c. 14.* ut qui se Divino cultui addixerint, ab impudicitiæ sordibus, immundoque concubinatu revocentur, populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vitæ honestioris cognoverit. Statuit proinde ut Episcopus contra eosdem Clericos concubinarios, qui suspectas mulieres intra, vel extra domum detinent, per privationem fructuum, suspensionem, privationem beneficiorum, & denique excommunicationem procedat juxta modum præscriptum in d. s. 14. Qua de re etiam dixi in *Lib. III. Tit. 2. de Cohabit. Cler. & Mul.*

---

§. IV.

De Sodomia, Incestu, & delictis contra naturam.

SUMMARIA.

26 *Quid sit crimen Sodomiæ?*
27 *Pœna ejus de jure Canonico, præsertim in Ecclesiasticos id committentes statuta.*
28 *Pœna Juris Civilis contra Sodomitas, &c.*
29 *Quid sit incestus, & an cum affinibus ex copula illicita committatur?*
30 *Restricto per Conc. Trid. impedimento matrimonii ad secundũ gradũ, etiam incestus censetur restrictus.*
31 *Peccans cum consanguinea sponsa nondum cognita non propriè committit incestum. Item si peccat cum conjuncta tantùm cognatione spirituali, vel legali.*
32 *Quæ pœna sit incestus sine matrimonio utroque Jure.*
33 *Pœna contrahentium incestuosas nuptias.*

26 TUrpissimum, infame, ac homine ingenuo præsertim Christiano, maximè indignum vitium, à Sodoma Civitate nomen traxit, quæ propterea unà cum tota illa regione igne coelitus delapso concremata est, ut *Gen. 19. c.* legitur, & in genere significat omnem libidinem contra naturam, id est, quæ aliter peragitur, quàm rectus naturæ ordo ad procreationem liberorum instituit, sive deinde id fiat cum bestiis, sive cum masculis aut fœminis. Dividitur in Sodomiam propriè dictam, bestialitatem, & mollitiem, quorum nefandorum criminum longiorem descriptionem apud Germanos minùs iis deditos ob ingentem turpitudinem, & infamiam libenter ommitto, & remitto ad Fasinac. *Tract. de Delictis carnis. t. 16. q. 148.* Julium Clarum *in Practica criminali. 9. Sodomia* & Aloys. Riccium *in Praxi fori Ecclesiastici parte 3. resolut. 56. & seqq.*

27 Pœna *Sodomiæ* ex Jure Canonico est, ut Laici excommunicentur, Ecclesiastici verò beneficiis priventur, & deponantur *c. ut Clericorum. 13. de Vita, & honestate Cler. c. Clerici. 4. de Excessibus Prælator.* Imò hodie ex *Constitutione* Pii V. edita anno 1568. Ecclesiastici tam dirum nefas exercentes omni privilegio Clericali, omnique beneficio, dignitate, & officio Ecclesiastico authoritate ejusdem constitutionis privantur, ita ut per judicem Ecclesiasticum degradati potestati sæculari statim tradantur, quæ de iis idem capiat supplicium, quod in Laicos huic vitio intricatos legitimis reperitur sanctionibus constitutum. De qua Bulla ejusque ulteriori interpretatione videri poterit Quaranta *in Summa bull. verbo, Sodomia*, & Riccius *cit. loc.*

28 De Jure Civili, & in foro sæculari olim hujus criminis pœna erat gladius *L. cum vir. nubit. 31. Cod. ad L. Jul. de Adul. §. item lex. Julia 4. Institut. de Publicis judiciis.* Ex *Constitutionibus* verò pœnalibus Carol. V. a 116. hujus sceleris rei igne comburuntur. Advertendum tamen est ex communi DD. sententia, quòd istæ pœnæ locum tantùm habeant in *bestialitate, & sodomia* propriæ dicta, *mollities* autem pœna aliqua extraordinaria juxta qualitatem, & frequentiam delicti pro arbitrio judicis puniatur, teste, Farinac. *d. l. n. 3.* & Riccius *loc. cit. resolut. 62.*

Quod ad *incestum* attinet, iste est *concubitus* cum consanguineis vel affinibus. Nomine autem *consanguineorum, & affinium* illi tantùm intelliguntur, cum quibus 29
matrimonium esse non potest, videlicet ascendentes, & descendentes in infinitum; collaterales verò usque ad quartum gradum inclusivè. Quòd si *affinitas* oriatur ex copula illicita, tunc quamvis aliquid de Jure Civili teneant, non committi incestum, sed tantùm simplicem fornicationem, eò quòd de jure Civili videatur *affinitas* tantùm oriri ex matrimonio, non verò ex copula illicita, arg. *L. non facile 4. §. sciendum 8. ff. de Gradibus affinitatis.* De Jure tamen Canon. certum est, etiam ex copula illicita contrahi veram affinitatem, & consequenter committit incestum, qui cum duabus sororibus, vel consanguineis peccat. *c. discretionem. 6. De eo qui cognovit consanguin. uxor. c. in literis. 24. de Testibus.* Idemque in practica circa forum sæculare, & quoad pœnam incestus imponendam, receptum esse testatur Fasinac. *q. 149. nu. 102.* & de jure quoque Civ. contrahi affinitatem ex copula illicita, & inde sequi incestum probat Cov. *de Matr. part. 2. c. 1. §. 8. n. 3.* per *L. liberi 4. C. de Nuptiis*, quæ prohibet ob affinitatem filium patris concubinam in uxorem ducere.

Illud tamen notabile est, quòd cùm hodie ex Conc. 30
Trid. *seß. 24. de Refor. Matrim. c. 4.* impedimentum affinitatis ortæ ex copula illicita restrictum sit ad secundum gradum, ideo ex probabili multorum sententia non committit incestum, qui peccat cum consanguinea in tertio vel quarto gradu ejus, cum qua carnale commercium habuit, sicut refert Barb. *in eod. c. 4. Trid. nu. 12.*

Si quis verò peccet cum consanguinea suæ sponsæ non- 31
dum à se cognitæ, non dicitur propriè incestum committere: quia sola sponsalia ante copulam antecedentem non inducunt propriam affinitatem, sed tantùm quasi affinitatem, & impedimentum publicæ honestatis. Cov. *d. §. 8. n. 4.* Item nec cognatio legalis scil. adoptio vel spiritualis, quæ oritur per Baptismum vel Confirmatione causat propriè incestum, ut proinde mitiore pœna, quam pro incestu castigandus sit. Fasinac. *d. loco num. 26. & 50.*

Committitur autem aliquando incestus sine matrimo- 32
nio, aliquando cum matrimonio, id est incestuosas nuptias contrahendo. Pœna incestus sine matrimonio commissi de Jure Canon. est, ut Laicus incestuosus excommunicatur, Clericus verò omninò deponatur. Abbas, & DD. *c. etsi Clerici, 4. §. fin. de Judic.* De Jure autem Civ. pœna incestus est eadem, quæ adulterii. *L. miles 11. §. 1. junct. gl. in l. si adulterium 38. ff. Ad L. Jul. de Adult.* & ideò quidam DD. capitalem pœnam statuunt, arg. *L. quamvis 30. C. Ad l. Jul. de Adult.* Verùm cùm nostris temporibus ferè nunquam pro adulterio pœna capitis imponatur, sed alia arbitraria pro consuetudine locorum, hinc etiam docet Farinac. *d. l. n. 11. & pluribus seqq.* pœnam incestus esse arbitrariam, quandoque tamen morte puniri, si commissus sit cum illis, cum quibus Jure Div. & naturali prohibitum est matrimonium, ut cum liberis, & collateralibus primi gradus, fratribus seu sororibus. An autem pœna mortis imponatur, si descendentes sint affines, puta si Vitricus peccet cum Privigna, Privignus cum Noverca? Affirmant id quidem nonnulli, sed dubitat Far. *d. l. num. 67.* & videtur inclinare in mitiorem sententiam, & pœnam arbitrariam.

Si incestus conjunctus sit matrimonio, scienterque ali- 33
quis cum consanguinea, vel affine in gradu prohibito contraxerit, tunc de Jure Civili si persona vilis sit, verberata in exilium mittitur, bonis etiam ejus confiscatis, nisi liberi extent, qui fisco præferuntur: si altioris conditionis fuerit, infamis redditur, & bonis quoque, non extantibus liberis confiscatis, in insulam relegatur, *auth. incestas Cod. de Incestis nuptiis.* Covar. *d. §. 8. nu. 5.* De Jure Canonico incestuosas nuptias contrahentes, insuper ipso facto excommunicationem incurrunt. *Clem. un. de Consanguin. & affinit.* à qua tamen excommunicatione juxta frequentiorem DD. sententiam excusantur, qui cum impedimento publicæ honestatis, cognationis legalis, vel spiritualis matrimonium contrahunt: quia *Clement.* tantùm loquitur de illis, qui cum consanguineis vel affinibus contrahunt: in pœnalibus verò non debet fieri extensio, juxta vulgatas juris regulas.

§. V.

§. V.

De Raptu, & Sacrilegio.

S U M M A R I A.

34 *Pœna raptus de Jure Civili.*
35 *Quomodo de Jure Canonico inter raptorem, & raptam non possit esse matrimonium?*
36 *Pœna raptus speciales à Concilio Trid. illata.*
37 *Pœna raptoribus sponsæ constituta, quomodo sint interpretanda?*
38 *Et quid de consuetudine ac constitutionibus Carolinis circa pœnam raptus?*
39 *Sacrilegium quid hic significet?*
40 *Per violationem voti Castitatis committitur sacrilegium, quod tamen ex hoc praecisè pœnam specialem non habet.*
41 *Pœna rapientis vel violantis fœminam DEO consecratam.*
42 *Perpetrantes delictũ carnis in Ecclesia sunt Sacrilegi.*

34 CRimen *raptus* committunt, qui mulierem libidinis causa rapiunt, vel abducunt. Pœnam hujus delicti statuit Justinianus Imperat. *in l. un. Cod. de Raptu virginum*, ut raptores quarumcunque mulierum honestarum, sive virginum, sive viduarum, sive sibi, sive aliis desponsatarum capitali supplicio plectantur, & bona eorum omnia raptis mulieribus applicentur, nec unquam sit licentia, ut raptæ mulieres raptoribus nubere valent. Et ulteriùs declarat Imperator, non esse distinguendum, an mulier volens, vel invita rapta fuerit, eò quòd semper præsumatur fœmina dolo raptoris ad consensum inducta, eamque pœnam etiam extendit ad omnes alios, qui raptoribus auxilium, favorem vel receptaculum præbuerint.

35 Verùm quod in *hac L.* constituit Imperator, ut inter raptorem, & raptam nunquam possit esse matrimonium, hoc de Jure Canonico, & Conc. Trid. *sess. 24. de Reformat. matrim. c. 6.* procedit, quandiu rapta in potestate raptoris manserit: si verò rapta à raptore separata sit, & loco tuto, ac libero constituta, poterit cum raptore de eodem Jure Concil. Trid. matrimonium contrahere.

36 Ad detestationem raptus addit tamen Concil. *d. loc.* ut nihilominus raptor ipse, & omnes illi, qui consilium, auxilium vel favorem præbent, sint ipso jure excommunicati, & perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant, teneaturque raptor mulierem raptam, sive eam duxerit in uxorem, sive non, decenter pro arbitrio Judicis dotare. Unde non pauci DD. apud Farinac. *de Delictis carnis q. 145. n. 96.* existimant per matrimonium inter raptorem, & raptam purgari, & evitari posse pœnas à Jure Civili ipsis impositas.

37 Deinde quòd de raptu propriæ sponsæ in *d. l. un.* dicitur, non habere locum de Jure Canon. satis colligitur ex *c. 4. & 5. & 10. causa 36. q. 2.* & sunt, qui valde probabiliter putant, Jus Civile eatenus cum Canon. conciliandum, ut raptus sponsæ tunc solùm puniatur, si sponsa sit de futuro, & habens justam causam rescindendi sponsalia, vel cogitans intrare Religionem, contra voluntatem suam rapiatur, non verò si liberè in sui abductionem consentiat: quia pœnas interpretatione molliendas esse, docet J.C. *in l. penul. ff. de Pœnis*. Plura de hoc crimine videri poterunt apud Farinac. *c. l. & alios ibidem allegatas*, ubi etiam *à num.* 135. notanter advertit, textum in *d. L. un.* tantùm loqui de raptu fœminarum honestarum, ac proinde non puniri pœna ordinaria raptus, sed mitiori, qui inhonestam seu meretricem rapuit.

38 Consuetudo quoque locorum in hoc, & aliis vitiis puniendis attendenda erit, & Imperator Leo *in sua const.* 35. voluit tantùm raptum armis patratum, morte; sine armis autem, mutilatione manus puniri. Si autem raptus sit conjunctus cum stupro violenta oppressione locum habebit *Const. Carol. a* 116. quam de stupro etiam superiùs allegavimus.

Denique ut etiam de *Sacrilegia* aliquid addamus, *Sacrilegium* in genere dicitur omnia *rei sacra* violatio, seu 39
indigna tractatio; in præsenti autem nomine *Sacrilegii* intelligimus illam speciem luxuriæ, qua violatur corpus personæ DEO consecratæ per votum continentiæ perpetuæ.

Quamvis autem *Sacrilegium* committatur, non tan- 40
tùm si persona violata, sed etiam si violans voto castitatis adstricta sit; ut propterea hæc circumstantia voti tanquam mutans speciem necessariò in confessione exprimenda sit; in foro tamen externo præter pœnas Ecclesiasticas peccatum carnis committentibus inflictas, non sunt aliæ determinatæ pro qualibet violatione voti, sed arbitrio Judicis imponendæ, excepta illa, quæ infligitur ob violatam monialem, sive fœminam DEO consecratam.

Ulteriùs rapiens, vel violans monialem, si laicus sit, 41
de Jure Canonico excommunicatur, si autem Clericus fuerit, deponitur, & in Monasterium detruditur. Similiter, & ipsa monialis in carcerem, vel arctiùs in monasterio ad agendam pœnitentiam includitur, *c. impudicas, 11. c. si qua Monacharum 28. & c. si quis rapuerit 30. causa 27. q. 1.* De Jure verò Civili rapiens, vel violans Monialem capite punitur, ejusque bona Monasterio applicantur. *L. un. C. de Raptu virgin.* juncta *Nov. 123. c. 43. & d. c. si quis rapuerit.*

His Sacrilegis, & violatoribus Monialium annumerat 42
Farinac. *q. 145. n. 32.* etiam illos, qui delictum carnis in Ecclesia patrant, saltem si exinde ipsa Ecclesia polluatur, & reconciliatione indigeat. Qualiter autem generaliter puniantur illi, qui Ecclesias violant, iisque injurias inferunt *Tit. seqq.* dicemus.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.

S U M M A R I A.

1 *Raptores quinam dicantur?*
2 *Qui ex confidentia Juris sui violenter aliquid ab altero extorquent, de Jure perdunt Jus dominii, vel crediti: & quid de consuetudine?*
3 *Rapina quomodo differat à furte?*
4 *Quomodo civiliter agatur pro rapina?*
5 *Pœna criminalis rapina qua sit?*
6 *Piratæ incidunt in excommunicationem Bulla Cœna Domini.*
7 *Pœna incendiariorum est ignis de Jure Civili: & quomodo hoc procedat.*
8 *Si non dolo, sed negligentia alicujus artum sit incendium, datur actio Civilis ad compensationem damni.*
9 *Pœna incendiarii de Jure Cananica. Et quod satisfactia etiam ejus heredibus incumbat.*
10 *Qui dicantur violatores Ecclesiarum?*
11 *Furtum, seu rapina rei sacra, è loco sacro, Sacrilegium est.*
12 *Pœna rapina vel furti sacrilegi pro qualitate delicti varia.*
13 *Pœna de Jure Canonico Ecclesiarum res vel jura invadentibus statuta.*
14 *Injuria SS. Sacramento Eucharistia illata gravissimum Sacrilegium, & pœna ignis expiandum est.*
15 *Hareticus tali casu, etsi haresin abjurare vellis, tamen ultimo supplicio afficiendus est.*
16 *Etiam violantes Crucifixum, & sacras imagines, pœna mortis afficiuntur.*

RAptores dicuntur, qui rem ab altero possessam per 1
violentiam invadunt, & auferunt; hæc autem vio-

violentia aliquando fit lucri causa à sceleratis hominibus, aliquando ex confidentia juris sui, quando quis rem, in qua credit sibi aliquod jus competere, sine judicis authoritate ab altero privata violentia tollit. Hujus posterioris violentiæ pœna de Jure Civili constituta est, ut invasor rem ablatam ante omnia restituere, & insuper æstimationem rei persolvere teneatur, si quidem ejus rei dominus non fuerit; sin autem dominus, etiam dominium amittere debeat. *L. si quis in tantam 7. C. Unde vi.* Item qui debitum à debitore violenter sine Judice extorserit, jus crediti amittat, & actione criminaliter intentata tertia parte bonorum puniatur infamia. *L. extat 13. ff. Quod metus causa, & alt. ff. ad L. Juliam de Vi privata.* in multis tamen locis præsertim hæ pœnæ amissionis dominii, & crediti non videntur usu receptæ, sed eliæ pecuniariæ, sicut in Austria vim armatam puniri 100. imperialibus, & non armatam 50. refert Suttinger *in Processu superiori Austria obser.* 154. Restituere verò rem ablatam etiam de hodierno stylo judiciorum ante omnia tenetur spoliator, nec auditur cum allegatione juris sui, plusquam restitutionem ex integro fecerit, juxta ea, quæ longius tradidimus Lib. II. Tit. *de Restit. spoliat.*

3 Quod attinet ad alteram *rapina* speciem, quæ fit lucri causa, illa quidem differt à *furto* propriè dicto, quòd *furtum* ex sua natura, & intentione furantis clam fiat, *l. 1. ff. de Furtis Rapina* autem apertè, & per vim domino illatam: interim etiam *rapina* species *furti* est, & raptor fur improbior dicitur in *l. item si 14. §. 12. ff. Quod metus*
4 *causa*. Ex hac porrò rapina agitur, vel *civiliter* vel *criminaliter*. *Civiliter* petitur rei ablatæ restitutio una cum refusione *lucri cessantis*, & *damni emergentis*, & insuper *triplum* pœnæ ipsi actori applicandæ, id est tantùm pecuniæ, quanti valet res ablata triplo æstimata, pro ut hac de re prolixè agunt Interpretes in *Tit. Instit. de Vi bonorum raptorum*.

5 Criminaliter agitur contra raptores ad pœnas fisco inferendas, vel (quòd frequentius est, cùm raptores ob inopiam ratò possint pecuniam præstare) ad pœnam corpori infligendam, ita qui cum armis, & tumultu aliena invaserit, & deprædatus fuerit, capite puniri jubetur in *l. 11. ff. Ad L. Jul. de Vi publica*. At ex *Const. Caroli V. a. 126.* grassatores, & prædones, quamvis latrocinium seu homicidium non commiserint, similiter morte affi-
6 ciuntur. De Jure Canonico *raptores* excommunicantur ab Episcopo illius loci, ubi rapinam fecerint, quamvis ipsi alienæ Diœcesis sint, nec absolvuntur, donec satisfaciant competenter, eademque excommunicatio proprio eorum Episcopo significanda est, ne eos recipiat ante plenariam satisfactionem. *c. 5. h. t.* specialiter verò excommunicationem reservatam ex *Bulla Cœna Domini cas. 4. & 5.* ipso facto incurrunt piratæ, & omnes illi, qui navigantes in mari Christianos deprædantur, vel naufragorũ bona capiunt, de quibus etiam agit Nav. *in Man. c. 27. n. 59.*

Quod ad *incendiarios* spectat, quàm grave, & calami-
7 tosum sit per incendia hominibus nocere, quotidiana docet experientia: unde meritò contra *incendiarios* jura pœnas exasperatum, prout in primis de Jure Civili qui ob inimicitias, vel rapinam alienas ædes incenderint, vivi exuri, vel bestiis objici jubentur, ita tamen ut dignitas personæ, vel parvitas damni ex incendio secuti, præsertim si extra civitatem, aut oppidum in villa, vel casa incendium factum sit, pœnam minuant, & decapitatio, vel deportatio infligatur; *l. capitalium 28. §. incendiarii 12. ff. de Pœnit. l. uls. ff. de Incendio, &c.* De Jure quoque Imperii Carolus V. *in suis Constitutionibus pœnal. a. 125.* generaliter contra *incendiarios* pœnam ignis determinavit. Ob quam textus generalitatem quibusdam videtur hodierno Jure non esse distinctionem faciendam, cujus incendiarii, sint conditionis vel quale damnum dederint, sed indifferenter cremandos esse. Verùm cùm inter Christianos raro soleat ad combustionem hominis vivi propter desperationis periculum deveniri, nisi ob atrocissima delicta, & aliàs non sit facile priorum Jurium abrogatio præsumenda, *c. cùm expediat. 49. de Elect. in 6.* ideò humanius est hanc Carolin. constitutionem juxta priores leges civiles interpretari, & pœnam pro incendio aliquando ignis, aliquando mitiorem, considerata qualitate personæ, damni, & loci imponere, prout satis ex aliis fere omnibus constitutionibus Carol. eppatet, quòd Imperat. in statuendis pœnis jus commune sequi voluerit.

Et hæc quidem ita se habent, si ut dictum est dolo, & 8
malitia incendium causatum fuerit, si autem ex culpa, & negligentia alicujus ortum sit incendium, tunc contra eum civilis tantùm actio ad compensationem datur, & interdum etiam pro qualitate culpæ pœna extraordinaria non capitali infligitur, *d. l. capitalium. §. incendiarii vers. nam fortassa, ff. de Pœnis* Quænam autem debeat esse culpa, ut aliquis ex ea ad integrum damnum resarciendum teneatur, dicemus inferiùs in *Tit. de Injuriis, & damno data*, Cujus sit damnum an locatoriis, vel conductoris, si domus conducta incendio flagraverit, dictum est in Lib. IV. Tit. *de Locato, & conducto q. 3.* De Jure Canon. *incendiarii* excommunicandi sunt, & privandi sepultura Ecclesiastica, nisi ante mortem pænituerint, & absoluti fuerint, quæ absolutio eis dari non debet, ante quam per se, vel per hæredes suos læsis competenter satisfecerint. *c. pessimam 32. causa 13. q. 8.*

Notanter dico, *vel per hæredes*, nam licet de Jure Civ. 9
hæres ex delicto defuncti conveniri nequeat, nisi ex tali delicto factus sit locupletior, vel is cum defuncto contestata fuerit, *l. un. C. Ex delictis defunctorum in quantum hæredes, &c.* De Jure tamen Canon. ad exonerandam conscientiam defuncti, qui jure naturali tenebatur læsis damnum compensare, etiam hæres pro viribus hæreditariis iisdem satisfacere tenetur *c. in litteris 5. hoc t.* & cùm hæc materia tangat conscientiam, & favorem animæ, in ea Jus Civile à Jure Canonico correctionem accipit.

Tertio pars hujus rubricæ est de *Violatoribus Ecclesia-* 10
rum: quo nomine censentur illi, qui Ecclesiis, vel rebus sacris injuriam inferunt, & *sacrilegium* proinde committunt, vel lædendo immunitatem Ecclesiarum (de qua *immunitate*, ejusque violationum pœnis diximus in *L. III. Tit. penalt.*) vel rapiendo res ex Ecclesia, vel sacra indigne, & irreverenter tractando. Itaque rapina, vel furtum tunc aliam speciem mali inducit, & sacrilegium censetur primò, si res sacra seu ad divinum cultum destinata de loco sacro; *secundò* si res sacra aut calix consecratus de loco non sacro; *tertiò*, si res non sacra v. g. in Ecclesia securitatis causa deposita de loco sacro surripiatur. Quamvis autem aliqui circa posteriora duo furta, quæ scilicet fiunt de loco non sacro, vel rei non sacræ dubitent, an saltem de Jure Civili vera sacrilegia dicenda sint, pro-
pter textum in *l. divis. 5. & l. sacrilegi 9. §. 1. ff. Ad l. Jul.* 11
pecul. Communiùs tamen, maximè de Jure Canon. (cui potiùs competit aliquid de *sacrilegio* determinare) receptum est, etiam in his duobus furtis committi *sacrilegium*, per text. clarum in *c. quisquis 21. causa 17. q. 4.* & docent Sylvester, Armilla, & Summistæ communiter *in verbo Sacrilegium*. Ratio est, quòd utroque casu irreverentia inferatur, aut rei, aut loco sacro: & hic accommodari potest, quod dicit J.C. in *l. aut facta 16. §. locus 4. ff. de Pœnis* locũ facere, ut idem, vel furtum, vel sacrilegium sit.

Eandem sententiam secutus fuit Carol. V. *in Const. penal. a. 171.* ubi sacrilega furta, eo quo nos modo in tres classes distribuit. Neque textus allegati ex Jure Civ. adeo urgent, quin responderi possit ex *cit. l. Divi* pro re in Ecclesia deposita, & ablata dari quidem actionem furti si nimirum civiliter agatur, non tamen negari pœnam sacrilegii, si accusatio ad vindictam publicam instituatur. Item *l. sacrilegii* accipiendam esse de aliis privatis sacris, quæ aliàs fortassis apud Romanos in usu erant, non verò de rebus sacris ad sacrificium Missæ deputatis, quod specialiter publicum est.

Pœna rapinæ, vel furti sacrilegi pro qualitate ac quan- 12
titate rei, ac modo rapiendi olim de Jure Civ. quandoque damnatio ad bestias, vel in metallum, aut deportatio fuit, *l. sacrilegii 6. ff. Ad L. Jul. peculatus*, maximè verò capitis pœna statuitur in *l. si quis in hoc genus 10. & auth. de novo jure. Cod. de Episcop. & Cler.* contra eos, qui in Ecclesias irruentes SS. Ministeria turbaverint, vel celebrare prohibuerint. Hodie ex *constitut. Carol. a. 172. & seqq.* si quis vasa sacra, sive ex loco sacro, sive profano abstulerit, & etiam si intentione furandi januas Ecclesiæ, vel sacristiæ, vel alterius loci, ubi oblationes reponuntur, effregerit, vel illicitis instrumentis aperuerit, ultimo supplicio afficiendus est, mitigato tamen, vel exasperato supplicii genere pro qualitate, & gravitate delicti ac circumstantiarum. Si quis autem res non ita sacras,

velut candelabra, cereos, linteamina, vel res merè profanas in Ecclesia depositas sine effractione, aut alia vi auferat, is ex *ead. Constitut. Carolin.* 174 graviùs quidem, quàm simplex furtum committentes, puniendus est, ita tamen ut hic gravitas rei ablatæ, famis necessitas, ætas, ac imprudentia delinquentis consideretur, ac pro diversitate circumstantiarum major, vel minor pœna infligatur.

13 I. De Jure Canon. per *Bull. Cœn. art.* 18. excommunicationem reservatam ipso facto incurrunt, qui territoria, bona, aut jura immediatè ad Ecclesiam Romanam, vel Pontificem spectantia invadunt. II. Ex Trid. *sess. 22. de Reform. c.* 11. itidem excommunicationem reservatam incurrunt, nec absolvuntur, nisi post integram restitutionem, qui jura, fructus, quascunque obventiones Ecclesiasticorum beneficiorum sæcularium, vel regularium, vel piorum locorum, quovis quæsito colore, vel modo sibi usurpent, vel impediant, per se, vel per alios, ne in Ministrorum Ecclesiæ, vel pauperum, quibus debentur, usum deveniant. Quòd si patroni Ecclesiæ id fecerint, etiam jus patronatus amittunt, & Clerici talia agentes insuper beneficiis privantur, ac ad alia obtinenda inhabiles redduntur. III. Generaliter omnes, qui Ecclesias sacrilegè invadunt, violant, vel deprædantur, censura excommunicationis coercendi sunt: & quidem si hæc invasio, vel deprædatio fiat cum invasione, effractione, vel violentia, ex veriori sententia invasor ipso facto non tantùm excommunicatus, sed insuper absolutionem à summo Pontifice petere, vel alium, privilegium à casibus reservatis absolvendi habentem, adire debet Text. Gloss. Panot. & DD. communiter *in c. conquesti 22. de Sent. excomm.* Si autem clam aliquis res sacras violentia abstulerit, magis inter DD. receptum est, talem non esse ipso facto, sed per sententiam excommunicandum. Barb. *in eodem c. 22. n. 2. cum cit. ibid.* arg. *c. ult. de Furt.* ubi videtur supponi, furem rei sacræ non indigere ipso jure aliqua absolutione à censura, nisi per Episcopum fuerit excommunicatus.

14 Demum sciendum est inter violentias Ecclesiarum, & sacrilegium gravissimum censeri, quod circa SS. Eucharistiam committitur, eam surripiendo, vel alias indignè tractando, pro quo delicto pœna ignis constituta est à Carolo V. *cit. a.* 172. Et quamvis alias hæretico prima vice parcatur, si monitus pœniteat, & hæresin abjurare velit, cum Ecclesia non claudat gremium redeunti: si tamen abusus est Sacramento SS. Eucharistiæ, ad abjurationem non admittendum, sed prima statim vice ultimo supplicio afficiendum constitutum refert Farinac. *de hæresi q. 193. num. 39.* à Paulo IV. summo Pontifice, & Clericos propter hoc immane scelus degradandos, & curiæ sæculari tradendos esse, habetur in *Lib. 2. Epist. Pii V. epist. 1.* Imò non tantùm sacram Eucharistiam, sed etiam Crucifixum, vel sacras imagines irreverenter, & contumeliosè tractantes pœna mortis afficiendos, docet Menoch. *de Arbitrariis casu 3.9. n. 3.* per text. *in l. si quis in hoc genus* 10. *Cod. de Episcop. & Cler.* ubi generaliter pro Injuria Ecclesiis illata capitalis pœna statuitur.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

SUMMARIA.

1 *Quid sit furtum, & quo Modo à rapina, & aliis invasionibus differat?*
2 *Non tantùm ipsius rei, sed etiam usus, aut possessionis furtum datur.*
3 *Furtum aliàs illicitum, licitum redditur ob causam extremæ necessitatis.*
4 *An qui in extrema necessitate furtum fecit, postea cùm potuerit, restituere teneatur? probabilius affirmatur.*
5 *Pro furto olim dabatur tantùm actio Civilis: pro manifesto in quadruplum; pro non manifesto in duplum.*
6 *Sed ex Constitutionibus Caroli etiam pœna criminalis, & mortis infertur.*
7 *Pœna mortis hodie pro furto constituta est, ob frequentiam delicti.*
8 *Quæ pœna furti de Jure Canonico?*
9 *Clericus pro furto deponitur verbaliter, non realiter, nisi sit incorrigibilis.*
10 *Clericus ob furtum verbaliter depositus, potest ab Episcopo restitui, & ad ordines habilitari.*

Post rapinas, sacrilegia, & graviores rei alienæ invasiones ad furta simplicia in *h. tit.* descendit Compilator. 1
Describitur autem *furtum* in *l. 1. §. 3. de Furtis* quòd sit *contrectatio rei fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus aut possessionis.* Dicitur I. *contrectatio fraudulosa*; ut fiat distinctio à rapina, & alia violenta publica invasione: furtum enim à furvn seu nigro dictum est, quòd clam, & in obscuro fiat, vel à fraude, ut inquit J. C. *in d. l. 1. in principio.*

Dicitur II. *lucri faciendi causa*: nam qui rem alterius etiam fraudulenter, & malitiosè destruit, non proprii lucri causa, sed in alterius odium, non erit fur censendus nec infamis, vel aliis pœnis furti puniendus, sed actione ex *L. Aquilia* ad compensationem damni convenietur, ut dicetur inferius in Tit. *de Injuriis, & damno dato* §. 2. Dicitur II. *vel ipsius rei, vel usus aut possessionis*: etenim qui alteri rei suæ usum per contractum commodati, vel locati, vel similem concessit si deinde eandem rem ante præfinitum tempus clam ab eodem auferat, non dicitur quidem furtum *rei* (utpotè quæ priùs ad ipsum pertinebat) sed *usus* commisisse. Item si tertius rem commodatam auferat, is respectu commodantis furtum *rei*; respectu verò commodatarii furtum *usus* commisit. 2

Porro furtum Jure Div. & naturæ illicitum esse, tum ex præceptis Decalogi, tum ex *l. 1. §. 3.* docemur. Unus tamen casus exceptus est, in quo rem alteri subtrahere non est prohibitum, videl. casus extremæ necessitatis, si fortè fame, vel alio incommodo pereundum esset. Ratio est, quòd in tali necessitate redeatur ad primam naturam, & res fiant communes: nam ab initio omnes res terrenæ in sustentationem hominis communiter, & indivisim pro omnibus creatæ sunt. Licet verò ex postfacto divisio rerum inter homines intervenerit, hæc tamen divisio non derogat rationi naturali, quæ dictat ex rebus temporalibus subveniendum esse hominum necessitati extremæ, ad quorum usum ordinatæ sunt. Unde S. Ambros. relatus in *c. sicut ii 8. dist. 47. esurientium panis est*, inquit, *quem tu detines, nudorum indumentum est quod tu recludis &c.* 3

Quare ulterius consequitur talem acceptionem non censeri domino injuriosam, eò quod is jure naturæ consentire teneatur, & non possit rationabiliter esse invitus quin per res suas in extrema necessitate constituto subveniatur.

Nec obstat *c. si quis propter necessitatem 13. h. t.* ubi dicitur, furantem in necessitate jejunare, vel restituere debere: nam communiter accipitur de furante in necessitate quidem, sed non extrema, ubi alia media se alimentandi supersunt, secundum Covar. *in Relect. c. peccatum de R. J. in 6. p. 2. §. 1. n. 3.* vel certè, si quis nimis magnam quantitatem, plus quam opus habuisset, subtraxisset, juxta *Constit. Caroli V. à* 186. 4

Utrùm autem ad restitutionem teneatur, qui in extrema necessitate furtum fecit, si ad pinguiorem fortunam deveniat, non immeritò dubitatur. Negativè enim respondet Silvester *in verbo furtum q. 5.* ex eo, quòd res in necessitate fiant communes, & consequenter propriæ occupantis, rem autem jure acquisitam nemo restituere tenetur. Affirmativa tamen verior videtur, quam tenet Covat. *dicto loco n. 4.* nam in necessitate quidem omnia sunt communia, sed tantùm, juxta rectæ rationis moderamen, quæ recta ratio in eo consistit, ut alterius necessitas sublevetur, & domino, si fieri potest nullum damnum inferatur: quòd eveniet, si res aliena non simpliciter tanquam propria, sed sub ratione mutui accipiatur, & suo tempore habitis facultatibus restituatur. 5

Cæterùm pro furto simplici sine armis, violentia, vel sacrilegio patrato olim plerumque *Civilis* tantùm *actio* dabatur, scilicet contra furem *manifestum* (id est deprehensum, vel inclamatum, antequam rem ad tutum locum depor-

deportaret) in *quadruplum*; contra furem autem *non manifestum* in *duplum §. 3. & 5. Instit. de Obligat. quæ ex delicto*, prohibuit enim Imperator Justinianus in *nov.* 134. *c.* 12. ne pro furto aliquis mortem, vel mutilationem membri sustinere debeat.

6 Verum Carolus Imperat. quamvis etiam hanc pœnam Civilem permiserit in furtis minoribus infra 5. florenos (quo nomine Doctores florenos aureos sive solidos, & ducatos Ungaricos intelligi volunt cum Berlichio *p. 4. conclus. 43. n. 26.*) *non manifestis, & in manifestis* circa personas honestioris conditionis, cum quibus spes aliqua emendationis esse potest sicut *a.* 157. habetur; In aliis tamen furtis, præsertim circa personas viliores capitale supplicium constituit, ita quidem, ut si furtum fuerit periculosum, seu male qualificatum, & fur armis se accinxerit, alias ædes conscenderit, vel effregerit, vel certè, furtum in notabili quantitate tertio iteratum sit, viri laqueo suspendantur, fœminæ verò juxta loci cujusque consuetudinem alio mortis genere afficiantur, habita tamen consideratione ætatis, & imprudentiæ delinquentis.

Si vero furtum prorsus simplex sine armis, vel effractiona, aut ascensione extiterit, & prima tantùm, vel altera ad summum vice iteratum, mitior quàm mortis pæna scilicet fustigationis, vel relegationis infligitur; si tamen primum etiam furtum contigerit circa valde magnam quantitatem cum magno alterius damno, tunc pæna exasperari, & juxta arbitrium Judicis, ac prudentum virorum etiam nonnunquam ad pœnam mortis procedi poterit, prout hæc omnia deductius traduntur in ipso textu *Constitutionis Carolinæ d. à 157. & seqq.* Videri etiã poterit Berlichius *cit. loco*. & Matthæus Stephani. qui in *Constitutionis Carolinas speciales annotationes* cõscripsit.

7 Sed dices: quo jure Carolus V. pœnam mortis pro furto constituit, cùm tamen nec in Veteri Testamento *Exod.* 22. neque Jure Justinianeo hoc delictum morte dignum judicatum fuerit? R. pro furto hodierno Jure constitutam esse pœnam mortis, non tam ob gravitatem delicti, quàm ob ejus frequentiam, si enim delictum aliquod nimis frequens in Republica esse incipiat, tunc ob bonum commune, & tranquillitatem publicam conservandam, ac terrorem aliis faciendum pœnas exasperandas esse, tum ipsa ratio suadet, tum etiam satis constat ex *L.* 1. *ff. de Abigeis*, ubi dicit J. C. abigeos qui oves ex pascuis abigunt, & furantur, gladio puniri non ubique, sed ubi frequentius est id genus maleficii, alioquin in opus temporarium damnari. Nec obstant leges Veteris Testamenti: quia illæ judiciales pro Judæis specialiter latæ sunt nec adeò ligant in Novo Testamento, quin propter novas caussas abrogari, vel immutari possint.

8 De Jure Canonico non habetur pro furto circa Laicos specialis pœna constituta, erit proinde arbitraria. Clerici verò propter furtum in notabili quantitate, & maximè sæpius iteratum, vel male qualificatum in primis fiunt irregulares, et ad ordines promoveri non possint propter infamiam, quam ex tali delicto contrahunt, Sayr. *de Censur lib. 7. c.* 10. *n.* 8. deinde pæna furti notabilis aut iterati in Clerico est depositio. *c. Presbyter.* 12. *dist.* 82. *c. cùm non ab homine* 10. *de Judiciis*. Barb. *de offic. Episcop. 3. allegat.* 110. *n.* 10.

9 Est tamen hæc depositio *verbalis* tantùm, quando scilicet Clerico executio suorum ordinum, & promotio ad ulteriores ad perpetuum interdicitur, salvis interim adhuc privilegiis Clericalibus; non verò realis degradatio, quæ fit per detractionem habitus Clericalis, & traditionem Curiæ sæcularis: propter furtum enim utcunque malè qualificatum Clericus nunquam solet tradi Curiæ sæculari, cùm id in Jure Canonico expressum non habetur, nisi Clericus contemptis omnibus censuris Ecclesiasticis prorsus incorrigibilis remaneat, *d. c. cùm non ab homine*. Licet verò leges Carolinæ sine distinctione personarum pro furtis tertio iteratis, vel malè qualificatis pœnam mortis statuerint; notum tamen est, quòd leges Civiles, & Imperatoriæ præsertim verò pœnales non obligent Clericos *c. Ecclesia* 10. *& ibi Doctores de Constit.* Il-

10 lud etiam adnotari potest, quòd Episcopus Clericum ob furta depositum iterum restituere, ad ordinem habilitare possit; et textum *in c. et si Clerici 4. §. de adulteriis de Judiciis*. Barb. *d. loc. n.* 32. *cum aliis ibi allegatis*. Sicut non ita pridem in hac Diœcesi practicatum est, sub ista tamen moderatione, ut depositus priùs omnibus, quibus per furtum damnum intulit, satisfacere, & deinde ad evitandum scandalum (quia post restitutionem saltem aliqua læsæ æstimationis nota remanet) alibi quàm in loco delicti admissi ordines suscipere, & susceptis ministrare jussus fuerit.



TITULUS XIX.

De Usuris.

MUltorum ingenia, plurium verò conscientias torquet hæc materia de Usuris; & si ulla alia, certè hæc difficilis, & practica est, dum passim homines diversas negotiationes cum pecunia instituunt, ex eaque lucrum quærunt, cùm tamen frequenter talia lucra illicita, & usuraria reputentur, ac non tantùm in foro interno peccaminosa; sed etiam in externo variis pœnis digna censeantur, ut proinde operæ pretium sit rem totam ex fundamentis intelligere. Sit igitur.

§. I.

Quid sit Usura, & quo Jure prohibita?

S U M M A R I A.

1 *Usura quid?*
2 *Usura propriè tantùm in mutuo committitur, si pro eo aliquid temporale pretio æstimabile exigatur.*
3 *Usura quidem requirit pactum, sed id aliquando est implicitum.*
4 *Usura quædam licita, seu compensatoria lucri cessantis, aut damni emergentis.*
5 *Usura Jure Divino, naturali, & humano prohibita.*
6 *Qua ratione DEUS concesserit Judæis fœnus cum gentibus exercere?*
7 *Explicantur alii textus Scripturæ.*
8 *Cur Usura etiam Jure naturali prohibita?*
9 *Sub nomine mutui potest aliquando latere alius contractus licitus.*
10 *Usuræ non possunt aliqua lege permitti.*
11 *Peccant graviter contra Justitiam, qui Judæis, vel aliis exercitium usurarium concedunt.*
12 *An peccet debitor solvendo usuras?*

USura apud Latinos *usum*, vel potius, & magis accommodè ad sensum hujus loci *fructum*, & utilita- 1
tem ex *usu rei* provenientem significat, veluti Cicero *in Verrem*: *cur pyratis* ait *lucis usuram dedistis?* & idem *de Senectute*: *terra* inquit, *nunquam sine usura reddit, quod accepit*. Verùm ad præsentem materiam varias *usuræ* descriptiones, & definitiones adferunt Interpp. ex quibus omnibus sequentem colligo, & definio, *usuram esse quidquid ex mutuo temporale, & pretio æstimabile per pactum lucri causa sorti seu debito principali accedit*. Consideremus singulas hujus definitionis particulas.

Dico I. *ex mutuo*: nam usura propriè tantùm in contractu mutui committitur, per tex. & DD. communiter *in c.* 1. *causa* 14. *q.* 3. sicut, & sententia Christi paulò post citanda de solo mutuo loquitur. Est enim mutuum ex sua natura contractus gratuitus, ubi regulariter sufficit, pecuniam mutuò acceptam sine alio additamento mutuanti reddere. In aliis verò contractibus, ut in emptione, venditione, permutatione, locatione, & similibus, potest quidam committi dolus, vel iniquitas habens annexam obligationem restitutionis, ut si res cariùs justo pretio, aut vitiosa vendatur &c. sed non usura propriè dicta, adeoque nec ibi pœnæ specialiter contra usurarios latæ locum habent, nisi quatenus aliquando *palliatum mutuum* continet prout ista omnia in hoc, & etiam in sequenti §. magis declarabimus.

Dico II. *Temporale*: si enim paciscaris cum mutuatario ut præter restitutionem pecuniæ mutuatæ teneatur tibi conferre beneficium Ecclesiasticum, vel dare rem aliam spiritualem aut sacram, potiùs *simonia* quam *usura* commissa dicetur.

Dico III. *Pretio æstimabile*: unde quamvis de Jure Civ. usura propriè in pecunia numerata consistere videatur *l. eos 26. §. 1. & passim C. h. tit.* Panorm. *ad rub. hujus tit. nn. 4.* de jure tamen Can. (quod circa usuras tanquam in materia peccati, & conscientiæ prævalet Juri Civili) usura censetur, licet res aliæ quam pecunia ultra sortem à mutuatario exigantur, ut v. g. certam quantitatem frumenti solvat, & certas operas præstet, ut actionem, quam contra mutuantem habet, remittat, &c. *c. 2. & 3. causa 14. q. 3.*

2 Notanter autem loquor, si talia ultra capitale mutuatum exigantur: nam si quod aliquando fieri solet, operario, vel opifici volenti à te mutuare pecuniam, eandem tribuas cum pacto, ut is nullam quidem pecuniam restituat, sed pro ea operas præstet, vel opus aliquod conficiat, non erit usura, sed contractus licitus, atque idem, ac si operario, mercedem anticipato dedisset, dummodo operæ non pluris æstimentur, quam pecunia numerata.

3 Dico IV. *per pactum*: id est, ut mutuatarius ex obligatione contracta teneatur aliquid ultra sortem principalem mutuanti solvere. Quare secus est, si mutuatarius propria sponte ex mera liberalitate, vel gratitudine mutuandi aliquid tribuat, prout in simili de Simonia dicitur, non esse Simoniam, si pro re spirituali absque præcedenti pacto aliquid liberaliter oblatum accipiatur: si enim mutuatarius posset cuique alteri res suas donare, cum quilibet rei suæ moderator sit, & arbiter, *l. in re mandata 21. C. Mandati*, sanè mutuans, qui ei mutuando beneficium præstat, non debet esse deterioris conditionis, ut munus pro beneficio liberè oblatum accipere nequeat, cum naturalis ratio hominibus obligationem *antidoralem*, seu reciprocæ gratitudinis erga benefactores imponat.

Interim tamen, quia *antidoralis* obligatio ordinariè tantùm moralem honestatem, non Juris vinculum, aut actionem, vel exactionem inducit, neque obligat ad certum, & determinatum gratitudinis actum in specie, sed ad aliquam gratitudinem in genere, ideo non auderem à peccato usuræ, saltem *mentalis* excusare illos, qui liberalitatem, & gratitudinem non tam exspectant, quam torquent, & indigentibus hominibus non aliter mutuant pecunias, quam sub spe promissionis, & etiam exactione largæ remunerationis. Id quòd satis probat textus *in c. consuluit 10. h. t.* ubi Pontifex usurarium judicat illum, qui (utimur verbis ejusdem cap.) *non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventione cessante plus tamen sorte recipiat.* Sunt tamen nonnulli, qui cum Less. *de Justitia, & jure l. 2. c. 20, n. 34. & 56.* hunc textum exponunt de eo casu, quando non sub ratione gratitudinis, sed sub ratione justitiæ, & obligationes civilis aliquid ultra sortem exigitur. Hæc tamen interpretatio non videtur textui generaliter, & sine tali distinctione loquenti satis convenire: nam obligatio civilis, & justitiæ, cum ex ipso contractu mutui, utpote gratuiti, esse nequeat, necessariò ex conventione, & pacto accedente esse deberet, Pontifex aut supponit omnem conventionem, quæ obligationem civilem inducat, abesse, & in eo magis se fundat, quòd mutuans non velit aliter mutuare, quam ut aliquid ultra mutuatam pecuniam quocunque deinde titulo, vel colore sive justitiæ, sive gratitudinis, à mutuatario recipiat. Idque confirmatur ex *c. 2. vers. alii & c. 3. vers. si quis causa 14. q. 3.* ubi SS. PP. *donativa, & munuscula* (intellige, non libera sponte oblata sed exacta) à debitoribus recipientes usurarios reputant; *munuscula* autem, & *donativa* utique rationem justitiæ non habent, sed remunerationis.

Ratio autem fundamentalis mihi videtur, quòd usura principaliter prohibita sit, ob gravamen indigentium, qui spe recipiendæ pecuniæ cum suo detrimento qualibet pacta etiam facilè ineunt. Est verò etiam gravamen indigentium, si sciant, se pecunias aliter obtinere non posse, quàm si liberaliter donent mutuanti non sine damno suarum facultatum, tales proinde donationes in effectu parùm differunt à pactis propriè usurariis, quia utrinque lucrum ex mutuo est, non voluntate libera datum, sed necessitate recipiendæ pecuniæ extortum. Quare cum dicimus usuram tantùm *ex pacto* esse, ita explicari debet, ut sit *ex pacto* vel etiam ex *tali actu*, qui pacto saltem tacito *æquivaleat*, atque hanc nostram sententiam docet Syl. *Verb. Usuris §. 1. n. 1. & 2.* Cov. *Variar. Res. l. 1. c. ult. n. 4.* & Nav. *in Commentatio de Usuris notabili* 10.

Dico denique *lucri causa*, & quidem hoc lucrum debet esse ex mutuo tanquam fructus pecuniæ mutuatæ, non verò ex alia causa prorsus à mutuo separata.

Ideo non erit usurarius censendus Dominus vel Parochus, qui colono, vel parochiano mutuo dat frumentum pro semine, aut pecunias pro emendis rebus ad culturam agris necessariis, ea conditione, ut tantò diligentius, & sine diminutione pensionem annuam pro locato prædio rustico, aut decimas persolvat: quia istæ pensiones & decimæ debentur ex alia causa, quam ex mutuo scilicet ex contractu locationis, & jure parochiali.

Item neque ille lucrum capit, sed suum consequitur, adeoque, & ab usura immunis est, qui debitori novum mutuum præstat, eo pacto, ut id una cum vetere debito tantò citiùs sibi restituatur. Henr. Canis. *de Usuris c. 1. n. 6. arg. c. 1. in fine h. t.*

Præterea aliquando à mutuatario aliquid exigi potest ultra sortem per modum *interesse, & compensationis*, quando scilicet sua interest, pecuniam non dari mutuo. Unde DD. communiter, & rectè usuras dividunt, quòd aliæ sint *merè lucratoria*, & propterea illicitæ, aliæ verò *compensatoria*, & licitæ. Atque hoc interesse creditoris, ob quod fit compensatio, rursus duplex constituunt: unum, quod vocant *interesse lucri cessantis*, & alterum, *interesse damni emergentis*. Interesse *lucri cessantis* dicitur, quando creditor ex pecunia potuisset alibi honestum lucrum sperare, ut si eandem mercaturæ, emendis prædiis aut reditibus annuis applicasset, &c. & nihilominus neglecto illo lucro in gratiam amici mutuam dederit, quo casu non inique aliquid ultra sortem petit creditor, ne officium suum, & beneficium alteri præstitum sibi damnosum sit *l. sed si quis 7. ff. Testam. quemadmodum oper.* Quamvis autem And. Gail. *lib. 1. observ. 6. nn. 2.* ex praxi Cameræ Imperialis non videatur admittere *Interesse lucri cessantis*, nisi in mercatore solito negotiari: communis tamen opinio est in contrarium, teste Canisio dicto *c. 1. n. 8.* Navar. *in Man. Confess. c. 18. n. 211.* nam eadem æquitatis ratio, quæ facit, ut mercator æstimare possit carentiam lucri, etiam in aliis omnibus militat, dummodo quantitas *interesse* hujus arbitrio boni viri æstimetur, & consideretur, lucrum speratum potuisse variis ex causis, & accidentibus incertum fuisse. 4

Interesse *damni emergentis* appellatur, quando creditor propterea aliquid exigit à debitore, quòd ob mutuatam pecuniam ipse non tantum lucro caruerit, sed insuper damnum aliquod in rebus suis passus; ut quia ob defectum pecuniæ domus non restaurata corruit; vel quia mutuavit frumentum, & cùm id suo tempore non redderetur, creditor interea coactus fuit alibi cariori pretio frumentum emere, &c. Ubi sanè debitor gravari non debet, ut creditorem indemnem servet, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur, *l. non debet 74. ff. de R. J.* & beneficium creditoris sibi ipsi damnosum sit. De utroque hoc interesse *lucri cessantis, & damni emergentis* textus est expressus: *in l. 3. §. ultimo ff. de eo, quod certo loco. l. un. C. de Sententiis, quæ pro eo, quod interest, &c.* Utrum autem interesse *lucri cessantis, & damni emergentis* in pactum deduci possit, aut peti, etiam si debitor in mora non fuerit, & nunquam pro solutione interpellatus, *in §. sequenti* dicemus, ubi sæpiùs de hac materia mentio incidet.

Post applicatam usuræ definitionem restat, ut videamus, quo jure usuræ prohibitæ sint. Et in primis contra Carol. Molinæum *in Tractatu de Commerciis n. 7. & 11.* pro certo tenendum est usuras etiam juxta moderationem juris Civilis exercere, esse peccatum, ita ut qui contrarium pertinaciter affirmare ausus fuerit, in eum, tanquam hæreticum, animadverti debeat juxta constitutionem Concilii Vienen. *in Clem. un. §. sanè h. t.*

Etenim ex communi DD. sententia usuræ non tantum Jure humano Ecclesiastico, sed etiam Divino, & naturali prohibitæ sunt: prout id expressè affirmat Pontifex 5

in

in c. 4. h. t. ubi dicit: quod *usuras utriusque testamenti pagina detestetur, &c.*

Quod igitur attinet ad Testamentum vetus, habetur *Deuter. 23. vers. 19. non fœneraberis fratri tuo* (id est, qui ejusdem fidei est, sicut Apostoli omnes Christianos appellarunt fratres *Act. 1. & 6. c.* & sæpiùs alibi) *ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Item *Ezechielis c. 18. vers. 8.* dicitur; *qui ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit; hic justus est, & vita vivet.* Denique *in Ps. 14.* legitur eum *habitaturum in tabernaculo Domini, qui ingreditur sine macula, operatur justitiam, loquitur veritatem, & pecuniam suam non dedit ad usuram.* In novo Testamento *Luc. 6. cap. vers. 35.* ait Christus, *benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes*, hoc est, nihil ultra, quam dedistis, lucri causa recipientes.

6 Verùm contra istos Scripturæ textus aliqua argumenta opponuntur, quæ breviter referemus, & resolvemus. I. In illo loco *Deuter. 23.* dictum est, *non fœneraberis fratri tuo, sed alieno*; ergo videtur consequens, usuras non esse malum intrinsecè, & Jure naturæ prohibitum, aliàs Judæis à Deo non fuisset concessum usuras erga alienos sive gentiles exercere, sicut extra bellum, & sine causa non licet occidere gentilem, & infidelem, cum occisio innocentis intrinsecè, & jure naturæ mala sit. *Resp.* duplicem adferri hujus objectionis solutionem: prima est, quòd Judæis olim concessum fuerit usuras exercere cum gentilibus ad vitandum majus malum, ne scilicet cum suis fratribus, & Judæis id facerent, sicut ex D. Thom. refert Canis. *d. cap. 1. num. 22.* aliquando enim inter duo mala, quorum utrumque evitari nequit, tolerari potest minus malum ad evitandum majus, non quidem approbando, sed dissimulando minus. Altera solutio, quæ magis mihi placet, est, quòd DEUS Dominus universi omnes gentilium facultates, & terras tradiderit in potestatem Judæorum, proinde cùm illas facultates potuissent gentibus per arma, & bellum auferre; poterant etiam per usuras, sicut *Exod. 12. cap.* eisdem Judæis concessum fuerit, ut Ægyptios spoliarent vasis argenteis, & aureis ac vestibus sibi commodatis. Quam interpretationem etiam probat Div. Ambrosius relatus *in c. ult. causa 14. q. 4. cui jure*, inquit, *inferuntur arma, huic jure indicuntur usuræ, sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici.* Est tamen advertendum, quod hoc sensu, & casu usura sumatur in generaliori significatione pro quolibet usu, vel lucro, non in specie quatenus est pactum illicitum, & malum intrinsecè; nam tunc *usura* peccatum est quando ex sola causa mutui aliquid ultra sortem accipitur; secus verò, si ex alia causa à mutuo separata, ut *jure belli*, teste D. Ambr. *in d. cap. ult.* & multò magis jure Dominii jam prius sibi à Deo addicti, quemadmodum etiam diximus, esse *usuras compensatorias*, in quibus ex causa *lucri cessantis, vel damni emergentis* aliquid ultra sortem exigitur, quæ *usuræ* quidem dicuntur, sed *peccaminosæ* non intelliguntur.

7 II. Opponitur alius locus apud *Lucam 19. c.* ubi Dominus reprehendit servum, quod pecuniam suam *non dederit ad usuram.* *Resp.* per hanc parabolam Christum non approbare usuras, sed tantùm referre factum hominum, eosque commonere, ut cum in istis lucris terrenis & perituris soliciti sint, multò magis debeant esse soliciti in fructu bonorum operum, & lucro vitæ æternæ, sicut etiam de villico defraudante, dominum suum similis parabola apud eundem *Luc. 16. c.* habetur.

III. Videtur, quòd ille textus *Luc. 6. c. mutuum date, nihil inde sperantes*; sit accipiendus tantùm de *consilio*, non autem *de præcepto* Evangelico: quia dare mutuum non est de præcepto, sed de consilio, & charitate. *R.* priorem partem hujus textus: videlicet: *mutuum date*, non esse quidem de præcepto) esse tamen partem alteram, *nihil inde sperantes.* Quòd debet colligi ex textibus veteris testamenti prohibentibus usuras, quos supra allegavimus. Nam Christus non venit *solvere legem, sed adimplere*, *Matt. 5. c. vers. 17.* Similis textus habetur *Ps. 75. vers. 12. vovete, & reddite Domino DEO vestro*, ubi prius verbum *vovete*, non est præcepti, sed posterius *reddite*, juxta illud *Deuter. 23. vers. 22. si nolueris polliceri, absque peccato eris; quod autem semel egressum est de labiis tuis observabis, & facies sicut promisisti Domino DEO tuo, &c.*

Quòd autem Jure Naturæ, sive naturali ratione usura illicita sit, probat Cov. *Var. Resolut. lib. 3. c. 1.* & cum 8
eo communiter DD. hoc argumento: vel enim creditor capit lucrum ex mutuo pro *ipsa sorte*, vel pro *usu* ejus, sed neutro modo citra iniquitatem potest lucrum capere. Non enim pro ipsa *sorte*: quia justitia commutativa, quæ in contractibus observatur, desiderat æqualitatem, & non permittit, ut pars contrahens plus reddere teneatur quàm accepit; ità in permutatione vel emptione pro equo valente in summo pretio centùm florenos, non potest accipi alius equus, vel quantitas pecuniaria centum imperialium. Similiter ergo & in mutuo pro centum florenis mutuo datis non licet accipere plus, quàm centum florenos. Sed neque pro *usu* sortis lucrum peti potest: quia usus vel utilitas cujuslibet rei pertinet ad dominum, mutuatarius autem efficitur dominus rei mutuatæ (mutuum enim inde nomen accipit, quòd *ex meo tuum fiat l. 2. §. 2. ff. de Rebus creditis*;) ergo ad mutuatarium, & non ad mutuantem *usus* pertinet. Et cum mutuum tantùm in pecunia, vino, frumento, & similibus rebus usu consumptibilibus consistat, usus ejus à domino sperari non potest. *L. hoc Senatus consultum 5. in fin. ff. de Usufructu earum rerum quæ usu consum.* Hinc est, quòd in contractu locationis, si v. g. alteri per annum locem ædes meas, vel agrum meum magis quàm in mutuo aliquid peti possit ultra restitutionem domus vel agri: quia in hoc contractu locator manet Dominus, & consequenter utilitas ex re sua à conductore percepta ad ipsum respicere debet. Præterea locatio est rerum talium, quæ permanentes usum, & utilitatem adferunt, pecunia autem ex sua natura sterilis est, ejusque usus in exponendo seu abusu consistit. Quod & Aristoteles Divina lege destitutus solo lumine naturæ agnovit, dum *1. polit. c. 7.* ait: *maximè præter naturam esse hunc acquirendi modum, ut in fœnore numus numum pariat.*

Si verò alicui istæ rationes nimis subtiles videantur, is apprehendat aliam, quam tradit Corasius *lib. 3. Miscel. c. 21. n. 7.* quòd usuræ ideò naturali æquitate inspecta illicitæ sint, cùm absorbeant egentium fortunas, dum hi in necessitate constituti pecuniis à fœneratoribus sub quacunq; lege acceptis tandem ad summam inopiam redigantur, nova semper debita contrahentes. Item, quòd iniquum sit, actum charitatis, & societatis humanæ, qui in mutui datione consistit, ad proprium lucrum, & alterius damnum convertere. Unde si quis objecerit contra priores rationes, creditorem saltem aliqua ratione comparari posse dominium retinenti, sicut *qui actionem ad rem repetendam habet, rem in suis bonis habere videtur. L. 15. qui actionem 15. ff. de R. J. l. id apud se 143. ff. de V. S. l. rem in bonis 52. ff. de Acquir. rer. dom.* Item quòd contractus ex conventione partium etiam contra vel præter ordinariam suam naturam legem accipiant *cap. contractus 85. de R. J. in 6. l. contractus 23. ff. eod. t.* Sanè difficilis erit responsio, nisi juxta hanc posteriorem rationem dicamus, allegatas Juris regulas non procedere, si exinde proximus contra æquitatem, & Christianam charitatem damnificetur, ita enim leges ex bono, & æquo interpretari oportet, ut sint conformes illi generali juris præcepto *alterum non lædere §. 3. Inst. de J. J. placuit 8. C. de Judic.*

Non relevat creditorem, si dicat, se debere interim carere pecunia cum periculo, ne fortassis debitor planè depauperetur, & nunquam restituat, atque ideò se non inique aliquid ultra sortem petere. Nam cum sit in arbitrio creditoris, an velit mutuare, nec ne, sola carentia pecuniæ, quæ ex ipsius voluntate processit, non est justus titulus ad aliquid ampliùs exigendum, nisi sit conjuncta cum interesse *lucri cessantis, vel damni emergentis.* Periculum verò amittendæ sortis aliquando quidem facit jus, ut rectè aliquid præter sortem petatur, sicut in *§. seq.* dicemus, sed id tunc demum, si per pignora aut fidejussores non possit creditori satis cautum esse; debet quoque cogitare, etiam retentam domi pecuniam non fuisse extra omne interiùs periculum.

Deinde etiam hic obiter notari potest, si quis à te roget 9
mutuum non causa necessitatis suæ, sed utilitatis quærendæ, volens honestam negotiationem instituere, prædia emere, & lucrum ac fructus ex hac pecunia quærere, poteris cum eo tale pactum facere, ut is præter pecuniam acceptam teneatur tibi aliquam partem lucri

reſtituere, & communicare; talis namque contractus in effectu eſt ſpecies *ſocietatis*, contractus de jure gentium liciti, in qua alter pecuniam, alter operam confert, *ſ. 2. Inſtit. de Societate*. Imò ſicut in multis contractibus *mutui* nomen non habentibus, cum gravamine tamen proximi initis, poteſt latere implicitum mutuum, & uſura, per ea quæ tradentur *in ſ. ſeq.* ita, cùm contrariorum eadem ſit ratio, ſub nomine *mutui*, præſertim à plebeis, & Jurium ignaris prolato, ubi proximi potiùs augmentum, quàm damnum quæritur, poteſt ſubeſſe implicitus alius contractus ſocietatis, emptionis, cenſus, &c. ut inferiùs ad finem Tit. dicemus.

10 Cæterùm cùm uſura Jure Divino, & naturali prohibita ſit, non poteſt ullo modo fieri licite, nec diſpenſatione Pontificis, qui non diſpenſat contra Jus Divinum, & naturale, *cap. ſuper eo 4. hoc tit.* Nec conſuetudine; quia Jus Divinum, & naturale ſunt immutabilia, *ſ. ſed naturalia 11. Inſt. de I. N. G. & C.* & diuturnitas temporis peccatum non minuit, ſed augmentat: ac multitudo peccantium non parit peccato patrocinium, *cap. ult. de Conſuetudine*. Nec favore piarum cauſarum, videlicet ob utilitatem Eccleſiæ, pauperum vel redemptionem captivorum, *dicta c. 4. h. t. c. 1. & ſeu cauſa 14. q. 5. immolantis enim ex iniquo oblatio eſt maculata, & dona iniquorum non probat Altiſſimus. Eccleſ. 34. v. 21.* Nec denique ex legibus, & ſtatutis Principum ac Dominorum ſecularium: quia nec ipſi in materia peccati aliquid contra Jus Divinum ſtatuere poſſunt. *Clem. un. h. t.*

Unde quamvis leges civiles permiſerint uſuras perſonis illuſtribus, & negotiatoribus cum quadam moderatione, ut ſcilicet maximæ uſuræ eſſent *duodecim pro centum*, idque ſolum in *fænore nautico*, ubi periculum erat mutuantis: communes verò uſuræ *octo*, *ſex*, vel etiam *quatuor pro centum*, ſicut *l. eos 26. Cod. h. t.* interpretatur Leſſ. *l. 2. c. 20. n. 33.* has tamen leges non excuſare à peccato (niſi quatenus intereſſe *lucri ceſſantis* vel *damni emergentis*, aut juſta ratio *periculi* concurrit) contra Carolum Molinæum loco ſupra citato communiter ſentiunt Catholici Doctores.

Sed iidem DD. concedunt, ad evitandum majus malum valere legem, quæ certum modum uſuris ſtatuat, non quòd exinde uſuræ licitæ reddantur, ſed ne uſurarii cum alio prætextu *lucri ceſſantis*, *damni emergentis*, *aut periculi* nimium à debitoribus extorqueant; prout hodie in Imperio paſſim uſitatum eſt, *ut 5. pro* 100. exigantur. Quare qui ſecundùm talem moderationem uſuras exegerit, in foro externo, quantùm ad pœnas non cenſebitur uſurarius, eò quòd præſumatur, has uſuras non eſſe merè *lucratorias* ſed *compenſatorias* lucri ceſſantis vel damni emergentis, cum quilibet ex 100. facilè annuatim poſſit 5. lucrari, ſi pecuniam emendis prædiis aut alteri honeſto negotio applicet.

Interim tamen, ſi pecunia reverà apud mutuantem fuiſſet otioſa, & *nihil ſua interſit*, eam mutuo dari, volunt plerique, talem in foro interno ſeu conſcientia (ubi non ex præſumptione, ſed ex veritate proceditur) haud eſſe immunem ab uſura, præſertim ſi debitor neceſſitatis cauſa, non lucri, & utilitatis, ſicut paulò ſuperiùs diximus, pecuniam mutuatam acceperit. Videatur Henric. Caniſ. *de Uſuris c. 1. n. 9.* Ubi ex verbis Receſſus Deputatorum Imperii Spiræ celebrati Anno 1600. & à Rudolpho II. confirmati demonſtrat, Jure Imperii 5. pro 100. tantum ex præſumptione *lucri ceſſantis*, *vel damni emergentis* permitti.

11 Prætereà *in c. 1. h. t. in 6.* graviter, & ſub cenſuris prohibet Pontifex, ne Chriſtiani, præſertim Eccleſiaſtici, in ſuis terris alienigenas exercentes uſuras habitare permittant; & mortaliter adverſus Juſtitiæ legem peccare Magiſtratus, ait Paul. Laym. *in Theolog. moral. lib. 3. tract. 4. c. 6. ſub n. 4.* qui Judæis, aut aliis, uſurarum licentiam dant cum obligatione ſeu pacto magni tributi ſolvendi, ex hoc enim cooperantur peccato uſurarum, & inde fit, ut ad ſolvendum iſtud tributum Judæi vel alii uſurarii uſuras augere, & pauperes magis opprimere cogantur.

12 Demum pro coronide hujus *ſ.* etiam inquirendum eſt, an non tantùm creditor peccet exigendo uſuras, ſed etiam debitor eas promittendo? Negativa ſatis evincitur ex *c. debitores 6. X. de Jurejur.* Ubi dicitur quòd debitor, qui ſub juramento promiſit ſolvere uſuras, teneatur hoc juramentum ſervare, quamvis poſtea authoritate Magiſtratus creditor compelli debeat, ut uſuras reſtituat. Unde ſubſumitur, obligatio, cui accedens juramentum validum eſt, & ſervandum, non eſt peccaminoſa, quia juramentum cum peccato, & contra bonos mores non eſt obligatorium juxta regulam 58. *juris in 6.* ſed huic obligationi, qua debitor promittit ſolvere uſuras, poteſt accedere juramentum validum, & ſervandum, ergo &c. Et quidem quòd debitor non peccet peccato uſuræ, res per ſe clara eſt, neque enim ipſe lucrum ex mutuo quærit cum alterius gravamine, ſed ipſemet gravatur, & alteri in re ſua lucrum concedit. Tota verò difficultas eſt, an non peccet debitor tanquam complex, & conſentiens peccato creditoris? nam ſi debitor uſuras non permitteret, creditor exigere non poſſet, Apoſtolus verò *ad Rom. 1. c. in fine* conſentientes peccato æquiparat peccatum facientibus. Nihilominus dici poteſt, illum conſenſum eſſe peccatum, qui non tam ex neceſſitate, quàm ex complacentia peccati procedit, vel qui eſt cauſa peccati in altero. At debitor promittens uſuras nec habet complacentiam in peccato uſurarum, vellet enim mutuum gratis accipere; nec movet creditorem ad uſuras exercendas, cùm is aliàs ita conſtitutus ſupponatur; ut ſine uſuris credere pecuniam nolit, ſed neceſſitate magis accipiendæ pecuniæ conſentit, veluti ſi latroni exigenti pecunias promittat, utique per hoc non dicetur peccaminosè in peccatum latrocinii conſentire.

ſ. II

De ſpecialibus quibuſdam Pactis, an ſint uſuraria?

SUMMARIA.

13 *An oporteat intereſſe in pactum deducere?*
14 *Propter periculum aliquando poteſt aliquid exigi ultra ſortem.*
15 *Explicatur* c. navigantis de Uſuris.
16 Montes pietatis *an uſurarii?*
17 *Diſputatio de pacto antichryſios.*
18 *Pactum de retrovendendo an licitum?*
19 *Olla fortunæ excuſatur ab uſura, & ab iniquitate, non tamen expedit Reipub.*
20 *Venditor ob dilatam ſolutionem an poſſit pretium augere?*
21 *Sitne licitum emere chirographa debitorum pro minore pecunia?*
22 *Examinatur prolixè contractus* cenſualis.
23 *In ſpecie de cenſu perſonali, & qualiter differat à mutuo.*
24 *De Cambio, & ejus lucro.*

QUæritur I. an intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis poſſit à creditore ſtatim tempore dati mutui in pactum deduci? Reſpondeo affirmativè: nam quòd juſtè poſſum exigere, poſſum etiam in pactum, & obligationem expreſſam deducere. Imò ſi creditor ab initio hoc intereſſe in pactum non deduxerit: ex poſtfacto non poterit id aliter ab invito debitore petere, quàm ſi debitor in mora fuerit, hoc eſt, ſi interpellatus à creditore (qui voluit alibi honeſtum lucrum quærere, vel damnum emergens præcavere) non ſolverit: aliàs enim debitor rectè excipiet, ſi ſciviſſet, tanti creditoris ob mutuatam pecuniam intereſſe, ſe, vel pecuniam ab ipſo non fuiſſe mutuam accepturum, vel certè interpellatum fuiſſe illicò ſoluturum. Si tamen mutuum ad certum tempus contractum ſit, tunc elapſo illo tempore, ſi debitor non ſolverit, hoc ipſo, & ſine alia interpellatione conſtituitur in mora. Nam dies interpellat pro homine. Laym. *dicto loco n. 16.* Navar. *in Manuali c. 18. ſub n. 211.* 13

Quæritur II. an, & quando ratione *periculi amittendæ ſortis* ſeu ſummæ capitalis mutuatæ poſſit aliquid exigi? Plurimi Doctores tam Recentiores, quam Veteres ſentiunt, res ſuas exponere periculo ob gratiam alterius eſſe pretio æſtimabile, cum nemo teneatur gratis pro altero curas ſuſcipere, & res ſuas jactare; proinde creditorem citra iniquitatem poſſe aliquid pro hoc periculo exigere, 14

ſi H-

si illud subeat mutuando debitori, & debitor vel non velit, vel non possit dare pignora, aut fidejussores in securitatem debiti. Less. *l. 2. c. 2. dub.* 13. Cov. Arrog. Major. & alii apud Salas *Tract. de Usur. c.* 22. *n.* 33. ejusdemqua sententiæ dicitur esse D. Thum. *Opusc. de Usur. c.* 10. Qua ratione etiam sustineri posset talis contractus, si quis alicui det centum florenos eo pacto, ut si Sacerdos factus fuerit, & beneficium obtinuerit, restituat centum, & decem florenos, sin minus, nihil teneatur restituere. Item si quis mercatori ultra mare eunti mutuet centum ea lege, ut si salvus redierit, reddat 120. si verò navis perierit, ipse, vel ejus hæredes nihil reddere obligati sint: dummodo in his, & similibus casibus verum, & probabile periculum sit amittendæ sortis mutuatæ, quodque periculum judicio prudentum virorum tanti valeat, quanti id æstimat mutuator, & pro eo ultra sortem petit.

15 Verùm contra hanc doctrinam pugnat expressus textus *in c. naviganti* 19. *h. t.* ubi dicit Pontifex: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecunia quantitatem, pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Diversi diversas excogitarunt hujus *cap.* interpretationes, ex quibus duæ mihi videntur præferendæ. *Prima* est, quod in hoc textu omissa sit particula, *non*, & legendum: *usurarius non est censendus*, quòd valde arguunt verba sequentia, dum ibidem statim subjungitur; *ille quoque, qui dat tu. solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensura reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus, vel minus solutionis tempore sint valitura, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari.* Ecce hic inprimis Pontifex per illam particulam collectivam, *ille quoque*, videtur inter hunc, & priorem casum paritatem facere, aliàs enim posuisset particulam aliquam adversativam, v. g. *ille vero*, aut *ille è contra*. Deinde in posteriori casu propter periculum minuendi valoris earum rerum, quas mutuatur loco pecuniæ stipulatus est sibi dari, excusatur ab usura, ergo etiam, & multò magis periculum amittendi totius capitalis ab usura excusabit, ubi enim eadem est ratio, eadem est juris dispositio.

Si verò alicui magis placeat servare verba, prout vulgariter in corpore Juris ponuntur, is dicere potest *secundò* textum *in d. c. naviganti*, accipiendum esse de eo, qui ut possit aliquid ultra sortem lucrari, non vult aliter mutuare, quam sub tali pactu recepti in se periculi, hic propterea usurarius saltem mentalis est, quòd cogat mutuatarium pecuniæ indigum tale pactum secum inire, qui fortassis mallet ipse periculum (quod sperat non adeo magnum futurum) subire, ne teneatur aliquid ultra sortem solvere. Ita hanc interpretationem ex Syl. Medina, & aliis adfert Less. *d. c.* 20. *n.* 116.

Quæritur III. Quid sint *montes pietatis*, & qua ratione ab usura defendantur? R. *Montes pietatis* in Italia, & aliis etiam locis esse usitatos, & dici ætaria publicè constituta, ut ad ea indigentes quasi ad *montem* rafugium habeant, ne magis ab aliis usurariis opprimantur. Nam ex his ærariis sive *Montibus* datur mutuum indigentibus ea lege, ut pro mutuo pignus relinquere cogantur, & intra certum tempus recepto pignore pecuniam mutuatam restituere, ac insuper exiguum aliquid adjicere: sin autem intra tempus præfinitum debitum solutum non sit, pignus vendi possit, ut detracta sorte, exiguoque illo adjectu residuum de æstimatione pignoris debitori restituatur.

16 Porrò, quia, ut dictum, debitor ex his *Montibus* accipiens mutuum tenetur præter sortem etiam aliquid saltem modicum adjicere, olim valde dubitabatur, an hoc institutum *Montium* non esset usurarium censendum? sed Leo in Conc. Lateran. *sess.* 10. una cum ipso Concilio hus *Montas* tanqoam pium institutum approbavit, concedens Indulgentias adjuvantibus, & erigentibus: prout in *Tom. Concil.* habetur. item Concilium Trid. *sess.* 22. *de Ref. c.* 8. 9. & 11. inter *pia loca* etiam *Montes pietatis* numerat. Ratio verò, quòd isti montes usurarii non sint, ea redditur, quod in iis ultra sortem aliquid datur non tanquam lucrum ex mutuo, sed pro sumptibus necessariis ad *Montis* conservationem pro stipendio ministrorum, qui *montem* administrant, & semper parati esse debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, custodienda, pro libris rationum cæterisque necessariis.

17 Quæritur IX. quid sit pactum *antichryseos*, & an citra usuram fieri possit? Resp. Antichrysim esse pactum inter creditorem, & debitorem, ut creditor tamdiù pignora uti, & fructus ejus lucrari possit, usque dum sibi pecunia mutuo data à debitore restituatur: *antichrysis* enim grecè significat *contrarium*, sive *mutuum usum* rei scilicet in pignus concessæ pro usu pecuniæ mutuo datæ. Textus, & DD. *in l. si pecuniam* 33. *ff. de Pignoratitia act.* & *l. si is qui* 11. *§.* 1. *ff. de Pignoribus*. De hoc igitur pacto magna est controversia an sit usurarium censendum? Enim verò pro negativa (quam sustinet Alciatus *lib.* 2. *d. un. c.* 3. & alii apud Mynsingerum *Cent.* 6. *observ.* 71. & And. Gail. *lib.* 2. *observ.* 3.) militant aliquot argumenta. I. quòd pactum *antichryseos* disertè approbetur *in d. l. si pecuniam* 33. & *l. si is qui* item *in l. si ea* 17. *C. h. t.* II. *in cap.* 1. *x. de Feudis* dicitur dominum lucrari fructus ex re feudali sibi à vasallo oppignorata. III. *in c. salubriter* 16. *h. t.* decidit Pontifex, quòd maritus pro dote uxoris sibi debita accipiens à socero pignus lucretur fructus hujus pignoris, & non teneatur ob fructus interim ex pignore perceptos minorem dotem acceptare. IV. nihil videtur continere iniquitatis, si creditor ex fructibus pignoris lucrum faciat propter culturam, & curam, quam in illis serendis, & colligendis impendit *arg. §. si quis à non domino* 35. *Instit. de Rerum divisione*, ubi dicitur, bonæ fidei possessorem ex re aliena lucrari fructus saltem consumptos propter culturam, & curam, quam rei alienæ adhibuit. V. denique, si creditor emeret pignus pro ea summa, quam mutuare vult, cum pacto, ut pro eodem pretio liceret debitori, quandocunque placuerit redimere, validum esset pactum, & creditor haberet rem, ex eaque fructus perciperet, usque dum sibi à debitore pretium redderetur, *l. 2. C. de Pactis inter empt. & venditor.* ergò si hoc licet creditori per pactum emptionis, licebit etiam per pactum *antichrysios*; vel enim utrumque est justum, vel neutrum, cum utriusque idem sit effectus, neque una via debeat permitti, quod alia prohibetur juxta regulam 84. *juris in* 6.

Verùm contraria sententia, & quod pactum *antichrysios* regulariter usurarium reputatur, apud Theul. cum D. Thom. Cajet. Soto, & aliis, ac Juris Canonici Interpretes hactenus prævaluit teste Hen. Canis. *de Usuris*, *c.* 5. *num.* 15. Paulo Laym. *dict. c.* 16. *num.* 17. quibus adstipulatur Panorm. *in c.* 1. *n.* 2. *h. t.* & Cov. *Var. Resolut. l.* 3. *c.* 1. *n.* 3. Fundamentum est in *c.* 1. & 2. *h. t.* ubi apertè deciditur, fructus pignoris sine usura non cedere lucro creditoris, sed imputandos esse in exonerationem sortis, quatenus deinde minuit sors, seu minus capitale restituatur, quo plures fructus ex pignore percepti sunt. Etenim ut præcedenti *§.* dictum, usura est, quidquid ex mutuo pretio æstimabile per pactum creditor lucratur, sed hic per pactum *antichrysios* mutuo accedens lucratur fructus pignoris, ergo &c. Huc enim facit *lex.* 1. 2. & 3. *C. de Pignoratitia actione*, ubi clarè constituunt Imperatores, *ut fructus pignoris in sortem imputentur*. item tamen hæc sententia declaranda est, ut fructus non possint cedere mero lucro creditoris: secus autem si quosdam fructus velit retinere jure compensationis, scilicet ratione *lucri cessantis, damni emergentis, suscepti periculi, vel expensarum in custodiendum pignus, vel colligendos fructus factarum*: non enim dicuntur fructus nisi deductis expensis, *l. fructus* 7. *ff. Soluto matrimonio*.

Ad argumenta superiùs in contrarium allata responderi potest, & quidem ad *primum*, *l. pecuniam*, *cum aliis citatis*, nihil relevare, eo quod leges Civiles permittentes usuras, ac usurarios contractus abrogentur per SS. Canones *Clem. unica h. t.*

Ad *secundum* dicitur, speciale esse in feudo, ut dominus ex eo sibi à vasallo oppignorato fructus lucretur, *per d. c.* 1. *x. de Feudis & c. conquestus* 8. *h. t.* quod, & idem de emphyteusi asserunt DD. dummodo interea vasallo servitia, si quæ ex feudo præstare debeat, emphyteutæ canon remittatur. Rationem verò specialitatis assignat Hostiensis, & Panor. *in d. c.* 1. quòd hæc sit natura feudi, & emphyteusis, quam habet ex prima sui institutione, conventione, vel consuetudine: cum enim in feudo, & emphyteusi *directum* dominium maneat penes dominum, & tantùm *utile* transeat in vasallum, & emphyteutam, per oppignorationem verò res tota revertatur ad dominū

videtur convenientiùs, ut ea potiùs ipsi domino, quàm alteri fructificet.

Tertium similiter singulare est, quòd maritus ex re pro dote uxoris oppignorata fructus lucretur, idque ob compensationem *lucri cessantis*; nam si dotem ipsam haberet, ex ea fructus omnes lucraretur propter onera matrimonii, quæ subire debet, *l. dotis fructum 7. ff. de Jure dotium*, ergo cum istud justum lucrum fructuum dotalium ob dotem non solutam marito absit, meritò compensationem facit ex fructibus rei pro dote debita oppignoratæ, prout idem facere posset creditor quilibet in pignore, si sua interesset ratione *lucri cessantis*, vel *damni emergentis*, ut dictum.

Ad *quartum* respondet Henr. Canis. *de Usuris c. 5. nu. 25.* quòd sibi imputare debeat creditor, qui *culturam*, & *curam* ex contractu illicito in rem alienam impendit, ut propterea idem creditor non *bonæ fidei*, sed *malæ fidei* possessori sit potiùs comparandus, qui ob culturam, & curam nullos prorsus fructus lucratur, sed universos restituere tenetur, *l. certum 22. C. de Rei vindicatione*, & licet fortè creditor fuerit in errore Juris putans, fructus pignoris posse ex pacto suo lucro acquiri, nihilominùs sciendum est, errorem Juris non prodesse acquirere, & lucrari volentibus, *l. juris 7. ff. de Juris, & facti ignorantia.*

Ad *quintum* dicendum est, inter emptionem pignoris cum pacto redimendi, & inter pactum *antichreseos* magnam esse differentiam. Nam si creditor pignus emerit, deponitur qualitas *creditoris mutui*, & *pigneris*, & emptor efficitur *Dominus*, & fructus lucratur jure *dominii* ex re sua. Et deinde re empta casu fortuito v. g. incendio pereunte non potest ampliùs repetere pretium, quia res perit suo dominio *tot. t. ff. de Periculo, & commodo rei vendita*, quæ omnia se aliter habent in pacto *antichreseos*, ubi creditor non efficitur dominus pignoris, & consequenter fructus percipit ex re aliena, atque pignore sine sua culpa pereunte nihilominùs pecuniam mutuatam repetere potest. Interim licet emptio cum pacto redimendi ordinario Jure permissa sit, *d. l. 2. C. de Pact. inter empt. & venditor.* & etiam *antichresis* hoc pacto, sicut & aliis titulis, ex quibus justè aliquid ultra sortem exigitur, cohonestari possit, teste Laym. *in Theolog. moral. lib. 3. tr. 4. c. 16. n. 17.* id tamen procedit, si omnia bona fide agantur, si nimirùm res justo pretio vendatur: & creditor non sit solitus usuras exercere cogens debitorem pecuniæ indigum ad talem contractum, aliàs non mutuaturus: nam ex modicitate pretii, consuetudine fœnerandi, & si rem intra certos annos non licuerit venditori redimere, aliquando emptionem cum pacto redimendi censeri contractum *usurarium*, & præsumi tantùm fictam emptionem, in effectu autem esse mutuum cum lucro ex pignore, textus sunt *in c. ad nostram 5. de Empt. & vendit. c. 4. de Pignoribus l. 3. C. plus valere quod agitur, &c.* & videri poterit Fach. *l. 2. Controv. c. 12.*

Similiter, si quis contenderet, antichresin posse reduci ad aliquem contractum *innominatum*, *de ut des*, *facio ut facias &c.* concedo tibi usum mei prædii, ut mihi concedas usum tuæ pecuniæ &c. id fortassis transiret, si nihil in fraudem usurarum attentaretur, & contractus *innominatus*, qui certam legem non habet, sed totus ex conventione, & *præscriptis* partium *verbis* dependet, & regulatur, *l. 3. & seq. ff. de Præsc. verb.* ita clausuletur, ut neutri parti gravis sit notabiliter, præsertim ratione periculi interitus à mutuo differat: possunt enim contractus innominati naturam nominatorum assumere *l. 5. ff. de Præsc. verb.*

19 Quær. V. utrum *olla fortuna* passim in Germania usitata contineat usuram, vel iniquitatem, si e. g. aliquis pro sex crucigeris extrahat schedam signatam, & is, qui præest ollæ, debeat ipsi dare rem valentem centum floren. ècontra, si alius imponat 30. floren. & pro illis meras schedas vacuas recipiat?

Respondeo, ollam fortunæ satis probabiliter ab *usura*, & *iniquitate* defendi posse; ab *usura* quidem, quia non intervenit contractus *mutui*, in quo solo propriè committi usuram superiùs in §. 1. diximus: etenim hæc olla fortunæ non immeritò ad contractum emptionis, & venditionis revocari potest, in quo pecunia pro pretio; & spes rei accipiendæ pro merce sit, prout *in l. nec emptio 8. §. aliquando ff. de Contrahenda emptione*, *aliquando*, inquit J. C. *sine re emptio intelligitur*, *veluti cum quasi alea* (id est casus, fortuna, vel eventus dubius) *emitur*, *cum captus piscium*, *avium*, *vel missilium emitur*, *etiam emptio contrahitur*, *etsi nihil inciderit*, *quia spei emptio est*, & hinc qui v. g. à piscatore vel aucupe pro imperiali emerit, quod media die capturus est, tenetur solvere pretium, etsi nihil captum sit, & è converso piscator, & auceps tenetur tradere, quod capit, etsi longè pluris æstimetur. *Ab iniquitate* quoque defendi potest *olla fortuna*, dummodo de cætero fraudes in signatione, impositione vel extractione schedarum non committantur; quia in ea pretium non metimur secundùm valorem rei extractæ, sed juxta spem, & incertitudinem lucri vel damni. Verùm licet *olla fortuna* in se, & cæteris quibus nec *usuraria nec iniqua* sit, quia tamen non longè ab est *à lusu alearum*, qui prohibetur *in tot. ff. de Aleatoribus*, & multæ circa eam fraudes committi possunt, atque curiosi pecunias prodigunt, illi verò, qui erigunt ollam, pecunias extra civitatem, & provinciam avehunt, ideò à prudentibus Magistratibus non semper tales *olla* tolerantur.

Quær. VI. Utrum usuram committat, qui rem cariùs vendit propterea, quòd pretium non statim numeretur, sed ejus solutio in aliud longius tempus differatur? R. cum Pan. & aliis *in cap. in civitate 6. h. t.* talem contractum in foro quidem externo rarius censeri nomine *usurarum*, cum non sit formale mutuum, in quo solo propriè usura committitur, in foro tamen interno sæpius esse *usuram* eò quòd hæc venditio saltem in effectu, & implicitè contineat in se mutuum, & venditor censeatur *brevi manu* pretium emptori usq; in tempus solutioni destinatum sub usuris credidisse, & mutuasse: sicut tamen aliàs in mutuo propter *lucrum cessans*, vel *damnum emergens* potest aliquid in ultra sortem accipi, ita etiam in hoc venditionis contractu poterit venditor rem pluris æstimare, si sua interest pretium non statim persolvi. Et preterea si dubium sit an res vendita tempore solutionis sit plus, vel minus valitura, & venditor non fuisset eam prius venditurus nisi in singularem gratiam emptoris, propter istud dubium etiam venditor ab usura excusatur in dicto *c. 6. & c. ultime vers. ille quoque h. t.* 20

Quær. VII. An usurarius, vel illicitus sit contractus, si quis alienum debitum, nomen, seu Chyrographum emat, aut sibi cedi faciet pro minore quantitate, quàm in se contineat verb. grat. si pro debito 1000. flor. numeret 600. 21

R. In primis satis tum jure, tum usu receptum esse, credita, seu (ut Juris periti appellant) *Nomina*, & Chyrographa tanquam mercem idoneam posse in contractu emptionis deduci etiam invito debitore, *l. nominis 3. C. de Hereditate vel actione vendita l. 1. C. de Novat.* dummodo sint debita *liquida*: nam alienas lites, & debita illiquida seu controversa, & litigiosa emere severè in Jure prohibitum est. Tex. & Interpp. *in l. per diversa 22. & l. ab Anastasio 23. C. Mandati t. t. C. de Litigiosis* Pan. *ad c. fin. x. de Alien. jud. mut. caus. facta* Vvesenb. *ad t. t. ff. de Hered. vel act. vendit.* Et quidem si in ejusmodi debitis ambigua (de facto, non de Jure) aut difficilis sit executio solutionis, ita ut pecunia sine molestiis, vel sumptibus à debitore acquiri non possit, vel si in favorem venditoris expositum pretium potuisset emptor aliorsum cum majori lucro applicare, & sic *lucrum cessans*, vel *damnum emergens* cum tali emptione concurrat, omnes consentiunt, quòd debitum arbitrio boni viri consideratis omnibus circumstantiis possit etiam longè minoris emi, quàm in se contineat.

Verùm si debitum facilè obtineri possit, nec propter pratium aliquid *intersit* emptoris, non est una omnium sententia, an tale debitum minoris emere liceat? R. esse distinguendum, an facilitas solutionis proveniat ex qualitate ipsius debiti, ut quia debitor semper paratus est illud solvere; vel an tantùm ex qualitate emptoris, ut quia is ex speciali Principis gratia, vel alio singulari medio solutionem obtinere potest, quæ aliàs ægrè obtinetur.

Primum casum magis speculativum, quam practicum censet Card. Lugo *de J. & J. tom. 2. disp. 26. sect. 7. §. 5. num. 96.* quòd vix contingat debitum emi sine omni difficultate exactionis, periculo, vel interesse, si tamen contingeret, ut v. g. creditor pecuniæ indigus ob repentinum discessum, vel aliud repentinum accidens mox

à de-

à debitore habere non posset, ideoque alteri pro parata pecunia suum creditum liquidissimum venderet, ipse putarem tutius fore in conscientia, non licere tale debitum minoris emere, sicut cum Medina, Sylv. & aliis docet Lessius *de J.& J.l.2.c.21.n.75.* nam inter mercem, & pretium debet esse æqualitas, non est autem æqualitas si v.g. pro 100. dentur 90. & aliàs multæ usuræ palliari possent, si usurarius diceret, se nolle mutuare, velle autem ab illo, qui mutuum petit emere chyrographum 100. flor. pro 90. & sic in effectu nihilominus 10. pro 100. lucraretur. Non est tamen omninò erroris damnanda altera sententia, quæ concedit aliquando modicè minus pretium dari: quòd communi hominum æstimatione minus valere censeatur pecunia futura, quàm præsens, sicut minus est, actionem habere, quàm rem, *l. minus. 204. ff. de R. I.* neque emptio sine omni prorsus commodo celebrari solet: Innoc. & Panorm. *in c. in civitate 9. h. t.* Nav. *in Man. c. 17. n. 230.*

In secundo casu, quando facilitas solutionis per accidens provenit ex persona emptoris, existimat Less. *d. l. n. 76.* & Molina *de J. & J. tract. 2. disp. 361.* posse debitum emi citra injustitiam secundùm illam æstimationem, quam considerata difficultate solutionis communiter apud alios, & in foro habet: illud enim justum rei pretium censetur, quod communiter apud homines æstimatur; sicut in simili, qui gemmam sine omni suo labore, & sumptu inventam, aut donatam accepit, potest absque injustitia eam tanti vendere, quanti communiter solet vendi ab iis, qui similes gemmas magnis sumptibus conquirunt. Fatetur tamen Lessius sæpe peccare tales emptores saltem contra charitatem (quod etiam grave peccatum est, quamvis ordinariè ad restitutionem non obliget) si miseris, & indigentibus hominibus non majus pretium persolvant, cum ipsi nonnunquam ingens lucrum reportent. Item Officiales Principum, qui se in solutionibus debitorum difficiles exhibent, & ita indirectè cogunt creditores ad sua debita vili pretio vendenda, quæ ipsi coemunt, haud dubiè graviter contra justitiam peccant, & ad restitutionem obligantur. Less. *d. l.* si enim possunt sibi solvere, poterunt utique, & aliis, quibus ex justitia debetur, & si creditores velint ultrò propter publicam necessitatem aliquid remittere, profectò justius est, ut illa portio remissa accrescat ærario Principis pro publico bono, ne subditi gravioribus contributionibus onerentur.

Quid ergò, si creditor velit suum creditum minoris vendere, poteritne ab ipso debitore, sive is princeps sit, sive alius, minori pretio emi? R. Si debitor ipse sit causa difficilis solutionis, utique sine iniquitate, & onere restitutionis emere minoris non poterit; secus verò, si propter inopiam, aut alium casum totum solvere nequeat: tunc enim non apparet, cur debeat esse deterioris conditionis, quàm quilibet alius extraneus, Nav. *d. l.* Less. *d. l. n. 70.*

Advertendum tamen, si in præmissis casibus, & juxta dicta aliquid contra Charitatem, vel justitiam peccetur, hoc peccatum non statim esse reducendum ad usuras, & usurarum pœnas: quia in *emptione*, & non in *mutuo* committitur, per tradita superiùs *§. 1. n. 2.* nisi in fraudem usurarum mutuum tali aliquo contractu pallietur.

22 Quæritur VIII. quid sit *contractus censualis*, an & quando *usurarius* judicandus? *Census* veteri Jure Romano à *censendo*, seu æstimando dicebatur æstimatio patrimonii subditorum, unde tributum Cæsari, vel Magistratui solvere tenebantur, *l. forma 4. ff. de Censibus l. 2. & 3. C. eodem*, sed & ipsum quoque tributum *census* vocabatur juxta illud Matth. 22. *licet ne censum dare Cæsari &c.* De jure vero Canonico, & ad propositum *census*, vel *contractus censualis*, est jus per emptionem, aut similem contractum acquisitum reditus annuos ex re, vel industria aliena provenientes percipiendi. Dico, ex *re*, vel *industria*: nam *census* dividitur in *realem*, & *personalem*. *Realis census* est, qui fundatur super certa re una, vel pluribus, e.g. si à Tertio emam jus percipiendi illos reditus, quos ipse annuatim ex domo, vel prædiis suis percipit. Quare hic census, cùm realis sit, & rei inhærens, comitatur rem, ad quemcunque possessorem deveniat, sicut servitus, vel aliud onus reale.

Personalis census est, qui fundatur super certa persona, quæ se obligat ad annuam pensionem, non tam respectu certæ rei, quàm potiùs respectu lucri acquisiti ex propria industria, puta, si illa persona exerceat negotiationem, opificium aut artificium: nisi quòd subinde ad debiti securitatem certus fundus hypothecæ subjiciatur, non tamen cum jure, ex illo fundo fructus percipiendi.

Uterque census tam *realis* quam *personalis* plerumque solet habere pactum *redimendi*, ut scilicet ille, qui censum ex re, vel industria sua vendidit, possit hunc censum rursus redimere, si emptori pretium pro venditione census acceptum denuò restituat. Imò frequenter census ex *utraque parte redimibilis* constituitur, ita ut non tantum venditor possit restituto pretio censum redimere, & se, vel res suas ab hoc onere liberare, sed etiam ipse emptor possit venditori rursus jus suum cedere, ab eòque pretium pro censibus datum petere.

Verùm quia talis contractus censualis prima fronte nihil videtur differre à mutuo sub usuris contracto, quia & in mutuo debitor mutuum acceptum pro libitu restituere, & creditor illud repetere potest, interim usuræ annuæ, & pensiones ex mutuo præstandæ sunt, ideo inspiciendum est, utrùm tales contractus censuales sine peccato usuræ sustineri valeant?

R. Itaque I. Censum *realem* ex parte solius venditoris redimibilem esse contractum licitum, & non usurarium, per expressam declarationem Pontificiam *in extravag. 1. & 2. de Empt. & vend. inter com.* dummodo census eo pretio ematur, quod consuetudo loci, vel Magistratus justum decrevit, prout consuetudine Germaniæ receptum, ut 5. floreni annui reditus emantur pro centum florenis.

Est etiam inter hunc *contractum censualem*, & inter *mutuum* notabilis differentia, quæ ex communi DD. sententia apertè colligitur in citatis *Extravagantibus*: nam in *mutuo* bonis, & facultatibus debitoris casu aliquo pereuntibus nihilominus pecunia mutuata cum usuris repetitur: at verò in *contractu censuali*, seu emptione census *realis*, si res, ex qua reditus annuus, sive census emptus est, intereat, census quoque, & facultas repetendi pretium interit.

Similiter si propter sterilitatem, aut aliam causam res censualis non tantos fructus proferat, ut integræ pensioni sufficiant, non tenetur debitor, seu venditor census totum censum solvere, nisi antecedentium, aut subsequentium annorum fertilitas talem sterilitatem compenset. Cujus ratio est, quòd hic contractus emptionis sit, emptione autem perfecta periculum in re empta contingens ad emptorem pertineat, *toto t. ff. de Periculo, & commodo rei venditæ*.

Non etiam obstat, quòd contra hunc contractum censualem objici solet, nimirum esse contra naturam pecuniæ, & emptionis ut una pecunia alia pecunia ematur: cùm pecunia sit tantùm pretium ad alias res comparandas; item emptionem esse tantùm de re præsenti, in contractu autem censuali hic, & nunc nulla res præsens sit, quæ ematur: nam dicendum est in contractu censuali non emi pecuniam tanquam mercem, sed jus percipiendi pecuniam, prout etiam alia jura incorporalia rectè emuntur, & venduntur. Unde quia istud jus futuris temporibus percipiendi pecuniam statim tempore emptionis à venditore conceditur emptori, ideò hoc respectu satis res empta præsens dici potest; veluti, & fructus in agris, partus ex animalibus in futurum nascituros jure vendi probatur ex *l. nec emptio 8. ff. de Contrahenda emptione*.

Quod si census *realis* non tantùm ex parte venditoris, sed etiam emptoris, & sic *utrinque redimibilis* constituatur, adhuc tamen non improbabiliter ab usura defendi potest. Contractus enim ex conventione legem accipiunt. *c. contractus. 85. de R. J. in 6.* & illæ differentiæ inter mutuum, & realem contractum paulò ante enumeratæ adhuc permanent.

Verum quidem est quòd ex constitutione Caroli V. in Comitiis Augustanis facta sub titulo, *de Usurariis contractibus*, ad censum licitum requiratur, ut ejus redemptio non sit in arbitrio emptoris, sed solùm venditoris: nihilominùs id intelligi potest, quòd in foro externo

no nonnunquam ex tali pacto usura, & *palliatum mutuum* præsumatur, quæ præsumptio non habet locum in foro interno, si omnia bona fide agantur, & periculum intereuntis rei censualis penes emptorem maneat. Præterea similes conditiones quatenus ea prohibent, quæ Juri naturali non adversantur, non ubique esse receptas asserit Paulus Laym. *in Theol. moral. l. 3. tract. 4. c. 18. sub n. 6.* Attamen in loco ubi non esset consuetudo censum utrinque redimibilem constituere, tutius foret à tali contractu abstinere propter illam fori externi præsumptionem, & scandalum aliorum, ac periculum usurariæ intentionis.

23 R. II. Censum quoque *personalem*, præsertim à solo venditore *redimibilem* (probabiliter etiam *utrinque redimibilem* per ea, quæ mox de censu *reali* diximus) ab usura plurimi DD. defendunt: si enim aliæ præstationes super sola personæ industria constitui possunt, prout fit in tributo Magistratui solvendo in decimis personalibus, in contractu societatis &c. non apparet ratio, cur idem in censu *personali* fieri nequeat, cùm de æquivalentibus idem sit judicium. *L. ult. ff. Mandati*. Differt autem hic contractus à mutuo. 1. Quòd constitui non possit, nisi cùm tali persona, quæ ex sua industria lucrum facit. 2. Si ex causa persona censualis lucrum facere ampliùs non valeat, pensiones quoque annuæ ampliùs non solvantur. 3. Si census ex parte solius venditoris *redimibilis* fit, iterum differt à mutuo, quia mutuum non tantùm debitor sponte solvere, sed etiam creditor ab invito debitore petere potest.

Imò non desunt magni nominis DD. qui censum *personalem*, & *realem* constitui posse affirmant cum *pacto assecurationis*, ut nimirùm venditor suscipiat in se periculum interitus, & re censuali pereunte, vel lucro ex industria personæ sine culpa ejus cessante, venditor non quidem annuos census persolvere, sed tamen capitale, seu pretium census restituere teneatur dummodò hæc obligatio venditoris ipsi alio modo compensetur scil. pretium census augendo, vel quod in effectu idem est, minorem censum exigendo. Ita namque in aliis contractibus aperto Jure concessum est, ut contra naturam contractus periculum ex speciali pacto ad alterum pertinere possit, puta in commodato ad commodatarium, in deposito ad depositarium, *c. unico. de Commodato l. 1. §. 6. ff. Depositi*. Verum contra hunc *censum personalem*, & pactum *assecurationis* adducitur Bulla Pii V. quæ incipit: *Cum onus Apostolicæ servitutis*, cui tamen similis responsio aptari potest, quæ superiùs circa constitutionem Carolinam data est. Prolixiùs hanc materiam *de Censibus* tractat Laym. *d. l. c.* 18. & Cov. *Variar. Resolut. l. 3. cap.* 7. Henr. Canis. *de Usur. c.* 11. Lessius *de I. & I. lib. 2. c.* 22. aliique apud eos citati.

24 Quæritur IX. & ultimo, quid sit *cambium*, & quo titulo ex eo lucrum acquiri possit? Negotiatio ista pecuniaria, quæ *cambium* dicitur, passim nota, & usitata, nihil est aliud, quàm permutatio pecuniæ pro pecunia, in qua ille qui rogatur, ut pecuniam commutet, *campsor*, ille verò qui rogat, & ad cujus gratiam pecunia commutatur, *Campsarius* appellari solet: prisco enim vocabulo *cambire*, vel *campsare* idem quod permutare significabat, sicut ex Prisciano refert Cov. de *Collatione veterum numismatum c. 7. n. 4.* Licèt verò etiam in *mutuo* pecunia pro pecunia detur, id tamen non fit causa permutationis, neque statim tempore contractus in mutuo, sicut in Cambio pecunia unius datur pro pecunia alterius, sed solus creditor numerat pecuniam, ut in futuro, vel eandem, vel aliam ejusdem generis, & bonitatis recipiat, cum ergo *cambium* à *mutuo* differat, consequens est, quòd lucrum ex cambio quæsitum nomine *usurarum* censeri non debeat, nec usurarum pœnis subjaceat. Videamus tamen breviter, ex quibus caussis aliquod lucrum citra iniquitatem ex *cambio* percipiatur.

Est autem præsciendum, *cambium* dividi in *manuale*, sive minutum: & in *cambium locale*. Cambium *minutum* seu manuale dicitur, quando pecunia unius formæ, aut materiæ, permutatur cum pecunia alterius formę, aut materiæ, v. g. crucigeri, aut sestertii pro taleris, vel aureis, moneta Germanica pro Italica, Hispanica &c. Dicitur *minutum*, quia plerumque minor moneta commutatur pro majore, & *manuale*, quia statim in eodem loco, & tempore de manu ad manum vicissim pecunia numeratur.

Locale cambium est quando pecunia præsens commutatur cum pecunia distante in alio loco, quòd eum ordinariè per litteras fieri soleat, per quas campsor mandat suo correspondenti, ut campsario certam pecuniæ quantitatem, quàm ipse campsor jam hic Salisburgi accepit, numeret Romæ, ideò etiam *cambium per litteras* appellatur. Idque præcipuè ob utilitatem itinerantium inventum est, ne cogantur pecunias cum magno periculo, & incommodo secum continuò deferre.

Porrò in *cambio minuto*, si v. g. aurei pro crucigeris commutandi sint, solent campsores aliquid auctarii loco exigere, & frequenter pro quolibet aureo sestertium vel grossum. Causas hujus exactionis DD. aliquot allegant: *prima* est locatio operæ, & obsequii, siquidem campsor debeat semper paratas habere diversi generis pecunias, quemlibet ad cambium in suam domum intromittere, inde se, & famulos hujus negotii expertos alere. Quod maximè procedit circa campsores, quibus obligatio tale cambium exercendi pro publica hominum utilitate à Magistratu imposita est. *Secunda* causa est *lucrum cessans*, vel *damnum emergens*, ut si campsor proposuerat numos aureos aliò deferre, ubi pluris valent, & alibi merces emere, ubi alia moneta longe cariùs emuntur, &c. *Tertia*, puritas materiæ, quia communi hominum judicio imperialis, vel ducatus purus, nihil habens de cupro admixtum pluris æstimatur, quàm moneta impura. Nec obstat, quod quidam opponunt, æstimationem materiæ non esse in potestate subditorum, sed principis monetam cudentis. Nam respondetur numos alio modo æstimari à Principe, & alio à subditis: à Principe quidem numi *formaliter* considerantur, ut numi sunt, & quatenus mensura rerum venalium, & solutionis debitorum: à subditis verò in cambio, & commutatione *materialiter*; & ut res sui patrimonii, quæ in se meliores, vel deteriores sunt. Hinc etiam pro *quarta* causa assignant antiquitatem, raritatem, commoditatem conservandi, numerandi, vel deferendi monetam. *Quinta* demùm esse potest, usus seu expendibilitas, ut si in aliquo loco commutentur numi, qui possunt ibi expendi cum iis, qui expendi non possunt, isti enim cùm non habeant ibi pretium, vel valorem, minoris æstimantur.

Sed & in *cambio locali* campsores aliquod lucrum facere consueverunt, ita ut si in exemplo campsarius hic Salisburgi numeraverit campsori centum imperiales; Romæ tantùm accipiat nonaginta quinque, & quinque cedant lucro campsoris.

Hoc verò lucrum, dummodò usitatum in aliquo loco cambii modum, qui communi hominum æstimatione non reputetur iniquus, non excedat, communiter defendunt DD. Imprimis enim campsores pro itinerantium utilitate solent ad hoc operas suas locare, famulos, & scribas alere, libros rationum tenere, aliosque sumptus facere. Deinde campsor virtualiter saltem transfert pecuniam de loco ad locum, & liberat campsarium ab onere, sumptibus, ac periculis, quæ ipse in transferenda pecunia subire deberet, quod obsequium meritò pretio æstimabile censetur. Plura de cambiis videri poterunt apud Less. *de I. & Iust. lib. 2. c.* 23. ubi difficultates plerasque circa cambia satis exactè pertractat.

---

§. III.

De Restitutione, & Pœnis Usurarum.

S U M M A R I A.

25 *Obligatio restitutionis incumbit usurariis etiam mentalibus.*
26 *Cur, & an non idem in simonia mentali?*
27 *Jure Canonico etiam heredes tenentur restituere.*
28 *Excusatio à restitutione.*
29 *Res empta ex pecunia usuraria non est restitutioni obnoxia, nisi deficientibus aliis mediis.*

30 *Con-*

30 *Contra tertium Possessorem non datur actio.*
31 *Alia pœnæ usurariorum.*
32 *Parochi sine judicio Ordinarii non debent aliquem usurarium condemnare.*
33 *Oblationes quando recipiendæ ab usurariis.*
34 *Ad sepulturam non recipiuntur nisi præstita satisfactione, vel cautione.*
35 *Nec testamenta eorum valent.*
36 *Jurium imperiti, qui juxta communem modum sub nomine mutui accipiunt aliquid ultra sortem, qualiter frequenter ab usura excusari possint.*

25 Sicut quilibet iniquus rei alienæ detentor ad restitutionem tenetur, nec absolvitur peccatum nisi restituatur ablatum *c. peccatum 4. de R.J. in 6.* ita etiam usurarii ante omnia cogendi sunt ad restitutionem eorum, quæ per usuras contra Jus naturale, Divinum, & humanum acquisiverunt. Et cùm usura rapinæ instar sit, *cap. si quis usura 10. causa 14. q. 4.* ideò usurarii in utroque foro, tam interno quàm externo ad restitutionem adigi debent. In foro tamen externo non aliter quis ad restitutionem cæterasque usurariorum pœnas condemnandus est, quàm si fuerit usurarius manifestus, scilicet per rei evidentiam, confessionem judicialem, aliasve legitimas probationes convictus: Ecclesia enim, & alii Judices externi non judicant de occultis, ne quandoque innocentes pro nocentibus puniantur, *c. cum tua 5. h. t. l. ult. C. de Probationibus.* In foro autem interno nulla opus est probatione, sed sua quemque conscientia arguit. Hinc etiam non tantùm realis usura, quæ aperto usurario pacto commissa est, sed & sola *mentalis* in conscientiæ foro ad restitutionem obligat, per textum, & Doctores in *c. consuluit 10. h. t.* Dicitur autem *mentalis* usura, quando creditor non fuisset aliter pecuniam daturus indigno debitori, nisi ipse debitor vicissim, vel sine omni pacto externo, vel ex pacto aliquo simulato, quoad externam speciem non usurario, creditori concessisset. Exempla desumi possunt ex *§. 1. versiculo Dico quarto*, & ex *§. 2. q. 2.* & secunda interpretatione *c. naviganti*, & ex eodem *§. 2. q. 4. in responso ad quintum argumentum.*

26 Verùm hic non levis est difficultas, quare in *simonia mentali* sufficiat sola pœnitentia, & dolore erga Deum illud peccatum expiare sine restitutionis obligatione, ut communiter tradunt Interpretes *in c. ultimo de Simonia*, & non similiter *in usura mentali*? Inter varias explicationes, quas adferunt DD. illa videtur captu facilior, quam refert Barb. *in d. c. consuluit n. 4.* quòd in *usura mentali* injuria fiat debitori, qui invitus, & necessitate coactus solvit: In *simonia* verò *mentali*, quæ sine expresso pacto fit, plerumque ille, qui pro spiritualibus aliquid temporale offert, non fit necessitate constrictus. Imò si ponatur casus, ut v. g. Clericus in necessitate constitutus non possit aliter impetrare beneficium ad sui sustentationem, quàm si liberalem obligationem faciat Episcopo, tunc, vel patrono aliàs sibi non collaturo, æque restitutionem faciendam esse in *simonia* hac *mentali*, quam in *usura mentali* non improbabiliter docet Dominicus Sotus *de Justitia, & jure lib. 9. q. 8. articulo. 1.* Neque etiam ex textu *d. c. ult. de Simonia*, qui obscurior est, & diversas interpretationes admittit, contrarium evincitur.

27 Cæterùm restitutio usurarum, vel debitoribus per usuras læsis, vel hæredibus eorum, aut in istorum omnium defectu pauperibus facienda est, *d. c. cum tu. 5. h. t.* Ex adverso quoque non tantùm ipsi usurarii, sed etiam hæredes eorum, usuras restituere tenentur. Quamvis enim de jure Civili hæres non teneatur ex delicto defuncti, nisi quatenus ex illo delicto ad hæredem pervenit, & inde locupletior factus est, vel si lis cum defuncto contestata fuerit, ut tunc non tam ex delicto, quàm ex quasi contractu litis contestatæ conveniatur, *l. unica C. ex delictis defuncti in quantum hæred. conven.* De jure tamen Canonico hæres ad exonerationem conscientiæ defuncti tenetur pro viribus hæreditariis omnibus illis satisfacere, quibus defunctus damnum intulit, licèt ex illo damno hæreditas aucta non sit, *c. ult. de Sepulturis c. in litteris 5. de Raptoribus.* Et cùm hæc res salutem animæ concernat, & naturalis ratio suadeat, ut contra justitiam læsis damnum ex bonis ipsius lædentis compensetur, ideò hanc constitutionem Juris Pontificii etiam in terris Imperii observandam esse non attenta lege civili, rectè docet Henric. Canis. *de Usuris c. 7. sub n. 4.*

Ab hac tamen restitutione excusat notoria paupertas usurarii, vel hæredum ejus, usque dum ad pinguiorem fortunam deveniant, *l. nam is nullam 6. ff. de Dolo*, & *d. c. 5. h. t.* Item si debitor ipsemet solitus sit usuras exercere, non audietur contra suum creditorem restitutionem usurarum petens, nisi & ipse prius aliis, cum quibus usuras exercuit restitutionem fecerit, nam frustra legis auxilium invocat, qui in legem peccavit, *c. quia frustra 14. hoc tit.* 28

Sed quid si creditor ex pecunia usuraria domos, vel prædia emerit, anne hæc tanquam sua debitor, vel hæres ejus petere poterit sicut potuisset ipsam pecuniam usurariam? Resp. De jure rem non succedere in locum pecuniæ, proptereà qui ex aliena pecunia etiam inscio, vel invito Domino rem aliquam emit, sibi acquirit hujus rei dominium, non alteri cujus pecuniæ fuerunt nisi quòd ei aliam pecuniam reddere teneatur; per textum expressum *in l. qui aliena 8. C. si qui alteri, vel sibi &c. & l. si ex ea 6. C. de Rei vindicatione.* Si tamen creditor non habeat alia media satisfaciendi debitori propter usuras, tunc cogetur talia bona, vel in solutum dare, vel vendere, & de pretio usuras malè acceptas expensare, *d. c. 5. h. t.* 29

Quòd si talia bona jam in tertium alienata sint, contra hunc tertium possessorem probabilius debitori nulla actio competit; non *personalis*, qui cum eo nihil contractum fuit; nec etiam *realis hypothecaria*: quia non habemus legem, quæ hypothecam in tali casu concedet nisi fortassis debitor, cum quo usura exercita, pupillus, aut minorennis fuerit, qui aliàs in re ex pecunia sua comparata tacitam hypothecam habet, *l. idem quæ 7. ff. Qui potiores in pignore*: vel Ecclesia, quæ jure minoris utitur, *c. 1. De in integrum restit.* vel nisi alienatio in tertium facta sit in fraudem debitoris, cùm creditor usurarius sciret se aliunde debitori per usuras læso satisfacere non posse: tunc enim res alienata revocabitur, secundùm ea, quæ traduntur *in toto t. ff. Quæ in fraudem creditorum.* Covar. *Variarum Resolutionum lib. 3. c. 3. sub n. 6.* 30

Præter obligationem restitutionis aliæ quoque pœnæ in usurarios constitutæ sunt. Ut I. Infamia Juris, *l. improbum fœnus. 20. C. Ex quibus caus. infam. irrogetur.*

II. Privatio officii, & depositio in Clerico usurario, *c. 1. & seq. 14. q. 4.* poterit tamen Episcopus post restitutionem, & peractam pœnitentiam cum tali Clerico dispensare, *c. at si Clerici 4. §. de adulteriis. de Judiciis.* Gloss. *in c. præterea 7. 2. suspendas. h. t.* 31

III. Laicos usurarios Episcopus excommunicare potest, & prohibere, ne eorum oblationes tanquam malè quæsitæ in Ecclesiis recipiantur, sub pœna, ut Ecclesiastici tales oblationes recipientes ab officio suspendantur, & ad restitutionem acceptorum teneantur, *c. 3. & c. præterea 7. h. t.* quòd tamen intelligendum est, si aliquis usurarius manifestus sit, aut tanquam usurarius in judicio convincatur, & si appareant illi quibus per usuras damnum datum est: aliàs in dubio absque declaratione Episcopi à privatis Parochis nemo tanquam usurarius facilè proclamandus est: criminalia enim, quæ altioris indaginis sunt, & magnum præjudicium, ac pœnas Juris secum trahunt, nec Parochus, nec Decanus ruralis judicare, sed ad Episcopum referre debet. Tridentinum *sess. 24. de Reform. c. 20.* 32

Quòd si etiam nulli ampliùs existant debitores, vel hæredes eorum, à quibus usuræ extortæ sunt, tunc in horum defectu oblationes, maximè quæ in sustentationem pauperum cedunt, faciendas, & recipiendas esse habetur in sæpe dicto *c. 4. h. t.* & insinuatur *Luc. 16. c.* ubi Christus dicit: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* 33

IV. Usurarii manifesti ad Ecclesiasticam sepulturam non admittuntur, antequam usuras pro modo, & possibilitate facultatum suarum restituerint, aut saltem cautionem de restituendo præstiterint præsentibus illis, quibus usuræ debentur, aut in istorum absentia coram loci Ordinario proprio, vel Notario, *cap. 2. h. t. in 6.* Imò in articulo mortis, & casu necessitatis, quando Ordinarius loci, Parochus, vel Notarius haberi non potest, quemlibet Sacerdotem, qui tunc temporis à peccatis absolve- 34

re po-

re potest, etiam idoneum esse ad recipiendam talem cautionem, ut eam posteà referat Episcopo, docet Sylv. *in verbo Restitutio* §. 7. q. 1. & Navar. *in Manual. c.* 13. *n.* 218.

85 V. Testamenta, & ultimæ voluntates usurariorum non valent, nisi ante mortem usuras restituerint, vel de restituendo idoneam cautionem dederint, *d. c.* 2. *h. tit. in* 6.

86 Demùm hoc loco notandum est, quòd homines rudes, & indocti, qui ex sua pecunia lucrum, & pensiones annuas accipiunt juxta eum modum, quo alii viri honesti, & probi facere consueverunt, non sint facilè de usura condemnandi, quamvis ipsi non intelligant quo jure, vel titulo tale lucrum sibi habere liceat: cùm enim lucrum ex pecunia variis ex caussis cohonestari valeat, ut propter lucrum cessans, damnum emergens, implicitum pactum societatis, emptionem census, &c. satis censeri possunt in bona fide, qui proborum virorum imitantes exemplum sibi proponunt, non aliter quàm justo, quo fieri potest, titulo lucrum ex pecunia quærere.

Imò licèt indocti contrahendo utantur verbo mutui, vel germanicè *ausleichen*, nihilominus cùm non intentio verbis, sed verba intentioni deservire debeant, *c. secundò requiri* 41. *de Appellationibus*, ideò ex mente istorum, qui omni meliori modo, quo de jure fieri potest, contrahere intendunt, similes contractus in effectu non tam mutuum, quàm societas implicita cum pacto assecurationis (quod fieri potest, si pro tali periculo assecurationis socio relinquatur majus lucrum, cùm contractus ex conventione legem accipiant) vel emptio census realis, aut personalis judicari debent, præsertim quia apud Germanos ille terminus valde generalis est, & omnem fermè concessionem significat ita docet Laym. *Lib.* 3. *tr.* 5. *c.* 18. *n.* 11. & 13. cum Les. Valent. & Majore ibidem citatis. Aliàs enim innumeri condemnandi forent, non tantùm Laici, sed & Ecclesiastici, qui sub nomine, & titulo *ausleichen* ultra sortem seu capitale annuatim 5. vel 6. pro 100. exigunt, nec lucrum cessans nec damnum emergens, nec mortale periculum interituri capitalis propter assecurationem pignoris, & fidejussorum habent, & solum lucrum quærunt, *ne pecunia otiosa sit*. Et sanè si iniquitatem non à verbis, sed ab effectu metimur, haud esse rationabile, indoctum, qui sub nomine *mutui*, vel *ausleichen* accipit 5. pro 100. usurarium asserere, & doctum, qui sub nomine *census* idem faciat, absolvere. Meminisse tamen oportet, quod semper hactenus monui, multos contractus excusari posse, in quibus aliquid ultra sortem accipitur, si fiant cum eo, qui ex mea pecunia negotiatur, & honestum lucrum quærit, ut mihi hujus lucri partem tribuat, veluti in contractu societatis expresso, vel implicito, in quo alter pecuniam, alter industriam confert, contingit; aut si verè reditus annuos ex re, vel industria habeat, quos sine damno suo vendere possit, secus autem, si contrahatur cum debitore indigente, qui tantùm ad sublevandas necessitates suas mutuam pecuniam accipit, & si reditus ex rebus, vel laboribus suis provenientes vendere debeat, defectum necessariæ sustentationis pati, & paulatim prorsus ad inopiam delabi cogatur: cum tali enim non est materia, vel merces, scilicet lucrum, aut reditus, super quibus possit fundari emptio, census, vel societas. Quòd si ab initio contractus habuerit ex re, vel industria reditus, & hi sine culpa sua defecerint, hic defectus, vel interitus ad emptorem census spectat, ut is censum exigere non possit; sicut etiam superiùs dictum. Caveant igitur divites, ne pro transitorio, & plerumque ingratis hæredibus relinquendo lucro animæ detrimentum patiantur, thesaurizent sibi potiùs thesauros in cœlo, faciant Christianæ Charitatis erga indigentes officium, & adimplere studeant illam Christi sententiam Luc. 6. *benefacite, mutuum date, nihil inde sperantes*.

TITULUS XX.

De Crimine Falsi.

SUMMARIA.

1 *Quid sit, & quomodo committatur crimen falsi.*
2 *Qua pœna afficiantur falsi testes?*
3 *Falsum testem Judex punire potest, etsi aliàs non sit de ejus jurisdictione.*
4 *Falsi crimen suo modo committit, qui pro testimonio dicendo pecuniam accipit, sed non punitur pœna falsi ordinaria.*
5 *Ab hac pœna quoque excusatur, qui tantùm in accidentalibus falsum dixit.*
6 *An testis qui aliud extra, aliud in judicio dixit, ut falsarius puniri possit?*
7 *Quomodo scripto falsum committatur: & quæ hujus pœna? n.* 8.
9 *Falsatores litterarum Apostolicarum incurrunt excommunicationem Bulla Cœnæ.*
10 *Quæ notanda in Bullis Pontificiis, ex quibus earum falsitas argui possit.*
11 *Aperiens litteras alterius an falsum committat?*
12 *Quando littera aliena, sine injuria aperiri possint?*
13 *Mutatione nominis committitur etiam falsum.*
14 *Quibus modis facto committatur falsum?*
15 *Varii modi falsandi monetam; & quæ horum falsariorum pœna.*
16 *Pœna Alchimistarum de Jure Canonico.*
17 *Usu quomodo falsum committatur: & quomodo tale puniatur?*
18 *Monitum de usu, & expensione falsæ Monetæ.*

JUxtà ordinem Decalogi, quo post furta, & alias iniquas rei alienæ usurpationes prohibetur, ne quis adversus proximum falsum testimonium loquatur tractat Compilator in *h. t.* de iis, qui per falsitatem, & dolum quoquo modo aliis nocere intendunt.

Falsum enim, & crimen falsi ad propositum describit Sylvester *in verbo Falsarius n.* 1. quòd sit *immutatio veritatis* cum dolo, & jactura: nam qui sine dolo per errorem falsum loquendo, aut scribendo committit, vel qui sine alterius læsione mentitur, pœna hujus criminis non tenetur, *l. quid sit* 23. *ff. Ad l. Cornel. de falsis*, & *l. nec exemplum* 20. *C. eod. t.* 1

Committitur falsum quatuor modis, scilicet *dicto, scripto, facto, & usu*. *Dicto* committunt falsum, & illud quidem gravissimum testes, qui in judicio falsum testimonium dicunt. Hujus delicti pœna de jure Canonico circa Ecclesiasticos est depositio, & in Monasterium, vel carcerem ad agendam pœnitentiam detrusio, *c. si Episcopus* 7. *dist.* 50. De Jure Civili pœna ordinaria falsi est deportatio, & omnium bonorum publicatio, *l.* 1. §. *ult. ff. Ad l. Cornel. de falsis* quæ pœna exasperatur, & ultimum supplicium statuitur, si quis contra accusatum de crimine capitali falsum testimonium dixerit, *l.* 1. §. *præterea ff. Ad l. Cornel. de Sicar.* Generaliter constituit Carolus V. *in Constitut. pœnal. a* 107. ut in quacunque caussa criminali falsum contra alterum jurans eadem pœna afficiatur, qua crimine probato afficiendus fuisset accusatus. Consuetudines etiam particulares circa punitionem falsorum testium maximè attendendas esse monet, variasque pœnas pro diversitate locorum recenset Menoch. *de Arbitrar. jud. cent.* 4. *casu* 306. & cùm testes, antequam deponant, juramentum *de veritate dicenda* præstare debeant, ideò juxta consuetudinem Imperii, quàm Carolus V. *cit. loc.* confirmavit, aliquando testibus perjuris, præsertim si in re magni momenti peieraverint, duo priores digiti, quos in præstatione juramenti erexerunt, per carnificem amputantur. 2

Præterea notabile est, quòd de Jure Civili Judici testem coram se falsum deponentem, punire liceat, quamvis ille testis non sit de ipsius Judicis jurisdictione, sed aliunde evocatus, *l. nullum* 14. *C. de Testibus l. penul. C. de Probat.* delictum enim tribuit jurisdictionem in delin-

quen-

quentem *l. 1. cum auth. qua in Provincia. C. ubi de Crim. agi oport.* dummodo testis falsarius non sit clericus, studiosus, aut miles: isti enim specialia privilegia Juris habent, ut alibi delinquentes ad proprios suos Judices remitti debeant, qua de re dictum est prolixius in Tit. *de Foro competenti. Lib. II. §. 4. & 5.*

4 Porro crimen *falsi* non tantùm ille committere dicitur, qui falsum testimonium præbet, sed etiam qui pecuniam accipit ad testimonium dicendum, vel non dicendum, *l. 1. §. 2. ff. h. t.* neque enim pro testimonio dicendo pecuniam ex pacto accipere licet, cum quilibet sit obligatus ad testimonium veritati perhibendum *c. nolite timere 86. causa 11. q. 3. non sanè 15. causa 14. q. 5. & toto t. ex t. de Testibus cogend.* nisi in compensationem laborum, expensarum, vel lucri domi neglecti, si testis procul ad judicium vocetur, & ibi moram facere debeat, *c. statutum. 11. §. proferendo de Rescriptis in 6.* Nihilominus virum talem à pœna ordinaria falsi excusat, & potiùs arbitrariè puniendum censet Menoch. *d. Cent. 5. casu 310.* eò quòd in proprietate verborum vix possit dici falsum committere, cùm veritatem non immutet, si, quod supponimus, de cætero verum testimonium dixerit; nec accipiendo pecuniam juramento, vel judici, aut parti adversæ injuriam infert.

5 Sed & ille communiter à pœna ordinaria *falsi* eximitur, qui in judicio falsum dixit non circa substantialia causæ, sed in quibusdam circumstantiis accidentibus, vel extra capitula, & articulos, super quibus fuit interrogatus, quamvis hujus testimonium etiam circa substantialia vehementer reddatur suspectum, ut iterum probat Menoch. *d. l. casu 307.* & Julius Clarus *§. Falsum n. 9.*

6 Quòd si testis unum dixerit extra judicium, & ejus contrarium in judicio, magis creditur id, quod in judicio dixit, propter religionem juramenti, & authoritatem judicii: sed an propterea tanquam falsarius puniendus sit, dubitatur. Affirmat Barth. *in Leos 27. ff. h. t. n. 8.* Negat verò Clarus *d. §. Falsum sub n. 5.* Puto ad conciliationem non improbabiliter distingui posse, an testis extra judicium à litigante interrogatus falsum dixerit, ex quo litigans deceptus actionem instituerit, transactionem recusaverit, expensas judiciales fecerit, vel an tantùm in communi conversatione nihil cogitans de alicujus *interesse* falsum dixerit? Priori casu videtur procedere opinio Barth. eò quòd tunc intervenerit immutatio veritatis cum dolo, & jactura; posteriori verò casu opinio Julii Clari locum habet: quia falsum non committitur sine intentione nocendi, & tanquam solum mendacem, non falsarium leviter puniendum censet Menoch. *casu 312.* Hodie tamen rarò pœna deportationis, & publicationis bonorum infligitur, præsertim in delictis extra judicium commissis, quæ potiùs damnum privati alicujus hominis, quam authoritatem Magistratus, vel rempublicam concernunt: ideò in his potiùs Pœna arbitraria, vel actio *de dolo*, vel *in factum* ad interesse consequendum competet.

7 *Scripto* falsum committit Notarius, qui aut totum instrumentum falsum in gratiam alicujus scribit, vel notabilem aliquam falsitatem dolosè admiscet; item quicunque alius, qui aliena Instrumenta in parte aliqua substantiali, & considerabili tradit, immutat, lacerat, vel supprimit, aut si alienum chirographum, manum, vel sigillum imitatur, & debitum, vel quid simile in sui favorem, & alterius detrimentum scribit. *l. 1. & passim. ff. h. t.*

8 Pœna hujus falsitatis ordinariè de Jure Civili est deportatio, & omnium bonorum publicatio cum Infamia; de consuetudine verò teste Claro, & Menoch. *cit. loc.* est arbitraria pro qualitate personarum, & quantitate damni dati.

9 Specialiter verò excommunicationem reservatam incurrunt non tantùm illi, qui Bullas sive litteras, & rescripta Pontificia falsificant, sed etiam qui tales falsas literas penes se habentes eas intra 20. dies, à quo falsitatem cognoverint, non destruxerint, aut resignaverint, *c. 4. h. t.*

10 Quot modis autem committi possit falsitas circa Bullas Pontificias, diserte recenset Pontifex in *c. 5. eod. t. & in c. quàm grave. 6.* subjungit, stylum esse Romanæ Ecclesiæ, quòd Pontifex soleat Patriarchas, Archiepiscopis, & Episcopos in suis litteris *Fratres* appellare, cæteros verò Ecclesiasticos, & Laicos cujuscunque dignitatis *Filios*; item cùm uni tantùm personæ scribit, nunquam loquantur in plurali, *Vos* aut *Vester*, ideo si litteræ Pontificiæ proferantur, in quibus hæc observata non fuerint, illæ tanquam falsæ existimari, & rejici debeant.

11 Huc etiam quidam referunt illos, qui privatas alicujus litteras desigillant, & aperiunt. Verùm licèt hoc sine peccato, & injuria eorum, ad quos literæ pertinent, regulariter fieri nequeat, plerumque tamen DD. censent non esse pœnam ordinariam *falsi*, sed aliam mitiorem, & arbitrariam infligendam: nisi aperiens literas apertas ostenderit adversario, vel testamentum clausum, aut aliàs literas publicas sigillo publico Magistratus munitas aperuerit, cùm enim crimen falsi inter delicta publica numeretur, ejus pœna ordinaria rarius locum habet, si potiùs alicui privato, quàm publicæ authoritati, & paci reipublicæ injuria inferatur, *c. cùm olim 33. ubi* Innoc. & Panot. *de Officio judicis delegati l. qui testamentum 2. ff. h. t.*

12 Aliquando etiam privatæ alterius literæ sine injuria aperiuntur, puta si id fiat jure belli, aut justa defensionis causa contra inimicum insidias molientem, vel ad impediendum peccatum alterius, ut si Prælatus, parens, paterfamilias, præceptor, & similes suorum Religiosorum, filiorum, subditorum literas aperiant, rationabiliter metuentes, ne quid mali in iis contineatur.

13 Prætereà inter falsarios hoc loco numerantur, qui nomen aut cognomen, genus, vel parentes sibi mutaverit, *l. falsi 13. & ibi Gottofredus. ff. h. t.* sed hoc, si cùm damno aliorum fecerit, aliàs si dolus, & jactura proximi absit, mutatio nominis præsertim ex causa rationabili prohibita non est; *l. un. C. de mutatione nominis.*

14 *Facto* committunt *falsum*, I. venditores, qui falsis ponderibus, vel mensuris utuntur, aut falsas merces distrahunt. His de Jure Civili communi pœna dupli, & relegationis constituta est in *l. penult. §. 1. ff. h. t.* Carolus V. *in Constit. pœnal. a 113.* tales pro gravitate, & frequentia delicti relegari, virgis cædi, aut aliquando etiam morte puniri volunt, II. qui alicui falsum partum supposuerit, ita tamen, ut de hoc crimine non quilibet de populo, sed tantùm parentes, vel alii, quorum ratione hæreditatis, aut alimententum interest, agere permittantur, *l. 30. §. 1. ff. eodem.* III. Qui terminos, limites agrorum dolosè mutant, quorum pœna est arbitraria, pro qualitate delicti, & personæ in corpore, vel pecunia inferenda *toto t. ff. de Termino moto, & Constitutione Carolina a 114.* IV. Qui proposita edicta Magistratus dolo malo corrumpunt, *d. l. penult. ff. h. t.*

15 V. Qui monetam falsificant, quod potest fieri tribus potissimùm modis: *primò*, si quis cudat monetam, qui cudendi potestatem non habet: est enim jus cudendi monetam unum ex regalibus, quod tantùm summo Principi competit, & iis qui ex privilegio, aut consuetudine legitima acquisiverunt. Textus & DD. *in tit. Feud. Quæ sint regalia*, & *in l. 2. C. de Falsa moneta.*

Secundò, Si quis monetæ publica authoritate cusæ justum pondus abradat *l. quicumque 8. ff. h. tit.* *Tertiò*, si quis monetam cudat, aut fingat ex falsa materia, ex stanno, cupro, aut simili, &c. Primis duobus casibus pœna arbitraria pro qualitate, & frequentia delicti in corpore aut bonis infligenda. In tertio verò pęna ignis constituta est in *Constitut. Carolina a 111.* De Jure Canonico, & circa Ecclesiasticos non habetur in corpore Juris specialis pœna in singulis istis casibus constituta: erit proinde arbitraria, quæ aliquando ad pęnam depositionis extendi poterit, *arg. c. ad audientiam 3. h. t.* Habetur quidem in *extravag. un. Joannis 22, h. t.* pęna excommunicationis reservata lata in illos, qui monetam Regis Franciæ falsificant, sed videtur quasi speciale aliquod privilegium Regis Franciæ, & ideò probabiliter non est numeranda inter generales pęnas falsariorum, sicut colligitur ex Barbos. *in Collectan. ad cit. extravag.* & *in Tract. de Offic. Episcopis allegat. 50. sub n. 188.*

16 Deinde in *extravag. un. eod. t. inter Commun.* (quę incipit: *Spondent quas non exhibent divitias pauperes Alchimistæ.*) specialiter statuitur, ut per alchimiam falsum aurum, vel argentum conficientes, aut monetam inde cudentes, vel expendentes tantundem de vero, & bono auro pauperibus erogare, vel si ipsi, ut ordinariè contingit, pauperes sint, pęnam aliam in corpore arbitrio Judicis unà cum infamia subire teneatur, & si Clerici fuerint,

tint,

rint, beneficiis obtentis priventur, & ad alia obtinenda inhabiles reddantur.

Usu demùm falsum committunt, qui falsitate ab aliis conficta utuntur, ut qui testimonium, aut instrumentum, vel scripturam falsam in judicio scienter proferunt, qui falsam monetam dolosè colligunt, & expendunt, &c. Et hi quoque inprimis ad restitutionem damni dati tenentur, & deinde pro gravitate, & qualitate delicti, vel pœna ordinaria falsi, vel arbitraria puniuntur. *l. Cornelia 9. §. 2. & l. falsi 13. §. 1. & l. ult. ff. Ad l.Cornel. de falsis Constitut. Carol. d. loc.*

Circa usum, & expensionem Monetæ falsæ etiam illud hic adnotari potest, quòd tametsi quis ex errore, & deceptus falsam monetam acceperit, eadem tamen alios decipere non potest, sed regressum suum tantùm contra eos, a quibus accepit, quærere debet; novum enim peccatum contraheret alios innocentes decipiendo, quod utique non licet. Imò licet bona fide falsam monetam in alios expenderit, ad restitutionem tenebitur ex justitia commutativa, ex qua omne damnum compensandum est, sicuti cum communi docet Sylvester. *Falsarius n. 8.* Mol. *de Just. & jure tract. 3. disp. 170. in fine.*

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

S U M M A R I A.

1 *Quid sit Sortilegium propriè.*
2 *Sortes aliæ divisoriæ, aliæ consultoriæ, aliæ divinatoriæ.*
3 *Sortes divisoriæ intra, & extra judicium sunt licitæ.*
4 *Consultoriæ sortes, etsi aliquando licitæ, ordinariè tamen non sunt usurpandæ.*
5 *In causis beneficialibus, & electivis specialiter reprobantur, & quare?*
6 *In lite beneficiali admitti aliquando possunt.*
7 *Divinatoriæ sortes sunt omnino illicitæ.*

1 QUamvis *Sortilegium* propriè significet observationem fortuiti alicujus casus, juxta cujus eventum aliqua actio instituitur, vel occultum cognoscitur, aut futurum prædicitur, generaliùs tamen sub nomine Sortilegii, & rubrica hujus Tituli quæcunque Divinationes, superstitiones, & magiæ intelliguntur, ideò quando, & qualiter in singulis istis peccetur, breviter discutiemus.

§. I.

De Sortibus.

2 SOrtes communiter dividuntur à DD. in tres species, quòd aliæ sint *divisoriæ*, aliæ *consultoriæ*, aliæ *divinatoriæ*.

3 *Divisoriæ* sortes, eæque licitæ, & Jure approbatæ dicuntur, per quas res, vel jus aliquod inter plures dividitur, vel litigium dirimitur, ut si pluribus optio rei legatæ relicta sit, & illi inter se in eligendo discordent, *l. ult. C. Communia de legatis*, si inter plures coheredes patrimonium defuncti, & bona hæreditaria sorte dividantur, *l. 2. C. Quando, & quibus quarta pars debetur &c.* & aliis casibus, quos refert Gottofr. *in suis notis ad d. l. ult.* Ipsæ quoque judiciales controversiæ quandoque sorte dirimi possunt, si uterque litigans in sortitionem consentiat, est enim tunc species quædam compositionis, vel transactionis, sicut *Proverb. 18. vers. 18.* legitur; *contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat.* Sic etiam usus præsertim bellicus obtinuit, ut plures rei mortis inter se sortem mittere permittantur, quis solus ex omnibus supplicium ferre debeat; prout notavit Less. *de Just. & jure lib. 2. cap. 43. n. 58.* & Divus August. scripsit quibusdam, cùm civitas esset obsessa, & dubitaretur, quinam de Clero deberent exire, & quinam remanere sorte rem decidendam esse, teste Gloss. *in causa 26. q. 2. in principio.*

Consultoriæ sortes sunt, in quibus occultæ veritatis manifestatio, aut consilii alicujus directio à Deo imploratur: ita enim peccatum Achor, qui de Anathemate furtim surripuit, propter quod populus Israeliticus in bello cæsus fuit, sorte deprehensum est, *Josue 7.* ita Samuel in electione Saulis misit sortes in universas tribus Israelis. *1. Reg. 10.* ita omissis aliis exemplis, quæ referuntur à Gratiano *causa 26. q. 2.* Matthias à Divo Petro per sortem in Apostolatum assumptus est. *Actor. 1.* hinc etiam dictum illud *Proverb. Salomonis, c. 16. vers. ult. Sortes mittuntur in sinum sed à Domino temperantur.* 4

Verum hæc exempla non sunt de facili, & sine necessitate, & reverentia, & fusis priùs ad Deum precibus imitanda, quia censetur facta ex speciali instinctu Spiritus S. & si passim temerè fiant, per ea Deus tentari videtur. *Non Matthiæ exemplo*, inquit Venerab. Beda relatus in *c. 4. d. causa 26. q. 2. indifferenter sortibus credendum est, cùm singulorum privilegia legem communē facere non possint. Si qui tamen necessitate aliqua compulsi DEUM putant exemplo Apostolorum sortibus consulendum, videant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad DEUM fusis egisse.* Quare etiam hodie de Jure Canonico in *c. ult. h. t.* electiones Prælatorum, quæ sortibus fiunt, improbantur, easque ipso jure nullas esse tanquam non observata forma *c. quia propter 42. de Elect.* celebratas, rectè docet Zoesius *h. t. n. 5.*

Quamvis porrò in aliis profanis causis lis per sortem aliquando sopiri possit, in causis tamen beneficialibus, & electivis sortes intervenire non debent: fieret enim tunc electio, vel provisio per sortes, & daretur vitiosus ingressus ad beneficium, cum regulariter aliter quàm per *institutionem Canonicam* beneficium Ecclesiasticum obtineri nequeat, juxta *Reg. 1. l. in 6.* Attamen si consensus ordinarii collatoris, & rationabilis causa accedat, aliquando etiam litem beneficialem posse per sortes (sicut per aliam transactionem, & compositionem arg. *c. nisi 21. de Præbendis.*) dirimi, non improbabiliter existimat Suarez *de Relig. tom. 1. tract. de Superstitionibus c. 10. n. 12.* 5 6

Divinatoriæ sortes dicuntur, quibus latentis veritatis manifestatio, vel consilii directio non à DEO, consequenter expressè, vel implicitè à dæmone petitur, ideò superstitiosæ, & peccaminosæ sunt. Imò tametsi ad tale *sortilegium* sacra scriptura, vel alii sacri libri adhibeantur, ut si v. g. ex citatione quorundam versiculorum S. Scripturæ unà cum aliis signis adjunctis inquiratur de furto, vel alio delicto hominis &c. nihilominus illicitum, & sub pœna inferendæ excommunicationis damnatum est in *c. 6. 7. & 9. causa 26. q. 5. & c. 1. extra h. t.* talis enim scripturarum applicatio à SS. Patribus vana, & temeraria reputatur, proinde Deus per eam non facit revelationem, vel miraculum, sed potiùs diabolus, qui gaudet tali peccato hominum in contemptum SS. Litterarum, & *transformans se in Angelum lucis*, teste Apostolo *2. ad Corinth. 11.* sub ficta pietate decipit, & ad hanc deceptionem non curat etiam sacra Scriptura uti: sicut exemplum habetur in Evangelio *Matth. 4.* ubi dæmon tentando Christum in eremo, allegavit illum versiculum *Psalm. 90. quia Angelis suis mandavit de te &c.* 7

Sunt autem præter sortilegia *divinatoria* plures aliæ superstitiones, & divinationes, de quibus adhuc alia dicenda.

§. II.

De Superstitione, & Divinatione.

S U M M A R I A.

8 *Superstitio quid sit, & quomodo committatur?*
9 *Quid sit divinatio?*
10 *Fit dupliciter, pacto expresso, vel implicito cum dæmone.*

11 *Qui-*

11 *Quinam Mathematicorum nomine damnentur in Jure Civili?*
12 *Qualis prædictio ex astris admitti possit.*
13 *Divinationes illicita damnantur specialiter per motum proprium Sixti V.*
14 *Datur quædam chiromantia, seu physignomia naturalis, & non prohibita, quæ tamen, & ipsa est fallibilis.*
15 *Quænam observationes somniorum sint licitæ.*
16 *Pœnæ Juris divinatoribus irrogatæ non extenduntur ad vanos observatores somniorum &c. sine pacto dæmoniaco.*

9 QUamvis in largiori, & generica significatione omnis divinatio, vana observatio, ac etiam magica superstitio appellari soleat, propriè tamen loquendo *Superstitio* est vitium oppositum religioni, & significat cultum Dei falsum, quæ falsitas duobus modis contingit; vel ex parte objecti, adorando falsum Deum, vel creaturam pro Deo, quod est peccatum gravissimum idololatriæ; vel ex parte modi, siquidem verus Deus colatur, sed alio modo, quàm ab Ecclesia approbato, aut tali, qui ad ejus honorem, vel spiritus devotionem non faciat, sed potiùs inanis, & vanus sit, ut si quis ritibus, & ceremoniis Judaicis Deum colat: nam tunc significatio cultus discordat à re significata: erant enim ceremoniæ veteris testamenti præfiguratio Christi adventuri, quo adveniente expirabant, nisi quòd aliquæ ex certa, & rationabili causa etiam in novo testamento à summis Pontificibus receptæ sint, *c. un. de Purificatione post partum*. Item si quis in Oratione aut Missa certum numerum, colorem, aut situm candelarum pro certo aliquo effectu obtinendo adhibeat. Quod etiam insinuatur, & reprobatur in Trid. *sess. 22. in decreto de observandis in Missa*, vel si quis velit dici Missam à Sacerdote, qui vocatur Joannes, ut inquit Nav. *in Manuali c. 11. n. 24.* vel si, quod alicubi in pagis apud rudem plebem usitatum est, ut sanctam Crucifixi, vel aliam imaginem certis diebus butyro deliniant, quæ omnia, & his similia à Parochis, & Ordinariis locorum tanquam superstitiosa prohibenda esse, jubet Concilium Trid. *d. loc.*

9 *Divinatio* hoc loco dicitur significatio occultorum ex pacto cum dæmone? dicta enim est divinatio quasi divinitatis æmulatio, & divini appellabantur, qui divinitate se plenos simulabant, & astuta quadam fraudulentia hominibus futura conjectabant, ait Divus Aug. *in cap. 1. causa 26. q. 3.* ubi etiam varia divinationum, & divinatorum genera, ut incantatores, ariolos, aruspices, &c. commemorat, & describit, & de his est textus Sacræ Scripturæ *Levitic. 19. vers. 31. non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini.*

10 Porrò pactum divinationis cum dæmone aliquando est expressum, quando homo per expressum, seu explicitam voluntatem aliquid à dæmone scire desiderat; aliquando est implicitum, quando pro cognitione rerum occultarum signum aliquod vanum adhibetur, vel inspicitur. Quale signum, cum ex se non habeat potestatem à Deo, vel natura, id quod desideratur, significandi, neque boni Angeli aliquid hominibus revelent absque Dei voluntate, & jussu, sequitur, quòd ab alia substantia intelligente videlicet à dæmone talis significatio implicitè, sive ipso opere petatur. Qualiter verò dæmones, quamvis per lapsum perdidarint gratiam, retinuerint tamen virtutem sibi concreatam, mira in his naturalibus, in quantum Deus non prohibet, operandi, & cognoscendi, eleganter, & prolixè declarat D. Aug. *in d. q. 3. c. 2. & in c. nec mirum 14. ead, causa 26. q. 5.*

11 Divinatoribus quoque annumerantur Mathematici in *toto tit. C. de Maleficis, & Mathematicis.* Verùm hoc nomen non est accipiendum de illis, qui honestas, & utiles Matheseos disciplinas docent, sed de illis, qui Astrologiam judiciariam, sive divinatoriam exercent, qui scilicet ex astrorum inspectione augurantur, & particulares fortuitos eventus, vel à libero arbitrio pendentes prædicunt, vel præteritos, aut præsentes occultos effectus denunciant, v. g. Titium esse, vel futurum homicidam, aut furem, matrimonium contracturum &c. Notanter autem dicitur, *si talia prædicant, quæ à fortuito eventu, vel libero hominis arbitrio dependent*, quia si hæc omnia tribuarentur astris, tolleretur libertas arbitrii, quod hæreticum foret affirmare. Cæterùm verò si ex astrorum inspectione prædicantur ea, quæ magis tanquam effectus
naturales ab influxu siderum dependent, ut anni fertili- 12
tas, tempestates, morbi, morborum curationes, & his similia, non erit divinatio illicita censenda, sicut hac de re extat *Motus proprius* Sixti V. quem refert Quaranta *in Summa Bullar. verb. Astrologia judiciaria*, ubi etiam in specie damnantur facientes judicia, & nativitates hominum, qui olim genethliaci, vel horoscopici dicebantur, teste August. *cit. loc.* quibus de futuris contingentibus, for-
tuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate 13
pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamsi protestentur, id se non certò affirmare. Inter alias quoque divinationum species in eodem motu proprio reprobatur *Chiromantia*, per quam ex inspectione manuum fortuiti, & liberi eventus prædicuntur.

Est tamen etiam *Chiromantia*, & *Physiognomia* natura- 14
lis non prohibita, per quam ex inspectione membrorum, & lineamentis corporum conjectura aliqua fieri potest de hominis complexione, ingenio, propensione quoad morbos, & mores, quamvis circa mores talis conjectura sit admodum fallibilis, cùm educatio hominis, societas, regimen vitæ, & rationis multa contra naturalem inclinationem mutare soleant: *sub homine enim est appetitus ejus, & ipse dominabitur illius. Genesi* 4. & quod subinde dispositio unius membri malum indicat, per dispositionem alterius membri in eodem corpore corrigitur. Proptereà qui *Physiognomiæ* majorem, quam par est, fidem adhibent, frequenter peccatum temerarii judicii incurrunt.

Aliud genus *divinationis* est, quod fit sine pacto dæ- 15
moniaco, & dicitur vana observatio, cùm ex aliquo casuali eventu *v. g.* ex offensione pedis, sternutatione, conjectura de futuro contingenti sumitur.

Quò etiam referri potest observatio somniorum, licèt enim aliquando Deus viris sanctis, vel etiam aliis ad finem aliquem specialem per somnium aliquid revelet, sicut exempla habentur de Josepho *Genes.* 40. & de Sancto Josepho, & Magis *Matth. 1. & 2.* de quo non potest dari certa regula, sed ex materia somni, & ad quem finem tendat, ac qualitatibus somniantis; aliisque circumstantiis interpretatio est facienda à viris probis, & in hoc genere somniorum per specialem Dei gratiam exercitatis. Ordinariè tamen ex ipsis SS. Litteris somniorum observatio prohibita est, ut *Levitici 19. v. 26. Deuteronom. 18. V. 18.* & *Eccles. 34.* nisi quòd aliquandò in ordine ad colligendam dispositionem corporis somnia præsertim à Medicis observari possint, quia juxta abundantiam humoris cholerici, phlegmatici, melancholici, aut sanguinei diversa somnia in homine causentur.

Etsi verò pœnæ Juris contra divinatores, & magos con- 16
stitutæ (de quibus paulò post dicemus) non videantur infligendæ observantibus vanitates sine pacto dæmoniaco, interim istæ observationes ex genere suo sunt peccatum mortale, juxta illud *Psalmi 30. V. 7. Odisti observantes vanitatem supervacue*, & tunc præsertim etiam in foro externo saltem arbitrariè puniri possunt, si cum scandalo aliorum propalentur, & doceantur. Excusat tamen aliquando à mortali, ignorantia, vel simplicitas, item quòd aliquis non certam fidem, sed formidinem tantùm exinde concipiat.

---

§. III.

De Magia.

SUMMARIA.

17 *Quomodò differat Magia à Divinatione?*
18 *Pœna Magiæ, & magorum, tam de Jure Canonico, quam Civili.*

SIcut per divinationem petitur à dæmone rei occultæ cognitio, ita per *magiam* alicujus operis effectio. Quare utrumque peccatum eandem fermè malitiam, & deformitatem habet, scilicet societatem expressam, vel taci-

tacitam cum dæmone, & quæ de divinatione ejusque pacto dicta sunt, etiam ad magiam accommodari possunt, ita ut illa quoque suspecta, & tanquam superstitiosa ac magica censeri debeant, quæ speciem pietatis habent, si aliqua admisceantur vana, & inutilia ad cultum Dei non pertinentia, v. g. quòd sacra verba debeant dici ad aures jumenti ægri, quòd signum Crucis debeat formari cum characteribus ignotis, alligari tribus funiculis &c. quidquid enim præter Ecclesiæ consuetudinem adhibetur ad operationem aliquam secuturam, quod naturalem vim non habet talem; operationem efficiendi, ad magiam superstitiosam pertinet, sicut post D. Thom. 2. 2. q. 96. n. 2. & 4. pro regula tradunt communiter DD. Catholici, & præ cæteris videri poterit Deltio *in speciali tract. disquisitionum magicarum*.

18 Pœnæ magorum, & divinatorum, eorumque qui libros de tali materia tractantes edunt, vel legunt, de Jure Canonico sunt censuræ Ecclesiasticæ, item incarcerationes, aliæque similiter arbitrio Episcopi pro qualitate delicti infligendæ, prout habetur in citato *Motu proprio* Sixti V. juncto *c. si quis Episcopus 5. cum seqq. causa 26. q. 5. & c. 2. h. t.* De Jure Civili pœna gladii constituta est in *l. 5. C. de Maleficiis*: ex constitutionibus verò Caroli V. qui per magiam aliis damna inferunt, igne cremari, qui autem sine damno magiam exercent, arbitrariè puniri jubentur.

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

COllusio hoc loco dicitur, quando accusator, & reus inter se tacitè conveniunt; quòd à persecutione criminis in judicium delati desistere velint; qua tamen *collusione*, vel conventione non obstante mandatur in *h. tit.* ut Judex ex officio in crimina inquirat, eademque puniat.

Huc pertinent ea, quæ de Prævaricatoribus, & Tergiversatoribus in Jure Civili *ff. ad Senatusc. Turp.* traduntur, & nos *supra Tit. 2.* attigimus.

TITULUS XXIII.

De Delictis puerorum.

S U M M A R I A.

1 *Pueris, & quandoque etiam minorennibus mitigatur pœna delicti.*
2 *Quibus concurrentibus minoribus pœna mitigentur?*

1 QUamvis pueri doli capaces, & postquam ad annos discretionis pervenerunt, in furtis, perjuriis, aliisque delinquere possint, semper tamen in puniendis eorum delictis pœna mitiganda esse dicitur in *c. 5. & 2. h. t. & c. ult. de Sent. excommunic.* idque non tantùm in pueris, sed etiam adolescentioribus, & minorennibus, qui necdum sunt viginti quinque annorum, interdum locum habet, *l. ferè in omnibus ff. de R. J.*

2 Dico autem, *interdum*, si scilicet alia etiam concurrant, videlicet quòd minor non sæpiùs deliquerit, quòd delictum non sit valde atrox, quod malitia ætatem non suppleat, quòd spes affulgeat melioris frugis &c. Ita enim est textus in *l. auxilium* 37. §. 1. *ff. de Minor.* in delictis autem minor annis 25. non meretur in integrum restitutionem utique atrocioribus (supple, & quæ in committendo consistunt, secus quæ in omittendo, juxta *l. ult. ubi DD. C. si adversum delictum*,) nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem adducit, videatur etiam Fach. *lib. 1. Controv. c. 71.*

TITULUS XXIV.

De Clerico venatore.

CLericis interdicta est Venatio clamorosa cum canibus, & saltibus, *c. 2. h. t.* Piscari verò Clericis prohibitum non est, exemplo Apostolorum, quos piscatores ad se Christus vocavit, quique eandem artem etiam post conversionem exercuerunt, ut passim in Evangelio legitur. Rationem differentiæ inter Venationem, & Piscationem assignant, quod venatio propter saltus, & clamores magis dissolvat, & dehonestet Clericalem modestiam, nutriat otium, & vitia, ac per crebram, & immitem calidi sanguinis animalium effusionem excitetur in homine asperitas, & truculentia contra Clericalem mansuetudinem.

TITULUS XXV.

De Clerico percussore.

QUaliter exemplo Christi mansuetissimi deceat Clericos mansuetudo, & dedeceat percussio, & rixatio, hic traditur, & textus sunt *per totam distinct. 45. & seqq.* Ideòque pro excessu percussionis, & qualitate delicti & delinquentis à suo superiore arbitrariè puniri, & data incorrigibilitate etiam deponi debent, *c. h. t.*

Quòd si aliquando à Prælatis, vel Judicibus, & superioribus Ecclesiasticis causa disciplinæ contra delinquentes corporalis castigatio adhibenda sit, ut in *c. 2. de Adult. in c. 4. de Raptor.* cum mansuetudine rigor est temperandus, *c. disciplina 9. & seqq. cum Præfat. Grat. qua incipit: Salom. dist. 45.*

Quomodo autem ex percussione, vel conflictu incurratur irregularitas, traditur in hoc Lib. in *tit. de Homicidio, & de Clericis pugn.* Item quòd Ecclesiasticus Judex non inferat pœnam sanguinis, in hoc lib. V. *in tit. de Pœnis* tractatur. Et quod Episcopus non debeat aliquem propriis manibus cædere, & contra doctrinam Apostoli *1. ad Tim. 3. percussorem agere*, habetur *in c. licèt 25. dist. 86.*

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

S U M M A R I A.

1 *Quid, & quotuplex sit Blasphemia?*
2 *Blasphemia etiam in Sanctos committitur.*
3 *Pœna Blasphemiæ.*

MAledici hoc titulo intelliguntur Blasphemi: est enim *Blasphemia* maledictio, sive verbum contumeliæ adversus DEUM.

Blasphemia alia est *hæreticalis*, alia *simplex*. *Hæreticalis* dicitur, quæ continet falsitatem, dum DEO attribuitur, quod ipsi non convenit, ut esse peccatorem, &c. vel ab eo removetur, quod ipsi convenit, v. g. quòd non curet res nostras, quòd non sit omnipotens, &c. vel si creaturæ tribuatur, quod competit Creatori, ut si mulier amasium vocet Deum suum, inquit Laym. *lib. 4. tr. 10. c. 6. num. 7.* quo sensu etiam Judæi in Evangelio dixerunt, Christum blasphemasse, dum se Filium DEI nominavit; putabant enim hoc sibi tanquam homini non competere. 1

Quod porrò hic de Deo dicitur, etiam de Sanctis intelligendum est: sicut enim Deus in Sanctis suis laudatur, ita & blasphemia, quæ fuit in Sanctos, in DEUM redundat, ait D. Thom. 2. 2. q. 13. n. 1. in C. & textus est *in c. 2. h. t.* 2

Simplex blaſphemia eſt, quando aliquid mali imprecatur DEO, v. g. ut pereat, vel etiam aliquod verum de ipſo enuntiamus per modum deſpectionis, & indignationis contra ipſum, ut ſi quis blaſphemet per Crucem, Sanguinem, aut Sacramenta DEI. Dico autem, ſi hoc fiat *per modum deſpectionis* contra DEUM; nam ſi quis ex mala conſuetudine in rixa, vel ira contra hominem, aut jumentum ſine reflexione ad DEUM talia verba temerè, & irreverenter proferat, non erit quidem propriè blaſphemia, erit tamen indigna uſurpatio Divini Nominis contra ſecundum Decalogi præceptum.

Pœna blaſphemiæ de Jure Canonico traditur in *c. 2. h. t.* quòd blaſphemus ſeptem feriis feſtivis debeat jejunare in pane, & aqua, & ſeptem Dominicis diebus ſtare ante fores Eccleſiæ, die ultimo ligatus corrigia in collo ſine pallio, & calceamentis, ac inſuper per temporalem poteſtatem juſſu Epiſcopi pœna pecuniaria mulctari. Deinde qui blaſphemiam hæreticalem proferunt, de hæreſi ſuſpecti ſunt; proinde contra eos per Ordinarios locorum inquiſitio fieri debet. De Jure Civili pœna ultimi ſupplicii videtur ſtatuta blaſphemis in *novell. 77. in fine* Ex ſtatutis verò particularium locorum plerumque ſpeciales pœnę blaſphemis infliguntur, ut fuſtigatio, ſectio linguæ, vel amputatio labii, &c. Commutantur tamen hæ pœnæ aliquando in arbitrarias ex qualitate perſonæ, ſcilicet ætate, & dignitate ejus, ac qualitate blaſphemiæ, ſi levis fuerit, ſine ſufficienti deliberatione, ex ſubitaneo impetu iræ, aut in ebrietate prolata.

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante.

SUMMARIA.

1 *Cenſura affectus, ſi exerceat actum ſui Ordinis proprium, fit irregularis; & quis cum eo diſpenſet.*
2 *Irregularis non redditur, qui actum exerceat, quem poſſit etiam Laicus: vel actum non Ordinis, ſed Juriſdictionis.*
3 *Cauſæ excuſantes ab irregularitate.*

1 INter alios effectus cenſurarum Eccleſiaſticarum hic circa Clericos, ſeu Clericales Ordines habentes eſt notabilis, quòd cenſuris ligatus, ſi actum ſui Ordinis proprium exerceat, irregularis, id eſt, ad Ordines, officia, & beneficia inhabilis efficiatur, & quidem perpetuò, niſi per S. Pontificem cum eo diſpenſetur *cap. 1. de Sent. & re jud. in 6. c. is qui 18. & c. is cui 20. de Sent. excom. in 6. c. 6. & c. fin. X. h. t.* quando autem hodie Epiſcopo in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus diſpenſare concedatur, habetur in Concilio Trid. *ſeſſ. 14. de Ref. c. 6.* dictum eſt ſuperiùs *Lib. I. ad t. de Majoritate, & obed. §. 4*

2 Dixi, Clericum cenſuratum fieri irregularem ſi actum ſui Ordinis proprium exerceat, v. g. Sacerdos Miſſam legat, diaconus in ſolemni officio Evangelium canat, &c. ſecus autem eſt, ſi talis actus fiat: qui poſſit etiam per Laicos exerceri, ut ſi baptizet non ſolemniter in caſu neceſſitatis, (quo ſenſu explicandum *c. 1. de Cler. non ord. min.*) ſi in privata Miſſa ad Altare deſerviat &c. Actus quoque, qui non ſunt tam Ordinis, quàm juriſdictionis irregularitatem haud inducunt, veluti ſi Epiſcopus cenſuratus judicium aut cenſuras ferat, diœceſin viſitet, beneficia conferat; ſi Parochus Matrimonio aſſiſtat (abſque tamen ſolemni benedictione) vel alteri licentiam ad aſſiſtendum concedat.

3 Præterea etiam celebrationem ob gravem metum infamiæ, vel ſcandali alteriuſve mali (dummodo metus in contemptum Cenſurarum, & Eccleſiæ non fuerit incuſſus) ab irregularitate excuſant DD. Item ſi in caſu neceſſitatis deficiente alio Sacerdote moribundis Sacramenta miniſtrantur, non enim videtur prohibitio, & pœna Eccleſiaſtica ad hos caſus extraordinarios extendenda. Demùm etiam irregularitatem evitat, qui bona fide ex ignorantia Cenſuræ miniſtravit, vel qui ex conſcientia erronea credidit ſe cenſuratum, cùm revera non fuerit. Dubitans verò debet laborare de inquirenda veritate, & ſi poſt diligentiam adhibitam adhuc incertus remanſerit, poſt depoſito dubio practico miniſtrare. Pluribus de hac Materia agemus in hoc Lib. in tit. *de Sentent. Excom.* Interim vid. Zoeſſus *h. t.* Suarez. *Tom. 5. de Cenſuris diſp. 40.* & alii paſſim de cenſuris ſcribentes.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato miniſtrante.

SUMMARIA.

1 *Non ordinatus miniſtrans quando fiat irregularis.*
2 *Hodie traditur Curiæ ſæculari puniendus.*
3 *Poteſtas Ordinis an ſuppleatur* ob communem errorem.

SIquis Clericus officium ſuperioris Ordinis, quem nondum accepit, exercuerit, v. g. Subdiaconus uti Diaconus, vel uti Presbyter divina Miniſteria, & Sacrificia peregerit, efficitur irregularis, quoad *ſuſceptos* autem arbitrio Epiſcopi ſuſpenditur, punitur, *c. 2. h. t.* Quod ſi Laicus ſe fingens Clericum id fecerit, non tantum quoad illum Ordinem, in quo miniſtraverit, ſed probabiliùs quoad omnes omninò irregularis cenſeri debet, per textum generalem *in d. c. 1.* ibi: *ab Eccleſia abiiciatur, & nunquam ordinetur*, ſicut ex Suar. docet Zoeſ. *h. t. num. 4. & 5.* 1

Hodie ex conſtitutione Clem. VIII. quæ incipit: *Etſi* 2
& refertur à Quar. *in Sum. Bull. V. Ordo. in fine.* & à Barb. *in c. 1. h. t. n. 7. & c. 2. n. 2.* qui Miſſam celebrare, aut Confeſſiones audire nondum ordinatus Presbyter auſus fuerit, jubetur per inquiſitores, vel locorum Ordinarios tanquam Eccleſiæ miſericordia indignus è foro Eccleſiaſtico abiici, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habet, ritè degradari, ac à Judicibus ſæcularibus pro merito puniri: eſt enim hoc peccatum, & ſacrilegium graviſſimum, dum divinis Sacramentis illuditur, & fidelibus per falſitatem purus panis cum vino (qui per non Sacerdotem conſecrari haud potuit) pro Corpore, & Sanguine Chriſti adorandus proponitur: item dum fideles tali homini peccata ſua periculosè aperiunt, nec ab ipſo ob defectum clavium, & juriſdictionis valent abſolutionem obtinere. Quid autem circa defectum poteſtatis in adminiſtratione Sacramentorum *communis error* 3
ſupplere poſſit, videatur latè diſputans Sanch. *de Matr. lib. 3. diſp. 22.* ubi *n. 27.* docet, ſi conditio, poteſtas, vel juriſdictio ex jure Divino aut naturali requiratur, non ſuppleri ob *communem errorem*; quia authoritas Eccleſiaſtica, & generaliter humana tantùm ſupplet defectus requiſitorum ex jure humano dependentium, qualia requiſita ſtatuere aut tollere in ipſius eſt poteſtate, arg. text. *in l. Barbarius. 3. ff. de Officio præt.* ibi: *verum puto nihil eorum reprobari, cum populus Romanus etiam ſervo potuiſſet decernere hanc poteſtatem*: ſecus ergo, ubi *non potuiſſet decernere*, ut circa defectum juris naturalis, aut divini. Vid. etiam dicta ſuperiùs *de Presbyt. non baptiz. n. 3. & 4.*

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

PEr saltum promotur dicitur, qui omisso Ordine medio ad superiorem ascendit, v. g. qui omisso Diaconatu ordinatur est Presbyter.

Quamvis autem aliqui existiment, taliter promotum esse absolutè irregularem, magis tamen inter DD. convenit, esse tantùm ipso jure suspensum, & quidem solummodo quoad illum Ordinem per saltum susceptum, & irregularem tunc primùm, si in hoc Ordine suscepto vel in illo, quem suscipere omisit, ministraverit, sicut tradit Barb. *in Collect. DD. ad c. unic. h. t.*

Præterea hodie ex Conc. Trid. *seß. 23. de Ref. c. 14. in fine*, concessum est Episcopis, ut cum promotis per saltum dispensare possint, nisi, ubi præmissum ministraverint, adeoque insuper irregulares facti sint, quo casu Episcopi non aliter dispensare poterunt, quam si delictum susceptæ per saltum Ordinationis occultum fuerit, juxta Trid. *seß. 24. de Ref. c. 6.*

TITULUS XXX.

De eo, qui Ordinem furtivè suscepit.

ORdines *furtivè* suscipere dicitur, qui absque consensu Episcopi in numerum ordinandorum se ingerit, veluti si subterfugerit examen, & nihilominus in ordinatione comparuerit, vel eadem die præter minores Ordines etiam Subdiaconatum, vel duos sacros Ordines acceperit.

Pœna hujus delicti est, quod taliter ordinatus non habeat executionem Ordinis *furtivè* suscepti, & insuper inhabilis reddatur ad superiores Ordines suscipiendos.

Competit tamen Episcopo dispensatio in duobus casibus. 1. Si furtiva Ordinum susceptio non priùs fuerit ab ordinante sub excommunicatione prohibita. 2. Si ordinatus Monasterium ingrediatur, & ibi aliquamdiu laudabiliter vivat, quo posteriori casu non tantùm Episcopo, sed etiam Abbati dispensare conceditur. Text. & DD. communiter *in c. 1. 2. & 3. h. t.*

Admittitur quoque *in c. 2. h. t.* consuetudo, si qua sit, ut eadem die minores Ordines cum Subdiaconatu suscipiantur, idque per Conc. Trid. *seß. 23. de Ref. c. 11.* annale interstitium requirens non fuisse correctum, sive tali consuetudini derogatum, docent multi graves DD. cum Barb. *in Collect. ad d. c. 2. h. t. n. 2. &c.*

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum, & Subditorum.

S U M M A R I A.

1 *Prælatis prohibentur exactiones iniquæ.*
2 *Episcopus non potest eximere Ecclesias inferioribus Prælatis subiectas, nec dividere Episcopatum, vel unire: benè tamen Ecclesias inferiores.*
3 *Inferiores Episcopo non possunt cognoscere de causa matrimoniali, & similibus.*
4 *Privati sine superioris licentia non possunt erigere collegia.*
5 *Pœna negantis Ius superioris contra suum juramentum est depositio.*
6 *Prohibentur Episcopis gravamina Religiosorum.*

CUm excessus dicantur, quoties Prælati, vel subditi aliquid contra leges committunt, & qui omnes excessus enarrare vellet, penè omnes materias præcedentium, & subsequentium titulorum afferre deberet, ideò ad evitandam hanc superfluam prolixitatem quædam tantùm, quæ in *h. t.* notabiliora ponuntur, referemus: reliqua verò in aliis titulis legi poterunt.

I. Igitur prohibetur, in *c. 1. h. t.* ne Prælati gravent 1
subditos iniquis exactionibus, qua de re dictum est, *in*
Lib. III. in t. de Censibus. II. Non potest Episcopus Eccle- 2
sias inferioribus Prælatis subditis ab eorum jurisdictione
eripere *c. 2. h. t.* III. Superior non debet aliquid impetrare
inferiori contra privilegium ejus, nec inferior tenetur
parere, nec excommunicatio contra privilegium lata
obligat *c. 5. & 7. h. t.* IV. Episcopatus unire, vel dividere
nemo potest præter summum Pontificem, & inferiores
Ecclesias præter Episcopum, & Episcopalem jurisdictio- 3
nem habentem *c. sicut 8. h. t.* V. cognoscere de causa matri-
moniali, item pœnitentias publicas, vel indulgentias
concedere pertinet tantùm ad Episcopum non ad infe-
riorem, nisi ex jure speciali, v. g. privilegii, vel præscri-
ptionis id sibi competere, probare possit *cap. accedentibus*
12. h. t. VI. privati homines non possunt erigere Colle- 4
gium, nec sibi constituere sigillum, aliaque jura Colle-
giorum attribuere sine licentia superioris *c. dilecti 14. h.*
t. VII. qui contra juramentum seu homagium Prælato 5
præstitum negat ipsum dominum suum, vel de ipso con-
queritur coram Judice sæculari, deponi debet *c. gravem.*
15. h. t. VIII. denique prohibetur Episcopis, aliisque, ne 6
Monasteriis aut personis religiosis gravamina inferant,
eorum jura, & redditus diminuendo, certum numerum
Religiosorum, Sacerdotum, & Laicorum ibidem taxando *c. 16. & 17. h. t.*

TITULUS XXXII.

De novi Operis Nuntiatione.

S U M M A R I A.

1 *Ecclesia non debet in præjudicium alterius Ecclesiæ ædificari, nisi ex justa causa.*
2 *Novi operis nuntiatio datur contra ædificantem Ecclesiam in præjudicium, & qualiter fiat.*
3 *Novi operis nuntiati quis sit effectus.*
4 *Ædificanti quale remedium detur contra nunciantem.*
5 *Ædificii inhibitio potest aliquando relaxari sub cautione.*
6 *Ædificare licet cuilibet in fundo pro libitu. Fallit in 3. casibus.*

INter alia requisita Ecclesiæ ædificandæ numeratur, 1
ne in præjudicium alterius Ecclesiæ ædificetur, cui nimirùm nocere possit, vel ob ædificii coherentiam, vel occupando illius fundum, intervertendo jurisdictionem, oblationes &c. *c. 1. & 3. h. t.* nisi id fiat causa cognita permittente Episcopo, v. g. ob numerositatem populi, & amplitudinem parochiæ; vel aliam justam rationem. Trid. *seß. 21. de Ref. c. 3. x. de Ecclef. ædif.* Barb. *Jur. Eccl. Univ. lib. 2. c. 2. n. 6.* & diximus in Man. Par. *p. 1. c. 2. n. 2.*

Etenim sicut in Jure Civili, de rebus profanis, si quis 2
in alterius præjudicium novam fabricam moliatur, nuntiari illi potest *novum* opus, per eum, qui sibi præjudicium fieri autumat, ut est totus tit. *ff. & C. de Novi operis nunciat.* Ita etiam de Jure Canonico, & in causis Ecclesiasticis, si v. g. una Ecclesia in præjudicium alterius Ecclesiæ ædificetur, ædificanti *novum opus* per Rectorem, vel Beneficiatum prioris Ecclesiæ rectè denunciatur.

Nam

Nam ut inquit Pontifex *in c. 1. hoc t. sicut leges non dedignantur SS. Canones imitari, ita SS. Canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur.* Unde desumitur illud axioma juris receptum, quòd Jus Canonicu, & Civile sibi invicem succurrant, & quæ in uno desiderantur, ex altero suppleri possint, ac debeant,

Hæc nuntiatio *operis novi* etiam privata cujuscunque authoritate absque decreto Magistratus (quod tamen, si periculum in mora non sit pro majori securitate adhibetur) fieri potest, & quidem non tantùm Domino ædificanti; sed etiam fabris, opificibus, & servis, dummodo per hoc dominus rescire valeat *l. 1. §. 2. & l. de pupillo 5. §. 3. & l. 10. cum seqq. ff. h. t.*

3 Est autem effectus nuntiationis, quòd *novum opus* faciens ab opere desistere, & quidquid post nuntiationem ædificaverit, totum id suis sumptibus demoliri teneatur, sive jure, sive injuria nuntiatio facta sit. Imò licet ædificator vellet præstare cautionem, quòd si litem in judicio perdiderit, opus post nuntiationem factum demoliri velit, talem tamen cautionem nuntiator invitus accipere non cogitur, *c. 1. & ult. h. t. l. 1. in princ. & §. l. Prætor 20. princ. cum §§. seqq. ff. eodem.* Id quod publicæ utilitatis causa ita constitutum est, ut quilibet jus suum integrum faciliùs conservare possit, nam ubi semel ædificatum est, durior causa redditur, & difficiliùs ad demolitionem devenitur, *quare meliùs est intacta jura servare, quàm post vulneratam causam remedium quærere*, sicut in simili dicitur *in l. ult. C. In quibus causis restitutio non est necessaria.*

4 Interim ne detur ansa calumniosis denuntiationibus, inprimis per ædificantem, vel per Judicem peti potest, ut nuntiator juramentum præstet, quòd non calumniæ causa novum opus nuntiaverit, *d. l. 5. §. qui opus 14.* deinde nuntiator *intra tres menses* de jure suo in judicio docere debebit, & si ex quocunque impedimento intra hoc tempus jus suum probare non poterit, fiet eatenus nuntiationis remissio, ut ædificans, data cautione per fidejussores, vel pignora de opere demoliendo in eventum perditæ causę, denuò ædificare permittatur, *c. ult. h. t. juncta l. un. C. eod.*

5 Aliam quoque declarationem addit Barb. *in eodem c. ult. num. 2.* quòd aliquando considerata naturali æquitate (quæ rigori juris nunnunquam præferenda est *l. placuit 8. C. de Judiciis.*) arbitrium sit Judici non expectato lapsu trium mensium remittere nuntiationem sub prędicta cautione, si nimirum ex inspectione oculari, vel aliunde saltem summariter appareat de injuria nuntiantis, & ècontra ædificanti ob factas bona fide magnas expensas damnum ex mora tanti temporis immineret.

Potest præterea hic notari, quòd regulariter quivis in domo ac fundo suo ædificare valeat, quidquid, & qualiter sibi placuerit, nec propterea à vicino prohiberi, nam ut loquuntur DD. si domus est mea, tunc est mea usque ad cœlum, & infernum, *arg. l. altius 8. C. de Servitutibus & aqua*, licè ex tali ædificio vicinus quandam incummoditatem sentiat, ut quia eius domus obscurior fit, vel liberior prospectus adimitur.

6 Excipiuntur autem tres casus. I. si vicinus habeat in domo ædificantis servitutem urbanam ex pacto, testamento, vel præscriptione, uti sunt servitus *altius non tollendi: non officiendi luminibus, vel prospectui.* Circa præscriptionem tamen harum servitutum obiter hic est notandum, non hoc ipso censeri præscriptas servitutes, quòd vicinus longissimo tempore nihil in domo sua ædificaverit, quia ædificare in domu propria est actus meræ facultatis, contra quem non inducitur præscriptio, nisi aliquando ædificare volentem vicinus bona fide credens se jus habere prohibuerit, & acquieverit, ac per id vicinus prohibens quasi possessionem servitutis in domo vicini consecutus sit, sine possessione enim non currit præscriptio *juxta Regulam 3. in 6.* Et dictum est superiùs in *Libro II. in Tit. de præscriptionibus §. 2.*

II. Si ex novo ædificio vicini ædibus non tantùm quædam incommoditas, sed etiam periculum damni, & ruinæ immineat, rectè tunc ædificanti nuntiatur novum opus, ut cautionem *damni infecti* præstet, scilicet se compensaturum omne damnum, si quod ex ædificio alteri evenerit, *l. 1. §. nuntiamus 17. h. t. juncto toto tit. ff. de Damno infecto.* Dicitur *damnum infectum*, quod nunquam factum est, futurum tamen timetur, *l. 2. ff. eodem tit.*

III. Si quis tantùm ad vicini æmulationem ejus ædes obscurare, aut novas fenestras contra domum, vel hortum ejus aperire vellet. Præsumitur autem ad æmulationem facere, si ipsi ędificanti talis structura non adfert utilitatem, *non est enim malitiis hominum indulgendum, qui nihil agunt, quàm ut noceant*, ait J. C. *in l. fundo 38. ff. de Rei vind.* Menoch. *de Arbitr. cas. 156. & de Præsumpt. lib. 6. præsumpt. 29. n. 28.*

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & Excessibus Privilegiatorum.

§. I.

SUMMARIA.

1 *Privilegium quid?*
2 *Privilegium aliud clausum in Corpore Juris, & aliud extra, & quid intersit?*
3 *Privilegium aliud reale, aliud personale, aliud corporale, aliud communiter personale.*
4 *Quid si dubitetur de qualitate privilegii?*
5 *Privilegium aliud contra, aliud ultra Jus.*

PRIVILEGIA describuntur ab Etymologia nominis, *in c. 3. distinct. 3.* quòd sint *leges privatorum*, quasi *privatæ leges*: est enim privilegium Jus, vel indultum singulare in certæ personæ, aut causæ gratiam à superiore constitutum. Licet verò privilegium in se spectatum distinguatur à lege communi, quòd hęc communiter pro omnibus lata sit, privilegium verò certarum tantùm personarum favorem respiciat, nihil tamen impedit, quin lege communi privilegium contineatur, quatenus tale privilegium ab omnibus aliis sciatur, & personis privilegiatis servetur. 1

Unde dividitur I. Privilegium, quòd aliud sit *clausum in corpore juris*, aliud *datum per speciale rescriptum* Principis. *Clausum in Corpore juris* est, quod inter alias leges Corpori juris insertum est prout sunt privilegia Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, quæ habentur passim tum in Jure Canonico, tum etiam Civili, *in t. C. de SS. Eccl. & C. de Epis. & Cler.* 2

Privilegium studiosorum, ne coram alio Judice, quàm Magistratu Academico conveniantur, *auth. habita C. Ne filius pro patre*, & plura alia, ut privilegia pupillorum, minorennium, militum, fisci, creditorum, & similia.

Econtra privilegium datum per *speciale rescriptum Principis* dicitur illud, quod extra Corpus juris certæ alicui personę, communitati, vel loco per speciales litteras, vel diploma, Bullam, vel indultum concessum est.

Inter utrumque privilegium quoad effectum hoc interest, quod privilegium *clausum in Corpore juris* non debeat Judex ignorare, & propterea si contra tale privilegium privilegiato comparitionem in Judicio, vel quid aliud injungat, non teneatur privilegiatus obtemperare, *c. 5. & 7. de Excessibus Prælatorum*, si verò Judex mandet, vel aliquem citet contra privilegium specialiter extra Corpus Juris impetratum, quod cùm sit facti, ignorari potest, privilegiatus tenetur saltem pro reverentia Judicis comparere, & privilegium suum exhibere, *c. cùm persona 7. hoc tit. in 6. & l. si quis ex aliena 5. ff. de Judicis.*

Deinde privilegia extra Corpus Juris plerumque sunt temporalia, & strictè interpretationis, nec extenduntur ultra personas, quibus concessa sunt: privilegia verò clausa in Corpore Juris ordinariè sunt perpetua, & recipiunt interpretationem, ac aliquando ex paritate rationis extensionem, sicut ipsæ leges communes, prout à privilegio 3

uni causæ piæ, vel favorabili concesso rectè posse deduci argumentum ad aliam similem causam ex communi DD. sententia tradidi, *de Privilegiis Monasteriorum privilegio 36.* Lauret. de Franch. *de Controv. Regular. p. 2. q. 96. & ibi* Pasqual. *in addit.*

II. Dividitur privilegium, quòd aliud sit *reale*, aliud *personale l. privilegia 196. ff. de R. J. Reale* dicitur, quod directè, & principaliter cōceditur respectu rei, loci, muneris, vel dignitatis, in consequentiam autem personis, quæ talem locum, rem vel officium habent: cujusmodi sunt privilegia immunitatum à solvendis decimis, vel tributis, aliæque prærogativæ, & jura specialia certis prædiis, aut officiis concessa; & quia talia privilegia cohærent rei, transeunt ad quoscumque Successores, & Possessores.

Personale est, quod principaliter personæ, sine contemplatione rei concessum est, & propterea etiam personam sequitur, & cum persona extinguitur, *d. l. privilegia, & c. privilegium 7. de R. J. in 6.* Sed hoc, si privilegium sit *mere personale* uni certæ singulari personæ concessum; sunt enim quædam privilegia quasi *mixta*, quæ scilicet certo corpori aut collegio personarum conceduntur, & ideò à quibusdam privilegia *corporalia* nuncupantur, atque hæc non tantum penes eos manent, qui de facto in tali corpore vel collegio vivunt, sed etiam ad successores eorum transmittuntur. Aliam etiam privilegiorum personalium speciem constituunt cum Sylvestro *V. privilegium q. 2.* quæ vocant *communiter personalia*, quando nec uni singulari personæ, nec certo corpori, sed certo generi personarum, uti minorennibus, militibus, & feminis, privilegium concessum est, quæ aliquando etiam ad hæredem eatenus transeunt, ut illis hæres saltem ex persona defuncti, & circa casus, qui jam tunc in vita ejus evenerunt, uti possit. Ita si minor ex contractu læsus, & intra tempus restitutionis mortuus sit, beneficium restitutionis in integrum etiam hæredi ejus indulgetur, *l. non solum 6. ff. De in integrum restitut.*

Sed quid si dubitetur, an *personale*, *vel reale* sit privilegium? R. Ante omnia formam verborum benè attendendam esse, an principaliter in rem, vel conditionem, vel potiùs in personam dirigantur. Ita si privilegium detur alicui Prælato sub nomine dignitatis v. g. Tibi Episcopo Salisburgensi: non exposito, vel saltem postposito nomine proprio, censebitur *reale*, & dignitati concessum *arg. c. quoniam 14. de Officio Delegati.* Panorm. *in c. mandata 6. de Præsumpt. n. 2.* Item etiam natura privilegii considerandaerit, an sit tale, quod ordinariè etiam successoribus concedi soleat, vel non. Quòd si neque ex his satis appareat, communiter distinguunt, an privilegium sit *odiosum*, ut quia contra jus commune, vel in alterius præjudicium, vel an sit *favorabile* continens meram gratiam citra alterius præjudicium? Priori casu censebitur *personale*, juxta regulam, quòd odia restringenda sint, & quæ à jure exorbitant, non debeant trahi in consequentiam, *c. odia 15. & c. quæ à jure 28. de R. J. in 6.* Posteriori verò *reale*, & habebit locum, quod dicitur, *in c. 16. de R. J. in 6. decet concessum à principe beneficium esse mansurum*, & in *l. 3. ff. de Constit. Principum* beneficium Principis quàm plenissimè interpretari debere.

Hinc colligitur *tertia* divisio, quòd aliud privilegium sit *contra jus*, & consequenter strictæ interpretationis, ut exemptio à solvendis decimis, à jurisdictione Ordinarii &c. aliud sit *ultra jus*, & interpretationis largioris, veluti potestas absolvendi à reservatis, dispensandi &c. quando scilicet ipse actus sive materia privilegii, non est quidem in se jure prohibita, sed tamen non nisi certis personis concessa.

IV. Dividitur, quòd aliud sit datum *ad preces*, sive supplicationem privilegiati, aliud *motu proprio*, quod posterius tunc tale censetur, si hæc ipsa clausula (*motu proprio*) litteris privilegii inserta sit, etiamsi fortè privilegiatus per se, vel per alium pro eo supplicaverit. Textus & Gl. *in c. si motu 23. de Præbendis in 6.* Est autem inter utrumque notabilis differentia, quòd privilegium *motu proprio* concessum non tantùm sit altero favorabilius, & plenissimæ interpretationis, *c. quamvis 4. cùm ibi notatis per Gloss. in Verbo plenissime, de Præbendis in 6.* sed etiam non possit sub: vel obreptionis argui *d. c. si motu.* Econtra verò, quod sine dicta clausula simpliciter ad preces conceditur, corruit propter falsa narrata, vel tacitam veritatem, quæ de jure aut stylo curiæ exprimi debuisset: subintelligitur enim semper illa tacita conditio: *si preces veritate nitantur c. 2. & passim de Rescriptis.*

Quinta demùm divisio est, quòd quædam privilegia sint *mere gratiosa*, quædam verò *remuneratoria*, vel sub reciproca privilegiati obligatione ad aliquid dandum, vel faciendum concessa, adeoque *conventionalia*. Priora habent tacitam conditionem, ut durent, quandiu Principi vel successoribus placuerit: posteriora verò, maximè conventionalia ad instar aliorum contractuum sunt perpetua, & non nisi ex urgentissima causa ad bonum publicum pertinente revocantur.

---

§. II.

Qualiter acquirantur Privilegia.

SUMMARIA.

6 *Ad privilegii concessionem an requiratur Scriptura, & ibi de Reg. Cancell. 25. & 53. quid in utroque foro operentur.*
7 *Quis possit privilegia concedere?*
8 *Privilegia non subditis concessa nequeunt revocari.*
9 *De communicatione Privilegiorum.*
10 *Privilegium an prosit à tempore datæ, vel notitia.*
11 *Privilegium acquiritur consuetudine, & præscriptione.*

Alia Summaria post §. 3.

PRimus acquirendi modus est ipsa actualis concessio 6
superioris, ad quam communi DD. sententia non requiritur scriptura, sed etiam oretenus facta subsistit, Text. *in Clem. 2. dubium §. nos etenim, & ibi* Gloss. *in verbo de Sepulturis Extrav. etsi Dominici 3. de Pœnit. & remiss.* Zoesius *h. t. n. 3.*

De stilo tamen Curiæ Romanæ, & ex Regulis Cancel- 7
lariæ Apost. Gratiæ ante expeditionem litterarum dicuntur *informes*, & nulli suffragantur dispensationes in judicio, vel extra, antequam super iis litteræ Apostolicæ sint confectæ, quia quod S. Pontifex in signatura ad libellum supplicantis simpliciter per verbum *fiat* concedit, id deindè primum in litteris Apostolicis cum certis clausulis extenditur, vel limitatur. Vid. *Reg. Canc. 25. De non judicando juxta formam supplicationis, sed litterarum expeditarum, & Reg. 53. Ut nulli suffragetur dispensatio, nisi litteris confectis, & utrobique* Joannis à ChoKier *in Comment. in reg. Cancell.*

Utrum autem saltem in foro conscientiæ uti liceat dis- 8
pensatione, vel gratia ante litterarum expeditionem dubitatur? Negativa videtur verior Joanni à ChoKier *ad d. reg. 53. n. 11.* eò quòd à tempore Pii V. in illa regula addita sint verba, *in judicio, vel extra cuiquam suffragetur &c.* allegat Garc. *de Benef. p. 4. c. 1. n. 13.* Et hæc sententia tutior est. Altera tamen affirmativa non est improbabilis, quàm docet Abbas, Rebuf. Gutierez, & alii apud ChoKier *d. l. sub n. 10.* & citati apud Zoes. *h. t. n. 4.* quibus adde Paulum Laym. *in Theol. mor. lib. 1. tr. 4. c. 23. sub n. 10.* Ratio adjungi potest, quod gratia quoad suam substantiam (licet non quoad omnes qualitates) dicatur perfecta per solam signaturam. Barb. *Jur. Eccles. univ. lib. 3. c. 13. nu. 199.* & quamvis Pontifices novissimè addant in regula, *in judicio, vel extra.* tamen istud verbum *extra*, potest habere alium sensum, quam ut forum conscientiæ respiciat; ne v. g. Episcopus, vel parochus possit extrajudicialiter procedere secundùm gratiam ex sola signatura.

Nomine autem superioris, qui privilegia concedere 9
valeat, præter summum Principem veniunt etiam inferiores Domini, saltem circa tales materias, de quibus ipsi legem, vel statuta concedere possunt. Neque refert, an privilegiatus sit subditus privilegiantis, dummodo materia privilegii sit sub ejus jurisdictione; ita potest Princeps alicui extraneo concedere privilegium, ut in suo territorio sit liber à solvendis vectigalibus, ita Imperatores multa privilegia partim in jure communi, partim per specialia diplomata Ecclesiis, & Ecclesiasticis concesserunt, quamvis non sint sub jurisdictione sæcularium Principum

e. quam-

c. quamquam 4. de Censibus in 6. Imò volunt DD. privilegium concessum non subdito, & in specie Ecclesiis habere naturam pacti, consequenter revocari non posse. Gloss. *in c. 16. de R. J. in 6. vers. ex hac regula.* Innocent. & Panor. & Felin. *in c. novit 13. de Judiciis.* Zoes. *h. t. n. 39.*

11 II. Acquiritur privilegium per *communicationem*, quando superior privilegium, quod uni simpliciter concessit, etiam ad alterum extendit; ita privilegia unius Universitatis, vel Religionis solent communicari alteri Universitati, vel Religioni, prout *in Lib. II. in Tit. 2. de Foro competenti*, dixi huic nostræ Universitati in diplomate Pontificio, & Cæsareo communicata esse omnia, & singula privilegia aliarum Universitatum Italiæ, Galliæ, & Germaniæ *non solùm ad earum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter &c.* Alia quoque exempla communicationis privilegiorum sunt *in c. 2. h. t. in 6. l. omnia 35. C. de Episcopis, & Clericis, in l. penult. C. de Advocatis diversorum iudiciorum*, & specialem tractatum *de Privilegiis ad instar*, id est, communicatis scripsit Horatius Mandosius.

Est autem notandum, quòd regulariter hæc communicatio privilegiorum tantùm intelligatur de præsentibus tempore communicationis, & non comprehendat nova privilegia, quæ priori privilegiato post communicationem accesserunt: nisi amplitudo verborum communicationis sit talis, ut inde possit colligi mentem privilegiantis fuisse etiam circa futura. Econtrà si privilegio *ad instar*, sive communicationi addantur nova quædam privilegia, non propterea gaudebit iisdem prior privilegiatus, cujus privilegia communicata sunt: quia dantur secundo privilegiato sine respectu ad primum, & aliàs privilegia ultra personas, vel res expressas ordinariè extendenda non sunt.

Quòd si Privilegium alteri communicatum penes primum privilegiatum prorsus abrogetur, vel restringatur, non nocebit secundo privilegiato per communicationem: quia hujus privilegium dependet quidem à priori in productione, sed non in conservatione, sicut rectè docet Suar. *de Legibus c. 15.*

12 Quæritur hoc loco, an privilegium statim effectum suum habeat à tempore collationis, vel potiùs tunc primum, quando devenerit in privilegiati notitiam, ab eoque acceptatum fuerit? v. g. an privilegiatus super decimis, & tributis non solvendis possit cessare in solutione decimarum, vel tributorum à die dati, vel potius accepti privilegii; Communior sententia distinguit, an superior per se, & motu proprio, vel etiam ad instantiam alicujus tertii, sine mandato tamen privilegiati contulerit privilegium, vel an privilegiatus ipse, vel per epistolam, vel Procuratorem pro eo supplicaverit? Primo casu non habebit effectum privilegium ante acceptationem, sicut quælibet alia donatio, vel beneficii collatio, *l. absenti 10. ff. de Donat. l. qui absenti 38. ff. de Acquirenda possessione c. si tibi absenti 17. de Præb. in 6.* nisi superior velit privilegium statim effectum suum habere, quod ab eius voluntate dependet. Altero autem casu statim à die collationis incipit effectus: quia tunc quando privilegiatus supplicat, & superior concedit, jam adest mutuus consensus, & consequenter perfecta donatio, sicut notat Silvester V. *Priv. n. 16.* Sanch. *de Matr. lib. 3. disp. 36.* Vid. tamen quæ dixi *in Lib. IV. t. 3. n. 17.* ubi argumenta pro, & contra latius expendi, in ordine ad illam quæstionem, an licentia à proprio Parocho data alieno Sacerdoti ad assistendum Matrimonio debeat necessariò priùs huic innotuisse.

13 III. Acquiritur privilegium consuetudine, vel præscriptione, præsertim illa, cujus initium hominum memoriam excedit, quæ communiter ipsi privilegio æquiparatur. Text. & DD. *in c. novit 13. de Judic. & in cap. super quibusdam de Verborum significat.* Sed & minori tempore videl. contra privatos 30. contra Ecclesiam 40. annorum spatio privilegium, vel exemptio aliqua præscribi potest, *c. de quarta c. cùm olim de Præscript.* quomodo illæ conditiones adsint, quæ *in t. de Consuetudine & de Præscript.* traduntur.

§. III.

Qualiter amittantur Privilegia.

S U M M A R I A.

14 *Privilegium amittitur per interitum personæ, aut rei privilegiatæ.*
15 *Gratia non expirant morte concedentis, & ibi de indulto conferendi beneficia reservata.*
16 *Privilegium amittitur per abusum, & si incipiat esse nocivum.*
17 *Privilegium amittitur per renunciationem expressam, nisi concernat publicum favorem.*
18 *Exempti an, & quando suæ exemptioni renunciare possint, & quanta præscriptio currat contra exemptionem?*
19 *Latè examinatur difficilis quæstio, quando per renuntiationem tacitam, non usum, aut usum contrarium amittantur privilegia, & ibi singularis interpretatio.* c. si de terra 6. h. t.
20 *Privilegium quando cesset cessante causa finali.*
21 *Revocatione quando, & qualiter amittantur privilegia.*

Alia Summaria post §. 4.

AMittitur privilegium I. per *interitum personæ*, aut *rei privilegiatæ*; Personæ quidem, si privilegium personale, rei verò, si reale sit. Veruntamen non indistinctè per interitum rei interit etiam privilegium reale sed tunc demùm, si vel authoritate superioris, vel aliunde sine spe refectionis res privilegiata destruatur. Si verò per ruinam, bellum, aliumve casum domus v. g. privilegiata corruat, conservantur ejus privilegia, & reviviscunt, si denuò reficiatur, *l. æde sacra 73. ff. de Contrahenda emptione.* Gloss. *in c. 7. in V. privileg. personale de R. J. in 6.* 14

E converso per mortem superioris privilegium concedentis regulariter non amittitur ipsum privilegium, etiamsi superior re integra, id est, antequam privilegiatus suo privilegio utatur, decesserit, juxta receptum juris axioma, quòd *gratiæ etiam re integra morte concedentis non expirent c. si super 9. de Officio deleg. in 6. c. si cui nulla 36. de Præbendis in 6.* ita si quis obtinuerit privilegium à Pontifice, vel Episcopo absolvendi à reservatis, dispensandi in certis casibus, poterit uti suo privilegio etiam post mortem Pontificis, vel Episcopi concedentis. 15

Exceptionem tamen addit Pontifex *in d. cap. si cui nulla in fine.* circa gratiam, quæ datur per viam commissionis sive delegationis, quæ non tendat in ipsius Commissarii, sed alterius tertii favorem v. g. ut alicui personæ certæ causa cognita de beneficio provideat, dispensationem concedat, qualis gratia *facienda* dicitur, & expirat morte concedentis re integra, antequam delegatus commissionem suam executioni mandaverit; sicut idem etiam accidit in rescriptis justitiæ, per quæ causa aliqua judicialis ad commissionem Papæ spectans inferiori committitur, & delegatur, ejus delegati officium expirat morte delegantis re integra, *c. relatum 19. & c. gratum 20. de Officio delegati.* Distinguitur autem gratia *facienda* à gratia *facta*, de qua *in c. si super 9. de Offic. deleg. in 6.* quòd per illam tam provisio, vel dispensatio &c. quàm executio demandetur, in hac autem gratiam ipsam perficiat Pontifex, & tantùm alteri ejus executionem committat, quæ proinde gratia, cùm jam in vita S. Pontificis fuerit perfecta, debet etiam post mortem ejus executioni mandari. 16

Confertur præterea aliquando gratia per viam commissionis data esse in favorem ipsius commissarii, vel delegati, si universalis commissio ad plures causas facta sit v. g. ut semper authoritate Papæ talis de beneficiis reservatis aliis providere, vel in certis casibus dispensare posset, quæ morte concedentis non expirat *d. cap. si cui nulla, & ibi* Barb. *in Collect. DD. n. 1.* Latè Sanch. *de Matr. l. 8. disp. 28.* Quid autem circa indultum conferendi beneficia reservata specialia ex *Reg. 15. Cancell.* videatur inferiùs *n. 21.*

Præterea etiam videtur addi posse illa limitatio circa privilegium motu proprio concessum, quòd per superiùs dicta ad effectum producendum juxta communem requirat utriusque consensum, & privilegiati notitiam, & acce-

ptationem, si ergo mors concedentis præveniat acceptationem, interrumpit voluntatem ejus, & consequenter deficit utriusque consensus, *arg. l. absenti 10. ff. de donationibus juncta l. 4. ff. Locati*.

II. Amittitur privilegium *per abusum* privilegiati, si occasione privilegii delinquat, veluti si quis spe immunitatis in Ecclesia crimen committat *c. ult. de immunitate Eccles. c. ubi 7. dist. 74.*

III. Si privilegium cedere incipiat in grave aliorum, vel communitatis detrimentum, saltem per sententiam revocari potest *c. suggestum 9. de Decimis & cap. penul. de Clericis non residentibus*.

17 IV. *Per renuntiationem expressam*, quæ fit per pactum, aut verbis expressis etiam amittitur privilegium; quia quilibet potest favori pro se introducto renunciare, *l. penult. C. de Pactis*. Sed hoc, si privilegium præcisè favorem particularis personæ respiciat, secùs verò si principaliter concessum sit in favorem publicum, vel certi Ordinis, aut communitatis, vel si alterius, quàm solius privilegiati interesse in tali privilegio versetur; quemadmodum Clerici privilegio *fori, & Canonis* in honorem totius Ordinis Clericalis concesso renunciare nullatenus possunt, *c. si diligenti 12. de Foro competenti & c. contingit 36. de Sent. excom.* Item etiam exempti suæ exemptioni in præjudicium summi Pontificis, cujus jurisdictioni immediatè subsunt, renuntiare non valent. Pan. *in cap. cum tempore 5. de Arbitriis*. Hinc etiam est, quod contra talem exemptionem non nisi centenaria præscriptio, quæ sola contra Romanam Ecclesiam currit, admittatur. Arnold. Rath. Professor quondam meus colendiss. *in Tr. de Usucap. assert. 38.* Fach. *lib. 1. consiliorum consilio 56. per textum in c. 4. de Confirmatione utili, & in c. ad audientiam 13. de Præsc.*

18 Interim, quia privilegium non debet esse onerosum privilegiato, ne quod ob gratiam alicujus conceditur, in ejus dispendium retorqueatur: *contra reg. 61. Juris in 6.* ideò graves DD. sustinent, quod exempti cum suorum Prælatorum consensu (vel etiam sine hoc, si à prælatis irrationabiliter negetur) subiicere se possint Episcopo, ut ab eo absolvantur à peccatis, ac censuris, vel dispensetur cum eis in voto, juramento, irregularitate, casu quo Episcopus, non autem Prælatus Ordinis talem facultatem haberet. Henr. *lib. 7. c. 25. n. 2. & l. 15. c. ult. in fin.* Molina *tr. 3. disp. 61.* Laym. *in Theolog. moral. l. 1. tr. 4. c. 23. sub n. 7.*

19 V. Amittitur Privilegium per *renuntiationem tacitam*, quæ juris interpretatione censetur fieri per *non usum privilegii*, aut *usum contrarium*. Et in hoc quidem omnes DD. facilè consentiunt.

Sed difficilima, & propter diversos utriusque Juris textus plurimum intricata controversia est, quanto temporis spatio, & quot actibus iste *non usus privilegii*, vel *usus contrarius* debeat fuisse continuatus, ut dici possit privilegium ob *tacitam renuntiationem* amissum?

Etenim *in l. 1. ff. de Nundinis*; ait J. C. *nundinis impetratis a Principe, non utendo qui meruit, decennii tempore usum amittit*.

In *l. voluntaria 12. C. de Excusat. tutor.* rescriptis Imper. *voluntaria tutela munera privilegiis nihil derogant*. Cujus sensum exponit Salicet. & DD. communiter, quod habens privilegium, ne teneatur tutelas pupillorum suscipere, non præjudicet suo privilegio, si unam voluntariè suscipiat.

In c. *cum accessissent 8. de constit.* Ecclesiæ cujusdam Canonici habuerunt statutum à Sede Apost. confirmatum, ne primiceriatus in eorum Ecclesia amplius dignitas esset, sed fructus: & proventus ejus inter Canonicos distribuerentur, rescripsit S. Pontifex hoc statutum debere in suo robore permanere, *nisi postea dicti Canonici contra venerint, aliquem in primicerium eligendo*.

In *c. si de terra 6. h. t.* Alex. III. Abbati, & Monachis S. Andreæ Cisterc. Ord. decisionem dedit in hæc verba: *Si de terra quam habetis in Parochia Canonicorum de Plantio, per triginta annos eis decimas persolvistis, eas sibi de cætero integrè persolvatis. Licèt enim privilegiorum Romana Ecclesia beneficio Fratribus Cisterc. Ord. indultum fuerit, quòd de laboribus suis nullas decimas persolvere debeant, de privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluistis: cum liberum sit unicuique suo juri renunciare, eoque modo non potestis vos in hac parte tueri*. In hoc igitur c. in triginta annorum decursu tacita privilegii renunciatio censetur. At

In *c. accedentibus 14. eod. t.* Innoc. III. *de quadraginta annis* responsum dedit. *Mandamus* inquit, *quatenus si Abbas, & Monachi sufficienter ostenderint, quòd à Templariis decimas de Terris prædictis per quadraginta annos continue perceperint sine lite, vos ad præstationem ipsorum Templarios compellatis; cum enim tanto tempore contra privilegia decimas solverint, eis renuntiasse tacitè præsumuntur. Quòd si in probatione defecerint, ab ipsorum impetitione Templarios absolvatis.*

Circa istorum textuum diversitatem varii varias excogitarunt conciliationes, & resolutiones, uti videre est apud Gloss. Panorm. Barb. *cæ.*

Prima conciliatio est Summarii *in d. c. accedentibus 15. n. 4.* quòd quidquid sit de jure Civili, de jure Canonico privilegia Ecclesiarum olim quidem tempore Alex. III. fuerint extincta lapsu triginta annorum, cum, & aliæ præscriptiones rerum Ecclesiasticarum olim nonnunquam 30. annis fuerint admissæ, *c. Sanctorum 3. de Præsc.* id tamen postea per Innoc. III. *in d. c. accedentibus* ad 40. annos fuerit extensum. Verùm hæc sententia aliis non immeritò displicet; eo quòd longè ante tempore Alex. & Innoc. III. ab Antecessoribus Pontificibus, & Justiniano Imper. præscriptio quadragenaria fuerit introducta, *c. 2. 16. q. 5. c. de quarta 4. & c. illud 8.* (quod c. est ipsiusmet Alex. III.) *de Præsc. auth. quas actiones C. de SS. Eccl. Et d. c. Sanctorum*. Summarium, & Gloss. de præscriptione Ecclesiæ contra privatum interpretantur, ad eum modum, quo de jure Civili præscriptio 30. annorum datur *t. C. Præsc. 30. annorum*.

Altera solutio est Gloss. *in d. c. accedentibus in V. per XL. annos* quòd privilegia perdantur eodem tempore, quo præscribitur contra jus commune, quòd verò *in d. c. si de terra*, triginta annorum, & *in c. accedentibus*, quadraginta annorum mentio fiat, non esse dispositionem *juris*, sed narrationem *facti*, quia scilicet in facti contingentia illorum Capitulorum ita accidit, quando autem tempore contra jus commune præscribatur Gloss. ulteriùs non decidit.

Barbosa *in d. c. si de terra* quamvis *n. 4.* præfatam Gloss. interpretationem rejicere, tamen deinde *sub nu. 7.* planè cum eadem convenire videtur: dicit enim se existimare, quòd allegati textus nec in tempore 30. nec 40. annorum sed in tacita renunciatione se fundent, & istius tacitæ renunciationis præsumptio ex non usu, vel usu contrario longo tempore etiam duntaxat decem annorum contra ipsas quoque Ecclesias inducatur.

Paulus Laym. *in Theol. mor. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 21.* cum Suarezio, & aliis, quos citat, facit distinctionem inter privilegia *affirmativa*, quæ scilicet dantur ad aliquid faciendum, uti est privilegium nundinarum, vectigalium exigendorum &c. & inter privilegia *negativa*, quæ sunt ad non faciendum v. g. immunitas à solvendis decimis, vectigalibus &c. illa *de affirmativa*, si aliis sint onerosa cēset amitti per *non usum* lapsu decenii *arg. d. l. 1. de Nundinis*, nam, & privilegium nundinarum inter onerosa numerat Gloss. pen. *in c. ut privilegia 24. h. tit.* cum saltem oneri sint Mercatoribus incolis, quo minus propter adventum exterorum res suas distrahere, & lucrum captare valeant. Modò tamen utendi occasio fuerit, alioquin non volenti agere non currat præscriptio, ut si habens jus gladii longo tempore nullum malefactorem ceperit. Vid. Gail. *lib. 2. observ. 60. n. 6.* Illa verò *negativa* ait duplici via amitti posse, vel per viam præscriptionis (quod maximè procedit, quando Adversarius aliquis est in possessione contra privilegium, ut *in d. c. accidentibus*) & tunc Ordinarium tempus præscriptionis requiretur; vel per viam tacitæ renunciationis, & tunc sufficiet *actum contrarium* privilegio exercere, dummodo ex circumstantiis, vel lapsu temporis præsumi possit actum contrarium animo renunciandi privilegio factum fuisse.

Addit verò exceptiones, ut I. circa privilegia nemini onerosa tam affirmativa v. g. dispensandi, absolvendi, consecrandi, &c. quàm negativa, v. g. non ieiunandi &c. quæ ex plurium sibi adstipulantium opinione docet per non usum, aut usum contrarium haud quaquam perire, cū in similibus non usus, vel usus contrarius sit actus liberæ

vo-

voluntatis, qui non inducit præscriptionem, vel renunciationem: præsertim si privilegium non consistat in uno solo actu, sed habeat causam successivam, & effectum reiterabilem *arg. l. voluntaria C. de excusat. tut.* & idem docet in qq. Canon. *de Prælat. elect. Dilinga disp. q.* 225.

II. Tradit, privilegia concessa principaliter in favorem Ecclesiæ, alteriusve communitatis, non posse tolli per renunciationem particularium personarum v. g. Prælati, Cleri, nisi superveniat tempus præscriptionis legitimum. Cæterum autem quid in specie respondendum sit ad textum *in d. c. si de terra h. t.* ubi tacita renunciatio Monachorum habetur pro sufficienti, etsi tempus 40. annorum ad præscriptionem requisitum non fuerit elapsum, ulterius non explicat, sed Suarez *d. l. c* 34. *n.* 18. & 14. ex eo Barb. *in d. c. si de terra sub num.* 7. singulariter adnotavit, quòd hæc sit privilegiorum natura, ut per non usum amittantur, & sub hac tacita conditione ab initio intelligantur concessa tam respectu Ecclesiarum quàm aliorum.

Quid ergo in re tam perplexa statuendum: expediret sanè in hac DD. altercatione, quæ in praxi frequenter magna præjudicia secum trahere potest, apertiorem juris declarationem habere, interim antequam ea ab aliquo S. Pontifice emanet, cuilibet liberum relinquo, quàm ex relatis opinionibus tanquam probabiliorem sequi velit. Mihi, salvo meliori judicio, videtur difficultas omnium facillimè enodari per illam exceptionem, quàm superius ex Gloss. *in d. c. accedentibus h. t.* attulimus, nimirum quod mentio de 30. & 40. annis *in dd. cc.* sit tantùm narratio *facti*, non dispositio juris, aliàs verò privilegia ammittantur eodem tempore, quo contra jus commune præscribitur. Hæc Gloss. quamvis textu expresso non firmetur, plurimum tamen rationabilis est, quia privilegium lex privata est, ut in *princ. tit.* dictum, & cum lege communi in causa deficiente, & materiali convenit. Imò etiam majori ex parte in formali, & potissimum tantùm in finali differt, quod lex communis ad publicam utilitatem, privilegium verò ad privatam tendat, ex hac ipsa tamen differentia validum argumentum à majore ad minus duci potest; si enim lex communis publicam utilitatem concernens spatio v. g. 10. annorum per non usum abrogari potest, ergo multò magis privilegium privatam tantùm utilitatem respiciens, præsertim si sit contra jus commune, aut in præjudicium tertii, quod aliàs restringi meretur, & favorabilis est ad jus commune reductio. Abb. *in c. fin. de Consuet. n.* 19. & Felin. *in c. cum accessissent de Constit.* de hac tamen reductione ad jus commune, quanto tempore fiat, & de doctrina Abbatis, & Felini *dd. ll.* videatur Gonz. *ad reg.* 8. *Cancel. Gloss.* 7. *n.* 9. & *multis seqq.*

Sed jam videamus quanto tempore per non usum, vel usum contrarium juri communi derogetur? Fatetur Menoch. *de Arbitr. Jud. lib.* 2. *cent. cas.* 53. *n.* 5. non esse jure definitum tempus ad introducendam consuetudinem cōtra legem, & ideo judicis arbitrio relinquendum, qui juxta levitatem, vel gravitatem materiæ, super qua consuetudo introducta prætenditur, etiam contra Ecclesias aliquando decem, aliquando quadraginta, & aliquando immemoriale, tempus determinare debeat. Idem pene Valensis, *tit. Decretal. de Consuetudine* §. 2. *n.* 2.

Alii verò distinguunt, an lex ab initio nunquam fuerit in usum deducta, vel an fuerit aliquando deducta, sed postea contrario usu intermissa? Priori casu censent spatium *decennii* etiam contra legem Ecclesiasticam sufficere, posteriori autem contra legem Civilem decennium, contra Ecclesiasticam 50. annos requiri Garc. *de Benef. p.* 7. *c.* 1. *n.* 137. Nav. *in Man. confess. c.* 23. *n.* 40. 41. & 92. Erasmus à Chokier. *de Jurisd. Ordin. in exempt. p.* 1. *q.* 50. *n.* 26. Zoes. *ad tit. decretal. de Consuetud. n.* 24. Laym. *in Theol. Moral. lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 4. ubi plures allegat.

Et ista opinio videtur optimè ad nostrum propositum accommodari, atque per eam plures textus, & DD. inter se conciliari posse, ut scil. illi, qui amissioni privilegiorum ex non usu quadraginta annos præscribunt, intelligantur de privilegiis semel receptis, & usitatis; qui verò minori tempore v. g. 10. annorum contenti sunt, intelligantur, vel de jure Civili, vel etiam de jure Canon. in privilegiis, quæ nunquam in usum devenerunt.

Specialis quidem adhuc superest ratio dubitandi circa *d. c. si de terra* 6. *h. t.* ubi privilegium immunitatis à solvendis decimis pridem fuit Ordini Cist. concessum, & utique etiam saltem in aliis locis in usum deductum, & tamen minori tempore, quàm 40. annis amissum. Sed sciendum est, quòd privilegium Cisterciensium, & aliorum monachorum, ne teneantur de laboribus suis dare decimas, sit clausum in corpore Juris *c. decimas* 47. *causa* 16. *q.* 1. *c. ex parte* 10. *cum seqq. X. de decimis*, ideoq; comparetur legi communi, juxta dicta superiùs *sub n.* 2. sicut ergo lex potuit in uno loco fuisse, & non in altero, ita quoque tale privilegium, si ab erectione Monasterii ejus usus per longum tempus fuerit non tantùm intermissus, sed insuper contra privilegium nemine cogente actum, forsan autem nonnunquam talibus novis religiosis ex justa causa per restitutionem in integrum succurreretur. *Arg. L. un. C. Si adversus usucap. junct. c.* 1. *de in integr. rest.* Quod si quis in favorem Religionis interpretationem singularem tentare vellet, & dicere, hic nos versari in casu medio, ubi privilegium Ordini concessum partim receptum est, partim non receptum quoad specifica loca, ideoque S. Pontificem, *in d. c. si de terra*, plus quàm 10. & minus quàm 40. annos scilicet 30. statuisse, putarem non omni probabilitate destitui. Licèt autem objici posset, idem consequenter debere dici de aliis legibus, quæ in aliquibus locis receptæ, & in aliis receptæ non sunt; assignabilis tamen foret disparitas, quod inter locum, & locum minor sit connexio, quàm inter Monasteria ejusdem Ordinis, ut nihil dicamus, quod ipsum per aliam legem, vel Canonem (abstrahendo à præsenti) decisum non sit, quanto tempore lex præsertim Canonica alicubi recepta in particulari loco aboleatur.

Cur autem Ecclesia minori tempore amittere debeat privilegium nunquam ab initio in usum deductum quàm deductum, & postea intermissum? ratio non incongruè assignari potest, quòd jus privilegii semel in usum deductum quoad proprietatem, & possessionem verè incorporatum sit Ecclesiæ, ideoque sicut alia jura incorporalia Ecclesiæ sine debitis solemnitatibus, aut legitima præscriptione alienari nequeat, at verò privilegium, cujus usus & possessio nunquam capta est, videtur comparari posse rei nunquam traditæ, seu Ecclesiæ bonis incorporatæ, prout in servitutibus aliisque juribus incorporalibus usus sciente, & patiente adversario traditionis loco habetur *l.* 3. *ff. de Usufructu l. fin. ff. de Servitutibus l.* 1. §. 2. *ff. de Servit. rust. præd.* quales ex communi DD. sententia etiam sine solemnitate renuntiari possunt, cum potius censeantur pleno jure non acquiri, quam alienari, *arg. l.* 6. *ff. Quæ in fraud. credit.* ut in Tit. *de Reb. Eccles. non alien.* diximus vid. Sylv. *v. alienatio. n.* 14. Riccius *in praxi aurea p.* 1. *res.* 62. & proinde hæc ipsa renunciatio per non usum longi temporis, vel usum contrarium in privilegiis juxta naturam ipsorum facta censebitur.

Illa quoque non est contemnenda interpretatio Barb. *in d. c. si de terra h. t. n.* 5. circa diversitatem textuum *in eod. c. si de terra*, & *in c. accidentibus h. t.* quòd *in c. accedentibus*, ideò 40. anni fuerint expressi, quia ibi agebatur de vera præscriptione Monachorum contra Templarios, cum de jure communi decimæ ad Monachos non pertinebant; at verò *in c. si de terra*, non fuerit opus præscriptione ex parte Canonicorum, utpote ad quos in illo casu jure Parochiali spectabant decimæ, sed tantùm renuntiatione, & amissione privilegii ex parte Cisterciensium, (& quæ non usu, vel potiùs usu contrario longo tempore continuato præsumitur) eaque facta ipso jure decimæ ad Canonicos redibant.

Textum porrò *in c. cum accessissent de Constitut.* ubi unico actu videtur renunciari posse privilegio, explicat Barb. *ib. n.* 8. quòd istud privilegium non habuerit tractum successivum, sed unico effectu constiterit, & ideò per unicum actum contraventionis tolli potuerit, sicut enim extinctio dignitatis (de qua in illo *c.*) unico actu perficiebatur, ita contraventio unico actu facit, ut ea de novo erecta, & privilegium revocatum censeatur. Quod si verò privilegium haberet *tractum successivum*, & *effectum reiterabilem*, v. g. non solvendi decimas, vectigalia &c. censet cùm Suar. *d. ll. lib.* 8. *c.* 34. *n.* 12. & *seq.* per unum actum contraventionis non amitti privilegium, dari tamen exinde adversario quasi possessionem in ordine ad præscribendum contra privilegium.

VI. Perditur privilegium, si cessat *causa finalis*, ob 20

voluntatis, qui non inducit præscriptionem, vel renunciationem: præsertim si privilegium non consistat in uno solo actu, sed habeat causam successivam, & effectum reiterabilem *arg. l. voluntaria C. de excusat. tut.* & idem docet in qq. Canon. *de Prælat. eccl. Dilinga disp. q.225.*

II. Tradit, privilegia concessa principaliter in favorem Ecclesiæ, alteriusve communitatis, non posse tolli per renunciationem particularium personarum v.g. Prælati, Cleri, nisi superveniat tempus præscriptionis legitimum. Cæterum autem quid in specie respondendum sit ad textum *in d. c. si de terra h. t.* ubi tacita renunciatio Monachorum habetur pro sufficienti, etsi tempus 40. annorum ad præscriptionem requisitum non fuerit elapsum, ulterius non explicat, sed Suarez *d. l. c 34. n. 18. & 14.* ex eo Barb. *in d. c. si de terra sub num. 7.* singulariter adnotavit, quòd hæc sit privilegiorum natura, ut per non usum amittantur, & sub hac tacita conditione ab initio intelligantur concessa tam respectu Ecclesiarum quàm aliorum.

Quid ergo in re tam perplexa statuendum? expediret sanè in hac DD. altercatione, quæ in praxi frequenter magna præjudicia secum trahere potest, apertiorem juris declarationem habere, interim antequam ea ab aliquo S. Pontifice emanet, cuilibet liberum relinquo, quàm ex relatis opinionibus tanquam probabiliorem sequi velit. Mihi, salvo meliori judicio, videtur difficultas omnium facillimè enodari per illam exceptionem, quàm superius ex Gloss. *in d. c. accedentibus h. t.* attulimus, nimirum quòd mentio de 30. & 40. annis *in dd. cc.* sit tantùm narratio *facti*, non dispositio juris, aliàs verò privilegia ammittantur eodem tempore, quo contra jus commune præscribitur. Hæc Gloss. quamvis textu expresso non firmetur, plurimum tamen rationabilis est, quia privilegium lex privata est, ut in *princ. tit.* dictum, & cum lege communi in causa deficiente, & materiali convenit. Imò etiam majori ex parte in formali, & potissimum tantùm in finali differt, quod lex communis ad publicam utilitatem, privilegium verò ad privatam tendat, ex hac ipsa tamen differentia validum argumentum à majore ad minus duci potest; si enim lex communis publicam utilitatem concernens spatio v. g. 10. annorum per non usum abrogari potest, ergo multò magis privilegium privatam tantùm utilitatem respiciens, præsertim si sit contra jus commune, aut in præjudicium tertii, quod aliàs restringi meretur, & favorabilis est ad jus commune reductio. Abb. *in c. fin. de Consuet. n. 19. & Felin. in c. cum accessissent de Constit.* de hac tamen reductione ad jus commune, quanto tempore fiat, & de doctrina Abbatis, & Felini *dd. ll.* videatur Gonz. *ad reg. 8. Cancel. Gloss. 7. n. 9. & multis seqq.*

Sed jam videamus quanto tempore per non usum, vel usum contrarium juri communi derogetur? Fatetur Menoch. *de Arbitr. Jud. lib. 2. cent. cas. 53. n. 5.* non esse jure definitum tempus ad introducendam consuetudinem contra legem, & ideo judicis arbitrio relinquendum, qui juxta levitatem, vel gravitatem materiæ, super qua consuetudo introducta prætenditur, etiam contra Ecclesias aliquando decem, aliquando quadraginta, & aliquando immemoriale, tempus determinare debeat. Idem pene Valsensis, *tit. Decretal. de Consuetudine §. 2. n. 2.*

Alii verò distinguunt, an lex ab initio nunquam fuerit in usum deducta, vel an fuerit aliquando deducta, sed postea contrario usu intermissa? Priori casu censent spatium *decennii* etiam contra legem Ecclesiasticam sufficere, posteriori autem contra legem Civilem decennium, contra Ecclesiasticam 30. annos requiri Garc. *de Benef. p. 7. c. 2. n. 137. Nav. in Man. confess. c. 23. n. 40. 41. & 92.* Erasmus à Chokier. *de Jurisd. Ordin. in exempt. p. 1. q. 50. n. 26.* Zoes. *ad tit. decretal. de Consuetud. n. 24.* Laym. *in Theol. Moral. lib. 1. tr. 4. c. 3. n. 4.* ubi plures allegat.

Et ista opinio videtur optimè ad nostrum propositum accommodari, atque per eam plures textus, & DD. inter se conciliari posse, ut scil. illi, qui amissioni privilegiorum ex non usu quadraginta annos præscribunt, intelligantur de privilegiis semel receptis, & usitatis; qui verò minori tempore v. g. 10. annorum contenti sunt, intelligantur, vel de jure Civili, vel etiam de jure Canon. in privilegiis, quæ nunquam in usum devenerunt.

Specialis quidem adhuc superest ratio dubitandi circa *d. c. si de terra 6. h. t.* ubi privilegium immunitatis à solvendis decimis pridem fuit Ordini Cist. concessum, & utique etiam saltem in aliis locis in usum deductum, & tamen minori tempore, quàm 40. annis amissum. Sed sciendum est, quòd privilegium Cisterciensium, & aliorum monachorum, ne teneantur de laboribus suis dare decimas, sit clausum in corpore Juris *c. decimas 47. causa 16. q. 1. c. ex parte 10. cum seqq. X. de decimis*, ideoque comparetur legi communi, juxta dicta superiùs *sub n. 2.* sicut ergo lex potuit in uno loco fuisse, & non in altero, ita quoque tale privilegium, si ab erectione Monasterii ejus usus per longum tempus fuerit non tantùm intermissus, sed insuper contra privilegium nemine cogente actum, forsan autem nonnunquam talibus novis religiosis ex justa causa per restitutionem in integrum succurreretur. *Arg. L. un. C. Si adversus usucap. jun. ct. c. 1. de in integr. rest.* Quod si quis in favorem Religionis interpretationem singularem tentare vellet, & dicere, hic nos versari in casu medio, ubi privilegium Ordini concessum partim receptum est, partim non receptum quoad specifica loca, ideoque S. Pontificem, *in d. c. si de terra*, plus quàm 10. & minus quàm 40. annos scilicet 30. statuisse, putarem non omni probabilitate destitui. Licèt autem objici posset, idem consequenter debere dici de aliis legibus, quæ in aliquibus locis receptæ, & in aliis receptæ non sunt; assignabilis tamen foret disparitas, quod inter locum, & locum minor sit connexio, quàm inter Monasteria ejusdem Ordinis, ut nihil dicamus, quod ipsum per aliam legem, vel Canonem (abstrahendo à præsenti) decisum non sit, quanto tempore lex præsertim Canonica alicubi recepta in particulari loco aboleatur.

Cur autem Ecclesia minori tempore amittere debeat privilegium nunquam ab initio in usum deductum quàm deductum, & postea intermissum? ratio non incongruè assignari potest, quòd jus privilegii semel in usum deductum quoad proprietatem, & possessionem verè incorporatum sit Ecclesiæ, ideoque sicut alia jura incorporalia Ecclesiæ sine debitis solemnitatibus, aut legitima præscriptione alienari nequeat, at verò privilegium, cujus usus & possessio nunquam cœpta est, videtur comparari posse rei nunquam traditæ, seu Ecclesiæ bonis incorporatæ, prout in servitutibus aliisque juribus incorporalibus usus sciente, & patiente adversario traditionis loco habetur *l. 3. ff. de Usufructu l. fin. ff. de Servitutibus l. 1. §. 2. ff. de Servit. rust. præd.* quales ex communi DD. sententia etiam sine solemnitatis tenuntiari possunt, cum potius censeantur pleno jure non acquiri, quam alienari, *arg. l. 6. ff. Quæ in fraud. credit.* ut in Tit. *de Reb. Eccles. non alien.* diximus vid. Sylv. *v. alienatio.* n. 14. Riccius *in praxi aurea p. 1. res. 62.* & proinde hæc ipsa renunciatio per non usum longi temporis, vel usum contrarium in privilegiis juxta naturam ipsorum facta censebitur.

Illa quoque non est contemnenda interpretatio Barb. *in d. c. si de terra h. t. n. 5.* circa diversitatem textuum *in eod. c. si de terra, & in c. accidentibus h. t.* quòd in *c. accedentibus*, ideò 40. anni fuerint expressi, quia ibi agebatur de vera præscriptione Monachorum contra Templarios, cum de jure communi decimæ ad Monachos non pertinebant; at verò *in c. si de terra*, non fuerit opus præscriptione ex parte Canonicorum, utpote ad quos in illo casu jure Parochiali spectabant decimæ, sed tantùm renuntiatione, & amissione privilegii ex parte Cisterciensium, (& quæ non usu, vel potiùs usu contrario longo tempore continuato præsumitur) eaque facta ipso jure decimæ ad Canonicos redibant.

Textum porrò *in c. cum accessissent de Constitut.* ubi unico actu videtur renunciari posse privilegio, explicat Barb. *ib. n. 8.* quòd istud privilegium non habuerit tractum successivum, sed unico effectu constiterit, & ideò per unicum actum contraventionis tolli potuerit, sicut enim extinctio dignitatis (de qua in illo *c.*) unico actu perficiebatur, ita contraventio unico actu facit, ut ea de novo erecta, & privilegium revocatum censeatur. Quod si verò privilegium haberet *tractum successivum, & effectum reiterabilem*, v. g. non solvendi decimas, vectigalia &c. censet cum Suar. *d. ll. lib. 8. c. 34. n. 12. & seq.* per unum actum contraventionis non amitti privilegium, dari tamen exinde adversario quasi possessionem in ordine ad præscribendum contra privilegium.

VI. Perditur privilegium, si cessat *causa finalis*, ob 20 quam

quam datum est, secundum regulam, quod cessante causa cesset effectus, *c. cum cessante*. 60. *de Appellat*. Interim cùm ordinariè (nisi aliter constet de mente concedentis) dependeat quidem privilegium à causa finali in produci, non verò in conservari, ideo habebit locum alia regula 73. *Juris in 6*. quod factum legitimè retractari non debeat, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari. V. g. si Monasterio ob ejus temporis inopiam concessum sit privilegium decimandi in aliena Parochia, vel exemptio à decimis in propriis agris, non expirabit hoc privilegium, licet Monasterium postea facultatibus augeatur. *Zoes. h. t. n.* 22. Quare hic quintus modus amittendi privilegium tunc præcipuè procedit, si finis non tantùm cesset negativè, sed contrariè, si scilicet usus privilegii ratione mutatæ materiæ, vel circumstantiarum fiat illicitus, & injustus; vel si in ipsiusmet privilegiati detrimentum cedat: veluti Clericus minorennis in caussis beneficialibus agere potest in judicio sicut majorennis. *c. ult. de Judiciis in 6*. non tamen propter hoc privilegium tanquam majorennis à beneficio restitutionis in integrum excludetur, quod enim ob gratiam alicujus est introductum, non debet in ejus odium retorqueri. *c. quod ob gratiam*. 61. *de R. J. in 6*.

21 VII. Demum amittitur privilegium *revocatione* concedentis, vel ejus hæredum: est enim hæc ordinaria natura privilegiorum, ut sub tacita revocationis conditione dati soleant, prout, cum Gloss. communiter sentiunt interpretes *ad c. novit*. 13. *de Judiciis*, *& ad reg*. 16. *juris in 6*. Sunt autem hic aliqua breviter notanda.

I. Si superior privilegio addiderit clausulam, *ad beneplacitum meum, quamdiu voluero &c*. expirabit privilegium sine alia revocatione sola morte concedentis, quia per mortem interrumpitur ejus voluntas, & beneplacitum. *c. si gratiosè* 5. *de Rescriptis in 6. juxta L*. 4. *ff. Locati* secus est, si v. g. dixerit: *ad beneplacitum sedis Apostolicæ, vel Episcopalis*: quia ipsa sedes non moritur, *d. c. si gratiosè*. Item si dicitur; *donec revocavero &c*. nihil immutatur morte concedentis: quia ex vi, & genuino sensu talium verborum requiritur positiva, & actualis revocatio. Cov. *Variarum Resolut. lib*. 3. *c*. 15. Illud quoque speciale est ex reg. Cancell. 9. & 15. quod *indultum seu privilegium conferendi beneficia reservata* per creationē novi Pontificis revocetur, & consequenter ejus revocatio denuò petenda sit. Interim nihil videtur obstare, quin sede Papali vacante exerceri possit, præsertim si beneficia sint tantùm ex regulis Cancellariæ reservata, ut in mensibus papalibus, regulæ enim Cancellariæ morte S. Pontificis expirant, & Sede vacante non obligant, ut *in lib. III. in t. de Prabend*. dictum: ubi de regulis Cancellariæ, & Concordatis Germaniæ actum est; hinc non inconvenienter circa *indultum conferendi beneficia reservata* pronunciari potest, quod *vivat mortuo etiam summo Pontifice* (ut superiùs n. 16. traditum) *& mutuis regulis Cancellariæ* (quæ Sedevacante non ligant) *Pontifice autem, & regulis reviviscentibus moriatur, & resuscitatione indigeat*. Inter Regulam autem 9. & 15. hoc interest, quòd in illa sit quidem amplior derogatio, & revocatio cum multis efficacibus clausulis, sed ratione reservationis mensium tantum; in Reg. autem 14. fit quidem generalis revocatio indultorum circa beneficia reservata, sed loquitur tantùm de indultis ad vitam alicujus, vel aliud certum tempus concessis, neque habet valde amplas causulas, vid. ChoKier *in reg. Cancell. ad reg*. 8. *Cancell. & reg*. 14. ubi *in reg*. 8. *Gloss*. 14. *n*. 4. etiam aliud notabile ponit, quòd indulta, & privilegia per has regulas revocata sed Papali vacante mortuus regulis reviviscant usquedum denuo creato novo Pontifice revocentur, vel ab eodem approbentur.

II. Privilegia data non subditis, aut causa remunerationis, vel per viam conventionis non revocari nisi ex causa publica, supra in §. 1. diximus, & docet Bald. *in L. ult. ff. de Senatoribus*.

III. Per legem generalem non derogatur particularibus privilegiis, nisi eorum mentio fiat; vel addatur clausula: *non obstantibus quibuscunque privilegiis sub quacunque forma concessis*: quia lex generalis tollit aliam generalem priùs latam sibi contrariam, sed non particularem legem, statutum, vel consuetudinem, *c. 1. de Constitut. in 6*.

IV. Lex generalis sine expressa, & speciali mentione non tollit privilegia clausa in Corpore juris, & priùs per legem generalem certis personis data. Imò etsi lex posterior habeat clausulam: *non obstantibus, privilegiis, &c*. volunt tamen DD. hanc clausulam (nisi aliter constet de mente legislatoris) non intelligi de privilegiis clausis in Corpore juris, utpote quæ non sint simpliciter privilegia, sed etiam leges communes. Barb. *ad principium hujus t. n*. 8. V. g. si Pontifex mandat, fructus clericorum obæratorum de suis beneficiis sequestrari per Episcopum ad solvenda debita non obstantibus privilegiis; per hanc legem non censeretur comprehensum privilegium *cap. Odoardus*. 3. *de Solutionibus*, ex quo Clericus obæratus non tenetur in solidum, sed quantum facere potest deducta congrua sustentatione, sed fortassis tantùm privilegium exemptionis à Jurisdictione Episcopi. &c.

V. Si contra privilegium priùs concessum concedatur alteri novum privilegium, vel rescriptum, censebitur hoc posterius privilegium per rescriptum tacita veritate, & subreptitiè obtentum, adeoque invalidum, nisi de priori fecerit mentionem. *c*. 1. *& c. cùm ordinem*. 6. *ubi* Gloss. & Panor. *de Rescriptis*. *c. ex parte* 12. *de Officio delegati*. vel nisi priùs privilegium fuerit generale, posteriùs verò speciale; generi enim per speciem derogatur, *c. generi*. 34. *de R. J. in 6*. & exemplum videri potest *in c. dudum*. 14. *§. nos igitur*, *& c. quamvis tibi*. 30. *de Prabendis in*. 6. Sed & hoc ipsum non procederet, si per speciale privilegium alteri in jure quæsito grave præjudicium oriretur teste Pan. *in d. c*. 5. *de Rescriptis*. & textus est *in c. ex tua*. 9. *de filiis Presbyterorum*.

Postremo privilegii revocatio, ut effectum habeat, debet privilegiato insinuari à superiore, ne aliàs plura incommoda sequantur, si privilegiatus ex ignorantia revocationis uteretur suo privilegio, ex parte verò adversa postea talis usus, vel actus inde secutus impugnaretur; si tamen revocatio fieret per legem generalem cum illa clausula: *non obstantibus quibuscumque privilegiis*, sufficeret generalis promulgatio, quæ alias in promulgatione legum servari solet. Sanch. *de Matrimonio*. *lib*. 3. *disp*. 30.

---

§. IV.

In specie de Privilegio *Exemptionis* à Jurisdictione Episcopi, vel Ordinarii.

SUMMARIA.

22 *Exemptio quid, & quotuplex?*
23 *Exempti alii nullius diœcesis, alii in, sed non de diœcesi.*
24 *Exemptio in capite, & membris quid?*
25 *Eximere quis possit.*
26 *Exemptio acquiritur etiam præscriptione.*
27 *Episcopus habet fundatam intentionem contra exemptos, & ibi an pendente lite possit uti sua jurisdictione.*
28 *Exemptio quibus verbis probetur.*
29 *In loco exempto non potest Episcopus exercere contentiosam Jurisdictionem.*
30 *Potest tamen ibi celebrare divina, non verò alios actus Ordinis exercere.*
31 *Episcopus procedit aliquando contra exemptos ut delegatus, aliquando ut Ordinarius.*
32 *Exponitur* c. 5. h. t. in *6.*
33 *Regularem exemptum delinquentem quis puniat.*
34 *Ab Episcopo procedente contra exemptos qualiter appelletur.*

CUm in *h. t.* frequentissima fiat privilegii *exemptionis* mentio, & in praxi crebra inter exemptos, & Ordinarios sint jurgia, ideò quædam saltem certiora ad intellectum Jurium, & Authorum de hoc jure loquentium necessaria exponam

Sciendum igitur I. *Exemptionem* esse privilegium, quo 22
persona aut locus à jurisdictione Episcopi, vel Ordinarii sub-

subtrahitur, & summo Pontifiei immediatè subjicitur.

Dico: *persona* aut *locus*: est enim exemptio alia *personalis*, quæ certæ personæ, alia *localis*, quæ certę Ecclesiæ, Monasterio, vel etiam territorio conceditur. Possumus addere exemptionem *mixtam*, quę scilicet *loco*, & *personæ* adhæret, prout diversi Religiosorum ordines non tantùm quoad sua Monasteria, sed etiam ad personas suas, ubicunque existant, exempti sunt, *c. cum capella 16. h. t.*

23 Sciendum II. exemptos alios dici *nullius Diœcesis*, alios *in Diœcesi quidem, sed non de diœcesi*. *Nullius diœcesis* sunt, qui habent speciale territorium, ac populum exemptum, ubi jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, ac Ordinarii nomine veniunt, quamvis ipsi Episcopi non sint, sed tantùm Prælati, vel Præpositi aut similes. *In diœcesi sed non de diœcesi* dicuntur, qui quidem quoad suas personas, vel particularem aliquem locum V.g. Monasterium exempti sunt, certum autem populum aut territorium exemptum non habent, sed intra fines certæ diœcesis sive Episcopatus existunt.

24 Sciendum III. Aliam exemptionem esse tam *in capite*, *quàm in membris*, quando scilicet non tantùm principalis locus, sive Monasterium aut Collegium exemptum est, sed etiam omnes capellæ, beneficia, & Parochię annexæ. Aliam autem *in capite tantùm*, quando tantùm ipse principalis locus exemptus est, non autem annexæ Parochię, vel beneficia, *c. ex ore 17. h. t.* Quo posteriori casu illud notandum est, quòd Abbas v. g. exemptus pro talibus locis non exemptis Episcopo reverentiam exhibere, ad Synodum diœcesanam comparere, ejusque mandata super illis membris suscipere teneatur, ita tamen, ut in Synodo diœcesana prærogativam, & primum post Episcopum locum obtineat, *d. c. ex ore*.

25 Sciendum IV. exemptionem præsertim in capite, & membris regulariter tantùm à summo Pontifice concedi, quia ipse solus potest juri Episcoporum derogare; aliquando tamen ex justa causa, & accedente Capituli consensu posse etiam Episcopum aliquam Ecclesiam suæ diœcesis à sua jurisdictionem eximere, & loco exempto unire, adeò quidem, ut talem exemptionem amplius revocare non valeat, docet Barb. *de Officio Episcopi parte 3. alleg. 89.*

26 Sciendum V. exemptionem non tantùm acquiri privilegio, sed etiam præscriptione 40. annorum maximè quoad membra non exempta, si caput exemptum sit, *d. cap. ex ore, & cap. auditis 15. cap. cùm olim 18. de Præscript.* Optimè Panot. *in cap. cùm non liceat, 12. circa finem de Præscript.* Non obstat, quòd contra obedientiam, & visitationem non admittatur præscriptio, *d. c. cùm non liceat, & c. cùm ex officio 16. de Præscript.* R. enim non posse præscribi contra obedientiam *extinctivè*, ita ut nulli debeatur obedientia, posse tamen *translativè*, ut alteri quàm Episcopo, scilicet summo Pontifici, vel Abbati obedientia exhibeatur. Barb. *d. p. 3. allegat. 128. n. 3. & 8.*

27 Sciendum VI. Episcopum habere intentionem fundatam in jure contra omnes in sua diœcesi existentes, ita ut qui se exemptum dicit, hanc exemptionem coram viris prudentibus, & non suspectis ab Ordinario deputandis probare debeat, *c. cum persona h. tit. in 6.* An autem pendente lite super exemptione Ordinarius possit uti sua jurisdictione, distinguitur *in eodem c. 7.* an is, qui se dicit exemptum, alleget privilegium validum; vel præscriptionem una cum privilegio, quod licet in se minus forsan subsistat, præstat tamen titulum præscribendi; vel denique an se fundet in sola præscriptione alicujus privilegii. Primis duobus casibus deciditur, suspendendã esse Episcopi jurisdictionem; & alterum relinquendum in possessione exemptionis. In tertio autem casu etiam pendente lite Episcopum uti posse sua jurisdictione. Verùm hujus tertii casus decisio ita declaranda est, ut non procedat, si quis fuerit in possessione exemptionis longiori tempore, & considerabili, sicut ex decisione Rotę Romanæ probat Barb. *d. p. 3. allegat. 127. un. 41.* & tradit Oliv. Beltram. *in addit. ad Greg. XV. decis. rota 318.* Riccius *in Praxi aurea tomo 4. resolut. 303. in fine.* Est enim regula communis juris, quòd *pendente lite non debeat aliquis privari commodo suæ possessionis* secundùm Rubricam, & text. *c. 1. & 2. Ut lite pendente nihil innovetur*, in dubio autem non censetur derogatum juri communi quod multis vigiliis fuit promulgatum juxta textum *in L. si quando 34. in princ. C. de Inofficioso testamento*. Quòd si per Episcopum, vel Deputatos ab eo contra exemptionem pronuntiatum fuerit, dabitur appellatio ad sedem Apostolicam, per quam appellationem denuò jurisdictio Ordinarii suspenditur.

28 Quibus autem verbis in literis Apostolicis probetur vel concedatur exemptio, traditur *in c. per exemptionem 9. & c. si Papa 10. h. t. in 6.* videlicet si Papa dicat, aliquam Ecclesiam esse *exemptam*, *juris B. Petri*, *ad sedem Apostolicam nullo medio* pertinere; vel si quosdam *in speciales subditos* recipiat. Non verò probatur exemptio, si quosdam recipiat *in speciales filios*; neque etiam si priora verba ponantur in literis, quæ non sunt conceptę principaliter super exemptione, sed super alia causa: nam tunc talia verba, per quæ aliqua Ecclesia dicitur exempta, tantum *narrativè*, & potissimùm ex suggestione partium, non *dispositivè*, & in ordine ad probandam exemptionem censentur inserta, *d. c. si Papa*.

20 Sciendum VII. locum exemptum, & locum extra diœcesim judicandum esse à pari, proinde sicut Episcopus, vel quivis alius judex contentiosam jurisdictionem extra suum territorium exercere, & ibidem pro tribunali sedere non potest (nisi fuerit à propria diœcesi violenter expulsus) ita neque in loco exempto, *c. cùm Episcopus 7. de Officio Ordinarii in 6. Clem. unica de Foro competenti*.

30 Celebrare tamen divina, vel coram se facere celebrari etiam in Pontificalibus in loco exempto, est specialiter concessum Archiepiscopo, & Episcopo *in Clem. Archiepiscopo 2. h. t.* dummodo sub prætextu hujus concessionis non usurpet jurisdictionem in exemptus aut molestiam, vel gravamen illis inferat. Text. Barb. & DD. *in d. Clem.* ac locus exemptus sit in Provincia, vel Diœcesi propria, adeoque secùs si *nullius*, vel alterius diœcesis fuerit. Alios quoque actus Ordinis Episcopalis, ut consecrationes, vel ordinationes facere in locis exemptis sine licentia superioris illius loci ac etiam Ordinarii, in cujus diœcesi locus exemptus situs est, non videtur concessum Episcopis *arg. Concilii Trid. sess. 6. de Refor. cap. 5.* & notat Quar. *in Summa Bullarii verb. Archiepiscopi authoritas sub n. 32.*

31 Sciendum VIII. Episcopum habere certis casibus in exemptos jurisdictionem aliquando *delegatam*, aliquando *ordinariam*: delegatam tunc censetur habere, quando in Canone sive jure dicitur, ut contra exemptos *authoritate Apostolica*, vel *tanquam Sedis Apostolicæ* delegatos procedat, sicut diximus superiùs *in Lib. III. in Tit. Ne Sede vacante, & in Tit. de Officio delegati*, & exempla passim occurrunt in Trid. quæ aliis locis juxta suas materias posuimus. *Ordinaria* verò tunc datur Episcopo in Exemptos, quando ei simpliciter conceditur jurisdictio, vel illa clausula additur: *non obstantibus privilegiis, & exemptionibus quibuscunque*: tunc enim remoto exemptionis privilegio procedit Episcopus tanquam Ordinarius.

32 Præter alia habetur exemplum multum allegari solitum *in c. 1. h. t. in 6.* ubi Episcopo datur simpliciter jurisdictio in Exemptos, si in sua diœcesi extra locum exemptum deliquerint, contraxerint, aut pro re non exempta conventi fuerint. Attamen hanc interpretationem interpretatur Cov. *Practicarum qq. c. 11. n. 5.* quod procedat, si exemptio sit certo loco circumscripta, non autem si sit mixta, loco, & personæ annexa. Quæ interpretatio non tantùm confirmatur ex eodem *cap. 1. §. in eos* item *ex c. cùm capella 16. X. h. tit.* sed etiam ex Concilio Trid. *d. sess. 6. cap. 3.* ubi contra Regularem exemptum extra Monasterium delinquentem Episcopus non simpliciter, sed tanquam Sedis Apostolicæ delegatus procedere potest. Et hoc intelligitur de eo, qui ordinariè, vel saltem per longius tempus solet degere extra Monasterium in loco non exempto, si verò delinquens extra Monasterium soleat ordinariè in Monasterio exempto vivere, primarius hujus delicti judex erit Abbas. Trid. *sess. 25. de Regularibus cap. 14.*

Porrò si Episcopus procedat, ut delegatus Sedis Apostolicæ ab eo ad summum Pontificem tanquam delegantem, si verò ut Ordinarius ad Metropolitanum appellandum erit. Barb. *d. p. 3. allegat. 92.* quia tamen summus

mus Pontifex cum omnibus inferioribus judicibus concurrentem jurisdictionem habet, & quilibet omisso suo Ordinario potest immediatè apud Sedem Apostolicam agere, ut in tit. *de Officio Ordinarii* dicitur, ideò non videtur prohibitum exemptis, indifferenter ad Sedem Apostolicam appellare, quod aliquando expedit pro cautela, ne successivè inferiores judices majorem contra ipsos jurisdictionem quærant, præsertim quando dubium est, an Episcopus ordinaria, vel delegata potestate procedat; veluti quando in Canone additur particula, *ut etiam tanquam Sedis Apostolicæ* delegatus procedere valeat.

Cæterùm Jurisdictio generaliter in aliquo casu data Episcopis non comprehendet exemptos, nisi specialis eorum mentio fiat. Consuetudo quoque, & præscriptio contraria Jurisdictioni Episcoporum derogare potest; item, & supplicatio apud Sedem Apostolicam cum expositione gravaminum: Sicut hæc, & alia videri poterunt apud Barbos. *loc. cit.* & apud Erasmum à ChoKier, qui specialem tractatum *de Jurisdictione Ordinarii in exemptos* edidit.



TITULUS XXXIV. & XXXV.

De Purgatione Canonica, & Vulgari.

SUMMARIA.

1 *Purgatio quid sit? estque duplex Canonica, & Vulgaris.*
2 *Purgatio Canonica indicitur infamato de crimine, quod tamen non est notorium, nec sufficienter probari potest.*
3 *Qua solemnitate fiat purgatio Canonica.*
4 *De Jure Civili, & etiam de Jure Canonico in personis vilibus aut infamibus purgationi ordinariè locus non est.*
5 *Antiquus purgationis Canonicæ modus per lectionem Missæ, vel sumptionem SS. Eucharistiæ.*
6 *Purgatio vulgaris est reprobata.*
7 *Tortura quomodo differat à purgatione vulgari.*

1 PUrgatio est modus à Jure inventus, quo suspectus, & infamatus de crimine, qui per sufficientes probationes de eo convinci non potest, cogitur ostendere suam innocentiam. Et hæc *purgatio* alia est *Canonica* seu a SS. Canonibus statuta, & approbata, alia *vulgaris*, nullo scilicet legitimo modo introducta, sed vulgi usurpatione ac superstitione recepta.

2 Indicitur ergo *Purgatio Canonica* à Judice competente non cuilibet leviter suspecto, sed illi, contra quem fama publica apud majorem partem populi, & viros quoque honestos ex probabilibus rationibus, & indiciis (juxta ea, quæ *Lib. II. de Probat. §. de fama*, diximus) invaluit, ut tollatur scandalum populi, & infamato per purgationem legitimam honor restituatur, *c. cùm in juventute* 12. & *c. cùm dilectis* 15. *in fine h. t. c. inquisitionis* 21. *§. quæsivisti* & *c. qualitate*, & *quando* 21. *de Accusat.* Neque debet purgatio injungi, si crimen notorium sit, vel aliis legitimis testibus probari valeat, tunc enim ordinarium judicium formandum, & condemnationis sententia ferenda est, sed tantùm in subsidium deficientibus plenis probationibus *d. c. cùm dilectis*.

3 Solemnitas ordinaria sive forma hujus *Purgationis* est, ut infamatus de crimine præstet juramentum tactis Evangeliis, quòd crimen non commiserit, & insuper alios honestos sui ordinis, & conditionis (v. g. Prælatus Prælatos Clericus Clericos) si haberi possint, vel in ipsorum defectu etiam alios juxta numerum arbitrio Judicis taxandum adhibeat, qui simul juramentum *de credulitate* deponant, quòd cùm habeant notitiam infamati credant eum innocentem, & verè jurare, *cap.* 5. & 7. *h. t.* Quamvis autem isti *compurgatores* non debeant admitti, si constet, eos minùs honestos esse, aut verisimiliter amore erga infamatum aut pecunia corruptos, favore tamen rei, & ut Judex pronior sit ad absolvendum, quàm condemnandum, non oportet nimis scrupulosam facere circa *purgatores* inquisitionem, *c. constitutus* 9. *hoc t.* Quod si reus in *purgatione* defecerit, id est, juramentum præstare non potuerit, aut *compurgatores*, qui ejus notitiam habent, jurare noluerint, censebitur de crimine convictus, & pœnas Ecclesiasticas promeritus *d. c.* 7. *h. t.* & *cap. de hoc* 11. *de Simonia*.

4 Dico, *pœnas Ecclesiasticas*: nam de Jure Civili hæc purgatio incognita videtur, nisi fortassis quoad personas illustres, quæ alias quæ à tortura immunes sunt; prout Reginam Sophiam de adulterio accusatam, suo, & septem honestarum ac notabilium fœminarum juramento se purgasse, ait Barb. *in c.* 5. *h. t. n.* 2.

De Jure igitur Civili, & in gravibus delictis, ubi de pœna vitæ aut membrorum agitur, reus convinci debet per plenissimas probationes, *l. fin. Cod. de Probat.* vel ex propria confessione sponte aut in tormentis facta, per ea quæ scripsimus II. *Lib. tit. de Confessis*. Imò etiam Jura Canonico personis vilibus, aliàs infamibus, qui ad Iutamentum ob periurii periculum admittendi non sunt, torturam saltem leviorem sine damno vitæ aut membrorum, aliquando propter enormitatem criminis inferri posse, textus est cum Gloss. *in c.* 1. *de Deposito*, & ita quidam apud Panorm. intelligunt textum in *cap.* 1. *hoc t.* & pleniùs tradit idem Panorm. *in c. cùm in contemplatione* 6. *extra de R. J.*

5 Erat olim alius quoque modus purgationis Canonicæ ut Sacerdos infamatus Missam legendo, & non Sacerdos sive Laicus Eucharistiam sumendo in hæc verba: *Corpus Domini sit mihi in probationem hodie*, innocentiam ostenderent, *c. sæpè* 23. & *c. fin. causa* 2. *q.* 4. Qualiter etiam ipsi summi Pontifices apud Imperatores olim de criminibus accusati, licet a nemine judicari possent, nec Imperatoris jurisdictionem agnoscerent, ad tollendum tamen scandalum, & demonstrandam innocentiam se purgarunt. Barb. *in d. c. t. n.* 2.

6 Purgatio *vulgaris* diversis modis olim fiebat, ut nimirum suspectus de crimine deberet ferrum candens, carbones ardentes, aut aquam ferventem tangere, duellum cum accusatore inire, & si ex his illæsus evasisset, pro innocente habebatur; secus pro convicto. Hanc verò purgationem Canones damnarunt, & prohibuerunt, eo quòd per eam Deus tentetur ad faciendum miraculum, vel sæpiùs certè auxilium dæmonis pro advertenda læsione invocetur. *cap. Mennam.* 7. *causa* 2. *q.* 4. & *toto t. de Purgatione vulgari*. Hinc etiam usus quorundam Iudicum, qui mulieres de magia suspectas in flumen projiciunt, & mersas pro innocentibus, supernatantes autem pro nocentibus habent, cum Martino Delrio *in disquisit. mag. lib.* 4. *c.* 4. *q.* 5. improbat Zoes. *h. t. n.* 2.

7 Quamvis autem aliquibus etiam *tortura* videatur species purgationis *vulgaris*, apparet tamen differentia satis manifesta in duobus. I. quod *tortura* possit sufferri naturaliter sine miraculo, aliter quàm purgatio vulgaris, quæ v. g. fit per tactum ignis &c. II. quòd tortura adhibeatur non ad probationem criminis, sed ad eliciendam confessionem urgente dolore. Quare tametsi tortus ex *tortura* læsus fuerit, vel dixerit, se *torturam* sustinere non posse, non tamen pro convicto habebitur, nisi insuper confessionem criminis non tantum in *tortura* fecerit, sed etiam extra *torturam*, & conspectum tormentorum positus in eadem confessione perseverarit.



TITULUS XXXVI.

De Injuriis, & damno dato.

SUMMARIA.

1 *Quid sit injuria: & quod non fiat sine animo injuriandi.*

2 *In*

2 *In dubio animus injuriandi præsumitur: & quomodo animum injuriandi defuisse probetur.*
3 *Etiam ex virtuali proposito injuriandi nascitur injuria.*
4 *Injuria alia verbalis, alia realis.*
5 *Quid sint famosi libelli: & eorum pœna.*
6 *Quomodo committatur realis injuria.*
7 *Injuriam quis non tantùm in semet ipso, sed etiam in personis sibi subjectis pati potest.*
8 *Quando pro injuria subdito illata superiori actio competat.*
9 *An novitio injuriato actio competat Prælato, vel Monasterio.*
10 *Actio injuriæ quomodo civiliter, aut criminaliter proponatur.*
11 *De actione recantatoria, seu ad palinodiam, consuetudine introducta.*
12 *Actio injuriarum tollitur lapsu temporis, & dissimulatione.*
13 *Subiectus potestati alterius invito superiore injuriam remittere non potest: bene tamen superior etiam invito subdito injuriato.*
14 *Morte injuriantis, & injuriati moritur actio injuriarum; excepta satisfactione pro injuria reali.*
15 *Modus tollendi injuriam verbalem usitatus est retorsio.*
16 *In conscientia etsi quis teneatur deponere odium, & cupiditatem vindictæ contra injuriantem, tamen non tenetur remittere actionem injuriarum.*
17 *Crudelis est, qui famam negligit.*
18 *Injuria levis, & non scandalosa rectius negligitur, quàm vindicatur.*
19 *Injurians tenetur ad reconciliationem, & reparationem injuriæ.*
20 *Pignorationes, quæ Repressaliæ dicuntur, utroque Jure reprobantur.*
21 *Nec consuetudine inter privatos introduci possunt.*
22 *Jure belli licita possunt esse repressalia.*

DE materia hujus tit. pluribus ajunt Juris civilis Interpretes *in lib. 4. instit. ad t. de L. Aquil. & t. de Injuriis*, ut tamen eorum quæ magis notatu digna sunt, aut conscientiam tangunt, etiam in Jure Canonico notitia habeatur, potiora breviter referemus.

---

§. I.

De Injuriis.

1 QUamvis omne, quod *non jure*, sive contra justitiam, & æquitatem agitur, *injuria* dici possit, hoc tamen loco injuriam intelligimus, qua contumeliosè, seu per contemptum (contumelia enim à contemnendo dicta est, *princip. Instit. h. t.*) alterius corpus, honor, aut fama læditur. Porrò injuria quidem sine *animo injuriandi* non committitur, sed si quis alteri in corpore, aut bonis sine contumelia ex culpa aliqua nocuerit, ad tit. *de L. Aquil. & de damno dato* pertinet, nec damnificans injuriarum actione, vel pœnis tenetur; similiter si quis in colloquio verbum aliquod ad alterius injuriam pertinens joco, vel inconsideratè protulerit sine intentione alteri nocendi; aut si furiosus, amens, vel infans doli incapax, tale quid fecerit, cessabit injuriarum actio, quia injuria dolum requirit, *§. 11. Instit. h. t. l. 3. §. 1. & 3. ff. eod.*

2 Interim in dubio animus injuriandi ex ipso facto præsumitur adeo, ut neganti sibi fuisse animum injuriandi incumbat probatio, *l. si non convitii 5. Cod. de Injuriis*, ubi tamen non requiruntur valde exactæ probationes, sed etiam conjecturæ ex circumstantiis concurrentibus desumptæ sufficiunt, vel juramentum, per quod probantur ea, quæ in animo merè consistunt teste Harpr. *ad princ. Instit. h. t. n. 10. & seq.*

3 Præterea *injuria* nascitur non tantùm ex directo injuriandi proposito, sed etiam ex virtuali, quæ intentio operis vocari solet, quando quis scienter talem actum agit, ex quo sua natura alterius fama læditur, prout *in l. 9. §. ult. item apud 14. §. si quis 15. cum seqq. ff. h. t.* injuriarum actio conceditur adversus eum, qui personam honestam ad impudicitiam allicere nititur. Quamvis enim id non injuriæ, sed libidinis causa fiat, nihilominus per talem pudicitiæ attentationem sive appellationem, ut vocat Jurisconf. *cit. locis* ipso opere injuria infertur personæ honestæ attentatæ, ejusque honor, & existimatio minuitur.

4 Est autem *injuria* duplex *verbalis*, & *realis*. *Verbalis* fit per verba contumeliosa alterius honorem lædentia: imò etiam aliquando per objectionem ejus, quod à parte rei verum est, injuria committi potest, quando id propalari, vel scite non interest reipublicæ, aut ipsius objicientis, ut si alicui objiciatur, crimen revera commissum, quod jam præscriptione temporis, sententia judicis, aut condonatione Principis abolitum est, si legitimatus vocetur Spurius &c. Dico tamen, *nisi ipsius objicientis intersit hæc dicere*, v. g. si contra condemnatum, & punitum de crimine publico excipiat de infamia quò minùs possit testem agere in judicio, vel si legitimato secum petenti hæreditatem opponat defectum natalium, & quod legitimati non succedant.

5 *Injuriæ verbali* etiam annumeratur ea, quæ scripto fit, & in jure *famosus libellus* dicitur: quæ injuria, cùm in plurium notitiam deveniat, authore incognito, & homines etiam in dignitate constitutos magis, quàm aliæ simplices verbales diffament, severiùs in Jure castigatur, ita ut non tantùm qui composuit, vel edidit, verùm etiam, qui ab alio compositum evulgavit, vel inventum non corrupit talem famosum libellum, capitali pœna plecti jubeatur *in l. un. C. de Famosis libellis*. Imò non interest, an verum crimen, quod etiam expediat reipublicæ scite, vel falsum in libello famoso objectum sit juxta *Constitutionem pœnalem* Caroli V. *a. 110.* idque singulariter in odium, & extirpationem famosorum libellorum, quamvis in simplicibus injuriis non scriptis circa veritatem objectam aliter se res habeat, ut mox præmissum, per *l. eum qui nocentem 18. ff. h. t.* Prolixiùs hanc materiam de famosis libellis tractat Harp. *ad §. 1. à n. 148. h. tit.* ubi *n. 210.* ex diversis textibus *Recessuum Imperii* probat, pœnam *famosorum libellorum* hodie plerumque esse arbitrariam, ita tamen ut maximè ob frequentiam hujus delicti in aliquo loco, *arg. l. 1. ff. de Abigeis*, vel quantitatem injuriæ, (si crimen capitale objectum sit *d. Constitutione Carolina*) vel injuriantis, & præsertim injuriati pœna meritò exasperetur. Idem Harp. *ad §. in summa, n. 14. h. t.*

6 Realis injuria est, quæ facto aliquo irrogatur, ut si quis alterum pulset, verberet: domum, vel habitationem eius vi introeat, aut quid aliud ad illusionem, & contemptum alterius agat *l. lex Cornelia 5. & l. item apud 15. §. generaliter 27. ff. h. t.*

7 Patitur autem quis injuriam non tantùm directè in semetipso, sed etiam per consequentiam in personis suæ potestati subiectis, prout injuria liberorum ad patrem, uxoris ad maritum, Clerici, vel religiosi ad Prælatum pertinet, *§. patitur 2. & ibi DD. Instit. h. t. l. 1. §. 3. l. 17. §. 10. ff. eodem*, facit etiam *c. cùm Consideres 15. in fin. junct. Gloss. de Sentent. excom.* 8 Ut tamen pro injuria subdito, vel Religioso illata Domino, vel Prælato actio competat, debet illa injuria subdito fuisse, vel Religioso immediatè illata, & aliquo modo in contemptum Religionis, vel potestatis dominicæ redundare; unde si, v. g. injuria ad Religiosum tantùm indirectè pertineat, veluti si parentes eius, aut liberi in sæculo relicti offendantur, ex communiori sententia non videtur, ius agendi competere Monasterio, sicut tradit Lauretus de Franchis *de Controversiis inter Episcop. & regular. p. 2. var. q. 56.* De Novitio Religionis est controversia utrùm injuria ei illata, & ius agendi, componendi, vel transigendi desuper ad Monasterium, vel Abbatem pertineat? In qua controversia negativam tenet idem de Franchis *cit. loco quæst. 52.* quia Monasterium nondum habet ius in Novitium. Affirmativam tamen censeo probabiliorem, quam sequitur Pasqualigus *in addit. ad Lauret. de Franch. cit. q. 52.* Licèt enim Monasterium non habeat ius irrevocabile in Novitium, quamdiu tamen in Novitiatu est, censetur subditus, & de iurisdictione Abbatis per ea, quæ

tradit

hoc titul. in 6. non consuetudo, sed abusus nominatur.

Cæterùm verò jure belli quandoque *Repressaliæ* rectè fiunt: si scilicet superiori, qui jus bellandi habet, eas concedat, & subsit justa causa. Justa autem causa asseritur per Aug. *in c. 2. causa 23. q. 2.* si gens, vel civitas, quæ bello petenda est, vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est; vel reddere, quod per injurias ablatum est. Ita ex dictis per Sylvest. *in verbo Repressalia*, etiam colligit, & concludit Covar. *in c. peccatum de R. J. in 6. p. 2. §. 9. n. 4.*

---

§. II.

De Damno dato.

SUMMARIA.

23 *Damnum hic accipitur, quòd actione l. Aquil. reparatur.*

24 *Differentia inter actionem de damno lucroso furti &c. & damni dati ex L. Aquilia.*

25 *Actio legis Aquiliæ regulariter est in simplum, & quanti interest damnificantis.*

26 *Excipiuntur arbores furtim cæsa, ob quas datur actio in duplum.*

27 *Si damnum vi datum sit, civilis actio in quadruplũ, & præterea criminalis ad pœnam publicam datur.*

28 *Tempore Incendii, ruina naufragii damnum dolo datum in quadruplum actionem habet.*

29 *Contra ejicientes, vel effundentes plateam publicam datur etiam actio de damno in duplum.*

30 *Actio legis Aquil. quomodo pœnalis sit.*

31 *Ex eo quod pœnalis sit non datur contra hæredes defuncti Jure Civili: secus de Jure Canonico.*

32 *Actio legis Aquil. datur etiam ex culpa levissima: sed sine culpa non datur.*

33 *Demoliri vicini ædes incensas, arcendi incendii causa, species necessaria defensionis est.*

34 *Quid remedii alicui competat, si alterius animal ei damnum dederit?*

35 *Dominus tradendo animal domesticum nocivum liberatur: secus si animal ferum natura suasit.*

36 *Pro dejecto, vel effuso ex domo ipse principalis habitator illius domus tenetur, etsi ipse nihil fecerit.*

37 *Item exercitor navis, caupona, stabuli tenetur de damno à suis dato.*

38 *Is qui damnum ab alio datum ratum habuit, non propterea tenetur, & quare?*

39 *Regula Juris de ratihabitione an procedat in delictis?*

40 *Ex consilio regulariter nemo tenetur.*

41 *Quibus casibus consilium dans teneatur de damno secuto?*

42 *De damno tenetur, qui non impedivit, si ex justitia tenebatur impedire.*

43 *Si plures ad damnum concurrerint, quomodo ab iis restitutio sit facienda.*

44 *Eos, qui solvendo non sunt, inopia interim excusat.*

45 *Ubi nulla est propria culpa, vel contractus, non est obligatio in conscientia ad restituendum damnum ante sententiam judicis.*

46 *Si culpa etiam levissima intervenerit, probabilius est damnificantem teneri etiam in conscientia.*

47 *Non omnis actio, quatanquam pœnalis contra hæredes non transit, dici potest merè pœnalis.*

48 *Lex Aquilia, quæ pœnalis, per se non obligat in conscientia.*

45 *Quid si culpa sit omninò vix æstimabilis, aut culpa tantùm juridica? n. 50.*

50 *Ubi contractus intervenit etiam sine culpa Theologica oritur obligatio restituendi.*

51 *Si contractu interveniente damnum datum, non aliter ex culpa quis tenetur, quam secundum naturam contractus.*

23 NOmine *damni* hoc loco non intelligimus illud, quod lucri causa alteri infertur, de quo *t. de Furtis de Raptoribus*, & *de Usuris* agitur; sed illud, ex quo damnificatus in corpore aut rebus suis detrimentum patitur sine commodo, vel lucro damnificantis, ut si quis alterius ædes incendat, animalia occidat, vestes laceret &c. hoc posterius *damnum* in jure civili actione *legis Aquiliæ* recuperamus. Propterea huc pertinent ea, quæ tum per ipsas leges, tum per illarum interpretes longius traduntur *in Lib. 4. Institut. item in ff. & Cod. de L. Aquil.*

Sunt porrò inter actionem, qua persequimur dam- 24
num *lucrosum* v. g. furtum aut rapinam, & actionem
legis Aquiliæ pro damno *non lucroso* quoad effectum
notabiles differentiæ. *In primis* enim condemnatus
de furto, rapina, vel usuris perdit honorem, & efficitur infamis, nec potest esse testis in testamento, vel judicio, nec advocatus, nec aliquam dignitatem, vel ordinem ecclesiasticum assequi, ut alibi propriis locis dictum; at verò de damno non lucroso condemnatus honorem retinet, quia hic abest illa facti turpitudo, qua ex aliena jactura mediis illicitis proprium augmentum quæritur. Deinde conventus de furto aut rapina tenetur pro diversitate casus, an fur occultus, vel manifestus fuerit in duplum, vel quadruplum secundùm ea, quæ traduntur *in §. 5. Instit. de Obligat. quæ ex delicto*, & *princ. Instit. de Vi bonor. rapt.* sed in
actione *legis Aquiliæ* regulariter tantùm simplex æsti- 25
matio damni, & quanti interest damnificantis *damnum datum non fuisse*, restituitur. *princ. Instit. & §. 10. h. t. de L. Aquil.*

Excipiuntur tamen tres casus qui graviori pœna coer- 26
centur: ut I. si quis alterius arbores clam exciderit, in duplum ejus, quanti arbor virens prudentum hominum judicio valuit, deducta tamen ligni apud hominum manentis æstimatione. Cùm enim arbores tardiùs succrescant, & præsertim frugiferæ multis usibus deserviant, eorum destructio graviùs punienda legibus visa fuit, *l. furtim. 7. §. ult. cum l. seq. ff. Arborum furtim cæsarum.* Dicitur autem *furtim cædere*, qui clam cædit, etsi non faciat furti causa. Quod si furti causa fecerit, etiam actione & pœna *furti* tenebitur *d. l. 7. §. 1. & l. 8. §. 1. & 2. eodem t.*

II. augetur pœna actione *modi*, quo damnum datum 27
est: nam qui per vim, & coactis hominibus dolo sive ex proposito damnum aliquod intulerit, civiliter convenitur in quadruplum, *l. 2. & ibi Gothofred. in V. judicium. ff. de Vi bonor. rapt.* criminaliter verò aliquando publicatione bonorum, & deportatione, banno, vel relegatione punitur, sicut non tantùm habetur *in ff. & C. Ad L. Jul. de vi publica, & de vi privata*, sed etiam in *Constitutionibus imperii*, quas refert, & speciali tractatu illustrat
Andreas Gaillus *de Pace publica*. III. Etiam aliquando 28
ratione temporis pœna exasperatur, ita si quis tempore calamitoso, videlicet incendii, tumultus, ruinæ, aut naufragii dolo malo, sive ex proposito, damnum aliis dederit in quadruplum intra annum condemnatur, *l. 1. in princ. & l. 3. §. solum. ff. de incendio, ruina &c.*

Potest etiam *quarta* exceptio addi circa ejicientes, 29
vel effundentes in plateam publicam, qui ob damnum inde secutum in duplum conveniuntur, ut dicemus mox inferiùs. Interim licet regulariter, ut dictum, actio *legis Aquiliæ* tantùm in simplum detur, habet tamen ali-
qualem nihilominus saltem pœnam adiectam, quòd æsti- 30
matio damni non fiat præcisè secundum id tempus, quo datum est, sed quanti plurimi res deperdita valuit retrò intra annum, vel 30. dies proximos; intra annum quidam, si ex *primo capite legis Aquiliæ* agatur, nimirum pro occisione servi, aut animalis, pecudum gregatim pasci solitarum nomine contenti; intra 30. dies verò, si agatur ex *tertio capite* pro vulneratione servi, vel occisione animalis pecudum numero non contenti, vel pro combustione, corruptione, aut fractione rei inanimatæ. *§. his autem. 9. & §. 13. & 14. Instit. de L. Aquil.*

Quia igitur hoc respectu actio *legis Aquiliæ pœnalis* 31
est, per eam hæres damnificantis Jure Civili conveniri non potest: hoc enim jure actiones pœnales in hæredes non transeunt, nisi lis cum defuncto fuerit contestata, aut hæres ex damno per defunctum dato locupletior effectus sit. *d. §. his autem juncta l. un. C. ex delictis defunctorum.*

ctorum. Verùm ut jam sæpius in præcedentibus monui, hac in parte potius æquitati naturali, & Juri Canonico insistendum est, quod in *c. ult. de Sepultur.* & *in c. litteris. 5. de Raptor.* constituit, ut ad exonerandam conscientiam defuncti hæredes ejus compelli debeant, ut pro viribus hæreditatis solvant damna, quæ defunctus in vita sua aliis intulit.

Præterquam enim, quòd non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. *c. peccatum. 4. de R. I. in 6.* sane iniquum est, ut hæres omnia defuncti bona possideat, & damnificatus, cui defunctus jure naturæ ad compensationem damni illati tenebatur, nullam inde debitam satisfactionem sperare possit.

32 Porro ad restitutionem damni ex *lege Aquilia* non tantùm is tenetur, qui dolo malo damnum dedit, sed etiam qui ex culpa levi, vel levissima, v. g. qui per incuriam neglexit candelam extinguere, & domum incendit, qui inconsiderate in plateam deiiciendo transeunti nocuit &c. *l. in lege 44. ff. Ad leg. Aquil.* non autem tenetur ille, qui quidem damnum intulit, sed vel in nulla culpa fuit, vel priùs omnem diligentiam in præcavendo adhibuit, ut si ex arbore, vel tecto ligna deiiciens proclamaverit, & transeuntes monuerit, si in loco ubi alias consuetum est jaculorum, & sclopetorum exercitium, eo loco incautè ambulantem, quem non prævidit, vulneravit *§. 4. & 5. Instit. de lege Aquil. c. ult. h. t.* illi quoque à restitutione damni dati immunes sunt, in quos culpa ob defectum rationis cadere non potest, ut sunt furiosi, & infantes, *l. sed etsi. 5. §. 2. ff. Ad leg. Aquil.* item quod in bello justo, vel necessariæ defensionis causa adversario damnum infertur, compensandum non est, dummodo termini justæ defensionis, & moderaminis *inculpatæ tutelæ* non excedantur: quia tale damnum non *injuria* sed *jure* datum est, cùm *vim vi repellere omnia Jura permittant*, inquit Juris cons. *in l. scientiam. 45. §. qui cum aliter. ff. jam d. t.*

33 Ad hanc necessariam defensionem refertur, si quis incendii arcendi causa, ne ad se ignis perveniat, vicini ædes incensas demoliatur, & destruat. *l. si quis. 49. ff. Ad leg. aquil.* Volunt tamen aliqui cum Barth. *in l. 1. ff. ad leg. Rhod. de jactu.* si incendio aliquorum ædes diruantur, ne ignis latiùs evagari possit, hoc casu æquissimum esse, ut tota vicinitas, quæ per destructionem talium ædium ab incendio præservata est, ad refusionem damni concurrat, sicut in simili *lege Rhodia* constitutum est, ut si in periculo naufragii levandæ navis causa quorundam res aut merces in mare eiiciantur, omnium navigantium contributione rasarciatur, quod pro salute omnium ejectum est: argumentum autem à simili, quando subest eadem æquitatis ratio in jure plurimùm valere, probat textus *in l. non possunt. 12. cum l. seq. ff. de Legibus.*

34 Præterea si alicujus animalia alteri damnum dederint eorum dominus ob minus cautam custodiam tenetur; liberari tamen potest, si noxam, hoc est, ipsum animal, quod nocuit, tradiderit, etiamsi damnum amplius æstimetur. *c. ult. h. t. & princip. Instit. Si quadrupes pauper. fecisse dicatur.* non autem licet aliena animalia in agris vel segete deprehensa interficere, includere, vel aliud eis damnum inferre; cùm adversus dominum eorum ordinaria actio pro *damno dato* competat. Abigi proinde debent sina damno, vel dominus admoneri, ut recipiat *l. quintus 39. & l. quamvis. ff. ad leg. Aquil.*

Si tamen inclusio non fieret animo celandi, seu subtrahendi, sed ut deveniatur in cognitionem domini, quia animalia fortassis ignota sunt, vel si consuetudo permittat talem inclusionem quasi pro pignore, usquedum dominus satisfaciat tolerari posse censet Molin. *de Jure & Just. tract. 2. disp. 697. n. 23.*

35 Cæterum quod diximus, dominum tradendo animal noxium pro damno dato liberari, non est intelligendum etiam de animalibus sua natura ferocibus, ex quorum traditione raro damnificatus utilitatem, vel satisfactionem consequeretur. Quare si quis canem, lupum, ursum, leonem, aliudve simile animal etiam ligatum habuerit in loco per quem vulgo transitur, & inde homini in corpore damnum evenerit, dominus animalis arbitrio judicis ob solam vulnerationem, & ob mortem ipsam in ducentos solidos, sive aureos condamnabitur, si in aliis rebus, ut laceratione vestis, vel fractione ejus, quod portatur, damnum contigerit, in duplum condemnatio fier. *§. ult. Instit. Si quadrupes pauperiem. l. hi enim 40. §. 1. cum ll. seqq. ff. de Aedilitio edicto.*

Singulariter, & publicæ utilitatis causa constitutum 36 est, ut subinde aliquis ad damnum per alium datum restituendum teneatur, ita si ex domo in plateam, per quam vulgò transitur, aliquid ejectum, vel effusum sit, quod transeunti nocuerit, qui domum, vel cubiculum, unde dejectum est, principaliter inhabitat, ad duplum cõvenitur, licet non ipse, sed alius effuderit, vel dejecerit, Idque propterea statutum est, ut secura habeatur in publicis plateis ambulatio, & ut damnificatus faciliùs sui damni compensationem consequatur, cùm alias multo- 37 ties impossibile foret ipsum deiicientem in particulari per legitimas probationes demonstrare. Ipse tamen habitator ab eo, pro quo solvit, repetere potest, *l. 1. & toto t. ff. de his, qui effuderint, vel deiecerint.* Similiter etiam exercitor navis, cauponæ aut stabuli tenetur de damno, quod per suos famulos viatoribus datum est, prout habetur, & pluribus traditur in *lib. 4. Instit. in t. de Obligat. quæ ex quasi delicto*, & *t. ff. Nautæ, caupones, stabularii &c.* quòd si quis mandaverit alteri damnum dari, nulla dubitatio est, quin mandans teneatur, quòd enim quis per alium facit, perinde est, ac si ipse fecisset, *c. qui facit. 73. de R. I. in 6.*

Quid verò dicendum de eo, qui non mandavit, sed 38 damnum ab alio in sui gratiam datum ex post facto ratum habuit. R. illum solùm teneri, qui dedit, non qui ratum, & complacentiam ejus habuit: quia ratihabitio subsequens non est causa delicti, quòd supponimus, jam priùs perfectum esse, ut rectè docet Mol. *de Just. & Jure tract. 2. disp. 726. n. 3.* Nec obstat illa juris regula, quòd *ratihabitio* retrotrahatur, & mandato æquiparetur, *c. ratihabitionem. 10. de C. I. in 6.* nam intelligitur tantùm in contractibus, & aliis causis nondum perfectis, & quæ ad sui perfectionem, alicujus concessum, & ratihabitionem desiderant. Item non obstat, *c. cum quis 23. de Sent. excom. in 6.* ubi percussionem Clerici suo nomi- 39 ne factam ex post facto ratum habens, incurrit excommunicationem: ratihabitio enim percussionis Clerico illatæ, cùm sit peccatum tendens in contemptum ordinis Clericalis, rectè quidem puniri potest per censuram excommunicationis, non tamen statim sequitur, quòd ratihabens damnum ab alio datum etiam ad restitutionem teneatur; quia ad obligationem restitutionis non sufficit, quòd aliquis quocunque modo peccarit, & puniri possit; sed quòd causa damni dati extiterit.

De consulente etiam est quæstio, an ad restitutio- 40 nem teneatur, si ex suo consilio, hortatu, & persuasione aliàs damnum passus sit, vel fecerit? Resp. Regulariter quidem ex consilio neminem obligari, cùm alteri liberum sit consilio uti, vel non *c. nullus. 62. de R. I. in 6. §. tua tantùm. 6. Instit. de Mandato.* Mol. *de tract. 3. disp. 698. n. 8.*

Excipiuntur tamen ab hac regula duo casus, si consili- 41 um sit fraudulentum sive malitiosum, & detur aliàs non facturo, v. g. suadeam injuriato, ut se vindicet, & injuriantem vulneret: si alicui suadeam, ut mutuet debitori, quem scio non esse idoneum ad solvendum, eo fine, ut hanc pecuniam mutuatam ego acquiram, quia illa debitor jam priùs ex alia causa tantundem mihi debet, *d. c. nullus, juxta l. & Gloss. quod si cum scires. 8. ff. de Dolo* II. si perniciosum consilium dat is, qui attenta personæ aut muneris qualitate peritiam, artem, vel scientiam profitetur in re, circa quam dat consilium; ut si Consiliarius Principis in damnum aliorum consulat, si Medicus malè curet, vel Advocatus malè patrocinetur, &c. Quo casu non tantùm obligatio est ex dolo consulentis, sed etiam ex culpa, & imperitia: quia imperitia culpæ annumeratur in his, qui artem aliquam profitentur, *l. qua actione: 7. §. ult. cum l. seq. ff. Ad l. Aquil.* Excusari tamen possunt, si verè probabili sententia aliorum DD. ducti consilium dederint, ex quo perniciosus effectus contra intentionem secutus est.

Illi quoque inter obligatos ad restitutionem numeran- 42 tur, qui damnum datum, cum potuissent, non impediverunt: quod tamen DD. intelligunt, si quis ex justitia sci-

scilicet ratione Pacti, vel officii aut Magistratus obligatus fuerit ad damnum alterius impediendum; si verò ex charitate tantum, sicut quilibet Christianus debet alterum juvare, dum potest, juxta illud Christi: *quod vultis, ut faciant vobis homines, hoc facietis ipsis &c.* tenebatur impedire, & omiserit, non tenebitur ad restitutionem, peccabit tamen, & aliquando etiam puniri poterit, præsertim si alia indicia occultæ societatis, & conspirationis cum damnificante concurrant, ut in *c. sicut dignum 6. §. illi etiam, de Homicidio*. Mol. *d. tract. 2. disp. 735. nu. 2.* Est
43 porro hoc loco notandum, si plures simul, & semel circa idem damnum concurrerint, tunc si omnes fuerint æquè principales in inferendo damno, singuli teneantur in solidum, solutione tamen unius reliqui liberentur, *l. si plures 17. ff. de Dolo*. Si inter illos plures aliqui fuerint causæ primariæ damni, ut executores & mandatores, qui ipsis adhuc executoribus principaliores sunt: alii secundariæ ut consulentes, non obstantes, receptatores, & similes: illi primo loco ad restitutionem obligantur, isti verò in subsidium, & defectum, si priores solvendo non sint. Quòd si unus ex pluribus in solidum, & præ aliis conveniatur solus, ac solvat, regressum contra reliquos pro rata habebit in foro interno, & etiam externo, si ante solutionem fecerit sibi à damnificato actiones contra alios cedi, ne in pari causa ipse sit deterioris conditionis, quàm alii, quibus æquè, vel magis damnum imputandum fuit.

44 Quod si denique omnes damnificantes solvendo non sint (sicut plerumque inter milites in bello injusto contingit) inopia tantisper, usquedum media solvendi adsint, excusat, *l. nam 15. nulla 6. ff. de Dolo*. Neque tenetur aliquis ex causa restitutionis se ipsum necessariis alimentis privare saltem in foro conscientiæ, cùm ordinato jure primùm spectetur proprii individui conservatio, & in necessitate famis liceat etiam aliena subtrahere. Longius hæc deducuntur apud Molin. *cit. loc. disp. 629. & aliquot seqq.* item apud Paul. Laym. in *Theol. moral. l. 3. tract. 2. c. 3. & 6.*

45 Demum non est omittenda vulgaris quæstio an sicut in Jure civili damnum datum ex quasi delicto, vel quacunque culpa etiam levissima resarciri debeat, ita etiam in judicio animæ, & conscientiæ. R. &

46 Dico I. si leges civiles jubeant damnum restitui sine vera, & propria culpa, sicut tenetur habitator loco dejicientis, vel effundentis; nauta, caupo, vel stabularius pro delicto famuli, dominus pro damno animalis; tales leges ex generali doctrina non obligant in conscientia ante sententiam Judicis: quia cùm non fundentur in contractu, vel delicto proprio, censentur quasi pœnales ad eum finem latæ, ut homines in domibus suis tantò accuratiores ad damna aliorum impedienda reddantur: quin etiam inde arguitur, quòd istæ actiones ad instar aliarum pœnalium contra hæredem non dentur. *L. si verò 5. hæc autem actio ff. De his qui deiec. vel effuderint l. si plurimum 5. §. 1. in fine ff. de Naval. actionib.* si tamen nauta, caupo vel stabularius pacto promisisset, se omne damnum quovis modo viatoris rebus inferendum compensaturum, tunc ex pacto etiam in conscientia obligatio nasceretur.

47 Dico II. si damnum culpa propria etiam levissima datum sit, probabilius in conscientia ad restitutionem tenebitur damnificans ex illo generali principio, quod lex justa, & obligans in foro externo, si merè pœnalis, aut in falsa præsumptione non sit fundata, etiam in foro interno justa, & obligans censeatur. Quòd autem lex civilis concedens actionem ex culpa levissima justa sit in foro externo, inde apparet, quòd cum alteruter debeat damnum pati, vel damnificans, vel damnificatus, utique justius sit, ut damnum ferat damnificans, qui culpa fuit, quàm damnificatus, qui sine culpa.

48 Idque confirmatur, quòd eædem Leges Civiles etiam Jure Canonico approbentur in *c. ult. h. t.* Canones autem non tantum forum externum, sed etiam animarum periculum considerant, *c. 2. de Constitut. in 6.* Nec verum est, quod quidam contendunt, *Legem Aquiliam* quoad præstationem culpæ levissimæ merè pœnalem esse, consequenter in conscientia non obligare, eò quòd contra hæredes actio ex ea competens non detur. *L. inde Neratius 23. §. hanc actionem ff. Ad leg. Aquil.* Etenim quamvis hoc argumento Lex judicetur pœnalis, & ex delicto; non tamen statim inferri potest, esse merè pœnalem. Et si omnis actio à conscientiæ foro excluditur, quæ contra hæredes non transit, nimis probatur etiam contra ipsos adversarios, quòd nimirum damnum dolo datum, vel ex lata culpa in conscientia non obliget: quia Jure Civili nulla talis actio, quæ ex delicto competit, contra hæredem transit, nisi inde locupletior factus, aut lis cum defuncto contestata fuerit. *L. un. Cod. ex delictis defunctorum*. Igitur alio modo distinguendum est, quòd scilicet *Lex Aquilia* tantùm pro parte sit pœnalis, in quantum excedit æstimationem simpli, & datur retro, *quanti plurimi*, ut superiùs circa initium hujus §. dictum, & hoc respectu nulla est ante Judicis sententiam in conscientia obligatio illum excessum restituendi. At verò in quantum Lex Aquilia jubet simplicem æstimationem damni præstari pœnalis non est, sed æquitati naturali conformis, & saltem Jure Canonico inspecto contra hæredes damnificantis competit, sepè cit. *c. ult. de Sepulturis &c. in litteris 5. de Raptoribus*.

Interim si culpa adeò levissima, & exigua foret, ut in morali æstimatione hominum damnum inde secutum majori ex parte casui quàm culpæ adscriberetur, valde videtur probabile, damnificanti non esse integram damni restitutionem injungendam, sed partis tantùm juxta proportionem culpæ, prudentis viri arbitrium, atque etiam in foro externo saltem de æquitate tali casu transactionem inter partes à Judice procurandam esse, per ea, quæ tradit Laym. *l. 3. tract. 3. p. 1. c. 6. n. 4.* 49

Quid autem, si absque peccato mortali, vel veniali adeoque sine culpa Theologica, sed ex culpa Juridicè tantum æstimata, sive facto suo scienter, bona tamen fide, aut sine deliberatione, vel provisione mali patrati, quis alteri damnum dederit, v. g. rem alterius, quam existimavit suam destruendo, vel corrumpendo, ex incauto, & indeliberato impetu aliquid per fenestras ejiciendo, &c. Non oriri tali casu obligationem restituendi in conscientia ante sententiam Judicis existimant multi graves DD. relati à Paulo Laym. *cit. cap. 6. n. 2.* Quæ sententia saltem ob authoritatem DD. ab extrinseco probabilis est: ab intrinseco autem videtur pati difficultatem non modicam: quia Lex Civilis his casibus concedens actionem contra damnificantem in factum, quo alteri saltem materialiter injustè damnum intulit, vix est credibile, quòd merè pœnalis, vel in falsa præsumptione fundata sit, quin potius censeri debeat justa, & æqua, cùm factum cuique suum non alteri nocere debeat, & alteri per alterum iniqua conditio inferenda non sit. *L. non debet 75. cum similibus ff. de R. J.* Adduot tamen plerique ex cit. DD. illam suæ sententiæ limitationem, ut si v. g. ex commodato, locato, vel alio contractu, vel pacto teneatur mihi aliquis ad conservationem rerum mearum, & damnum accidat culpa juridicè tantùm æstimata, quæ ex natura illius contractus præstanda est, licet non concurrat peccatum seu culpa Theologica, nihilominùs ob promissionem implicitam, quæ fit ex natura contractus, teneatur mihi etiam in conscientia ante sententiam Judicis illud damnum resarcire. Itaque. 50

Dico III. Si natura alicujus contractus sit, ut in eo tantùm lata culpa, ut in deposito, vel levis tantùm, ut in locato præstetur, & in re occasione contractus, vel usus inde concessi (aliud si extra contractum, vel usum inde concessum) levissima culpa damnum contingat, non teneri damnificantem ad hujus damni restitutionem, ut si quis rem apud se depositam certa de causa ad alium locum domus suæ cautè quidem, sed non cautissimè portarit, ideoque fregerit culpa sua levissima, &c. Quando enim vi contractus licite attingitur vel tractatur res aliena, nimis durum foret, aliquam ad majorem diligentiam obligare, quàm ipsa natura contractus exigit. Unde quod in *l. qua actione 7. §. ult. ff. Ad leg. Aquil.* dicitur, aliquando propter unum idemque damnum factum ex locato, vel ex lege Aquilia agi posse, rectè explicatur, ut ex Leg. Aquil. actio quidam accommodetur, sed secundùm naturam contractus locationis ad levem tantùm, non verò levissimam culpam præstandam. Neque propterea supervacua erit Legis Aquiliæ actio, quòd ex locato agi possit, cùm ex Le- 51

ex Lege Aquilia propter pœnam quanti plurimi actor piùs consequatur, quam ex locato Molin. *d. tract. 2. disp. 697. sub n. 8.*

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

SUMMARIA.

1 *Pœna conventionales qualiter apponantur contractibus.*
2 *Pœna delictorum aliquando à Jure sunt determinata, aliquando arbitraria.*
3 *Quando sunt determinata, sine causa à Judice inferiori remitti, vel mutari non possunt.*
4 *Propter varias causas, & circumstantias pęna aliquando augeri, aliquando minui debent.*
5 *Antiquiorum Canonum rigorosa pœna pleraque abierunt in desuetudinem, & hodie sunt arbitraria.*
6 *Censuris non est facile utendum a Judice Ecclesiastico.*
7 *Varia pœna prater censuras Jure Canonico usitata.*
8 *Pœna carceris quomodo usurpanda, & de pœna Canonica detrusionis in Monasterium.*
9 *Ad pœnam etiam ipso Jure illatam ante sententiam Judicis, saltem declaratoriam, exequendam nemo tenetur, nisi hoc ipsum specialiter in Jure expressum sit.*
10 *Pęnam exilii extra diœcesin tantùm Episcopus; Archiepiscopus vero extra totam provinciam potest imponere.*
11 *Depositio verbalis quid sit, & quomodo fiat.*
12 *Quid sit, & quomodo fiat degradatio.*
13 *Degradatio actualis est actus ordinis Episcopalis.*
14 *Degradatum Ecclesiasticus Judex tradit curia saculari, efficaciter tamen pro ipso intercedendo: & quomodo hoc intelligatur?*
15 *An Judex sacularis circa degradatum novum processum formare possit.*
16 *Etiam in casibus à Jure non expressis ex gravissimo delicto veniri potest ad degradationem.*
17 *Degradatus non semper debet tradi curia saculari sed potest etiam ad perpetuos carceres damnari.*
18 *In legibus pœnalibus in dubio mitior interpretatia facienda.*
19 *Circa malefactores puniendos nec nimis clemens, nec nimis severus debet esse Judex.*

1 PRæter ea, quæ hactenus de diversis pœnis criminum dicta sunt, adhuc in *præsenti tit.* aliqua breviter adnotabimus.

Notandum igitur I. *pęnam* aliam esse ex *contractu*, aliam ex *delicto*. Pœna ex contractu dicitur pœna *conventionalis*, & consensu partium apponitur, ut nimirum certam quantitatem pecuniæ solvat is, qui contractum, transactionem, vel compromissionem non servaverit. Est autem utile talem pœnam apponere contractibus, ut tantò firmiùs contractus observentur, & ne contra partem à contractu resilientem sit necessarium *interesse* probare, *l. stipulatio ista 30. §. alteri 17. ff. de Verb. obligat.* Quòd si utraque pars contractui contravenerit, neutra pœnam petet, sicut & alia paria delicta mutua compensatione tolluntur, *c. constitumus 7. h. t.* si verò una pars non servarit contractum quoad aliqua tantum, ut si sub pœna tenebatur certo die centum v. g. solvere, & tantùm solverit 50. non tenebitur ad integram pęnam, sed tantum pro rata dummodo materia sit dividua, ut quia in dando consistit, vel pactum habeat plures articulos, in quorum uno contraventum sit, *c. sua 9. & ibid.* Gloss. notabilis *in verb. per solutis h. t.* Plure specialia circa pœnam, quæ compromisso seu arbitramento adjicitur, dicta sunt *in Tit. de Arbitris.*

Notandum II. quòd pœnæ delictorum aliquando sint in jure expressæ, & determinatæ; aliquando verò, cùm 2
lex ipsa quidem actum prohibet, sed pœnam non statuit, vel certè non absolutè determinat, sint *arbitrariæ* juxta arbitrium, & prudentiam Judicis infligendæ, quæ nonnunquam etiam ad majores, & capitales pœnas extendi possunt, si ita qualitas delicti, & particulares circumstantiæ postulent, *l. hodie 13. ff. h. t. l. sacrilegii 6. ff. ad L. Juliam peculatus.* Menoch. *de Arbitrar. jud. cent. 1. casu 86.*

Notandum III. Si pœna sit à jure determinata, regula- 3
riter, & sine causa eam à Judice remitti, vel commutari non posse, nam facti quidem quæstio in arbitrio est judicantis, pęnæ vero prosecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis authoritate servatur, inquit Jurisconsf. *in l. 1. §. 4. ff. ad Senatusconsultum Turpillianum*, nisi judex sit S. Princeps, vel qui jus aggratiandi, vel remittendi pęnas ex privilegio, vel consuetudine habeat, ut hodierno tempore princeps, & Status Imperii.

Notandum tamen IV. Licet pœna sit certo delicto de- 4
terminata, propter particulares tamen circumstantias, quæ in facto talis delicti concurrunt, & ipsum delictum aggravant, vel minuunt, etiam inferioribus judicibus competere potestatem, ut à pęna *ordinaria* Juris recedere, & aliam *extraordinariam* graviorem, vel leviorem pro sua prudentia, & arbitrio imponere valeant. Ita aggravetur delictum, & consequenter augetur pęna ratione loci, temporis, personæ vel modi, ut si homicidium patratum sit in Ecclesia, si in personam Ecclesiasticam, vel sanguine junctam, si proditoriè, vel per insidias, si frequentia delinquentium jubeat ad terrorem pęnam exasperari, *l. aut facta 16. §. 1. cum §§. seq. ff. h. t.* Ita econtra diversæ causæ minuentes pęnam enumerari possunt, ut dignitas personę delinquentis, quando est corporalis pęne, *l. 8. ff. de Decurionibus, & l. si quis 38. §. 5. ff. h. t.* ætas, vel simplicitas, *l. ferè in omnibus 108. ff. de R. I.* si delictum factum sit ex culpa tantùm, non dolo vel proposito, vel si in ebrietate, ut dictum est superius *in t. de Homicidio*, si delictum sumpserit initium à justo dolore, ut quia injustè invasus excessit necessariam defensionem Fach. *Lib. 1. Contr. c. 37.* quo faciunt tex. *in l. si adulterium 38. §. Imperat. ff. ad Leg. Jul. de adult. l. quid cum major. 14. §. si liberi ff. de Bonis libert.* si delinquens crimen in inquisitione, & multò magis extra judicium per propriam denuntiationem sponte confessus sit, saltem de jure Canonico, *c. inquisit. 21. & ibi DD. de Accus.* quę causæ sicut, & aliæ videri possunt apud Jul. Clarum *lib. 5. sent. §. fin. q. 50.* & apud Tiraquel. *in special suo tract. de pœnis temperandis.*

Singulariter jure Canonico est advertendum, quòd an- 5
tiqui Canones in imponendis pœnis præsertim depositionis, vel degradationis, item in infligendis censuris fuerint proni, & rigorosi, quæ tamen hodie majori ex parte in desuetudinem abierunt, adeo ut teste Val. *h. t. §. 4. in fine*, si non omnes, saltem pleræque pęnæ Juris Canoni-
ci factæ sint *arbitraria*, & præsertim circa censuras Ec- 6
clesiasticas mandavit Trid. ne judices Ecclesiastici faciles sint in illis ferendis, nisi omni alio modo destituantur, cum experientia doceat, censuras Ecclesiasticas levibus de causis latas, contemni potiùs, quàm observari. Trid. *sess. 24. de Ref. c. 3.*

Notandum V. quòd de Jure Canonico præter censuras 7
Ecclesiasticas (de quibus inferius in Tit. *de Sent. excom.*) variæ sint pœnæ, ut I. pœna pecuniaria, vel subtractio fructuum beneficialium, si Clerici beneficiati delinquant, quas tamen pœnas pecuniarias non potest Episcopus sibi, vel suis officialibus de Jure applicare, sed debet piis locis, vel pauperibus distribuere, ne videatur ex aliorum delicto lucrum affectare, *c. 2. h. t.* Trid. *d. c. 3. de Reform. in causis verò, & sess. 23. c. 3. Reform. c. 1. vers. si quis autem.* II. Pęna carceris: nam de Jure Canonico, & etiam hodierno usu Judicum sæcularium carcer non tantùm est pro custodia, sed etiam pro pęna ad tempus, vel si causa tam atrox, & capitalis sit, in perpetuum quoque adhibetur *c. novimus 27. de Verb. significat. c. 3. h. t. in 6.*

De Jure verò Civili scripto carcer pęna quidem appel- 8
latur, potiùs tamen pro custodia, quàm pęna ultimè statuitur, *l. aut damnum 8. §. solent. ff. h. t.* & inde sine gravi afflictione incarcerandos esse, ne squalore carceris pereant,

reant, jubet Imperator, *in l. 1. C. de Custodia eorum*. Quod etiam hodie observandum est judicibus, si incarceratus necdum de crimine convictus sit, dum in carcere graviùs affligi, vel omninò perire *innocentibus nimis miserum, nocentibus verò non satis severum esse dignoscatur*, ait Imperator *cit. loc.* Ad hanc pœnam carceris etiam referri potest, quæ olim frequenter in usu erat, detrusio in Monasterium, non ut delinquens ibidem contra suam, vel Abbatis, & Conventus voluntatem professionem faciat, sed ut inclusus maneat, & pœnitentiam agat, *d. c. 2. Adult. & passim alibi*.

III. Verberatio, seu modica castigatio corporalis, quæ non transeat in pœnam sanguinis, *d. c. 2. & c. 1. de Calumniator. c. in archiepiscopatu 4. de Raptoribus*.

9 IV. Privatio beneficiorum, quæ pœna, sicut & subtractio fructuum beneficialium aliquando ipso jure infertur, aliquando per sententiam judicis inferri mandatur: quo posteriori casu ad instar aliarum pœnarum non obligat in conscientia, ut delinquens ultrò beneficio cadera, aut fructus beneficiales Episcopo, vel piis caussis consignare teneatur, antequam sententia in judicio contra ipsum lata sit. Sed, & priori casu obligatio in conscientia non potiùs nascitur, quàm si sententia declaratoria sequatur qua judex pronuntiet, & declaret, quòd delinquens pœnas Juris incurrerit, ut communiter tradunt interpretes, per *c. cum secundum 21. de Hereticis in 6.* Nisi Canon ob certa aliqua delicta, vel causas in specie expresserit quòd aliquis ipso jure sit privatus beneficiis, vel fructibus etiam alia declaratione non secuta, ut in *extrav. ambitiosa de Rebus Ecclesiæ non alien.* & in Trid. *sess. 13. de Ref. c. 1. vers. si quis autem*.

10 V. Exilium, vel relegatio *c. 1. de Calumniatoribus*: & quidem Episcopus potest relegare extra Diœcesim, Archiepiscopus verò etiam extra suam totam Provinciam, *c. 1. & ibi* Barb. *n. 4. de Arbitris c. suarum 11. de Privilegiis*.

11 VI. Depositio; est autem depositio privatio ordinum Clericalium, eaque duplex *Verbalis*, & *Realis*. *Verbalis* est, quando per sententiam Episcopi, vel Vicarii ejusdem speciale ad hoc mandatum habentis Clerico executio suorum ordinum, & promotio ad altiores in perpetuum interdicitur: qui tamen Clericus ita verbaliter depositus, seu quod in effectu idem est, perpetuò suspensus, manet adhuc Clericus Clericalibus privilegiis gaudens *c. cum non ab homine 10. de Judic.* Barb. *de Offic. Episc. alleg. 110. n. 7.* Imò post peractam pœnitentiam cum tali deposito Episcopus dispensare, & ordinibus suis eum restituere potest secundum dicta superius in *Tit. de Furt. ad finem*.

12 *Realis* depositio, communiter *degradatio* appellatur, privat Clericum non tantùm executione ordinum, sed etiam Clericatu, & omnibus privilegiis clericalibus, ut instar Laici habeantur, ipse tamen character SS. Ordinum, qui in anima imprimitur, indelebilis est, & auferri nequit, ideoque si contingeret, aliquem ex falsis probationibus condemnari, & degradari, demonstrata postmodum innocentia restitutus noviter ordinari non deberet; imò degradatus in casu extremæ necessitatis, si sacerdos foret, ex plurimorũ DD. sententia aliquem absolvere posset. Barbos. *ad Trid. sess. 54. de Sacram. pœnit. c. 14. n. 13.* Fit autem *degradatio* cum certa solemnitate, quæ præscribitur *in c. h. t. in 6.* ut nimirum priùs sententia degradationis (quæ ibidem *degradatio verbalis* dicitur) feratur coram certo Episcoporum numero, scilicet in degradatione Presbyteri coram sex, in degradatione Diaconi, vel Subdiaconi coram tribus *c. Felix 4. & seq. causa 15. q. 7.* quorum tamen Episcoporum loco, si commodè haberi non possint, hodiè ex Triden. *sess. 13. de Reform. c.* conceditur, ut totidem Abbates, vel in istorum etiam defectu alii Clerici in dignitate constituti intersint, quòd si Clericus in minoribus constitutus degradandus sit, hanc degradationem solus Episcopus sine assistentia aliorum peragere potest.

Deinde post sententiam latam degradandus sacris vestitus vestibus manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum, seu ornamentum ad ordinem suum spectans ac si deberet in officio publicè celebrare, ad Episcopum adducẽdus est: cui Episcopus singula ornamenta, & vestimenta singulariter aufert, incipiendo ab illo ornamento, quod in ultima ordinatione traditum fuit, & descendendo gradatim usque ad primam vestem, quæ datur in collatione tonsuræ Clericalis: tunc radetur caput illius: ne Clericatus vestigium appareat. Addenda quoque in detractione insignium Clericalium sunt certa verba ablationem Clericatus significantia, quæ in Rituali habentur, & ultimo loco hoc, vel simili modo dicendum ab Episcopo. *Authoritate Dei omnipotentis, ac nostra tibi auferimus habitum Clericalem, deponimus, degradamus, & exuimus omni ordine, beneficio, & privilegio Clericali &c.*

Porrò *degradatio* actualis refertur inter actus ordinis Episcopalis, & ideò fieri nõ potest, nisi ab Episcopo cõsecrato Gloss. communiter recepta in *c. transmissam 15. verbo, de talibus de Electione* Trid. *d. c. 4. ibi: & per seipsum ad actualem degradationem* Pan. *in c. non potest. 3. de Sent. & re jud.* 13

Nihil tamen obstat, quin prolatio sententiæ degradationis per speciale mandatum committi possit Vicario, & executio sive actualis degradatio alteri Episcopo consecrato, si proprius Episcopus impediatur, vel consecratus non sit, juxta ea, quæ supra *Tit. de officio ordinarii §. 4. dub. 1.* diximus.

Post *degradationem* reus degradatus traditur judici sæculari qui in actu *degradationis* præsens esse debet: pro eo tamen Ecclesia intercedit, ne mortem patiatur: *cap. novimus 27. de Verbor. significat.* licet vero *in eod. c.* dicatur, Ecclesiam debere *efficaciter* intercedere pro vita degradati: hoc tamen verbum, *efficaciter*, non est intelligendum, quòd Episcopus obligetur, ut reum liberet à pœna mortis, alias enim ipsæ leges Ecclesiasticæ frustra juberent in enormibus criminibus degradatum tradi judici sæculari secundùm leges civiles puniendum, sed hæc intercessio *efficaciter*, id est, seriò, & ferventer facienda est, ad ostendendam mansuetudinem Ecclesiasticam, ne Episcopus faciens *degradationem* videatur mortem degradati desiderare. 14

Nunquid autem judex sæcularis potest degradato novum processum facere, & de justitia causæ cognoscere? R. Esse distinguendum, an crimen sit merè Ecclesiasticum, ut hæresis, simonia, administratio Divinorum à non sacerdote facta &c. vel an sit mixti fori, ut homicidium, magia &c. priori casu tenetur judex sæcularis præcisè exequi sententiam declaratoriam judicis Ecclesiastici sine novo processu, *cap. ut inquisitionis 38. §. prohibemus de Hæreticis in 6.* Altero autem casu poterit judex sæcularis ab Ecclesiastico petere processum, & ipse quoque novum super crimine facere, & pœnam, prout sibi de jure visum fuerit, statuere. Panorm. *in c. 1. de Officio judicis ordinarii num. 12.* Cæterum crimina, ob quæ Clericus degradandus est, in superioribus titulis, ubi in specie de singulis delictis egimus, notata sunt. Licèt verò aliqui existiment, nunquam posse deveniri ad *degradationem*, nisi in casibus nominatim in jure expressis, nihilominus 15
magis probo, quod docet Panorm. *in cap. etsi Clerici. 39. & in c. cum non ab homine num. 6. de Judicis*. Clarus *lib. 5. sentent. §. fin. p. 36. n. 47.* quòd etiam in aliis criminibus valdè enormibus, & reipublicæ, vel Ecclesiæ damnosis, & generaliter, quoties Ecclesia non habet pœnam sufficientem ad vindicandum scelus, & terrorem aliis hominibus inferendum, possit à judice Ecclesiastico pœna *degradationis*, & traditio curiæ seculari statui, ut in parricidio, latrocinio, veneficio damnoso longiùs continuato &c. nam quòd ex causa pœna præsertim arbitraria aggravari possit, jam ante præmissum est; ordinariè verò propter furtum, homicidium simplex in rixa factum, adulterium, aut simile delictum, grave quidem, sed non ex gravissimis, Clericus non degradatur, nisi fuerit incorrigibilis, sed aliis pœnis ac depositione verbali afficitur *d. c. cum non ab homine*. 16

In illis quoque criminibus, quæ pœnam *degradationis* habent, non semper cogitur Episcopus degradatum tradere Curiæ sæculari, sed potest aliquando ad proprios carceres perpetuò condemnare, si ita pro qualitate causæ, vel personæ sibi videatur, secundum Gloss. *in c. de Hæretic. in 6.* 17

Notandum *ultimò*, in legibus pœnalibus eam interpretationem adhibendam esse, ex qua pœnæ potiùs mitigentur quàm exasperentur: ideoque si in Jure, vel in facto dubium occurrat, an crimen commissum, vel qua pœna puniendum sit, regulariter semper judex in mitiorem partem inclinare debebit, nisi concurrentes circumstantiæ aliud suadeat, *l. prospiciendum 11. & l. penult. ff. h. t.* 18

veluti si in Jure Canonico *depositionis* pœna statuatur, non de *degradatione*, sed verbali tantùm *depositione* ordinariè accipiendum erit. Ita etiam in Jure civili pœna capitalis aliquando non de vitæ naturalis amissione, sed civilis tantùm, idest, deportationis, vel exilii intelligi potast, teste Harp. *ad Tit. de Injuriis* §. 1. n. 161.

19 Interim circa reos legitimè de crimine convictos, & præsertim illos, qui atrocia perpetrarunt, malam consuetudinem contraxerunt, & exiguam, vel nullam spem emendationis ostendunt, non nimis clemens esse debet judex, juxta illud *Exodi* 22. *vers.* 18. *maleficos non patieris vivere*, & illud *Isaia* 26. *vers.* 10. *misereamur impio, & non discet justitiam &c.* ne paulatim civitas, vel Provincia malis hominibus repleatur, & tales liberati graviora crimina perpetrent, quæ judici non minima ex parte imputari poterunt. *Perspiciendum igitur est judicanti*, ait jurisconf. *d. l.* 11. *ne quid durius, aut remissius constituatur, quàm causa deposcat, nec enim aut severitatis, aut clementia gloria affectanda est.*

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis, & Remissionibus.

SUMMARIA.

1 *Pœnitentia alia est publica, alia privata, alia solemnis, alia non solemnis.*
2 *Solemnis non imponitur Clericis nisi depositis.*
3 *Publicè peccantibus etiam publica pœnitentia imponenda.*
4 *Quare à rigidioribus olim usitatis pœnitentiis recessum sit.*
5 *De institutione sacramenti pœnitentia.*
6 *De materia, & forma hujus sacramenti, & quòd etiam sufficiat attritio.*
7 *Per litteras, aut internuntium non licet confiteri.*
8 *Preceptum annua Confessionis, & Communionis; ejusque amissa pœna.*
9 *De consuetudine Confessio debet fieri in Paschali tempore, & quid si tunc ommissa, alia verò tempore anni facta sit?*
10 *Quæ obligatio Medicis circa ægros à Jure imposita admonendi de Confessione.*
11 *Quid sit remissio, & indulgentia?*
12 *Satisfactio Christi nobis applicari debet, ut prosit ad remissionem pecatorum.*
13 *Indulgentia, alia totales, & plenaria, alia partiales, & quid sit carena?*
14 *Clausula: de pœnitentiis injunctis &c. indulgentiis addi solita, non restringit indulgentiam, quin etiam intelligatur de injungendis.*
15 *Quàm utile sit lucrari indulgentias.*
16 *Indulgentias concedere principaliter pertinet ad Sum. Pontificem, & quas possint concedere Episcopi.*
17 *Remissio est actus Jurisdictionis, & quomodo possit extendi ad non subditas?*
18 *Exempti possunt lucrari Indulgentias.*
19 *Episcopus etiam solum confirmatus potest dare indulgentias.*
20 *Quid sit Jubilaeum.*

1 Sicut pœnæ, de quibus *praced. tit.* dictum, ad forum judiciale, instituta scilicet accusatione, vel inquisitione super criminibus, pertinent, ita *pœnitentia* spectant ad forum pœnitentiale, & expiationem conscientiæ.

Pœnitentia aliæ sunt *publica*, aliæ *privata*, sive sacramentales; erat enim hic antiquioris præsertim Ecclesiæ usus, ut peccata publica cum hominum scandalo patrata, non nisi publica confessione, & pœnitentia coram Episcopo, vel pœnitentiario ad hoc specialiter constituto expiarentur; secretiora verò, & absque majori scandalo facta confessione secreta, & sacramentali, *c. si peccaverit* 19. *causa* 2. *q.* 1. *&* c. 1. *h. t.*

Publica pœnitentia alia est *solemnis*, alia *non solemnis*.

Solemnis pœnitentia est, quæ solemniter in Ecclesia cum cæremoniis certis indicitur, & peragitur, quæ cæremoniæ describuntur *in cap. in capite* 64. *dist.* 50. ut scilicet initium quadragesimæ publici peccatores, & pœnitentes induti soccis, & nudis pedibus ad Ecclesiam veniant, & inde à ministris Ecclesiæ certo ritu, & certis orationibus dictis expellantur. Hæc solemnis pœnitentia separat 2
pœnitentem à communione fidelium, & sacramentorum perceptione (excepto mortis articulo) usque ad plenam satisfactionem, quia verò etiam minuit existimationem, & famam pœnitentis, propterea Clericis nisi depositis imponi non debet: imo publicè, & solemniter pœnitentes tanquam infames, & irregulares ad Clericatum non admittuntur. *c. confirmandum* 65. *& seqq. d. dist.* 50.

Publica pœnitentia *non solemnis* est, quæ ex publica quidem confessione, seu publico delicto, sed absque cæremoniis Ecclesiæ indicitur, ut si alicui publicè jejunium vel peregrinatio imponitur, de quibus pœnitentiis videri poterunt Canones pœnitentiales, qui solent imprimi post Decretum Gratiani.

Istæ porrò publicæ, & solemnes pœnitentiæ, licet hodie parum in usu sint mandat tamen Concilium Trid. 3
Sess. 24. *de Reform. c.* 8. ut publicè cùm scandalo peccantibus publica etiam pœnitentia pro qualitate, & gravitate culpæ imponatur, & sic adimpleatur dictum Apostoli 1. *ad Timot.* 5. qui vult publicè peccantes palam esse corripiendos, nisi Episcopus judicaverit pro circumstantia rei magis expedire, ut pœnitentia publica in secretam commutetur.

Illud quoque observandum est, quòd Canones antiqui pœnitentiales in imponendis pœnis admodum rigorosi 4
fuerint ob fervorem primitivorum Christianorum, adeò ut pro uno peccato mortali septem, & plurium annorum pœnitentiam nonnunquam injunxerint: quia verò deinde dilatata Ecclesia, & refrigescente charitate ob gravitatem pœnitentiæ multi impœnitentes remanserunt, & potius contempta pœnitentia in profundum malorum descenderunt, ideo pia mater Ecclesia succedentibus temporibus de illo primo rigore aliquid remisit, & pro suo amplissima potestate solvendi, & ligandi pœnitentias arbitrarias concessit.

Privata pœnitentia est illud pœnitentiæ, & secretæ confessionis Sacramentum, quod unanimi Ecclesiæ consensu tunc potissimùm à Christo institutum creditur, quando resurgens à mortuis insufflavit in discipulos suos dicens: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, Jo.* 20. *& Mat.* 18. Cùm ergo hæc potestas retinendi peccata, Christo concessa in Ecclesia exerceri non possit, nec dijudicari, quæ peccata remittenda, vel retinenda sint, quales pœnitentiæ injungendæ, quæ ad evitanda peccata consilia danda, nisi peccatores sua peccata recenseant, & super singulis remissionem rogent, ideò Ecclesia Catholica contra hæreticos semper tenuit, & docuit, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia (nō item venialia,) quorum post diligentem sui excussionem conscientiam habent cum circumstantiis, non quidem omnibus sed, saltem illis, quæ speciem mutant, & peccatum de uno genere peccati in aliud transire faciunt, v. g. de fornicatione in adulterium, vel incestum &c. in confessione exprimere, super quibus deinde recensitis peccatis, & omnibus aliis, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, à sacerdote ad audiendas confessiones approbato, & in pœnitentem ordinariam, vel delegatam jurisdictionem habente judicium formetur, & absolutio, nisi Pontifici, vel Episcopo reservata fuerint, impertiatur: ita tamen, ut in extrema necessitate, seu mortis articulo, vel periculo sine recensione peccatorum, si ea ob moram periculosa, vel defectum loquelæ impossibilis sit, à quolibet sacerdote de quibusvis peccatis quomodocunque reservatis absolutio concedi debeat.

Declaravit Ecclesia præterea formam hujus sacramenti esse in illis Ministri verbis: *ego te absolvo &c.* preces 6
verò quasdam, ut *misereatur, &c.* & *Passio Domini &c.* laudabiliter de more Ecclesiæ adjungi solitas ad ipsius sacramenti essentiam, formam, vel necessitatem non spectare, Materiam autem esse ipsius pœnitentis actus scilicet con-

contritionem, confessionem, & satisfactionem, & quidem numine contritionis generaliter intelligi animi dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: neque tantùm illum perfectum actum charitatis erga Deum, quæ propriè contritio dicitur, quo detestamur peccatum super omne malum tanquam repugnans summo bono dilectu per fidem cognito, sed etiam illum dolorem imperfectum, qui *attritio* vocatur, & ex turpitudine peccati, & pęnarum metu concipitur. Quamvis enim hæc imperfecta contritio sine sacramento, sive actuali confessione non deleat peccata (sicut tamen delet illa perfecta saltam in casu, quo sacramentum haberi non potest) cum sacramento tamen sufficit, prout hæc omnia habentur in Trid. *Sess.* 14. *de Sacram. pœnit.* & eadem passim prolixius tractant Theologi morales, & scholastici. Videri etiam poterunt, quæ de jurisdictione, & approbatione Confessariorum dixi in *libello de Paroch. in c. 2. de Pœnitentia.*

7 Novissimè à Clemente VIII. declaratum refert Barb. in *c. omnis* 12. *h. t. nu.* 12. non licere per litteras aut internuncium absenti sacerdoti peccata sua confiteri, adeò ut contraria sententia tanquam omnino improbabilis damnatur, & eam tanquam probabilem admittentes, vel defendentes (intellige si scienter, & quasi per contumaciam post cognitam hanc declarationem tenuerint) excommunicationem reservatam incurrant.

Cæterùm Jure Ecclesiastico statutum est in *c. omnis*
8 *utriusque* 12. *h. t.* ut hoc *privata* pęnitentiæ sacramentum ab utriusque sexus fidelibus, postquam ad annos discretionis pervenerint, saltem semel in anno peragatur, & Eucharistiæ sacramentum ad minùs in paschate reverenter suscipiatur, temerè autem, & sine rationabili causa, ac proprii Parochi consilio seu licentia omittentes vivi ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & morientes Ecclesiastica sepultura priventur. Quamvis verò in hoc Canone non ita expressè determinetur, quòd Confessio, & Communio sacramentalis præcisè in Paschate singulis annis peragi debeat, & inde pierique inferant de jure satis fieri proposito Ecclesiastico, si in quavis anni parte pœnitens peccata sua confiteatur, sicut concludunt citati apud Barb. *in ead. c. omnis n.* 5. non obstantibus etiam illis verbis, *ad minus in Pascha* quia videtur esse sensus, *si nullo alio tempore, saltem in Paschate:* nihilominus consuetudo universalis Ecclesiæ introduxit, ut singuli fideles tempore Paschali Sacramentum pœnitentiæ, & Communionis peragere teneantur. Interim si quis alia anni parte confes-
9 sus fuisset, & communicasset, in Paschate verò omisisset, non putarem eum ex hac solùm causa sepultura Ecclesiastica privandum: quia illa pęna in eos tantùm à Jure lata est, qui toto anno Pœnitentiam omittunt, & inde non leviter de hæresi suspecti redduntur. Licet autem consuetudine ex post facto introducta sit obligatio præcisè confitendi in Paschate, & huic consuetudini laudabili contravenientes saltem arbitrariè puniri possint, & soleant, illam tamen valdè magnam pęnam privationis sepulturæ non reperimus tali casu institutam; aliunde verò nota est regula, quòd in pęnalibus semper mitior interpretatio adhibenda sit, nec pęnæ ultra casus expressos facilè extendendæ, *l. penult. ff. de Pęnis c. odia de R. J. in 6.*

Medicis etiam speciale præceptum datur in *c. cùm infir-*
10 *mitas* 13. *h. t.* & in Bulla Pii V, quæ incipit: *Super gregem Dominicum &c.* ut ad ægrotos vocati non tantùm nihil suadeant, quod peccaminosum est, sed ægrotos ante omnia admoneant, & inducant, ut confessionem præmittant: *cum infirmitas corporalis*, inquit Pontifex in *d. c.* 13. *nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem sanavit, Joann. 5. vade, & noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*, quod tamen quidam cum Nav. *in Manuali confessariorum c. 25. n. 61.* intelligunt, si morbus periculosus sit, & ita etiam consuetudo videtur declarare: quamvis magis optandum, & menti, & verbis Canonis conformius esset, etiam in aliis morbis gravioribus per expiationem peccatorum Deum sibi prius conciliare, tum quòd dilatio pęnitentiæ præsertim ægris periculosa sit, tum quòd ratio Canonis etiam in aliis, quàm lethalibus morbis locum habeat: tum denique quòd per dolores, & molestias morbi æger multum promereri, & pro peccatis antea ctis satisfacere valeat, si in statu gratiæ per pęnitentiam constitutus sit.

Remissio est condonatio satisfactionis, sive temporalis
pęnæ Deo pro peccatis debitæ, quæ remissio alio nomi- 11
ne *indulgentia* nominatur, *c. quod autem 4. h. t. juncto c. indulgentia 3. eodem in 6.* Enim verò quòd Ecclesia ex potestate clavium sibi à Christo *Matth.* 16. traditarum *solvit*
seu remittit in terris solutum etiam est in cœlis. Hanc por- 12
rò remissionem facit Ecclesia per singularem applicationem meritorum Christi, & Sanctorum ejus: nam licet Christus infinitè Deo Patri suo satisfecerit pro peccatis omnibus, tamen hæc satisfactio non prodast ad remissionem peccatorum, nisi quatenus alicui applicatur, vel immediatè per ipsum Christum, vel perceptionem Sacramentorum, vel per Vicarium Christi Rumanum Pontificem; aliàs enim si Christus per solam suam satifactionem voluisset omnibus indistinctè omnia peccata remittere, & securam salutem conferre, frustra instituisset Sacramenta, frustra peccatores non agentes fructus dignos pœnitentiæ à Regno cœlorum in multis Evangelii locis exclusisset, frustra Pastori Ecclesiæ claves ad ligandum, & solvendum consensisset. Neque propereà per satisfactionem nostram aliquid derogatur meritis Christi, ut cavillantur hæretici, qui licentia, & libertate peccandi seducti horrent pœnitentiam, & satisfactionem: quia hæc ipsa satisfactio non aliter vim, & effectum habet, quam ex satisfactione Christi, à quo offertur Patri, & per quem acceptatur à Patre, sicut declaravit Trid. *sess.* 14. *de Sacramenta Pęnit. c.* 8.

Dividuntur *indulgentia*, quòd aliæ sint *totales* sive *ple-* 13
naria, aliæ *partiales*: per illas remittitur tota pœnitentia, & satisfactio, sive in hoc, sive in altero sæculo sustinenda, per has autem tantùm pars aliqua pœnitentiæ, ut si indulgentia unius anni, septennii, 40. dierum concedatur, sensus est, remitti pœnitentiam, quæ aliàs secundum rigorem Ecclesiæ tot annis, vel 40. diebus (quæ pęnitentia 40. dierum in Canonibus *carena* dicitur *c. 8. de Accus.*) peragenda fuisset.

Sed hic movetur non inutilis quæstio, an cum literę 14
indulgentiarum ordinariè secundùm stylum Curiæ Romanæ soleant habere adjunctam clausulam; *de pęnitentiis injunctis &c.* tales indulgentiæ etiam sint intelligendę de illis pœnitentiis, quæ per Confessarium quidem injunctæ non fuerunt, fuissent tamen secundùm gravitatem peccatorum, & de rigore Canonum pęnitentialium injungendæ? R. Benigniorem esse interpretationem DD. quòd hæc clausula non sit restrictiva indulgentiarum, sed ampliativa habens subintellectam particulam *etiam*, & sit sensus: *etiam de injunctis pęnitentiis &c.* nam præterquam, quòd indulgentiæ sint gratiæ, & favorabiles animę, ideoque latius interpretandæ, juxta vulgatas juris regulas, Ecclesia quando concedit id, quod est majus, & difficilius concedi solet, intelligitur etiam in eodem genere concessisse, quod est minus, *c. ex parte 27. de Decimis*, sed plus est, & difficilius conceditur remissio pęnitentiæ injunctæ, utpote Divino, & humano præcepto debitæ, per quam remissionem turbatur, & impeditur inferioris judicis pœnitentiam injungentis jurisdictio, quam concedatur permissio pęnitentiæ injungendæ, quæ incerta, & determinata est, ergo concessa remissio super injunctis pœnitentiis non immeritò etiam de injungendis explicanda erit.

Quæ interpretatio præsertim hodierno statu Ecclesiæ, 15
ubi non amplius tam longæ, & graves pœnitentiæ, sicut olim injunguntur, adhiberi debet; cum alias nunquam vel rarissimè indulgentiæ cum prædicta clausula: *de injunctis pœnitentiis*, utilitatem adferrent. Panorm. *in c. cùm ex eo 13. h. t. n. 6.* Suarez. *tom. 4. disp. 50. sect. 3.* Unde ulterius notandum est, valdè utile esse pœnitentibus, ut studeant indulgentias ab Ecclesia concessas lucrari, & divinæ Justitiæ potius per indulgentiam, & remissionem Ecclesiæ, quam per modicas pęnitentias à Confessariis injungi solitas satisfacere.

Indulgentiarum concessio primò, & principaliter ad 16
summum Pontificem spectat, cujus est dispensare thesaurum Ecclesiæ ex meritis Christi, & Sanctorum collectum, *extravag. 2. h. t. inter Comm.* Deinde verò per speciale privilegium etiam à summo Pontifice inferioribus Prælatis concedi potest jus dandi indulgentias, sicut concessum est Episcopis in dedicatione Ecclesiæ, unius anni & in anniversario ejusdem dedicationis 40. dierum Indul-

gentiam dare, & non ampliùs; sive ab uno sive à pluribus Episcopis Ecclesia consecretur, *c. cùm ex eo 14. h. t.*

17 Est autem *remissio* actus *jurisdictionis* sicut ligatio, cùm contrariorum eadem ratio censeatur, ideoque non prodest, nisi subditis remissio concedentis, alienis verò tunc solùm; si à proprijs suis Ordinarijs habuerint licentiam alienæ jurisdictioni, & remissioni se subjiciendi; nam prorogatio jurisdictionis in spiritualibus fieri non potest absque proprii Judicis, & pastoris consensu *cap. quod autem 4. h. t.*

18 Exempti tamen etiam lucrari possunt indulgentias Episcopales; nam in his favorabilibus, sicut in commutatione, & dispensatione votorum &c. probabiliùs etiam sine speciali licentia summi Pontificis, cui immediatè subsunt, possunt se subjicere jurisdictioni Episcopi, ne aliàs propter exemptionem ex gratia sibi concessam sint deterioris conditionis quàm alii non exempti contra regulam, quòd id, quòd ob gratiam alicujus est introdu-
19 ctum, non debet in ejus odium retorqueri, *c. quod ob gratiam, de R. J. in 6.* Præterà hic actus jurisdictionis non habet necessariam connexionem cum Ordine Episcopali, quia est condonatio pœnæ extra Sacramentum, & extra forum internum pœnitentiale, ideoque Episcopus tantùm confirmatus, quamvis non consecratus, indulgentias rectè concedit, cùm per solam confirmationem tanquam Pastor accipiat claves Ecclesiæ, quarum authoritate aliquem extra Sacramentum solvere, vel ligare potest, ut in t. subsequenti dicetur. Panorm. *in c. accedentibus 12. de Excessibus Prælatorum*,

20 Demum remissio amplissima est *Jubilæum*; sicut enim in lege Veteri quinquagesimus annus *jubilæus*, *& remissionis* dicebatur, quo Judæi debita, & hypothecas aliasque possessiones prioribus dominis remittebant, servos libertate donabant, *Levit. 25.* quæ *remissio* præfiguratio erat *remissionis peccatorum* adventu Christi faciendæ: ita Ecclesia in Lege nova pro solatio fidelium introduxit *annum Jubilei*, in quo præter plenam remissionem peccatorum, alias insuper gratias addere solet, ut liberam electionem Confessarii cujuscunque, absolutionem à reservatis quibuslibet, commutationem votorum &c. Licet verò de jure hic annus Jubilæi (qui olim primùm 100. deinde 50. anno concessus fuit) hodie 25. quovis conceditur illis tantùm, qui urbem Romanam, & Basilicas Apostolorum Petri, & Pauli visitaverint, suspensis interim omnibus aliis indulgentiis plenariis per orbem, ut fideles tantò diligentius Romam veniant ad lucrandum Jubilæum, ut in *extravag. c. 2. & 4. inter Comm. h. t.* habetur: solent tamen Pontifices sæpius pro suo arbitrio ex causa aliqua urgente scilicet ad conciliandum Deum, & advertendum periculum imminentis mali frequentius per totum orbem Jubilæum sive plenissimas indulgentias cum privilegiis Jubilæi non quidem per integrum annum sed aliquot hebdomades in quovis loco indulgere, Præ cæteris videri poterit Georgius Gobar in suo tractatu *de duplici Jubilæo*, in quo pro Confessarijs multas utiles, & practicas quæstiones tempore Jubilæi occurentes resolvit.

TITULUS XXXIX.

De Sententia excommunicationis,

QUamvis rubrica hujus tit. tantùm de *Sententia excommunicationis* inscribatur, tractatur tamen hic non tantùm *de excommunicatione*, sed universim de *censuris* Ecclesiasticis, quarum hactenus in diversis materiis frequens mentio incidit, Sit proinde,

§. I.

De Censura in genere.

SUMMARIA.

1 *Quid dicatur, & sit censura?*
2 *Censura est spiritualis, & medicinalis; nec fertur in perpetuum, excepta suspensione.*
3 *Censura non potest ferri nisi in Christianos baptizatos, & viatores.*
4 *Quomodo defuncti excommunicari, vel ab excommunicatione absolvi possint?*
5 *Animabus in purgatorio conceduntur à S. Pontifice Indulgentiæ tantum per modum suffragii.*
6 *Censura non potest ferri nisi pro delicto externo, & mortali.*
7 *Qualis contumacia, & monitio ad inferendam censuram requiratur.*
8 *Quando censura ipso Jure infertur, nulla alia monitio necessaria est.*
9 *Pro sententia tamen declaratoria ferenda prærequiritur citatio illius, qui pro excommunicato v. g. est declarandus.*
10 *Ignorantia non tantùm facti, sed etiam Iuris, & probabilius ipsius censura ab ejus incursione excusat.*
11 *Quæ sit differentia in effectu inter alias pœnas, seu irregularitatem, & inter censuras?*
12 *Ecclesiasticis Prælatis competit potestas ferendi censuras; non Laicis: nec de Iure inferioribus Iudicibus Ecclesiasticis, ut Archidiaconis, Archipresbyteris &c.*
13 *Abbates habent potestatem prædictam.*
14 *Prælatis confirmatis etsi non consecratis congruit potestas censuras ferendi.*
15 *Abbatissis illa potestas propriè non competit.*
16 *Censuræ privant bonis spiritualibus Ecclesiæ publicis, non privatis.*
17 *Si censura affectus se emendat censura tollitur, sed non sine absolutione.*
18 *Censura alia est Iuris, alia hominis: & quæ est Iuris, alia lata, alia ferendo sententia.*
19 *Quæ verba in iure importent censuram latæ, vel ferendæ sententiæ.*
20 *Censura ab homine potest ferri, vel generaliter, vel in specie in certas personas.*
21 *Censuræ extra statutum ordinarium pro futuris culpis sunt de Iure prohibitæ.*
22 *Censuræ generales ad finem revelationis cum quibus conditionibus fieri debeant.*
23 *Vicarius in arduis non venit nomine Episcopi, saltem si in Iure particula restrictiva apponatur.*
24 *Monitoria generalia quomodo ad revelandum, vel denuntiandum obligent.*
25 *Revelationes inde secutæ non faciunt fidem ad inquisitionem criminalem: & de clausula monitoriis apponi solita.*
26 *Censuræ tres sunt species, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.*

C*Ensura* apud Romanos officium, & dignitas Censo- 1
rum, qui corrigendis civium moribus præerant, dicebatur: aliquando pro ipsa correctione, castigatione, vel decreto illius Magistratus accipiebatur, Hinc etiam in Jure Canonico idem vocabulum receptum est ad significandam castigationem, punitionem, & correctionem delinquentium. Potest autem definiri *censura* in genere, quòd sit pœna spiritualis, per quam homini baptizato delinquenti ac contumaci per Ecclesiasticam potestatem quorundam bonorum spiritualium usus aufertur, donec à contumacia recedat. Ita colligitur ex omnibus DD. de *Censuris* Ecclesiasticis scribentibus, & habent singulæ hujus definitionis particulæ suas considerationes.

Dico I. *censuram* Ecclesiasticam esse *pœnam spiritualem*: quia non versatur principaliter circa bona temporalia, vel afflictionem corporis, sicut pœnæ temporales, sed circa privationem bonorum spiritualium, scilicet admi-

administrationis, vel perceptionis Sacramentorum, communicationis suffragiorum &c. ut ex dicendis apparebit. Non est tameo *censura* propriè pœna vindicativa sceleris jam patrati, quin potiùs pœna medicinalis intendens futuram correctionem delinquentis contumacis, *c. 1. in princ. h. t. in 6.* Unde *censura* regulariter in perpetuum, vel ad certum tempus ferri non debet, sed ubi censuratus à contumacia resipuerit, & satisfactionem pro delicto obtulerit, absolvendus erit, *c. ex literis 11. de Constitut.* Quòd ordinariè verum est in *censura* excommunicationis, & interdicti; sed suspensio ab ordine vel beneficio nonnunquam per modum propriæ pœnæ vindicativæ, & ob culpas præteritas etiam non data ulteriori contumacia delinquentibus Clericis in perpetuum, vel ad tempus infligitur, *c. un. de Clerico venatore*, & tunc non retinent propriam naturam censurarum, sicut notavit Panor. *in c. sæpè contingit 44. de Appell. n. 16.*

3 Dico II. censurandum debere esse *hominem baptizatum*: nam gentiles, qui nonquam per baptismum in Ecclesiam ingressi, ejusque subditi effecti sunt, & propterea etiam communicationem bonorum spiritualium, quibus per censuras priventur, cum Ecclesia non habent, censura non rectè afficiuntur, dicente Apostolo 1. *ad Corinth. 5. vers. 12. quid mihi est de iis, qui foris* (hoc est extra Ecclesiam) *sunt judicare? nam eos Deus judicabit.* Addunt prętereà DD. communiter, quòd homo censurandus debeat esse *viator*, id est inter vivos in hac mortali peregrinatione ad cœlestem patriam constitutus, propterea concludunt, quòd in mortuos censura aliqua propriè dicta ferri non possit: mortui enim de jurisdictione Ecclesiæ subtracti sunt, & eorum causa Dei judicio reservatur: *neque de eo, qui in divino judicio constitutus est, nobis fas est aliud decernere præter id, in quo cum dies supremus invenerit*, inquit Pontifex in *c. 1. & 4. causa 24. q. 2.* & Gelasius Papa *in c. 2. ead. q. 2.* pro confirmatione adducit, quòd Christus *Matth. 16.* per illa verba: *quæcunque ligaveris super terram*, dederit quidem Petro potestatem aligandi super terram, scilicet vivos, non verò in terra, id est, mortuos.

4 Opponitur autem contra hanc assertionem I. *cap. ult. ead. causa 24. q. 2.* ubi probatur, quòd hæretici etiam post mortem valeant ab Ecclesia anathematizari. II. *c. à nobis 28. h. t.* ubi decedens in excommunicatione, editis pœnitentiæ signis, permittitur etiam post mortem absolvi, & addit ibidem Pontifex, quòd in certis casibus à Canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos, & solvisse. III. quòd Ecclesia concedat indulgentias pro animabus in purgatorio, adeoque jurisdictionem, & potestatem clavium etiam in mortuos exerceat.

5 Verùm ob hæc argumenta, licèt ponderosa, non videtur recedendum à dictis, quod plurium authoritate confirmat Barb. *in d. c. à nobis n. 4.* Resp. Igitur ad *primum* illud anathema, quod hæreticis post mortem dicitur, non esse excommunicationem directam, quæ directè intendatur in animam mortui, utpote jam de jurisdictione Ecclesiæ subtractam, sed potiùs quandam execrationem, vel excommunicationem tantùm impropriam, & indirectam quæ principaliter dirigatur ad ipsos fideles, qui prohibentur, ne cadaver defuncti hæretici sepulturæ Ecclesiasticæ mandent, vel pro ipso publicas preces offerant, aut certè nonnunquam per tale anathema declaratur, hæreticos jam in vivis excommunicationem à Jure latam incurrisse, & in ea decessisse &c. Ad *secundum* similiter dici potest, absolutionem, quæ decedentibus præmissis pœnitentiæ signis post mortem datur, non esse absolutionem directam, sed potius sublationem illius prohibitionis, ex qua talis excommunicatus non poterat Ecclesiasticæ sepulturæ mandari, & participare fidelium orationes; vel esse declarationem, quòd mortuus ob data pœnitentiæ signa coram Deo absolutus credatur. Ad *tertium*, communis est DD. sententia, quòd Pontifex animabus in purgatorio non det indulgentiam per modum jurisdictionis, eas a pœnis absolvendo, sed tantùm per modum suffragii, exhibendo Deo satisfactionem ex communi thesauro meritorum Christi, & Sanctorum, adjunctis precibus, ut eam satisfactionem ad liberationem animarum misericorditer acceptare dignetur, sicut in terminis, & pro certo tradit Laym. *de Indulgentiis c. 7. n. 3.* ubi etiam subnectit illam disputationem, an tales Indulgentię infallibiliter liberent animas ex purgatorio, quæ cum non sit nostri instituti, apud eundem authorem legi poterit.

Dico III. *Delinquenti, & contumaci.* Porrò delictum, 6
ob quod censura infligitur, debet habere tria adjuncta. I. quòd sit delictum *externum* aliquo opere externo demonstratum, & non sit merè in animo, & cogitatione positum: quia judicium humanum fori externi (aliud est de foro sacramentali pœnitentiæ) non cognoscit de internis, & non imponit pœnam cogitationis *c. cogitationis 14. de Pœnit. dist. 1.* Unde licèt hæretici incurrant excommunicationem ipso Jure, non tamen ille, qui hæresim solùm in animo fovet, priusquam verbo, vel opere extrinseco eandem manifestarit, & ita quidem, ut ab aliis proptereà de hæresi notorus fuerit, sicut superius in *Tit. de Hæreticis* pluribus explicavi. II. peccatum debet esse *mortale*, & non sufficit veniale: nam cum censura sit ex maximis pœnis, debet esse commensurata delicto, *c. nemo Episcopor. 41. & seq. caus. 11. q. 3.* quare præsertim in censuris, quæ ipso jure inferuntur, hoc notabile est, quòd sicut ob inadvertentiam, non sufficientem deliberationem, vel parvitatem materiæ nonnunquam potest aliquis à peccato mortali, ita etiam possit à censura excusari. III. Ut delictum habeat annexam contumaciam delinquentis: qui enim vult, vel à delicto resipiscere, vel pro eo Ecclesiæ per congruam pœnam, aut læsis per compensationem damni satisfacere à censura absolvi debet. Text. & Gloss. *in c. ex parte 23. de V. S.* Panor. *in qua fronte 25.*
de Appellat. nu. 50. Unde ad valorem censuræ præsertim 7
verò excommunicationis, & interdicti requiritur ordinariè citatio legitima, & trina monitio præcedens cum intervallo dierum aliquot, ut censurandus sufficiens tempus habeat ad exhibendam satisfactionem, vel proponendam defensionem suam, *c. sacro 47. h. t. c. Romana 5. cap. statutum 13. & c. constitutionem 9. ubi* Gl. & DD. *eod. tit. in 6.* Si tamen periculum in mora sit, una etiam monitio peremptoria cum competenti termino, quem qualitas causæ patitur, sufficit, *l. contumacia 53. §. 2. ff. de Re jud.* Et hoc si censura ab *homine* seu judice feratur ab ipso *Jure*, & ipso *facto* incurratur, nulla quidem monitio
judicis quo ad incursionem talis censuræ requiritur: quia 8
jus censuram imponens, cum sit publicum, semper monere intelligitur, ne delictum illud habens pœnam censuræ committatur, *c. reprehensibilis 26. de Appel.* Attamen si is, qui censuram v. g. excommunicationis incurrisse dicitur, ab Episcopo, vel Judice Ecclesiastico pro excommunicato declarandus, vel denuntiandus sit, priùs legitimè citandus erit, eique justa defensio Jure naturæ omnibus concessa indulgenda, ut secundum Juris ordinem appareat, an reverà ita peccaverit, ut meritò censuram incurrisse judicari debeat; imò declarationem sine
præcedenti citatione factam (nisi in planè notoriis, quę 9
nulla possunt tergiversatione celari) invalidam, & irritam, docet Nav. *h. 1. cons. 9. n. 4.* per text. & Gloss. *in Clem. 3. de Censib. & Clem. 2. de Pœnis.*

Ulterius sicut ignorantia non affectata, nec omnino 10
crassa, & supina excusat à contemptu, & contumacia, *l. si ignorans 50. ff. Locati*, ita etiam excusat à censura non tantùm ignorantia *facti*, ut quia v. g. percutiens noctu Titium ignorasti esse Clericum, sed etiam *Juris*, quia ignorasti legem, vel prohibitionem sub pœna censurarum, *c. proposuisti 2. circa finem dist 82. c. 2. de Constitut. in 6.* Sy. *verbo ignorantia n. 14.* Existimat quidem Cov. *in Relect. c. alma mater de Sent. excom. in 6. p. 1. §. 10. n. 9.* non evitari censuram, si aliquis sciat actum, quem egit, esse prohibitum, licet *ignoret* censuram esse annexam, prout de Jure Civili malefici puniuntur ordinaria pœna legis, v. g. latrones rota, fures laqueo &c. quamvis ob ruditatem ignoraverint tam gravem pęnam delicto esse constitutam. Accedit quòd mutilans, vel occidens irregularitatem incurrat, quamvis Jus irregularitatis ignoret.

Nihilominus contraria sententia probabilior videtur 11
cum Sylv. *d. num. 14.* & Nav. *in Manuali confessariorum c. 27. n. 274.* nam propter solum peccatum, & inobedientiam contra legem divinam, vel naturalem nulla incurritur censura, nisi simul concurrat inobedientia erga Ecclesiam, quæ tali peccato censuram apposuit, ut satis probatur ex *d. c. proposuisti dist. 82.* ubi licet Clericis, jure divino incontinentia prohibita sit, non tamen dicuntur censuram incurrere, antequam habeant notitiam

alicujus legis Ecclesiasticæ censuram inferentis. Item in *c. de Constit. in 6.* dicitur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis non ligari ignorantes, quod utique de ignorantibus ipsam censuram intelligendum est, cum causa, ob quam censura infertur, sit peccatum mortale Jure divino aut naturali prohibitum, quod illicitum esse omnibus facile cognitum est, atqui ignorans censuram quamvis sit inobediens erga Deum, non tamen est inobediens erga Ecclesiam, arg. *d. l. contumacia ff. de Rejudicata.* Licet verò Gloss. *in d. c. 2. in verbo statuta;* advertat, hoc tantùm procedere in censuris, quæ per statuta particularia Episcoporum insliguntur, non verò quæ per S. Pontificem; idem tamen etiam circa Jus commune dici poterit: quia etiam hic ignorantia ab inobedientia erga Ecclesiam excusat, & quamvis ignorantia Juris non excusat, quod validitatem actuum, & contractuum, qui contra jura fiunt, excusat tamen plerumque à pena præsertim simpliciores item feminas, minorennes, milites, *l. cum de indebito 25. §. 1. ff. de Probat.* & etiam alios, quando ignorantia non est crassa, & affectata, ut si censuræ in Bullis, vel *Corpore Juris* contentæ à locorum Ordinariis non publicentur, vel usu non observentur, neque enim cujuslibet eadem est professio, ut *Corpus Juris*, & Bullas legat, & examinet, Confirmatur etiam ex eo, quod Pontifex in *eod. c. 2.* principaliter cupiat animarum periculis obviare, & conscientiæ favere, sicut ex principio textus apparet, sed hæc ratio periculi animarum, & favoris conscientiæ æquè subest in censuris latis à Jure communi, quàm à particularibus statutis, ergo idem utrobique Jus servandum erit. Quare non obstant contraria: nam diversa est ratio circa penas propriè dictas vindicativas in foro civili maleficis imponi solitas, & circa censuras; illæ præcisè propter inobedientiam erga Deum, & vindictam sceleris insliguntur, istæ verò cum sint potiùs penæ medicinales ab Ecclesia præscriptæ aliquam etiam contumaciam, & inobedientiam saltem interpretativam erga ipsam Ecclesiam supponunt. Deinde quod attinet ad irregularitatem, illa etiam propterea ab ignorante incurritur, quia non est censura propriè dicta, sed, vel maculæ macula, & defectus lenitatis, ut in homicidio, vel bigamia, ad quam maculam contrahendam nulla requiritur irregularitatis scientia, vel pena propria, & vindicativa, ut in eo, qui censuris illigatus in divino officio ministraverit.

12 Dico IV. *Per Ecclesiasticam potestatem;* quo nomine (exclusis Laicis quibus non traditæ claves Ecclesiæ, nec illis competit Ecclesiastica, & spiritualia tractare, *c. decernimus 2. de Judic.*) intelliguntur Prælati Ecclesiastici ordinariam jurisdictionem habentes, & quidem secundùm Innoc. *in c. Archidiacono 5. de Offic. Archidiac.* omnibus omninò etiam inferioribus judicibus Ecclesiasticis, ut Archidiaconis, & Archipresbyteris sive Decanis jus ferendi censuras conceditur per *c. de Offic. Jud. ordin.* Mihi semper probabilius, & consuetudini, quæ est optima legum interpres, *l. si de interpretatione 37. ff. de Leg.* conformius visum est istis inferioribus judicibus, & Archidiaconis, Archipresbyterisque non competere potestatem ferendi censuras, nisi ex commissione Episcopi, vel speciali alicujus loci consuetudine hoc habeant, sicut de censura excommunicationis satis apertè probatur ex *d. c. Archidiacono*, ubi Pontifex dicit, de institutione Ecclesiastica non competere Archidiaconis potestatem ferendi sententiam scilicet excommunicationis, ut ibidem cum Gloss. communiter explicant DD. ideoq; dictum *c. 3. de Offic. ordin.* quod pro se allegat Innoc. rectè in eum sensum exponi potest, ut procedat supposita commissione Episcopi, vel consuetudine in contrarium, consuetudo enim aliquando dat jurisdictionem alias de Jure non competentem *c. dilecti 5. de Arbitris:* prout etiam *in Lib. I. in Tit. de Offic. Archipresb.* tradidit.

13 Abbates verò Monasteriorum, sicut majores Archidiaconis, & Archipresbyteris Prælati in statu Ecclesiastico censentur, ita etiam major jurisdictio in suos Religiosos eis adscribitur, ita ut censuras rectè ferre possint; quod non tantùm ex regulis singulorum Ordinum constat, sed etiam Jure communi confirmatum est *c. cum in Ecclesiis 10. de Majorit. & obed. c. sicut tuis 33.* ubi Gloss. *in verbo anathematis de Simonia c. ea quæ. 8. de Statu Monach.*

14 Præterea non requiritur, ut Episcopi, vel Prælati, quibus de Jure ratione officii, vel dignitatis jurisdictio ferendi censuras congruit, sint consecrati, vel Sacerdotes, dummodò sint ritè electi, & confirmati: quia communiter, & verè Scriptores Ecclesiastici cum divo Thoma *in 4. Sent. dist. 18. q. 3. a. 2.* duplices *claves Ecclesiæ* ad ligandum, & solvendum assignant, nimirùm *claves Ordinis*, quæ in foro pœnitentiali dantur Sacerdotibus, & *claves Jurisdictionis*, quæ extra Sacramentum Penitentiæ pro recta Ecclesiæ, & subditorum gubernatione tanquam gladius spiritualis Ecclesiarum Prælatis conceduntur.

Sed quid de Abbatissis dicendum, annecensuras in suas moniales, vel alios subditos pronuntiare valeant? Pro affirmativa facit textus *in c. dilecta 12. de Majori, & obedient.* ubi dicitur, quòd Abbatissa suas Canonicas, & Clericos etiam suæ jurisdictioni subjectos possit ab officio beneficioque suspendere, Verùm contrarium tenendum est, authoritate, *c. nova 10. de Pœnit. & remiss.* ubi Pontifex feminas *Clavium Ecclesiasticarum* incapaces esse declarat. *Licet enim*, inquit, *B. V. Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves Regni cælorum commisit*, hinc etiam in eodem *c. dilecta*, dicitur, Abbatissam excommunicare non posse, quod verò ibidem adjungitur, de suspensione ab officio & beneficio, explicandum est cum Panorm. illam suspensionem non fuisse censuram propriè dictam, cujus transgressio irregularitatem inducat; sed tantùm subtractionem fructuum, & prohibitionem celebrandi, quam in aliqua Capella sibi in pleno jure subjecta Clericis illam capellam pro beneficio obtinentibus Abbatissa fecit. 15

Dico V. Per censuras auferri censurato *usum spiritualium quorundam bonorum.* Pro ejus intellectu præmittandum, *bona spiritualia* quædam esse *publica*, quæ in dispensatione, & explicatione Ecclesiæ consistunt, uti sunt Sacramentorum administratio, & perceptio, spiritualis jurisdictio, beneficia Ecclesiastica, item suffragia, & satisfactiones, quæ pro omnibus fidelibus tanquam uno corpore in Christo *ad Ephes. 4.* ab Ecclesia offeruntur, ita ut orationes, Sacramenta, & alia merita, quia opera, quæ fiunt ab omnibus, prosint singulis de Ecclesia sintque inter eos communia. Quæ *Sanctorum Communio* in symbolo fidei appellatur ut pluribus explicat Catechismus Romanus Pii V. *de symbolo fidei, p. 3. c. 3.* Hæc erga bona spiritualia, cum sint in dispensatione, & applicatione Ecclesiæ, iis privantur, qui censura afficiuntur, pro diversitate tamen censurarum; quia non idem est cujuslibet censuræ effectus, ut inferius de censuris in specie dicemus. Alia verò *bona spiritualia* sunt *privata*, & propria cujuscunque ut sunt dona gratiæ, fides, spes, charitas, aliæque virtutes, & pia opera quatenus præcisè ipsam personam, & animam operantis concernunt, atque his Ecclesia neminem privare potest, quin quacunque censura ligatus hujusmodi virtutes coram Deo meritoriè ad impetrandam remissionem peccatorum suorum operari possit, quamvis fortasse ob censuram communibus Ecclesiæ suffragiis privetur. 16

Dico VI. & ultimo *donec à contumacia recedat;* est enim ut in superioribus exposui, censura pena *medicinalis*, non tam ad vindictam sceleris, quàm correctionem delinquentis intenta, & ideò regulariter non est eis neganda absolutio, ubi censuratus à contumacia recedit, & se corrigere paratus est. Ipso Jure tamen, & citra absolutionem non tollitur censura, licet censuratus recesserit, *c. cum desideres 15. h. t.* nisi ille, qui censuram tulit, expressè addiderit hanc conditionem, ut quam primùm censuratus à contumacia recesserit, & integram satisfactionem præstiterit, ipso facto liber, & absolutus habeatur, quæ forma censuræ in usu quidem non est, valida tamen probatur à Cov. *in Relect. d. c. alma mater p. 1. §. 11. n. 5.* à quonam autem, & qualiter præstetur absolutio à censuris inferius in *fine hujus t.* tractemus. 17

Cæterùm dividitur censura in communi, quòd alia sit lata à *Jure*, quæ scilicet in Canone, vel statuto aliquo continetur, alia sit lata ab *homine*, id est Judice Ecclesiastico, sive ut breviùs dicam, alia censura sit *Juris*, alia *hominis*. Censura *juris* sive *Canonis* rursus subdividitur, quòd alia sit *latæ, alia ferendæ* sententiæ, hoc est, quòd alia *ipso facto* incurratur, alia primùm à Judice Ecclesiastico ex præscripto tamen juris insligatur. Verba censuram *latæ sententiæ* importantia hæc communiter assignantur *excommunicatum aut suspensum, prohibemus sub excom-* 18

mu-

municatione ipso Jure, vel ipso facto incurrenda &c. *feren-*
dæ autem *sententiæ* verba talia censentur: *qui hoc fecerit ex-*
communicetur, ab officio suspendatur, &c. quòd si dubia
sint verba, ea in mitiorem partem interpretari convenit
arg. l. pen. ff. de Pœnis c. 43. *de R. J. in* 6. ita potiùs *feren-*
dæ, quàm *latæ* sententiæ censuram indicare judicentur,
19 cujusmodi verba ambigua sunt: *Prohibemus sub intermi-*
natione excommunicationis, sub pœna suspensionis, anathe-
ma sit &c. nisi ex contextu verborum, vel qualitate mate-
riæ, aut aliis Canonibus constet de mente legislatoris,
quòd per talia verba voluerit censuram *latæ* sententiæ
denotare, prout in Concilio Trid. in hæreticos, eorumque
errores sæpiùs *anathema* dicitur, quod de censura latæ
sententiæ intelligendum esse, satis ex aliis juris locis ut
tot. t. *de Hæreticis*, & ex *Bulla Cœnæ Domini* apparet. Cen-
20 sura *hominis* etiam subdividitur in eam, quæ alicui certæ
personæ nominatim, & in specie infligitur, & in eam,
quæ per generalem sententiam indeterminatè profertur,
tales generales sententiæ olim quandoque imponebantur
pro futuris culpis, ut si quis furtum fecerit, excommuni-
catus sit, vel etiam pro culpis jam præteritis, si satisfa-
ctio pro iis intra certum tempus non esset secuta. Verùm
21 *in c. Romana* 5. §. *caveant h. t. in* 7. prohibentur censuræ, &
sententiæ (intellige extra Canonem, & statutum ordi-
narium) quæ pro futuris culpis, vel pro omissa satisfactio-
ne culpæ præteritæ imponuntur: nisi offensa, vel mora
in satisfaciendo non tantùm timeatur, sed etiam post mo-
nitionem præmissam, & præfixum satisfactionis termi-
num actualiter commissa sit, textus *d. l. Romana juncta*
Gloss. *in verbo offensa*.
22 Solent quoque à nonnullis judicibus Ecclesiasticis sen-
tentiæ generales proferri *ad finem revelationis*, ut vocant,
pro rebus deperditis, vel subtractis contra eos, qui rem
deperditam inventam non restituunt, vel scientes inju-
stum rei alienæ detentorem non indicant. Istæ sententiæ
aliquot conditiones requirunt. I. Ut fiant monitionibus
præmissis, per quas detentor, vel inventor rei alienæ con-
stituatur in vera, & actuali contumacia. Trid. *Sess.* 25. *de*
Reform. c. 3. ibi: *quæ sine monitionibus præmissis, &c.* II.
Ut ferantur tantùm ab Episcopo, non ab inferioribus
Prælatis. Trid. *d. loc.* An autem Vicarius Episcopi virtute
generalis mandati possit talia monitoria, & censuras con-
cedere, pro utraque parte DD. & Cardinalium declara-
tiones refert Barb. *de Officio Episcopi allegat.* 96. *n.* 6. & 7.
Sed cùm in materia gravi, & tangente conscientiam ver-
semur, mihi videtur tutior via esse tenenda, ut Vicarius
Episcopi sine speciali mandato tales censuras non debeat
23 proferre: nam Concilii Trid. formalia sunt, ut à nemi-
ne prorsus præterquam ab Episcopo decernantur; &
quamvis nomine Episcopi regulariter etiam veniat Vi-
carius, id tamen non semper procedit in negotiis magis
arduis, præsertim ubi jura meminerint Episcopi cum ali-
qua particula restrictiva, ut *ab Episcopo tantùm*, vel *à ne-*
mine prorsus, quàm ab Episcopo &c. III. requiritur, ut talia
monitorialia, vel censuræ non dentur nisi in subsidium
ordinariæ executionis realis, propterea si alia via consta-
re possit de injusto rei alienæ detentore, vel res ipsa recu-
perari, abstinendum erit à censuris, Trid. *ibid. d. c.* 3. IV.
Res, pro quibus monitoria conceduntur, non debent es-
se exigui momenti, quia censuras non nisi ex gravi causa
ferenda est. Quanta autem debeat esse summa ablata, vel
deperdita arbitrio Episcopi relinquitur. Refert Riccius
in Praxi aurea p. 1. *resolut.* 250. de stylo Curiæ Romanæ
non concedi monitoria cum censuris nisi summa sit sal-
tem 50. aureorum.
24 Cæterum autem hæc monitoria non obligant ad reve-
landum, vel denuntiandum, qui citra suam aut suorum
(contra quos testimonium dicere non cogitur, uti sunt
proximi consanguinei, de quibus in *Lib. II. in Tit. de*
Testibus dictum) infamiam id facere non possunt; quam-
vis si rem alienam ipsi non detineant, alio honesto modo,
quo fieri potest, scilicet clam, vel per tertium restituere
teneantur: nec etiam illi ad revelandum obligantur, qui
25 rem non certò sciunt, & saltem per unum contestem pro-
bare nequeunt, vel qui jure compensationis rem sine al-
terius injuria detinent. Et demùm tales revelationes non
faciunt fidem in ordine ad inquisitionem, vel pœnam
criminalem contra denuntiatum, unde usus obtinuit, ut
monitoriis inferatur clausula: *volumus autem, quod ex*
Engel in Decret. Lib. V.
revelatione hujusmodi; si eam fieri contingat, nisi pro ci-
vili interesse, & civiliter tantùm agi possit: aliàs revelatio
ipsa neque in judicio, neque extra fidem faciat: prout hæc
& plura alia, si quandoque casus evenerit, in hac mate-
ria legi poterunt apud Barb. *cit. allegat.* 96. & Ricc. *d. loc.*
resolut. 244. & *seqq.*

In specie dividitur censura in excommunicationem, 26
suspensionem, & interdictum, *c. quærenti* 20. *de Verb.*
significat. irregularitas verò, & depositio propriè, vel cen-
suræ non sunt, sed vel pœnæ vindicativæ non medicina-
les, vel defectus aut inhabilitates ad ordines suscipien-
dos, uti est irregularitas, quæ ex defectu corporis, vel
legitimorum natalium provenit, hinc etiam habens fa-
cultatem absolvendi à censuris, non potest absolvere
ab irregularitate, vel depositione, quæ dispensationem
requirunt.

Cessatio à divinis (de qua inferiùs, ubi de interdicto agemus) factum potiùs est illorum, qui à divinis cessant, quam quòd sententiam juris, & Judicis contineat, & ideò etiam censura non est, neque qui eam violat, irregularitatem incurrit, quam tamen incurrit censuras propriè dictas transgrediens, *c.* 1. *de Sententia, & re judicata in* 6.

---

§. II.

De Excommunicatione, & ejus Effectu.

S U M M A R I A.

27 *Quid sit excommunicatio?*
28 *Anathema, & excommunicatio quomodo differant, vel conveniant.*
29 *Excommunicatio dividitur in majorem, & minorem: sed nomine excommunicationis simpliciter prolato intelligitur regulariter major.*
30 *Forma, & requisita excommunicationis, & quòd debeat in scriptis, ac cum causæ expressione ferri.*
31 *Excommunicatus debet esse de jurisdictione, & territorio excommunicantis.*
32 *Si excommunicatio non feratur per modum statuti, sed sententia particularis, potest ligare subditum etiam extra territorium constitutum.*
33 *Sententia cum executione quomodo ferri possit extra territorium.*
34 *Peregrini an ligentur censuris pro aliquo delicto latis?*
35 *Possunt leges in aliquo loco ex aliqua causa ferri, quæ etiam peregrinos sub censura comprehendant.*
36 *Regulariter tamen hujusmodi censuris non censentur obligari peregrini.*
37 *Communicantes excommunicari non possunt.*
38 *Effectus primarius excommunicationis est, quòd privet communione Ecclesiæ, & distinguitur triplex communio.*
39 *Merè interna communione excommunicatio non privat: benè externa.*
40 *Excommunicatus non potest esse Judex, Notarius, Advocatus, &c. nisi excommunicatio sit occulta.*
41 *Ut possit esse testis, solet quandoque priùs ad cautelam absolvi.*
42 *Et si non possit agere, potest se tamen in judicio defendere: sed non reconvenire.*
43 *Excommunicatus potest etiam exceptionem compensationis in judicio opponere.*
44 *Excommunicationis exceptio in qualibet parte litis, & post sententiam contra executionem opponi potest: Et si notoria sit, à Judice ex officio excommunicatus repelli potest.*
45 *Excommunicatus pro absolutione impetranda potest agere, vel appellare, debet tamen saltem ad cautelam priùs absolvi.*
46 *Quid sit hæc cautela, ad quam datur absolutio?*

47 *Omnis etiam civilis Communio excommunicato negatur: & quæ hujus Communionis nomine intelligantur?*
48 *Quibus casibus Communio cum excommunicato sit licita, & quid de causa utilitatis.*
49 *Metus gravis licitam facit Communicationem.*
50 *Excommunicatus publicus publicè debet vitari, privatus privatim.*
51 *Tantum illi majorem excommunicationem incurrunt, qui communicans cum excommunicato in crimine.*
52 *Frequenter communicantes sine causa possunt, prævia monitione per sententiam excommunicari.*
53 *Post extravagans. Martini V. tantum 2. casibus communio cum excommunicato extra crimen prohibetur.*
54 *Dicta Constitutio ipsis excommunicatis suspensis, vel interdictis nullum favorem præstat: unde ipsi Communioni ultrò se ingerere non possunt.*
55 *Excommunicati tolerati pro favore fidelium retinent exercitium jurisdictionis.*
56 *Constitutio Concilii Constantiensis præfertur in hac materia Constitutioni Concilii Basiliensis.*
57 *Excommunicatus privatur usu activo, & passivo Sacramentorum.*
58 *Clerici scienter communicantes cum excommunicato in Divinis Officiis, etiam majorem excommunicationem incurrunt.*
59 *Excommunicatus privatim tenetur orare Horas Canonicas.*
60 *Excommunicatio reddit inhabilem ad beneficia: non autem privat obtentis.*
61 *Fructus beneficii amittit excommunicatus non ipso jure, sed privari potest per Judicem.*
62 *Extravagant. Martini V. etiam locum habet in participatione Sacramentorum: & quomodo hoc procedat?*
63 *Sine ulla necessitate, vel ulla utilitate speciali ab excommunicato non licet petere administrationem Sacramenti.*
64 *Excommunicati etiam tolerati nullo modo se ultro possunt ingerere Sacramentorum administrationi & contra faciendo fiunt irregulares, ut n. 68.*
65 *Qui in censura celebrat, vel ministrat in Divinis, fit irregularis.*
66 *Ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur actus Ordinis, & scientia censuræ.*
67 *Excusatus à culpa excusatur etiam ab hac irregularitate.*
68 *Clericus non requisitus si ultrò se ingesserit Divinis Officiis contrahit irregularitatem.*
69 *Minor Excommunicatio tantùm privat usu passivo Sacramentorum.*
70 *Reddit tamen inhabilem ad dignitatem, vel præbendam.*
71 *Hodiè tantùm incurritur propter Communionem cum excommunicato: etsi olim etiam per sententiam inferretur.*
72 *Ab ea quis absolvat?*

27 E*Xcommunicatio* est censura Ecclesiastica, per quam homo Christianus à Communione Ecclesiæ separatur. Hæc censura inducta in Ecclesiam creditur tum ex potestate ligandi Ecclesiasticis Prælatis à Christo tradita, tum ex illis verbis *Matth. 18. vers. 17. si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, &c.* tum etjam ex facto Apostoli, qui 1. *ad Timoth.* 1. *in fine*, quosdam incorrigibiles Sathanæ tradidit: quem locum de excommunicatione interpretatus Divus Augustin. in *c. omnis 32. causa 11. q. 3. quia extra Ecclesiam* inquit, *diabolus est, sicut in Ecclesia Christus: ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab Ecclesiæ Communione removetur.*

28 Censura *Excommunicationis* etiam alio nomine sæpiùs in Jure *Anathema* dicitur: *Anathema* enim græcè in genere significat separationem, & divisionem à reliquis rebus; aliquando causa honoris, prout Anathema dicuntur Divorum dona, quæ in templis suspenduntur, aliquando, & frequentiùs causa execrationis, & damnationis, prout hæreses, & hæretici, aliique peccatores incorrigibiles ab Ecclesia anathematizantur &c. Interim licèt *Excommunicatio, & Anathema* essentialiter non differant, differunt tamen quoad solemnitatem: nam *Excommunicatio* sola sententia Judicis Ecclesiastici in scriptis concepta profertur, *c. 1. h. t. in 6. Anathema* etiam cum quibusdam cæremoniis ad terrorem aliorum peragitur, quales cæremoniæ præscribuntur in *c. debent* 106. *causa* 11. *q.* 3. ut 12. Presbyteri Episcopum circumstent, & post latam anathematis sententiam lucernas ardentes, quas in manibus tenent, humi projiciant, & pedibus conculcent; cui solemnitati aliæ quoque maledictiones, & execrationes verbales addi solent, quas quoad effectum plùs operari, quàm simplicem excommunicationem censet Covar. *in Relect. c. alma Mater h. t. in 6. p. 1. §. 6. n. 9.* & colligitur ex *c. nemo Episcoporum dict. causa* 11. *q.* 3. hinc etiam est, quòd in *c. si non ab homine* 10. *de Judiciis*, contumax contra Ecclesiam primum excommunicari, deinde verò crescente contumacia anathemate puniri jubeatur.

Dividitur communicatio in *majorem*, quæ simpliciter separat à communione fidelium, & in *minorem*, quæ tantùm separat secundum aliquid, nimirum à Sacramentorum perceptione, non autem ab alia communione fidelium, aut Ecclesiasticis suffragiis, ut inferius dicemus: si tamen in jure excommunicatio feratur, regulariter de *majore* non *minore* intelligendum est, nisi contextu verborum aliter de mente Legislatoris appareat, *cap. si quam 59 h. t.* 29

Forma excommunicationis est, ut in primis fiat per talia verba, quæ sufficienter eam significent, nimirùm *te excommunico, à fidelium communione excludo*, & alia similia. Deinde ut feratur in scriptis, & quidem cum causæ expressione, quamvis in aliis sententiis judicialibus causa, quæ Judicem movit, non soleat sententiæ inseri, *cap. Sicut 16. de Sentent. & re judicata.* Et demum ut exemplum hujus scripturæ tradatur excommunicatio intra mensem, si tamen excommunicatus fuerit requisitus, *dict. cap. 1. hoc tit. in 6.* Cætera quoque requisita in priori, *§. de Censuris in genere* enumerata, ut monitiones præcedentes, culpæ gravitas, & contumacia etiam huc pertinent. 30

Prætetea is in quem excommunicatio fertur, debet esse subditus excommunicanti quoad spiritualem Jurisdictionem: nam supra jurisdictionem suam, aut extra territorium Jus dicenti impunè non paretur. *L. ult. ff. de Jurisdictione.* Dico autem, *extra territorium*, ideò si Episcopus statutum, vel sententiam generalem proferat, ut omnes, qui furtum, vel aliud grave delictum commiserint, excommunicati sint: hæc censura non afficiet etiam proprios subditos Episcopi, si extra Diœcesim ejus, vel territorium tale delictum perpetraverint, *c. 2. de Constitut. in 6.* Aliud autem est, si excommunicatio non feratur per modum statuti, sed per modum sententiæ particularis in certam, & determinatam personam particularem contumacem, quæ aliàs ratione domicilii quoad spiritualia subdita est Episcopo: quamvis hic, & nunc extra Diœcesim commoretur: talis enim si prius legitimè de ejus contumacia in parendo, & comparendo constet, etiam absens excommunicari rectè poterit per tradita à Panor. *in c. ult. de Foro competenti n. 42.* Ratio differentiæ inter statutum, & sententiam particularem hæc assignari potest, quòd statutum cohæreat loco *d. l.* 2. sententia verò constringat personam subditi, quatenus etiam extra territorium subditus est, *c. ex tua 11. §. 1. de Clericis non resident. c. tua 3. Ut lite non contestata.* 31 32

Oppones, sententia cum executione non potest ferri in alieno territorio sine requisitione, & licentia Judicis illius territorii, *c. postulasti* .14. *de Foro compet.* sed excommunicatio est sententia cum executione, quæ statim privat excommunicatum communione fidelium Sacramentis, & Ecclesiæ suffragiis, ergo in alieno territorio fieri non potest R. Ad majorem, illam tantum executionem prohiberi in alieno territorio, quæ factum hominis requirit in eodem territorio peragendum, & versatur circa res externas visibiles, ut si quis in alieno territorio personaliter capi, vel bonis temporalibus privari deberes, non autem per illam, quæ fit sine facto hominis per ipsam legem, & in rebus invisibilibus, ut est excommunicatio, per hanc enim non turbatur aliena jurisdictio, sicut per priorem, prout similis instantia etiam est de infamia, 33

mis, quia absens contumax per ordinarium suum judicem rectè notari potest, si ita qualitas delicti postulet.

34 Alia est difficultas, an generali statuto alicujus Diœcesis, quod certum aliquod delictum sub excommunicatione *lata sententia* prohibet, obligentur etiam peregrini, & forenses, qui ibi transeunt, & tale delictum committunt.

Pro affirmativa facit, quòd ratione delicti aliquis efficiatur de jurisdictione illius loci, ubi delinquit, quamvis de cætero alienigena sit, *cap. ult. de Foro comp. l. 1. cum auth. qua in provincia C. Ubi de criminibus agi oporteat*, sed omnes, qui sunt de jurisdictione Episcopi excommunicantis, incurrunt censuram per statutum ejus prolatam, si delictum sub excommunicatione prohibitum perpetrant, ergo, &c. Et ita docet Gloss. *in c. à nobis* 21. *in verbo subditis h. t.* Econtra negativam docet Paulus Lay. *c. 4. n.* 4 per text. *d. c. à nobis* ubi deciditur, quod statutum ferens excommunicationem tantùm subditos obliget, peregrini autem licet ob delictum habeant locum in foro delicti, si contra Jus commune naturale aut Divinum delinquant, non tamen sunt proprie subditi illius loci, nec etiam particularibus locorum statutis, per quæ transeunt, regulariter obligantur. R. &

35 Dico I. si peregrini ignorent censuram, quamvis sciant actum, cui censura annexa est, per se esse prohibitum, excusantur censura, quod est contra Gloss. *in d. c. à nobis*, probatur tamen *ex c. 2. de Const. in 6.* & iis, quæ in §. præcedenti de contumacia tradidimus.

Dico II. sicut in qualibet republica possunt certę leges ferri ob bonum commune alicujus loci, quæ etiam peregrinos comprehendant, uti sunt leges vectigalium, prohibitio de non extrahendo frumento, gestandis armis, aut vendendis prohibitis mercibus, &c. ita etiam nihil opponitur, quin Episcopus ex certa aliqua causa talem censuram statuere valeat, quæ etiam peregrinos perstringat, si eorum peccatum cedat in speciale scandalum, vel damnum suæ Diœcesis prout in quibusdam locis sub excommunicatione prohibitum est, ne videntes thesaurum Ecclesiæ, aut celebres bibliothecas quidquam de rebus sacris, reliquiis Sanctorum, aut libris clam surripiant.

36 Dico III. regulariter, & in dubio, quando non satis constat, an intentio, vel causa fuerit in lege comprehendi peregrinos, eos juxta posteriorem sententiam probabiliter excusari posse à censura per text. *in d. cap. à nobis juncta Gloss. in c. qua contra 2. in verbo, peregrini dist. 8.* Cum enim leges accipi debeant de casibus dubitatis, *l. 1. §. 2. ff. Ad Municipalem*, sanè nisi *d. c. à nobis*, intelligatur de peregrinis, sed potiùs juxta expositionem Glossæ *ibid.* de illis, qui prorsus sunt extra Diœcesin Episcopi, non fuisset ratio dubitandi, quia nemo Episcopus tam ignatus credendus est, ut putet se posse etiam in aliena Diœcesi leges, & statuta ferre. Magis hæc declarari poterunt de iis, quæ in materia *de legibus, & in Lib. I. Decretal. in tit. de constitut.* circa peregrinos an, & quatenus legibus locorum, quæ transeunt, teneantur, tradi solent.

37 Illud etiam hic adnotari potest, quòd Universitates, Capitulum, Monasterium, vel Collegium quodcunque collectivè sumptum simul excommunicari non possit: sed illi nominatim, & in specie, qui ex tali Collegio nocentes & rei fuerint, ne aliàs innoxii hac pœna excommunicationis, quæ est maxima in Ecclesia, afficiantur, *c. Romana 5. h. t. in 6.* Interdictum autem in totam aliquam communitatem, terram, vel civitatem, licet ibidem plures innocentes sint, rectè proferri, inferius dicemus.

38 Effectus excommunicationis est generalis, quòd privet excommunicatum communione fidelium. Hęc verò communio fidelium triplex à DD. assignatur merè interna, merè externa, & mixta. Merè interna communio est, qua fideles per fidem, & charitatem inter se, & cum Christo uniuntur, ac per istam unionem quilibet per privatam suam devotionem non tantùm pro seipso, sed etiam pro altero aliquid apud DEUM de congruo promereri potest juxta illud *Ps. 118. V. 63. particeps ergo sum omnium timentium te, &c.* & illud *Genes.* 18. ubi DEUS propter decem justos in civitate Sodoma voluit parcere aliis peccatoribus. Hac autem merè interna communione non privatur excommunicatus, quin abolita culpa peccati per contritionem etiam ante absolutionem pro se ipso apud DEUM promereri valeat, & alii fideles in privatis suis orationibus illius memores esse possint.
Et licet publica sacrificia, vel collectas nomine Ecclesiæ pro excommunicato offerre concessum non sit, quia communibus Ecclesiæ suffragiis privatus est, ex private tamen, & propria intentione non prohibetur Sacerdos in *memento* pro excommunicato orare, sicut docet Silvest. *in verbo excommunicatio §. 1. n.* 20. Merè externa communio consistit in communione fori judicialis, & alio externo fidelium commercio, colloquio, & convictu. 39

Hinc I. excommunicatus non potest esse judex, *c. ad probandum* 24. *de Sent. & re judic.* quamvis autem hic textus tantùm de judice delegato, & in causa Ecclesiastica loquatur, idem tamen generaliter de judicibus etiam sæcularibus communiter sentiunt DD. arg. *c. penul. caus.* 15. *q. 6.* ubi subditi excommunicatorum, quamdiu in excommunicatione perstiterint, ab eorum obedientia, fidelitate, & consequenter etiam jurisdictione absolvuntur, & quia judicis excommunicati jurisdictio suspenditur, ideo etiam, quæ vi jurisdictionis agit, irrita censentur, *d. c. ad probandum*: si quidem excommunicatio notoria sit, si verò occulta, & communi hominum opinione judex pro non excommunicato habeatur, acta ejus propter communem hominum errorem, qui non debent in re tam gravi decipi, sustinentur. Gloss. *in eod. c. ad probandum verbo, innodatus.* Textus notabilis in *l. Barbarius ff. de Officio prætoris.* II. excommunicatus non potest esse Notarius, & tabellio, & si de facto instrumentum fecerit post excommunicationem, illud rejiciendum est, nec fidem in judicio meretur. Zoes. *h. t. n.* 98. 40

III. Excommunicatus non potest esse Advocatus, Procurator, vel testis pro altero, c. *decernimus 8. h. t. in 6.* Ad testem tamen quod attinet, ne causa testium defectu pereat, solet testis excommunicatus priùs *ad cautelam* absolvi, & ita ejus testimonium recipi. *cap. veniens 38. in fine de Testibus* Gloss. *in d. c. 8. in verbo, testificando.* 41

IV. Excommunicatus non potest etiam pro se ipso agere in judicio *d. c. decernimus*, conveniri tamen tanquam reus, & debitor in judicio, ibique se defendere rectè potest: tum ne propter excommunicationem reportet commodum, si creditoribus suis respondere, vel satisfacere non teneretur; tum etiam quòd legitima defensio Jure naturæ concessa non auferatur per excommunicationem, ideo etiam excommunicatus in judicio conventus suas exceptiones promere, appellare, judicem suspectum dicere non prohibetur: reconvenire autem actorum super alia causa in eodem judicio non potest, quia reconventio non est exceptio, sed actio, c. *cum inter 5. de Except.* 42

An autem excommunicatio in judicio possit objicere exceptionem compensationis, si actor ex alia causa sibi aliquid debeat, dubitari potest ex eo, quòd excommunicatus non possit petere in judicio, sed tantùm se defendere, compensans verò censeatur petere, per text. *in L. si quis 14. juncta L. seq. ff. Rem ratam haberi.* Probabilius tamen videtur cum Zoes. *h. t. n.* 94. etiam exceptionem compensationis ab excommunicato opponi posse, potest enim excommunicatus opponere exceptionem solutionis, & quamlibet aliam peremptoriam, *d. c.* 5. ergo etiam exceptionem compensationis, quia hæc etiam est peremptoria, & vim solutionis habet: *dedisse enim intelligendus est, qui compensavit*, ait Jurisconsf. *in l. dedisse 76. ff. de Verbor. signif. l. si debitor 4 ff. Qui potiores sint in pignore l. 4. C. de Compensat.* adeo ut etiam ei, qui juravit se soluturum, exceptionem tamen compensationis tribuat. Fach. *lib. 1. Controvers. c. 7.* Non obstat textus *in alleg. LL.* quia ibidem non dicitur, quòd opponens compensationem censeatur actor in judicio, & per viam actionis petere, sed tantùm censeatur contravenire pacto *de non petendo*, si quod prius debitori fecisset. 43

Cæterum excommunicationis exceptio, quamvis *dilatoria* tantùm sit, nihilominus in qualibet parte litis opponi potest, dummodo excipiens intra 8. dies excommunicationem probare valeat: imò si excommunicatio notoria sit, judex etiam ex officio, & adversario non petente excommunicatum repellere potest, *cap. exceptionem 12. & cap. 5. de Except. 1. in 6.* Si verò de excommunicatione oppositum non fuerit ante sententiam, valebunt qui-

quidem acta judicialia una cum sententia (nisi judex ipse excommunicatus fuisset, tunc enim defectu jurisdictionis sententia corrueret, per superius dicta) contra executionem talis etiam sententiæ adhuc excommunicatio obiici, & ipsa executio impediri posset. *c. 1. de Except. in 6.*

45 Sed quid si excommunicatus velit pro sua absolutione agere, & in illa causa, ob quam est excommunicatus, R. Nisi ipse excommunicator velit absolvere debitè ab excommunicato requisitus, posse excommunicatum ad superiorem excommunicantis, scilicèt Archiepiscopum, Legatum Pontificium, vel ad ipsum Pontificem appellare, qui superior debet appellantem excommunicatum absolvere *ad cautelam*, etiamsi excommunicator, vel adversarius, ne absolvatur, se opponat; nisi excommunicator dicat, quòd pro manifesta offensa, seu excessu tulerit excommunicationem: tunc enim ad probandam hanc manifestam offensam terminus octo dierum (vel alius pro distantia loci; quia hodie de stylo Curiarum omnes fere termini sunt arbitrarii) conceditur, sique offensa manifesta probata fuerit, non erit danda absolutio, antequam excommunicatus emendam, sive satisfactionem præstiterit. Si verò dubia fuerit offensa, & aliquo modo excusabilis videatur, non erit absolutio *ad cautelam* deneganda, prout hujus rei decisiones sunt ad praxim valde notabiles in *c. qua fronte* 25. de *Appellat.* & *c. per tuas* 46. *h. t.* & *in c. 2. eod. tit. in 6.*

46 Porrò nomine *cautela* ad quam datur absolutio intelligitur illa cautio *de judicio sisti*, & *judicatum solvi*, quæ solet à litigantibus ad ingressum litis præstari secundum Ecclesiæ cujuscumque consuetudinem, *d. c. per tuas.* da qua cautione etiam diximus in *Lib. II. in t. de Jurejur. in §. 2. in princ.* ubi aliquando hanc cautionem per fidejussores, & pignora, aliquando per juramentum præstari, aliquando prorsus omitti, ut in possessionibus immobilium bonorum tradidimus.

47 V. Propter privationem communionis *merè externa* prohibita est excommunicato cum fidelibus, & fidelibus cum excommunicato omnis humana politica, & civilis communio, vel societas, quæ fit per verba, signa, litteras, commercia, cohabitationem, vel amicitiæ signa, ut amplexus, vel salutationes, quæ omnia his versiculis comprehenduntur.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os, id est osculum, vel collocutio, *Orare*, participatio in divinis, de qua inferius, *Vale*, salutatio vel familiaritas quæcunque juxta præceptum S. Joan. *Epist.* 2. ibi: *nec Ave ei dixeritis, &c. Communio*, commerciū vel contractus cum excommunicato; validos tamen esse tales contractus, quamvis non licitos docet Panorm. *in c. veritatis* 8. *de Dolo, & contumac. n. 35. Mensa*, cohabitatio in eadem Camera, & convictus juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth. 5. cum ejusmodi, nec cibum sumere &c.* sicut prædictum versiculum declarat Silvest. *in verbo excommunicatio §. 5. n. 2.*

Sunt tamen aliqui casus excepti, in quibus *communio* merè *externa* cum excommunicatis permissa est, eosque Gloss. *in c. cum desideres* 15. *h. t.* & Silvest. *d. l. n.* 4. memoriæ causa hoc versiculo complectitur.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

48 Itaque I. propter *utilitatem propriam* potest aliquis communicare cum excommunicato, exigendo ab illo debita, ne ex censura lucrum reportet. *c. si verò* 34. *h. t.* Et quamvis aliqui DD. valde generaliter, & indifferenter utilitatem pro causa communionis alligent, Juri tamen conformius est, non nisi ex magna utilitate, quæ sit conjuncta cum aliqua necessitate communionem permissam esse, ut in subsidio corporali, vel spirituali, quo aliquis indiget, nec ab alio, quam excommunicato facilè habere potest, vel si ad illam utilitatem excommunicatus jam prius ex contractu, vel alia causa obligatus fuerit, aliàs enim gratis fuissent interdicta commercia cum excommunicatis, & prætextu *utilitatis* tota prohibitio de non communicando cum excommunicatis facilè eluderetur, sicut etiam insinuat Silvester *d. n.* 4. Propter utilitatem quoque spiritualem ipsius excommunicati cum eo communicare licet, ut si quis ei in his, quæ ad absolutionem, vel saltem ipsius animam pertinent, colloquatur, quamvis incidenter etiam alia extranea immisceat, *cap. cùm voluntate* 54. *h. t.* qua ratione etiam prædicatio Verbi Divini publica coram excommunicatis permittitur in *c. responso* 43. *h. t.* II. *lex conjugalis* facit, ut conjuges sibi invicem communicare possint, quamvis alterutor excommunicatus sit *c. quoniam multos* 103. *causa* 11. *qu.* 3. & *c. inter alias* 31. *hoc t.* III. *humile*, id est humilitas subiectionis, quam debent liberi erga parentes, servi erga Dominum, Religiosi erga Prælatum, Clerici erga Episcopum, facit, ut hi teneantur cum excommunicato superiore, sicut priùs eis licitum erat, communicare, dummodo cum istis non etiam communicent in ipso crimine, propter quod excommunicatio lata est, *d. cap. quoniam multos, juncto c. inter alia. h. t.* IV. ignorantia, quæ non sit crassa, & supina, vel affectata, sive *Juris* sit, ut quia aliquis ignorat legem prohibentem communionem, sive *facti*, ut quia ignorat censuram latam, vel contractam esse. V. demùm propter necessitatem excusatur, qui alimenta sua, aut quæcunque necessaria, quæ aliunde de facili habere non potest, ab excommunicato petit, vel ejus consortium evitare non potest, *d. c. si verè* 34. *h. t.*

Utrum verò excusetur, qui cum excommunicato 49
communicat ob solum timorem, diximus *in Lib. I. t. De his, quæ vi, metusve causa fiunt.* ubi etiam responsum affirmativum dedimus, si metus ipse gravis sit, nisi simul communio cum excommunicato petatur in contemptum Ecclesiæ. Quòd si nulla adsit communionis causa, vitandus est excommunicatus; etsi excommunicatio sit publica, & notoria, evitari debet, publicè, privatim verò, si privatim tantùm fuerit cognita. *c. cùm non ab homine* 14. *h. tit.* Porrò qui sine justa causa cum excommunicato 50
communicat, quamvis de jure antiquorum Canonum eandem cum excommunicato scilicet majorem excommunicationem videatur incurrisse, per *c. excommunicatus* 17. *cum seqq. causa* 11. *q.* 3. postea tamen aliter constitutum & declaratum est per Pontifices, ut tantum illi incurrant majorem excommunicationem, qui cum excommunicato communicant, sive participant *in crimine*, hoc est, qui ipsi consilium, auxilium, vel favorem præstant in illo delicto, propter quod excommunicatus est: hujusque excommunicationis absolutio ab eum pertinet, qui alte- 51
ram excommunicationem tulit, ob quam ista contracta fuit, *c. nuper* 29. & *c. si concubina* 55. *hoc tit.* Alii verò qui cum excommunicato communicant extra crimen, ut in aliquo commercio, colloquio, vel convictu, *minorem* tantùm excommunicationem (quæ solum privat *passivo* usu, seu perceptione Sacramentorum non alia communione fidelium, ut inferius dicemus) contrahunt, & ex plurium sententia peccatum tantùm veniale committunt, nisi nimis frequens communio excommunicatum pertinaciorem redderet, quo casu etiam nonnunquam mortalis culpa committitur.

Potest etiam aliquando Episcopus eos, qui cum ex- 52
communicato nimis frequenter communicant sine justa causa, vel quorum communicatio nociva, & suspecta timetur, per specialem sententiam majori excommunicatione innodare, dummodo id faciat trina monitione, vel (si periculum in mora sit) una pro tribus cum intervallo aliquot dierum præmissa, & insuper eos, qui monentur, nominatim facta ad valorem talis censuræ expressè requiritur *in c. statuimus juncto c. constitutionem & c. statutum h. t. in 6.*

Verum hodie ob communicationem cum iis, qui ex- 53
communicationem *Juris* incurrerunt, rariùs *minor* excommunicato contrahitur: quia in Concilio Constantiensi *circa annum* 1414. facta est quædam *Constitutio*, postea à Martino V. edita (unde, & *Extravagans Martini V.* vocantur) & à Leone X. *in Concilio Lateranensi* confirmata, quæ incipit: *Ad evitanda scandala &c.* ubi prohibitio non communicandi cum excommunicatis ex parte fidelium innocentum generaliter sublata est, exceptis duobus casibus: nimirum *primò*, si excommunicatus publicè fuerit à suo Judice Ecclesiastico tanquam excommunicatus denuntiatus, & proclamatus. *Secundo* si quis ob sacrilegam manuum injectionem in Clericum excommunicationem Canonis notoriè incurrerit, ut factum ejus nulla tergiversatione celari possit, & nullo Juris suffragio excusari. In his ergo duobus casibus omnia illa locum habent, quæ hactenus de evitatione excommunicatorum diximus.

Addit.

Additur verò in eadem constitutione: *per hoc autem*
54 *non intendimus ipsos excommunicatos, suspensos, vel interdictos in aliquo sublevare, vel quomodolibet eis suffragari*. Quare per hanc Constitutionem ipsi censurati directè nullam gratiam consequuntur, nec sine peccato ultro se ingerere communioni possunt, aut actus jurisdictionis, si judices sint, exercere: nisi fuerint à fidelibus requisiti, in favorem quorum talis communicatio, vel jurisdictionis exercitium cedat: quia major est prohibitio, ne excommunicati communicent cum fidelibus, quàm vice versa fideles cum excommunicatis, *c. illud 5. circa fin. de Clerico excommunicato ministrante*.

55 Cæterùm judex excommunicatus toleratus potest administrare partibus justitiam, dispensare, absolvere à censuris, & alia facere, quæ in commodum fidelium cedunt. Unde etiam dicendum est, judicem excommunicatum ante denuntiationem toleratum hodie retinere exercitium jurisdictionis pro commodo, & favore fidelium innocentium, qua de re Suar. *de Censuris disp. 14. sect. 5.*

56 Attamen post Concilium *Constantiense* celebratum fuit eodem sæculo *circa annum* 1435. Concilium *Basiliense*, quod etiam permisit communicationem cum communicatis ante denuntiationem: excepit verò non tantùm percussores Clericorum, sicut Concilium Constantiense sed generaliter omnes, qui per evidentiam facti notoriam aliquam excommunicationem incurrissent; Ideoque non desunt, qui cum Sylvestro *verbo. Excommunicatio §. 5. n. 9.* putent, hanc constitutionem *Basiliensem* tanquam Jus posterius derogans priori universim circa omnes notorios excommunicatos, ut etiam hodie ante denuntiationem evitari debeant, observandum esse. Nihilominus Constitutio *Constantiensis* magis inter DD. & generali consuetudine recepta est, utpote à Martino V. & Leone X. confirmata: cùm èconrta acta Concilii *Basiliensis* à Sede Apostolica confirmata non sint, imò revocata ab Eugenio IV. exceptis paucis quibusdam Constitutionibus circa causas beneficiales à Nicolao V. approbatis, inter quas non est illa de virandis excommunicatis notoriis, sicut etiam refert Lym. *de excommunicatione c. 4. n. 1.*

Mixta demùm, sive partim *externa* partim *externa* communicatio est, quæ in exterioribus actionibus, vel cæremoniis consistens interiorem ac spiritualem fructum ex propria institutione continet, quò spectat usus tam *activus* quàm *passivus*, id est, administratio, & perceptio sacramentorum, Ecclesiæ suffragia, quæ in sacrificio, aliisve publicis officiis ad Deum pro universa Ecclesia funduntur, item satisfactiones Christi, & Sanctorum, quæ ex communi Ecclesiæ thesauro per indulgentias fi-
57 delibus applicantur. Hac ergo communione etiam privatur excommunicatus, ut imprimis sacramenta suscipere, vel administrare, sine peccato mortali non possit; valent tamen suscepta, vel administrata, excepto sacramento Penitentiæ, quod ob censuram excommunicationis, nisi præmissa absolutione, invalidum redditur: nam respectu suscipientis quoad hoc Sacramentum est indispositio, quia non potest priùs à peccatis, quàm à censuris absolvi; respectu verò administrantis est defectus jurisdictionis, quæ eidem per censuram aufertur. In necessitate tamen, vel mortis periculo administratio, vel perceptio sacramentorum excommunicatis permissa est, quia hoc casu pia Mater Ecclesia, nolens mortem peccatoris, nullam censuram reservavit, quin à quolibet sacerdote etiam excommunicato, quibuslibet censuratis, & peccatoribus absolutio sacramentalis licitè, & validè impendi possit. Trid. *sess. 14. de Sacram. Pœnit. c. 7.* Deinde excommunicatus privatur omnibus Ecclesiæ suffragiis & indulgentiis, ut pro eo publicè orare, vel sacrificare non valeat. Imò cùm Missæ sacrificium aliaque Divina officia in Ecclesia celebrantur, excommunicatus interesse non debet, & si monitus non decesserit, nova excommunicatione Papæ reservata afficitur, *in Clement.*
58 *gravis 2. h. t.* potestque opera aliorum fidelium de Ecclesia violenter expelli, arg. *c. veniens 16. h. t.* & Clerici scienter recipientes excommunicatos ad Divina officia *majorem* excommunicationem incurrunt, *c. significavit 18. h. t.* alii verò Laici simul in Ecclesia existentes, si excommunicatus exire nolit, vel expelli non possit, tenentur ab eo discedere, & sacerdos, qui necdum Canonem Missæ incepit, Divinum officium intermittere; quia cum excommunicato in oratione communicare prohibitum est, *c. nuper 29. & c. responso 43. h. t.* non tamen sub pena *majoris* excommunicationis, nisi in illo casu, quo Clerici scienter, & voluntariè recipiunt excommunicatum ad Divinum Officium. Conciones verò audire, vel privatim in Ecclesia orare, quando non celebrantur Divina officia, nec alii fideles conveniunt ad communem orationem, non prohibetur excommunicatus, *dict. cap. responso*. Quòd si excommunicatus sit Clericus, qui ratione Ordinum, vel beneficii tenetur ad horas Canonicas, non deobligatur, quin eas etiam durante excommunicatione privatim persolvere teneatur, ne ex suo delicto commodum reportet. Panorm. *in c. 2. de Clerico excommunicato*. Suarez. *de Censuris disput. 12. sect. 1. & 2.*

Prætereà excommunicato hæc mixta, & spiritualis 60
communicatio cum fidelibus, omneque Divinum Officium publicum ac exercitium Ecclesiastici muneris prohibitum est: ideo etiam ad omne beneficium inhabilis, & incapax redditur, ut ejus præsentatio, institutio, electio, vel confirmatio ipso jure invalida censeatur, nec beneficium, vel dignitatem tuta conscientia retinere possit, *c. postulasti 7. & c. ult. de Clerico excommunicato*. Si verò excommunicatio post beneficium semel legitimè adeptum supervenerit, non propterea illo beneficio privatur excommunicatus. Licet autem fructus beneficiales tali excommunicato subtrahi possint, ut tantò magis ad satis-
factionem, & absolutionem petendam urgeatur, *c. pasto-* 61
ralis, 53. §. verum. de Appellat. probabilius tamen, & verbis *cit. c. pastoralis*. conformiùs est, hos fructus non amitti ipso Jure propter solam censuram, sed primùm per sententiam judicis, sicut docet Gloss. *in d. §. verum in V. subtrahantur*, nisi fructus specialiter dentur propter certum Officium Divinum, vel Ministerium, quòd excommunicatus tempore excommunicationis per se, vel per alterum nequeat adimplere.

Quæres, an hodie per Concilium Constantiense *Ex-* 62
travagantem Martini. V. circa istam mixtam communionem aliquid immutatum? R. Ex communi, & recepta DD. sententia per *cit. Extrav.* non tantùm in profanis, sed etiam in spiritualibus concessam esse communicationem, cum excommunicatis qui denunciati aut notorii Clericorum percussores non fuerint; ut proinde fideles etiam ab excommunicatis sacerdotibus nondum denuntiatis sacram. petere, & recipere possint. Quod tamen ita temperandum erit, ut procedat, si quis rationabiliter existimet, & præsumat sacerdotem excommunicatum per contritionem à peccato recessisse, & paratum esse ad absolutionem petendam, quamvis eam necdum obtinuerit: aliàs enim, si quis sciat, vel moraliter credere, & intelligere possit excommunicatum in contumacia, & peccato persistere, non licebit extra casum necessitatis ab eo sacramenta petere, & ei ita occasionem ad sacrilegè ministrandum offerre &c. Volunt quoque non pauci DD. tunc demum rectè peti sacramenta ab excommunicato, si alius non adsit, nulla censura innodatus, qui æquè faciliter, & utiliter administrare valeat, ut videre est apud Suar. *de Censur. disp. 11. sect. 4. n. 10.* & Sanch. *de Matr. l. 7. disp. 9. n. 7.* Licet verò ipse Sanch. *cit. loco n. 8.* probabili-
us censeat, ex vi Constitutionis Constantiensis genera- 63
liter loquentis indifferenter sine qualibet necessitate ab excommunicatis peti posse sacramenta: prior tamen sententia magis tuta & verior videtur, non quidem ex illa ratione, quam aliqui assignant, quòd petens sacramenta ab excommunicato cooperetur ipsius peccato, & ad peccatum invitet eum: quia negari potest suppositum, quòd excommunicatus administrando sacramenta peccet, si priùs per contritionem seà culpa purgaverit & à contumacia recesserit, fueritque à fidelibus requisitus, cùm ad requisitionem fidelium non denegetur excommunicatis in sacris, & profanis cum iisdem fidelibus communio; non inquam, hæc ratio convincens est, sed potiùs ratio indecentiæ, scandali & contemptus censurarum ordinariè consequens, si excommunicatis, & ab Ecclesia præcisis sine omni necessitate ad cujuslibet requisitionem sacramentorum administratio concedatur; quod utique non fuit intentio Concilii Constantiensis,

ita

Ita verò leges interpretandæ sunt, ut *non intentio verbis, sed verba intentioni inserviant*, *c. secundò requiris. 41. de Appellationibus. l. scire leges. 17. ff. de Legibus.* Interim ut ab excommunicato jure petantur sacramenta, non requiritur necessitas extrema, ut si quis moribundus petat baptismum, vel absolutionem, sed etiam communis, vel magna utilitas sufficiet, maximè circa parochum, quia aliàs obligatus est ad sacramenta fidelibus administranda, ut si die festo parochiani missa carere deberent, si æger petat Eucharistiam.

64 Notanter autem semper dico, excommunicatos *non denunciatos* communicare posse in spiritualibus cum fidelibus, si ab his fuerint requisiti; quia ut superiùs dictum, per Concilium Constantiense ipsis excommunicatis directè nulla gratia facta est, ideoque non requisiti sacramentorum administrationi, vel alteri fidelium communioni se nullatenus ingerere possunt, absque peccato gravi mortali, si de spiritualibus, & administratione sacramentorum loquamur, nec beneficium aliquòd Ecclesiasticum validè recipere, tametsi denuntiari non sint. *cap. postulasti. 7. & ibi* Barb. *n. 7. de Clerico excommunicato.* Alia est quæstio, an, & quando sacerdos, vel Clericus excommunicatus celebrans, vel ministrans in Divino Officio fiat irregularis, & quid hodie post Concilium Constan-
65 tiense? R. De Jure Communi Clericum excommunicatum suspensum, vel interdictum, vel in loco interdicto celebrantem, vel in Divinis Officiis ministrantem contrahere irregularitatem, à quo non possit nisi per summum Pontificem absolvi, *c. 1. de Sent. & re judicata in 6. c. is qui, 18. h. t. in 6.* Et quamvis hi duo textus non loquantur in specie de censura excommunicationis, sed tantùm suspensionis, & Interdicti, ac in t. *de Clerico excommunicato*, excommunicati ministrantes, si incorrigibiles fuerint, per sententiam jubeantur deponi, & nihil ibi de irregularitate ipso jure contracta dicatur: nihilominus unanimis est omnium DD. sententia idem quod in suspensione, & interdicto, multò magis in excommunicatione majore procedere, quia excommunicatio major in se complectitur suspensionem, & interdictum personale, qui enim excommunicatus est, ab officio quoque spirituali hoc ipso suspensus, & interdictus est, & semper gravior culpa reputatur excommunicatum ab Ecclesia præcisum, quàm suspensum ministrare. Idque satis confirmatur ex *c. si quis 7. causa 11. q. 3.* & clariùs ex *c. ult. de Clerico excommunicato.* ubi Pontifex dicit, quòd ligatus minori excommunicatione, si celebret, non incurrat irregularitatem: ergo manifeste colligitur, aliud esse de celebrante in majore excommunicatione, quod irregularitatem incurrat.

66 Dico autem, Clericum *celebrantem*, vel in Divino Officio *ministrantem* fieri irregularem: quia tantùm actus ordinis sub hac poena prohibiti sunt, non item actus Jurisdictionis, vel alii Ecclesiastici, quamvis etiam illi durante censura illicitè exerceantur. Non ergo erit irregularis Episcopus, qui excommunicatus beneficium confert, causas judiciales audit, &c. beneficiatus, qui fructus beneficii percipit, Parochus, qui matrimonio assistit absque solemni, & sacerdotali benedictione: quia in matrimonio Parochus non requiritur tanquam Minister, sed tanquam testis excellens, Zoes. *ad t. de Clerico excommunicato. n. 16.* Excusantur quoque ab irregularitate, quorum celebratio culpabilis non est: quia hæc irregula-
67 ritas est poena magna, quæ nonnisi ob gravem culpam infligenda; ut qui in casu necessitatis, & periculo mortis constitutis Sacramenta ministrat; qui censuram occultam habentes celebrationem sine infamia omittere nequeunt; qui censuram latam ignorant, probabiliter etiam, qui de ea rationabiliter dubitant: nam licet in dubio tutior via sit tenenda, ut potiùs à celebratione abstinere deberet dubitans, non tamen poena irregularitatis à Canonibus in illos lata, qui scienter post excommunicationem celebrant, videtur ad dubitantes extendenda, cum poenæ sint strictæ interpretationis, optimus textus in *c. illud 5. de Clerico excommunicato.* Quòd si irregularitas contracta per celebrationem, vel ministrationem non fuerit notoria sed occulta, hodie post Trid. *sess. 24. de Ref. c. 6.* etiam Episcopo dispensatio conceditur.

68 Porrò post Concilium Constantiense, si Clericus non requisitus ultrò se ingesserit Divinis Officiis, contrahit irregularitatem, sicut priùs; quia ut superiùs dictum, ipsis excommunicatis nulla gratia facta est. Secùs autem si à fidelibus justa de causa requisitus fuerit: tunc enim extra culpam, consequenter, & irregularitatis poenam est. Si dubitaretur, an adfuerit sufficiens causa ad celebrationem, postquam celebrans fuit à fidelibus requisitus, crederem, eum probabiliter ab irregularitate excusari posse propter authoritatem Sanch. superiùs citati, & aliorum asseclarum, qui solam requisitionem sine justa causa ad celebrationem, & evitationem irregularitatis sufficere putant. Etenim ad præcavendum peccatum ab initio quidem tutior via tenenda est, post actum verò patratum ad minuendam poenam favorabilium sententia nonnunquam est recipienda, teste Covar. *in princ. Relect. Clement. si furiosus de Homicidio. n. 9.*

Hactenus de principalioribus effectibus majoris ex- 69
communicationis dictum. Minoris excommunicationis is effectus est præcipuus, quòd privet usu *passiva* Sacramentorum, & ea ligatus sine peccato (quod DD. communiter mortale censent tanquam contra prohibitionem in re gravi) non possit ante absolutionem aliquod Sacramentum percipere, neque matrimonium contrahere, quia & ipsum Sacramentum est. Usu autem *activa* seu collatione Sacramentorum minor excommunicatio directè non privat, neque irregularis efficitur, qui eadem ligatus celebrat, vel Sacramenta administrat. *c. ult. de clerico excommunicato.* Quia tamen aliqua saltem irreverentia censetur, excommunicatione minori ligatum sine rationabili causa Sacramenta dispensare, priusquam absolutionem impetret, ideo propter hanc irreverentiam, quamvis non adeo magnum peccatum, saltem veniale committere conferentem Sacramenta, magis communiter DD. & Interp. *dict. c. fin.* concludunt per illa verba in *eodem c.* posita, peccat autem conferendo Sacramenta &c. Videantur cit. apud Barb. *in eod. c. ult. n. 6.*

Ex hoc autem principaliori effectu minoris excommu- 70
nicationis alius quasi subordinatus consequitur, quòd nimirum hac censura ligatus non possit eligi, vel assumi ad aliquam dignitatem, vel Ecclesiasticam præbendam: eò quòd beneficiati præsertim Sacerdotes debeant suscipere Sacramenta; talis autem excommunicatus sit à susceptione Sacramentorum remotus, ideoque scienter facta electio minore excommunicatione ligati de Jure irritanda est. Eligere tamen, vel conferre beneficia non prohibetur: quia minor excommunicatio non privat communione fidelium, vel jurisdictione, *d. c. de illa 39. de Electione*, qua de re in *Lib. I. in t. de Electione* tractari solet.

Cæterùm excommunicatio minor incurritur, si quis 71
in casu prohibito cum excommunicato scienter communicarit, ut dictum superiùs; Jure verò antiquorum Canonum minor excommunicatio etiam censebatur, quæ alicui per sententiam inferebatur quoad particulares tantum quosdam effectus, & præsertim à communione altaris ad certum tempus removebatur *c. ult. juncta Gloss. causa 3. q. 4.*

Absolvere ab hac censura quoad forum internum po- 72
test quivis legitimus Confessarius: quoad effectus fori externi, & capacitatem electionis ac beneficiorum ordinarius Judex Ecclesiasticus. Plura de absolutione ab excommunicatione etiam ab ea, quæ ob percussionem Clerici incurritur, & generaliter ab aliis censuris tradεmus inferiùs in *§. ult. h. t.*

---

§. III.

De Suspensione, & Interdicto.

S U M M A R I A.

73 *Quid sit suspensio.*
74 *Dividitur in suspensionem ab officio, & à beneficio totalem, & partialem.*
75 *Suspensio ab officio per se non continet Suspensionem à beneficio, & econtra, limitatur certis casibus, & sit suspensio sit perpetua.*

76 Nec

76 *Nec suspensus ab Ordine est suspensus à Jurisdictione.*

77 *Suspensus simpliciter ab Officio, ab Ordine, & Jurisdictione suspensus censetur:*

78 *Suspensus à beneficio percipiendo fructus non fit irregularis, sed tamen perdit beneficium.*

79 *Etsi in dubio Episcopus suspendens à beneficio, censeatur suspendere à beneficiis tantùm suæ diœcesis, potest tamen suspendere etiam à beneficiis aliàs obtentis.*

80 *Clericus ab Ordine, vel Officio suspensus ubique pro tali est habendus.*

81 *Quid sit interdictum Ecclesiasticum, & quomodo differat ab excommunicatione.*

82 *Omnis definitio in Jure periculosa.*

83 *Interdictum aliud locale, aliud personale, & iterum aliud generale, aliud speciale, & quomodo differant?*

84 *Interdictum locale continet in se personale, quoad eos qui causam interdicto dederunt.*

85 *Interdicto populo non est interdictus Clerus, vel econtra, & interdicto Clero non censentur interdicti religiosi.*

86 *Quomodo in interdicto locali possint comprehendi innocentes.*

87 *Innocens nonnunquam sentire potest damnum sine culpa, sed non sine causa.*

88 *Quare magis subinde interdictum feratur contra omnes, quam excommunicatio contra singulos.*

89 *Referuntur quidam casus, in quibus ferri solet Interdictum Ecclesiasticum.*

90 *Quomodo ipso Jure incurritur interdictum, requiritur tamen sententia declaratoria Judicis Ecclesiastici.*

91 *In causa debiti pecuniarii sine licentia Papæ interdictum ferri non potest: licet aliàs non requiratur.*

92 *Quomodo Divina Officia hodie tempore interdicti generalis celebrare liceat.*

93 *Quorum sacramentorum administratio tempore interdicti sit permissa.*

94 *Matrimonium vi interdicti generalis, & localis non censetur prohibitum, bene tamen interdictis specialiter, & personaliter.*

95 *Quinam tempore interdicti priventur sepultura Ecclesiastica.*

96 *Interdicti si in loco sacro illicitè sepeliantur, exhumari tamen non debent, secus est de excommunicatis.*

97 *Religiosi ex speciali privilegio etiam in loco interdicto sepeliri possunt.*

98 *Pœna clericorum interdictum Divinorum celebratione violantium est irregularitas.*

99 *Quid sit interdictum ingressus in Ecclesiam, & quem effectum habeat.*

100 *Pœna dominorum temporalium, & aliorum interdictum violantium.*

101 *Quomodo Cessatio à Divinis differat ab interdicto? & quod per eam non prohibeatur sepultura Ecclesiastica.*

102 *Qui cessationem possint indicere.*

73 S*Uspensio* est censura prohibens Ecclesiasticos uti suis jurisdictionibus, & juribus Ecclesiasticis: etenim hæc censura, cùm non privat communione fidelium, Sacramentorum perceptione, sed functionibus Ecclesiasticis, propriè tantùm Clericos, & Ecclesiasticos afficit.

74 Dividitur suspensio in suspensionem *ab officio*, qua Clerico executio suorum ordinum, vel aliarum functionum, quæ ipsi ratione Ordinis, aut muneris Ecclesiastici incumbunt, interdicitur: est in suspensionem *à beneficio*, qua fructus sui beneficii percipere prohibetur. Utraque subdividitur in *totalem*, & *partialem*. *Totalis* est, qua quis ab omni prorsus officio, vel perceptione omnium omnino fructuum suspenditur. *Partialis* autem qua unus spiritualis actus officii prohibetur, ut si Episcopus à collatione ordinum, & beneficiorum, sacerdos ab exceptione confessionum suspendatur, vel si beneficiato tertia, vel quarta pars fructuum subtrahatur.

Porrò censura suspensionis tanquam pœna est strictæ 75 interpretationis *c. odia. de R. J. in 6. l. penult. ff. de Pœnis.* & ideò suspensio *ab officio* per se non includit suspensionem *à beneficio*, nec vice versa ut satis apertè colligitur ex *c. inter sollicitudines. 19. de Purgatione Canonica.* & docet Navar. *in Manual. Confessariorum. c. 27. n. 160.* Suar. *de Censuris. disp. 26. sect. 3. n. 4.* nisi suspensio *ab officio* esset perpetua, & in effectu depositio, tunc enim saltem per sententiam totaliter depositus, vel suspensus privandus beneficio esset, quia cùm beneficium detur propter officium, & functiones Ecclesiasticas, qui in perpetuum officio privatus est, meritò etiam beneficium amittere debet Gloss. *ad princip. q. 3. causa 1. verb. annexa.* ita tamen ut depositus saltem alimenta ab Ecclesia habeat, ne in opprobrium ordinis Clericalis mendicare cogatur, saltem quamdiu non appatet de ejusdem incorrigibilitate, & perseverantia in contumacia, sicut tradit Gloss. *in c. studeat 39. in V. & sui dist. 50.* Panor. *in c. pastoralis 53. §. verum de Appellationibus n. 16.* Item si fructus beneficii præcisè percipiantur propter singulos actus officii, ut propter celebrationem Missarum certarum, ob præsentiam in Choro &c. tunc qui tale officium per se, vel per substitutum implere nequit, ex consequenti etiam fructum beneficii lucrari non potest.

Propterea ob strictam pœnalium Interpretationem su- 76 spensus ab ordine non censetur suspensus à Jurisdictione Ecclesiastica, quam ut Judex exercet, & cum ordine sacro necessario connexa non est. Et è converso suspensus à Jurisdictione potest ea facere, quæ merè Ordinis sunt ut celebrare, in altari ministrare &c. suspensus autem simpliciter ab Officio censetur suspensus tam ab Ordine, quàm Jurisdictione, quia officium utrumque complectitur. Suarez. *cit. loco sect. 4.*

Quòd si suspensus ab officio se eidem culpabiliter inges- 77 serit, irregularitatem contrahit *c. 1. de Sent. & re judicata. in 6.* secundum ea, quæ *ad finem prioris §.* de excommunicato celebrante, vel in divinis ministrante diximus: nam quæ ibidem circa excommunicatos, attenta etiam Constitutione Concilii Constantiensis tradita sunt, ad suspensos ab officio quoque pertinent. At verò suspensus à beneficio, si eidem se ingerat, & fructus percipiat, non efficitur quidem irregularis, ex communi tamen sententia beneficium perdit ipso jure *cap. cupientes, 16. §. cæterùm de Electione in 6.* 78 Solet proinde suspenso ab officio dari œconomus, qui reditus colligat, & eosdem jussu Episcopi piis causis applicet, alimenta tamen necessaria beneficiato tribuat. Si Clericus habeat beneficia in diversis Diœcesibus, & ab uno Episcopo suspendatur à beneficiis, tunc hæc sententia suspensionis simpliciter prolata 79 in dubio intelligitur tantùm de beneficiis in illius Episcopi Diœcesi obtentis, quia sententia pœnalis non est extendenda, sed nihil impedit, quin Episcopus possit Clericum suspendere etiam à beneficiis alibi obtentis, arg. *c. postulasti 14. de Foro compet.* si ab Officio, vel Ordine suspensus fuerit. Clericus etiam alibi 80 pro tali habendus erit, donec absolutionem impetraverit, non obstante quòd extra territorium jus dicenti impune non pareatur, *l. fin. ff. de Jurisdict.* quia hæc regula procedit in statuto, quod non ligat extra territorium *c. 2. de Constitut. in 6.* non verò in sententia particulari, quæ afficit subditum etiam extra territorium. Gloss. & Panor. in *d. c. pastoralis §. verùm de Appellat.* prout in simili notatus infamia in uno loco, & prohibitus postulare, etiam alibi infamis, & prohibitus intelligitur *l. ex ea 9. ff. de Postulando.*

An autem, & quatenus suspensus incapax sit juris eligendi, vel beneficiorum, ad *t. de Electione* remittimus.

De Interdicto.

I*Nterdictum* Ecclesiasticum ab interdicendo, seu prohibendo sic dictum, describit Silvest. *Interdictum n.* 81 2. quod sit *separatio* à Jure, vel à Judice facta à certis sacramentis, & omnibus Divinis Officiis, & Ecclesiastica sepultura, *c. non est vobis tt. de Sponsalibus, &c. quod*

in te

in te 11. *de Pœnit. & remission.* Hæc quidem descriptio si verba præcisè spectentur, etiam excommunicationi conveniri videtur, in eo tameo differt excommunicatio ab *interdicto*, quòd excommunicatio separet à Divinis propter denegatam communionem fidelium cum aliis fidelibus in sacris, & profanis; at verò *interdictum* non subtrahat aut deneget directè communionem fidelium, sed
82 tantùm Divinorum dispensationem sive participationem. Item *interdictum* ferri potest in locũ, vel communitatem, ut comprehendat nocentes cum innocentibus, excommunicatio autem tantùm in certas, & determinatas personas nocentes. *c. Romana.* 5. *h. t. in 6.* Quare pleniùs fortassis definiri posset *interdictum*, quòd sit censura in locum, vel personas lata, prohibens sacramenta quædam, Divina Officia, & sepulturam interdictis ministrari. Non est tamen in Jure circa definitiones magna sollicitudo ponenda, quia materiæ Juridicæ propter sui amplitudinem, & casuum diversitatem non patiuntur tam exactas definitiones: unde & omnis definitio in Jure periculosa dicitur. *l. omnis definitio.* 202. *ff. de R. J.*

83 Dividitur interdictum in *locale, & personale. Locale* est, quod directè afficit certum locum, in quo divina Officia prohibentur. *Personale* verò, quòd directè in personas profertur, quibus Sacramenta denegantur. Utrumque subdividitur in *generale, & speciale.* Interdictum *locale generale* est, quo locus à pluribus communiter inhabitatus interdicitur, ut regnum, civitas, castrum, &c. *locale speciale* est, quo particularis locus facet v. g. certa capella, & Ecclesia afficitur. Et quidem interdicto *locali generali* civitatis, castri aut oppidi, &c. etiam suburbia, & continentia ædificia, quamvis propriis muris sint determinata, & distincta, comprehenduntur, ne facilè eludatur interdictum, si prohibitis Divinis Officiis in civitate, populus pro iis audiendis ad suburbia exiret. Item in interdicto *locali spirituali* interdicta Ecclesia censetur etiam interdictum cæmeterium, vel capella vicina; sed tamen in his non sufficit, ut cæmeterium, vel capella vicina sit Ecclesiæ, sed requiritur, ut contigua, & moraliter noo segregata. *c. si civitas.* 17. *h. t. in 6.* Interdictum *personale generale* est, quòd fertur directè in ipsos homines scilicet communitatem, collegium, populum, &c. & prætereà locus ipse, vel Ecclesiæ in tali loco existentes non sunt interdictæ, quin ibidem possint Divina officia celebrari, atque etiam ad ea admitti peregrini, viatores, & omnes alii habitatores loci qui non sunt membra communitatis interdictæ, vel qui ex post facto permutationem domicilii aut alio modo membra esse desierunt: dummodo ab his Divinis Officiis sine tumultu publico per occlusionem januarum, aut similibus mediis
84 possint ipsi interdicti arceri. Deinde qui interdicto *personali*, quamvis *generali*, affecti sunt, non possunt etiam ut singuli nec in loco proprio, nec in alieno divina audire. Io interdicto autem *locali generali*, qui culpabiliter non sunt, nec interdicto causam dederunt per se vel per auxilium, consilium, aut favorem suum (nam interdictum *locale* continet in se *personale* circa eos, propter quorum delictum, vel cooperationem ad delictum interdictum positum est) possunt licitè extra locum interdictum Divina audire. *c. si sententia.* 16. *h. t. in 6.*

85 Sed & istud notabile est, quòd ioterdicto populo alicujus civitatis non intelligatur interdictus Clerus, nec vice versa interdicto Clero populus. *d. c. si sententia.* Est quoque communis DD. sententia, quòd interdicto Clero non censeantur interdicti Religiosi nisi de mente interdicentis aliud appareat: qoamvis enim Religiosi per susceptionem ordinum etiam transeant ad Clericatum, & sint Clerici; *c. legi epistolam*, 36. *causa* 16. *q.* 1. quia tamen communi hominum acceptione nomine Cleri intelliguntur Clerici sæculares, hinc est, quòd in materia odiosa, & pœnali termini secundum communem significationem accipiendi sint, & non facilè ad talem interpretationem deveniendum, ex qua civitas omni prorsus Divino officio tam apud seculares Clericos, quàm apud Regulares carere debeat. Tamb. *de Jure Abbatum. to.* 2. *disp.* 16. *q.* 5. *n.* 5.

Interdictum *personale speciale* sive *particulare* est, quod fertur non in communitatem, quatenus communitas est, sed in singulares personas unam, vel plures propter earum delictum, vel culpam, sive deinde exprimantur illarum personarum nomina, sive in genere dicatur, quòd singuli in tali negotio culpabiles interdicti sint.

86 Dutum forte videbitur ex hactenus dictis, quòd in interdicto *generali locali*, vel *personali* etiam innocentes comprehendantur, cum tam graves pœnæ non nisi auctores delictorum tenere debeant, *l. sancimus.* 22. *C. de Pœnis.* Dicendum est tamen innocentes per interdictum *generale* non puniri *directè*, sed tantùm sentire damnum per accidens, quatenus, & quandiu in loco, vel communitate interdicta versantur: si enim directè punirentur, vel afficerentur interdicto, sicut ipsi culpabiles, tunc ne quidem extra locum interdictum Divina audire possent, quod tamen secus est, juxta *d. c. si sententia. hoc tit. in 6.*

87 Sæpius autem innocentes sentire posse damoum sine culpa quidem, sed non sine causa, patet, ex *c. quoniam.* 5. *vers. si autem de carnali. Ut lite non contestata l. quisquis* 5. *§.* 1. *C. Ad leg. Jul. majestatis.* Item exemplo justi belli, in quo multi innocentes pereunt, qui ad tale bellum culpam non pusuerunt, quod per accidens contingit, quia scilicet aliter finis belli justi obtineri non potest: Ita enim accidit in interdicto *generali*, quod solet poni ob publicam aliquam, & gravem causam, quando silicet Rectores principales, aut potiores alicujus loci, vel communitatis sunt culpæ obnoxii, & nolunt pro eo satisfacere. Sed inquis,
quare non potiùs ipsi delinquentes excommunicantur, 88
quam ut totus locus, vel communitas interdicatur. Resp. id fieri, vel quia incerti sunt culpabiles, & si in genere ferretur excommunicatio contra singulos, qui fuerint culpabiles, plerique contemnerent talem censuram, quia non crederent se culpabiles, vel diversas excusationes in peccatis quærerent; vel quia Rectores, & potentes, qui fortassis non curarent excommunicationem suæ personæ, debent magis curare interdictum *generale*, ne populus propter eorum culpam interdicto affectus contra eos exasperetur.

89 In specie autem causas, & casus, in quibus ipso Jure statuitur interdictum, enumerat Sylvester. *V. Interdictum.* 4. Ut si civitas det auxilium, vel consilium ut capiatur Cardinalis, vel Episcopus, aut invitus in aliquo loco detineatur. *c. felicis.* 5. *de Pœnit. in 6. Clem. si quis suadente* 1. *eodem. t. de Pœnis.* si Ecclesiastici contra immunitatem suam à sæcularibus oneribus graventur. *c. quamquam* 4. *De Censibus in 6.* si repressaliæ contra Ecclesiasticos concedantur, nec intra mensem relaxentur. *s. un. de*
Injuriis. in 6. & plures alii casus, qui apud cit. authores 90
videri possunt. Interim regulariter in casibus, quibus ipso Jure ponitur interdictum, necesse est, ut accedat cognitio, vel declaratio judicis ecclesiastici; tum ut legitimè constet, an delictum sit tale, & revera patratum, quod interdictum secum trahat: tum ne nocentes juris ignorantia excusentur: tum denique quòd Concilium Constantiense quatenus ad evitationem in Divinis requirens denuntiationem, loquatur non tantùm de excommunicatis, sed etiam suspensis, & interdictis.

91 Sed & illud notabile, quòd in *extrav. provide,* 2. *h. t. inter Comm.* prohibeatur, ne propter pecuniarium debitum sine speciali, & expressa licentia Papæ Provincia, Civitas, Castrum, villa, locus, vel territorium interdicto supponatur. Quòd verò hic de licentia Papæ dicitur, in hoc speciali casu locum habet. Cæterùm autem interdictum etiam sine licentia Papæ ponere possunt judices ordinarii ecclesiastici, quibus aliàs jus ferendi censuras competit, dummodo justitia causæ adsit, & monitiones debitæ præmittantur.

92 Porro ad effectum *interdicti* quod attinet, sciendum est, olim inprimis Missas, & omnia divina officia in singulis Ecclesiis loci interdicti prohibita fuisse, quòd tamen deinde Bonifacius VIII. in *alma mater.* 24. *vers. adiicimus. h. t. in 6.* ita limitavit, ut tempore Interdicti (quòd DD. communiter de interdicto locali, generali intelligunt non verò de speciali alicujus Ecclesiæ, quia alias hoc interdictum speciale redderetur prorsus sine effectu) singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia Divina Officia dicantur, sicut priùs, submissa tamen voce, januis clausis, ac excommunicatis, & interdictis expulsis, campanis etiam non pulsatis, quibus Divinis Officiis Canonici, & Clerici non autem reliqui de

po-

populo interesse debeanr. In festivitatibus autem Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes (quod DD. probabiliter ad totum triduum istorum festorum extendunr) & assumptionis Virginis gloriosæ (quibus Martinus V. addidit festum Corporis Christi cum Octava) pulsentut campanæ, & januis apettis, alta voce Divina Officie solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, quibus ob reverentiam harum solemnitatum præfatis diebus participatio Divinorum conceditur: sic tamen, ut illi, propter quorum excessum interdictum est positum, altari, in quo celebrantur Divina, non appropinquent.

93 Alter effectus interdicti est, quòd regulariter prohibeatur sacramentorum edministratio, & participatio, nisi specialiter quædam Sacramente in Jure excepta sint. Excipitur autem in interdicto *generali* (& probabiliter etjam *locali speciali* teste Sylvestro *in V. interdictum 5. n. 9.*) Baptismus, & Confirmatio, *c. responsa 43. h. t. & c. quoniam 19. eod. in 6.* item Pœnitentia, & absolutio à peccatis, quæ non tantùm ægris, sed etiam senis tampore interdicti ministrari potest: dummodò excommunicati non sint, vel propter eorum culpam interdictum non sit positum. Priori enim casu non recipiuntur ad pœnitentiam, nisi priùs fuerint absoluti à censura, nec posteriori culpabiles in interdicto, nisi pro culpis suis priùs satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam cautionem præstiterint, quamvis ab ipse interdicti censura necdum absoluti sint, *d. c. alma mater*. Eucharistia quoque saltem mortis articulo conceditur, *c. permittimus 57. h. t.* & in festis supra nominatis, propter illa verba in *d. cap. alma mater*, posita, *præfatis diebus participationem permittimus Divinorum &c.* quę varba in favorem animarum latiùs interpratanda sunt, ut non tantùm auditionem Divinorum, sed & participationem sacræ Communionis comprehendant.

94 Matrimonium etiam tempora interdicti ex communiori DD. sententia non creditur esse prohibitum, præsertim si fiat absque solemni copulatione, & benedictione in Ecclasia: quia illa tantùm sacramenta censentur esse prohibita, quæ ab Ecclesia dispensantur. Sacramentum autem Matrimonii ipsi contrahentes sibi ministrant, & Parochus in eo non tanquam Minister, sed potiùs testis reputatur. Pan. *in c. non est vobis 11. de sponsalibus num. 8.* & Nav. *d. n. 9.* sed hoc in interdicto *locali*, vel *personali generali*. In interdicto autem *speciali personali* videtur probabilius, eos, qui ex sua culpa specialiter interdicti sunt, non posse durante hoc interdicto licitè (sed tamen valide) matrimonium contrahere: quia generaliter ab omnium sacramentorum perceptione prohibiti sunt, non secus ac minore excommunicatione ligati, de quibus satis conveniunt DD. quòd matrimonium nequeant contrahere; atque ita conciliari posse existimo diversos authores, quorum aliqui matrimonium tempora interdicti concedunt, alii negant. Putet quoque Cov. *in Rell. cap. alma mater h. t. in 6. p. 2. §. 1. sub n. 7.* circa solemnitatem, & benedictionem matrimonialem faciendum tempore interdicti observari posse constitutionem, *c. alma mater* ut scil. ad instar aliorum Divinorum Officiorum fiat januis clausis, vel etiam apertis in festis ibidem memoratis.

95 Tertius effectus interdicti est, quòd in eo decedentes priventur ecclesiastica sepultura, *cap. quod in te 11. de Pœnitent. & remission.* In interdicto tamen *locali generali*, qui specialiter ex sua culpe interdicti non fuerint, non poterunt quidem sepeliri in loco interdicto, sed poterunt ad alium locum sacrum non interdictum transferri, arg. *c. si sententia 16. h. t. in 6.* Quòd si contingat contra prohibitionem Juris aliquam interdictum sepeliri in loco sacro, non erit is extrahendus quia hoc non habetur in Jure statutum: & licet aliud sit de excommunica-
96 tis, ut illi denuo exhumari, & è loco sacro ejici debeant *c. sacris 12. de Sepulturis*. Nihilominus hęc tam severa pœna non ad alium casum in Jure non expressum est extendenda, & specialis ratio est circa excommunicationem, quòd ea ex natura seperet excommunicatum à reliquorum fidelium consortio, quod secus est in interdicto, ut superiùs etiam tradidimus. Imò etiam illæ corpora interdictorum, quæ tempore interdicti extra locum sacrum sepulta sunt, sublata censura ad locum sacrum referenda esse, si id commodè fieri possit, docent communiter Authores Nav. *in Manuali confess. c. 27. sub num. 176.*

Præterea Clerici, & Religiosi, qui interdictum ser- 97
varunt, speciala privilegium Juris habent, ut in loco etiam interdicto, absque pulsatione tamen campanarum, sepeliri possint, *d. c. quod in te.*

Quartus effectus est, quòd violantes interdictum pę- 98
nas Juris incurrant: & *in primis* quidem Clerici personaliter interdicti, vel in loco interdicto celebrantes, aut actum sui ordinis exercentes, irregulares efficiuntur, à qua irregularitere tantùm per summum Pontificem absolvi possunt, *c. is qui 18. §. is verò hoc tit. in 6.* Et quoad hanc pęnam irragularitatis interdicto personali simili est interdictum *ingressus in Ecclesiam*, per quod eliquis pro- 99
hibetur in Ecclesia Divina celebrare, vel audire, *c. is qui 20. h. t. in 6.* non tamen ibidem extra tempus Divini officii privatas orationes persolvere, aut extra ecclesiam in privato oratorio celebrare, Nav. *d. loc. n. 170.* Cujus interdicti frequens est mentio in Jure, ut in *c. Romana 1. & c. 2. Censibus in 6. præsenti 9. de Officio ordinar. in 6.* in Trid. *Sess. 6. de Ref. c. 1.* ac pluribus aliis locis, & plerumque infligi soler Prælatis Ecclesiasticis propter eorum culpas, cùm sit mitior censura, quàm excommunicatio, vel suspensio ab officio, na per eam impediatur Prælarus in aliis spiritualibus, & temporalibus suam jurisdictionem axercere.

Secunde domini temporales, qui compellunt Clericos 100
in loco interdicto celebrata, & ipsi quoque interdicti, qui jussi recusant exire de templo, axcommunicationem Pontifici reservatam incurrunt, *Clem. 2. h. t. Tertio* quoque excommunicationem non tamen reservatam incurrunt, qui interdictos in loco sacro, vel alios in loco interdicto scienter sepelire præsumpserint. *Clement. 1. de Sepulturis. Quarto* in Religiosos etiam tam examptos, quàm non exemptos axcommunicatio (quæ pariter non legitur reservata) lata est in *Clement. 1. h. t.* si interdictum à Pontifice, vel aliis ordinariis latum violarint interdictos ad divina officia admittendo.

Interdicti quandam similitudinem gerit *cessatio à Divi-* 101
nis, quæ tamen non est propriè censura, sed potiùs ipsum factum, quo suspenduntur organa Divinæ laudie, & ab ipsis Divinis Officiis cessatur propter gravem aliquam iniuriam Ecclesię illatam, ut iniuriantes resipiscant; & quod delinquerunt, emendent. Differt propterea etiam quoad effectum ab *interdicto*, quòd *cessatio* non afficiat personas, sed tantùm locum, & sic extra locum, in quo à Divinis cessatum ast, liceat cuilibet Divina audire, nequa Clericus irregularis afficiatur, si in ipso loco cessationis Divina celebraverit, quamvis id sine gravi peccato facere non possit, imò etiam excommunicatio in violatores cessationis axtendetur *in d. Clement. 1. §. in cessantibus h. tit.* De sepultura dubitant DD. an in loco cessationis concedatur? Sed probabilius ast, eam concedi: quia prohibitio expresè in Jura monstrari non potest, neque enim in pęnis, ubi termini sunt stricte propriè, & accipiendi, per exclusionem Divinorum Officiorum exclusa intelligitur sepultura, cùm sit aliquid diversum.

Cæterùm *cessationem à Divinis* indicere possunt Prela- 102
ti Ecclesiastici ordinariam jurisdictionem habentes, Capitula Cathedralium Ecclesiarum sede vacante. Et Episcopi possunt dare licentiam aliis etiam Capitulis, & Conventibus Regularium, vel sæcularium Ecclesiarum, ut ob justas causas à Divinis cessare valeant, dummodò in tali cessationa observentur ea, quę præscribuntur, *in c. si Canonici 2. & c. quamvis 8. de Officio ordin. in 6.* ut scilicet vocatis absentibus de Capitulo deliberetur de *cessatione*, & causa *cessationis* instrumento publico, vel literis patentibus inferatur, & tradatur ei, contra quem cessatur, ac denique intra mensem causa coram Pontifice, vel ordinario judice deducatur. Videatur Sylvestar *V. Cessatio à Divinis*, & Joan. Honor. *ad h. t. n. 90.*

Da

§. IV.

De Absolutione à censuris, & in specie de absolutione ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici.

SUMMARIA.

103 *Censura quandoque est nulla, & tunc non est observanda à censurato, si nullitas est manifesta.*
104 *Triplici ex capite censura redditur nulla ex defectu Jurisdictionis, causa & processus.*
105 *Appellatio post censuram latam facta non habet effectum suspensivum.*
106 *Censura an sit valida si lata sit in innocentes, in foro tamen externo convictum, aut econtra si lata sit sine sufficientibus probationibus, sed contra verè reum?*
107 *Potest censura in foro externo valere, etsi in foro interno non valeat.*
108 *Censura in foro externo invalida est etiam invalida in foro interno.*
109 *Censura per modum statuti, aut in monitoriis lata potest quis obligari in foro conscientia etsi nihil contra eum probari possit. Sententia tamen declaratoria in foro externo sine probationibus ferri non potest.*
110 *Censura sine citatione, & monitione lata est omninò nulla: nisi contumacia sit notoria, aut periculum sit in mora.*
111 *Trina monitio non est de substantia censura, nisi in duobus casibus.*
112 *Censura juris invalida esse possunt ex defectu Jurisdictionis, vel non publicationis, aut ob contrariam consuetudinem.*
113 *Episcopi, eorumque superiores censuram Juris non incurrunt, nisi eorum fiat mentio specialis.*
114 *A censura hominis is absolvit, qui tulit, aut cui is commisit, aut ejus successor.*
115 *In articulo mortis nulla censura reservata est, & quilibet sacerdos potest absolvere pro foro interno: sed post reconvalescentiam absolutus se debet præsentare superiori, aliàs in censuram reincidet.*
116 *Superior qui habet concurrentem Jurisdictionem cum inferiore prælato, potest absolvere à censura ab ipso lata, & quid de legatis Apostolicis respectu Episcoporum.*
117 *Superior, qui non habet concurrentem Jurisdictionem, non potest absolvere, nisi via appellationis adeatur, aut Prælatus inferior in sua causa censuram tulerit.*
118 *In Monasteriis excommunicati per Abbatem ab ipso absolutionem obtinere debent.*
119 *Censura Juris alia reservata, alia non reservata.*
120 *Privilegium Episcoporum, & Regularium absolvendi, & dispensandi circa casus reservatos summo Pontifici procedit tantùm pro foro conscientia.*
121 *Quanam censura sint reservata S. Pontifici?*
122 *Quomodo excusari possit, quod Bulla, & Censura in iis contenta alicubi non sint recepta.*
123 *Quid faciendum, si quis dubitet an censura sit reservata?*
124 *A censuris Juris, & statutorum non reservatis cuivis Episcopo, vel in foro conscientia Confessario absolutio competit.*
125 *De censura Canonis*, si quis suadente 17. q. 4.
126 *Qui Clerici in Sacris constituti privilegio Canonis gaudeant, vel non.*
127 *Ut Clerici in minoribus idem privilegium habeant: requiruntur conditiones à Trident. Concil. præscripta.*
128 *Quid de Clericis conjugatis?*
129 *Regulares omnes gaudent eodem privilegio, & quid de Eremitis.*
130 *Masculinum etiam in materia hujus Canonis comprehendit fœmininum.*
131 *Clerici etiam seipsos percutientes incidunt in censuram Canonis, possunt tamen ab Episcopo, vel Prælato suo absolvi; si percussio non sit enormis.*
132 *Ex specialibus privilegiis Prælati regulares etiam ab enormi absolvunt.*
133 *Ad dictam censuram incurrendam requiritur gravis injuria, in qua animus, & effectus concurrat.*
134 *Censura incurritur etsi Clericus in sui percussionem consentiat: quod declaratur.*
135 *Quid nomine violenta manus injectionis hic intelligatur.*
136 *A censura Canonis tam ignorantia Juris, quàm facti excusat.*
137 *Excusatur etiam, qui Clerico privilegio Clericali privato violentiam infert.*
138 *Si causa defensionis fiat, aut disciplina.*
139 *Defectus deliberationis sufficientis, vel parvitas injuria pariter excusat.*
140 *Magister, vel propinquus Laicus Clericum in majoribus Ordinibus constitutum castigandi per verbera jus non habet.*
141 *Prælatus Ecclesiasticus castigandi potestatem non per Laicos, sed Clericos exercere debet, ne censuram incurrat, & quid de captura, vel tortura?*
142 *Ebrietas quomodò excuset à censura?*
143 *Ab ista censura Canonis Legatus à Latere, & Nuncius Apostolicus absolvere possunt, sed cum differentia.*
144 *Mulieres, Moniales, Clericos impuberes, vel aliter impeditos pervenire ad S.P. ejusve Legatum, Episcopus potest absolvere.*
145 *Quid de potentibus?*
146 *A percussione levi indifferenter absolvere potest Episcopus, & qua dicatur levissima, levis, gravis, vel enormis?*
147 *In dubio percussio potiùs judicari debet gravis quàm levis.*
148 *Privilegium Episcopale absolvendi à Censura Canonis extenditur etiam ad alios Jurisdictionem Episcopalem, vel quasi habentes.*
149 *Consuetudine potest obtineri, ut absolutio in foro conscientia impensa, etiam in foro externo acceptetur.*

Repetenda est inprimis hoc loco illa censurarum distinctio, quàm superius *in §. 1.* circa finem assignabimus, quòd scilicet censura alia sit lata ab *homine* scilicet judice, & alia à *Jure* sive *Canone*. Igitur quod attinet ad censuram hominis prænotari debe,t frequenter contingere, ut ea ipso Jure nulla irrita sit, adeoque absolutione non indigeat, sed solùm ut à superiore declaretur nulla, si fortè contra talem censuram appellatio ad eum interponatur. Imò si nullitas sit manifesta, & notoria, etiam citra appellationem censura à censurato non observari poterit: quia quod est de Jure nullum, nullum producit effectum, & ut ex Gabriale refert Laym. *de Censuris in communi c. 6. n. 2.* Si quis publicè excommunicetur, & denuntietur *nulliter*, ipse ex adverso publicare poterit causam, propter quàm ipsa sententia censuræ est nulla. Dico tamen: *si nullitas sit manifesta, & notoria*: in dubio autem, vel quando causa non est ita publicè cognita, querela ad superiorem deferenda est, ut is de justitia causæ cognoscat, & interim sententia saltem in foro externo præsertim ad evitationem scandali observanda: quia ut inquit Greg. *c. 1. causa 11. q. 3. sententia pastoris sive justa sive injusta* fuerit, timenda est. Et Pontifex in *cap. per tuas 40. vers. non igitur h. t.* constituit, ut ille, qui allegat se post appellationem interpositam excommunicatum, vel in forma excommunicationis intolerabilem errorem expressum, debeat pro excommunicato haberi tanquam suam causam coram superiore probarit. 103

Red-

Redditur autem censura *nulla*, & irrita ex triplici po-
104 tissimum capite. I. ex *defectu jurisdictionis* quæ, vel nunquam penes censurantem exritit, veluti si excommunicatus non sit subditus; vel quæ fuit ab eo ante latam sententiam revocata: ut à delegato per delegantem: vel quę fuit per appellationem interpositam suspensa. Proinde si excommunicatio, vel alia censura in aliquem ab inferiore judice lata sit, postquam ille ad superiorem verbis, vel facto (scilicet iter ad superiorem arripiendo, nuntios mittendo,) &c. appellavit, invalida censebitur, *d. c. per tuas, & c. ad audientiam 34. c. dilecti 52. de Appellat.* Si verò post censuram latam appellatio interponatur, habet quidem hæc appellatio effectum devolutivum, ut causæ
105 cognitionem ad superioris tribunal devolvat, sed non suspensivum, quin interea censura lata executionem secum trahat, & effectum tamdiu sortiatur, usque dum à superiore, vel declaratur nulla, vel relaxetur, sicut decisum est *in c. is cui 20. §. sanè h. t. in 6.*

II. Invalidatur censura ex defectu *justæ causæ*; si nimirùm desit gravitas culpę, vel contumacię, qualem culpam, & contumaciam in omni censura requiri superiùs *in §.* 1. explicatum; præsertim verò si causa falsa, vel injusta sit, non tenebitur censuratus ad censurę obligationem, & observationem, ut dictum, & facit textus in *c. cui est 46. causa 11. q. 3.*

106 Sed quid si censuratus revera sit innocens, per falsas tamen probationes, vel vehementes pręsumptiones in judicio convictus sit; vel è contra, si judex in aliquem pronuntiarit censuram propter culpam revera ad eo patratam, da qua tamen legitimis probationibus non est convictus: an his duobus casibus valida censura censebitur?

R. Breviter in *primo* casu valere censuram in foro externo, ut v. g. excommunicatus denunciatus publicè vitari, ad actus judiciales admitti non debeat; quia quamdiu falsitas probationum, & pręsumptionum demonstrari non potest, talis sententia est justa in foro externo, & consequenter etiam instar justę censurę suum effectum habebit. At verò quantum ad forum internum nihil operabitur talis censura, nec privabit censuratum suffragiis Ecclesiæ, nec peccabit ex sua parte, si seposito scandalo cum aliis communicaverit: quia censura, cùm sit pœna, non potest directè obligare innocentes, quatenus inno-
107 centes sunt, sed talis ex supposito in conscientia est innocens, ergo eum censura in conscientia obligare non potest. Et huc rectè accommodatur dictum Pontificis in *c. 1. de Sent. & re judicata in 6. quod æterni tribunal Judicis illum reum non habeat, quem injustè judex condemnat.*

In *secundo* casu pro foro externo invalida est censura: cùm enim ex communi, & recepta DD. sententia in foro externo, maximè ubi de absolutione rei agitur, judex publicam personam agens debeat judicare de publicis actis, & probatis, non ex privato animi motu *c. quamvis 75. causa 11. quæst. 3.* planè deficiet justa censuræ causa in foro externo, & propterea nulla erit censura, si ut supponimus censuratus legitimè convictus non fuerit,

108 Sed & quoad forum internum probabilius videtur, talem censuram esse invalidam: quia cùm censuratio sit actus fori externi, non aliter obligat in conscientia, quàm quatenus in foro externo est validus, & Juri conformis. Videri poterit circa hactenus dicta Paulus Laym. *d. c. 6. sub n.* 2. & Bonac. *de Censuris in communi disp. 1. q. 1. puncto* 13. Hanc tamen postremam conclusionem ulteriùs declarandam puto, ut procedat, si Episcopus quatenus judex ecclesiasticus aliquem propter crimen non legitimè probatum per sententiam particularem censurare vellet; aliud autem si Episcopus, vel summus Pontifex tanquam pastor communis per legem, statutum, vel sententiam generalem ad eradicandum certum aliquod vitium censuram ferat, quæ ipso Jure incur-
109 ratur, tunc enim in foro conscientiæ ea afficietur qui delictum perpetravit, etiamsi in foro externo nequeat probari, licet ut talis in foro externo tanquam censuratus denuntiari valeat etiam legitima probatio procedere debeat, quæ probari possunt ex illis principiis quæ circa obligationem legum pœnalium post sententiam judicis, vel Juris latam *in Lib. 1. tit. de constit.* tradi solent. Item si contra aliquem sint indicia, quòd rem alienam contra Justitiam detineat, de qua in judicio convinci non possit, non prohibetur Episcopus concedere monitoria, sive censuras legitimis monitionibus præmissis, de quibus §. 1. *hujus tit.* dictum, quia talia monitoria non sunt sententiæ condemnatoriæ simpliciter sed tantùm sub conditione, si habuerit contra justitiam, & non restituerit.

Tertia nullitatis causa est, si substantialis processus ju- 110
dicii observatus non sit, & Judex processerit contra aliquem non citatum, & non defensum. Hæc tamen nullitatis causa patitur suas controversias: & in primis non desunt, qui velint, censuram esse quidem injustam, non tamen invalidam, licet nulla citatio, vel monitio præcesserit arg. *c. 1. c. cùm sit Romana 5. in fine de Appell.* ubi dicitur Apostolum aliquem absentem, & irrequisitum excommunicasse. Item arg. *cap. illud 5. de Clerico excommunicato.* ubi videtur approbari excommunicatio etiam non præmissa monitione prolata. Nihilominus communiter inter DD. receptum est, censuram nulla prorsus monitione præmissa regulariter nullam esse, quia censura non infligitur nisi ob contumaciam, contumacia autem non datur sine monitione. Quare non obstat *d. cap. cùm sit Romana*, quia id convenienter verbis textùs explicari potest de eo casu, quo delictum, & contumacia alicujus notoria est, atque monitio parum, vel nihil profutura; & sic dici potest, quòd Apostolus non requisiverit quidem illum excommunicatum per edictum peremptorium, sæpius autem per epistolas suas abstinere à peccatis præmonuerit, Glos. *eod c. cùm sit Romana verbo irrequisitum*. Barb. *in c. sacro 48. h. t. n. 5.* Ad *c. illud de Clerico excommunicato* dici similiter potest, ibi contumaciam fuisse notoriam, quod arguunt illa verba ibidem posita: *cum factum ipsum in partibus illis non possit esse non notorium &c.* Quod si periculum in mora sit, & res longiorem dilationem non patiatur, valebit censura etiam monitione non præmissa, Gloss. *in c. cùm medicinalis 1. in verbo temerarius h. t. in 6.*

Denique etiam dubitatur, an trina monitio, quæ in 111
d. c. sacro h. t. ante censuram requiritur, ita sit de substantia, ut vel una omissa censuram irritam reddat? Sed magis receptum est, censuram esse quidem injustam, sed non invalidam, ut ex textu in *c. Romanas h. t. in 6.* notavit Gloss. *in verbo injusta*. Exceptis duobus casibus, in quibus trina monitio etiam ad valorem censuræ requiritur. I. Si excommunicatio feratur in participantes cum excommunicato, *c. statuimus 3. h. t. in 6.* II. Si causa delegato committatur cum clausula, *ut precedente canonica monitione censuras proferat*. Barb. *in d. c. sacro h. t. n. 5.* Covar. *in sæpe d. c. alma mater h. t. in 6. p. 1. §. 9. n. 7.*

Censura *Juris* etiam aliquando invalida esse potest, si 112
nimirùm deficiat jurisdictio ex parte legem condentis; ut quia Præfatus inferior summo Pontifice vel alienos subditos, vel proprios etiam, extra territorium tamen proprium, per statutum aliquod censura constringere intendit, *c. 2. de Constitut. in 6.* qua de re videatur in *principio §. 2. hujus tit.*

Præterea multæ censuræ Juris tum in antiquis Canonibus, tum in novis Bullis contentæ præsertim in remotis locis extra Italiam usu receptæ non sunt, vel contraria consuetudine abrogatæ, quod inde accidit, vel quia habent materiam, quæ non potest in omnibus Orbis partibus propter diversos nationum mores practicari; vel quia per locorum Ordinarios nunquam sufficientes publicatæ fuerunt: censura autem non publicata non obligat subditos: quia non intelligitur priùs vera eorum contumacia arg. *c. cùm infirmitas 13. ibi: postquam per Prælatos locorum fuerit publicata, & c. de Pœnitent. & remission.* interim nihil obstat, quin talem censuram, quæ ipso Jure infligitur, licet eatenus non observetur; nihilominùs Episcopus, vel Judex Ecclesiasticus ex illa causa, ob quam de Jure dictatur, possit per sententiam infligere.

Illud quoque hic adnotari debet, quòd Episcopi, & Su- 113
periores Prælati nullam censuram Juris incurrant, nisi specialis eorum mentio in Canonibus fiat: idque ne Pontificalis officii executio, & Episcopalis jurisdictio cum damno, vel periculo Ecclesiastici status impediatur *c. quia periculosum 4. h. t. in 6.*

Quòd si censura *hominis*, vel Juris valida sit, abso- 114
lutione opus est censurato. Sciendum proinde, quòd à censura *hominis* principaliter non absolvat alius, quam

ille ipse, qui eam tulit, vel cui is absolvendi potestatem commiserit, & delegarit *c. 3. de Offic. Judic. ordinar. c. ab excommunicata* 41. *& ibi* Gloss. & DD. *de Rescript.* Si mortuus, vel dignitate privatus fuerit, qui censuram tulit non propterea expirat censura, sed jus absolvendi ad successorem devolvitur *c. si Episcopus* 40. *causa* 15. *q.* 3. Et nomine successoris sede vacante in Ecclesia Cathedrali venit Capitulū: quia succedit in jurisdictionem Episcopi *c. un. de Major. & obed. in* 6. In Monasteriis verò, & Collegiatis Ecclesiis absolutio Episcopo, vel alteri ordinario, cui talia loca immediatè subsunt, competit, quia sede vacante in Monasteriis, & Collegiatis Ecclesiis regulariter jurisdictio Prælati defuncti non est penes Conventum, sed ad Ordinarium redit, ab eoque administratores in spiritualibus, & temporalibus constituuntur.

115 In articulo mortis nulla quidem censura reservata est, quin eam quilibet sacerdos etiam de cætero non approbatus ad curam animarum, vel ipsemet censura affectus absolvere valeat. Trid. *Sess.* 14. *de Pæn. c.* 7. *& ibi* Barb. *n.* 13. sed si in articulo mortis constitutus periculum evadat, superiorem censuram ferentem accedere debet, ut pro censura ante illata, & culpa patrata satisfactionem præstet, ab eoque etiam in foro externo absolutionem impetret: nam illa absolutio à privato sacerdote facta tantùm valet pro foro animæ, & non potest Juri Episcopi, & foro externo præjudicare. Alias si talis absolutus in articulo mortis post reconvalescentiam non se præsentarit Episcopo cessante impedimento, ubi commodè poterit reincidet in censuram ipso Jure, *c. eos qui* 22. *h. t. in* 6.

116 Ad superiorem censurantis etiam aliquando pertinet absolutio, adhibita distinctione, an superior habeat cum inferiore concurrentem jurisdictionem, ita ut subditi inferioris, sint etiam subditi superiori, sitque inter eos locus præventioni, vel an habeat jurisdictionem ab inferiore prorsus separatam. Si superior habeat jurisdictionem concurrentem, ut Papa in tota Ecclesia, ejusque Legatus de Latere in Provincia sibi decreta cum omnibus inferioribus Prælatis, Provinciales, & Generales Regularium cum subordinatis eorundem Regularium superioribus, tunc æquè à superiore censurantis, quam ab ipso censurante absolutio peti potest, nisi quod hodie universim circa Legatos Pontificios etiam de latere dictos constituerit Trid. *Sess.* 24. *de Ref. c.* 20. ne quarumque facultatum vigore causas ad forum Ecclesiasticum spectantes in prima instantia Ordinariis locorum præripiant, consequenter rectè inferri potest, absolutionem à censura Episcopi, quæ causæ cognitionem requirit, in prima instantia extra viam appellationis ad Legatum hodie non pertinere, quidquid olim statutum sit *c.* 1. *de Offic. legat.* & in *c. eos qui* 22. *h. t. in* 6. cui per verba Trid. satis derogatum intelligi potest.

117 Si verò superior non habeat concurrentem jurisdictionem cum inferiora sed separatam, quamvis superiorem, sicut Archiepiscopus est quidem Ordinarius suorum suffraganeorum, in subditos autem eorum regulariter immediatam jurisdictionem non habet, *c. pastoralis* 9. *de Officio ordinar. c. venerabilibus* 7. *h. t. in* 6. tunc tantùm per viam appellationis, & postquam ab inferiore obtineri non potest, à superiore absolutio petenda est, eaque appellatio gradatim interponenda, ut v. g. excommunicatus ab Archidiacono in Diœcesi suffraganei, priùs ad ipsum Suffraganeum, & demùm ad Archiepiscopum appellet. Sed si excommunicatus aliquis sit à suffraganeo propter causam, quæ ipsum suffraganeum concernat (prout Episcopus potest aliquem pro suorum jurium defensione censuris afficere, & ita quasi gladio spirituali se & sua tueri *c. delicta* 6. *& d. c. venerabilibus* 7. *h. t. in* 6.) tunc quia Episcopus in propria causa pars est, simpliciter contra eum, apud Archiepiscopum querela deponi, & pro absolutione instari potest *d. c. venerabilibus.* Qualiter autem hoc casu Archiepiscopus ante absolutionem audire debeat suffraganeum, an propter offensam manifestam forte excommunicationem tulerit, vel si offensa sit dubia, qualiter tunc ante processum in causa principali *ad cautelam* absolvendus sit excommunicatus, dictum est superiùs in §. 2. *post versiculum, merè externa communio &c.*

118 In Monasteriis Regularium excommunicati per Abbatem, ab eodem absolutionem obtinere debent; quia Abbas in prima instantia est judex ordinarius suorum Religiosorum per ea, quæ tradidi *de Privilegiis Monasteriorum privilegia* 48. Si verò Abbas absolutionem recusatir, vel injusta excommunicatio dicatur, ad Episcopum appellatio dabitur, qui causam censuræ ab Abbate requiret, de ejusque veritate indagabit, & si injustam cognoverit, relaxabit, si justam, excommunicato satisfactionem, & emendationem injunget, & non aliter, quam ad eam præstandam parato absolutionem impendent. Panorm. *in c. reprehensibilis* 26. *de Appellat. n.* 11.

Inter censuras Juris, quæ per Canones, & Bullas Pontificias, vel statuta particularia, & sententias generales Episcoporum feruntur, differentia constituenda est. Quædam enim ex his sunt reservatæ quædam non. A reservatis ordinariè, & extra articulum mortis, aut specialem commissionem, vel privilegium nemo absolvere potest, nisi author legis, & censuræ, qui sibi eandem censuram reservavit. Trid. *sess.* 14. *de Sacramenta pænitentiæ c.* 7. 119

Hodie ex eodem Concilio *sess.* 24. *de Ref. c.* 6. speciale privilegium acceperunt Episcopi, ut in omnibus censuris, & irregularitatibus occultis summo Pontifici reservatis absolvere, & dispensare valeant. Simile privilegium diversi Religionum Ordines à summo Pontifice per specialia rescripta impertrarunt, & tempore Jubilæi omnibus Confessariis concedi solet.

Verùm advertendum est circa hanc privilegiatam absolutionem, quòd ea regulariter (nisi ex verbis privilegii aliter constare, vel conjici possit de mente privilegiantis) tantùm pro foro conscientiæ, ac saluta animæ ac Divinæ offensæ reconciliatione valeant; non verò in foro externo, & respectu vindictæ ob culpam patratam Reipublicæ debitæ, quin taliter absolutus, & accusari, & puniri possit, atque si de censura ejus in foro externo constet, adhuc quoad effectus fori externi pro censurato habeatur, usque dum absolutionem etiam in illo foro obtineat; ut disertè tradit, & ex Stylo Curiæ Romanæ aliisque rationibus probat Covar. *in c. alma mater h. t. in p.* 1. *§.* 11. *n.* 35. unde in *d. c.* 6. *Trid.* expressè additur illa *clausula*, ut Episcopi à reservatis Pontifici possint absolvere (*in foro Conscientiæ*) quæ verba licet aliqui interpretentur, quòd absolutio debeat fieri in confessione sacramentali, communior tamen schola DD. teste Barb. *in eod. c.* 6. *n.* 47. docet, hunc esse sensum prædictorum verborum: *in foro conscientiæ*, quòd Episcopus quidem possit etiam extra confessionem absolvere à reservatis, sed hæc absolutio non prosit quoad forum externum, ut dictum. Interim si in foro externo accusator non appareat, vel culpa manifesta aut scandalosa non sit, posse judicem fori externi dissimulare cum taliter absoluto in foro conscientiæ, tradit Nav. *cons.* 4. *in fine de Fide instrumentorum.* 120

Porrò censuras summo Pontifici reservatas præter 20. casus contentos in Bulla Cœnæ Domini adhuc ex aliis Canonibus, & Bullis 88. refert, & explicat Barb. *de Offic. Episcopi p.* 4. *alleg.* 5. *n.* 57. quarum plures nos convenienter materiæ, super qua latæ sunt, in aliis tit. adscripsimus. Et hic iterum attendendum erit, ut usus & consuetudo locorum circa receptionem talium censuratum observetur. Ipsam quoque Bullam Cœnæ Domini, quamvis singulis annis in die Cœnæ Domini promulgetur; & renovetur, in multis locis præsertim Germaniæ, & septentrionalibus receptam non esse, & proinde ibi etiam ab hæresi manifesta contra dictam Bullam absolvere consuevisse Episcopos, cum Becano testatur Lay. *de Excommunicatione c.* 5. *sub n.* 2. & Nav. *cons.* 11. *n.* 74. *in summariis.* 121

Sed huic dicto, quod Censuræ Bullæ Cœnæ, & aliæ similes non ubique receptæ sint, obstant duo difficilia: *primum* est, quòd ex stylo Curiæ Romanæ Bullæ omnes Romæ tantùm promulgatæ obligent etiam in aliis orbis partibus, sicut tradit Erasmus à ChoKier. *de Jurisdict. ordin. in exemptos p.* 1. *q.* 50. *n.* 5. *Alterum* est, quod non videatur esse in potestate subditorum, obedientiam summo Pontifici debentium Bullam recipere, vel reiici,

Resp. tamen ad primum, quidquid sit de Bullis aliarum materiarum, speciale esse in censuris, quòd ad earum obligationem requiratur, ut non tantùm Romæ, sed etiam per Prælatos locorum publicentur. *c. cum infirmitas* 13. *de Pænitentiis, & remissionibus.* 122

Ad secundum repeti fortè possunt verba Gratiani in *c. in istis* 3. *dist.* 4. *leges instituuntur, dum promulgantur,* fir-

firmantur, dum moribus utentium approbantur, quamvis enim legibus Pontificiis obediendum sit, tamen etiam contra legem Pontificiam admitti rationabiles causas, & consuetudines, constat ex toto *tit. Decretal. de Consuetudine*.

123 Hoc verò diligenter discernendum est, non posse quidem rationabile esse, ut peccata, quæ v.g. in Bulla Cœnæ Domini damnantur, ut hæresis, violatio immunitatis Ecclesiasticæ, & deprædatio naufragantium, falsificatio Apostolicarum literarum &c. licitè, & impunè committantur: hoc tamen consideratis quorundam locorum circumstantiis posse esse rationabile, quòd ibidem propter talia delicta non incurratur ipso facto censura summo Pontifici reservata: ut quia loca sunt valde remota à summo Pontifice, & difficilis est absolutionis obtentio, & quia homines ibidem sunt proclives ad hæresin, vel schisma, quòd si duriùs censuris constringantur, periculum est, ne facile in contemptum Romani Pontificis, & actualem hæresim prolabantur.

Si quis dubitet de obligatione alicujus censuræ reservatæ, & se in alterutram partem nequeat resolvere, pro tutiori pacificatione conscientiæ confessarium privilegiatum, quales plerique sunt de Ordine Mendicantium, accedere poterit.

124 Quòd si Author Canonis, vel censuræ eandem sibi non reservavit, ejus absolutio Episcopo, vel etiam saltem quoad forum conscientiæ proprio parocho, vel Confessario competit *c. nuper 29. vers. in secundo casu h.t.* & censuris Juris quoad absolutionem inferioribus Sacerdotibus competentem annumerari possunt censuræ, quæ per generales sententias Episcoporum feruntur, v.g. si Episcopus edictum faciat, ut quisquis furtum sacrilegum commiserit, excommunicatus sit: quia tales censuræ potiùs rationem statuti, quàm particularis sententiæ Iudicis habent, præsertim cùm quoad obligationem semper benignior interpretatio facienda sit Navar. *in Manuali cap. 27. n. 44.* & Gov. *in d. c. alma mater p. 1. §. 12. n. 4.*

De Censura reservata ob percussionem Clerici.

125 INter censuras reservatas nulla ferè magis recepta est, & ab hominibus cognita, quàm ista, quæ ob percussionem Clerici incurritur, & habetur in Canone Concilii Lateranensis, *si quis suadente causa 14. q. 4.* (unde, & privilegium *Canonis* dicitur) cujus verba hæc sunt: *Si quis suadente Diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, Anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum absolvere præsumat (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

126 Notandum igitur I. Quòd nomine Clericorum, quorum percussio sub censura prohibita est, veniant inprimis Clericis in sacris Ordinibus constituti, etiam excommunicati, suspensi, verbaliter depositi, vel irregulares, dummodò non sint actualiter degradati, vel dimisso habitu, vel tonsura negotiis sæcularibus se immiscentes, & ab Episcopo suo tertiò moniti non emendarint *cap. in audientia 25. &* c. *contingit 45. h. t.* imò etiam trina monitio Episcopi non requiritur, si Clericus se enormitatibus immisceat, & dicitur se immiscere enormitatibus, si bella, & seditiones in populo commoveat. *c. cùm non ab homine 14. & c. perpendimus 23. h. t.* Item excusatur à censura, qui manus violentas injecerant in Clericum, cum matre, sorore, aut filia turpiter inventum, quod DD. non tantùm de ipso actu carnali, sed etiam de amplexibus turpibus, & conversationibus in locis suspectis communiter interpretantur: modò non ex dolo, & collusione Clericus ad dictas personas invitatus fuisset, ut deprehensus ibidem vapularet; neque etiam evitatur censura, si Clericus cum aliis personis extraneis, vel remotioribus in gradu præter nominatos deprehensus percussus fuerit *c. si verò 3. & ibi* Barb. *n. 7. & 8. hoc tit.* Navar. *in Manuali c. 27. & 84.*

127 Notand. II Quòd clerici etiam in prima tonsura, vel minoribus existentes gaudeant hoc privilegio Canonis non tamen omnes, sed illi, qui habent conditiones requisitas à Concil. Trid. *sess. 23. de Refor. in cap. 6.* qui nimirùm, vel beneficium Ecclesiasticum possident, vel habitum, & tonsuram clericalem deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviunt, vel in seminario clericorum, aut in aliqua Schola, Universitate de licentia Episcopi quasi in via ad majores ordines suscipiendos versantur.

Licèt verò Concilium *d. l.* non loquatur in specie de privilegio *Canonis*, sed *fori* tantum, nihilominus à privilegio fori ad privilegium Canonis, tanquam à majore ad minus bona est argumentatio, & si ob defectum præmissarum conditionum non habet clericus privilegium *fori*, quod Jure divino est datum *c. quamquam. de Censibus. in 6.* multò minùs habebit privilegium *Canonis*, quod Jure tantùm humano (respectu censuræ reservatæ) est concessum. Non autem vice versa ab amissione privilegii Canonis ad privilegium fori rectè infer ut: cùm hoc tanquam Jure Divino competens difficiliùs amittatur. Unde etiam clericum enormitatibus se immiscentem non perdere fori privilegium, & proinde captum ad Judicem Ecclesiasticum remmittendum esse, cum communi docet Panorm. *in c. 1. de Apostatis*, & Barb. *in d. c. perpendimus n. 2.*

Clerici quoque conjugati si cum unica, & virgine contraxerint, & insuper habitum, & tonsuram deferant, ac de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inserviunt, Canonis, & fori privilegium habent. *c. un. de Clericis conjung. in 6.* juncto Trid. *d. c. 6.* si verò bigami fuerint aut viduas vel corruptas duxerint, perdunt clericale privilegium, & prohibetur eis, ne ulterius clericalem habitum portent. *c. un. de Bigamis in 6.* 128

Notandum III. Quòd nomine Monachorum, quibus similiter ut Clericis privilegium Canonis indulgetur veniant quoruncunque Ordinum approbatorum Regulares, & non tantùm viri in ordinibus constituti, sed etiam conversi Laici, & Moniales; imò Novitii ac Novitiæ, quàmdiu habitum Religionis gestant, *c. non dubium 5. cap. de monialibus 33. h. t. & c. religioso 21. eodem in 6.* De Eremitis aliisque similibus, qui Monachalem vitam imitantur, sed non emittunt tria vota substantialia, nec vivunt in Religione à Sede Apostolica approbata, distingui solet, an sint sub obedientia alicuius Prælati, vel Episcopi, & recepti in forum, & jurisdictionem Ecclesiasticam, tanquam personæ Ecclesiasticæ, vel utrum suo arbitrio talem vivendi normam teneant? priori casu erit eis privilegium *Canonis* concedendum, non autem posteriori cum Navar. *in dict. c. 27. n. 29.* & Silvestro, & Zerola *in Praxi Episcop. Eremita*. 129

Notandum IV. Quòd verbum, *si quis* in Citato Canone positum, sicut & regulariter in aliis materiis utriusque sexus homines comprehendat. *l. 1. ff. de Verbor. significat.* modò sint doli, & censuræ capaces, id est, non amentes, non infantes &c. Mulieres tamen, & illi, qui delictum percussionis in impubertate commiserunt, atque alii, qui sui Juris non sunt, ab Episcopo Diœcesano à censura hujus Canonis absolvi possunt. *c. mulieres 6. & c. ult. hoc tit.* Ipsi quoque clerici Monachi, vel Moniales 130
se invicem percutientes incidunt in eandem canonicam 131
censuram, cujus tamen absolutio in ipso jure quandoque est inferioribus Prælatis reservata: nam clerici, si in communi, & simul vivant, v. g. in Ecclesia collegiata, ac se invicem percutiant, absolvi possunt ab Episcopo, nisi percussio fuerit valdè enormis, *c. quoniam 9. de Vita, & honestate Clericorum*. Quamvis autem Gloss. *ibid. in V. qui simul vivunt*, hunc textum interpretetur de Regularibus; nihilominus de clericis sæcularibus probabiliùs intelligendus est: tum quòd ponatur sub Rubr. *de Vita, & honestate Clericorum*, & in dubio *textus* recipiat interpretationem ex *Rubrica*: tum etiam quòd in princ. illius *c. quoniam*. expressè Pontifex loquatur de clericis, qualiter eos possint Episcopi ad communem vitam, & cohabitationem disponere. Regulares invicem percutientes, vel qui ante Religionis ingressum ob percussionem clerici, vel Monachi in Canonem inciderunt, absolvuntur ab Abbate seu Prælato sui Ordinis, & Monasterii, nisi valdè enormis fuerit excessus, & ad mutilationem membri seu sanguinis profusionem (intellige ex gravi vulnere,

non naribus, vel exigua cutis læsione) sit deventum, aut in Episcopum, vel Abbatem violenta manus injecta, quibus casibus absolutio est summo Pontifici reservata *cap. cum illorum 32. c. Canonica 50. h.t.* Solent tamen pleriq;
132 Religionum Prelati specialia privilegia à summo Pontifice impetrare, ut etiam à percussione enormi absolvere valeant. Si Regularis aliquis clericum sæcularem percusserit, ab Episcopo absolvitur; si non fuerit enormis percussio, *c. religiose 21. & ibi Gloss. in eo V. causa h.t. in 6.* alias à summo Pontifice, si fuerit enormis percussio nec Abbas speciali privilegio munitus sit, *d. c. cum illorum*. Si Regularis unius monasterii percusserit Regularem alterius monasterii per utriusque Monasterii Prælatum absolutio danda est, *d. c. cum illorum vers. si verò claustralis*. Quòd ita interpretatur Mol. *de Jure, & Just. tract. 3. disp. 60, nu. 5.* ut absolutio, & executio pœnæ fiat per Prælatum rei percutientis tanquam per ordinarium Judicem cum consensu tamen, & præscientia Prælati offensi tanquam actoris persequentia injuriam sui Religiosi, nisi iste Prælatus actor maluerit totum negotium alteri Prælato committere.

Quòd si in imponenda pœna hi duo Prælati dissentiant, tertium aliquem arbitrum assumendum censet Mol. *cit. l.* Moniales sive se invicem sive alios clericos percusserint ab Episcopo, in cujus diœcesi Monasteria sita sunt, absolvuntur, quia non expedit eis, ut pro absolutione evagentur, *d. c. de Monialibus 33. h.t.*

133 Notandum V. Quòd illa verba Canonis *suadente Diabolo*, significent gravem injuriam, & in ratione sacrilegii mortale peccatum, ita tamen ut hæc duo concurrant, scilicet animi interna affectio, & intentio, qua aliquis clerico graviter nocere cupit; & externus effectus, seu ipsa gravis læsio actu patrata: quare si quis v. g. habuerit intentionem ex occultu lapide, vel jaculo graviter feriendi clericum, sed aberraverit, vel quacunque causa impeditus non fecerit, peccavit quidem propter hunc malignum affectum coram Deo mortaliter, excommunicationem tamen non incurrit. Nav. *d. c. 27. n. 87.* tum quòd sola cogitatio mentis non puniatur per humanas leges, *cap. cogitationis 14. de Pœnitentia dist. 1.* tum quod præsertim in legibus pœnalibus verba accipienda sint cum effectu *c. cum semper 23. de Officio delegati*, & etiam de communi praxi criminali non soleat ordinaria pœna legis puniri conatus ad delictum, nisi effectus secutus sit.

E contrario si quidem externa læsio gravis fuerit non autem ex dolo, vel intentione, sed casu, vel culpa patrata ut si quidem per injuriam domo quid ejectum transeunti clerico nocuerit, etiam non incurretur censura: quia censura non incurritur, nisi ob peccatum mortale Læsio autem externa non est peccatum mortale, si animus lædendi non adfuerit. Licet verò aliquando ex læsione non mortali sequi possit peccatum mortale, si nimirùm graviter lædens obligatus ad restitutionem damni ex leg. aquil. eam cum potuit, non fecerit, censura tamen propter omissionem restitutionis non reperitur in Canonibus statuta.

134 Sed quid si Clericus ultro in sui percussionem consentiat? fortè secutus illud consilium Evangelicum. *Matt. 5. vers. 39. si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi, & alteram*, aut volens satisfacere pro offensa alteri illata ultro se offerat ad verbera, an tali casu percutiens incurret censuram; ex speciali ratione dubitandi, quòd *volenti non fit injuria*, neque dolus: sine injuria autem, & dolo facta percussio non habeat censuram, ut dictum.

Nihilominus etiam hoc casu percutientem affici excommunicatione clarè decisum est *in c. contingit 36. h.t.* quamvis enim huic clerico volenti, & offerenti se ad verbera in particulari non fiat injuria, fit tamen injuria Ordini Clericali, cui ipse per privatum suum consensum derogare non potest, Aliud foret si ex joco percutiatur clericus, vel dum in die parasceves personam Christi agit; quia in tali percussione abest animus injuriandi, & actio ipsa externa non est injuriosa Ordini Clericali, Imò tametsi percutiens haberet privatam vindictæ cupiditatem, peccaret quidem, probabiliter tamen à censura excusaretur; quia actio externa, cui soli censura infligitur, in morali hominum acceptione non est statui clericali injuriosa.

Notandum VI. quòd per violentam manuum injectionem in clericum non tantùm intelligatur percus- 135 sio, sed quælibet injuriosa afflictio corporalis, ut si in publica, vel privata custodia detineatur: si per violentiam vestibus aut rebus suis exuatur; si quis eum hostiliter insequatur, ut in fluvium, vel fossam cum equo decidat, &c. *cap. nuper 29. & ibi DD. h.t.* Præterea expresè in Jure decisum est, quod non tantùm ipsi percussores clericorum, sed & mandantes, consulentes (si percussio actu secuta sit) consentientes, non impedientes (saltem si ex officio impedire tenebantur) item percussionem suo nomine factam ratam habentes excommunicationem incurrant, *c. mulieres 6. §. illi verò c. quanta 47. h.t. c. cum quis 23. eod. in 6.*

Notandum VII. quòd aliquæ violentæ manuum inje- 136 ctiones in clericum à censura excommunicationis excusentur. Ut *primò* per ignorantiam tolerabilem, id est, non crassam, vel affectatam Juris, vel facti. Juris quidem, si quis invincibiliter ignoret censuram excommunicationis ob clerici percussionem esse statutam, juxta quæ *in §. 1. hujus tit.* tradidimus. Facti autem, si quis ignoret eum, quem percutit, esse clericum, eamque ignorantiam, si in foro externo res agatur, & dubitetur, juramento paratus sit probare, *c. si vero 4. h.t.* Si quis volens percutere Titium clericum, forsan noctu percutiat Sempronium clericum, quem novit ex incessu esse clericum putat tamen esse Titium, perinde incidet in excommunicationem, ac si Titium percussisset: quia ipsius intentio fuit clericum percutere, quem etiam agnoscendo clericum deliberatè percussit, quamvis in persona erraverit, quo confert textus in *l. eum qui nocentem 18. §. si injuria ff. de injuriis* ubi Juris Cons. ait: *si injuria mihi fiat ab eo, cui sum ignotus, aut si quis putet me esse Lucium, cum sim Caius, prævalet, quod principale est. injuriam mihi facere velle, & ideo injuriarum habeo actionem* Cov. *in d. cap. alma mater p. 1. §. 10. n. 15.* Secus dicendum, si quis volens manum aut lapidem injicere in Titium clericum, ab eo erraverit, & casu tetigerit Cajum clericum: quia in hoc casu intentio nocendi fuit respectu Titii, sed effectus non est secutus, respectu autem Caji effectus quidem est secutus, sed deliberata intentio defuit, at verò in priori casu ponimus fuisse deliberatam intentionem percutiendi clericum Sempronium, licet fuerit pro alio habitus, ut consideranti patebit.

Secunda excusatio est, si violentia inferatur clerico in- 137 corrigibili post tertiam monitionem Episcopi, enormitatibus se immiscenti, ut superiùs sub *numer. 1.* dictum est.

Tertia, si percussio clerici necessaria sit ad defensionem corporis, bonorum, vel pudicitiæ in persona propria vel proximi moderamine inculpatæ tutelæ, *c. si verò 3. & c. ex tenore 10. h.t.*

Quarta excusatio est attenuatio culpæ ex circumstan- 138 tiis, si nimirùm ex subitanea ira, passione, sine sufficiente deliberatione percussio facta sit, qualis in necessaria defensione sui, vel rerum suarum cum aliquali excessu moderaminis inculpatæ tutelæ facilè contingere potest, vel ita levis sit percussio, ut arbitrio prudentis viri, & juxta moralem hominum acceptionem ad peccatum mortale non pertingat, ubi autem est excusatio à mortali, est etiam excusatio à censura.

Quintè excusatur Magister, vel Preceptor, qui discipli- 139 næ causa moderatè castigarit discipulum clericum *c. 1. ex tenore 10. c. cum voluntate 54. hoc tit.* Item etiam patres vel propinqui, qui juxta *l. si filius 3. C. de Patria potestate, & l. un. C. de Emendatione propinquorum*, correctionis causa moderatè clericis de sua familia verbera intulerint, *d. c. cum voluntate in fine*, qua tamen in re hæc interpretatio est adhibenda, ut si Magister, præceptor, vel pater, vel propinquus sit Laicus, tantùm jus habeant corrigendi, & puniendi clericos in minoribus constitutos, non autem in sacris, & majoribus ordinibus, sicut satis apertè colligitur ex *d. c. cum voluntate*; & docet Gloss. & Panorm. *ibidem*, atque communem sententiam testatur Mol. *de Just. & Jure tom. 1. tract. 2. disp. 128. & tract. 3. disp. 56. num. 6.* Ratio est, quòd haud dubiè indecorum sit statui clericali, & plurimùm vilescat clericalis reverentia, si Laicis potestas corrigendi per verbera in clericos in sacris constitutos concedatur.

Non

Non obstat, quod SS. Ordines Clericales non exi-
140 mant filium à patria potestate, excepta Episcopali dignitate *l. sacrosancta 34. auth. sed Episcopali C. de Episcopis, & Clericis*, consequenter adhuc saltem patri jus castigandi filium Clericum remaneat: Nam Resp. filium eximi à patria potestate, in quantum præjudicat statui Clericali: & si quoad bona sua post Clericatum acquisita (secus est de bonis ante Clericatum acquisitis, quæ manent sub patria potestate) eximitur filiusfamilias Clericus à patria potestate, ut hæc bona jure quasi castrensis peculii censeantur, & patri in illis nihil juris competat, sed filiusfamilias tanquam emancipatus liberam habet disponendi facultatem *d. l. sacrosancta cum auth. Presbyteras C. de Episcopis, & Clericis*, ergo multò magis eximetur quoad suam personam, in quantum id exigit honestas status Clericalis.

141 *Sextò* etiam excusatur Prælatus Ecclesiasticus, si correctionis causa, & ratione officii, vel jurisdictionis Clericum, vel Monachum juxta gravitatem culpæ castigatione corporali affecerit *d. c. ex tenore, & c. cum voluntate*, si modo id faciat per se, vel per alium Clericum aut Monachum. Si verò per Laicum fecerit, tam Prælatus mandans, quam Laicus mandatum exequens censuram incurrit *c. universitatis 24 hoc tit.* Qui textus etsi de solis Prælatis religiosis loquatur, eum tamen communiter de omnibus Prælatis Ecclesiasticis intelligi, tradit Barbos. *ibidem num. 3*, ubi etiam cum aliis DD. addit, quòd si necessitas urgeat, & si Clericus, vel Monachus aliter quàm per Laicos à facinore compesci, vel capi non possit, aut consuetudo sit, ut Ecclesiastici per Laicos incarcerentur, vel in enormibus delictis ligentur, & torqueantur, &c. nullam incurri censuram, & probat textus *in c. ut famæ 35. vers. laici h. t.*

142 *Septimò* demum etiam ebrietas aliquando excusare potest, si sufficientem rationis usum adimat, tametsi aliquis voluntariè se inebriaverit: quia licet peccaverit ita se inebriando, non tamen peccavit percutiendo ex defectu scilicet rationis, censura autem non pro peccato ebrietatis, sed pro peccato percussionis statuta est, nisi aliquis jam priùs habuisset deliberatam intentionem percutiendi Clericum, & studio se inebriaverit, ut contra excommunicationem prætendere posset, vel ad facinus audacior redderetur, tunc enim non tantùm ebrietatem sed etiam percussionem voluntarie admisisset.

143 Notandum VIII. quòd præter summum Pontificem à censura excommunicationis absolvere possit Legatus *de Latere*, & quidem omnes undecunque advenientes: Legatus autem *missus*, sive *Nuntius Apostolicus* tantùm eos, qui sunt in Provincia suæ legationis: Legatus verò *natus* non plus juris habeat circa absolutionem, quàm alius Ordinarius, *c. excommunicatis 9. c. quod translationem 4. de Offic. Legati*.

144 Notandum IX. quòd etiam quibusdam casibus Episcopo absolutio concedatur: & I. si percutiens sit mulier, vel monialis, *c. mulieres 6. c. de Monialibus 33. h. t.* II. si sit impubes, quamvis post pubertatem primùm petat absolvi *c. ult. h. t.* III. si Clerici in communi viventes se invicem percusserint *c. quoniam 9. de Vita, & honestate Clericorum*, secus si alii Clerici separatim viventes se invicem percusserint, nisi percussio fuerit levis, *c. 1. h. t.* IV. si Religiosus percusserit Clericum sæcularem *capit. Religioso 21. hoc tit. in 6.* V. si quis habeat impedimentum rationabile, ex quo ad summum Pontificem, vel ejus Legatum accedere nequeat; sed hoc casu, si impedimentum sit perpetuum, simpliciter absolvitur ab Episcopo præstita cautione *de satisfaciendo mandatis Ecclesiæ, & parti læsæ*; si verò impedimentum sit temporale, insuper cautio exigenda est, quòd absolutus, quam primùm potuerit, sedi Apostolicæ se præsentare velit, ut ejus mandatum de satisfaciendo Ecclesiæ læsæ suscipiat, quòd si neglexerit
145 cessante impedimento se præsentare, in censuram reincidet ipso Jure *c. de cætero 11. c. ea noscitur 13. c. quamvis 58. h. t. c. eos, qui 22. eod. in 6.* VI. potentes Domini etiam absolvuntur ab Episcopo, debet tamen Pontifex priùs de statu ipsorum informari *c. muliere 6. h. t.* VII. si percussio sit levis *c. pervenit 17. h. t.* Est autem hic notandum,
146 quòd percussio quadrupliciter dividatur. *Prima* est *levissima*, & venialis, quæ non habet censuram. *Secunda* est mortalis quidem, sed comparatione aliarum *levis*. *Tertia* est *gravis* sive mediocris, à qua Episcopus tantùm absolvit Clericos simul viventes, vel Religiosos percutientes Clericos. *Quarta gravissima* sive *enormis*, à qua regulariter non absolvit Episcopus, nisi mulieres, moniales, impuberes, non sui juris, vel impedimento laborantes. Quænam autem dicatur in singulis factis percussio levis, mediocris, vel enormis, relinquitur arbitrio Episcopi, qui circumstantias facti, scilicet læsionem, locum, tempus, 147
modum, personam tam læsi, quàm lædentis diligenter considerabit, ita tamen ut in dubio potiùs judicet percussionem esse gravem, & ab ea se absolvere non posse, quàm ut declarando levem, occasionem præbeat lædendi statum Ecclesiasticum, sicut habetur in quadam *extrav.* quam in terminis refert Nav. *in Manuali cap. 27. n. 92.* & Mol. *tom. 1. tract. 3. disp. 27. n. 1.*

Notandum *ultimò*, quamvis Mol. *d. tr. 3. disp. 59.* affe- 148
rat, quod inferioribus Prælatis (exceptis Abbatibus respectu suorum Religiosorum, de quibus superiùs sub *notabili 4.* dictum) qui Episcopi non sunt, etsi Episcopalem jurisdictionem habeant, sicut Capitulum Cathedralis Ecclesiæ sede vacante, non competat jus absolvendi in casibus, quibus posset Episcopus absolvere, eò quòd Canones tantùm Episcopis hoc privilegium concedant: contrarium tamen magis videtur Juri consentaneum, sicut de Capitulo sede vacante textus est satis clarus *in cap. unic. de Majoritate, & obedientia in 6.* ubi generaliter conceditur, ut à censuris, sive Juris, sive *hominis*, à quibus posset Episcopus absolvere, id etiam possit Capitulum sede vacante, & de superioribus Conventualibus Religionum exemptarum, & aliis Prælatis jurisdictionem *quasi Episcopalem* habentibus, quòd absolvere possint in quibus possent Episcopi, docent complures apud Barb. *ad Concilium Trid. Sess. 24. de Ref. c. 9. sub n. 7. & 8.* cum enim privilegia juris favorem animæ concernentia latè sint interpretanda, & hic tantùm de jurisdictione, non de ordine Episcopali agatur, nihil interest, an quis Episcopus sit, vel Episcopalem jurisdictionem habeat. In Germania, & aliis partibus septentrionalibus, unde
difficilis est accessus ad Papam, solent quidam Episcopi 149
& regularium Ordinum Confessarii specialia privilegia impetrare, ut etiam à gravi percussione Clerici absolvere possint saltem in foro conscientiæ, & si alicubi consuetudo sit, ut talis absolutio etiam pro foro externo acceptetur, tolerari poterit: nam quòd absolutus coram Deo adhuc in foro externo quoad judicialia, & alia similia pro excommunicato habeatur, Jure tantum humano statutum est, & consequenter contraria consuetudine immutari potest.

TITULUS XL.

De Verborum Significatione.

SUMMARIA.

1 *Verba alicujus dispositionis in propria significatione sunt accipienda.*
2 *Verba intelligenda sunt cum effectu.*
3 *In verbis potissimùm attendi debet mens, & intentio disponentium.*
4 *In contractibus fit interpretatio contra eum, qui legem potuit apertiùs dicere, servata tamen æquitate.*
5 *Verba sunt semper intelligenda secundùm subjectam materiam, & naturam actus.*
6 *Auctores, qui de Verb. significatione scripserunt.*

CUm in Jure, & hominum dispositionibus sæpe dubitari possit de *significatione verborum*, ut in *Digestis* Juris Civilis specialis de hoc Titulus ad finem subnectitur, ita similiter Compilator Decretal. in fine operis hunc tit. subjecit. Quia verò *significatio verborum* per totum Jus diffusa passim in propriis materiis, & locis tradita est, & omnes verborum Juris significationes

hic repetere nimis longum foret, hinc omissis aliis breviter tantùm quasdam Regulas circa verborum intelligentiam, & interpretationem, quæ circa actus, & dispositiones hominum occurrunt, afferemus: nam de *interpretatione Legum* jam diximus in *t. de Constit. §. 4. nu. 74. & seqq.*

I. Igitur verba cujuscumque dispositionis sunt *in propria significatione*, & *secundum communem usum hominum* accipienda *l. non aliter 69. ff. de Leg. 3.* idque etiamsi materia sit strictæ interpretationis, ac præjudicialis alteri, Joann. Hent. *hoc tit. num. 1.* nisi fortè aliter constet de mente disponentium, quam tamen allegans debet probare Gloss. *in d. l. non aliter verb. testatorem.* Item si ex verbis sequeretur aliquid absurdum, vel dispositio redderetur inutilis, tunc verba potiùs sunt improprianda, quàm ut dispositio pereat, *c. Abbati 25. h. t.* Honor *l. c. n. 2.* Hinc

2 II. Verba intelligenda sunt *cum effectu*, ita ut aliquid operentur, nec sint superflua *l. 1. §. hac autem verba ff. Quod quisque Juris, & s. l. 3. in princ. ff. de Jurejur. c. relatum 4. de Clericis non resident.*

3 III. In verbis potissimùm attendi debet mens disponentium: quia *verba intentioni, & non intentio verbis debet deservire c. secundò requiris 41. de Appellat. c. intelligentia 6. h. t.*

4 IV. In contractibus, si verba sint ambigua, interpretatio fit *contra eum, qui legem potuit apertiùs dicere, cap. contra eum 57. de R. I. in 6.* Ita tamen, ut quantùm fieri potest, servetur æqualitas inter contrahentes *l. penult. C. Communi dividundo*, & ut ratio *æquitatis* habeatur *l. si id quod 7. ad fin. ff. de Rescind. vendit. l. placuit 8. Cod. de Iudic.*

5 Denique semper verba sunt intelligenda secundùm *subjectam materiam*, & *naturam actus*, vel contractus *l. 25. §. si una 4. & ibi* Barth. *ff. Locati.* Plura de interpretatione verborum videri possunt apud Barb. *in Tract. Varior. axiom. 222.*

6 Et circa hanc materiam de *Verborum significatione* ex instituto scripserunt Albericus de Rosate *in Dictionar. Juris* Aug. Barbos. *in tract. de Appellativis Juris, & dictionibus usu frequentior.* Item Lexicon Juris præter alios *in præfat. ibidem* ab Hermanno Vultejo relatos edidit Joannes Calvinus: Denique *Thesauros Juris* addiderunt Christoph. Besoldus, Arnoldus Reygerus, & alii.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

SUMMARIA.

1 *Auctores de Regulis Juris scribentes.*
2 *Utilitas Regularum Juris.*
3 *Non ex Regulis Jus, sed ex Jure Regula desumpta est.*

SIcut *Digesta* Juris Civilis, ita pariter *Decretales* hoc tit. *de Regulis Juris* clauduntur: in quo variæ regulæ toto Jure aliàs sparsæ velut in unum fasciculum collectæ ob oculos ponuntur, specialiter autem in *Lib. 6. decretal.* Bonifacius VIII. 88. *Regulas Juris* recenset.

Verùm quia istarum exactior declaratio longiorem
tractatum requireret, & pleraque ex jam superiùs dictis
forent repetenda, lectorem ad illos auctores, qui ex in-
stituto in *dictas Regulas Juris in 6.* commentati sunt, re-
mitto. Inter quos sunt Dynus, Petrus PecKius, Henri- 1
cus Canis. *in summa juris Canonici* Barb. *in Collect. ad lib.*
6. Decretal. & alii.

Illud tamen moneo circa *Regula Juris*, quamvis utile 2
sit eas in Corpore Juris relegere, & quantum fieri pote-
rit, eas memoriæ mandare, cum valeant pro confirma-
tione dictorum, & in casibus in Jure non decisis inde ar-
gumentum desumi possit, atque in dubio potior sit causa
ejus, pro quo Regula facit, donec adversarius aliud Jus
in contrarium ostendat, ut inquit Gloss. fin. *ad rub. de R. I.*
valde tamen decipi eos, qui putant, se totum Jus ex istis
Regulis intelligere: cum illæ materiæ, quas istæ *Regulæ*
summatissimè perstringunt, habeant maximam amplitu-
dinem, & infinitæ propemodum sint circa has Regulas
exceptiones. Unde meritò Juris Consultus in *l. 1. ff. de R.* 3
I. dixerit, *non ex Regulis Jus, sed ex Jure Regulam esse de-*
sumptam: quasi diceret: fundamenta Juris ex aliis titulis
prius addiscenda, & deinde primum per Regulas Juris in
memoriam revocanda. Sufficiant igitur hactenus à nobis
tradita fundamenta, ut exinde, & Canones, & alii Ca-
nonum Interpretes satis intelligi possint; labores verò no-
stri in toto hoc *Collegio Canonico* ad DEI Ter-Optimi
Maximi, DEI paræq; Virginis, Omniumq; Cælitum hono-
rem, & gloriam, ac Proximi utilitatem impensi sunto.

FINIS LIBRI QUINTI.

DECRETALIUM.

TRA-



TRACTATUS DE PRIVILEGIIS ET JURIBUS MONASTERIORUM

Ex Jure Communi deductus.

PRÆFATIO.

De Origine, Instituto, & fructu Monasteriorum, unde tot Privilegia, & favores merantur.



Ector benevole, exhibeo tibi *Privilegia Monasteriorum*, non quidem ea, quę singulis in particulati hinc inde specialiter à Pontificibus, vel Imperaroribus concessa sunt, de quibus mihi sufficienter non constat, sed ea tantùm, que *ex Jure communi* pro favore omnium deduci possunt.

Puto laborem profuturum non tantùm Monasteriis, sed etiam Judicibus, Advocatis, Studiosis, & reliquis omnibus tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, quibus aliquando cum Monasteriis circa contractus, hæreditates, aliasve prætensiones negotium esse poterit. Ut verò faciliùs in nostram sententiam traharis, & hæc *Privilegia* jure optimo in Monasteria collata non dubites, hanc brevem dissertationem, *De origine, instituto, & fructu Monasteriorum* præmittere volui.

Engel de Privil Monast.

In Exordio nascentis Ecclesiæ, cum ferveret *Chari-* 1
tas, quæ diffusa erat in fidelium cordibus per Spiritum Sanctum, *omnium credentium erat Cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, qua possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, erantque quotidie unanimes in oratione, communicatione, & fractione panis, ut *Act. 4. c. & passim* legitur. Postquam verò dilatata est Ecclesia, & ex persecutionibus Gentilium dispersa, & dissipata, sensim etiam *abundare capite iniquitas, & refrigescere charitas multorum*, tunc sancta illa, & generalis fidelium communio cessavit, & tantùm penes paucos per Religiosorum Ordinum Fundatores, & institutores conservata fuit.

Ita enim jam S. Marcus Evang. in Alexandria, & Cle- 2
tus secundus post Petrum Romanus Papa Monasteria, & Cęnobia instituerunt. Quos deinde Anno salutis 369. (pluribus enim antea annis ob gravissimas Ecclesiæ persecutiones hinc inde tantùm in speluncis, & eramis pii fideles, & Monachi delitescebant) *S. Basilius* in Ecclesia *Orientali*, & *S. P. Benedictus* circa annum 500. adeoque ante undecim sæcula scil. *mille ducentos* prope annos in Ecclesia *Occidentali*, & succedentibus sæculis alii, & alii sancti Viri imitati sunt. De quibus prolixe agit Barb. *Jure Eccles. univ. lib. 2. c. 41.*

Licet verò diversi sint Religionum Ordines, unus ta- 3
men omnium est scopus, & finis *totum sese addicere ad servitium, & cultum Divinum, & tendere ad perfectionem vita Christiana*, scilicet *declinare à malo, & facere bonum* Psal. 36. vel. ut ait Apostolus, *Renovari spiritu mentis, & induere novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. Ad Ephes. 4. & ad Coloss. 3. 9.* vel ut Zanch. *in Cant.* dicit, *Servire Domino in sanctitate, & justitia omnibus diebus vita.*

Expediebat autem, diversos instituere in Ecclesia 4
Ordines, quia propter diversas Nationes, humores, & naturas hominum, aliqui *perfectionem* facilius in hoc quam in illo assequuntur, dum forsan hujus rigorem, vel illius laxitatem sine corporis, aut animæ periculo ferre non possunt. *Unusquisque sicut vocavit Deus, ita ambulet*, 1. *ad Corint.* 7.

Portò vitam Monasticam miris elogiis SS. Patres 5
exornarunt. *Hac Angelorum militia est*, inquir S. Ambrosius *Epist. 26. semper esse in Dei laudibus. Orationibus*

crebris conciliare atque orare Dominum ſtudent, lectione vel occupationibus continuis mentem occupant, ſeparati à cœtu mulierum ſibi invicem vitam præſtant, & cuſtodiã. Qualis hæc vita, in qua nihil ſit quod timeas, & quod imiteris plurimum? Nonne Monaſteriis (pergit Laur. Juſtin. *in opuſc. de Monaſtic. Conver. c.18.*) *frequentiſſima devotionis lacryma, compunctionis gemitus, ſuſpiria pietatis, compaſſionis, & charitatis ad Deũ inceſſanter effunduntur vota? ſanè quod Religionis, quod ſanctitatis, quod unitatis quod in eiſdem agitur laudis, glorificat Deũ, lætificat Angelos, prodeſt juſtis, terret Dæmones, patrocinatur ſæculo, & peccatores ad pœnitentiam flectit. O ſacer ſtatus Religioſi famulatus,* addit Joan. Gerſon. de imit. Chriſti lib.3.c.11. *qui hominem Angelis reddit æqualem. Deo placabilem, dæmonibus terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem.*

Imò jam in *veteri Teſtamento* de ſtatu Religioſo non obſcura præconia Spiritus Sanctus tradidit. Ita enim Moyſis morituri prophetica benedictio *Deut. 33.* ſuper Tribum *Levi* (quæ fuit ſpecialiter addicta ad ſervitium divinum) optimè Religioſis, *& ſervis Dei novi Teſtamenti* accomodari poteſt: *Perfectio tua,* ajebat, *& Doctrina tua viro ſancto tuo, quem probaſti in tentatione, & judicaſti ad aquas contradictionis, qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis ignoro vos, & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt, Judicia tua O Jacob, & legem tuam O Iſrael, ponent thymiama in furore tuo, & holocauſtum ſuper altare tuum. Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum illius ſuſcipere, percute dorſa inimicorum ejus, & qui oderunt eum non conſurgant.* ita D. Baſilius illum verſum Pſal. 131. *ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum* &c. de vita Religioſorum in commune viventium intelligit. Ita S. Bernardus *cant. 4.* id quod Spiritus S. ad Sponſam Eccleſiam dicit, *Dentes tui ſicut grex tonſurarum,* de Religioſis pulcherimè interpretatur.

6 Concilium quoque Tridentinum *ſeſſ. 25. de Regular. c. 1.* in hæc verba commendat Monaſticum Inſtitutum: *Non ignorat ſancta Synodus, quantum ex Monaſteriis piè inſtitutis, & rectè adminiſtratis in Eccleſia Dei ſplendoris atque utilitatis oriatur.* *Splendoris* quidem ex cultu divino, & vitæ ſanctimonia ac repræſentatione primævæ innocentiæ, *Utilitatis* autem ex continuis precibus, ex converſione peccatorum, ex multorum ingeniorum, quæ alias in plebeo pulvere deliteſcerent, aut perirent, erectione, ex juventutis, & fidelium inſtructione, afflictorum conſolatione, pauperum, & hoſpitum alimentatione, Sacramentorum adminiſtratione, verbi divini prædicatione, librorum doctiſſimorum editione, ſcientiarum promotione, Fidei defenſione, & aliis quam plurimis piis, & utilibus operibus.

7 Vis adhuc ſcire, quid *ſplendoris*, quid *utilitatis* Religio contulerit Eccleſiæ? Lege diſertiſſimam orationem Nicolai Vernulæi, quàm *in vol. ſac. orat.* in laudem S. Benedicti habuit, ubi ex ſolo Ordine S. Benedicti Pontif. Max. 46. Patriarchas 52. Cardinales 200. Archiepiſcopos 1600. Epiſcopus 4600. Sanctos, qui ab Eccleſia coluntur, 55700. enumerat. Neque tantam copiam velut creditu difficilem reiicies, ſi obſerves, quòd hic Ordo jam in duodecimum ſæculum conſiſtat, & aliquando (teſte Vernulæo *c. l.*) cœnobia virorum trigiota millia, virginum verò millia quindecim poſſederit.

Lege etiam Hieron. Platum ex Soc. JESU (Teſtes tibi produco non domeſticos S. Benedicti, ſed extraneos) in tractatu ſuo pio, & docto *de bono ſtat. Relig. lib. 2.* ubi *c. 28.* quorundam Pontificum ex Religione S. Benedict. aſſumptorum virtutes, & optimum regimen ſummatiè complectitur, & deprædicat. Et *c. 32.* viros doctos, & Scriptores, qui per XI. ſæcula ex Ordin. S. Bened. floruerunt non omnes quidem (Vernul. enim plus quàm 15000. numerat) ſed celebriores recenſet. Audiantur etiam verba Patris Ribadeneiræ ex Soc. JESU *lib. 2. vita S. Ignatii cap. 24.* & eum refert P. Matth. Vveiſſ. *in Lyceo Bened. in Prolog.* *Neque vero pueros fingebant Monachi S. Benedicti,* inquit, *ad omnem tantummodo virtutis laudem, ſed etiam diſciplinis, & omni ſcientiarum genere inſtruebant. Nam, & in Germania, & in Gallia, & in Anglia magna cum laude docuerunt, & Collegia habuerunt, quemadmodum nunc nos* (ſcil. PP. Soc.) *habemus, in quibus docebant quæ nunc nos docemus. Atque ea re tantopere floruit Ordo S. Benedicti, & ſanctiſſimis doctiſſimiſque viris abundavit, quorum doctrina univerſam illuſtravit Eccleſiam.* Inter cæteros autem penè innumeros memoria dignus eſt S. Alcuinus ſive Albinus, de quo ſcribit Platus *d. c. 32.* *quòd is Caroli Magni Magiſter ſuæ ætatis doctiſſimus habitus ſit, ita charus Carolo, ut eum delicias ſuas appellaret, cujus etiam prudentia Pariſienſem Academiam, quam Roma illuc tranſtulerat ordinandam commiſit.* Hanc ipſam, quam profitemur, Juris Canon. ſcientiam non minima ex parte à Religioſis S. Bened. Gratiano, Nicolao Abbate Panormitano, Angelo Cherubino, Tamburino, & aliis accepimus.

Quid, quod Orbis pars maxima fidem Chriſtianam Benedicto debeat? ita namque per Gregorium Anglia, Hiſpania per Leandrum, Germania per Bonifacium, Belgium per Amandum, Polonia, & Hungaria per Adalbertum, Svecia per Stephanum, Lituania per Brunonem, Gaſcovia per Albonem, Sclavonia per Bonifacium, India Occidentalis per 12. Monachos ex monte Ferraro fidem ſuſcepit.

Quod denique tum paſtoralis dignitas, tum gentium 8
ad fidem converſio, tum ſcientiarum perfectio nullibi melius, quàm ex Monaſtico Inſtituto incrementa ſumat, pluribus demonſtrat Platus *d. l. 2. c. 29. & ſeq.*

Addamus etiam præmiſſis Monaſteriorum encomiis 9
feliciſſimum Imperatorem noſtrum Juſtinianum, qui Monaſteriis, & Eccleſiis non pauca privilegia indulſit, is *in Nov. 5. in præfat.* eleganter Monaſticum Inſtitutum deſcribit: *Vita Monachalis,* inquit, *ſic eſt honeſta, ſic commendare novit Deo ad hanc venientem hominem, ut omnem humanam ejus maculam abſtergat, & faciat rationabili naturæ decentem, plurima ſecundum mentem operantem, & humanis cogitationibus celſiorem.* Liceat mihi adſcribere monitum Concilii Trid. *c. 25. de ref. cap. 20.* quod hortatur omnes Chriſtianos Principes, ut *imitentur anteriores optimos, & Religioſiſſimos Principes, qui res Eccleſiæ ſua imprimis authoritate, & munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt.* Timendum enim 10
videtur Principibus, ne injuriæ, & inſidiæ, quas quidam Pſeudo Catholici Monaſteriis inferunt, toti Eccleſiæ, & Imperiis ſuis periculoſæ ſint, quando nimirum conculcato ſtatu Eccleſiaſtico prævalet *carnis libertas,* ut vocat Apoſtolus *ad Gal. 6. 13.* bona ejus diripiuntur ad luxum, exulat pietas, cum pietate fides, (teſte eod. Apoſt. *ad Tim. l. 1. v. 19.* ibi *repellentes conſcientiam circa fidem naufragaverunt, & c. 3. v. 9.* ibi: *habentes myſterium fidei in conſcientia pura*) cum fide pax, & rerum omnium tranquillitas.

Sed unde tam ſancto inſtituto varias calumnias impingunt Monacho-maſtyges? referam cauſas, quas opinor principaliores *Prima eſt malitia*, ex qua non tam Religioſis, quam Religioni, & pietati inimici ſunt; *quid mirum* inquit D. Auguſt. epiſt. 136. *Si homines ſervis Dei detrahunt, & qui eorum vitam pervertere non poſſunt, famam decolorare nituntur, cum ipſum Deum Dominum eorum quotidie blaſphemare non ceſſent, cum eis diſplicet, quicquid contra eorum voluntatem facit.*

Secunda cauſa eſt, quòd à Religioſis ex Monaſterio dimiſſis (quos haud dubiè nonnunquam expediret intra clauſtra retinere *inſtruendo eos in ſpiritu lenitatis, ad Gal. 6. ad Tim. 2.* vel aliis mediis cohibendo, ne cum ſcandalo, & deſpectu Ordinis vagari cogantur, *vid. c. 7. de Offic. Ord. & c. ult. de Regul.*) aut aliis *particularibus* delinquentibus faciunt illationem *univerſalem* ad alios. Sed *eùm diligentibus legem Dei non ſit ſcandalum. Pſal.* 118. advertant pii fideles, quòd in omni ſtatu mali bonis permixti ſint, potiuſque juxta monitum D. Hieron. Ep. 34. *reſpiciant Paulum confitentem quàm Judam negantem.* Et ſi Eccleſia *tota pulchra, & ſine ruga, & macula* dicitur *Cant. 4. & ad Epheſ. 5.* licet in ea plures ſint mali, qui per *ſpatioſam viam* deſcendunt, quanto minus decedere debet honori Monaſteriorum, in quibus rariores ſunt mali, quàm boni. Quòd ſi in uno aliquo Monaſterio omnes, quod abſit, mali forent, non tamen id Religioni imputandum, ſed Paſtorum negligentiæ, nec propterea deſperandum, quin ſub alio gubernaculo diſciplina reſtaurari valeat.

Tertia cauſa eſt *ſuſpicio*, tantùm eorum, qui omnes *ſuo pede*, id eſt, ex ſuiſmet pravis inclinationibus metiuntur. Neſcio, an in quibuſdam malus vitiorum habitus

bitus

bitus plus impellat ad malum, quàm in aliis bonus virtutum habitus, & sancta educatio retrahat, & impellat ad bonum: somnus causatur somno, supprimitur vigilantia: ignis generat ignem, perit, nisi nutrias. Et hoc est, quod superiùs *in Nov. 5. in præf.* dixit Justin. Imp. *quod vita monachalis faciat hominem humanis cogitationibus celsiorem.*

Quarta causa est, quòd plerique sibi imaginantur, Religiosos statim ut convertuntur, debere esse *perfectissimos* sibi autem licere pro libitu vivere. Decet haud dubiè, ut religiosi bono exemplo, & vitæ sanctimonia sæcularibus præluceant, quò majorem ergo ipsos reverentiam, & confidentiam habeant, *nihil enim est* inquit Concil. Trid. *sess. 22. de Ref. c. 1. quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduò instruat quàm eorum vita, & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, &c.* Interim
11 considerent sæculares, Monasteria esse scholas virtutum, in quibus, sicut in litterariis, aliqui citiùs, aliqui seriùs proficiunt, aliqui prorsus deficiunt, non tamen idcirco scholæ damnandæ in quibus plurimi proficiunt. Audiant etiam S. Basilium *in Constit. Mon. 7. Saeculares*, ait, *nescio quam opinionem de Religiosis ceperunt, quasi una cum statu ipsam etiam naturam mutarint, & aliam quandam induerint plane ab humana diversam, ut perinde ac si carne, & corpore carerent, ita eos nullis aut ferè nullis cibis uti velint &c.* Et *in sermone de rerum abdicatione* idem S. Basilius inquit, *an non tibi videntur etiam matrimonio junctis lata fuisse Evangelia? vides igitur, non à Monachis modo, sed etiam ab iis, qui uxorem habuerint, rationem exactum iri, utrum ex Evangelii præscriptis vixerint, &c.* Item S. Chrysost. *in lib. 3. contra Monast. vitæ vitup. Hoc est planè*, dicit, *quod orbem universum evertit, quod Monachis opus esse arbitramur summa bene vivendi, diligentia cæteris autem licere negligenter vivere.* Et post pauca: *cum* Christus *jubet per angustam viam ingredi, non Monachos, solos, sed omnes omnino homines eo imperio convenit, &c.*

2 *Quinta causa* est *invidia temporalium bonorum*, quæ Monasteria possident. Mira res! Sæcularibus utcunque impendant divitias, non invident. Monasteriis quæ aliquot sæculis cum magna Ecclesiæ utilitate steterunt, & à quibus ipsi eorumve parentes aut liberi multa beneficia spiritualia, & temporalia acceperunt, vel accipere possunt, invident. Sanè Apostolus *ad Cor.* vult servos Dei *sine solicitudine esse*, ut Deo liberius, & integrius vacare possint, quòd fiet, si temporali sustentatione sufficienter provisi sint. Qualiter autem applicentur temporales Monasteriorum reditus, præter eos, quos Principibus terræ quotannis in magna quantitate tribuunt, dicemus inferiùs *Priv. 11. n. 3.* ob quas pias expensas, quas ibi enumerabimus, præsertim verò charitatis erga indigentes officium planè credendum est, singulari Dei benedictione reditus Monasteriorum non tantùm non minui, sed lata etiam incrementa sumere. Deniq; hæc hominum *malevolentia*, quæ semper invenit cavillationes (juxta illud Matth. *Venit Joannes neque manducans neq; bibens, & dicunt Dæmonium habet, venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt ecce homo vorax, & potator vini &c.*) & adversus quosvis pios Ordines sua prætendit gravamina, rectiùs à bonis fidelibus contemnitur.

13 Postremò ex his omnibus ad nostrum propositum infero, & concludo: si Monasteriorum Institutum tam antiquum, & per ea tantus Dei honor, tanta animarum salus, tantus Ecclesiæ splendor, & utilitas procuratur, imò si ipsum sæculare imperium non modicas vires sumit, dum non tantùm olim Religiosorum opera multarum gentium barbara duritier ad fidem, & jugum mitigata est, sed etiamnum hodie multorum effrænis temeritas sancta Religiosorum instructione meliùs nonnunquam cum ingenti Reip. bono, quam vindice gladio cohibetur, dum ex publicis privatisq; Religiosorum scholis ad obediendum Deo, & imperatori vita subjectorum informatur, *auth. habita C. ne filius pro pat.* ac viri illustres ac Patres Patriæ efformantur: Si inquam, hæc ita se habent, nemo sanè bonæ mentis negarit, Monasteria summum in jure, & apud Christianos *favorem, omniaq; Privilegia*, quæ hic expressimus, & *aliis favorabilibus causis* (de quibus singulatim Priv. 36. dicemus) conceduntur, jure optimo promereri. Jam ergo rem ipsam aggrediamur, & singula privilegia, quæ ex *Jure communi* deduci possunt referamus.

PRIVILEGIUM I.

Pro construendo, vel ampliando Monasterio potest aliquis cogi ad vendendam domum, vel fundum suum.

1 *Extenditur Privilegium etiam ad venditionem servitutis, & partis in re communi.*
2 *Restringitur, ut non procedat cum magno damno alterius.*
3 *Quid sit executor hujus Privilegii.*

UT ordiamur à fundamentis, præmittimus hoc insigne Monasteriorum Privilegium, quòd cum Baldo, & Ang. in *l. 1. ff. solut. matr.* Felin. *in c. omnes dist. 1.* tradunt communiter DD. & fundatur in *l. si quis sepulchrum ff. de Relig. & sump. fun.* ubi licet disponatur de sepulchro, & via, eadem tamen ratio, & favor religionis, qui pro sepulchris facit, etiam circa monasteria, & quidem urgentiùs stringit.

Ampliatur hoc assertum, ut Vicinus possit cogi ad vendendam monasterio servitutem *altius non tollendi*. saltem quatenus indiget monasterium: quia eadem iterum est ratio, quæ de via ad sepulchrum in *d. l. Si quis sepulchrum* Riccius *p. 1. dec. 138.* item ut socio mandante construi Ecclesiam in domo, vel fundo communi teneatur alter socius vendere partem suam; sicut si servo communi legata est libertas ab uno socio, tenebitur alter partem vendere *l. 1. C. de Com. serv. manum. junct. §. final. 3. de Donat.* Baldus. *ibidem* Laur. de Franch. *de controver. inter Ep. & Regul. p. 2. n. 46.* 1

Verum ad æquitatis moderamen restringendum est hoc privilegium, ut non procedat si quis ex venditione domus nimis magnum detrimentum, quòd commodam æstimationem prudentis viri non reciperet pateretur, v.g. si insignia Palatia nobilis familiæ demoliri deberent, vel aliundè antiquitas aut excellentia ædificii singulares splendorem Civitati conferret, &c. Desumitur hæc limitatio ex *sæpe d. l. si quis sepulchrum*, ibi: *Judex de opportunitate loci prospiciat ne vicinus magnum patiatur detrimentum.* 2

Sed quis erit judex competens ad exequendum hoc Privilegium? Respondeo non tantùm esse Magistratum sæcularem loci, sed etiam ipsum Episcopum, qui mediantibus Censuris potest, & debet privilegia Ecclesiarum defendere. Franch. *d. l. n. 440. & 441. in rubricis.* 3

ADNOTATIO.

HOc Privilegium multis durum visum est, eò quòd in *l. si quis sepulchrum de Relig. & sump. fun.* tantùm agatur *de via* vendenda *ad sepulchrum*, quæ minoris est præjudicii quàm domus; & privilegium alteri præjudicans non sit extendendum &c. R. & repeto, quòd etiam supra *nu. 2.* monui ante omnia incumbere officio Judicis de tali loco providere, ne Civibus damnum inferatur. Si autem Monasterium speretur utile futurum Civitati (sed non utique semper expedit, nova Monasteria ædificare, & novos Religiosos assumere) ad augendum Divinum cultum, & pietatem hominum, aut studia litteraria, non video, quare utilitas publica non sit præferenda privatæ: tamen idem fieret, si contra hostem carnalem civitas munienda; & domus alicujus pro munitione necessaria foret, quare non similiter, si civitas muniatur Divino cultu contra hostes spirituales.

Ad contraria dico: licet sit minus præjudicium in *via*, tamen major utilitas est in *Monasterio*, & saltem hoc habetur ex illa *l. si quis*, quòd favor Religionis faciat exceptionem à regula *l. invitum. C. de contrah. empt. & l. nec emere C. de Jure delib.*

Ad

Ad alterum respondi *priv.* XXXVI. *n.*2. Potest hic addi instantia de extensione in favorabilibus causis, quòd successio Legitimatorum *per subsequens matrimonium* ex unanimi DD. sententia extenditur ad feuda, majoratus &c. licet matrimonium in articulo mortis contractum sit, quidquid ex hac sententia aliis hæredibus præjudicetur, neque apertis juris textibus aliquid decisum sit.



PRIVILEGIUM II.

Monasteria sunt exempta à Jurisdictione, & exactione sæcularium Dominorum.

1 *Non potest defendi consuetudo contra immunitatem Ecclesiasticam.*
2 *Quando verum sit, legem non acceptam non ligare.*
3 *Qualiter applicentur reditus Monasteriorum.*
4 *Benedictio Moysis supra Ecclesiasticos.*
5 *Argumenta, quibus probatur immunitas Ecclesiastica esse Juris divini.*
6 *Respondetur ad contraria.*
7 *Qualiter exactio facienda ab Ecclesiasticis in publica necessitate.*
8 *Quando Ecclesiastici subjacent exactionibus Principum sæcularium.*

MAximum hoc Privilegium omnibus Ecclesiasticis & Ecclesiis competens annis singulis in die *Cœna Domini* renovat, & cum fulminatione excommunicationis contra inobedientes promulgat S. Pontifex. Multis non sapit hoc *Cœna* ferculum, sunt *de invisatis excusantibus*. Sed an propterea excusati? Consuetudo est
1 in contrarium, inquiunt, lex non recepta non ligat. Sed considerent hoc exemptionis privilegium esse *Jure divino* statutum, ut aperte declararunt Pontifex, & Concilium Trid. *S.* 25. *de refor.c.* 20. *c.nimis de Jurejur. c.quanquam, de Cens. in* 6. Contra jus divinum autem consuetudo quæ tantùm ab hominibus introducitur, operari nihil potest, nec valet quæ in detrimentum Ecclesiarum tendit, *c.* 1. *de consuet.* * Deinde fatemur pro regula circumferri legem non receptam non ligare: sed id verum,
2 si, vel lex debitè promulgata, vel dissimulante legislatore in usum deducta non sit. At verò si legislator instet, & urgeat, legem suam recipi præsertim, quæ ex *Jure divino* obligat, sanè non capimus, quomodo in potestate subditorum obedientiam debentium sit, legem recipere, vel rejicere. * Sed abutuntur divitiis ajunt; Vah! *Zelus amaritudinis*! Quare non dicunt, replent conventus numerosa fratrum corona, ubi non longis abhinc annis maximus defectus erat, augent chorum, & divinas laudes, accumulant preces pro salute Reipub. mittuntur magnis sumptibus Religiosi ad studia, redduntur
3 apti ad curam animarum, ad defensionem fidei, & Ecclesiæ, ad instituendam bonis artibus juventutem, quam in multis cœnobiis, propriis consequenter non modicis alunt expensis, in peregrinos, & pauperes largam hospitalitatem exercent. Anne bona consequentia, nonnulli sæculares abutuntur divitiis ad luxum, ditant exteras nationes cum evisceratione Patriæ fructum referentes modicum aut nullum (ubi fœlicibus illis sæculis in Ecclesias, in Hospitalia, in pauperes liberali pietate usi fuerunt) ergone suis bonis spoliandi? Si Beneficiatus, vel Prælatus Ecclesiæ malè in rebus Ecclesiasticis versetur à Patrono commonendus est, & data perseverantia apud legitimum ejus Superiorem pro correctione insistendum, non spoliandus, *c. filii* 6. *q.* 7. * Sane ad Ec-
4 clesiasticos utpote Levitas novi Testamenti pertinet illa Benedictio aut prophetia, quam *Deut.* 33. Moyses moriens pronuntiavit super Levi: *Ponent thymiama in furore suo, & holocausta super altare tuum. Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum illius suscipe, percute dorsa inimicorum ejus, & qui oderunt eum, non consurgant.* Porrò ut id, quod superius obiter attigimus, videlicet hanc exemptionem Ecclesiasticorum esse *Juris divini* paulò deductius demonstremus, videamus quibus rationibus id solidetur.

Igitur in primis nemini dubium est Levitas in veteri 5
Testamento, & res eorum jure divino exemptas, & ab omnibus oneribus immunes fuisse, *ut constat c.* 3. *&* 18. *Num. ex cap.* 30. *Exod. Vers.* 12. *junct. c.* 1. *vers.* 47. hoc autem statutum non tantum fuisse *cæremoniale*, sed etiam ex parte *morale*, consequenter etiam obligans *in novo Testamento*, inde suaderi potest; quòd naturali rationi conveniat, quòd Ecclesiastici novi Testamenti, qui in locum Levitarum successerunt, & Deo specialiter dicati, *& in sortem ejus vocati sunt*, à sæculi, & mundana potestate eximantur; prout in simili dicimus præceptum de *sanctificando Sabbato* partim *cæremoniale*, partim *morale* fuisse: in quantum scilicet naturalis ratio exigebat quasdam dies in honorem, & cultum sui Creatoris specialiter deputare. Deinde in novo Testamento id non obscure per Christum innovatum est, dum *Matth.* 17. tantùm ad evitandum scandalum (*ne autem scandalizemus eos*, inquiens, *Vade &c.*) per se, & Petro tributum solvit, de cætero autem se, & Petrum, & in Petro tanquam Capite, & Primate Ecclesiastici status omnes Ecclesiasticos *liberos* pronuntiavit, ergo *liberi sunt filii.* Junge vers. Psal. *Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes*, quem, & alios hujusmodi textus de *Sacerdotibus* SS. PP. accipiunt *c. Sacerdotibus* 11. *q.* 1.

Demum sufficit nobis ad dicendum aliquid *Juris divini* authoritas Concilii, & Pontificis, & sic Ecclesiæ consensus, sive deinde id habeat ex traditione sive ex revelatione juxta illud Pauli *ad Thessalon.* 2. *c.* 2. *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram.* * Unde hoc argumentum *non est scriptum* 6
in sacris litteris, ergo non tenendum, semper Ecclesia tanquam *hæreticum* rejecit. Quòd verò adversarii respondent cit. textus juris accipiendos esse in eum sensum, quòd exemptio Ecclesiasticorum *originaliter* sit juris divini, id est, fuerit in veteri Testamento ad eum modum, quo decimæ juris divini dicuntur *in c. Parochianos X. de Decim.* profectò torta nimis est interpretatio, quomodo enim absolutè, & sine distinctione hodie dicitur *Juris divini*, quòd hodie non est juris divini, & olim tantùm fuit? Instantia de decimis nihil ad rem facit, quia Decimæ non tantum olim, sed etiam hodie Juris divini sunt, saltem in quantum congruæ sustentationi Clericorum necessariæ sunt, ut latè probat Azor, *p.* 1. *l.* 7. *c.* 23. Pariter non suffragatur contrariæ sententiæ, quòd Paulus *Actor.* 25. ad Cæsarem appellarit, & ab eo se velle judicari dixerit: nam præterquam, quòd non erat tunc alius, qui Paulus posset liberare ex potestate Judæorum, quam Cæsar, nihil fuit inconveniens quòd ad Cæsarem tanquam Ordinarium Judicem Judæorum, & Romanorum à quibus patiebatur injurias, appellarit: cùm etiam hodie Clerici possint de suis malefactoribus laicis corà Judice sæculari agere *c. cum sit generale* 8. *de For. com.*

Quid ergo si necessitas, vel utilitas publica sit non tan- 7
tùm statutum Laicorum sed etiam Monasteriorum concernens v. g. cùm Patria ab hostibus defendenda, &c. anna nihilomagis Monasteria contributionibus onerari poterunt? R. in similibus casibus, cum is qui sentit commodum, æquum est, ut sentiat, & onus: ideo etiam Ecclesiastici suam partem conferre debebunt; non tamen soli, neque ex authoritate Magistratus sæcularis, sed si Laicorum non sufficiant facultates, Prælati Ecclesiastici rogandi sunt, ut suis subditis collectas imponant, & quidem si periculum in mora non sit, etiam S. Pontifex prius consuli debet, cujus interest communibus utilitatibus Ecclesiæ providere, ut expressè habetur in *cap. non minus &c. adversus* 7. *de Immun. Eccles.*

Si tamen ex bonis antequam ad Ecclesias pervenerint, 8
certa, & determinata quædam onera, vel tributa Principibus sæcularibus fuerint pendi solita, ea ex communi DD. sententia etiam imposterum persolvi debent, quia res transit cum suo onere, tex. *in c. tributum, & seq.* 23. *q.* 8. notanter loquor de exactionibus, & de oneribus *certis, & determinatis*, ut excludantur exactiones extraordinariæ pro arbitrio Principis imponendæ.

In bonis quoque feudalibus, quæ Ecclesiastici à sæcularibus Dominis recognoscunt, certa Jurisdictio Domino directo competit, quam non absolutè, sed sub certis refer-

resetvati nibus s alia bona in Ecclesiasticos transeunt. *c. ex transmissa. De foro comp. &c.*

ADNOTATIO.

QUòd exemptio Ecclesiasticorum sit *Juris divini*, pluribus explicat Martha *de jurisdict. p. 2. c. 6.* Dices, ergo Prælati peccant contra Legem divinam dando aliquid principibus sæcularibus. R. Si absque gravi causa hoc privilegium negligant Prælati assentiendo exactionibus sæcularium, peccabunt utique *c. 3. de Immun. Ecc. in 6.* si verò ex recusatione gravis mali periculum eis immineat, non peccabunt, quamvis enim transgressio divinæ Legis *præceptivæ* ex nullo metu concedatur, secus tamen est in Lege divina *permissiva seu privilegiante*, quæ directè obligat Laicas potestates, & privilegio afficit Clericos. Id ipsum docemur exemplo Christi *Matth. 17.* qui ad evitandum scandalum contra privilegium Divinum tributum solvit.

Ad n. 3. circa fin. dicant exteras nationes &c. Non improbo peregrinationes, quæ virum perfectum reddunt, *sapiens enim in terram alienigenarum gentium pertransiet. Eccl. 36*, sed eas, quæ fiunt maximis apparatibus, & sumptibus, quibus de imprudensi œconomia, vel apud exteros ludimur, & permittuntur Juvenculis, qui antequam maturæ, & se regentis ætatis sint, studiaque (quibus in provinciis ob varias distractiones parum invigilant) cum fructu absolverint, nihil quod statutum Publicum, & utilitatem Patriæ, sed meras vanitates observant, reversi nec togæ accommodi, quia illiterati, nec sago, quia effœminati.

Ad n. 8. Exactio ista fortassis provenit ex pactis antiquis, quando principes occupantes terras bello dederunt subditis terras *in feudum, vel allodium* sub pactis, ut ad sui sustentationem quotannis aliquid contribuerent, & in bello sibi succurrerent, ipsi verò principes Patriam defenderent. Unde non statim sequitur: Princeps petit exactionē *ab antiquo* solvi solitam; ergo exercet jurisdictionem in clericos; quia exactio non est semper actus jurisdictionis, aliàs nec creditor à debitore petere posset.

Pluribus hoc priv. II. exaggerandum quidam putarunt, ajunt enim, quòd Laicis multa millia, imò milliones possidentibus, & pluribus amplissima stipendia in Principum aulis ob inutile servitium aut artificium habentibus prætermissis onus maximum Ecclesiasticis imponatur, contra *c. adversus de Im. Ec. &c. non minus eod. t.* ubi Pontifex dicit, quòd sub quibusdam potestatibus sæcularibus deterior videatur conditio Sacerdorii Christiani, quàm olim Judaici sub Pharaone, qui reliquis Judæis in servitutem actis, Sacerdotes eorumque possessiones in libertate permisit. Sed malo hanc provinciam alii, quibus melior dicendi facultas, subeant.

PRIVILEGIUM III.

Monasteria sunt exempta à lege Diœcesana. Episcopi.

1 *Quæ dicatur lex Jurisdictionis.*
2 *Quæ lex diœcesana.*
3 *Monasteria quoad exemptionem à lege diœcesana habent fundatam intentionem in jure. Sunt tamen aliqui casus excepti.*
4 *Contra exactionem portionis Canonicæ valet præscriptio 40. annorum.*
5 *Quid de charitativo subsidio.*

POtestatem Episcopi, præterquam quòd principaliter dividatur in Potestatem *Ordinis*, & potestatem *Jurisdictionis*, etiam distingui in legem *Diœcesanam*, & legem *Jurisdictionis* vulgò notarut ex c. *dilectus. 18. de Offic. Or.* Sed in exponenda ista distinctione multùm laborant DD. ut videre est apud *Pan. in eod. c. dilectus n. 4.* Communiter tamen recepta est interpretatio Glossæ in *d. c. dilectus*, & Sylv. *in V. Episcopus n. 8.* * ubi censent ea, quæ in *dando* consistunt, Id est, quæ Episcopus *dare* debet, sive 1
jam sint de potestate *ordinis*, ut dare confirmationem, ordines, consecrationem, &c. sive de potestate *Jurisdictionis* ut conferre beneficia, dare curam animarum, sententias judiciales, referenda esse ad *legem Jurisdictionis*, latiùs nimirum accepto vocabulo *Jurisdictionis*, ut etiam ea, quæ ordinis sunt, comprehendat quatenus scilicet Episcopus potestatem *ordinis* exercere non potest nisi in quos *Jurisdictionem* habet.

Illa verò quæ consistunt in *recipiendo*, id est, quorum 2
recipiendorum Episcopus jus habet, cujusmodi sunt exactio Cathedratici, quartæ Mortuariorum, quartæ Decimarum, Charitativi subsidii &c. ad *legem Diœcesanam* pertinere sentiunt,

igitur ab hac *lege Diœcesana* omnia Monasteria regulariter exempta sunt, non verò à *lege Jurisdictionis*, nisi etiam quoad istam speciale privilegium haberent *c. 1. 10. q. 1. c. cum pro utilitate c. ne pro cujuslibet 19. q. 2.* Dico autem, *regulariter*, nimirum in omnibus casibus, in quibus expressè contrarium non reperitur statutum. * Ha- 3
bent ergo hac in parte monasteria fundatam intentionem in Jure, ut si ab ipsis aliqua exigantur, quæ ad legem Diœcesanam pertinent non ipsa suam exemptionem, utpote, quæ ex jure communi patet, sed Episcopus subjectionem, & exceptionem à regula probare debeat, reperitur autem talis exceptio in duobus, casibus, scilicet si Episcopus visitet Monasterium, ut ipsi detur *procuratio*, id est, alimenta pro tempore visitationis, *c. sopita, &c. venerabili. De Cens.* Item si quid Monasteriis legetur, de hoc legato pio *Canonica portio* sive quarta pars Episcopo debetur *c. requisivisti v. secutus autem. De testam.* quòd tamen hodie passim in desuetudinem abiit, * dum Mo- 4
nasteria contra hanc Episcoporum exactionem præscripserunt, quòd autem talis præscriptio valeat, & cursu quadraginta annorum compleatur, textus est expressus *in c. de quarta X. de præscript.*

De *Charitativo subsidio*, quod Episcopi pro publica 5
necessitate, vel utilitate suæ diœcesis, vel Ecclesiæ Cathedralis à subditis suis Ecclesiasticis exigere possunt, *juxta c. cùm Apostolus 6. de Cens.* dubitatur, an etiam à Monasteriis rectè petatur? Rationem dubitandi facit tex. *in clem. 1. de excess. prælat.* ubi dicitur, quòd *Episcopi in exigendo charitativa subsidia ab exemptis eorumque subditis excedunt nimium contra eos*. Unde à contrario videtur inferri posse, quòd moderatum subsidium à Monasteriis, & quibuscunque exemptis exigi valeat. Negativa tamen sententia verior est, quia *Charitativum* subsidium accensetur *Legi Diœcesanæ* teste Innoc. in *c. 1. de statu Monach. n. 2.* Gloss. & Joan. And. *in d. c. cum dilectus, de Offic. Ord.* & non reperitur aliqua expressa exceptio, quin ab eo Monasteria exempta sint. Nec concludit argumentum *à contrario*, quando ex eo resultat jurium correctio, Everhard. *in loco à contrario.* Textus ergo *d. clem. 1.* sumit suam interpretationem ex *clem. 1. de Cens.* & intelligitur de Monasteriis, & exemptis habentibus Parochias, quæ exemptæ non sunt, & ex quibus, antequam ad Monasteria pervenirent, jura Episcopalia persoluta sunt, quæ propterea cum suo onere ad Monasteria transiverunt, nisi vel privilegio, vel præscriptione aliud obtentum sit *c. ex ore de Privileg.*

ADNOTATIO.

AD *n. 5.* Sententiam nostram de Charitativo subsidio cum pluribus cit. docet Barb. *de off. Ep. p. 3. alleg. 87. n. 45.* Dices, si Princeps sæcularis potest onerare Monasterium ob necessitatem publicam, ergo etiam Episcopus? Item si utilitas sit totius Diœcesis, redundabit etiam in monasterium, & consequenter, qui sentit commodum &c. Resp. 2. sicut Princeps potest onerare Monasteria in defectu Laicorum, & ex licentia Pontificis, ita idem non est negandum Episcopo, si aliorum subditorum Ecclesiasticorum non sufficiant facultates, & licen-

tia

tia Pontificis accedat, sine qua privilegium juris communis Monasteriis auferri non potest. Resp. 2. Illam Regulam, *quia sensit commodum &c.* habere locum, nisi sit specialis exceptio, aliàs etiam Diœcesani Laici tenerentur *ad charitativum subsidium*, quod tamen est contra communem sententiam DD. nisi Diœcesani sint simul subditi temporales, ut in hac Diœcesi Salisburgensi. Consuetudinem autem, vel præscriptionem posse aliquid valere hac in re negare non audeo.



PRIVILEGIUM IV.

Monasterium tollit irregularitatem ortam ex defectu natalium.

1 *Procedit privilegium etiam quoad ordines ab illegitimo sine dispensatione susceptos.*
2 *An ad consequendum hoc privilegium necesse sit facere professionem: relinquitur sub dubio.*
3 *Episcopus potest in jure dubio dispensare aut declarare.*
4 *Bulla Sixti V. de illegitimis sublata per Gregorium XIV.*

QUod nati extra legitimum matrimonium ad ordines promoveri non possint, certi, & indubitati juris est, *t. t. de filiis Presb. non ordin.* sed non minus certum est *ex c. 1. jam d. t.* quòd illegitimus Monasterium ingressus hoc ipso ad omnes sacros ordines suscipiendos habilitatus sit, ita tamen, ut Prælaturam non accipiat; quo nomine etiam beneficia curata intelligit Pan. *in eod. c. 1.* Tamb. *de Jure Abbat. tom. 1. disp. 5. q. 14. n. 4.* Vid. Nav. *Consil. 6. filius de Presb.* Hoc privilegium DD. duobus modis notabiliter extendunt I. quod non tantùm proce-
1 dat quoad Ordines suscipiendos, sed etiam quoad usum Ordinum susceptorum, si fortassis illegitimus non habita dispensatione super natalibus ante ingressum ordines suscepisset. Nec obstat, quod dispensatio contra Jura sit strictæ interpretationis: quia intelligitur de dispensatione concessa particulari personæ, & per rescriptum, non autem de dispensatione concessa per legem communem, & favore Religionis, Barb. *ad d. c. 1. num. 2. vers. deinde colliges.*
2 II. Nonnulli cum Fr. Emman. *qq. Regul. t. 1. q. 13. art. 4.* & Roderiq; *in compend. qq. Regul. resol. 76. n. 7.* asserunt irregularitatem non solum tolli per professionem, sed etiam per solam susceptionem habitus religiosi, adeoque professione etiam non secuta, vel annullata, sublatam tamen censeri irregularitatem, sicut de illis, qui ex Societate Jesu post simplicia vota edita dimissi ab iisque absoluti sunt docet Sanch. *in precept. Decal. tom. 2. l. 5. c. 5. n. 13.* Istam sententiam non impugno, quia Privilegium Religionis est à nominatis DD. traditum; & juvari potest ratione, quòd jura non expressè requirant professionem, aliunde autem constet, quòd appellatione Monachi, vel Religiosi in favorabilibus quandoque veniant Novitii, ut quoad Privilegium Canonis, & fori. Nec approbo, quia displicet multis DD. citatis à Barb. *d. c. 1. n. 2.* videtur enim non gaudere favore Religionis, qui eam deserit, nec Religiosus aut Monachus esse cum effectu, qui Professionem non fecit. Valeat proinde hæc sententia apud Episcopos ordinantes quantum valere potest, fortassis huc accommodare licebit illam doctrinam, quam tradit Garc. *de benef. p. 7. c. 2. n. 10.* Sa. *V. dispensatio n. 1.* Laym. *in Th. Mor. de legibus c. 22. n. 4.* quòd scil. Episcopus possit in jure dubio in gratiam alicujus dispensare, aut declarare, atque alterutram sententiam amplecti.
3 Illud quoque hic admonendum est, quòd quidem Sixtus V. illegitimis prohibuerit Religionis ingressum, & ita hoc privilegium quasi irritum fecerit, attamen Greg. XIV. eam Sixti constitutionem per Bullam *Circumspecta Romani &c.* revocaverit.

PRIVILEGIUM V.

Monasterium facit irregularitatem contractam ex Ordinibus furtivè susceptis dispensabilem per Abbatem.

1 *Ordines furtivè suscipiens est irregularis.*
2 *Quando dicantur Ordines furtivè suscepti.*

QUamvis in irregularitate præter Summum Pontificem ordinariè nemo dispensare valeat *c. 1. de Sent. & re jud. in 6.* favore tamen Religionis est constitutum ut si quis *furtivè* Ordines susceperit, idque ordinator sub interminatione anathematis prohibuerit, talis quidem nec in susceptis ministrare, nec ad altiores possit promoveri; sed si Monasterium ingressus fuerit, concedatur non tantùm Episcopo, sed etiam Abbati cum eo dispensare, *c. 1. 2. & 3. de eo qui furt. ord. susc.* 1
Dicitur autem *furtivè* quis ordines suscipere quatuor modis. I. quando sine consensu Episcopi aut Examine in numerum ordinandorum irrepit. II. Quando præter minores ordines eadem die etiam Subdiaconatum accipit. III. Quando quis eadem die ad duos sacros ordines se ingerit. IV. Quando per saltum, id est, omisso medio ordine, v. g. Diaconatu ad Presbyteratum promovetur. Vall. *d. t. n. 1.* 2

ADNOTATIO.

ADn. 1. Hodie in *irregularitate* dispensat Episcopus, si oriatur ex delicto occulto, ut si ordinum furtiva susceptio occulta sit, Trid. *sess. 24. de Refor. c. 6. & ibi* Barb. *in collect.*



PRIVILEGIUM VI.

Monasteria sunt exempta à solutione decimarum de novalibus ac de hortis, quos ipsa colunt, & animalibus, quæ nutriunt.

1 *Per specialia privilegia immunitas ista amplius extenditur.*
2 *An habentes generalem communicationem privilegiorum participes etiam privilegium exemptionis à decimis.*

PRivilegium istud in Jure communi omnibus Monasteriis, & Religiosis conceditur, *c. ex parte 10. de Decim.* Extra Jus commune autem per speciales Bullas multi Ordines Religiosorum sunt exempti non tantùm in Novalibus, sed etiam quibuscunque terris, quas suis laboribus, & impensis colunt. Sicut de Religiosis Congreg. Cassin. Camaldulensibus, Prædicatoribus, Carthusianis, & aliis attestatur Barbos. *in d. c. ex parte n. 5.* Utrum autem habentes generalem communicationem privilegiorum cum ejusmodi privilegiatis Ordinibus communicent etiam in specie privilegium exemptionis à solutione decimarum? tradidi in *Lib. III. Decret. Tit. de Decimis §. 3. n. 46.* ubi dixi id regulariter negandum, eò quòd exemptio à decimis propter præjudicium Parochorum sit difficilis, & non comprehendatur in generali concessione *arg. c. qui ad agendum, de Procurat. in 6. & c. nuper de Decimis.* Dico autem *regulariter*. Nam si communicatio exprimat aliqua præjudicialia privilegia saltem in genere, vel adsit talis amplitudo verborum, ut significet mentem communicantis se extendere ad omnia, præsertim si habeat annexam clausulam *quarum tenores &c.* atq; Monasterium habens communicationem, sustineat multos labores 1 2

labores in Ecclesia prædicando, docendo, & Sacramenta ministrando, his inquam accedentibus circumstantiis dicendum est, in generali communicatione Privilegiorum etiam Privilegium immunitatis à solvendis decimis comprehendi, Pasqual. ad Laur. De Franch. *de controv, inter Episc. & Reg.* 2. *q.* 72. *n.* 10. *& seqq.*

ADNOTATIO.

Videbitur fortassis huic privilegio derogatum per *c. nuper de Decim.* aut per *c.* 1. *in fin. V. S.* verum in *d. c. nuper.* tantùm tollitur privilegium, quod Cisterciensibus competebat, ne de quibusvis possessionibus, non tantùm *Novalibus*, si eas propriis sumptibus excolerent, tenerentur decimas dare. In *c.* 1. *de V. S.* advertit Gl. quòd ibi Pontif. loquatur de fratribus Templariis, & Hierosolymitanis; qui sunt Laici sine ordine Clericali, ut solvant decimas; non quibuscunque Parochis, sed quodammodo sibi ipsis, seu Clericis sui Ordinis.

PRIVILEGIUM VII.

In Monasteriis potest quilibet sibi aut suæ familiæ eligere Sepulturam.

1 *Hodie hoc Privilegium etiam aliis Ecclesiis communicatum est.*
2 *Quid debeatur Parocho ex iis, quæ Monasterio occasione funeris obveniunt.*

Ante Decretalem Bonif. VIII. quæ habetur in *c.* 2. *de Sepult. in* 6. poterat hoc assertum inter specialia Monasteriorum Privilegia melius, quàm hodie computari. Etenim de Jure antiquo pluribus placuit, neminem posse dimissa Ecclesia sua Parochiali alibi eligere Sepulturam, nisi in loco Religioso seu Monasterio, ubi crebrius divina Officia celebrantur, sicut insinuat textus *in d. c.* 2. & notat Glossa ibidem;* At verò hodie Bonif. VIII. concessit, ut in qualibet Ecclesia etiam minus Religiosa electio sepulturæ valida censeatur.

Præterea licèt de jure debeatur Parocho portio Canonica, id est, tertia, vel quarta pars eorum, quæ à defuncto obveniunt loco electæ sepulturæ *c.* 4. *c. cum super c. certificari c. in nostra de sepult.* Specialiter tamen excipitur *in c. fin. de Testam.* quòd non sit solvenda portio Canonica de his, quæ in specie pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, anniversario septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum divinum legantur. Imò per particularia privilegia, & locorum consuetudines multa Monasteria, vel nullam omnino portionem Canonicam, vel nonnisi de funeralibus propriè dictis (quæ scil. in eodem die cum funere deferuntur, uti sunt candelæ, pannus, oblationes &c.) exsolvunt, prout hæc, & plura circa jus eligendi sepulturam retuli in *Lib. II. Decretal, Tit. de Sepulturis.*

PRIVILEGIUM VIII.

Monasteria gaudent immunitate locali.

1 *Quid sit immunitas localis.*
2 *Privilegia data Ecclesiis competunt etiam aliis piis locis.*
3 *Omnes malefactores regulariter defenduntur hac immunitate, sunt tamen quidam excepti.*
4 *Hæc immunitas est tantum Juris humani.*
5 *In hac immunitatis materia prævalent SS. Canones legibus Civ.*
6 *Consuetudo etiam attendenda est.*
7 *Asylum competit etiam Ecclesiis non consecratis, pollutis, aut interdictis.*
8 *An ad amittendum asylum conjunctim requiratur deliquisse in Ecclesia, & simul spe immunitatis.*
9 *Plura notabilia circa delinquentes in vel penes Ecclesiat,*
10 *Duellantes an gaudeant immunitate.*
11 *Ecclesia non eripit jam vinctum in libertatem si per eam ducatur, conservat tamen profugum ex vinculis.*
12 *Notabilis exceptio à regula: spoliatus est ante omnia restituendus.*
13 *Clerici, & religiosi an gaudeant immunitate?*
14 *Quid de hæreticis, & gentilibus.*
15 *Quid de excommunicato.*
16 *Unde desumenda sint alimenta profugiente ad Ecclesiam?*
17 *An liceat circa Ecclesiam, in qua reus latet, Judici sæculari ponere custodiam militarem.*
18 *An à Judice sæculari possit puniri reus violenter abstractus aut expulsus.*
19 *Qualiter procedendum cum indignis hac Immunitate?*
20 *Pœna violantium immunitatem localem.*

1 Immunitas ista nihil est aliud, quàm *Jus Asyli* competens malefactoribus ad Ecclesiam confugientibus, ut inde per Judices abstrahi, & pœna corporali affligi non possint, sed eorum pœna debeat in Ecclesiasticam commutari.

2 Licet verò hoc privilegium principaliter Ecclesiis datum sit, tamen etiam ad ipsa septa Monasterii ex communi sententia DD. extenditur, sicut, & ad hospitalia, & alia pia loca cum authoritate Episcopi erecta: quia regulariter omnia privilegia Ecclesiis data etiam talibus locis communicantur *in L. omnia C. de Episc. & Cler.*

3 Porrò cùm hæc materia sit quotidiana, & practica, examinabimus prolixius.

Pro certo inprimis tenendum est, quòd omnes regulariter malefactores, qui non specialiter sacris canonibus excipiuntur, hac immunitate gaudeant, ut inde abstrahi, & pœna ordinaria puniri non possint, sed eorum pœna sit in aliam Ecclesiasticam commutanda *c. inter alia de Immunit. Ecclesiast.* Certum tamen etiam est ab hoc *Privilegio immunitatis, & asyli Ecclesiastici* exceptos esse publicos latrones, & nocturnos depopulatores agrorum, qui scilicet publicas vias obsident, & transeuntibus ex proposito insidiantur, aut nocturno tempore segetes in agris devastant, & depopulantur, *d. c. inter alia* Item illi qui *spe immunitatis* in ipsa Ecclesia, vel ejus Cœmiterio mutilationes membrorum, aut homicidia committunt *c. fin. eod. t.* Præterea ex jure novo videlicet Bulla Greg. XIV. incip. *Cum alias* 7. constitutum est, quòd rei in crimine hæresis vel læsæ Majestatis, item assassini vel quicunque hominem proditoriè, & per insidias (id est, veneno, à tergo, & de nocte aut aliàs nihil mali metuentem) occiderint, Immunitate Ecclesiastica priventur. Unde per hanc Gregor. constitutionem decisa est illa controversia, quæ ex jure veteri de homicidio proditorio, an tollat immunitatem, fuit diu multumque agitata, & cum illa consonat *cap.* 1. *de homicid.* Ex his verò certioribus præmissis.

4 Dubitatur I. Cujus Juris sit asylum Ecclesiarum; Naturalisne, vel divini, an potius humani, & positivi, ac proinde an contrario statuto, vel consuetudine mutari possit? R. esse juris humani. Licet enim in Jure divino, & naturali præceptum sit, Deum colendum, & locis sacris reverentiam exhibendam, non tamen indè ad immunitatem reis præstandam infertur, cùm è contra etiam crimina coercenda esse omni jure naturali, & divino statutum sit. Item licet etiam in lege veteris Testamenti civitates refugii constitutæ essent. *Exod.* 21, *N.* 35. *& Deut.* 4. *c.* illæ tamen Civitates potissimùm tantùm illis, qui præter intentionem delictum perpetrarunt, patebant, ut ex tex. S. Script. apparet, & leges veteris Testamenti quæ morales non erant sed tantùm cæremoniales, & judiciales per adventum Christi expirasse censentur *c. translatio. De constit. c. un. De Parif. post part.*

Quam-

Quamvis autem circa hanc immunitatem non tantùm Juris Canon. sed, & civiles Constitutiones habeantur *ut tit. Cod. de his qui ad Ecclesias. Item qui ad statuas confug. ut & Nov.* 17. *c.* 7. Si tamen inter LL. & Canones contrarietas reperiatur etiam in foro sæculari Canones observare oportet, quia ad S. Pontif. & judices Ecclesiasticos spectat ea decidere, quæ ad Ecclesias earumque reverentiam, & jura pertinent. Cov. *var. res. lib.* 2. *c.* 20. *num.* 3.

Hinc est quod licet in *c. Nov.* 17. Raptores Virginum, adulteri, & homicidæ quicunque immunitate priventur; id tamen observata juris Canon. dispositione non procedat, ubi ultra specialiter exceptos omnes reliqui gaudere immunitate dicuntur quantumcunque gravia delicta per-
6 petrarint, *c. inter alia* 6. *& ibi Gl. De Im. Eccles.* Clar. *lib.* 5. *sent. c.* 30. *n.* 9. Consuetudinem etiam in hac Immunitatis materia observandam esse rectè monet Cov. *d. l. n.* 4. licet eandem notabiliter restringeret; tum quòd non sit Juris naturalis, aut divini, ut dictum, tum etiam quòd hæc Immunitas non sit valde favorabilis, sed potiùs strictæ interpretationis ne scelera maneant impunita, & homines tanto audaciùs delinquant. Quare quod de Jure certum est, non tantùm ipsas Ecclesias, sed etiam atrium in Majoribus Ecclesiis ad 40. passus, in minoribus capellis ac 30. circum circa immunitatem habere *c. sicut antiquitus* 17. *c.* 4. de consuetudine vix alicubi observatur Zerola *in Praxi Ep. p.* 1. *v. Immunitas §.* 2.

7 Dubitatur II. An etiam Ecclesiæ consecratæ, pollutæ, vel interdictæ habeant hoc privilegium? Affirmamus, quia non ideo minus sunt pia loca ad cultum divinum erecta, & pollutio, vel interdictum non provenit ex culpa Ecclesiæ sed aliorum, *c. Eccles.* 9. *de Immun.* Host. *in sum. eod t. n.* 9.

8 Dubitatur III. An qui in Ecclesia delinquit, sed absque spe Immunitatis, fortassis ex rixa casu ibidem oborta vel ècontra qui extra Ecclesiam delinquit, sed spe immunitatis studio facinus prope Ecclesiam perpetrans, quò citiùs ad eam confugere possit, gaudeat immunitate, adeoque *copulativè* requiratur, ut delictum *in Ecclesia* fiat, & simul *spe immunitatis?* Respondeo, quamvis nonnulli existiment S. Pontificem *in c. fin. h. t.* illis tantùm denegare immunitatem, qui conjunctim, & in Ecclesia delinquunt, & spe immunitatis id faciunt. Verius tamen est, etiam alterutrum ex his sufficere nec defendi eum, qui vel *in Ecclesia* cogitans de Immunitate, vel extra sed *spe immunitatis*, & cum intentione confugendi ad eandem crimen admiserit. Etenim fundamentum denegatæ immunitatis in istis casibus illud est, quòd indignus censeatur defensione Ecclesiæ, qui Ecclesiam offendit, prout frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem; *c. quia frustra de Usur.* Et privilegium meretur amittere, qui privilegio abutitur, & sub ejus prætextu delinquit *c. Privilegium* 11. *q.* 3. quod fundamentum in utroque jam recensito casu locum habere nemo est qui non facile deprehendat.

9 Ulterius hic quædam breviter subnotanda sunt. I. quæ de homicidio in Ecclesia commisso dicuntur, tantùm exempli causa dicuntur, idemque est de furtis, adulteriis, aliisque delictis gravibus, ex quibus loco sacro specialis irreverentia infertur. II. qui in una Ecclesia deliquit, non defenditur tametsi ad aliam confugiat, quia qui unam Ecclesiam contemnit, & offendit, omnes offendisse censetur. III. qui unum tantùm delictum in Ecclesia, extra eam plura alia commisit, absolutè extrahi, & pro omnibus puniri poterit, quia ex quo semel in Ecclesia deliquit, indignum se reddidit Ecclesiæ defensione. IV. Ecclesiæ fecisse irreverentiam, & propterea indignus asylo etiam ille censetur, qui vel in Ecclesia existens alium foris stantem, vel èconverso, qui foris stans aliquem in Ecclesia occiderit; quia utroque casu delictum in Ecclesia factum intelligitur, priori quoad inchoationem (sufficit enim ut delictum dicatur in loco factum, si ibidem saltem initium acceperit *L.* 1. *C. ubi de Crim. ag. op.*) posteriori quoad consummationem. V. Nec ille gaudebit immunitate qui aliquem existentem intra Ecclesiam per vim, vel dolum extraxerit, & foris occiderit, vel mutilarit, cùm enim puniri in eo quis debeat, in quo deliquit, merito iste, qui alterum immunitate Ecclesiæ privavit, eadem quoque carere debet. De hisce porrò notatis licet textus apertos non habeamus, nihilominus cum Immunitas Ecclesiastica non sit extendenda, ne facinorosi evadant impune, sufficit nobis ratio quæ anima legis est, & ille cumulus Authorum citatus à Barb. *Juris Eccl. V. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 10. *& seqq.*

Dubitatur IV. Utrùm qui in duello alterum occiderit gaudeat immunitate? Negativa, quæ non quidem ex verbis sed mente legis desumitur, probabilior videtur cum Barbos. *eodem c.* 3. *n.* 102. Si enim etiam cadaver occisi in duello Ecclesia non recipit jux. Trident. *Sess.* 25. *de Reform. c.* 19. quis credat ipsis occidentibus in Ecclesia refugium præstari. Sed hæc de Duello propriè dicto, & in jure damnato accipienda sunt, quando scilicet alter alterum ad certum tempus, locum condictum cum armis mortiferis, & ordinario vitæ periculo invitat, non vero de rixa, vel aggressione subito in domo, vel platea facta, in qua si alter alterum occiderit, & ad Ecclesiam confugerit ab ea immunis servabitur. 10

Dubitatur V. An qui jam vinctus, & ligatus per Cœmiterium aut Ecclesiam ducitur, possit proclamare ad Immunitatem, ut ibidem vinculis exsolvi, & liber dimitti debeat? 11

Affirmativam se aliquando vidisse in Praxi ait Cassanæus *in consuetudine Burgundiæ rubr.* 2. §. 5. *n.* 121. Negativa tamen communior, & juri conformior est; quia talis non avellitur propriè violenter ab Ecclesia, cùm nunquam in eadem liber aut sui Juris fuerit: neque enim hoc alicubi constitutum reperimus, quòd Ecclesia de novo in libertatem eripiat, sed tantùm quòd in ea existentem conservet. Cov. *loc. sup. cit. n.* 13. Host. *in sum. h. t. n.* 11. prout in simili qui ad Sacerdotem portantem Eucharistiã confugit ibidem immunitatem reperit, non autem is, ad quem Eucharistia in Carcerem defertur. Verùm aliter se res habet, si quis perrupto carcere elapsus ad Ecclesiam confugiat, talis jam se recepit in libertatem, in qua per Ecclesiam defenditur ut rectè observat Cov. *d. n.* 13.

Sed dices talis profugus spoliavit Judicem sua præsentia, ergo debet ipsi restitui, juxta regulam quòd spoliatus sit ante omnia restituendus. Resp. ad hanc regulam præter alias limitationes quas in *Lib.* 11. *in Tit. de Rest. spol.* tradidimus etiam istam addi posse: quòd restitutio spoliati non fiat, quando agitur de periculo vitæ, vel membrorum *c. litteras in fin. de Rest. spol.* Consuetudine tamen in quibusdam locis contrarium practicari asserit Cassan. *n.* 115. Consuetudinem autem plurimum valere in materia immunitatis jam in antecedentibus monui. 12

Dubitatur VI. An Clerici, & Religiosi delinquentes, & ad Ecclesiam confugientes per Judices Ecclesiasticos extrahi valeant pro merito puniendi. Censeo distinguendum inter pœnam Clerico, & Religioso delinquenti infligendam. Etenim si agatur de pœna merè Ecclesiastica, quæ potius correctionem sapiat quàm vindictam in foro externo sceleri debitam, utique immunitas Ecclesiastica nihil suffragabitur, quia non fuit intentio Summ. Pontif. per immunitatem Ecclesiasticam tollere morum correctionem, sicut etiam Laici ad Ecclesias confugientes pœnam Ecclesiasticam non evadunt. Si verò agatur de pœna propriè dicta, & vindicativa, ut si Clericus torqueri, degradari, & Curiæ sæculari tradi, vel ad triremes aut perpetuos carceres condamnari deberet, non video quare Clericus debeat esse deterioris conditionis quàm Laicus, cùm tamen Ecclesia multò magis debeat tueri Clericos tanquam sibi servientes, & addictos, & quorum curam specialem habet, dummodo cætera sint paria, ut scilicet crimen quod Clericus commisit ab immunitate exceptum, vel in Ecclesia aut Monasterio, sive spe immunitatis commissum non sit. 13

Dubitatur VII. An etiam hæretici Gentiles ac Judæi gaudeant immunitate? Negamus, quia indigni censentur, ut ab Ecclesia defendantur, qui eandem contemnunt. Panorm. *in c.* 9. *h. t. n.* 6. Cov. *d. c.* 10. *n.* 11. nisi parati forent sincero corde fidem amplecti. 14

Dubitatur VIII. An excommunicatus v. g. occidens aut mutilans Clericum gaudeat immunitate? Affirmativa adeo communis est apud DD. quos magno numero refert Barb. *d. c.* 3. *nu.* 13. t. ut vix sit reperire dissentientem, eò quòd excommunicatus non directè contemnat Ecclesiam, aliunde autem apertè exclusus ab immunitate non habeatur. 15

Verùm

Verùm cedimus tantorum DD. authoritati, non rationi: videtur enim nobis fortius in contrarium urgere, quòd non sit verisimile, illum defendi ab Ecclesiis, qui vivus, & mortuus exclusus est. Prout supra etiam de Duellaote diximus.

36 Dubitatur IX. Quis debeat præstare alimenta confugienti ad Ecclesiam, & quid censendum de praxi quorundam Judicum qui custodiam circa templum ponunt, nec quidquam de alimentis admittunt, Resp. alimenta primò ex facultatibus ipsius rei confugientis ad Ecclesiam, vel propinquorum ejus, qui ipsi ex humanitate naturali subvenire tenentur, desumenda esse; iis verò deficientibus reliqui Christiani in Concione, vel alio modo commonendi erunt, ut sciant se teneri ex lege Charitatis extremè indigenti subsidium præstare, quòd si nemo alius velit id Charitatis officium facere, Ecclesia facere debebit, utpote quę S. Ambrosio teste *in c. aurum* 12. *q.* 2. aurum habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus.

37 Quantùm ad custodiam militarem qua per Judices sęculares solet circumdari Ecclesia, dicendum est, non licere quidem per talem custodiam impedire alimenta reo administranda, quia hoc modo reus per indirectum ex Ecclesia extraheretur, vel in ea occideretur, & ita immunitas eluderetur: non tamen esse reprobandum, si propterea Custodes circa templum ponantur, ne reus planè effugiat, & impunis evadat, nam immunitas Ecclesiæ coheret loco; nec prohibet Judicem sæcularem extra Ecclesiam ubicunque insidiari facinorosis, neque etiam reum confugientem ad Ecclesiam omninò à pœna liberat, sed tantùm tuetur, ne in ipsa Ecclesia damnum patiatur.

38 Dubitatur X. An Judex sæcularis possit punire illum, quem, vel ipsi Rectores Ecclesiarum injustè expulerunt, vel lictores in Ecclesiam irruentes per violentiam abstraxerunt? R. ad utrumque negativè, quia neque Rectores Ecclesiarum, neque Judex aut Ministri ejus possunt reum ad Ecclesiam confugientem jure immunitatis jam quæsito privare jux. notam J. Regulam, quòd *Jus suum nemini sine sua culpa auferendum sit*, habebit proinde hic locum alia regula, quòd *spoliatus sit ante omnia restituendus*, ut rectè docet Jul. Clarus *lib. 5. sent. 30. n.* 1.

39 Sed quæres, quid faciendum, si reus ad Ecclesiam confugiens sit ex illis, qui immunitate Ecclesiastica indigni censentur? Resp. hic iterum attendendam esse Bullam Gregorii XIV. quæ incipit: *Cùm alias &c.* ubi Pontifex constituit, ut hoc casu Judex sæcularis reum ab Ecclesia extrahere valeat, requirendam esse licentiam Episcopi, vel ejusdem Vicarii, qui aliquam Personam Ecclesiasticam, quæ capturæ cum minimo tumultu faciendæ intersit, deputare debeat, nec inferiorum Prælatorum licentiam sufficere, & multò minus ipsum sæcularem Judicem propria authoritate Ecclesiam ad capiendum reum ingredi posse, nisi Episcopus debitè requisitus licentiam injustè denegaret. Præterea ordinavit Pontif. in eandem Bulla, ut post capturam reus non immediatè ad Curiam sæcularem sed Ecclesiasticam ejusque carcerem sub custodia tamen, si opus fuerit, sæculari duci debeat, atque ibidem per Judicem Ecclesiasticum inquiri, an revera crimen ab immunitate exceptum commiserit, quo comperto tunc demum sæculari Judici plenè tradendus erit.

Postremò non erat omittendum varias in jure pœnas es-
40 se constitutas in eos, qui immunitatem localem violant injustè abripiendo reos ad Ecclesias confugientes. Prima talis pœna de Jure Civili est, ut violator Immunitatis tanquam reus læsæ majestatis ultimo supplicio puniatur *L. 2. & L. præsenti C. De his qui ad Eccles. conf.* Secunda est pecuniaria, ut Episcopo 900. solidi sive aurei pro mulcta solvantur *c. si quis contumax* 17. *q.* 4. Tertia ut Violator immunitatis Ecclesiasticæ immunitate non gaudeat. Quarta publica pœnitentia Ecclesiastica arbitrio Episcopi taxanda *d. c. si quis*. Quinta demum Excommunicatio quæ ex constitutione Greg. XIV. ipso facto incurritur, eamque inter reservata S. Pontifici numerat Quaranta *in sum. Bull. V. Casus reservati pag. mihi* 203.

PRIVILEGIUM IX.

Faciens professionem in Monasterio, sine præcedenti dispositione hoc ipso omnia sua censetur transtulisse in Monasterium.

1 *Bona feudalia, fideicommissa, & emphyteuses transeunt in Monasterium ad vitam Religiosi.*
2 *Propter professionem vasalli aut emphyteuta non petitur revocatio investitura, nec præstatur laudemium.*
3 *Usufructus qua ratione transeat in Monasterium.*
4 *Disponens ante professionem an teneatur adhibere solemnitates Juris Civ.*
5 *Sententia negativa non est favorabilis Monasteriis, propterea distinguitur inter eum qui in Novitiatu disponit, & eum qui prius.*
6 *Dispositio ingredientis an confirmetur professione, vel morte naturali.*
7 *Suspendimus judicium in quæstionibus sequentibus valde dubiis, Monasteriis tamen aut sæcularibus præjudicialibus.*
8 *Judici incumbit favorem Religionis attendere, aut saltem in dubiis litibus transactionem procurare.*
9 *An filio debeatur legitima vivo Patre Religionem professo?*
10 *Quid imputetur in legitimam filii.*
11 *An ab ingrediente sit Monasterio in sua dispositione necessario aliquid relinquendum.*
12 *Monasterium succedit in locum parentum.*
13 *Si nihil relinquatur non rumpitur totum testamentum.*
14 *Auth. si qua Mulier. an habeat aliquam vim, & obligationem respectu Monasterii.*
15 *Sententia negativa nititur forti ratione, & facili responsione ad contrarium.*
16 *Religiosus professus an possit revocare testamentum prius factum.*
17 *Qualiter ingrediens possit inter vivos res sua alienare.*

DEsumitur hoc assertum ex auth. *nunc auth. C. de Ep. & Cl.* & auth. *ingressi C. de SS. Eccles.* ubi ita expressè constitutum habetur, sed difficultas esse videtur an etiam bona feudalia, fideicommissa familiæ, item, & empbyteutica transferantur in Monasterium? Resp. talia bona posse retineri à Monasterio, quamdiu Religio- 1
sus vivit, quia si Religiosus in sęculo mansisset, potuisset ista bona possidere ad vitam suam, ergo non debet esse deterioris conditionis, si Monasterium ingrediatur: neque enim Clerici, & Monasteria sunt feudorum incapacia, ut constat ex lib. feud. *ex tit. de Capitulis Corradi in fin. & ex c. ex transmissa de Foro comp.* Vid. Fach. *7. c. 35.* Verùm post mortem Religiosi prædicta bona ad alios consanguineos, vel dominum directum revertentur, quia feuda (nisi sint merè hæreditaria pro hæredibus quibuscunque data) item fideicommissa familiarum non ad quosvis hæredes, sed tantùm ad eos, qui de certa sunt familia, pertinent ad illius familiæ splendorem, & propagationem. Emphyteusis quidem ad extraneos hæredes devolvitur, in ea tamen Monasterium propterea non succedit, quòd Domini directi conditio durior constitueretur; cùm enim Monasterium nunquam moriatur *arg. L. proponebatur ff. de judic.* nunquam etiam Domino deberetur *laudemium*, nisi quod aliquando novum pactum fiat cum Monasterio, ut loco laudemii certa aliqua pecunia, vel res alia certo tempore, præsertim verò si Prælatus moriatur, vel novus eligatur, persolvatur. Vid. Tambur. *de jure Abb. tom. 3. disp. 11. q. 4.*

Illud quoque hic adnotandum, si Vassallus, vel Em- 2
phyteuta faciat professionem, non teneatur Monasterium, *renovatione Investitura* petere, vel præstare *laudemium*, quia persona Vasalli non mutatur, cùm Monasterium tantùm retineat feudum, vel Empbyteusin, quatenus Religiosus professus unam fictam personam cum

Mooa-

Monasterio constituit, quæ fictio identitatis personæ per
mortem naturalem Religiosi solvitur , & propterea et-
iam fideicommissum , feudum , & Emphyteusis à Mona-
3 sterio recedit . Quemadmodum per eandem fictionem ex-
plicari potest , qualiter usufructus , quem aliquis in sæ-
culo habuit , ad Monasterium transeat , saltem quoad vi-
tam usufructuarii , cùm tamen usufructus jus merè per-
sonale sit , & in alium transferri non possit . *L. si usufru-
ctus 66. ff. de Jure dotium .*

4 Utrum autem faciens dispositionem ante ingressum
teneatur adhibere solemnitates Juris Civ. hic non impor-
tunè quæritur ? Et quidem si Monasterio aut piis caussis
velit relinquere res suas , non est tantum dubium , quin
absque dicta solemnitate id facere possit , ut paulò post
dicemus . Item si per donationem aliúmque similem
actum inter vivos disponere intendat , nulla solemnitas ,
sed probatio tantùm necessaria erit . Tota ergo difficol-
tas versatur circa dispositionem per modum testamenti ,
& ad profanas causas , si v. g. amici aut consanguinei hære-
des instituantur ? Etiam hoc casu non requiri solemnita-
tem Juris Civ. dummodo testamentum contemplatione
ingressus factum sit , docet Clarus *in §. testamentum , quæst.*
28. *nu.* 2. & ibidem Harpr. *in addit. n.* 1. post Barth. Bald.
Decium , & alios ibidem cc. argumento à militibus sæcu-
laribus (quibus conceditur sine solemnitate testari , etiam
eo casu , quo proximè accingendi sunt militiæ . *L. pen.
& t. tit. ff. de Milit. test.*) ducto ad milites spirituales ,
qui pugnant pro defensione spiritualium , & animarum ,
quæ omnibus temporalibus præferenda sunt , *c. solitæ vers.
quod autem de Major. & obed.* * Verùm cùm hæc senten-
5 tia parum sit favorabilis Monasteriis , quibus per testa-
menta auferuntur bona aliàs ipsis debita , ideo ad sum-
mum eam admittimus , si quis , dum actu Novitius est ,
talem dispositionem faciat , tunc enim jam translatus ad
forum Ecclesiasticum (licet possit regredi sicut Clericus
in minoribus constitutus) non videtur legibus civilibus ,
sed Jure potius Canonico obligari , *cap. quod Clerici de
Foro comp.* Faciunt tradita à Laur. de Franch. & Pasqual.
in addit. de Controvers. Reg. p. 2. q. 28. Tamb. *de Jure Abb.
tom. 3. disp. 6. q.* 28. Contrarium autem putamus dicen-
dum cum Salicet , *in auth. si qua mulier C. de SS. Eccles.*
& sequacibus , quando dispositio fieret omninò extra
Monasterium , ubi aliquis nec de foro Ecclesiastico est ,
nec *confestim* recipiendus ad veram militiam spiritualem ,
scil. ad professionem , sed tantùm ad hujus militię tyro-
cinium , optimus textus *in l. ex eo 42. ff. de Milit. Testam.*
Non obstat *Nov. 5. c. 5.* ubi Justin. Imp. dat licentiam in-
gressuris Monasterium , ut rebus suis prius uti possint ,
quo voluerint modo : nam intelligitur vel de actibus inter
vivos nullam solemnitatem requirentibus , vel de *modo* di-
stribuendi quid , quantum , & cui placuerit , non verò de
modo formæ , & solemnitatis : neque enim credibile est Im-
peratorem voluisse ex testamento non solemni tam faci-
le adimere bona Monasteriis , quæ *in d. Nov. 5. c. 5. & d.
Auth. ingressi* , voluit præ omnibus aliis hæredibus (exce-
ptis liberis) iisdem competere , præsertim cùm testamen-
ta extra Monasterium condita multis dolis sint obnoxia .

6 Præterea quæritur , an executio dispositionis ingredi-
entis Monasterium statim facienda sit post professionem ,
vel exspectanda sit mors naturalis professi ? R. si ingredi-
ens actum inter vivos v. g. donationem fecerit , talis actus
sicut statim obligat , ita statim executioni mandandus erit
si verò ingrediens disposuerit per actum ultimæ volunta-
tis , testamentum , codicillum &c. tunc si Monasterio ali-
quid reliquit , id statim Monasterio acquiritur , quia idem
fieret , licet dispositionem non fecisset , *d. auth. ingressi.*
Sin autem extraneis reliquerit , consuetudo locorum in-
primis attendenda erit , à qua abstrahendo multorum est
doctrina cum Barth. *in auth. si quia mulier C. de SS. Ec-
cles. n.* 20. Panorm. *in c. in præsentia De Prob. n.* 60. quos
sequitur Cov. *c. 2. de Testam. n.* 6. Sancb. *de Matrim. lib. 6.
disp. 17. n. 9.* esse distinguendum inter Monasteria bono-
rum capacia , & incapacia , ita ut in his professio Religiosi
æquiparetur quoad executionem testamenti morti natu-
rali , in illis verò mors naturalis expectanda sit , & inte-
rim Monasterium bona possidere debet , nisi ingrediens
nominatim aliter disposuerit .

7 Plures adhuc aliæ quæstiones hoc loco ventilandæ fo-
rent , quæ cùm incerti prorsus Juris sint , malumus in iis
judicium nostrum certis de causis suspendere . Refere-
mus nihilominus *remissivè* singularum quæstionum sta-
tus , & authoritates , sit in arbitrio religiosi , & boni Ju-
dicis alterutram sententiam consideratis locorum con-
suetudinibus , & circumstantiis , expensis itidem decidendi
rationibus amplecti , sciatque observare , quod *ait I.C. in
l. sunt Personæ 43. ff. de Relig. & sumpt. fun. summam esse
rationem , quæ pro Religione facit* , atque in dubio preferre
sententiam pro causa magis favorabili *c. ult. de Sent. & re
jud.* aut certè si absoluta pronuntiatio pro alterutra parte
videatur nimis dura , consultò faciet transactionem inter
Monasterium , & suum collitigantem habita considera-
tione opulentiæ unius , & indigentiæ alterius omni melio-
ri modo procurando , ad quam aliquando in lita valde in-
tricata præsertim diuturna per media compulsorialia par-
tes adigi posse docet Panorm. *in c. cum inter de Elect. n. 9.*
Barb. *de Offic. Ep. p. 3. alleg. 89. n. 9. per tex. in c. placuit
& passim in dist. 90.* Laym. *in Theol. mor. lib. 1. tract. 1. c. 5.
n. 16. V. quæres* , ubi etiam addit licere aliquando Judici in
causa valde dubia , quam post accuratam discussionem
decidere non potest , cuique parti dimidium adjudicare ,
quod an extra casum , & vim transactionis procedat ,
diversæ sunt DD. opiniones , quas examinare non est
hujus loci , & instituti .

Prima igitur talis *quæstio* est , an si Pater Religionem 8
professus habeat liberos in sæculo , teneatur ipse , vel
Monasterium ejus loco , dare in vita sua legitimam istis
liberis , aut ex natura correlativorum filius professos le-
gitimam suis parentibus , casu , quò fortassis bona ad-
venticia aut similia ab aliis , quàm à parentibus adquisi-
ta haberet ?

Pro affirmativa est tex. *in c. cùm simus de Regular.* & 9
ibid. docet Barb. *n.* 2. cum aliis allegatis . Negativa è con-
tra fundatur in communi regula , quòd viventis non sit
hæreditas , nec quamdiu adhuc jus est utendi bonis , scil.
ante mortem naturalem (quod in proposito saltem con-
petit Monasterio una cum Religioso) computatio aut
executio legitimæ fiat . Ita sustinent multi DD. apud eun-
dem Barb. *d. l. n. 1. cc.* qui etiam simul ad *d. c. cùm simus* re-
spondent , ibi verisimiliter Patrem jam fuisse mortuum ,
cùm filius petierit legitimam ex *successione* sibi debitam ,
successioni autem ante mortem regulariter locum non
esse constat . Notanter hic adjici potest , quod Justin. *Nov.
5. c. 5.* statuerit , ut in legitimam filiorum imputetur dos , &
donatio propter nuptias , vel si quid aliud eis à parenti- 10
bus donatum fuerit .

Secunda est quæstio , an faciens dispositionem ante pro- 11
fessionem teneatur Monasterio relinquere portionem
aliquam per modum legitimæ ? Negat Pan. *in c. in præsen-
tia de Probat.* 52. eò quòd *in Nov. 5. c. 5.* absolutè detur po-
testas ingredienti disponendi , prout vult , & speciale fit ex
auth. si qua mulier C. de SS. Eccles. in parentibus , ut si
post professionem velint disponere inter liberos , tenean-
tur saltem unam portionem filialem suo Monasterio re-
servare , cum aliàs totum , extra legitimam liberorum ,
fuisset Monasterio acquisitum .

Affirmat autem quæstionem D. Antonin. apud eundem
Pan. *d. l.* Gloss. quam allegat Barth. *in auth. si qua mulier n.
3.* & videtur approbare Cov. *de Testam. c. 2. n. 10. vers. ipse
verò* . Ratio esse potest , vel quòd Monasterium habeatur
loco filii , *arg. d. auth. si qua mulier , &c. in præsentia de* 12
Probat. * vel potius , quòd Monasterium jam quoad spi-
ritualem regenerationem , & directionem , ac continuam
alimentationem toto vitæ tempore duraturam succe-
dat in locum parentum , æquitas proinde suadere vide-
tur , ut jure parentum in exigenda portione legitima uti
possit juxta regulam , quòd subrogatum participet jure
ejus , in cujus locum subrogatur ; quæ sanè non minima
ratio fuit , cur Justin. Imp. tam enixè , & repetitis vicibus
constituerit , ut ingredientis omnia bona saltem sine
prævia dispositione , Monasterio acquirantur . Idque in
Monasteriis non bene dotatis aut depauperatis , maxi-
mè verò non extantibus liberis naturalibus , tantò ma-
gis procedere videtur , eo ferè modo quo filii parentes
inopes , Ecclesia Patronum pauperem , propter bene-
ficia ab istis personis accepta potius , quàm extraneos ale-
re tenentur .

Illud tamen multi fatentur propter defectum legitimæ 13
Monasterio relictæ non corruere totum testamentum ,
sed

sed tantum peti posse legitimam. Vide Covar. *d. cap.* 2.

14 *Tertia est quæstio*, utrum Imp. *in auth. si qua mulier C. de SS. Eccles. desumpta ex c. si qua mulier. Nov.* 123. potuerit parentibus (quod aliqui etiam ad liberos respectu Parentum ob correlationem extendunt, aliis tamen dissentientibus Vid. Barb. *ubi infra n.* 18.) dare licentiam testandi inter liberos post professionem ubi nullum amplius habent dominium *juxt. Nov.* 5. *c.* 5. & bona jam de facto Monasterio acquisita excepta legitima liberorum? Communis sententia affirmat, eò quod *d. auth.* sit in Decretum Gratiani relata *cap. si qua mulier* 19. *q.* 3. & ita saltem tacitè approbata à Pontificibus, qui illud Decretum in Scholis, & Judiciis recipi patiuntur. Neque ajunt, hæc dispositio est propriè testamentum factum à Domino bonorum, sed divisio inter liberos facta tanquam ab administratore ab ipso jure ad hunc effectum constituto. Ita Barb. *in collect. ad d. auth. si qua mulier. n.* 5. *&* 12. Molin. Less. Sanch. & alii apud eum citati.

15 Negat etiam Navar. *de Regul. consil.* 2. *n.* 13. cujus sententia firmiori videtur niti ratione, & pro ea dici potest, Imperatorem non habuisse potestatem disponendi circa bona de facto Ecclesiæ per translationem Personæ in statum Ecclesiasticum acquisita, (sunt enim bona personæ concomitantia ejusdemque gaudent exemptionis, & fori privilegio, *c. quamquam, de Cens. in* 6. *c. si quis* 5. ubi Panorm. *n.* 3. *de Foro compet.*) aut obligandi Monasterium ut ea extraderet illis, quibus Religiosus jam professus qui secundum Canones nec nolle nec velle habere censetur, *c. ult. de Sepult. in* 6. per novam dispositionem reliquisset, quia constitutiones Civ. etiam de cætero favorabiles, si aliquam obligationem contineant, & non habeant rationem meri privilegii, non stringunt Ecclesias, *c. Ecclesia* 10. *& ibi DD. de Constit.* Quod verò dicitur, eandem auth. à Gratiano in Decretum relatam, à Pontificibus tacitè approbatam censeri, facilè, meo quidem judicio, responderi potest, eo modo censeri approbatam, quomodo fuit relata, at non fuit relata simpliciter, sed cùm annexa auth. *nunc autem C. de Ep. & Cler.* quæ prorsus habet contrarium sensum priori authenticæ, ut legenti patebit, ergo &c. per quam responsionem fieret abstractio ab illa quæstione, an omnia dicta Gratiani habeant auctoritatem legis, & sint approbata à Pontificibus.

16 *Quarta est quæstio*, utrum testamentum ante ingressum factum post professionem revocari possit? notanter autem loquor de testamento, actus enim inter vivos statim irrevocabiliter obligant, si eo modo facti sint, quo inferiùs dicemus. Negant Panorm. *in d. c. in præsentia num.* 6 r. Cov. *d. c.* 2. *n.* 9. Fachin. 6. *c.* 15. & alii cc. à Barbos. *ad Trid. Sess.* 25. *de Regul. c.* 16. *num.* 20. Rationem assignant, quod Religiosus post professionem nec dominium, nec jus testandi habeat, nec testamentum debeat ab alterius scil. Abbatis, sicut nec filiifam. à patris arbitrio dependere, cum tamen Religiosus sine consensu Abbatis *nec nolle nec velle* habeat, *c. fin. de Sepult. in* 6. Contrarium docet Barth. *in dict. auth. si qua mulier n.* 14. Aretin. *in l.* 1. *ff. de Testam. n.* 5. Jason. *in d. auth. si qua mulier n.* 33. & quidam alii apud Barb. *d. n.* 20. *v. contra*. Si enim juxta superiùs dicta, testamentum in Monasterio bonorum capaci non confirmatur ante mortem naturalem Religiosi, & dominium interim manet penes Monasterium, & eatenus penes Religiosum, quatenus cum Monasterio unam fictam personam constituit (nam Monasterium non pro muris, & ædificiis, sed collectione Religiosorum accipitur) ergo nihil videtur obstare, quin à Religioso cum consensu Abbatis revocari possit, si non faciendo testamentum aliud saltem prius lacerando, & declarando se velle pro favore Monasterii ab intestato decedere, *l.* 1. *§.* 3. *ff. de His quæ in Testam. del. l. pen. Cod. de Testam.*

17 Pro coronide hujus materiæ de dispositione ingredientium Monasterium, & quia hactenus circa solemnitatem, executionem, & revocationem distinximus actus *inter vivos* ab actibus *ultimæ voluntatis*, hic adjicienda est quæstio, an ergo ingredientes quoscunque actus inter vivos validè, & irrevocabiliter celebrare possint? R. licet aliàs quilibet rei suæ moderator sit, & arbiter, ac cæteris paribus, si scil. legitimæ ætatis, sui juris, & sanæ mentis sit, liberè de rebus suis disponere valeat, *l. in re mandata C. Mandati*, atque contractus semel initi fiant necessarii & regulariter irrevocabiles, *l. sicut Cod. de O. & A.* quia tamen facilè accidere potest, ut ingressuri Religionem nimio zelo ducti, nec prævidentes inconstantiæ, & regressus, fortassis ob novam causam morbi aut alia pericula bona sua præmaturè in alios distribuant, ita ut, si ex post facto ad sæculum redire vellent aut deberent, magna egestate laborarent, ideo Concil. Trid. *Sess.* 25. *de Regul. c.* 16. pro favore ingredientium edidit constitutionem in hæc verba: *Nulla renunciatio aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujusque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, aliter verò facta etiam si cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata sit irrita, & nullius effectus. Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu Novitii, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quoque prætextu à parentibus, vel propinquis aut curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facile si discesserit, id recuperare possit: quin potius præcipit S. Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc ullo pacto fiat, & ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua erant, &c.*

Itaque ex hoc textu satis constat, ut contractus, vel obligatio ante Professionem facta valeat irrevocabiliter, tria debere concurrere. I. Ut fiat intra duos menses proximos ante professionem. II. Ut fiat cum licentia Episcopi, vel ejusdem Vicarii. III. Ut Professio subsecuta sit.

Explicatur hæc Trid. constitutio per DD. quos plena manu refert Barb. *ad d. c.* 16. *Trid. & de Offic. Episc. alleg.* 90. *n.* 17. ut præter donationes liberales comprehendat etiam renunciationem beneficiorum Ecclesiasticorum, & Officiorum sæcularium saltem quæ fiunt in favorem alicujus certi, fidejussionem, liberationem, qua Novitius Tutorem, vel Curatorem suum à reddendis rationibus liberat; item ut intelligatur de professione subsequenti valida, & non sufficiat professio de facto tantùm emissa, si jure non subsistat, nisi ex post facto de novo ratificetur: Et demum ut locum habeat non tantùm de Minorennibus, sed generaliter quibuscunque etiam majorennibus, ut à Sac. Congregatione declaratum referunt cc. apud Barb. *d. allegat.* 99. *n.* 18.

Restringitur verò eadem constitutio, ut non comprehendat contractus onerosos v. g. emptionis, venditionis, permutationis &c. in quibus tantundem recipit Novitius quantum dat: neque testamenta, codicillos aut donationes mortis causa, quæ ex sua natura revocari possunt, si Novitius ex Monasterio regrediatur, tanquam morte naturali, vel civili non confirmata: neque victum aut vestitum, quem pro se tribuit Novitius Monasterio. Item in aliquibus Religionibus usu receptum non esse, ut ab Episcopo petatur licentia disponendi de rebus suis, ex Vega & Sanch. refert Barb. *d. c.* 16. Trid. *n.* 28.

Deniqua multi DD. existimant hoc Concilii Decreto, quod expressè tantùm de Novitiis loquitur non comprehendi obligationem, aut renunciationem factam ante Novitiatum adhuc in sæculo, alii verò contrarium sustinent putantes, Concilium æquè de dispensatione in sæculo facta, quàm in Novitiatu intelligendam esse, dummodo intuitu ingressus facta sit. Vid. cc. apud Barb. *dd. locis*. Prioris sententiæ fundamentum sumitur ex communibus regulis, nimirum, quod correctio Juris, vel constitutio pœnalis aut irritans contractus sit odiosa, & strictè, prout loquitur, interpretanda: quòd volenti non fiat injuria: quòd damnum quod quis sua culpa sentit, sibi imputandum sit: quòd ingrediens debuisset fuisse cautiùs mercatus, &c. Posterior sententia fundatur in *mente* Concil. Trid. cujus intentio fuit præcavere, ne ingredientes ob præproperam bonorum distributionem à regressu impediatur, vel certè regredientes in paupertate vivere debeant: quæ ratio tantò magis etiam circa existentes in sæculo procedit, quantò ipsi eventum Religionis, & supervenientes causas regressus minus prævidere possunt. Et aliàs frequenter eludi posset Concilium, si nimirum curarent parentes, vel consanguinei, ut ante ingressum liberi renunciarent, ne deinde post ingressum possent retrocedere. Accedit etiam ratio æqui-

tatis, quòd lo dubio potior sit conditio ejus, qui certat de damno vitando, quam qui de lucro captando. Nos hanc quæstionem, quæ sicut sæpe evenire, ita multis tam Monasteriis, quàm sæcularibus præjudicare potest, cùm hic, & nunc nec Judices simus nec consulentes cum superioribus *n.7. & seqq.* relatis, *indecisam*, & Lectori, consideratis utriusque partis rationibus, judicium relinquimus.

ADNOTATIO.

HOc privilegium egregiè in favorem Monasteriorum multis prosequitur Barbosa *I. E. V. lib. 3. cap. 31.* qui omninò videri poterit.

Ad textus *feudales* contrarios plures explicationes adducit Fach. *lib. 5. Cont. c. 35.* ex quibus illa videtur inter DD. receptior, quod intelligendi sint de talibus feudis, quæ requirunt *personales servitium*, quod non sit *pecuniarium*, nec per *substitutum* impleri possit, sicut apertè colligitur ex illa causali, quam tradit feudista I. C. in tit. *de Vasallo Milite, qui arma bellica deposuit, eo quòd desiit miles esse sæculi, qui factus est miles Christi, nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.*

Unde etiam in Regnis, Ducatibus, & similibus dignitatibus non succedit Monasterium, quia requirunt personalem præsentiam in comitiis, bello, &c. benè autem in aliis feudis, licet habeant jurisdictionem annexam; non enim esset ratio impediendi successionem non propter jurisdictionem, quia ea potest exerceri per officiales Monasterii, sicut in aliis bonis Monasterii, cùm alias nec *allodialia* habentia jurisdictionem transirent in Monasterium: non etiam ratione incapacitatis feudi quia Monasteria esse feudorum capacia constat ex t. *dec. Corr. in fin.*

Ad n. 6. in fin. adde rationem disparitatis inter Monasteria bonorum capacia, & incapacia; quòd in his professio magis assimilatur morti naturali, quia dominium nec in communi nec in particulari retinetur, & nisi statim fieret executio testamenti, dominium bonorum in vita Religiosi esset nullius.

Dices in Monasteriis bonorum capacibus professus censetur *civiliter* mortuus. Resp. Quòd Religiosus professus quidem *spiritualiter* moriatur mundo, non verò *civiliter*, id est quoad effectus juris civilis, alias ne quidem cum consensu Prælati posset agere in judicio, & minus Judex esse, neque succedere; deinde mors civilis non confirmaret, sed potiùs irritaret testamentum *§. 5. Inst. quib. mod. test. infir.* quod autem Religiosus non possit testari post professionem, fit exinde, quòd suam voluntatem in alium resignarit, nec amplius sui juris sit, sicut arrogatus filiusf. effectus. Minus Religiosus perdit *libertatem* in sensu juris, aut efficitur *servus* jux. dict. *priv. XI.* certè nec filius prohibente patre pro suo libitu agere potest, nihilominus homo *liber* non *servus* est. Quamvis enim libertas describatur, quòd sit *naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet*, additur tamen: *nisi quid vi aut jure prohibeatur.*

Ad eundem n. 6. in fin. ibi *nisi ingrediens aliter disposuerit*, adde Molinam *de J. & J. disp. 140. n. 4.* ita legata possunt in vita testatoris præstari, & aliquid *pro legato* in vita testatoris usucapi potest, Rath. *Tract. de Usuc.* c. 3. *assert.* 21.

Ad n. 17. Quæres, an illa constitutio Conc. Trid. etiam in terris Imperii obliget? Resp. Affirmativè I. Quia loquitur de Novitiis, qui sunt de foro Ecclesiastico, ergo in eorum dispositionibus attenditur Jus Canonicum, *c. quod Clericis de Foro comp.* Non obstat quòd postea redeant ad sæculum, nam ad valorem contractus spectatur tempus, & locus, quo initus est. II. Quia jus civile suppletur per Canon. ex causa æquitatis *c. 1. de Nov. op. nunc.* licet verò jus civile sit contrarium in terminis generalibus *in re mandata C. Mand.* non tamen in hoc speciali casu, ubi multa æquitas pro jure Ecclesiastico pugnat. III. Quia causa de qua disponit Trid. rectè censeri potest inter *Ecclesiasticas*, cum agatur de impediendo regressu ex Monasterio.

PRIVILEGIUM X.

Monasterium succedit Novitio sine legitimis hæredibus defuncto.

1 *An Monasterium succedat Novitio extantibus Consanguineis? remissivè.*
2 *Non extantibus Consanguineis excludit fiscum.*
3 *Donatio ante professionem facta Monasterio non irritatur, licet professio morte præventa sit.*

QUidquid sit, an Monasterium succedat Novitio 1
sine Testamento defuncto, si Consanguineos habet, & saltem *tacitè* professus non sit, quod aliqui affirmant, aliqui negant apud Clarum *in §. Testamentum q.* 28. Fachin. 6. *Controv. c.* 19. Barb. *in auth. ingressi Cod. de SS. Eccles. n.* 5. Mol. *disp.* 140. *n.* 2. Sanè si Consanguineos Novitius defunctus non habeat, putamus Monasterio priùs, quàm Fisco Successionem adscribendam.

Nam si quis ex aliquo Collegio honesto aut corpore 2
Decurionum, Militum, Naviculariorum &c. decedat sine legitimis hæredibus, bona ipsius non ad fiscum, sed ad ipsum Collegium deferuntur *l. 1. & t. t. Cod. de Hæred. Decur.* At verò Novitius censetur esse de Collegio, & corpore Monasterii, cum ibidem habeat forum Judiciale & Parochiale, item, & privilegium Canonis, ergo &c. idque confirmatur *ex l. Si quis Presbyter* 20. *C. de Episc. & Cler.* ubi generaliter deciditur, quòd in bonis quarumcunque personarum ad vitam, vel servitium Ecclesiasticum destinatarum, si absque legitimo hærede defungantur (quod tamen hodie in Religiosis *Professis* aliter se habet, in quorum bonis etiam Consanguinei excluduntur, quibus legitima non debetur: *auth. nunc autem Cod. jam d. c.*) non fiscus, sed Ecclesia succedat. Facit etiam tex. *in l. 10. ff. de Jure fisc.* quod in dubiis quæstionibus contra fiscum rectè respondeatur.

Sed quid, si Novitius intra duos menses proximos an- 3
te professionem inter vivos donaverit res suas Monasterio, & postea ante Professionem tacitè, vel expresſè emissam decesserit, anne Monasterium res sibi donatas petere, vel retinere poterit? Ratio dubitandi sumitur ex Concil. Trident. *sess. 24. de Reg. c. 16.* ubi quæcunque renuntiatio aut obligatio antea facta effectum non aliter sortiri dicitur, quàm secuta professione.

Verum non obstante hac dubitandi ratione existimo donationem esse validam, & irrevocabilem, quia intentio Concilii tantùm fuit providere, ne, vel ultimo momento regressus ex Monasterio impediatur, ergo ubi amplius non est libertas regrediendi, scil. post professionem vel mortem naturalem, tollitur etiam dicta Concilii dispositio, & habet locum, quod dicitur, cessante ratione legis cessat ipsa lex. *l. adigere v. quamvis ff. de Jure Patron.* & leges ita interpretandæ sunt, ut verba intentioni, non intentio verbis deserviat, *cap. secundò 31. de Appell. l. scire leges ff. de LL.*

ADNOTATIO.

AD *num.* 3. Dices, quando præscribitur forma actui non habet locum illa Regula *cessante causa &c.* sicut si matrimonium coram 100. hominibus sine Parocho contraheretur. Resp. Professionem non esse *formam* dispositionis, quia eam non ingreditur, nec ejus solemnitatem, sed tantum esse conditionem, à qua dependeat dispositionis executio.

PRIVI-

PRIVILEGIVM XI.

Religiosus quidquid acquirit, acquirit Monasterio.

1 *Claudicat similitudo inter Monachum, & servum.*
2 *Justin. extollit statum Monachalem.*
3 *An ut Religiosus teneatur ad paupertatem, necesse sit eam expresse vovere.*
4 *Fugitivi acquirunt Monasterio. An etiam ejecti? remissive.*
3 *Quid de bonis transeuntium ab una Religione ad aliam.*
6 *Quid, si legetur Religioso aliquid sub conditione, ut ad ipsum, & non ad Monasterium pertineat?*
7 *Prælatus potest Religioso concedere peculium ad honestos usus, & ex causa.*
8 *An Monasterium teneatur ex contractu Religiosi?*

NOn tantùm bona, quæ Religiosus ante professionem habuit, cedunt Monasterio, ut superiùs explicavimus; sed etiam quæ post professionem sive per propriam industriam, sive per alienam largitionem acquirit: etenim Religiosus propter votum paupertatis proprium aliquid habere non potest.

1 Non tamen exinde inter Religiosum, & servum paritas est; ut quidam imperiti sibi imaginantur. Nam servus nullo respectu quid proprium habet, sed quidquid acquirit, domino acquirit, etiam ignoranti, & invito. Monachus quamvis ex sua particulari persona nihil proprium habeat, ea tamen quæ toti Monasterio, etiam ipsi jure identitatis quatenus in corpore Monasterii esse habet, sunt propria. In aliis quoque valde claudicat similitudo, & ut sexcentas disparitates prætereamus: ecce servus ne quidem cum consensu domini potest munera publ. vel judicialia obire, cùm dominus per suum consensum non possit derogare Juri publico, quòd servum à talibus muneribus prohibuit *L. Barbarius ff. de Offic. Prat. L. 1. ff. de Testibus*. Religiosus autem cum consensu sui Prælati potest esse Procurator in judicio. *Clem. 3. de Procurat.* Advocatus *c. 2. & ibi* Barb. *& DD. de Postulando*, imò & Judex scil. Episcopus, vel Vicarius Episcopi Barb. *de Offic. Ep. alleg. 54. n. 22.*

2 * Denique status servilis abjectus est, & vilis, *Conversationis autem monachalis vita teste* Justiniano, *Nov. 5. sic est honesta, sic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem, ut omnem quidem ejus maculam detegat purum autem declaret, & rationali natura decentem, plurima secundùm mentem operantem, & humanis cogitationibus celsiorem*. Sed ad propositum.

3 Q. I. utrum Religiosus, qui non vovit expresse *paupertatem*, sed tantùm obedientiam secundùm regulam, sicut in quibusdam Religionibus usitatum, nihilominus sit incapax *proprietatis*? Resp. affirmativè, quia tria vota *castitatis, paupertatis, & obedientiæ*, sunt Religionis substantialia, & inquit Pontifex, in *c. cum ad Monasterium de Statu Monach.* adeo annexa regulæ Monachali, ut contra ea nec S. Pontif. possit licentiam indulgere. Quare qui se per votum ad religionem ejusdemque regulæ observantiam obligavit, hoc ipso etiam implicitè, & per necessariam consequentiam obligavit se ad ea, quę sunt religionis, & regulæ substantialia Innocent. *in c. consului de Regul. num. 3. Nov. in Comm. 1. de Reg. n. 18. v. vigesimum quartum.* Azor. *inst. Mor. p. 1. l. 12. c. 4. q. 2.* & communiter alii &c.

4 Q. II. Utrum etiam Religiosi *fugitivi* aut *ejecti* acquirant Monasterio? De fugitivis certum est, quòd per suum factum Monasterium Jure, quod in eos habet, privare non potuerint *c. Abbates 18. q. 2.* De illis vero qui perpetuò ab aliquo ordine *ejecti* sunt, inprimis conveniunt DD. quòd tales non liberentur voto *paupertatis*, sicut non desinunt esse Religiosi; Unde nihil tanquam proprium sibi possunt acquirere, sed solùm jus habent ea sibi quærendi, quibus præcisè, & de facto ad sustentationem indigent, Azor. *d. l. c. 6. q. 5.* Navar. *comment. 3. d. Regul. n. 35.* Paulus *p. 3. tract. 16. disp. 3. punct. 19. n. 5.* Tota igitur difficultas est, cui ergo proprietas bonorum per Religiosum ejectum acquiratur. Sunt qui Monasterio, sunt, qui Episcopo, vel Ecclesiæ cui Religiosus ejectus inservivit, adscribant. Videatur Less. *de J. & J. lib. 2. c. 41. numer. 112.* Molina *disp. 140.* Panorm. *in c. 1. de infant. expos.*

Quær. 3. Cui Monasterio acquirat Religiosus qui ab una Religione ad aliam transivit, sicut in *c. licet 18. de Regul.* cuilibet Religioso conceditur ex zelo perfectionis ad strictiorem ordinem transire? R. esse distinguendum inter bona jam priori Monasterio acquisita, & inter bona quæ acquiruntur post translationem Religiosi; priori caso, bona manent irrevocabiliter apud Monasterium, cui semel acquisita sunt, imò etiam illa bona priori Monasterio acquiruntur, quæ cedunt dum Religiosus in secundo Monasterio Novitiatum agit, qui eo tempore adhuc revera est Religiosus prioris Monasterii, quod eum regredientem recipere debet, ergo eidem acquirit. 5

Quòd si Religiosus à mendicantibus bonorum incapacibus transeat ad non mendicantes v. g. Carthusianos, bona in quibus eo tempora, quo transiens erat in religione mendicantium, consanguinei successerunt, etiam imposterùm apud eos manebunt, & similiter quæ tempore Novitiatus in secunda religione obveniunt ad consanguineos devolventur.

Posteriori verò casu, quando scilicet bona acquiruntur post Professionem in secunda Religione factam subdistinguendum est, an secunda Religio sit bonorum capax, vel non, si sit capax, talia bona ad eam pertinebunt, ex prædicta regula, quod quilibet Religiosus acquirat suo Monasterio. Si sit incapax, ut si quis à Benedictinis transierit ad Capuccinos, & ei v. g. deferatur hereditas aliqua, hæc non priori Monasterio à quo per Professionem in secundo planè liberatur est, sed consanguineis adquiretur, ita ex Declarat. Card. *& Decis. Rota Rom.* tradit Barb. *I. E. V. lib. 1. c. 42. n. 91.* Tamb. *de Jure Abbatum. 3. disp. 7. q. 6.*

Quær. 4. Quid censendum, si Religioso aliquid legetur in testamento, vel donetur sub hac conditione, ut ad eum, & non ad Monasterium pertineat? Resp. cùm actus præsertim ultimarum voluntatum ita interpretandi sint, ut valeant potiùs, quàm ut pereant. *L. in contrahenda ff. de R. J. L. qui quadraginta ff. ad L. Falc.* & verba Testatoris debeant intelligi secundum conditionem personæ. *L. plenum §. Equitii ff. de Usu, & hab.* ideo prædicta conditio in hunc modum exponenda erit, ut commoditas sola, & usus pertineat ad talem Religiosum; quod si Abbas consentire noller, corrueret Legatum tanquam deficiente conditione Barth. *in auth. excipitur D. de Bon. qua liber.* Panorm. *in c. Monach. de statu Mon. n. 8.* Molin. *disp. 140. nu. 20.* Si tamen Prælatus consentiat, Monachus verò usum, & commoditatem sibi competentem Monasterio resignet, valida erit resignatio juxta regulam, quòd quilibet favori suò renuntiare possit. *L. pen. C. de Pact.* Sanch. *l. 7. mor. c. 7. n. 6.* 6

Quær. 5. An ergo Prælatus possit dare licentiam ut Religiosus certum aliquod peculium habeat? Resp. Sententiam esse fermè usu receptam, posse Prælatum alicui Religioso aliquod peculium ex rationabili causa (ut quia in studiis, vel alia administratione aut expeditione extra Monasterium versatur) in genere ad usus honestos concedere, dummodo ita concedat, ut non simul potestatem revocandi à se abdicet, & Religiosus paratus sit ad quamcunqoe revocationem Prælati id resignare. Unde statutum Concil. Trid. *sess. 25. de Regul. c. 2.* quòd non liceat Superioribus bona stabilia seu immobilia alicui Religioso concedere etiam ad usumfructum, usum, administrationem, vel Commendam, à plerisque tantùm de concessione perpetua, & irrevocabili intelligitur, Vid. cc. apud Barb. *ad d. c. 2. Trid. n. 1.* 7

Quær. 6. An, quia Religiosus omnia acquirit Monasterio, teneatur Monasterium ex contractu ipsius, vel ad debita solvenda? Resp. non teneri, nisi quatenus tacitè, vel expresse est Religioso commissa aliqua administratio. Quòd si ex facultate superioris versetur aliquis in studiis in loco distanti, vel in aliquo alio negotio, obligaretur Monasterium ad ea, quæ ibi prout attenta qualitate personę, vel negotii recta ratio postulat, contraheret: quoniam eo ipso quod ad id mittitur censetur illi concessa facultas celebrandi ejusmodi contractus. Aliis vero contractibus, 8

quos Religiusus oltra administrationem ac facultatem tacitè, vel expressè ipsi concessam iniret, licet in hoc sensu obligaret secum contrahentes Monasterio sive proprio sive Monasterii nomine contraheret, quod in potestate Monasterii esset illos ratos habera, non tamen obligaret Monasterium, quatenus non posset non habere illos ratos. Ita in terminis docet Molina *d. disp.* 140. *n.* 22. cum Innoc. Pan, Navar. & aliis, cujus verba placuit describere, quia scio decisionem apud nonnullos esse exosem, Utrùm autem saltem fidejussor pro Religioso inserveniens obligetur, vid. apud eundem Molin. *n.* 23. *c. pen. de Fidejuss. & c.* 1. *de Solut.*

ADNOTATIO.

AD *num.* 2. Adde servus potest vendi, manumitti cum periculo, quæ se aliter habent in Monacho, *c. cum Monasterium de Stat. Mon.* Item servus non potest accusare dominum. *L. pen. & fin. C. De his qui acq. non poss.* Monachus potest accusare Abbatem etiam sumptibus Monasterii *c. ex parte* 11. *de Accus.*

Ad n. 3. Adde instantiam de Clerico suscipiente majores Ordines, quibus cum votum castitatis annexum sit, hoc ipso Clericus id implicitè vovere censetur, *c. un. de Vot. in* 6. Est enim promissio non tantùm *expressa*, sed etiam *tacita*, *& implicita*, quoties agitur talis actus, qui secum trahit obligationem. *L.* 2. *&* 4. *ff. de Pact. & t. t. Inst. de Oblig. ex quasi contr.* Nec curatur, licet professus *habitualiter* ita fuerit dispositus, ut si scivisset se obligandum ad *paupertatem*, non fecisset professionem, quia *habitualis* dispositio non attenditur in illis contractibus, qui *traditione sui* perficiuntur, sicut matrimonium, & professio Religiosa. Dixi *in Lib. IV. Decretal.* de Sponsal. *§.* 4. *num.* 4. imò quamvis *actualem* dissensum ad paupertatem posuisset profitens, licet tunc *ex voto* non obligaretur, esset tamen incapax proprietatis ex dispositione *Regula, & jure communi d. c. cùm ad Monasterium, &c. ex parte c. de Accus.*

Ad num. 4. Si Religiosus *injustè* ejectus sit, omnes fatentur talem ejectionem non nocere Monasterio, quod sine culpa jure suo privari non debet: neque delictum Prælati nocet Ecclesiæ *cap. delictum de R. J. in* 6. Idem videtur dicendum, si ejectus salva disciplina regulari potuisset reconciliari Monasterio, & tantùm per Prælatum stetit quo minus reconciliaretur *arg. c. ult. de Regular.*

PRIVILEGIUM XII.

Monasterium solvit jus Patriæ Potestatis.

1 *Assertum procedit in favorem non in odium Monasterii.*
2 *Bona obvenientia filio post professionem censentur esse quasi castrensis peculii.*

1 HOc assertum ita simpliciter tradit Penorm. *in cap. in præsentia de Prob. numer.* 54. Sed notabilem ampliationem ponit additio ad Panorm. *d. l. cum* Bald. Barth. Paul. de Cast, ut procedat in quantum patria potestas est Monasterio onerosa, non autem in quantum est favorabilis. Unde filiusf. per ingressum in Monasterium jura Successionis, & suitatis non amittit.

De usufructu etiam Patri in bonis adventitiis filiif. competenti, aliqui non improbabiliter statuunt, eum per professionem filii quidem amitti, & consolidari cum proprietate non autem per professionem Patris. Qua de re diversæ DD. opiniones videantur apud Panorm. *d. l.* Molina *d. c.* 140. *num.* 8. & 12. Fach. 6. *cont. cap.* 52. Cujus novum, ut ipse appellat argumentum (ex quo probare vult Patre Religionem professo usumfructum redire ad filium) neminem movere debet, putat enim usumfructum neque in Persona Patris consistere, neque tanquam jus merè *personale* in Monasterium transferri posse; quod fundamentum falsum esse jam superius in Privileg. IV. *n.* 2. *&* 3. diximus.

2 Hoc apud omnes in confesso est, quòd in illis bonis quæ filio Religionem professo post Professionem adveniunt, Pater nihil juris habeat, sicut omnie bona filiis post susceptum Clericatum advenientia in numerum quasi castrensis peculii redacta sunt.

ADNOTATIO.

RAtio privilegii est quoad *patrem*, quia cum is jam sit in potestate Abbatis, alium in potestate habere non potest: quoad *filium* verò, quia per professionem prorsus ex domo paterna, & patris obedientie abstrahitur, transitque in obedientiam Abbatis incompatibilem cum potestate sæculari paterna. Quod quidem quoad personam filii omnes libenter concedunt, sed tota difficultas est circa *usumfructum* patri in bonis filii competentem. *Negantium* fundamenta duo sunt præcipua. 1. Quòd usumfructum per ingressum filii amitti, non habeatur in jure statutum. 2. Quòd filius per suum factum non possit patri præjudicare. Affirmativa tamen sententia valde probabiliter defendi potest 1. ex textu *N.* 5. c. 5. obi imperator vuit, ut res professi immediatè transeant *omnino* in Monasterium, sed non transit *omnino* quod transit quoad solam proprietatem 2. valet argumentum à *Repub.* & *militia* ad *Religionem* ut priv. XXXVI. demonstrabitur, sed favore Reipub. & militiæ omnis dignitas aut cingulum valens à curia liberare, liberet etiam à patria potestate quoad personam, & bona *N.* 81. *c.* 1. ibi: *peculium eis donans, & liberi arbitrii esse prabens, &c.* ergo &c. Et sicut in priori casu pater in quantum gravatur ex amissione *usufructus*, relevatur ex honore filii, ita in altero ex precibus ex accommodatione sancta, & honesta filii, & honore status Ecclesiastici 3. Cessante patria potestate tanquam causa cessat effectus retentio usufructus *L.* 3. *in pr. C. de Bon. mater.* Ad contraria Resp. ad 1. esse legem *in d. N.* 5. quæ in dubio pro favore piæ causæ explicanda juxta Priv. XXXXII. Et argument. *leg. ex nov.* 81. quod sufficit. *L.* 13. *ff. de LL.* Ad 2. dico, quod filius præjudicet patri per suum factum ex authoritate Legis, sicut si affectaret dignitatem, & consequeretur.

Panorm, in *d. c. in præsentia de Probat.* in ea est opinione, quod patri saltem remaneat *dimidia* pars usufructus *arg. L.* 6. *§.* 2. *C. de Bon. quæ libr.* ubi hoc ita est statutum in præmium emancipationis.

Quod patria potestas cesset in quantum est *onerosa* non autem *favorabilis* Monasterio, & ita filius retineat Jura *suitatis*, iterum probatur argumento *d. N.* 18. *c.* 2. & ex reg. *quod ob gratiam alicujus est introductum, non debet in ejus odium retorqueri c. quod ob gratiam, de Regular. Jur. in* 6.

PRIVILEGIUM XIII.

Monasterium purgat Ingratitudinem filii.

1 *Demonstratur hoc Privilegium satis probari ex Decreto Gratiani.*
2 *Decretum Gratiani amendatum non tantùm est Romæ, sed passim imprimitur, & distrahitur.*
3 *Privilegium probatur scriptura authentica, & testibus.*
4 *In antiquis sufficit imperfecta probatio.*
5 *Temerarium est Gratianum arguere falsi.*

PRivilegium istud ab Imperatore Justiniano concessum Monasteriis, ut filius Religionem ingressus propter antecedentem ingratitudinem exheredari non possit apertè tradit Gratianus *in c. fin.* 19. *q.* 3. Quia verò in vulgatis Codicibus Nov. 123. *c.* 41. ex qua Gratians illud *c. fin.* 1

desum-

desumpsit, non habet eadem formalia, quæ ponit Gratian. ideo in controversiam à quibusdam vocatur, utrum hoc Privilegium ex eodem *c. fin.* sufficienter probetur. Et sufficienter probari, credimus ad oculum (deposito tantisper affectu contrario) demonstrari posse.

2 Supponendum inprimis, librum Novellarum, qui nostris temporibus habetur non esse primum *originale*, à Justiniano Imperatore, vel de ejus mandato conscriptum, fuerunt enim Novellæ primitus Græco idiomate scriptæ, & deinde per diversos authores diversimodè in latinum translatæ, ita ut Gotofr. *ad princ. Nov.* attestetur, se unam eandemque constitutionem multories sibi dissimilem vidisse, & Henricum Agyllæum multas lacunas Haloandrinæ editioni, supplevisse. Nec de facto habemus alicujus Principis authentizationem, quòd Novellæ ita, & non aliter, sicut in vulgaris exemplaribus habentur, in Originali fuerint, vel quòd ea interpretatio ex Græco genuina, & vera sit. Cum tamen ècontra Greg. XIII. per literas ad principium Decreti impressas universis Christi fidelibus notum fecerit, sa opera Cardinalium aliorumque eruditissimorum virorum Decretum Gratiani cum antiquissimis Codicibus contulisse, & ab erroribus emendatum perfectumque reddidisse; Atque hic emendatus Gratiani Codex non tantùm extat Romæ sed Anno 1606. Lugduni impressus ubique distrahitur, & habet titulum: DECRETUM GRATIANI EMENDATUM ET ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATUM, CUM GLOSS. GREG. XIII. PONT. MAX. JUSSU EDITUM AD EXEMPLAR ROMANUM DILIGENTER RECOGNITUM. Et in hoc emendato Decreto supra positum Privilegium expressè habetur insertum, ac pretetea id in antiquis Novellarum codicibus extitisse attestatur *additio* (utique authoritate Pontificis Gregorii apposita, ut colligitur ex præfat. Decreti ad Lectorem) *ad d. c. fin. 19. q. 3.* Cov. ex Harmenop. *in cap. Raynutius de Test. n. 28.*

3 Porrò ex istis omnibus breviter formo tale argumentum: Privilegium quod non extat in *Originali*, & desideratur in quibusdam *copiis* non tamen *authenticis*, & probari potest ex aliis copiis magis authenticis, & testibus &c. Subsumo; sed nostrum Privilegium desideratur in vulgatis Novellarum exemplaribus diversimode ex Græco translatis nec authentizatis, & probatur per emendatum Decretum, & Testes, scilicet Gratianum, ipsum Pontificem *in noto additionali*, & Covaruviam,
4 ergo satis probatur. Ut nihil dicamus, quòd in antiquis Privilegiis, præsertim quando cum antiquitate temporis favor Religionis concurrit, etiam imperfecta probatio sufficiat, sicut generalites in antiquis testes de auditu, famam, scripturam minus authenticam, nota est, & recepta sententia.

5 Quod verò aliqui apud Cov. existiment, Gratianum in causa Monachorum fuisse suspectum sanè mihi valde temerarium videtur, delictum *falsi* de Viro Religioso, & magnæ authoritatis præsumere, quare enim non potius præsumitur de quibusdam Laicis, quòd in odium Religiosorum Novellam Justin. depraverint. Religiosum etiam in causa sui Monasterii esse testem idoneum præcipuè quando ipse hic, & nunc in specie non sentit utilitatem abunde probatur *ex c. insuper c. cum nuncius 12. de Testibus c. etsi Christus 26. in fin. de Jurejur.*

ADNOTATIO.

AD n. 2. additio Reformatorum Decreti authoritate Pontificis adjuncta ac *c. ult. 19. q. 3.* ita sonat, *Hoc caput expresse habetur apud Julianum Antecessorem N. 123. c. 59. in quo aliqui Gratianum reprehenderunt, qui hanc Juliani epitomen minimè videre poterant.*

Ad Num. 3. Novellarum vulgata editio habetur pro authentica quidem ex consuetudine in quantum non apparet de contrario per alias probationes. Ipsum verò *c. 41. N. 123.* non est contrarium *d. c. fin. 19. q. 3.* sed tantùm non habet eadem formalia, ergo nihil impedit, quin ex alia interpretatione, quod ai deest, suppleatur. Dices etiam *Scripturam sacram* variè ab interpretibus transferri, non tamen ideo minus esse authenticam. *Resp.* solam *vulgatam lectionem antiquam latinam* sacræ Scripturæ esse authentizatam per Conc. Trid. *sess. 4.* in illo Decreto *de Canonic. scrip. V. si quis autem* Resp. 2. sicut S. Hieron. quædam supplevit quæ in 7. interpretibus desiderabantur ut illud *ex Ægypto vocavi filium meum, habetur in Lectione Homil. in festo Innoc.* Ita etiam Julianus ex eoque Gratianus potuit aliquid supplere, quod desideratur in vulgatis Nov. Codicibus.

PRIVILEGIUM XIV.

Hæreditatem delatam Religioso capit Monasterium etiam eo repudiante.

1 *Religiosi perdunt Jus succedendi.*
2 *Pater tenetur instituere filium Religiosum.*
3 *Dissensus Religiosi in adeundo hæreditate non præjudicat Monasterio.*
4 *An Religiosi succedant in Majoratu remissivè.*

SI Monasterium bonorum capax sit, tunc Religiosi 1
ejusdem non tantùm in Testamento hæredes scribi possunt, sed etiam suis parentibus, & consanguineis *ab intestato* succedunt, omnesque tales hæreditates Monasterio acquirunt per text. & DD. *in L. Deo nobis 56. §. 1. Cod. de Episc. & Cler.* Adeò quidem, ut testamentum, in quo Pater Filium Religiosum non instituit, ex
causa *præteritionis* expugnari possit, teste Viv. *tom. 2.* 2
com. opin. tit. de Institut. & subst. pag. 82. n. 10. & statutum excludens Monachos à successione invalidum, & contra libertatem Ecclesiasticam pronunciet Barbos. *in d. L. 56. num. 15.* Cov. *in Relect. c. quamvis de pact. in 6. p. 3. §. 2. num. vers.* Marta *de Jurisd. p. 4. cas. 25.* Decius *in cap. Ecclesia. De Constit. num. 49.* ubi attestatur opinionem esse communem.

3 Porrò nihil Monasterio præjudicabit licet Monachus hæreditatem delatam repudiet, tum quia consensus aut dissensus Monachi in Jore effectum non habet, *cap. si Religiosus de Elect. in 6. c. ult. de Sepult. in 6.* tum etiam, quòd Religiosus comparetur filiofam. qui licet repudiet hæreditatem sibi delatam, patri tamen non præjudicabit, quo minus eo invito adire possit, *l. fin. C. de Bon. qua lib.* Barth. *in l. 1. de Vulg. substitut. nu. 21.* Fachin. *6. controv. c. 17.*

4 Utrùm autem Religiosi non tantùm in simplicibus hereditatibus, sed etiam in *feudis*, & *Majoratibus* succedant, videatur affirmans Barb. *in Collect. ad auth. ingressi de C. SS. Eccl. n. 13. & in tract. Jur. Eccl. Un. lib. 3. c. 31. n. 3.*

PRIVILEGIUM XV.

Hæreditatem delatam Religioso capit Monasterium etiam eo mortuo ante aditam hæreditatem.

1 *Religiosus vivo Testatore decedens nihil transmittit in Monasterium.*
2 *Secus si post Testatorem decedat.*
3 *Religiosus retinet Jus suitatis.*

SI Religiosus vivo adhuc Testatore, adeoque ante delatam hæreditatem decesserit, satis convenit inter DD. quòd tunc Monasterium nihil prætendere possit, cum enim viventis non sit hæreditas, nihil juris in ea potuit, Religiosus in Monasterium transferre, sed solam spem, quæ evanuit, ubi primùm Religiosus per mortem desiit esse filius Monasterii. Ita ex Viv. refert Barb. *in d. l. Deo nobis n. 14.*

At verò si Religiosus mortuus sit post Testatorem, & ita jam post declaratam hæreditatem, ista mors

non nocebit Monasterio, quin hæreditatem petere possit, nam cùm Religiosus omnia acquirat Monasterio, ista hæreditas delata, & jus eam adeundi jam semel fuit Monasterio acquisitum, sicut docet Panorm. *in c. in præsentia. de Probat. n. 77.* & Fach. 6. *controv. c. 18.*

Et hæc Conclusio, vel maximè procedit, si de hæ-
3 reditate *paterna* agatur, ubi non tantùm ex ratione prædicta, quòd scilicet Monasterio jus adeundi jam quæsitum sit, sed etiam ex capite *suitatis* (quæ per Professionem non tollitur) in Monasterium hæreditas non adita transmittitur. Barb. *d. l. n. 14.* Bart. *in l. si infanti C. de Jure delib. n. 10.*

PRIVILEGIUM XVI.

Monasterium succedit in Fideicommisso *si sine liberis &c.*

1 *Explicatur assertum.*
2 *Extenditur.*
3 *Restringitur.*

1 SI alicui hæreditas, vel legatum relictum sit, & *si absque liberis decesserit* per fideicommissum ei substituatur extraneus, institutus verò, vel Legatarius Monasterium honorum capax ingrediatur, expirabit fideicommissum, & Monasterium per modum filii succedet.

2 Hoc Privilegium communiter colligunt, & tradunt DD. *ex c. in præsentia. 8. de Probat. & Novella* 123. *c.* 37. Idque extendit Panorm. *in eod. c. 8. n. 46.* ut procedat, tametsi adjectum sit, *si sine liberis legitimis ex suo corpore procreatis decesserit*, quia adhuc testator non de Monasterio, sed liberis *adoptatis*, & *naturalibus tantùm* excludendis cogitasse censeretur.

3 Cessare tamen videtur hæc præsumptio pro Monasterio, si fideicommissum ita conditionatum ad propagationem insignis alicujus familiæ, institutum esset, tunc enim bona ad summum in vita tantum Religiosi apud Monasterium manerent, eò verò mortuo ad substitutos de familia probabilius pertinerent. Vid. Guttler. *Can. qq. lib. 1. c. 33.* Cov. *var. Resol. lib. 2. c. 19. n. 6. & seq.*

ADNOTATIO.

HOc privilegium apertè traditur in Nov. 124. c. 38, his verbis. *Si quis sub conditione nuptiarum, sive liberorum sive dotis causa, ante nuptialis donationis donaverit sive reliquerit suis liberis sive alii cuicunque personæ hæreditatem sive legatum aut ab initio purè relinquens eis oneret eos substitutione aut restitutione, aut sub una prædictarum conditionum reliquerit vel donaverit, substitutiones verò, vel restitutiones eis fecerit adjectis conditionibus quibuscunque ex iis, quas superius enumerata sunt: sancimus, si personæ talibus conditionibus subjectæ sive masculi sive fœmina Monasteria ingrediantur, aut Clerici, Diaconissæ aut Asceteria fiant, tales conditiones invalidas, & pro non scriptis esse*, & paulò post: *in personis enim quæ Monasteria ingrediuntur. Monasterio res sub conditione donatas aut relictas cum alia eorum substantia competere volumus.* Nota præterea ex hoc textu, quòd etiam illa conditio habeatur pro non adiecta, si quis ita legaverit; *Titio si non Religionem ingressus fuerit leg. 100.*

PRIVILEGIUM XVII.

Monasterium non conficiens Inventarium non tenetur in solidum aut ultra vires hæreditatis.

1 *Monasterium per ingressum Religiosi non acquirit ejus bona titulo hæreditario, & ideo non tenetur ultra vires bonorum.*
2 *Sed idem est licet titulo hæreditario succedat.*
3 *Nov. 1. c. 2. non obligat in conscientia.*
4 *Monasterium restituitur contra aditam hæreditatem.*

DUplici casu potest hac de re Monasterio controversia moveri. 1. Si bona ingredientis æri alieno obnoxia occupaverit. 2. si ipsi Monasterio Testamento cujusdam extranei, vel ex persona alicujus Religiosi hæreditas obvenerit, quæ per Monasterium non confecto inventario adita sit.

Primo casu, & vivente Religioso Monasterium non 1
tam *jure hæreditario*, quàm potiùs jure *acquisitionis universalis* (sicut olim arrogator) succedit, & ideo etiam non principaliter, sed tantùm nomine Religiosi ob debita prius contracta, nec ultra vires bonorum conveniri potest. *Arg. §. 3. Instit. de Aquis. per arrog.* ita docet Barth. *in auth. ingressi. n. 57. & in auth. si qua mulier. n. 15. C. de SS. Eccl.* Panorm. *in d. c. in præsentia. n. 75.*

Sed & secundo casu hoc Privilegium Monasterio tri- 2
buunt Panorm. *in c. 1. de Testam.* Barth. *in l. 1. C. de SS. Eccl.* Bald. *in l. ult. C. de Jure delib.* Cast. *in auth. sicut C. de SS. Eccl.* Ratio est, quia constitutio *Nov. 2. c. 2.* ubi hæres non conficiens inventarium etiam ultra vires hæreditatis de suo tenetur creditoribus, fundatur partim in præsumptione fraudis, quòd hæres non conficiens inventarium bona hæreditaria surripuerit, & occultarit, ut ex ipso textu satis luculenter apparet, cujusmodi præsumptio non cadit in Ecclesiam, partim verò dicta constitutio est *pœnalis* lata in pœnam neglecti Inventarii (nec enim *quasi contractus aditionis* videtur esse in immensum ultra æquitatem, & communem hominum intentionem) & quod hæres occasionem fraudi dederit, per text. *in d. c. 2. Nov.* ibi: *dabit eis pœnas exactio suæ malignitatis &c.* pœ-
nales autem constitutiones Imperatorum non ligant Ec- 3
clesiar. *c. Ecclesia 10. de Constit.* * Ex quo etiam infertur, hæredem quemcunque non teneri in conscientia ultra vires hæreditatis si revera non sufficientia bona in hæreditate invenerit,

Quòd autem Ecclesia habeat *restitutionem in integrum*, si ex aditione hæreditatis lædatur, suo loco inferius dicemus, utitur enim Ecclesia jure minoris *c. de In integr. rest.* cui subvenitur, si hæreditatem minùs lucrosam adierit. *L. ais prætor. 7. §. sed & si. 5. ff. de Minor.* 4

ADNOTATIO.

AD Num. 4. Meritò recipiendum est hoc privilegium, quia nec defuncto, nec creditoribus ejus præjudicat; non defuncto, quia eum potius honore afficit, ne bona ejus propter æs alienum subhastentur, nec creditoribus quia illi etiam confecto *inventario* non haberent plus, si supponamus nihil amplius in hæreditate fuisse.

Argumenta contraria sunt. 1. Lex Inventarii etiam Jure Canonico recepta est in c. *Raynaldus in f. de Testam.* R. illud c. patenter loqui de Laicis. 2. Obligatio *ultra vires* non est ex pœna, vel præsumptione fraudis, sed ex *quasi contractu* aditæ hæreditatis, Resp. obligationem quasi contractus supponere tacitum consensum, & æquitatem: nemo autem prudens consentit in sui damnum, nec actus agit ultra intentionem agentis v. g. si musicus canat, aut histrio ludat, non teneor ad maximam mercedem, sed ordinariam; nec est æquitas ut Ecclesia quæ nec defunctum nec creditores ex omissione Inventarii læsit, nihilominus creditoribus de suo solvere debeat, quod non habuissent confecto inventario. 3. Hæres, & defunctus censentur eadem persona, ergo sicut defunctus fuit obligatus *in solidum*, ita, & hæres. Resp. antecedens esse verum in bonis hæreditariis. 4. Quamvis non cadat præsumptio doli in Monasterium, cadit tamen in administratores ejus. Resp. Prælatum esse Inspectorem; deinde delictum personæ non nocere Monasterio. Quòd si etiam hæc ratio foret imponendi pœnam Ecclesiis non injungentibus suis officialibus confectionem Inventarii, tamen eam statuere non fuit in potestate Imperatoris *c. Ecclesia. 10. de Constit.* 5. Etiam multi Laici sunt boni viri in quos non cadit doli præsumptio. Resp. hoc esse verissimum, & propterea Laicos

cos nihil in hæreditate destaudantes non teneti in conscientia ultra vires hæreditatis; intetim in foro externo esse præsumptionem *juris, & de Jure*, contra quam non admittitur probatio in contratium.



PRIVILEGIUM XVIII.

Quod relinquitur Monasteriis in Testamentis non tequirit Juri Civilis solemnitatea.

1 *In relictis ad pias causas non requiruntur conditiones Iuris Civ. nec solemnitas, sed tantùm probatia.*
2 *Secundum Testamentum principaliter ad pias causas conditum, revocat primum conditum ad profanas.*
3 *Excommunicatus potest testari ad pias causas.*

1 ET si de Jure Civili invalidum sit Testamentum, si is, qui fecit, Testamenti factionem non habuit, ut si fuerit deportatus, filiusfam. prodigus, cui bonis interdictum est, damnatus ad ultimum supplicum, mutus, surdus, aut cæcus. *t. t. Instit. quibus non est permiss. fac. Testam.* Item si non adhibuit 7. Testes omni exceptione majores, & reliquas solemnitates præscriptas *in L. hac consultissima C.* de *Testam.* aliter tamen se res habet, si Testamentum ad pias causas condarur aut Monasteriis aut piis causis aliquid relinquatur, tunc enim omnes illos qui sufficienti ratione prædiri & Jure naturali ad testandum habiles sunt, licet de Jure Civili prohibiri testari posse, nullamque *solemnitatem* exemplo Testamenti militaris, & Patris inter liberos sed *probationem* tantùm ultimæ voluntatis tequiri asserimus, sive deinde hæc probatio fiat per testes, etiam fœminas, sive per Scripturam. Neque interest, an Testator partim testatus, partim Intestatus decesserit, an filius legitimam *titula institutionis* teliquerit, an hæredem instituerit, &c. per textum, & DD. *in c. relatum* 11. *de Testam. cap.* 4. *de Sepult. in* 6. *l. t. de SS. Eccl.* Tiraq. *de Priv. pia causa. Priv.* 1. *&* 2. & communiter DD. Et cùm hic de favore animæ agatur, pro qua tale legatum relinquitur, ideo hanc constitutionem non tantùm de Jure Canonico, & in terris Pontificiis, sed etiam in terris Imperii locum habere communis, & vera est sententia Tiraq. *d. l. in*
2 *princ.* * Præterea per Testamentum secundum principaliter ad pias causas eriam absque solemnitate conditum revocati primum factum solemniter coram 7. Testibus tradit Tiraq. *d. l. priv.* 2. cum Castr. Alex. & pluribus aliis.

3 De *excommunicata* dubitatur an Monasterio aliquid relinquere possit? Cùm enim in excommunicatione decedat videtur cessare favor animæ. Affirmativam tamen credimus esse veram: quia non statim perdita est anima ejus, qui in excommunicatione decedit, cùm possit quo ad Deum per contritionem internam fuisse absolurus. Per textum notabilem *in c. à nobis* 17. *de Sent. excomm.* Et deinde licet deesset favor animæ, subesset tamen favor piæ causæ.

ADNOTATIO.

AD Num. 1. Licet DD. passim conveniant, in testamentis *ad pias causas* remissas esse solemnitates testamenti præscriptas *in L. hac consultissima C. de Test.* volunt tamen aliqui, eos, qui de jure civili testamenti factionem non habent, ut deportati, filiif. &c. ne quidam etiam *ad pias causas* testari posse, contra quos expressè, & præ cæteris claré nostram sententiam tenet Riccius *in praxi aur. p.* 4. *Resp.* 80. Ratio utriusque partis est eadem: ideo enim in testamentis ad pias causas solemnitates civiles non attenduntur, quia regulantur secundum *Jus Gentium*, de quo non habemus solemnitates, sed sola voluntas defuncti ejusque probatio sufficit. *Engel de Privil. Monast.*

Atqui omnes isti, quos enumeravimus, quamvis quoad actus civiles sint inhabiles, sunt tamen capaces actuum *juris gentium*, ut contractuum, & similium, quòd autem testamenti factio origine *juris gentium* sit, præclare, & fuse demonstrat Harprecht. *ad princ. t. Inst. de Test. ord. à n.* 62.

Accedit ratio, quòd LL. Civiles non potuerint, nec Christiani Imperatores verisimiliter voluerint, aliquem habentem rerum suarum dominium jura gentium, & testandi privare, quantum id expedit pro salute animæ sc. ad pias causas, facit optimus tex. in *L. 1. C. de SC. Eccl.* ubi Imperator Constantinus *unicuique* dat licentiam, sacris locis quòd voluerit relinquere.

Dices 1. *damnati ad ultimum supplicium* bona acquirunt *fisca*, argo testari non possunt. R. id hodie non obtinere, excepto crimine læsæ majestatis *auth. bona damnatorum C. de Bon. proscript.* & hæresi, *c. vergentis, de Hæres.* in reliquis autem criminibus succedunt ascendentes, & (*juxta d. auth.*) Collaterales usque ad tertium gradum; item uxor accipit dotem, & donationem propter nuptias, vel si matrimonium sine dote sit, partem bonorum juxta *auth. præterea C. Unde vir & uxor.* retinent ergo hodie *damnati* dominium rerum suarum, & quamvis post sententiam latam fiant *peregrini*, & amittant jura *civitatis Romanæ*, non tamen amittunt ea, quæ sunt *juris gentium*, ut testationem *ad pias causas*, dummodò liberis aot parentibus relinquant *legitimam*.

Dices 2. Filiusf. etiam de jure Canon. ad pias causas disponere non potest sine consensu patris, c. 4. *de Sepult. in* 6. R. illud *c.* intelligi, vel de *peculia* tantùm *profectitio*, quod totum est patris, sicut inter se conciliantur. *L. 1. §. 1. ff. de Tut. & rat. distrah. & L. 25. de mort. caus. donat.* vel si intelligitur etiam de *peculio adventitio*. Hinc illud verbum *judicare*, trahendum est ad actum *inter vivos*, per quem scilicet statim fiat rei traditio, & patri auferatur usufructus. At verò per testamentum patri non præjudicatur: quia jam loco ususfructus accipiendo legitimam acquiret partem proprietatis; sicut si una cum fratre defuncti succederet ex communi in parte coheredis usumfructum non haberet, solutum enim per mortem est jus patriæ potestatis consequenter & effectus ejus, scilicet *ususfructus* retentio.



PRIVILEGIVM XIX.

Ex Legibus, vel fideicommissis Monasteria relictis non detrahitur Falcidia, vel Trebellianica.

1 *Heredi debetur quarta.*
2 *Non detrahitur ex legatis piis.*
3 *Legitima filiorum gravari non potest.*
4 *Monasterium hæres detrahit falcidiam ex relictis alteri Monasterio.*

QUod hæredi in Testamento, vel ab Intestato venienti debeatur ad minimùm *quarta pars* hæreditatis, & proinde si Testator tam magna, & multa legata fecerit, ut hæredi sua *quarta* non remaneat, possit per L. Falcidiam de singulis legatis proportionaliter tantùm detrahere, quantum sufficit ad complendam *quartam*, & similiter si Testator jusserit totam hæreditatem per *fideicommissum* alteri restituere, hæres quartam partem ex S. C. Trebellianico deducere valeat, satis constat *ex t. t. ff. & C. ad L. Falcid. & S. C. Trebel.* 1

At verò si Monasteriis aut piis causis fideicommissum, vel legatum relictum sit, ex communi sententia integrum absque ulla detractione restitui debet *per textū in auth. similiter C. ad L. Falcid.* qui textus licet tantùm de *Falcidia* loquatur, favore tamen piæ causæ, & propter *identitatem* rationis etiam ad *Trebellianicam* extenditur, videantur innumeri DD. relati à Tiraq. *de priv. pia caus. priv.* 26. 27. 2

Sed hæc in hærede extraneo locum habent, nam filius suam *legitimam* etiam de legatis ad pias causas detrahere potest, quia *legitima* debetur filiis jure naturæ, & gravari non potest, prout pulchrè D. August. *in cap. fin.* 3

17.q.4. *inquit, si quis exheredato filio haredem fecerit Ecclesiam, alterum quarat qui suscipiat, non Augustinum, & Deo propitio neminem inveniet &c.*

4 Sed quid si Monasterium sit hęrea, & alteri Monasterio legatum relictum sit, anne hoc casu locus erit *Falcidiae*? Affirmamus, eò quòd privilegiatus contra pariter privilegiatum non utatur Privilegio, sed jure communi. Ang. *in d. auth. similiter* Salic. *in auth. qui rem C. de SS. Eccles.* Videri tamen etiam possunt dissentientes apud Tiraq. *de priv. 26. V. Contrarium.*

ADNOTATIO.

AD Num. 1. Ratio etiam hujus privilegii assignari potest, quòd *falcidia* sit tantùm juris civilis dispositio, cui pia causa non subjacet. Item argumentum est, quòd in testamento *militis* (à quo procedit argumentum *ad pias causas*) cesset falcidia *L. in testamento C. ad L. Falcid. L. 1. §. denique ff. ad Trebell.* Est quoque hæc sententia ex præsumpta voluntate defuncti, qui utique in defectu bonorum maluit aliquid decidere hæredi extraneo (cujus amicitia post mortem non indiget) quàm piis causis quæ post mortem patrocinantur animæ. Non obstat *L. 1. d. ad municipium ff. ad L. fal.* quia correcta dici potest per *N. 131. c. 12.* Divinatoria autem est expositio illius textus, *Nov.* quasi hæres fuerit in dolo, quod ibi nec verbo dicitur.

Nec obstat *L. si quis 49. C. de Ep. & Cler.* Ubi Imper. videtur supponere, quòd ad declinandam Falcidiam piæ causæ debeant institui hæredes. R. Imperatorem non dicere hoc debere fieri, sed narrare factum, *si fiat.*

Ad Num. 3. Quidam existimarunt hanc exceptionem declarandam esse, ut procedat, nisi adsint legata *profana*, a quibus possit filius legitimam detrahere, cùm legatarii non debeant esse melioris conditionis, quàm hæres extraneus, qui nonnunquam ob favorem piæ causæ totam *quartam* perdit. Huic sententiæ non repugno, illud adjecerim quòd licèt plures doceant legata ad pias causas tanquam *as alienum* deduci, & sic totam hęreditatem, & *quartam* hæredis minui argumento ducto à *libertate L. si universa C. de legat.* id tamen non procedat circa legitimam filii, quæ debetur jure naturæ, & nec per pia legata gravari, vel diminui potest, *c. fin. 17. q. 4.* ideoque suam quantitatem sumit juxta proportionem omnium bonorum paternorum etiam computatis piis legatis, licèt ab his non detrahatur, sed à profanis.

Ad Num. 4. Non obstat quòd unum Monasterium non præscribat contra alterum nisi 40. annis, quia in *prascriptione* non est utriusque privilegiati par conditio, cùm unum Monasterium certet de lucro, alterum de damno vitando. Item non obstat *L. si quis 49. C. de SS. Eccl.* quia ibi Episcopus non est hæres, sed executor, imò licèt esset hæres, tamen aliud dicendum foret in legato pro redemptione captivorum, ubi captivi certant de damno vitando, & hæres de lucro captando.

PRIVILEGIUM XX.

Donatio ultra 500. solidos facta Monasterio valet absque insinuatione.

1 *Donatio ultra 500. solidos regulariter invalida est absque insinuatione.*
2 *Fallit in piis causis.*
3 *Alia item exceptiones de Jure communi.*

1 LIcet generaliter invalidetur donatio ultra 500. solidos (quo nomine plerumque 500. aureos seu 1000. Imperiales intelligunt) nisi coram magistratu fuerit insinuata. *L. sancimus 34. & L. si quis argentum, 35. §. ult. C. de Don.*

2 Excipitur tamen donatio facta piis causis, & Ecclesiis teste Julio Claro *in §. donatio q. 17. n. 1.* Ratio esse potest, tùm quòd Leges Civiles in dubio non extendantur in præjudicium Ecclesiarum; tùm etiam quòd donando ad pias causas, & pro salute animæ suæ non censeatur aliquis inconsultò agere tex. *in l. si quis 36. in pr. C. d. Don.*

Præterea etiam ex Jure communi Civ. valeret donatio ultra 500. solidos facta Ecclesię, sicut cuilibet alteri. 1. Si pro reparatione incendii, vel ruinæ donatum sit, *l. si quis 36. §. 2. C. de Don.* 2. Si diversis temporibus donationes fiant, ita ut singulæ non excedant 500. solidos, quamvis excedant simul sumptæ *d. L. Sancimus §. 33.* Si Imperator qui supra Leges est, docet *d. L. Sancimus*, quod DD. etiam ad Principes, & Dominos territoriorum extendunt cum Harprechto *in §. 2. Instit. de Donat. n. 145.* 4. Demùm Donatio quæ fit ultra 500. solidos non vitiatur totum, sed tantùm quatenus excedit prædictam summam, *d. L. si quis 36. §. 3. & Nov. 162. c. 1. §. 2.* 3

ADNOTATIO.

AD Num. 2. In contrarium facit *L. illud 19. C. de SS. Eccl.* sed dici potest, principes sæculares non posse suis subditis legem imponere circa contractus in præjudicium Ecclesiæ, maximè si directè de Ecclesia disponant, *c. fin. de For. comp. in C.* Item *d. L. illud.* videtur correcta per *L. si quis 36. in pr. C. de Don.* quæ est posterior & lata *post consulatum Lampadii, & Orestis*, si enim valet donatio cujuscunque quantitatis pro redemptione captivorum, ergo valet generaliter pro redemptione animæ suæ, & ab una pia causa ad aliam bona est argumentatio.

PRIVILEGIUM XXI.

Valet donatio omnium bonorum facta Monasterio.

DOnationem omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum, regulariter non valere communiter tradunt DD. *in l. omnes §. Lucius ff. Qua in fraud. cred.* Sed quidquid sit de veritate hujus sententiæ, exceptio ab ea communis est si talis donatio facta sit piæ causæ Barb. *I. E. V. lib. 2. c. 13. n. 17.* Clarus *d. §. donatio q. 30. nu. 3.* Cov. *in rubr. de Testam. §. 2. nu. 6. tex. in c. perlatum 13. quæst. 3.*

PRIVILEGIUM XXII.

Donatio facta Monasterio non revocatur propter ingratitudinem Prælati.

1 *Procedit assertum, etsi Pralatus cum Conventu ingratus esset.*
2 *Quanam sint causa ingratitudinis, ex quibus revocetur donatio.*
3 *Quare plures causa sint exheredationis.*
4 *Jus revocandi donationem est personale.*

DOnationem revocari posse propter ingratitudinem Donatarii, patet ex *L. fin. C. de Rev. donat.* sed facta Ecclesiæ, vel Monasterio, licèt Prælatus etiam una cum Conventu ingratus esset: quia in donatione facta piæ causæ principalis Donatarius est Deus, Barb. *in c. fin. de Donat. n. 15.* Clarus *d. q. 20. n. 5.* 1

Ad materiæ declarationem obiter hìc addimus, 5. tantùm ingratitudinis species esse expressas *in d. l. fin.* propter quas donatio revocari possit 1. si Donatarius in Donatorē impias manus injecerit. 2. si atroces injurias (*verbales*, ut à priori injuria fiat distinctio) in eum effuderit. 3. si grave damnum rebus ipsius inferre præsumpserit. 4. si vitæ insidiatus fuerit. 5. denique si conditiones seu 2

con-

conventiones in donatione appositas non impleverit. Unde quia imperator *in d. l. fin.* inquit, ex his tantummodo caussis revocari posse donationem, communiter DD. inferunt, quod aliæ causæ licet ad exhæredationem liberorum sufficientes exclusæ censeantur: neque revocari possit Donatio, quamvis Donatarius Donatorem captivum non redemerit, furiosum non curaverit &c.

3 Quare autem 14. causæ pro exhæredatione liberorum assignatæ sint *in Nov. 115. c. 3.* & non tot, & tales pro revocatione Donationis, ista videtur assignari posse ratio, quòd liberi non tantum teneantur malum non agere contra parentes, sed etiam teneantur ipsis *positivè* benefacere, utpote à quibus vitam, bona, & educationem acceperunt, & non facit suum officium filius, si patri injuriam non inferat, nisi etiam egenti, & in periculis constituto succurrat: at verò Donatarius qui tantùm unam, vel alteram rem donatam accipit, tenetur potissimum injuriam Donatori non inferre, alias si teneretur etiam *positivè* benefacere Donatori, Donatio non esset mera liberalitas, sed potius contractus onerosus *do, ut*
4 *facias* &c. * Demum etiam istud adiici potest, quòd Jus revocandi donationem propter ingratitudinem, ex parte donatoris, & donatarii sit ita *personale*, ut nec hæredibus, nec contra hæredes detur *l. his solis 7. v. actionem, & l. fin. hoc tamen, C. de Rev. don.* vid. tamen Barb. *in c. fin. de donat. n. 32.*

ADNOTATIO.

AD Num. 1. Cape instantiam: si quis donaret fratri alicujus principis, sperans beneficium à principe, profectò non revocaret donationem propter ingratitudinem fratris, quia ex donantis intentione principalis donatarius est princeps, à quo sperat remunerationem, ita etiam, quamvis Prælatus ingratus sit, Deus tamen (cujus intuitu donatio facta est, & ad quem dicuntur pertinere bona Ecclesiæ Trid. *sess. 25. c. 20.*) liberalissimus remunerator est. Adde aliam rationem, quòd delictum personæ non noceat Ecclesiæ *ut priv. 26. ex c. delictum de R. J. in 6.*

PRIVILEGIUM XXIII.

Donatio facta Monasterio non revocatur propter supervenientiam liberorum.

1 *Redditur ratio asserti.*
2 *Explicatur difficilis tex. in c. fin. 17. q. 4.*
3 *Quanta debeat esse donatio, ut propter liberos revocari possit, est in arbitrio Judicis.*

1 TAmetsi supponatur illa sententia, quam multi tradunt *in l. si unquam C. de Revoc. donat.* (quibusdam dissentientibus, & putantibus *d. l.* tantùm in Patrono donante suo liberto procedere) ut donatio revocari possit, si post eam donatori contra spem nascantur liberi, quia si cogitasset de superventuris liberis, verisimiliter non fuisset tantam donationem facturus. Nihilominus aliud dicendum erit in donatione facta piis caussis, quia licet quilibet censeatur plus diligere liberos suos, quàm extraneum, non tamen plus quàm Deum, quàm animam suam, &c. Ideo etiam cessat donationis revocatio, nisi, inquantum est necessaria ad complendam legitimam liberorum. Cov. *var. res. c. 19. n. 5.* Panorm. *in d. c. fin. de don. n. 6.* Non obstat *c. fin. 17. q. 4.* ubi refert D. August. factum Aurelii Episcopi, qui Donationem suæ Ecclesiæ factam Donatori propter supervenientes liberos restituit, & subdit Augustinus quòd *Jure poli*, retinere non potuisset.

2 Responderi potest, non potuisse retineri rem donatam *Jure poli*, in quantum fuit necessaria *pro legitima* liberorum, secùs in quantùm superabundavit, nec satis constat, an ipse Episcopus universa reddiderit, & si reddidisset, tamen facta Sanctorum non statim inducunt præceptum.

Advertere etiam hic oportet non quamlibet donationem propter supervenientiam liberorum ex Jure communi revocari posse. Si enim sit exigua, qualem facere solent etiam qui liberos habent, cessat revocatio; quanta autem debeat esse donatio revocabilis, universaliter determinari non potest, sed ex qualitate personarum, divites ne sint, an pauperes, & ex damno filiorum, arbitrio prudentis Judicis discernendum erit. Menoch. *de Arb. Jud. cas. 133. n. 2.* 3

ADNOTATIO.

AD Num. 1. adde, quod aliquis saltem tantundem censeatur diligere animam suam, quantum liberos suos, atqui si uni ex liberis donatio facta sit propter supervenientiam aliorum non revocatur nisi quoad legitimam. *l. 2. & 5. C. de Inoffic. donat. ergo, &c.*

Dices, has rationes rectè quidem procedere, si liberi vellent revocare donationem factam Ecclesiæ, at verò si ipse donator revocet, cessabit præsumptio, quòd plus diligat animam suam &c. R. Talem mentis declarationem esse injustam, & irrationabilem ac proinde jure non admittendam. Sicut si quis donationem factam filio emancipato vellet revocare in gratiam novi amici extranei, quem diceret, se magis diligere quàm filium.

Contra interpretationem *c. fin. 17. q. 4.* obiicies, si illa verba, *non autem Jure poli*, intelligenda tantùm sint de *legitima*, ergo S. August. prius malè dixit, quòd *Jure fori* retinere potest. *Resp.* quòd illa verba *Jure fori* possint habere interpretationem *sub prætextu Juris fori*, ex quo jure donatio dicitur irrevocabilis: sicut ita explicamus *c. filius 5. de Testam.* ubi Pontifex dicit, quòd propter LL. Civiles asserentes valere Legatum rei alienæ invito domino detinere, quem tamen etiam de Jure Civili detinere non licet, nisi hæres redemerit.

Resp. 2. S. Augustinum probabiliter scripsisse ante illos Impp. qui propter supervenientiam liberorum concesserunt revocationem donationis, & ideo dixisse, quòd *Jure fori*, retinere potuisset.

Resp. 3. Augustini authoritatem tanquam DD. Scholastici esse *probabilem*, non *decisivam*, & Decretum Gratiani ex communi sententia revocari ad *primævam authoritatem*, & quòd SS. Patres etiam in multis articulis conscientiam tangentibus inter se fuerint contrarii cuilibet facilè patebit, qui vel parum Decretum Gratiani (quod exinde etiam *Concordia discordantium Canonum* dicitur) inspexerit.

PRIVILEGIUM XXIV.

Pollicitatio facta Monasterio irrevocabiliter obligat, etiam nemine acceptante.

1 *Pollicitatio qualiter differat à pacto.*
2 *Assignatur ratio Privilegii.*
3 *Pollicitatio debet distingui à proposito.*

POllicitatio est solius offerentis promissio *l. 3. ff. de Pollicit.* differt à *pacto*, quòd pactum sit duorum conventio sive promissio ab altera parte accepta. Item quòd pactum simul, ac perfectum est, statim Jure naturali obligat *l. 4. ff. de Pact. Pollicitatio* verò non prius obliget promittentem, quàm si ab altera parte accepta fuerit, ac proinde priùs liberè revocari possit *l. 2. §. sed si donaturus, & l. absenti ff. de Donat. l. nuda pollicitatio C. de Contrah. stipul.* 1

Verùm si Pollicitatio facta sit Ecclesiæ, Monasterio, vel alteri piæ causæ, statim obligat etiam nemine acceptante, cum censeatur facta principaliter ipsi Deo, qui si sit bona statim acceptat. Molina *de J. & J. disp. 264. n. 16.* Felin. *in c. 1. de Pact. in 7.* Barb. *J. E. V. l. 2. c. 13. n. 29.* 2

Interim tamen non statim censeri debet *Pollicitatio*, si quis tantum *propositum* aliquid dandi, vel faciendi coram aliis declararit, sed necesse est, ut veram actualem promissionem fecerit v. g. dicendo ad debitorem, 100. quos mihi debes, dono Monasterio, vel Ecclesiæ &c. 3

AD-

ADNOTATIO.

AD Num. 2. adde aliam rationem: valet argumentum à Repub. ad Ecclesiam, sed *pollicitatio* facta Civitati, vel Reipub. causa honoris acquirendi statim obligat *l. 3. ff. de Pollic.* ergo etiam facta Ecclesiæ causa salutis acquirendæ, vel causa alicujus commodi temporalis.

PRIVILEGIUM XXV.

In Monasterium transfertur dominium sine traditione.

1 *Fundamentum Privilegii.*
2 *L. quoties C. de Rei vind. non habet locum in Ecclesiis.*
3 *Dominium, & Possessio bonorum ingredientis acquiritur Monasterio.*

1 HOc Privilegium DD. communiter colligunt ex *l. ut inter C. de SS. Ecc.* ubi pro rebus Ecclesiæ legatis venditis, vel donatis, *Vindicatio* (quæ nonnisi domino competit *l. in rem ff. de R. Vind.*) conceditur Barb. *d. c.* 13. *n.* 32. Lessius *lib. 2. c. 21. n.* 141. Anton. Gabr. *commun. l. 3. tit. de Exemp. Conc. 2. n.* 15. & alii communiter.

2 Unde ulterius inferunt, quòd in re vendita Monasterio, non habeat locum *l. quoties* 15. *Cod. de R. Vind.* in qua lege disponitur ut re duobus vendita, præferatur is, cui insuper tradita est. Hæc ergo dispositio cessare videtur in Monasterio, vel in Ecclesia, in quam jam ante traditionem transivit dominium, & consequenter ei vindicatio contra quemcunque Possessorem competit, ut cum Barb. *d. leg. n.* 14. docent magno numero ibidem citati.

3 Illud quoque hic notanter signari potest, quòd in bonis ingredientis Monasterium per ipsam Professionem, non tantùm *dominium* acquiratur Monasterio, *auth. nunc autem C. de SS. Eccles.* sed etiam *Possessio* sine alia apprehensione teste Barth. *auth. Ingressi n.* 59. & *auth. si qua mulier. n. 17. C. de SS. Eccl. text. in l. si adopta vero ff. de Precario.*

PRIVILEGIUM XXVI.

Delictum Prælati, vel Religiosi non nocet Monasterio.

1 *Declaratur exemplis.*
2 *Quid, si Religiosi omnes delinquant?*
3 *Quid de Prælato vassallo committente Feloniam?*

1 DEsumitur hoc Privilegium *ex cap. Delictum 76.* ubi Glossa aliique scribentes omnes *de Regul. J. in 6.* omne quòd Prælatus, vel Religiosus commiserit crimen læsæ Majestatis, hæresis; vel aliud quòd habat annexam pœnam *confiscationis bonorum*, non tamen propterea bona Monasterii confiscanda erunt.

2 Item si Procurator Monasterii commiserit crimen falsi in judicio, vel aliud propter quod debeat causam perdere, non ideo Monasterium jacturam causæ patietur.

Imò si Religiosi omnes in aliquo Monasterio delinquant, incorrigibiles sint, non propterea bona Monasterii ad profanos usus transferenda, utpote quæ semel ad cultum divinum destinata sunt, sed expulsis incorrigibilibus alii ejusdem Ordinis, vel in horum defectu alterius Ordinis inducendi sunt, si nulli prorsus Regulares tale Monasterium suscipere velint, tum demum, & non priùs, ad Clericos sæculares non autem ad Laicos transferendum erit *jux. c. inter quatuor de Relig. dom. c. relatum 7. Ne Clerici, vel Monachi c. possessiones de Reb. Eccles. non alien.*

In Feudis Ecclesiasticis id speciale est, quòd ob Feloniam, seu delictum à Prælato commissum amittatur quidem Feudum, sed solummodo tam diu maneat apud Dominum quandiu Prælatus delinquens vivit, & in dignitate est, eo verò deposito, vel mortuo ad Ecclesiam revertatur, *c. ult. de capit. Conradi* Fach. 7. *Contr. c. 12. circa finem* Clarus *in §. feudum q. 67. & ibi additio* Harprecht, si verò Prælatus investituram non petiisset debito tempore, & sic tantum *in omittendo* peccasset; credetem Ecclesiæ, per *restitutionem in integrum* succurri, per ea quæ tradit Barb. *in Collect. ad l. 2. C. si adversus delictum n. 7.* 3

ADNOTATIO.

AD n. 1. Potest quidem aliquando Prælatus nocere Monasterio illis quæ consistunt *in omittendo* ob publicam utilitatem: ut præscriptione, vel ob judicii authoritatem, ut in necessaria exceptione, vel defensione omissa, non tamen cum effectu, quin Ecclesiæ detur restitutio Vid. Gloss. *in d. c. delictum de R. J. in 6.*

Ad n. 3. Sed quare potius feudum, quam donatio propter ingratitudinem Prælati revocatur juxta dicta priv. 22. Resp. Cum feudum regulariter sit *contractus onerosus* habeatque annexam obligationem servitii, cessat illa ratio, quod principaliter censeatur datum DEO. Si autem ponamus tale feudum, quòd per ingressum Vasalli est acquisitum Monasterio, iterum ingratitudo Prælati non nocet, quia proprius Vasallus scil. Religiosus ex cujus persona Monasterium retinet feudum (juxta dicta priv. 9.) non est ingratus. Demum si feudum fuisset datum Ecclesiæ principaliter intuitu pietatis, sicut olim principes sæculares fundarunt Episcopatus, & Abbatias, non crederem perdi propter ingratitudinem Prælati, eò quòd collatio feudi censeatur principaliter facta in Deum, qui nunquam ingratus est, ut superiùs de donatione facta Ecclesiæ dictum.

PRIVILEGIUM XXVII.

Tempore interdicti Generalis in Monasteriis possunt privatim celebrari Missæ, & divina Officia.

1 *Hoc Privilegium etiam aliis Ecclesiis conceditur.*
2 *Tempore interdicti possunt pulsari campana ad concionem, & Angelicam Salutationem.*
3 *Abbates possunt benedicere, & consecrare paramenta Ecclesiastica.*
4 *Clericis, & Religiosis conceditur sepultura Ecclesiastica.*
5 *Interdicto Clero non censentur interdicti Religiosi.*
6 *Eucharistia potest ministrari Religiosis etiam extra articulum mortis.*
7 *In 5. anni festivitatibus suspenditur interdictum.*

IDem Privilegium aliis quoque Ecclesiis commune est 1
ut *interdicti* tempore in iis possint divina officia celebrari *singulis diebus*, inquit Pontifex, *in cap. alma mater de sent. excom. in 6. in Ecclesiis. & Monasteriis Missa celebrentur, & alia divina Officia dicantur, sicut prius submissa tamen voce, & januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis etiam*
non pulsatis. Quod *de pulsu campanarum* dicitur, de 2
illo intelligitur, quo populus ad divina convocari solet non autem quo ad concionem, val ad Angelicam Salutationem.

Possunt quoque Abbates tempore interdicti localis 3
benedicere ornamenta Missalia, consecrare calices, & campanas &c. dummodo publicè non faciant, sed *januis clausis*

clausis ut præmissum. Cum hæc non sint Sacramenta, sed tantùm ordinata ad Sacramentalia, ut tradit Tambur. *de Jure Abb. tom. 2. disp. 16. q. 5. in fin.*

4 Item tempore interdicti, licet aliis denegetur Ecclesiastica sepultura, Clericis tamen, & Religiosis, qui interdictum servarunt, ea conceditur *c. quod in te 11. de Pœnit. & remiss.* Tamb. *d. l. 7. n. 2.*

5 Porrò si *Clericus* alicujus Civitatis interdictus sit, hoc *interdictum* ex communi sententia ad Religiosos non extenditur, quia Religiosi veniunt nomine Clerici in favorabilibus, sed non odiosis, ut cum multis cc. docet Tambur. *d. q. 5. n. 5.*

6 Cætera *de interdicto* qualiter nimirum eo tempore omnia Sacramenta præter Baptismum, Confirmationem, & pœnitentiam, ac etiam Sacramentum Eucharistiæ solum tamen in articulo mortis (exceptis Religiosis quibus per Privilegia Pontificum indultum dicitur, ut etiam extra articulum mortis communicare possint Tamb. *d. l. q. 6. n. 3. &* Layman. *ubi infra*) prohibeatur. Item quòd in 4. anni festivitatibus scilicet Nativitate Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. V. (quibus etiam Martinus V. addit Festum Corp. Christi) suspendatur
7 *interdictum*, & divina Officia publicè celebrare liceat, videantur apud Paulum Layman. *in Theol. mor. lib. 1. tr. 5. p. 4. c. 2.* & alios passim de censuris scribentes.

PRIVILEGIUM XXVIII.

Pro Monasterio est actio popularis.

1 *Quænam dicatur actio popularis.*
2 *Valet judicium actum cum procuratore Ecclesiæ non habente Mandatum.*

1 DIcitur *actio popularis* quæ cuilibet de populo competit, cùm tamen aliàs nemo rectè agat, nisi sua intersit, vel ab alio procurator ad litem constitutus sit. Igitur pro Monasterio quilibet ad agendum admittitur; ut v. g. legata exsolvantur, ut ei reddatur quòd debetur, prout in simili favore pupillorum introductum est, ut quivis de populo eorum tutores suspectos accusare possit *§. 3. Inst. de susp. Tutor. L. nulli §. ult. C. de Ep. & Cler.*

2 Ex quo ulterius etiam istud consequitur, quòd sententia lata in favorem Ecclesiæ cum Procuratore illegitimè constituto valeat Barb. *d. l. num. 36.* Tiraq. *priv. 151. Roman. in auth similiter C. ad L. Falc. & Cons. 9. num. 3.*

ADNOTATIO.

AD *n. 2.* Sed quid, si sententia lata sit contra Monasterium? R. quòd quilibet possit prodesse, non autem obesse Monasterio *c. quod ob gratiam de R. J. in 6.* nisi qui scienter, & non contradicente Monasterio procurator extitisset *L. qui patitur ff. mand.* ita tamen ut, & hic Ecclesiæ restitutio in integrum concedatur.

PRIVILEGIUM XXIX.

In Processu Edictali, & concursu Creditorum præferendum est Monasterium.

1 *Ex omnium sententia Ecclesia habent Privilegium personale.*
2 *Probabilius est præponi hypothecariis.*
3 *Res ex pecunia Ecclesiæ sicut, & minoris comparata est eidem tacitè obligata.*
4 *Bona administratoris etiam obligantur Ecclesiæ.*
5 *Si Monasterium crediderit in reficiendum pignus, vel conservandum ex Jure communi habet hypothecam privilegiatam.*
6 *Si Ecclesia vendiderit rem aliquam, & fidem de pretio habuerit, potest restitutionem in integrum petere, & rem vindicare.*
7 *Qui vindicat præcedit Privilegiatos.*

QUod Ecclesiæ, & Monasteria præponenda sint 1
Creditoribus *Chirographariis* vulgo *den Current Schuldnern*, licet expressam hypothecam sibi non constituerint, omnes facilè admittunt. Sunt verò multi qui etiam *hypothecariis* creditoribus anteponunt, cum Melonio *de Jure Prælat. p. 9. n. 15.* Beuth. *l. 1. c. 5.* ea enim, inquiunt, quæ Juris divini sunt, & ad cultum divinum pertinent, non debent humanis legibus illigari, & multò minus supprimi *L. Sancimus C. de SS. Eccl.* & summa est ratio quæ pro Religione facit *L. sunt Personæ ff. de*
Relig. & sumpt. Eamque sententiam, & nos amplecti- 2
mur, eò quòd, & mulieri ratione bonorum dotalium, & fisco Jus Prælationis habentibus expressè comparent Ecclesiam Tiraq. *privil. 143. & 158.* Everhard. *in Top. in loco à dote ad Ecclesiam, & in loco à fisco ad Ecclesiam n. 16.* pulchrè Franch. & Pasq. *de controv. Regul. part. 2. q. 96.* Jacob. Scult. *ad Modest. Pist. q. 126.* atque ita consuetudine receptum esse testatur Joan. Koppen. *dec. 28. n. 25.*

Idque multò magis procederet, si ex pecunia Eccle- 3
siæ res empta probari posset, quo casu sicut pupillo, tacita hypotheca eaque privilegiata conceditur. *L. idemque 7. ff. Qui potior in pig. Cod. de Serv. pig. dat.* ita non videtur Ecclesiæ deneganda quæ *Jure minoris* utitur. *c. 1. de in Int. rest.*

Item in bonis administratoris sui Ecclesiæ tacitam hy- 4
pothecam exemplo minoris in bonis Curatoris, communiter concedunt DD. gl. ord. *in c. ex litteris V. obligata, & ibi* Pan. *n. 11. de pign.* Neguzant. *de pign. 4. membr. 7. par. n. 120. cum seq.* Koppen. *d. n. 25. V. in Casibus &c.*

Minus dubium est, si Monasterium, vel Ecclesia cre- 5
diderit, ut res aliis obligatæ v. g. domus, vel horrea &c. reficerentur, ut ab executione militari v. g. propter steuras Reipub. debitas, vel ab oppressione alia violenta bellica liberarentur, tunc enim non tantùm pupillo, vel Ecclesiæ, sed cuilibet hypotecha privilegiata constituitur, quòd suis expensis salvum pignus fecerit *in L. interdum 5. cum seqq. ff. Qui potior in pig.*

Si Ecclesia vendat rem aliquam, & fidem de pretio 6
habeat, emptoris autem bona subhastentur, & res extet, quamvis fortassis dici possit, quòd *fictione brevis manus* censeatur res ex pecunia Ecclesiæ comparata, quasi Ecclesia mutuam pecuniam ad rem emandam dedisset *arg. L. rogasti 11. ff. de Reb. cred.* adeoque privilegiatam hypothecam habeat, jux. superius dicta: meliùs tamen per *restitutionem in integrum* sibi consulit Ecclesia, vel
Monasterium, nam tunc rescisso contractu dominium 7
revertetur ad Monasterium, & pro re vendita *Vindicatio* competere, qui autem *vindicat* futurus est ante Privilegia, inquit. Ulpian. *in L. si ventri §. in bonis ff. de Priv. Cred.* de quo restitutionis Privilegio infra pluribus agemus.

ADNOTATIO.

AD *n. 2.* Adde si fiscus præfertur hypothecariis quia est causa Principis, ergo magis Ecclesia, quia est causa DEI *Tr. d. sess. 25. c. 20.* Ibi: *res Ecclesiæ quæ Dei sunt.* Deinde civitas habet prælationem, ergo, & Ecclesia, quæ præfertur, vel saltem æquiparatur civitati, *L. ut inter. C. de SS. Eccles.*

PRIVILEGIUM XXX.

Res Monasteriorum non præscribuntur nisi 40. annis.

1 *Ex multorum sententia hoc Privilegium tantùm procedit in rebus immobilibus.*
2 *Congruum est ut idem de mobilibus saltem pretiosis dicatur.*

3 *Præ-*

3 *Præscriptio non currit vivo Prælato malè alienante.*
4 *Tempore vacantis Ecclesiæ dormit Præscriptio.*
5 *Quidam Religiosorum Ordines gaudent majori quàm quadragenaria præscriptione.*
6 *Monasteria exempta non amittunt exemptionem nisi præscriptione 100. annorum.*
7 *Monasterium restituitur in integrum contra præscriptionem.*
8 *Tempus restitutionis numeratur à die cognitæ præscriptionis.*

1 SI de rebus *immobilibus*, & Juribus *incorporatibus*, quæ immobilibus accensentur sermo sit, hoc assertum apud omnes receptum est, *c. illud c. de quarta, & passim de Præscriptionibus c. 1. eod. in 6. Nov. 111. in princ.* De rebus verò *mobilibus* de Jure Civili quidem satis expeditum est, ad eorum præscriptionem non requiri annos 40. sed triennium sufficere *auth. quas actiones C. de SS. Eccles.* attamen cùm constitutio Civilis non obliget Ecclesias *c. Ecclesia* 10. *de Constit.* & de Jure Canonico non fiat aperta inter res mobiles, & immobiles distinctio, sed in *d. c. illud* generaliter dicatur, quòd minor præscriptio adversùs Ecclesiam quàm 40. annorum non admittatur, & æquè jura res *mobiles* quàm *immobiles* apud Ecclesias conservari velint, nec sine solemnitate alienari, ut inferiùs dicetur, monet Panorm. in *c. 1. de In integ. rest. post n. 12.* contrariam sententiam, quòd videlicet nulla differentia inter res mobiles, & immobiles facienda sit, pro favore Ecclesiæ æquiorem, & tenendam esse, ejusdem-
2 que opinionis allegat Hostiens. in *eod. c. 1. de In integ. rest.* quod saltem *in mobilibus pretiosis*, quæ absque solemnitate nequeunt alienari *Extravag. ambitiosæ de Reb. Eccles. non alien.* valde congruum videtur.

3 Illud præterea hic addimus, quòd tempus præscriptionis incipiat primum post mortem, vel depositionem Prælati malè alienantis, quia enim talis Prælatus non est facilè revocaturus rem alienatam, ideo ipso vivente Ecclesia censetur carere legitimo defensore, *c. si sacerdotes 16. q. 4* Ricc. *p. 1. res. 32.*

4 Nec minus istud notabile est, quòd tempore vacantis Ecclesiæ Prælato mortuo, vel in hæresim aut schisma prolapso, dormiat præscriptio contra Ecclesiam, & totum illud tempus Ecclesiæ vacantis de præscriptione subducatur, nec in computationem temporis ad præscriptionem requisiti numeretur *c. de quarta & c. auditis de Præscript. c. 1. & ult. ne sede vacante &c.*

5 Refert etiam Colendissimus meus olim Dominus Professor Arnoldus Rath. *tr. de usucap. c. 5. ass. 35.* Monasteria quædam, & Ordines specialiter esse privilegiatos, ut majori quam 40. annorum præscriptione gaudeant, & ita Monasteriis Benedictinorum ab Eugenio *Sexagenariam* Ordinibus mendicantibus, & Ordini Cisterciensi primùm in Hispania, & deinde per Communicationem in Superiori Germania *centenariam* præscriptionem à diversis summis Pontificibus concessam esse.

6 Monasteria *exempta* etiam *centenariæ* præscriptionis jure se tueri possunt, si de amittenda *exemptione* agatur, ita ut minori tempore huic exemptionis privilegio per Episcopum, vel alium non præscribatur, quia agitur de Jure Romanæ Ecclesiæ, contra quam non currit alia quam centenaria præscriptio. D. Rath. *d. l. assert. 30.* cùm Fach. *l. 1. consil. 56. per text. in c. 4. de confirmat. util. C. c. ad audientiam. 13. de Præscript.*

7 Cæterum præscriptio non infert damnum irreparabile Monasteriis quia exemplo Minorum. *L. un. Cod. si adv. usucap.* contra præscriptionem in Integrum resti-
8 tuantur intra quadriennium computandum à die quo præscriptionem completam agnoverint, cùm Ecclesia jure minoris semper debeat illæsa servari *c. 1. de In integr. rest.*

ADNOTATIO.

AD Num. 2. ad rationem quòd præscriptio sit species alienationis *L. alienationis. 28. de V. sig.* ergo sicut in alienatione *mobilia pretiosa* Ecclesiæ comparantur *immobilibus*, ita etiam in præscriptione.

Deinde advertendum est, quòd authenticæ in Cod. positæ tantùm probent, quantùm Novellis correspondent, ex quibus desumptæ sunt, at vero *d. auth. quas actiones*, habet plura admixta, quàm *num. 131. c. 6.* unde desumpta est, nec ibi Imp. circa *triennii* præscriptionem, & minus circa *mobilia pretiosa* aliquid decidit; & si decidisset, tamen id Ecclesias non obligaret. *c. Ecclesia de Constit.* neque incongruè dici posset, quòd Imperator generaliter *pro temporalibus præscriptionibus*, substituerit *quadragenariam*, & tantum exemplum dederit de præscriptione 10. & 20. annorum, exempla autem non restringant, sed declarent.

Adde Num. 8. Si tamen ultra tempus præscriptionis adhuc alii 40. Anni lapsi fuissent, multis placet tunc etiam Juri petendæ restitutionis præscriptum esse, eo quòd lapsu tanti temporis pereat omnis actio.

PRIVILEGIUM XXXI.

Monasteriis competit beneficium restitutionis in integrum.

1 *Quando competat restitutio.*
2 *Remedium extraordinarium non datur quando adest ordinarium, nisi istud sit pinguius.*
3 *Quibus cum conditionibus detur restitutio.*
4 *Restitutio fit una cum fructibus.*
5 *A quonam Judice petatur Restitutio.*
6 *Petita restitutio contra sententiam regulariter suspendit executionem.*

ECclesiæ, & Minorennibus competere hoc beneficium si vel in Judicio, vel extra ex facto suo læsi sint v. g. allegationem, exceptionem aut appellationem intra terminum legitimum omiserint, si rem minus justo pretio vendiderint, aut pluris emerint, si ex permutatione hæreditatis aditione, aliove pacto aut actu damnum incurrerint, apud omnes in confesso est ex *c. 1. & 4. t. t. de In integ. rest. & t. t. ff. de Minor.* 1

Est autem *restitutio in integrum* remedium Juris *extraordinarium*, quo læsi in eum statum, in quo ante læsionem fuerunt per Officium Judicis reponuntur. Dicitur esse remedium *extraordinarium*, quia tunc primum datur quando læso nulla alia actio superest *L. in causa ff. de Min.* nisi tamen remedium extraordinarium esset pinguius, ita enim minor, vel Ecclesia ex contractu ultra dimidium justi pretii læsa potest omisso remedio ex *L. 2. C. de Resc. vend.* restitutionem in Integrum petere, cùm hæc sit pinguius remedium, partim quia in ea non est necessarium probare læsionem *ultra dimidium* sed gravem, & notabilem: partim etiam si emptor ex *d. L. 2.* conveniatur, erit in ipsius arbitrio an rem redhibere, vel justum pretium supplere velit, si verò restitutio in Integrum contra ipsum petatur, poterit præcisè ad restitutionem rei emptæ compelli. Abb. *in c. cum dilecti de Empt. & vend. n. 5.* Cov. *var. resol. l. 1. c. 3. n. 11. v. tertio hinc &c.* Datur hoc beneficium non tantùm Ecclesiæ contra Laicos, sed etiam contra aliam Ecclesiam, sicut minori contra alium Minorem, quia in pari causa melior est conditio ejus, qui certat de damno vitando, quam qui de lucro captando, *c. auditis*, ubi Panorm. *n. 8. de In integ. rest. L. verum. 11. ff. de Minor.* 2

Debent autem 3. potissimum conditiones concurrere ut restitutio in integrum locum habeat. 1. ut petatur intra *quadriennium* quòd minori quidem currit à principio anni vigesimi sexti quando scilicet factus est major *l. fin. C. de Temp. in integr. restitut.* Ecclesiæ autem à die læsionis. *Clem. un. de In integr. restit.* est tamen magis recepta DD. sententia hoc tempus ab initio esse *utile*, ut non currat Ecclesiæ ignoranti læsionem, nam *in c. 1. & 2. de Rest. in integ. in 6.* dicitur, quòd Ecclesia post quadriennium non sint audienda, *si negligenter* omiserit petere restitutionem, ergo aliud dicendum, si non ex negligentia, sed ignorantia restitutio omissa sit. Jason. *in auth. quas actiones C. de SS. Eccles.* Georg. Everh. *Vol. 2. consil. 50. n. 21.* 2. requiritur probatio læsionis, nisi ex ipsa actua 3

v. g.

v. g. præscriptionis allegatione id satis appareat *c. cum venissent, & c. constitutus d. t. L. ait Prætor. 7. §. pen. L. verum 11. §. 3. & passim ff. de Minor.* In Camera tamen practicatum dicit Myns. *Cent. 4. ob. 17.* ut minores qui appellationem ommiserunt sine alicujus læsionis probatione ad appellandum restituantur, eò quòd appellationis ommissio satis probabilis sit læsio. 3. requiritur ut læsio contigerit dolo adversarii, vel inconsulta facilitate læsi, vel occulto rei vitio, vel ex negligentia administratoris, si vero casu fortuito damnum evenerit, v. g. domus empta incendio conflagrarit, &c. restitutioni locus haud erit *L. verum. 11. §. 4. & seqq. ff. de Minor.* Porrò res una cum fructibus saltem *extantibus* restituenda est, tam de Jure Civ. *L. quod si minor. §. restitutio l. patris, si pecuniam ff. d. Minor L. si prædium C. de Prædiis Minor, &c.* quam de Jure Can. teste Covar *var. resol. lib. 1. c. 3.* & Barb. *in c. ad nostram, de Reb. Eccles. non alien. n. 2.*

4 Petitur restitutio ordinariè à Judice adversarii ex generali regula, quòd actor forum rei sequatur *l. 2. C. ubi, & apud quem restit. per.* Ecclesiæ tamen hoc Privilegium multi DD. attribuunt, quòd restitutionem in integrum contra Laicum etiam coram proprio Judice Ecclesiastico petere possit per *c. 1. de In integ. rest. c. pen. de Reb. Eccles. non alien.* Gutierez *canon. qq. lib. 1. c. 34. n. 10.* Si contra sententiam petatur restitutio, v. g. propter exceptionem ommissam, instrumenta noviter reperta &c. ipse Judex qui sententiam tulit restituere poterit teat summariom, & Castr. *in l. 2. C. sentent. rescind. non posse.* Gail. *1. ob. 114. n. 3.*

5 Demum petita restitutio post latam sententiam suspendit executionem *l. un. C. in integr. rest. post. ne quid novi fiat*, nisi causa restitutioni esset altioris indaginis, & verisimiliter tantùm ad protelandam litem peteretur, quo casu fieret executio præstita cautione de restituendo in casum victoriæ *c. suscitata. 6. de in integ. rest.* Mins. *cent. 1. O. 48. & Cent. 6. c. 8.*

ADNOTATIO.

1 AD n. 1. Adde unum notabile, quòd sit in potestate Ecclesiæ ex contractu, vel actu sui administratoris damnificatæ, an velit administratorem convenire, vel restitutionem in integrum petere, imò electa una via adhuc dabitur regressus ad aliam *L. 2. 3. & 5.* ibi *nullo eis præjudicio per electionem generando C. si tutor, vel Curat. interven.*

Ad n. 5. Egregia hoc loco moveri potest quæstio, an sicut is, qui scit esse alienam, eamque posse à se per *vindicationem* auferri censetur malæ fidei possessor, & tenetur omnes fructus etiam *consumptos* restituere *l. certum 22. C. de Rei Vind.* ita etiam, qui scit rem posse à se per *restitutionem in integrum* avocari? Resp. Negativè cum Covarev. *Var. Resol. lib. 1. c. 3. n. 5.* Videtur autem hæc quæstio fundamentaliter pendere ab ea, utrùm qui cum minore, vel Ecclesia contraxit, ex quo contractu, minor, vel Ecclesia damnum accepit, teneatur in conscientia rem restituere, antequam per *in integrum restitutionem* petatur, supposito, quod contractus cæteroquin validus fuerit? Innoc. *in c. quæ plerique De immun. Eccles.* & ibidem etiam Panorm. *n. 28.* distinguunt, an cum, vel sine *dolo*, læsio contigerit? si *sine dolo*, negant restitutionem debere fieri ante sententiam judicis, si *cum dolo*, affirmant. Ego hoc posterius distinctionis membrum sic opinor esse declarandum, ut si quidem *dolus* dederit causam contractui, ita scil. ut nisi illa dolosa persecutio intervenisset, Ecclesia non fuisset contractura, res etiam ante Judicis sententiam restituenda sit; *dolus* enim dans causam contractui facit contractum nullum. *L. & eleganter 7. ff. de Dolo.* Sin autem dolus tantùm inciderit in contractum. puta, quia in pretio defraudatio facta est, &c. censeo, in animæ quidem judicio faciendam esse restitutionem seu supplementum justi pretii, & compensationem damni, sicut fieri deberet, tametsi sine omni dolo læsio facta fuisset, non tamen debere rem ipsam restitui; etenim læsio per se non facit contractum invalidum, & consequenter non impedit, quo minus res ejusqua dominium ex contractu acquisitum retineri valeat; unde etiam possessor fructus percipit non ex re aliena, sed sua. Sed dices, si talis *jure dominii* rem retinet, & fructus percipit, ergo ab ipso amplius avocari non poterunt. Resp. dominium in re, & fructibus acquisitum, quoad effectum esse *revocabile*, Juxta dictas leges, quæ una cum re etiam fructus restitui volunt.

PRIVILEGIUM XXXII.

Res Monasteriorum sine solemnitatibus Juris alienari non possunt.

1 *Probibentur alienari immobilia, & mobilia pretiosa, & quænam accenseantur immobilibus.*
2 *Res servando non servabiles potest Prælatus alienare.*
3 *Item res immobiles exiguas,*
4 *Similiter res antiquo alienari solitas,*
5 *Quænam dicantur mobilia pretiosa.*
6 *Prælatorum potestas est amplior quàm tutorum.*
7 *Pecuniam potest Prælatus sine solemnitate expendere.*
8 *Concordatur c. terrulas. 12. q. 2. cum c. ut super §. fin. de Reb. Eccles.*
9 *An valeat repudiatio legati, vel hereditatis sine solemnitate?*
10 *Quando Prælatus possit exigere super re immobili.*
11 *Quales contractus veniant nomine alienationis?*
12 *Quando locatio ultra triennium valeat saltem quoad triennium?*
13 *An valeat locatio ultra triennium cum hoc pacto, ut singulis trienniis sit nova locatio?*
14 *Ad valorem alienationis requiritur copulativè causa, & solemnitas.*
15 *Cujus Superioris consensus requiratur.*
16 *Videtur probabile (seposito stilo curiæ) ut in alienatione facta alteri Ecclesiæ non requiratur superioris licentia.*
17 *Alienatio rei Ecclesiasticæ contra formam juris est nulla, & ab ipso alienante revocari potest.*
18 *Pœna malè alienantium.*
19 *An rem malè alienatam restituendi sit obligatio in conscientia.*
20 *Ecclesia non tenetur invita rem male alienatam recipere, sed potest ex postfacto adhibere solemnitates.*
21 *Res malè alienata repeti potest una cum fructibus, cum distinctione tamen ibi posita.*
22 *Res Ecclesiasticæ sunt præscriptibiles.*
23 *Non currit præscriptio vivo Prælato alienante, & contra eam datur restitutio in integrum.*
24 *Quid possit consuetudo in hac materia.*
25 *Ecclesia revocans rem alienam debet restituere pretium, sed non nisi in, quantum est facta locupletior.*
26 *Quis debeat probare, pretium in utilitatem Ecclesiæ esse versum?*

IN hac quotidiana non tantùm Ecclesiasticis, sed etiam sæcularibus cum Ecclesia contrahentibus scitu necessaria materia quàmplurimæ sunt quæstiones, & difficultates, quarum præcipuas antequam resolvam, dicam prius quæ certa, & fundamentalia sunt, ac mox dubitationes eo pertinentes subjungam. Itaque 1

Certum est 1. quòd omnes res *immobiles* sivè solo cohærentes, ut prædia, fundi domus &c. & *mobiles pretiosa*, sive ad Ecclesias regulares, sive sæculares pertinentes alienari prohibeantur. *Extrav. ambitiosa de Reb. Eccles. non alien. inter Commun. & t. t. X. eod.* atque *immobilibus* rectè annumerantur *Jura incorporalia*: ut quæ ad Jurisdictionem pertinent; Item servitutes prædiorum, jura piscandi, venandi, & census annui, si ex fundatione, vel aliunde in perpetuum constituti sint pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ *Clem. 1. §. cumque annuus reditus de Verb. sig.*

Cer-

Certum est 2. quòd cùm tantùm *mobilia pretiosa* alie-
2 nari prohibeantur, ideo liberè possit Prælatus vendere, & distrahere frumentum, vinum, jumenta, & animalia superflua, illaque, quæ sine detrimento notabili servari non possunt: quia res hujusmodi servando non servabiles etiam tutores, & Curatores, quorum tamen potestas longè magis restricta est, quam Prælatorum, sine solemnitate aliqua alienare possunt. *L. lex qua 22. & L. Tutores C. de Admin. Tutor.*

3 *Certum est* 3. quòd etiam res *immobiles* si valde sint exiguæ, longè distantes, & propter necessarias impensas magis Ecclesiis onerosæ, quàm utiles, Prælati sine solemnitate alienare possint, *c. terrulas 12. q. 2. ad aures & c. ut super §. possessionis x. h. t.*

4 Item etiam res ab antiquo alienari aut in feudum, vel Emphyteusin dari solitæ, si rursus ad Ecclesiam revertantur, denuò sine nova solemnitate alienari, seu in feudum, vel Emphyteusin dari poterunt, *c. 2. de Feudis dict. Extrav. ambitiosa.* Et hanc esse communem Conclusionem DD. ut res semel affecta alienabilis cum solemnitate, efficiatur perpetuò alienabilis sine solemnitate, dummodo semper cum eadem Ecclesiæ utilitate alienetur cum plurimis citatis dicit Riccius *in prax. aur. p. 1. res. 26.*

Volunt tamen non minus communiter DD. ut res dicatur *solita alienari ab antiquo*, vel facta alienabilis debeat præcessisse una, vel altera alienatio solemnis, & interim spatium 40. annorum elapsum esse. Sicut ex Dec. Rotæ Roman. & cum multis AA. refert Riccius *d. l. n. 3.* Sed ex his certis.

5 Dubitatur I. Quænam dicantur *mobilia pretiosa*, ut alienari nequeant? R. illa dici *mobilia pretiosa*, quæ sunt de thesauro Ecclesiæ, vel quæ propter pretium, artem aut antiquitatem, singularem splendorem Ecclesiæ conferunt. Reliquias quoque Sanctorum maximè verò ubi perpetuæ sepulturæ mandatæ sunt, inter mobilia pretiosa rectissimè numerat, & ita de Stylo Curiæ Romanæ observari dicit Ricc. *in prax. aurea p. 1. res. 60.*

Cæterùm autem non videtur prohibitum, quin Prælatus possit aliqua pocula argentea alienare, veteres calices aut ornamenta pro novis æquè bonis ac pretiosis commutare, sicut consuetudo passim declarat: talis enim commutatio non est ita periculosa Ecclesiæ, vel damnosa sicut absoluta venditio, aut donatio. Non obstat quòd omnium rerum mobilium, quæ servari possunt, alienatio quædam sit Tutoribus interdicta, *d. L. 22. C. de Admin. Tutor.* Prælati autem sint Tutores suarum Ecclesiarum ut ar-
6 gumentantur Quaranta *V. alienatio Rei Eccl. n. 24.* * Nam respondetur quòd Prælati tantùm in larga significatione sint Tutores, cùm eorum potestas multo sit amplior, ex quo eorum officium est perpetuum, quàm Tutorum, qui curam pupillorum gerunt, quorum Officium tantùm temporale est. Unde etiam fit, quod Prælati moderatas donationes de rebus Ecclesiæ etiam merè gratuitas facere possint, *c. 3. de Donat.* quod tamen Tutoribus *ordinariè* prohibitum est. *L. Tutor. 23. §. fin. ff. de Admin. Tutor.*

7 Dubitatur II. Utrum Prælatus pecuniam numeratam possit liberè sine solemnitate expendere? R. quamvis regulariter pecunia numeretur inter res, quæ servando servari non possunt, ejusque usus consistat in expendendo, nihilominus si aliqua summa pecuniæ specialiter destinata esset ad bona immobilia emenda, vel Ecclesiam ædificandam, jam accenseretur bonis immobilibus, & sine causa, ac solemnitate alienari non posset: sicut propter eandem rationem Tutor alicujus pupilli ex tali pecunia ad comparanda immobilia destinata, nec sibi nec aliis debita solvere potest. Tex. *in L. 3. §. quid ergo ff. de Contr. act. tut.* atque idem esse si aliqua summa pecuniæ ex providentia antecessorum specialiter sit deputata pro gravissimis futuris necessitatibus docet Quaranta *d. s. n. 25.*

8 Dubitatur III. Utrum res *immobiles exiguas*, & modici valoris, ita possit Prælatus alienare, ut ne quidem consensum capituli habere teneatur? * *In c. terrulas 12. q. 2.* licentia datur Episcopo terrulas aut vineolas exiguas longe positas, & Ecclesiæ minus utiles si necessitas fuerit distrahendi etiam sine Consensu Capituli. E contra *in c. ut super §. fin. x. de Reb. Eccl. possessiones*, inquit Pontifex, *quæ Ecclesiæ minus sunt utiles pro aliis utilioribus de fratrum tuorum, & sanioris partis consilio, & consensu alienandi sive commutandi liberam concedimus facultatem*,

In hac textuum varietate, vel contrarietate licet aliqui velint *d. c. terrulas* per *c. ut super* absolutè esse correctum, quia tamen in dubio expedit Jura Juribus concordare, ut evitetur Jurium correctio *c. cùm expediat de Elect. in 6.* Ideo placet concordatio quam insinuat gl. *in d. §. fin. in V. assensu* ut scilicet textus *in eod. §. fin.* accipiatur de permutatione, & de re quæ quidem in se est utilis, sed tamen minus utilis comparatione rei magis utilis: textus verò in *c. terrulas*, accipiatur de absoluta venditione seu distractione alicujus rei, quæ in se absolutè spectata nullam vel exiguam utilitatem adfert.

Dubitatur IV. An Prælatus possit pro re immobili aut 9
mobili pretiosa suæ Ecclesiæ donata, vel in testamento relicta accipere pretium, aut tale legatum, vel donationem omnino repudiare.

Ratio dubitandi est, quòd tantùm alienatio sit Prælatis interdicta, talis autem repudiatio rei, quæ prius ad Ecclesiam non pertinuit videatur potius non acquisitio, quàm alienatio ut existimat Sylvest. *V. alienatio n. 14. facit l. 6. ff. Quæ in fraud. cred.* Sequitur Riccius *in praxi aurea p. 1. resol. 92.* & ideo ista sententia probabilis. Sed negativa sententia probabilior videtur, cùm enim non tantùm rei *in specie* legatæ dominium statim à die mortis Testatoris transeat in Ecclesiam, sicut, & in quemvis legatarium *L. legatum. 80. ff. de Leg. 2. l. à Titio 64. ff. de Furtis*, sed etiam dominium rei inter vivos donatæ Ecclesiæ, licet traditio non sequatur, ut superius Priv. 22. diximus, consequenter qui pro legato aut donato, pretium acciperet, vel omnino repudiaret hoc ipso rem in dominio Ecclesiæ existentem alienaret. Quaranta *d. loco n. 23.* Prior autem opinio in legato quantitatis, generis, vel conditionato forsan melius procederet, in qua propter incertitudinem dominium non statim transfertur. Sed dices, etiam purum legatum *speciei*, non aliter transire in legatarium, quàm si id agnoverit, ergo si Prælatus repudiaverit, erit adhuc potiùs non acquisitio, quàm alienatio.

R. 1. non requiri *positivam* agnitionem, sed legatum simpliciter transire in legatarium, si non repudiaverit *d. l. 80.* quam repudiationem Prælatus acquisito jam semel dominio ipsi Ecclesiæ, juxta dicta facere non potest. R. 2. Legatarium in legato pio non esse solum Prælatum ut is pro suo libitu repudiare valeat, sed totum Monasterium, imò aliquo respectu, & ex fine legantis, ipsum Deum, à quo legata, & donationes piæ statim acceptantur, ut superiùs in *Priv. 24. n. 2.* dictum fuit.

Singularis tamen limitatio est circa Monasteria Mendicantium bonorum immobilium incapacia, ut si ipsis aliquid legatur aut donetur, illud sine solemnitate alienare, & pretium accipere possint Quaranta *d. l. sub. n. 2.*

Porrò quod de re legata aut donata Monasterio, vel Ecclesiæ bonorum capaci dixi, ut sine solemnitate alienari nequeat, idem est de rebus *immobilibus* aut *mobilibus pretiosis* Monasterio per ingressum, & professionem alicujus quæsitis, nam, & horum plenum dominium per Professionem in Monasterium translatum est *Auth. ingressi C. de S. Eccl.* Ricc. *in prax. aur. p. 1. resol. 97.* Si tamen ex postfacto primum ex persona professi per mortem v. g. Consanguinei ejusdem Monasterio obveniret aliqua hæreditas non videtur improbabile, quod eam prælatus ante aditionem sine solemnitate ex justa tamen causa alias in conscientia tutus non foret, repudiare possit, quia tali casu tantùm non acquireret, nihil verò propriè alienaret; tum quòd res hæreditariæ non acquirantur hæredi ante aditionem: tum etiam, quod aditio hæreditatis nonnunquam propter onera hæreditaria, aut latens alienum, si non periculosa, saltem parum proficua esse soleat, Si tamen ex post facto appareret lucrosam fuisse hæreditatem, Ecclesiæ sicut minori restitutionem concedendam non ambigo. *L. 7. §. 6. cum seqq. ff. de Minor.*

Dubitatur V. An si lis instituta sit super re immobili 10
inter Ecclesiam, & extraneum, Prælatus possit per *viam transactionis* à lite desistere absque alia solemnitate? R. esse distinguendum, utrum Ecclesia sit in possessione rei litigiosæ, vel utrum possessio sit penes extraneum, & Ecclesia sustineat Personam Actoris: priori casu si per transactionem deberet adversario dimitti res immobilis, requireretur solemnitas Juris, quia esset saltem possessionis alienatio, secus in altero casu, in quo nulla videtur propriè intervenire alienatio, cùm ex supposito nec certum

jus,

jus, nec possessio penes Ecclesiam extiterit. Quaranta *d. V. alienatio sub n. 43. vers. 12. limita*.

11 *Certum est* 4. quod nomine alienationis imprimis omnes contractus intelligantur quibus dominium utile, vel directivum transfertur, ut donatio, venditio, permutatio, feudum, Emphyteusis, & similes. Deinde etiam omnes contractus, quibus non quidem dominium, sed tamen possessio aut jus percipiendi fructus ex re Ecclesiastica ad longum tempus transfertur, cujusmodi sunt oppignoratio specialis, ususfructus, & elocationes ultra triennium factæ 4. *d. extrav. ambitiosa, & c. nulli, & c. ad audientiam de reb. Eccles.* Verum.

Dubitatur I. An locatio *rei Ecclesiasticæ* facta ad longum tempus v.g. ad 10. annos sine solemnitate tota quanta corruat, vel an saltem valeat quoad primos 3. annos, eò quòd elocatio *rei Ecclesiasticæ* ad triennium etiam sine omni solemnitate permissa sit; Pro valore talis locationis saltem quoad triennium facit Regula. *37. J. in 6.* quòd utile per inutile vitiari non debeat in his quæ separabilia sunt, quemadmodum de jure Civili si quis una vice ultra 500. solidos donaverit, valet quidem donatio quoad 500. non autem quoad excessum *l. sancimus C. de Donat.* è contra quòd locatio ultra triennium facta totaliter nulla sit, suadet Textus in *d. Extrav. ambitiosa, & in Clem. 1. de Reb. Eccles.* quæ sine distinctione talem contractum annullat, & videtur hic habere locum vulgare dictum, quod Prælatus voluit (videlicet locationem ultra triennium) non potuit, & quod potuit (videlicet locationem ad triennium) non voluit: est autem noti Juris, quòd in omni actu non tantum *potentia* agentis, sed & *voluntas* ejusdem desideretur *c. cum sup. 23. de Off. Jud. Deleg.* Sicut ex eodem fundamento testamentum coram 5. Testibus regulariter, & in dubio non valet in vim Codicilli, nec matrimonium sine Parocho contractum valet in vim sponsalium de futuro.

12 In hac celebri controversia notabili distinctione utitur Gutierez *Can. qq. lib. 2. c. 13. n. 6.* quod si una tantùm indivisibilis locatio facta sit v. g. si una tantùm pensio constituta sit pro toto decennio, vel si ex aliis conjecturis appareat, Prælatum non aliter locasse, & conductorem non aliter conducere voluisse quàm ad integrum decennium tunc talis locatio tota corruere debeat, quia contrahentium *voluntas* circa triennalem locationem deficit. Sin autem modo ordinario prædium Ecclesiæ locatum fuerit pro annua pensione, & ita divisibiliter ad primum, secundum, tertium, & reliquos annos, tunc tolerari debebit locatio ad primum triennium juxta jura superius pro affirmativa sententia allegata.

13 Dubitatur II. Utrum Prælatus possit prædium Ecclesiæ saltem cum hac clausula ultra triennium v. g. ad 9. annos locare ut singulis trienniis sit nova locatio? Affirmativè Respondet Bald. *in l. voluntas C. de Fideicommiss.* eò quòd interveniant diversæ locationes, & singulæ non extendantur ultra tempus à lege permissum. Sed contraria sententia verior est, quam tenet Cov. *var. res. c. 16. n.* 4. Videtur enim tale pactum in fraudem legis inventum, cum in effectu nihil, vel parum intersit an res absolutè locetur ad 9. annos, vel an prædicta clausula addiiciatur, quia utroque casu perceptio fructuum ad longum tempus contra Intentionem legis separatur. Constat autem quòd contra legem facere, & in fraudem legis, sive contra ejus intentionem facere æquiparentur *c. fin. d. Reg. Jur. in 6.* quo etiam adferri potest bonus textus *in Nov. 7. c. 3. in fin.* Unde non obstat ratio Baldi quod sint plures locationes verbotenus, in effectu tamen, ut dixi, est locatio ultra triennium, quia Prælatus se obligat quod post primum, imò secundùm triennium finitum denuò rem apud conductorem relinquere velit,

14 *Certum est* 5. ut alienatio *rei Ecclesiasticæ* alienari prohibitæ valeat, duo copulativè requiri, videlicet *causam*, & *solemnitatem*. *Causa* est triplex: *necessitatis*, *utilitatis*, & *pietatis*. *Necessitatis* quando Ecclesiam urgent debita &c. *Utilitatis* quando per alienationem major fructus procurari potest *Clem. 1. de Reb. Eccles.* *Pietatis* si captivi redimendi, si pauperes alimentandi, si templa, vel Cæmiteria ædificanda sint *c. aurum 11. q. 2.*

Solemnitas consistit in tractatu habito cum Capitulo seu conventu collegialiter congregato ejusdem, vel saltem majoris partis consensu una cum consensu Superioris. Notanter dico, Capitulares debere esse *collegialiter* congregatos, ut alter alterius rationes audire possit, absentes tamen remotè non esse necessariò ad istum actum vocandos communiter apud DD. receptum est, dummodo saltem duæ tertiæ capitularium (v. g. ex 30. 20.) in loco præsentes sint. Panorm. *in c. 1. de his, quæ fiunt à majori parte Capit. n.* 16. qua in re consuetudo locorum præcipuè attendenda erit,

Porrò licet olim *Superioris* nomine venerit proximus 15
superior, ut in alienatione ab Abbate facienda Episcopus. *Abbatibus* 12. *q. 2. Clem. 1. h. t.* imò in alienatione Episcoporum solus consensus Capituli requisitus fuerit *c. sine exceptione d. q. 2.* hodie tamen de puncto Juris loquendo satis certum videtur, quod in omnibus alienationibus consensus S. Pontificis requiratur *c. 2. h. t. in 6. & d. extrav. ambitiosa.* quæ *Extravagans* expresè pœnas statuit alienantibus bona Ecclesiarum, Monasteriorum, piorumque locorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, ut etiam observat Hen. Zoes. *De reb. Eccles. n.* 12. Dico de puncto Juris hæc se ita habere, attamen de consuetudine præsertim in Germania, & locis remotis unde difficilis aditus ad Papam est *d. Extrav.* receptam non esse saltem quo ad hoc ut etiam inferiores Prælati Episcopis subjecti teneantur in alienationibus consensum Papę, & non Episcopi requirere, attestatur Zypæus *in analysi I. Pontifici d. t. n. 2.* & quod *d. Extravagans* alicubi quo ad aliqua tantum recepta sit, pariter refert Navar. *in manuali c. 27. n.* 150. cum Sylv. Cajetan. & aliis.

Dubitatur autem utrum, requirantur solemnitates Ju- 16
ris, si alienatio fiat ab una Ecclesia alteri Ecclesiæ. Affirmat Barb. in *Collectan. DD. ad c. 1. de Reb. Eccles. per tex. in eod. c. 1. h. t.* atque hanc esse praxin Curiæ Romanæ testatur Ricc. *in prax. aur. p. 1. resol. 35.* Verùm de puncto Juris, & extra Italiam (ubi praxis Curiæ Romanæ non ita attenditur, nisi, & hic consuetudine aliud receptum sit) videtur non improbabilis sententia negativa, ut fatetur Ric. *d. resol. 35.* hoc saltem sensu, ut si evidens causa utilitatis, vel necessitatis subsit, superioris licentia non requiratur, eò quòd finis prohibitionis de non alienandis rebus Ecclesię sit in consulendo indemnitati Ecclesię universalis, non verò Ecclesiarum particularium, idque plurimum confirmatur ex *c. 2. de Reb. Eccl. in 6. & Extrav. eod. t.* ubi dum ad alienationem consensus Pontificis requiritur, principaliter agitur de alienatione, quæ fit Laicis, & sæcularibus hominibus, ne res Deo dicatæ ad profanos usus applicentur. Imo *in d. c. 1. de reb. Eccles.* agitur de alienatione Abbatis facta alteri Ecclesiæ, & tamen ibi nihil expresè de consensu superioris, sed tantum de consensu ambarum partium dicitur: quòd verò Ecclesia ex contractu læsa etiam contra aliam Ecclesiam in integrum restituatur superius Priv. 31. n. 2. diximus.

Certum est 6. quod si alienatio *rei Ecclesiasticæ* contra 17
formam Juris attentata sit, tunc contractus non valeat, & res alienata non tantum per Successorem Prælatum, vel Capitulum sed etiam *per ipsum alienantem* revocari possit *c. 2. & 6. d. t.* quamvis enim nemini regulariter contra factum proprium venire concedatur, *L. cum a matre. Cod. de Rei vind.* fallit tamen si factum sit ipso jure nullum, vel si non tam ex persona propria, quàm ex parte Ecclesiæ per malam alienationem damnificatæ proprium factum impugnetur Zoes. *de Reb. Eccl. non alien. n.* 4.

Præterea verò ex *sæpe d. Extrav. ambitiosa* alienans, 18
& is in quem facta est alienatio pœnam excommunicationis incurrunt, & beneficium, cujus res alienatæ sunt, ipso jure vacabit, hoc, si inferioris conditionis beneficiatus alienans fuerit, sin autem Episcopus, vel Abbas aliquid malè alienaverit, est ipsi ingressus in Ecclesiam interdictus, sicut *in c. Extrav.* habetur. Monet tamen Navar. *d. l. Consil. 1. de Reb. Eccles. non alien.* istas pœnas ipso jure Incurrendas non ubique receptas esse, & ubi etiam receptæ sunt, tantùm habere locum circa alienationem cum effectu sumptam si nimirum res Ecclesiastica facto emptori tradita.

Dubitatur autem I. utrum recipiens rem Ecclesiasti- 19
cam sine solemnitatibus alienatam teneatur eam restituere in conscientiæ foro antequam per ordinarium judicium fori externi repetatur? Si res ita malè alienata sit, ut nec justa causa, nec solemnitas intervenerit, utiquè recipiens eam cum damno, & injuria Ecclesiæ retinere in

con-

conscientia non potest *c. si quis 6. d. t.* at verò si quidem consensus Superioris aut Capituli non intervenerit, subsit tamen justa causa, tunc quidam DD. à restitutione ante sententiam Judicis excusant, cùm enim tali casu nulla sit commissa iniquitas, & adsint ea, quæ de Jure naturali ad valorem contractus requirantur non videtur, ajunt, obligatio restituendi in foro interno injuncta esse, antaquam contractus in foro externo rescindantur. Ricc. *d. p. 1. Res. 7. n. 4.* Laym. *in tr. de legib. c. 16. in fin.*

20 Dubitatur II. an si emptor rei Ecclesiasticæ sine solemnitatibus alienatæ velit eam ultro restituere Ecclesiæ, teneatur acceptare Ecclesia si malit contractum per adhibitionem solemnitatum confirmare? Non posse contractum ex postfacto confirmari sine utriusque partis nova voluntate tradit Zoes. *d. L. n. 23. arg. §. Tutor autem Inst. de Auth. Tutor.* ex quo ordinariam regulam colligunt Interpretes, quod ea, quæ sunt de solemnitate actus, non possint ad convalidandum actum ex postfacto intervenire. Sed communiter receptum est, quòd contractus ab Ecclesia sine solemnitate factus sit nullus tantùm in favorem Ecclesiæ, si nimirum ipsa velit contractum impugnare, quemadmodum si pupillus sine Tutoris authoritate cum alio contrahat, hic quidem obligatur non autem pupillus *princ. Instit. de Autor. Tutor.* Unde si Ecclesia malit contractum confirmari per adhibitionem superioris (ut quia est in utilitatem Ecclesiæ, vel res interaa casu aliquo deteriorata est,) hoc videtur omnino permittendum, prout textus est clatus una cum Gloss. *in cap. si qua de rebus 12. q. 2.* & tenet Panot. *in c. diversis, de Cler. Coniug. in 6.* Notum quoque est, ratihabitationem retrotrahi, & mandato æquipararie. 10. *de R. I. in 6.* Nihil verò movera debet argumentum eductum, *ex d. Tutor autem.* ubi dicitur, quòd authoritas Tutoris in ipso contractu Pupilli non post longum tempus intervenire debeat, nam respondeo argumentum à Pupillo ad Ecclesiam procedere in favorab libus, quando circa Ecclesiam non habetur alia juris dispositio, secùs autem in iis, quæ Ecclesiæ onerosa sunt, & ubi habetur alia in *Jure Can.* dispositio sicut in *d. c. si qua de rebus.* Deinde authoritas Superioris Ecclesiastici circa alienationem *rei Ecclesiastica* non tam comparatur authoritati Tutoris, quàm decreto Prætoris circa alienationam *rei pupillaris*, quod decretum ante & post factum intervenire posse, testis est Honorius *d. t. de Reb. Eccl. non alien. n. 2.*

21 Dubitatur III. Utrum si res malè alienata repetatur ab emptore restituenda sit cum omnibus omnino fructibus, sive emptor in *bona*, sive *mala fide* fuerit.

Imprimis satis conveniunt, quòd emptor in vera *mala fide* existens (id ast, si sciverit rem malè alienatam esse) teneatur ad omnes fructus restituendos, non tantùm ad eos qui adhuc exstant, sed etiam ad æstimationem, & pretium eorum, quos consumpsit *c. si quis 5. d. t. L. certum C. de R. Vind.* quia malæ fidei possessor nullum omnino jus haber ad lucrandos fructus, ne ex suo delicto, quod commisit rem malè alienatam recipiendo, lucrum reportet. Idem quoque de eo communiter receptum est, qui ex ignorantia, *& errore Juris* non putavit requiri solemnitates ad rem Ecclesiasticam alienandam: nam *error Juris* inducit saltem *fictam* malam fidem, & licet regulariter à pœna excuset, tamen non prodest ad acquisitionem, & lucrum captandum: maximè in illis casibus ubi lex resistit contractui sicut alianationi sine solemnitate factę *l. 7. & 8. ff. de Juris, & fact. ignor.* Fach. *lib. 8. contr. c. 29.* Panorm. *in c. pen. de Reb. Eccl. non alien. n. 6.* Bar. *in c. quis eod. t. n. 13.* Cov. *var. res. l. 1. c. 3. n. 8.*

Sed magna est difficultas quid dicendum, si emptor fuerit in *vera bona fide*, non errore Juris sed *facti* deceptus? puta, quia fuit à Prælato alienante persuasus solemnitates debitas intervenisse, consensum superioris obtentem esse? certi Juris est, quod bonæ fidei possessor fructus quidem *extantes*, (deductis tamen necessariis impensis) una cum prædio restituere teneatur, *consumptos* autem lucretur pro *cultura*, & *cura* quam in prædium impendit *L. certum C. de Rei vind. & §. si quis à non domino Inst. de Rer. divis.* Attamen in emptore rei Ecclesiasticæ malè alienatæ quidam hoc volunt esse speciale, ut etiam æstimationem, & pretium fructuum consumptorum restituere teneatur, tùm quòd in *c. 2. de Reb. Eccl. in 6. & Clem. 1. eod* dicatur, *emptori nullum Jus acquiri*, ergo nec jus lucrandi fructus; tum etiam, quòd jus lucrandi fructus tantum detur *possessori*, emptor autem rei Ecclesiasticæ sit quidem ex supposito bonæ fidei, sed non *possessor*, cum Ecclesia quæ pupillo æquiparatur, in contractu non solemni nec jus possessionis perdere possit. *l. magis puto §. 1. ff. de Reb. cor. qui sub Tut. & l. pupillus 11. ff. de Acquir. rer. dom.* Sed ut verum fatear, contraria sententia, quod errans in facto lucretur fructus *ante litem contestatam consumptos*, communior est, ut patet ex Panorm. & Barb. *cc. ll.* & Riccio *d. p. 1. res. 18. n. 3.* pro eaque plurimum stringit *d. c. pen. de Reb. Eccl. non alien.* & urgentius text. *in l. bona fidei 48. ver. nec interest ff. de acquir. rer. dom.* ubi ex re *pupilli* fructus bonæ fidei possessor lucrari dicitur.

22 Dubitatur IV. Utrum res Ecclesiastica possit ab emptore præscribi? si emptor in mala fide fuerit, vel in errore Juris, non est magnum dubium quòd præscribere non possit, quia malæ fidei possessor nullo unquam tempore præscribit *c. fin. de Præscript.* & error juris non prodest ad præscribendum *l. nunquam 31. ff. de Usucap.* At verò quid dicendum sit, si emptor fuerit in vera bona fide falso persuasus, consensum superioris, & alias solemnitates in alienatione intervenisse, non est satis exploratum: nam in *c. 2. de Reb. Eccl. in 6.* dicitur, quod mala alienatio ne quidem causam præscriptionis pater. Et Paulus IV. Summus Pontifex absolutè constituir, ut exceptio præscriptionis contra repetitionem rei malè alienatæ opponi non possit.

Verùm communior est sententia cum Ricc. in *prax. aur. p. 1. res. 32.* præscriptionem cæteris paribus, videlicet bona fide & possessione per 40. annos continuata accedentibus, locum habere; licet enim res pupillares præscribi nequeant, res tamen Ecclesiæ præscriptibiles esse constat ex *toto Titul. Decret. de Præsc.* quod ipsum videtur confirmasse Pius IV. in sua Bulla quæ incipit, *Provida &c.* dum ibidem constitutionem Pauli IV. ad terminos Juris communis revocavit. Textus autem *in d. c. 2. h. t. in 6.* interpretantur de emptore, qui in errore Juris fuit, credens solemnitates ad alienationem non requiri Barb. *in Collect. DD. ad d. c. 2. n. 7.*

23 Duo tamen notabilia hic advertit Ricc. *l. supra cit.* quæ etiam nos superius Privil. 30. adduximus 1. quòd præscriptio non incipiat nisi post mortem, val depositionem Prælati malè alienantis, quia enim talis Prælatus non est facilè revocaturus rem alienatam, ideo ipso vivente Ecclesia censetur carere legitimo defensore per text. *in cap. si Sacerdotes 16. q. 3.* 2. quòd contra præscriptionem detur Ecclesiæ in integrum restitutio, saltem si intra quadriennium numerandum à die quo scivit præscriptionem completam, illam restitutionem petierit *c. 1. de integ. rest. in 6.* de qua restitutione supra actum est.

24 Dubitatur V. Utrum solemnitates ad alienationem requisitæ possint per consuetudinem alicujus loci abrogari?

Resp. quamvis solemnitates alienationis à Sum. Pontificibus introductæ nec Juris naturalis, nec divini sint, sed positivi tantùm, & ideo absolutè loquendo per consuetudinam abrogari posse videantur, cum consuetudo habeat vim legis, & derogat aliis legibus positivis prioribus *c. fin. de consuetudine l. diuturna ff. de LL.* Interim tamen si per talem consuetudinem damnificarentur Ecclesiæ, non esse valida censenda juxta *c. 1. de consuetud.* Unde nulla consuetudine introduci potest, ut alienatio subsistat, quam Prælatus facit sine evidenti causa, utilitatis, necessitatis aut pietatis. Item quia consuetudo debet esse rationabilis *d. c. fin.* non esset autem *rationabilis*, si contineret periculum damnificandi Ecclesias, ideo consuetudine introduci non poterit, ut inferiores Clerici, vel laici irrequisito Episcopo, vel alio Superiore bona suorum beneficiorum, vel etiam superiores Prælati, non habito tractatu cum suis Capitulis, bona suarum Ecclesiarum alienare valeant. Sed illud consuetudine introduci potest ut consensus Sum. Pontificis in alienatione inferiorum Prælatorum non desideretur *jux. d. n. 15.* & Episcopi ac Abbates præsertim *Exempti*, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem in suis Monasteriis habere censentur, *in vulgaribus prædiis, & rebus minoris præjudicii*, præter suorum Capitulorum superioris consensum requirere non teneatur. Videatur Panorm. *in c. nulli h. t. in 6.* Barb. *ad c. cum causa 8. de Sent. & re judic. n. 7.*

Demum hic addi potest, quòd Ecclesia revocans rem alienatam, sive per viam *nullitatis*, sive per vim *restitutionis* teneatur emptori reddere pretium, quod ab eo accepit, ne contra naturalem æquitatem cum aliena jactura locupletetur *l. quod si minor §. restitutio ff. de Minor. l. si fundus §. fin. ff. de Rebus eorum l. uter. 14. C. de Præd. minor.* Sed hoc, quatenus ex pretio Ecclesia locupletior facta est, idque in suam utilitatem convertit; at verò si pretium penes Prælatum alienantem casu perierit, aut malè consumptum sit, Ecclesia ad refundendum aliud pretium non tenebitur, sicut ita circa minores (quorum jure Ecclesia utitur, *c. 1. de In integr. rest.*) revocantes res suas malè alienatas apertè constitutum est *in d. l. quod si minor. §. restitutio l. patri §. item ex diversa* ibi: *juvenis autem*
26 *eatenus ex pretio reddere, quatenus ex ea pecunia factus est locupletior. ff. de Minor. l. prædier C. de prædiis min.* ibi: *pro ea duntaxat parte te conveniri permittet, quam in facultates tuas erogatam esse constiterit*, * imò hoc ipsum, quòd pretium in utilitatem Ecclesiæ conversum sit, ab emptore probandum esse, communis est sententia apud Barb. *in c. si quis 6. de Reb. Eccl. non alien. sub n. 9.* eamque tenet Fachinæus *2. Contr. c. 46.* ubi tamen quosdam dissentientes allegat.

ADNOTATIO.

AD Num. 9. Dum ibidem dico, Prælatum sine solemnitate posse repudiare hæreditatem ex persona alicujus Religiosi Monasterio obvenientem, decisrandum puta, ut hoc non sit *certum*, sed ut ibidem dixi *non improbabile*, juxta sententiam Ricci, & rationem n. 9. citatam, quia non est alienatio juris *in re*, sed juris *ad rem*, adeoque potius *non acquisitio arg. l. 6. ff. quæ in fraud. Cred.* Deinde ut si hæreditas majoris momenti, & considerationis sit (in quo respectus ad Monasterium habendus, quia præsertim consuetudine accedente Prælati in majoribus Monasteriis amplioribus administrationibus potestatem habent) observatur, quod in tit. *de his quæ fiunt à Prælatis &c.* traditur, Prælatos majora negotia cum consensu, vel consilio capituli expedire debere.

PRIVILEGIUM XXXIII.

Monasterium dissolvit Conjugium.

1 *Matrimonium ratum dissolvitur per ingressum quoad vinculum, consummatum autem tantùm quoad cohabitationem.*
2 *Redditur ratio diversitatis, & ibi quæ sit significatio Sacramentalis Matrimonii rati, & consummati.*
3 *An Pontifex justè concesserit hoc Privilegium?*
4 *Per legem communem potest Princeps aliquem privare suo Jure.*
5 *Reprobatur opinio illorum, qui putant, tantùm bimestre tempus dari conjugatis pro Novitiatu.*
6 *In Matrimonio sæpe aliquis cogitur continere sine culpa sed non sine causa.*
7 *Copula antecedens Matrimonium non operatur, ut Matrimonium dicatur ex ea consummatum?*
8 *An copula vi aut metu ab uxore extorta impediat religionis ingressum?*
9 *Professio sine licentia alterius Conjugis post Matrimonium consummatum facta non valet ut solemnis, valet tamen ut votum simplex castitatis.*
10 *Nec convalescit Professio sine ejus consensu, licet alter conjux ratificaverit, vel mortuus fuerit.*
11 *Propter adulterium unius potest alter ad Religionem transire.*
12 *An si Professio non valeat nisi in vim voti simplicis possit profitens liberè exire etiam non revocatus?*
13 *Quid, si conjux dans licentiam ex postfacto velit ipse quoque ingredi?*
14 *Per assumptionem Ordinum Clericalium non dissolvitur Matrimonium.*

NOn tantùm homines Cælibes, sed etiam Conjugati ad Religionem transire possunt, & per istum ingressum Matrimonium priùs contractum dissolvitur, adhibita tamen distinctione inter Matrimonium *ratum*, & *consummatum*: nam si Matrimonium quidem *ratum*, & in facie Ecclesiæ contractum, nec dum tamen per Copulam carnalem *consummatum* sit, dantur his novis Conjugibus duo menses ad deliberandum, an Matrimonium consumare, vel Religionem ingredi velint. Quòd si alter ex Conjugibus ingressus fuerit, Matrimonium *ratum* etiam *quoad vinculum* dissolvetur, & alter in sæculo remanens aliud Matrimonium inire poterit, sed tunc primùm ubi ingrediens professionem fecerit *c. 2. & 7. de Convers. Conjug.* Hostiens. *ad. c. n. 11.* 1

Matrimonium autem *consummatum* quamvis *quoad vinculum* dissolvi non possit, si tamen alter Conjux cum expressa licentia alterius post consummatum Matrimonium ingredi, & alter etiam sequi, vel saltem (si propter senium aut valetudinem de incontinentia suspectus non sit) voto simplicis castitatis se obligare velit, Matrimonium quoad *mutuam cohabitationem* sicut per divortium solvetur *c. 4. & seq. c. uxoratus 8. & c. ad Apostolicam 13. de Convers. Conjug.*

Sed quare potiùs *vinculum* Matrimonii *rati* per Ingres- 2
sum in religionem dissolvitur, quàm *vinculum* Matrimonii *consummati*? Rationem assignat Hostiens. *d. c. n. 7.* quòd illa *conjunctio animorum*, quæ fit per Matrimonium *ratum*, quamvis verum sit Sacramentum, & perfectum Matrimonium, tamen solum significet *Conjunctionem Christi cum anima fideli per gratiam*, quæ conjunctio non est immutabilis, quia & in melius mutari sive intendi, & etiam per peccatum omnino tolli potest. At verò *conjunctio corporum*, & Matrimonium *consummatum* significat *conjunctionem Christi cum Ecclesia* (juxta illud Apostoli *ad Ephes. 5. c. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*) quæ conjunctio omnino indissolubilis est.

Quæritur autem I. quomodo Summus Pontifex potu- 3
erit in Matrimonio *rato* dare licentiam Ingrediendi Religionem etiam altero Conjuge invito, & sic alterum jure ex Matrimonio quæsito privare?

R. Cum Matrimonium *ratum* ex sua natura non sit indissolubile, ideo rectè potest Papa justa aliqua ex causa ejus obligationem, & *vinculum* tollere, vel per dispensationem, vel per procurationem majoris boni, & concessionem ingressus in Religionem. Nec obstat, quòd alter Conjux privetur jure suo ex contractu Matrimonii quæsito: nam ex justa causa potest Princeps aliquem jure suo privare, maximè si id faciat per legem publicam, & communem: quemadmodum factum videmus in lege *præscriptionis*, per quam ei qui patitur longo tempore rem suam ab alio possideri, aufertur dominium, & transferetur in possidentem, ne dominia rerum sint incerta, & ut lites tandem finiantur. Neque propterea tales leges magnum gravamen habent, quia sunt communes omnibus, & sicut possunt obesse in uno casu, ita possunt prodesse in altero. Ex. g. hoc anno præscribitur contra me, altero fortassis ergo præscribam contra alium, in hoc matrimonio uxor invito marito ingreditur Religionem, in altero invita uxore maritus &c. Deinde quia jam per legem generalem constitutum est, ut religionem ante consummationem ingredi liceat, ideo obligatio Matrimonii non est omni ex parte pura, & absoluta, sed habet tacitam conditionem, obligo me, nisi intra bimestre placuerit religionem ingredi. Textus denique qui ex Scriptura possent in contrario adduci, ut quòd *non liceat dimittere uxorem excepta causa fornicationis*, item *quos Deus conjunxit homo non separet*, de matrimonio consummato intelliguntur. *c. 7. de Convers. Conj.*

Quæritur II. An si unus ex Conjugibus ad religionem 5
transeat; alter debeat per integrum annum expectare usque dum ingrediens Professionem faciat: Non desunt qui putent, personis conjugatis tantum *bimestre tempus* esse assignatum intra quod Novitiatum agere, & post illud expletum, vel professionem facere, vel ad conjugium redire debeant, per textum in *d. c. 6. d. t.* quem ajunt etiam hodie per Conc. Trid. non esse correctum propter specialem

rationem, quæ in conjugibus militat, ne scilicet conjux in sæculo expectans propter longiorem moram periculo incontinentiæ exponatur Zoes. *d. t. n. 71.* Verum cùm generaliter omnibus de jure antiquo annus probationis sit concessus, *c. ad Apostolicam 16. de Regul.* cumque Trid. Conc. in quacunque Religione tanquam omnino necessarium sine distinctione requirat, circa conjugatos autem apertè, & in claris terminis contrarium non statuatur, ideo probabilius est etiam conjugatum ingredientem Monasterium *annum Novitiatus* explere, & alterum Conjugem interim expectare debere, ita docet Sanch. *de Matr. l. 2. d. 24. n. 4.* quòd verò in *d. c. 7. d. t.* dicitur, Conjugem debere intra duos menses ad Monasterium transire, vel ad conjugem redire, accipiendum est de tempore deliberatorio, non de tempore Novitiatus, & in casu illius Capituli, ubi mulier à marito adhuc in sæculo se separavit.

6 Demum circa id quod obiicitur de periculo incontinentiæ, si alter conjux tam diu expectare debeat, Responderi potest per verba Pontificis *in c. quoniam vers. si autem de carnali ut lite non contest.* quòd in matrimonio multi casus emergant, in quibus Coniuges sine culpa, sed non sine causa continere coguntur: ut si alter ex morbo, vel maleficio impotens reddatur, si lis super aliquo impedimento Matrimonii instituatur.

7 Quæritur III. An Copula ante Matrimonium habita cum ea, quam quis uxorem duxit, faciat, quo minus liceat religionem ingredi? Ratio dubitandi est, quod ex multorum sententia copula ante Matrimonium habita fictione Juris censeatur in ipso Matrimonio contigisse; unde fit quòd liberi ante nati, vel concepti per subsequens Matrimonium legitimentur *juxta c. 2. & 6. Qui filii sint leg.* Nihilominus tenendum est talem copulam non impedire liberum ingressum ad Religionem, cùm extra Matrimonium facta, & merè fornicaria non faciat Matrimonium consummatum, nec significet conjunctionem Christi cum Ecclesia. Ad rationem dubitandi dicitur, illam fictionem Juris tantùm locum habere circa legitimationem liberorum, non autem generaliter, & eo casu, quo de consummatione Matrimonii, & *significatione Sacramentali* inquiritur, ubi proinde non ex fictione Juris, sed veritate proceditur.

8 Quæritur IV. An copula vi, aut metu ab uxore extorta impediat religionis ingressum? Negativè respondet Sanch. *d. l. 2. disp. 22. n. 6.* quia per violentiam Mariti uxor jure suo privari non debuit, nec Maritus ex suo delicto debet commodum reportare, ut hoc modo uxorem in Matrimonio retinere possit. Idem docet Gloss. *in c. fin. in V. invitus dist. 55.* Verùm contrarium probabilius est, quia talis copula vere facit virum, & mulierem unam carnem & Matrimonium consummatum, ut fatetur ipse Sanch. *d. l. n. 4.* consequenter inducit sacramentalem significationem matrimonii *consummati* scilicet conjunctionem Christi, & vinculum indissolubile. Rationibus adversariorum breviter respondari potest, uxorem quidem privari suo jure *sine culpa*, non autem *sine causa*, & maritum reportare commodum ex delicto non per se, & directe, quatenus ex dalicto, sed potiùs indirectè, & occasione delicti, per se autem ista indissolubilitas provenit ex consummatione Matrimonii ut dictum.

9 Quær. V. quid Juris, si post consummatum matrimonium Coniux ignaro, vel invito altero Coniuge religionem ingrediatur, ibique professionem faciat? Respondeo talem professionem non valere, & ideo profitentem liberè ab altera parte revocari posse. Quamvis autem revocatus mortua Conjuge non teneatur ad Monasterium redire, cùm Professio non valuerit, quia tamen in Professione votum castitatis emittendo hoc ipso promisit nunquam exigere debitum Conjugale, quod cùm in ipsius fuerit potestate, ideo quoad hoc votum tenuit, non quidem tanquam *solemne*, sed tanquam *simplex*, ac propterea non tantùm constante matrimonio sine dispensatione debitum exigere, sed nec eo dissoluto aliud saltem licite cõtrahere poterit *c. 3. & c. placet ubi DD. de Convers. Coniug.*

10 Porrò Professio unius Conjugis sine licentia alterius Conjugis facta per ratificationem, vel mortem illius Coniugis in sæculo relicti ex probabiliori sententia non convalescit, nisi per novum consensum tacitum, vel expressum renovetur *juxta regulam 16. l. in 6. Quod ab initio non valet tractu temporis convalescere non potest*, & quia prior consensus in religionem sine licentia uxoris fuit invalidus, ergo novus omnino consensus requiritur. Sunt quidem qui putent, talem Professionem valere sub conditione, si coniux consenserit, vel mortuus fuerit sed id potius divinatorium est, cùm nullo expresso textu probetur, è contra autem *in c. 3. d. t.* absolutè dicatur. Professionem non valuisse Sanch. *de Matr. lib. 7. disp. 34. n. 26.* videtur quoque in contrarium facere, *c. consuluit d. l.* ubi respondit Pontifex quod vir professus mortua uxore nec ad sæculum redire, nec matrimonium validè contrahere possit. Sed hic Textus non loquitur apertè de nostro casu quo maritus invita uxore religionem ingressus est, imò non obscurè ex verbis ibi positis colligitur, ipsam quoque uxorem ad domum regularem transivisse, & consequenter ante Professionem licentiam tacitam, vel expressam dedisse.

Ulterius etiam illud notatu dignum, quòd adulterium 11
unius coniugis sicut causat perpetuum divortium ita etiam faciat ut coniux innocens irrequisito Coniuge adultero religionem ingredi, in eaque validè profiteri possit, Navar. *de Convers. Coniug. Cons. 7.* non tamen convalescet Professio ab initio inutiliter, & sine consensu Conjugis facta, licèt Conjux in sæculo ex postfacto adulterium commiserit, per ea quæ statim ante diximus.

Quæritur VI. An eo casu quo Professio Coniugis non 12
valuit nisi in vim voti simplicis possit is propria authoritate ex Monasterio exire, quamvis ab altero Coniuge non petatur?

Pro affirmativa quam tenet Sanc. *d. disp. 34. n. 13.* facit, quòd Professione invalida non sit causa, cur aliquis in Monasterio retineatur, *arg. c. accedens 3. d. t. & c. 8. 33. q. 5.* ubi invalidè professus proprio motu exiens non propterea reprehenditur. Econtra pro negativa quam docet Gloss. & Panorm. *in c. Placet 18. d. t.* fortiter stringit text. *in eod. c. placet*, in illis verbis: redire autem ad sæculum non erat in ejus potestate; cui accedit ratio, quòd talis Professio saltem valeat ut votum simplex castitatis propter quod tenetur vovens, quantùm in se est vitare omne carnale commercium uxoris.

In hac difficili quæstione ego inprimis dico Monasterium posse expellere talem nulliter professum postquam ejus nullitatem cognovit; quia obligatio Monasterii ad retinendum Religiosum tantùm provenit ex Professione, ergo ubi nulla est Professio nulla quoque est obligatio ad retinendum: prout id ipsum docet. Sanch. *d. loc. sub n. 16.* Quod verò attinet ad personam ipsius professi, puto distinguendum, an præter nullitatem Professionis aliam justam causam ingrediendi habeat. v. g. infirmitatem, debilitatem ad sufferendum rigorem, gravè cum aliis dissidium &c. vel an nullam talem causam allegare possit: priori casu amplector sententiam Sanchezii, posteriori verò Glos. & Panorm. *cit. loc.*

Quæritur VII. quid statuendum sit, si Conjux Coniu- 13
gi expressam licentiam ingrediendi religionem dederit, ipse verò in sæculo remanens, & suspectus de incontinentia nolit ad religionem transire? Communis est distinctio, an maritus dederit licentiam uxori ingrediendi religionem, vel an è contra uxor marito: priori casu censent maritum ad ingressum in religionem etiam per censuras cogi posse: quia hoc ipso se ad ingressum in religionem obligasse intelligitur, quòd Conjugi licentiam ingrediendi dederit, quam tamen se dare non posse scivit, aut scire debuit, nisi etiam ipse ingrederetur. Altero autem casu si uxor, quæ dedit licentiam marito alleget, se ignorasse hanc obligationem, aliàs se non daturam fuisse licentiam, cùm sibi nunquam animus fuerit ad religionem, & dicat, mulierem excusari, si ignorantia juris laboret, *L. cum de indebito 25. §. 1. ff. de Prob.* putant, eatenus audiendam, ut si periculum incontinentiæ sit, nec persuaderi ad religionem possit, valeat Episcopus ex officio Maritum etiam professum ex Monasterio evocare, & uxori restituere, qui tamen Maritus post mortem uxoris ad Monasterium redire teneatur, cùm habita licentia uxoris validam fecerit Professionem. Atque ita intelligunt Textum *in c. 1. d. t. De Convers. Coniug.* Glos. & Panor. *in d. c. 2. & c. ex parte 9. eod.*

Verùm prior hujus distinctionis pars videtur nimis dura, contra libertatem Professionis, & non posse ut non timeri

meti pessimi effectus, & turbatio religionis, si maritus contra omnem suam voluntatem ad Religionem cogeretur. Ipsum quoqua *c. 1. d. t.* sine data distinctione loquitur, & absolutè conceditur, ut Coniugi nolenti ingredi Religionem Coniux professus restituatur: sicut atiam advertit Zoes. *h. t. n.* 14. quare ego potius credo incumbere Monasterio, ne Conjugem Novitium ad Professionem admittat, antequam etiam altera pars religionem ingrediatur, & spes certa sit de ejus Professione. Quòd si de facto admiserit, & alter religionem ingredi renitatur valde videtur probabile, Coniugem professum in seculo existenti, & de innocentia suspecto indistinctè restitui posse.

Quæritur postremò, utrum solvatur Matrimonium, si Maritus efficiatur *Clericus sæcularis*, & suscipiat sacros Ordines? Respondeo per susceptionem sacrorum ordinum in sæculari Clericatu nec Matrimonium ratum, nec consummatum dissolvi nisi uxor ultro religionem ingredi vellet, Quia hoc Privilegium dissolvendi Matrimonium tantùm religioni concessum est, quòd ibidem Coniunx professus quasi mundo mortuus censeatur, *Extrav. antiqu. Joan. 22. de voto.* Ordines tamen validè suscipiuntur, & votum solemne castitatis annexum habent, quod quidem uxori in petitione debiti non præjudicat, (cum jure suo sine culpa privari non debuerit) sed Marito, & ita, ut post mortem uxoris nec licitè nec validè propter votum solemne aliud Matrimonium contrahere possit, sed debeat statum Clericalem reassumere, vel Monasterium ingredi Sanch. *d. l. 7. disp. 27. n.* 23.

ADNOTATIO.

AD Num. 9. Obiicies qui voluit vovere castitatam in Religione, non hoc ipso voluit etiam in sæculo, proinde habebit hic locum Regula, *quod potuit non voluit, &c.* R. hoc argumentum posse aliquando obtinere in conscientia, si vovens talem limitatam intentionem posuerit, interim ex *d. c. placet 12. de convers. Conjug.* præsumi, quòd voluerit se eo modo obligare quo potuit, juxta illud: si actus non valet ut ago, valet omni meliori modo, quo valere potest, *§. fin. & ibi DD. de Adopt.* Instas, quare non etiam alia vota scil. *obedientiæ*, & *paupertatis* professione annullata valent in vim voti *simplicis*? R. quòd hæc habeant majorem dependentiam, & connèxitatem cum Monasterio, ut nemo rationabiliter præsumi possit, ad ea se voluisse extra Monasterium obligare. Si in praxi hic casus eveniret suaderem dispensationem petendam, quam contracto Matrimonio in ordine ad petendum debitum eo durante dari posse ab Episcopo plurium est sententia, cum Navaro *in Manuali c. 16. n.* 30.

Ad Num. 11. Dices, debitor etiam non requisitus potest debitum restituere creditori, sed maritus in suo corpore ast debitor uxoris juxta illud: *vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier, &c.* ergo, &c. Res. Majorem essa veram nisi debitor per talem solutionem non petente creditore faciendam exponat se peccandi periculo.

Ad Num. 13. Dices, qui scit se obligari ax eo, quod facit, *tacitè* vult obligari, qui tacitè vult obligari tenetur ac si expressè promisisset, sicut ex eo capite Clericus obligatur ad votum castitatis SS. Ordinibus annexum, ergo &c. Resp. Majoram procedera ex *præsumptione* non ax *veritate*, & ideo non esse obligationem in conscientia, nisi *veritas* subsit, prout etiam Clericus qui non habet intentionem se obligandi ad castitatem, non tenetur ex *voto* sed *ex præcepto Ecclesiæ* abstinere à matrimonio. Quòd autem illa præsumptio etiam in foro externo non sit *juris, & de jure*, & neque ex præcepto Ecclesiæ teneatur conjunx invitus ad ingressum, nisi prius verum actualem consensum posuerit, satis colligitur ex *cap. de convers. conjug.* & in dubio non est facilè obligatio inducenda, ne impediatur libertas professionis, quam præsertim Conc. Trid. variis locis *sess. 25. de Regul.* voluit integrum essa, & ex coacta professione scandala in Monasterio oriantur.

Engal de Privil. Monast.

PRIVILEGIUM XXXIV.

Per Professionem in Monasterio tolluntur omnia vota præcedentia.

1 *Ratio Privilegii, & exceptio ab eo.*
2 *Vota post Professionem emissa potest Abbas irritare.*

HOc egregium nec longè à priori distans Monasteriorum Privilegium tradunt DD. communiter ex *c. Scriptura 4. de Voto*, & præ cæteris Sanch. *in præcept. Decal. tom. 2. lib. 5. c. 1. n. 36.* & ex eo Barb. *in eod. c. 4. n. 2.* Ratio est, quòd cum omnia vota Deo promissa sint opera particularia, contineantur eminenter in ipsa Religionis Professione, per quam se, & omnia sua dedicat profitans divino obsequio moriens priori vitæ, & nihil nec propriam voluntatem sibi reservans. Excipit tamen Sanc. *d. l. n. 45. & 47.* vota *realia* v.g. dandi eleemosynam, &c. si jam parti intimata, atque tunc per acceptationem ei Jus quæsitum foret. Item illa vota realia quæ à defuncto emissa hæres præstare tenetur. 1

Porrò post Professionem Religiosus aliter quodcunque votum vovare non potest, nisi sub tacita conditione si Abbas toleraverit, unde Abbati competit potestas vota suorum Religiosorum directè irritandi *c. 2. 20. q. 2.* Interim quoad licentiam, seu consensum Abbatis petendum distinguendum est, an Raligiosus votum fecerit in actione sibi licita, & concessa, v. g. certas orationes privatim dicendi, &c. vel an in actione quidem bona, Religioso tamen certa ex causa prohibita v.g. peregrinandi extra Monasterium, &c. priori casu Religiosus non tenebitur petere licentiam Prælati, sed de facto obligabit votum, usque dum ab Abbate aliunde resciente, vel per generalem prohibitionem in capitulo irritetur; altero autem casu obligabitur ad petendam licentiam, quia saltem tenetur ex voto facere quantum in se est. Vid. Less. *de Voto dub. 10. ubi n. 70.* ait, Superiorem saltem venialiter peccare, si absque rationabili causa irritet votum sui subditi, quod abutatur sua potestate impediendo promptitudinam ajus ad exhibendum Deo cultum per votum. 2

PRIVILEGIUM XXXV.

Monasteria gaudent omnibus Privilegiis piarum causarum.

MOnasteria esse *pias causas*, quia ad Religionam ad specialem cultum divinum, ad vitam sanctam instituta, per se clarum est, & omnes ubique id asserera testatur Tyraq. *de priv. piæ causæ in præf. V. primum igitur*

Plurima autem Privilegia *piarum causarum* enumerant DD. quarum 54. ponit Barb. J. *Eccles. V. libr. 2. cap. 13.* & Tyraq. in d. tract. 167. recenset, ax quibus præter hactenus dicta aliqua adhuc magis notabilia referemus.

PRIVILEGIUM XXXVI.

Monasteria participant Privilegia fisci, libertatis, militum, alimentorum, dotis, minorennium, & Reip. dummodo causa sic applicabilis, & in jure contrarium non sit dispositum.

1 *Redditur ratio extensionis circa singulas istas causas favorabiles.*
2 *Respondetur objectioni, quòd privilegia extendenda non sint.*

ITa præter Everhar dum *in Top. in loco à fisco ad Ecclesiam, à dote ad Ecclesiam, à milite ad Ecclesiam, & mili-*

militibus, tradit Lauret. de Franch. *de controv. Reg. p. 2. q. 96.* & ibidem Pasqual. *in addit.* Tiraq. *in variis Privilegiis piarum causarum*. Ratio addi potest de singulis.

1 Si enim *fiscus* propterea est privilegiatus, quia est causa Principis, multò magis idem erit in Ecclesia, cujus causa est Dei, tex. in Trid. *Sess. 25. de Ref. c. 1.* ibi *res Ecclesiasticas quæ Dei sunt* &c. & in eadem *sess. 15. c. 20.* ibi: *quæ Ecclesiastici Juris sunt tanquam Dei præcipua, ejusque patrocinio tecta*, &c. Si *libertas* favorabilis quia eximit à servitute, reddit hominem naturæ, quæ omnes liberos genuit, non minus favorabilis erit Religio, quæ non tantum liberat ex potestate dominica, sed etiam ex captivitate perpetua Diaboli, & facit ut teste Apostolo, *in Christo omnes liberi simus*.

Si *Militia* favore digna est, quia corporalibus armis tuetur Patriam, tantò magis erit Religio, quæ contra inimicos visibiles, & invisibiles armis pugnant spiritualibus, quæ utique temporalibus longè validiora sunt, ut exemplo Moysis docemur, quo orante extensis manibus in monte Horeb, vincebat Populus Israeliticus, eo autem remittente vincebatur, *Exod.* 17. huc quoque referri potest, quod eleganter dicit S. Laurentius Just. *in opusc. de Monast. Convers. quid aliud*, inquit, *esse dixerim Religiosorum Monasteria, & Deo famulantium loca, quam stadia militaria atque spiritualia castra pugnantium, &c.*

Si *alimenta* magnum in Jure favorem habent, quia ad sustentationem corporis necessaria, sanè Ecclesia, & Religio, quæ conservat animam tanto id sibi magis vindicabit, quanto anima corporis est præstantior juxta illud Christi *Matth. 6. v. 25. nonne anima plus est quàm esca.*

Si *Mulierum, pupillorum, & Minorennium* bona singulariter Jura protegunt, quia alienæ curæ commissa multorum sunt captionibus obnoxia, meritò etiam bona Ecclesiæ à legibus protegenda sunt, quia diversis Officialibus administrantur, & multorum invidiæ ac insidiis sunt expositæ.

Si denique *Reipub.* favendum, quia nimirum Res publica, aut publica res est, commune bonum concernens, quis audeat Ecclesiæ negare ex cujus precibus, & divinis Officiis doctrina, & instructione commune fidelium bonum procuratur. Et religiones continere formam perfectissimæ Reibuplicæ probat Platus *de Bono status Relig. lib. 2. c. 35.*

2 Nihil autem movere debet quod aliqui in contrarium opponunt, videlicet Privilegia esse strictè interpretanda, nec ad alios casus extendenda *c. quod alicui 74. de R. J. in 6. L. quod verò 14. ff. de LL.* Nam Resp. id debere intelligi de Privilegio concesso per particulare rescriptum, non autem per legem communem, nam tunc sicut aliàs Lex communis extendi potest ad casus alios quam expressos, si sit eadem ratio, & utilitatis causa *L. non possum 12. cum seq. ff. de LL.* ita etiam Privilegia per legem communem concessa; præsertim quando satis constat de mente legis, quod velit illas causas ad quas fit extensio omni favore prosequi, & jam ipsa lex tales extensiones fecerit sicut in *c. 2. & c. auditis de in integ. rest.* Jus minoris extenditur ad Ecclesiam, & *in L. ut inter C. de SS. Ecc.* Ecclesia cum civitate comparatur, imò eidem præponitur. Licet verò in omnibus præcedentibus casibus talis extensio ab ipsa lege facta non reperiatur, habebit tamen locum quod dicit J. C. *in L. nam ut ait 13. ff. de LL. quoties aliquid lege introductum est, bona occasio est cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretationem, vel certè Jurisdictione supplere.*

PRIVILEGIUM XXXVII.

Legata Monasteriis relicta habent Privilegia, quæ generaliter in jure piis causis dantur.

1 *Referuntur aliquot Privilegia legatorum ad pias causas.*
2 *Legata pia solvenda sunt intra annum medium, & ibi pœna.*
3 *Arbitrio Episcopi potest restringi terminus,*
4 *Quis sit executor legatorum piorum.*
5 *Piæ voluntates defunctorum an possint commutari,*
6. *Excessivus Missarum numerus per defunctos impositus potest restringi.*

HÆc Privilegia videri poterunt apud Tiraq. *pia causa* 1 ex quibus aliqua notabiliora referemus. Ita *Priv. 33. & 34.* docet, quòd etiam hæreditate non adita peti possint legata ad pias causas actione personali, & hypothecaria. Item *Priv. 35.* quòd ex duobus Testamentis in dubio id præsumatur posterius, in quo legatum est ad pias causas. Item *Priv. 41.* quod alienatio rei legatæ ad pias causas non inducat revocationem. Item *Priv. 66.* quòd legatum rei alienæ etiam ignoranter à Testatore factum piis causis valeat, sicut valeret relictum personæ conjunctæ *L. cum alienam C. de Legat.* est enim Deus Pater noster, & Ecclesia Mater nostra *c. qui abstulerit 6. 12. q. 2. c. si quis irascitur 13. q. 2.*

Prætereà quamvis legata profana ante annum hæres 2 exsolvere non teneatur, ad legata tamen pia præstanda (nisi opus aliquod faciendum v. g. ædificium, legatum sit, pro quo inchoando annus datur *c. 3. de Testam.*) inter medium annum obligatur. *Nov.* 131. quod si hæres solutionem *legatorum piorum* ultra terminum Juris eousque distulerit, donec in judicium vocetur, duplum solvere tenebitur, *§. si autem. Inst. de Act.*

Poterit quoque Episcopus ex rationabili causa termi- 3 num anni medii restringere, & executores citiùs ad implendam voluntatem defuncti compellere, nam in legatorum præstatione illud est observandum, quod Testator verisimiliter voluit *L. cum res 47. in pr. ff. de Leg. 1.* planè autem verisimile est, hanc fuisse mentem Testatoris, & desiderium, ut legata præsertim ad pias causas, quæ pro anima sua reliquit, quàm citissimè exsolverentur, facit tex. in *d. L. 47.* ubi dicitur, quòd si hæres copiam rei legatæ habeat, non debeat in illius præstatione moram facere Barb. *de Off. Ep. p. alleg. 82. n. 24.*

Executio legatorum, & relictorum *ad pias causas* in 4 primis pertinet ad heredem Testatoris, vel ad eum, cui Testator talem executionem commisit, quòd si Testator nullum hæredem, vel executorem nominarit, sed generaliter sua bona jusserit dari pauperibus, vel Ecclesiæ, & si executores deputati sint negligentes, & saltem bis moniti ab Episcopo executionem prætermiserint, tunc executor talis Testamenti est episcopus, ita enim in Trid. *sess. 22. c. 8.* Episcopus dicitur executor omnium piarum voluntatum, & idem probatur *in c. 3. c. si heredis c. tua nobis 17. de Testam.*

Postremò notandum est, quòd ea quæ largitione fide- 5 lium ad certum usum pium destinata sunt, ad illum, & non alium (salva Sedis Apostolicæ authoritate debeant converti ut dicitur *in Clem. 2. de Relig. Domin.* adeoque de Jure communi tantùm S. Pontifici, & non nisi ex rationabili causa concessum est, pias defunctorum voluntates commutare. Attamen hodie ex Concil. Trid. *sess. 22. c. 6.* etiam Episcopi, tanquam *Sed. Apost. Delegati*; tales commutationes ex justa, & rationabili causa facere possunt quas justas commutationis causas enumerat Barb. *de Off. Ep. alleg. 83. d. n. 7.*

Sed nec istud est prætereundum, quod si tantus sit Mis- 6 sarum numerus ex relictis Defunctorum alicui Ecclesiæ impositus, ut illis nequeat satis fieri, vel propter tenuitatem fundationis, non facilè invenitetur, qui velit se tali oneri legendi Missas subiicere, possit etiam Episcopus in Synodo Diœcesana, item etiam Abbates, & Generales Ordinum in Capitulis suis generalibus tales Missas ad minorem numerum reducere, ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro sua anima aliquid Ecclesiæ legarunt. Trid. *sess. 25. de Reform. c. 4.*

PRI-

PRIVILEGIUM XXXVIII.

Mandatum factum in favorem Monasterii non expirat re integra morte Mandantis.

1 *Mandatum expirat regulariter morte mandantis re integra.*
2 *Fallit in causis favorabilibus.*

1 MAndatum morte mandantis expirat *re integra*, id est, si negotium nec dum tractari cæptum, noti Juris est *L. inter causas, L. si pracedente ff. mand. L. nulla dubitatio, & L. mandatum C. eod.* sed si aliquis v. g. mandaverit Procuratori suo, ut Monasterio (idem est de aliis piis causis) 100. solveret, mandans verò ante solutionem mortuus sit, Procurator post mortem ejus nihilominus solvere tenebitur, argumento ducto ab aliis favo-
2 rabilibus causis in quibus mandatum morte mandantis non finitur: veluti si quis jusserit puellæ dotem dare *L. si ego ff. de I. dot.* aut servo libertatem *L. si pater ff. de manumiss. Vind.* ita præter Bald. *in auth. si qua mulier. col. ult. v. 4. not.* & Tiraq. *d. L. Priv.* 132. docet Cov. *var. resol. l. 3. c. 14.*

PRIVILEGIUM XXXIX.

Pactum superviventis hæreditate valet in favorem Monasterii.

1 *Quibus modis deferatur hæreditas.*
2 *Pactis non acquiritur hæreditas.*
3 *Fallit in milita, & pia causa.*

1 CUm duo tantùm sint modi quibus hæreditas ad aliquem devolvitur, scilicet ex *lege*, sive *ab intestate*, & ex *voluntate defuncti* scilicet ex *testamento*, neque viventis sit hæreditas, ideò pactis hæreditas, dari non potest, preterquam quòd hujusmodi pacta plana sint tristis exitus, periculum *captanda mortis* involvant *L. ult. C. de*
2 *Pact.* atque ejusmodi pacta alia sunt *affirmativa*, de succedendo, alia *negativa*, seu quibus futuræ hæreditati renunciatur, utraque reprobata, nisi is, de cujus hæreditate agitur consenserit, & in ea voluntate usque ad extremum vitæ spiritum perseveraverit *d. L. ult. L. 3. C. de Collat.*

3 Nihilominus tamen quia inter milites tale pactum super futura hæreditate sustinetur *L. licet C. de Pact.* ideo idem favore piæ causæ merito dicendum videtur cum illis, quos allegat Tyraq. *priv.* 105. tùm quòd Privilegia militum extendantur ad Ecclesiam ut superiori priv. 35. dictum, tùm quòd minus periculum *captanda mortis* sit respectu Ecclesiæ, quam militum: tum denique quòd de voluntate ejus, de cujus hæreditate pactum initur, semper magis præsumi possit, si ad pias causas ordinetur, quam si ad profanes. Sed hæc videntur locum habere quatenus pactum super futura hæreditate concernit favorem Religionis, non verò quatenus ejus damnum, ut si hæreditati Monasterio competituræ renuncietur, nisi & hic consuetudo loci aliud habeat.

PRIVILEGIUM XL.

Pro favore Monasterii tenetur Reus edere sua Instrumenta Actori.

1 *Arma non sunt sumenda ex domo adversarii.*
2 *Fallit in Fisco, & piis causis.*
3 *Additur limitatio.*
4 *Quando de Jure communi Reus teneatur edere sua instrumenta.*

Engel de Privil. Monast.

QUamvis regulariter actor propriis documentis instructus ad judicium venire, nec ex domo adversarii arma ad ipsum conficiendum desumere, *c. 1. de Prob. L. qui accusare 5. C. de Edendo:* communiter tamen exceptionem statuunt in piis, & favorabilibus causis Joan. And. *in annot. ad Spec. in tit. de edit. instrum. §. videndum*, & Panor. *in d. c. 1. n.* 18. Tyr. *priv.* 555. argu- 2
mentum sumitur à fisco qui in causis Civilibus (non criminalibus) etiam statim à principio rationes, & instrumenta rei petere potest ad suam intentionem fundandam *L. 3. ff. de Edendo L. 2. §. 1. & 2. ff. de I. fisc.* Et si in *L. 1. C. de Edenda*, generaliter ad officium Judicis pertinere dicitur, ut reus ex causa sua instrumenta edat, planè sufficiens causa ad movendum Judicem erit favor Ecclesiæ, & ne quis eam cum detrimento animæ suæ damnificet. Hoc tamen videtur mihi ex æquitate naturali addendum causas pias debere saltem aliquas conjecturas 3
pro se allegare posse, ne earum administratores, & procuratores aliis facilè lites sine sufficiente fundamento movere audeat, quod satis insinuat Joan. Andr. *c. l. in exemplo ibi proposito.*

Cæterum ex Jure communi Ecclesia sicut quilibet ali- 4
us privatus potest petere instrumentorum editionem 1. Si instrumenta fuerint *communia*, quæ scilicet, vel ratione materiæ quam continent, vel ratione proprietatis, vel quia communi sumptu, & sollicitudine confecta inter partes litigantes communia sunt, ita testamentum defuncti ab omnibus in ea nominatis, & interesse habentibus commune est: ita instrumenta quælibet defuncti inter Cohæredes communia sunt; item instrumenta inter ipsos contrahentes super contractibus confecta sicut, & acta Judicialia inter partes litigantes communia censentur. 2. Si instrumenta Originalia communia sint deperdita, & exempla, seu copiæ extent penes Reum, licet illa sint ipsius rei propria quia propriis pecuniis redemit, & exemplari fecit, nihilominus defectus probationis, & originalium Communio Justa causa censebitur, ut Judex ex officio tales copias edi jubeat. Innoc. & Panorm. *in c. 1. de Prob. argumento d. L. 1. C. de Vend.* 3. Si actor ex aliis probationibus intentionem suam principalem fundaverit & tantùm circa quæstionem incidentem, vel ad probandam replicationem aut quantitatem debiti petat instrumenta Rei v. g. Calendarium aut librum rationum &c. Judex Reum cogat ad edendum *L. Titius 43. & L. Creditor 52. in prin. ff. de Act. emp.* Barth. & Bald. *in L. 1. §. editiones ff. de Edendo.*

PRIVILEGIUM XLI.

Judex circa causas Monasteriorum debet officium suum impertiri etiam non imploratus.

VUlgaris quidem est regula, quòd Judex officium suum non nisi imploratus, & requisitus alicui exhibere teneatur *L. 4. §. hoc autem judicium ff. de Dam. infecto.* Sed communis est DD. sententia, bono & Religioso Judici incumbere ut Ecclesiarum, & piarum causarum indemnitati etiam proprio motu consulat, eisdemque succurrat, ut pluribus authoritatibus probat Tyraq. *privil.* 152.

PRIVILEGIUM XLII.

In dubio pro Monasterio est judicandum.

PRobari potest hoc assertum ex *cap. fin. de Sent. & re jud.* ubi deciditur, quòd duobus Judicibus diversas sententias proferentibus prævaleat illa, quæ est pro causa favorabili. *Et summa est ratio* inquit *I. C. in L. sunt personæ ff. de Relig. & sumpt. fun. quæ pro Religione facit*, ita omnes ubique scribere testatur Tyraq. *priv.* 146.

PRIVILEGIUM XLIII.

Monasterium nou obligetur ex mutuo nisi probetur versum in ejus utilitatem.

1 *A civitata ducitur argumentum ad Ecclesiam.*
2 *Quid juris si mutuum à prælata cum consensu capituli acceptum? remissivè.*

CIvitas (inquit Ulp. in *L. 27. ff. si certum pet.*) *mutui*
1 *datione obligari potest, si ad utilitatem ejus pecunia*
versa sint, alioquin ipsi soli, qui contraxerunt non Civitas
tenebitur. Idem jus civitatis ad Ecclesias transferunt
DD. & satis colligitur ex Auth. *hoc jus porrectum in fin.*
2 *C. de SS. Eccl. c. pen. X. de fidejuss. c.* 1. ibi *pro necessitate Ec-*
clesiæ contracta de solution. Sed an hæc probatio versionis
in utilitatem Ecclesiæ si Prælatus, vel administrator
unà cum consensu Conventus seu Capituli mutuans pe-
cunias acceperit controversum est? De qua videatur Fach,
2. *Controv. c.* 77.

PRIVILEGIUM XLIV.

Monasterium potest exceptionem non numeratæ pecuniæ etiam ultra biennium opponere.

1 *Quid sit exceptio non numeratæ pecuniæ.*
2 *Hoc privilegium consequitur ex priore.*

SI debitor in chyrographo fateatur se accepisse pecu-
1 niam mutuam, & ex postfacto conventus super mu-
tuo neget sibi pecuniam aliquando ab Actore seu Credi-
tore numeratam esse, idque intra biennium fecerit, au-
dietur eatenus, ut in Actorem transferat onus probandi,
pecuniam numeratam fuisse, post biennium verò ela-
psum de foro Civili absoluta solvendi obligatio consti-
tuitur. Præsumitur enim *præsumptione juris, & de jure*
2 (contra quam non admittitur probatio in contrarium)
Chyrographum tanto tempore relicturus non fuisse apud
Creditorem nisi pecuniam accepisset, *t. t. Instit. de Litt.*
obl. attamen exceptio in Monasterio ex priori privilegio
consequitur: si enim Creditor non potest cum effectu
agere ad suum debitum consequendum, nisi probet in uti-
litatem Ecclesiæ conversum, profectò non Monasterio
sed ipsi pecuniæ numeratio probande incumbet, tredit
etiam Tyraq. *priv.* 154. cum Baldo *in auth. hoc jus porre-*
ctum C. de SS. Eccl.

PRIVILEGIUM XLV.

Beneficia regularia, tantum regularibus conferenda sunt, & in dubio beneficium fundatum in Monasterio præsumitur regulare.

1 *Quenam dicantur beneficia secularia.*
2 *Quando beneficium regulare possit commutari in seculare.*
3 *Quenam regularia.*
4 *In Monasteria fundatum beneficium presumitur regulare.*
5 *Mala consequentia S. Petrus fuit secularis, ergo omnia beneficia presumuntur talia.*
6 *Consensus Abbatis, & Conventus requiritur ut in Monasterio fundetur beneficium seculare, eritque tunc Monasterium Compatronus.*
7 *Beneficiorum secularium incapaces sunt Religiosi.*
8 *Possunt autem eligi in Episcopos.*
9 *Item promoveri ad dignitates Ecclesiarum collegiatarum.*
10 *Item ad Parochias seculares.*
11 *Consilium à quodam traditum circa promotionem Religiosorum ad Parochias.*

COmmunis beneficiorum dlvifio, est, quòd alie sint 1
secularia, alia *regularia*; *secularia* dicuntur illa,
quæ, vel ab initio pro Clericis sæcularibus fundete sunt,
vel in quibus ex succedente præscriptione 40. annorum, 2
vel legitime fundationis ex authoritate sedis Apostolicæ,
commutatione (quæ commutatio tunc demum de jure
rectè fieri censetur, si beneficia regularium nec per Re-
ligiosos ejusdem, nec alterius Ordinis provideri possint
Tex. & Gloss. *in c. inter quatuor 5. de Relig. dom. c. possessio-*
nes 10. *de Rebus Eccl. non alienandis c. relatum 7. ne Cle-*
rici, vel Monachi) Clericis sæcularibus jus quæsitum est. 3
Regularia verò beneficia sunt, quæ similiter, vel ex pri-
ma fundatione, vel succedente præscriptione, fundatio-
nis commutatione, aut unione seu incorporatione (de
que seqq. priv. dicemus) regularibus conferuntur, sicut
tradunt Interpp. in *cap. cùm de Beneficia* 5. *de Preb. in* 6.
Garc. *de Benef. p.* 7. *c.* 10. Porrò quamvis non omnes Ca-
pellaniæ, seu beneficia in Ecclesiis Monasteriorum fun-
data hoc ipso beneficia regularia sint, aut per regulares
administranda, cùm ex voluntate fundatorum depen-
deat, an pro sæcularibus, vel Regularibus beneficium
fundare velint; Interim quamdiù non apparet de con-
traria fundatorum intentione, tale beneficium in Mona-
sterio fundatum semper præsumetur regulare Abb. *cons.* 4
50. 2. *part. vers.* 4. *cap.* Rebuf. *in prax. benefic. tit. quotuplex*
sit beneficium n. 6. Mascharduas *de Probat. Concl.* 172. *n.* 17.
quia non est verisimile quòd erigens beneficium cum o-
nere legendi missas in Ecclesiis Regularium voluerit ab
eo ipsos Regulares excludere, cùm potiùs contra videa-
mus, ob hominibus Religiosorum preces multùm desi-
derari. Quod verò aliqui docent, omnie beneficia in du-
bio præsumi secularia, eò quòd S. Petrus fuerit sæcularis,
ineptam rationem meritò miramur, cùm qualitas be-
neficiorum ex intentione fundatorum desumenda sit,
neque S. Petrus fundaverit omnia beneficia, imo tem-
pore S. Petri nulla fuit beneficiorum divisio, quam pri-
mum Dionysius Papa introduxit *c. un.* 13. *q.* 1. *c. pastoralia*
De his que fiunt à Prel. Et Dionysium, qui unus tantum
inter Pontifices hujus nominis numerantur, fuisse Græ-
cum Monachum refert Bullarium pag. 8. accedit quod
S. Chrysostom. *in lib. 3. contra Monast. vitæ vitup.* dicit, Ec-
clesiam DEI fuisse initio veluti Monachalem Religio-
nem, & Apostolos duxisse vitam religiosam nihil ha-
buisse proprium, & vixisse in communi unanimiter in
oratione *Act.* 4. *cap.* imo emisisse Vota Religionis ex
Suarezio, & aliis probat Tambur. *de jure Abb. tom.* 1.
disp. 2. q. 3. & 4.
Præterea ut in Monasteriis, & Ecclesiis Regularibus 5
fundetur capella, seu capellania, ad quam debeat præsen-
tari Clericus sæcularis non sufficit sola authoritas Epis-
copi, sed etiam consensus Abbatis, & Conventus requiri-
tur: neque alicui invitis Monachis potest acquiri jus Pa-
tronatus, seu præsentandi Clericos sæculares in eorum
Ecclesia, ut rectè docet Garc. *d. c.* 10. *sub n.* 37. *in fin.* quia
Episcopus non potest nova gravamina, vel onera Reli-
giosis imponere, maximè quæ eorum Communitatem
perturbent, prout foret, si Clerici sæculares contra eo-
rum voluntatem, in Monasterio jus aliquod prætende-
re possent, *c. luminosa* 18. *q.* 2. Deinde etiam illud nota-
bile est, quod erigens altare, & beneficium in Monaste-
rio non solus sit futurus patronus sed etiam ipsum Mo-
nasterium debeat habere pro Compatrono, tanquam
quod fundum concesserit, ut advertit Panorm. *in c.* 3. *de*
Eccles. ædif. num. 11. Etenim *fundatio*, seu *fundi datio*
æquè est causa juris Patronatus, quam *donatio* (sive redi-
tuum assignatio) vel *constructio* sive ædificatio, & si alius 6
fundaverit, alius dotaverit, alius ædificaverit, tres erunt
ejusdem beneficii patroni, & nisi aliter inter se conve-
niant ut v. g. alternis vicibus præsentent, omnes ad præ-
sentandum admittentur, & si diversos præsentent, præva-
lebit is, qui majora vota habuerit, vel si paria sint, quem
Episcopus elegerit. Panorm. *c.* 1. *de jure patron. num.* 6.
Barb.

Barb. *in Collect.* DD. ad Conc. Trid. *sess.* 14. *de Ref. c.* 12. *n.* 16. Utrum autem è converso Regulares possint promoveri ad beneficia sæcularia? hic quoque breviter investigandum est.

7 Imprimis conveniunt DD. quòd beneficiorum sæcularium simplicium, ut Canonicatuum in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis incapaces sint Religiosi juxta regulam communiter receptam, quòd sæcularia beneficia sæcularibus, regularia regularibus conferenda; sint, nisi consuetudine, vel præscriptione aliud introductum sit, & notant Barb. DD. in *c. super eo de regul.*

8 Deinde certum est, quod Religiosus possit eligi in Episcopum, quamvis Ecclesia sit sæcularis ut expresse habetur *in Clem.* 1. *de Elect. in c. nullus Religiosus* 28. *& c. si Abbatem* 36. *eod. t. in* 6. idque nonnulli extendunt, ut Reli-
9 giosus etiam possit eligi in Prælatum, seu Præpositum, aut Decanum Ecclesiæ Collegiatæ sæcularis. Abb. *in c. quod Dei timorem de statu Monach. n.* 5. *& ibidem* Zabarella *n.* 5. *q.* 7. de Grassis *in aur. dec. p.* 2. *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 7. Azor. *inst. mor. p.* 1. *lib.* 12. *c.* 19. *q.* 13. Lessius *de J. & J. lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 12. *n.* 99. Sylv. *v. Religio* 7. *q.* 4. *&* 6.

10 De beneficiis autem *curatis* inferioribus scilicet Parochialibus sæcularibus magna est dissensio eamque controversiam jam olim prolixè tractavit Gratianus in *c.* 16. *q.* 1. ubi imprimis multas authoritates pro sententia negativa adducit, quas deinde *incipiendo à c. Doctos* 21. per contrarias revellit, inter quas insigne est illud decretum Bonifacii Papæ relatum in *c. sunt nonnulli* 25. *cal. causa* 16. *q.* 1. in hæc verba: *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti audacissimè quidem zelo magis amaritudinis quàm dilectionis inflammati afferentes Monachos quia mundo mortui sunt & Deo vivunt sacerdotalis officii potentia indignos neque pœnitentiam neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotalis officii divinitus sibi injunctam potestatem: sed omnino labuntur. Neque enim B. Benedictus Monachorum Præceptor almificus hujus rei aliquo modo fuit interdictor: sed eos secularium negotiorum edixit expertos fore tantummodo, quod quidem Apostolicis documentis, & omnium SS. Patrum institutis non solum Monachis, sed etiam Canonicis maximopere imperatur. Nos verò tantorum Patrum instituti exemplis (quibus periculosissimum est refragari) credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi solvendique officium Deo operante dignè administrari: si eos dignè contigeris hoc ministerio sublimari.* Unde communis est DD. sententia paucis dissentientibus Religiosos de jure capaces esse beneficiorum sæcularium Curatorum, & ita ob favorem *curæ*, & utilitatem spiritualem animarum, esse exemptionem ab illa regula, quòd sæcularia beneficia tantùm sæcularibus conferenda sint, per tex. Gloss. & Pan. *in c. quod Dei timorem* 5. *de statu Monach.* Less. & Azor. *dd. ll.* Nav. *de statu Monach. cons.* 11. *&* 12. & plures alii quos refert Tamburin. *de jure Abb. tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 8. *n.* 4. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 10. *n.* 17. & agitur ex Conc. Trid. *sess.* 14. *de Ref. c.* 11: ubi specialitèr de Religiosis translatio ab uno ordine ad alium decernitur, quòd in Monasterio manere debeant, & omnium beneficiorum sæcularium *etiam Curatorum* incapaces sint. Unde cum exceptio firmet regulam in casibus non exceptis, rectè infertur alios Religiosos non translato beneficiorum *sæcularium curatorum* capaces esse. Non obstat *c.* 2. *d. statu Mon.* quia in Concil. Later. tantùm prohibet ne singuli Monachi, id est, sine socio in Parochiis habitent. Nec etiam *c.* 1. *de capell. Mon.* quia ad evitandam jurium correctionem explicari potest, vel de antiquo statu Monachorum, quando plerique erant Laici conversi, & pauci Sacerdotes, neque studiis eruditi *c. ex multa, de Voto*, & in perpetua clausura vivebant sicut Cartusiani: vel quòd sine consensu Episcopi populus per Monachum regi non debeat. Gloss. *in eod. c.* 1. Ratio autem est, quia utique non est inconveniens, ut quod Religiosi per exercitia spiritualia, & studia litteraria in Monasterio didicerunt, de eodem etiam alios instruant, juxta illud *Matth.* 5. *qui fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in regno Cælorum*, & si teste Hieronymo in *c. sic vive* 26. *& c. seq.* 16. *q.* 1. *multo tempore discendum est, quod postmodum doceatur, nec prius Magister esse debeat quam Discipulus*, eamque ob causam lata est sanctio Conc. Tr. *sess.* 23. *de Ref. c.* 11. *& seqq. de interstitiis temporum* (neque enim intra quadrantem anni tam facile relinquuntur mores sæculi, & vitia) bonis moribus, & probitate ordinandi observandis, sanè non parum expectandum est à Religioso, circa doctrinam Christianam consolationem, & instructionem fidelium præsertim in mortis articulo, qui per multos annos à vitiis sæculi purgatus, nonnunquam à puero inter mera pietatis exercitia, ac sanctas meditationes enutritus est. Sunt quidem non pauci ex Recentioribus qui dicunt, per quandam novam Constitutionem Greg. XIII. item per declarationem Cardinalium obtentum esse, ut Religiosi absq; dispensatione Sed. Apost. non possint ad curata beneficia sæcularia promoveri, ut docet Garc. Sanch. & Gonzalez apud Tamb. *d. l.* sed idem Tamburin. in *d. q.* 8. *n.* 11. *& seq.* dictam constitutionem Greg. XIII. nunquam fuisse usu receptam testatur, dum post eam contrarium practicatum, & per Rotam decisum, atque per Cardinalem declaratum fuerit.

Verùm generaliter circa promotionem Religiosorum 11
ad Parochias, quidam vir prudens consuluit duo esse animadvertenda 1. ne ad Parochias exponantur illi, qui indisciplinatis moribus sunt, & in Monasterio contineri nequeunt; *qui enim domui suæ præesse nescit quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit* 1. *ad Tim.* 3. per tales enim, ajebat ille, qui jam habita occasione *qua data porta ruunt*, scandalizantur Parochiani, Prælatorum conscientiæ onerantur, Monasteriorum, & Religionis fama gravatur. 2. ut ii qui in Parochiis collocantur si fieri possit cum socio sui ordinis sint *c.* 2. *& 5. de statu Monach.* & non in perpetuum ibibidem relinquantur, sed ne nimis sæcularibus curis, & negotiis immergantur, quandoque pro renovatione spiritus ad Monasterium revocentur, alio interim substituto. Hinc quorundam Episcopatuum stilus ut Religiosi præsentati ad Parochias non investiantur absolutè sicut Clerici sæculares, sed addatur clausula: *salva tui Præsulis revocatione*, quòd Consilium an expediat, vel qualiter in usum deducendum sit, Prælatorum judicio relinquo.

Dices, ergo tali casu alterabitur qualitas beneficii, & Rector non erit perpetuus, sed potiùs temporalis vicarius ad nutum amovibilis? Resp. Imprimis consuetudinem alicujus diœcesis multa posse mutare circa ordinarias regulas beneficiorum, quæ nec ex jure naturali, nec divino sunt, si ita videatur exigere salus animarum. Deinde non obstante illa clausula, vel potestate Abbatis revocandi Religiosum ex Parochia, adhuc Religiosus censebitur Parochus, & quidem perpetuus, sicut enim non minus Clericus sæcularis est Parochus perpetuus, quamvis ex postfacto Parochiam resignare, vel ea ob certas causas privari valeat, ita planè Religiosus erit Parochus perpetuus licet possit ex causa revocari, vel certè ipse, aut Prælatus ejus loco (utpote in quem tota Religiosi voluntas collata censetur) Parochiam resignet.

PRIVILEGIUM XLVI.

In Parochiis Monasterio pleno Jure Incorporatis potest exponi Vicarius ad nutum Prælati amovibilis.

Multæ quidem Parochiæ diversis Monasteriis *unitæ*, & *incorporatæ* sunt, non tamen omnes eodem modo, & jure, nam quædam sunt unitæ quoad *temporalia* tantùm, quædam verò pleno jure.

De Unione quoad temporalia.

1 *Quando dicatur unio quoad temporalia.*
2 *Præsentatio de jure debet fieri a Prælato cum consensu capituli.*

3 *Patronus Ecclesiasticus tantùm præsentat unum, Laicus potest plures.*
4 *Qualiter fiat concursus in Ecclesia patronata.*
5 *Patronus Ecclesiasticus habet sex menses ad præsentandum, Laicus quatuor.*
6 *Patronis litigantibus currit tempus.*
7 *Lite pendente super petitorio præsentat possessor.*
8 *Laicus potest donare jus patronatus Monasterio.*
9 *Quibus aliis modis Monasterium acquirat jus patronatus,*
10 *Jus patronatus à Laicis perveniens ad Monasterium fit Ecclesiasticum.*
11 *Quid, si ex pluribus Patronis Laicis unus tantùm jus suum donaverit Ecclesiæ.*

1 HÆc unio tunc censetur facta, quando decimæ, vel alii reditus Parochiæ sunt assignati Monasterio sed jus instituendi Rectorem beneficii pertinet ad Episcopum, solo jure præsentandi ipsi Monasterio relicto, & de hac *incorporatione* loquitur *c. sane 16. q. 2.* ubi dicitur, quòd tales Parochiæ cum consensu Abbatis Sacerdotibus Episcopus committere debeat, qui de populi quidem cura Episcopis rationem reddant, Abbati verò pro rebus temporalibus ad Monasterium pertinentibus, subjectionem debitam exhibeant.

Quòd si pars tantùm decimarum fuerit ex certa Parochia Monasterio data sine jure instrumenti, vel etiam præsentandi, tunc potiùs *dismembratio beneficii*, quam *unio* censebitur, neque Prælato circa parochialia aliquid juris competet. Garc. *de benef. p. 12. c. 3. num. 4.*

2 Porrò circa *jus præsentandi*, seu *patronatus* Monasteriis competens aliqua breviter notanda sunt. I. Si jus præsentandi competat Monasterio, vel Collegio, tunc Prælatus sine consensu majoris partis capituli aliquem præsentare non potest, nisi antiqua consuetudine, vel præscriptione, aut privilegio aliud obtentum sit *c. ea noscitur 6. De his, quæ fiunt a Prel.*

3 II. Prælatus, sive Patronus *Ecclesiasticus* unum tantùm præsentare potest, qui si fuerit idoneus non attenta alia præsentatione instituendus erit, *tex. & DD. in c. cum autem 24. de Jur. patronatus*, imò nec eo casu quando patronus *Ecclesiasticus* indignum, & inhabilem presentavit ad beneficium, alium præsentare permittitur, sed potius libera beneficii collatio pro ea vica Episcopo relinquetur *c. inter dilectos 11. de Exces. Prælat.* quamvis hæc aliter se habeant in Patrono *Laico*, qui non tantùm unum Clericum, sed plures simul aut successivè ad idem beneficium præsentare potest, non quidem *privativè* scilicet revocando illum quem primò præsentavit sed *accumulativè*, ut Episcopo relinquatur electio quemnam instituere velit, *d. c. 5. & c. pastoralis 29. de Jure patron.* sicut sæpe jus patronatus *Laicorum* in jure magis privilegiatum est, quàm *Ecclesiasticorum*, ut Laici habeant remunerationem aliquam fundationum suarum, & ad eas faciendas tantò magis invitentur.

4 III. Ubi servatur constitutio Conc. Trid. *sess. 24. de Reformat. c. 18.* ut Parochiæ non arbitrio Episcopi, sed *per concursum* conferantur, tunc hic concursus etiam locum habebit, si Patronus sit Ecclesiasticus (non autem si Laicus) fierque citatio per edictum, ac concursus, & examen omnium ad Parochiam vacantem aspirantium, atque examine peracto, si plures digni reperti sint Patronus Ecclesiasticus habebit electionem, & quem ex pluribus dignis elegerit, vel eum, qui solus dignus repertus fuerit Episcopo præsentabit, ut *d. c. 18.* Trid. habetur. Hic tamen *concursus* non obtineret in Parochiis Monasterio *pleno jure* incorporatis, ut inferius dicemos.

5 IV. Licet Patronatus Laicus tantùm habeat *quatuor menses* ad præsentandum, Patrono tamen Ecclesiastico *sex* indulgentur, quo tempore elapso si præsentatus aliquis non fuerit, libera collatio ad Episcopum, vel eum qui jus instituendi habet devolvetur, *c. un. §. fin. de Jure Patron. in 6.* ex ea fortassis differentiæ ratione, quòd cum Patronus Ecclesiasticus in eo gravetur, quòd unum tantùm præsentare possit ad beneficium, in eo saltem relevetur, ut plus temporis habeat ad inquirendum de Clerico aliquo digno, & habili. Sed hoc tempus non currit Patrono ignoranti, vel alias legitimè impedito, imò in dubio potiùs ignorantia quàm scientia præsumitur, nisi concurrentes circumstantiæ, ut vicinitas loci, Patroni præsentia, &c. aliud suadeat. Quibusdam locis receptum est, ut tempus vacantiæ Patrono notificetur, & is ad præsentandum moneatur.

Si de ipso jure patronatus litigium sit inter duos cur- 6
rit interim tempus salvo tamen jure ipsius, qui evicerit,
ut proxima vice liberè præsentare possit. Quod si unus
ex litigantibus in possessione fuerit, & alter de proprie- 7
tate contendat, præsentabit possessor etiam pendente lite, nec removebitur præsentatus, & institutus, esto de proprietate contendens evicerit, tum quia pendente lite non debet aliquis privari commodo suæ possessionis, *c. 2. ut lite pend.* tum quia in præsentando solùm attenditur possessio *c. cum Ecclesia de Caus. poss. & propr. & c. ex litterit*, & ibi Gloss. *fin. de Jur. patron.*

V. Licet Laicus alteri Laico (nisi suo compatrono) 8
aut Ecclesia alteri Ecclesiæ, vel Laico sine authoritate Episcopi, & solemnitatibus ad alienationem requisitis jus patronatus donare non possit, Barb. *J. E. V. l. 3. c. 12. num. 246.* Patronus tamen Laicus liberè jus suum Ecclesiæ, vel Monasterio cuicunque donare potest etiam irrequisito consensu Episcopi per tex. expressum *in c. un. de Jur. Patron. in 6.* per quem videtur corrigi textus *in c. nullus 17. X. de jur. patron*, quòd verò ulterius in *d. c. un.* additur, per talem donationem juri Episcopi, qui eidem assensum non præbuit, non derogari, intelligendum est juxta *cap. pastoralis 7. de donat.* ubi deciditur, quòd si Episcopus cum consensu Patroni viris religiosis aliquam Ecclesiam simpliciter concedat, per talem concessionem non tantùm jus patronatus, sed etiam quidquid fortassis priùs Episcopus de fructibus illius Ecclesiæ percipere potuit, transferatur, quod non fiet eo casu ubi Episcopus in donatione à Laico facta assensum non præbuit.

Præterea etiam aliis modis jus patronatus potest ac- 9
quiri Monasterio, ut si Ecclesiam fundaverit, dotaverit, aut construxerit, si bona, quibus jus patronatus annexum est, per successionem hereditariam ex testamento, vel ingressum in Religionem Patroni Laici, vel venditionem in Monasterium transferantur: nam jus patronatus transire cum universitate bonorum, quibus tanquam reale annexum est, & cuicunque possessori competit, traditur *in c. ex litteris, & c. cum saeculum, de jur. patronatus*, si verò jus patronatus familiare sit, & jure sanguinis competat, tunc Patrono Religionem ingrediente jus patronatus tantùm ad vitam ejus penes Monasterium manebit. Tamb. *de jur. Abb. tom. 3. disp. 6. q. 23.* Illud tamen advertendum, quod si jus patronatus sine incorporatione Parochiæ Monasterio competat tunc nihil juris habeat Monasterium reditus parochiales in suos usus convertendi. Trid. *sess. 22. de Ref. c. 11.* nisi Abbas regularem sui Monasterii præsentarit ad Parochiam isq; ab Episcopo institutus fuerit, qui ea, quæ ultra suam congruam sustentationem supersunt, Monasterio acquirit juxta dicta superius priv. 11.

VI. Si jus patronatus à Laico pervenerit ad Ecclesiam 10
vel Monasterio efficietur prorsus Ecclesiasticum, &
tempus præsentandi *6.* mensium erit *d. c. un.* Quid autem
si ex pluribus Patronis unus tantùm suum jus donaverit 11
Ecclesiæ, & ita jus patronatus incipiat esse *mixtum*, scilicet partim Ecclesiasticum partim Laicale? R. Tali casu etiam Laicis Patronis competiturum tempus *6.* mensium eo quòd in una eademq; re, quæ commode dividi non potest, servanda sit paritas, & magis dignum trahat ad se minus dignum. In odiosis autem Patronus Ecclesiasticus non trahit ad se Laicum, qui non debet suo jure sine culpa privari. Unde si ejusdem Ecclesiæ duo sint Patroni, unus Ecclesiasticus, & alter Laicus, iique diversos præsentarint, licebit Patrono sæculari variare, & *per accumulationem* alium præsentare. Notanter dico si diversos præsentarint, nam si ab initio unum eundemq; præsentassent, hic præsantatus necessariò instituendus esset, quia cum jam simul obtinuisset amborum Patronorum, & sic majora vota, plus juris haberet ad beneficium quàm ille, qui ab ono tantùm Patrono præsentatus, sicut generaliter quando plures Patroni præsentant, ille præfertur, qui plurium Patronorum calculum obtinet.

Vid.

Vid. Pan. *in c. cum autem 42. n. 4. & in c. cum propter 27. in fin. de jur. Patron.*

De Unione pleno jure.

P*Lena jure* dicuntur unitæ seu incorporatæ Parochiæ
1 quando præter jus percipiendi temporales reditus etiam administratio spiritualium scilicet curæ animarum in Monasterium translatum est, atque in tali Parochia Rector principalis censetur esse Abbas Monasterii, isque potestatem habet Vicarium aliquem curam exercentem
2 exponendi *c. 1. 16. q. 2.* Neque pro collatione talis Parochiæ Episcopus *concursum* publicare potest, nec Abbas tenetur. Pius V. *in Bull. ad exequendum.* Barb. *in collectaneis DD. ad Concil. Trid. sess. 23. de Ref. c. 18. n. 16.* Namque in ea locum habet terminus Lateranensis Concilii, & ideo ejus collatio propter vacantiam ultra 6. menses ad Episcopum non devolvitur, cum nunquam vacare censeatur ex quo principalis cura penes Abbatem residet, *Clem. un. de excess. Præl.* Joan. Honor. *t. de Præb. n. 60.* Barb. *de Offic. Ep. p. 3. allegat. 58. n. 16.* ChoK. *de jurisd. ord. in exempt. p. 1. quæst. 17. n. 6.*

3 Porrò in Parochiis *plene jure* incorporatis potest Abbas exponere Vicarium tam regularem quàm sæcularem (nisi in litteris unionis expressè insertum sit, ut *per sæcularem* deserviatur) etiam absque investitura, & ita temporalem ad nutum seu voluntatem Prælati amovibilem, & tunc in his Parochiis non erit propria institutio, sed potius provisoria administratio, cum titulus beneficii sit penes Monasterium, sicut hanc esse communem sententiam refert Barb. *de Offic. Episc. d. p. 3. alleg. 72. n. 109 cum pluribus ibidem citatis* quibus adde Tamb. *de J. Abb. tom. 3. d. 9. q. 8. n. 2.* Less. *de J. & J. lib. 2. c. 41. dub. 12. n. 98.* Licet
4 verò in Conc. Trid. *sess. 7. de Ref. c. 7.* data sit potestas Episcopis ut in Parochiis, Monasteriis, aut Collegiis, quibuscunque incorporatis Vicarium perpetuum ponere possint etiamsi prius semper Vicarius temporalis positus fuerit, declaravit tamen Pius V. in sua Bull. *ad exequendum* 475. *§. 5.* hanc Trid. constitutionem non procedere in Parochiis, in quibus semper per Vicarios *regulares* non *sæculares* deserviri consuetum fuit, quia non est credibile fuisse intentionem Concilii omnia Monasteria uno verbo privare jure suo, quod habent exponendi regulares ad Parochias, vel certè ipsos Prælatos cogere, ut aliquem regularem tanquam perpetuum Vicarium instituant, & ita eundem quasi ab obligatione vitæ Monasticæ, & obedientiæ in perpetuum absolvant. Constituit quidem Pius V. ibidem, quòd vicarius regularis debeat secum habere 4. socios sui ordinis. Sed id ipsum Greg. XIII. correxit, & unum sufficere decrevit. Tamb. *d. disp. 9. q. 18. n. 2.* Deinde etiam notabile est, quod in illis Parochiis in quibus Vicarius sæcularis exponitur, Episcopus non pro suo libitu possit instituere Vicarium perpetuum, sed id debeat facere ex justa causa, qua deficiente dabitur appellatio Barbos. *d. alleg. 72. num. 190.* Et prætérea quia nonnulli Episcopi abutebantur potestate sibi data in Concil. *d. c. 7. sess. 7.* Vicariis perpetuis tantam portionem assignabant, ut vix aliquid Monasteriis aut Collegiis de fructibus remanserit, ideo rursus Pius V. in d. bulla, *ad exequendum:* declaravit, quòd cujuscunque valoris, vel oneris Parochia fuerit, non debeat Vicario pro sua portione major quàm centum, nec minor 50. scutorum annuorum summa computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis assignari, nisi jam prius ante designationem Episcopi Vicario plus fuerit dari solitum.

Præterea Monasteriis circa Parochias *plene Jure* incorporatas multa alia privilegia passim adscribunt DD. 5
ita ut Abbati præsertim Monasterio exempto Jurisdictionem quasi Episcopalem concedant, ex qua proinde possit instituere, & destituere, & resignationem beneficii (intellige si *Vicariatus perpetuus* sit, temporalis enim non est, propriè beneficium) recipere ChoK. *de jurisd. ord. in exempt. p. 4. q. 67. n. 3.* authoritatem in alienatione rerum Ecclesiasticarum interponere Gloss. *in Clem. 1. in V. proprii de Reb. Eccles. non al.* beneficia *plena Jure* sibi incorporata inter se, cum expedierit unire, Barb. *de Offic. Ep. p. 3. alleg. 66. n. 14.* visitare, cùm inde descendat potestas puniendi, privandi, & destituendi pulchrè Paris *de Resign. benef. p. 1. lib. 7. q. 15.* ChoK. *d. q. 67. n. 3.* Censuras Ecclesiasticas ferre, & promulgare, quia Censuratio non est ordinis sed Jurisdictionis Episcopalis ChoK. *p. 4. q. 20. n. 2.* arg. eorum quæ docet Cov. *in relect. cap. alma mater de Sent. excomm. in 6. p. 1. §. 11. n. 1.*

Alii tamen distinguunt inter unionem, quæ fit *plene Jure*, & eam quæ fit *plenissime Jure.* Unionem *plene Jure* appellant, quando ipsa quidem Ecclesia est subjecta Abbati cum jure percipiendi temporalia, & exponendi Vicarium, populus tamen subest Episcopo, quo casu ipsum quoque Vicarium in iis, quæ pertinent ad curam animarum debere approbari ab Episcopo, ejusque jurisdictioni, & visitationi subesse ajunt juxt. Trid. *sess. 25. de Reg. c. 11.* juncta Bull. Greg. XV. *inscrutabili*, ita tamen ut Vicarii sive regulares sive sæculares ponantur ad arbitrium superiorum Regularium, non verò Episcopi, nisi quod ab Episcopo curam animarum accipiant. 6

Plenissimo autem *jure* tunc unionem censent, quando non tantùm Ecclesia, sed & populus ab Episcopo exemptus est. Barb. *in c. quoniam 21. de Priv.* Abb. *in c. v. §. in Ecclesiis eod. t.* Et hoc casu nihil juris habet Episcopus in Parochia, sed Abbas juxta superiùs dicta *n. 6.* loco Episcopi, & Ordinarii censetur. Cardin. apud Barb. *in declar. prætermissis Trid. super d. sess. 25. c. 11.* 7

Interim in hac materia, in qua jura, & DD. valde intricatè, & confusè loquuntur, censeo plurimùm tribuendum esse locorum consuetudini, concordiis, & contractibus, & particularibus præscriptionibus. Etenim *consuetudinem* valere etiam contra legem scriptam quamvis *Conciliarem* facilè probari potest ex iis, quæ passim de authoritate consuetudinis traduntur. Unde communis est doctrina, quòd lex non recepta non liget, & lex nunquam recepta aboleatur per lapsum 10. annorum Garc. *de Benef. p. 7. c. 1. nu. 137.* recepta autem aliquando, sed postea per 40. annos (si sit lex Canonica) intermissa pariter expiret. Vid. Eras. ChoKier. *de jurisd. Ord. in exemp. p. 1. q. 50.* ubi de receptione Conc. Trid. ex instituto tractat, sicut experientia constat idem Concil. Trid. in multis Diœcesibus quoad varia *reformationis* puncta usu haud recipi, prout conferenti textum Conc. & praxim locorum facile parebit.

Sed quid si novæ Bullæ, & declarationes Cardinalium 8
proferantur, per quas multa in præjudicium Monasteriorum statuantur? Resp. cùm hujusmodi constitutiones nonnunquam una tantùm parte informante impetrentur ita in primis interpretandæ sunt, ut non præjudicent Monasteriis in jure per Privilegium, contractum, incorporationem aut præscriptionem quæsito; tum quòd princeps non censeatur alicui velle auferre jus suum. Mins. *Cent. 4. c. 8. n. 2. & 5.* Rayger. *in Thesauro jur. v. Princeps n. 109.* tùm etiam quòd per constitutionem generalem Pontifex non intendat derogare particularium locorum, & singularium personarum consuetudinibus, statuit, & consequenter etiam contractibus *c. 1. de Constit. in 6.*

Acce.

Accedit, quòd justè suspendatur obligatio alicujus legis nec illicò parendum sit, quando justa causa est contra eam supplicandi usquedum super gravaminibus S. Pon. ritè informetur eaque vel reiciat, vel acceptet, *c. pastoralis de fide instrum.* Navat. *Cons. 20. n. 2. de rescript.* Cho-Kier. *d. tract. p. 2. q. 45. v. tum quia.* Salas *de LL. disp. 13. sect. 4. n. 20.*

9 Quod attinet ad *præscriptionem* jam olim casum ventilavit, & decidit Antesignanus, & lumen Canonistarum Panormitanus *in c. cum non liceat circa fin. de Præs.* cujus verba formalia hic attextimus: *Quidam Abbas exemptus habens in Monasterio suo certam Parochiam populi non exempti, exercuit curam animarum per Monachos suos nunc uni nunc alteri committendo, prout videbatur sibi expedire, nec unquam recepit ipse curam ab Episcopo, nec ab eo fuit ipse Abbas, vel Præpositus curæ per eum visitatus, & hoc duravit per tantum tempus, de cujus initio non est memoria, nunc Episcopus vult visitare, & allegat 3. Jura. 1. quòd contra visitationem non currat præscriptio cap. cum ex officii, de Præscript. 2. quòd Abbas non potest per suos Monachos curam exercere, sed hoc debet facere per Capellanum, qui curam populi ab Episcopo debet habere c. 1. de Capell. Monach. 3. quòd jus instituendi quoad curam populi non potest præscribi per inferiorem Episcopo c. cùm satis de Off. Archidiac.* & *ibi tenuit* Host. *Et profectò circa hoc multa possunt scribi quæ brevitatis causa omitto, & conclusivè teneo contrarium. Cù enim Abbas non intendat seipsum præscribere, cùm subsit suo superiori, sed potius præscripsit contra Episcopum, ut ipse committat curam, & præpositum curæ visitet, corrigat, & castiget, non est impugnanda præscriptio, quia potest præscribere jura Episcopalia, ut in c. auditis, & c. cùm olim de Præscript. ipse verò Abbas visitabitur à superiori suo cù sit exemptus & sic cessat prima objectio Episcopi. Non obstat 2. quia procedit nisi sit consuetudo in contrariũ, ut per Monachos cura exerceatur, ut not. in Clem. ne in agro §. cæterum de stat. Monach.* Joan. And. *in cap. statutum de Elect. in 6. Ex his colligitur 3. objectio dico enim quod ima valet præscriptio ut in d. c. auditis, & in d. cap. cùm olim, & sentit* Innoc. *in d. c. auditis* Joan. And. *in c. cum venerabilis de censib. & in c. litteras, de Restit. spol. & junct. gl. tex. in c. accedentibus de Excess. Prælat.* Huic doctissimæ decisioni, & quod jura Episcopalia exemptio, item concessio curæ animarum per præscriptionem Abbatibus acquiri possint addatur *c. 2. de Cappell. Mon. c. ex ore vers.* Nos igitur ubi gl. & *c. cum olim X. de Priv. c. cum persona 7. de priv. in 6.* & in specie circa *curam animarum* Barbosa *de Off. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 185.*

10 Eam quoque objectionem, quòd contra obedientiam visitationem, & procurationem nulla sit admittenda consuetudo, vel præscriptio *c. cùm non liceat, & c. cum ex officii de Præscript.* ita resolvit Barb. *d. p. 3. alleg. 18. n. 3. & alleg. 129. n. 9.* quòd obedientia, & visitatio *extinctivè* præscribi non possit, ita scil. ut nulli competat visitatio, & nulli debeatur obedientia, ne dentur Acephali sicut locustæ possit tamen præscribi, & obedientia, & visitatio *translativè* id est, ut alteri quàm Episcopo, nimirum Abbati, vel S. Pontifici obedientia exhibeatur, & visitatio competat.

11 Quodnam autem dicatur *tempus immemoriale* de quo Panor. loquitur tradidi in Mon. Paroch. *p. 3. c. 1. n. 7. & seqq.* ubi dixi *tempus immemoriale* rectè appellari, si testes deponant de visu possessionis per 40. annos, & ulterius non recordentur *de initio* hujus possessionis, quamvis probari possit, aliquando *contrarium* fuisse: Item ad effectum non probandi titulum etiam intra 100. annos da-

12 ri *immemorialem*. Licet verò Panor. in allegata facti specie tantum de *immemoriali præscriptione*, & Abbate *exempto* loquatur, certum tamen est, quòd omnia illa jura quorum Pan. meminit, & omnia alia, etiam quadraginta *annorum* cursu, & ab Abbatibus quoque non exemptis *privativè* quoad Episcopum præscribi valeant, *c. de quarta c. auditis & c. illud de Præscript. c. 1. eod. in 6.* Pan. *d. c. cum non liceat in fin. & in d. c. auditis vers. secundò* dicit gl. *de Præscript.* Barb. *d. p. 3. all. 127. num. 18. c. cum persona de Priv. in 6.*

ADNOTATIO

AD Num. 12. Licet in præscriptione *immemoriali* non requiratur *titulus*, hoc ipso enim *immemorialis* non foret, si de *titulo* adeoque de *initio* possessionis constaret, in *quadragenaria* tamen præscriptione jurium Episcopalium videntur DD. *titulum* desiderare *arg. c. 1. de Præscript. n. 6. & c. cum persona de Priv. in 6.* Sed nisi possit ostendi privilegium dubium aut putativum, aut probari fama privilegii, vel contractus cum Episcopo similiter dubius aut putativus (si enim privilegium aut contractus de jure esset validus, non esset opus præscriptione) valde notabile est, quod docet Gl. *in c. de quarta V. tueri de Præscript. & in c. cura 11. V. legitima circa fin. de jure patron.* & commendat Pan. *in d. c. de quarta 4. n. 6.* quod primus quidem possessor sine *titulo* annis 40. præscribere nequeat, successor tamen ejus, jam ex ipsa *successione* habeat *titulum*, dum habet justam causam jura à suo antecessore indelivata conservandi, *arg. l. ult. ff. pro suo.* Unde, ni fallor, eo modo, quo successor *hæreditarius* res à defuncto relictas potest usucapere *pro hærede t. ff. pro hærede* ita etiam sucessor *in dignitate* ex titulo *pro suo*, est enim titulus *pro suo*, alius *generalis*, qui cum omnibus aliis titulis concurrit, alius *specialis*, qui per se sufficit ad præscriptionem, quando scilicet aliis titulis deficientibus tamen justa causa est rem possidendi, *d. l. ult.* Arnold. Rath. *in tract. de usucap. c. 3. ass. 4.* Neque successori *in dignitate in bona fide* quæ propter decursum longissimi temporis præsumitur *l. pen. C. si diligenti de præscript.* Farin. *in Repert. Judic. q. 96. n. 13. & 14.* existenti nocet *mala fides* antecessoris, sicut de jure Civ. *mala fides* defuncti nocet *hæredi*, cum successor *in dignitate* non sit eadem persona cùm defuncto, sed omne jus habeat ab electione, & superioris confirmatione, non verò sicut *hæres* à persona sui antecessoris Gl. & Pan. *d. L.* Joan. Hon. *ad t. Decretal. de Præscript. n. 24.* Lyng. *in c. possessor de R. I. in 6.* addi fortassis posset, quòd in præscriptione jurium incorporalium *scientia, & patientia* Adversarii habetur loco tituli. *L. si quis diuturno ff. si servit vind. l. apparet. 5. §. pen. ff. de tit. act. priv.* Gl. *not. in c. cum Ecclesia V. propter brevitatem temporis de caus. poss. &* Joan. And. *propr. in c. 1. in v. titulum de Præscript. in 6.*

Sed quid, si monasterium in Parochia ubi vi incorporationis tenebatur per *sæcularem* deservire, variaverit, & longissimo tempore modo per *sæcularem*, modo per *Regularem*, deservierit, anne inducta erit aliqua præscript.

Resp. Si *sæcularis* Vicarius æquè ac *Regularis* sine investitura, & ad nutum amovibilis expositus fuerit, nihil video obstare, quin cæteris paribus eatenus præscriptio locum habeat, ut à modo in Monasterii sit potestate qualemcumque Vicarium exponere. Si enim ex præscriptione beneficium *sæculare* potest fieri *Regulare*, & èccontra, *c. 5. de Præb. in 6.* Non est ratio cur etiam illi clausulæ incorporationis per præscriptionem derogari non possit, Præterea existimo in hac causa *quadragenariam* præscriptionem etiam *sine titulo* procedere, quia in *quadragenaria* præscriptione non requiritur *titulus* nisi sit *præsumptio juris* contra præscriptionem, *c. 1. de Præscript. in 6.* non autem sufficit quælibet *præsumptio*, sed requiritur *præsumptio cum forti resistentia*, ut rectè explicat Covar. *var. resol. l. 1. c. 17. n. 6.* Pan. *in c. si diligenti vers. adverte de præscript.* Rath. *in tract. de usucap. c. 4. ass. 33.* talis autem *resistentia* non videtur esse in proposito, cùm jura concedant communicationem beneficiorum ex præscriptione, & Regulares capaces sint parochialium Ecclesiarum, ut superius demonstratum, unde præsumptio hic tantum orietur ex literis incorporationis, non ex *jure communi*, quod tamen requiritur, *in d. c. 1.* Deinde *immemorialis* præscriptio frequenter hic intervenire potest; & observandum, quòd non ideo minus sit *immemorialis* quamvis doceatur de *contrario* per litteras incorporationis, fortassis ultra 100. annos obtentas, dummodo non constet de *initio* præsentis possessionis. Molina *de J. & J. tract. 2. disp. 70. n. 3.* & dixi *in Man. Paroch. p. 3. c. 1. n. 11.*

PRI-

PRIVILEGIUM XLVII.

Monasteria habent jus eligendi Abbatem, ideo non subjacent provisioni papali, primis precibus, aut juri patronatus.

1 *Jus eligendi ablatum Monasteriis per Reg. Cancel. restitutum est per Concordatum Germaniæ.*
2 *Quid sint primæ preces Imperatoris.*
3 *Quem effectum habeat jus patronatus in Monasterio.*

1 OPtimum hoc juris beneficium probè agnoscunt Monasteria, quæ suæ religionis Abbatem habent, & verè patrem, & pastorem cui non tantùm pecuniæ *commendata*, sed oves sunt propriæ, & vocem ejus audiunt &c. Licet verò de jure communi hoc jus *electionis* Monasteriis tributum sit, ut constat *ex t. de Elect.* postea tamen Pontifices per Reg. *Cancellariæ* reservarunt suæ dispositioni, & provisioni præter Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, & Episcopales, omnia etiam *Monasteria virorum* valorem annuum ducentorum florenorum auri excedentia ut *in reg. 2. Cancell.* habetur. Deinde per *Concordata Germaniæ* inita Anno 1448. inter Frideric. III. aliosque Principes, & Prælatos Germaniæ, & Nicolaum V. S. Pontif. (quæ in Bullario novissimo inter Bullas Nicol. V. primo loco ponuntur) Monasteriis jus *electionis* denuò restitutum est.

2 Præterea potest quidem Imperator ex privilegio Pontificis in omnibus Ecclesiis in imperio sitis *primas preces* concedere, idest, in qualibet Ecclesia, semel tantum, aliquam personam idoneam nominare, quam Ordinarius ad beneficium vacans omnino recipere teneatur, dummodo Collator saltem quatuor beneficia conferenda habeat, & beneficia non sint de jure Patronatus Laicorum, attamen ab his *primis precibus* excipiuntur dignitates electivæ, & primæ in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Monasteriis, prout refert Joan. à ChoKiet *in speciali suo Tractatu*, quem inscripsit, *Scholia in primarias preces Imperatoris.*

3 Rursus qui fundavit, construxit, vel dotavit Ecclesiam consequitur *jus patronatus*, ut Clericum idoneum ad talem Ecclesiam tanquam beneficiatum præsentare valeat, quem Episcopus debet necessariò cæteris paribus instituere. Si verò aliquis erexerit Monasterium, vel Ecclesia *patronata* in Monasterium conversa sit, alius est effectus juris patronatus; nam tunc fundator seu Patronus non potest nominare aut eligere Prælatum (nisi Clericus sit, & in fundatione cum consensu Pontificis jus eligendi sibi expressè reservavit, vel aliundè per consuetudinem, aut præscriptionem acquisierit, Gl. & Barb. *n. 3. in c. nobis 25. de jure Patron.*) neque etiam ad electionem instituendam, sed primùm post factam electionem ejus consensus requiretur. Imo hunc ipsum consensum magis de honestate, quàm necessitate desiderari, communior est sententia, ut si Patronus rationabilem contradicendi causam habeat eam proponere possit, de cætero autem si nihil obest electioni, quo minus Canonicè censeri debeat, etiam invito Patrono validam, & confirmandam esse, videtur enim inconveniens ut confirmatio Prælati, potius à voluntate Patroni præsertim Laici (cùm tamen Laici aliàs juris eligendi incapaces sint) quàm ab electione Capituli, vel judicio superioris Ecclesiastici dependeat, & insinuat tex. in *d. c. nobis*, dum dicit, Patroni assensum honestius requiri Barb. *d. l. nu.* 4. Pan. *in c. sacrosancta de Elect. in 6.*

ADNOTATIO.

POtuissent in hoc privilegio multa addi de Jure *Advocatia*, quod Principes, aliique domini prætendunt in Monasteriis, sed quia est prolixioris materiæ, & indaginis, ac potius ex particularibus privilegiis, concordiis & contractibus dependet quàm ex *jure communi*, ideo Lectorem remitto ad Erasmum à ChoKiet *in speciali tractatu suo de Advocatiis feudalibus*, & Martinum Magerum de *Advocatia armata*.

PRIVILEGIUM XLVIII.

Abbates Monasteriorum habent jurisdictionem ordinariam.

1 *Quænam dicatur ordinaria jurisdictio.*
2 *Fundamenta, ex quibus demonstratur competere ordinariam jurisdictionem.*
3 *Novitii pertinent ad jurisdictionem Abbatis.*
4 *Jurisdictionem potest Abbas delegare, & in figura judicis exercere.*
5 *Abbas quid possit quando crimen meretur depositionem.*
6 *Abbates exempti habent in suos Regulares jurisdictionem quasi Episcopalem.*
7 *Ideo dispensant in irregularitatibus, & casibus occultis.*

JUrisdictionem ordinariam tam in *Criminalibus* quàm *Civilibus* causis, sive circa *regularia statuta* sive circa alia negotia in Regula non comprehensa agatur, competere Abbatibus in suos Religiosos liquidò ex jure demonstrari potest. Etenim *ordinaria jurisdictio* illa ex mente omnium DD appellatur, quæ competit ex *officio*, & *iure Magistratus*, daturque, vel à *lege scripta*, vel à *consuetudine*, vel à *Principe*, aut *Repub.* vel *Collegio honesto* non restrictè ad unam, vel alteram particularem causam (sicut in Judice delegato) sed *perpetuò* toto scilicet officii tempore, ita ut talem jurisdictionem habens *ordinariè* tanquam Judex adiri possit. 1

Videamus nunc, an hæc omnia circa jurisdictionem Abbatibus competentem concurrant. Et in primis clarum est, quòd talem jurisdictionem sibi vindicent Abbates ratione sui *officii magistratus, & superioritatis* quam gerunt *perpetuò* super suos Religiosos, & non sit ipsis in uno, vel altero particulari casu commissa. 2

Secundò datur hæc jurisdictio *de lege*, & quidem primitus *Divina*, quæ præcipuè Prelatis *ligandi solvendique potestatem* concessit, ut probat Tamb. *de iur. Abb. tom. 2. disp. q. 3.* Deinde verò, & apertiùs *ex leg. Canon. scripta* ex qua Abbatibus conceditur potestas *excommunicandi*, quæ utique magnam jurisdictionem, & cognitionem super arduis causis supponit cùm *excommunicatio* sit de majoribus pœnis Ecclesiasticis *c. cum ab Ecclesiarum*, & *cap. quanto de Off. Ordin. c. sicut tuis de Sim. c. cum in Ecclesiis 10. de Maior. & obed.* signanter *in c. eaqua de stat. Monach.* dicitur, quòd Abbas possit punire, & corrigere Monachos, secundùm Regulam, & Apostolica instituta, adeoque etiam tanquam Judex, & si extra Regulam delinquant, & arguitur ex Conc. Trid. *sess. 25. de Reg. c. 14.* Item *in c. suscepimus, & in c. sicut ex litterarum de Homic.* Prelatus Regularis cognovit, & sumpsit Informationem super homicidio, eique, & non Episcopo Pontifex, quid faciendum sit, rescripsit, cùm tamen homicidium non sit culpa in Regula comprehensa.

Tertiò hanc jurisdictionem habent Abbates *ex consuetudine*, ita enim Navar. *Cons. 6. de For. comp. & comment. 2. de regul. super Canon. non dicatis n. 63.* testatur se nullum vidisse Monasterium, in quo privilegio, vel consuetudine non sit obtentum, ut Prælatus non tantùm cognoscat de illis, quæ tangunt regulam, sed universim de omnibus.

Quartò hæc jurisdictio data est *à Principe* Ecclesiastici status scil. Romano Pont. qui Religiosorum Ordines, & Prelatorum superioritates approbavit, jus eligendi Abbatem concessit, & Regulam confirmavit, proinde sicut in Regula S. Benedicti habetur, ut Abbas possit de majoribus culpis, de fratribus incorrigibilibus penas statuere, excommunicationem ferre; ita id ipsum à S. Pontifice Regulam confirmante concessum intelligi debet,

alias

alias enim non concessisset Pontifex in *d. c. ea qua de stat. Monach.* ut Abbas delinquentes corrigat *secundum regulam S. Benedicti.*

Quinto qui à *Collegio honesto* eligitur, & eidem præficitur, habet jurisdictionem ordinariam saltem in civilibus in eos, qui sunt de Collegio *l. fin. Cod. de Jurisd. om. jud.* atqui Religiosi elegerunt Abbatem, eumque vice Dei super caput suum posuerunt, *cap. si Religiosus 27. de Elect. in 6.* ergo &c.

3 Extenditur hæc jurisdictio etiam ad Religionis Novitios, ut & isti non coram Judice sæculari, sed Abbate conveniri debeant, quamvis enim verè Religiosi adhuc non sint, censentur tamen de corpore Monasterii, & Personæ Ecclesiasticæ, cum sint in via ad professionem, sicut aliàs cingendus pro cincto habetur *arg. cap. Religiosæ de Sent. excom. in 6. l. pen. ff. de Mil. testam.* Nav. *de foro compet. cons. 5. & 6.* Tamb. *de J. Abb. tom. 3. disp. 6. q. 28.*

4 Porrò cum, ut demonstratum, jurisdictio Abbatum sit *ordinaria*, ea & delegari, sive per Commissarium exerceri *l. 3. de jurisd. l. un. C. Qui pro sua jurisd.* (de delegatione legi thesibus de *Foro comp. c. 1. §. 2.*) item, & figura judicii, seu usitatus Tribunalium stilus adhiberi rectè poterit, quia *Ordo iudiciarius* non ad ampliationem jurisdictionis, sed favorem publicum, ne ex præcipitatione iniquitas committatur, introductus est, latè hanc materiam examinavis, & secundum dicta decidit Pan. *in c. si quis contra 4. de Foro comp. n. 42. & seqq.*

5 Licet verò communiter teneant DD. quòd Abbates non possins delinquentibus religiosis pœnam *depositionis* vel *degradationis* infligere, cum auferre ordines videatur habere aliquam connexionem, & dependentiam à potestate *ordinis Episcopalis*, ut cum Pan. *in d. c. si quis n. 43.* tradit Barb. *de Offic. Ep. p. 3. alleg.* 110. *num.* 25. cum Sylv. Bonac. & aliis. Possunt tamen inprimis cognoscere de *qualitate facti*, an mereatur *depositionem*, sicut quilibet Judex cognoscere potest, an sua sit jurisdictio *l. si quis ex aliena ff. de Judic. L. 2. ff. Si quis in ius voc. c. super litteris de rescript.* & diximus *de Foro compet.* Deinde illud hic maximè est advertendum, quòd Antiqui Canones propter rigorem primitivæ Ecclesiæ fuerint proniores ad imponendam pœnam *depositionis*, qui hodiè ut plurimum in atrocissimis usu recepti non sunt, ut rectè monet Bonac. *de censuris disp. 4. punct. num.* 2. Multum notabile est, quod tradit Vallens. *ad t. de Pœnis §. 4. in fin.* Hodie ex generali consuetudine de jure Canon. omnes ferè pœnas factas esse *arbitrarias*, & pro discretione Judicia (consequenter etiam Abbatis, cum, & is in criminalibus Judex sit) consideratis circumstantiis moderari posse, quod saltem in delictis non enormissimis, & needum data incorrigibilitate, *c. cum non ab homine de Judic.* & circa personas regulares (quarum alias tota vita pœnitentia est) admittendum existimarim facit textus *in c. inquisitionis 21. de Accusat.* ubi dicitur, pœnas posse juxta personæ merita, & qualitatem excessus à Judice temperari, excepta irregularitate, quæ ipso jure contracta fuisset.

6 Circa Abbates *exemptos* præsertim verò speciale territorium habentes breviter hic adiiciendum est, quòd in suos Regulares, itam in suos Domesticos, & familiares Laicos, ac alios pleno exemptionis jure sibi subjectos jurisdictionem quasi Episcopalem habere censeantur, ita ut ea quæ ex potestate *iurisdictionis* (*non ordinis*, cum *ordine Episcopali* careant) in jure competunt Episcopis respectu suorum Diœcesanorum eam etiam istis Abbatibus concedantur. Eras. ChoKier *de Jurisd. Ord. in exemp. p. 4. q. 30. n. 1. & seqq.* Si enim cura Monasteriorum exemptorum non competit Episcopis, nec per S. Pontif. aut ejus Commissarios semper commodè exerceri potest necesse est, quòd penes cujusque Religionis, vel Monasterii exempti Prælatos relicta fuerit. Tamb. *de iure Abb. tom. 2. disp. 1. n. 2.* in specie exemplum pro praxi quotidiana utile ponit Barb. *de Offic. Ep. p. 2. alleg. 39. n.* 18. nimirum quod potestas data Episcopis in Concil. Trid. *sess. 24. de Ref. c. 6.* ad Abbates *exemptos* quoq; extendatur, ut possins dispensare in omnibus *irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus*, excepta *ea qua oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, item delinquentes in quibuscunque casibus occultis etiam sedi Apostolicæ reservatis absolvere.*

Cæterum qualem undequaque potestatem habeant Abbates in Religiosos, nimis prolixum nec hujus instituti foret examinare, videantur integri Tomi, quos *de iur. Abbatum.* Tamburinus conscripsit.

PRIVILEGIUM XLIX.

Abbates Monasteriorum possunt conferre minores Ordines, & habeus usum Pontificalium quorundam.

1 *Abbas confert minores aliquando etiam non benedictus.*
2 *Hodie tantùm regularibus subditis.*
3 *Potest tamen ordinare Novitios.*
4 *Item alienos subditos cum dimissoriis.*
5 *Abbas quorum Pontificalium usum habeat.*
6 *Abbas ex privilegio, vel consuetudine potest habilitari ad actum ordinis Episcopalis.*
7 *Abbati semel habilitato potest similis actus ab Episcopo etiam pro alienis Ecclesiis delegari.*

1 POtest igitur Abbas conferre minores ordines *c. 1. d. 69. & c. cum contingat de Ætat. & qual.* omnes quatuor, quamvis in Jure tantùm *de prima tonsura, & lectoratu* videatur mensio fieri, ut ex declar. Cardin. refert Piasec. *in praxi Ep. p. 1. c. 1. num. 7.* si tamen Abbas Presbyter sit, & *benedictus*: Imo etiam non *benedictus*, si Episcopus tertiò requisitus benedictionem negarit, *c. 1. de suppl. neglig. Præl.* vel id habeat ex privilegio Eugenii IV. vel Julii II. sicut Abbates triennales Congreg. S. Justinæ de Padua Tamb. *d. tom. 2. disp. 2. q. 4.*

2 Olim quidem etiam *Laicis* ordinariæ, & quasi Episcopali jurisdictioni subjectis Abbas minores Ordines dare poterat text. & gl. *in cap. Abbates de Priv. in 6.* hodie verò non nisi *regularibus subditis* juxta Trid. *sess. 23. de ref. c.* 10.

3 Utrum autem etiam Novitiis, vel alienis Religiosis aut subditis cum licentia propriorum Prælatorum valeat Abbas minores ordines impertiri? Pro utraque sententia videri poterunt DD. relati à Barb. *ad d. c. 10. Trid. n. 2. & seqq.* Tamb. *disp. 2. q. 7. & 10.* Mihi, salvo meliori judicio, affirmativa videtur probabilior. Quod enim attinet ad novitios, illi sanè cum jurisdictioni Abbatis subjecti sint, & in via sint ad Religionem, sc in cæteris quoque gaudeant Religionis privilegiis in materia favorabili rectè *Regulares subditi* appellari possunt, & minimè expedis, ut Novitii pro suscipiendis ordinibus extra Monasterium mittantur.

4 Cur verò alieni subditi cum licentia propriorum Prælatorum non possins ab Abbate suscipere minores ordines, non apparet prohibitionis ratio: qui enim potest actum per se in suos, potest etiam in alienos ex delegatione. Concil. autem Trid. *d. cap.* 10. tanquam prohibitorium pœnale, & odiosum restringendum est, quòd Abbas authoritate propria non possit alios quàm suos *Regulares subditos* ordinare, sicut Episcopus sine dimissoriis non potest ordinare alios, quàm suos Diœcesanos.

5 Præterea habent Abbates usum mitræ, & baculi, benedicunt vestes, & paramenta sacerdotalia ac cætera omnia in quibus non intervenit sacra unctio, quamvis autem videantur ista potius ex specialibus indultis, quam jure communi competere *arg. c. ut Apostolica de Priv. in 6.* Cum tamen antiquissima ejus rei sit præsertim Germaniæ consuetudo, ut si non omnia saltem pleraque Monasteria dictis privilegiis utantur, non incongruè dici potest *ex iure non scripto*, id est generali consuetudine *§. sine scripto 9. Inst. de Jur. nat. gent. & civ.* Monasteriis competere. Ex eadem quoque consuetudine passim videmus Abbates exercere eadem privilegia non tantùm in, & pro suis Monasteriis, sed etiam pro aliis Ecclesiis. Ad Declarationes autem Cardinalium, quæ in contrarium emanarunt, dici potest eas usu receptas non esse, vel loqui tantùm de jure utendi Pontificalibus, & benedicendi vestes

stes competenti ex Privilegio speciali, non ex consuetudine generali, sicut etiam notavit Pasq. ad Laur. de Fran. *p.2, q.28. n.3.*

6 Imo consuetudine aut privilegiis in multis Monasteriis obtentum est, ut Abbates quædam, quæ alias propriè *ordinis Episcopalis* sunt, exercere possint, v.g. conferre ordines Sudiaconatus, consecrare Calices, altaria portatilia, reconciliare suas Ecclesias &c. Armilla *v. calix in fin.* Sa. *eod. v. n.3.* Laym. *in Theol. mor. de sacr. ord. c.13. n.9. & 10.* Cùm enim Episcopatus secundum Theologos non sit distinctus Ordo à Presbyteratu Laym. *d. L. c. 3. n. 6.* & in *sensu diviso* spectata major sit potestas *consecrandi Corpus Domini*, quàm consecrandi Calicem, vel Altare (in *sensu* tamen *composito* major est Episcopatus Sacerdotio simplici, sicut totum majus sua parte) ideo non videtur excedere vires Pontificis aut etiam consuetudinis ut Abbati sacerdoti, qui potest majorem consecrationem facere, etiam potestas faciendi minorem addatur.

7 Sed & istud notabile est, quod defendit Paul. Laym. *in quæstionibus Canon. de Prælatorum elect. &c. quæst. 219.* quòd Abbas ex privilegio Apostolico semel habilitatus ad faciendas Consecrationes pro sua Ecclesia tantùm, possit eas etiam facere pro aliis Ecclesiis si ab Episcopo ei committatur. Cui simile est, quod docui in *Lib. III. Decret. Tit. XLI. n. 15.* Fratribus minoribus posse ab Episcopo delegari reconciliationem Ecclesiæ *pollutæ*, cùm habeant privil. à Leon. X. ut suas Ecclesias reconciliare valeant.

Ratio est, quia adest potestas delegandi ex parte Episcopi, & capacitas exequendi ex parte delegati, Non obest, quòd in privilegio Abbas tantùm acceperit potestatem pro suis Ecclesiis faciendi Consecrationes, quia hoc intelligitur, ne faciat pro alienis authoritate propria sicut nec Episcopo cujusvis privilegii prætextu in aliena Diœcesi Pontificalia exercere permittitur, nisi ex licentia ordinarii jux. Conc. Trid. *sess. 6. de Ref. c. 5.*

ADNOTATIO.

AD Num. 3. audio hanc sententiam in variis Diœcesibus practicari, & antiquissimo usu receptum esse. Non obstat *Declaratio Cardin.* à quibusdam in contrarium allata. Quia circa eam multa possunt dici, ut I. ut jura juribus concordentur *c. cùm expediat De Elect. in 6.* fortassis intelligatur juxta aliam *declarationem* quam refert Tambur. *de jure Abb. tom. 2. disp. 2. q. 7. num. 2.* ut scilicet non sufficiat generalis Episcopi licentia, sed pro singulis ordinandis specialis sit necessaria II. quòd lex generalis non tollat particularem consuetudinem, vel statutum, nisi hoc exprimat *cap. 1. Constit. in 6.* III. quòd lex non recepta non liget, vel per contrariam consuetudinem aboleri possit. Si verò dicatur legem debere recipi id est verum, si Pontifex instet, & urgeat ejus receptionem non obstante contraria qualibet consuetudine. IV. refert Barb. *Jur. Eccl. un. lib. 1. c. 4. n. 83.* ex Moderno *de supplic. ad Sanctiss. p. 2. c. 30. §. 5. n. 4.* Urbanum VIII. mandasse *ne Declarationibus Cardinalium* sive impressis, sive manuscriptis aliqua fides adhibeatur in judicio, vel extra nisi in authentica forma, solito sigillo, & subscriptione. Emin. Cardinalis Præfecti ac Secretarii ejusdem Congregat. munitæ fuerint.

PRIVILEGIUM L.

Abbates Monasteriorum sunt in dignitate, & habent præcedentiam.

1 *Quid sit dignitas.*
2 *Abbas est capax delegationis Papalis.*
3 *Quid possit delegatus.*
4 *Qualis præcedentia competat Abbatibus.*

HAbere *dignitatem Ecclesiasticam* is dicitur quis habet prærogativam in Ecclesia tam in Choro, quàm Capitulo cum jurisdictione, & administratione sibi perpetuò assignata sicut ex decis. Rot. Roman. & Commun. DD. tradit Tamb. *in decis. Rotæ, quæ habentur post tom. 3. de l. Abb. decis. 4. & 5.* Cùm ergo hæc omnia in Abbatibus concurrant, nemo facile negaverit, eos in dignitate censeri. 1

Porrò cum Abbates *in dignitate* constituti sint, rectè illis causæ per Sedem Apostolicam delegantur *juxt. c. statutum de Rescript. in 6.* cùm tamen aliis, quàm *dignitatem personarum, vel Canonicatum Cathedralis Ecclesiæ obtinentibus* Pontifex nunquam soleat causas delegare, adeo ut *rescriptum*, in quo aliis, quàm dictis personis delegatio facta est, *falsum* censeatur, tex. & DD. *in d. c. statutum.* 2

Præterea Abbates talem delegationem consecuti omnes suam jurisdictionem impedientes, vel in judicium venire detrectatores ex authoritate Apostolica districtione, seu censuris coercere poterunt, etiamsi litteræ commissionis id non contineant, vel persona coercenda Episcopus sit, aut sua dignitate major Abbate, item non cogetur Abbas delegatus à Pontifice causam per se tractare, sed rursus alteri etiam se majori subdelegare valebit, eumque ad suscipiendam hac delegationem compellere, prout hæc omnia habentur *in c. 5. cap. sanè c. pastoralis 26. c. ex litteris 29. de Officio deleg.* & dixi de *Foro comp. c. 1. §. 2.* 3

Rursus cùm Abbates propter jurisdictionem, & usum Pontificalium eleventur super cæteros Presbyteros, & Clericos, & valde propè ad Episcopos accedant, hinc est quòd præcedant non solùm cæteros Clericos sæculares, sed etiam in dignitatibus, & personatibus inferioribus ac Canonicatibus constitutos. Pan. & Decius *in cap. decernimus de Judic.* Bald. *in cap. pastoralis de Offic. Del.* Cassan. *in Cat. gloriæ mundi p. 4. consid. 32.* Nav. *de Major. & obed. cons. 4 n. 2.* Sed hanc præcedentiæ materiam non ignoro odiosam, eamque libenter prætereo, & lectorem ad cc. authores, item consuetudines locorum, particulares præscriptiones, pacta, & privilegio remitto. Atque hæc de *de Privilegiis, & Juribus Monasteriorum* ad majorem Dei Deiparæque Virginis Honorem breviter dicta sunto. 4

FINIS.

INDEX

INDEX TITULORUM

SECUNDUM ORDINEM ALPHABETICUM.

Prior numerus Privilegium, alter paginam indicat.

F I N I S.

LIBRI

L I B R I
NUOVAMENTE STAMPATI

nello scorso anno, e nel presente 1733.

D A

GIUSEPPE BETTINELLI
L I B R A J O
In Merceria al Secolo delle Lettere.

I. Rituum qui olim apud Romanos obtinuerunt succincta explicatio ad intelligentiam veterum auctorum facili methodo conscripta a G. H. Nieupoort post tres trajectenses prima Veneta editin numismatibus illustrata. 8. Lire 3: 10

II. Il Teatro dell' Amore e della Fortuna di Madamigella Barhier novelle Spagnuole Tradotte dal Francese. 12. L. 1:

III. Christophori Cellarii orthographia latina ex vetustis monumentis hoc est Nummis, Marmoribus, Tabulis, membranis veterumque Grammaticorum placitis; nec non recentium ingeniorum curis excerpta, digesta novisque observationibus illustrata. 8. L. : 15

IV. Historia Reipublicæ & Imperii Romanorum ab orbe condita ad annum urbis DCCXXVII. Quo Octaviano Cæsari summa Imperii cum nomine Augusti delata fuit. Contexuit ex monumentis veterum G. H. Nieupoort 8. vol. 2. L. 8:

V. Historia Persecutionis Vandalicæ in duas partes distincta: prior complectitur libros quinque Victoris Vitensis Episcopi, & alia antiqua monumenta, ad codd. mss. collata & emendata, cum notis & observationibus. Posterior commentarium historicum de Persecutionis Vandalicæ ortu, progressu & fine, Opera & studio D. Theoderici Ruinart Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione Sancti Mauri; cujus Vita nunc primum ad hujus Operis initium accesit, Prima Veneta editio a mendis quamplurimis expurgata. 4. L. 7:

VI. Ritiramento spirituale per otto giorni in cui con varie Riflessioni & essempli de' Santi si dà a vedere li veri mezzi di assicurare la salute dell' anima a Stabilire la via dell' eternità, aggiuntovi un essame diligentissimo diretto ad ogni condizione di conscienza, di un Religioso Bernabita famosissimo predicatore, diviso in 2. vol. in 8. L. 3:

VII. Collegium Universi juris Canonici, antehac juxta triplex juris objectum partitum; nunc verò servato ordine decretalium accuratius translatum, & Indice copioso locupletatum. Omnibus tam in foro, quam in Scholis apprimè utila, ac necessarium. Auctore P. Lodovico Engel ex Monasterio exempro mellicensi ordinis S. P. Benedicti Infer. Austriæ. J. U. D. Eminentissimi Celsissimi ac Reverendissimi Principis & Archiepiscopi Salisburgensis Consiliario Ecclesiastico, & in alma Universitate Salisburgensi Procancellario ac SS. Canonum Professore Ordinario. Editio Septima Prioribus longè accuratior, cui præter tractatum de Privilegiis Monasteriorum novissimè accessit aureus liber ejusdem Auctoris, qui inscribitur Manuale Parochorum. fol. vol. 2. L. 12:

VIII. Mezzi di assicurare la sua salute e disporsi ad una santa morte, opera utilissima per tutti quelli che vogliono operare efficacemente alle loro salute, ed in particolare per quelli che s' impiegano ad assistere agl' infermi, e ad ajutarli a ben morire, di un Religioso Bernabita nuova editione, riveduta, corretta e considerabilmente accresciuta dall' Autore; tradotta dal Francese divisa in otto giorni. Nel primo si tratta, delle miserie della vita presente, delle quali la morte ci libera. Nel secondo, de' beni della vita futura, de' quali la morte ci mette in possesso. Nel terzo delle dispositioni che fa d'vopo avere alla morte, e degli atti che bisogna produrre. Nel quarto, l' esempio che li Santi ci hanno daro di una buona morte, da cui dipende la salute. Nel quinto, della Penitenza, in cui si vede che per quanto reo che sia un Peccatore, non deve giamai disperare della misericordia di Dio, e che chiunque vuol sinceramente convertirsi otterrà il perdono fa de' suoi peccati, e pervenità alla salute. Nel sesto. Il Santissimo Viatico comunica una forza invincibile contro tutti li nemici della salute a colui che lo riceve con le dovute dispositioni. La pratica della Chiesa in tutti i tempi è stata di amministrare questo adorabile Sagramento, come Viatico a gl' infermi. Nel settimo, dell' Estrema Unzione, la pratica di conferire questo Sacramento agl' infermi per fortificarli contro gli assalti e le sorprese de' nemici della nostra salute, ha conminciato nella Chiesa fino dal tempo degli Apostoli. Nell' ottavo, dell' Agonia e della Raccomandatione dell' anima. Li Santi si rallegrano quando la loro morte è vicina o almeno la ricevouo con costanza. Vi è oltre la Prefazione, in cui si dà a vedere, che la salute è il più importante di tutti gli affari, un asame generale, e particolare sopra ogni stato e conditione di persone. 8. vol. 2. L. 3:

IX. Quadragesimale del R. P. della Rue della Compagnia di Gesù 4. L. 6:

X. Vita del Glorioso Principe S. Pietro Orseolo Doge di Venezia indi Monacho, ed Eremita Santissimo, Discepolo di S. Romualdo fondatore dell' ordine Camaldolese; scritta da un Religioso di detto ordine. 4. L. :

Libri che sono sotto il torchio.

Quadragesimale del R. P. della Boissiere Prete dell' Oratorio tradotto dal Francese. 4.

Pratiche di Pietà o sia Trattenimenti spirituali per tutti li giorni dell' anno sopra la condotta alla perfezione, secondo l' ordine del Breviario Romano del P. Le Maistre dalla compagnia di Gesù, tradotto dal Francese 12. vol. 4.

Novelle Istoriche & Amorose tradotte dal Francese 12.

Acta Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti, auctore R. P. Mabillon in fol. vol. 9. si stampa per Società.

MANUALE
PAROCHORUM,
DE PLERISQUE
FUNCTIONIBUS & OBLIGATIONIBUS,
Ad Parochias, Parochos & Parochianos
attinentibus;

UT

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM,
De Decimis, Oblationibus, Sepulturis, & Bonis Parochorum;
item de Votis, Juramentis, & Usuris,
Materiis scitu utilissimis.

Non tam curam exercentibus, quàm Juris Canonici & Civilis Cultoribus, simul & omnibus in Foro versantibus Advocatis & Consultoribus apprimè necessarium.

PRIMA VENETA EDITIO,
Cum Indicibus Titulorum Rerum & Verborum.

AUCTORE

P. LUDOVICO ENGEL,
ORDINIS SANCTI BENEDICTI
In Exempto Monasterio Mellicensi, Juris Utriusque Doctore,
Salisburgensi Consiliario Ecclesiastico, Procancellario, ac Sacrorum
Canonum Primo Professore.



VENETIIS, MDCCXXXIII.
Apud Josephum Bettinelli.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX TITULORUM.

PARS I.

PARS II.

PARS III.

PARS IV.

PARS V.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
Magis memorabilium in hoc Manuali Parochorum.

Index Rerum Memorabilium.

Index Rerum Memorabilium.

Quid

Quid

Index Rerum Memorabilium.


Qua-

Si

Index Rerum Memorabilium.

Susten-

MA-



MANUALE PAROCHORUM

AUTHORE

P. LUDOVICO ENGEL.

PARS I.

De Parochiis & Parochialibus Ecclesiis, earumque Erectione, Consecratione, Reconciliatione, Immunitate, aliisque Juribus.

CAPUT I.

Quid sit Parochia?

SUMMARIA.

1 *Quid sit Parochia & Paræcia.*
2 *Ut ab Episcopis fiat certa Parochiarum designatio Concil. Trident. mandat.*
3 *Quæ sint jura parochialia.*
4 *Si constet Ecclesiam esse parochialem fundatam habet intentionem in jure.*
5 *Ad probandam parochiam quatuor conjunctim requiruntur.*
6 *Parochiæ Monasteriis incorporatæ, licet per Vicarios providcantur, retinent tamen omnia jura parochialia.*
7 *Non est idem beneficium curatum & Ecclesia parochialis.*
8 *Quædam beneficia sunt actu curata, quædam tantum habitu.*

1 PAROCHIA dicitur locus in quo degit populus alicui Ecclesiæ (quæ propterea parochialis vocatur) deputatus, certis finibus limitatus, *Tusc. l. p. Concl* 94 *n.* 1. unde & frequenter in jure Parochia Parœcia appellatur, quod græcè idem sonat, ac Conventus seu habitatio accolarum.

2 Est autem Parochiarum designatio facta ad curam animarum in populo commodius exercendam, prout etiam novissime mandat Concil. Trid. *S.* 24. *de ref. c.* 13. ut in iis civitatibus & locis ubi parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, sed promiscue petentibus Sacramenta administrantur, Episcopi pro tutiori animarum salute distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum & proprium parochum assignent, à quo solo licite Sacramenta percipiant,

3 tur, &c. Porrò ad Ecclesias parochiales pertinet Jurisdictionem in foro pœnitentiali exercere, Sacramenta administrare, matrimonia solennizare, Eucharistiam asservare, fontem baptismalem, cœmiterium & jus sepeliendi defunctos habere, & ut demum ejus Rectori jus sit decimas oblationesque percipere, teste Innoc. & Panorm. *ad rubric. tit. Decret. de Parochiis.* Licet vero ex singulis his enarratis juribus non præcise probetur nec ex eorum defectu semper reprobetur Ecclesia esse parochialis, cum similia possint etiam aliis Ecclesiis ex privi-

4 legio vel consuetudine aut præscriptione competere, † quando tamen constet Ecclesiam esse parochialem, tunc quoad omnia ista jura habet fundatam intentionem, ut si desuper cum alia Ecclesia lis oriatur, non Ecclesiæ parochiali, sed alteri onus probandi incumbat.

Attamen de hoc ipso nonnunquam disceptatur, quibus argumentis Ecclesia proprie parochialis esse convincatur? 5
Quatuor requisita conjunctim justificanda esse ad probandam parochiam ex dictis aliorum DD. & Rotæ Decis. colligit Barb. *de Paroch. p.* 1. *c.* 1. *n.* 27. primum est inquit potestas fori pœnitentialis. Secundum locus certis finibus limitatus, in quo populus alicui Ecclesiæ deputatus degit. Tertium ut Parochus curam exerceat nomine proprio. Quartum, ut sacerdos tanquam rector singulariter & non cum aliis ad regimen parochialis Ecclesiæ admittatur.

Verum circa hæc duo ultima requisita advertendum est, 6
quod ea non Ecclesiam sed personam respiciant, id est, probanda sint ad eum solummodo effectum, si quis contendat se esse verum & proprium parochum loci. De cætero ipsa Ecclesia ex primis duobus requisitis satis probatur esse parochialis, frequens enim est, quod Parochiæ soleant Monasteriis, Capitulis, Collegiis aliisque beneficiis uniri & incorporari, in quibus Sacerdos curam non proprio sed vicario nomine nec solus sed cum aliis exercet. Interim ipsa Ecclesia retinet omnia parochialia jura, & si desuper sive à Vicario, populo, Episcopo vel extraneo lis moveatur, Monasterium vel capitulum, cui incorporata est, fundatam intentionem habebit. *Rota apud Tambur. de jure Abbat. tom* 3. *decis.* 102.

Demum advertendum est, non semper esse idem benefi- 7
cium curatum & Ecclesiam parochialem. Nam Ecclesia sive beneficium curatum generalius quid est, continens sub se plures species, & quamvis Parochia sine cura non sit, potest tamen cura sine parochia esse, ut in Ecclesiis, quæ filiales appellantur, in locis noviter ad fidem conversis vel ad habitantium accommodatis, in quibus necdum limites parochiales per Episcopum assignati sunt.

Alia quoque beneficia sunt curata non parochialia, quæ curam tantum fori externi habent sive potestatem & jurisdictionem visitandi, excommunicandi, absolvendi, corrigendi, judicandi &c. Et hæc cura large & improprie cura dicitur teste Barb. *de paroch. p.* 1. *c.* 1. *n.* 47. Cura autem proprie accepta est cura fori pœnitentialis & Sacramentorum administratio Interim, quoad incompatibilitatem, & residentiæ obligationem, non est inter utriusque curæ beneficia diversitas. *Trid. f.* 6 *c.* 1 *f.* 7. *c.* 4. *f.* 23. *c.* 1.

Sed & beneficia curata, quædam sunt actu curata in qui- 8
bus de facto exercetur cura, quædam autem habitu tantum curata, quibus nimirum ex prima institutione cura annexa fuit, sed ea postea per unionem, privilegium, consuetudinem aliumve casum sublata fuit: & hæc beneficia habitu solum curata adinstar simplicium beneficiorum habentur, nec cadunt sub dispositionem juris de curatis beneficiis loquentem v. g. quoad incompatibilitatem, residentiam &c. *Barb. d. l. num* 50.

CAPUT II.

De Ædificatione & Reparatione Ecclesiarum parochialium.

SUMMARIA.

1 *Episcopalis muneris est Ecclesiam parochialem, ejus fines & populum designare.*

2 *Quando & qualiter nova parochia erigenda.*

3 *Erectio novæ capellæ est remedium, ne nova parochia erigenda sit.*

4 *Licitum est locorum ordinariis ob causas rationabiles duas parochias in unam conjungere.*

5 *Ne Ecclesia in præjudicium parochialis Ecclesiæ ædificetur, cura Episcopi incumbit.*

6 *An Episcopus licentiam concedere valeat privata Oratoria construendi?*

7 *Quæ ceremonia & forma in ædificandis Ecclesiis servanda.*

8 *Quomodo Ecclesiæ parochiales ruinosæ reparandæ.*

9 *Materialia, ut ligna &c. destructæ Ecclesiæ in profanos usus possunt converti.*

10 *Cœmiterium ab Episcopo non potest profanari.*

11 *Si Ecclesia casu destructa readificetur, non amittuntur indulgentiæ vel privilegia tali loco concessa, nisi destructio facta sit in vindictam sceleris.*

1 AD Episcopi officium pertinet parochialem Ecclesiam constituere ejusque fines & populum designare, *c. nullus omninò* 16 *q.* 7. *Trid. s.* 24. *de ref. c.* 13.

Olim quidem constitutum erat *in c. uni.* 10. *q.* 3. ut non minus quam decem municipia sive domus & familiæ Ecclesiæ parochiali assignarentur: Sed rectius id arbitrio Episcopi relinquitur, qui providere debet de tanto & tali parochiæ districtu, ut populus ad divina commode convenire, & parochus ex decimis & obligationibus congrue ali possit.

2 Quod si parochianorum numerus in tantum excrescat, vel locorum distantia faciat, quo minus præsertim tempore hyemali populus ad unam Ecclesiam commode conveniat, vel ægrotantibus Sacramenta deponentur, poterunt Episcopi novas parochias etiam invitis prioribus rectoribus erigere, & pro sustentatione novorum parochorum competentem portionem ex reditibus matricis sive antiquioris Ecclesiæ assignare, aut si necesse fuerit, populum ad alimenta (quæ ex priori Ecclesia satis haberi nequeunt) novis parochis præstanda compellere. *Trid. s.* 21. *de ref. c.* 4.

Circa quam constitutionem Trid. desumptam ex c. 2. *x. de Eccl. ædif.*

Not. primò, quod Ecclesia matrix in nova parochia ex suo quasi gremio erecta acquirat jus patronatus, ejusque rector sive parochus possit præsentare Sacerdotem ad istam novam Ecclesiam, *d. c.* 3. *de Eccl. ædif.* si tamen partem suorum redituum contribuerit. *Garc. de benef. p.* 5. *c.* 9. *n.* 57.

Not. secundò, decimas ad Ecclesiam matricem pertinentes non transire ipso jure ad Ecclesiam novam, sed in arbitrio Episcopi esse, an decimas vel alios fructus eidem assignare velit, Barb. in Coll. *ad d. c.* 4. *Trid. n.* 16.

Not. tertiò, quod Episcopus citare & audire debeat antiquæ Ecclesiæ rectorem & patronum, si forte justam causam habeant contradicendi, & si forte parochia sit incorporata, ejus defensio non ad vicarium curam exercentem, sed ad Prælatum loci, cui parochia incorporata est, pertinebit. *Barb. d. l. n.* 11. *&* 14.

3 *Not. quartò*, quod ad evitationem novæ parochiæ erigendæ numerositati populi vel distantiæ locorum provideri possit per erectionem novæ capellæ (quæ & filialis dici solet) quæ sit in potestate & proprietate parochialis antiquæ, & in qua parochus vel Prælatus habens Ecclesiam incorporatam exponat Sacerdotem principalis Ecclesiæ coadjutorem sive vicarium. *Rota ad Tamb. post tom.* 3. *de jure Abbat. decis.* 32. *num* 6. *Barb. de offic. Episc. alleg.* 68 *n* 7.

4 Ex adverso si aliqua parochia ad tantam paupertatem deveniat, ut ex ejus reditibus sarta tecta conservari aut Parochus ali nequeat, nec per unionem aliorum beneficiorum simplicium ei provideri possit, licet locorum ordinariis ex duabus parochiis unam facere, *Trid. d. s.* 21. *c.* 5.

5 Curabit etiam Episcopus, ne patiatur novas Ecclesias Capellas vel Oratoria in præjudicium parochialis Ecclesiæ ædificare. Et si de facto absque licentia Episcopi aliquis in præjuditium Ecclesiæ parochialis ædificare cœperit, recte per Parochum ei nuntiatur novum opus, ut ab ædificatione desistere, & quod post nunciationem sive jure sive injuria ædificavit demoliri teneatur, *tex. & interp. in c.* 1. *&* 2. *de novi op. nunt.*

6 Dubitari posset, an hodie Episcopus recte licentiam concedat privata & domestica Oratoria construendi in iisque celebrandi? Ratio negandi habetur in Concil. Trid. *sess.* 22. *de sac. missæ. c.* 8. Verum interpretatio magis in praxi recepta est, quam etiam tradit Nav. *de privil. Cons.* 4. & Barb. *ad d. c.* 8. *n.* 16. quod Concilium tantum voluerit tollere abusum, ne passim sine rationabili causa in privatis domibus celebretur. Solent tamen tales licentiæ dari cum clausulis: ut locus sit decenter ornatus, à sæcularibus negotiis liber, desuper à conjugatis non inhabitatus. Item ut concessio intelligatur sine præjudicio parochialis Ecclesiæ, ne ibidem conciones atque oblationes negligantur, & excipiantur dies natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, in quibus cessante impedimento Ecclesia parochialis frequentanda est, & demum quod in diebus festis audiendo missam in oratorio privato non satisfaciant, qui non sunt de familia personæ, cui licentia conceditur. Riccius *in praxi aurea tom* 4. *res.* 298.

7 Ædificium porrò parochialis (sicut & alterius) Ecclesiæ inchoari non debet, nisi prius Episcopus ad locum accedat atrium ac cœmiterium publice designet, ibique crucem cum precibus figat, & in jaciendis fundamentis primum lapidem ponat, *tex. & gl. in c.* 9. *d.* 1. *de consecr.* Docet tamen Azor. *Inst. mor p.* 2. *l.* 9. *c.* 3. *q.* 4. non requiri, ut Episcopus personaliter ista peragat, sed posse alteri v. g. vicario aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ demandare.

Formæ Ecclesiarum ex antiqua traditione recepta est, ut forma oblonga in modum navis ædificentur, ad denotandum, quod in iis quasi in navicula Petri inter fluctus & pericula hujus mundi salvemur. Item Apostolos instituisse, ut, si commode fieri possit, altare primum & maximum versus orientem erigatur, & Christianos ex antiqua traditione consuevisse versus orientem orare, ex Clem. & aliis SS. PP. refert Azor. *d. l. q.* 12. fortassis juxta illud *Habacuc. cap.* 3. *Deus ab Austro veniet &c.*

8 Circa reparationem Ecclesiarum parochialium ruinosarum observanda est constitutio Concil. Trid. *s.* 21. *de ref. cap.* 7. quod nimirum Ecclesiæ parochiales (idem esse de domibus parochialibus declaravit S. Congre. *in eodem c.* 7.) ex fructibus & proventibus quibuscunque ad easdem Ecclesias quomodolibet pertinentibus restaurari debeant. Si verò dictis Ecclesiarum reditus sufficientes non fuerint, tunc omnes patroni, & alii qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt aut in illorum defectum parochiani omnibus opportunis remediis appellatione remota cogi ad reparationem poterunt.

Quia porrò Concilium patronos aliosque ex Ecclesia utilitatem & fructus percipientes per copulam *ET* conjungit, videntur omnes simul juxta proportionem redituum & emolumenti arbitrio Episcopi taxandam in contributionem vocandi. Nam omnes simul tangit regula, qui sentit commodum, sentiat & onus. In rectoribus tamen & beneficiatis deducenda prius sunt necessaria pro eorum sustentatione congrua juxta decentiam vitæ clericalis, non secundum exigentiam tuendæ dignitatis, ad quam ampliandam non dari beneficia, sed potius pro alimento ministrorum Ecclesiæ & pauperum ac augendo cultu divino refert Barb. *in collect. ad d. c.* 7. *Trid. num.* 10.

Quod si ob notoriam egestatem nemo ex prædictis contribuere valeat, nec spes sit futuræ reparationis, Ecclesia ruinosa omninò destrui poterit, ac ejus jura & fundi dotales ad matricem Ecclesiam, si filialis sit, vel aliam viciniorem authoritate Episcopi transferri. In hac porrò Ecclesia, ad quam fit translatio, erigendum est altare sub eadem invocatione, sub qua fuit Ecclesia diruta, *Barb. d. l. n.* 25.

Idemque de beneficiis simplicibus dicendum, quæ fuerunt in Ecclesia collapsa, ut arbitrio Episcopi alicui altari viciniori Ecclesiæ cum omnibus oneribus & emolumentis ac prioribus invocationibus applicentur, sicut in tex. Trid. habetur.

9 Lapidea verò & ligna destructæ Ecclesiæ quamvis olim non licuerit ad alium quam Ecclesiasticum usum applicare scil. ad ædificationem alterius Ecclesiæ, *c. ligna* 38. *de conse. d.* 1. hodie tamen facultatem concessit Concilium Trid. *d. c.* 7. ut Ecclesiæ dirutæ (id est, tam locus ipse quam materialia *Rota apud Farin. p.* 1. *in posthum. decis.* 107. *n.* 2.) in profanos usus non sordidos erecta tamen ibidem cruce converti possint.

10 Non posse autem ab Episcopo profanari cœmiterium sicut Ecclesiam *in d. decis.* habetur. Item ligna picta vel alia materialia alio signo notata, ex quo noscerentur fuisse Ecclesiæ, ad vitandum scandalum non posse applicari ad fabricam laicalem. ex Navar. *de spol. Cler.* §. 18. *prope finem*. refert Barb. *in d. c.* 7. *Trid. num.* 24.

11 Est & notabilis doctrina Azorii *Inst. mor. p. 2. lib. 9. c. 3. q. 13.* quod si Ecclesia destruatur ex incendio, tumultibus bellicis, vel ut de novo reædificetur, non propterea amittantur indulgentiæ vel privilegia tali loco concessa, sed ad novum etiam ædificium extendantur, licet aliud sit, si in vindictam sceleris authoritate superioris aliquis locus destruatur.

C A P U T III.

De Consecratione Ecclesiarum Parochialium nec non & Altarium & Paramentorum.

S U M M A R I A.

1 *A quo & quibus ceremoniis Ecclesiæ sint consecrandæ.*
2 *Quibus casibus destructa & reædificata Ecclesiæ consecrari debeant.*
3 *Specialis etiam consecratio altaribus impendenda est.*
4 *Quid sit altare portatile & fixum, ac quibus casibus resecrentur.*
5 *Calices & patenæ specialiter consecrari & ex certa materia confici debent.*
6 *An consecratio repetenda, si calici nova deauratio accedat?*
7 *Quare campanæ Eccles. benedicantur & chrysmate inungantur.*
8 *Vestes & paramenta ad missam spectantia etiam benedicuntur.*
9 *Quibus de jure vel ex privilegio competat consecrare & benedicere Altaria, Calices &c.*

1 CONsecratio Ecclesiarum facienda est ab Episcopo per signationem & unctionem parietum cum oleo sacro & alias cæremonias præscriptas in Pontificali Romano, atque ante prandium inter missarum solemnia, de decentia (non de necessitate) in die festivo. *c. tua. c. 3 de Consec. Eccles. c. omnes Basilicæ de consec. d. 1 Ugol. de potestat. Episc. c. 28* Non tamen prius consecranda est Ecclesia, quam competens illi dos pro ejus consecratione assignetur, *c. 1. 1. q. 2. c. cum sicut. de cons. Ecc.*

Quamvis autem Ecclesia non debeat sæpius, quam semel consecrari. Si tamen dubitetur an Ecclesia quandoque fuerit consecrata, præsumitur contra Ecclesiam, quod nunquam fuerit consecrata, nisi probationes aliquæ pro ea adferri possint, ac proinde denuo consecranda erit, non enim intelligitur iteratum, quod nescitur factum. *c. Ecclesiæ. c. solenniter de consec. d. 1.* Probatur autem consecratio per scripturam vel per cruces, quæ dum consecratur Ecclesia in parietibus fiunt vel per unum testem aut famam aliaque indicia, quando enim de nullius præjudicio agitur, imperfectæ probationes admittuntur. *Panorm. in c. proposuisti 4. de consec. Eccl. n 6.*

2 Item si Ecclesia tota vel ex majori parte corruerit & reædificata sit, denuo consecranda erit, licet ex eadem materia reædificetur, quia nihilominus nova Ecclesia est, etsi prior forma interiit. *gl. in c. de fabrica de consecr. d. 1.* nec distinguendum erit, an casu corruerit Ecclesia, an ea mente ligna pro majori parte deposita, ut reponerentur. *Barb. de offic. Ep. p. 2. alleg. 27. n. 15.* sed opponitur difficilis tex. *in l. inter stipulantem stipulantem. 83. § 5. ff. de V. O. & in l. qui res 98 §. 8 ff. de solut.* ubi navis ea mente dissoluta ut ex iisdem tabulis reficeretur, dicitur manere eadem navis. Existimo responderi posse, in casu dd. legum manere eandem navim quantum ad retentionem dominii & possessionis civilis ejus, qui per dissolutionem navim non voluit interire: Non autem quoad eandem numero formam, (quod tamen in consecratione consideratur) si enim per refectionem ex eadem materia eadem numero forma conservaretur, male dixisset IC. in *cc. LL.* quod navis sine intentione refectionis dissoluta, & post ea mutato consilio ex iisdem tabulis refecta alia navis sit, sola enim intentio dissolventis tanquam composito prorsus extrinseca, nihil mutat in substantialibus compositi.

Deinde si magis moraliter loqui velimus, quidquid sit de navi, certe in ædificio major est mutatio, neque ut eadem tabulæ, ita idem cæmentum iidem lapides & lateres, eo quo prius fuerunt modo accommodantur, ut vel hinc IC. *in d. l. 83. §. 5.* responderit, aliter de domo usque ad aream deposita, quam de nave sentiendum, ut illa etiam intentione reficiendi dissoluta & reædificata alia sit, nisi pauca tantum ligna dissoluta & reposita sint.

Non tamen erit opus nova consecratione, si subsistentibus parietibus tectum corruat, quod rursus de novo imponatur, vel si successive etiam ipsi parietes per partes reficiantur, & ita quidem, ut paulatim nec pars de primo ædificio supersit (dummodo simul & semel totius vel majoris partis Ecclesiæ ruina & reparatio non fiat) quia his casibus moraliter non censetur nova sed prior Ecclesia ut ex mente omnium DD. tradit Barb. *in c. ligneis. 6 de cons. Eccles.* & pulchris exemplis confirmat Jurisconsultus *in l proponebatur. 76. ff. de judic.* quod scilicet eadem legio militum, idem populus censeatur, licet prioribus hominibus emortuis novi substituantur, idem corpus hominis, licet ex novis accedentibus alimentis in dies reficiatur, specie enim extrinseca non mutata res eadem existimatur. Quod si Ecclesia amplificetur & nova pars addatur, quæ tamen minor sit parte vetere remanente etiam tunc nova consecratione opus non erit quia major pars trahit ad se minorem, *c. quod in dubiis. 3. de consecr. Ecc. gl. margin. in d. c. de fabrica de consec. dist. 1. in v. innovata.* ubi addit sufficere, si aqua exorcizata seu benedicta nova pars accedens aspergatur.

3 Porrò specialis consecratio Ecclesiæ & specialis altaribus intra eam existentibus impenditur, unde consecrato altari non ideo Ecclesia, sed ipsum tantum altare & vicissim execrata Ecclesia propter ruinam & reparationem majoris partis ipsa quidem Ecclesia non autem altare (si salvum & integrum permanserit) consecrari debebit.

Altaria autem omnia sive portatilia sive fixa in superiore parte lapidea esse debent, ad designandum quod sacerdotes sacrificantes annuntient mortem Domini, *1 ad Cor. 11.* qui in sepulchro lapideo tumulatus est. Sepulchrum quoque & sigillum omnia altaria habere debent, id est, cavitatem aliquam, in qua reliquiæ Sanctorum recludantur, *c. placuit. 26. de consec. d. 1. Sylv. v. altare. d. 1. tex. in d. c. placuit* & quod usus optimus legum interpres, *l. cum de interpretatione. ff de ll* constanter in Ecclesia observatus demonstrat, & introitus missæ indicat per illa verba: *quorum reliquiæ hic sunt &c.* † Altare qui-
4 dem portatile est tabula lapidea, quæ de loco ad locum portari potest. Altare autem fixum tam ex superiori mensa lapidea, quam ex inferiori structura seu pede firmo essentialiter constituitur. Quare si in altari fixo superior tabula à suo pede amota fuerit, execratum censebitur.

Cæterum tam in Altari portatili quam fixo, si notabilis fractura acciderit, si reliquiæ extractæ sint, imo si sepulchrum tantum vel sigillum apertum, aut lapis claudens sepulchrum fractus fuerit, execratio & ad novam consecrationem deveniendum erit. *Innoc. & communiter. alii in c. 1. de consec. Eccles.* circa fracturas tamen plurimum tribuendum esse arbitrio Episcopi, an & quando execratio facta dici debeat monet Barb. *de offic. Epis. alleg. 27. n. 26.* & tantam esse debere ut in nulla parte altaris calix cum patena moraliter rem æstimando consistere possit, ut si per medium altare transeat ubi calix ponitur, habetur apud Laym. *in Theol. mor. de satisf. miss. c 6. n. 4* ubi *n. 5. v. id vero* reprobat sententiam illorum, qui putant amitti consecrationem si cornua altaris in quibus unctio facta est, frangantur, eo quod consecratio intelligatur inesse toti altari & in majori ejus parte capiendo calici idonea conservari. Addit etiam Barb. ex decis. Sacr. Congreg. Rit. lapidem altaris profanatum posse licite vendi & applicari ad usum profanum honestum & decentem.

5 Præter Ecclesias & altaria etiam calices & patenæ consecrari debent, ut notum. Et hæc vasa debent esse de auro & argento; vel ob causam paupertatis ex stanno, non autem de ære aut auricalcho aut cupro, quia hæc propter æruginem vomitum provocant, nec ex ligno, ne sanguis per poros imbibatur, nec ex vitro vel cristallo propter fragilitatem, nec de lapide propter ineptitudinem. *c. vasa & c. ut calix de consec. d. 1. Sylv. v. Calix n. 1.* amittunt autem suam consecrationem, per amissionem formæ & usus, sicut contingit per notabilem fractionem, licet illa fractio de facili iterum refici possit, nisi pes calicis à cuppa abrumpatur. Si tamen calix torneatilis foret, separatio pedis à cuppa, quæ fit absque fractione, non noceret. Nam forma ex prima destinatione operis mutabilis non censetur interire per mutationem reparabilem. & aliam rationem adfert Laym. *c. l. n. 6.* quod scil. in calice torneatili cuppa per se sola consecretur.

Non etiam amitti consecrationem calicis per aliquos ictus à fabro inflictos, nisi per fractionem forma mutetur ex Armilla *in v Calix n. 4.* & Azor. *Instit. mor. p. 1. lib 10. c. 28. q. 5* refert Barb. *d. all. 27. n. 39.* quod notandum circa profanationem calicum vendendorum, vel commutandorum.

Quod si diuturnitate temporis aurum in calice & patena absumptum sit, non propterea interit consecratio, quæ toti calici & patenæ inest. *Armilla & Sylv. v. Calix. Azor d. l. q. 6. & alii communiter.* † Attamen si nova deauratio accedat, an tunc 6
repetenda sit consecratio, dubitatur? Sunt qui negent apud Laym. *d. l. n. 7.* eo quod major pars consecrata trahat ad se minorem in his quæ inter se uniuntur, & quorum partes seorsum rationem & appellationem non habent. Quod in si-

mili non ideo exsecrata dicatur Ecclesia quia muri ejus pinguntur aut dealbantur. Ideoque sufficere putant, si majoris reverentiæ ergo ob contactum manuum profanarum (potest enim ex causa rationabili laico v.g. aurifabro dari licentia contingendi vasa sacra. *Laym c. l. n.* 19.) aqua benedicta calix abluatur. Quibus addi potest, quod etiam per sacrificium missæ nova sanctificatio tribuatur. *c. de fabrica.* 24. *de Consecr. d.* 1. prout & in corporalibus manibus fœminarum lotis & mundatis accidit, ut postquam iterum desuper celebratum est, non liceat laicis ea attingere, & hæc sententia propter authoritatem DD. & rationes valde probabilis est. Contrariam sententiam quam cum Syl. Armilla, Angelo & Tabiena *in v. Calix.* & Azor. *d. l. q.* 4. aliisque pluribus tenet Barb. *d. l. n.* 38. in praxi receptam testatur ipse Laym. *c. l. n.* 6 ex eo quod in calice principalis pars non consideretur ex quantitate materiæ, sed ex immediato contactu Corporis & sanguinis Domini, quæ proinde, si nova non consecrata accedat, consecranda erit. Ad rationem contrariam respondeti potest, quod quidem major pars consecrata trahat ad se minorem, nisi minor sit pars principalior. Attamen stante hac ratione difficile videtur eum Sylv. *v. Calix n.* 2. & alios sustinere, quod per abstersionem auri non execretur calix, tanquam parte principali pereunte, nisi subtiliore distinctione inter partem *principalem*, & *majorem* inventa dicamus, consecrationem quidem perire per interitum partis *majoris* utpote ex qua totum suam formam amittit, non autem semper (nisi fortassis aliter in jure cautum sit) per interitum partis *principalis*, quæ si non sit simul pars *major* in ratione quantitatis non immutat formam totius, in quo propterea consecratio adhuc conservatur.

7 Præterea etiam Campanæ Ecclesiarum benedicuntur & Chrismate unguntur, ut sono quasi sacrato ad laudes divinas convocetur populus, repellantur hostes & dæmones, incantationes magicæ, fugentur noxiæ tempestates. Si hæc rident hæretici, irrideant Deum ipsum ait Durant *de Ritibus Eccles. lib.* 1. *cap.* 22. *numer.* 4. qui *numer.* 10. præcepit populo: *plangetis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri, coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum.* Sed hæretici extra Ecclesiam ejecti & Satanæ traditi (teste Augustino *in cap. omnes,* 32. 11. *quæst.* 3. *sicut enim in Ecclesia Christus, ita extra diabolus est*) facile deponunt arma spiritualia, pulsare negligit, quos quieto jure possidet, fœdus his potius, quam colluctatio est cum Apostolo *ad Ephes.* 6. *Adversus insidias diaboli, adversus Principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Vere illi nequam spiritus quondam cœlestes, principes dæmoniorum *Matth.* 12. 24. rectores tenebrarum harum & exilii nostri, qui in nos exules filios Evæ tantam potestatem exercent, ut ad oculum (nisi nosmet in nostrammet perniciem cæcutire velimus) nobis quotidie monstrant magi incantatores, energumeni sive obsessi, peccatores in interitum temporalem & æternum ambulantes. Sed & *Crux Christi pereuntibus stultitia, nobis autem qui salvi fimus, Dei virtus est.* In fide quidem resistitur diabolo 1. *Pet.* 5. Sed in fide observante mandata Dei, *Matt.* 19. *Epist. Joan. c.* 3. *in fine,* in fide, *cum bona conscientia* 1. *ad Tim.* 1. 18. in fide, *crucifigente & mortificante carnem cum vitiis & concupiscentiis, ad Rom. cap.* 8. *ad Gal.* 5. 22. *ad Colos.* 3. in libertate vocati sunt Christiani, *sed non in libertatem carnis, d. cap.* 5. *ad Gal.* in fide, dedita orationi & jejunio. *Matth.* 17. 20. *Marci* 9. 28. in fide, *non diligente mundum, neque ea quæ in mundo sunt, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & ambitionem spiritus, quæ non sunt ex parte* 1. *Joan.* 2. in fide, *quæ Ecclesiam audit ut Matrem,* alias non fides, sed infidelitas est, *Matth.* 18. 17. qualem fidem non habeant hæretici, seipsos probent & judicent.

8 Vestes quoque sacræ & paramenta ad sacrificium Missæ deservientia benedici debent, ut tanto cum majori reverentia divinum sacrificium peragatur. Amittunt hæc paramenta suam benedictionem, si eorum forma mutetur, ut si ex stola fiat manipulus, ex alba amictus &c. quia singulis paramentis speciales benedictiones sunt accommodatæ. Item si adeo lacerentur, ut ad usum sacrum deservire amplius non possint, quo casu fragmenta potius comburi, quam ad usum vere profanum applicari debent. *Ugolinus de potest. Episc. c.* 32. §. 1. *n.* 6. Si laceræ vestes ex materia non consecrata reficiantur, dummodo materia hæc sit in minori quantitate, participat de consecratione majoris partis *arg. c.* 3. *de Cons. Eccl.*

9 Demum Consecrationes & benedictiones altarium, calicum, campanarum & reliquorum paramentorum ordinario jure quidem Episcopis competunt, nihilominus ex privilegio & communicatione privilegiorum etiam inferioribus Prælatis competere possunt. Deinde consuetudine multorum locorum recepta videtur sententia Glossæ *in Clem. attendentes de statu mon.* quod generaliter Prælati habentes usum infulæ & baculi consecrationes præfatas facere possint. Si enim tales Prælati possunt dare minores Ordines, & alias ordo Episcopalis secundum Theologos essentialiter non differat ab ordine sacerdotali, imo plus sit consecrare Corpus Domini, quam altare, calicem, &c. non est adeo inconveniens, ut vel per privilegium vel per consuetudinem saltem immemorialem alius etiam actus Ordinis Episcopalis sacerdotali acquiri possit.

Ex eadem quoque consuetudine passim videmus Abbates exercere consecrationes etiam pro aliis Ecclesiis quam suis. Ad declarationes autem Cardin. quæ in contrarium emanarunt, dici potest, eas usu receptas non esse, vel loqui tantum de jure utendi Pontificalibus & benedicendi vestes competenti ex privilegio speciali non ex consuetudine generali, sicut etiam notavit Pasqual. ad Laur. de Franch. *de Controv. inter Episc. & Reg. p.* 2. *q.* 28. *n.* 3.

Sed & illud notabile est, quod docet Laym. *in qq. Can. de Præl. elect. &c. q.* 219. quod Abbas ex privilegio Apostolico (idem si ex consuetudine) semel habilitatus ad faciendas consecrationes pro sua Ecclesia tantum, possit eas etiam facere pro aliis Ecclesiis, si ab Episcopo ei committatur. Adest enim potestas delegandi ex parte Episcopi, & capacitas exequendi ex parte delegati. Illa autem restrictiva clausula privilegii, *pro sui Ecclesiis tantum*, intelligitur, ne faciat pro alienis authoritate propria, sicut nec Episcopo cujusvis privilegii prætextu in aliena diœcesi pontificalia exercere permittitur sine licentia Ordinarii loci, *Trid. s.* 6. *de refor. cap.* 5.

C A P U T IV.

De Reconciliatione Ecclesiarum pollutarum.

S U M M A R I A.

1 *Quando Ecclesia censeatur polluta.*
2 *Cur tantum ob sanguinis & seminis effusionem, & non alia delicta, Ecclesia polluatur.*
3 *Quid faciendum si Ecclesia polluatur per sepulturam infidelis, hæretici &c.*
4 *An sepultura catechumeni, vel infantis non baptizati Ecclesia polluatur.*
5 *Cur locus sacer potius censeatur pollui, per sepulturam pagani &c. quam decedentis in notorio peccato.*
6 *Pollutio Ecclesiæ fit per omne homicidium injuriosum in ea perpetratum.*
7 *An polluta censenda sit Ecclesia, si intra eam bannitus occidatur?*
8 *Quid sit sentiendum de sacrilega occisione viri sancti intra Ecclesiam?*
9 *Non per mortem, sed per injuriosam occisionem intra Ecclesiam factam, polluitur Ecclesia.*
10 *Per quam vulnerationem censeatur pollui Ecclesia.*
11 *Quando per voluntariam seminis humani profusionem polluatur Ecclesia, & quid de copula conjugali sentiendum?*
12 *Si effusio sanguinis vel seminis fiat tantum in parte vicina Ecclesiæ v. g. sacristia &c. non censetur polluta Ecclesia.*
13 *Qui sint effectus pollutionis.*
14 *Quid faciendum sacerdoti, si durante missa contingat pollutio?*
15 *An per solam missam reconcilietur Ecclesia?*
16 *An Episcopus possit dispensare, ut ante reconciliationem legantur missæ.*
17 *An inferior Episcopo possit reconciliare.*

Ecclesia pollui dicitur, quando certæ quædam actiones turpes indecentes & loco sacro injuriosæ (quas mox enumerabimus) in ea committuntur. Non possunt quidem 1
revera & physice sancta à profanis & turpibus coinquinari. *c. vestra. de Cohab. Cler. & Mul.* quia tamen domum Dei decet sanctitudo, morali hominum existimatione indecens reputatur ut hostia immaculata & divinum officium offeratur in loco sceleribus contaminato, antequam aliqua ejus loci expurgatio fiat.

Censetur autem pollui Ecclesia 1. Per sepulturam infidelis vel etiam fidelis excommunicati aut hæretici. 2. Per homicidium aut sanguinis injuriosam effusionem. 3. Per effusionem seminis. † Dices, quare præter sanguinis & seminis effusionem (de sepultura quæremus paulo inferius) & non etiam ob alia delicta in Ecclesia patrata v.g. furtum sacrilegum, blasphemiam, perjurium &c. polluitur Ecclesia? Vix dari aliam rationem quam quod peculiariter circa enumerata delicta ita ab Ecclesia statutum sit, cum Valentia, Vasq. & 2

alii

aliis putat Sanch. *de matrim. lib. 9. d. 15. n. 4.* & sequitur Barb. *de offic. Episc. alleg. 28. n. 21.* Sed ignoscent tanti viri, si non sequar tam facile confugientes ad Leg. *non omnium ff. de LL.* quin potius existimo eam fuisse rationem Ecclesiæ sic statuentis, quod hæc duo crimina scilicet sanguinis & seminis effusionem præ cæteris vitiis semper sacræ paginæ à ministerio divino exclusarint, effusionem quidem sanguinis, quod contrarietur Mansuetudini Christi, qui nullius sanguinem, sed suum innocentissimum pro nobis effudit: effusionem autem seminis, quod contrarietur immaculatæ hostiæ & Virgineæ proli. Si hæc ratio displicet, rogo mihi assignari aliquam, cur Clericus potius ob homicidium vel mutilationem reddatur irregularis, & non ob aliud quamvis gravius delictum? Cur à celebratione vel sacra communicatione potius ob effusionem seminis, quam aliud peccatum abstinendum sit? & cur etiam in veteri testamento quoad utrumque casum Judæis fuerit præceptum à sacris abstinere.

3 Igitur I. polluitur Ecclesia per sepulturam infidelis, vel hæretici aut excommunicati: Ejus cadaver exhumari (dummodo ab aliis dignosci possit) & Ecclesia vel Cœmiterium reconciliari debet, nec prius aliquis etiam Catholicus ibidem sepeliri, vel sacra fieri possunt. *c. Ecclesiam 27. & seq. de Consec. d. 1. c. consuluisti 7. de Cons. Ecc. vel alt.* hodie tamen post Concilium Constant. & Extravag. Martini V. *ad evitanda scandala.* nisi excommunicatus fuerit denunciatus aut notorius percussor clerici, probabilius non polluetur Ecclesia. Quidquid enim sit, an talis excommunicatus non denunciatus possit sepeliri in loco sacro (de quo diversas opiniones referemus inferius *in p. 4. de sepulturis*) si tamen de facto sepultus fuerit, magis est, ut dicamus non pollui Ecclesiam, quia quoad hoc punctum non agitur de favore excommunicati, sed Ecclesiæ & aliorum fidelium, qui juxta d. Concil. Constant. non debent divinis officiis privari ob communionem cum excommunicato non denunciato.

Idem quod de excommunicatis non denunciatis, etiam de hæreticis servandum docet Nav. *Consil. 10. de hæret. & in tract. de orat. & hor. Can. c. 21.* quæ sententia pro usu nostræ Germaniæ deservit, ubi cum hæreticis impunis est communio. Imo in novissimo bello Turcico auxiliares Copiæ à Principibus Acatholicis transmissæ, hoc expresse in pactum deduxerunt, & ab Ecclesiasticis potestatibus desuper consensum impetrarunt, ut milites Acatholici defuncti in Cœmiteriis Catholicorum (ubi propria Lutheranorum non adessent) sepelirentur. quod ob casum magnæ necessitatis ad obtinendum illud militare subsidium, & quia non fuit petitum in contemptum fidei Catholicæ, sed potius ob honorem humanum, toleratum fuit.

4 Per sepulturam etiam Catechumeni & infantis Christiani non baptizati pollui Ecclesiam tradit Zoes. *ad tit. decret. de Consec. Eccles. n. 13.* sed Ugolinus *de potestate Episc. c. 29. §. 5.* excipit Catechumenos, qui cum vi charitatis conjuncti nobis sint, & separari in sepultura non debeant. Infantes Christianorum non baptizati licet ex usu Ecclesiæ in locis sacris non summlentur, si tamen de facto contingeret sepeliri, putarem probabiliter dici posse, non pollui locum sacrum, quia ad hanc rem non habetur alius tex. quam *c. Ecclesiam de Consec. d. 1.* quod non loquitur de tali infante sed de vero pagano & infideli, in pœnalibus autem & odiosis termini sunt propriissime accipiendi. Nec est eadem rationis paritas, quia infideles & pagani veri formaliter detestantur fidem Ecclesiæ ejusque hostes sunt, at infantes Christianorum magis fidem & personam parentum repræsentant, in quorum fide etiam baptizantur, & quia ad Baptismum ex fide & intentione parentum destinati sunt, non video, cur magna irreverentia ex eorum sepultura loco sacro irrogatur, sicut de Catechumeno dictum. Nec etiam obstat, quod baptismus sit janua ad Ecclesiam, & ante Baptismum nemo sit intra Ecclesiæ gremium recipiendus. Nam ex hoc plus non convincitur, quam quod infantes non baptizati non sint in Ecclesia sepeliendi, non autem statim sequitur, quod ex eorum sepultura Ecclesia polluatur: certe etiam omittentes paschalem confessionem decedentes in peccato notorio excluduntur à sepultura, & tamen sepulti de facto non polluunt locum sacrum, quia id in jure expressum non est.

5 Sed *quæres*, cur potius pagani, excommunicati, hæretici sepultura polluitur locus sacer, quam ex sepultura decedentis sine annua confessione, vel in notorio peccato &c. ℟. Præter authoritatem Canonis sic statuentis, si non convincentem saltem congruentem rationem posse assignari, quia pagani & excommunicati aut membra Ecclesiæ non sunt, aut si fuerunt, resecta & separata sunt, & propterea sicut in vivis sine irreverentia inter divina officia tolerari non possunt, ita nec post mortem, juxta vulgarem regulam: *quibus non communicamus vivis, nec communicemus mortuis, c. sacris de sepult.* At verò reliqui peccatores utcumque graves non censentur à divinis vel ab Ecclesia exclusi, ejus membra permanent quamvis arida, & sicut in corpore physico membrum aridum per nervos & pellem reliqui corporis sustinetur, nec non aliquali saltem calore fovetur, ita etiam isti peccatores adhuc de corpore Ecclesiæ ejusque meritis & suffragiis aliquod fomentum participant. *Covar. in relect. c. alma mater. de sent. excom. in 6. in princ. n. 7. & in § 6. n. 3.*

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

II. Polluitur Ecclesia per omne homicidium injuriosum in Ecclesia quocunque modo etiam per suffocationem aut occisionem suipsius factum *c. proposuisti de Consecr. Eccles. & gl. in c. un. Eod. in 6.* dico *injuriosum*, unde per homicidium vel casu vel causa defensionis vel ab amente aut infante factum non censetur fieri pollutio, quia cum non sit delictum in occidente, non videtur fieri irreverentia Ecclesiæ. volunt tamen DD. cum Barb. *de offic. Episc. p. 2. alleg. 27. n. 15.* quod sicut Clericus & sacerdos qui templum Dei spirituale est, ex homicidio casuali ubi culpa intervenit, item & ex homicidio necessario, si modus inculpatæ tutelæ excedatur, pollutus & irregularis censetur, ita etiam templum materiale ob homicidium culpabile (quamvis non dolosum) reconciliatione indigeat. 6

Quid, si in generale bannum declaratus, in cujus vitam potestas omnibus data sit & quidem sub promissione præmij, in templo ab aliquo occidatur? Polluta censebitur Ecclesia, licet enim respectu personæ occidentis & occisi tale homicidium supponatur licitum & non injuriosum, est tamen injuriosum respectu loci sacri, sicut de alio malefactore juste condemnato & in Ecclesia promerito supplicio affecto tradit Zoes. *ad tit. de Cons. Eccl. n. 5.* Barb. *d. l. n. 15.* Obiter hic adnotandum est, quod etiam monet Mol. *de I. & I. tr. 3 d. 7.* raro & nonnisi ob gravem causam licere dare publicam potestatem cuilibet occidendi reum, tum ob alia incommoda, tum quod tales rei Sacramentis destituti in corpore & anima pereant, quod utique Christianæ mansuetudini repugnat, ideo etiam data potestate à magistratu fori externi non videtur facile ejus usus in conscientia & foro interno admittendus, nisi ex vita malefactoris proscripti quotidianum periculum Reipub. immineret, tunc enim publica salus ab occisionis peccato sicut in quocunque hoste excusaret. 7

De occisione alicujus Sancti & justi viri in Ecclesia etiam quæritur an exinde polluatur Ecclesia? Affirmativa magis legitur apud Authores, eo quod licet sanguis sanctorum Martyrum consecret potius, quam fœdet Ecclesias *tex. in c. fundamenta. de Elect. in 6.* ipsa tamen nefaria & sacrilega actio occidentis Ecclesiæ injuriosa est *gl. in c. un. de consecr. Eccles. in v. sanguinis. Zoes. d. l. Vall. Eod. tit. n. 5.* Ait tamen Gl. in fin. locum ubi sanguis effusus est, non esse in reconciliatione abluendum. 8

Cæterum non polluitur Ecclesia si quis morbo correptus, aut extra Ecclesiam vulneratus in eadem moriatur. Non enim ipsa mors per se irreverentiam infert Ecclesiæ, sed causa sive occisio in ea facta. 9

Quid autem dicendum, si quis in Ecclesia existens foris prætereuntem vel è converso foris existens stantem in Ecclesia jaculo conficiat? Communius receptum est, ut posteriore tantum casu, quo consummative homicidium in Ecclesia contigit, censeatur polluta Ecclesia, non priori, in quo non proprie verificantur textus Canonici. *c. un. de consec. Eccles. in 6. c. tantum. de privil.* qui in pollutione Ecclesiæ loquuntur de morte aut sanguinis effusione in ipsa Ecclesia contingente. *Zoes. d. l. n. 6. Barb. d. l. n. 26.*

III. Non solum per mortem sed etiam per vulnerationem injuriosam, ex qua sequatur sanguinis humani effusio; Quod verbum *effusio* communiter DD. interpretantur de copioso fluxu sanguinis, unde concludunt non sufficere paucarum guttarum destillationem, vel si ex inflicto pugno ex naribus sanguis profluat (nisi ex gravibus verberibus id accideret) neque sola percussio quamvis gravis satis est, sed sanguis sequatur necesse est, quia de sanguinis tantum effusione textus Canonici loquuntur, qui in materia pœnali ultra propriam verborum significationem extendendi non sunt. Non tamen requiritur ut sanguis ipsam Ecclesiam contingat, dummodo intra Ecclesiam effusus, licet in vestimentis absorbtus vel in vasa collectus sit. *vide Barb. d. l. Navar. in man. c. 27.* 10

IV. Polluitur Ecclesia per voluntariam seminis humani profusionem sive cum, sive sine complice factam, dummodo ea notoria & saltem per famam aut opinionem hominum publicata sit, non autem sufficit si v. g. solus Parochus ex confessione sciat vel aliqui tantum ex parochianis, penes quos non sit periculum divulgationis. *Sa v. Ecclesia n. 19.* 11

Quid de copula conjugali in Ecclesia facta dicendum? Ratio dubitandi est, quod *c. si motum. de consecr. d. 1. & c. significasti. de adult.* solum loquatur de profusione seminis illicita & adulterina, in pœnalibus autem termini sint stricte accipiendi,

ut pro negativa sententia argumentatur Pont. de matrim. *lib. 10. c. 10 n. 13. Sa. d. l n. 14.* Nihilominus apud authores receptius est pollui Ecclesiam, propter irreverentiam, quæ per talem actum loco sacro infertur, ad eum modum, quo superius de executione facta in Ecclesia contra juste condemnatum ad mortem diximus. *gl. in c. un. in v. seminis. de Consecr. Eccles. in 6. Navar. in Man. c. 27. n. 252. Sanch. de matr. lib. 9. disp. 15. n. 7.* posset vero contraria sententia obtinere in casu necessitatis, quo conjugati ab hostibus v. g. in templo obsessi aut conclusi alium locum exercendi copulam non haberent, & sine periculo incontinentiæ abstinere non possent, quia tunc necessitas facit licitum, quod alias foret illicitum. *Covar. de spons. p. 2. c. 7. §. 2. n. 3. Zoes. d. l. n. 8. Barb. d. l. n. 48.*

12 Est porrò circa has pollutionis species, quæ fiunt per sanguinis aut seminis affusionem advertendum, non pollui Ecclesiam, si vel supra illam in tecto, vel intra eandem in aliqua Crypta, aut juxta eam in campanili vel sacristia (dummodo hæc ab ipso interno corpore Ecclesiæ, quod censetur à tecto interiori usque ad pavimentum, & à porta interna majoris Ecclesiæ, usque ad ultimum parietem internum nullo alio muro intermedio distinctum) pollutio contingat, quia, ut sæpius repetitum, in materia pœnali & odiosa termini sunt strictè accipiendi. *Vid. Fagund. in 5. Eccles. præcepta p. 1. lib. 3. cap. 14. à n. 37. Sanch. d. disp. 15 à n. 21.* Item si pollutio contingat in gradibus Ecclesiæ vel ante januam extra scilicet clausuram portæ internæ. *Barb. d. l n. 20.*

Quod si polluta sit Ecclesia consebitur etiam pollutum cœmiterium tanquam accessorium, non verò è converso, quia accessorium non trahit ad se principale *c. un. de Consc. Eccl. in 6.*

13 Effectus pollutionis est, quod in Ecclesia polluta antequam ab Episcopo per aquam cum vino sale & cinere, benedictam reconcilietur, non debeant sacra vel divina officia fieri, neque mortuus sepeliri. qui tamen de facto hæc faceret, temerario quidem ageret & mortaliter peccaret, nullam tamen irregularitatem vel censuram incurreret. *c. is qui. 18. de sent. excom. in 6.*

14 Si contingeret durante missa pollutionem avenire v. g. per homicidium aut vulnerationem communiter distinguitur, an ante consecrationem vel postea id accidat, ita ut priori casu missa etiam cœpta deserenda sit, non vero posteriori. *Ugol. de offic. Ep. c. 29. §. 7. n. 3. Fagund. d. l. c. 18.*

15 Verum si de facto post pollutionem missa celebrata sit sive bona sive mala fida, jam Ecclesiam propter infinitam virtutem tanti sacrificii haberi pro reconciliata putant *Sa v. Ecclesia n. 19 Castro de lege pæn. lib. 2. cap. ult.* Cui opinioni videtur aliqualiter suffragari tex. *in c. de fabrica. de Consecr. d. 1.* ubi dicitur, aliquando totius Consecrationis sanctificationem per missarum solemnitatem impleri: tutius tamen est vera reconciliatione uti, quam sacri Canones præscribunt. neque enim *d. c. de fabrica.* continet hunc casum, sed juxta communem interpretationem alium, quando nimirum parietes per partes reficiuntur & innovantur. ut priori cap. dictum.

16 Si reconciliatio Ecclesiæ fieri tam citò commodè nequeat, poterit Episcopus ex multorum sententia interim dispensative concedere in ea fieri divina officia; sicut potest in casu necessitatis ad evitandum damnum, spirituale vel temporale in alio jure positivo dispensare. *Sa d. l. Fagund. d. l. c. 14. nu. 2.* Alii vero existimant, non esse facile ad istam dispensationem deveniendum, si interea in aliquo Oratorio cum Altari portatili possint divina fieri. cum sepultura tamē plerumque necessitas exigit dispēsationē, neque alio modo facile evitari potest.

17 Delegare autem reconciliationem alicui sacerdoti simplici Episcopus non posset, quia est actus ordinis Episcopalis, *per tex. expressum in c. aqua 9. de Consec. Eccl.* nisi fortassis is sacerdos alias ex privilegio Apostolico esset habilitatus ad faciendam talem conciliationem, sicut superioribus Fratrum Minorum à Leone X tale privilegium concessum refertur, ut possint suas Ecclesias reconciliare. *Roderiq. tom. 1. reg. qq. 19. art. 6. Henriq. L. 9. c. 27. n. 6.* quo faciunt ea, quæ superius in cap. 3. ad fin. tradita sunt.

C A P U T V.

De Immunitate Ecclesiarum Parochialium.

Cum omninò deceat res ad divinum cultum destinatas, à profanis oneribus esse liberas, ideo hæc libertas immunitas dicitur & rebus ac locis sacris per jura divina & humana tribuitur.

Dividitur autem immunitas in localem, realem & personalem.

§. I.

De Immunitate Locali.

S U M M A R I A.

1 *In quibus consistat immunitas localis, & qui actus profani prohibeantur in loco sacro.*
2 *Quo jure asylum sit concessum, & in quibus consistat?*
3 *An reus ab Ecclesia egressus vel dimissus possit corporaliter a Judice sæculari puniri.*
4 *Quomodo Clerici confugam defendere debeant.*
5 *Judices sæculares reo pœnam corporalem remittere tenentur, & quid si recusent?*
6 *Reus propria sponte Ecclesiam egrediens suo privilegio renuntiasse videtur.*
7 *Si crimen confugientis ad Ecclesiam sit mixti fori, datur locus præventioni.*
8 *An Judex prohibeatur custodire reum, ne clam aufugiat, & unde alimenta ei subministranda?*
9 *Quid faciendum, si reus Ecclesiastica immunitate non gaudeat?*
10 *Quinam censeantur indigni immunitate Ecclesiastica?*
11 *Consuetudo in materia immunitatis attendenda est.*

IMmunitas Localis in duobus consistit, primum, ut actus 1 profani & sæculares ab Ecclesiis arceantur. Deinde ut malefactores confugientes ad Ecclesias ibidem in vita & membris protegantur. Igitur imprimis in Ecclesiis & Cœmiteriis omnes negotiationes, nundinæ profanæ, societatum conventiones & consilia sub pœna arbitrio ordinarii infligenda prohibentur. *c. 2. de Immun. Eccles. in 6.*

Specialiter verò ab Ecclesiis arcentur contentiones & sæcularium judiciorum strepitus, adeò ut totus processus judicialis, & ipsa etiam sententia in loco sacro lata ipso jure nulla sit *d. c. 2. §. ordinarii.* Maximè autem immunitati Ecclesiarum repugnat, si sanguinis forum efficiatur & absurdum ac crudele inquit Pontif. *in c. cum Ecclesia 5. d. 4.* ibi judicium sanguinis exercere, ubi est tutela refugii constituta, undè *in eod. cap. 5.* præter nullitatem processus etiam excommunicationis pœna jubetur inferri illis, qui causas criminales in Ecclesiis vel Cœmiteriis agitant.

Præterea Comœdiæ profanæ & ludi theatrales, choreæ & convivia & similes actiones prorsus à locis sacris excludendæ sunt. *c. cum decorem 12. de vita & honest. Cler.*

Denique Concil. Trid. *s. 22. in decret. de observ. & evit. in missa.* statuit musicas eas, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, profana colloquia, deambulationes, strepitus & clamores prohiberi, ut domus Dei vere domus orationis videatur. meritò etiam Gloss. *in c. odi. 24. q. 1.* invehitur in scholasticos & alios, qui intrant templa videndarum mulierum causa, cum potius deberent oculos & mentem ad Deum dirigere.

De Asylo Malefactorum.

UT Ecclesiæ in majori reverentia & veneratione habean- 2 tur hoc singulare privilegium non tantum in sacris Canonibus sed etiam legibus Imperatoriis *l. 1. C. de his, qui ad Eccles. confug.* iis est concessum, ut malefactores regulariter quoscunque (nisi speciali jure fuerint excepti) in suam protectionem recipiant.

Porrò hæc protectio in duobus consistit. I. quod confugientes ad Ecclesiam violenter per judices sæculares abstrahi nequeant, & contra facientes incidant in excommunicationem reservatam. *Bulla Greg. XIV. cum alias Quar. in summa Bull. v. casus reservati.* 2. quod Rectores & Clerici Ecclesiarum debeant servare vitam & membra talium malefactorum, ii qua pœna aliqua corporali affici non debeant, sed pœna tantum pecuniaria vel Ecclesiastica, utque Civiliter refarciant partibus damna, quæ intulerunt. *c. reum 17. q. 4. inter alia 6. de immun. Eccles.*

Verum non est satis expeditum, an reus postquam ab Ec- 3 clesia egressus vel dimissus fuerit, possit à Judice sæculari in vita & membris pro merito suo puniri? negat Gl. *in d. cap. reum in v. vel ad mortem.* Panorm. *in d. c. inter alia n. 9.* eo quod reus hoc ipso, quod intra Ecclesiam se receperit, consecutus fuerit impunitatem. Alii econtra cum Henr. Zoes. *ad tit. Decretal. de immun. Eccles. n. 38.* existimant, hanc immunitatem præcise cohærere loco, & reum tamdiu esse impunem, quamdiu in Ecclesia perseveraverit.

Utraque sane opinio patitur suas difficultates, prior trahit post se malos effectus, si enim quilibet homicida aut malefactor ex hoc solo impunis evaserit, quod vel modicum ad Ecclesiam confugerit, quot erunt impunita delicta, & quam audaces evadēt delinquentes. Ex altera necessario cōsequetur alte-

alterutrum, ut vel sine fructu futurum sit Ecclesiarum privilegium, vel certe ipsis Ecclesiis onerosum, si delinquentem sine periculo vitæ dimittere, vel sine magno incommodo & quidem toto vitæ tempore reservare non possent.

4 Quare verbis Canonum & legum diligentius inspectis Dico I. Rectoribus Ecclesiarum incombere servare vitam & membra confugæ, quod fiet, si pro ipso studeant apud sæculares Magistratus impetrare veniam & remissionem pœnæ corporalis. Dico II. Clerici tamdiu debent servare reum, nec eum ad examen vel inquisitionem Judicis sæcularis extradere quam ipse Judex prius etiam jurato de impunitate ejus promiserit: qui si juramentum violaverit, debebit in ipsum excommunicatio fulminari. *c. id constituimus* 36. 17. q. 4.

5 Dico III. Cum hæc sit enixa voluntas Canonum & legum, ne reus ad Ecclesiam confugiens damnum in vita & membris sustineat, ideo Judices sæculares non tantum salva justitia poterunt, sed etiam tenebuntur pœnam corporalem remittere, ne hoc privilegium immunitatis inutile sit reo, aut Ecclesiis onerosum, si eundem tamdiu servare debeant. Si vero Judices de facto recusent, non videtur propterea in eos aliqua censura ferenda, cum jura solum innuant, ut negantibus impunitatem, negetur etiam rei extraditio; Et si inferior Judex recusarit, apud superiorem ejus instandum erit per rectores Ecclesiarum, utpote quibus absolute injungitur, ut vitam confugientis obtinere studeant. Imo non videtur facile acquiescendum promissioni alicujus inferioris Judicis, qui ex consuetudine vel privilegio & jure regalium jus aggratiandi sive remittendi pœnam ordinariam non haberet, sed protinus superior ejusdem adeundus foret, quod si judex de facto aliquem dolo sub promissione impunitatis & multò magis si per violentiam extraxerit, debet ei servari fides, aut Ecclesiæ restitui. *Cov. var. res. lib. 2. cap. 2. n. 16. in fin. Farin. de immun. Eccles. n. 301. Barb. in Collect. ad d. c. inter alia n. 34. Clarus lib. 5. sent. cap. 30. n. 1.*

6 Dico IV. Si reus propria sponte Ecclesiam egrediatur, videtur ultro deserere hoc locale privilegium, innuunt illa verba *in d. c. id constituimus. Si ipse reus de Ecclesia discesserit, à Clericis non quæratur.*

7 Dico V. Si crimen, ob quod reus ad Ecclesiam confugit, sit *mixti fori*, locus erit præventioni inter sæcularem & Ecclesiasticum judicem, prout alibi in Thes. de foro Comp. c. 3. §. 5. diximus, præsertim hoc casu ubi alias non pœna corporalis sed Ecclesiastica vel pecuniaria ob privilegium immunitatis est reo infligenda. Quod si Judex sæcularis causam præoccupaverit, aut mere civilis sit (ut si debitor obæratus ad Ecclesiam confugerit) & reus non fidat personaliter, etiam habita impunitatis promissione, coram Judice comparere, poterit in Ecclesiis remanens agere per procuratorem, & si nec hunc destinarit, procedetur per decreta immissionis in bona ipsius, sicut & alia executio tum ad obtinendam satisfactionem laesorum, tum ad pœnam, contra bona fiet. *l. præsentis. C. de his, qui ad Eccles. confug.*

Quod si defacto reus vel ab Ecclesiastico Judice vel à sæculari pecuniariter punitus Ecclesiam egressus fuerit, non poterit postea amplius de eodem crimine accusari & puniri: ut per Gloss. *in d. c. reum* & Pan. *in cap. 6. de immun. Eccles. nu. 9.* ubi non immerito conqueritur, hoc frequenter à Judicibus sæcularibus violari.

8 Dico VI. Non quidem prohiberi posse Judici, si per custodiam militarem animadverti curet in reum forsan clam de Ecclesia elapsurum, interim non posse impediri alimenta reo subministranda, quia hoc modo reus per indirectum ab Ecclesia extraheretur vel in ea fame necaretur. *L. præsenti. C. de his, qui ad Eccles. confug.* Alimenta autem desumenda sunt imprimis ex bonis illius, qui ad Ecclesiam confugit, vel propinquorum ejus, his deficientibus reliqui fideles in Concione vel alio modo commonendi erunt, ut sciant se teneri ex lege charitatis extreme indigenti subvenire, si nemo succurat, Ecclesiæ *c. aurum* 12. *q.* 2. atque Ecclesiasticis, qui tenentur vitam & membra confugientis servare alimentatio incumbet.

9 Dico VII. Si reus sit de illis, qui Ecclesiastica immunitate non gaudet, docet quidem Covar. *var. res lib. 2. cap. 20. sub. n.* 18. reum tali casu per Judicem sæcularem propria authoritate etiam absque licentia Episcopi abduci posse. Verum incognita erat Covar. constitutio Gregor. XIV. *cum alias &c.* ubi statuitur requirendam esse licentiam Episcopi vel ejus vicarii, qui personam aliquam Ecclesiasticam, quæ capturæ intersit, deputet & reum prius ad curiam Ecclesiasticam ejusque carcerem, sub custodia tamen si opus fuerit sæculari, duci debere, atque ibi per judicem Ecclesiasticum inquiri, an revera crimen ab immunitate exceptum commiserit, quo comperto tunc demum sæculari judici plene tradendum esse.

10 Censentur autem indigni Ecclesiastica immunitate publici latrones & nocturni depopulatores agrorum *c. inter alia de immunit. Eccles.* qui spe immunitatis, aut in ipsa Ecclesia (etiam alia quam ad quam confugit) deliquit. Privilegium enim meretur amittere, qui abutitur, & indignus est Ecclesiæ patrocinio, qui offendit. *c. fin. d. t.*

Rei in crimine hæresis, vel læsæ Majestatis, item assassini, vel quicunque hominem proditorie & per insidias (id est veneno, à tergo, de nocte aut alias nihil mali metuentem) occiderint. *d. Bulla cum alias.*

De jure quidem Civ. *in Nov. 17. c. 7.* etiam raptores virginum, adulteri & homicidæ quicunque immunitate privantur, sed communior DD. est sententia prævalere in hac materia juris Canonici dispositionem, ubi ultra specialiter exceptos isto jure, omnes reliqui gaudere immunitate dicuntur, quãtùcunque gravia delicta admiserint. *d. c. inter alia Cov. d. c. 20. n. 3.*

Dico VIII. In hac immunitatis materia etiam consuetudinem aliquid operari posse, dummodo non trahat secum inconvenientias & præjudicium Ecclesiarum, quia hæc immunitas magis humani, quam naturalis aut divini juris est, & licet sit ex una parte favorabilis Ecclesiæ, ex altera tamen præjudicat nonnihil Reipublicæ, cujus interest, ne scelera impunita remaneant. 11

Plura hac de re tradita sunt à me de privil. Mon. priv. 8. & prolixe tractat Barb. *Jur. Eccl. univers. lib. 2. cap. 3.* & *Cov. var. res lib. 2. c. 10.*

§. II.

De Immunitate Reali & Personali.

S U M M A R I A.

1 *Qui sint effectus immunitatis realis, & personalis.*
2 *Hæc immunitas quo jure sit fundata.*
3 *Non valet contra hanc Immunitatem ulla consuetudo vel præscriptio.*
4 *Per privilegium S. Pontificis laico potest tribui jurisdictio in res & personas Ecclesiasticas.*
5 *Quomodo collecta Ecclesiis imponenda, & quid de bonis feudalibus sentiendum.*
6 *Sub pœna excommunicationis prohibetur, ne patroni & Advocati Ecclesiarum bona Ecclesiastica usurpent.*
7 *Ecclesia Patronum suum egenum secundum sui status conditionem alere tenetur.*
8 *Patroni muneris est, procurare, ne res Ecclesiæ male alienentur.*
9 *Res & ipsorum Parochorum & Clericorum sunt etiam exemptæ.*
10 *Clerici nonnisi coram Judice Ecclesiastico conveniri, nec huic privilegio renuntiare possunt.*
11 *Quomodo & quando Clericus in Judicio sæculari ad testimonium dicendum vocandus sit?*
12 *Judex sæcularis non potest punire Clericum testimonium falsum deponentem.*
13 *An Clericus coram Judice sæculari reconveniri possit?*
14 *Familia Clericorum etiam gaudet immunitate Ecclesiastica & privilegio fori.*
15 *In causa evictionis Clericus defendere tenetur suum emptorem coram laico.*
16 *Clericus correus in causa civili vel Criminali, coram Ecclesiastico judice conveniendus est.*
17 *Clericus heres laici coram quo judice actiones hereditarias instituere debeat.*
18 *Quid si lis cum defuncto jam contestata fuerit?*

HUjus immunitatis is est effectus, quod res ad Ecclesias parochiales spectantes, & Parochi in personis suis à jurisdictione sæculari eximantur. Hæc quidem materia prolixiorem tractatum exigeret, sed quia libelli parvitas non capit, aliqua tantum principaliora subnotabo, ex quibus Parochus ad defendenda Ecclesiastica jura instruatur. 1

Not. igitur I. Quod immunitas ista, qua bona, & personæ Ecclesiasticæ à jurisdictione sæculari eximuntur non tantum jure Pontificio, & Cæsareo *tt. C. de SS. Eccles. C. de Episc. & Cler. C. de Episc. aud.* sed etiam jure divino statuta sit, ut probavimus in Libello de Priv. Monast. priv. 2. tex. sunt *in c. nimis. de Jurejur. c. quanquam. de Cens. in 6. Trid. s. 25. de ref. c. 20.* late deducit Martha *de jurisd. p. 2. c. 6.* Hinc 2

Not. II. Quidquid de facto practicetur, non valere consuetudinem, sed potius abusum & corruptelam esse, si domini & Magistratus sæculares jurisdictione in Ecclesias & personas Ecclesiasticas exerceant. Nam sicut jus humanum divinum tollere non potest, ita nec consuetudo quæ tantum ab hominibus introducitur, & quidem tanto minus quanto actus contra jus divinum attentari magis sunt peccaminosi. *arg. c. cum tanto de Consuet. c. cum haberet. de eo qui duxit. &c.* & si ad omnem consuetudinem consensus legislatoris (saltem is, qui defacto in jure generaliter ad introducendam consuetudinem datus est) 3

quiritur, quomodo enim alias populus, qui sapet leges præsertim Ecclesiasticas non est, easdem abrogare valeret? Quis credat S. Pontificem in talem consuetudinem consensurum, qui in *c. 1. de consuet.* tollit omnem consuetudinem Ecclesiis damnosam, & in Bulla cœnæ quotannis excommunicationem contra violatores hujus immunitatis fulminat.

Minus præscriptione tollitur hæc immunitas, præscriptio enim utpote privatis competens debilior est consuetudine publica, & sicut Laici jurisdictionem spiritualem possidere non possunt, ita nec præscribere. *c. decernimus. de Judic. cap. 3. de I. R. in 6.*

4 *Not.* tamen III. Quod licet S. Pontif. non possit hanc immunitatem ex toto tollere utpote non tam à se, quam jure divino concessam, sicut tamen potest aliquem laicum ad jus spirituale habilitare (veluti ad jus patronatus quod spirituale est & sine simonia vendi nequit. *c. de jure 16. de jure patr.* omnes laici habilitati sunt) & eidem causam spiritualem delegare. *gl. in d. c. decernimus.* Ita etiam poterit per privilegium saltem in certis casibus Laico jurisdictionem in certas personas Ecclesiasticas tribuere. Non obstante, quod privilegium contra jus divinum dari nequeat, quia non est contra jus divinum, si Laicus sibi vindicet jurisdictionem Ecclesiasticam authoritate Ecclesiastica, sed tantum si jure & authoritate propria & sæculari. Privilegium autem cum facti sit, probandum & exhibendum erit, nisi quod aliquando immemorialitas temporis accedente fama privilegii faciat aliquam præsumptionem.

5 *Not.* IV. Nequidem ex causa publicæ necessitatis v. g. ingruentis belli posse collectari Ecclesias nisi in defectum, ubi laicorum non suppetunt facultates, & tunc non ex authoritate Magistratus sæcularis, sed Ecclesiastici, imo & ipsius S. Pontificis nisi periculum in mora sit. *cap. non minus. c. adversus. 7. de immun. Ecclesf.*

6 *Not.* V. Licet ex non paucorum sententia, si ex bonis antequam ad Ecclesias pervenerint certa quædam & determinata onera vel tributa principibus sæcularibus fuerint pendi solita, ea etiam imposterum solvi debeant, quod res transeat cum cum suo onere. *c. tributum. & seq. 23. q. 8.* extraordinarias autem & arbitrarias collectas Ecclesiis indicere, non erit in potestate Principis.

Not. VI. Si Ecclesia quædam bona in feudum à sæculari domino recognoscat, huic domino directo feudalis jurisdictio reservata intelligitur. *c. ex transmissa. de foro comp.*

Not. VII. Patronos & advocatos Ecclesiarum non posse bona Ecclesiastica usurpare, intercipere, aut in suos usus convertere, nec beneficiatos in perceptione fructuum & redituum impedire, aut in distributione atque applicatione eorundem se ingerere sub pœna excommunicationis & amissionis juris patronatus, ipso facto *Trid. s. 22. c. 11. & s. 25. de ref. c. 9.* atque *in c. præter. 23 de jure patr.* sub pœna nullitatis contractus & excommunicationis (saltem ferendæ sententiæ) prohibetur ne advocati vel patroni Ecclesiarum aut vicedomini jus advocatiæ vel patronatus alienent, Ecclesias aut subditos eorum exactionibus onerent, nisi specialiter antiqui & moderati reditus ipsis fuerint per Episcopum constituti. Nam tempore fundationis potest Episcopus patronis aut eorum liberis moderatum censum de reditibus Ecclesiæ reservare, quia in arbitrio fundatorum esse videtur, an res suas velint omninò libere donare Ecclesiæ, vel cum aliquo onere, dummodo Episcopi approbatio interveniat. *Pan. & DD. communiter in d. c. præterea n. 4. & 5.*

7 Sed & ex ipso jure Patronatus hoc commodum consequitur Patronus, ut egenus & ad inopiam lapsus ab Ecclesia alimenta petere possit, de his tamen quæ supersunt deductis necessariis ad cultum divinum & ministrorum sustentationem. Sed dices, de superfluis tenetur Ecclesia omnes pauperes alere, ergo hoc non est singulare Patroni privilegium? R. Quod Ecclesia debeat abundantius alere patronum quam alios pauperes, & debeat habere rationem status item & familiæ ejus domesticæ uxoris & liberorum, moderate tamen non ad luxum vel superbam ostentationem. Item pauperibus subvenit Ecclesia ex lege Charitatis, patrono ex lege Justitiæ, qui & præterea actionem contra Ecclesiam instituere potest. *tex. Pan. & Barb. in c. nobis 25. de jure Patron. Barb. Jur. Ecclesf. univ. lib. 3. num. 216. & seqq.*

8 *Not.* VIII. Patrono quidem incumbere, ne curam & inspectionem habeat quoad bona Ecclesiastica, ne male alienentur, aut dilapidentur, & siquid in detrimentum Ecclesiæ fieri deprehenderit, nec beneficiatus honesta monitione desistere velit, id Episcopo denuntiet. *c. filiis 31. 16. q. 7.* utque Ecclesiam intra & extra judicium defendat tanquam proprius ejus advocatus, sicut appellatur in *c. cum autem de jure patron.* non tamen debere patronum veram aliquam jurisdictionem in beneficiatum usurpare, neque visitationem aliquam instituere, vel in administrationem Sacramentorum se ingerere. *Trid. s. 24. de ref. c. 3.*

Not. IX. Quod non tantum bona immediate & proprie ad 9 ipsam Ecclesiam spectantia sint immunia & exempta à jurisdictione sæculari, lege divina hanc exemptionem præstante, sed etiam bona ipsorum parochorum & Clericorum. *c. quanquam. de Cens. in 6.* ut etiam in his nulla exactio fieri possit sine causa necessitatis publicæ & cum consensu Magistratus Ecclesiastici. *c. adversus 7. de immun. Ecclesf.* Idemque ad bona patrimonialia (saltem exceptis oneribus realibus, talibus bonis ab antiquo imponi solitis & ad ipsas personas Ecclesiasticas transeuntibus, ne principibus sæcularibus hoc privilegium nimis damnosum sit) extendi Juri conformius est. *arg. c. fin. cum gl. de vita & honest. Cler. c. si quis. de foro. comp. & d. cap. quanquam.* ibi: *personas Ecclesiasticas & res earum*, ubi non distinguitur inter bona, ergo nec nos distinguere debemus. *L. de pretio. ff. de public.* sequuntur etiam bona conditionem personæ, & magis dignum trahit ad se minus dignum. *c. 3. de consecr. Ecclesf.* & quæ Religiosis adhærent Religiosa censentur. *L. quæ Religiosis. ff. de rei vind. vid. Marta de Jurisd. p. 4. cap. 49.*

De Immunitate Personali.

NOt. X. Quod ratione personalis exemptionis Parochus 10 vel Clerici cum ipso viventes & alii coram nullo alio Judice, quam Ecclesiastico regulariter converniri possint cui privilegio, cum non sit personale, sed pro honore totius Ordinis Clericalis concessum, Clerici etiam cum juramento renunciare non possunt, *c. si diligenti. de foro comp.* Neque etiam statutis aut oneribus Laicorum subjacent. *c. Ecclesf. de Constit. c. non minus de Immun. Ecclesf.* non obstat. *c. 2. de immun. Ecclesf.* ubi dicitur neminem per Ecclesiæ nomen à murorum vigiliis excusari, &c. quia intelligitur de magna & communi necessitate ex hostili incursu & obsidione, ut tunc etiam Clerici (saltem ex authoritate Magistratus Ecclesiastici, si periculum moram patiatur, interveniente) per sumptus, vel servos aut famulos suos vigilias murorum procurare debeant. Imo in maxima necessitate & Laicis non sufficientibus, etiam ipsos Clericos ad vigilias & defensionem civitatis (utpote per quam juvantur ipsæ Ecclesiæ & proteguntur personæ miserabiles, adjuvatur proximus, defenditur Patria &c.) teneri docet Pan. *in eod. c. 2. n. 5.* neque ex tali defensione fieri irregulares, nisi propriis manibus & mortem aliter vitare valentes aliquem occiderint. *c. petitio de homicid. clem. si furiosus eod. tit.* interim ad hanc personalem pugnam Clerici absque maxima necessitate non facile, quin potius tanquam Christi milites ad spiritualem, orationes scilicet preces aliaque opera adigendi sunt. *c. reprehensibile c. non pila. 23. q. 8.*

Not. XI. Quod Parochus vel Clericus necessarius pro teste 11 in judicio sæculari non possit à Judice Laico vocari ad testimonium dicendum, sed ordinarius ejus Ecclesiasticus requirendus sit, ut vel jubeat eum in foro sæculari testimonium dicere, vel ipsemet judex Ecclesiasticus depositiones Parochi suscipiat, & clausas judici Laico transmittat. *Gail. pp. Obser. lib. 1. O. 100. n. 16.* in causa autem criminali sanguinis non erit Clericus in testem adhibendus, nisi pro demonstranda rei innocentia. *Farinac. de test. q. 61. n. 57.* nec videtur hic prodesse vel ab irregularitate excusare protestatio, quod non feratur testimonium in ordine ad pœnam sanguinis, quia hæc protestatio est facto contraria, & excusat tantum eo casu, quo aliquis agit ob proprium interesse civiliter contra malefactorem, ne detur occasio deprædandi Clericos, si suos malefactores metu irregularitatis accusare non possent *c. 2. de homicidio. in. 6.* notat quoque Martha *de jurisdict. p. 4. Cas. 128.*
12 † quod Clericus testis falsum deponens coram judice sæculari ab eodem puniri non possit, sed à proprio suo Judice Ecclesiastico. licet generaliter ratione delicti sortiantur quidem etiam Clerici forum in loco ubi deliquerunt. *c. postulasti. & c. fin. de foro. comp.* non tamen coram judice sæculari illius loci sed Ecclesiastico *Cov. pp. qq. c. 11. n. 5.* in causis levioribus ubi juramentum non exigitur, tolerari potest consuetudo, ut Parochus vel Clericus non vocatus sed rogatus testimonium in foro sæculari absque judicis Ecclesiastici authoritate deponat. *Laym. in Theol. mor. lib. 4. tr. 9. c. n. 9.*

Not. XII. Quod licet ex communiori DD. sententia Cle- 13 ricus actor contra Laicum hujus forum sequi debeat; Maxima tamen sit controversia an Clericus coram eodem judice Laico reconveniri possit? Pro affirmativa quam tenet Gl. & Barb. *in cap. 1. de mut. petet.* aliiq; quamplures, facit, quod jus reconventionis non tantum jure Civ. sed & jure Canonum permissum sit, ex causa æquitatis ad abbreviandas lites &

litium

litium sumptus ac molestias. licet verò Clericus jurisdictionem Judicis incompetentis prorogare non valeat. *c. si diligenti de foro comp.* id tamen accipiendum est de prorogatione voluntaria non de prorogatione necessaria quæ fit ex authoritate Canonis. Excipiunt autem Gl. & Barb. *n.* 15. quod Clericus reconveniri non possit in causa criminali etiam civiliter intentata, neque in causa Ecclesiastica, neque si Laicus studio & dolo procurasset in se conventionem, ut tantum Clericum coram judice sæculari reconvenire posset. Econtra pro negativa, quam tuentur citati apud Martham *de Jurisd. p. 4. cent. 2. cas. 107. n. 2.* non parum stringit tex. *in c. fin. de judic.* ubi Ecclesiastici agebant contra Laicos in possessorio & super re ac jurisdictione mere temporali, (teste Gl. *ibid. in v. promulgavit*) coram Judice sæculari, & tamen non poterant coram eodem Judice in petitorio reconveniri. respondet quidem Gl. *in cod. c. fin in v. super proprietate circa fin.* esse differentiam, quod causa conventionis & reconventionis simul tractari debeant, non item causa possessionis & proprietatis. *L. ordinarii. C. de rei vind.* sed profecto hæc responsio minime satisfacit. etenim in *c. 2. &c. cum dilectus de causa poss. & propr.* expressè habetur causam possessionis & proprietatis simul & commixtim posse tractari. Præterea sicut Canones & leges jubent causam conventionis & reconventionis coram eodem Judice terminari *in c. 1. de mut. petit.* ita idipsum jubent circa causam possessionis & proprietatis *in c. 1. de cauf. poss. & proper.* ergo sicut in hoc posteriori casu est exceptio. *nisi actor sit alterius fori*, ut notat Gl. *in d. c. 1. de cauf. poss.* ita quoque in priori.

Unde etiam non convincit, quod causa æquitatis ad minuenda incommoda litium faciat Clericum reconveniri coram Laico Judice; nam hæc eadem ratio stat in causa possessionis & proprietatis, & tamen SS. Can. non tam hanc rationem, quam honorem ordinis Clericalis, ne per jurisdictionem Judicis Laici ad solvendum compellatur, attendunt. prout etiam docet Martha *d. p. 4. Cas. 136 num.* 10. quod expensæ contra temere litigantem Clericum in foro sæculari coram Ecclesiastico Judice petendæ sint. Quod porro dictum est de prorogatione necessaria hoc ipsum in quæstione est, an Canones voluerint in causa reconventionis prorogari jurisdictionem Laici in Clericum, & verosimilius est, quod non; quia non solet prorogari jurisdictio de uno genere jurisdictionis ad totum aliud genus jurisdictionis, de Laicali ad Ecclesiasticam, sed intra idem genus jurisdictionis de uno Judice ad alium. id quod præter exemplum ex *sæpe dict. cap. 2. de cauf. poss. & propr.* etiam satis probatur ex eo; quod licet ob causam quoque delicti necessario & legaliter prorogetur jurisdictio, ut delinquens sortiatur forum in loco delicti *L. 1. C. ubi de crim. agi op.* si tamen Clericus deliquerit in territorio Judicis Laici, non ab hoc, sed à Judice Ecclesiastico illius loci judicabitur, ut omnes DD. fatentur.

Nec multum resistit huic opinioni, quod Clerico actori possit compensatio objici coram Judice Laico tanquam legitima exceptio peremptoria: nam compensatio supponit debitum liquidum, vel quod in continenti liquidari possit, & cum sit inter res fungibiles ejusdem generis v. g. pecuniæ ad pecuniam, vini ad vinum &c. ipso Jure per eam tollitur obligatio & actio. At vero reconventio vel supponit debitum illiquidum indigens sententia & decisione Judicis, vel est circa corpora aut res diversi generis, quæ inter se non contribuuntur vel compensantur, & consequenter debent speciali sententia Judicis imperari, qualis sententia ex defectu jurisdictionis non potest ferri in Clericum. e. g. Clericus petit à Laico equum, Laicus à Clerico fundum vel domum, &c. certe cum equus & fundus ipso jure inter se non compensentur, necesse foret per sententiam Judicis Laici Clerico fundum abjudicare, quod sane satis durum videtur. Quare ponderatis utriusque sententiæ in hac controversia rationibus, ipse opinor hanc posteriorem magis ex jure defendi posse, tamdiu enim stat possessio illius regulæ, quod Clericus coram Laico conveniri (est autem reconventio secunda conventio) non possit usquedum ab ea exceptio jure aliquo expresso monstretur.

14 *Not.* XIII. Juri admodum conforme esse, ut etiam familiares & domestici Parochorum gaudeant hac immunitate Ecclesiastica & fori privilegio, sicut docet Martha *de Jurisd. p. 4. cas. III.* argumento à Scholaribus ducto (tanquam a minori ad majus, cum Clerici ordinarie soleant esse magis privilegiati) quorum nuncii & famuli gaudent eorum fori privilegio, *auth. habita C. ne filius pro patre.* Idem dicit Bald. *in l. 1. C. ne uxor pro marito.* de servis necessariis & scutiferis militum. solet autem alias tolerari argumentum à militia armata ad spiritualem.

Attamen hanc sententiam Judices sæculares non semper observant, qui famulos delinquentes Clericorum ad suum forum trahunt. Verum circa hanc praxim recte monet Paul. Laym. *in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 4. n. 10.* non posse aliqua consuetudine rationabiliter introduci, ut Judices vel lictores per vim sine licentia Parochi vel Judicis Ecclesiastici domum Parochialem ingrediantur & inde fæminam aut famulum extrahant. injuriosum est enim per vim ingredi domum alienam, in quam non est jurisdictio. *§. sed & lex. 8. inst. de injuriis.*

Deinde & illam consuetudinem reprobat Laym. *c. l.* ex qua petuntur per Judices sæculares à Clericis expensæ factæ in captura mulierum suspectarum, tanquam qui hujusmodi expensis causam dederint: quia expensas solvere nemo tenetur, nisi prius à legitimo Judice citatus, auditus, & condemnatus, & Clerici dant quidem causam capturæ remotam, non autem proximam, proximam enim dicitur dare, qui instat & petit capturam.

Not. XIV. Quod in causa evictionis probabilius sit, Parochum vel clericum venditorem teneri suum emptorem Laicum, si ipsi super re empta lis moveatur, coram Judice sæculari defendere. *juxta reg. Leg. venditor ff. de Judic. Cov. pp. qq. c. 8. nu. 2. Gaill. 1. O. 37. n. 7.* nam tali casu Clericus non est reus principalis, sed rei defensor, & sicut alias potest Clericus in foro etiam sæculari pro se & conjunctis ac miserabilibus personis postulare. *c. 1. & fin. de postul.* ita etiam in proposito, censetur enim etiam causam propriam agere, cum ipsius intersit, ne res vendita evincatur. 15.

Not. XV. Quod Parochus vel Clericus correus in causa civili vel socius criminis cum laico nihilominus coram proprio suo judice Ecclesiastico conveniendus sit *Martha d. p. 4. c. 118. Menoch. de arbitr. cas. 37 c. n 12. Cov. pp. qq. c 34.* 16

Not. XVI. Quod, si Parochus vel Clericus sit heres Laici, tunc imprimis petitio hereditaria vel apertura testamenti debeat fieri coram Judice Laico teste Covar. *pp. qq. c. 8. n* 1. de cætero autem actiones passivæ hereditariæ instituendæ sint coram Judice Ecclesiastico contra heredem Clericum. *Cov. d. l. n.* 4. quia tamen heres regulariter conveniri potest in loco ubi defunctus potuisset. *L. heres. 19 ff. de Judiciis.* Ideo heres Clericus declinare quidem potest Judicem Laicum, sed non Ecclesiasticum illius loci, ubi defunctus respondere debuisset. *Joan: Hon. ad tit. decret. de foro comp. n* 17. 17

Quid autem, si lis jam fuerit in Judicio sæculari contra defunctum cœpta, anne Clericus hæres eandem in eodem judicio continuare debebit? non potest quis facile erroris argui, qui alterutram contradictionis partem sequitur, nam affirmantibus & negantibus suæ sunt rationes & authoritates apud Covar. *cit. cap. 8. n.* 3. Panorm. *in c. quia 11. de jud. n.* 11. Bald *lib. 1. Cons* 207. ego aliquando in Thesibus meis *de foro comp. 2. §. 5. n. 4. & 5.* existimavi distinctionis fœdere has contrarias opiniones conciliari posse: ut nimirum affirmativa procedat in actione *reali*, negativa in actione *personali*, & sane de hac distinctione sæpius cogitans, necdum eam erroneam reperi. 18

Ratio vero, quod actio realis contra defunctum Laicum cœpta in judicio sæculari transeat etiam in Clericum heredem, ista mihi videtur, quia tunc Clericus recte convenitur coram Judice laico, quando res quæ petitur est sub jurisdictione Judicis laici, sicut in causa feudali clarum est *c. ex transmissa de foro comp.* sed res in quam actio realis contra defunctum Laicum in foro sæculari instituta est, etiam successore Clerico manet sub jurisdictione Judicis Laici ergo &c. Minor probatur, quia cum litis eventus sit dubius, & per litis pendentiam possessor constituatur in ficta mala fide, ideo actione reali instituta dubium est, an res fuerit defuncti, & consequenter, an in Clericum heredem & jurisdictionem Ecclesiasticam ejus dominium transierit, nemo enim potest plus juris in alium transferre, quam ipse habet. *l. nemo potest ff. de R. J.* jam subsumo, in dubio melior est conditio possidentis, & non debet aliquis in dubio & lite pendente sua possessione privari, sed in nostro proposito Judex Laicus est in possessione jurisdictionis contra defunctum exerceri cœptæ super rem litigiosam, ergo ante decisionem causæ ea privari non debet.

Ex quo tamen non sequitur, quod generaliter actiones reales contra Clericum in foro sæculari institui possint, nam quando res semel in pacificam possessionem Clerici devenit, tunc quantum ad jurisdictionem in eam, possessio stat penes Judicem Ecclesiasticum. Nec etiam obstat, quod pro tali re litigiosa detur Clerico heredi actio & exceptio, & ideo censeatur in ipsius patrimonio & consequenter de foro Ecclesiastico. Responderi enim potest, illam tantum rem esse de foro Ecclesiastico quæ in patrimonio Clerici ab initio pacifice & bona fide recepta est, post litem autem motam & ubi reus conventus in ficta saltem mala fide constitutus

tutue est, non potuit judee laicus possessione suæ jurisdictionis privari.

Ratio posterioris pattis & circa *actionem personalem* est quod principaliter ipsa persona conveniatur, & res quæ petitur, supponatur esse in dominio Clerici, ut si ab ipso petam 100. quos defuncto mutuavi, Clericus debitor est generis, & tenetur suos nummos meos facere, si agam ee vendito, ad tradendum equum à defuncto emptum, ante traditionem Clericus retinet equi dominium. *L. traditionibus C. de pact. &c.* proinde inconveniens videtur, ut actio personalis continuetur in hæredem Clericum, dum Judex Laicus nec in personam quæ convenitur, nec in rem quæ petitur jurisdictionem habet. Quamvis autem *præventio* tribuat jurisdictionem, id tamen procedit in eodem genere jurisdictionis, non verò si fiat mutatio de laicali ad Ecclesiasticam.

CAPUT VI.

De Exactionibus Episcopalibus, quibus Ecclesiæ Parochiales subjacent.

SUMMARIA.

1 *Quæ sint exactiones Ecclesiasticæ.*
2 *Exactio primorum fructuum consuetudine introducta est.*
3 *Quid sit Cathedraticum? ad id tenentur omnia beneficia: non tamen monasteria.*
4 *Quid Charitativum subsidium.*
5 *Causa petendi charitativum subsidium debent esse manifestæ & rationabiles.*
6 *A quibus exigendum charitativum subsidium.*
7 *Pensiones alumnaticas Episcopus exigere potest ab omnibus beneficiis suæ Diœcesis.*
8 *Quid sit Procuratio.*
9 *Quid portio Canonica, & quarta decimarum.*
10 *Potest præscriptione vel consuetudine aboleri.*

1 EXactiones quae Episcopi eb Ecclesiis Parochialibus facere solent hæ sunt. 1. Taxa, anoata, seu primi fructus. 2. Cathedraticum. 3. Charitativum subsidium. 4. Pensio alumnatica vel alii census. 5. Procuratio. 6. Portio Canonica. 7 Quarte decimarum. Videamus de singulis.

De primis Fructibus.

2 HÆc exactio consuetudine magis quam jure fundata est, etenim in *c. un. ut Ecclesiast. benefic. sine dimin. confer.* in Concil. Trid. *sess. 24. de ref. cap.* 14 xperte statuitur, ne in collatione beneficiorum & Parochialium Ecclesiarum aliquid de fructibus subtrahatur, vel aliqua solutio exigatur & quia in d. Concil. etiam quæcunque consuetudines reprobantur, ubi hæc exactio viget, dicendum erit concilium in hoc loco receptum non esse, ut etiam advertit Paulus Laym. *in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. cap. ult. § 5. n. 46.*

De Cathedratico.

3 CAthedraticom est exactio duorum solidorum sive duorum aureorum, qui de reditibus Ecclesiarum Episcopo annuatim persolvendi sunt in honorem, & recognitionem Cathedræ Episcopalis, *c. conquerente 16. & ibi Gl. de offic. jud. ord.* alio nomine hæc exactio etiam *synodaticum* appellatur, eo quod in synodo Episcopali olim persoluta sit: & hodie juxta Canonum consuetudinem in synodis decanalibus persolvatur. Hanc pecuniam (quæ de consuetudine augeri vel minui potest) Episcopus ab omnibus beneficiis suæ Diœcesis petere valet, exceptis monasteriis, quæ regulariter à lege Diœcesana (quæ in recipiendo consistit. *Gl in c. dilectus 18. de offic. ord.*) sicut & propterea à Charitativo subsidio & aliis, ubi non probantur specialiter subjecta, exemptæ sunt, *c. inter cætera 10. q. 1. c. cum pro utilitate 16. q. 1. c. quam sit. 18. q. 2. Barb. de Offic. Episc. alleg. 86. in fin. & alleg. 87. n. 45.*

De Charitativo Subsidio.

4 CHaritativum Subsidium est quædam exactio extraordinaria propter manifestam & rationabilem causam cum charitate à subditis postulata. *c. cum Apostolus 6. de cens.* ubi *prohibemus* inquit Concil. Later. *ne subditos suos Episcopi gravare præsumant, sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta & rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare.* Verum hæc non ita accipienda sunt, quasi subditi pro suo arbitrio dare vel denegare possint charitativum subsidium, sed licet ab initio cum charitate & demonstrata necessitate à subditis peti debeat, ex post facto autem propter eandem necessitatem ex naturali æquitate & jure concedente omnino ad præstandum auxilium obligantur, & per media compulsoria adigi possunt. *Pan. & Host. & communit. alii in d. c. cum Apostolus*, sicut in simili eleemosynam largiri actus charitatis est, in necessitate tamen judex poterit cogere divites ad eleemosynam dandam. *Barb. de offic. Episc. alleg. 87. n. 4.*

Porrò juxta causæ petendi charitativum subsidium, omnes & singulæ in specie exprimi facile non possunt, & textus 5
tantum in genere manifestæ & rationabilis causæ mentionem facit, ideo potissimum in judicio & conscientia superioris positum est, quænam talis rationabilis causa censeri debeat, teste Pan. *in eod. cap. 6. n. 4.* Interim tamen unam vel alteram causam præ cæteris rationabilem referunt DD. ita imprimis à Sacr. Congr. declaratum referunt, novum Episcopum posse propter expensas in sui electione, confirmatione & consecratione factas charitativum subsidium exigere, præterea etiam sufficiens causa petendi charitativum subsidium communiter à DD. reputatur, si expensas fecit Episcopus in causa & negotiis totius Diœcesis, item si debita pro bono communi Ecclesiæ vel totius Episcopatus ab antecessoribus contracta dissolvere velit, si ex causa publica & necessaria ad Papam vel Imperatorem aut Concilium generale vel provinciale venire debeat &c. *Barb. de offic. Epis. alleg. 87. n. 16. & seqq. Tamb. de jure Abb. disp. 10 quæst. 3.*

Exigitur autem Charitativum subsidium tantum à perso- 6
nis Ecclesiasticis ratione suorum beneficiorum, non verò à Laicis ut ex *c. conquerente de offic. ord. ex. cap. 6. & 7. 10. qu. 3.* satis colligitur: licet enim *in d. cap. cum Apostolus* generaliter dicatur, charitativum subsidium à subditis exigi posse, tamen in propria significatione Diœcesani laici non dicuntur subditi Episcopo (scilicet quatenus Episcopo, nisi simul sit Dominus territorialis) quamvis quoad aliqua spiritualia suo foro subiiciantur, ut rectè notat Gl. *in Clem. 1. o. subditos de foro comp.* notanter dici à personis Ecclesiasticis ratione beneficiorum postulari charitativum subsidium, unde Clerici qui beneficium non habent, licet habeant ampla bona patrimonialia vel qui beneficium quidem habent, sed ita tenue, ut præter congruam sustentationem nihil ipsis de fructibus supersit ad charitativum subsidium non obligantur, ut resolvit Navar. de Cens. *Cons.* 5. Barb. *d. l. n. 48. & seq.* ubi etiam istud notabile ponit, quod charitativum subsidium ab antecessore in beneficio petitum & non solutum possit à successore tanquam onus reale & tributum beneficio impositum exigi. *arg. L. Imperatores. 7. ff. de publicanis & vectig.*

De Pensione Alumnatica & aliis.

IN Concil. Trid. *s. 23. de ref. c. 18.* statutum est, ut in qua- 7
libet Ecclesia cathedrali seminarium aliquod erigatur in quo juvenes & adolescentes educentur ac in disciplina Ecclesiastica instruantur, *cum adolescentium ætas* inquit Trid. *d. l. nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfectè ac sine maximo ac singulari DEI omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret.* ad hoc propterea seminarium erigendum, & conservandum poterit Episcopus omnibus quibuscunque beneficiis Ecclesiis suæ Diœcesis (quæ tamen propria seminaria & scholas non habent) certam pensionem imponere ut *in d. c.* 18. latius habetur. Alias præterea pensiones (quæ & census in jure dicuntur) rectè exigit Episcopus, nimirum tempore fundationis aut consecrationis cum consensu fundatorum & ex justa causa Ecclesiæ impositas. *jux. c. præterea 23. & ibi DD. de jure Patron c. quanto de Cens.* item & reservatas in recognitionem beneficii exemptionis, quam Episcopus cum consensu Capituli à sua jurisdictione Ecclesiæ dedit, quod facere potest teste Barb. *de offic. Episc. p. 3. alleg.* 89. prout etiam S. Pontifex eximendo sibi reservat censum aut pensionem *c. constitutus. 6. de relig. dom. c. cum venerabilis. 21. de Cens.* extat verò prohibitio Concilii Late. *in c. prohibemus 7. de Cens.* ne novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, &c. quod potissimum de censu perpetuo accipiendum est, temporalem autem censum ad unum vel plura annos ex justa causa v. g. pro reparatione Ecclesiæ Cathedralis, ad exsolvenda debita, pro alimentatione pauperum scholarium & aliorum ab Episcopo imponi posse credit Barb. *d. p. 3. alleg. 58. n. 3. & 11.*

De

De Procurationibus.

1 PRocuratio nihil est aliud, quàm victus & sustentatio debita Episcopo pro eo tempore, quo Ecclesias suæ Diœcesis visitat, danda ex reditibus Ecclesiarum visitatarum. licet autem Episcopi aliunde largos reditus habeant, ut tamen eo facilius permoveantur ad visitationem Ecclesiarum, jure constitutum est, ut suis sumptibus parcere, & ab ipsis Ecclesiis exigere possint: dignus est enim operarius mercede, & suis stipendiis nemo facile militat.

Circa istas procurationes, primitus quidem constitutum *in c. 1. & 2. de Cens. in 6.* ne earum nomine pecunia visitatori daretur, sed victualia in natura subministrarentur, id tamen ex postfacto Bonif. VIII. *in c. 3. eod. tit.* correxit, & liberem reliquit visitatis, utrum pecuniam aut victualia dare velint, quod ipsum deinde Concilium Trid. *sess. 24. de ref. c. 3.* confirmavit, adjiciens, ut in iis locis, in quibus consuetudo est, ut nec victualia nec pecunia nec quidquam aliud in visitationibus accipiatur, sed omnia gratis fiant, id omninò observetur.

Illud quoque, quod jam priùs *in d. c. 1. & 2. de Cens. in 6* prohibitum erat, repetiit Concilium Trid. ne videlicet ultra procurationes pecunia aut munus quodcunque qualitercunque etiam oblatum à visitatoribus, vel iis quos secum habent, accipiatur, consuetudine quacunque etiam immemoriali non obstante, adeò ut accipiens præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis insuper pœnis à synodo provinciali determinandis multari debeat. Advertit etiam Pan. *in c. procurationes. 23. de Cens. n. 4.* quòd Episcopus sive visitator non possit computare expensas, quas fecit in emendis aut conducendis equis, minus æstimare equos mortuos, vestes detritas &c. cùm tantùm victualia aut eorum æstimationem accipere de jure permittatur.

Cæterùm omnes quidem Ecclesiæ visitatæ (exceptis oratoriis privatis *c. fin. de Cens.* & ex quorundam sententia hospitalibus & similibus piis locis, quorum bona præcisè ad sustentationem pauperum collata sunt *Zerola in praxi Epis. p. 2. v. visitatio. §. 6. dub. 7.*) ad procurationem tenentur, etiam Monasteria nisi speciali privilegio vel consuetudine immunia sint. *Trid. c. 3. c. sopita 14. de Cens.* Si tamen Episcopus una die plures Ecclesias visitaverit, non à singulis singulas procurationes exigere, sed una tantùm procuratione pro illa die sufficiente contentus esse debet, atque ad eam præstandam non una sola Ecclesia gravari, sed etiam reliquæ illa die visitatæ juxta proportionem suorum redituum concurrere debent *per tex. & DD. in c. cum instantia 16. § sanè & c. procurationes 23. de Cens. c. 3. in 6.*

De Portione Canonica, & quarta Decimarum.

2 POrtio Canonica est quarta vel tertia pars (juxta locorum consuetudinem) quam Episcopus de jure Canonum ex omnibus illis, quæ testator Ecclesiis vel piis causis reliquit exigere potest. *c. officii c. requisivisti. de testam.*

Ex iis verò quæ legantur pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, pro anniversario septimo aut trigesimo die sive aliàs ad perpetuum cultum divinum portio Canonica non debetur, dummodo non studio in fraudem Episcopi sub tali titulo relicta sint, quod in dubio non præsumitur, dolus enim probari debet *L. dolum C. de probat. c. fin. de testam.* de donatione quoque facta Ecclesiæ inter vivos non deducitur Canonica portio. *c. de his 4. de sepultur. c. 1. de statu Monach. Barb. de offic. Epis. p. 3. alleg. 86. n. 26.*

De quarta Decimatum sciendum est, quòd tempore primitivæ Ecclesiæ, cùm Episcopi essent pauperes, statutum fuerit, ut de oblationibus Ecclesiæ factis sumerent medietatem. *c. antiquos. 10. q. 1.* & procedente tempore tertiam partem ex fructibus Parochialium Ecclesiarum, cum onere tamen fabricæ, id est, ut illas ruinosas tenerentur reficere. *c. 2. & c. unic. 10. q. 3.* sed jure recentiori tantum concessum est Episcopis, ut de decimis ad Ecclesias parochiales & non ad alias pertinentibus quartam partem sine onere tamen fabricæ accipere possint. *c. conquerente. de offic. ordin. c. de quarta de præscript.* hodie autem magis auctis Episcopatibus istæ quartæ passim in desuetudinem abierunt, & quòd præscriptione tolli possint tex. est *in d. c. quarta* & tradit Barb. *d. alleg. 86. n. 4.*

CAPUT VII.

An & qualiter Bona Parochiarum alienari vel præscribi possint? Item & de Restitutione in integrum, aliisque Ecclesiarum Parochialium juris privilegiis.

SUMMARIA.

1 *Res immobiles & mobiles pretiosæ Ecclesiarum alienari prohibentur.*
2 *Quid per nomen alienationis intelligatur.*
3 *Quis nomine superioris veniat, cujus authoritas in alienatione requiritur.*
4 *Alienatio injusta ipso jure est nulla.*
5 *Bona Ecclesiastica non nisi spatio 40. annorum præscribuntur.*
6 *Ecclesia per præscriptionem vel aliàs intra aut extra judicium læsa, datur beneficium Restitutionis in integrum.*
7 *Quænam alia jura competant parochiis.*

CErtum & indubitatum est de jure, quod omnes res immobiles sive solo cohærentes, sine causa necessitatis, utilitatis, vel pietatis alienari prohibeantur *tit. de reb. Eccles. non alien.* ut prædia, fundi, domus &c. quibus etiam annumerantur jura incorporalia ut jura piscandi, venandi, aliaque jurisdictionalia. *c. 2. de reb. Eccles. non alien. in 6 & clem. 1. Eod.* sicut & census annui; si ex fundatione vel aliunde in perpetuum constituti sint pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ vel ipsius Ecclesiæ conservatione. *Clem. 1. §. cumque annui reditus de V. S.* 1

Item etiam alienari prohibentur Mobilia pretiosa, qualia censentur, quæ sunt de thesauro Ecclesiæ, vel quæ propter pretium, artem aut antiquitatem singularem splendorem Ecclesiæ conferunt: sicut & reliquiæ Sanctorum præsertim ubi perpetuæ sepulturæ mandata sunt. teste Ricc. *p. 1. resolut.* 60.

Nomine autem alienationis intelliguntur imprimis omnes contractus quibus dominium utile vel directum transfertur, ut donatio, venditio, permutatio, feudum & Emphyteusis &c. Deinde etiam omnes contractus, quibus non quidem dominium, sed tamen possessio aut jus percipiendi fructuum ex re Ecclesiastica ad longum tempus transfertur, cujusmodi sunt oppignoratio specialis, ususfructus & elocatio facta ultra triennium. *c. nulli c. ad audientiam. Extravag. ambitiosæ. de reb. Eccles. non alien.* nisi sint res ab antiquo alienari solitæ, quæ etiam ad Ecclesias reversæ (antequam reincorporentur bonis apud Ecclesiam manentibus) denuò sine nova solemnitate alienari poterunt. uti sunt prædia quæ rusticis in feudum vel Emphyteusim sive vitalitium dantur. *d. Extravag. ambitiosæ. & c. 2. de feud.* 2

Nomine verò superioris, cum cujus authoritate alienatio fieri debet. licet *in d. Extravag. ambitiosæ.* tantum veniat S. Pontifex, tamen usu magis recepti sunt antiquiores Canones, ex quibus proximus superior & Ordinarius loci intelligitur. *c. Abbatibus. 12. q. 2. Clem. 2. de reb. Eccles. non alien.* ubi est Gl. notab. quòd etiam Abbates præsertim exempti in Ecclesiis pleno jure sibi subjectis possint authoritatem in alienatione rerum ad dictas Ecclesias pertinentium præstere. 3

Alienatio sine justa causa & superioris authoritate est nulla ipso jure, & res alienata una cum fructibus etiam per ipsum alienantem, restituto tamen pretio saltem quatenus Ecclesia locupletior est facta, repeti potest & debet, atque alienator, & is in quem facta est alienatio sententiam excommunicationis incurrit. *d. Extravag. ambitiosæ.* quia tamen teste Nav. in Man. *c. 27. n. 150. d. Extravag.* non est ubique & quoad omnia recepta, præsertim verò quoad Censuras, quæ scientiam & contumaciam requirunt, ideò magis putarem pœnæ arbitrariæ locum fore, & etiam censuris saltem per sententiam inferendis, si in parendo vel restituendo contumacia appareat. 4

Plura hac de re tradidi in libello de privil. Monast. Privileg. 32. sed quæ ibi de Prælatis dicta sunt, non possunt statim omnia Parochis accommodari, utpote qui longè restrictiorem potestatem habent, & magis in occurrentibus dubiis & casibus ad Episcopum vel ejus Consistorium recurrere debent.

Ad Præscriptionem quod attinet notorii etiam juris est, bona Ecclesiarum immobilia non præscribi nisi lapsu 40. an- 5

annorum

norum *c. illud c. de quarta. de præscript. c. 1. eod. tit. in 6. Nov. III. in princ. Nov. 131. c. 6.* idemque ad res mobiles, (saltem pretiosas & alienari prohibitas) extendendum existimo cum Pan & Host. *in c. 1. de in integr. rest.* si enim res hujusmodi quoad alienationem comparantur immobilibus, planè etiam quoad ad præscriptionem non erunt separandæ. *alienationis enim verbum etiam usucapionem continet. l. alienationis 28. de verb. sign.* non obstat *auth. quas actiones C. de SS. Eccles.* ubi dicitur, quod triennalis præscriptio (quæ est rerum mobilium) etiam contra Ecclesias procedat, nam præterquam quòd authenticæ ab Irnerio ex Novellis transsumptæ, eatenus obligent, quatenus in Novellis reperiuntur, sed *in Nov. 131. c. 6.* ex qua *d. auth. quas actiones* desumpta est nihil exprimitur de triennali præscriptione, sicut posuit Irnerius *in d. auth. quas actiones* & forsan Imper. ibidem dum in initio *d. c. 6. Nov. 131.* generaliter dixit, *pro temporalibus præscriptionibus &c.* præscriptionem decennalem & vicennalem tantùm exempli (quod non restringit sed declarat) causa subjecit: potest etiam responderi quòd constitutiones Imperatoriæ non ligent Ecclesias, nisi quatenus à jure Canonico receptæ sunt, de quo jure nulla fit inter res mobiles & immobiles distinctio saltem si loquamur *de mobilibus pretiosis*, ut dictum.

6 Præterea si Ecclesia ex præscriptione, vel contractu, aut in judicio per omissionem exceptionis, probationis aut appellationis &c. læsa fuerit, datur ei ad instar minoris & pupilli *in integrum restitutio* qua in eum statum reponitur, in quo fuit ante læsionem *c. 1. de in integ. rest. l. un. C. si advers. præscript. l. minorib. C. si tutor vel Curat. interven.*

7 Dummodo petatur restitutio intra quadriennium, quod aliqui præcisè à die læsionis, alii favorabilius pro Ecclesia à die scientiæ seu cognitæ læsionis computant: nisi insuper post diem læsionis 40. anni elapsi fuissent, & sic non tantùm actioni principali, sed & ipsi restitutionis beneficio præscriptum censeretur *vid. Arnold. Rath. in tract. de usucap. cap. 5. assert. 45. Decius in Cons. 62. & verb. vol. 2. Cons. 30. n. 21. Jas. in d. auth. quas actiones.* de hoc restitutionis beneficio etiam dictum est in libell. de privileg. mon. priv. 31. bonis autem Patrimonialibus Clericorum non dari privilegium præscriptionis quadragenariæ aut restitutionis in integrum (nisi Clericus minorennis foret aut in minorennitate læsus & tempora restitutionum scil. 29. ann. nec dum excessisset) quamvis interim talia bona immunitate ex probabiliori sententia gaudeant, notatur apud Marth. *de Jurisd. p. 4. c. 49.* & Dec. *in c. Ecclesia, de constit.*

8 Alia insuper quamplurima privilegia Monasteriis aliisque piis causis competentia etiam Ecclesiis Parochialibus rectè applicantur. quæ in sæpè d. Libello de Privil. Monast. tradita videri poterunt. Ut

I. Quòd aliquis possit cogi ad vendendum domum vel fundum pro erectione vel ampliatione Ecclesiæ vel cœmiterii *pag. 1. & 291.*

II. Ecclesia etiam sæcularis habetur loco filii, & facit deficere conditionem, *si sine liberis &c.* si Clericus bona restitutioni obnoxia velit relinquere Ecclesiæ. *pag. 100 & 307. Barb. jur. Eccles. univ. lib. 2. cap. 13. n. 24.*

III. Ecclesia heres non conficiens inventarium non tenetur ultra vires hereditatis. *pag. 101. & 309.*

IV. Quod relinquitur Ecclesiæ in testamentis non requirit Juris Civ. sollennitates, dummodo constet de voluntate defuncti. *pag. 105 & 311.*

V. Ex legatis & fideicommissis Ecclesiæ relictis non detrahitur Falcidia vel Trebellianica. *pag. 107. & 314.*

VI. Donatio ultra 500. solidos absque insinuatione, item & donatio omnium bonorum facta Ecclesiæ valet, nec revocatur ob ingratitudinem Parochi, vel supervenientiam liberorum ex parte donatoris. *pag. 110. & seqq. & pag. 317.*

VII. Pollicitatio facta Ecclesiæ irrevocabiliter obligat etiam nemine acceptante. *pag. 119. & 320.*

VIII. In Ecclesiam transfertur dominium sine traditione. *pag. 121.*

IX. Delictum Parochi non nocet Ecclesiæ. *c. delictum 76. de R. I. in 6. pag. 122.*

X. Tempore interdicti Generalis possunt in Ecclesia Parochiali fieri divina officia submissa voce & januis clausis, *jux. c. alma mater de sent. excom. in 6. pag. 126.*

XI. Pro Ecclesia est actio popularis. *pag. 128.*

XII. In Processu Edictali prioritas adjudicanda est Ecclesiæ. *pag. 329.*

XIII. Ecclesiæ participant privilegia fisci, libertatis, militum, alimentorum, dotis, minorennium & Reip. dummodo casus sit applicabilis & in jure contrarium non sit dispositum. *pag. 205.*

XIV. Legata Ecclesiæ relicta in multis sunt privilegiata ut *pag. 210.*

XV. Mandatum factum in favorem Ecclesiæ non expirat re integra morte mandantis. *pag. 215.*

XVI. Pactum super viventis hereditate valet in favorem Ecclesiæ. *pag. 216.*

XVII. Pro favore Ecclesiæ tenetur reus edere sua instrumenta. *pag. 219.*

XVIII. Judex in causa Ecclesiæ debet officium suum impertiri etiam non imploratus. *pag. 222.*

XIX. In dubio pro Ecclesia est judicandum. *pag. 223.*

XX. Ecclesia non obligatur ex mutuo nisi probetur versum in ejus utilitatem. *pag. 223.*

XXI. Potest exceptionem non numeratæ pecuniæ etiam ultra biennium opponere. *pag. 224.*

Hæc & alia quoque videri poterunt apud Barb. *Jur. Eccles. univ. lib. 2. cap. 13.* & Tiraquell. *in tract. de Privileg. piæ causæ.*

P A R S II.

De Parochis, eorumque Institutione, Qualitate & Obligatione.

C A P U T I.

De Parochorum Institutione & Qualitate.

S U M M A R I A.

1 *Quid sit institutio Canonica & an laico competat.*
2 *Laicus nec per præscriptionem potest acquirere jus instituendi, vel conferendi beneficia.*
3 *Institutio est nomen generale.*

Constat ex *Reg. 1. Juris in 6.* nullum beneficium sine institutione Canonica obtineri posse. Est autem institutio Canonica quæ fit authoritate superioris Ecclesiastici, nimirùm Episcopi, vel inferioris etiam Prælati, cui id ex privilegio vel præscriptione competit. *c. 3. & c. cùm venisset. de inst.* 1

Laicus verò (nisi speciali S. Pontificis privilegio habilitetur) nullo modo institutionem in beneficio facere potest, *c. 3. de instit.* sed solùm ex jure Patronatus præsentare debet Episcopo Clericum ab ipso Episcopo instituendum, ut mox dicemus. imò si aliquis Laicus in certo altari Missas legendas ita fundasset, ut ipse vel heres ejus sine authoritate Episcopi possit sacerdotem constituere ad illas Missas legendas, talis fundatio non est beneficium dicendum, nec sub dispositionibus Juris de beneficiis Ecclesiasticis loquentibus comprehenderetur quia de natura beneficii Ecclesiastici est, ut personæ Ecclesiasticæ & à persona Ecclesiastica conferatur.

Sed neque præscriptione Laicus acquirere potest jus instituendi vel conferendi beneficia, cùm id utpote Jus spirituale *possidere* nequeat, sine possessione autem nulla currat præscriptio, *c. causam de præscript.* idque etiam de *immemoriali* accipiendum est. licet enim immemorialis præscriptio habeat vim privilegii *per not. Gl. in c. super quibusdam de verb. sign.* hic tamen rectè negatur suppositum quòd in persona Laici dari possit immemorialis præscriptio, datur quidem Immemorialis detentio vel usurpatio facti, sed non possessio juris & consequenter nec præscriptio. 2

Quamvis porrò in possessione decimarum Laicus ex sola Immemorialitate temporis præsumptionem pro se habere possit, usque dum de vitioso initio convincatur, per ea quæ docet Gilk. *de præscript. p. 3. C. 8. nu. 23.* diversa tamen videtur ratio inter jus decimandi & conferendi beneficia, quia jus decimandi tum ex Privilegio Papali, tum ante Concilium Later. per Episcopos sæpè Laicis concessum fuit, jus autem conferendi beneficia dari Laicis, prorsus insolitum est, consequenter facilè præsumi non potest, sed potius, quòd via facti per intrusionem forsan tempore grassantis hæresis, aut vacantis sedis Episcopalis ex bellorum injuria &c. occuparint.

Cæterùm *institutio* est nomen generalius & habet sub se institutionem in specie, quæ fit ad præsentationem patroni, & liberam collationem, quæ fit arbitrio Episcopi vel alterius 3

rius ordinarii collatoris *Gloss. in d. c. de R. J. in 6.* ut ergo hic libellus deserviat in quotidianis occurrentiis & ipsis etiam secularibus, qui frequenter in parochiis & beneficiis jus patronatus obtinent, utilis evadat, sic

SECTIO I.

De Jure Patronatus

Quid sit Jus Patronatus, quis ejus effectus, & quotuplex?

SUMMARIA.

1 *Definitio juris patronatus, & qui sint ejus effectus.*
2 *Patrono Ecclesiæ debetur honor præcedentiæ & præsentatio.*
3 *Quid in Ecclesiis, in quibus per electionem assumitur Prælatus;*
4 *Onus & emolumentum Patroni in quibus consistant.*
5 *Divisiones juris patronatus.*
6 *Quid sit jus patronatus Ecclesiasticum & laicale, & quomodo differant.*
7 *Jus patronatus laicale donatum Ecclesiæ fit Ecclesiasticum.*
8 *Patrono ignoranti non currit tempus ad præsentandum.*
9 *Quid sit jus patronatus hæreditarium, & familiare sive gentilitium.*
10 *Quid activum & passivum.*
11 *Quid personale & reale.*
12 *Ex tribus causis jus patronatus acquiritur.*
13 *An dictæ tres causæ copulative requirantur, inter DD. controvertitur?*
14 *Per reædificationem Ecclesiæ collapsæ etiam acquiritur jus patronatus.*
15 *In donatione juris patronatus, an & quando consensus Episcopi sit necessarius.*
16 *Jus patronatus spirituale est, per se vendi nequit, bene tamen accessorie.*
17 *An conductor vel debitor simul cum bonis acquirat jus patronatus.*
18 *Ad quem devolvatur jus patronatus, si bona patroni confiscentur.*
19 *Quibus modis jus patronatus amittatur.*
20 *An Episcopus jus patronatus extinctum possit de novo alicui laico donare?*
21 *Quinam dicantur Advocati Ecclesiæ, & quomodo à patronis differant.*

1 JUs Patronatus describit Barb *juris Ecclesiastici univers. lib. 3. c. 12. n. 2.* quod sit, Jus honorificum, onerosum, & utile alicui competens in Ecclesia, quam de ordinarii consensu construxit, fundavit vel dotavit. Brevius definit Hostiensis, quod jus Patronatus sit potestas præsentandi Clericum ad beneficium vacans.

Porrò effectus omnes juris patronatus duobus vulgatis versiculis comprehenduntur:

Patrono debetur honor, onus, emolumentum.
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

2 Honor Patroni consistit in duobus, videlicet in præcedentia & præsentatione: debetur enim patrono honor processionis, *cap. nobis fuit 25. hoc tit.* quo nomine non tantum in Litaniis & similibus processionibus præcedentia intelligitur, sed etiam, quod patronus in Ecclesiæ patronatæ præcedentia dignioris sedis, & loci prioritate in suscipienda Pace honorari debeat, Barb. *dicto loco n. 25.* Ex præsentatione illum honorem habet Patronus, quod beneficium Ecclesiasticum sine ipsius consensu & voluntate conferri valide non possit, sed si de facto collatum sit alteri quam illi, quem Patronus præsentavit Episcopo, collatio annullari, & beneficiatus amoveri debeat, *cap. ex infirmatione 14. h. tit.* se ipsum tamen patronus, licet Clericus sit, ad beneficium præsentare non potest: debet enim esse distinctio inter dantem & accipientem, nec convenit, ut aliquis se ingerat proprio motu Ecclesiasticæ prælationis officiis, poterit tamen supplicare Episcopo, ut sibi conferat beneficium, quia supplicando non dicitur aliquis ambitiosus, & se ingerere Ecclesiasticis officiis, cum supplicatio respiciat gratiam; præsentatio autem justitiam. *Panorm. & Barb. in d. c. 26 h. tit.* filios tamen suos vel alios consanguineos ex communiori sententia patronus præsentare non prohibetur, ne sint deterioris conditionis quam alii, quorum parentes nullum beneficium Ecclesiæ præstiterunt, & hoc ipsum jus patronatus, quod in favorem fundatoris, ejusque heredum introductum est, in eorundem odium retorqueatur. Nec obest *c. consuluit hoc tit.* ubi prohibetur, ne patronus vel sibi ipsi reservet vel filio concedat beneficium, quia intelligitur non de præsentatione, sed de ipsa concessione sive usurpatione beneficii, quæ fit sine authoritate Episcopi, ut ex textu satis apparet. Item si plures sint patroni ejusdem beneficii, illi unum ex se ipsis nominare possunt, & nominatus licet non possit seipsum sive solus, sive cum aliis præsentare, potest tamen præsentationem aliorum acceptare & ipse pro ea vice omnino a præsentatione cessare. *Gloss. in d. c. consuluit hoc tit.*

Circa Monasteria & Ecclesias collegiatas in quibus per electionem assumitur Prælatus, illud singulare est, non posse fundatorem seu Patronum nominare aut eligere Prælatum (nisi Clericus sit, & in fundatione cum consensu Pontificis jus eligendi sibi expresse reservaverit, vel aliunde per consuetudinem aut præscriptionem acquisierit. *Glossa & Barb. n. 3. in C. nobis 25. h. tit.*) neque etiam ad electionem instituendam sed primum post factam electionem ejus assensum requirendum esse, prout in nostris partibus usitatum est, ut Imperatoria vel alterius Principis terræ post electionem perfectam consensus sive placet requiratur, *dicto cap. nobis h. tit.* idque non tantum procedit in casu, quo ab initio Ecclesia collegiata vel conventualis fundata est, verum etiam, si illa Ecclesia propriè patronata, in qua fundator hactenus potestatem præsentandi habuit, cum ipsius voluntate erigetur in Ecclesiam conventualem, ita ut hoc ipso Patronus jus patronatus non aliter retineat, quam quo ad alias præcedentias & consensum electioni jam factæ præstandum. Præterea iste consensus patroni & approbatio electionis juxta veriorem sententiam magis de honestate & in obsequium ac reverentiam patroni, & quasi in recognitionem fundationis, quam de necessitate requiritur, ad eum principaliter effectum, ut si patronus rationabilem contradicendi causam habeat, eam proponere possit. De cætero autem, si nihil aliud obstet electioni, quo minus canonica censeri debeat, etiam invito patrono valida & per superiorem confirmanda erit: videtur enim inconveniens, ut confirmatio Prælati potius è voluntate patroni præsertim Laici, quam ab electione Capituli vel judicio superioris dependeat, & frustra daretur libera electio Capitularibus, si ea tota in arbitrio Patroni consisteret. *Panor. in c. sacrosancta de elect. n. 6. Barb. d. l. n. 4.*

Onus incumbit Patrono, ut curam aliquam & inspectionem, non tamen jurisdictionem habeat, super rebus Ecclesiæ, item ut ad reparationem Ecclesiæ concurrat *juxt. Trid. s. 21. c. 7.* *Emolumentum*, ut egenus alatur, & census in fundatione sibi constitutos percipiat, de quo onere & emolumento dictum est superius *p. 1 c. 5. §. 1. n. 7.* 4

Dividitur jus Patronatus primo & principaliter *in Ecclesiasticum & Laicale*, secundo in *hæreditarium* & *familiare*, sive *gentilitium* tertio: in *activum* & *passivum*, quarto *in reale & personale*, sed cum istæ divisiones propter speciales effectus, quos habent, pleniorem indaginem desiderent, ideo de singulis agendum. 5

De singulis speciebus Juris Patronatus. De Jure Patronatus Ecclesiastico & Laicali.

JUs patronatus Ecclesiasticum dicitur, quod personæ Ecclesiasticæ nomine & ratione Ecclesiæ, Capituli vel Monasterii competit quamvis fortassis a Laico primitus originem habeat, qui deinde id Ecclesiæ concesserit, econtra *Laicale* dicitur, non tantum, quod Laico competit, sed etiam, quod a Clerico ex patrimonio & successione paterna vel alio titulo sæculari obtinetur, *tex & Glos. in c. cum dilect. 28. §. nos igitur h. t.* regulariter autem (excepto tempore ad præsentandum, ut infra dicemus) semper magis privilegiatum est jus patronatus Laicorum quam Ecclesiasticum, ut Laici habeant remunerationem aliquam fundationum suarum, & ad eas faciendas tanto magis invitentur. Ecclesiastici vero, cum raro jus patronatus habeant ex fundatione, sed frequentius ex privilegio, vel donatione, ideo tantum favorem non mereri videntur. Differt igitur in effectu jus patronatus Laicale ab Ecclesiastico primo, quod patronus *Laicus* non tantum unum Clericum, sed plures simul aut successive ad idem beneficium præsentare possit, non quidem *privative*, scilicet revocando illum, quem primo præsentavit, sed *accumulative* ut Episcopo relinquatur electio, quemnam ex istis pluribus præsentatis instituere velit, at vero patronus *Ecclesiasticus* unum tantum præsentare potest, qui, si fuerit idoneus, non attenta alia præsentatione instituendus erit. Imo nec eo casu quando patronus Ecclesiasticus indignum præsentavit ad beneficium, alium præsentare permittitur, sed potius libera beneficii collatio pro ea vice Episcopo relinquitur *c. inter dilectos* 6

ctum

ctor 11. *de excessibus Prælatorum*, quod aliter se habet in patrono laico, qui uno indigno præsentato alium dignum per accumulationem præsentare potest, dummodo tempus præsentationis elapsum non sit. *Panor. & Barb. in d. c.* 24.

Quid autem si primus præsentatus per Laicum revera fuerit dignus, & inique vel malitiosè per Episcopum rejectus, isque iniquitatem rejectionis coram superiore Episcopi per viam appellationis vel querelæ demonstraverit, interim verò secundò præsentatus de facto institutus sit, anne prior ille rejectus vel iste institutus beneficium habebit? Respondeo, hanc quæstionem esse decisam *in cap. quod autem* 5. *& cap. pastoralis* 29. *h. tit.* ubi Pontifices rescripserunt, meliorem esse possidentis conditionem, adeoque de facto institutum in beneficio relinquendum, ita tamen, ut priori præsentato & per malitiam rejecto Episcopus alia via providere teneatur.

Secundò differt jus patronatus Ecclesiasticum & sæculare circa concursum, qui ad parochiales Ecclesias faciendus est, *juxt. Trid. s.* 24. *de ref. c.* 18. de quo sect. seq. dicemus.

Tertia differentia est, quòd si summus Pontifex sive per jus commune, sive per Regulas Cancellariæ aut Concordata Germaniæ certa beneficia specialiter suæ collationi reservet, tales reservationes & aliæ quæcunque non intelligantur de beneficiis, quæ pertinent ad jus patronatus Laicorum, dummodò Laici illud jus habeant ex fundatione, dotatione aut constructione, & non ex privilegio vel præscriptione, quia Pontifex nunquam vult derogare juri patronatus Laicorum, ne à fundationibus absterreantur, & cùm summus Pontifex id facere non solet, Legatus ejus de latere facere non potuit, ut sibi & suæ liberæ collationi reservet beneficia ad jus patronatus Laicorum spectantia. Secus autem est in jure patronatus Ecclesiastico, cui Pontifex & legatos per reservationes præjudicare solent & possunt, quia ut supra notavimus, jus patronatus Ecclesiasticum tantum favorem in jure non habet, *c. cùm dilectus* 28. *h. t. Barb. de offic. Episc. alleg.* 57. *n.* 26.

Quarta demum differentia est ratione temporis, quia patronus Ecclesiasticus intra 6 menses, Laicus autem intra 4. præsentare debet, aliàs jus providendi Ecclesiæ ad Episcopum, sive eum, qui jus instituendi habet, liberè devolvetur, *c. unico §. finali hoc tit. in* 6. Ratio fortassis hujus differentiæ est, cùm patronus Ecclesiasticus in eo gravetur, quòd unum tantum præsentare possit ad beneficium, in eo saltem relevetur, ut plus temporis habeat ad inquirendum de Clerico aliquo digno & habili.

7 Si jus patronatus à Laico fuerit donatum Ecclesiæ vel monasterio, efficietur prorsus Ecclesiasticum, & tempus præsentandi 6. mensium erit *d. c. unico hoc tit. in* 6. unde ista est specialis exceptio à generalibus regulis, quod *subrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum subrogatur, & qui in jus alterius succedit, ejus jure uti debeat, juxta regulam* 46. *juris in* 6. cujus specialis exceptionis ratio dari potest, quòd favor juris patronatus laicalis consideratione fundationis introductus cesset in Ecclesia, utpote quæ idem jus patronatus non ex fundatione, sed donatione acquisivit.

Quid autem, si ex pluribus patronis unus tantum suum jus donaverit Ecclesiæ, & ita jus patronatus incipiat esse mixtum, scilicet partim Ecclesiasticum, partim laicale. R. tali casu etiam laicis patronis competiturum tempus 6. mensium, eo quod in una eademque re, quæ commodè dividi non potest servanda sit paritas, & magis dignum trahat ad se minus dignum, in odiosis autem patronus Ecclesiasticus non trahit ad se Laicum, qui non debet suo jure sine culpa aut causa privari, unde si ejusdem Ecclesiæ duo sint patroni, unus Ecclesiasticus, alter sæcularis, iique diversos præsentarint, licebit patrono sæculari variare & per accumulationem alium præsentare. Notanter dico, si diversos præsentarint, nam si ab initio uterque patronus præsentaverit unum eundemque, hic præsentatus necessariò instituendus erit, licet Laicus velit deinde alium insuper præsentare, quia cum jam semel obtinuerit amborum Patronorum & sic majora vota, plus juris habet ad beneficium, quam ille, qui ab uno tantum patrono præsentatus est, sicut generaliter, quando plures patroni præsentant, ille præfertur, qui plurium patronorum calculum obtinuit, videatur Panor. *in c. cùm autem* 24. *n* 4. *& in c. cum propter* 27. *in fine hoc tit.*

8 Cæterum tempus ad præsentandum non currit patrono ignoranti vel alias legitime impedito, imo in dubio potius ignorantia patroni, quam scientia præsumitur, nisi concurrentes circumstantiæ, ut vicinitas loci, patroni præsentia aliud suadeant. Ad evitandam omnem disputationem uso apud nos receptum est, ut de beneficio vacante patronus certioretur, & ad præsentandum per Episcopum moneatur, si patroni inter se discordes fuerint, & de ipso jure patronatus inter se litigent, currit eis tempus, & nisi aliquis ex eis intra legitimum tempus præsentarit, revolutio fiat ad Episcopum, salvo tamen jure illius, qui evicerit, ut proxima vacatione libere præsentare possit, quod si unus ex litigantibus in possessione præsentandi fuerit, & alter de proprietate contendat, possessor præsentabit etiam pendente lite proprietaria, nec removebitur præsentatus, licet de proprietate contendens victoriam in judicio obtinuerit, quia pendente lite non debet aliquis privari commodo suæ possessionis, *c.* 2 *ut lite pendente nihil innovetur*, tum quia in præsentando solum attenditur possessio juris patronatus, *cap. cum Ecclesia, de causa possessionis & proprietatis*, *& cap. ex litteris c. consultationibus hoc tit.* & hanc sententiam, quod etiam lite pendente præsentatio possidentis admittenda sit, docent Joan. & alii de quibus attestatur Gl. *in d. c. ex litteris*, & in specie Innoc. *in eodem cap. ex litteris in v. suborta*. Non obstat, quòd evincenti in petitorio fructus restitui debeant, *L. certum* 22. *C. de rei vind.* nam inprimis hæc regula fallit in illis fructibus, qui ex sua natura sunt tales, ut salvo usu possessionis (qui per litem auferri non debet) restitui nequeunt: ut ecce pendente lite super matrimonio potest maritus eo uti, *cap.* 1. *&* 2. *ut lite pend.* quomodo hi fructus restituentur? Deinde rectè etiam respondet Joan. Hon. *hoc tit. num.* 58. *cum Rippa in capit. cum Ecclesia, numer.* 93. *in fine de caus. poss. & prop.* quod circa fructum juris patronatus deficiat ratio æquitatis, ex qua restitui debeat, cum jus patron. non producat alios fructus, quos possessor lucretur. Adde, si præsentatio lite pendente est valida & admittenda ex sententia Innoc. Joan. Hon *dd. ll.* Joan. Andr. *in cap. quoniam sub num.* 7. *hoc titul.* ergo acquiritur jus præsentato ad petendam & obtinendam institutionem, eamque omnino suadet æquitatis ratio, cum diuturnior vacatio Ecclesiis præsertim parochialibus dispendiosa sit, *c. quam sit* 6. *de elect. in* 6. *cap.* 36. *de præb. in* 6. nullumque sit vero patrono præjudicium imposterum. *cap. consultationibus hoc t.* acquiritur autem possessio per unum actum præsentationis cum bona fide & secuta institutione, Joan. Hon. *d. l. num.* 59.

De aliis Divisionibus Juris Patronatus.

Secunda divisio juris patronatus est quòd aliud sit *hæreditarium*, & aliud *familiare* sive *gentilitium*. *Hæreditarium* dicitur, quod transit ad quoscunque hæredes etiam extraneos, *gentilitium* verò, in quo tantum succedunt illi, qui sunt de sanguine & familia fundatoris. 9
Res tota ex prima constitutione juris patronatus dependet, est enim in potestate fundatoris, an velit omnino remittere jus patronatus, vel sibi tantum aut familiæ suæ vel etiam aliis hæredibus reservare. In dubio autem quando non satis constat de mente fundatoris, omne jus patronatus censetur hereditarium, neque tantum ad filios vel consanguineos patroni, sed alios etiam heredes extraneos devolvetur, nisi in fundatione aut per consuetudinem vel præscriptionem aliud introductum sit. Licet verò, ut jam dictum, in dubio jus patronatus præsumatur hereditarium, eliditur tamen hæc præsumptio, & censetur potius gentilitium, si in constitutione juris patronatus semper fuerit habita mentio familiæ & descendentium, nunquam vero hereditariæ qualitatis, quamvis expresse heredes extranei exclusi non sint Barb. *juris Ecclesiastici universi dicto lib.* 3. *c.* 12. *n.* 20. *&* 23. ubi etiam notat, quod ad probandum jus patronatus gentilitium leviores probationes sufficiant, videtur addi posse ratio, quod qualitas gentilitia magis sit pro libertate Ecclesiæ, cum facilius extinguatur familia quam hereditas.

Præterea de istis heredibus & successoribus in jura patronatus notandum est, quod eorum successio non fiat in *capita* sed in *stirpes*, ita ut si ex pluribus patronis unus mortuus fuerit, relictis e. g. tribus heredibus, si tres heredes unum tantum votum in præsentando habeant, adeoque inter se convenire debeant, ut in unum Clericum præsentandum conspirent, vel ut alternis vicibus singuli eorum præsentent. *Clem.* 2. *h. t.*

Tertia divisio est, quod jus patronatus aliud sit *activum*, aliud *passivum*. *Activum* est, ex quo patronus potest præsentare beneficium. *Passivum* verò, per quod certi de aliqua familia (si idonei adsint) exclusis extraneis debent ad beneficium præsentari & admitti Barb. *d. loc. num* 25. 10

Quarta demum divisio est in *jus patronatus personale & reale*. *Personale* dicitur, quod cohæret personæ fundatoris, vel heredis ejus, ubicunque locorum is existat: *Reale* verò, quod

cohæret

11 cohæret loco scilicet castro, prædio & similibus bonis, idque transit non tantum ad heredem fundatoris, sed etiam ad quemcunque possessorem talis boni. De quo reali jure patronatus in sequentibus sæpius mentio fiet.

Quibus Modis acquiratur & amittatur Jus Patronatus.

12 TRes sunt causæ, ex quibus originaliter jus patronatus descendit, nimirum Ecclesiæ Fundatio, Constructio & Dotatio. Reliqui vero patronatus nomines & facultates sive privilegia quæcunque nominandi vel præsentandi Clericos per Concilium Trid. penitus abrogantur, exceptis tamen illis privilegiis, quæ magnis Principibus vel in favorem studiorum generalium & universitatum concessa sunt. Insuper in eodem Concilio requiritur, ut is, qui jus patronatus prætendit, ejus titulum scilicet fundationem aut dotationem per authentica documenta probare debeat, nisi possit tanti temporis probare possessionem, quæ hominum memoriam excedat. Imo si prætendentes jus patronatus sint personæ potentes, in quibus id jus plerumque ex usurpatione & injusta occupatione quæsitum præsumitur, ea actus probatio ad ostendendum verum titulum requiritur, nec immemorialitas temporis eis aliter suffragatur, quam si præter reliqua ad eandem immemorialitatem probandam necessaria, præsentationes per 50. annos continuatas, quæ omnes sortitæ sunt effectum, authenticis scripturis demonstrare valeant. videatur textus Concil. Trid. *sess.* 14. *de reformatione c.* 12. *& sess.* 25. *de reformat. c.* 9.

13 Quærunt autem hoc loco Doctores, an copulative requiratur, ut unus idemque Ecclesiam & fundaverit (id est, fundum dederit) & construxerit & dotaverit? Ratio dubitandi est, quia in *dicto c.* 12. Trid. dicitur: neminem posse obtinere jus patronatus, nisi qui Ecclesiam fundaverit & construxerit. Nihilominus probabilius & magis communiter receptum est, fundationem, constructionem & dotationem non copulative sed disjunctive requiri, adeoque dari jus patronatus etiam illi, qui tantum fundaverit, vel tantum construxerit, aut tantum dotaverit. Ita enim *in cap.* 3. *hoc tit.* solius fundatoris: & *in cap. nobis* 25. tantum constructoris mentio fit, ac idem Concilium Tridentinum *dicto c.* 9. non copulativa loquitur, ex quo posteriori Concilii textu *illud caput* 12. recte declarari potest. *Barb. in eod. c.* 12. *n.* 16. *Abb. in c. ad audientiam n.* 10 *&* 11. *de Eccles. ædif. Host. in summa hoc tit. n.* 2. *Rota p.* 1. *decis.* 598. *& p.* 4. *decis.* 565. *num.* 2. quare si alius fundaverit, alius dotaverit, alius construxerit, tres ejusdem Ecclesiæ diversi patroni erunt, & nisi inter se ultro convenire velint, ut alternis vicibus unus tantum semper ex illis præsentet, omnes tres ad præsentandum admitti debent, & si diversos præsentent, prævalebit is, qui majora vota habuerit, vel si paria sint, quem Episcopus elegerit. Item qui in Ecclesia Altare vel Capellaniam erexerit, ipsam Ecclesiam (ejusque nomine Rectorem vel Prælatum) habere debet pro compatrona, tanquam quæ fundum erigendo altari dederit, nisi consuetudine vel præscriptione aliud introductum sit. Panorm. *in c.* 3. *de Eccles. ædif.* præterea notabile est, quod docet idem Panorm. *in cap.* 1. *hoc tit. n.* 6. si plures ad fundi collationem vel ædificationem aut dotationem concurrant, ita ut singuli suas portiones sive æquales, sive inæquales, conferant, omnes isti patroni futuri sint.

14 Porrò non tantum ex prima constructione vel dotatione Ecclesiæ acquiritur jus patronatus, sed etiam si Ecclesia collapsa reparetur, vel si post primam dotem constitutam novi fundi vel pecunia adjiciatur. Verum hoc non indifferenter de quavis nova reparatione vel dotatione accipiendum est, sed de ea, quæ Ecclesiam quasi *ad non esse* redactam rursus *ad esse* produxit, ut si prius tota vel majori parte collapsa sit, ut reparata nova consecratione indigeat, vel si prima dos injuria belli aut quacunque ex causa interierit. Cæterum autem, qui Ecclesiam tantum à ruina præservat, vel in modica sui parte reparat, aut etiam extante prima dote novas divitias adjicit, talis pius benefactor tantum, non vero patronus dicetur. Patronus enim propriè dicitur quasi pater Ecclesiæ, à quo habet, ut sit Ecclesia, sicut in jure civili patronus dicitur, qui servum antea quasi pro non homine habitum liberum & aliis hominibus in jure parem fecit. *Garcias de beneficiis p.* 5. *c.* 9. *n.* 50.

Hactenus de prima & originali constitutione juris patronatus locuti sumus, quod id ex tribus tantum enumeratis causis nascatur. At vero, ubi jam semel per unum ex fundatione, dotatione aut constructione constitutum est, ad alium deinceps variis modis transferri potest, non tantum per successionem hereditariam, de qua in præcedentibus dictum, sed etiam per contractum & actus inter vivos. Circa quam proinde juris patronatus translationem.

Not. I. Quod patronus Laicus libere jus suum Ecclesiæ vel Monasterio donare possit, etiam irrequisito consensu Episcopi, *cap. unico hoc tit. in* 6. per quod corrigitur *c. nullus* 17. *extra eodem tit.* ubi prohibetur, ne Laicus aliquid Ecclesiastici juris irrequisito Episcopo præsumat Monasteriis donare. Quod vero ulterius *in dicto cap. unico* additur, per talem donationem juri Episcopi, qui eidem assensum non præbuit, non derogeri, intelligendum est juxta *cap. pastoralis* 7. *de donationibus*, ubi deciditur, si Episcopus cum consensu patroni viris religiosis aliquam Ecclesiam simpliciter concedat, per talem concessionem non tantum jus Patronatus, sed etiam, quidquid prius Episcopus de fructibus illius Ecclesiæ percipere potuit, transferri. 15

Not. II. Quod Laicus alteri Laico jus patronatus sine consensu Episcopi vel ejusdem vicarii ad hoc speciale mandatum habentis donare non possit, ut ex decisionibus Rotæ Romanæ & aliis Doctoribus tradit Barb. *sæpe cit. cap.* 12. *num.* 246. nisi alter Laicus fuerit compatronus: tunc enim, sicut ad evitandam discordiam præsentationis valet inter plures patronos compositio, ut unus tantum alternis vicibus præsentet. *Clem.* 2. *hoc tit.* ita ex eadem ratione valere debet, si unus ex patronis in favorem alterius suo juri plane renuntiare velit. *Piasec. in praxi Episc. p.* 2. *c.* 5. *n.* 9. *Zerola p.* 1. *in jus patronatus* § 2.

Not. III. Quod Ecclesia vel Monasterium obtinens jus patronatus non possit alteri Ecclesiæ, minus Laico illud jus donare sine ordinariis solemnitatibus ad alienationem rei immobilis Ecclesiasticæ requisitis, quia jura ista incorporalia rebus immobilibus accenseri *in tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, demonstratur.

Not. IV. Jus patronatus, quamvis Laicis competat, nihilominus esse spirituale, aut spirituali annexum & tantum personam Laici ex privilegio Pontificis ad id esse habilitatam, adeoque sine vitio simoniæ vendi aut pro re aliqua temporali permutari non posse. *cap. de jure* 16. *hoc tit.* quod si aliquis de facto jus patronatus vendere, aut alio contractu improbato in alium transferre præsumat, præter excommunicationem à Judice Ecclesiastico infligendam jus patronatus ipso facto amittet, & Ecclesia deinceps libera erit. *Trident. dicta sess.* 25. *de refor. cap.* 9. pretium quoque neque venditori, qui jus patronatus vendere non potuit, neque emptori, qui in mala fide fuit, simoniace emendo, sed potius Ecclesiæ, quæ per talem venditionem injuriam passa est, applicandum erit. *Panor. in dicto c.* 16. *hoc tit. n.* 3.

Not. V. Licet jus patronatus tanquam spirituale per se vendi nequeat, si tamen *reale* sit & annexum certis bonis, vel etiam certæ hereditati tecte accessorie cum ipsis bonis aut hæreditate vendi poterit, dummodo in venditione de jure patronatus specialis conventio & propter id augmentum pretii non interveniat. *textus & interpretes in cap. ex litteris* 7. *& cap. cum sæculum* 13. *hoc tit. Suar. de simonia c.* 28. *n.* 13. *Bonac. de simon. q.* 4. §. 11. *n.* 5. ut autem jus patronatus censeatur *reale*, debet vel ex prima fundatione vel succedente consuetudine aut præscriptione ita esse introductum, ut semper possessoribus talium bonorum præsentatio competat, alias *personale* censebitur.

Not. VI. Etiam per contractum feudalem & Emphyteuticum cum universitate bonorum vel certis bonis transferri jus patronatus, ita ut ille, cui bona jus patronatus annexum habentia in feudum vel Emphyteusim data sunt, libere præsentare valeat. Item si maritus hujusmodi bona in dotem acceperit, non uxor ejus, sed ipse præsentationem exercebit, cum ad maritum dominium civile dotis, & jus percipiendi fructus ex re dotali pertineat. *Menoch. Cons.* 66. *n.* 87. *Mantic. decis.* 140. *n.* 2. *&* 13. *Barb. sæpe dicto c.* 12. *n.* 223.

Verum quid de conductore talium bonorum dicendum sit, multum dissentiunt Doctores propter textum ambiguum *in c. ex litteris* 7. *hoc tit.* ubi quidem dicitur, jus patronatus transire in illum, qui bona *ad firmam* tenet, sed non satis explicatur, qualis contractus per ista verba denotetur. Quidam enim de locatione, quidam de contractu emphyteutico accipiunt. Omnium probabilior videtur sententia Panor. *in eodem c.* 7. *n.* 5. *& Bartoli in l.* 1. *Cod. de jure Emphyteutico num.* 8. *Menoch. Consil.* 90 esse distinctionem faciendam inter locationem ad longum tempus v. g. 10. annorum, & inter locationem quæ fit ad brevius tempus: in locatione ad tempus longum dicendum est, jus patronatus transire in conductorem, non autem in locatione ad tempus modicum: tum quia conductor ad longum tempus habetur pro possessore. *L.* 1. §. 3. *ff. de superfi. ciebus*. & fructus regulariter omnes, qui specialiter 16

excepti

asetpti non sunt, percipere potest, quod secus est in conductore modici temporis, in quem non traosit possessio, & qui non omnes omoino, sed ordinarios tantum fructus percipiendi jus habet: tum etiam quod illa verba *ad firmam*, sint termini linguæ Anglicanæ, ex quibus locatio ad tempus longum intelligitur, ut notat Bart. *dicto loco*, & colligitur ex *eodem cap. 7. & ex cap. 8. de locato*, item *ex cap. querelam. Ne Prælati vices suas &c.* quæ Capitula Anglis scripta sunt, ut ex eorum inscriptione patet.

Not. VII. Quod Creditor, cui castrum aut bonum aliquod, habens annexum jus patronatus appignoratum est, non possit uti illo jure patronatus, prout satis aperte deciditur *in c. cùm Bertholdus 18. de sententia & re judicata*. Ratio redditor à Panor. *in dicto cap. 7. hoc tit. num. 5.* & Glossa *in eodem cap 18. in fine*. Quod creditor fructus pignoris aliter percipere non possit, quem si velit debitori restituere, vel in sortem imputare, atqui, si præsentaret Clericum, isque Institueretur, perciperet fructum, quem nec debitori restituere, nec in sortem imputare valeret.

17 *Not. ultimo.* Quod publicatis & confiscatis bonis patroni propter delictum ejus, etiam jus patronatus ad fiscum referatur, ex generali regula, quod cum universitate bonorum etiam transeat jus patronatus, sed hoc, si jus patronatus *reale* sit, si verò sit *personale*, extinguetor, & Ecclesia libera erit: si *gentilitium*, devolutio fiet ad alios consanguineos, quibus delinquens in jure quæsito per suum factum præjudicare non potuit, juxta regulam, quod factum cuique suum, non alteri nocere debeat. Barb. *dicto loco n. 238. Zoesius eodem tit. n. 26.* argomento etiam possuot esse, quæ de fideicommisso familliæ non confiscando docet Fachin. *l. 4. controv. cap 50.* & de feudo *lib. 7. c. 20.*

18 Amittitur jus patronatus. I. Si Ecclesia totaliter destruatur, vel etiam dos & reditus penitus deficiant. Neque reviviscet, licet Ecclesia rursus ædificetur, vel dotatur, nisi prior patronus ad reædificandum vel dotandum concurrerit. II. Si patiatur patronus ex Ecclesia patronata fieri collegiatem aut Monasterium, ex tunc enim cessabit præsentatio, & succedet electio, sine consensu autem patroni status Ecclesiæ in ejus præjudicium mutari non potest. *Mager. de Advoc. cap. 10 num. 372. Butr. in cap. nobis 25. hoc tit. numer. 86.* III. Deficientibus successoribus aut extincta familia patroni. IV. Per non usum amittitur jus patronatus, si duabus saltem vicibus patronus non præsentarit: cum enim jus patronatus sit Ecclesiæ aliquo modo grave, & Episcoporum liberæ collationi præjudicans, econtra vero libertas Ecclesiæ favorabilis, ideo per omissionem duarum præsentationum censetur patronus suo juri renunciasse, sicut alias privilegia onerosa per non usum aut usum contrarium facile amittuntur. Barb. *dicto loco num. 187.* V. Si patronus beneficiatum vel quemcunque Clericum Ecclesiæ patronatæ sine casu necessariæ defensionis occiderit aut mutilarit, *cap. in quibusdam § sacri, & cap. ad aures de pœnis*. VI. Si patronus fiat hæreticus, apostata vel schismaticus, *ut notatur in cap. finali, de hæreticis*. VII. Si patronus se ingesserit in perceptione fructuum beneficii, eos vel in proprios usus convertendo, vel saltem impediendo, ne ad beneficiatum, aut eum, ad quem de jure spectant, perveniant. *Tridentinum sess. 22. de reform. cap. 12.* VIII. Denique ex eodem Concilio Tridentino *sess. 25. de reform. cap. 9* statutum est, ut qui jus patronatus sibi competens contra Canonicas sanctiones per venditionem vel aliam titulum & modum prohibitum in alium transferre præsumpserit, ipso facto eodem privatus existat.

19 Utrum autem Episcopus valeat jus patronatus extinctum de novo alicui laico donare? videatur Riccius in praxi aurea *p. 3. de ref. 483.* ubi negative respondet, quia certis tantum modis constituitur jus patron. & Episcopus non potest Ecclesiis novum onus imponere.

Non videtur tamen negandum, quin aliquando Laico præsertim minorenni, si v. g. ob non usum amiserit jus patronatus, possit Episcopus per restitutionem in integrum succurrere.

Sed & illud notabile est, quod privatio juris patron. ex causa delicti, tunc effectum habeat, si sententia Judicis declaratoria secuta fuerit, tametsi delictum notorium extiterit. *Mager. de advocatia, cap. 15. n. 875. Gail. 2. O. 51. num 6. Grammatic. dec. 13. n. 8.*

20 Demum pro coronide breviter adnotandum est, quod licet, ut superius dictum, patrono incumbat onus defendendi Ecclesiam, & propterea etiam Advocatus Ecclesiæ nuncupetur *in cap præterea, & cap. cum autem hoc tit.* in quibusdam tamen Europæ partibus, præsertim vero in Germania & Gallia receptum sit, ut quidam Advocati Ecclesiæ (germanice Dogtherrn) dicantur, qui patroni non sunt, neque ex hoc solo titulo Clericum ad Ecclesiam vacantem præsentare possunt, nisi aliunde, puta ex fundatione &c. id ipsis competat. Munus igitur istorum Advocatorum præcipuum est, Ecclesias contra violentas oppressiones defendere, curam & inspectionem habere, ne bona Ecclesiæ male dissipentur, aut alienentur: & propterea etiam illis nonnunquam cum consensu Episcopi constituitur jus, aliquam partem de fructibus Ecclesiarum sive deinde in pecunia frumento vel avena percipiendi *d. cap præterea*. Advocatia & ea suprema competit Imperatori in suo Imperio respectu omnium Ecclesiarum tam majorum, quam minorum. Item Principibus & Dominis territoriorum circa Ecclesias in suis territoriis sitas. Inferiores quoque Domini uti Comites, Barones & Nobiles hoc jus advocatiæ vel ex antiqua consuetudine, vel speciali contractu cum certis Ecclesiis authoritate superioris læito sibi vendicant.

Amittitur jus advocatiæ iisferme modis, quibus jus patronatus, & in specie (quod nostris temporibus persæpe contingit) si Advocatus eo jure abutatur ultra censum sibi constitutum usurpando bona, fructus aut jura Ecclesiæ, in personas Ecclesiasticas dominando &c. *cap. in quibusdam 12. de pœnis, cap. generali de elect. in 6.* junct. Constit. Frider. *in tit. de pace tenend. & ejus viol. §. publici, latrones, vers. quicunque advocatiam. Gail. lib. 2. obs. 54. num. 6.* De isto jure advocatiæ videri poterit insignis tractatus, quem edidit Martinus Magerus, ubi rem totam latissime exponit, & *cap. 14. & cap. 16. prolixius* tractat qualiter ob non præstitam defensionem jus advocatiæ, & exigendi censum amittatur.

SECTIO II.

De institutione, Collatione & Concursu.

SUMMARIA.

1 *Quis possit instituere Clericum in beneficia, & quid sit institutio.*
2 *Investitura alia est verbalis, alia realis.*
3 *Quam jurisdictionem habet S. Pontifex in collatione parochiarum, & quæ beneficia specialiter eidem reserventur.*
4 *Sede Apostolica vacante omnes Parochiæ per ordinarios conferri possunt.*
5 *Beneficia ad jus patronatus laicorum spectantia non reservantur.*
6 *In Germania menses Papales ex consuetudine non attenduntur.*
7 *Quam potestatem Legati de Latere & Cardinales habeant in collatione beneficiorum.*
8 *Quibus de jure, vel privilegio competat beneficia conferre.*
9 *Intra quod tempus beneficia conferenda & ad quem superiorem devolutio fiat, si tempus non observetur.*
10 *Parochiæ post Trident. per concursum conferenda, & quid circa examen observandum sit.*
11 *Quinam admittendi ad concursum, si jus patronatus pertineat ad laicum, vel Ecclesiasticum.*
12 *Si Parochia sine concursu conferetur, collatio est nulla, & ad sedem Apostolicam devolvitur.*

QUando Patronus Episcopo Clericum præsentavit, ad 1
ipsum pertinet cognoscere & judicare de illius aptitudine, & si idoneum repererit in parochia vel beneficio instituere.

Est autem institutio alia, per quam titulus beneficii alicui confertur, quod fit, quando litteræ confirmationis super facta præsentatione patroni de mandato Episcopi aut Consistorii ejus expediuntur: & alia, per quam ipsius beneficii actualis possessio datur, quæ magis propria investitura vel missio in corporalem & actualem possessionem dici potest. Neque enim institutus beneficium ejusve possessionem propria authoritate sine licentia vel introductione superioris apprehendere debet, alias pœna saltem arbitraria ab Episcopo puniendus. Covar. *var. resol. lib. 3. cap. 16 numer. 7. & 8.* imo si in tali possessionis apprehensione violentia uteretur priorem possessorem expellendo &c. etiam omne jus ex collatione quæsitum ipso facto deperderet, *tex. & DD. in cap. eum qui 18. de præb. in 6.* quod si præsentatus tantum & necdum confirmatus vel institutus (qui jus tantum ad rem, non in re habet) propria authoritate beneficium occupet, fructus colligat &c. etiam nemine contradicente, amittit jus ex præsentatione acquisitum, *cap. avaritiæ de elect. in 6. Garc. de benef. p. 11. c. 10. n. 817.*

Est verò investitura in beneficiis sicut in feudis alia verbalis 2

balis

balis, quæ fit per traditionem alicujus signi v. g. byreti, clavium &c. aut cum verbis investituram exprimentibus, & alia realis, scilicet ipsa actualis in possessionem introductio sive installatio de jure ad archidiaconum pertinens *cap. ad hæc de offic. Archidiac.* prior enim verbalis investitura ex plurium sententia non ipsam actualem possessionem, sed obligationem solum ad traditionem actualis possessionis, vel ad summum licentiam propria authoritate possessionem vacuam occupandi inducit. *Clarus §. feudum q.36.*

De Collatione.

3 Circa Collationem Ecclesiarum parochialium imprimis sciendum est, quod ea competat S. Pontifici, qui habet concurrentem jurisdictionem cum quolibet Ordinario, *cap.2. & cap. dudum de præb. in 6.* imo *de jure Regularum Cancellariæ & Extravag. ad regimen de prabend.* beneficia quædam specialiter & soli Pontifici reservantur, ut vacantia per promotionem ad alterum cujus collatio ad Papam spectat, item & Cardinalium, Curialium & familiarium Papæ; nec non & accedentium ad curiam vel recedentium ab ea, si in curia vel intra duas diætas moriantur: ea quoque, quæ vacant per depositionem, privationem, aut translationem authoritate Pontificis factam: Denique ex Concord. German. quæ in Bullario inter Bullas Nic. V. novissimo loco ponuntur, beneficia curata & non curata alternis mensibus vacantia, unde dicuntur menses Papales Januarius, Martius, Majus, Julius, September, November.

4 Verum in parochialibus Ecclesiis hoc est speciale, quod si quomodocunque reservatæ vacaverint sede Apost. vacante, per Ordinarios conferri possint, ne ipsarum diuturnior vacatio periculum animabus afferat, idem quoque, si quidem parochiæ vivente adhuc Pontifice vacaverint, sed is ante mortem suam nihil de iis disposuerit, *cap. si Apostolica 35. de prabend. in 6.*

5 Deinde reservationes quæcunque locum non habent in beneficiis spectantibus ad jus patronatus Laicorum, dummodo Laici habeant ex fundatione, constructione aut dotatione, quia S. Pontif. nunquam intendit juri patronatus Laicorum derogare, ne à fundationibus absterreantur. *Conar. pp. qq. cap.36. Garc. de benefic. p. 5. cap. 1. n. 571. Barbos. de offic. Episc. alleg. 57. num. 26.* si intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii S. Pontifex non contulerit, redit collatio ad Ordinarium, ut in Concord. habetur, quibus addenda est Bulla Greg. XIII. *quæ in Ecclesiam &c.*

Promittit etiam S. Pontif. in Concordat. German. quod in mensibus Ordinariorum & beneficiis non reservatis, nolit eorundem collationem impedire. Unde in Germania non procedit tex. *in cap. dudum 14. §. nos igitur de præb. in 6.* & subreptitia judicaretur provisio Papalis in mense Ordinarii sine clausula derogatoria.

6 Consuetudine quoque in quibusdam Germaniæ & remotioribus locis receptum videtur, quod menses Papales præsertim in beneficiis parochialibus non attendantur, quæ consuetudo ob animarum periculum imminens tum ex longiori vacatione, tum si alienigenæ & ignoti pastores de parochiis provideantur, satis rationabilis redditur. Consuetudinem autem vel præscriptionem rationabilem adversus leges pontificias & jura Ecclesiæ Romanæ procedere constat, *c. fin. de consuetud. & c. ad audientiam de præscript.*

7 Præter S. Pontificem etiam legati ejus, qui *de Latere* & Cardinales sunt (non item Nuntii Apostolici nisi ex speciali privilegio) potestatem conferendi beneficia suæ provinciæ habent, & cum Ordinariis concurrunt, *c. dilectus de offic. Legati c. 3. & 4. eod. in 6. Clem. si de benef. de præb.*

Attamen in Germania propter dicta Concordata non poterit Legatus collationem Ordinariorum impedire, & ita uti majore potestate, quam ipse S. Pontifex, siquidem receptum est apud DD. *quod S. Pontifex facere non solet, id Legatus facere non potest*, alias enim plenitudo potestatis etiam Legato competeret, quod nemo admiserit. Neque sine speciali privilegio facere aliquid potest Legatus, quod tendat in violationem juris communis, *Barb. Jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 5. n.80.* ad summum igitur Legatis in Germania jus remanet conferendi beneficia ad sedem Apostolicam devoluta ex negligentia inferiorum collatorum, non item beneficia reservata, nisi ex speciali privilegio. *Gloss. in cap. 1. in 6. ampliori de offic. Leg. in 6. Barb. Jur. Eccles. univ. lib. 1. c. 5. n.42.*

8 Inter ordinarios Collatores, S. Pontifice, ejusque Legato inferiores primus est Episcopus, qui quoad omnia beneficia suæ Diœcesis fundatam intentionem in jure habet, *c. cum & plantare, §. in Ecclesiis de privileg. cap. cùm ex injuncto, & ibi Pan. n.2. de heret.*

Episcopis similes sunt alii Prælati exempti speciale territorium & jurisdictionem quasi Episcopalem habentes. *Gl. in c.1. de Capell. Mon. Pan. in c. in Lateranensi de præb. n.4.*

Sed & inferioribus Prælatis & Abbatibus jus conferendi parochias & beneficia ex speciali privilegio aut præscriptione competere potest. Capitulo tamen sede vacante, neque vicario generali sine speciali mandato beneficia ad collationem Episcopi spectantia conferre conceditur, est enim collatio species donationis, quam regulariter rei alienæ administrator facere non potest, *cap. fin. de offic. vic. in 6. Gl. in cap. his quæ de major. & obed.* præsentatos tamen a patronis capitulum & vicarius instituere non prohibetur: cum enim ex præsentatione jus acquiratur præsentato ad petendam institutionem, non potest institutio species donationis censeri, utpote quæ nullum jus petendi in accipiente supponit: sed potius actus justitiæ, *cap. 1. de instit. in 6. c. ex frequentibus 10. eod. Barb. de offic. Episc. alleg. 54. n.70.*

Porrò Ecclesiæ parochiales, sicut & alia beneficia conferenda sunt, intra sex menses computandos à die cognitæ vacationis *cap.2. & c. quia diversitatem de concess. præb.* quo termino elapso jus conferendi in Ecclesiis cathedralibus ab Episcopo devolvatur ad Capitulum, ab hoc ad Archiepiscopum & demum ad S. Pontificem. In Ecclesiis regularibus, non ad Conventum, sed ad Episcopum devolutio fiet, qui in non exemptis, sua, in exemptis vero Apostolica authoritate negligentiam supplebit, ita tamen, ut beneficia per regulares administrari solita Regularibus conferat. *Clem. unic. de suppl. neglig. Præl.* 9

Si de facto post lapsum terminum beneficium collatum sit, potest de æquitate tolerari, quamvis de rigore non subsistat, utpote collatore jam tunc potestate conferendi privato. *cap. litteras 10. de suppl. negl. Præl.*

In parochiis quoque & beneficiis Monasteriis pleno jure seu ad mensam incorporatis non observatur hic terminus cum nunquam vacare censeantur, ex quo principalis rector est Abbas, *d. Clem. un. Joan. Honor. in tit. de præb. n.60.*

De Concursu.

Hodie Conc. Trid. *sess.24. de ref. c.18.* Novam formam conferendi parochias præscripsit nimirum per concursum. 10

Vacante igitur Ecclesia parochiali idoneum vicarium cum assignatione congruæ portionis Episcopus in ea deputabit, donec ei de Rectore provideatur.

Interim ab Episcopo per Edictum publicum aut alio modo vocandi sunt, quicunque ad parochiam vacantem adspirent, præstituta die comparentes examinentur ab Episcopo vel ejus vicario generali, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus, quàm tribus.

Examinatores autem singulis annis in diœcesana synodo ab Episcopo vel ejus vicario ad minus sex proponantur, qui à synodo approbentur ex quibus Episcopus ad singula examina semper 3. eligere poterit. Sintque hi examinatores Doctores aut Licentiati in Theologia aut Jure Canon. vel alii Clerici seu Regulares etiam ex Ordine mendicantium, qui videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad SS. Evangelis, se quacunque affectione postposita fideliter munus executuros: dantes & accipientes aliquid occasione examinis ob simoniæ vitium graviter puniendi, & beneficiis etiam ante habitis privandi, *ut in textu*, non tamen prohibetur Episcopus istis examinatoribus aliquod stipendium constituere, de suo tamen, non ex fructibus beneficii vacantis & multo minus ex contributione examinandorum. Barb. *in collect. ad d. c.18. Trid. n.107. & seq.*

Peracto examine qui digni fuerint reperti, Episcopo denunciandi sunt, ex quibus Episcopus illum eliget, quem cæteris magis dignum judicaverit. Neque Episcopum adstringi ad vota Examinatorum ex Garcia *p.9. c.2. num.59.* refert Barb. *de Parocho, p. 1. c.2. n. 91. & 93.* ubi etiam *n. 109.* asserit, quod cæteris paribus inter concurrentes præferendus sit senior præ juniore: originarius vel conterraneus præ extraneo, ille enim magis præsumitur diligere & curare suos patriotas, Doctor præ non Graduato, Sacerdos præ alio in inferioribus ordinibus constituto, &c. sed hæc omnia arbitraria sunt, & potius ad morum & rerum gerendarum aptitudinem respiciendum erit.

Si parochia pertineat ad jus patronatus *Laicorum*, solus præsentatus vel præsentati à Patrono, examinabuntur. Si vero fuerit de jure patronatus *Ecclesiastico*, etiam alii ad examen vocari poterunt, & inter dignos repertos unum Patronus Ecclesiasticus Episcopo præsentabit, si ad Episcopum spectet institutio; si ad inferiorem Prælatum, tunc prius examinatus debet approbari ab Episcopo, & deinde primum in- 11

feriori

feriori Prælato præsentari, resolvunt enim DD. apud Barb. in Collect. *ad d. c.* 18. *Trid. n.* 45. *& seqq.* quod inferiores Prælati, nisi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, & jus congregandi synodum ac proprium territorium non possint facere concursum, sed id spectet ad Episcopum.

12 Quod si collatio Parochialis Ecclesiæ aliter facta fuerit quam per concursum, est nulla, & ad sedem, Apostolicam devoluta juxt. Motum proprium S. Pii V. anno 1566. 5. Kal. April. Barbos. *in collect. d. l. num.* 158. in Germania hæc tam salubris constitutio needum quidem ubique recepta est, optandum tamen foret magnopere, ut in singulis diœcesibus (quemadmodum ex mandato Celsissimi nostri Princ. & Archiep. in hac Salisburgensi factum) reciperetur. Inde enim fieret ut Clerici in litteris & moribus ad curam se se aptiores redderent.

Parochiæ vero Monasteriis vel aliis Ecclesiis incorporatæ, in quibus non proprie parochus sed tantum vicarius ponendus est, per concursum non conferuntur. Bulla S. Pii V. *ad exequendum*. Barb. *de Parocho p.* 1. *c.* 2. *n.* 18 *usque ad* 22.

In permutationibus etiam parochiarum concursus non est necessarius *Barbos. dict. lib. num.* 23. *Garc. de benef. p.* 9. *cap.* 2. *num.* 165.

CAPUT II.

De triplici Qualitate Ætatis Morum & Scientiæ in Parocho requisita.

SUMMARIA.

1 *Regimen animarum ars artium.*
2 *Ætas 25. annorum inchoatorum requiritur in Parocho, & ut intra annum recipiat Sacerdotium.*
3 *Negligenter omittens suscipere ordines elapso anno est ipso Jure privatus Parochia.*
4 *Fallit in Ecclesiis Collegiatis.*
5 *Quidquid sit, an de rigore extra casum præsentationis & mandati Apostolici possit parochia conferri Clerico in minoribus, Episcopus potest dispensative id facere.*
6 *Dispensatio concessa in Jure impersonaliter intelligitur data Episcopo.*
7 *Nomine Episcopi veniunt etiam Inferiores Prælati habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem.*
8 *Parochus bono exemplo suis debet prælucere.*
9 *Quæ mulieres permittantur cum Clericis habitare.*
10 *Ob periculum perjurii non sunt cogendi Clerici ut concubinas abjurent.*
11 *Pœnæ Concilii habent locum etiam in suspectis sine qualitate concubinatus.*
12 *Ad eas incurrendas in foro conscientiæ requiritur sententia declaratoria.*
13 *Actualis lapsus carnis qualiter puniendus.*
14 *Concubinarius non est suspensus, suspensione proprie dicta.*
15 *An & quando in divinis vitandus.*
16 *Scientia quæ requiratur in Parocho.*

1 CUm sit *ars artium* regimen animarum, ut dicitur *in cap. cum sit de ætat. & qualit.* utique non debent id suscipere & in Parochos constitui nisi qui fuerint idonei. Dicuntur autem idonei, in quibus tria concurrunt; nimirum, *ætatis maturitas, morum gravitas, & debita scientia, c. cum in cunctis 7. § inferiora de elect. c. licet Canon.* 14. *eod. in* 6.

2 Quod attinet ad *ætatem* in Parocho requisitam, ea est 25. annorum inchoatorum, *d. §. inf. & c. licet Canon.* Neque tamen parochus statim eo tempore, quo sibi parochia confertur, Sacerdos esse tenetur, dummodo sit Clericus in minoribus constitutus, & intra annum numerandum à die adeptæ pacificæ possessionis suæ parochiæ in Sacerdotem promoveatur. *c.* 1. *de instit. in* 6. *c. si pro Clericis* 8. *de præb. in* 6.

3 Si vero talis parochus intra annum ad sacerdotium promotus non fuerit, tunc elapso anno (non prius, quamvis tantum jam temporis spatium effluxerit, ut promotio amplius impossibilis sit, *cap. commissa* 35. *de elect. in* 6.) ipso jure Parochia privatus erit, nisi justo aliquo impedimento ab Ordinibus retardatus fuisset, *d. cap. licet Canon. & cap. commissa*.

4 † In Ecclesiis tamen collegiatis, etiamsi alias Parochiales existerent, & iis, qui ad earum regimen assumuntur, non habere locum hanc constitutionem, ut quis elapso anno *ipso Jure* sit privatus, sed requiri, ut juxta antiquiores Canones, monitio Episcopi præcedat, & si monitus aliquis non ordinatus fuerit, tum demum per sententiam privari possit, declaratum est *in c. statutum de elect. in* 6.

Non ignoro, quod aliqui cum Gloss. *in d. c.* 2. *de Instit. in* 6. *& d. c. si pro Clericis* doceant, tantum duos casus esse exceptos, in quibus non requiratur, ut promovendus ad Parochiam sit in Sacris constitutus, videlicet I. Si præsentetur à Patrono *ut in d. c* 2. II. Si ad mandatum Papæ alicui de parochiali Ecclesia provideatur *ut in d. c. si pro Clericis*. Si vero de libera collatione agatur, tunc non esse admittendum, qui saltem Subdiaconus non sit *jux. tex. in cap præterea* 5. *de ætat. & qual.*

Sed hanc doctrinam non recipiunt Archidiac. Joan. Andr. 5
& alii de quibus attestatur Gl. *in d. c. si pro Clericis* censentes d. c. *præterea* per posteriores Canones in sexto decretalium existentes indifferenter correctum esse. Quidquid sit de hac doctrina theorice in utramque partem disputabili, in praxi res non habet magnam difficultatem, cum Episcopus possit etiam ex authoritate illius cap. *præterea* dispensare cum aliquo ad parochialem Ecclesiam, si adhuc in sacris non sit. Dico Episcopum dispensare posse. Nam licet *in dict. cap. præterea*. Episcopo hæc dispensatio expresse non concedatur, hoc ipso tamen, quod Pontifex dicat *dispensative* posse admitti ad Parochias constitutos in minoribus, eam dispensationem concessisse Episcopo intelligitur; Atque idem generaliter tenendum esse, quoties in aliquo Canone dispensatio permittitur, quamvis Episcopi mentio non fiat, tradit Panor *in cap. fin. de off. Prælat. n.* 10. Felin. *in c. nuper de sent. excom.* Barb. *de offic. Episc. p* 2. *alleg.* 24. *n.* 21. Ratio est, quod potestas data dispensandi in aliquo Canone, non possit rationabiliter intelligi data S. Pontifici, utpote qui alias eam po- 6
testatem habet, *cap. proposuit §. licet de concess. præb.*) nisi ex sermone connexo vel stylo & consuetudine aliud appareat, ut in Trid. *sess.* 24. *de ref. Mat. c.* 5. Sanch. *de mat. l.* 8. *disput.* 6. *n.* 19.) Consequenter ut leges accipiantur de casibus dubitatis. *jux. l* 1. *§.* 2 *ff. ad municip.* & verba Papæ aliquid operentur, *c. si Papa* 10. *de privileg. in* 6. debeat intelligi illa potestas data Episcopis, quibus alias non competeret.

Sed quid, si Abbas vel alius Prælatus inferior Episcopo, habeat jus conferendi parochiam, an & is eandem Clerico in minoribus tantum ordinibus constituto conferre poterit? † 7
R. Affirmative, quia tex. dum *in d. c præterea*, dispensationem ordinariis Collatoribus permittit, non distinguit inter Collatores, Episcopos & inferiores, nec nos distinguere debemus, *arg. l. de pretio de publiciana*. Accedit, quod inferiores Prælati circa hujusmodi parochias, quas conferre possunt, Jurisdictionem quasi Episcopalem habere censeantur, *jux. Gl. not. in Clem.* 1. *in v. proprii de reb Eccl. non alien.*

Circa *morum gravitatem* verissime monet Concil. Trid. *sess.* 8
22. *de ref. cap.* 1. *Nihil esse, quod alios magis ad pietatem & DEI cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, &c.* Et Gregorius *lib.* 34. *mor. c.* 30. *Non debet*, inquit, *hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire, ne qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quod resecare debuit, ipse committat.* Quapropter omnia illa, quæ generaliter *de vita & honestate Clericorum*, videl. de luxu vestium & capillorum, crapula & compotationibus in tabernis publicis, lusu immoderato, ac negotiis sæcularibus evitandis in SS. Canonibus statuta sunt, tanto magis Parochi observare debebunt, quanto ipsis cum cura animarum arctius incumbit, ut aliis bono exemplo præluceant.

Specialiter vero ut incontinentiæ vitium declinetur, sub gravibus pœnis jubet Concil. Trid. *s.* 25 *de ref. cap.* 14. *Quam turpe*, inquit Concil, *ac Clericorum nomine qui se divino cultui addixerunt sit indignum, in impudicitiæ sordibus immundoque concubinatu versari, satis res ipsa communi omnium fidelium offensione testatur, ut igitur ad eam quam decet, continentiam ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ revocentur, populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit, prohibet S. Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas aut alias mulieres de quibus possit haberi suspicio in domo vel extrà detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à SS. Canonibus vel Ecclesiarum statutis impositis puniantur.*

Fœminæ quidem ob ætatem vel primi aut secundi gra- 9
dus consanguinitatem tolerantur, *c. cum omnibus, dist.* 81. *& c. pen. de cohab. Cler. & mul.* Si tamen etiam istæ vel propter se vel pedissequas earum suspectæ forent, protinus removendæ essent, quia etiam in his scelus contigisse compertum est *c.* 1. *de cohab. Cler. c. legitur d.* 18. Addit quoque Concilium pœnas, & certum modum procedendi contra hujusmodi Concubinarios, ac inter alia statuit, ut si à Supe-

rio-

rioribus moniti à fœminis suspectis se non abstinuerint, tertia parte fructuum beneficiorum suorum quorumcunque sint *ipso facto* privati: sin autem in delicto eodem perseverantes secundæ monitioni adhuc non paruerint, fructus omnes ac
10 proventus suorum beneficiorum *eo ipso* amittant &c. † Non vero cogendi sunt Clerici, ut consortium fœminarum abjurent, ne instigante diabolo in idem peccatum radentes perjurii reatum incurrant. *c.3. d. t. de cohab. &c.*

11 Cæterum licet aliqui apud Barb *in Collect. ad d. c. 14. Trid. n. 16* teneant has pœnas Conciliares tantum habere locum in suspectis de concubinatu scilicet cum fœmina domi retenta, nihilominus ex textu Concilii magis apparet, quod etiam de aliis delictis carnis sine qualitate concubinatus (ut si extra domum frequententur suspecta consortia) procedant. *Navar. Consil. 1. d. l. de cohab. &c.*

12 Sed hic quæri posset, an hæ pœnæ Concilii quæ ipso facto incurruntur statim in conscientia locum habeant, ita ut Parochus fructus ita amissos sine alia condemnatione ultrò restituere teneatur? R. Benigniorem esse sententiam, quod pœnæ quæ etiam ipso jure irrogantur non aliter obligent in conscientia, quam si *sententia declaratoria* sequatur, per quam Judex declaret tales pœnas solvendas esse, *per ea quæ docet Covar. de matrim. p. 2. c. 6 § 8. num. 13. arg. c. cum secundum 19. de haret. in 6* ubi videtur supponi regolariter ad pœnas ipso jure irrogatas debere accedere sententiam declaratoriam, nisi specialiter ob gravitatem criminis aliud statuatur. Maximè verò in nostro proposito hanc *sententiam declaratoriam* requiri non obscure ex ipso Concil. Trid *d. s. 24. c. 14.* colligitur: dum ibi fructus à Clerico concubinario *ipso jure* amissi non per ipsum Clericum, sed *arbitrio Episcopi* fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco jubentur applicari.

13 Dices, si pœnæ Concilii tantum post præmissam monitionem locum habent, ergo ante monitionem Clericus impune peccabit? R. Quod pœnæ Concilii eum potissimum casum respiciant, si Clerici de incontinentia suspecti nolint consortium fœminarum devitare. Si verò Clericus de actuali lapsu carnis sive ante sive post monitionem convictus fuerit, variæ contra ipsum pœnæ in jura dictantur, scilicet suspensionis ab officio & beneficio, incarcerationis, nonnunquam etiam depositionis *cap. Maximianus & ibi Gl. d. 81.* quales pœnæ arbitrio Judicis Ecclesiastici pro circumstantia facti temperari vel aggravari possunt. *Pan. in cap. at si Clerici de judic. n. 35 Farin. de delict. carn. q. 137. n. 17.* illum verò abusum reprehendit Garc. *de benef. p. 11. cap 10. n. 188.* quod quidam Judices Ecclesiastici ex delictis quodammodo quæstum faciunt, & mulctas pecuniarias sibi applicant, quam pœnam divites parum pertimescunt. *c. 3. de pœnis.* regulariter etiam mulctæ pecuniariæ piis causis applicandæ sunt, ne videatur punitio ex radice avaritiæ procedere. *Trid. c. 3. vers. in causis s. 25. de ref.*

14 Alia est disputatio utrum sacerdos concubinarius incurrat ipso jure suspensionem propriè dictam *juxta c. præter dist. 32.* ita ut si celebret ante absolutionem fiat irregularis, cum qua tamen per S. Pontificem dispensari possit. *c. 1. de sent. & re jud. in 6.*? De concubinario occulto satis conveniunt DD. quod non sit suspensus propriè, sed tantum eo modo suspensus, quo quilibet in peccato mortali existens usque dum pœniteat. *c. fin. de cohab. Cler. & mul.* At verò de concubinario notorio (qui scil. talis est per confessionem factam in judicio, sententiam, aut evidentiam rei, quæ nulla potest tergiversatione celari *d. c. fin.*) magna est dissensio apud Garc. *de benef. p. 7. c. 14. n. 11. & seqq.* Sane consuetudine, quæ quæ est optima legum interpres, *L. si de interpretation. ff. de ll.* videtur recepta sententia Covar. *in relect. Clem. si furiosus p. 1. §. 1. n. 5.* Innoc. Spec. & aliorum, quod Canones qui de suspensione concubinarii notorii loquuntur, sint intelligendi de suspensione impropria seu *de simplici prohibitione* celebrandi divina, non autem de ea, quæ sit *censura*, & cujus transgressio irregularitatem inducat. quia nec antiqui Canones, nec Concilium Trid. unquam de tali irregularitate mentionem faciunt, quamvis dum talibus Clericis celebrationem interdicunt, supponant eos sæpius celebrare. multo minus in praxi videmus, quod Clerici concubinarii post pœnitentiam dispensationem super irregularitate à S. Pontifice petant. imo *in c. si qui sunt. dist. 81. & c. fin. de cohab. Cler. & mul.* satis insinuatur, quod post pœnitentiam & concubinæ expulsionem hoc ipso alicui jus celebrandi restituatur, neque ibi dispensatio super irregularitate requiritur. Porrò non est insolitum in nostro jure, ut suspensio non semper sit *censura*, sed aliquando tantum de *simplici prohibitione* celebrandi accipiatur: ita enim *in c. dilecta. major. & obed.* dicitur, quod Abbatissa possit suos Clericos *ab officio beneficioque suspendere*, quod profecto *de censura* intelligi non potest, cum ea pertineat ad claves Ecclesiæ, quæ fœminis traditæ non sunt, sicut nec B. Virgini licet esset dignior omnibus Apostolis. *c. nova. de pœnit. & remiss. Gl. in d. c. dilecta.*

Præterea statuitur in SS. Canonibus, quod Clericus notoriè concubinarius in divinis officiis evitandus sit, neque licitè ab eo sacra audiantur. *c. nullus. & seq. d 32.* non quidem, quod ab eo Sacramenta non rectè conficiantur, *cum quantumcunque pollutus divina polluere non possit, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. cap. vestra. 7. de cohab. Cler. & mul.* sed ut per populi contemptum ad pœnitentiam trahatur, & aliis peccandi licentia auferatur. Attamen etiam hic cum pluribus censet Barb. *Jur. Eccles. Un lib. 1. c. 40. n. 44.* Extrav. Martin. V. *ad evitanda.* prodesse fidelibus, ut non teneantur evitare concubinarium notorium ante denuntiationem vel actualem suspensionem Episcopi. 15

Quoad *scientiam* in Parocho requisitam, optandum quidem foret, ut nonnisi optimè instructi in Theologia & SS. Canonibus assumerentur: quia verò id in tenuioribus præsertim parochiis haud facilè haberi potest; Ideo saltem in Parocho desideratur, ut sciat ea, quæ plebi sunt ad salutem necessaria, nempe ut sciat articulos Fidei, & Decalogum, & sufficienter sciat ea, quæ pertinent ad Sacramentorum administrationem. *Sotus in 4. dist. 25. art. 4 Can. 3.* 16

C A P U T III.

An Regulares sint capaces Beneficiorum Curatorum etiam sæcularium.

S U M M A R I A.

1 *Beneficia regularia regularibus, sæcularia sæcularibus conferenda procedit in simplicibus.*
2 *Regularis potest fieri Episcopus Ecclesiæ sæcularis.*
3 *Etiam Præpositus vel Decanus Ecclesiæ Collegiatæ.*
4 *Vicarius quoque generalis Episcopi.*
5 *Etiam Parochus in Ecclesia sæculari.*
6 *Quid observandum in promotione Regularium ad parochias.*

CErta quidem Regula est, quod beneficia *regularia regularibus & sæcularia sæcularibus* conferenda sint. *cap. cum de beneficio. 5. de præb. in 6. Clem. 1. de suppl. negl. Præl.* Eaque de beneficiis simplicibus Canonicatibus Cathedralium vel Collegiatarum Ecclesiarum satis recepta est, ita ut similium Religiosi sine dispensatione (extra unionem factam Monasteriis per Episcopum ut infra *c. 4. n. 5.*) incapaces censeantur, ut notant Barb. & DD. *in c. super eo. de Regular.* 1

Attamen quoad beneficia curata hæc regula non æque procedit. Nam in primis, si beneficia habeant *Curam fori externi*, eorum capaces esse Regulares, † exinde manifestum redditur, quod Religiosus etiam possit eligi in Episcopum, quamvis Ecclesia sit *sæcularis.* per tex. expressum *in Clem. 1. de elect. cap. nullus Religiosus. 28. & cap. si Abbatem 38. eod. tit. in 6.* 2

Idque complures extendunt, ut Religiosus etiam possit eligi in Prælatum seu Præpositum aut Decanum Ecclesiæ Collegiatæ sæcularis. *Gl. in cap. 2. de statu mon. in v. parochiales. Abb. in c. quod DEI timorem. de statu mon. n. ibidem Zachar. q. 7. Graffis in aur. decis. p. 2. lib. 3. cap. 2. n. 1. Azor. Instit. mor. p. 1. lib. 12. cap. 16. q. 13. Lessius de I. & I. l. 2. c. 14. dub. 12. num. 99. Sylv. v. Religio 7. q. 4. & 6.* 3

Vicarium quoque Episcopi generalem posse esse Religiosum cum licentia sui Prælati, dummodo sit natus legitimè (illegitimi enim per ingressum in Religionem legitimantur quidem quoad Ordines, sed non dignitates. *c. 1. de filiis presb.*) & habeat secum socium sui Ordinis, ex communi DD. sententia tradit Barb. *de offic. Epis. alleg. 54. n. 12.* 4

Quod si beneficia habeant solum curam *fori interni* uti Ecclesiæ Parochiales, an tunc ad ea promoveri possunt Regulares? Jam olim prolixe tractavit Gratianus in *caus. 16. q. 1.* ubi inprimis multas authoritates pro sententia negativa adducit, quas deinde *incipiendo à c. doctos. 21.* per contrarias revellit, inter quas insigne est illud decretum Bonifacii Papæ relatum in *cap. sunt nonnulli. 25. ead. causa 16. q. 1.* in hæc verba: *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti audacissime quidem zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt & de Deo vivunt, sacerdotalis officii potentia indignos neque pœnitentiam neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotalis officii divinitus sibi injun-* 5

injunctam potestatem, sed omnia dilabuntur. Neque enim B. Benedictus Monachorum Praeceptor almificus hujus rei aliquo modo fuit interdictor: sed eos secularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo, quod quidem Apostolicis documentis, & omnium SS. Patrum institutis non solum Monachis sed etiam Canonicis maximopere imperatur. Nos verò tantorum Patrum instituti exemplis (quibus periculosissimum est refragari) credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi solvendique officium Deo operante digne administrari, si eos digne contigerit hoc ministerio sublimari. & sane si cura *fori externi* multas curas & distractiones à vita religiosa habens annexas potest committi Religioso, vix apparet cur non etiam imò multò magis cura *fori interni*. Experientia quoque comprobat, à fidelibus Laicis Sacramenta apud Religiosos multo libentius frequentari, de quorum spiritualitate & doctrina magis confidunt. In Concilio quoque Trid. *sess. 23. de ref. cap. 15. & s. 25. de Reg. cap. 12.* aperte supponitur Regulares posse sæcularibus in cura animarum præesse. Unde communis est DD. sententia Religiosos de jure generaliter capaces esse beneficiorum sæcularium curatorum. & ita ob favorem *curæ* & utilitatem spiritualem animarum, esse exceptionem ab illa regula, quod sæcularia beneficia tantum sæcularibus conferenda sint. *per tex. Gl. & Pan in cap. quod Dei timorem. 5. de statu Monach. Less. & Azor. dd. ll. Navar. de stato Monach. cons.* 12. & 12. & plures alii quos refert Tamburin. *de jure Abbatum. 3. disp. 9. q. 8. nu. 4. Garc. de benef. p. 7. c. 20. n. 17.* & arguitur ex Concil. Trid *sess. de ref. cap.* 12. ubi specialiter de Religiosis translatis ab uno ordine ad alium decernitur, quod in Monasterio manere debeant, & omnium beneficiorum *sæcularium etiam Curatorum* incapaces sint: unde cum exceptio firmet regulam in casibus non exceptis, recte infertur alios Religiosos non translatos beneficiorum *secularium Curatorum* capaces esse. Non obstat *cap. 2. de statu Mon.* quia ibi Concil. Later tantum prohibet ne singuli Monachi, id est, sine socio in Parochiis habitent, & sic magis pro nobis facit. Nec etiam *c. 1 de Capell. Mon.* quia ad evitandam jurium correctionem explicari potest, vel de antiquo statu Monachorum, quando plerique erant Laici conversi, & pauci Sacerdotes, neque studiis eruditi, *c. ex multa. de voto.* & in perpetua clausura vivebant sicut Carthusiani: vel quod sine consensu Episcopi populus per Monachum regi non debeat, *Glos in eod. cap.*

6 Ratio autem est, quia utique non est inconveniens, ut quod Religiosi per exercitia spiritualia in Monasterio didicerunt, de eodem etiam alios instruant, juxta illud *Matt. 5. Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum,* & si teste Hieronymo in *c. sic vive. & c. seq 16. q. 1. multo tempore discendum est quod postmodum doceatur, ne prius Magister esse debeat quam discipulus*, eamque ob causam lata est sanctio Conc. Trid *s. 23. de ref. c. 21. & seqq. de interstitiis temporum* bonis moribus & probitate ordinandi observandis, (neque enim intra quadrantem anni intra quem hodie in Sacerdotes promoveri solent prius toti mundo immersi tam facile relinquuntur mores sæculi & vitia, & experientia docet, quam citò revertantur ad vomitum) sano non parum exspectandum est à Religioso, circa doctrinam Christianam, consolationem fidelium, præsertim in mortis articulo, qui per multos annos à vitiis sæculi purgatos, nonnunquam à pueris inter mera pietatis exercitia, ac sanctas meditationes enutritus est. Sunt quidem non pauci ex Recentioribus, qui dicunt, per quandam novam constitutionem Gregor. XIII. item per declarationem Cardinalium abrenuum esse, ut Religiosi absque dispensatione sed. Apost. non possint ad curata beneficia sæcularia promoveri, ut docet Garc. Sanch. & Gonzalez apud Tambur. *d. l.* sed idem Tamburin. in *d. q. 8. n 11. & seqq.* dictam constitutionem Gregor. XIII. nunquam fuisse usu receptam testatur, cum post eam contrarium practicatum & per Rotam decisum, atque per Cardinales declaratum fuerit.

7 Verum generaliter circa promotionem Religiosorum ad Parochias tria sunt animadvertenda I. Ne ad Parochias exponantur illi, qui indisciplinatis motibus sunt, & in Monasterio contineri nequeunt, *qui enim domui suæ præesse nescit quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? 1. ad Tim. 3.* per tales enim, qui jam habita occasione *qua data porta ruunt*, scandalizatur Parochia, Prælatorum conscientiæ onerantur, Monasteriorum & Religionis fama gravatur. II. Ut ii, qui in Parochiis collocantur si fieri possit cum socio sui ordinis sint, *c. 2. & 5 de statu Monach.* 3 ne in perpetuum ibidem relinquantur, sed ne nimia sæcularibus curis & negotiis immergantur, quandoque pro renovatione spiritus, ad Monasterium revocentur, alio interim substituto. Non tamen idem minus Religiosus erit Parochus, quod, sicut Clericus sæcularis, ipse vel ejus nomine Prælatus (in quem nomine Religiosi voluntas collata censetur) parochiam resignet. Optimus tex. *in Clem. un. vers. præmissa de suppl. neglig Præl.* ubi dicuntur constitui posse speciales Rectores Ecclesiarum & beneficiorum non ad mensam unitorum, qui possunt libere ad claustrum revocari.

C A P U T IV.

De Vicariis Parochialium Ecclesiarum.

S U M M A R I A.

1 *Vicarii alii perpetui, alii temporales.*
2 *Vicaria perpetua est beneficium.*
3 *Institutio authorizabilis potest præscriptione acquiri.*
4 *Quis possit erigere Vicarias.*
5 *Parochiales Ecclesiæ hodie prohibentur uniri. fallit, ut ibi.*
6 *Incorporatio antiqua præsumitur facta fuisse legitime.*
7 *Notabiles declarationes Concil. Trid. s. 7. c. 7. circa potestatem Episcoporum instituendi Vicarios perpetuos in Ecclesiis unitis.*
8 *Cura animarum an sit penes Vicarium, vel exponentem?*

Vicarii dicuntur qui beneficio alicui non tam suo quam alieno nomine præsunt, iique vel perpetui sunt, vel temporales. 1

Vicarii *perpetui* sunt, qui potissimum in Parochiis unitis & incorporatis Monasteriis, Collegiis, Canonicatibus aliisve piis locis per Episcopum instituuntur ad præsentationem Prælati vel Rectoris loci cui talis Parochia incorporata est. Ideo- 2
que etiam Vicaria perpetua beneficium proprie dictum est. *cap. postulasti. 26. de rescript.* & quæ in jure de beneficiis & beneficiatis statuuntur, cæteris paribus etiam de Vicariis perpetuis accipienda sunt.

Vicarii *temporales* dicuntur, qui ad beneplacitum Prælatorum vel Rectorum exponuntur; & deponuntur, onde & Vicarii *ad nutum amovibiles* vocantur. Idque conceditur cum unione beneficii *pleno jure* quoad spiritualia, & temporalia, ubi Episcopus non habet institutionem vel investituram, sed ad summum tantum institutionem *authorizabilem* sive approbationem quoad curam animarum, jux. Trid. † *s. 23. cap. 15.* 3
& s. 25. de Reg cap. 11. nisi & hæc ipsa approbatio vi privilegii aut præscriptionis ad inferiores Prælatos pertineat. *Panorm. in c. cum non liceat. circa fin. de præscrips. Barb. de offic. Episc. p. 3 alleg. 72. n. 185. & alleg. 127.*

4 Erectio Vicariarum de jure communi quidem, cum ex potestate unicè dependeat, non tantum S. Pontifici sed etiam Episcopo competit, qui regulariter omnia beneficia suæ Diœcesis inter se vel cum aliis piis locis ex rationabili causa & saltem cum consensu Capituli unire potest, *c. sicut unire de excess. Prael.* † At in Concil. Trid. *s. 24. de ref. cap.* 13. prohibetur, 5
ne parochiales Ecclesiæ uniantur dignitatibus vel præbendis Ecclesiæ Cathedralis aliisque beneficiis vel piis locis. Nihilominus etiam stante hac constitutione Trid. facere potest Episcopus uniones parochiarum pro fundatione, dotatione, augmento vel conservatione Collegiorum, Monasteriorum & aliorum piorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, bonarumque artium cultum, ut post Gonz. *gl 5. §. 7. n 46.* tradit Barb. *in collect. ad d. loc. Trid. & Jur. Eccles. univers. l. 3. c. 16. n. 34.* non est tamen dubitandum, quin consuetudine aut præscriptione jus antiquum retineri aut recuperari potuerit, secundum vulgata consuetudinis jura, quæ potestatem habet leges humanas vel abrogandi & antiquandi, vel abrogatas & antiquas renovandi, aut novas inducendi. prout Interpp. passim ad tit. de consuetudin. exponunt, sed & in beneficiis simplicibus vel curam tantum *habitualem* habentibus nihil immutatum legitur, *Barb. ad d. loc. Trid. n.* 10. sicut ergo olim, etsi *sæcularia*, potuit Episcopus loco Religioso unire. *Joan: Hen. ad tit. decret. de preb. p. 4. n. 63.* ita etiam hodie; exceptio enim Tridentini tantum de *Parochialibus Ecclesiis* firmat regulam in aliis Ecclesiis non exceptis, neque plus censetur de jure veteri mutatum quam expressum. *L. præcipimus 32. § 6. C. de appellat.*

6 Potest etiam hic adnotari, si in antiquis litteris incorporationis non sit expressus consensus Capituli, non tamen invalida debeat reputari incorporatio, cum enim ex diuturnitate temporis omnia presumantur legitime acta fuisse. *Dec. & alii in l. 1. C. qui admitti. Bald. Vol. 2. Cons. 511.*

recte

rectè etiam hoc casu præsumi potest, vel consensum intervenisse, vel Episcopum consuetudine aut præscriptione non requirendi consensum contra Capitulum munitum fuisse.

Porrò in Concilio Tridentino *sess. 7. de reform. cap. 7.*
7 potestas datur Episcopis, in beneficiis curatis, quæ Cathedralibus vel aliis Ecclesiis aut Monasteriis unita sunt, ponendi Vicarium perpetuum, cum tertiæ partis fructuum aut majoris vel minoris arbitrio ipsorum Ordinariorum portionis assignatione. Verùm circa hanc Concilii constitutionem.

Not. est I. Non esse Episcopum pro suo libitu, absque justa & necessaria causa instituere Vicarium perpetuum, maximè si per talem institutionem turbaretur bonum pacis, & lites subnascerentur, alias dabitur appellatio contra Episcopum, Garc. *de benef. p. 11. c. 2. n. 8.* Sanch. *in præcepto Decal. to. 2. lib. 7. cap. 29. n. 191.*

Not. II Ex vi hujus decreti non posse Episcopum deputare Vicarium perpetuum, quando unio facta est per viam pacti & concordiæ à Sed. Apost. approbatæ cum clausula de serviendo beneficio per Vicarium ad nutum amovibilem, quia ex clausula derogatoria in d. decreto Concilii posita non derogatur pactis, quæ specialem mentionem requirunt, Sanch. *d. l.*

Not. III. Quòd neque in illis locis possit institui Vicarius perpetuus, ubi ab immemoriali semper per Vicarium ad nutum amovibilem deserviri solitum fuit, ut iterum docet Sanch. *d. l.* & Barb. *in Collect. ad d. l. Trid. n. 16.*

Not. IV. Neque in Parochiis Monasteriis incorporatis, ubi per regularem deservitur, posse poni Vicarium perpetuum, juxta Bullam Pii V. *ad exequendum* §. 5. de qua etiam testatur Barb. *c. l. nu. 17.* Vel enim Episcopus deberet ibidem exponere pro Vicario perpetuo Clericum sæcularem, vel regularem; non primum, quia privaret Monasterium suo jure quod habet exponendi Religiosos, qualem potestatem privandi nec Concil. nec alii Canones Episcopo tribuunt. Non secundum, quia non potest Episcopus nec debet Religiosum ab obedientia, & revocatione sui Prælati absolvere. Quod etiam Papa non facit, *cap. ad nostram, cap. porrecta de confir. util.*

Not. V. Ne Episcopi abutantur potestate sua in assignanda congrua portione Vicariis, ideò post Concilium constitutum esse à Pio V. in d. Bulla ad exequendum, quòd cujuscunque valoris vel oneris parochia fuerit, non debeat Vicario pro sua portione major quàm centum, nec minor quàm 50. scutorum annuorum summa computatis omnibus obventionibus assignari, nisi prius Vicarius majorem portionem percipere solitus fuerit.

8 *Quæri* etiam posset penes quem sit cura animarum in unitæ Ecclesiæ, an penes Vicarium, vel Rectorem loci cui unita est Ecclesia, vel penes utrumque? R. Distinguendum esse inter Vicarios perpetuos & temporales, nam in Vicarios perpetuos censetur tota cura translata, adeò ut Rector loci principalis in dictam curam se ingerere audiendo ibidem confessiones, aliave Sacramenta administrando, non possit. In Vicarium autem temporalem seu ad nutum amovibilem tantummodò exercitium curæ transfertur, & ipsa cura adhuc penes Rectorem loci principalis residet, & si per eum exerceatur, intelligitur Vicarius tantisper revocatus, *Barb. de Parocho p. 1. c. 1. n. 53.*

Alia quædam de Parochiis incorporatis Monasteriis tradita sunt in libell. de Privil. Monaster. *priv. 46.*

CAPUT V.

De Obligatione, quæ incumbit Parocho residendi in sua Parochia.

SUMMARIA.

1 *Ad residentiam de jure divino obligantur habentes curam animarum.*
2 *Sine licentia Episcopi & relicto Vicario ab Episcopo approbato Parochi abesse non possunt, secus facientes perdunt fructus.*
3 *Controversia, an Parochus per duos menses abesse sine licentia possit.*
4 *Negativa verior.*
5 *Hodie non potest amplius Episcopus dare licentiam, ut Parochus absit studiorum causa.*
6 *Consuetudo, ut Parochus notabili tempore ultra duos menses absit, est corruptela.*
7 *Quid possit consuetudo circa residentiam Parochorum.*
8 *In necessitate repentina quid faciendum Parocho.*
9 *Non sufficit Parochum esse præsentem si nunquam per se ipsum Sacramenta & curam administret.*
10 *Parochus qui totam curam per suos Cooperatores exercet, tenetur ad restitutionem fructuum, arbitrio tamen boni viri.*
11 *Pestis non excusat à residentia.*
12 *Excusat tamen ab administratione Sacramentorum, si idoneus Vicarius substituatur.*
13 *Regulæ quædam notabiles observandæ ab administrantibus Sacramenta pestiferis.*
14 *Qualiter residere teneatur, qui Canonicatum cum parochia habet.*
15 *Quis possit remittere obligationem residentiæ?*

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

OMnium illorum, qui curam animarum gerunt, residentiam instantissimè urget Concil. Trid. *sess. 6. de reform. c. 1. & 2. & sess. 23. c. 1. Præcepto enim divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa* (verbis utor Concil. *d. sess. 23.*) *oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed more mercenariorum deserunt, &c.* 1

In specie autem de Parochis seu curatis inferioribus statuit Concil. *d. sess. 23. cap. 1. §. eodem omninò, ut quandocunque eos causa priùs per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant, discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant.* Pœna quoque, quam idem Concil. *in dict. cap. 1. §. si quis autem*, contra Episcopos non observantes illud decretum constituit, statim in seq. §. *eodem omninò* ad curatos inferiores extendit, itaut & isti *præter mortalis peccati reatum, pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciant, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere possint, sed teneantur fabricæ Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare, &c.* quòd si major fuerit contumacia, liberum erit Episcopo per censuras, aut subtractionem fructuum etiam usque ad privationem procedere, *dict. sess. 23. cap. 1.* Porrò ex allegatis Concilii textibus. 2

Quær. I. Utrùm Parochus saltem per duos menses in anno possit abesse sine licentia Superioris, sicut concessum est Episcopis & Canonicis *in eadem sess. 23. cap. 1.* Non est paucorum sententia cum Navar *in man. cap. 25. sub num. 121.* constitutionem Concilii ita intelligendam esse, quòd Parochus si ultra duos menses abesse velit licentiam Superioris impetrare debeat, cæterùm per duos menses singulis annis ex aliqua causa, quæ ipsi Parocho bona fide justa videtur, sine licentia abesse possit. Tum quòd Concil. *d. l. in §. eodem omninò*, inter obligationem residendi, quæ est in Parochis, comparationem faciat, tum etiam quòd id de jure antiquo licuerit, *ex c. præsentium 7. q. 1.* 3

Alii è contra censentes illam comparationem inter residentiam Episcoporum & Curatorum tantùm quoad *pœnas* factam, negant, Parochum unquam sine licentia discedere posse, pro quibus meliùs facit text. Concilii, qui vult à Parochis licentiam exigi, *quandocunque eos abesse contigerit*, & mox subjungit, quòd nec cum licentia Episcopi debeant ultra duos menses nisi ex gravi causa abesse, atque hanc posteriorem sententiam confirmavit declaratio Card. apud Garz. *de benef. p. 3. c. 2. nu. 23.* & quidem sub eo rigore, ut nec per hebdomadem liceat parocho sine obtenta licentia abesse, quod verò *authoritate d. cap. præsentium*, dicitur, de jure antiquo licitam fuisse absentiam duorum mensium sine licentia Episcopi, rectè negari potest *ex cap. si quis in Clerico 7. q. 1. & c. relatum 4. de Cler. non resid.* Unde in *d. c. præsentium*, nil aliud disponitur, quàm quòd ob absentiam duorum mensium subexistente causa ægritudinis aliquis beneficio privari non debeat: nihil autem ibidem dicitur, quod Parochus sine licentia ad duos menses discedere possit, videatur Garc. *d. c. 2. nu. 19. & seqq.* Barb. *de Offic. Par. p. 1. c. 8. n. 58. & seqq.* 4

Prætereà quamvis olim Parochi cum licentia Episcopi potuerint studiorum causa etiam per septem annos abesse, *cap. cùm ex eo 34. de elect. in 6.* hodie tamen post dict. decretum Concil. Trid. id non ampliùs per Episcopum rectè concedi à S. Congregatione Cardinalium decisum refert Gonzal. *ad reg. 8. cancell. Gloss. 6. nu. 351.* Barb. *in collect. ad d. c. 1. Trid. sess. 23. nu. 55.* 5

6 *Quær. II.* Utrum consuetudo alicujus loci valeat residentiam Parochorum immutare? Resp. Circa residentiam duo consideranda esse, nimirum I. Obligationem *residendi*, & II. Obligationem *petendi licentiam*, si justa causa absentiæ subsit. Obligatio *residendi*, in genere, pertinens qui curam animarum gerunt, nulla consuetudine tolli potest, cùm sit jure divino præcepta Concil. Trid. *sess. 23. de reform. cap.* 1. contra quod jus consuetudo nihil operatur. At verò obligatio *petendi licentiam discedendi* supposita justa causa discessus, cùm sit mero jure humano pontificio introducta, absolutè quidem loquendo per contrariam consuetudinem tolli potest; si tamen ex tali consuetudine liceret Parocho notabili tempore ultra duos menses abesse sine licentia Superioris, illa (*juxt. text. in Concil. Trid. dict. cap.* 1. § *eodem omninò*) *corruptela*, & consequenter invalida foret propter multa inconvenientia, quæ inde nascerentur. Nam Parochi nulla petita licentia ab Episcopo nullum etiam ab eodem sui loco peterent Vicarium, & sic persæpè cuicunque obvio curam animarum per longius tempus cum multis periculis committerent. Deinde successu temporis eò res deveniret, ut Parochi non tantùm sine licentia, sed multoties etiam sine justa causa oves suas desererent, & mercenariis committerent.

7 Sed ut consuetudine licitum sit Parochis per unam vel alteram hebdomadem ex justa, & rationabili causa, & sine periculo damnificandi gregem substituto interea idoneo Vicario abesse, non improbare audeo, maximè si propter distantiam loci difficilis ad Episcopum aditus pro obtinenda licentia habeatur, & ad modicum tempus 6. vel 7. dierum substitui posse Vicarium pro suo arbitrio etiam sine præscita Episcopi vel vicinum Parochum ex recepta consuetudine tradit Barb. *de Parocho par.* 1. *cap.* 8. *num.* 52 Imò amplius dico, si de consuetudine in aliquo loco Parochi etiam per duos menses continuò abessent ex justa tamen causa, posset satis tolerari, quia per talem consuetudinem videretur declarata illa controversia, quam in priori quæstione tradidi. Constat enim, quòd in dubio jure optima legum interpres sit Consuetudo *l. si interpretation* 37. *ff. de LL.* consentit Laym. *in Theol. mor. lib. 4. tra. c. 6. n. 7.*

8 *Quær. III.* Quid faciendum Parocho, si necessitas tam repentina sit, ut pro obtinenda licentia Episcopum nequeat adire? ℟. Parochum debere post discessum suum, quàmprimum potest Episcopum de causa absentiæ certiorare, ut is de justitia causæ cognoscere, & tempus revertendi determinare possit, *Garc. de benef. p. 3. c. 2. n. 34.*

9 *Quær. IV.* An Parochus satisfaciat suæ obligationi, siquidem in Parochia præsens, sed omnia per suos Capellanos exerceat? ℟. Parochum teneri saltem aliquoties, & maximè si Parochiani ipsum in specie petierint per semetipsum curam, & Sacramenta administrare, *cap. relatum 4. de Cler. non resid. cap. extirpanda* 30. *quia verò de præb.* Cùm enim Parochus pro animabus sibi commissis rationem reddere teneatur, sanè ipsemet experiri debet, qualiter in via salutis instructæ sint. Unde notanter Joan. Sanch *in Sel disp.* 47. *num.* 7. Hinc inferes, prò dolor! inquit, quàm malè aliqui Parochi se gerant, Sacramenta nunquam aut fermè nunquam administrantes, & suarum ovium curam mercenariis committentes, qui cùm ut plurimum Sacerdotes inopes, & egentes sint, timeri non imprudenter potiùs rationem habituros quærendi ab ovibus victum, quàm coram medendi infirmitatibus animæ, complacere eis lludentes, quando respuenda & reprehensionis gladio feriendæ, &c.

10 *Quær. V.* An Parochus ad restitutionem teneatur, si totam curam per Cooperatores exerceat? Negativè respondet Garc *de benef. par.* 2 *cap.* 2. *num.* 53. eò quòd in jure cautum non reperiatur, pœnalia verò extendenda non sint. Contrarium tenet Sylv. *v. Residentia num.* 1. & 6. Joan. Sanch. *d. l. num.* 6. Jac. de Graf. *in decis. aur. l. 2. cap.* 92. *num* 5, nam ex horum doctrina non intelligitur residere, nisi qui Sacramenta administrat, cùm verba accipienda sint cum effectu. Ego hanc posteriorem sententiam judico verbis (*cap.* 4. *de Cler. non resid. & Con. Trid. sess* 23 *cap.* 1.) menti ac rationi legis esse conformiorem, & propterea amplectendam, sub hac tamen moderatione: ut ex sola residentia personali, præcisa ab administratione, credam Parochum saltem medietatem fructuum lucrari, quia experientia constat, quòd Parochiani ex sola etiam præsentia personali magnam utilitatem percipiant, dum in quacunque necessitate recursum ad Parochum habent, & Sacramenta per Capellanos præsente Parocho ipsi diligentiùs administrantur. Præterea in illa parte fructuum, quæ restituenda est, judico intervenire debere arbitrium boni viri, ut plus vel minùs pro qualitate & gravitate negligentiæ restituatur; Imò non dubitaverim quandoque Parochum etiam rariùs per se administrantem Sacramenta, ad nullam restitutionem teneri, si reverà competiat suos Parochianos sufficienter, & fortè meliùs per Capellanos, quàm per se ipsum instrui.

11 *Quær. VI.* An causa grassantis contagionis excuset Parochum à residentia? Negativè fuisse decisam instante Sancto Carolo Borromæo licèt Parochus pestem fugiens alios idoneos Ministros sui loco substituere vellet, ex Selva refert Barb. *in d. c. 1. Trid. sess. 23. num* 60. quia utique in calamitoso illo statu Parochiani ex præsentia proprii Parochi magnam consolationem habent; is enim cùm optimè noscat conditionem suorum subditorum, sine dubio in quotidianis occurentiis tum circa Sacramentorum administrationem, tum circa alias necessitates repentinas meliùs per se vel per alium disponenda disponere poterit, quàm si ipso absente novus Vicarius ad tam quotidiana pericula constitueretur. Illud 12
nimis durum esset dicere, quòd Parochus eousque obligetur, ut etiam per se ipsum Sacramenta tempore pestis administrare teneatur, si idoneum Vicarium vel aliquos viros Religiosos habere possit. Non enim videtur mens fuisse Concilii, ut Parochus, qui fortè multùm est utique Parochiæ, cogatur sine necessitate præsentissimum vitæ periculum subire: dico, sine necessitate, nam si Parochus alios per quos administret habere non possit, tenebitur tanquam bonus pastor vitam suam corporalem, pro vita spirituali ovium sibi commissarum exponere.

Sed advertendum est Parocho, ut tempore pestis in administrandis Sacramentis cautè se gerat, ne ex ipsius prematuro obitu plures alii spirituale damnum patiantur. Quare in eum finem aliquas bonas regulas ex Consiliis Medicorum & Theologorum collectas Parochis & Confessariis pestiferorum tradidit Hen. Marigart. *in suis floribus selectis ad fin.* quarum potiores pro utilitate aliquorum, quibus is libellus forsan incognitus est, hic subnotare volui.

I. Curandum ut ex præscripto Medici bona præservativa 13
ad manum habeantur.

II. Tempore pestis non utendum longa veste quæ protendatur infra genua, nec quæ sit ex materia pilosa, ad quam venenum faciliùs recipitur.

III. Non visitentur ægroti manè, vel saltem nonnisi sumpto jentaculo. Si necessitas urgeat jejuno stomacho ægrum adire (quia is morbus dilationem non patitur, nocet parvula mora) apponatur ad nares parùm Theriacæ, strophiolum aceto unctum vel aliud præservativum applicetur.

IV. Cauterium à chirurgo factum & Medici experientia, optimum esse præservativum docent.

V. Confessarius audiat ægrum à longè, & si fieri potest, curet ut accedat ad fenestram, vel ad portam, aut ad hortum, & semper stet ab illa parte, ubi ventus flat versus ægrum.

VI. Si æger non possit se movere, & pastor seu Confessarius domum ingredi cogatur, stet quinque aut sex pedibus à lecto ægri retrò caput ipsius, jubeat ne æger vertat faciem versus aliam partem: nec moveantur tegamenta lecti: curet super lateres vel lapides accensus igne in medio cubiculo positos infundi acetum ad fumandum, & inter ipsum & ægrotum sit aliquis ignis vel carbones accensi; caveat autem ut nunquam stet inter ignem & ægrotum.

VII. Si æger non possit altè loqui, sed Confessarius debeat propè accedere, & ita se majori periculo exponere, non erit necesse, ut omnia peccata audiat, sed potest rogare ægrum, ut statim de uno vel altero peccato in particulari & de omnibus aliis in genere se accuset, quia in tanto periculo non requiritur confessio materialiter integra.

VIII Si plures jaceant in eodem cubiculo ægroti, qui propter instans mortis periculum singuli separatim confiteri non possint, debebunt omnes simul absolvi (sicut etiam fit in conflictu vel naufragio) forma plurali: *Ego vos absolvo, &c.* dummodo singuli unum vel alterum peccatum palam confiteantur, quod sine scandalo vel notabili sui infamia confiteri possunt, vel si nullum in specie exprimere valeant, generalem Confessionem faciant aut signa pœnitentiæ edant.

IX. Confessarius recedens à pestiferis purget se & vestimenta sua, Albam quoque & Stolam & corporale per ignem & fumum aliquem, vel per aspersionem & lotionem aquæ frigidæ, quæ veneno plurimùm inimica dicitur.

X. Pro cautela Parochorum placuit adscribere verba Pauli Laym. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. quæ etiam habentur apud Joan. Major. *in* 4. *dist.* 23. *qu* 1. Barb. *de Paroch. par.* 2. *cap.* 17. *num* 15. Cavere, inquiunt, debet Parochus „ ne dum pestis tempore unius non graviter indigentis, „ spirituali utilitati consulere intendit, plures alii ex ipsius „ occubitu graviorem jacturam spiritualem patiantur. „

Quare

„ Quare *si solus sit*, non facilè debet cum vitæ suæ periculo „ Sacramenta, quæ non admodum necessaria sunt, vel se-„ cundum se, ut extrema Unctio (quæ qualiter tempore „ pestis conferenda sit dicam ipse infrà in cap. de Extrema „ Unct.) vel respectu personarum, quarum bonum statum „ Confessarius probabiliter cognitum habet, quia nuper ea-„ rum confessiones exceperat. Denique quotiescumque ab „ aliqua persona, quam verisimilibus conjecturis Sacerdos „ credit non habere conscientiam peccati mortalis, vel per „ contritionem rectè ad moriendum dispositam esse, *proba-„ bilissimè* timetur periculum contagionis, in tali casu ma-„ jus bonum publicæ necessitatis præferendum privatæ alicu-„ jus utilitati.

Quær. VII. Qualiter residere teneatur, qui præter canoni-
14 catum Cathedralis Ecclesiæ etiam Parochiam obtineat? Resp. Nisi simul legitimè obtentum sit, ut in Parochia per Vicarium deserviatur, personalis residentia facienda erit in Parochia ob fauorem curæ animarum, *constitut. Pii Quinti cupientes*; & Canonicus taliter curam exercens, habebitur pro præsente etiam quoad distributiones quotidianas, *Trid. sess. 22. de reform. c. 3.* si tamen Parochia fuerit Canonicatui unita; si autem ex dispensatione (quæ utpote contra jus est strictioris interpretationis) acquisita, habebitur Canonicus curam exercens solum pro præsente quoad fructus annuos, non distributiones, *d. Bull. cupien. n. 1*, *Barb. de offic. Episc. alleg. 53. nu. 127. Garc. de benef. p. 3 cap. 2. n. 179.*

Quær. VIII. Cum residentia curatorum de jure divino sit,
15 quomodo relaxari valeat? Resp. esse tantùm juris divini in thesi & regulariter, in hypothesi verò & singularis circumstantiis frequenter dari hac regula exceptionem, si modò per idoneum Vicarium curæ providеatur? & quidem circa absentiam perpetuam vel diuturnam, exceptionem legitimam declarare ad S. Pontif pertinet, circa brevem v. g. aliquot mensium, etiam ad Episcopum, vide Laym. *in Theol. mor lib. 4. tr. 2. c. 6.*

CAPUT VI.

De Obligatione Parochi recitandi Horas Canonicas.

SUMMARIA.

1 *Beneficiatus etiam curatus omittens Horas Canonicas tenetur ad restitutionem.*
2 *Controversia an Parochus ad omnes fructus restituendos teneatur ex omissione Breviarii.*
3 *Æquior est sententia ut propter onera Parochialia possit aliquam partem deducere.*
4 *Æquitas rigori Juris quandoque præferenda.*
5 *Beneficiatus in primis 6. mensibus omittens horas non tenetur ad restitutionem, secus tamen videtur, si obligatio orandi incumbat ex fundatione.*
6 *Qualis attentio requiratur in orando Breviario.*
7 *Sine interna attentione recitans probabiliter potest excusari a restitutione.*
8 *Qui Psalmos unius horæ interruptim dicit sine causa, peccat quidem venialiter, satisfacit tamen præcepto.*
9 *Similiter qui ex errore unum officium pro alio dicit.*
10 *Capellani Parochorum non tenentur ad restitutionem, si Breviarium omittant.*
11 *Parochus regularis quando teneatur ad restitutionem.*
12 *Quid de Vicariis perpetuis dicendum?*
13 *Quid veniat nomine pauperum & fabricæ Ecclesiæ, quibus facienda est restitutio.*
14 *Causæ excusantes ab oratione.*
15 *Quandonam is, qui potest partem orare, sed non totum, teneatur ad partem orandam.*

1 INter omnes convenit Clericos beneficiatos teneri ad solvendas Horas Canonicas, *prout text. sunt in cap. fin. distinct. 92. cap. 1. de Celebr. Missar. cap quia per ambitiosam de rescript. in 6.* Id quod etiam de obtinentibus beneficium *curatum* clarè expressit Leo X. in Concil. Later. in sua Bulla, quæ incipit *Superna dispositionis 5. §. 38.* Et Pius V. in illa Bulla, quæ incipit. *Ex proximo, &c.*

Porrò omittentem Horas Canonicas non tantùm graviter peccare, sed etiam ad restitutionem fructuum *pauperibus vel fabricæ beneficiorum* faciendam teneri, in dd. Bullis statutum *Man. Parochor. P. Ludov. Engel.*

est. Eamque restitutionem hoc modo fieri debere declaravit Pius V. ut si aliquis totum Breviarium omiserit, teneatur ad restitutionem omnium fructuum, qui si singulis diebus dividerentur, proportionaliter pro una die cederent: si verò omiserit Matutinum, teneatur ad dimidiam partem unius diei, si alias omnes horas præter matutinum, ad alteram dimidiam, si unam tantùm horam, ad sextam partem fructuum restituendam. Sed

Quær. I. An sub hac dispositione, & distributione Pii V. 2
etiam Parochi comprehendantur, ut si per unum diem Breviarium non oraverint, teneantur ad omnes fructus illius diei restituendos, vel potius possint sibi aliquam partem propter onera Parochialia retinere?

Plerique ob tantam generalitatem inter Parochos, & alios beneficiatos non distinguunt, *Azor Instit. mor. par. 1. lib. 10. cap. 14. quæst. 5. Barb. de Offic. Paroch par. 1. cap. 10. num. 32. Suarez de Hor Canon. cap. 30. num. 6.* Verum non desunt alii celebres Authores, qui magis æquitatem considerant, censentes quòd illa verba, *omnes fructus*, in Parochis (imò etiam in aliis beneficiatis, quibus onus residendi, dicendi Missas, &c. incumbit) limitari possint ad omnes fructus correspondentes Breviario. † Nam fructus non tantùm deberi existi- 3
mant propter Horas Canonicas, sed potius propter onera alia, præsertim verò Parochialia Sacramentorum administrationem, ideòque restitutionem eorum propter non oratum Breviarium debere fieri proportionaliter arbitrio boni, & prudentis viri, ita ut duas partes fructuum possit Parochus computare pro labore Parochiali, & unam pro Horis Canonicis: & consequenter si verbi gratia portio redituum Parochialium unius diei fortè sint 3. floreni, propter totum Breviarium omissum tantùm teneatur unum florenum restituere, cujus opinionis sunt Lopez, Tolerus, Sà, Sanchez, & alii cc. a Barbos. *dict. cap. 10. num. 33.* Ego hanc posteriorem sententiam magna æquitate nixam satis tutè practicari posse opinor, secundùm vulgatas juris regulas, † quòd æquitas 4
sit rigori juris præferenda, si salva ratione recti sermonis lex aliqua ex bono & æquo interpretationem recipere possit. *L. placuit C. de judiciis*, *Fachin. lib. 1. cap. 3* Maximè in pœnalibus & odiosis, in quibus semper benignior est interpretatio facienda, *ut pœnæ potiùs molliantur, quàm exasperentur, L. penult. ff. de pœn. c. odia*, *& cap. in pœnis de reg. jur. in 6.*

Quær. II. Quandonam incipiat obligatio restituendi pro- 5
pter non oratum Breviarium? Resp. Primùm post sex menses numerandos à die adepti Beneficij, sicut in d. Bulla Leonis expressè habetur, & in Bulla Pii V. nihil hac in parte immutatur, sed solùm declaratur, quòd per primos sex menses non orans Breviarium sine justo impedimento graviter peccet. Licèt autem Sotus apud *Navar. de oratione c. 21. num 60.* videatur dubitare, utrùm Pontifex potuerit tanto tempore non orantibus Breviarium restitutionem relaxare? nihilominus cum eodem Navar. rectiùs hic scrupulus rejicitur, cùm oratio Breviarii, & propter ejus omissionem consequens restitutio tantùm Jure humano introducta sit, quod S. Pontifex pro suo arbitrio vel omnino remittere vel certo modo temperare potest. In illis tamen beneficiis, in quibus fundator obligavit beneficiatum ad recitandas quotidie Hor. Canon. procedere potest opinio Soti, ut etiam primis sex mensibus nascatur obligatio restituendi, quia in talibus beneficiis obligatio orandi Breviarium descendit ex Jure naturali, & etiam omittens peccat contra justitiam commutativam tanquam stipendiarius, qui non facit id, pro quo stipendium accipit, prout intelligendus videtur Suarez *de Hor. Canon. cap. 29. nu. 7.*

Quær. III. Qualis attentio, vel intentia requiratur ad solvendas Horas Canonicas? ℟. Non aliam requiri, quàm ut orans verba integrè proferat, & id faciat ex proposito tali modo Deum colendi, licet interim parùm curet de intellectu verborum quæ pleraque mysticum sensum habent, & ne quidem à viris doctis satis intelliguntur. Et propterea sufficit, ut illa intentio colendi Deum virtualiter perduret, quamvis ex humana infirmitate variæ distractiones interveniant, dummodo illæ distractiones omninò voluntariæ non sint. *Paul. Laym de orat & Horis Canonicis, cap. 5. num. 9. & seqq.* Docent quidem aliqui magni nominis DD. ut Durandus Palodanus S. Antoninus, Medina, Sylv. & alii cc. apud Laym. *d. cap 5. num. 10. n. contrariam*, non requiri aliquam internam attentionem sed solam externam circa verba integrè proferenda sufficere. Verùm cùm leges debeant accipi secundùm verisimilem intentionem legislatoris *cap. secundò 41. de appell. contra legem 29 ff. de LL. cap fin. de reg. jur. in 6.* prior sententia utique probabilior, eò quod non sit credibile, Ecclesiam voluisse solam illam materialem & externam prolationem verborum quacunque men-

te vel intentione factam præcipere, quia in c.1. *de celeb. Miss.* profitetur, se velle expleta illud Davidis: *Septies in die laudem dixi tibi*, & illud: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Ac in c. *dolentes* 9 *de celeb. miss.* præcipit, *ut studiose pariter ac devotè* Horæ Canonicæ persolvantur. Dicente item S. Hieron *Audiant ii, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce tantùm sed corde psallendum*, & S. Bened. in Reg. cap. 19 *sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostra*. Quidquid enim sit, an actus merè internos, qui in sola animi cogitatione consistunt, Ecclesia directè percipere valeat, quod aliqui non improbabiliter affirmant, quamvis ob scrupulos conscientiarum non semper expediret, nec Ecclesia ob defectum probationis transgredientes punire posset, *cap. cogitationis de pœnis distinct.* 1. potest tamen præcipere actus mixtos partim internos, & partim externos, quatenus interna præparatio animi ad operis externi moralem perfectionem & substantiam necessaria est, v. g. intentionem consecrandi in Missa, absolvendi in pœnitentia, &c. nam homo non tantùm quoad directionem externarum actionum, sed etiam quoad directionem animæ subjectus est, juxta illud Apost *ad Rom.* 13. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, & paulò post: *non solùm propter iram* (id est pœnam fori externi) *sed etiam propter conscientiam*.

Quær. autem *IV.* An ad restitutionem teneatur, qui omni interna attentione voluntariè neglecta Horas recitaverit, ℞. Videri quidem tali casu restitutionem pro tutiori consulendam, quia eam imponunt cum Suar. *de Horis Canonicis*, *cap.* 26. *num.* 25. alii quoque DD. si tamen pœnitens difficulter persuaderi posset, non esset, meo judicio, multum urgen-
7 dus. † Enim verò in proposita quæstione negativa sententia admodum probabilis est: cùm Bullæ in principio hujus §. allegatæ tantùm imponant restitutionem *non dicentibus* Horas Canonicas, at is, qui sine intentione vel interruptim dicit non possit omninò haberi pro *non dicente*, alias autem odia restringenda sint, neque peccato merè interno regulariter à jure pœna infligatur, *L. cogitationis, de pœnis, Layman d. cap. 5. sub num. 10. Medin. Cod. de orat. qu. 15. & ib. Corduba lib. 4. quæst. Theol qu. 13 circa fin. Henriq. lib. 9. cap. 25. num. 5.* Non obstat quod quidam in contrarium adducunt cum Suarez *de Hor. Canon cap. 26. num. 25. & seqq.* videlicet omittentem internam attentionem non satisfacere præcepto, teneri ad repetitionem Breviarii, &c. nam ℞. Non satisfacere præcepto eo perfecto modo, quo deberet, adeòque ad evitandam culpam; satisfacere autem ad evitandam restitutionem, quia non constat, quòd Ecclesia obligationem restituendi etiam ad eam partem præcepti extenderit, qua tenetur recitans internam attentionem adhibere. Nam & sola externa attentio non est sine omni fructu: si enim in choro psalmodia decens fiat, ædificat audientes; si privatim recitetur Breviarium, præbet saltem occasionem devotioni, & plerumque fit, ut vel incidenter interveniat bonus affectus, vel saltem piæ meditationes aut instructiones ex psalmis, & lectionibus memoriæ hæreant, & quasi præter intentionem in animum irrepant.

Quod verò de necessitate repetendi Breviarium dicitur, si interna attentio omissa sit, illud non est usquequaque certum; negant enim Medina & Corduba cc. ll. sed licet concesserimus, non tamen statim sequitur, quòd omittens repetitionem, teneatur ad restitutionem, vel hoc ipso quòd præcepto in quantum *non dicentibus* injungit restitutionem jam satisfecerit, quamvis non satisfacerit præcepto in quantum etiam vult internam attentionem adhiberi, sed id sub nulla expressa pœna vel obligatione restituendi.

8 *Quær. V.* An satisfaciat præcepto, qui Psalmos unius Horæ interruptim recitaverit vel officium ex errore mutaverit unum pro altero dicendo? ℞. Quòd interruptio Psalmorum sit quidem aliqua irreverentia, & propterea peccatum, sed ex communi sententia tantùm *veniale*, & ideircò interrumpens etiam per unam vel alteram horam non tenebitur ad repetitionem, quia quilibet Psalmus continet perfectam orationem. Quod si alicui quædam occupatio incidat, quam commodè differre nequeat, interruptio planè culpabilis non
9 erit, *Less. de I & I lib. 2. cap. 37. dub. 15. num. 57.* † Similiter etiam satisfecit præcepto, & ad repetitionem non tenebitur, qui unum officium præsertim ex errore pro alio dixit, quia substantia præcepti consistit in eo, ut septem Horæ Canonicæ quotidie dicantur, ut verò dicatur, officium v. g. de Sancto, pertinet solùm ad ritum & accidentalem Ceremoniam, *Less. d. c. 37. dub. 12. nu. 77 Sylv. v. Hora qu. 12.*

10 *Quær VI.* An Capellani seu Cooperatores Parochorum propter non oratum Breviarium teneantur ad aliquam restitutionem? Negandum: quia suum salarium non accipiunt tanquam ex beneficio Ecclesiastico, sed propter personale servitium & functiones Parochiales, *Suar. de Horis Canonicis c. 21. n. 17.*

Quær. VII. An regularis qui est Parochus teneatur ad restitutionem si Breviarium omittat? Puto distinguendum, an Parochia sit Monasterio incorporata, & eam habeat Regularis tanquam administrator, & Vicarius temporalis ad nutum superioris amovibilis, vel eatum non sit Monasterio incorporata, & eam habeat Regularis tanquam beneficium? In priori casu propterea non erit facienda restitutio, quia Regularis tantùm percipit suam congruam sustentationem, & quidem non tanquam ex beneficio, sed propter administrationem Curæ, ipsum verò beneficium, ejusque fructus ratione incorporationis ad Monasterium spectare censentur; altero autem casu, Regularis est propriè beneficiatus, & consequenter, juxta naturam omnium beneficiorum, fructus non aliter percipere potest, quàm cum onere recitandi Horas vel restituendi. 11

Quær VIII. Utrum Clerici sæculares vel regulares, qui in Parochiis, Canonicatibus v.g. incorporatis Vicarii perpetui constituuntur, teneantur ob neglectum Breviarium ad restitutionem? Sanè de rigore affirmativa evinci potest ex eo, quòd Vicaria perpetua dicatur beneficium, *cap. postulasti 26. de rescrip.* attamen si congrua portio talis Vicarii sit valdè tenuis respectu onerum Parochialium, quæ subire cogitur, tunc supposita illa sententia quam suprà in quæstione I. tradidi, vel ad nullam vel modicam tantùm restitutionem ob neglectum Breviarium tenebitur. 12

Quær. IX. Quid veniat nomine pauperum & fabricæ beneficiorum, quibus facienda est restitutio? ℞. Pauperum appellatione etiam venire Monasteria, Ecclesias, & alia pietatis opera. Nomine autem fabricæ beneficiorum non tantùm venire fabricam Ecclesiæ, sed etiam domus in qua beneficiatus habitat, vel alterius domus ipsius beneficii pro fructibus colligendis & conservandis exstructæ & generaliter quidquid in perpetuum fructuum beneficii augmentum insumitur, *Barbos. de offic. Par. p. 1. c. 10. in fin.* 13

Quær. X. Quænam sint causæ excusantes ab oratione Breviarii & consequenter restitutione? ℞. Esse I. naturalem oblivionem. II. infirmitatem corporalem, ex qua vel ipsa rei evidentia vel judicio medici oratio sine magna difficultate aut corporis periculo fieri nequit. III. gravem & repentinam occupationem, quæ sine scandalo vel notabili damno proprio aut alieno intermitti non potest. IV. dispensationem Pontificis. V. defectum Breviarii & impossibilitatem illud hic & nunc acquirendi, prout hæ causæ deductius videri possunt apud Suar. *de Hor. Canon. c. 27.* 14

Quær. postremò. Utrùm is qui ob ægritudinem vel aliam culpam totum officium recitare non potest, teneatur ad partem recitandam, quam potest? Item an cæcus vel is qui Breviarium amisit, teneatur recitare eam partem, quam memoriter tenet? Affirmativam amplectitur Suar. *d. c. 27. nu. 27.* eò, quòd unaquæque Hora sit per se totum quoddam, & quod per modum Canonici officii convenienter dicitur. monet tamen in casu infirmitatis corporalis non esse id scrupulosè observandum. Sed Navar. *de Oratione c. 21. num. 15. v. 8.* Garc. *de benef. p. 3. c. 1. num. 97.* Lessius *d. l. dub. 9. num 54.* & alii dicunt, non teneri aliquem ad recitationem partis minoris, si majorem recitare non possit, tum quòd major pars regulariter ad se trahat minorem, tum etiam quòd recitatio Horarum sit unum præceptum, & una actio moralis, quæ si non potest integrè fieri, non videtur ab Ecclesia mutilatè præcepta, sicut qui non potest audire totam Missam, non obligatur partem audire; item qui non potest abstinere à carnibus non tenetur abstinere à cœna &c. ut pro contraria sibi sententia adducit Suar. *d. l. n. 22.* Atque hanc sententiam cum Azor. & Rodriq. probabilem ait Laym. *de Hor. Canon. cap. 6. num. 1. v. sed dubitari*. Ut propterea damnare non ausim eam sequentem, quæ plurium DD. authoritate & bona ratione firmatur. Nec multum urget, quòd unaquæque hora sit per se totum, & convenienter dici possit, ut argumentatur Suar. ex hoc enim non plus evincitur, quàm quòd convenienter ab Ecclesia ita præcipi potuisset: utrum autem præceptum sit, ita mutilatè Canonicum officium dicere, nobis non constat, & in dubio potiùs liberatio, quàm obligatio inducenda est. *L. Arianus de O. & A.* 15

CAPUT VII.

De Obligatione Parochi dicendi Missam.

SUMMARIA.

1 *Ante Missam debet præmitti Matutinum cum Laudibus, sed non est gravis obligatio.*

2 *Parochus diebus festivis tenetur Missam de præcepto, diebus autem ferialibus, tantùm de honestate, nisi habeat amplos redditus & sit Parochus populosæ civitatis.*

3 *Quid faciendum si populus ita numerosus sit, ut ad unam Missam convenire non possit, vel solus Parochus ad administranda Sacramenta non sufficiat.*

4 *Propter necessitatem moribundi potest Parochus alteram Missam eodem die celebrare, & probabiliter etiam post sumptam ablutionem.*

5 *Leges non extenduntur ad casus insolitos.*

6 *Votum non bibendi vinum, non violatur si in Missa sumatur ablutio.*

7 *Particulæ consecratæ repertæ post ablutionem possunt sumi.*

8 *An liceat aliquando sine paramentis celebrare.*

9 *Qualiter Parochus pro suis Parochianis Missam offerre teneatur, & an pro una Missa possit à duobus stipendium accipere.*

10 *Parochus ex fundatione obligatus ad plures Missas in hebdomade dicendas, si modico tempore impeditus fuerit, non tenetur illas Missas persolvere per Vicarium.*

11 *Parochus substituens Vicarium ad legendas Missas non tenetur ei tantum dare, quantum ipse ex fundatione percipit.*

1 POst Horas Canonicas recitatas ad Missam procedere potest Parochus, ita enim habent notæ regulæ missalis, ut propter meliorem dispositionem saltem Matutinum cum Laudibus ante celebrationem præmittatur. Sed cùm inter Horas Canonicas & Missam nulla sit necessaria connexio, ideò illam obligationem præmittendi Horas Canonicas plerique DD. non esse gravem existimant, & contravenientem ad summum venialiter peccare, imò nullatenus peccare, si propter necessarias occupationes, aut aliam justam causam Horas commodè præmittere non possit, *Lessius de I. & I. lib. 2. cap. 37. dub. 12. num. 81.*

2 Circa Missarum lectionem obligatio incumbit Parocho, ut omnibus illis diebus, quibus Parochiani ex præcepto Ecclesiæ Missam audire debent, per se, & alium celebret, quæ est communis omnium DD. in æquitate naturali fundata, nam ideo dantur Parocho decimæ & alii fructus, ut necessaria salutis administret. Quòd verò etiam extra dies festos Parochus Missas legere teneatur, verius est nullum præceptum extare. Interim tamen id utique maximè decens est: imò si populus in aliqua civitate sit numerosus, & Parochus habeat ampliores redditus, eundem per Episcopum cogi posse, ut sæpiùs in hebdomade celebret, censet Laym. *lib. 5. tr. 5. cap. 3. sub num. 2.*

3 Præterea si in aliqua Parochia populus ita numerosus sit, ut ad unam Missam convenire nequeat, vel unus Parochus administrandis Sacramentis sufficere non possit, tenebitur Parochus & per Episcopum cogi poterit, ut alios Sacerdotes sibi ad id munus rectè explendum adjungat, *Trid. sess. 21. de ref. cap. 4.* si autem Parochia fortè propter injurias belli depauperata pluribus Sacerdotibus alendis non sufficeret, licentia datur Parocho (saltem cum consensu Episcopi; ne fiat abusus) uno die duas Missas legendi; sicut etiam si ob penuriam Sacerdotum unus deberet duas Parochias administrare, ut *ex cap. consuluisti de celebr. Miss.* communiter tradunt Interpr. in quo cap. permittitur, ut Sacerdos ea causa necessitatis uno die possit plures Missas dicere.

Porrò quia in *d. cap. consuluisti*, generaliter fit mentio necessitatis, propterea plures casus referunt DD. in quibus sit licitum secundam Missam dicere, qui cùm hodie ob numerositatem Sacerdotum parùm practicentur, ideò enarrare omitto, videantur apud Navar. *in Man. cap. 25. num. 87. & 93.* inter eos casus ille est præcipuus, qui etiam notatur per Gloss. *in d. cap. consuluisti*. Si nimirum Sacerdos in Missa mo-
4 neatur quòd aliquis moribundus Viaticum desideret, nulla autem supersit Hostia consecrata: tunc enim (cùm in solo pane consecrare non liceat) altera Missa dici poterit, si tamen Sacerdos ante Communionem monitus fuerit, non erit necesse, alteram missam incipere, sed licebit partem suæ Hostiæ ad ægrotum deferre, *Sà verb. Eucharistia num. 15.* Notant autem DD. communiter, quòd Sacerdos duas Missas dicturus, in prima non debeat sumere ablutionem, quod etiam diligenter advertendum est Sacerdoti, si prævideat sibi imminere necessitatem duas Missas legendi. Interim multum probabile censeo, saltem probabilitate intrinseca à ratione desumpta *cap. 4. de reform.* (*neque enim semper ex multitudine authorum quod melius judicandum l. 2. §. 6. C. de vet. Jur. enucl.*) etiam post sumptam ablutionem licitè secundam Missam dici si v. gratia Parochus duas Parochias administrans in prima Missa per errorem sumpserit ablutionem, & alteram Missam propter festum, & concursum populi absque magno scandalo omittere non possit: Item si unus vel plures moribundi Viaticum desiderarent, eò quòd præceptum Ecclesiæ, ne Sacerdos non jejunus celebret non videatur in casibus raris extraordinariis cum detrimento aut scandalo fidelium obligare. † *Ex his enim quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, Jura non constituuntur, nam ad ea potius debet aptari jus, quæ frequenter, & facilè, quàm quæ rarò eveniunt. Verba sunt l. 4. & 5. ff. de LL.* sicut ita si Sacerdos in introitu recordetur se jejunum non esse, Missam continuare potest. Et plurimùm facit ad mitigandum rigorem legis, quòd sola ablutione sumpta Sacerdos adhuc moraliter, & communi hominum acceptione jejunus reputetur, adeoque si iteratò celebret, minor irreverentia subsit, quàm si aliud quid per modum cibi sumpsisset. Quemadmodum in simili 6
Sacerdos vovens non bibere vinum, servat votum, tametsi in Missa sumat ablutionem, *Barb. in 2. ex parte de celebr. Miss.*
† Et propiùs ad nostrum propositum, Sacerdos post sum- 7
ptam ablutionem reperiens particulas, etiam quas scit consecratas, ex recepta sententia eas sumere potest: quamvis autem id dicatur fieri ex eo, quòd censeantur talia sumptio pertinere ad idem sacrificium, nihilominus reverà sumitur Corpus Domini post ablutionem, & quidem sine gravi causa, cum illæ particulæ possent reponi in aliquam Capsa vel Ciborio. Sanè si licet mihi Corpus Domini sumere post ablutionem in prima Missa sine irreverentia, vix afferri potest, cur non etiam ex gravi causa in secunda, cum supposita justa causa secunda Missa de se non ponat novam irreverentiam, alias nec etiam a jejunio inchoari posset.

Verum quidem est, quòd Viaticum non sit simpliciter necessarium ad salutem, maximum tamen fructum confert animæ, quo etiam privare admodum durum est. Item Parochiani cæteri multùm scandalizantur & in Parochum odio exardescunt, si aliquem patiatur sine Viatico decedere, an non ergò expedit hæc evitare quàm prohibere Sacerdotem post ablutionem (quæ plerumque non advertitur à plebe) celebrare, quod jure divino non est prohibitum & jure humano in similibus circumstantiis non expressum.

Dices, ex hoc sequi, quòd in propositis casibus liceret etiam sine vestibus sacris & aliis paramentis celebrare, quia & hæc jure tantùm Ecclesiastico statuta sunt? R. Esse disparitatem, quia defectus vestium & paramentorum est excusatio publica, & potiùs scandalizaretur populus in celebratione Missæ sine paramentis, quàm in ejus omissione: sumptio autem ablutionis plerumque contingit vel ignorante, vel non advertente populo, ut nihil dicamus, præceptum de vestibus sacris saltem originaliter & in veteri testamento fuisse juris divini & propter reverentiam Sacrificio debitam, videri adhuc aliquam rationem moralitatis retinere, ideòque gravius obligare. Deinde ex gravi causa licere Missam celebrare sine stola, vel manipulo, sine ministro, sine Crucifixo, cum uno tantùm lumine etiam quod non sit ex cera, & in casu gravissimæ necessitatis v.g. ob mortis periculum (dummodo non vertatur in contemptum Fidei) licere etiam in communi & profano vestitu celebrare, tradit Laym. *in Theolog. mor. lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 17.*

Quod ad applicationem sacrificii Missæ attinet, etsi jus naturalis dictat, & in Concil. Trid. *sess. 23. cap. 1. in princ.* satis in- 8
sinuatur, quòd Parochi pro suis ovibus sacrificium Missæ offerre teneantur, attamen id non eo sensu accipiendum est, quòd semper totum sacrificium Missæ principaliter pro subditis offerendum sit, & nunquam possit Parochus secundum aliam intentionem celebrare: sed sufficiet, si secundariò suarum ovium meminerit, & quandoque arbitrio boni viri principalem intentionem pro eisdem faciat, *Barb. de Offic. Paroc. p. 1. cap. 11. nu. 10.*

Alia est ratio, si quidam ex Parochianis speciale stipendium Parocho offerant, ut pro se Missam faciat; tunc enim acceptans tale stipendium tenebitur ex justitia secundum eorum intentionem celebrare, & quidem si Parochus jam uni propter acceptum stipendium obligatus sit, vel ea fun-

datione v. g. Anniversarii jam habeat necesse secundùm certam intentionem celebrare, non poterit eodem die ab alio stipendium pro Missa accipere, & ità una Missa duobus satisfacere, nisi is qui stipendium offert hac de se certioratus utrò contentus esse velit *Laym. de Sacrif. Miss. c. 3. n. 4.*

Sed quid si Parochus ex fundatione aliqua debeat in hebdomade unam aut plures Missas dicere, is verò infirmetur an tenebitur suo loco alium Vicarium substituere, qui illas Missas persolvat? Existimo tolerabilem esse (maximè in Parochiis arctas tenues reditus & nullum Capellanum habentibus) sententiam Petr. Navar. *lib. 2. de restit. cap. 2. num.* 218. Quòd si infirmitas, aut aliud impedimentum, brevi tempore, scilicet per unam aut alteram hebdomadem, imò etiam per mensem, sit duraturam, non sit præsumendum, quòd fundator voluerit obligare ad compensationem; quemadmodum bonus dominus non solet propter modicam ægritudinem aut impedimentum servi, ejus mercedem deducere.

Dices, in L. qui operas, ff. locati, non fit restrictio ad modicum tempus, sed simpliciter dicitur, *qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quo minus operas præstet*, ad idem est text. *in L. 1. §. Divus, ff. de var. & extraor. cognit. L. post duos C. de advoc. divers. Jud.* R. Cum fidelium animarum tam defunctorum, quàm vivorum intersit, ut piæ fundationes impleantur, ne divinis sacrificiis priventur, &c. ideò allegati juris textus non incongruè explicari posse videntur *de locatione operarum*, quæ non possunt commodè per substitutum impleri, ubi *persona industria* electa est, ut in Professore, artifice, &c. vel certè ubi non est in contrarium verosimilis intentio fundatorum, & æquitas ac favor animarum, quibus non debent divina
9 officia subtrahi. † Potest hic etiam adnotari, quòd sufficiat, si Parochus substituto ad legendas Missas det congruum, & in loco consuetum stipendium verbi gratia medium florenum, quamvis ipse ea fundatione pro qualibet Missa proportionaliter plus accipiat, neque propterea reliquum habebit sine causa, sed propter illud onus, ex quo tenetur certas Missas vel per se ipsum legere vel curare, ut per alium legantur, sicut medicus vel advocatus propter solam obligationem serviendi nonnunquam accipit salarium annuum, licèt dominus toto anno non indigeat. Non tamen permittitur aliis Clericis qui pro una tantùm vel altera Missa stipendium accipiunt, talem negotiationem cum Missis, instituere & aliis rursus pro majori mercede elocare, *Declarat. Card. apud Barb. in collect. ad Concil. Trid. sess. 22. de sacrif. Missæ n. 6. & seq.*

CAPUT VIII.

De Obligatione Parochi Prædicandi Verbum Divinum.

SUMMARIA.

1 *Diebus festivis non debent negligere Parochi Conciones, & instructionem puerorum.*
2 *Quid in Concionibus proponendum.*
3 *Non tenentur hodie Parochiani Missam & Conciones diebus festivis in propria Parochia audire, videtur tamen decere, ut aliquoties in anno propriam Parochiam accedant.*

1 VErbi divini prædicatio utique ad munus pastorale quàm maximè pertinet, ideò instanter præcipit *Concil. Trid. sess. 5. de ref. c. 2. sess. 22. de sacrif. Missæ, cap. 8. & sess. 24. de ref. cap. 4.* ne saltem dominicis, & festivis diebus Conciones negligant Parochi, & ut pueros rudimenta fidei, & obedientiam erga DEUM & parentes diligenter doceant.

2 Porrò ex eodem Concil. Trid. est advertendum Parochis, ut in Concionibus *suis postpositis inutilibus quæstionibus* doceant plebem cum brevitate, & facilitate sermonis, quæ scire necessaria sunt ad salutem, vitia quæ declinare, & virtutes, quas sectari oporteat. Specialiter in *d. sess. 22. cap. 8.* jubetur, *ut frequenter* Parochi *ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, ac inter cætera sanctissimi hujus Sacrificii Mysterium aliquod declarent.* Item in *decreto de purgat. sess. 25.* mandatur Episcopis, *ut sanam de purgatorio doctrinam, à SS. Patribus, & sacris Conciliis traditam a Christifidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari, diligenter studeant.* Apud eundem verò *plebem difficiliores, ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio a popularibus Concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari, ac tractari non permittant. Ea verò quæ ad curiositatem quandam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, & fidelium offendicula prohibeant.*

Cæterùm licèt de jure videatur requiri, ut Parochiani non 3
alibi, quàm in sua Ecclesia parochiali Missas, & Conciones audiant, *cap. 2. de Parochiis, & Trid.* in *decret. de Observ. & Evit. in Missa sess. 22. & in d. sess. 24. cap. 4.* Hodie tamen per privilegia Regularium & contrariam consuetudinem passim huic juri derogatum est, ita ut parochiani satisfaciant, si alias Ecclesias, præsertim Regularium, frequenter, dummodo proprium Parochum non contemnant, *Barb. de Offic. Paroch. par. 1. cap. 11. num. 24. & seqq. & cap. 15. num. 11. & 14. in fin.* Ne autem quia censeatur proprium Parochum contemnere, ratio naturalis suadere videtur, ut saltem aliquoties in anno Missas, & Conciones ejusdem audiat. Via enim est, ut non habeatur filius contumax, qui toto anno Patrem non invisit Ovis erratica, quæ nunquam vocem proprii Pastoris exaudit, *Zyp. in Anal. Jur. Pont. in tit. de Parochiis sub num 24.*

CAPUT IX.

De Obligatione Parochi, & Parochianorum observandi Jejunia, & Festa.

SUMMARIA.

1 *Jejunium incidens in bacchanalia potest anticipari.*
2 *Quales cibi interdicti in jejunio.*
3 *De Refectione.*
4 *De tempore refectionis.*
5 *Causæ excusantes a jejunio.*
6 *Hæreticorum fides ex contemptu jejunii suspecta, comparantur dissolutis monachis.*
7 *Præceptum de observatione Festorum duplex.*
8 *Quænam dicantur opera liberalia & quæ servilia.*
9 *In quibus casibus liceat in die festo opus servile facere.*
10 *Ut opus servile in festo licitè fiat, requiritur consensus Episcopi vel saltem Parochi.*
11 *Festum incipit a media nocte, & durat usque ad mediam noctem.*
12 *Quæ causæ excusent ab auditione Missæ in die festivo.*
13 *Dies festi non sunt agendi per luxum & comessationes.*
14 *Nulla insolita imagines, miracula, aut reliquiæ inconsulto Episcopo recipienda.*

QUibus diebus jejunia servanda sint ex Calendario satis 1
apparet: nisi quòd Episcopus ea causa jejunium transferre possit, ut si vigilia Sancti Matthiæ incidat in triduum Bacchanalium, ubi pauci servarent jejunium, poterit id anticipari in sabbatho. *Laym. lib 4. tract. 8. cap. 3. in fin.* Consistit autem jejunium Ecclesiasticum in 3. nimirum † I *In* 2
delectu ciborum, ut abstineatur à carnibus: & quidem de jure Canonum non tantùm a carnibus, sed etiam lacticiniis quæ trahunt sementivam originem; scil. caseo, lacte, ovis, abstinendum est, *cap. denique 6 v. par est, dist. 4.* quod tamen Germaniæ consuetudo immutavit. Imò docent Glos. *in cap. Presbyter. d. 82. & in cap. admonere, v. carnem 33. qu. 2.* Hostien. *in sum. de observ. jejun.* Sylv. *v. jejunium num 16.* cum concessione lactis, & ovorum etiam lardi vel saginis usum concessum intelligi, cùm formaliter non sit caro, nec videatur major ratio in caseo verbi gratia, quàm in sagimine, &c. verùm in nostris partibus hactenus id non receptum est, nec facilè introducendum, ne paulatim in jejunii leges licentiosius peccetur. Interim monet Paul. Layman *d. l. cap. 1. numer. 5.* propter authoritatem Doctorum ex causa inopiæ vel alia facilius per Parochum concedi posse, ut verbi g. loco butyri lardo vel sagimine uti liceat.

II. Requisitum est, ut in die una tantùm refectio fiat. 3
Sed Sylv. *dict. l. num. 9.* circa hoc refert diversa DD. opiniones, ex quibus plerique sentiunt, consuetudine potius universali Ecclesiæ, quàm jure aliquo scripto plures comestiones

nes in die prohiberi. Hæc portò consuetudo in plerisque locis ita temperata est, ut liceat in meridie prandium & quidem solito largius (dummodo adhuc intra fines temperantiæ) & sub vesperam modicam collatiunculam sumere, cujus collatiunculæ quantitas, & qualitas, cùm in jure determinata non sit, ex rationabili consuetudine consideratis locorum, & personarum plus minusve cibi indigentium circumstantiis desumenda erit, ita ut potius quæratur in quantitate, & qualitate ciborum aliqualis naturæ sustentatio, quàm nutrimentum & satietas, *Laym.d.l.n 9. Azor.lib.7.c.8.q.7.*

4 III. Requisitum est, observare tempus refectionis, & hoc olim erat vespertinum tantùm, prandio in cœnam mutato, *cap. solent de consec. dist. 1. cap. post Pascha, dist. 76.* sed & hic consuetudo tempus meridianum substituit, illudque notabiliter verbi gratia per unam alteramve horam concedendo anticipare ex causa nullum, sine causa ad summum veniale peccatum est, *Rich. in 4. dist. 15. art. 3. qu. 8. Laym. d. l. nu. 11.*

5 Causæ excusantes à jejonio sunt, I. juvenilis ætas, nam ante 21. ætatis annum completum non est jejunandi obligatio, eò quòd tunc corpus adolescens majori indigeat nutrimento. II. Ætas senilis juxta dispositionem corporis, & virium arbitrio prudentis viri taxandam. III. Infirmitas vel debilitas corporis. IV. Labor, occupatio & refatigatio corporalis uti est in mechanicis, itinerantibus, infirmis &c. in conjugatis etiam ex continentia vel abstinentis periculum animæ aut corporis passuris.

Istæ causæ ad sumendam alteram largiorem refectionem in cibis jejunalibus ordinariè cujusque conscientiæ relinquuntur, sed ad comedendas carnes declaratio vel dispensatio Episcopi, aut eo longius distante, proprii parochi accedere debet, ne si res cujuslibet privato arbitrio committatur, nimis quisque partialis in propria causa judex sit, & paulatim abstinentia quadragesimalis vitia comprimens, mentem elevans, Deum placans & promerens, Christi Domini exemplo auspicata, Ecclesiæ continuo usu & SS. Patrum doctrina confirmata è medio tollatur.

6 Sanè quòd hæretici jejunium & jejunii meritum fastidiunt, contemnunt, ex hoc ipso fidem suam de falsitate suspectam imò & convictam faciunt, & se tantùm carnalibus desideriis, & deliciis immersos ostendunt, quot enim in veteri & nova lege jejunii exempla, *Exod. 24. 34. Deut. 9. Joel. 2. Math 4. & 6 17. Marc. 2. ad Roman. 13. 1. ad Corinth. 7. 2. ad Cor. 6 Ephes. 5. Thess. 5. Tit. 2. Act. 13. 22.* Quomodo gloriantur se Biblicos, & Evangelicos, si omnia illa consilia Evangelica, quæ in mortificationem corporis tendunt *1. Cor. 9. in fin. ad Coloss. 3. ad Gal. 5.* angue pejus abhorrent, certè *si secundùm carnem vixerimus moriemur, si autem spiritu facta carnis mortificaverimus vivemus, ad Rom 8* non sufficit exemplo diaboli *Matth. 5.* legere, scire, & allegare scripturas, nisi simul observamus. Non melius mihi imaginor hæreticos in *arcta via*, quàm ex prædicatione Christi *Matth. 7.* tenet Ecclesia Catholica, quam indisciplinatos & dissolutos Monachos in aliqua sancta religione: & non immeritò, a similibus enim suam fidem didicerunt. Sed multi vocati pauci electi: Studeamus ergò *ut per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus 2. Petr. 1.*

7 Præceptum de observatione Festorum est duplex, unum *negativum* alterum *affirmativum*: *Negativum* præceptum est, quod prohibet, ut die Festo opera *servilia* exerceantur; *Affirmativum*, ut omnes fideles usum rationis habentes in festis Missam audiant, *c. 1. de fer. cap. omnes fideles & c. Missas dist. 1. de consecrat.*

Notanter dixi, ex præcepto *negativo* opera *servilia* esse prohibita, quamvis enim in veteri testamento *omne opus* in Sabbatho interdictum fuerit Judæis *Exod 30. & Deuteron. 5.* quia tamen illud præceptum partim fuit morale, partim ceremoniale (ceremoniale autem veteris testamenti per adventum Christi exspiravit, *cap. unico de purificat. post partum*) ideò per Ecclesiam ad sola opera *servilia* mitigatum, & restrictum fuit, *Laym. in Theol. moral. l. 4. tract. 7. cap. 1. num. 1. &*

8 *cap. 2. num. 2.* † Dicuntur autem opera *servilia*, quæ corporis commoditatibus inserviunt, & per servos ac famulos exerceri solent, ut sunt opera rustica, & mechanica: econtra opera *liberalia* dicuntur illa, quæ sunt libero homine digna, & magis ad excolendum vel oblectandum animum faciunt: atque hæc sub præceptum illud negativum non cadunt, tum quòd ipsum præceptum limitatur ad opera servilia, tum quòd sint ignobiliora, & minus dignè cum cultu DEI conjungantur. Unde licebit in die festo, studere, docere, scribere, musicam exercere, item recreationis causa pingere, venari, piscari, saltem si sine molestis operis ac labore talis piscatio vel venatio fiat, *Navar. in Manual. c. 13. nu. 11. Man. Parochor. P. Ludov. Engel.*

Mercatus autem seu nundinatio, quamvis non sit opus servile, tamen prohibetur in c. 1. *de feriis*, sed consuetudine passim contrarium obtentum est, ut in certis festis præsertim in anniversario dedicationis Ecclesiæ nundinæ habeantur, quæ consuetudo ita moderanda erit, ut negotiationes non instituantur, antequam officium divinum in Ecclesia persolutum sit. Præterea iter facere pedibus, curru, equo, navi, nec opus servile, nec propriè liberale est, sed potius naturale & medium, quare & id in die festo licebit; plaustra verò aut jumenta mercibus onerare, & agere servile opus censetur, nec in die festo licebit inchoare, inchoatum autem continuare, si commodè abrumpi non possit conceditur, *Declaratio Cardinal. quam refert Barb. de offic. Episcopi alleg. 105. nu. 40.*

Aliquando tamen ex causa *pietatis* vel *necessitatis* licèt etiam diebus festivis opera *servilia* peragere, *c. fin. de feriis*. 9
Ex causa *pietatis*; Si v.g. altaria ornanda, vel alia ad festivitatem paranda sint. Ex causa *necessitatis*; Si res ad vitam necessaria, vel tempore peritura sit, qua ratione excusantur pauperes, qui si in festis à labore abstineant se suamque familiam sustentare non possunt. Item agricolæ cùm ob pluviam superventuram segetes, aut fœnum congregant, vel aliud grave damnum vitandum ruri laborant. Similiter si pauperes famuli, & ancillæ diebus festivis suas vestes reficiant &c. est quandoque etiam *necessitas publica* v. g. reficiendi fontes, pontes, piscandi certum piscium genus, quod non nisi certis anni temporibus capitur, *juxta c. licet de feriis* si paranda sint aliqua ad communem populi festivitatem v. g. in adventu Principis &c.

Sed non sufficit, ut causa *pietatis* aut *necessitatis* subsit, nisi insuper *consensus Episcopi* accedat, præsertim si opus *servile* in publico faciendum, & per longum tempus duraturum sit, ne paulatim prætextu necessitatis liberè contra festorum obligationem peccetur, *Declarat. Card. apud Barb. d. n 40.* 10

Sin autem periculum in mora sit, vel Episcopus propter distantiam commodè adiri non possit, solam justitiam causæ vel ad summum, si causa aliquo modo videatur dubia, licentiam Parochi sufficere, communis est sententia.

Cæterùm hic advertendum est, quamvis in *c. 1. de feriis* dicatur, quòd dies Dominica à vespera in vesperam cum omni veneratione observanda sit, nihilominus in Europa esse receptum, quòd festa quoad abstinentiam a servilibus operibus computentur à media nocte usque ad alteram mediam noctem, testatur Panor. *in c. 5. de feriis*, Covar. *var. res. lib. 4. c. 9. nu 9.* talem autem consuetudinem valere & attendendam esse, textus est in *c. 2 de feriis*. 11

Alterum præceptum scilicet *affirmativum* de audienda missa tanquam humanum, & positivum, non obligat cum tanto rigore, ut nullo modo quis ab eo excusetur, etenim non tantùm impotentia physica (qualis est in mari navigantium, incarceratorum, lecto affixorum, & similium) sed etiam moralis, & arbitrio prudentis viri gravis, excusat ab audienda missa. Dicitur autem moralis impotentia, quando licet non insit absolute impossibilitas, subest tamen magna difficultas propter periculum amittendæ valetudinis, aut rei domesticæ, alteriusve damni spiritualis aut corporalis subeundi. Unde excusantur, qui infirmi sunt, aut infirmis serviunt, qui tempore pestis se domi continent, item matres & ancillæ quæ infantibus assistunt, qui propter distantiam templi domum periculosè deserunt &c. pudor quoque si gravis sit secundum communem sententiam ab audienda missa excusat. puta si mulier honesta cum dedecore sui status non honestè vestita sit, vel si aliqua bonæ existimationis, ex delicto prægnans appareat, &c. Consuetudo etiam quandoque excusat, si v.g. in aliquibus locis vidua vel puerpera per aliquod tempus templum ingredi non soleat, de quibus omnibus prolixè videri poterunt DD. antea cc. 12

Postremò huic capiti adscribenda duxi verba valdè notanda Concil. Trid. *sess. 25. in decret. de invoc. & venerat Sanct. Omnis superstitio*, inquit Concil. *in Sanctorum invocatione, Reliquiarum & imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur, & Sanctorum celebratione, ac reliquiarum visitatione homines ad comessationes, atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem SS. per luxum ac lasciviam agantur. Hæc ut fidelius observentur, statuit S. Synodus, nemini licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo, &c.*

P A R S III.

De Administratione Sacramentorum per Parochum facienda.

S U M M A R I A.

1 *Quid sit Sacramentum?*
2 *Sacramenta alia mortuorum, alia vivorum.*
3 *Differentia inter Sacramenta veteris, & novæ legis.*
4 *Minister Sacramentorum debet esse in statu gratiæ.*
5 *Debet habere intentionem, excepto matrimonio.*
6 *Communi errore pro legitimo Parocho habitus validè confert Sacramenta.*
7 *Etiam censuratus non denuntiatus.*
8 *Quæ Sacramenta permittantur tempore interdicti.*

1 CIrca Sacramentorum administrationem omitto ea, quæ DD. Theologi de institutione, materia & forma, speculativè & prolixiùs exponunt, illa solummodo breviter notaturus, quæ ad practicam Sacramentorum administrationem pertinere censentur.

2 Præliminariter tamen & breviter *sciendum I.* Sacramentum esse visibile signum gratiæ invisibilis ad populum Dei sanctificandum divinitùs institutum. Visibile signum suæ gratiæ instituit DEUS, quia anima adhuc corpori conjuncta dona ejus nisi ex rebus sensibilibus intelligere haud posset, ait D. Chrysost. *hom 83. in Matth.*

3 *Sciendum II.* Aliqua Sacramenta per se instituta esse ad conferendam *primam gratiam* ut Baptismus & Pœnitentia, quæ propterea *Sacramenta mortuorum* dicuntur, quòd animas quasi spiritualiter mortuas in vitam & gratiam Dei restituant, & alia conferre *gratiam secundam* sive justitiæ augmentum institiæ pro justificatis, ut magis justificentur, quæ inde *Sacramenta vivorum* nuncupantur. Qualia sunt Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium.

4 *Sciendum III.* Sacramenta novæ legis non tantùm significare, sed etiam ex se ipsis sive ex *opere operato* conferre gratiam, nisi suscipiens per indispositionem suam ponat obicem: per quod differunt à Sacramentis veteris Testamenti v.g. Circumcisione, quæ ex se non operabatur gratiam, sed significabat solùm per passionem Christi dandam, eaque per fidem ipsius circumcisi adeoque ex *opere operantis* dabatur.

5 *Sciendum IV.* Ministrum Sacramentorum ob eorum reverentiam debere esse in statu gratiæ, & scienter sine confessione vel saltem (deficiente Confessario) sine contritione ministrantem Sacramenta in statu peccati mortalis mortaliter peccare, *arg cap ult. de cohab. Cler. & mul. DD. communiter cum D. Thom. q. 64. ar. 6.*

6 *Sciendum V.* Ministrum debere saltem habere *virtualem* intentionem administrandi Sacramentum, dicitur *virtualis*, quæ ex actuali prius concepta adhuc perdurat v. gr. si accedens intentione baptizandi vel sacrificandi in verborum sacrorum prolatione distractus sit, &c. in Sacramento verò Matrimonij Parochus non est minister sed ipsi contrahentes; Ideòque que ibi Parochi intentio non requiritur, ut inferius dicetur.

Sciendum VI. Parochum etiam non legitimum, v. g. clam irregularem, vel ipso jure privatum beneficio validè administrare Sacramenta si communi populi errore, & persuasione pro legitimo Parocho habeatur, ob communem enim hominum errorem, qui non debent in re tam gravi decipi, lex supplet jurisdictionem, *L. barbarius ff. de Officio Prætoris L. 2. Cod. de sent. & interloc. c. infamis, vers. veruntamen, 3. qu. 7.* cùm igitur acta ob communem errorem valeant & à lege substineantur, sequitur detecto impedimento reformanda, aut confessiones v. gr. iterandas non esse, *Innocent, Joan. And. & Panorm. in cap. dudum 54. de elect. Navar. in cap. placuit de pœnit. dist. 6 num. 179 Barb. de Paroch par. 2. cap. 17. num. 28.* dummodo tamen inhabilitas non proveniat ex jure divino vel natorali v. gr. si fingens se Clericum, & Parochum nunquam ordinatus in presbyterum fuisset, *Abb. in cap. 2. de Presbyt. non baptiz. Sanch. de Matrim. lib. 3. disput. 22.* videatur etiam Joan. Sanch. *in sel. disp. 44. num. 3. Pont. de Matrim. lib. 3. cap 22. nu. 46.* ubi contra plures alios docent, solum errorem publicum absque titulo per superiorem collato sufficere.

7 *Sciendum VII.* Parochum censura excommunicationis, suspensionis vel interdicti ab ipso jure lata innodatum, qui non sit notorius percussor Clerici, aut ab Episcopo denuntiatus possa hodie post Concilium Constantiense, & Extrav. Martini V. *ad evitanda scandala*, ante absolutionem (præmissa tamen contritione) fidelibus Sacramenta administrare, si ab his fuerit requisitus, neque alius adsit, qui æquè utiliter administret, *vid. Suar. de censur. disput. 11. sect. 4. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp 9 n. 7.*

Sciendum VIII. Tempore *interdicti*, regulariter usum Sacramentorum esse prohibitum, *cap. quod in te de pœnitent. cap. si sententia, & cap. ult. de sentent. excommun. in 6.* excipitur tamen Baptismus & Confirmatio *c. responso x. de sententia excom. cap. quoniam Eod. in 6.* Pœnitentia, dummodo petens non sit excommunicatus aut in culpa aliqua, ob quam latum est interdictum, *cap. alma mater vers. quia verò, de sent. excomm. in 6.* Eucharistia, sed nonnisi in mortis articulo, *c. permittimus de sent. excom.* & probabiliter etiam in 4. anni festivitatibus scil. Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis (quibus etiam Martinus V. addidit festum Corp. Christi) ubi generaliter suspenditur interdictum, & permittitur *divinorum participatio d. c. alma mater.* Matrimonium denique, præsertim absque solemni benedictione valdè probabiliter tempore interdicti admitti potest, quia illa principaliter Sacramenta prohibentur, quæ ab Ecclesia dispensantur, Matrimonium verò contrahentes sibi ministrant, *Panorm. in c. non est vobis de sponsal. n. 8. Sylv. v. interdictum 5. num. 9. videatur etiam Covar. in relect. d. c. alma mater, & alij passim de Censuris.* 8

C A P U T I.

De Baptismo.

S U M M A R I A.

1 *Infans debet baptizari, quamprimùm commodè potest.*
2 *Minister Baptismi non solemnis est omnis homo ratione præditus, dummodo habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, solemnis autem Baptismi ministri sunt Episcopi, & Sacerdotes quandoque etiam Diaconi.*
3 *Præsente digniore non debet baptizare inferior.*
4 *Circa Sacramenta extra casum necessitatis semper tenenda est sententia probabilior.*
5 *In casu necessitatis probabiliter licet baptizanti uti materia dubia.*
6 *Item abluere partem baptizandi non principalem.*
7 *Quando dubium occurrit de Baptismo legitimè collato debet repeti sub conditione.*
8 *In necessitate a Laico baptizatus non debet baptizari, nisi rationabile dubium subsit de valore Baptismi.*
9 *Non baptizatus salvari potest per Baptismum flaminis.*
10 *Monstra quomodo & qualiter baptizanda?*
11 *Baptismus debet conferri in Ecclesiis. Fallit in filiis magnatum.*
12 *Patrinus tantùm debet esse unus, vel ad summum unus, & una.*
13 *Non requiritur certa ætas in Patrinis.*
14 *Parochus hortari debet ut baptizando detur nomen alicujus Sancti cujus tutela committatur.*

NOn repeto hîc quibuscum solemnitatibus & ceremoniis Baptismus conferendus sit, nam suppono in his Parochos sufficienter ex suo pastorali libro instructos esse; sed quasdam tantùm in dubiis, quæ circa praxim Baptismi frequentiùs occurrere possunt, resolutiones subnotabo.

Not. igitur est I. Quòd parentes & alii, qui curam infantium gerunt, obligentur, ut eos, quàmprimùm commodè possunt, ad Baptismum afferant, nulla tamen certa dies determinatur, in qua infans baptizandus sit, proptereà consuetudinem singularum Ecclesiarum attendendam monet *Laym in Theologia mor. lib. 5. tract. 1. cap. 6 num* 8. imò Sotus *dist. 5. q. un. art* 3. non improbat illorum morem, secundùm quem baptismus in 8. 10. etiam ra diem differtur. Sed tam longam dilationem ego semper dissuaderem, quamvis enim non semper appareat periculum prœmaturæ mortis, semper tamen prudenter timeri debet, ne infans æternæ salutis jacturam patiatur, cùm improvisæ mortis quotidiana sint exempla. 1

Not. est II. Quòd minister Sacramenti Baptismi sit omnis homo ratione præditus, etiam non orthodoxus, dummodo

habeat

habeat generalem intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, & adhibeat materiam ac formam eſſentialem. *c. in neceſſitate. c. Romanus, diſt. 4. de Conſ. Trid. ſeſſ. 7. de Baptiſmo. can 4.* ita tamen, ut imprimis ſolennem Baptiſmum cum ordinariis Eccleſiæ ceremoniis tantum Epiſcopi & Sacerdotes conferre poſſint, & etiam juxta probabilem ſententiam, Diaconi, ſi illis ob rationabilem aliquam cauſam Baptizatio à proprio Sacerdote commiſſa fuerit, *Gl. in c. Diaconos diſt. 93. Laym. d. l. c. 7. n. 3.* Alii vero inferiores Clerici & Laici non niſi in caſu neceſſitatis, quando ſcilicet præſens periculum mortis ſubeſt, ad Baptizandum cum ſimplici adhibitione, immerſione, vel effuſione aquæ & prolatione verborum ſine aliis ſolennitatibus ad baptizandum admittuntur, eo quoque ordine † (ad
3 honeſtatem, non vero valorem Sacramenti) obſervato, ut præſente Presbytero non baptizet Diaconus, nec præſente Diacono inferior Clericus, nec præſente Clerico Laicus, nec præſente viro fœmina *c. mulier. & c. in neceſſitate. diſt. 4. de conſecr.*

Not. III. Quod in extrema neceſſitate multa liceant bapti-
4 zanti, quæ alias minime licerent. Etenim extra caſum neceſſitatis miniſter Sacramenti in his quæ ad ſubſtantialia Sacramenti pertinent, non quamcunque opinionem probabilem ſed ſemper certiorem & probabiliorem ſequi debet; at vero in caſu neceſſitatis etiam probabilem aliquam practicare poteſt; quia utique melius eſt, dubiam facere ſalutem infantis morituri, quam deſperatam relinquere, eo ferme modo, quo medici in agone omnia tentant, ut æger reconvaleſcat. Nec eſt quod tali caſu irreverentiæ Sacramenti timeatur, utpote quam probabilitas ſententiæ, zelus animæ ſalvandæ, periculum & timor inſtantis mortis penitus excludit, *non enim intervenit temeritas præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* inquit Pont. *in c. ſi nulla diſt. 4. de conſ.* Unde

Not. IV. Quod baptizans ſemper quidem adlaborare de-
5 beat, ut materiam certam adhibeat, videlicet *aquam elementarem;* Interim tamen ſi talem habere nequeat, & infans jam jam agonizet, probabiliter etiam materia dubia uti non prohibetur; cujuſmodi materiæ dubiæ cenſentur aquæ ex herbis diſtillatæ, juſculum aut cereviſia tenuiter cocta, lixivium & ſimiles ſaltem ſub conditione: *Si materia hæc eſt idonea. Hurtado tract. de Baptiſ. diſp. 1. diffic. 2. Tanner. tom. 4. diſp. 4. dub. 2. n. 41. Conin. ap. Caſt. Pal. de Bapt. punct. 3. n. 2.* pariter.

Not. eſt V. Quamvis communiter teneant DD. quod ad valorem Baptiſmi requiratur, ut niſi totus homo, ſaltem principalis aliqua pars ipſius abluatur, ut caput, vel pectus, &
6 ita quidem ut aqua ad ipſum corpus pertingat. † Nihilominus in caſu neceſſitatis etiam v. g. manui quam infans ex utero matris exerit, vel pelli ſecundinæ cui involutus eſt, aquam aſpergi poſſe, plerique conſentiunt. Imo licet alias totaliter in utero matris exiſtens cum matre baptizari nequeat, *quia qui natus adhuc ſecundum Adam non eſt, renaſci ſecundum Chriſtum non poteſt.* ut dicitur in *cap. qui in maternis diſt. 4. de conſ.* Si tamen obſtetrix tam perite foret, ut manu in uterum inſerta, prolis corpus aqua perfundere poſſit una cum prolatione verborum baptiſmi, id omnino tolerandum docent plures apud *Laym. d. l. c. 3. ſub n. 2.*

Not. eſt VI. Quod Baptiſmus ordinarie ſine ſacrilegio repeti non poſſit, quia eſt de illis Sacramentis, quæ characterem in anima recipientis imprimunt, ſicut eſt Confirmatio & Ordo *Trid. ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere C. 9.* Dico autem or-
7 dinarie: nam quoties dubium *facti* occurrit, an aliquis ſit aliquando baptizatus, v. g. infans expoſitus vel à matre in captivitate infidelium conſtituta natus, &c. aut dubium *Juris* an quis ſit legitime baptizatus, v. g. ſi ſit baptizatus cum materia aut forma dubia vel in parte non principali, vel quod aqua corpus nudum non contigerit, vel denique baptizans ex poſt facto convictus aut confeſſus fuerit, quod plurimos illegitime baptizaverit, his & ſimilibus, inquam, caſibus baptiſmus repeti poteſt, & debet non quidem abſolute, ſed ſub illa conditionata forma verborum, quæ præſcribitur in *cap. 2. extra de Baptiſmo.* videlicet *ſi baptizatus es, non te baptizo, ſin nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* unde monet Barb. *de off. Par. p. 2. cap. 17.* quod ſi infans domi in caſu neceſſitatis baptizatus ſit, Parochus diligenter inquirere debeat, quis, qua materia, qua forma, in qua parte corporis &c. baptiſmum contulerit. Sed quid dicendum de illa conſuetudine, quæ in quibusdam locis viget, quod omnes infantes in caſu neceſſitatis ab obſtetricibus baptizati ceſſante pericu-
8 lo denuo ſub conditione per Parochos rebaptizentur? † R. Id quidem fieri debere, ut infantes in neceſſitate à Laicis baptizati ceſſante periculo ad Eccleſiam deferantur, & ibi unctiones aliæque ſolennitates adhibeantur, *cap. Spiritus S. §. ecce 1. q. 1. Sa v. Baptiſmus n. 5. Zoeſ. in tit. de Baptiſmo in fin.* Sed ipſa ſubſtantialia baptiſmi non aliter repetenda ſunt, quam ſi aliqua ſaltem rationabilis ſuſpicio interſit baptiſmum non eſſe modo legitimo per Laicum collatum, ut quia perſona rudis eſt, verba inconſueta protulit, vel ſi experientia conſtet in aliquo loco complures eſſe obſtetrices veneficas, quæ ſtudio baptiſmum invalidum conferant. *vid. Catechiſ. Roman. Pii V. de Baptiſ. p. 2. c. 2. n. 43.* Cæterum à fidelibus parentibus natus, & inter fideles educatus, quamvis de ipſius Baptiſmo certo non conſtet, nihilominus tam violenter præſumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec evidentiſſimis argumentis contrarium probetur. *cap. veniens in fine de Presbyter. non bapt.* † Neque in ta- 9
li periculum damnationis ſubeſt, ſi forſan revera baptizatus non ſit, quia per Baptiſmum *flaminis* ſalvetur, ſi verum deſiderium Baptiſmi habeat, ſicut ille, qui baptizari deſiderans morte prævenitur, de quo S. Auguſt. *in cap. 2. de Presb. non bapt.* dicit, *Baptiſmus inviſibiliter miniſtratur, quem non contemptus Religionis, ſed terminus neceſſitatis excludit.*

Not. eſt VII. Quod, ſi contingat aliquod monſtrum naſci 10
(ut nonnunquam ex congreſſu cum beſtiis fieri ſolet) tunc antequam Baptiſmus conferatur, diligenter inſpiciendum ſit, an partes principales talis monſtri, videlicet caput & pectus hominis figuram referant, nec ne; quod ſi non referant, Baptiſmus quoque conferendus non erit, ſin autem aliqualiter dubitetur, dilatio facienda eſt, uſque dum natura talis partus melius innoteſcat, vel certe ſi periculum mortis inſtet baptizationi conditio adjiciatur: *Si tu es homo, ego te baptizo &c.* Sed quid obſervari debet, ſi partus propterea ſit monſtroſus, quod videatur ex gemellis concretus? R. Diſtinguendum eſſe an certo conſtet, eſſe duos homines, ut quia habent duo diverſa capita, quatuor pedes diverſos: vel certe dubitetur, ut quia unum tantum caput & duo pectora apparent, &c. priori caſu utrique homini ſuus proprius Baptiſmus ſpecialiter impertiendus eſt. Altero vero caſu Baptiſmus uſque ad meliorem cognitionem differri debet, vel inſtante morte una pars poteſt ſimpliciter baptizari, & altera ſub conditione, *ſi non es baptizatus, &c. Laym. ubi ſupra cap. 6. n. 13. Caſt. Pal. de Bapt. pun. 6. num. 4.*

Not. eſt VIII. Quod Baptiſmus non debeat conferri, in 11
aulis, vel cameris, vel aliis privatis domibus, ſed duntaxat in Eccleſiis, ubi ſunt ad hoc fontes ſpecialiter deputati, niſi tamen ſubfuerit neceſſitas ob quam infans ſine periculo ad Eccleſiam deferri nequeat, vel niſi fuerint Regum aut Principum filii, quibus etiam conceditur ut domi ſuæ baptizari poſſint. *Cl. un. hoc tit.* imo quod de Principibus dicitur, tanquam in materia favorabili ad alias perſonas illuſtres, & potentes extendunt quidam apud Maſcard. *de prob. concl.* 1001. *num.* 4. quod tunc ſaltem admittendum videtur, ſi talis in aliquo loco conſuetudo vigeat, ut perſonarum illuſtrium filii in ſuis ædibus vel Palatiis baptizentur.

Not. eſt IX. Quod de jure communi nonniſi unus ſive 12
vir ſive mulier baptizatum de ſacro fonte ſuſcipere poſſit *cap. unic. de cogn. ſpir. in 6.* vel ad ſummum unus & una, ut noviſſime ſtatuit Concil. Trid. *S. 24. de ref. Matrim. cap. 2.* quare in eodem *cap. 2.* Trid. ulterius conſtitutum eſt, ut Parochus, antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter de electis patrinis interroget, neque plures quam in Concilio determinatum admittat, deinde vero in libro eorundem nomina deſcribat, doceatque eos quam cognationem ſpiritualem contraxerint &c.
Porrò in his patrinis nullam certam ætatem requiri, dum- 13
modò rationis capaces ſint, & fideles Catholici, hominesque boni teſtimonii, communiter docent authores, ut videre eſt apud Barboſ. *de Offic. Paroch. part. 2. cap. 17. num. 27. & ſequ.* nam licet in adoptione legali ubi de ſucceſſione hæreditaria, & ſubjectione adoptati ad adoptantem agitur (ubi proinde inconveniens eſt majorem minori ſubjici, eique ſuccedere) requiratur, ut adoptans adoptatum plena pubertate, id eſt, 18. annis præcedat, *§. minorem inſtit. de adopt.* Alia tamen eſt ratio in Baptiſmo, ubi eſt quædam regeneratio in Chriſto in quo non differt maſculus à fœmina, juvenis à ſene, & ideò poteſt quilibet effici pater ſpiritualis alterius, ſi ad ſpiritualem illius regenerationem eo quo requiritur modo, concurrat, ut etiam advertit Sanch. *de Matr. lib. 7. diſp. 61.*

Demum, quod attinet ad nomen Baptizandi, utique 14
inconveniens eſt, ſi id potius ab aliquo gentili, quàm Sancto ducatur: propterea rectè monet *de Offic. Paroch. dict. part. 2. cap. 17. num. 20.* ut Parochus hortetur patrinos, & deferentes infantem, quatenus ei nomen alicujus Sancti imponant cujus patrocinio, & tutelæ vitæ ipſius inter tot humanos caſus commendata ſit.

CA-

CAPUT II.

De Pœnitentia.

§. I.

De Sacramento Pœnitentiæ in Genere, & jurisdictione requisita.

SUMMARIA.

1 *Quando institutum hoc Sacramentum, & cur enarratio singulorum peccatorum.*

2 *Tantum peccata mortalia & circumstantiæ mutantes speciem dici debent.*

3 *Quæ materia & forma Pœnitentiæ, quid contritio & attritio.*

4 *Parochus quo ad curam animarum debet esse approbatus ab Episcopo, vel habente jurisdictionem Episcopalem.*

5 *Approbatio sicut & dispensatio non tantum verbis, sed & facto fieri potest.*

6 *Approbatus quoad unam parochiam non est approbatus quoad totam Diœcesim, fallit de consuetudine.*

7 *Confessiones suorum subditorum potest Parochus etiam audire extra suam Parochiam.*

8 *Capellani Parochorum debent esse approbati ab Episcopo loci ubi serviunt.*

9 *Communi opinione hominum habitus pro legitimo Capellano valide absolvit.*

10 *Quo jure possit Parochus ad breve tempus tenere Capellanum non approbatum.*

11 *Quis possit delegare jurisdictionem fori pœnitentialis, & in hoc sensu c. fin. de offic. deleg.*

12 *Quibus possit Parochus hoc Sacramentum administrare.*

13 *An possit administrari alienis subditis sub spe ratihabitionis.*

14 *Parochus debet audire Confessiones, quoties Parochiani rationabiliter petunt.*

15 *Non debet esse difficilis in concedenda licentia ut alteri confiteantur.*

16 *De litteris dispensationum quæ Roma diriguntur ad Parochos vel Confessarios.*

1 SAcramentum Pœnitentiæ, quo lapsi in statum gratiæ reponuntur, tunc à Christo institutum creditur, quando resurgens à mortuis insufflavit in discipulos suos dicens: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Joan. 20. Matth. 18.* cum ergo hæc potestas remittendi retinendique peccata à Christo concessa in Ecclesia exerceri non possit, nec dijudicari, quæ & qualia peccata remittenda aut retinenda sint, quales pœnitentiæ injungendæ, quæ ad evitanda peccata consilia danda &c. nisi peccatores sua peccata recenseant, ideo Ecclesia Catholica semper adversus hæreticos docuit, opor-
2 tere à pœnitentibus omnia peccata mortalia † (non item venialia) quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, una cum circumstantiis non quidem omnibus, sed saltem illis, quæ *speciem mutant*, & peccatum de uno genere peccati faciunt transire in aliud v. g. de fornicatione in adulterium, vel incestum, de furto simplici in sacrilegium &c. ostendentes scil. speciale præceptum, in confessione (per se non per litteras aut nuntium. *Clem. 8. apud Barb. in c. omnis 12. de pœnit. n. 12.*) exprimere.

3 Declaravit præterea Ecclesia *formam* hujus Sacramenti esse in illis Ministri verbis, *Ego te absolvo.* preces vero quasdam, ut *misereatur tui &c. passio Domini &c.* laudabiliter adjungi solitas ad ipsius Sacramenti essentiam non pertinere: materiam autem esse ipsius pœnitentis actus, scilicet *Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem*: & quidem nomine *Contritionis* generaliter intelligi animi dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, neque tamen illum actum perfectum charitatis erga Deum quo detestamur peccatum super omne malum tanquam repugnans summo bono dilecto per fidem cognito. (quæ proprie & in specie *Contritio* dicitur. Est enim *contritio* genus ad *contritionem in specie & attritionem*) sed etiam illam imperfectam quæ *attritio* dicitur, & ex turpitudine peccati, vel pœnarum metu concipitur, quamvis enim hæc imperfecta contritio sine Sacramento non deleat peccata, sicut illa perfecta (saltem in casu, quo Sacramentum haberi non potest) cum Sacramento tamen sufficit prout hæc omnia habentur in Concil. Trid. S. 14. *de Sacram. pœnit.* & latius apud Theologos legi poterunt. Ego ea potissimum, quæ ad jurisdictionem Parochi circa hoc Sacramentum pertinent breviter hic subnotabo.

Not. I. Quod Parochus sive sæcularis sive regularis, ut jurisdictionem fori pœnitentialis respectu sæcularium personarum ante omnia debeat esse approbatus ab Episcopo. *Trid. S. 23. de ref. cap. 15.* Nomine autem Episcopi veniunt etiam inferiores Prælati Jurisdictionem quasi Episcopalem, vi specialia territorii, privilegii, vel præscriptionis habentes. *Trid. S. 25. de Ref. cap. 11 in fin.* videantur, quæ circa præscriptionem pulchre tradit Panorm. *in c. cum non liceat circa fin. de præscript. tox. in cap. auditis 15. &c. cum olim 18. eod. tit. Barb. in d. c. 15. Trid. n. 23.* Quod si cura personarum sæcularium sit annexa Monasterio ubi Abbates, Generales, aut Capita Ordinum sedem principalem ordinariam habent, tunc etiam de ipso Consilio Trid. Episcopi approbatio non requiritur, *ut clare dicitur in sess. 25. de Regul. c. 11.* 4

Porrò confertur approbatio non tantum per verbalem contestationem, sed etiam per ipsam actualem parochiæ collationem & hoc ipso quod Episcopus alicui Parochiam conferat eundem approbare censetur, quia *in sess. 23. cap. 15.* sub disjunctione requiritur, ut aliquis vel approbationem *per examen, si videbitur necessarium*, obtineat vel *Parochiale beneficium habeat*. prout in simili dispensatio nonnunquam ipso facto sine expressione verborum conceditur, quando in aliquem habentem defectum, actus positivus per dispensatorem exercetur, qui actus sine dispensatione diceretur non legitime factus v. g. si Episcopus illegitime nato scienter conferat minores Ordines & simplex beneficium, quod facere potest *juxt. cap. 1. de filiis Pres. in 6.* ita quoque *ex L. imperialis 23. §. similes 4. C. de nupt.* notant Gottof. & DD. famam tacite restitui illi infami, cui Imperator dignitatem aliquam dedit. 5

Not. II. Quod, licet ex communi sententia Parochus approbatus quoad unam Parochiam, non propterea censeatur approbatus quoad totam diœcesim *teste Piasec. in praxi Episc. p. 2. c. 1. n. 10* Nihilominus si aliquis virtute Bullæ Cruciatæ aut Jubilæi posset sibi eligere quemcunque Confessarium approbatum, etiam talem Parochum eligere non prohibetur, quamvis alias ipsius Parochianus non esset. Item Consuetudine passim receptum est, ut ab uno Parocho possit alteri Parocho cura in sua Parochia committi & delegari, ut ita unus Parochus alterius Parochi ad breve tempus absentis vices supplere possit, id quod non tantum in duobus Parochiis in eadem Diœcesi, sed etiam in confinio duarum diversarum Diœcesium constitutis procedere quidam existimant *vid. Lug. in tract. de pœnit. disp. 21. sect. 1. n. 11.* quam opinionem confirmat notum juris axioma, quod Consuetudo tribuat jurisdictionem. *c. dilecti 4. de Arbit. c. cum contingat. 13. de foro compet.* 6

Not. III. Quod confessiones suorum subditorum possit Parochus etiam extra suam Parochiam audire, si v. g. cum suis Parochianis in alienam parochiam peregrinatum iverit, & ibi aliqui confiteri desiderent, quia absolutio Sacramentalis est actus voluntariæ jurisdictionis qui extra territorium etiam exerceri potest. *l. 2. offic. procons.* 7

Not. IV. Quod Parochus non possit quemlibet pro suo Capellano seu Cooperatore suscipere, qui deleget suam jurisdictionem, nisi fuerit Sacerdos quoad curam animarum approbatus ab Episcopo, quia Concilium Trid. generaliter decrevit, *Nullum* posse confessiones sæcularium audire, nisi approbatus fuerit. Deinde non satis cautum fuisset incommodis ex abusu Parochorum oves suas ineptis committentium, provenientibus, si facultas judicandi de idoneitate Ministri penes Parochos relicta fuisset, ut rectissime observat Reverendissimus Dom. Christophorus Raslet *in tractatu suo de pœnit. pag. 409.* Præterea non sufficit, quod suscipiendus in Capellanum ab aliquo Episcopo, quocunque demum sit approbatus, sed debet esse approbatus ab Episcopo illius diœcesis, in qua Sacramenta administrabit. Tum quia Concil. *d. s. 23. c. 15.* requirit approbationem ab *Episcopis* in plurali, quo numero utiq; utitur ex supposito, quod aliquem contingat ad diversas diœceses venire. tum etiam quia in diversis diœcesibus diversi populi, diversi mores & ritus sunt, ut propterea merito specialiter inquirendum, an talis Persona aliunde adveniens pro tali loco idonea sit. 8

Sed quid si Parochus de facto aliquem Cappellanum non approbatum ab Episcopo tenuerit, anne valide absolvet? R. 9
si communi hominum existimatione reputetur pro Legitimo Capellano, ejus jurisdictio à jure propter communem hominum errorem (qui non debent in re tam gravi decipi) supplebitur, & consequenter valide absolvet. *arg. l. Barbarius. de offic. præt.* vid. tradita superius *ad princ. hujus part. 3. numer. 6.* Non ignoro, quod Innoc. *in cap. cum dilecta 22. de rescript. n. 1.*

videa-

videatur tenere, illam Leg. *Barbarius.* non habere locum in delegata (qualis etiam est Capellanus) sed rantum in ordinario, eo quod ratio publicæ utilitatis potissimum tantum in ordinario Judice locum habeat. Verum quidquid sit de hac opinione Innocentii, quam impugnat Sanch *de Matrim.lib* 3. *disp.* 22. n. 6. *nixus authoritate tex c.* 1. §. *verumtamen.* 3. *q.* 7. Ego in nostro proposito dico, non agi de delegato ad unam particularem causam, de quo Innoc. loqoitur, sed agi de Capellano, qui semper loco Parochi Jurisdictionem exeroet, & proinde delegatus ad universitatem causarum mandatam potius habens Jurisdictionem censeri debet, qualem delegatus habet quasi Jurisdictionem ordinariam, And. *Gail.* 1. *Obs.* 97. *n.*12. Maxime vero illa ratio publicæ utilitatis, ob quam in ordinario propter communem errorem suppletur jurisdictio, deduci potest ad delegatum ad universitatem causarum, quia & iste non tantum uni vel alteri, sed multis, imo omnibus in illo genere causarum, ad quod delegatus ast, comprehensis, jus dicere necesse habet. Doces tamen Bath. *de of-*
10 *ficio Paroch.p.* 2.*cap.*19. *sub n.* 38. *in nova edit* † quod ad tempus aliquod, v.g. in quadragesima, possit sibi Parochus vel Curatus ad exeipienda sconfessiones aliquem Religiosuoi vel alium sine cujuscunque Superioris licentia assumrre, cum Sacerdos rite ordinatus jam habeat potestatem absolvendi, sed tantum materia scilicet populus deficiat, quam ipsi tribuit Parochus. At ego hanc sententiam potius ex consuetudine & licentia Episcopi per quandam Epikiam propter brevitatem temporis præsumpta admiserim, quam ex illa rationa assignata, quæ stante Concilio Trid. prohibente absolutionem à Sacerdote non approbato factam procedere haud potest, alias probaret generaliter, quod Parochus indistincte quemcunque sacerdotem pro suo Capellano suscipere posset, contra ea, quæ paulò ante dicta sunt.

11 *Not. V.* quod Episcopus (etiam inconsulto Parocho, quia Episc cum quolibet Parocho suæ diœcesis concurrentem jurisdictionem habet, *gl. c.* 2. *v. subdito. de pæn. in* 6 *Pan. in c. cum inter. de purg.Can n.*1.) Parochus possit jurisdictionem fori pœnitentialis altari delegare, item & Vicarius Parochi, cui in Parochia unita, vel absente aut nondum in Sacerdotem ordinatu Parocho totum officium parochiale commissum est, si non substituendo alium Vicarium loco sui, saltem delegando in particulari prout de jure Civ. *mandatam* jurisdictionem habens, eam totam alteri mandare non potest. *l. more ff. de jurisdict.* sed bene delegare in particulari. *l. cum prætor ff. de Iudic.* Cooperator autem seu Capellanus delegare nequit, nisi ei hæc potestas à parocho detur, ut ipsius Parochi nomine deleget, ratio redditur à Paulo Laym. *de pæn. c.* 10. *n* 14. & Conink. *de pæn. disp.*8. *dub.*4. n 25. quod cooperatores non habeant *officium*, sed nudum *ministerium* jurisdictionis, quod delegari non potest. *c. fin. de offic. Jud. deleg.* Verum videtur mihi valde dubium, an hæc ratio bene probetur ex *d. c. fin* §. *caterum.* nam ex vero illius textus intellectu tunc dicitur proprie alicui *nudum ministerium* committi, quando constituitur *merus executor* sine causæ cognitione, aut formatione judicii, *teste gl. ibidem v. commissum.* v. g. si Papa mandet aliquos in rescripto specificatos absolvi vel excommuoicari, quos ipse prius judicavit causâ cognita absolvendos vel excommunicandos, vel prædicare crucem, quod nullam requirit jurisdictionem. At vero cooperator oon est *merus executor*, sed ei delegatur vel potius *mandatur* non tantum in *aliquos* sed universim in omnes Parochianos vera jurisdictio fori pœnitentialis, in quo de peccatis cognoscere, suumque desuper judicium formare debet. Nec etiam convincit, quod delegatus, qui non est summi Principis non possit alium subdelegare. *L. à judice. C. de judic.* quia tantum procedit in delegato ad particularem causam, non in delegato *ad universitatem causarum L. legatus ff. de offic. Proconf. l. cum prætor. de judic.* qoare magis fortasse congruet alia ratio desumpta ex sententia Fachinæi *lib.* 12. *controv. cap.* 92. quod infimis judicibus (quales in foro pœnitentiali sunt cooperatores) non concedatur de jure delegandi potestas: sunt tamen & hic dissentientes non pauci DD. apud eundem Fachin. *c.l.* quod vero ad matrimonium non sufficiat consensus cooperatoris alteri Sacerdoti datus ad assistendum, provenit, quod in Concil. Trid. *s.* 24. *de ref. c.* 1. proprii Parochi licentia requiratur.

12 *Not. VI.* Quod Sacramentum Pœnitentiæ, præter eos, qui perpetuum domicilium in Parochia habent, possit etiam Parochus administrare illis, qui quasi domicilium ibidem obtinent, hoc est, qui majori saltem anni parte in parochia vel de facto manserunt, vel manere intendunt, ut Scholares, famuli, &c. Quin imo etiam plane advenas & peregrinos nec verum nec quasi domicilium habentes ex tacita voluntate Ordinariorum per consuetudinem confirmata à quolibet exposito Sacerdote Penitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta percipere posse etiam tempore Paschali, *si ad propriam parochiam facile accedere non possint*, ex communi sententia & praxi docet Laym. *lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 10. *n.* 9.

13 *Not. VII.* Quod cessante consuetudine (de qua mox dictum) plerique DD. teneant, non valere absolutionem datam ab aliena Sacerdote sine expressa licentia sub spe ratihabitionis de futuro, quia absolvens caret jurisdictione, & delegatio non est ex præsumpto consenso, & Sacramenta non debent pendere à futuro eventu, aut manere in suspenso &c. unde non obstat regula juris 10. *in* 6. *quod ratihabitio retro trahatur & mandato æquiparetur.* quia procedit in contractibus, quorum obligatio potest esse suspensa; nec etiam obstat, quod Baptismus, Confirmatio, extrema Unctio, Ordo & Eucharistia, ex rationabili præsumptione futuri consensus possint administrari, quia in his minister non fungitur officio judicis, & sic jurisdictio est tantum conditio extrinseca non intrinseca & essentialis sicut in Penitentia, *Ferd. de Castro Pal. de Sacram. tract* 23. *disp un.punct.*14. *Laym.d.l.n.*16. referuntur quidem aliqui DD. pro sententia contraria apud Sanch. *de matrim. lib.* 3. *disp.* 35 *n.*15. & in specie Host. *in sum. in tit. de Pœnit. & remiss.* §. *cui confitendum.n.*24. sed Navar. in Man. *cap.*9 *n* 6. explicat, mentem Host. fuisse de ratihabitione præsenti ex tolerantia, quæ inducit tacitam licentiam, cum sciens Parochus volensque patitur ab alio audiri confessiones, *arg. L. qui patitur. ff. mandati.*

14 *Not VIII.* Quod Parochus teneatur toties administrare Sacramentum pœnitentiæ suis Parochianis, quoties ipsi justam confitendi causam habent, ac opportuno tempore & loco petunt, cum enim homines frequentes in peccata mortalia labantur, & propterea periculo æternæ damnationis sint expositi, utique Parochus ratione pastoralis officii tenetur quandocunque potest & ipsi petunt, eos ex tanto periculo eripere, & ipsorum modo promovere. *Navar.in Man c.*25.*n.*131.

15 Quod si Parochus non valit per se confessionem excipere, vel pœnitens desideret alteri confiteri, non debet Parochus in concedenda licentia difficilis esse, ne conscientiæ suorum subditorum laqueum iniiciat, quia experientia constat, quod multi confitendo proprio Parocho peccata sua non integra & sincere exponant: imo nonnulli malint sine pœnitentia decedere, quam proprio Parocho confiteri, ut ex S. Thoma notavit Sylv. *verb. confessor.* 1. *n.* 13.

16 *Not. IX.* Quod aliquando Parochiani impetrent dispensationem super votis, vel impedimentis matrimonii ex pœnitentiaria vel curia Romana, quæ dirigitur ad Parochum vel Confessarium, ut is audita Sacramentali confessione & cognita veritate precum & causarum dispenset vel absolvat, requiruntur tamen litteræ ordinarie in Confessario, ut sit Doctor seu Magister in Theologia vel Jure Canonico, (Licentiatus in materia favorabili etiam hoc nomine intelligi posset, quia in ipso tanta requiritur doctrina quanta in Doctore, si ergo Parochus vel Confessarius tali qualitate præditus non sit, ad alium mittere debet dispensandum. Quid autem si unus Confessarius judicet litteras esse sub vel obreptitias seu per male narrata impetratas, licebitne impetranti accedere ad alium Confessarium, ejusque judicium explorare? Ratio negandi cum Navar. *Cons.* 8 *de offic. deleg* videtur, quod delegatio dispensationis censeatur facta uni tantum & primo Confessario, eam propterea ad alios extendere sit in solius delegantis potestate. Nihilominus affirmativa satis tuta & probabilis est, eo quod hæc commissio detur in foro conscientiæ, ideoque sequatur ejusdem fori naturam, ut pœnitens non teneatur acquiescere omni Confessarii sententiæ, sed & ipse Confessarius suam sententiam mutare possit, *Sanch. de Matrim. lib.* 8. *disp.*27. *n.*40. *Gutier. de Matr.c.*125. *n.* 18. *Barb. de Paroch. p.* 2. *cap.* 19 *n.*45.

§. II.

De Casibus Reservatis.

SUMMARIA.

1 *Casuum reservatio pertinet ad disciplinam Ecclesiasticam.*
2 *Quid faciendum cum habente casum reserv.*
3 *In artic. mortis quivis Sacerdos absolvere potest.*
4 *Absolutus in mortis periculo an evadens teneatur se præsentare superiori.*
5 *Superior tenetur aliquando concedere licentiam inferiori absolvendi à reservatis.*
6 *An pœnitens possit mitti ad privilegiatum, & ibi de jurisdictione prorogata, quatenus etiam in foro interno procedat.*

7 *Eur-*

7 *Examinantur 3 casus circa pœnitentem alienæ diœcesis.*
8 *Reservatio casuum Episcopalium an duret post mortem Episcopi.*
9 *Casus Papales habent omnes censuram annexam.*
10 *Excusatus à censura propter defectum culpæ mortalis vel contumaciæ seu scientiæ excusatur à reservatione.*
11 *In casibus Papalibus consuetudo attenditur, & ibi de bulla cœnæ.*
12 *Actus mere internus non est reservatus.*
13 *Casus Papalis propter difficultatem fit Episcopalis.*
14 *De privilegiis Regularium absolvendi à casibus reservatis.*

1 M*Agnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est*, inquit Concil. Trid. sess. 14. de Sacrament. Pœnit. cap. 7. *ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur, unde merito Pontifices Max. pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare, itemque Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem licet, &c.*

Sunt igitur Casus Reservati alii *Papales*, alii *Episcopales*. Catalogum aliquem ponemus ad finem §. interim in genere de utrisque.

2 *Quær.* I. Quid faciendum Parocho vel Confessario, si pœnitens inter cætera confiteatur Casum Reservatum? ℞. Si facilis copia sit Superioris, qui sibi casum reservavit, ad eum totam confessionem remittendam esse, si vero difficilior sit aditus ad superiorem, vel alia causa v. g. infamiæ vitandæ urgeat confessionem aut communionem, posse pœnitentem absolvi à non reservatis, reservata absolutione à reservatis cum superior copiam sui fecerit, idemque procedet, tametsi casus reservatus habeat excommunicationem annexam, cum enim excommunicatio jure tantum positivo Ecclesiastico arceat ab usu Sacram. Pœnitentiæ, cessat ejus obligatio in casu magnæ necessitatis. *Barb. ad d. c. 7. Trid. in 27. Laym. de Sacram. Pœn. c. 12. a. 10. & seqq. Fagund. in 5. Eccl. præcept. præcept. 2. lib. 8 c. 3.*

3 *Quær.* II Utrum Parochus nullo casu absolvere possit à reservatis? ℞. in articulo mortis nullum casum esse reservatum, *sed omnes Sacerdotes* (quod DD. etiam ad excommunicatos, suspensos, irregulares, degradatos, Schismaticos & hæreticos extendunt, apud Barb *in Collect. ad c. p. 7. Trid. S. 14. de Sacram. Pœnit. n. 13.*) quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt Ecclesia ex singulari pietate & benignitate tunc conferente jurisdictionem *jux Trid. d. cap. 7. s. 14.* dicitur autem *mortis articulus* non tantum quando pœnitens jam agonizat, sed tametsi vivat & vivere possit, est tamen ex verosimili medicorum aut prudentum virorum judicio in propinquo mortis periculo, veluti si peste infectus sit, si in ipso conflictu bellico aut periculo naufragii constitutus, &c *Barb. d. c. 7. n. 11.*

4 *Quær.* III Utrum in periculo mortis à casu reservato absolutus, si reconvalescat, teneatur se præsentare Superiori, & novam absolutionem petere? ℞. esse distinguendum, an casus fuerit simpliciter reservatus, vel an fuerit reservatus propter censuram annexam? si fuerit simpliciter reservatus, non erit opus nova absolutione, quia præcedens absolutio in articulo mortis data ex commissione Ecclesiæ fuit vera absolutio ac proinde omnes absolutionis effectus operata est. *cc. apud Bar. d. c. 7. n 16.* sin autem quis in articulo mortis à Censura sive à Jure sive ab homine lata absolutus fuerit, is cessante periculo Superiorem adire debet, ut ejus mandatum de satisfacienda suscipiat, alias in censuram reincidet ipso jure. *cap. eos qui. 22. de sent. excom. in 6.*

5 *Quær.* IV. Quid si pœnitens nulla ratione persuaderi possit, ut Superiorem accedat, quin potius ob animi duritiam dilaturus confessionem, aut etiam in omnem peccandi licentiam sese effusurus sit, maximè si rationabilem recusandi causam habeat, quia scil. prudenter timet damnum aliquod extrinsecum, v. g. Sigilli violationem, odium superioris, aut ne is scientia ex confessione ad externam gubernationem utatur? ℞. tali casu debere Parochum à Superiore licentiam absolvendi petere (caute tamen & in genere, ad aliquem casum reservatum, ne persona pœnitentis innotescat) atq; ad eam præstandam Superiorem teneri & obligari, ne reservatio casuum, quæ ad salutem animarum & ædificationem concessa est, ad ruinam & destructionem tendat. *Reverendissimus D. Christoph. Rasler in tract. suo de pœnitent. c. 7. §. 35.*

6 *Quær.* V. An Parochus, qui licentiam absolvendi à reservatis non habet, possit pœnitentem mittere ad alium Parochum vel Religiosum, qui eam licentiam obtinet? Sane pro Negativa facit, quod Concil. Trid. *d. cap. 7. s. 14.* velit pœnitentem non ad alium quam ad Superiorem remitti, ne alias reservatio Episcopi facile eludatur. Item quod Parochus alteri Jurisdictionem in suum subditum delegare non possit in tali materia, in qua ipse eandem non habet, cum nemo plus juris in alium transferre possit, quam ipse habeat *c. nemo 79. de R. I. in 6.* & delegatus non ex propria, sed ex Jurisdictione delegantis judicet. *arg. c. sane 11. de offic. deleg.* Verum ego quidem non dubito, quin pœnitens moneri debeat, ut Episcopum pro absolutione accedat, quod si autem difficulter persuaderi possit vel justam recusandi causam habeat, plane existimo, quod ad alium habentem licentiam absolvendi à casibus reservatis recte dimittatur. Neque propterea eluditur decretum Concilii, reservatio Episcopi, quia in talibus circumstantiis etiam ipsum Episcopum teneri ad præstandam licentiam alteri jam supra dictum est. Illud vero videtur habere aliquam difficultatem, quo Jure ab alio quam proprio Parocho vel Episcopo talis pœnitens absolvatur? Non enim *ordinario*, quia subditus non est; neque etiam *delegata*, quia à proprio Parocho Jurisdictio circa casum reservatum delegari non potuit, ut dictum. Sed ℞. hanc Jurisdictionem ea qua Confessarius alienum Parochianum ad se venientem cum licentia proprii Parochi absolvit, non esse *delegatam* sed *prorogatam* & consequenter *ordinariam*. Hæc enim est differentia inter Jurisdictionem *delegatam* & *prorogatam*, quod *delegatam* habens præcisa ex Jure delegantis judicet, *prorogatam* autem habens judicet ex propria, quia non confertur ipsi nova Jurisdictio ab alio, sed tantum alienus subditus sese ipsius Jurisdictioni subjicit. *l. 1. & 2. ff. de judiciis.*

Dices, quomodo dignosci poterit *delegatane* sit Jurisdictio *an prorogata?* ℞. tunc censendam esse *delegatam* Jurisdictionem, si commissio dirigatur ad ipsum absolventem novam ipsi Jurisdictionem conferendo, *prorogatam* verò tunc, si ipsi subdito tantum detur licentia, ut alteri, qui aliunde jam Jurisdictionem habet, se subjiciat *cap. significasti. 18 de foro compet.* Porro licet in causis spiritualibus & circa forum internum *prorogatio* Jurisdictionis sine consensu proprii ordinarii invalida sit, quia ubi de bono animæ agitur proprius Superior cognoscere debet, qui pro ea est rationem redditurus. *Barb. in d. c. significasti. sub n. 8* attamen quod cum licentia proprii Superioris maxime subexistente justa causa *prorogatio* recte fiat satis exploratum est; haud enim assignari potest diversitatis ratio, cur proprius Superior possit alteri suam Jurisdictionem in suum subditum delegare, & cur non etiam possit ipsi subdito licentiam dare, ut se alterius Jurisdictioni subjiciat.

Quær. VI. Quid statuendum si habens casus reservatos sit ex aliena diœcesi, & tantum per accidens hic & nunc commoretur ad tempus in illa ubi confitetur, v. g. peregrinationis aut certi alicujus negotii expediendi causa, &c. tres casus in proposito distinguunt DD. primus est utrum talis pœnitens confiteatur casum, qui non sit quidem reservatus in sua, sit tamen reservatus in Confessarii diœcesi? Secundus, an casus sit reservatus in diœcesi Pœnitentis, non vero in diœcesi Confessarii? Tertius, an casus sit reservatus in utraque diœcesi tam pœnitentis, quam Confessarii? omnes hos casus ex eodem principio resolvunt, videlicet. Quod attendendæ sint leges loci ubi confessio fit, quia Jurisdictio & judicium regulatur secundum leges loci, in quo exercetur, proinde in primo casu putant pœnitentem absolvi non posse, secus vero in secundo. *Laym. de Sacrament. pœnit. c. 10. nu. 10. cum cc. ibidem.* 7

Verum Ego circa resolutionem primi casus plane subsisto. Nam quæro, quando casus pœnitentis non est reservatus in propria diœcesi ipsius, an debeat remitti ad Episcopum proprium, vel Episcopum loci ubi confitetur? non ad proprium, quia ille casum sibi non reservavit, non etiam ad Episcopum loci ubi confitetur, quia non est ipsius subditus & reservationes casuum tantum intelliguntur circa subditus. *tex. in d. c. 7. Trid. s. 14 de Sacram. pœnit.* sunt enim introductæ, ut quilibet Episcopus suos non alienos subditos in officio contineat, maxime vero si casus reservatus in aliena diœcesi patratus sit, sicut in *cap. 2. de constit. in 6.* expresse dicitur, quod excommunicatio Episcopi extra suum territorium locum non habeat, licet subditus ipsius Episcopi (quanto magis non subditus) peccatum illud propter quod excommunicatio lata est, extra territorium Episcopi perpetraverit. Magis proinde existimarem hoc casu pœnitentem simpliciter absolvi posse, non obstante, quod judicium secundum leges loci exerceatur quia hoc procedit regulariter, nisi subjecta materia in casu aliquo speciali ex adductis rationibus aliud exigat.

Alterius quoque casus resolutio propterea non caret scrupulo, cum non sit absolute verum, quod semper Jurisdictio secundum leges loci exerceatur. Ecce siquis in Ungaria habitans, ubi Concil. Trid. receptum non est, contraxerit

Ma-

Matrimonio disputetur ubi Concilium receptum, id non secundum leges loci, ubi disputatur, sed ubi contractum fuit, judicari debet *arg. l. si fundus. 6. de evict. l. 1. C. de emancip. lib. Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 18. n. 27.* similiter si testamentum fiat secundum particulares consuetudines alicujus provinciæ, id in toto mundo validum reputari debet & secundum illas consuetudines judicari *l. 2. C. quem. d. testam. aper. Gail. lib. 2. obs.* 123. Verum quidem est, quod quando agitur de solennitate extrinseca judiciorum v. g. de satisfatione, forma libelli & litis contestatione &c. item & de competentia jurisdictionis, judicandum sit secundum leges loci, sed hoc quatenus causa est in loco judicii, ut quia ibi contractus initus, vel delictum commissum est. hinc etiam Austriacus in cujus Patria restitutio in integrum reservatur Principi terræ, *Sutting. in process. judic. infer. Aust. obs.* 102. in alia provincia litigans à Judice condemnante restitui potest. *jux. l. 3. C. ubi & apud quem restit. &c.* quia ibi est causa restitutionis scilicet sententia judicis, probatio omissa &c. & denuum hæc absolutio præjudicabit juri & reservationi proprii ordinarii, quam pœnitens facile eludet, si ad aliam diœcesim pro absolutione transierit, sicut ergo prorogatio alienæ jurisdictionis non admittitur, ubi agitur de præjudicio proprii Ordinarii. *c. significasti de foro comp.* ita nec hic &c.

Interim quia prædicta sententia favet conscientiæ, & pro se habet graves & classicos authores, nolo damnare practicantem. Sed quid si casus fuerit in utraque diœcesi reservatus? absolvi posse ab Episcopo loci ubi pœnitens confitetur vel qui ab eo potestatem habet ex posito principio, quod secundum leges loci judicandum, censet Laym. *d. l.* verum quia istud principium habet multas limitationes, ut ostensum, ideo probabilius mihi videtur, pœnitentem esse remittendum ad suum proprium Ordinarium vel ab eo potestatem habentem, si casus in ipsius diœcesi commissus sit, nam ad ipsum pertinet, eradicare evellere & dissipare vitia suæ diœcesis & suorum subditorum, & ita Castro Palao. *Sacram Pœnitent. disp. un. punct. 15. § 4. n. 1.* generaliter & recte docet, casus reservatos à nullo, quam à reservante, & cui is potestatem dederit vel superiore ejus absolvi posse.

8 *Quær.* VII. Utrum reservatio casuum duret etiam post mortem Episcopi, & sede Episcopali vacante? ℟. si reservatio sit facta à Synodo Provinciali vel diœcesana per modum statuti perpetui, tunc durabit etiam post mortem Episcopi, *arg. cap. fin. ubi gl. v. statuta de offic. leg.* & habens Casum Reservatum sede vacante mittendus erit ad Vicarium Capituli. Qui tamen à defuncto Episcopo habuisset licentiam absolvendi à casibus reservatis, is eandem (nisi tempus, ad quod licentia restricta est, jam effluxisset) etiam sede vacante exercere possit, quia gratiæ non expirant morte concedentis. *cap. si cui. de præb. in 6. Sanch. de Matrim. lib 8. disp. 28. n. 72.* Sin autem non constet de tali Statuto perpetuo, sed Episcopus defunctus proprio motu sibi reservaverit casus aliquos (quod videtur in dubio præsumi posse, quando nulla extant statuta synodalia, quæ communiter solent typis imprimi) tunc hæc reservatio una cum Persona Episcopi expirasse censetur, & sede vacante quilibet Confessarius absolvere poterit. *Zerola in praxi Episc. p. 1. e. Casus reservati n. 4. Em. Sa. 2. Absolutio n. 20.*

Specialia quædam notanda circa casus Papales.

9 I. NUllus casus est Papæ reservatus nisi qui simul habeat annexam censuram excommunicationis. *Nav. in Man. c. 27. n. 101.* ideo

II. Si Pœnitens propter aliquas circumstantias possit excusari, quod censuram non incurrerit, quamvis casum illum reservatum perpetrarit, non est mittendus ad Papam, sed à Parocho vel alio Confessario absolvi poterit.

10 III. Cum nulla excommunicatio vel Censura incurratur nisi propter peccatum mortale, ideo quotiescunque aliquis Casum Reservatum sine peccato mortali perpetravit, puta ob ignorantiam invincibilem, inadvertentiam, non sufficientem deliberationem, parvitatem materiæ, &c. toties etiam à censura, & consequenter à reservatione excusabitur. *Cov. in relect. cap. alma mater. de sent. excom. in 6. §. 9. n. 1.*

IV. Favore Conscientiæ quorundam est opinio non afficere aliquem censura Ecclesiastica, non tantum si ex probabili & tolerabili ignorantia nesciat actum quem agit esse prohibitum, sed etiam si sciat esse prohibitum, ignoret autem esse censuram annexam, sicut hujusmodi probabilis & tolerabilis ignorantia datur in constitutionibus & canonibus, non ita per locorum Ordinarios publicatis, maxime circa fœminas, milites, rusticos, pupillos & minorennes, utpote qui alias per Juris ignorantiam excusantur. *l. cum de indebito. 25. §. de probat.* quam sententiam tenet Ang. *in v. excommunicatio. 7. cas. ult.* & videtur probare Sylv. *in v. ignorantia. §. 8.* Non obstat, quod rusticus v. g. grave delictum perpetrans ultimo supplicio afficiatur quamvis ignoret, tam gravem pœnam delicto esse præfixam, sicut in contrarium argumentatur Cov. *in d. c. alma mater. §. 10. n. 9.* Nam in primis vel delinquens scit, actum quem agit esse prohibitum, vel ignorat: si scit, vix potest contingere, ut ignorantia pœnæ non sit nimis crassa & affecta, siquidem pœnæ publice & toto mundo inspectante solent infligi: si ignoret, actum quem egit esse prohibitum, ejusque ignorantia probabilis fuerit, falsum est suppositum, quod pœna præsertim ultimi supplicii recte plectatur. Deinde quidquid sit in aliis causis, diversa est ratio in Censuris, quæ sine contumacia & saltem interpretativo contemptu ipsarum censurarum non incurruntur, contumacia autem quod in ignorante non detur per se clarum est, & etiam advertit Cov. *d. §. 10. n. 7. optimus tex in c. 2. de Constit. in 6.*

V. Circa excommunicationes, quæ ipso jure inferuntur, 11 etiam ad consuetudines locorum attendendum erit, quia multæ excommunicationes, quas Authores longa serie recensent, in Germania receptæ non sunt, vel certè contrario usu abrogatæ sunt *teste Henric. Magnigart. in suis partus resolut. Moral. cap. 5 §. 9.* quod autem lex non recepta non liget, communiter sentiunt DD. *per tex. in c. instit. § leges. dist. 4. Nav. in Man. cap. 23. n. 41. Menoch. lib 2 præsumpt. 2.* & quod lex etiam recepta per contrariam consuetudinem tolli possit, constat ex *cap. fin. de Consuet. & pluribus aliis locis.* quæ sane consuetudo vel exinde rationabilis est, ne ob multitudinem censurarum fideles periculum animarum suarum incurrant, & nervum Ecclesiasticæ disciplinæ contemnant *arg. tex. in Trid. s. 25. de reform. cap. 3. & in c 2. d. Constit. in 6.* Specialis est difficultas, quid censendum sit, de casibus Papalibus in *Bulla Cœnæ Domini* reservatis, anne etiam illa Bulla possit dici non esse recepta, cum tamen singulis annis rigorosè Romæ promulgetur? Audivi à viris fide dignis, quod aliqui Magni Principes Germaniæ non sint passi illam Bullam in suis territoriis promulgari, forte quia plurimum offendit immunitatem Ecclesiasticam: Sed an id jure fecerint, aliis disputandum relinquo. Interim ad nostrum propositum dicendum videtur, subditos habere justam ignorantiæ causam, & consequenter non incurrere censuras prædictæ Bullæ, si in aliqua diœcesi non promulgentur. *tex. notab. in cap. cum infirmitas 13 de pœnit. & remiss. ibi postquam per Prælatos locorum fuerit publicatum &c.* & tenet Cajet. *in 1. 2 q. 90 art. 4.* ac in specie quod Bulla Cœnæ non recepta non liget, asserit Nav. *Consil. 1. de const. n. 74. in summariis* Paul. Laym. *de excom. cap. 5. sub. n. 2. ubi refert Becanum idem sentientem*, quidquid fortè sit de aliis causis civilibus & judicialibus, quæ periculum animarum non ita immediatè tangunt, in quibus ex stilo Curiæ omnes Bullæ Romæ tantum promulgatæ hoc ipso etiam in partibus obligant, aliud tamen est circa Bullas continentes censuras, ad quas incurrendas requiritur contumacia, & consequenter scientia acquisita ex debita promulgatione vel usu ac consuetudine, *argum. cap. cùm infirmitas de pœnit. & remiss. Corkier de jurisd. Ord. in exem. p. 1. q. 50 à num. 5.* & quia in *dict. cap. cum infirmitas* requiritur publicatio per ordinarios facienda, non sufficiet scientiam censuræ ex lectione librorum acquisivisse, nam aliàs, non foret consultum SS. Canonibus vel casibus conscientiæ studere, & rudes atque indocti melioris conditionis forent, quàm illi, qui se pro Ecclesiæ utilitate litteratos, & doctos reddiderunt. Illud verò hic advertendum est, nulla consuetudine effici posse, ut delicta in Bulla Cœnæ vel aliis Canonibus specificata licita fiant, sed tantùm, ne proptereà censura reservata incurratur, quæ juris solùm humani pœna est.

VI. Nulla excommunicatio vel casus Reservatus incurritur propter actum mere internum, v. g. peccatum cogitationis, hæresim mentalem &c quia Ecclesia non judicat de internis & occultis, sed requiritur actus externus verbo vel opere externo demonstratus, & quidem consummatus, *vid. infra sub casu Bullæ 23.* 12

VII. Qui casum Papalem habent ab Episcopo absolvi possunt, si sint ejus conditionis, quòd Romam venire sine magna difficultate non possint, uti sunt fœminæ, pueri, filiifam. in potestate patria constituti, senes, infirmi, habentes inimicitias capitales, aut aliud justum impedimentum, propter quod tale iter suscipere nequeant, ita tamen, ut hi qui impedimento temporali laborant (exceptis pueris, qui etiam post pubertatem ab Episcopo absolvuntur, cùm propter puerilem ætatem, in qua delictum admiserunt, veniam mereantur) cessante impedimento debeantur Sedem 13

Apo-

Apostolicam accedere. Item magni & potentes Domini absolvuntur quidem in partibus, sed S. Pontifex prius debet de statu Personæ & qualitate causæ certiorari, ut absolutio secundum ipsius mandatum impendatur, *vid. tex. in cap. mulieres. 6. cap. de cætero 11. c. quamvis 58. & c. fin. de sent. excom.*

14 VIII. Demum hodie plerumque non est necesse pœnitentem cum casu Papali Romam mittere, quia Legati aut Nuntij Apostolici in partibus existentes, vel etiam diversorum ordinum Religiosi præsertim mendicantium potestatem & privilegium habent a casibus S. Pontifici reservatis absolvendi. Sed de hujusmodi specialibus Privilegiis illi ipsi Religiosi consulendi erunt: nam S. Congreg. Episcop. & Regul. de Mandato Clem. VIII. die 9. Mensis Jan. Anni 1601. resolvit, quod quicunq; Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis & Instituti tam intra quam extra Italiam virtute privilegiorum suorum quorumcunque non possint absolvere à casibus in Bulla Cœnæ vel Episcopis reservatis. prout hanc resolutionem in terminis refert Quaranta in *Summa Bull. verb. casus reservati. n.* 3. & ex Alden. allegat. Barb. in *Collect. ad c. 7. Trid. s. 14 de Sacram. Pœnit. n.* 23. ubi ponit hanc resolutionem esse datam 17. Novemb. 1628. quod forte de renovatione intelligendum est, quia *Data* apud Quarant. *d. l.* est antiquior.

CATALOGUS

Excommunicationum Papæ reservatarum.

CAsus Papales alii sunt in *Bulla Cœnæ*, alii extra Bullam in aliis Canonibus reservati. In Bulla Cœnæ fertur excommunicatio reservata.

I. *Contra hæreticos, eorumque fautores, ac libros legentes retinentes vel imprimentes, item & Schismaticos.* Circa hunc casum aliqua advertenda sunt & imprimis tria requiri, ut hæc excommunicatio incurratur. I. ut aliquis sit *formalis* hæreticus, id est, scienter & pertinaciter eligens vel credens aliquid contra veritatem Ecclesiæ Catholicæ, non autem sufficit aliquem esse hæreticum *materialem*. qui scil. sine pertinacia & ex ignorantia licet crassa hæresim sequatur *c. dixit Apostolus. & cap. qui in Ecclesia* 24. q. 3. Unde qui à secta Lutheri vel Calvini recedere cupiunt, si probabili vel saltem non mortaliter culpabili ignorantia labefasse videantur, à locorum Parochis jure absolvi possunt. Ecclesiarum tamen consuetudo ferme requirit, ut tales ad eos mittantur, qui absolvendi ab hæresi licentiam habent. II. requiritur, ut hæresis non solum in animo consistat, sed verbo aut facto extrinsecus significetur, quia actui mere interno Ecclesia non ponit pœnam, *c. cogitationem de pœnit. dist.* 1. ideo talis hæreticus pure mentalis, à quolibet Confessario absolvi potetit. III. ut actio externa sit moraliter male, & fiat animo protitendi vel defendendi hæresim, atque ita ab aliis accipiatur. Proinde qui causa quærendæ instructionis alteri suam hæresim detegit, vel qui à missa abstinet vel diebus jejunii carnes comedit animo hæretico, videntes autem existiment id ex alia causa fieri, vel si verbum hæreticum ab audientibus jocus putetur, non incurretur excommunicatio, quia actus externus in morali hominum acceptione non est hæreticus, & actus internus pœna excommunicationis non afficitur.

De dubitante in aliquo fidei articulo controvertunt DD. an sit hæreticus censendus? quidam affirmant *arg. c. 1. de hæretic.* & quod negare articulum fidei esse certum, sit hæreticum, dubitans autem saltem implicite neget esse certum, alias non dubitaret. Verum alii benignius dubitantem non quidem à peccato, sed tamen à formali hæresi & hæreticorum pœnis excusant apud Barb. *in d. c. 1. n.* 2. & 3. quia hæresis est actualis electio erroris contra fidem, dubitare autem est quid medium, nec ponit actualem electionem vel reprobationem, sicut inter placere & displicere medium est, non displicere, sive nec placere, nec displicere. tex. vero *in d. c.* 1. explicari potest, quod in foro externo præsumetur hæreticus, qui palam suam dubitationem jactat, nec paratus est à Doctoribus erudiri.

Receptatores, fautores & defensores hæreticorum illi solum intelliguntur, qui hæretico favorem & auxilium exhibent, non in aliis negotiis, sed quatenus hæreticus est, ut hæresim suam facilius docere, defendere, aut manus judicis effugere possit, quamvis ipsi actualem fidem (alias enim Bulla gratis inter hæreticos & receptores distingueret) ei non habeant. *arg. l. 2. ff. de receptat.* limitatur tamen. I. nisi persona sit valde conjuncta, ut patris aut filii &c. *arg. l. 2.* II. Ut tunc procedat, si ex receptione malus effectus secutus sit. Infideles nunquam baptizati extra Ecclesiæ jurisdictionem sunt, & ideo censura non afficiuntur. secus est de apostatis à fide, qui subjacent hæreticorum pœnis. sicut enim character baptismi indelebilis, ita indeclinabilis Ecclesiæ jurisdictio.

Circa *libros hæreticorum* notant communiter DD. quod ex usu præsertim Germaniæ tunc solum sub censura prohibiti sint, si ex instituto de religione tractent. (supposito etiam, quod legens sciet esse librum hæreticum & sub censura prohibitum) non autem si de jure, medicina vel alia materia, licet aliqua hæretica interserant: Item quod parvitas materiæ (quam communius ad lecturam unius paginæ constringunt) à censura excuset. Ait etiam Mart. Becan *22. c. 15. q. 8. n* 5. ubi Bulla *Cœnæ* vel index librorum receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticos. Quæ sententia præsertim in illis locis deservire potest, ubi omnia scatent hæreticis & hæreticorum libris, ubi enim facilis est peccandi materia, non expedit tam gravem censuram dictare, ne conscientiis laqueus injiciatur, cum lex debeat esse non valde difficilis, sed utilis secundum patriæ consuetudinem loco & tempori conveniens. *c. 2. dist.* 4.

Interim licet forsan in aliquibus locis bulla aut index librorum receptus non sit, quoad censuram, non tamen passim excusandi sunt à peccato, qui libros prohibitos & obscœnos legunt propter perversionis periculum.

Index porrò librorum habet duas classes, in prima prohibentur libri hæretici sub censura reservata: in altera continentes doctrinam falsam vel bonis moribus repugnantem sub censura non reservata. Inter alia in hoc indice prohibentur etiam legi Biblia sacra vulgari idiomate sine Episcopi vel inquisitoris licentia, sed & hoc in Germania non esse receptum, testatur Laym. *lib. 2. tract.* 1. *c.* 15. *n.* 8. & optandum foret magnopere, ut præsertim Clerici & doctiores diligentius in lectionem S. Scripturæ incumberent, ne quod frequenter cum magno Catholicorum scandalo accidit, à quibusvis etiam plebeis hæreticis confunderentur. Ego sane quoties Scripturam lego, magis contra hæreticos confortor, quia semper deprehendo, quod vel mutilate aut depravate Scripturas allegent, vel textus aliquos notent, quos præter intentionem Scripturæ interpretantur ad vitæ carnalis licentiam, omittentes textus illos, qui ad perfectionem spiritus castigare carnem & rigorem observantia mandatorum & consiliorum Dei tendunt. *vid. sup. par. 1. c. 3. n. 7. & par. 2. cap. ult. de jejun.* perfectissimum autem hæreticorum à fide Catholica recedentium speculum est Epistola 2. Petri cap. 2. una cum commentatio Cornelii à lapide.

Quod si Parochus inter suos quosdam habeat, aut suspicetur hæreticos, non est semper consultum scholastica disputatione cum iis contendere; docti enim ob pertinaciam, & indocti ob ruditatem non capiunt vim argumentorum, præsertim verò non debent ipsis nova dubia in fide proponi, quam quæ ipsimet ex se prius conceperunt, ne magis dubii reddantur. Igitur potius expedit mansuete cum iis agendo tollere *radicem hæresis*, eos disponendo ad veram suorum delictorum pœnitentiam, remonstrando ex Scriptura & SS. Patribus peccatorum gravitatem & qualiter nos à regno Cœlorum excludant, nam certissimum est, radicem hæresis esse peccatum, præsertim carnis, avaritiæ, justitiæ, teste Apost. 1. *ad Tim.* 6. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide.* 1. *ad Tim.* 1. *repellentes conscientiam circa fidem naufragaverunt.* 2. *ad Tim.* 3. *mali homines proficient in pejus errantes & in errorem mittentes.* Examinent se ipsos hæretici, considerent pietatem & zelum resipiscentium ab hæresi, è contra malitiam ad hæresim transeuntium.

II. Excommunicatio reservata est contra eos, *qui à sententia Romani Pontificis ad futurum Generale Concilium appellarint, vel quorum favore aut auxilio appellatum fuerit.*

III. *Contra Piratas maritimos eorumque fautores, qui mare S. Pontificis infestant.*

IV. *Contra occupantes bona naufragantium.*

V. *Contra imponentes nova pedagia, vel gabellas extra casus sibi permissos.*

VI. *Contra falsificatores litterarum Apostolicarum.*

VII. *Contra dantes auxilium, equos, arma, vel materiam armorum infidelibus aut hæreticis, vel qui eos de statu Catholicæ Religionis certiores faciunt.*

VIII. *Contra impedientes victualia ad Curiam Romanam deferri.*

IX. *Qui accedentes ad Sedem Apost. vel recedentes ab ea, vel morantes in Curia, per se vel per alios interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt vel detinent absque jurisdictione legitima.*

X. *Qui*

X. *Qui offendunt Romipetas, vel peregrinos ad urbem causa devotionis.*

XI *Contra eos, qui affligunt, vel persequuntur Cardinales, Patriarchas, Episcopos aut Legatos Sedis Apostol.*

XII. *Contra percutientes aut spoliantes eos, qui in Curia Romana pro se vel pro aliis causas agunt, aut judicant, occasione dictarum causarum.* Aliqualiter differt hæc censura ab ea, quæ superius loco nono posita est, quia ista etiam comprehendit judices & advocatos (si modo propter negotium in Curia actum offendantur) superiores solum accedentes.

XIII. *Contra eos, qui prætexentes frivolam quandam appellationem recurrunt ad Laicam potestatem in causis Ecclesiasticis ad impediendam executionem litterarum Apostolicarum. Item qui impediunt pro suis negotiis ad Rom. Curiam accedere, vel litteras Apostol. impetrare volentes.*

Sed quia S. Pontif dicit *prætexentes frivolam appellationem &c.* ideo non desunt, qui cum Sayr. *l.3. thesaur. casuum conscient. c. 17. n. 3.* probabile reputent, tantum *frivolam appellationem* sine justa causa interpositam ad Laicum Judicem comprehendi. Et Covar. *pp. qq. cap. 35. n. 3.* refert in Hispania esse praxim, quod gravatus a judice Ecclesiastico possit simplicem querelam deferre ad tribunal Regium, cui deiu competat causam examinare, & data injustitia judicem Ecclesiasticum ad rescissionem actorum compellere. Attamen hæc praxis sepositis specialibus privilegiis sustineri nequit. teste Laym. *l. 4. tract. 9. c. 4.* Azor. *tom 1. inst. mor. lib. 5. cap. 14.* nec regulariter salva immunitate Ecclesiastica recursus ad judicem sæcularem etiam ob denegatam justitiā in foro Ecclesiastico admittitur, propter defectum scil. jurisdictionis in judice sæculari, sed ad superiores Ecclesiasticos, eisque ad Papam, qui ulterius à nemine judicatur, sed tota ipsius causa DEI judicio reservatur. *c. si Papa d.* 40. Interim consuetudo immemorabilis, licet de rigore juris non usquequaque subsistens vel gravis Doctoris sententia, sicut potest à contumacia, ita etiam à censura excusare, insinuat Palao *de censur. disp. 3. punct. 14. n. 3.* ubi etiam *sub n. 8 v. notanter* putat, in casu manifestæ injuriæ recurrentem ad tribunal sæculare non incurrere hanc censuram, quod non sit verisimile Ecclesiam injuriantem a Pontifice censuris protegi. & cum Ecclesiæ non concedatur jurisdictio ad injuriandum, non videtur judex sæcularis vel recurrens in tali casu ejus jurisdictionem impedire, sed tantum facto injuriæ per modum naturalis defensionis resistere. Sed hoc vix unquam contingit, ut injuria sit tam manifesta quin aliquo examine judiciali indigeat, quod examen profecto judici sæculari permittendum non est, qui potius in dubio pro judice Ecclesiastico præsumere debet, quam ejus processum sub suam jurisdictionem revocare. Illud vero satis probabiliter asseritur à Palao. *d. l. n 15.* contra Bonac *de cens. disp. 5. q. 14. p. 2. n. 27.* quod ad incurrendam censuram requiratur, ut impeditio litterarum Apostolicarum actu & cum effectu secuta sit, nec sufficiat tentasse impedire. Quia verba accipienda sunt cum effectu. præsertim in lege pœnali, quæ interpretatione potius mollienda est. *l. pen. ff. de pœnis.* huc facit, quod extra delicta gravissima & casus specialiter in jure expressos solus conatus ad delictum ex generali consuetudine non puniatur pœna ordinaria. *vid. Covar. in relect. Clem. si furiosus p. 2. in princ. n. 6. & 11. cum citatis ibidem. Harp. ad tit. Inst. de publ. jud. §. 5. n. 386.*

XIV. *Qui quocunque prætexto causas spirituales à judicibus Ecclesiasticis avocant, ut illarum executionem impediant.* hanc censuram aliqui DD. limitant, ut tantum locum habeat, in judicibus Laicis avocantibus, & à judicibus, non quibuscunque Ecclesiasticis, sed duntaxat Apostolicis, *vid. Cast. Palao de censur. disp. 3. punct. 15.*

XV. *Contra personas sæculares, qui directè vel indirectè ad sua tribunalia trahunt Ecclesiasticas, vel aliquid in præjudicium Ecclesiasticæ immunitatis* sub quovis prætextu privilegii vel consuetudinis *statuunt, aut statutis utuntur.* Hæc & prior censura procedit etiam contra Ecclesiasticos, qui potestate laica, qua funguntur, contra committunt.

XVI. *Contra impedientes directè vel indirectè Prælatos Ecclesiasticos ne sua jurisdictione utantur. Item recurrentes ad curias sæculares, ab iisque impetrantes mandata contra Judices Ecclesiasticos, & qui talia mandata decernunt exequuntur vel consilium favorem aut patrocinium præstant.*

XVII. *Contra usurpantes jurisdictionem aut fructus pertinentes ad personas Ecclesiasticas ratione beneficiorum*, junge Trid. *sess. 22. c. 11.* Non tamen comprehendi usurpationem fructuum locatorum, etsi locatio sit facta Clerico, cum Bonacina & Duardo docet Palao. *d. l. punct. 18. n. 21.* quia non percipiuntur ex beneficio sed ex locatione.

XVIII. *Contra imponentes aut recipientes decimas aut alia onera à personis Ecclesiasticis absque Papæ licentia. nec non, qui per se vel alios directè vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare aut consilium, auxilium vel favorem præstare non verentur.* Volunt vero hic iterum DD. talem exactionem debere fieri ex potestate laica. Olim etiam excommunicationem reservatam incurrebant Clerici solventes. *c. Clericis. de immun. Eccles. in 6.* quod postea sublatum est *in clem. quoniam. eodem tit.* quando vero liceat à personis Ecclesiasticis exigere, dictum est supra p. 1. de Immunitate Eccles.

XIX. *Contra judices, notarios, scribas, executores, se immiscentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas eas processando, bannicado, capiendo &c.* nisi id fiat in casibus permissis ex licentia Papæ, vel ad invocationem brachii sæcularis per judicem Ecclesiasticum. vel si Clericus in gravi crimine deprehensus & de fuga suspectus sit, aut à delicto aliter compesci nequeat, plures docent eum à Judice Laico capi & ad Ecclesiasticum remitti posse, dummodo major violentia non adhibeatur, quam Clerici resistentia exposcat. *Pan in c. cum non ab homine. de judic. Laym. lib. 4. tract. 9. c. 4. n. 6.*

XX. *Contra destruentes, invadentes, usurpantes vel occupantes terras Romanæ Ecclesiæ subjectas, & qui ad id consilium, auxilium, & favorem præstiterint.*

Excommunicationes reservatæ extra Bullam Cœnæ.

PRæter 20. Casus in Bulla contentos, adhuc ex aliis Canonibus Bullis & Authoribus 88. refert Barbosa *de offic. Episc. p. 3 alleg 50.* quorum tamen censuræ plurimæ vel specialiter Religiosos Ordines vel statum & terras Pontificias concernunt, referam ergo, quæ frequentius occurrere possent.

Prima est, eaque hominibus maxime cognita & usu recepta, *contra percussores Clericorum. cap. siquis suadente. 17. q. 4.*

Nomine *Clericorum* intelliguntur imprimis *in sacris* constituti, etiam excommunicati, suspensi, aut verbaliter depositi, etiam *in minoribus* constituti, si habeant conditiones Concilii Trid. *sess. 23. de ref c. 6.* qui nimirum beneficium Ecclesiasticum possident, vel habitum & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviunt, vel in seminario Clericorum aut in aliqua Schola vel universitate de licentia Episcopi quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versantur, licet vero Concilium tantum de privilegio *fori* loquatur, idem tamen omnia procedit de privilegio *canonis*, si illud enim jure divino datum amittitur ex defectu dictarum conditionum, multo magis istud jure tantum humano positum. Item Monachi, moniales, conversi & novitii hoc canone gaudent. *c. non dubium. c. de monialibus. x. & Religiosi. de sent. excom. in 6.*

Nomine *percussionis aut violentæ manuum injectionis* intelligitur quælibet injuriosa afflictio corporalis, ut si in publica vel privata custodia detineatur, si per violentiam vestibus exuatur, si quis eum hostiliter insequatur, ut in fluvium aut fossam vel equo decidat. *c. nuper. 29. & ibi DD. de sent. excom.* Præterea hac censura tenentur etiam *mandantes consulentes* (si percussio actu secuta sit, nec mandatum prius revocatum) *consentientes, non impedientes* (saltem si ex officio impedire teneantur) item percussionem suo nomine factam *ratam habentes. c. quanta mulieres. 6. §. illi vero c. 47. de sent. excom. cap. cum quis. 23 eod. in 6.*

Excusantur autem ab hac censura I. ignorantes invincibiliter percussum esse Clericum, vel etiam ipsam censuram.

II. Si percussio vel ob levitatem, vel casum, aut non sufficientem deliberationem, amentiam, vel ebrietatem usu rationis privantem in genere percussionis ad culpam mortalem non pertingat.

III. Qui violentiam adhibent Clerico incorrigibili post obstinatam monitionem Episcopi enormitatibus seu seditionibus se immiscenti, aut qui aliter à delicto compesci non potest. *c. cum ab homine. 24. & c. perpendimus. 23. de sent. excom.*

IV. Qui manus violentas injecerint in Clericum cum uxore, matre, sorore aut filia (secus est de personis in gradu remotioribus) turpiter inventum. *c. si vero. 3. de sent. excommun.*

V. Si percussio Clerici necessaria, sit ad defensionem corporis, bonorum vel pudicitiæ in persona propria vel proximi, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. *d. c. 3. & c. c. ex tenore 10 jam d. tit.*

VI. Laici Ministri, qui ad mandatum judicis Ecclesiastici capiunt vel torquent Clericos *cap. ut famæ. vers. Laici eod. tit.* Non vero excusantur qui percutiunt malo seu irato animo Clericum, etiam se ultro ad verbera offerentem juxta Consilium Evang. *Matth. 5. si quis percusserit te in dextram maxillam, præbe ei & al. c. tam c. contingit. 36. de sent. excom.* secus si ex joco, vel

vel dum in die parasceve personam Christi agit. in tali enim percussione abest animus injuriandi, & actio ipsa externa non est Ordini clericali injuriosa. Imo tametsi percutiens haberet occultam vindictæ cupiditatem, peccaret quidem propter eam, probabilius tamen à censura excusaretur, quia actio externa, cui soli censura infligitur, in morali hominum acceptione non est Cleric. injuriosa. prout etiam supra sub primo casu Bullæ de heretico occulto diximus. Utrumque ergo *copulative* requiritur, *intentio & actio* injuriosa. Ideo si quis volens percutere Titium Laicum vel etiam Clericum casu vel errore percusserit Caium Clericum, quem aut noluit percutere, aut si voluit, ignoravit esse Clericum, quia forte in tenebris habuit obvium, non incurret censuram ex intentionis defectu, secus tamen si novisset Clericum, sed putasset alium suum inimicum, quia tunc fuit formaliter proposita & exercita percussio Clerici, quamvis in persona errarum *Covar. in c. alma Mater p.* 1. §. 10. *n. Laym. de Cens. c.* 5. *n.* 8.

II. Excommunicatio reservata est *contra retinentes penes se litteras Papales falsificatas & non destruentes intra* 20. *dies c. dura. de Crim. falsi.* requiritur tamen, ut prius hæc censura generalis per singulas Parochias promulgetur. In Bulla Cœnæ sexto casu excommunicantur falsatores, sed ibi non fit mentio mandantium, fautorum, ideoque hi tantum incurrunt excommunicationem. *cap. ad falsariorum de Crim. falsi. Barb. d. alleg.* 50. *n.* 86. quæ ibidem non legitur reservata.

III. *Excommunicatus à Papa delegato post annum absolvitur à solo Papa. c. quærenti. de offic. delegati. consuluisti. de offic. Legati.*

IV. *Contra Clericos scienter & sponte admittentes excommunicatos à Papa ad divina officia, c. significavit.* 18. *de sent. excom.* quod tamen hodie post Concilium Constant. & extravag. *ad evitanda* de excommunicatis denuntiatis vel notoriis percussoribus Clericorum intelligendum.

V. *Contra incendiarios postquam fuerint denuntiati. c. tua nos.* 19. *De sent. excom.*

VI. *Contra frangentes & spoliantes Ecclesias, postquam similiter ab Ordinariis locorum excommunicati denuntiati fuerint. c. conquesti* 22. *de sent. excom.* Si ex rationabili causa vel usu loci omittatur publicatio, non erit censura reservata, quod si absque violentia res de Ecclesia subtrahantur, magis inter DD. receptum est, non incurri ipso jure censuram. *Barb. in eod. cap.* 22 *n.* 2. *arg. cap. ult. de furt.* allegat quidem Barb. *de offic. Episc. d. alleg.* 50. *n.* 117. Bullam 3 Sixti IV. & *n* 183. Bullam Sixti V. *cum provida.* ubi extrahentes lapides vel ornamenta ab Ecclesia excommunicationem reservatam incurrunt, sed in Bullam, quod ad manus habeo, reperire non potuit.

VII. *Quis per se vel per alium injuriosum gravamen intulerint censurantibus, aut censuram observantibus, nisi intra edictum satisfaciant, incurrunt excommunicationem, quæ post duos menses incipit esse reservata, si prius non sit petita absolutio, cap. quicunque.* 11. *de sent. excom. in* 6.

VIII. *Contra Dominos temporales, qui malitiose impediunt interdicti vel excommunicationis effectum. clem. gravis. de sent. excom.*

IX. *Contra eos, qui cadavera ad alium locum transferenda in frustra comminuunt, prout describitur in extravag.* 1. *de sepult. inter com.*

X. *Contra committentes simoniam in ordine vel beneficio aut Religionis ingressu. Extrav.* 1. & 2. *de Simon. inter. com.* intelligitur tamen de simonia *reali* cum actuali traditione & acceptatione rei temporalis pro spirituali, non de sola *mentali* aut *conventionali*.

XI. *Contra retinentes aut recipientes palam vel occulte beneficia in confidentiam. Pius IV. in constit. Romanus Pontif. & Pius V. in const. intolerabiles.* quænam vero dicatur *simonia confidentialis*, vid. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *c. ult.* §. 8.

XII. *Contra absolventes prætextu privilegiorum invalidorum & revocatorum à casibus Papalibus vel Episcopalibus, vel commutantes* 5. *vota reservata Extravag. si dominici* 5. *de pænit. juncto decreto clem. VIII. edito* 9. *Jan.* 1601.

XIII. *Contra eos, qui largiuntur, vel accipiunt aut promittunt in Curia Romana ad obtinendum justitiam vel gratiam. Bonif.* 8. *in Extrav.* 1. *de sent. excom. Greg. XIII. in Bulla. ab ipso Pontificatus &c.*

XIV. *Contra quemcunque Episcopum aut patronum tam Ecclesiasticum, quam Laicum, qui à collatione aut præsentatione suspensus beneficium contulerit, ad id præsentaris, vel instituerit. Pius V. constit.* 58. *quanta Ecclesiam DEI.*

XVI. Contra exigentes juramenta, de observandis statutis contrariis Concilio Trid. *Greg. XIII. in constit.* 103. *inter Apostolicas.*

XVI *Contra asserentes mortaliter peccare, vel esse hæreticos, qui defenderunt vel colunt immaculatam B. V. Conceptionem, Extrav. grave nimis de relig. & ven. sanct. Pius V. const.* 14.

XVII *Contra asserentes confessionem Sacramentalem posse per litteras inter absentes fieri. Decretum Clem. VIII. apud piat. in praxi Episc. p.* 2. *cap.* 1. *n.* 6.

XVIII. *Contra prædicantes miracula falsa aut prophetias non contentas in sacra Scriptura. Concil. Lateran sub Leone X. sess.* 9. notat tamen Navar. *in man. c.* 27. *nu.* 111. Censuras hujus Concilii non fuisse receptas.

XIX. *Contra duellantes, locum ad duellum concedentes, suadentes ac auxiliantes, spectantes. Concil. Trid. sess.* 15. *de ref. c.* 9. sed spectatis verbis Concilij, hæc censura reservata non est, posteà verò Clem. VIII. eam reservavit. putat tamen Paul. Laym *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 5. *sub n.* 4. apud Germanos aliósque Septentrionales hanc reservationem receptam non esse. Præterea ista intelligenda sunt de duellis ex condicto, statuto & loco, ac cum ordinario vitæ periculo, quare non incurretur censura, si duo subitò in platea rixam & pugnam incipiant, vel si pugnis tantùm aut armis ordinariè non mortiferis congrediantur, vel si tantùm compareant in loco absque actuali pugna, verba enim in pœnalibus cum effectu & propriè accipienda, & sola comparitio non est duellum. *Barb. in collect. ad d. cap.* 19. *Trid. n.* 12. Quod etiam de *spectantibus* dicitur, accipiendum est de illis, ex quorum præsentia duellantes redduntur audaciores, non qui obiter in transitu non figendo pedem, vel clam & occultè aspiciunt.

XX. *Contra quemcunque Christianum, qui alium Christianum in terris Turcarum habitantem tanquam mancipium ceperit, aut ejus bona diripuerit, vel qui non permittunt Christianos captivos apud Turcas, postquam illos ceperint, liberè abire cum suis conjugibus & bonis. Pius V. Constit.* 149. *licet omnibus.*

XXI. *Contra ingredientes absque licentia debitè obtenta Monasteria Monialium. Trid. s.* 25. *de Regulari. cap.* 5. *juncta Bulla Greg. XIII. ubi gratia.* Sed quia hæc censura in Trid. non est reservata, & Bulla Gregorij videtur principaliter loqui de personis quibusdam illustribus, qui *prætextu privilegiorum* olim sibi concessorum, nunc verò revocatorum Monasteria ingredi præsumunt, ideò plurium est DD. sententia censuram tantùm in hoc speciali casu reservatam esse: cæterum autem à quovis Confessario absolvi posse. *arg. c. nuper. de sent. excom.*

Contra mulieres ingredientes Monasteria virorum non habetur lata censura, quamvis interim talis ingressus ob circumstantias scandali vel periculi facilè possit esse peccaminosus. Allegatur quidem & hic d. Bulla Pij V. *quæ incipit Regularium.* inferens censuram reservatam mulieribus, sed & istas Bullas de ingredientibus sub prætextu privilegiorum revocatorum interpretatur Suar. *tom.* 5. *de cens. disp.* 22. *sect.* 6. *n* 21. Laym. *de statu Religionis c.* 12. *n.* 4. refert autem Navar. *de Regul. Comment* 4. *nu.* 62. Pium V. declarasse suam Bullam universim de mulieribus ingredientibus Monasteria virorum procedere, sed responderi potest cum eod. Laym. *d. n.* 4. hanc declarationem saltem in Germania non apparuisse in forma authentica aut Episcopis transmissam vel usu receptam fuisse.

Adnotatio de Excommunicatione & ejus Effectu.

Pro coronide hujus catalogi excommunicationum placuit aliqua breviter de ipsa hac censura adscribere.

EXcommunicatio igitur est censura Ecclesiastica, per quam homo Christianus à communione fidelium excluditur. Hæc censura introducta in Ecclesiam creditur, tum ex potestate *ligandi & solvendi* Ecclesiasticis Prælatis à Christo tradita, tum ex illis verbis *Matth.* 18. *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus &c.* tum etiam ex facto Apostoli, qui 1. *ad Corinth.* 5. & 1. *ad Timoth.* 1. *in fin.* quosdam incorrigibiles *satanæ tradidit.* quem locum de *excommunicatione* interpretatur divus August. in *c. omnis* 32. *causa* 11. *q.* 3. quia *extra Ecclesiam*, inquit, *diabolus est, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur. &c.*

Censura excommunicationis etiam alio nomine sæpius in jure *anathema dicitur.* anathema enim græca voce in genere significat separationem & divisionem à reliquis rebus, aliquando causa honoris, prout anathema dicuntur

Dive-

Divorum dona, quæ in Templis suspenduntur, aliquando & frequentius causa exsecrationis, & damnationis prout hæreses & hæretici, aliique peccatores incorrigibiles ab Ecclesia anathematizantur. Interim licèt *excommunicatio & anathema* essentialiter non differat, differunt tamen quò ad solemnitatem, nam excommunicatio sola sententia judicis in scriptis concepta profertur. *cap. 1. de sent. excomm. in* 6. anathema autem cum quibusdam cæremonijs ad terrorem aliorum peragitur, quales cæremoniæ præscribuntur *in c. debent.* 106 *causa* 11. *q.* 3. ut 12. Presbyteri Episcopum circumsteot, & post latam anathematis sententiam lucernas ardentes, quas in manibus tenent, in terram projiciant, & pedibus conculcent, cui solemnitati aliæ quoque maledictiones & execrationes verbales addi solent, quas quoad effectum plus operari, quàm simplicem excommunicationem censet Covar. *in relect. c. Alma Mater. d. tit. in* 6. *p.* 1. §. 6. *nu.* 8. & colligitur ex *c. nemo Episcoporum causa* 11. *q.* 3. hinc etiam est, quod *in c. cum non ab homine* 10. *de judicijs.* contumax contra Ecclesiam primùm excommunicari, deinde verò crescente contumacia anathemate puniri jubeatur.

Dividitur excommunicatio in *majorem*, quæ simpliciter separat à communione fidelium, & in *minorem*, quæ totùm separat secundum aliquid, nimirùm à Sacramentorum perceptione, non autem ab alia communione fidelium aut Ecclesiasticis suffragijs. Imò nec ab administratione Sacramentorum, licèt non facilè ante absolutionem divina ministrari deberent, & propter aliqualem irreverentiam culpa saltem venialis administrando committatur. *cap. ult. & ibi Barb. n.* 6. *de Cler. excom.* incurritur hæc *minor* excommunicatio, propter communionem prohibitam cum excommunicato, ut mox dicetur. Si tamen in jure excommunicatio feratur, regulariter de majore, non de minore intelligendum est, nisi ex contextu verborum aliter de mente legislatoris appareat *c. si quem* 59. *de sent. excom.*

Hæc verò fidelium communio, qua excommunicatus privatur, triplex à DD. assignatur, *merè interna*, *merè externa*, *& mixta*. *Merè interna* communio est, quâ fideles per fidem & charitatem inter se & cum Christo uniuntur, ac ob istam unionem quilibet per privatam suam devotionem non tantùm pro se ipso, sed etiam pro altero aliquid apud DEUM de congruo promereri potest juxta illud *Psal.* 118. *particeps ego sum omnium timentium te*, & illud *Genes.* 18. ubi DEUS propter decem justos in civitate Sodoma voluit parcere alijs peccatoribus. Hac autem merè interna communione non privatur excommunicatus, quin abolitâ culpa peccati per contritionem etiam ante absolutionem pro seipso apud Deum promereri valeat, & alij fideles in privatis suis orationibus & pijs operibus, illius memores esse possint, & licet publica sacrificia vel collectas nomine Ecclesiæ pro excommunicato offerre concessum non sit, quia communibus Ecclesiæ suffragijs privatus est, ex privata tamen & propria intentione non prohibetur Sacerdos in *memento* pro excommunicato orare. sicut docet Sylvest. *in verbo excommunicatio*. §. 1. *n.* 2.

Merè externa communio consistit in communione fori judicialis, ut excommunicatus nequeat esse Judex, Notarius, Advocatus, testis vel actor (reus tamen esse potest ne ex delicto commodum reportet, & se excipiendo vel appellando defendere, quod juris naturalis est) *c. qui ad probandum.* 24. *de sent. & re jud. c. veniens de test. c. decernimus. de sent. excom. in* 6. & alia externo fidelium commercio, colloquio & convictu.

Et quidem olim omnes indifferenter excommunicati vitandi erant, si publici publicè ab omnibus, si occulti, privatim ab ijs, quibus censura nota erat, *c. cùm non ab homine de sent. excom.* adeò, ut communicans cum excommunicato majorem etiam excommunicationem incurreret. *c. excommunicatos, & seqq.* 11. *q.* 3.

Verùm posterioribus juribus & temporibus aliquid immutatum fuit, I. in *c. nuper.* 29. *& c. si concubinæ.* 55. *de sent. excommun.* ut tantùm illi incurrant majorem excommunicationem, qui communicant cum excommunicato in crimine, propter quod censura affectus est, præbendo ei consilium, auxilium & favorem, in alijs verò negotijs & colloquijs *minor* solum excommunicatio contrahatur.

II. In Concilio Constantiensi circa annum 1434. facta est quædam constitutio, postea à Martino V. edita (unde & extravag. Martini V appellatur) & à Leone X. in Concil. Lat.[t] confirmata, quæ incipit *ad evitanda scandala.* ubi prohibitio communicandi cum excommunicatis ex parte fidelium innocentium generaliter sublata est, ita ut etiam exercitium cujuslibet jurisdictionis penes excommunicatum pro favore fidelium remaneat. Excipiuntur autem in hac Constant. Concilio 2. Casus. 1. Si excommunicatus publicè fuerit à suo ordinario Judice Ecclesiastico denunciatus & proclamatus 2. Si quis ob sacrilegam manuum injectionem in Clericum excommunicationem Canonis notoriè incurrerit, ut factum ejus nulla tergiversatione celari & nullo juris suffragio excusari possit.

Ipsis quoque censuratis in hoc Concilio directè nulla gratia facta est, neque se ultrò & non requisiti communioni fidelium ingerere possunt, quia major est prohibitio ne excommunicati communicent cum fidelibus, quàm vice versa. *c. illud circa fin. de Cler. excom* innocentes non debent facilè alterius odio prægravati. unde & fideles extra crimen & sine contemptu communicantes cum excommunicatis tantùm venialiter peccare communior est sententia, nisi inde excommunicatus contumacior reddatur. Præterea etiam in dictis casibus, ubi vitandus est excommunicatus, sunt quædam causæ, ex quibus communio permittitur, quas Gloss. *in cap. cùm desideres* 15. *de sent. excom.* & Sylv. *v. excommunicatio.* §. 5. *n.* 2. hoc versiculo comprehendit.

Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse.

Itaque I. propter *utilitatem* propriam potest aliquis communicare cum excommunicato, *c. si verò.* 34. *de sent excom.* dummodò utilitas sit notabilis, ne prætextu cujuslibet utilitatis eludatur omnis prohibitio communionis & commerciorum cum excommunicato. Ipsius quoque excommunicati utilitas spiritualis admittitur, ut si quis illi in his, quæ ad salutem animæ pertinent vel absolutionem ejus, colloquatur, quamvis incidenter etiam aliqua extranea admisceat. *c. cum voluntate* 54 *de sent. excom*

II. *Lex conjugalis* permittit ut conjuges sibi invicem communicare possint non obstante alterius censura, *c. quoniam multos.* 19. *q.* 3. *& c. inter alia. de sent. excom.*

III. *Humilitas subjectionis* quam habent liberi erga parentes, servi erga dominos, Religiosi vel clerici erga Prælatum, justa est causa communionis. *d. c. quoniam multos. junct. c. inter. alia.*

IV. Excusat ignorantia censuræ vel prohibitionis communicandi, quæ non est valde crassa aut affectata.

V. *Necessitas*, si quis alimenta petere debeat ab excommunicato, vel ex alia causa necessaria ejus colloquium vel consortium declinare nequeat. *Mixta* demùm sive *partim externa partim interna* communio est, quæ in exterioribus actionibus vel cæremonijs consistens interiorem ac spiritualem fructum ex propria institutione continet, quo spectat administratio & perceptio Sacramentorum, divina Ecclesiæ officia & suffragia, Indulgentiæ &c.

Hac ergo communione *mixta* privatur excommunicatus, ut imprimis Sacramenta suscipere vel administrare sine peccato mortali non possit, valent tamen suscepta vel administrata excepto Sacramento pœnitentiæ, quod ob censuram excommunicationis non præmissa absolutione invalidum redditur. Nam respectu suscipientis quoad hoc Sacramentum est indispositio, quia non potest prius à peccatis, quàm à censura absolvi, respectu autem administrantis est defectus jurisdictionis, quæ eidem per censuram aufertur.

Deinde excommunicatus privatur communibus Ecclesiæ suffragijs & indulgentijs nec pro eo publicè orare vel sacrificare non licet. Imò dum missæ sacrificium aliaque divina officia in Ecclesia celebrantur, excommunicatus interesse non debet, & si monitus non discesserit, nova excommunicatione reservata afficitur, *Clem. gravis de sent. excom.* potestque opera aliorum fidelium de Ecclesiis violenter expelli, *arg. c. veniens de sent. excom.* si nolit exire, aut expelli nequeat, teneantur alij ab eo discedere, & Sacerdos, qui needum Canonem missæ incepit, divinum officium intermittere, quia cum excommunicato in oratione communicare prohibitum est, *c. nuper c. responso de sent. excom.* quod semper intellige de excommunicatis post Concilium Constant. evitandis. Conciones audire, & privatim in Ecclesia orare, quando non celebrantur divina officia, nec alij fideles conveniunt ad communem orationem non prohibetur excommunicatus. *d. cap. responso.* Cæterùm sæpe d. Extrav. Martini V. *ad evitanda.* etiam prodest eatenus circa istam mixtam communionem, ut Parochus vel Minister Sacramentorum excommunicatus, nisi fuerit denuntiatus aut notorius percussor Clerici, possit requisitus (ante requisitionem non debet se ultrò ingerere, quia ipsi directè gratia facta non est) & contritus Sacramenta & divina ministrare. Idque fieri posse extra casum necessitatis, licèt alius æquè facilitèr ministraret, docet Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp* 9. *num.* 7. sed quia negari non potest, esse indecentiam satis notabilem, & aperiri viam ad contemptum censurarum, si is qui scitur excommunicatus sine omni necessitate ad cujuslibet requi-

requisitionem divina peragat, ideò si excommunicatio notoria foret, vel saltem facilè populo innotesceret, non putarem Clericum excommunicatum ad divina admittendum, si alius æquè idoneus haberi posset. *vid. Suar. de cens. disp. 11. sect. 4. n. 10.* de facto tamen celebrantem vel ministrantem Sacra ab irregularitate ob authoritatem Sanchezij excusarem. Etenim ad præcavendum peccatum tutior quidem sententia ab initio præferenda est, post actum verò patratum ad minuendam pœnam favorabilior sententia nonnunquam recipienda, teste Covar. *in princ. relect. Clem. si furiosus. de homicid. num. 9.*

Casus Episcopales.

UTrum de jure aliqui casus sint Episcopo reservati, dubitant DD. nam in *c. si Episcopus, de pœnit. in 6. Extravag. super Cathedram. de sepult. Extravag. inter cunctas. vers. observent. de privil.* non simpliciter statuuntur casus de jure reservati, sed potiùs confirmatur consuetudo, vel constitutio Episcopalis, ex qua peccata aliqua graviora ipsi Episcopo reservantur. Ideò communior fermè sententia est, *Casus Episcopales* non esse in jure determinatos, sed ex usu & consuetudine locorum desumendos. *Barb. de offic. Epis. p. 3. alleg. 51. n. 3. Palao. de Sacram. Pœnit. tract. 23. disp. un. punct. 15. Laym. lib. 5. tract. 6. c. 11. n. 4.*

Interim tamen negari non potest I. Quin ob difficultatem *Casus Papalis* aliquando fiat *Episcopalis*. prout à censura *Canonis* ex percussione Clerici contracta Episcopus absolvit mulieres, impuberes, Religiosum percutientem Clericum sæcularem, aliòve impedimento aut morbo detentos, quò minùs ad Papam vel Legatum ejus accedere possint *c. mulieres, c. moniales. d. c. cætero, c. ea noscitur. c. quamvis c. ult. de sent. excom. c. Religioso. c. eos qui. Eod. in 6.*

II. Reservatur Episcopo de jure percussio Clerici levis, *c. pervenit. de sent. excom.* Est autem hic advertendum, quòd *percussio* quadruplicitèr dividi soleat. Prima est *levissima & venialis*, quæ non habet censuram. Secunda est *mortalis*, sed comparatione aliarum *levis*. Tertia est *gravis* sed mediocris, à qua Episcopus tantùm absolvit Clericos simul viventes vel Religiosos percutientes Clericos, *c. quoniam de vita & honest. Cler. & d. c. Religioso*. Quarta *gravissima* sive *enormis*, quæ regulariter habet censuram Papæ reservatam. quænam autem in singulis factis percussio levis, mediocris, vel enormis dicatur, relinquitur arbitrio Episcopi; qui circumstantias facti scil. læsionem, locum, tempus, modum, personam tam læsi quàm lædentis diligenter considerabit, ita tamen ut in dubio potiùs judicet, percussionem esse gravem, & ab ea se absolvere non posse, quàm ut declarando levem occasionem præbeat lædendi statum Ecclesiasticum. Sicut habetur in quadam Extravag. quam in terminis refert Navar. *in Man. c. 21. n. 92.* & Molina *tom. 2. tract. 3. disp. 59. n. 1.* communiter verò *levem* (cujus absolutio Episcopo vel ab eo privilegium habenti competat) percussionem censent, quæ nullam maculam, aut lacerationem carnis, nec membri mutilationem, dentium evulsionem, multorum capillorum extractionem, aut sanguinis immodicam effusionem attulit, neque ex circumstantijs loci vel personæ percussæ aggravata est. *Laym. lib 1. tract 5 p. 2. c. 5. n. 10.*

III. In Concil. Trid. *sess. 24. de ref. c.* 6 conceditur Episcopis, ut in omnibus irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum dispensare, & *in quibuscunque c. si ut occultis, etiam Papa reservatis* per se aut Vicarium cum speciali mandato absolvere possint. & casum *occultum* ex magis communi sententia dici, qui non est notorius apud plerosque, etiamsi possit probari per aliquos testes, & qui valeat aliqua tergiversatione celari, tradit Barb. *ad d. c. 6. Trid. num. 26. cum plurimis ibid. citatis.*

IV. Ex eod. cap. 6. Trid. absolutio ab *hæresi occulta* Episcopis datur. & licet non pauci DD existiment hanc potestatem esse Episcopis per processum Bullæ *Cœnæ* ademptam alij tamen apud Barb. *d. l. n. 152. v. contra* valdè probabiliter contrarium sustinent, quia Bulla est generalis de hæresis reservatione, hoc verò Concilij decretum speciale, de hæresi *occulta*, in omni autem jure generi per speciem derogatur, & non censetur plus de jure veteri correctum, quàm expressum. Dicitur autem hoc loco hæresis occulta non quæ *purè mentalis* & reservata non est, sed quæ verbo vel opere externo manifestata quidem, adhuc tamen ad multorum notitiam non pervenit.

Cæterùm quoad casus, quos Episcopi specialiter pro suo arbitrio & discretione solent sibi reservare, passim notant DD. quòd illi non debeant esse valdè multi, quia experientia docet, homines difficulter persuaderi posse, ut Episcopum pro absolutione accedant, interim gravantur conscientiæ, & periculum est, ne labantur in deteriora.

Deinde ut casus censeatur reservatus, debet actus fuisse opere externo completus & consummatus, & quidem cum tali deliberatione & circumstantia; ut peccatum mortale constituat, atque in illa qualitate peccati, sub qua reservatus est. v. g. reservatur incestus, non sufficit copula attentata vel imperfecta, aut quæ fuit habita cum consanguinea ex ignorantia consanguinitatis.

Non tamen putarem requiri, quòd pœnitens sciverit reservationem, sicut ad puniendum delictum non requiritur, quòd delinquens præsciverit pœnam vel ad cujus judicis tribunal trahendus sit. Licèt in casibus *Papalibus* speciale possit esse propter censuram annexam, quæ requirit contumaciam & saltem interpretativum contemptum censurarum, ut sine præscientia ipsius censura casus Papalis non committatur. Sed si quis nosset censuram, ignoraret autem esse *reservatam*, non videretur mihi à casu *Papali* excusandus.

Demùm reservatio casuum tanquam pœnalis est strictæ interpretationis. *vid. c. odia. de R. I. in 6. l. penult. ff. de pœnis.* idcòque in proprijssimis terminis accipienda, nec extendenda ad casus similes vel etiam majores expressis, v. gr. reservatus est incestus in primo gradu *affinitatis*: intelligenda est *de vera affinitate* orta ex copula completa, non de *quasi affinitate* orta ex *publica honestate* scilicet ex sponsalibus de futuro, vel matrimonio rato. Reservatus *procuratio abortus*, intelligitur de fœtu animato (in masculo dicitur fœtus animatus post 40. dies à conceptione, in femina post 80. *Barb. ad Decret. Grat. dist. 5. n. 2.*) in dubio præsertim quando non satis constat de conceptione, non est casus reservatus. *Palao d. pun. 15. §. 2. n. 12.* Reservatus *procuratio sterilitatis*, intelligi potest de perpetua sterilitate, non de una vel altera conceptione impedita. Reservata est *defraudatio decimarum*, non comprehendetur alia defraudatio Parochi, quamvis gravior &c. quo etiam faciunt ea, quæ tradit Harp. *ad tit. instit. de exhæred. lib. §. fin. num.* 66. quòd nimirùm liberi ex alijs causis similibus vel majoribus quàm in jure expressis nequeant exhæredari. nec est rarum, quòd aliquando delictum ob frequentiam gravius castigari soleat, quàm aliud in suo genere est majus. *L. 1. ff. de abigeis.* v. g. furtum, quàm mutilatio membri &c. præsertim confessionalia redderentur plena scrupulis, si casus reservati ad similes vel majores extendendi forent.

§. III.

De Indulgentijs.

SUMMARIA.

1 *Indulgentia quid?*
2 *Indulgentia est ex meritis Christi.*
3 *Satisfactio pro peccatis debita.*
4 *Indulgentia quotuplices.*
5 *Indulgentiæ de pœnitentijs injunctis intelliguntur etiam de injungendis.*
6 *Quis concedat Indulgentias, & an Episcopales prosint exemptis.*
7 *Quid Jubilæum?*

INdulgentia est remissio satisfactionis sive pœnæ temporalis DEO pro peccatis debitæ. enimverò quod Ecclesia ex potestate clavium sibi à Christo *Matth.* 16. traditarum solvit seu remittit in terris, solutum etiam est in cœlis. 1

Hanc porrò remissionem facit Ecclesia per singularem applicationem meritorum Christi, & Sanctorum ejus. nam licet Christus infinitè DEO Patri suo satisfecerit pro peccatis nostris, nihilominus hæc satisfactio non prodest indistinctè omnibus; nisi quatenus alicui applicatur vel immediatè per ipsum Christum, ut Mariæ Magdalenæ & Latroni in cruce, vel per susceptionem Sacramentorum, vel per Vicarium ejus Rom. Pontificem. Aliàs enim, si Christus per solam suam satisfactionem voluisset omnibus indistinctè omnia peccata remittere, & securam salutem conferre, frustra instituisset Sacramenta, frustra peccatores non agentes dignos fructus pœnitentiæ à regno cœlorum in multis Evangelij locis exclusisset, frustra pastori Ecclesiæ claves ad ligandum & solvendum concessisset. Neque propterea per satisfa- 2

ctionem

ctionem nostram aliquid derogatur meritis Christi, ut cavillantur hæretici, qui licentia & libertate peccandi seducti horrent pœnitentiam & satisfactionem, quæ hæc ipsa satisfactio, non aliter vim & effectum habet, quàm ex satisfactione Christi, à quo offertur Petri, & per quem acceptatur à Patre, sicut declaravit Trid. *sess.* 14. *de Sacram. Panit. c.* 8. *Decet divinam Clementiam*, inquit ibidem Consilium, *ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata*
3 *dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes veluti injurij & contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur*, quod experiuntur hæretici & obdurati peccatores, qui in profundum peccatorum descendentes tandem contemnunt & in atheismum labuntur. Sanè præter constantissimam Ecclesiæ traditionem de necessitate satisfactionis infinite sunt SS. Petrum testimonia. Ita S. August. in Psal. 50. *Ignoscis* Domine *Confitenti, ignoscit, sed seipsum punienti; ita servatur misericordia & veritas.* Loquitur planè ex sententia Apostoli: *Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur à Domino.* S. Cypr. *Deus quantum patris pietate indulgens, tantum judicis majestate metuendus est, quam magna deliquimus, tam graviter defleamus.* S. Hieron. in Epitaph. Paulæ ad Eustoch. *Affligendum corpus, quod multis vacavit delicijs, &c.* S. Ambr. de Helie. *c.* 20. *Pecuniam habes; redime peccatum tuum: divitiæ viri redemptio ejus, &c.* quod notandum divitibus & delicatioribus. S. Chrysost. conel. 4. de Lazaro. *Supplicium quisque à se ipso exigat pro peccatis &c.* Quemadmodùm domini temporales condonant offensionem & delictum subditi, sed non illicò remittunt pœnam, faciunt gratiam vitæ, sed imponunt pœnam mitiorem &c. Familiare autem fuit Christo ab exemplo actionum humanarum docere cælestia, ut passim ex SS. Evang. textus notum est.

4 Dividuntur Indulgentiæ; quòd aliæ sint *totales* sive *plenariæ*, aliæ *partiales*, per illas remittitur tota pœnitentia & satisfactio sive in hoc sive in altero sæculo sustinenda, per has autem tantùm pars aliqua pœnitentiæ, ut si Indulgentia unius anni, septenij, vel 40. dierum concedetur, sensus est remitti pœnitentiam, quæ aliàs secundùm rigorem Ecclesiæ tot annis vel 40. diebus (quæ pœnitentia 40. dierum in Canonibus dicitur Carene. *cap.* 8. *de accusationibus.*) peragenda fuisset.

5 Sed hic movetur non inutilis quæstio, an, cùm litteræ indulgentiarum ordinariè secundùm stylum curiæ Romanæ soleant habere adjunctam clausulam, *de pœnitentijs injunctis &c.* tales indulgentiæ etiam sint intelligendæ de illis pœnitentijs, quæ per Confessarium quidem *injunctæ* non fuerunt, fuissent tamen secundum gravitatem peccatorum, & de rigore Canonum pœnitentialium *injungendæ*? R. benigniorem esse interpretationem DD. quòd hæc clausula non sit restrictiva indulgentiarum, sed ampliativa habens subintellectam particulam *Etiam*, ut sit sensus, etiam de injunctis pœnitentijs &c. Nam præterquam quòd indulgentiæ sint gratiæ, & favorabiles animæ, ideoque latiùs interpretandæ juxta vulgatas juris regulas, Ecclesia quando concedit id, quod est majus & difficilius concedi solet, intelligitur etiam in eodem genere concessisse, quod est minus, *c. ex parte* 27. *de decimis*, sed plus est, & difficilius conceditur remissio pœnitentiæ *injunctæ*, utpote divino & humano præcepto debitæ, & per quam remissionem turbatur & impeditur inferioris judicis pœnitentiam injungentis jurisdictio, quàm concedatur remissio pœnitentiæ *injungendæ*, quæ incerta & indeterminata est, ergò concessa remissio super injunctis pœnitentijs non immeritò etiam de injungendis explicanda erit. Quæ interpretatio præsertim hodierno jure & statu Ecclesiæ, ubi non ampliùs tam longæ & graves pœnitentiæ, sicut olim, injunguntur adhiberi debet, cùm aliàs nunquam vel rarissimè indulgentiæ cum prædicta clausula: *De injunctis pœnitentijs &c.* utilitatem adferrent. *Panor. in c. cum ex eo. de Panit. n.* 6. *Suarez. tom.* 3. *disp.* 50. *sect.* 3. unde ulterius notandum est, valdè utile esse pœnitentibus, ut studeant indulgentias ab Ecclesia concessas lucrari & divinæ Justitiæ potiùs per indulgentiam, quàm per modicas pœnitentias à Confessarijs injungi solitas satisfacere, Pœnitentiæ tamen, quæ potiùs medicinales & præservativæ sunt, quàm vindicativæ, etiam stante indulgentia peragendæ sunt.

6 Indulgentiarum concessio primò & principaliter ad S. Pontificem spectat, cujus est dispensare thesaurum Ecclesiæ ex meritis Christi & Sanctorum collectum, *Extravag.* 2. *de Panit. inter communes.* Deinde verò per speciale privilegium etiam à S. Pontifice inferioribus Prælatis concedi potest jus dandi indulgentias, sicut est Episcopis in dedicatione dare indulgentias unius anni & in anniversario 40. dierum & non amplius, sive ab uno, sive à pluribus Episcopis Ecclesia consecrata sit *c. cùm ex eo* 14. *de pœnit. remiss.*

Est autem remissio actus jurisdictionis sicut ligatio, cùm contrariorum eadem ratio censeatur, ideòque non prodest nisi subditis remissionem concedentis, alienis verò tunc tantùm, si à proprijs suis Ordinarijs habuerint licentiam alienæ jurisdictioni & remissioni se subjiciendi, nam prorogatio jurisdictionis in spiritualibus fieri non potest, absque proprii judicis & pastoris consensu, *c. quod autem* 4. *de Panit. & remiss.* Exempti tamen etiam lucrari possunt indulgentias Episcopales, nam in his favorabilibus, sicut in commutatione & dispensatione votorum probabilius etiam sine speciali licentia S. Pontificis, cui immediatè subsunt, possunt se subjicere jurisdictioni Episcopi, ne aliàs propter exemptionem sibi concessam sint deterioris conditionis, quàm alij non exempti contra regulam, quod id, quòd in gratiam alicujus est introductum, non debeat in ejus odium retorqueri *c. quod ob gratiam. de regulis Juris in* 6. Præterea hic actus jurisdictionis non habet necessariam connexionem cum ordine Episcopali, quia est condonatio pœnæ extra Sacramentum & extra forum internum pœnitentiale, ideòque Episcopus tantùm confirmatus, quamvis non consecratus indulgentias rectè concedit, cum per solam confirmationem tanquam pastor accipiat claves Ecclesiæ, quarum authoritate aliquem extra Sacramentum solvere vel ligare potest. *Panor. in c. accedentibus, de excessibus Prælat.*

Demum remissio amplissima est *Jubilæum*, sicut enim in 7
lege veteri quinquagesimus annus Jubilæus & remissionis dicebatur, quo Judæi debita & hypothecas aliasque possessiones prioribus dominis remittebant, servos libertate donabant, *Levit.* 25. quæ remissio præfiguratio erat remissionis peccatorum adventu Christi faciendæ, ita Ecclesia in lege nova pro solatio fidelium introduxit annum Jubilæi, in quo præter plenam remissionem peccatorum & pœnitentiarum alias insuper gratias addere solet, ut liberam electionem confessarij cujuscunque, absolutionem à reservatis quibuslibet, commutationem votorum in aliud opus pium, non verò dispensationem simplicem, &c. Licèt autem de jure hic annus Jubilæi (qui olim primùm centesimo, deinde quinquagesimo anno concessus fuit) hodie vigesimo quinto quovis anno concedatur illis tantùm, qui urbem Romanam & Basilicas Apostolorum Petri & Pauli visitaverint, suspensis interim omnibus alijs indulgentijs per orbem, ut fideles tanto diligentius Romam veniant, ad lucrandum Jubilæum, ut in *extravag.* 1. 2. & 4. *inter communes. de Panit.* habetur, solent tamen Pontifices sæpiùs pro suo arbitrio ex causa aliqua urgente, scilicet ad conciliandum Deum & avertendum periculum imminentis mali frequentius per totum orbem Jubilæum sivè *plenissimas indulgentias* cum privilegijs Jubilæi non quidem per integrum annum, sed aliquot hebdomadas in quovis loco indulgere. Præ cæteris videri potest Georg. Gobat, in suo tract. de duplici Jubilæo, in quo pro confessarijs multas utiles & practicas quæstiones tempore Jubilæi occurrentes resolvit.

CAPUT III.

De Eucharistia.

SUMMARIA.

1 *Eucharistia danda est quoties rationabiliter petitur.*
2 *Videtur verius quòd etiam quotidiè, cæteris paribus peti possit.*
3 *Fallit in conjugatis.*
4 *Eucharistia quandocunque petitur ad ægrotum deferenda est reverenter cum comite & lumine.*
5 *Ad sumptionem Eucharistiæ requiritur dispositio animæ, & corporis.*
6 *Habens casum reservatum aliquando ante absolutionem communicare potest.*
7 *Non habentes usum rationis non sunt ad Communionem admittendi.*
8 *Communicaturus qualiter debeat esse jejunus.*
9 *Ad ægrotum non debet Eucharistia deferri causa solius adorationis, si eam sumere non potest.*
10 *Extra tempus paschale quilibet Sacerdos potest quoscunque communicare.*
11 *Eucharistia honorifice asservanda est.*
12 *Quis teneatur ad conservationem Lampadis ardentis ante SS. Eucharistiam.*

1 Circa administrationem hujus Sacramenti *Not. I.* Quòd Parochus regulariter teneatur dare SS. Eucharistiam, quoties pij subditi eam rationabiliter petunt, ne *parvuli petant panem; & non sit qui frangat eis.* Sed quæstio nia est, an censeatur rationabiliter petere, qui singulis aut fermè singulis diebus peteret? Sanè priscis temporibus peracta consecratione in Missa omnes adstantes sumebant Eucharistiam, *Hurtado de Sac. tom. 2. tract. de Euchar. disp. 9 diffic. verf. recentiores &c.* & in Concil. Trid. *f. 22. de Sacrif. Missæ c. 6.* hæc verba leguntur: *Optaret Sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione Communicarent, quò ad eos Sanctissimi hujus Sacrificij fructus uberior perveniret &c.* † Quapropter dandam esse Eucharistiam etiam quotidiè petenti, si ex ordinaria ejus vitæ conversatione colligi posset, quod non ad vanam gloriam captandam aut cum periculo irreverentiæ accederet, per plura argumenta, & de-
2 clarationem Cardinalium concludit Joannes Sanchez *in sel. disp. 22.* † In conjugatis quidem personis, qui carnali commercio inserviunt, non immeritò hæc quotidiana communio denegatur, illo maximè die, in cujus nocte præcedente copula conjugali usi sunt, ad majorem tanti
3 Sacramenti reverentiam servandam, & distractionem mentis evitandam, juxta illud *Reg. 1. c. 21. Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem Sanctum, si mundi sunt pueri maximè à mulieribus manducent, &c.* & juxta monitum Apostoli, qui vult conjugatos abstinere *ad tempus, ut vacent orationi,*

4 *Not. II.* Quòd in casu necessitatis videlicet instantis mortis teneatur Parochus non tantùm de die sed etiam de nocte, instantibus quoque pluvijs SS. Eucharistiam ad ægrotum deferre, quia salus alterius spiritualis utique commoditati exiguæ corporali anteponenda est. Quo verò ritu sanctissima Hostia deferenda sit, ex consuetudine singulorum locorum desumendum erit, eo semper observato, ut tanta, quanta potest, sanctissimo Sacramento reverentia exhibeatur. Unde ille abusus vel maximè tollendus est, quòd aliqui Eucharistiam quandóque sine lumine, & comite deferunt, quod graviter prohibitum est *in c. fane 1. de celeb. Mis.*

5 *Not. III.* Quòd Sacramentum Eucharistiæ non debeat ministrari, nisi ijs, qui *in anima & corpore* ad id dignè recipiendum dispositi sunt. In anima dispositio requiritur, ut nullus ad communicandum accedat, qui sibi conscius est alicujus peccati mortalis nisi confessione Sacramentali præmissa. *Trid. f. 13. de Sacram. Euch. cap. 7.* Quòd si tamen soli Parocho ex confessione notum esset aliquem indignè & non obtenta absolutione ad communionem accedere cum alijs, ei Eucharistiam denegare non deberet, ne apud alios infamaret, & sigillum confessionis prodere videatur. Sed quid si pœnitens qui commisit casum reservatum habeat necessitatem communicandi, v. g. tempore paschali, ita ut sine diffamationis periculo non possit superiorem adire & interim à communione abstinere? †. Quòd tali casu censeatur circa casus reservatos deficere copia
7 Confessoris & ideò possit is, qui casus reservatos habet obtenta absolutione a non reservatis, & præmissa contritione circa reservatos ad communionem accedere, ita tamen ut deinde quamprimùm commodè potest, reservatos confiteatur. *arg. tex. in d. c 7. Trid f.* 13. ibi. *Modo non desit illis copia Confessoris &c. Eman. Sa. v. Eucharistia. nu.* 13. *Castro Palao. de Sacr. Pænit. sect.* 15. §. 4. *n.* 3. Præterea communicaturus debet habere usum rationis, ut ea, quæ ad perceptionem hujus Sacramenti pertinent, juxta arbitrium prudentis Confessarij sufficienter intelligat. Unde infantes intra septennium constituti, vel continuò amentes non habentes dilucida intervalla regulariter ad communionem etiam in mortis articulo admittendi non sunt.

8 In *corpore* requiritur dispositio, quòd communicaturus sit jejunus à media nocte diei præcedentis *jejunio naturali*, id est, quòd nihil omninò prius quamvis minimum per modum cibi deglutiverit, idque propter reverentiam tanto Sacramento debitam, ut Corpus Christi ante omnem cibum in corpus Christiani intret. *c. liquido. 54. dist. 2. de conf. c. c. nihil 6. q.* 1. Dico per modum cibi, nam si quis sanguinem aliumve humorem ex capite descendentem, aut inter eluendum os cum saliva deglutiat aquæ guttulas, vel si jusculum gestavit, & illicò rejecit, etsi fortè guttas cum saliva deglutiverit, non censebitur jejunium naturale violasse. *vid. Laym. l. 5. tract. 4. c. 6. n.* 18. porrò istud jejunium in illis tantùm requiritur, qui sani extra periculum mortis constituti communicare desiderant. At verò quibus periculum mortis instat, etiam non jejuni & quidem sæpiùs durante eodem periculo morbi (uno tamen vel altero die interjecto) sacram communionem accipere possunt, cum enim jejunium tantùm sit de præcepto Ecclesiæ, noluit pia mater illum casum extremæ necessitatis, in quo maximè hoc sanctissimo Viatico indigent fideles, comprehendere. Deinde requiritur quòd recepturus SS. Eucharistiam ita sit dispositus quoad sanitatem, ut v. g. propter exputitionem seu eructationem nullum sit periculum irreverentiæ, quòd si dubitetur, an infirmus sit retenturus sacram hostiam
vel potiùs iterum ejecturus, nonnulli consilium tradunt, 9
ut priùs cum hostia non consecrata experimentum fiat, præmonendo tamen infirmum, quòd hostia non consecrata sit, ne eam erroneè adoret. Illud etiam notatu dignum est, quòd Eucharistia ad ægrotum deferri non debeat causa solius adorationis, si eam sumere non possit: sicut à sac. Congreg. Card. declaratum refert Zerola *in praxi Episc. p. 1. v. Eucharistia* §. 5. neque posse dari hoc Sacramentum sub specie vini, si ægrotus non possit accipere sub specie panis, tradit *ex Suar. tom. 3. disp. 71. f.* 7. Barb. *de off. Par p. 2. c. 20. n. 44.*

Not. IV. Quòd (extra casum extremæ necessitatis). non liceat alijs quàm proprio Parocho vel delegato ab eo Sacramentum Eucharistiæ Parochianis ministrare. *Imò in in Clem. 1. de privil.* excommunicationem Papæ reservatam incurrere dicuntur Religiosi, qui sine speciali licentia Parochi aliquibus Sacramentum Eucharistiæ ministrant. Attamen post hanc Clementinam per varia privilegia Regularium & diversorum locorum consuetudines obtentum est, quòd in Ecclesijs præsertim Religiosorum Sacra communio liberè quibusvis petentibus distribuatur. † Et plu- 10
rimi statutum dictæ Clementinæ tantùm de tempore paschali intelligunt, quia in *c. omnis. 12 de pænit. & remis.* videtur injungi, ut tempore Paschali tam confessio, quàm communio apud proprium Parochum fiat. Cæterùm autem si aliquis extra tempus Paschale ex causa devotionis communicare velit, id apud quemlibet Sacerdotem posse cum multis DD. tradit Barb. *in collect. DD. ad c. 6. Trid. f. 22. de Sacrif. Mis. in fin.* quod satis probatur *ex eodem c.* 6. dum enim ibidem optat. Sac. Synodus ut fideles adstantes in singulis Missis communicent, videtur planè licentiam dare, ut singuli Presbyteri Missas celebrantes quoscunque petentes comunicare valeant.

Not. V. Quòd ad officium Parochi pertineat, ut SS. Eucharistiam in loco decenti, mundo, & honorifico diligenter asservet, & frequenter saltem singulis septimanis semel antiquas species, ne corrumpantur, sumat & novas consecret. Paul. Fuscus *de visit. lib. 1. c. 5. n.* 3. Item ex generali consuetudine Ecclesiæ Lampas continuò die noctuque ante Ven. Sacramentum ardere debet, tum propter ejus reverentiam; tum etiam ut ingredientes Ecclesiam sciant, ubi primum præsentiam Salvatoris nostri adorare debeant.

Sed quis tenebitur ad præstationem olei & conservationem talis lampadis? R. Quòd si consuetudo sit in aliquo loco, ut Parochiani ad conservationem lampadis certas oblationes facere soleant, illa omninò observanda erit: Sin autem consuetudo legitimè probari non possit, puto hanc quæstionem decidi posse, ex ijs quæ tum in jure communi *in tit. de Eccles. ædif. & repar.* tum in Concilio Trid. *f. 21. de ref. c. 7.* generaliter de conservatione & reparatione Ecclesiarum constituta sunt, ut nimirum con-
servatio Ecclesiæ, primò desumatur ex fructibus & pro- 11
ventibus quibuscunque ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, tunc omnes Patroni, & alij qui fructus aliquos ex Ecclesia provenientes percipiunt aut in illorum defectum omnes Parochiani, opportunis Juris remedijs cogantur. quamvis autem hæ constitutiones in specie de conservatione lampadis non loquantur, qui tamen loquuntur generaliter *de instauratione* Ecclesiæ, utique de omnibus, quæ in Ecclesia necessaria sunt, intelligendæ erunt. *nam quoties lege aliquid introductum est, bona occasio est, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione, vel jurisdictione supplere* inquit J. C. *in l. nam ut ait 13. ff. de LL.*

CAPUT IV.

De Extrema Unctione.

SUMMARIA.

1 *Extrema Unctio qualiter conferatur, & quis ejus effectus.*
2 *Ungendus debet esse capax peccati.*
3 *Extrema Unctio non datur, quando mors imminet ab extrinseca violentia.*
4 *Quomodo conferenda sit extrema Unctio, quando periculum in mora est.*
5 *Ungendus debet saltem esse attritus.*
6 *Sitne danda Unctio illi, de cujus peccato constat, sed non constat de Pœnitentia.*
7 *Extrema Unctio est reiterabilis.*
8 *Parochus debet singulis annis novum oleum petere ab Episcopo, nec uti veteri nisi in necessitate.*
9 *Si oleum non sufficiat pro toto anno, potest admisceri non consecratum in minori tamen quantitate.*

1 SAcramentum Extremæ Unctionis conferri per unctionem olei, & orationem Sacerdotis, constat ex Epistola Jacobi. 5. *cap.* ita enim inquit Apostolus. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Per quæ posteriora S. Jacobi verba, res & effectus hujus Sacramenti explicatur (ut advertit Trid. *s.* 14. *de Sac. Extr. Unction.*) *res etenim hæc*, inquit Concil. *gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ Misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi ad salutem animæ expedierit, consequitur.* Unde cùm tanta sit hujus Sacramenti utilitas, licèt nullum extet de eo suscipiendo præceptum, nihilominùs sine peccato saltem veniali, & accedente contemptu etiam mortali, intermitti non posse, communiter notant DD.

2 Porrò cùm hoc Sacramentum ad expianda peccata, aut peccatorum reliquias institutum sit, debet ungendus ejus esse ætatis & intellectus, ut peccatum admittere potuerit, adeòq; non planè infans, aut totaliter, & continuò

3 amens. † Deinde hoc Sacramentum dicitur *Sacramentum infirmorum*: ac proptereà conferendum non est, quando mors imminet à violentia extrinseca, puta, suspendio, naufragio &c. post vulnera tamen accepta vel venenum potatum, cùm tunc reverà aliquis efficiatur infirmus, rectè conferetur.

4 Ad modum conferendi hoc Sacramentum pertinet, ut singuli sensus inungantur, & si quis aliquo membro inungendo careat v. g. manu, aut oculo, inungenda sit pars propinqua v. g. brachium vel locus oculorum. Sed quid si morbus tam periculosus sit, ut non possit extrema unctio tota peragi. v. g. si infirmus credatur jam jam expiraturus, vel tempore pestis metu contagionis subsit? ℞. Sufficere si tali casu organum sensus magis obvium inungatur dicendo: *per istam sanctam unctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, odoratum, gustum, tactum & gressum*: eò quòd non ad substantiam Sacramenti, sed tantum ad pleniorem ejus perfectionem pertineat singula sensus inungere, & verba formalia Rituali Ecclesiastico præscripta proferre. Ita tenent cc. apud Barb. *in collectaneis ad c.* 1. *Trid. s.* 14. *de Sac. Extr. Unct. n.* 17.

5 Ad dispositionem recipientis hoc Sacramentum spectat, ut saltem per attritionem de peccatis doleat, ne impœnitens anima ponat obicem virtuti & effectui Sacramentali; hæc verò attritio in dubio præsumi potest, tum quòd in dubio quilibet præsumatur bonus, & de salute sua curius, tum etiam quòd homines in agone constituti metu mortis & inferni plerumque de omnibus suis peccatis pœniteant.

6 Quid autem faciet Sacerdos, si moribundus ab omni sensu alienatus nulla signa doloris edere possit, & tamen constet quòd peccatum mortale commiserit? ℞ Cum Paulo Laym. *de Extrem. Unction. c.* 4. *n.* 3. si publicè constet de peccato, & non constet de pœnitentia nullum dandam esse unctionem nisi ex aliquibus conjecturis præsumi possit de dolore v. g. si in duello lethaliter vulneratus dixerit se adversario ignoscere, si post peccatum Ecclesiam frequentaverit, oraverit, &c. *Sylv. v. unct. q.* 5. si verò peccatum soli Sacerdoti notum sit, & is sine scandalo unctionem negare non possit, debebit illam conferre; cum enim moribundus censeatur publicè petere Sacramentum, & Sacerdos fungi publico ministerio, non rectè secundum privatam scientiam procedendo Extremam Unctionem negaret.

7 Ceterum hoc Sacramentum non tantum semel, sed & sæpius eidem homini conferri potest, non quidem durante eodem periculo morbi, sed si aliud novum periculum superveniat, quia videlicet infirmus judicio medicorum convaluit, & probabile mortis periculum evasit, deinde verò mutata corporis constitutione (licèt paucorum tantum hebdomadarum intervallo) in agonem recidit. *Sylv. v. unct. Extrema. n.* 8.

8 Demum adnotandum est, Parocho incumbere, ut singulis annis novum oleum ab Episcopo petat. *c. litteris de Consec. dist. c.* 3. & vetus in lampadibus Ecclesiæ ante SS. Eucharistiam comburat in casu tamen necessitatis antequàm novum oleum ab Episcopo transmittatur posse Parochum etiam veteri uti, docent cc. apud Barb. *in d. c.* 1. *Trid. n.* 6. Item si oleum non credatur sufficere pro toto anno, licere Parocho oleum non consecratum admiscere, dummodò in minori quantitate sit, traditur *in c. quòd in dubijs. de Consec. Eccles. vel alt.*

CAPUT V.

De Matrimonio.

UT hæc materia ob quotidianam casuum circa eam emergentiam scitu maximè necessaria Parochis magis innotescat, nonnihil explicatius, quàm antehac factum, tractabo: incipiendo igitur ab his, quæ præcedunt matrimonium, sit.

§. I.

De Sponsalibus.

SECTIO I. PRÆLIMINARIS

De Differentia inter Sponsalia, Matrimonium, Conjugium, & Nuptias.

SUMMARIA.

1 *Quid & quotuplex sint sponsalia?*
2 *Disputatio de quibusdam verbis contrahentium an importent sponsalia vel Matrimonium hodie inutilis.*
3 *Matrimonium quid & quotuplex?*
4 *Quid Matrimonium legitimum?*
5 *Quid ratum?*
6 *Quid consummatum?*
7 *Quid sit conjugium?*
8 *Quid nuptiæ?*

Hæc nomina in jure nostro aliquando promiscuè sumuntur, & tamen in proprijs terminis inter se differunt.

IGitur Sponsalia à spondendo seu promittendo dicta sunt, & alia sponsalia *de futuro*, alia *de præsenti* nuncupantur. Sponsalia *de futuro* sunt promissio futuri matrimonij, quæ fit per verba futuri temporis, ut: ducam te in uxorem. Sponsalia verò *de præsenti* sunt, ipse contractus matrimonialis per verba præsentis temporis initus, ut: accipio te in meam uxorem, quibus verbis implicitè mutua cohabitatio, amor conjugalis, & traditio corporum spondetur, ac idcircò sponsalia appellantur. 1

Fuit quidem olim de quibusdam verbis disputatio, an importarent consensum de præsenti, vel de futuro, ut si dictum erat; *volo te habere in uxorem*, cujus controversiæ decisio principaliter ex circumstantijs & mente contrahentium desumebatur, an scilicet voluerint sponsalia vel matrimonium contrahere; Sed hodie, quando post Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Reformatione cap.* 1. nullum Matrimonium sine Parocho & testibus contrahi potest, atque ex generali Ecclesiæ ritu in ipso templo ambo contrahentes ideò conveniunt, ut non sponsalia *de futuro*, sed ipsum 2

matrimonium per verba categorica interrogante Parocho contrahebant, vix amplius controversiæ locus videtur esse relicta.

3 Matrimonium definitur *in §. 1. instit. de patria potest.*
quòd sit legitima viri & mulieris conjunctio individuam
vitæ societatem continens. Dividitur in Matrimonium *le-*
gitimum, ratum, & consummatum. Legitimum quamvis om-
4 ne matrimonium dici possit, quod à jure improbatum
non est, in specie tamen illud dicitur, † quod inter in-
fideles contrahitur, & in solo legitimo ac naturali con-
sensu consistit, nec Ecclesiæ ratificationem habet, nec
5 Sacramentum est. *Ratum* illud propriè appelletur, quod
per verba de præsenti contractum ab Ecclesia approbatum
est, & rationem Sacramenti habet, cui tamen necdum
accessit carnalis copula, de quo matrimonium accipien-
da est regula *L. nuptias 31. ff. de ritu nuptiarum.* quòd
6 *nuptias non concubitus, sed consensus faciat. Consummatum* de-
nique illud vocatur, quod per concubitum & carnalem
copulam præcedente legitimo consensu de præsenti com-
pletum & consummatum est. Notanter dico debere con-
sensum legitimum seu matrimonium ratum præcedere,
nam si copula habeatur ante contractum matrimonialem,
7 ex ea non inducetur matrimonij consummatio, quia quod
non est, consummari non potest, sed ante contractum
matrimonialem non est matrimonium, ergò &c. Erit pro-
inde talis copula merè fornicaria, nec indissolubilitatem
aliòsque effectus matrimonij consummati (de quibus *in*
tit. de conversione conjugatorum) operabitur.

Conjugium autem dicitur à conjunctione; & omne quidem matrimonium conjugium dici potest, non tamen vice versa omne conjugium matrimonium, si in rigore loquamur, nam matrimonium à præcipuo fine, qui est prolis generatio, nomen accepit, mulier nubit ut fiat mater, inquit *Glos. in §. 1. instit. de patria potest* quare si senes, qui extra spem prolis sunt, nuptias contrahant, talis contractus conjugium potiùs, quàm matrimonium appellabitur.

Nuptiæ demùm inde dictæ sunt, quòd olim puellæ pudoris gratia se obnuberent, seu faciem velarent, dum viris dabantur *c. nec illud.* 30. *q.* 5. Inde licèt nuptiæ & matrimonium in jure plerumque confundantur, *ut tot. tit. ff. de ritu nuptiar.* tamen etiam hodie *nuptiarum* nomine propriè illa solennites, & pompa externa magis, quàm contractus ipse matrimonialis intelligitur, quo sensu tempore Adventus & Quadresimæ nuptiæ prohibentur, id est, pompa nuptialis, non verò ipse matrimonialis contractus, si absque solennitate privatim ex causa instituatur, *c. 3. de feriis.*

SECTIO II.

Quomodo contrahantur Sponsalia de futuro?

SUMMARIA.

1 *Definitio Sponsalium.*
2 *Ad contrahenda requiritur mutuus consensus saltem implicitus.*
3 *Promissio gratuita non constituit sponsalia.*
4 *Sponsalia inter absentes contrahi possunt per literas vel Procuratorem.*
5 *Procurator ad Sponsalia & Procurator ad alia negotia per tria differunt.*
6 *Parochus & testes non sunt de substantia sed de probatione Sponsalium.*
7 *De Arrhis vel pœna an Sponsalibus addi possint.*
8 *Circumstantiæ indicant, quando sola taciturnitas vel simplex acceptatio constituat Sponsalia.*
9 *Simplex promissio ante revocationem semper valet.*
10 *Promittens matrimonium amicis Titiæ habentibus mandatum obligatur, sin minus non obligatur.*
11 *Verba: nullam aliam ducam nisi te, quid faciant?*
12 *Partem resilientem potest compellere Ecclesia.*
13 *Virginem ficta promissione seducens tenetur eam ducere.*
14 *Notabiliter eminentioris status fictè (secus est, si verè & scienter) promittens potest se redimere pecuniaria compensatione.*

1 JUrisconsultus in *L. 1. ff. de sponsalibus.* definit sponsalia, quòd sint: *mentio & repromissio futurarum nuptiarum*, ubi pro certo tenendum est:

2 Ad sponsalia constituenda necessariò requiri, mutuum & reciprocum consensum, viri & fæminæ super futuris nuptijs, nec sufficere, si tantùm pars promittat, sine repromissione saltem implicita alterius, nec ex promissione unius alteri quæri obligationem, nisi & ipsa promiserit, quia promittens non censetur se aliter obligare, quàm secundùm naturam sponsalium, & sub tacita conditione, si etiam altera pars promittat.

Potest quidem aliquando fieri promissio ab una parte 3
alteri *merè gratuita*, & sine conditione repromissionis, ut
si dives aliquis fæminæ sibi in gravi morbo fideliter serventi pro remuneratione promittat matrimonium, cum utique in ipsius sit potestate, vel simpliciter vel sub conditione se obligare, dummodo constet de hac sua voluntate & fæmina non renuat, sed saltem tacendo acceptet talem promissionem. interim tamen ista promissio gratuita non habebit vim & effectum Sponsalium; unde si fæmina ex sua parte etiam post acceptatam promissionem nolit contrahere matrimonium, ad id compelli non poterit quia tantùm habuit virum sibi obligatum, ipsa verò ex defectu repromissionis obligata non fuit, sicuti si donationem aliquam merè gratuitam acceptasset. Item ex tali promissione non nascetur impedimentum *publicæ honestatis*, sicut ex sponsalibus, quo minùs mortua fæmina, cui promissio facta est, soror ejus à viro promittente in uxorem, vel à contra mortuo viro ejus frater à fæmina in matrimonium accipi possit.

Certum est I. sponsalia non tantùm inter præsentes,
sed etiam absentes contrahi posse, scilicet per litteras vel 4
Procuratorem. Nam ad sponsalia non requiritur simultaneus formaliter consensus, sed sufficit, si is qui prior consensit, in hac sua voluntate perseveret, usque dum etiam altera pars vicissim consentiat, prout id universim in alijs quoque contractibus, ut emptione, locatione &c. procedit & textus sunt in *L. ult. ff. de contrahenda empt. c. final. de Procur. in 6.* † Verùm Procurator, qui ad sponsalia vel ma-
trimonium contrahendum, & ille, qui ad alios contra- 5
ctus ineundos destinatur, in tribus notabiliter differunt. Primò, ut Procurator in alijs contractibus dominum obligare possit sufficit, si *generale* mandatum habeat, omnia loco domini peragendi, vel Procurator *cum libera* administrationis constitutus sit *L. Procurator 58. & seq. ff. de Procurator.* Sed sponsalia vel matrimonium Procurator aliter contrahere non poterit, quam si hoc ei nominatim & *in specie* demandatum sit, *dict. c ult. de Procurat. in 6.* II. Procurator ad alia negotia constitutus ea per se tractare non tenetur, sed potest alium substituere, non verò procurator ad sponsalia vel matrimonium contrahendum, cùm enim causa matrimonialis maximi sit præjudicij, ad hanc tractandam personæ industria electa censetur, & consequenter sine voluntate principalis alteri committi non poterit. Quod tamen etiam ad alia negotia valde ardua propter eandem rationem præjudicij extendit Menochius *de præsumptionibus lib. 2. præsumptione 58.* Tertiò demùm in alijs causis, si principalis mandatum Procuratoris revocet in ejus absentia, Procurator adhuc validè procedet, usque dum sibi de ista revocatione innotescat, *Clement. un. de renuntiatione L. Si mandatum 15. ff. mandati.* At verò Procurator sponsalium vel matrimonij etiam in absentia revocari potest, ita, ut si dominum interim pœniteat, & coram alijs protestetur, se nolle consentire in actum à Procuratore gerendum, Procurator invalidè contrahat, licèt hujus revocationis ignarus sit, quod pro majori matrimonij libertate ita constitutum est *in dict. c. ultimo de Procurat. in 6.*

Certum est III. Ad sponsalia de futuro præter consen- 6
sum mutuum nullam aliam solennitatem requiri, adeoque etiam sine Parocho & testibus inita valere. Imò in sponsalibus Parochus non facilè interesse deberet, ne in ipsius præsentia partes non tantum sponsalia, sed ipsi etiam matrimonium cum alterius præjudicio contrahant, nam in præsentia parochi & testium etiam extra Ecclesiam & Parocho invito matrimonium contrahi posse suo loco dicemus. Interim ad futuram probationem, si fortè alterutra pars sponsalia negare vellet, utique consultum erit, vel testes adhibere, vel Scripturam desuper conficere.

Certum est IV. Ad libertatem matrimonij retinendam
in jure statutum esse, ut sponsalibus *pœna* non adjicia- 7
tur, adeòque non valere tale pactum: Si mihi non nupseris, in pœnam centum florenos dabis *c. gemma. 29. hoc tit. L. Titia ff. de verborum obligationibus L. ult. Cod. de sponsalibus.* Sed non minus certum est, in contractibus sponsalium *arrhas* intervenire posse, scilicet annulum, pecuniam, vel aliquid simile, ita ut si ille, qui arrhas dedit, contractum non servet, arrhas amittat, si verò alter, qui accepit, resiliat, duplicatas reddere teneatur, *L. arrhis & L. finali C. de sponsalibus.* Cùm autem inter *pœnam* & *arrhas* nulla in

effectu

effectu videatur esse differentia, nisi quod pœna tantùm promittatur, arrhæ verò insuper tradantur, ideò in ratione differentiæ inter utramque assignanda omnes DD. laborant, & cum *Glos. in dict. c. gemma. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 35. n. 2. in fine, Laym. de sponsalibus c. 1. n. 8.* existimant præter authoritatem legis vix posse aliam convincentem rationem assignari, & ideò respondendum esse *ex L. non omnium ff. de legibus.* quod *non omnium, quæ à majoribus nostris constituta sunt, ratio reddi possit.* Verùm ut declinemus misarum refugium *dict. L. non omnium* ego soleo hanc interpretationem adhibere, videlicet, quòd non sit in obligatione circa sponsalia inter *pœnam & arrhas* differentia. sicut enim *arrhæ* non perduntur nec duplicatæ restituuntur, si justa causa subsit non servandi contractum, v. gr. propter hæresim, aut fornicationem alterius ex desponsatis *dict. L. ult. C. de sponsalibus.* ita etiam non obligat *pœna*, si ex justa causa à contractu discedatur. Et è contra sicut *arrhæ* debentur, si violatio pacti fiat, absq; justa causa, ita etiam *pœna*; quod posterius, quamvis non omnes admittant, putantes nullo casu stipulationem pœnæ valere, licèt ex injusta causa contractus violetur. Nihilominus contrarium probabilius defenditur, cum ipso Laym. *dict. n. 8.* quia *pœnæ* adjectio tantum prohibita est, ne libertas matrimonij impediatur, at verò si *pœna* tantùm habeat istum sensum, ut solvi debeat, si absque justa causa contractus non servetur, nihil continet contra libertatem matrimonij, cum etiam sine pœna non liceat recedere à contractu, nisi ex causa rationabili, & à legibus approbata. Porrò circa ista, quæ hactenus tanquàm *certa* præmisimus, aliquot controversiæ occurrunt, nam.

Dubitatur I. Cùm ad principium hujus sect. dictum sit, in sponsalibus non sufficere promissionem unius, sed necessariam esse repromissionem alterius saltem implicitam, quænam sit talis implicita repromissio, an scilicet inducatur per solam taciturnitatem ejus, cui promissio facta est, an per expressam verbalem acceptationem promissionis, an per gratiarum actionem, an per manus porrectionem, vel nonnisi acceptationem? ℞. 1. Cum in dubio potius libertatis, quàm obligatio inducenda sit *L. Arianus ff. de verb. oblig.* ideo ex sola taciturnitate ejus, cui facta est promissio, ordinariè non constitui sponsalia, nisi de mente tacentis ex circumstantiis aliud colligi possit. nam licet sit Regula 43. juris in 6. *Qui tacet, consentire videtur*, tamen statim subsequitur altera, *Is qui tacet, non utique fatetur, sed nec negare videtur*. Quare dicendum est, cum communiori Interpretum sententia, quòd consensus ex taciturnitate non sit verus & naturalis, sed tantum præsumptus ex circumstantijs & modo agendi, quæ præsumptio inprimis admittit probationem in contrarium, & deinde non habet locum in causis magni momenti, quia tacens videtur quidem consentire in sui favorem, non verò in magnum sui præjudicium, præsertim in causis matrimonii, cum jura non soleant facilè libertatem matrimonialem impedire. Hinc responderi potest breviùs, quòd tacens videatur consentire, in quantùm est sibi favorabile, ut scilicèt adhuc meliùs deliberare, & demum vel promittere vel abnegare possit, non verò ut mox se vicissim obligare & repromittere intelligatur. *Gutierez de matrimon. c. 3. nu. 1. & 2.* ℞. 2. quod de taciturnitate diximus, idem etiam probabiliter extendi posse ad simplicem acceptationem, vel gratiarum actionem, ut scilicet tantùm in sui favorem & ad ulteriorem deliberationem censeatur alter acceptasse, vel gratias egisse, eo quod ob favorem Libertatis matrimonialis in dubiò non sit facilè obligatio inducenda, ut dictum, & docet *Sanch. de matrim. lib. 1. disput. 3. num. 3. & 5.* Interim hic præcipuè ad circumstantias attendendum erit, nam si actum fuerit de sponsalibus hic & nunc contrahendis, v. g. in præsentia amicorum nec altera pars petierit ulteriorem dilationem vel alia verba aut signa dederit, ex quibus intentio contrahendi sponsalia declarari potuit, tunc etiam sola acceptatio absque expressa repromissione sufficit. Ratio est, quia promissio non potest aliter acceptari, quàm quatenus facta est, sed præcisè facta est, cùm hac intentione hic & nunc contrahendi sponsalia, ergo hoc & non alio modo potuit acceptari. *Rosella & Sylvester in suis summis verbo Sponsalia num. 1.* ℞. 3. Si tractatus de sponsalibus vel matrimonio præcesserit, & mulier manum porrexerit, annulum vel alia dona acceptarit, censebuntur esse contracta, quia non tantum verbis sed etiam signis juxta communem hominum intellectum consensum aut promissionem importantibus sponsalia, sicut & alij contractus celebrari possunt, alias muti similes contractus inire non valerent. Deinde tacens censetur consentire etiam in sui præjudicium & obligationem, quando præter taciturnitatem alius actus positivus concurrit, ut notat Panorm. *in cap. cum virum de Regularibus n. 3.* Sed hæc ita, si tractatus de sponsalibus præcesserit, nam cæteroquin sola manus porrectio, vel annuli aut alterius rei donatio non est sufficiens signum, ex quo sponsalia convincantur, quia possunt hæc & similia meræ affectionis causa fieri *Sanch. lib. 1. disput. 22.*

Dubitatur II. An is, qui promissionem matrimonij alteri fecit, possit hanc promissionem revocare, antequàm altera pars acceptet, vel repromittat? ℞. cum Gutierez *dicto c. 3. num. 6.* omnem promissionem matrimonij regulariter & in dubio (aliud est, si expressè de promissione merè gratuita constet, de qua superius sub certo 1. diximus) censeri respectivam, atque habere in se tacitam conditionem, si pars altera statim repromiserit, quare si hæc repromissio secuta non fuerit, licet fortè simplex acceptatio intervenerit, tunc deficiente conditione cessabit etiam obligatio ex parte promittentis, ac consequenter nihil impediet, quo minus revocari possit, si tamen promittens expressè non revocaverit, censebitur adhuc in sua voluntate & promissione persistere, ac alteri moram deliberandi concedere.

Accedit quod promissio unius partis sit mera pollicitatio, (est enim pollicitatio solius offerentis promissio) de cujus natura est, ut ante acceptationem partis alterius liberè revocari possit, ut *toto tit. ff. de pollicit.* traditur.

Nec obstat, quod de jure Canonico *in c. 1. & 3. de pactis*, omne promissum jubeatur impleri, ex quo textu quidam concludunt, pollicitationem de jure Canonico revocari non posse, non obstat, inquam, quia textus accipiendus est, de promissione acceptata, quæ fit purè, non verò de simplici pollicitatione, aut illa promissione, quæ fit sub tacita repromissionis conditione.

Dubitatur III. An statim irrevocabiliter obligetur, qui v. g. coram amicis vel consanguineis Titiæ ipsa absente se resolvit, quod velit cum ea matrimonium inire? ℞. Non esse inprimis dubitandum, si dicti amici vel consanguinei mandatum habuerint à Titia, ut suo nomine contraherent sponsalia, promittentem irrevocabiliter obligari, quia nihil interest, an quis cum principali vel ejus Procuratore contrahat, at verò si consanguinei ignorante Titia ejus nomine contraxerint, puto promissionem non obligare, tanquàm sponsalia vel pactum irrevocabile, sed tantùm ut pollicitationem absenti factam, quæ ante principalis personæ acceptationem adhuc revocari potest, quia de jure civili certum est, & de canonico non repetitur contrarium statutum, quod stipulatio in favorem tertij facta non valeat, stipulationes enim ad hoc inventæ sunt, ait Imperator *in §. alteri. de inutil. stipulat.* ut unusquisque sibi acquirat, quod sua interest. Ulterius etiam illud hic addo, quòd, licet promittens mandaverit consanguineis, ut promissionem suam absenti Titiæ insinuent, ejusque consensum desuper requirant, nihilominus antequàm Titia repromiserit, promissio ex parte promittentis validè revocetur, quia consanguinei in hoc casu non sunt plus, quàm procuratores ad contrahendum cum Titia destinati, Procuratorem verò in causa matrimonij etiam in absentia revocari posse, jam superius *ex cap. ultimo. de Procuratoribus in 6.* notavimus.

Dubitatur IV. An sponsalia contracta intelligantur si quis per verba negativa ita dixerit: *nullam aliam ducam nisi te?* Affirmat Menoch. *de præsumption. lib. 3. præsumpt. 3. num. 8.* cum Abbate & alijs, quasi prædicta verba simpliciter habeant hunc sensum: *Te ducam in uxorem*, eo quòd particula *nisi*, quando sequitur negationem, importet affirmationem, ut cum Judæi dixerunt. *Non habemus Regem nisi Cæsarem*, sensus erat, *Cæsar est noster Rex*. Verùm ego in dubio, quando agitur de valore sponsalium (secus, quando agitur de valore matrimonij jam contracti, pro quo in dubio magis respondendum est, ut evitetur scandalum separationis post diuturnam cohabitationem *c. ultima de sententia & re judicata*) plerumque soleo pro favore libertatis matrimonialis inclinare, tum quòd in dubio non sit facilè inducenda obligatio *dict. L. Arianus*, tum quòd matrimonia coacta soleant difficiles exitus habere *c. requisivit. 17. de sponsalibus & matrimoniis.* Unde ad nostrum propositum existimo dicta verba & particulam *nisi* in pactis & promissionibus habere sensum conditionatum in hunc modum: *si aliquam ducturus sum, tunc te ducam, & non aliam*, quemadmodum si dicam; *nulli domum vendam nisi tibi*: interim non statim infertur, quòd velim hic & nunc matrimonium contrahere, & promittere, vel domum vendere,

eum possim ab omni venditione vel matrimonio abstinere: optimus textus *in L. si sterilis*, §. *si tibi ff. de actionibus empti*. nisi tamen ex adjunctis circumstantijs alia posset colligi intentio promittentis, quod revera voluntas ejus fuerit, sponsalia contrahere, cum non intentio verbis, sed verba intentioni accommodari debeant, *c. secundo* 41. *de appellat. Covarru. de matrim. p.* 2. *c.* 4. *n.* 3.

Dubitatur V. An sponsalibus validè contractis, si altera pars nolit contractum servare debeat à judice Ecclesiastico compelli? Rationem dubitandi facit dict. *c. requisivit de sponsalibus & matrimoniis*. ubi Pontifex eam quæ jurata etiam sponsalia contraxit, & nubere recusavit, monendam potius ait, quàm cogendam, cum coactiones difficiles sæpe soleant exitus habere. ℟. Juri conforme & in praxi ubique receptum esse, ut pars illa, quæ absque causa legitima à sponsalibus resilit, per censuras ecclesiasticas excommunicationem, aliaque opportuna remedia ad contrahendum matrimonium cogatur, idque probatur ex *c. ex litteris* 10. *de sponsalib. & matrim. & ex c.* 1. *de pact.* alias haud dubiè frustra longus & partibus valdè dispendiosus processus in judicijs super contractis sponsalibus admitteretur. Textum verò *in dict. c. requisivit* DD. communiter interpretantur si tanta sit animorum aversio inter ipsos desponsatos, ut judex periculosum matrimonium prudenter timere possit, & pars malit censuras & omnia perferre, quàm matrimonium contrahere, tunc enim præstat minus malum violatæ promissionis permittere, ut majus malum coacti matrimonij evitetur. *Laym. de sponsalibus c.* 1. *n.* 4.

13 *Dubitatur VI.* An is, qui ficto animo fœminæ promisit matrimonium, tantùm ut ad peccatum induceret, teneatur eam in uxorem habere, si non ob consensum, saltem ad compensationem fraudis & corruptionis? ℟. Siquis sub ficta promissione matrimonij corrupit virginem, ex communiori DD sententia, quam allegat & sequitur Sanch. dicto loco *disput.* 10. *nu.* 3. tenebitur eam ducere etiam in conscientia, nec sufficiet, illatam injuriam pecunia compensare, nisi fœmina ultronee acceptare velit. Hæc conclusio probatur textu & ratione. Textu quidem ex *c.* 1. *de adulteriis & stupro*. quod desumptum est ex *lib. Exodi c.* 22. ubi hæc verba leguntur: *Siquis seduxerit virginem, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem*. Ratione verò probatur, quia justitia commutativa non tantùm petit reddi æquale, sed ut idem reddatur ex justitia debitum, ut si quis equum furatus sit, non sufficit reddere pecuniam, cum aliud pro alio invito creditori reddi non possit *L.* 2. §. 1 *ff. de rebus credites*, sed hic ex justitia tenebatur habere consensum in matrimonium, quando altera pars vicissim verè consensit, & insuper corpus suum tradidit, ergo cum possit restituere adhibendo dictum consensum, tenebitur ad id, & non satisfaciet præstando aliud.

Porrò, quia hæc ratio non tantùm in virgine, se generaliter de quavis fœmina etiam corrupta probare videtur, ideo non pauci existimant, idem juris etiam in corrupta procedere, alij tamen satis probabiliter ajunt in corrupta sufficere, si injuria illata pecunia arbitrio prudentis viri taxanda compensetur, eo quod ducere corruptam, ubi nulla vera promissio præcesserit, non sit æqualis compensatio copulæ cum illa habitæ sed aliquid notabiliter excessivum. nisi tamen esset vidua bonæ famæ, infamiamque ex copula contraheret, ob quam aliud facile invenire non posset, tunc enim prior sententia valdè probabilis tenenda foret, quia damnum illatum non posset alio modo ad æqualitatem reduci, quàm per matrimonium. In dubio autem puella virgo præsumitur, sicut virgo nascitur, & neganti puellam virginem fuisse incumbit onus probandi *Panorm. & Barbos. in dicto c.* 1. *de adulteriis*.

14 *Dubitatur VII.* An si fictè promittens sit in multò digniori conditione & statu constitutus, quam virgo decepta, teneatur eam ducere, vel possit compensationem pecuniariam facere, & dotem constituere? Valdè probabilis est sententia, sufficere pecuniariam compensationem, quia promittens non tenetur eam ducere ratione promissionis, quæ ex supposito tantum fuit ficta, & invalida; nec etiam ratione justitiæ, cum justitia non obliget ad restituendum plus, quàm damnum æstimetur, sed damnum corruptionis non æstimatur tanti, quanti, si vir debeat ducere suo statu notabiliter indignam, ergo &c. Notanter autem loquor de ficta promissione, nam si quis verè & scienter promiserit matrimonium fœminæ minus dignæ, maximè accedente defloratione, tenebitur eam ducere, si aliud grave scandalum vel damnum inde non oritur, cum enim sit Dominus rei suæ, & sciverit conditionem alterius, censebitur voluisse liberè cedere juri suo, & nihil de excessu suæ conditionis prætendere. Videatur Sanch. *dict. disput.* 10. *& disp.* 14. Demum in foro externo non creditur dicenti, se ficto tantum animo promisisse matrimonium, quia interna intentio ex actu externo præsumitur. *L.* 1. *Cod. ad legem Corneliam de Sicariis & L.* 5. *Cod. de injuriis*. nisi alia indicia pro se allegare possit, v. g. quod prius hunc fictum animum coram amicis declaraverit, ita ut his ac alijs similibus indicijs concurrentibus in supplementum ulterioris probationis juramentum præstare valeat.

SECTIO III.

Quibus modis dissolvantur Sponsalia.

SUMMARIA.

1 *Sponsalia dissolvuntur mutuo consensu.*
2 *Etiam jurata.*
3 *Sponsalia de futuro qualiacunque solvuntur per sponsalia de præsenti.*
4 *Matrimonium contra interdictum Ecclesiæ vel Episcopi contractum est quidem illicitum sed non invalidum.*
5 *Sponsalia simplicia de futuro non solvuntur per alia sponsalia de futuro etiam jurata &c.*
6 *Sponsalia semiplena impedimenti probatione solvuntur, sed matrimonium tantùm plena.*
7 *Sponsalia per ingressum religionis quoad partem remanentem in sæculo solvuntur.*
8 *At non etiam per susceptionem ordinum clericalium, aut votum simplex castitatis, licet solvantur per votum ingrediendi religionem.*
9 *Solvuntur elapso termino præfixo nuptiis.*
10 *Quando & quamdiu pars absens expectanda?*
11 *Solvuntur superveniente notabili mutatione ex parte non mutata.*
12 *Quando Judicis Ecclesiastici sententia sit necessaria?*
13 *Resolvuntur breviter argumenta contraria.*

Varij modi sunt dissolvendi sponsalia, quos per ordinem referemus, singulis etiam suas controversas quæstiones adjungentes, itaque.

SOlvuntur I. mutuo & unanimi dissensu *c.* 2. *de sponsa-* 1
lib. & matrim. quod enim solo consensu contractum est, contrario dissensu iterum dissolvi potest, cum nihil tam naturale sit, quam unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est. *L. nihil* 25. *de regulis juris*.

De sponsalibus juratis dubitant aliqui, an mutuo dis- 2
sensu dissolvi possint, id enim negare videtur. *Gloss. in dict. c.* 2. in verbo inducendi *de sponsalib. & matrim.* argumento *c. ex litteris eod. tit.* Verius tamen est idem in juratis sponsalibus procedere, quia juramentum in favorem hominis factum ab homine remitti potest, nec à Deo aliter acceptatur, quàm quatenus ab homine, in cujus gratiam factum est, *Barbos. in dict.* 2. *num.* 6. Nec obstat *c. ex litteris de sponsal. & matr.* quia non loquitur de dissensu mutuo, sed tantùm de dissensu unius partis altera parte invita ac repugnante.

Dico, si sponsalia etiam jurata mutuo dissensu liberè dissolvi possunt, quare ergo Pontifex *in dict. c.* 2. jubet, desponsatos moneri, & induci, ut sibi fidem præstitam servent, & tantum ob metum majoris mali dissolutionem concedit? Responderi potest cum Innoc. & Panorm. Pontificem hoc statuisse ad tollendum scandalum plebeiorum, qui fortè possent existimare per talem recessum à sponsalibus juramentum violari, & perjurium committi.

Secundo sponsalia, de futuro etiam quibus copula carnalis accessit, solvuntur per sponsalia de præsenti sive matrimonium cum alia persona contractum tanquam per vinculum fortius, & quod rationem Sacramenti habet, *c. sicut* 20. *de sponsal. & matrim.* sicut de jure civili re duobus vendita præfertur is, cui insuper tradita est, *L. quoties Cod. de rei vindication.* Interim hoc licitè & absque injustitia peccato fieri non potest, & prior sponsa derelicta sponsum cum alia persona nuptias contrahentem ad interesse & compensationem ob violatam fidem utique convenire poterit: nam fœminæ plerumque difficiliùs nubunt, si jam semel cum alio sponsalia, & ita nimiam familiaritatem habuerint. Item si propter aliquod impedimentum dirimens irritum esset matrimonium, obligarent adhuc priora sponsalia, quia

quia non præftat impedimentum, quod de jutu onu fortuur effectum, *c. non præftat de regulis juris in* 6. Notanter autem dico per fponfalia de præfenti fulvi fponfalia de futuro, nam alia fponfalia de futuro ftantibus primis non tantùm illicita funt, fed etiam invalida. *c. ficut* .22. *& ibi Gloff. & DD. de fponfalibus & matrim.*

Quid fi contra expreffam prohibitini...o Epifcopi vel Ecclefiæ matrimonium contractum fit? an validum erit? Ratio dubitandi defumitur, *ex c.* 2. *de defponfa duorum.* ubi dicitur, *accepifti illam uxorem quàm alter fibi defponfavit, dimitte illam, quia nunquam poteft tibi fieri legitima.* Item ex *c. pendt. eod. tit.* ubi Epifcopo datur poteftas irritsodi matrimonium contia interdictum Ecclefiæ celebratum. Nihilominus indubitatè tenendum eft, tale quidem matrimonium effe illicitum, fed non invalidum. quia matrimonium fubfequens tanquam vinculum indiffolubile, & Sacramentum aunexum habens femper diffolvit priora fponfalia de futuro, ut apertè decifum eft, *in cap.* 1. *& 2. de matrimon. contract. contra interdict. Ecclef.* ad aextus priores ℞. eos loqui de cafu, quo prims fponfalia, fuper quibus lis pendebat, non erant de futuro, fed præfenti, adeoque verum matrimonium, quia fponfalia de præfenti nunquàm folvuntur per alia fponfalia etiam de præfenti: aliquando tamen matrimonium pendente lite cum tertia perfona contractum nullum redditur, fi nimirum à S. Pontifice tale decretum impetratum fuerit, quo matrimonium pendente lite non tantùm prohibeatur, fed etiam invalidetur, quia juxta fuperius dicta S Pontifex contractum matrimonialem certis ex caufis quandoque irritare poteft. Epifcopus autem tale decretum dare non poteft, nifi haberet ex fpeciali privilegio vel antiqua confuetudine, quia cum non fit fupra jus, non poteft abrogare cit. textus juris Canonici, in quibus matrimonium pendente lite cum tertio contractum validum dicitur.

Sed dubitatur quid dicendum, fi fponfalia prima tantùm fuerint fimpliciter contracta, fecunda verò juramento vel carnali copula confirmata? ℞. nihilominus priora fponfalia obfervanda, & fecunda invalida effe. etenim juramentum fecundis fponfalibus adjectum, fuit de re iniqua, & in præjudicium tertij, fcilicet prioris fponfæ, confequenter non obligatorium, *c. ex te* 22. *&c. cum contingat* 28. *in fine de jure jurando c. non eft obligatorium, de regulis juris in* 6. Similiter nec copula confirmare poteft fecunda fponfalia, licet enim ante Tridenti. fponfalia per copulam tranfierint in verum matrimonium, & fic dirimerint omnia alia fponfalia de futuro *c. is qui fidem* 30. *de fponfal. & matrim.* hodie tamen, quando matrimonium aliter contrahi non poteft, quam coram Parocho & teftibus, copula in fponfalibus merè fornicaria cenfetur, nec effectum aliquem juris habet. fi tamen pofterior fponfa priorum fponfalium ignara per copulam deflorata effet, & inde magnum damnum & honoris jacturam pateretur, prior verò leviter tantum læderetur, tunc ex æquitate quadam concedendum effet, ut potius cum fecunda quam prima matrimonium contraheretur, ut non improbabiliter docet Sanch. *de matrim. lib.* 1. *dif.* 49. *n.* 6. eo quod prior fponfa teneatur modicum damnum fuftinere ad evitandum proximi graviffimum.

Solvuntur Sponfalia tertiò, fi impedimentum aliquod dirimens, v. g. confanguinitas, affinitas vel aliud hujufmodi inter defponfatos detegatur. In modo probandi tale impedimentum notabilis differentia eft inter matrimonium & fponfalia. nam matrimonium de facto contractum non dirimitur, nifi impedimentum plenè probetur, & in dubio potius pro matrimonio judicatur, cujus feparatio plerumque fcandalofa eft, *c. ultimo de fententia & re judicata.* At verò in fponfalibus de futuro, etiam fola fama, dictum unius teftis, vel alia femiplena probatio de impedimento fufficit, ut fponfalia diffolvi poffint & debeant, quia cum agitur de peccati ac matrimonij nulliter contrahendi periculo, in dubio ex communi omnium DD. pronuntiato & fententis fem. per via tutior eft eligenda, & potius ab ipfo matrimonio contrahendo abftinendum. *c. præterea* 12. *de fponfal. & matrim. c. fuper eo* 22. *de teftibus c. fecundo de confanguinitate & affinitate.*

Quartò dubitari non poteft, quin per ingreffum in religionem Sponfalia diffolvantur, cum ipfum etiam matrimonium per profeffionem religiofam diffolvi poffe ex toto *tit. de Converfione conjugatorum* apertum fit. Nec obftat, quòd Pontifex in *c. commiffum.* 16. *de Sponfal. & Matrim.* tutius effe dicat, ut is, qui fponfalia contraxit, prius fidem fervet, atque matrimonium contrahat, & poftrà primum ante confummationem Religionem ingrediatur, quia Pontifex loquitur de fponfalibus juramento confirmatis, & tutius confulit juramentum implere, non quidem de præcepto, fed de confilio, ad evitandum fcandalum plebeiorum, & ob reverentiam juramenti. *Bark. in eod. c.* 16. *n.* 3. Verùm circa hoc punctum aliqua controverfa funt.

Primò, an fponfalia folvantur per folum ingreffum in novitiatum, vel primùm per profeffionem ℞. Licèt vinculum facramentale matrimonij non diffolvatur, nifi per actualem profeffionem Religionis, & conjux in fæculo remanens durante alterius novitiatu aliud matrimonium contrahere non poffit, ut in *Libello de Priv. Monaft. Priv.* 33. *n.* 5. tradidi. Probabilius tamen eft, fponfalia *de futuro* ex parte remanentis in fæculo ftatim diffolvi, dum alter novitiatum ingreditur, ita ut liberè poffit aliud matrimonium inire. Ratio eft, tum quòd ingrediens monafterium hoc ipfo ex fua parte renuntiarit fponfalibus, tum etiam quòd altera pars non cenfeatur ad iftum fpecialem cafum fe obligaffe, ut tanto tempore expectare, & deinde fponfum, cui poteft exprobrari, quod Religiofum habitum exuerit, & toties figna inconftantiæ dederit, recipere teneatur. Dixi autem, quoad partem remanentem in fæculo folvi fponfalia, id eft, ut illa pars ulterius fponfalia obfervare non teneatur, at verò ex parte ingredientis Monafterium non aliter folvuntur fponfalia, quàm fecuta profeffione, quare fi remanens in fæculo ultro expectare, & regredientem ex monafterio recipere velit, ifte fic deferens Religionem matrimonium recufare non poterit, quia per fuum factum non potuit jus alteri quæfitum auferre, nifi fecuta profeffione. *Sylv. verb. Sponfalia. q.* 10. *cafu* 2.

Dub. II. An, ficut ingrediendo Religionem licèt fponfalia diffolvere, ità etiam fufcipiendo ordines Clericales? ℞. Negativè, quia privilegium diffolvendi matrimonium Religioni conceffum, quòd profeffio religiofa magis affimiletur morti naturali, nec extenditur ad ordines clericales, ut decifum in *Extravag. Antiquæ de voto & voti redemps.* & in tit. *de oblig. ad ratio: non ordinandis.* generaliter prohibetur, ne quis in præjudicium alterius, eoi aliqua obligatione adftrictus, ordinetur. Si verò de facto aliquis poft fponfalia facros Ordines fufcepiffet matrimonium amplius contrahere non deberet, nec poffet, quia facri Ordines funt impedimentum dirimens matrimonij. Interim talis ordinatus ex æquitatis ratione refarcire deberet damna & expenfas fponfæ, quas intuitu nuptiarum fecit, eademque expenfarum reftitutio fecundum probabiliorem fententiam etiam ab ingrediente Monafterium fieri debet. *arg. L. fi pecuniam ff. de condict. caufa data* &c. & ne privilegium ingrediendi Religionem in nimis magnum alterius præjudicium extendatur &c

Dub. III. An non tantùm per ipfum actualem ingreffum, fed etiam per *votum fimplex* ingrediendi vel fervandi *caftitatem* adhuc in fæculo emiffum dirimantur fponfalia? De voto ingrediendi Religionem communis eft fententia cum Nav. *in Manual. conf. ff. c.* 22. *fub* n. 27. quòd folvat fponfalia, cùm enim fponfus liberè Religionem ingredi poffit, confequenter etiam eam poterit vovere, & deinde vi talis voti ingredi, & fponfalia diffolvere tenebitur. Unam tamen infignem limitationem ponit Nav. *de voto confil* 3. nifi ex tali voto fponfa grave damnum fentiat, ut quia fpe matrimonij impregnata eft, tunc enim votum Religionis cum tanto damno alterius non effe gratum Deo, adeòque nec obligatorium exiftimat.

De voto fimplici caftitatis, quamvis diffentiant DD. illa tamen videtur probabilior opinio, per iftud votum non diffolvi fponfalia, cùm nec juramentum nec votum in alterius præjudicium obliget, proinde tale votum eatenus tantùm obligabit ipfum voventem, quatenus id ex fua perfona implere poteft, ut fcilicet contracto matrimonio debitum petere non audeat, fed tantùm reddere, nifi legitimam difpenfationem ab Epifcopo impetraverit. *Nav. dict. loc. num.* 27. *Sanch. dict. lib.* 1. *difp.* 46.

V. Si Sponfalibus certum tempus & terminus contrahendi matrimonij fit adjectus, eo elapfo, fi matrimonium contractum non fit, folvuntur fponfalia, *c. ficut.* 22. *de fpon. & matrim.* quod eft verum & obtinet, fi tempus ad finiendam ipfam appofitam obligationem & tanquam conditio adjecta fit, fecus verò dicendum fi fponfalia purè contracta, & poftea primùm de die celebrandarum nuptiarum conventum fit, tunc enim tempus non cenfetur ad obligationem, fed ad executionem, & quamvis elapfum fit, manebit tamen obligatio fponfalium, prout idem accidit in alijs debitis & contractibus, fi debitor confueto tempore non folvat. *Panorm. & DD. in eod. c. ficut. de fponfal. & matrim.*

VI. Si

10 VI. Si sponsus non habita licentia sponsæ longum iter & diuturnam absentiam faciat, liberum est sponsæ ad alias nuptias transire, *cap. de illis. de sponsal. & matrim.* quantum autem debeat esse tempus absentiæ, de jure quidem Canonico nihil expressum habetur, sed de jure civili talis adhibetur distinctio, ut si sponsus absit ex causa necessaria teneatur sponsa semper ipsius reditum expectare, si verò ex causa voluntaria, justa tamen & rationabili, sufficiet expectare biennium, si sponsus absens moretur intra eandem Provinciam, triennium autem, si extra eandem Provinciam, *text. & gloss. in l. 2. Cod. de sponsal.* Verùm licèt plerique sentiant hac in parte, id, quod in jure Canonico non est decisum, petendum esse à civili, argumento *cap. 1. de nov. operis nunciat.* illa tamen moderatio adhibenda erit, ut Judex Ecclesiasticus non ita præcisè adstringatur termino Juris civilis, quin aliquando propter periculum incontinentiæ, aut alias justas causas illum terminum abbreviare, & licentiam ad alias nuptias transeundi sponsæ concedere possit, quia in causis spiritualibus, præsertim ubi de periculo animæ agitur, plus tribuendum est judicio Ecclesiastici, quàm legis Civilis dispositioni, ut rectè etiam observat Layman. *de sponsal. c. 2. nu.* 13.

11 VII. Si post sponsalia alterutra pars cum aliqua persona extranea fornicetur, innocens poterit à sponsalibus resilire. Imò etiam sponso propter antecedentem fornicationem, & corruptionem sponsæ, quam tempore contractorum sponsalium ignorabat, à sponsalibus recedere permittitur, non autem sponsæ propter antecedentem fornicationem sponsi; ex ea ratione differentiæ, quod illud dedecus famæ corruptæ non similiter æstimetur in viro fornicationem committente ac in fœmina, *c. quemadmodum, & ibi DD. de jurejurando.*

VIII. Denique solvi possunt sponsalia etiam jurata propter quamcumque notabilem, & gravem mutationem supervenientem, qua cognita sponsalia non fuissent contracta, verbi gratia. Si notabilis deformitas, morbus contagiosus, famæ vel bonorum jactura, gravis inimicitia inter consanguineos, qui se fortassis opponant sponsalibus, vel alia causa de novo superveniat, vel prius ignota detegatur, *d. c. quemadmodum*. Sed hic duo adnotanda sunt, *primò*, quòd in similibus casibus sponsalia non solvantur ex parte ejus, qui solvendorum sponsalium causa est, sed tantùm ex parte alterius, utpote in cujus favorem introductum est, ne mutatio superveniens sit ipsi nimis onerosa, proinde si verbi gratia, sponsus huic suo favori renuntiare, & non obstante fornicatione, vel deformitate sponsæ nihilominus velit eam in uxorem habere, non poterit id sponsa recusare. *Secundò*, si sponsus cognita mutatione sponsam carnaliter cognoverit, censebitur tacitè suo juri renuntiare, & sponsalia ratificasse.

12 Ultimò solet hic controverti, an ad dissolvenda sponsalia ob causas hactenus recensitas Judicis Ecclesiastici sententia accedere debeat, vel an desponsati propria authoritate à se invicem discedere possint? Resp. Si causa dissolvendi sponsalia sit certa, & manifesta tam in jure, quàm in facto, ita ut negari ab altera parte non possit, licere etiam sine Judicio Ecclesiastico à sponsalibus recedere, nisi contraria in aliqua Diœcesi consuetudo foret, ut rectè docet Sanchez *de matrimon. lib. 1. disput.* 69. habent enim sponsalia tacitam conditionem, si notabilis mutatio non intervenerit, ea ergo interveniente eo ipso cessat obligatio sponsalium, & consequenter sicut in aliis contractibus liber recessus conceditur. Si tamen causa dissolvendi sponsalia occulta foret, & sponsalia publicè contracta, tunc ad tollendum scandalum hominum judicis authoritas requiretur.

13 Cæterùm nostræ conclusioni non obstant; *text. contrarii ex cap. 3. de divortiis, cap. 1. causa 33. quæst. 2 cap. 12. de desponsatione impuberum*; quia vel loquuntur non de sponsalibus, sed de matrimonio, cujus separatio ordinariè scandalosa est, si absque judicio Ecclesiæ fiat, vel de tali casu, ubi causa dissolutionis non est certa, & satis apertè manifesta. Si consuetudo sit in aliquo loco, ut universim à sponsalibus sine præscitu Ordinarii recedi non possit, ea eadem rationabilis est, ut appareat, an dissolutis sponsalibus non remaneat impedimentum *publicæ honestatis*, juxta ea, quæ inferius §. 10. dicemus.

§. II.

De Ætate requisita ad Sponsalia vel Matrimonium.

S U M M A R I A.

1 *Alia ætas ad contrahenda sponsalia, alia ad matrimonium requiritur.*
2 *Quæ ætas requiratur ad sponsalia?*
3 *Pubertas quando incipiat?*
4 *Quomodo & quando sponsalia impuberum obligent?*
5 *Ex sponsalibus impuberum nascitur impedimentum publicæ honestatis.*
6 *Sola taciturnitas contrahentium ad pubertatem ratificat eorum priora sponsalia.*
7 *Nisi fuerint ante annos discretionis contracta, ubi requiritur novus consensus.*
8 *Quæ ætas requiratur ad contrahendum matrimonium?*
9 *Valet matrimonium ex gravi causa ante annos pubertatis dispensativè contractum.*
10 *Matrimonium inter impuberes contractum an valeat saltem in vim sponsalium?*

ALiam ætatem in sponsalibus, aliam in matrimonio requiri palam est, quia in sponsalibus tantùm usus rationis, in matrimonio autem habilitas ad generandum consideratur. 1

Licèt verò Jurisconsultus *in l. 14. ff. de sponsalibus*, dicat, in sponsalibus nullam certam ætatem definitam esse, nihilominus in hac parte, sicut universim in materia matrimonii standum est jure Canonico, quod tam in masculis, quàm fœminis 7. annos constituit, ut ante hanc 7. annorum ætatem sponsalia validè contrahi minimè possint, † nam ante hoc tempus homines non præsumuntur capaces usus rationis ac discretionis, ut satis intelligere possint, quid agitur, *c. litteras despons. impuber.* † Purò etiam post annum 7. contracta sponsalia non inducunt irrevocabilem obligationem, sed quando aliquis in impubertate contraxit, adveniente deinde pubertate (quæ in masculo censetur post 14. & in fæmina post 12. completum ætatis annum, *leg. fin. Cod. quando tutores esse desinant*) ea irritare poterit. quòd si unus tantùm contrahentium sit impubes, alter autem adultus, hic simpliciter & irrevocabiliter obligabitur, impuberi verò quando ad annos pubertatis pervenerit, liberum erit, sponsalia ratificare, vel resolvere, *cap. de illis 6. & seqq. eod. tit.* 2 3 4

Interim quia talia sponsalia post annum 7. contracta simul fuerunt valida, quamvis ex post facto jure sic permittente ab una parte resolvantur, manebit tamen impedimentum publicæ honestatis, ita ut neuter ex ipsis desponsatis cum alterius consanguineis intra primum gradum contrahere valeat, *d. cap. litteras eod. tit.* 5

Prætereà etiam illud advertendum est, ad ratificationem sponsalium in impubertate contractorum non requiri novum aliquem consensum, sed solam taciturnitatem, & quod pubes factus sponsalibus jam contractis non contradicat, sufficere, eo usque etiam prior obligatio valet usque dum per novum dissensum revocetur, ergo si ad pubertatem perveniens obligationem non revocavit, quando potuit censebitur tacitè id, quod in impubertate gestum est, ratum habuisse. 6

Secus autem dicendum, si sponsalia ante annos discretionis contracta sint, tunc enim, quia prior obligatio nulla fuit, debebit per novum consensum verbo vel facto declaratum reiterari, *Gloss. & DD in cap. litteras de desponsat. impuber.* 7

Circa ætatem *matrimonio* necessariam sciendum est, utroque quidem jure constitutam esse ætatem pubertatis, scilicet in masculo 14. & in fæmina 12. completos annos, *§. 1. instit. de nuptiis l. 4. ff. de ritu nuptiarum.* Illa tamen declaratio de jure Canonico est adhibenda, quòd hæc ætas non sit ita præcisè determinata, quin ante eam aliquando matrimonium contrahi possit, si nimirum *malitia suppleat ætatem*, & jam tunc ad generandum aliquis habilis inveniatur *per text. & Interpretes in cap. puberes 3. cap de illis 9. & cap. ultim. de desponsat. impuber.* Sed quid si masculus etiam post annum 14. vel fæmina post 12. ad contrahendum inhabilis sit, an matrimonium inter eos contractum valebit? 8

Resp. Affirmativè, dummodo spes sit aliquando habilitatem adventuram, quia impotentia contrahendi non causat nullitatem matrimonij, nisi perpetua, & incurabilis fuerit. † Quid etiam an saltem ex causa gravi & publica v. g. inter 9

magnos

magnos principes ad conservationem regnorum vel pacis, matrimonium ante annos pubertatis contrahi poterit? Resp. cùm determinatio ætatis ad contrahendum matrimonium non sit juris naturalis vel divini, sed positivi humani, nec impotentia contrahendi jure naturali dirimat matrimonium, nisi perpetua, ideo potuit S. Pontifex matrimonium ante annos pubertatis ex causa aliqua gravi concedere, & de facto concessit, *in c. 2. eod. tit.* ita tamen, ut saltem Episcopus causæ cognitionem & dispensationem interponat, *Barb. in eod. c. 2. n. 3.*

10 Demum & illud hic in controversiam vocatur, an indistinctè procedat decisio *cap. unici*, *§. idem quoque*, *eodem in 6.* quòd nimirum matrimonium inter impuberes contractum, non valeat quidem ut matrimonium, sed tamen ut sponsalia de futuro juxta regulam: *Si actus non valet, ut ago, valeat tamen omni meliori modo, quo valere potest.* Resp. Pro favore libertatis matrimonialis mihi videri probabilius S. Pontificem *in d. c. fin.* loqui præsumptive, quòd scilicet in dubio, quando non constat, an impuberes voluerint sponsalia vel matrimonium contrahere ob defectum ætatis, potiùs censeantur sponsalia contraxisse; at verò si constaret, quod voluerint ipsum matrimonium contrahere; tunc quia ad valorem cujusvis actus requiritur voluntas & potentia, ideò succedit alia regula ex *cap. cum super. de offic. deleg. quod voluit*, scilicet matrimonium, *non potuit*, & *quod potuit*, scilicet sponsalia, *non voluit*, sicut idipsum multi & plures numero (aliis tamen dissentientibus) DD. docent de matrimonio sine Parocho, & testibus contracto, ut ne quidem in vim sponsalium valeat, nisi mens contrahentium fuisset, se omni meliori modo obligare, vel nisi sponsalia de futuro præcessissent, quæ utique per matrimonium invalidum subsecutum non fuissent extincta, *Barbos. de offic. Episc. alleg. 32. n. 143. cum plur. ibid. cit.*

§. III.

An Parentes pro Liberis, vel Liberi sine consensu Parentum Sponsalia vel Matrimonia contrahere possint?

SUMMARIA.

1 *Parentes possunt despondere liberos.*
2 *Quando & qualiter illa desponsatio obliget?*
3 *Explicatur textus contrarius.*
4 *Quis nomine parentum & liberorum intelligatur?*
5 *Pupillus vel soror tutoris vel fratris tractatum expresso consensu ratificare debet.*
6 *Resolvitur Hæreticorum contrarium argumentum.*
7 *An filii nubentes invitis parentibus exhæredari possint.*
8 *Filius alimentandus, & filia pro statu mariti dotanda est etiam invitis parentibus nubentes.*
9 *Quomodo, & quando sæculares principes matrimoniis pœnam statuere possint?*
10 *Parentes liberorum matrimonia sine causa impedire non possunt, nec tamen impedientes excommunicationem incurrunt.*
11 *Quando parentum dissensus solvat sponsalia?*

1 CErti & indubitati juris est, quòd parentes liberos suos despondere, & pro iis matrimonium vel sponsalia contrahere possint; *c. honorantur 72. par. 2. cap. 1. de desponsat. impuber.*

2 Ita tamen hæc desponsatio obligabit liberos si præsentes fuerint, & non contradixerint, quamvis de cætero expressè consensum non declaraverint, quòd si minores septennio vel absentes fuerint, liberi tempore illo, quo parentes contraxerunt, eorum liberorum ratihabitio, & approbatio accedere debebit, tempore pubertatis adveniente; aliàs sponsalia nulla erunt, nec inde publicæ honestatis impedimentum exurget, *cap. unico §. porro, eodem in 6.* Imò amplius dico, licet pater liberos impuberes etiam post septennium desponderit, si tamen, sicut alia sponsalia, quæ ante pubertatem contraxissent, adveniente pubertate irritare possunt, juxta dicta *in §. præced.* Ita etiam ista, quia absolutè verum est, quòd matrimonium sine consensu puberis validè contrahi nequeat, & consensus filiorum à parentibus in contrahendo matrimonio necessariò non dependeat.

3 Non obstat *cap. 1. eodem tit.* ubi dicitur, quod filius pro quo nondum adulto pater sponsalia contraxit, ea debeat, si ad perfectam ætatem pervenerit, omnino adimplere. Nam hic text. explicari potest de debito honestatis, si scilicet filius nullam rationabilem dissentiendi causam habeat, non autem de debito præcepti vel necessitatis, *Panorm. in eod. cap. 1. nu. 7.*

4 Cæterùm parentum vel liberorum nomine non tantùm Pater, sed etiam Mater, item non tantum liberi in potestate patria constituti, & legitimi, sed etiam emancipati, & naturales intelliguntur, quia dispositio juris inter parentes & liberos non facit distinctionem, nec fundatur in potestate patria, sed in affectione paterna, quæ sanè ratio tam in patre quàm in matre, tam in liberis in potestate, quàm extra eam constitutis procedit, ut cum communi DD. tradit Gutierez *de matrim. c. 23. §. 5.*

5 Aliud tamen ex communiori sententia dicendum videtur; si tutor pro pupillo, frater pro sorore præsente, & non contradicente sponsalia contrahat, hæc enim sponsalia non ex eo solo valebunt, quòd pupillus vel soror non contradixerit: sed insuper requiretur, ut verbo factove, vel prius per mandatum, vel posteà per ratificationem consensum suum declararint, quia in re tam gravi non censetur ille, qui tacet, consentire in sui præjudicium, ac detrimentum, & jura id voluerunt specialiter solis parentibus attribuere, ut eorum consensus pro filiorum consensu habeatur, non autem idem statuerunt de aliis consanguineis, ut rectè notavit Gloss. *in cap. 1. de matrim. contract. contra interdict. Eccles. per text. ibid. Sanch. lib. 1. disp. 27. num. 4.* Quare licet fortè pupillus aut soror tutore vel fratre promittente revera internè consenserit, antequàm tamen hunc consensum suum per signum externum expresserit, non obligabitur. Ratio est, quia promissio non acceptata non obligat, sed talis promissio merè interna acceptari ab altera parte non potuit, ergo &c.

6 Opponunt quidem hæretici sectantes hac in parte Jus Civile, jure divino, & naturali esse præceptum, *honorare Parentes*, adeoque ipsis invitis nil facere, præsertim in re ardua, & magni alicujus momenti, in qua etiam ipsorum præjudicium versatur; ut si filius cum dedecore suæ familiæ matrimonium cum satis sibi impare in nobilitate v. g. vel divitiis contrahat, atqui inquiunt, statutum jure divino, & naturali, S. Pontifex, & Conc. abrogare, vel immutare non possunt. Sed responderi debet, tantùm in genere jure divino constitutum esse, *honorare parentes*, at verò quod in specie matrimonium vel alius actus sine consensu parentum factus valeat, vel non valeat, non haberi ex jure divino, sed ex declaratione vel constitutione Pontificia vel humana.

Quod si hæretici suam sententiam ex illo præcepto: *Honora Patrem, & Matrem:* stabilire volunt, necessariò etiam contra omnes suos hæreticos concedere debebunt, in contrahendo matrimonio non tantum patris, sed etiam matris consensum requiri, quia tam pater quàm mater honorari præcipitur, quod tamen Juri Civili adversatur, ubi tantùm ejus parentis consensus desideratur in cujus potestate liberi sunt, notum autem est, matres non habere liberos in potestate, *§. faeminæ instit. de adoption.*

Interim tamen si liberi absque rationabili causa inconsultis vel invitis parentibus, matrimonia contrahant, id licitè non faciunt, & plerumque etiam mortaliter peccare ac exinde puniri possunt, quamvis matrimonium ita contractum subsistat, & valeat.

7 Sed an propterea liberi à parentibus exheredari possint? controvertitur. Negativa communiter recepta est, quia contrahere nuptias invitis parentibus non recensetur inter causas exheredationis, *in novell. 115. nu. 3.* aliunde autem est communis doctrina, quòd ex aliis causis, quàm ibi expressis exheredatio non concedatur; eo quòd in pœnalibus, & odiosis extensio non sit facienda, *vulgato cap. odia de regulis juris in 6. Harp. ad §. fin. Institut. de exhered. lib. num. 66.*

8 Porrò sicut pater filio se invito contrahenti nuptias hæreditatem, multo minus alimenta denegare non potest, ita etiam filiæ sine suo consensu nubenti dotem constituere debet, quia dos succedit in locum alimentorum: sub hac tamen moderatione, ut, si filia indigno & vilioris conditionis nupserit, non teneatur pater dotem dare juxta conditionem, & statum filiæ, sed statum mariti, quia uxor sequitur conditionem mariti, sive deinde maritus fuerit dignior, vel vilior, *l. veteri, Cod. de incolis*, adeòque sufficit eam secundùm conditionem mariti alimentare, *videatur Sanchez lib. 4. disput. 24.*

Utrùm

9 Utrùm autem Principes sæculares possint pœnas statuere liberis sine consensu parentum nubentibus? In utramque partem rationes afferri possunt; quidam negativam reputant probabiliorem, eo quod causæ matrimoniales & condere leges circa matrimonia sint de foro ecclesiastico, & non pertineant ad principes sæculares. *Arg. c. tua. de ordine cognitionum. c. 1. de sponsal.*

Altera tamen sententia etiam non est improbabilis, dummodo leges concipiantur de illo casu, quo liberi sine rationabili causa invitis parentibus nubunt, nam quando actus est malus, tunc etiam principes sæculares possunt adjuvandi Juris Canonici gratia eundem prohibere, & punire, præsertim si aliquo modo in præjudicium Reipublicæ tendat, sicut hic, ubi ex nuptijs liberorum graves nonnunquam inimicitiæ inter parentes & consanguineos proveniunt, dicetur etiam inferius *in §. 6. sub. n. 20. vers. dico 6.*

10 Econtra sicut liberi non debent invitis parentibus sine rationabili causa nuptias contrahere, ita parentes peccant, si absque causa liberorum matrimonia impediant, & multò magis, si eos ad certa matrimonia invitos cogant, tum propter scandalum & malos exitus, qui ea invitis nuptijs sequuntur, tum etiam quod liberos privent jure suo, quod habent circa status electionem. An verò parentes sine causa legitima impedientes matrimonia liberorum vel eosdem ad matrimonia cogentes incidant in excommunicationem, quam tulit Trid. *sess. 24. de Reform. matrim. c. 9.* contra omnes impedientes libertatem matrimonij dubitari potest. verius est non incidere, quia Conc. tantùm loquitur de Dominis & Magistratibus, qui ea vi jurisdictionis, quam in ceteros habent, subditos ad matrimonia cogunt, vel ab ijs impediunt, consequenter in materia odiosa & pœnali ad alias personas facienda non est extensio. *Gutier. Canon. Quæst. l. 1. c. 29.*

11 Unum adhuc notabile placet hic adscribere quod licet dissensus patris non invalidet matrimonium jam contractum, si tamen sola sponsalia jam contracta sint, & inde ex dissensu parentum & consanguineorum fortè propter inæqualitatem contrahentium aut aliam causam magnum scandalum timeatur, vel alius malus exitus, possit judex Ecclesiasticus tale matrimonium prohibere & sponsalia irritare, cùm virtus Justitiæ non obliget ad actum peccaminosum, ex quo notabiliter læditur charitas proximi, parentum pietas, & cognatorum amicitia dissolvitur, sicut docet Gutierez *d. c. 29. num. 23.* Sanch. *lib. 1. disput. 14. num 3.*

§ IV.

De Impedimentis Impedientibus Matrimonij.

S U M M A R I A.

1 *Quid & quotuplicia sint impedimenta?*
2 *Impedimenta impedientia enumerantur.*
3 *Quid sit Ecclesiæ vetitum?*
4 *Quid tempus Feriarum?*
5 *Quid Catechismus?* 6. *Quid incestus.*
7 *Superveniente post matrimonium saltem ratum affinitate per copulam incestuosam pars delinquens perdit jus exigendi debitum.*
8 *Pœnæ incestûs non extenduntur ad incestum cum propria consanguinea commissum.*
9 *Textus contrarij explicantur.*
10 *Incestus etiam post mortem uxoris commissus annexas habet constitutas pœnas.*
11 *Incestus commissus ultra secundum gradum non habet annexas illas pœnas.*
12 *Ut incestus mereatur pœnas, copula debet esse perfecta.*
13 *Pœnæ incestûs non extenduntur ad peccatum cum cognatis spiritualibus.*
14 *Confessarius non tenetur monere incestuosum invincibiliter ignorantem sua obligationis.*
15 *Sponsus committens peccatum cum consanguinea sponsæ constituit impedimentum dirimens.*
16 *Raptus olim impedimentum impediens, hodiè post Conc. Trid. dirimens.*
17 *Quatuor casus excipiuntur à pœnis raptûs.*
18 *Quid sit susceptus propriæ sobolis?*
19 *Quid mors seu occisio presbyteri?*
20 *Quid pœnitentia solemnis?*
21 *Qui sanctimonialem ad matrimonium saltem tentaverint etiam cum alia persona nunquam contrahere possunt.*
22 *Quænam impedimenta hodie sint in usu?*

Duplicia sunt impedimenta matrimonij *Impedientia* scil. & *Dirimentia*. Illa dicuntur, quæ quidem ab initio impediunt & prohibent matrimonium contrahi, de facto autem contractum validum relinquunt & ad summum præter reatum peccati aliam pœnam arbitrio Episcopi taxandam inferunt, ista verò posteriora non tantùm ab initio resistunt Matrimonio, sed etiam contractum dirimunt, nullum & invalidum reddunt. Porrò Impedimenta impedientia memoriæ causa sequentibus versiculis comprehenduntur. 1

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum. 2
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,
Incestus, raptus, sponsatæ mors mulieris.
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis.
Aut si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.

Ad *Ecclesiæ vetitum* quamvis hæc omnia impedimenta referri possit, quia propter ea ab Ecclesia prohibentur matrimonia, specialiter tamen hic intelligitur prohibitio Episcopi, de qua *in §. 1. Sect. 3.* jam actum est. 3

Tempus feriarum est illud, quo solemnes nuptiæ interdicuntur, & licet olim pluribus anni temporibus talis inhibitio fuerit, ut in diebus Rogationum usque ad octavam Pentecostes, & tribus septimanis ante festum D. Joannis Baptistæ, *c. non oportet*, & passim *caus. 33. q. 4. cap. Capellanus. de ferijs.* Hodiè tamen *Trid. sess. 22. de Reform. matrim. c. 10* Abrogatis alijs ferijs constituit, ut solemnes nuptiæ prohibeantur tantùm à Dominica 1. Adventus usque ad festum Epiphaniæ, & à die Cinerum inclusivè usque ad Octavam Paschæ. Præterea communiter inter DD. receptum est, idque à S. Congreg. Cardinal. declaratum, quod in prædictis Ferijs tantum solemnis & externa nuptiarum pompa interdicatur, non autem sponsalia de futuro, imò nec ipsum matrimonium, si ex justa causa differri nequeat, & privatim sine publica pompa coram parocho & testibus saltem cum licentia Episcopi celebretur, sicut notavit Barb. *in eod. c. 10. n. 4.* 4

Catechismi nomine intelligitur illa instructio fidei, quæ olim præcedere baptismum & ante januam Ecclesiæ cum catechumeno seu noviter baptizando jam adulto fieri solebat, juxta *c. ante baptismum. de consecrat. dist. 4.* & quia habebat rationem alicujus paternitatis seu regenerationis spiritualis, ideò si baptizanda fuisset fœmina, inter eam & catechizantem oriebatur impedimentum impediens, non autem dirimens, *c. 2. de cognatione spirituali in 6.* De *sponsalibus*, quatenus cum una persona contracta impediant matrimonium cum alias, superius *eod. §. 1. sect. 3.* dictum est; De *Votis*, agetur inferius. 5

De *Incestu* notandum est I. Si post matrimonium ratum vel consummatum affinitas superveniat, ut vir consanguineam suæ uxoris cognoscat, vel è contra uxor cum consanguineo mariti peccet, tunc matrimonium quidem nec quoad vinculum, nec quoad cohabitationem dissolvetur, ille tamen cujus culpa orta est affinitas, nunquam amplius poterit petere debitum conjugale, sed tantum parti innocenti, si exigat, reddere, *c. 6. & 10 de eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ.* Item mortuo conjuge innocente nullum aliud matrimonium licitè contrahere poterit, valebit tamen, si de facto contractum fuerit, *cap. 1. &c. ultimo eodem tit.* sed hæc posterior pœna, sicut & alia multa impedimenta videntur in desuetudinem abijsse, vel saltem, ut aliqui putant, per dispensationem Episcopi tolli possunt. 6 7

Notandum II. Quamvis nonnulli existiment, aliquem incestum etiam cum propria consanguinea commissum habere prædictas pœnas annexas, eo quòd gravior sit incestus cum consanguinea, quàm cum affine, & *text. in c. si quis viduam. caus. 32. q. 7. & c. qui propinquas. causa 35. q. 3.* absolutè prohibent incestuosis matrimonium. Nihilominus verius videtur, enumeratas pœnas juxta Rubricam tit. *de eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ.* specialiter tantùm illis inflictas esse, qui cum consanguineis conjugis incestum committunt, adeòque tanquam odia extendenda non esse. Neque id rarum est, ut jura in determinandis pœnis non tam ad gravitatem delicti, quàm ad coercendam frequentiam & periculum respiciant. argum. text. notabilis *in L. 1. ff. de Abigeis.* Solet autem semper majus esse periculum, ne peccatum in consanguineos conjugis quàm proprios committatur. † Textus verò supra allegati, & 8 9

tI, & si qui sunt alii similes vel secundùm dictam rubricam explicandi sunt, vel in eum sensum, quod inter ipsos incestuosos matrimonium consistere non possit, Sanch. l. 7. *disp.* 15. *num.* 16.

10 *Notandum* III. Incestum cum consanguinea uxoris etiam post mortem perpetratum puniri pœnis supra dictis, ut apertè decisum est *in c. transmissæ 4. eod. tit.* & ibi notant Bonac. & Barb. ac alii Canonistæ communiter contra quosdam contrarium sentientes.

11 *Notandum* IV. Cùm hodiè juxta Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 4. non extendatur impedimentum affinitatis ex copula *illicita* ultra *secundum gradum*, ideò, si quis cognovisset consanguineam uxoris ultra secundum gradum, non privaretur jure petendi debitum, et si cum consanguinea sponsæ id fecisset, adhuc cum sponsa matrimonium contrahere posset, & deberet.

12 *Notandum* V. Quòd copula cum consanguinea uxoris debeat esse completa, & non tantùm attentata, vel imperfecta, item cùm hæc constitutio sit pænalis, debet esse copula in ordine ad hanc pœnam promerendam culpabilis, & formaliter incestuosa, adeoque non sufficeret copula metu extorta saltem respectu illius, qui metum passus est, neque copula, quam quis habuit cum ea, quàm consanguineam intra secundùm gradum esse ignoravit.

13 *Notandum* VI. Quòd constitutio dicti tit. *De eo qui cognov. &c.* tanquàm pœnalis non sit extendenda ad eos, qui peccant cum cognatis spiritualibus vel legalibus conjugis v. g. cum patrino vel patrina ejusdem: loquitur enim constitutio de consanguineis uxoris, adeòque naturaliter cognatis, non de aliis.

14 *Notandum* VII. Quòd confessarius non teneatur monere incestuosum de obligatione abstinendi à petitione debiti, si in bona fide sit, & istam obligationem invincibiliter ignoret, ac simul adsit periculum incontinentiæ, & transgressionis, quia alias, qui prius propter bonam fidem non peccavit jam exponeretur periculo peccandi, quod si de facto monitus sit incestuosus, vel de se non ignoret, propter ætatem tamen vel alia de causa abstinere non possit, Episcopo dispensare concessum est, ut ex communi praxi docet Sanch. *lib.* 8. *disp.* 11. *n.* 13.

15 *Notandum* est *denique*; si sponsus suæ sponsæ sororem vel aliam consanguineam cognoscat, hoc ipso nascatur impedimentum dirimens affinitatis, ita ut cum sponsa matrimonium absque dispensatione amplius consistere non possit, damnum tamen sponsæ ex tali delicto illatum sponsus resarcire debet, per pecuniariam compensationem, vel certè dispensationem impetrare.

16 *Raptus* hoc loco dicitur violenta mulieris abductio, & quamvis olim raptus fuerit tantùm impedimentum impediens, eo casu, quo alterius sponsa fuisset abducta *cap. statuimus caus.* 27. *q.* 2. de cætero autem non aliter annullavit matrimonium, quàm si mulier abducta nunquàm liberè consensisset.

Hodie tamen Trid. sess. 24. de reform. c. 6. edidit constitutionem in hæc verba: *Decernit S. Synodus inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium, quòd si rapta à raptore separata in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, & omnes, qui consilium, auxilium, & favorem præbent, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames omniumque dignitatum incapaces, & si clerici fuerint, de proprio gradu decidant, teneatur præterea raptor mulierem, sive eam uxorem duxerit, sive non, decenter arbitrio judicis dotare.* Ex qua constitutione apparet, *raptum* hodie esse impedimentum dirimens, si matrimonium eo tempore contrahatur, quo rapta in potestate raptoris est etiamsi rapta liberè consentiat, ut notat Barb. *in eodem cap.* 6. *num.* 9.

17 & alii communiter. Ibi tamen enumerat Barbos. aliquos casus, qui à nonnullis DD. probabiliter excipiuntur ab hoc impedimento, ut 1. si raptus non fuerit factus intentione matrimonii contrahendi, sed libidinis causa. 2. si fœmina invitis parentibus ipsa tamen consentiente abducatur. 3. si propria sponsa rapiatur. 4. si in aliquo casu rato fœmina curaret rapi virum eo, quòd leges præsertim pœnales non extendantur ad casus insolitos, *L. nam ad ea, ff. de legibus.*

Mors mulieris sive uxoricidium etiam impedimentum causat, ut maritus occidens sine spe alterius conjugij manere debeat, *c. interfectores, caus.* 33. *q.* 2.

18 *Susceptus propriæ sobolis* tunc inducit impedimentum, si quis extra necessitatem proprium filium baptizarit, aut eum tanquàm patrinus tenuerit, talis enim non tantùm constante matrimonio perdit jus exigendi debitum conjugale, sed etiam ab alio matrimonio contrahendo prohibetur, *capit. de eo, ubi Gloss. & Doctores caus.* 30. *quæst.* 1.

Mors Presbyteralis seu occisio presbyteri etiam impedit occidentem, ne matrimonium contrahere possit, *c.* 2. *de pœnitent. & remiss.* Quod tamen aliqui tantùm obtinere volunt, ubi quis in judicio de homicidio convictus, & condemnatus fuerit, ut docent Panormit. & Hostiens. *eod. cap.* 2. 19

Pœnitentia solemnis dicitur, quæ ob crimina graviora injungitur, publicè peragenda, ita ut aliquis certo tempore ante Ecclesiam stare, vel domi jejunare, à gestatione gladii, aut æquitatu abstinere debeat; quæ pœna olim valdè frequens fuit; intra hoc ergo pœnitentiæ tempus etiam matrimonium prohibetur, *cap. de his, & cap. ultimo caus.* 33. *quæst.* 2. 20

Demùm etiam illis interdicitur matrimonium cum quavis alia persona, qui Deo desponsatas *moniales* sibi matrimonio jungere præsumpserunt, *cap. si ergo caus.* 27. *quæst.* 1. Imo de jure civili tales, qui vel tantùm attentarint moniales matrimonij jungendi causa, & multò magis qui rapuerint aut violarint easdem, capitali supplicio puniuntur, *L. si quis,* 5. *Cod. de Episcopis & Clericis*, quam legem de verbo ad verbum in Corpus Juris Canonici retulit Gratianus *cap.* 6. *de pœnitentia dist.* 1. qui tamen intelligendus est, quòd loquatur de jure Civili & foro sæculari, non autem de foro Canonico: quia Ecclesia nulli infert pœnam sanguinis, vel mortis ex quovis scelere, sed tantum censuras, pœnam carceris, aut alias similes, nisi quod aliquando ob delicti gravitatem etiam clericos prius degradatos judici sæculari tradat, *cap. cum non ab homine, de judiciis, cap. novimus, de verborum significat.* 21

Si quæras, an omnia prædicta impedimenta etiam hodie in usu sint? *Resp.* quamvis consuetudo abrogans legem non præsumatur, nisi probetur, nec à consuetudine unius vel alterius loci rectè ad universalem consuetudinem inferatur, nihilominus DD. qui in diversis orbis partibus de matrimonio scripserunt, communiter attestantur, impedimenta impedientia usu hodierno recepta non esse, si quatuor excipias, scilicet. *Ecclesiæ vetitum* id est interdictum Episcopi, *tempus feriarum*, *sponsalia*, & *votum*. Atque hanc consuetudinem etiam operari ut in omnibus impedimentis impedientibus (excepto voto & sponsalibus, quæ jure divino & naturali obligant) dispensare possit Episcopus, tradit Sanch. *lib.* 7. *disp.* 27. *num.* 15. & Navar. *in Manual. confessor.* (quod jam Nonagenarius senex dedicavit Gregorio XIII.) *c.* 22. *nu.* 85. testatur, quod nunquam audiverit, super impedimentis impedientibus (intellige exceptis illis quatuor) dispensationem impetrari. 22

§. V.

De Impedimentis Dirimentibus.

S U M M A R I A.

1 *Quid sint impedimenta dirimentia?*
2 *Enumerantur.*

IMpedimenta dirimentia, quæ non tantùm illicitum faciunt matrimonium sed & invalidum, his vulgatis versiculis comprehenduntur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis Affinis, si fortè coire nequibis.

S E C T I O I.

De Errore.

S U M M A R I A.

1 *Error alius in Persona, alius in qualitate.*
2 *Error in qualitate non causat impedimentum, nisi in 3. Casibus.*
3 *Quando dicatur error qualitatis redundare in errorem Personæ.*

4 *Con-*

4 *Consensus vel dissensus habitualis nihil operatur, & ibidem, quòd dolosa persuasio non irritet matrimonium, irritet tamen sponsalia.*

5 *Error servilis Conditionis an etiam hodiè locum habeat, maximè in illis qui vulgò Leibeigne vocantur.*

1 ERror alius est in substantia seu persona, ut si putans se contrahere cum Bertha contrahat cum Titia, &c. alius in qualitate v. g. si putans se ducere divitem, ducat pauperem.

2 Porrò solus *error in persona* causat impedimentum dirimens, non item *error in qualitate*, nisi in 3. casibus nimirum 1. si qualitas deducatur in conditionem expressam, v. g. duco te si sis dives, &c. conditio enim suspendit consensum & dum deficit, etiam consensum, & consequenter contractum deficere facit. † 2. si error qualitatis redundet in errorem personæ, si videlicet contrahens non tam habuerit respectum ad qualitatem, quàm per ipsam qualitatem certam aliquam & distinctam à præseoti sibi determinaverit, v. g. si volens contrahere cum primogenita Titij contrahat cum secundogenita, si nimirum non tam ipsam primogenituram, quàm personam primogenitam consideret, vel si volens contrahere cum filia pulchra Titij, contrahat cum altera filia deformi non habendo respectum ad qualitatem pulchritudinis, quin po-
3 tiùs ad ipsam personam, quàm pulchitudo ab altera distinguit. Sed quid si aliquis ita sit dispositus, ut tametsi sciret non esse illam quam intendit, nihilominus contraheret: vel è contra si sciret non esse divitem vel nobilem nullo modo contraheret, an his casibus valebit aut dirimetur matrimonium? ℞. talem dispositionem esse tantùm consensum vel dissensum *habitualem*, qui nec ad validandum, nec dirimendum matrimonium sufficit antequam aliquis actualem consensum vel dissensum ponat. v. g. dicendo, aut deliberatè cogitando, contraho cum ista quamvis non sit Titia quam intendo, vel non consentio in istam nisi sit dives, unde licet sponsus ex falsa jactatione divitiarum sponsæ dolosè persuasus sit ad contra-
4 hendum matrimonium, tamen resilire non poterit, quia illa regula, quod dolus dans causam contractui bonæ fidei faciat contractum nullum, *jux. l. Et eleganter. 7. ff. de dolo.* locum quidem habet in alijs contractibus ordinarijs, ubi de rebus nostri Patrimonij agitur, ut in emptione, locatione & similibus: non autem in illis contractibus, qui traditione *sui ipsius* perficiuntur, ut in professione religiosa, & matrimonio. *arg. c. dudum. & c. ex parte. De convers. Conjug. Gutier. de matrim. c. 83. nu. 6.* Etenim in prioribus contractibus, cùm omnia ex bona fide agi debeant, Juris interpretatione censetur subesse illa tacita conditio, *si ita est, ut dicis, &c.* at verò in posterioribus cùm regressio ex monasterio, sicut & separatio matrimonij sit scandalosa, ideo professio & contractus matrimonij censeotur fieri sine omni restrictione voluntatis, aut reservatione tacitæ Conditionis.

5 In sponsalibus tamen de futuro, utpote in quibus necdum intervenit actualis sui traditio sed tantùm promissio de tradendo, procedere supradictam regulam, quod ex dolosa persuasione irritari possint, docet Sanch. *lib. 1. disp. 63. n. 3.* Olim quando servitus in usu erat, error servilis conditionis dirimebat matrimonium. *c. 2. 3. & fin. de conjugio serv.* cùm enim servi fuerint, in omnimoda potestate dominorum, ita ut ad remotissimas partes mitti, vel mandari, diversis negotijs occupari potuerint, cohabitatio matrimonialis inter liberum & servum non potuisset commodè haberi, at hodie cum servitus in orbe Christiano majori ex parte sublata sit, quæri tantùm potest, an error in illa conditione personæ, quæ vulgò in Germania *die Leibeigenschafft* vocatur, faciat impedimentum dirimens? Tales homines proprios seu *leibeigne* aliqui adscripticios (qui scilicet glebæ aut fundo colendo perpetuò adscripti sunt) vel originarios, qui ex adscriptitijs nati sunt, censent, *Gail lib. sing. de pignorat. obs. 8. nu. 1.* aliquis servos anonymos appellant, utpotè qui partim de servis, partim de adscriptitijs, partim de libertis participent *Zasius respons. l. 1. c. 3. & consil. 19. n. 3.* Sed quidquid sit de statu istorum hominum, certum est quòd servi propriè dicti non sint, ideòque favore matrimonij probabilius videtur, ea quæ de errore in qualitate servili sunt constituta, non esse ad statum istorum hominum extendenda, *arg. eorum quæ de adscriptitiis docet Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 19. n. 9.*

S E C I O II.

De Conditione.

S U M M A R I A.

1 *Conditio, Modus, Demonstratio, Causa.*
2 *Quid sit Conditio?*
3 *Quid Modus?*
4 *Differentia Modi & Conditionis.*
5 *Quid sit Demonstratio?*
6 *Quid Causa?*
7 *Conditio vel Modus contra substantiam matrimonij illud annullat.*
8 *Conditio & modus turpis vel impossibilis habentur pro non adjectis.*
9 *Tria bona substantialia matrimonij.*
10 *An conditio contra bona matrimonij, sed honesta matrimonium invalidet?*
11 *Resolvitur argumentum contrarium.*
12 *Conditio vel modus impossibilis loci causa adjectus præsumitur.*
13 *Sed hæc præsumptio est tantum juris.*
14 *Conditiones turpes de præterito non invalidant matrimonium.*
15 *An sponsalia invalidentur per adjectionem conditionis turpis vel impossibilis.*
16 *Sponsalia consanguineorum sub conditione: si Papa dispensaverit: contracta valent.*
17 *Resolvitur argumentum contrarium.*
18 *Quando Parochi & testium præsentia requiratur ad matrimonium conditionatum.*
19 *Sponsi utentes copula non videntur recedere à conditione apposita.*
20 *Causa & Demonstratio qualiscunque semper habetur pro non adjecta.*

SIcut omnes contractus non tantùm purè & absolutè, sed etiam conditionatè iniri possunt, ita quoque sponsalia & matrimonium, quia verò hodie, quando post Conc. Trid. matrimonium coram paracho & testibus contrahi debet, inauditum est, id sub conditione contrahi, ideo prætermittimus plurimas difficultates, quas fusè tractat Sanch. *de matrim. tota lib. 5.* & aliqua tantùm, quæ ad intellectum Canonum & praxin maximè circa sponsalia conditionata deservire possunt, attingemus &c.

Præsuppono, sponsalibus posse aliquid adijci, vel ut *conditionem*, vel ut *modum*, vel ut *demonstrationem*, vel ut *causam*, quæ omnino inter se differunt. 1

Nam *conditio* est, cùm aliquid adijcitur suspendens contractum, nec partes ante illius eventum obligari volunt, 2
& explicatur per particulam *si*, v. g. Ducam te si mille dederis in dotem.

Modus est adjectio oneris, ad quod post contractum volumus alterum obligare, & ordinariè exprimitur per conjunctionem *ut*, v. g. Duco te, ut mecum mercimonia exerceas 3
Differt à conditione, quòd modus non suspendat obligationem principalem, sed habeat suam obligationem propriam, ad quam implendam alter cautionem præstare debet, & si forsitan non præstiterit, non statim propterea irritum est matrimonium, cùm principalis obligatio adhuc subsistat, sed per judicem ad implendum modum compelli debet.

Si dubitetur, an adjectio sit *conditio* vel *modus*, quia contrahentes usi sunt verbis dubijs, attendendum erit, an non 4
prius voluerint ratam obligationem, quàm illa adjectio expleatur, & erit *conditio*, si verò prius voluerint ratam obligationem, & posteà primùm alterum gravatum ad aliquid faciendum, erit *modus*, sicut docet Bartholus *in L. quibus diebus 40. §. sui. ff. de conditionibus & demonstrationibus.*

Demonstratio est, quando significatur aliqua qualitas contrahentibus, & explicatur per relativum, aut dictionem importantem aliquam qualitatem, v. g. Duco te quæ de tali stemmate es, &c. 5

Causa denique illa dicitur, quæ denotatur per dictionem *Quia*, & indicat matrimonium, seu causam contractus, v. g. Duco te, quia dives es &c. His præsuppositis. 6

Quæritur I. Quid juris si matrimonio *conditio* vel *modus* adjiciatur naturaliter vel civiliter *impossibilis*, id est, ut per naturam, vel cùm contra bonos mores sit, per leges licitè impleri nequeat, ut si cœlum tetigeris, si patrem, si amicum meum occideris &c. 7

De ju-

De jure civili distinguitur, inter contractus & ultimas voluntates, sive testamenta, si de hujusmodi conditionibus agatur. in contractibus conditio impossibilis statim ab initio vitiat contractum, quasi non censeantur habere animum contrahendi, qui conditionem impossibilem adjiciunt, *L. non solùm. ff. de obligationibus & actionibus. L. impossibilis. de verborum obligationibus.* Modus autem impossibilis vel contra bonos mores non vitiat contractum, sed vitiatur, & pro non adjecto habetur v. g. dono tibi equum, ut cœlum ascendas, ut hæreticus fias &c. sicut ex communi docet Medina *de Justit. & Jur. tom. 1. tract. 2. disp. 28. §. impossibilis.* At verò in testamentis & ultimis voluntatibus conditio & modus impossibilis pro non scriptis habentur, propter singularem favorem ultimarum voluntatum, ut potius sustineantur, quàm pereant, *§. impossibilis instit. de hæredibus instituendis.*

8 Circa matrimonia hujus quæstionis decisio habetur *c. ultimo de condition. appos.* ubi distinguitur, an tales conditiones sint contra substantiam matrimonij, vel an aliunde sint turpes aut impossibiles: priori casu dicitur esse nullum matrimonium sub tali conditione contractum, posteriori verò valere matrimonium & propter ejus favorem, sicut in testamentis conditionem haberi pro non adjecta. Ad hoc autem ut sciatur, quando conditio sit contra substantiam matri-

9 monij advertendum est secundum Glos. *in eod. c. fin. in verbo. contra substantiam*, tria esse bona conjugij, nimirum *bonum fidei bonum prolis, & bonum Sacramenti. c. omne. 27. q. 2.* si jam conditio uni ex istis adversetur dicitur contra substantiam matrimonij. *Bono prolis* adversatur conditio: si generationem prolis evitaveris, si venena sterilitatis sumpseris, &c. *Bono fidei*, si te adulterandam dederis pro quæstu. *Bono* denique *Sacramenti*, quod matrimonium facit inseparabile, si dicas: contraho tecum, donec aliam inveniam honore & opibus ditiorem, prout ista exempla ponuntur *in d. c. fin. eod.*

10 *Quæritur II.* An idem dicendum sit, si conditio adjecta adversetur quidem bonis matrimonij, sed sit honesta, v. g. contraho tecum, si mecum in perpetua castitate vivere velis? Pro affirmativa facit, quod dicta bona matrimonij non sint necessaria in executione, aliàs sterilitas vel adulterium semper dissolverent matrimonium, quia deficeret bonum prolis & fidei conjugalis. Item B. Virgo & D. Josephus videntur non potuisse aliter, quàm hoc modo contraxisse, cùm jam prius votum castitatis emiserint. & hanc sententiam probabilem dicit Sanch. *lib. 5. d. 10. n. 5.* Contrariam tamen probabiliorem existimamus cum eodem Sanch. quamvis enim dicta bona matrimonij non sint necessaria in executione, & matrimonium esse possit sine copula, debent tamen esse in

11 obligatione; & mutua corporum traditio saltem quoad obligationem est de substantia matrimonii, sine qua matrimonium perfectum dici non potest. est enim matrimonium viri & mulieris conjunctio, non qualiscunque, sed ordinata ad copulam, aliàs inter fratrem & sororem matrimonium dici deberet † De matrimonio B. Virginis dicendum est, non habuisse talem conditionem, sed fuisse simpliciter contractum, quamvis neuter ex desponsatis habuerit intentionem utendi copula. Nam obligatio bene potest consistere sine executione, & cum proposito intermittendæ executionis, præsertim quando per Dei revelationem notificatum est, nunquam ab altera parte executionem petendam, obligationem enim & executionem diversa esse nemo dubitavit, atque in hunc sensum non obscurè de matrimonio B. Virginis loquitur August. *in c. 3. 27. q. 2.*

12 *Quæritur III.* An & quando matrimonium censendum sit adjecta conditione turpi vel impossibili, si aliquis reverà non aliter, quàm sub tali conditione se obligare intenderit?

Omnes DD. laborant, quo sensu Pontifex potuerit vel voluerit conditiones turpes vel impossibiles à matrimonijs rejicere, & matrimonium pro simpliciter contracto habere, cum tamen jure naturæ consensus ad matrimonium requiratur & sine consensu matrimonium esse non possit, non intelligitur autem consentire, qui noluit se obligare, nisi sub conditione turpi, aut impossibili, juxta text. apertum *in L. non solum, ff. de obligationibus & actionibus.* Breviter dicendum S. Pontificem in illo *c. final.* inducere præsumptionem, quòd scilicet quilibet præsumatur, in contrahendo matrimonio, quoad negotium principale seriò agere, & obligationem suam purè facere propter reverentiam Sacramenti, conditionem autem impossibilem, vel joci causa vel ut modum (qui per superius dicta, si impossibilis sit non obligat) adjicere, & cum dubium sit, an faciens conditionem impossibilem habuerit seriam intentionem vel contrahendi matrimonium, vel ponendi conditionem, jura in tali dubio pro favore matrimonij præsumunt.

Quæritur IV. An hæc præsumptio sit & *juris & de jure*, ita ut nulla probatio in contrarium admittatur; ut, qui reverà non consenserit, nisi sub conditione, nihilominus pro consentiente habendus sit? Resp. esse præsumptionem *juris tantùm* adeòque cedere veritati, & aliis probationibus, ac fortioribus præsumptionibus elidi posse. Unde non rejicietur conditio, sed potius matrimonium censebitur esse nullum, si ex variis qualitatibus, & circumstantiis qualitate, affectu & interesse contrahentium colligi possit, quòd vel ideò conditionem impossibilem adjecerint, quòd nullo modo obligari voluerint, ut si nobilis dicat rusticæ, contraho tecum, si montem aureum in dotem dederis, vel reverà non realiter, quàm expleta conditione turpi, ut si hæreticus dicat Catholicæ, contraho tecum, si Lutherana fias. Item si conditio adjecta non sit simpliciter impossibilis, verbi gratia si pauperi, quæ credebatur dives, dicatur, contraho tecum, si mille in dotem dederis, non poterit præsumi conditionem tantùm joci causa adjectam esse. Præterea etiam conditiones turpes de præterito, † ut si Patrem occidisti, ex com- 14
muni sententia non rejiciuntur, cùm enim non invitent amplius ad delinquendum, sed jam supponantur extitisse, non sunt hoc respectu turpes censendæ. *Covar. de matrim. p. 2. c. 3. § 2. n 3.*

Quæritur V. An sicut in matrimonio, ita etiam in spon- 15
salibus de futuro conditiones turpes aut impossibiles rejiciantur, & sponsalia pro absolutè contractis habeantur. Affirmativa communis est apud Sanch. *d. lib. 5. disp. 17. num. 2.* Eò quòd favor matrimonii videatur etiam ad sponsalia extendendus, utpote quæ sunt via ad matrimonium. Negativa tamen, quam tenet Zoesius *de Cond. appos. num 22.* videtur mihi æqua & probabilior, quia *c. fin. eod. tit.* tantum loquitur de matrimoniis, & ubi agitur de restringenda libertate matrimonii, & inducenda obligatione, non est facilè obligatio extendenda.

Accedit, quòd *cap fin.* sit correctivum Juris Communis, de quo in contractibus conditiones impossibiles non rejiciuntur, sed vitiant contractum, *L. non solùm de obligation. & action.* Correctio autem juris est strictè accipienda, *L. præcipimus, in fin. Cod. de appellation.* Unde ulterius infero, si aliquis dicat: promitto tibi matrimonium, si mecum concubueris, si me in tali scelere juvaris, talem non obligari, nisi secuto concubitu, vel scelere.

Quæritur VI. An valeant sponsalia vel matrimonium con- 16
tractum inter consanguineos sub conditione, *si Papa dispensaverit*, adeòque an pendente tali conditione alterutra pars resilire, & cum alio contrahere valeat, vel dispensatione obtenta novus consensus requiratur? Negant non pauci cum Sylv. *verb. matrimonium 3. quæst. 9.* conditio enim, quæ dependet ex Principis voluntate, inquiunt, est impossibilis, quia ordinario jure fieri non potest, *per text. in Leg. continuus, §. cum quis, & L. inter stipulantem, §. sacram, ff. de verbor. obligat.* Si ergo talis conditio, *si Papa dispensaverit*, tanquam impossibilis rejiciatur, utpote dependens ex Principis voluntate, sponsalia vel matrimonium valere non poterunt, quia absolutè consanguinei ad contrahendum inhabiles sunt.

Nihilominùs dicendum est, non esse conditionem impossibilem, & consequenter valere contractum, dummodò ponatur casus, in quo Pontifex solet dispensare, si nimirum consanguinei non sint in gradu valdè propinquo, & simul habeant justam causam petendi dispensationem, quod enim frequenter, & quotidiè fieri solet, non est impossibile, sed dispensationes inter consanguineos quotidiè impetrari solent, ergò &c.

Ad argumentum contrarium Resp. conditionem, quæ de- 17
pendet à principis voluntate reputari impossibilem, quando princeps id concedere non solet, nisi de extraordinaria sua potestate, & rarissimis in casibus, &c. Præterea promittens feminæ matrimonium sub conditione, *si Papa dispensaverit*, tenetur insuper hanc dispensationem impetrare, quia qui obligatur ad principale, obligatur etiam ad accessorium, sine quo principale haberi non potest, Sanch. *ad lib. 5. nu. 12. & 36.*

Quæritur VII. Si hodiè post Trident. contraheretur matri- 18
monium conditionatum, quandonam Parochus vel testes intervenire deberent, an tempore contractus, vel postquam conditio extitit? Resp. utroque tempore, etenim si non intervenirent tempore contractus dicerentur tantùm sponsalia de futuro, non matrimonium, quia, ut sæpè dictum, nullum hodie post Trident. est matrimonium sine Parochi, & testium præsentia. Tempore verò existentis conditionis nisi intervenirent Parochus, & testes, non possent in foro externo testari, matrimonium verò, & substantialiter contra-

tractum esse, sed tantum fuisse contractum inchoatum, pendentem, & adhuc solubilem, quod utique intentioni Trid. adversatur, quòd ideò parochum, & testes requisivit, ut de matrimonio in foro externo ad multa incommoda evitanda testificari valeant. Sufficit autem ut ipsi contrahentes coram Parocho, & testibus affirment, conditionem esse impletam, nam hoc ipso satis intelliguntur purificare contractum, licet parochus vel testes per se conditionem impletam non viderint, teste Layman *de matrim. p. 2. nu.* 24 qui tamen putat sufficere, ut tempore contractus præsentia parochi, & testium accedat.

19 *Quæritur VIII.* An hodiè post Concil. Trid. si contrahentes post sponsalia conditionate utantur copula carnali pendente conditione censeantur per hoc à conditione recessisse, & sponsalia purè contraxisse? Licèt ante Concil. certum fuerit, quòd copulæ accedens sponsalibus tantam vim habuerit, ut non solùm conditionem à sponsalibus sustulerit, sed etiam verum consensum de præsenti, & matrimonium induxerit, quia præsumptione *juris, & de jure*, contra quam non admittebatur probatio in contrarium, sponsus non præsumebatur alio, quàm affectu maritali suam sponsam cognovisse, *cap. is qui fidem 30. de sponsal. cap. per tuas 6. de conditionibus appositis*. Attamen hodie post Concil. Trid. quando matrimonium sine Parocho, & testibus non subsistit, certum quidem est, quòd sola carnalis copula non habeat amplius vim efficiendi matrimonium, an verò partes præsumantur, saltem à conditione apposita recessisse, dubitetur? Id aliqui satis probabiliter affirmant, eò quòd in hac parte Tridentin. nil mutaverit adeòque sub constitutione Juris veteris reliquerit, Zypæus *Consultation. Canonicar. lib. quarto Conclus.* 1.

Negativam docent *Sanch. lib. 1. disp. 26. num.* 12. Fundamentum est, quòd hodiè post Trident. cesset ratio legis, quæ olim præsumebat recessum à conditione per copulam, quia olim ista præsumptio oriebatur, ne Ecclesia præsumeret delictum fornicationis, præsumpsit copulam factam affectu matrimoniali, & consensum de præsenti, quod hodie post Trident. non potest amplius fieri, cùm solus consensus de præsenti non sufficiat ad matrimonium, ut diximus. Si tamen ex tali copula sponsa grave damnum incurrisset, ut quia esset imprægnata, diffamata, & inde difficilius nuptura, æquitas suadet, tale damnum per matrimonium compensari, & priorem sententiam amplecti. Pro cujus confirmatione forsan non incongruè dici posset, quòd illa præsumptio juris de copula conjugali non fuerit ratio adæquata Canonis tollentis conditionem, sed etiam æquitas, ut damnum copulæ per matrimonium compensetur, & alia præsumptio, quòd non facilè fœmina consensura sit in copulam, nisi sub certa spe matrimonij, quæ certitudo firmatur rejecta conditione.

20 *Quæritur IX.* An, quod hactenus *de conditionibus* dictum est, id etiam procedat, si *demonstratio* vel *causa turpis, impossibilis* aut *falsa* adjiciatur, v.g. contraho tecum, quia sterilis es, quia nobilis es, cùm tamen non sit? Resp. Demonstrationem vel causam per se sumptam non quidem suspendere vel vitiare matrimonium, sive sit turpis sive contra substantiam matrimonii, sive falsa, sed potius haberi pro non adjecta, *arg. L. falsa 38. De condition. & demonstrat.* quia tamen falsa causa vel demonstratio inducit *errorem & error* nonnunquam facit deficere consensum, & consequenter matrimonium, ideò hic observanda erunt, quæ præced. sect. de *errore* dictæ sunt.

SECTIO III.

De Voto.

SUMMARIA.

1 *Quid & quotuplex sit Votum?*
2 *Tantùm votum solenne irritat matrimonium.*
3 *Votum simplex contracto matrimonio impedit exactionem debiti.*
4 *Quid de voto ingrediendi religionem?*

1 CONstat votum castitatis aliud esse *simplex*, aliud *solenne*, nimirum quod in Religione ab Ecclesia approbata emittitur, vel sacris Ordinibus clericalibus annexum est.

2 Porrò tantùm votum *solenne* irritat matrimonium non autem votum *simplex*. Votum quidem simplex impedit matrimonium, & si contrahatur, pœnitentia Ecclesiastica mulctandi sunt contrahentes, non tamen propterea annullatur, ut claré decisum est *in capite unico de Voto, in 6.*

Licet autem matrimonium cum voto *simplici* castitatis contractum valeat, votum tamen non expirat, sed adhuc obligat ex parte voventis, in quantum ab eo servari potest, ut scilicet nunquam exigat, sed tantùm alteri parti exigenti (cui votum alterius præjudicare non potuit) reddat debitum conjugale. 3

Attamen propter quotidianum periculum transgressionis consulitur hujusmodi voventi, ut ipse vel alius ejus nomine dispensationem petat, quam ob periculum incontinentiæ, & difficultatem adeundi Pontificem concedere solet Episcopus, cum ea moderatione, ut supplicans stante matrimonio jam contracto valeat reddere, & exigere debitum conjugale, dissoluto autem matrimonio per mortem alterius conjugis votum obliget, sicut prius, &c.

Verùm alia est ratio de votis ingrediendi religionem, suscipiendi ordines clericales, aut vivendi in cælibatu, absque expresso voto castitatis, cum talibus enim votis, licet matrimonium absque peccato mortali & violatione voti contrahi non possit, contractum tamen valebit, neque hic erit abstinendum à petitione debiti, quia necdum castitas actu promissa est, *Sanch. lib. 9. disp. 33. nu. 9.* 4

SECTIO IV.

De Cognatione.

SUMMARIA.

1 *Quid sit cognatio spiritualis?*
2 *Inter quos contrahatur?*
3 *Tantùm unus & una admittitur ad levandum baptizandum.*
4 *An, si plures levent infantem, omnes contrahant cognationem?*
5 *Ad contrahendam cognationem requiritur tactus baptizandi.*
6 *An principalis vel procurator levans contrahat cognationem?*
7 *An levans in casu necessitatis contrahat cognationem.*
8 *Pater baptizans filium amittit jus petendi debitum.*
9 *Quid cognatio legalis?*
10 *Quid & quotuplex sit adoptio?*
11 *Tantùm arrogatio inducit impedimentum.*
12 *Inter quos arrogatio inducat impedimentum de jure Canonico.*
13 *Inter quos etiam de jure civili?*
14 *Requisita ad adoptionem.*
15 *Ex unione prolium non nascitur impedimentum.*
16 *Quid sit consanguinitas?*
17 *Propugnatur definitio à D. Thoma data.*
18 *Explicantur nomina consanguinitatem exprimentia.*
19 *Etiam ex copula illicita nascitur impedimentum consanguinitatis.*
20 *Explicatur consanguinitas.*
21 *Linea quid & quotuplex?*
22 *Regula pro consanguinitate.*
23 *Regula juris civilis circa consanguinitatem.*
24 *In quibus lineis, & qualiter matrimonium dirimatur?*
25 *Ad quotum gradum extendatur impedimentum consanguinitatis.*

Notum est, *cognationem*, quæ impedimentum dirimens matrimonii constituit, aliam esse *spiritualem*, aliam *legalem*, aliam *naturalem*, de quibus hac Sectione agemus, & primò quidem.

De Cognatione Spirituali.

COgnatio *spiritualis* oritur ex Sacramento Baptismi, & Confirmationis, atque hodie non extenditur ultra personas *in Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 6.* denuntiatas, ut videlicet patrinus tantùm ad baptizatum ipsum, & baptizati patrem ac matrem, item baptizans ad baptizatum, & baptizati parentes cognationem spiritualem contrahat. 1 2

Similiter et cognatio, quæ ex Confirmatione oritur confirmantem & confirmatum, illiusque parentes ac tenentem seu patrinum non egrediatur.

Unde nihil obstat, quin inter baptizatum, & filiam vel Uxo-

Uxorem baptizantis, (supposito, quod is laicus foret) vel patrini, & inter baptizantem & levantem seu patrinum, vel inter ipsos patrinos, si vir & fœmina simul levant, matrimonium consistere posse, quamvis olim contrarium fuerit statutum *in c. 3. 4. & ultimo de Cognat. spiritual.*

3 Præterea constituit *Trid. in d. c.* 2. ut unus tantùm, vel ad summùm unus & una baptizatum de baptismo suscipiat, ut parochus antequam ad baptismum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectat, nimirum parentibus sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum vel eos tantùm ad suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatque quam cognationem contraxerint, quòd si alii præter designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahent.

Ex quo textu Trid. qui vult admitti unum & unam tantùm, primitus advertendum est, non esse permissum, ut duo viri vel duæ fœminæ concurrant ad levandum infantem, sed debere esse homines dispatis sexus, ut generatio spiritualis imitetur naturalem, & ita à Cardinal. declaratum refert Sanch. *lib. 7. disp. 57. n. 4.*

4 Sed quid, si contra Conc. plures, quàm duo, levaverint, & parochus eos admiserit, an omnes contrahent cognationem? ℞. Si Trid. in aliquo loco receptum non sit, minus dubium est, quin standum sit juri antiquo, ex quo omnes tangentes seu levantes contrahunt cognationem, *c. ultim. eod. tit. in 6.* atque idem puto procedere, etiamsi Trid. receptum sit, & parochus per incuriam neglexerit designationem duorum; quia Trid. prohibens plurium admissionem non irritat factum contra prohibitionem, nisi eo tantùm casu, quo *designatione facta* plures præter designatos baptizatum tetigerint, consequenter etiam hoc casu res manet sub dispositione juris antiqui, *Zoes. de Cognat. Spirit. n. 7. Sanch. d. l. n. 15.*

5 † Requiritur tamen, ut omnes *tangant*, sine *tactu* enim non contrahitur hæc cognatio, licèt baptizandus sit adultus, quia cæremonia sustentationis non est ab Ecclesia ad sustentandam corporis infirmitatem, sed ad significandam animæ imbecillitatem. Verba autem patrini ad substantiam hujus cognationis non requiri, communis est sententia. *Zoes d. l. num. 11.*

6 Quæritur etiam, quis contrahat cognationem spiritualem, si patrinus non ipse levet, sed sui loco procuratorem mittat? ℞. à Congreg. Cardin. declaratum dici, principalem contrahere cognationem. *Zoes d. l. n. 1. Sa v. matrimonium de imp. dim. diriment. n. 3.* Si verò abstrahatur ab hac declaratione (quæ debet vel usu esse recepta, vel apparere in forma authentica cum sigillo & subscriptione juxta mandatum Urbani VIII. quod refert Barb. *Jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 4. n. 83.*) in jure probabiliter defendi posset, neutrum contracturum cognationem. Non *procuratorem*, quia non levaret suo nomine, nec haberet intentionem per se existendi patrinus. Nec *principalem*, quia actu non tetigit infantem, qui tamen contactus physicè factus videtur necessariò ad contrahendam hanc cognationem requiri per omnes illos Canones qui de hac cognatione loquuntur ut passim in causa 30. q. 1. 2. 3. & 4. quemadmodum de Jure Civili in actione famosa condemnatus per procuratorem nec ipse (quia sententia lata est in procuratorem) nec procurator ejus (quia non suo, sed alieno nomine egit) infamiam contrahit. *L. furti. 6. §. 2. & L. Servus. 14. ff. de his qui not. infam.*

7 Circa Baptismum, qui in necessitate à laicis confertur, sciendum est, quòd baptizans ad baptizatum & parentes ejus cognationem contrahat, levans verò probabiliter ab hac cognatione excusetur, quia potius commoditatis causâ, quàm ut patrinus infantem tenuisse censebitur, cùm in casu necessitatis nulla observentur patrinorum solennitates, nec talis tenens pro baptizato spondeat aut respondeat.

8 Quid autem, si Pater proprium filium baptizavit? ℞. contractam esse cognationem respectu matris, & si matrimonium nec dum initum sit, sed filius v. g. tantùm ex fornicatione conceptus, amplius sine dispensatione contrahi non poterit, contractum verò matrimonium talis cognatio non dissolvit, sicut nullum aliud impedimentum matrimonio jam contracto superveniens. Si tamen pater extra casum necessitatis scienter proprium filium baptizasset, per antiquos Canones separabatur ab uxore, per posteriores verò id immutatum est, & constitutum, ut tantùm jus petendi debitum conjugale amittat, reddere autem teneatur, *vid. caus. 30. q. 1. Vallensis tit. de cognat. spirit. in fine.* Notandum autem dicitur, si extra casum necessitatis aliquis proprium filium baptizarit, nam existente necessitate jus petendi debitum conjugale non auferunt Canones.

De Cognatione Legali.

Cognatio Legalis dicitur, quæ primitus à Legibus Civilibus est inventa, & deinde per Sacros Canones recepta *in c. unico h. t. & c. 1. caus. 30. q. 3.* Estque illa, quæ oritur ex adoptione. Adoptio verò dicitur actus legitimus, per quem is qui filius non est, in filium assumitur. 9

Dividitur in *arrogationem & adoptionem in specie*. *Arrogatio* dicitur, quando homo sui juris authoritate principis in filium assumitur, ac in arrogantis potestatem & familiam transit. *Adoptio* verò in specie, quando quis in sui patris naturalis vel avi potestate remanens in filium authoritate inferioris magistratus assumitur. *§. 1. & ibi Interpretes Inst. de adoptione.* 10

Nascitur porrò impedimentum dirimens legalis cognationis ex communiori DD. non ex qualibet adoptionis specie, sed tantùm ex arrogatione, tum quia illa conjunctio personarum, quæ subest in arrogatione, non reperitur in adoptione in specie, cùm tantùm arrogatus in potestatem arrogantis ejusque familiam sicut filius naturalis transeat; tum quia in arrogatione propter simultaneam cohabitationem occasione matrimonii contrahendi magnum fuisset incontinentiæ periculum, nisi leges matrimonium prohibuissent, & ita omnem prætextum suspectæ conversationis sustulissent, aut denique, quia impedimenta extendenda non sunt, cùm impediant libertatem matrimonii valdè favorabilem, & consequenter odiosa reputantur, *Sanch. lib. 7. disp. 61 n. 9. Zoes. De Cogn. Leg. n. 2.* 11

Quod attinet ad personas, inter quas propter hanc cognationem matrimonium consistere non potest, sciendum est, in Canonibus non reperiri aliam prohibitionem expressam, quàm inter adoptantem & adoptatum, & inter filium vel filiam naturalem adoptantis & filium vel filiam adoptivam. *d. c. 1. caus. 30 q. 3. & c. unico h. t.* 12

In legibus tamen Civilibus major est & extensior prohibitio, quam etiam de jure canonico sequimur: quia tum ex c. 1. tum ex Rubrica Decretalium, quæ *de cognatione legali* inscribitur, leges generaliter in hac materia à SS. Canonibus approbantur, sicut & aliàs, quod deest juri Canonico, aliquando ex Civili suppletur, si utrumque eandem materiam pertractet. *c. 1. de novi operis nunciatione. Panorm. ad rubricam hujus tit. n. 1. & communiter alii.* 13

Igitur inprimis inter eos, qui per adoptionem sibi loco parentum & liberorum esse cœperunt, matrimonium etiam finita arrogatione contrahi non potest, velut inter adoptantem & adoptatum, ejusque liberos & descendentes, inter adoptantem & adoptati uxorem, tanquam inter socerum & nurum, & vice versa, inter adoptatum & uxorem adoptantis tanquam inter novercam & privignum, *L. adoptivus 1. & L. quin etiam ff. de ritu nuptiar.* Deinde in linea collaterali sive inter eos, qui fratrum & sororum locum obtinent, eo usque se extendit impedimentum, quousque patria potestas, proinde inter adoptatum & filiam naturalem adoptantis matrimonium consistere non potest, durante adoptione & patria potestate.

Nec obstat, quòd ex post facto per emancipationem aut mortem adoptantis possit hoc impedimentum cessare, non enim propterea matrimonium ab initio nulliter contractum convalescet, nisi novus consensus accedat, habet enim hic locum regula, quod ab initio nullum est, tractu temporis convalescere non potest, *c. non firmatur 18. de regulis juris in 6.* sicut si in alio impedimento dispensatio impetretur, postquam matrimonium jam contractum est.

Verùm si filia emancipata, adoptio post mortem adoptantis aut emancipationem adoptati finita, aut si filia naturalis tantùm, id est, illegitima, adeoque nunquam in potestate patris fuerit, matrimonium cum ea validè contrahatur. *L. adoptionem. 17. & L. 55. 1. ff. de ritu nuptiarum c. unico h. t.*

Inter ipsos adoptatos ab eodem patre matrimonium non reperitur aliqua lege expressè prohibitum. Unde quidam probabiliter docent, posse filium adoptatum ducere filiam adoptatam, quia impedimenta dirimentia cùm sint odiosa & restringenda, sine textu expresso etiam ex paritate rationis non sunt facilè constituenda: *Sanch. d. l. n. 28. Zoes. h. t. num. 6.*

Postremò ex hactenus dictis facilè colligitur non statim censeri aliquem adoptatum & legaliter cognatum, si forsan ex misericordia in defectu propriorum parentum tanquam filius alimentetur, nisi solennitates juris interveniant, videlicet ut arrogans 18. annis sit major arrogato, ut si impubes sit arrogatus, causæ cognitio adhibeatur, an expediat pupillo arrogatio, ut authoritas principis accedat, & alia quæ præscribuntur *in §. cum autem Instit. de adopt. & L. 2. & L. final. Cod. eodem.* 14

Deinde quamvis in Germania *unio prolium (ein Rindschafft oder Erbkerbruderung)* species sit adoptionis ejusdemque solennitates requirat teste *Gail lib. 2. observ.* 125. *n.* 6. & 8. Nihilominus verius puto, ex inde non nasci impedimentum legalis cognationis, quia ut prædictum, non omnis adoptio causat impedimentum, & talis unio non tam fit propter majorem conjunctionem personarum, quàm potius bonorum, ut diversorum matrimoniorum liberi æqualiter in bonis tam paternis quàm maternis succedant. Quare si viduus ducat viduam, & ambo jam prius ex alio matrimonio habeant liberos, quos deinde per unionem conjungant, non obstante hac conjunctione adhuc inter eos matrimonium esse poterit, cùm enim hæc unio prolium sit de jure scripto incognita, & tantùm de consuetudine introducta, leges nihil de ea constituerunt, sine textu autem expresso aliquod impedimentum statuere planè inconveniens videtur. *Auth. Consideremus, De Triente & semisse.*

De Cognatione Naturali.

Inter *Naturaliter* cognatos, id est, *consanguineos* matrimonium contrahi non posse, vulgò notum est, nisi vel in gradu remotiori sibi conjuncti sint, vel dispensationem obtinuerint.

16 C*Onsanguinitas* igitur secundum nominis Etymologiam dicitur, quasi sanguinis unio, & sanguinei, qui ab eodem sanguine descendunt. Definit autem consanguinitatem D. Thomas in 4. *p. dist.* 40. *q. unic. a* 1. quòd sit Vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.

17 Non desunt, quibus displiceat hæc definitio, ajunt enim, exinde sequi, omnes homines esse consanguineos, eò quòd omnes ab uno stipite, scilicet Adamo, descendant.

Verùm a. verba D. Thomæ accipienda esse moraliter, & intelligi de stipite aliquo propinquo, cujus generationis gradus numerari & distingui possint, cujusque virtus in descendentibus perseveret. Quamvis enim virtus Adami in omnibus descendentibus perseveret secundum similitudinem specificam, scilicet humanitatem, non tamen perseverat secundùm qualitates certæ personæ & familiæ proprias, & sic secundùm similitudinem individuam, juxta quam avus & parentes assimilant sibi prolem, quæ eorum imaginem, complexionisque ac morum effigiem refert. Nam virtus paterna non secundùm totam suam perfectionem diffunditur in filios, sed quo in plures generationes descendentes derivatur, debilior ac imperfectior redditur, ut tandem cum ipsa etiam ratio consanguinitatis evanescat, quo sensu loquitur Isid. *in c. unic. caus.* 35. *q* 4. Quamvis de cætero non sit nobis magna cura, an definitio habeat omnia requisita logicalia, dummodo rem ipsam utcunque describat, quia *in Jure omnis definitio periculosa est, & parùm est, ut non subverti possit*, ait Juris Cons. *in L.* 20. *ff. de regulis Jur.*

18 Sunt autem consanguinei alii ex persona patris, qui in jure dicuntur *agnati*, & idem nobiscum nomen ac gentilitatis insigne gerunt, alii ex persona matris conjuncti, qui speciali nomine *cognati* nominantur, quamvis generaliter etiam aliquando agnati cognati dicantur, cùm cognatio sit genus ad *agnationem & cognationem in specie*. Similiter si duo fratres eundem patrem habuerint, sed diversas matres, dicuntur *fratres consanguinei*, si eandem matrem, sed diversos patres, *uterini*, si ex eodem patre & matre geniti sint, *germani* seu *duplicis vinculi* nuncupantur.

Porrò in successionibus hæreditariis præcipuè verò *feudalibus* distinctio fit inter *agnatos* & *cognatos*, item inter *fratres duplicis vinculi* & *unilaterales*, ut frater *germanus* succedat fratri defuncto solus, exclusis fratribus ab uno tantùm parente ipsi conjunctis, & *agnati* regulariter tantùm succedant in feudis exclusis *cognatis*.

Circa matrimonio tamen nulla talis distinctio adhibetur, sed æquè impedimentum dirimens est inter agnatos, quàm cognatos, sorores & fratres tam unilaterales, quàm germanos.

19 Præterea quamvis de jure Civili neque *cognatio* neque *affinitas* dicatur oriri, nisi ex justis nuptiis, *L. non facilè. §. secundum.* 8. *ff. de gradibus affin.* de jure tamen Canonico tam *cognatio* quàm *affinitas* etiam ex copula illicita & fornicaria nascitur, neque illegitimè natus ducere potest fœminam ob eandem patre vel matre, quamvis ex illegitima nativitate, sibi conjunctam. Ipse quoque textus civilis non de cognatione à natura introducta intelligendus est, ex qua illegitimus reverà etiam filius, vel frater aut cognatus est, *toto tit. ff. & C. de naturalibus liberis*. Sed quòd non sit cognatus quoad effectus juris Civilis, qui cognatis adscribuntur, ut circa successionem hereditariam, tutelæ administrationem, nobilitatem familiæ &c. Utrum autem in eodem gradu cognatio vel affinitas orta ex copula illicita dirimat matrimonium, in quo dicimus orta ex copula matrimoniali, alibi dicemus &c.

Distinguitur & explicatur consanguinitas per lineas & gradus. *Linea* est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendentium, diversos continens gradus. *Gradus* est distantia personarum, qua cognoscitur, quo intervallo consanguinei sibi invicem conjungantur. *Stipes*, ex quo linea ducitur, & initium distinguendi gradus desumitur, est illa persona, à qua reliquæ, de quarum cognatione quæritur, descendunt, & in qua tanquam primà & una radice conveniunt, v. g. si de duorum fratrum filiis quæratur, eorum stipes est avus, non autem unus ex fratribus, qui quidem genuit suum, non verò alterius fratris filium, ex avo ergo amborum fratrum filii mediatè tanquam ex radice descendunt. 20

Rursus *linea* consanguinitatis est triplex, scilicet linea *ascendentium* sive parentum & avorum: linea *descendentium* sive liberorum & nepotum, quæ utraque linea etiam *recta* dicitur: & demum linea *collateralium*, id est eorum, qui nec à nobis geniti sunt, nec nos ab ipsis, sumus tamen eodem sanguine propagati, ut nostri vel parentum nostrorum fratres & sorores, aut eorum fratrum liberi. 21

Hæc *Collateralium* linea iterum dividitur, quòd alia sit *æqualis*, quando uterque ex cognatis æqualiter distat à communi stipite, sicut duo fratres vel eorum filii. Alia *inæqualis*, quando unus ex consanguineis gradu remotior est, ut si me comparem cum filio mei fratris.

Aliter autem computantur gradus de jure Civili, aliter de jure Canonico; de jure Canonico triplex assignatur regula, prima est, *In linea recta seu ascendentium & descendentium tot sunt gradus, quot sunt personæ* (computatis mediis & extremis, de quarum cognatione quæritur) *una dempta*. Sive alio modo: *Tot sunt gradus, quot sunt generationes, usque ad illam personam, de cujus cognatione quæritur*, v. g. si quæratur, quoto gradu sit nepos avo conjunctus? Dico, avus, filius, nepos, sunt tres personæ, una dempta, manent duæ, ergo duo gradus. Vel: avus genuit filium, est una generatio, & unus gradus, filius genuit nepotem, est secunda generatio, consequenter secundus gradus, & sic de cæteris. 22

Secunda regula est, *In linea collateralium toto gradu consanguinei distant inter se, quoto quisque eorum à communi stipite.*

Sic duorum fratrum filii sunt sibi in secundo gradu conjuncti, quia avus est communis eorum stipes, respectu avi autem uterque est nepos, & sic in secundo gradu &c.

Tertia regula: *In linea collaterali inæquali remotior trahit ad se viciniorem*, id est, quoto gradu remotior distat à communi stipite, toto distant inter se: ut autem sciatur quoto gradu quisque distet à stipite, advertendum est, quemlibet ex collateralibus respectu stipitis esse descendentem & in linea recta, adeoque adhibendam esse primam regulam.

De Jure civili una tantùm est universalis regula, ut singulæ personæ singulos gradus constituant, & ita tot sint gradus, quot sunt personæ, quæ à stipite descendunt, una minus, sive ipso stipite non computato. Unde duo fratres ex hoc jure sunt sibi in secundo gradu, fratrum filii in quarto conjuncti. 23

Rationem diversitatis inter utramque computationem canonicam & civilem assignat Pontifex *in cap. ad sedem. caus.* 35. *q.* 5. quòd computatio canonica sit instituta circa matrimonium, quod semper inter duas personas contrahitur, & sic semper duæ personæ in eodem gradu ponuntur, computatio verò civilis sit instituta circa successionem hereditariam, quæ de persona ad personam devolvitur, hinc est, ut quoties de hereditate vel actu alio præter matrimonium quæritur, in quo parentelæ respectus habetur, computatio fiat secundùm jus civile, non tantum in foro civili, sed etiam Canonico & inter Clericos teste Covar. *de matrim. p.* 2. *c.* 6. §. 6. *n.* 8. *Barb. c. ult. de consanguin. n.* 4.

Præcognito graduum & consanguinitatis notitia ulterius dicendum est, aliter in linea recta & aliter in transversa seu collateralium dirimi matrimonium per consanguinitatem. Etenim *in linea recta* propter reverentiam parentibus debitam communis est sententia, prohibitionem esse in infinitum, prout in jure civili expressè constitutum est, *in L. nuptiæ.* 53. *ff. de ritu nuptiarum & §.* 1. *Instit. de nuptiis.* Idque in jure Canonico circa hanc lineam apertè correctum non reperitur, in dubio autem jurium correctio non præsumitur, *c. cum expediat. de elect.* in 6. & quod deest juri Canonico, ex Civili suppletur, & vice versa, *c.* 1. *de novi operis nuntiat.* 24

In *linea transversa*, quamvis olim de jure Canonico antiquissimo simpliciter inter consanguineos, quousque gradus

ac ge-

ve generationis memoria retineri poterat, matrimonia prohibita fuerint, *c. de consang. & in copulatione* 35. *q.* 2. id tamen jure posteriori ad *septimum*, & denium jure novissimo, quo hodie utimur, ad *quartum gradum inclusive* limitatum & restrictum fuit, *c. non debet, & c. ult. de consang. & affin.*

25 Sunt quidem aliqui existimantes, universim tam in linea *recta* quàm *transversa* non extendi impedimentum extra quartum gradum propter *d. c. non debet*, quod generaliter, & sine distinctione loquitur, sicut docet Sanch. *l. 7. disp. 5* 1. *num.* 13. quod tamen ex prædictis tentari potest, nec huic disputationi parum utili longius immoror, cum conditio, & brevitas vitæ humanæ sine miraculo vix admittat videre descendentes in quinto gradu, &c.

De dispensatione autem tam super hoc impedimento cognationis quàm aliis, inferius *sect.* 13. dicemus, ubi etiam, quo jure divinone an humano singula impedimenta, & cur aliqui gradus consanguinitatis & affinitatis ultra prohibitionem juris naturalis statuantur.

SECTIO V.

De Crimine.

SUMMARIA.

1 *Quid nomine criminis intelligatur?*
2 *Sola promissio non constituit impedimentum.*
3 *Quando & qua machinatio constituat impedimentum?*
4 *Machinatio debet habuisse effectum.*
5 *Occisio tam viri quàm fœminæ causat impedimentum.*
6 *Homicidium factum non causa matrimonii non causat impedimentum.*
7 *Adulterium, & promissio diversa etiam tempore facta causant impedimentum.*
8 *Soluta ignorans complicem esse uxoratum acceptans promissionem non contrahit impedimentum.*
9 *Qualis debeat esse promissio, ut causet impedimentum.*

1 CRimen hoc loco intelligitur *adulterii & homicidii*.
Dicendum ergò, quod solùm adulterium per se quidem non sit impedimentum impediens matrimonij, si tamen una cum adulterio concurrat matrimonii promissio, ubi legitimus mortuus fuerit, & multò magis si de facto per verba de præsenti matrimonium attentetur, vel machinatio in mortem legitimi conjugis interveniat, statim insurget impedimentum criminis, & nunquam inter tales adulteros matrimonium esse poterit, *c. super e. significasti c. cùm haberet, & passim de eo, qui duxit, quam polluit per adult.* quod ad excludendum votum captandæ mortis ita statutum est, ne, si talia matrimonia tolerentur, frequenter adulteri in vitam insontis conjugis insidias stetnerent. Nunc autem

2 *Quæritur* I. An sola *promissio* sine *adulterio* constituat impedimentum dirimens, si v. g. uxor promittat alicui matrimonium, postquam maritus mortuus fuerit? Resp. Negativè, quamvis enim etiam sola promissio possit inducere votum captandæ mortis, tamen impedimenta matrimonii tanquam odiosa, potius restringenda sunt, quàm ultra casus in jure expressos extendenda, & majus est semper periculum, si promissio conjungatur adulterio, quàm si sit sola, cùm homines libidine excæcati majora facinora temerè audere soleant, pro hac conclusione textus est satis clarus *c. ultim. eod.* Attamen talis promissio licèt non irritet matrimonium ex post facto per novum consensum contractum, ex se tamen non est obligatoria, neque vim sponsalium habet, quia constante matrimonio de alio pariter turpe pactum reputatur, & aliquam saltem occasionem captandæ mortis præbet, prout in simili de Jure civili pactum super viventis hæreditate *plenum tristissimi eventus*, & propterea invalidum dicitur, *L. ult. Cod. de pactis.*

3 *Quæritur* II. An sola machinatio in mortem conjugis absque adulterio causet nullitatem matrimonii? Inter diversas DD. opiniones illa videtur probabilior, quòd machinatio unius ex desponsatis non causet impedimentum, nisi conjuncta fuerit cum adulterio, secus autem, si uterque consilio, mutuo, consensu aut conspiratione ad mortem conjugis innocentis concurrerit, ita non obscurè colligitur *ex c.* 1. *de convers. fidel.* ubi propter hoc solum quòd mulier cum alio viro solum conspiraverit in mortem sui mariti, dissolvitur inter ipsos conjugium, nulla facta mentione adulterii, quare reliqui textus, qui de sola machinatione loquuntur, de conjuncto adulterio explicandi sunt, ut ultra casus clarè in jure expressos non fiat impedimentorum extensio, Panormit. & Barb. *in d. c.* 1. *de convers. infidel.*

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

Quæritur III. An requiratur, ut machinatio habuerit effectum, & conjux occisus sit? ℞. affirmativè, quia in materia pœnali & odiosa verba strictè & cum effectu accipienda sunt, deducitur *ex c. si quis vivente caus.* 31. *q.* 1. ubi dicitur cum adultera contrahi posse matrimonium, nisi fortè vir aut mulier priorem maritum, qui mortuus fuerat, *occidisse* notetur. 4

Quæritur IV. An sit verum, quòd impedimentum criminis tantum ex occisione uxoris nascatur, è contra de casu, quo uxor mariti mortem procurat, nihil in jure dispositum sit, adeoque nec ad eum tanquam ratius contingentem extendendum juxta *L. nàm ad ea. ff. de legibus*. Sicut docent Victor, Ledesma, Henriquez apud Gutierez *de matrim. q* 105. *n.* 10. ℞. Nullam inter viri & uxoris occisionem faciendam esse differentiam, ita apertè convincitur ex *c.* 1. *de convers. infid. & in d. c. si quis vivente. caus.* 31. *q.* 1. quæ capitula de occisione uxoris loquuntur. 5

Quæritur V. An oriatur impedimentum, si homicidium cum adulterio quidem concurrat, sed factum sit ex alia causa, quàm intentione ineundi matrimonij, v. g. ex rixa orta & ob injuriam illatam. ℞. Non oriri in tali casu impedimentum probabilius videtur, quia ratio prohibitiva legis non subest in omni homicidio, sed tantùm in illo, quod intentione matrimonij committitur, ne scilicet adulteri spe matrimonij illecti frequenter in vitam innocentis conjugis insidientur. *Sanch. lib. 7. disp* 18. *n.* 13. 6

Quæritur VI. An ad constituendum impedimentum *criminis* requiratur, ut simul & semel concurrat promissio & adulterium? ℞. Sufficere, si utrumque sit factum constante matrimonio priori, sive deinde accideret eodem tempore promissio & adulterium, sive diverso, ut satis colligitur *ex c. ult. de eo, qui duxit &c.* in illa verba: *Cæterùm tolerari non debet, si prius vel postea, cùm vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluerit.* 7

Quæritur VII. Quid juris, si fœmina soluta peccet cum conjugato, ignorans eum esse conjugatum, ex post facto autem, cum jam de hoc est certiorata, promissionem acceptet, vel de facto contrahat matrimonium? ℞. tali casu valdè probabiliter dici posse, nullum subesse impedimentum, quia illa copula ex parte fœminæ ob ignorantiam status conjugalis in altero non fuit formale adulterium, neque etiam adulterorum pœnam meretur, consequenter nec istam, quæ à jure tantum adulterio cum promissione matrimonij conjuncto infligitur. *Barb. in c.* 1. *De eo qui duxit n.* 2. 8

Quæritur VIII. Qualis debeat esse promissio, quæ concurrens cum adulterio constituat impedimentum, an debeat habere connexam repromissionem, vel an sufficiat alterius partis promissio, acceptatio vel taciturnitas, quid si ficta tantum cum intentione alteram partem ad peccatum inducendi? ℞. 1. Requiri promissionem, quæ habeat obligationem determinatam incundi matrimonium cum adultera: adeoque non sufficere, si v. g. adulter dicat, *nisi essem uxoratus, te ducerem*, &c. quia talia verba necdum continent actualem promissionem, sed intentionem tantùm & propositum. Item & illa verba probabiliter excusari possunt ab impedimento, si adulter dicat: *mortua uxore nullam aliam ducam nisi te*. Cum ita promittens non præcisè se obliget ad matrimonium, quin possit ab eo abstinere, ut superius de sponsal. traditum. Non tamen requiritur, ut promissio sit juramento firmata, sicut latè probat Sanch. *lib. 7. disp. 79. n.* 29. contra quosdam contrarium sentientes. 9

℞. 2 Quamvis sola *promissio* sine *repromissione* alterius partis sufficiat ad constituendum impedimentum, si cum adulterio concurrat, quia Canones solius *promissionis* nullibi autem *repromissionis* circa hoc impedimentum meminerunt, necesse tamen est, ut promissio ab altera parte per signum aliquod externum acceptetur, sola autem interna acceptatio vel taciturnitas non sufficit, tum quòd jura non soleant actui merè interno pœnam statuere, sicut dicitur, quòd cogitationis pœnam (in foro externo) nemo patiatur, *c. cogitationis de pœnitentia dist.* 1. *& L. cogitationis ff. de pœnis*, tum etiam, quòd tacens in dubio non censeatur consentire in sui præjudicium: & cùm talis acceptatio sit illicita, & delictum, non præsumatur. *L. meritò ff. pro socio.*

℞. 3. Etiam fictam promissionem sufficere, dummodò altera pars serio intellexerit, & acceptarit, quia tunc periculum captandæ mortis saltem ex parte acceptantis æquè subest, ac in promissione vera.

Demùm hic adnotari potest, non oriri impedimentum, si promissio adhuc durante primo matrimonio fuerit mutuo consensu remissa & dissoluta, quia tunc perinde est, ac si nunquam imposita fuisset, &c.

Neque etiam ab infidelibus impedimentum istud contrahitur, cùm jure tantùm Ecclesiastico sit statutum, ideoq; matri-

monium cum crimine in infidelitate contractum valebit, aut crimen tunc commissum non nocebit post baptismum, quo minùs cum adultera contrahi possit: nisi una pars tempore commissi criminis fuit fidelis, *Sanch. lib. 7. cap. 79. n. 42.*

Utrum autem hoc impedimentum contrahatur etiam ab ignorantibus invincibiliter, colligi poterit ex iis quæ inferius *sect. 11. n. 11.* dicentur.

SECTIO VI.

De Disparitate Cultus.

SUMMARIA.

1 *Ex continuo usu Ecclesiæ irritum est matrimonium fidelis cum infideli.*
2 *Matrimonium Catholici cum hæretica est illicitum, non tamen invalidum, & quid in Germania.*
3 *Pacta, ut liberi aliqui in fide hæretica educentur sunt impia.*
4 *Contrahentes in infidelitate cum impedimento an sint separandi post conversionem amborum?*
5 *An & quomodo conversus possit repellere alterum conjugem non conversum.*
6 *Quinam intelligantur nomine infidelium?*

1 PRopter *disparitatem cultus* irritum est matrimonium à fideli contractum cum infideli juxta illud Apost. 2. ad Corinth 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, &c. quamvis autem hic textus, sicut & alii, qui ex Scriptura & jure Canon. allegantur ut *cap. cave*, *cap. non oportet*, *& c. Judæi*, 28 *quæst.* 1. non loquantur in propriis terminis de irritatione, sed tantùm prohibitione matrimonij fidelis cum infideli, tamen quòd ex continuo usu Ecclesiæ etiam irritum habeatur matrimonium fidelis cum infideli contractum testis est Sanch. cum Soto, Bellar. & aliis *lib. 7. disp. 1. n. 8. cit.*

2 Matrimonium autem Catholici cum hæretica est quidem illicitum, & sine peccato non contrahibile, non tamen est invalidum: imò in Germania ac aliis locis ubi hæretici permixti cum catholicis vivunt, planè non esse illicitum Catholicæ personæ cum hæretica tenet Sanch. *d. l. 7. disp. 72. nu. 5.* Azor. *instit. mor. lib. 8. c. 11. qu. 5.* quia illa conjugia inter Catholicos & hæreticos ineuntur instar aliorum contractuum ob communem pacem & tranquillitatem, dummodo Catholicæ liberè permittatur, & absque perversionis periculo in fide; quod periculum, quia ordinariè subest, difficulter excusandi sunt parentes, qui aliquando nulla necessitate cogente propter respectum aliquem merè temporalem v. gr. honores, aut divitias liberos suos cum hæreticis conjungunt. † Pacta ve-
3 rò, ut quidam ex liberis nascituris in fide Catholica, quidam in hæretica educentur, prorsus impia & contra jus divinum pugnantia meritò asserit Sanch. *d. l.* Nav. *Consil. 1. de Constit. nu. 6.*

Quòd si duo infideles inter se contraxerint matrimonium,
4 id jure naturali validum erit, & propterea, si ambo ad fidem convertantur, ab invicem separari nec possunt nec debent, tametsi fortè cum aliquo impedimento dirimenti jure tantùm humano Pontificio introducto v. g. in 2. & 3. consanguinitatis gradu lineæ collateralis contraxerint, quia eo tempore, quo contraxerunt, non ligabantur jure Pontificio, utpote qui per baptismum nunquam in Ecclesiam ingressi, ejusque subditi effecti sunt: post conversionem autem talia impedimenta censentur primùm supervenire matrimonio & ideò illud non dirimunt, sicut si inter Catholicos post contractum matrimonium aliqua affinitas ex parte uxoris induceretur, ut quia ipsius soror à marito cognita esset, *c. gaudemus*, 8. *de Divort.*

Si verò aliquis in infidelitate plures uxores habuerit, primam, cum qua contraxit, retinere debebit, quia cum illa sola verum fuit matrimonium, non obstante, quòd fortassis eam ante conversionem repudiaverit, cùm talis repudiatio, quantum ad dissolutionem vinculi matrimonialis non valuerit, *d. cap. gaudemus*, *vers. quia verò*. Dico autem, si ambo convertantur, nam si unus tantum conversus fuerit, nondum erit Sacramentum, quia matrimonium in utroque conjuge est unum numero Sacramentum, sicut est unum numero matrimonium, ergò si in uno non est Sacramentum, nec erit in altero, Sanch. *de matr. lib. 2. disp. 8. & 9.*

5 Matrimonium infidelium quamvis consummatum potest dissolvi, ex speciali privilegio Christi in fidei favorem dato, & per Apostolum Paulum promulgatu, si alter conjux ad fidem convertatur, alter autem in infidelitate pertinax nolit cohabitare, vel saltem non sine contumelia vel blasphemia Creatoris, & quin alterum ad peccatum pertrahat, ita enim inquit Apost. 1. *ad Cor. 7. quòd si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater aut soror hujusmodi*, & idipsum confirmatum est *in cap. quanto de Divort.* Interim non ipso facto dissolvetur matrimonium, quando infidelis declaravit, se nolle cohabitare, sed tunc primum, ubi fidelis ad alias nuptias transierit; quare si ante contractas nuptias infidelis pœnitentia ductus etiam convertatur, à fideli prius converso ad conjugium recipi debet, *d. c. gaudemus in fine de divort.*

Si infidelis nolit quidem converti, velit tamen converso pacificè cohabitare, is à converso admittendus est. *Cæteris autem*, inquit Apost. *d. l. dico ego, non dominus, si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Sed quia per hæc verba insinuare videtur Apostolus, non esse præceptum Christi, ut fidelis cohabitet infideli, ideò non pauci sunt, qui putent, Apostolum ibidem tantum *consilium* tradidisse, & absolutè loquendo matrimonium dissolvi posse, si alter conjux nolit converti, licèt velit pacificè cohabitare, imò etiam ipsam cohabitationem tantùm in primitiva Ecclesia, ubi in dies multi convertebantur ad fidem, propter spem conversionis permissam fuisse docent, hodie verò, ubi refrigescente charitate magis periculum perversionis est, dictam cohabitationem non amplius admitti. Quo faciunt text. *in c. 8. & 10. caus. 28. q. 1.* Verùm, cùm utraque sententia multis DD. auctoritatibus, & rationibus stabiliatur, apud Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 74. nu. 8. & 9.* Ego puto in hac controversia plurimum esse tribuendum arbitrio Episcopi, ita ut si ex cohabitatione fidelis cum infideli speretur conversio infidelis, Episcopus admittendo cohabitationem sequatur priorem sententiam, posteriorem autem tunc si ex dicta cohabitatione (ut communiter inter Judæos propter pertinaciam eorum & inconstantiam, in fide accidere solet) rationabiliter timeatur, fore periculum perversionis.

Quæ autem hactenus de infidelibus diximus intelligenda 6
sunt de iis, qui nunquam baptismum susceperunt, non verò de Apostatis, qui per baptismum in Ecclesiam ingressi, ejusque subditi effecti, posteà verò ad infidelitatem defecerunt, horum enim matrimonia cùm semel fuerint Sacramentum, & baptismus imprimat characterem in anima, qui per abnegationem fidei deleri non potest, ideò sunt & manent semper quoad vinculum indissolubilia. Dico quoad vinculum, nam quoad cohabitationem, tanquam propter adulterium spirituale dissolvi posse inferius de separ. matrim. dicetur.

SECTIO VII.

De Vi.

SUMMARIA.

1 *Differentia inter vim & metum.*
2 *Metus invalidat contractum matrimonialem.*
3 *Qui dicatur justus metus.*
4 *Metus reverentialis an sit justus.*
5 *Metus non incussus ad eliciendam obligationem, vel propria culpa causatus non est justus.*

QUamvis *Vis* & *Metus* in propriis terminis differant, eo 1
quòd *vis* sit corporalis coactio de præsenti alicui illata, *metus* autem dicatur, mentis trepidatio instantis vel futuri periculi causa, quia tamen utrobique tollitur libertas consensus, ideò quod in contractibus de *vi* dicitur, de *metu* quoque cæteris paribus sentiendum est, *L. 1. & seqq. ff. quod metus causa.*

Porrò ex communi sententia gesta ex metu regulariter ipso 2
jure valent, sed tantùm per sententiam judicis rescinduntur, habent enim causam obligationis, scilicet consensum, cùm etiam voluntas coacta sit voluntas, *L. si mulier*, 21. §. *penult. ff. quod metus causa.* Attamen communis etiam est sententia, hanc juris subtilitatem non attendi in spiritualibus, in quibus metu gesta ipso jure nulla sunt, præsertim in matrimonio, electionibus, & votis, ad quorum substantiam non qualiscumque voluntas sufficit, sed omninò *libera* requiritur; specialiter verò circa matrimonium pulchram rationem assignat Panormit. *in cap. cum locum 14. de sponsal. num. 7.* nimirum, quod metus, præterquam quòd non significet omninò voluntariam conjunctionem Christi cum Ecclesia (quam Sacramentum matrimonii denotat.) adversetur etiam *bonis* matrimonii, ut *bono prolis*, cùm propter displicentiam coactus non intendat procreationi, & *bono fidei*; cùm propter invitas

invitas nuptias conjuges facilè labantur in adulterium. Sed ut metus faciat impedimentum, debet esse justus, & ad eliciendam promissionem incussus.

3 Dico I. *metum* debere esse *justum*, qui scilicet in virum constantem cadat, *cap. ad audientiam*, 4. *de his quæ vi metusve*, & *c.* 6. *C. eod.* cujus metus plura passim in jure enumerantur exempla, ut carceris, servitutis, verberum, mortis, &c. *l.* 3. & 4. *l. qui in carc. rem*, 22. *ff. d. t.* Licèt autem jura loquantur de metu in virum cadente, nihilominus conditio personarum attendenda erit, ita ut levior metus in fœmina, quam viro sufficiat, & ideò ex parte mulieris requiritur metus, qui cadat in constantem mulierem, teste Panorm. *in d. c. cum locum n.* 6. & notabilem doctrinam ponit Barbos. *in collect. ad c. sacris. De his quæ vi*, &c. *vers. pro resolutione*, quòd ille dicatur justus metus, per quem aliquis eligit minus malum ad vitandum majus. Deinde nomine justi metus is intelligitur, qui contra bonos mores irrogatur, non quem Judex pro sua jurisdictione facit *l.* 3. § 1. *ff. quod metus causa*, unde sine dubio valebit matrimonium, tametsi Judex Ecclesiasticus sponsum per arrestationem aut Censuras ad contrahendum matrimonium cum sponsa ad sponsæ instantiam compellat.

4 Celebris est quæstio, an *metus reverentialis* sit *justus metus*, an valeat matrimonium si liberi aut subditi propterea contraxerunt, quia ob reverentiam parentum vel dominorum non sunt ausi contradicere? Quòd talis metus justus non sit, videtur evinci posse ex *L. ad invidiam*, *C. quod metus causa l. fidejussor.* 26 § 1. *De pignor*, *l. si Patre* 22. *De ritu nupt.* in quibus locis satis declaratur, quòd sola *reverentia* pro justo metu allegari nequeat. Econtrario æquè fortiter pugnat *l. penult. ff. De furtis*, & *l.* 1. §. *in summa*, 6. *ff. quarum rerum actio non datur*. Ubi *metus* & *nimia reverentia* æquiparantur. In hac quæstione omissis aliorum sententiis breviter statuo, quòd *reverentia* superiori debita non indistinctè pro justo metu allegari possit, alias nullus foret locus efficaci contractui inter Dominum & subditum, vel in præsentia parentum, si prætensione *reverentiæ* quælibet cavillatio concederetur, quo sensu accipiendæ erunt leges primitùs allegatæ. Sin autem præter *reverentiam* alia insuper adminicula concurrant, ex quibus colligi possit, aliquem reverà fuisse invitum, ut inæqualitas contrahentium, periculosæ minæ, importunæ persuasiones, & ut verbo dicam, si modesta contradictio nihil juvisset, tunc metus *reverentialis* etiam pro *justo* metu habendus erit, *v. d. Rota apud Farinac. in decis. crim. & cost. decis.* 242 *Cov. de matr p.* 2. *c.* 3. §. 6 *n.* 4. *Facbin.* 2 *controv. c.* 96 *Gutter. de matr. c.* 44. *n.* 31.

5 Dico II. metum debere esse ad eliciendam obligationem seu promissionem incussum, quare valebit matrimonium, si propter delictum in carcerem conjectus, ad favorem Judicis & sui liberationem impetrandam cum ejusdem filia contrahat, vel si puella in periculo latronum vel naufragii constituta alicui ad se liberandum promittat matrimonium. *Arg. l. metum*, 9 §. 1. *ff. quod metus causa*. Illud etiam matrimonium valere probabile est, quod contractum est ab eo, quem Pater in delicto cum filia deprehendit, eique minitatus est mortem vel accusationem, nisi filiam duxerit, nam metus, in quem quis se propria culpa conjecit, maximè si in compensationem damni illati exigat matrimonium, sicut in defloratione *juxt. c.* 1. & 2. *De adult. & stupro*, non est satis justus ad matrimonium irritandum, *Gutter. de matrim. c.* 76. *n.* 49.

Prætereà ex nova constitutione Concilii Trid. *Sess.* 24. *de reform. matrim. c.* 6. inter raptorem & raptam, quamdiu hæc in potestate raptoris manet, matrimonium consistere non possit, supra §. 4. *de raptu sub num* 16. diximus, ubi plura de raptu.

S E C T I O VIII.

De Ordine.

S U M M A R I A.

1 *Ordines sacri diriment matrimonium.*
2 *Quæ pœna sit contrahentium in ordinibus sacris.*
3 *Matrimonium non dissolvitur per susceptionem Ordinum, sicut per ingressum monasterii. Et ordinatus efficitur irregularis.*
4 *In minoribus ordinibus validè contrahitur matrimonium.*
5 *In minoribus contrahens est ipso jure privatus suis beneficiis; fallit tamen si tantùm sponsalia de futuro contraxit.*

1 Clerici in *majoribus ordinibus* constituti matrimonium contrahere nullatenùs, possunt propter votum castitatis, quod Sacris ordinibus annexum est, & in quod suscipiendo Sacrum ordinem ipso facto consentire censentur, quamvis aliis verbis non exprimant, *c. un. De voto in* 6. Si de facto contrahere præsumpserint ad dimittendas mulieres, &
2 agendam pœnitentiam per suspensionis & excommunicationis censuram compellendi sunt *c.* 1. *De cler. conjug.* imò *ex clem. un. de consang. & affin.* Ipso facto excommunicationem incurrunt, fiuntque irregulares, ita ut nec in susceptis ordinibus ministrare, nec ad altiores valeant promoveri: in qua tamen irregularitate post peractam pœnitentiam dispensatio Episcopo concessum est, dummodo cum vidua non contraxerint, *c.* 1. & 2. *Qui clerici vel vov.* & *c.* 4. *De cler. conjug. c. fin. De bigam. non ord.*

3 Quid autem Juris, si post contractum matrimonium aliquis laicus suscipiat Sacros Ordines, anne tali casu dissolvetur matrimonium, sicut superius *sect.* 3. *num.* 2. de ingressu in Religionem dictum? De hac quæstione extat constitutio *in Extravag. un. Joan. XII De voto*, quòd votum solemnizatum per susceptionem Sacri Ordinis dirimat quidem matrimonium post contrahendum, non autem matrimonium antea contractum, etiamsi id per carnis copulam consummatum non sit, eò quòd nec jure divino, nec per sacros canones reperiatur hoc statutum. Præcipit item S. Pont. ut, si aliquis de facto post contractum matrimonium Ordinatus fuerit, id tamen necdum consummaverit, per Ordinarium instanter moneatur & inducatur, ut Religionem ingrediatur, quòd si forsan renuerit adimplere, ipsum, si uxor ejus institerit, per censuram Ecclesiasticam compellat contractum matrimonium consummare. Cæterùm post contractum Matrimonium Ordinatus efficitur irregularis & manet talis etiam soluto matrimonio, si tamen Religionem approbatam ingressus fuerit, & professionem tacitam vel expressam fecerit, poterit eum ipso Episcopus dispensare, *d. Extravag. un.* Sed quare potius Sacri Canones statuerunt, ut per ingressum in Religionem dissolveretur matrimonium ratum, quam per susceptionem sacrorum ordinum? R. illam (præter alias, quas refert gl. *in d. Extrav. un. in v. est censendum*) posse congruentiæ rationem assignari, quòd ingrediens Religionem censeatur spiritualiter mundo mortuus, *cap. placuit* 8. *ubi gl. in v. mortuus*, 6. *qu.* 1. & ab omni consortio prioris sponsæ in perpetuum separatus: econtra qui tantum Sacros ordines suscipiens in sæculo remanet multis occasionibus & tentationibus expositus sit, ad relictam sponsam mutata voluntate & reconcepto pristino amore revertendi.

4 Clerici in *minoribus ordinibus* constituti matrimonium quidem contrahere possunt, sed si contrahant, omnibus beneficiis Ecclesiasticis privantur, qui simul voluptatibus & carnalibus desideriis, ac divinis & Ecclesiasticis obsequiis vacare non valent, ait Pont. *in c.* 3 *De cler. Conjug.* & quod hæc privatio *ipso Jure* inducatur etiam ante sententiam Judicis, nec post contractum matrimonium tuta conscientia clericus contrahens possit amplius percipere fructus sui beneficii, innumeris pene authoritatibus probat Barb *in Collect. ad c.* 1. *De cler. conjug. n.* 2. cui non resistit, quòd pœnæ in conscientia ante sententiam Judicis saltem declaratoriam locum non habeant; nam responderi potest, quod supradicta privatio non proveniat propriè ex pœna sed magis ex *incompatibilitate* bene-
5 ficii cũ statu matrimoniali, & ita ex interpretativa renunciatione beneficii à Clerico per contractũ matrimonii facta †Est autẽ hic notandum, quod de privatione beneficii dicitur, esse intelligendum si ipsum matrimonium actu contractum sit; si verò sponsalia tantùm de futuro Clericus in minoribus contraxit, necdum suo beneficio renunciasse censebitur, quia necdum statum incompatibilem actu suscepit, *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disp.* 46 *n.* 23.

S E C T I O IX.

De Ligamine.

S U M M A R I A.

1 *Polygamia damnata in fide Orthodoxa.*
2 *Cur & quomodo in veteri Testamento plures uxores concessæ?*
3 *Secundæ nuptiæ non admittuntur, nisi soluto primis per mortem aut dispensationem.*
4 *Quid si quis vivente prima uxore superinduxerit alteram?*
5 *Quæ probationes requirantur ad probandam mortem alterius conjugis.*
6 *Quando uti liceat matrimonio secundo, si dubitetur de morte primi conjugis?*

1 DE fide Christiana credimus damnatam esse *polygamiam*, nec uni viro licet habere simul & semel plures uxores, vel uni mulieri plures viros, ut definit Tridentin. *sess. 24. de reform. matr. can. 2.* & constat ex Evangelio *Matth. 19.* ubi Christus dicit adulterium committi, si quis una uxore dimissa, aliam ducit, & revocat matrimonium ad primam institutionem, ubi Deus unum virum & unam fœminam creavit: adversatur enim polygamia fini saltem secundario matrimonij; quia impeditur cohabitatio matrimonialis pacifica, & si maritus erga unam uxorem magis affectus esset, quàm erga alteram, periclitaretur alterius castitas, & ita matrimonium respectu hujus uxoris minus à marito dilectæ non esset remedium, sed potius periculum peccati, unde cum hoc impedimentum ligaminis Juris divini & naturalis sit, nulla consuetudine vel dispensatione humana tolli potest, *vid. inf. sect. 13. sub num. 4.*

2 Quod verò in veteri Testamento Patriarchis & Judæis licuerit simul & semel habere plures uxores, dicendum est, Deum matrimonij & naturæ auctorem, in lege, quam ipse posuit, ad gentis suæ electæ multiplicationem dispensavisse, eamque dispensationem postea a generis humani Reparatore revocatam esse, argumento *c. gaudemus de Divort.*

Id autem nunquam licuit, ut una mulier simul, & semel haberet plures viros, quia talis cohabitatio impediret etiam finem primarium matrimonij, cùm ex sententia medicorum rarò aut nunquam inde sequi soleat prolis generatio, & deinde omnia jura pro patre, & filio lata confunderentur, quia incertus pater esset.

3 Porrò ut hodie liceat inter Christianos ad secundas nuptias transire, debet prius matrimonium quoad vinculum fuisse dissolutum; & siquidem fuerit matrimonium *ratum* per dispensationem Pontificiam, aut ingressum in religionem, si autem consummatum, per mortem alterius conjugis.

4 Quòd si quis de facto contraxerit matrimonium vivente prima uxore, distinguendum erit, an mulier scivérit, virum legitimam habere uxorem, vel an ignoraverit, si scivit ab initio, vel ex post facto, & insuper passa est se cognosci ab eo (secus, si cognita nunquam fuisset,) tunc etiam post mortem primæ propter adulterium, & fidem datam est impedimentum dirimens inter ipsas, si ignoravit secunda uxor vitam prioris toto tempore ante mortem ejus, tunc in potestate quidem secundæ uxoris deceptæ est, separari à viro putativo, eo quod matrimonium mortua prima uxore non confirmetur, cùm consensus in matrimonium propter impedimentum fuerit illegitimus, vir tamen si mala fide egit, ratione promissionis & deceptionis compelli potest ad contrahendum de novo cum decepta, de quibus omnibus videatur text. & Gloss. *in c. 1. c. veniens, & c. fin De eo qui duxit.*

5 *Quæres.* Si alter conjux dicatur mortuus in remotis locis, quales probationes ad demonstrandam mortem ejus requirantur? Resp. Licet de jure civili uxoribus dubitantibus de morte mariti concedatur licentia ad alias nuptias transeundi, si maritus ultra spatium 5 annorum absuerit, ut apertè constat ex *L. uxoris, 9. ff. de divort.* Aliud tamen de Jure Canonico constitutum est, ut scilicet post quantumcunque temporis absentiam non aliter permittatur conjux præsens ad secundas nuptias transire, quàm si certum nuntium de morte absentis acceperit, text. *cap. in præsentia 19. de sponsal* neque nomine *certi nuncij* intelligendus est unus testis, aut fama de morte conjugis, ut quidam volunt apud Barb. *in cod. c. 19 n. 3.* sed illud verbum *nuntium* accipiendum est in *neutro* genere, ut significet certam probationem & denuntiationem, cui in judicio fides adhiberi possit. Cùm enim per transitum ad secundas nuptias possit conjugi absenti & forsan adhuc viventi grave præjudicium fieri, non est æquum, ut hic transitus concedatur, nisi plena probatio de morte proferatur: Interim tamen quia ex parte præsentis potest esse periculum incontinentiæ, aliæque justæ causæ, ex quibus ad secundas nuptias urgeatur, & alias noti juris est, quòd ob difficultatem probationes imperfectæ admittantur per text. & DD. *in leg. non omnes, §. a barbaris, ff. de re militari.* Ideò etiam moralis certitudo de morte conjugis absentis sufficit, cui omnium arbitrio judicis & prudentia viri rationabiliter credi possit, quamvis absolutè infallibilis non sit: unde sufficiet, si cum uno teste fama, aliæve circumstantiæ concurrant, ut quia absentia est diuturna, & absens fuit senio vel morbis confectus, in periculo belli, latronum, naufragij vel pestis constitutus, post diligentem & longam inquisitionem nullibi repertus. Ad majorem tamen cautelam usus judiciorum obtinuit, ut quando rationabile dubium subest de morte prioris conjugis, licentia transeundi ad secundas nuptias à judice Ecclesiastico petatur, qui, si probationes minus perfectæ sint, solet juramentum conjugi, quod vitam alterius conjugis nesciat, nec credat, deferre: Quod si de facto ante certum nuntium secundum matrimonium contractum sit, ejus valor erit in suspenso, usque dum de rei veritate appareat.

Circa usum autem talis matrimonij generalis quæstio movetur à DD. an & quando sit licitus si dubitetur de valore matrimonii? Resp. tres casus esse distinguendos. 1. si utrique conjugi saltem probabiliter constet de impedimento, aut uterque rationabiliter dubitet, usus matrimonij ex neutra parte licitus erit. 2. si unus sciat impedimentum, aut rationabiliter dubitet, sciens nec exigere nec reddere; qui verò dubitat, is ex sua parte debitum quidem exigere non potest, alteri tamen parti in bona fide existenti, & nihil dubitanti, si petat, reddere tenebitur, qua de re inferius in fine hujus cap. circa casum matrimonialem in quæst. 5. plura dicentur. 3. si nec adsit scientia impedimenti, nec rationabile dubium, sed tantùm scrupulus & levis anxietas, ad consilium Episcopi, Parochi, vel Confessarij deponenda erit, & licitus utrinque sequeretur matrimonij usus, sicut hac de re sunt textus valdè notabiles *in c. litteras, de restitut. spoliat. c. 2. de secundis nuptiis, & c. inquisitioni 44. de sentent. excomm.* 6

S E C T I O X.

De Honestate Publica.

S U M M A R I A.

1 *Quid sit publica honestas, & quomodo differat ab affinitate.*

2 *Differentia juris antiqui & hodierni circa honestatem publicam.*

3 *Hoc impedimentum non manet, sponsalibus mutuo consensu dissolutis,*

4 *Manet tamen, si solvantur ex qualibet alia causa.*

5 *Ex matrimonio in forma Tridentini non contracto non oritur hoc impedimentum.*

6 *Quid si quis cum duabus sororibus successivè contrahat sponsalia?*

7 *An & quando hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus conditionatis?*

8 *An consurgat hoc impedimentum ex matrimonio vel sponsalibus à parentibus pro liberis contracto.*

PUblica honestas est aliqua *quasi affinitas* quæ per *per conjunctionem animorum* oritur, tam ex sponsalibus de futuro, quàm præsenti. 1

Differt à *vera affinitate*, quòd hæc non tantùm ex *animorum conjunctione*, sed *corporum & copula carnali* proveniat. Estque hujus publicæ honestatis seu quasi affinitatis effectus, ut impedimentum dirimens matrimonii constituat, ita quidem, ut non tantùm stantibus primis sponsalibus, sed etiam illis dissolutis cum prioris sponsi vel sponsæ consanguineis intra certum gradum constitutis matrimonium nec illicitè nec validè contrahi possit, *c. si quis uxore, cum seq. caus. 27. qu. 2.* Rem totam aliquot quæstionibus expediam.

Quæritur I. An circa hoc impedimentum sit aliqua differentia inter jus antiquum & hodiernum. Resp. olim de jure Decretalium ex unanimi DD. opinione hoc impedimentum diremisse matrimonium usque *ad quartum gradum* inclusivè, & fuisse natum etiam ex sponsalibus nullis & invalidis, dummodò non fuissent nulla ex defectu consensus, v. g. si alter fictè tantùm vel gravi metu adactus, vel errando in persona consensisset, quo casu deficiente consensu deficiebat etiam vera animorum conjunctio in ordine ad matrimonium, & consequenter etiam publica honestas, quæ ex ista conjunctione nascitur, *c. unico de sponsal.* in 6. Hodie verò constituit Trid. *sess. 24. de reform. matrim. c. 3.* ut publicæ honestatis impedimentum primum gradum non excedat, & si sponsalia quacunque ratione valida non fuerint, nullum oriatur impedimentum, 2

Verùm quia Conc. in terminis valdè generalibus loquitur, & aliàs appellatione sponsalium non veniat matrimonium, & sponsalia de præsenti, ideò Pius V. in sua Bulla *ad Romanum* declaravit, hanc correctionem Trid. tantùm procedere in sponsalibus *de futuro*, non autem *de præsenti*, in quibus adhuc hodie antiqua jura observari debent. Cùm enim sponsalia de præsenti, sive matrimonium *ratum* publicè in Ecclesia, *consummatio* autem occultè fiat, & plerumque impedimenta matrimonij occulta sint, scandalosum foret, si quis defunctæ uxoris (licèt matrimonium reverà consummatum non sit) consanguineam intra quartum gradum duceret,

ceret, quæ communi hominum opinione affinis censetur, *Barb. ad d. l. Trid. n. 7.*

3 *Quæritur II.* An, si sponsalia de futuro mutuo consensu dissolvantur, maneat impedimentum publicæ honestatis? Affirmativè respondet Sanch. *lib. 7. disp. 68 num. 21.* Verùm cùm in dubio impedimenta matrimonii tanquam odiosa potius restringenda sint, quàm amplianda, argum. *text. in Trid. sess. 24. de refor. matrim. c. 2. in princ.* ideò quidquid per rationes in utramque partem hic disputari possit, S. Congr. Card. declaravit, non manare hoc casu publicam honestatem, prout refert Barb. *de Offic. Episc. par. 3. alleg. 51 num. 288.* Ratio fortè hæc assignari potest, quòd res quælibet eo modo dissolvatur, quo modo colligata est, *L. nil tam naturale, ff. de reg. jur.* Sed publica honestas nata & colligata est ex mutuo partium consensu, ergo mutuo earum dissensu iterum dissolvi poterit.

4 *Quæritur III.* An idem sit, si propter aliam notabilem mutationem supervenientem, v. g. deformitatem, inopiam, fornicationem solvantur sponsalia? Resp. sponsalibus hoc modo dissolutis manere publicam honestatem. Nam publica honestas est impedimentum perpetuum, quod etiam durat dissolutis sponsalibus, si illa sponsalia aliquando fuerunt valida, sed talia sponsalia ex supposito fuerunt valida, & tantùm ex post facto dissensu unius dissoluta ob supervenientem mutationem, ergò &c. Dices, in dissolutione ob fornicationem intervenit dissensus utriusque, nam fornicans frangendo fidem censetur dissentire, & pars altera resiliendo a sponsalibus. Resp. dissensum ex parte fornicantis esse tantùm præsumptum seu interpretativum, potest enim contingere, ut retinuerit affectum erga sponsam lapsus humana fragilitate. Si verò ponantur sponsalia his casibus insuper vero mutuo dissensu dissoluta, idem quod in priori quæst. dicendum erit.

Quæritur IV. An ex matrimonio, quod non est contractum coram parocho proprio, & testibus juxta formam Trid. oriatur publica honestas? Pro affirmativa facit, quod etiam hodiè stante declaratione Pii V. publica honestas oriatur ex matrimonio qualitercumque nullo, dummodo non sit nullitas ex defectu consensus.

5 Nihilominus negativa sententia mihi videtur valdè probabilis, quam etiam docet Sanch. *de matrim. lib. 7. disput. 70. nu. 17.* eo quòd talis contractus ex defectu formæ substantialis non habeat formam aut figuram matrimonii, sicuti si propter aliud impedimentum matrimonium nullum esset, oritur verò publica honestas ex conjunctione animorum non qualicunque, sed illa, quæ fit in forma matrimonii, vel sponsalium, si tamen admittatur matrimonium clandestinum valere in vim sponsalium de futuro, tunc etiam concedendum erit, ex tali matrimonio tanquam ex sponsalibus usque ad primum gradum nasci impedimentum.

6 *Quæritur V.* Quid si aliquis cum duabus sororibus successivè contrahat sponsalia, quamnam in uxorem teneatur habere? Videtur, quod neutram, non primam, quia ex secundis sponsalibus licet invalidis, si de præsenti sint, nascitur impedimentum publicæ honestatis respectu cujusvis sororis, adeòque etiam respectu ejus, cum qua prius contraxit: nec etiam secundam, quia & respectu hujus ex contractu priorum sponsalium ortum est publicæ honestatis impedimentum. Resp. in dicto casu illam esse retinendam, cum qua primitus contractus initus est, secunda verò sponsalia cum altera, quamvis de præsenti fuerint, propter impedimentum publicæ honestatis invalida esse. Atque illud hic notandum, quòd impedimentum publicæ honestatis non operetur retrorsum, ut volgò DD. loquuntur, id est, quòd de secundis sponsalibus de præsenti etiam invalidis oriatur quidem impedimentum respectu aliarum consanguinearum, non tamen in præjudicium illius, cum qua prius sponsalia contracta sunt, *per text. expressum in cap. unico de sponsal. in* 6. Aliud autem dicendum, si quis cum duabus sororibus successivè contraheret sponsalia, & secundam etiam carnaliter cognosceret, tunc enim neutram habere posset, non primam, quia ex copula nata fuisset vera affinitas, quæ etiam dirimit sponsalia præcedentia, *c. ex litt. De eo qui cognovit.* Neque etiam secundam propter impedimentum publicæ honestatis ex primis sponsalibus ortum.

7 *Quæritur VI.* An & qualiter ex sponsalibus conditionatis oriatur publica honestas? Resp. ex sponsalibus sub conditione contractis, v. g. si mille in dotem dederis, si parentes consenserint &c. regulariter pendente conditione non oriri publicam honestatem, proinde, si sponsa ante eventum conditionis moriatur, soror vel alia ex consanguineis licitè, & validè in uxorem duci poterit, *d. c. un. de sponsal. in* 6. Imò si si quis juxta casum in priori quæstione positum cum duabus sororibus successivè contraxerit, cum prima de futuro, & sub conditione, cum altera de præsenti & purè, quamvis hoc licitè, & sine peccato non fecerit, cùm debuisset eventum conditionis expectare, nihilominus hanc secundam retinere tenebitur, quia enim ex primis sponsalibus conditionatis orta non fuerit publica honestas respectu alterius sororis, ideò sponsalia de præsenti seu matrimonium cum ea contractum fuit validum, & dissolvit priora sponsalia de futuro, *c. sicut 22. de sponsal.* Notanter autem dico, pendente conditione non oriri impedimentum publicæ honestatis, nam si apposita conditio jam extiterit, & v. g. parentes consenserint, mille in dotem numerati fuerint, sponsalia erunt purificata, & perinde censebuntur, ac si nullam ab initio habuissent conditionem. Præterea, si conditio etiam sit præsentis, vel præteriti temporis, ut si sis nobilis, si sis artifex, &c. tunc quia talis conditio statim ab initio non suspendit ipsam obligationem, sed jam tunc vel subest, vel non subest, & ita contracta sponsalia sunt valida vel invalida, ita etiam statim ab initio oritur vel non oritur publica honestas. Unde quamvis fortasse sponsa moriatur antequam de conditione apposita constet, an sit nobilis, si tamen reverà fuerit, ejus soror validè in uxorem duci non poterit, nec attenditur, quòd primùm ex post facto illa conditio declarata fuerit. f

Quæritur VII. An oriatur impedimentum publicæ honestatis, si parentes vel alii nomine liberorum contrahant sponsalia? Resp. hanc etiam conditionem pendere ab ea, an & quando talia sponsalia, quæ parentes pro liberis contrahunt, valida sint, vel non, quam quæstionem tractavimus fusè *supra §. 3. c. 5.* g

SECTIO XI.

De Impedimento Affinitatis.

SUMMARIA.

1 *Quid sit affinitas, & quomodo contrahatur?*
2 *Vir & uxor sunt principium affinitatis, non verò affines.*
3 *Quomodo affinitas habet gradus?*
4 *Regulæ affinitatis traduntur.*
5 *Inter quos contrahatur affinitas.*
6 *Triplex affinitas de jure antiquo.*
7 *Copula perfecta constituit impedimentum affinitatis.*
8 *Etiam ex copula illicita nascitur affinitas.*
9 *Differentia affinitatis ortæ ex copula licita & illicita.*
10 *Restrictio Trid. in impedimento affinitatis non extenditur ad consanguinitatem.*

Affinitas est propinquitas personarum ex copula carnali proveniens de se non involvens consanguinitatem. 1 Clarissimè hanc definitionem & nominis etymologiam explicat Juris C. in *L. non facilè, §. 3. ff. de gradibus affin. Affines*, inquit, *sunt viri & uxoris cognati, dicti ab eo, quòd duas cognationes, quæ diversæ sunt inter se, per nuptias copulentur, & altera ad alterius fines accedat.* Ratio autem fundamentalis hujus propinquitatis est, quòd vir & uxor per copulam efficiantur una caro, Gen. 2 adeòque sanguis unius dicatur alterius sanguinem tangere, & consanguinei unius trahantur ad cognationem alterius, unde affines, seu quasi confines, & propinqui appellantur. Porrò circa hoc affinitatis impedimentum.

Not. I. Virum & uxorem non esse inter se propriè affines, 2 sed principium affinitatis, & quasi stipitem, ex quo affinitatis gradus numerentur, & distinguantur.

Not. II. Licèt in dicta *L. §. 5.* dicatur, affinitatem gradus 3 non habere, id tamen intelligendum est, quòd non habeat gradus sicut consanguinitas, quæ fit per diversas generationes, & affinitas etiam ex una copula contrahatur ad omnes consanguineos alterius partis. De cætero autem sicut unus ex consanguineis propinquior est altero, ita etiam inter eos respectu affinitatis diversos gradus constituere necesse est, & utique magis propinqua affinitate mihi conjungitur soror uxoris meæ, quàm illius sororis filius, aut nepos. Atque hoc intellectu non tantùm cognatis, sed & affinibus suos gradus esse probatur *ex l. Jurisconf. 10. ff. jam dicto tit. de gradib.*

Not. III. computationem graduum in affinitate desumi ex 4 regulis hoc capit. §. 5. *Sect. 4. v. 22.* traditis, nam circa affinitatem una est generalis regula; *quòd aliquis eo gradu sit affinis alteri conjugi, quo gradu est alteri consanguineus.* v. g. soror uxoris est uxori in primo gradu consanguinea, consequenter, & mihi in primo gradu affinis, & sic de reliquis consanguineis dicendum erit. Præterea sicut in consanguinitate alii sunt nobis conjuncti in linea ascendenti, alii in descendenti, alii in transversa, ita eædem lineæ etiam in

affinitate observantur, *ascendentes* sunt socer, socrus, vitricus & noverca: *descendentes* gener, nurus, privignus & privigna: *transversales* sunt, reliqui uxoris vel mariti consanguinei, qui specialia nomina non habent, sed simpliciter affines nuncupantur.

5 *Not. IV.* Quamvis omnes consanguinei uxoris sint affines marito, & è contra, inter ipsos tamen consanguineos utriusque partis non contrahi affinitatem, quæ causet impedimentum matrimonii.

Hinc est, quòd fratres ex altera parte possint ducere duas sorores, pater & filius ex altera parte matrem & filiam, ut clare decisum habetur *in cap. quod super, 5. de Consanguin & Affin.*

6 *Not. V.* De jure antiquo triplicem fuisse affinitatem, scilicet *primi, secundi & tertii generis*, & singulas has affinitates obstitisse matrimonio. *Primum genus* affinitatis erat inter virum & consanguineos mulieris. *Secundum* inter virum, & affines mulieris, vel inter uxorem & affines mariti, vel inter unum conjugem, & tertium aliquem, qui cum altero conjuge copulam habuit. *Tertium genus* affinitatis erat inter unum conjugem, & alterius conjugis affines secundi generis, ita in his duobus posterioribus generibus ex affinitate oriebatur affinitas, sicut colligitur ex *cap. 3. & cap. ultim. caus. 35. qu. 3.* Verùm hodie tantum *primum genus* affinitatis attenditur, reliqua verò nullum amplius impedimentum causant, prout constitutum est, in Concil. Lateran. & habetur *in cap. debet 8. De consanguin. & affinit.* Sed quid si in secundo genere affinitatis constituti sint in linea recta, & se habeant per modum parentum & liberorum, v.g. si quis vellet ducere privignam vel novercam suæ uxoris defunctæ. Negant nonnulli inter tales personas consistere posse matrimonium propter textus *in l. uxorem 15. ff. de ritu nuptiarum*. Melius tamen dicitur, quidquid leges civiles vel antiqui Canones circa secundum genus affinitatis disposuerint, totum id per dictum Concil. Later. & *c. non debet* generaliter abrogatum esse.

Notanter autem pono casum de privigna aut noverca uxoris, quæ cùm uxori sint affines, sunt marito in secundo genere affinitatis conjunctæ, vera autem mater & vera filia uxoris, licet ex alio matrimonio habita, esset marito in primo genere affinitatis conjuncta, consequenter in uxorem duci non posset.

7 *Not. VI.* Ad contrahendam affinitatem non sufficere copulam attentatam, sed requiri copulam perfectam & consummatam, ex sua natura aptam ad prolis generationem, quamvis generatio secuta non sit, ut fusè deducit Sanchez *Lib. 7. disp. 6. n. 7. & seqq.* Nec obstat *c. juvenis extra de sponsalibus, & cap. fraternitatis, De eo qui cognovit consanguineam, &c.* ubi etiam ex imperfecta copula dicitur sequi impedimentum, quia ista capitula intelliguntur de impedimento publicæ honestatis, quod non ex copula, sed ex contractu sponsalitio nascitur, ut præcedenti Sect. declaratum est.

8 *Not. VII.* Non tantùm ex copula licita sive matrimoniali, sed etiam illicita nasci impedimentum affinitatis inter virum & consanguineos fœminæ.

9 *Not.* tamen *VIII.* Inter affinitatem ortam ex copula licita & illicita hanc esse in effectu differentiam, quòd impedimentum ortum ex copula *licita* dirimat matrimonium usque *ad quartum gradum* inclusivè, orta verò ex copula *illicita* hodie per Trid. *sess. 24. de reform. matrim. cap. 4.* tantùm ad *secundum gradum* restricta sit; quod vel ideò necesse fuit statuere, ne matrimonia essent periculo nullitatis exposita, cùm affinitas ex fornicatione sit plerumque occulta & frequens.

10 An autem hæc restrictio Trid. etiam procedat in *consanguinitate* orta ex copula *illicita* dubitari potest, eò quòd consanguinitas, & affinitas quoad prohibitionem matrimonii æquiparentur, atque favorabile sit pro libertate matrimonii respondere, & ejus impedimenta minuere. Probabilius tamen videtur circa consanguinitatem nihil immutatum esse, si enim id voluisset Tridentinum, utique eadem facilitate sicut de affinitate expressisset, aliunde autem notum est, correctionem jurium sine textu aperto non esse admittendam, *cap. cùm expediat de electione in 6. L. præcipimus, 32. §. ult. Cod. de appellationibus.* Nec verum est, quòd consanguinitas, & affinitas in omnibus purificentur, cum major sit conjunctio ex consanguinitate, quam affinitate. Item frequentius ex copula illicita oritur affinitas, quàm consanguinitas, ut potius illa quàm ista periculosa sit matrimonio, & consequenter ad pauciores gradus coarctanda.

Præterea etiam in dubium fortè non nemo vocabit, an in tertio, & quarto gradu affinitatis ortæ ex copula *illicita* non tantùm validè, sed etiam licitè & sine peccato matrimonium contrahatur, ex ea dubitandi ratione, quòd olim ante Trident. nec licuerit, nec valuerit matrimonium in illis gradibus, Trid. autem tantùm disposuerit de validitate contractus, & nihil dixerit de licentia contrahendi, ergò videtur sub dispositione juris antiqui reliquisse, *argum. d. l. præcipimus.* Verùm hoc dubium resolutum est per Bullam Pii V. quæ incipit: Ad Romanum. Ubi expressè declaratur, in prædictis gradibus liberè & licitè posse contrahi matrimonium, sicut refert Navar. *in manual. confess. cap. 22. num. 42.* Illud quoque hic addendum est, quòd, dum Trid. restrinxit affinitatem ortam ex fornicatione, nomen fornicationis acceperit generaliter pro omni concubitu illicito, etiam adulterio, stupro, incestu, &c Teste Sanch. *d. l. Disput. 67.* Postremò etiam dubitatur an ignorans invincibiliter impedimentum affinitatis oriri ex copula illicita validè contrahat matrimonium cum sanguinea intra secundum gradum fœminæ cognitæ conjuncta? Id affirmant nominati DD. apud Dian. *p. 10. tract. 13. ref. 51.* Et Adam Burghaber *cent. 2. sel. cas. conf. cas. 54.* quod hoc impedimentum sit statutum in pœnam delicti, pœna autem non contrahatur ab ignorantibus ex qua ratione etiam aliqui sustinent, nec impedimentum *criminis* contrahi ab ignorantibus. Verùm contrariæ sententiæ receptior est teste Burghaber *d. l.* & De Dicastillo, *tract. 10. de matrim. disp. 19. num. 108.* quia hæc impedimenta non sunt puræ pœnæ, sed inhabilitationes personarum ex aliis justis causis in *affinitate* ob reverentiam naturalem propinquitatis, in *crimine* autem ad tollendum periculum captandæ mortis conjugis innocentis, post matrimonium tamen de facto bona fide contractum, & si impedimentum occultum sit, ad matrimonium etiam contrahendum accedente præsertim justa causa facilius forsan Episcopo dispensatio concederetur juxta doctrinam Emanuel. Sà *v. dispensatio num. 1.* Laym. *de LL. c. 22. n. 4.* & Gerc. *de benef. p. 7. c. 2. n. 10.* quòd Episcopus possit in jure dubio dispensare, aut declarare.

SECTIO XII.

De Impotentia.

SUMMARIA.

1 *Impotentia est impedimentum dirimens matrimonii.*
2 *Quænam requirantur, ut impotentia dirimat matrimonium?*
3 *An sterilitas vel senectus sit impedimentum dirimens?*
4 *An valeat matrimonium in articulo mortis contractum cum concubina?*
5. *An & quomodo Hermaphroditus possit contrahere matrimonium.*
6 *Quomodo probetur, an impotentia sit perpetua vel temporalis?*
7 *Quid juris si dissoluto primo impotentia cesset in secundo matrimonio?*
8 *An separari possint, qui scienter impotentes contraxerunt?*
9 *An impotentia superveniens matrimonio rato illud dirimat?*
10 *Solutio textuum contrariorum cum 2. notabilibus.*

QUamvis nuptias non concubitus sed consensus faciat, ut dicitur *L. nuptias ff. de regulis juris*, quia tamen consensus de mutua corporum traditione esse debet, ideò si hæc 1 conditio vel ex naturali indispositione, aut maleficio sive magica incantatione sit impossibilis, contractus jure naturæ nullus est, & invalidus, sicut venditio, quæ etiam solo consensu contrahitur, nulla censetur, si fiat de re, quæ tradi nequit, aut in commercio hominum non est. Circa istud impedimentum.

Quæritur I. Quænam requirantur, ut impotentia dirimat 2 matrimonium? Resp. Tria principaliter requiri. I. Ut sit impotentia ad copulam perfectam, quæ per se sit apta ad generationem, sicut propterea Sixtus V. in motu proprio *de eunuchorum matrimoniis* prohibuit, & invalida declaravit matrimonia ab Eunuchis utrinque exsectis contrahenda, qui licèt possint uti aliquo congressu, destituuntur tamen vero semine.

II. Requiritur impotentia perpetua, quæ scilicet nec successu temporis nec modo naturali & licito, nec sine corporis periculo tolli valeat, *text. & DD. in c. fraternitatis, de frigidis & malefic.* Hinc licèt contrahentes ob ætatem juvenilem vel infirmitatem aliquot etiam annis ad consummandum matrimonium inhabiles sint, dummodo speretur aliquando cessaturum impedimentum, non debeant ab invicem separari.

III. Requiritur, ut impotentia præcesserit matrimonium, & non primùm ex infirmitate vel alio casu matrimonio jam contracto, supervenerit, obligatio enim ab initio rectè

con-

contracta non dissolvitur, quamvis deveniat ad eum casum, à quo incipera non posser, sicut nac affinitas nec alіud impedimentum matrimonio ex post facto supetvaniens id annullare valet.

3 *Quæritur* II. An sterilitas val senectus sit impedimentum dirimens matrimonium? ℞. Licet Felinus *in cap. cum sit. de foro competenti n.* 15. & Iason *volum.* 1. *consil.* 115. *n.* 1. existiment, non minus sterilitatem, quàm impotentiam dirimere matrimonium, nec essa verà matrimonium, si v. g. fœmina sexagenaria & ad ganeraudum inepta illud contrahat, eò quòd finis matrimonij, scilicet prolis generatio deficiat. atque hinc factum, quod juta antiquo Civili ex Lege Iulia & Papia prohibitum fuerit contrahere matrimonium viris post annum 60. fœminis autem post 50. Contraria tamen sententia totius Ecclesiæ usu recepta, tum quod steriles & senes possint uti naturali copula per accidens tantum inepta ad generandum; Imò aliquando contra spem generant prolam; tum etiam quod matrimonium non tantum propter prolem, sad atiam in remedium concupiscentiæ permissum sit, estu igitur, propter sterilitatem proles obtineri nequeat, adhuc tamen alter finis subsistit, quòd sit infirmitatis ramedium, & humanitatis solatium, ut dicitur *in c. nuptiarum. caus.* 27. *q.* 1. Unde etiam Justinianus Imp. *in L. sancimus* 27. *Cod. de nuptijs.* sustulit dictam legem Juliam, & concessit in quavis ætate matrimonia contrahere, si tamen aliquis senex morbis val ætate ita exhaustus foret, ut nulla arte medica ad actum conjugalem habilis reddi possat, talam incapacam asse matrimonij docent communiter DD. apud Barb. *in c.* 2. *de frigid. & malef. n.* 6.

4 *Quæritur* III. An valeat matrimonium in periculo mortis contractum cum concubina ad legitimandam prolem prius ex ea susceptam; Quòd proles illegitima per subsequens matrimonium cum ejus matre contractum legitima efficiatur, certi juris est *ex L. semper. C. de natural. liberis. & c. tanta qui filij sint legitimi.* uba hæc quæstio explicatur, hia autem tantum controversia est, an valeat matrimonium eo tampore contractum, quo usus ipsius amplius non speratur. Affirmativa tamen sententia concordi DD. calculo recepta est, teste Barb. *in d. c. tanta nu.* 8. & Cuvarr. *de matrim. p.* 2. *c.* 8. †. 2. *n.* 10. partim quia infirmus morti propinquus non semper habet impotentiam perpetuam, sed temporalem hic & nunc per accidens à morbo causatam; partim atiam, quia in tali matrimonio bonum prolis saltem eo respectu subest, quòd proles anteà illegitima, & quasi pro non prole habita jam legitimatur, & quo ad omnes effectus juris vera proles efficiatur, imò Ecclesiæ consuetudinem essa ait Laym. *de matrim. p.* 4. *c.* 11. *n.* 6. quòd morituris interdum suadeatur, ut concubinas, quibus diu adhæserunt, in uxores accipiant, tum ut affectus eorum impudicus saltem ad finam in conjugalam commutetur, tum ut proles legitimetur

5 *Quæritur* IV. An hermaphroditus valeat contrahere matrimonium? ℞. Esse distinguendum, an alterutro sexu, scilicet fœmineo, aut virili magis prævaleat, val an in utroque æqualis sit, quod a inspectione corporis à medicis facienda judicandum erit.

Priori casu poterit matrimonium contrahere juxta prævalentem sexum, altero autem casu dabitur ipsi electio, juxta quem valit matrimonium inita, debebit tamen coram judice Ecclesiastico prius jurare, quòd tantum eo sexu, quem elegit, uti valit, nec eundem sive in hoc sive in aliu matrimonio mutare, sicut post Sylv. Armil. & Summistas communiter in verbo *Hermaphroditus* tradit Sanchez. *de Matr. lib.* 7. *disp.* 106.

6 *Quæritur* V. Qualiter probetur an impotentia sit perpetua vel temporalis? ℞. Hic non attendendum esse, an conjuges ultro confiteantur in judicio, se esse impotentes, ad quòd mutuæ cohabitationis pertæsi facilè colludere possent, & separationem atque licentiam ad aliud matrimonium transeundi impetrare, sed incumbere officio judicis Ecclesiastici, ut si veritas aliunde haberi non possit, inspectionem corporis fieri jubeat, in viro quidem per medicos, in fœmina autem per obstetrices, & honestas matronas. Si igitur post inspectionem appareant signa impotentiæ, ea vel sunt manifesta, quæ daclarant impotentiam perpetuam, vel verisimilia aut dubia, si manifesta signa sint, statim separatio conceditur, esset enim contra naturam permittera copulam imperfectam. Si verisimilia sint signa, & conjuges jam cohabitarint per aliquod tempus, quod verisimilitas etiam sit sufficiens ad probandam potentiam vel impotentiam, tunc divortium quidem concedi potast, ita tamen ut prius à conjugibus juramentum cum septima propinquorum manu vel vicinorum præstetur, hoc ast, ut prius conjugati jurent, se post omnem operam adhibitam non potuisse consummara matrimonium, & simul septem ex cognatis (in istorum defectu septem ex vicinis, vel in tanto numero etiam deficientibus duo saltem testes bonæ famæ & vitæ) jurent se credere, quòd conjugati verum dicant. Ubi advertendum, quòd conjugum juramentum sit de *veritate*, testium verò *de credulitate*, & idipsum juramentum *credulitate* atiam medicis ac fœminis inspicientibus imponi solet. Si denique signa sint dubia, triennium conceditur conjugibus, intra quod matrimonij consummationem tentare possint, eo verò transacto, si nihil affecerint, tunc præstito prædicto juramento ab invicem separantur, & matrimonium fuisse nullum declaratur, atque ita distinguendo inter signa impotentiæ conciliari & explicari poterit *c.* 1. cum *c. laudabilem de frig. & malef.* quæ capitula inter sa divarsa videntur. Si conjuges discordent altera affirmante altero negante, quòd intra triennium perfecta copula intercesserit, nec ex inspectione oculari certum aliquid aut verisimile appareat, potius viro (cum juramento tamen) credendum asse quàm mulieri dicitur *in c. penult. caus.* 33. *q.* 1. & *c.* 1. *de frigid. & malef.* Sed ista principaliter procedunt, si impotentia appareat ex causa naturali, si autem judicetur assa ex maleficio, sive magica incantatione, quamvis signa impotentiæ sint manifesta, nonnunquam ultra triennium (prius spiritualia media adhibita non censeantur) arbitrio judicis differri potest separatio, & intarim injungitur conjugibus, ut exorcismis, orationibus, confessionibus, aliisque pijs operibus studeant à Domino Deo sublationem maleficij impetrare, si autem triennium vel tempus à Judice Ecclesiastico præfixum elapsum sit, nec tamen maleficium cessarit, impotentium conjuges tanquam perpetuò impotentes reputari debebunt, licèt etiam ex post facto maleficium fortè per miraculum aut solutionem ipsius maleficij vel per aliud maleficium contrarium aut superstitiones tolli possit, quia tamen miraculum & maleficij solutio non est in potestate conjugum, maleficium autem alio maleficio vel superstitione tollere apud Christianos illicitum est, ideò nihilominus impotentia perpetua censebitur. *c. ult. caus.* 33. *q.* 1.

Quæritur VI. Quòd si post separationem ex causa impotentiæ concessam & forte jam aliud matrimonium contractum, cesset impotentia, an primum matrimonium redintegrandum, & secundum separandum sit? ℞. Si impotentia sublata sit per miraculum vel artem magicam, aut aliam viam præternaturalem, valere primam separationem, & secundum matrimonium, quia impotentia ex sa verè fuit perpetua ut habetur, *in d. c. ult.* Si verò impotentia cessaverit modo naturali, per usum secundi matrimonij, ita ut verisimilitas atiam in primo sublata fuisset, dummodo conjuges debitam diligentiam adhibuissent, invalida censebitur prima separatio & secundum matrimonium, adeòque primum redintegrandum erit, *tex. & DD. in c. fraternitatis. de frig. & malef.*

Quæritur VII. An si contrahentes jam ante matrimonium sciverint suam impotentiam nihilominus deinde possint separationem petere? Pro negativa adducitur *cap.* 4. *eodem.* ubi juxta summarium videtur decidi, quod scienter contrahentes cum impotentibus non separentur, sed ut ibidem ait Pontifex, *quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores*, proinde tales sciendat contrahentes cum impedimento impotentiæ videntur sibi invicem copulam remisisse, & in effectu non tam ad matrimonium, quam perpetuam vitæ societatem & alia obsequia domestica sese obligasse, sicut putant Innoc. & Panorm. *eodem c.* 4. Verùm longè probabilius puto cum Henr. Zoesio *eodem tit. n.* 5. etiam scienter contrahentes cum impotentia posse ea postfacto ab invicem separari, quia certum est, tale matrimonium propter impossibilem mutuæ corporum traditionis esse invalidum, atque ea eo desponsati ad perpetuam cohabitationem non tenentur. Sed neque ex contractu societatis tenebuntur, tum propter incontinentiæ periculum, tum quod societas etiam in perpetuum contracta dissolvi queat, si subnascantur rixæ & dissensiones, vel alia justa causa suboriatur, *L. si convenerit.* 4. *ff. pro socio.*

Porro ad *c.* 4. *De frig. & malef.* ℞. Quod impotentes contra suam voluntatem & inviti separati non debeant, attamen etiam hic aliqua limitatio ast addenda, quòd scilicet illa voluntaria cohabitatio non aliter permittenda sit, quàm si nullum periculum timeatur, ne inter istos cohabitantes actus imparfecti & illiciti exerceantur, ac propterea ex constitutione Sixti V. *de coniuchiorum matrim.* prohiberi debent, ne in eodem lecto impotentes condormiant.

Quæritur VIII. an impotentia, quæ supervenit post matri-

trimonium ratum necdum tamen consummatam causet nullitatem matrimonij? Negativa sententia passim inter DD. recepta est, paucis dissentientibus apud Sanch. *lib. 7. disp.* 102. Ratio esse potest, quod matrimonium ab initio rectè contractum non dissolvatur, licèt ex postfacto aliquod impedimentum incidat, sicut superius *q.* 1. diximus, sed tale matrimonium fuit ab initio rectè contractum, cùm ex supposito tunc nullum adfuerit impedimentum, ergo &c. Et confirmatur *ex c. hi qui. caus.* 32. *q.* 7. Ubi generaliter deciditur matrimonium propter supervenientem impotentiam non esse dissolvendum. † Textus, si aliqui videantur contrarij ut *in c. quod proposuisti. eod. q. 7. & c. ex litteris. de frig. & malef.* explicandi sunt de impotentia, cujus causa jam erat ante matrimonium. Duo tamen hic adnotanda sunt. 1. quòd cum matrimonium ratum ex dispensatione papali dissolvi possit, talis impotentia ut superveniens sit justa dispensationis causa. 2. quòd in dubio, an impotentia præcesserit matrimonium, vel primùm posteà supervenerit, præsumendum sit præcessisse, sicut valdè probabiliter docet Panorm. *in c. fraternitatis eod. in 6.*

S E C T I O XIII.

De Dispensatione Super Impedimentis.

S U M M A R I A.

1 *Quid abrogatio, irritatio, declaratio, & dispensatio?*
2 *Earum differentia.*
3 *Qualiter & qualia impedimenta tolli possint?*
4 *Quæ impedimenta non admittant dispensationem, & ibi quid de casu Erdfurtiano.*
5 *Ad quotum gradum consanguinitas dirimat matrimonium?*
6 *Ad quotum affinitas?*
7 *Cur jus positivum ad plures gradus impedimentum consanguinitatis & affinitatis extenderit?*
8 *Decem causæ, propter quas dispensatio conceditur.*
9 *Quando dispensatio valeat impetrata per allegationem falsitatis aut suppressionem veritatis.*
10 *Exempla allegatæ falsitatis & suppressæ veritatis.*
11 *Quis præter S. Pontificem super impedimentis dispensare possit?*

1 PRænotandum est, obligationem legis alicujus cessare vel per *irritationem*, vel per *abrogationem*, vel *declarationem*, vel *dispensationem*, quæ omnia inter se differunt. Nam *irritari* dicitur lex, cujus obligatio statim ab initio non admittitur, v. g. si princeps nolit confirmare statuta civium. *Abrogare* legem, est cassare postquam semel obligavit. *Declarare* est interpretari legem ex mente legislatoris de tali casu non loqui, aut in eo aliquam vim obligandi habere. *Dispensatio* est relaxatio legis, ob justam causam in particulari aliquo casu.

2 Unde differt *Dispensatio* primò ab *abrogatione* legis, quòd *abrogatio* tollat totam obligationem legis, in omnibus casibus, in quibus prius valebat, *dispensatio* autem tantum in particulari casu, & circa particulares personas. Item differt à *declaratione*, quòd *declaratio* supponat legem nunquam in tali casu obligasse, *dispensatio* verò supponat obligationem, & tamen ob justam causam hic & nunc relaxet.

3 *Quæritur* ergo I. an omnia impedimenta matrimonij possint tolli sive deinde per abrogationem sive per dispensationem. Ad hanc quæstionem præsciendum est, quædam impedimenta esse à jure naturæ & divino statuta, alia verò jure humano & Pontificio. In impedimentis jure humano introductis nemo dubitat dari, posse dispensationem aut abrogationem, quia is, qui habet potestatem condendi legem, habet utique etiam potestatem abrogandi, & contrarium ponendi, cum lex totam suam auctoritatem ab ipso habeat, nec tamen propterea rectè infertur, quòd lex abrogata fuerit irrationabiliter à Pontificibus lata, nam ℟. Non sequi hoc esse rationabile, ergo contrarium est irrationabile, quia propter rationem circumstantiarum, loci & temporis, item propter imbecillitatem nostri intellectus, qui non potest semper genuinam veritatem prospicere, datur medium inter rationabile & irrationabile, scilicet magis rationabile, optimus reat. *in c. alma mater, de sentent. excomm. in 6.* ubi Pontifex inquit, *Alma mater ecclesia multa rationabiliter ordinat, quæ tamen rationabilius reformat.* In impedimentis jure naturali & divino introductis non desunt, qui doceant, posse summum Pontificem ex urgentissima aliqua causa & de plenitudine suæ potestatis dispensare, quos refert Sanch. *Lib. 8. disput. 6. n.* 8. quorum ratio dicitur à paritate, nimirum quod sicut recta Ecclesiæ gubernatio exigit, ut Episcopus aliquando in lege Pontificia ob necessitatem & difficultatem adeundi Pontificem dispensare possit, ita etiam exigat eadem Ecclesiæ gubernatio, ut Pontifex quandoque dispenset in Lege Dei, qui adiri non potest. Contraria tamen sententia verior videtur & conformior usui Ecclesiæ recepta, quæ hactenus in nullo tali casu dispensavit. Nec valet adducta paritas quia Pontifex tanquam homo non potuit omnes casus prævidere, qui subinde indigeant dispensatione, quod de DEO qui perfectissimè omnia cognoscit, convenienter dici non potest, sicut notavit Barb. *Juris Eccles. univers. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 120. & licet utilitas alicujus Regni procurari posset per dispensationem v. g. inter fratrem & sororem, attamen indecentia naturalis in tali casu, & periculum, ne occasione talis dispensationis inter fratres & sorores frequens peccatum admitteretur, præponderat utilitati etiam alicujus regni, quod Deus, si velit & videat suas leges accuratè custodiri, benè potest aliter, quàm per tale scandalosum matrimonium conservare, ex qua ratione scandali cum pluribus aliis citatis id etiam tenet Sanch. *d. l. nu.* 10. quamvis de cætero putet summo Pontifici non esse semper denegandam potestatem dispensandi in jure divino, si modò detur causa, quæ vincat turpitudinem actus præcepto divino contrarij. 4

Quæritur II. quænam sint impedimenta jure naturali aut divino introducta, quæ abrogationem aut dispensationem non admittant? ℟. Quamvis multa sint impedimenta dirimentia matrimonij, interim tamen aliqua tantum jure naturali aut divino, cætera jure humano dirimunt matrimonium.

I Igitur *jure naturali* dirimitur matrimonium, si desit consensus, prout fit, si error in persona interveniat, aut conditio apposita deficiat, si violentia & metus gravis ad extorquendum consensum adhibeatur, si ratio naturalis deficiat, ut in amentibus. 2. Si quis jam alio matrimonio ligatus sit, de fide Christiana credimus, non posse contrahi matrimonium cum aliâ. Refertur quidem Erdfurdi extare tale monumentum, ubi alicui binæ uxores simul concessæ fuerunt, cùm priorem, quam amissam credebat, contra spem reciperet, & secundam super inductam ob affectionem nollet dimittere. Verum si retentio secundæ non fuit de facto attentata, sed à Papa, ut dicitur, concessa, explicanda hæc res erit *Juxt. c. 4. de frig & malef.* ut secunda non potuerit retineri per modum *uxoris*, *sed sororis*. 3. Si nimis propinqua sit sanguinis conjunctio, &c. 5

Quæritur III. usque ad quotum gradum consanguinitas jure naturali vel divino faciat irritum matrimonium? 6 ℟. Inter ascendentes & descendentes, item inter collaterales primi gradus scilicet fratrem & sororem jure naturæ prohiberi matrimonium excepto casu necessitatis, quo genus humanum aliter conservari non posset, sicut factum est in exordio mundi, & post diluvium. De cætero autem extra istum casum necessitatis omnes gentes liberaliter educatæ à tali conjugio tanquam inhonesto vel turpi abhorrent, eique inter tales personas naturalis pudor ac reverentia, quam tolleret conjugium. In secundo verò gradu lineæ transversæ, quamvis indecens sit matrimonium contrahere, non tamen tale matrimonium est irritum jure naturæ, ita enim Abraham duxit Saram filiam fratris sui teste August. *In c. quæritur caus.* 22 *q* 3. Et Nacor duxit Melcham pariter sui fratris filiam *Genes.* 11. unde in *c. gaudemus de divortiis.* concedit Pontifex, ut pagani, qui in secundo vel tertio gradu contraxerunt matrimonia, si ad fidem convertantur, possint in talibus matrimonijs persistere, quia tempore matrimonij contracti non erant ligati ecclesiasticis statutis, quasi diceret Pontifex, matrimonium in secundo gradu consanguinitatis contractum non tam jure naturæ quàm ecclesiastica constitutione irritum censeri. Item in Trid. *Sess. 24. de reform. matr. c.* 5. dicitur, in *secundo gradu* cum magnis principibus, & ex publica causa dispensari posse. Nec obest, quòd in veteri testamento *Levit.* 18. matrimonium etiam in secundo gradu veluti cum sorore patris fuerit prohibitum, nam illæ leges non erant omnes *morales*, sed quædam *judiciales* aut *ceremoniales* specialiter pro Judæis traditæ, quæ per adventum Christi exspirarunt, *c. unico de Purific. post partum*, prout in Trid. *sess. 24. de Sacram. matrim. can.* 3. anathema dicitur, qui negat Ecclesiam in quibusdam gradibus prohibitis *in Levitico* dispensare posse.

Quæri-

6 *Quæritur IV.* an etiam in affinitate quædam sit juris naturalis vel divini prohibitio? Satis conveniunt DD. quod in linea affinitatis transversa sive collaterali nullus gradus ne quidem primus sit jure naturali adeo prohibitus, ut eo jure irritum faciat matrimonium, ita enim Jacob Patriarcha duxit Liam, & postea sororem ejus Rachaelem *Genes.* 29. Imo *Deuter.* 25. universim præceptum fuit Israelitis, si fratrum unus sine liberis decederet, alter uxorem ejus acciperet, licet interim jure gentium & naturali indecens esse videatur, sine gravi causa cum affinibus intra primum gradum contrahere propter reverentiam, quam aliquis debet fratri cum quo uxor ejus una caro reputatur, juxta illud *Levit.* 18. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est.*

Verùm quid dicendum sit in linea recta affinitatis de matrimonio inter novercam & privignum, socerum & nurum &c. diversæ sunt DD. opiniones. Multi negant, multi affirmant, sicut tradit Sanch. *lib.* 7. *disp.* 66. & Laym. *de matrim. p.* 4. *c.* 6. *n.* 5. In praxi certum est, Ecclesiam non solere inter eos dispensare. Si autem casus contingeret, ut aliqui ad fidem converterentur, qui prius in infidelitate in linea recta affinitatis contraxissent, putarem summum Pontificem esse consulendum, cùm aliàs tale matrimonium sine scandalo vix tolerari posset propter auctoritatem affirmantium, jure naturæ esse irritum, vel separari propter auctoritatem idipsum negantium.

7 *Quæritur V.* Quare jus positivum Ecclesiasticum ultra prohibitionem juris naturalis adhuc alios gradus in consanguinitate & affinitate interdixerit? Resp. id factum esse ex quatuor causis. I. Propter reverentiam, quam ob communicationem sanguinis cognati sibi invicem debent II. Ne, cùm consanguinei & affines plerumque soleant simul esse sub prætextu conjugij frequens, peccatum admittatur. III Ne naturalis amor ex consanguinitate aut affinitate ortus, si addatur amori & licentiæ conjugali nimis faciat effrænem libidinem. Quarta denique causa est politica, ut amicitiæ vinculum non tantùm inter consanguineos constet, sed per viam matrimonij etiam ad alios homines protendatur, & ita confœderatio ac societas inter homines tantò melius conservetur.

Cur autem Ecclesiæ prohibitio præcisè quarto gradu concludatur, & non sit amplior vel restrictior, dicendum est, id propterea factum, quòd usque ad illum gradum plerumque inter homines duret consanguinitatis amicitia, ulterius autem deficiente jam sanguinis virtute raro alter alterum speciali amore tanquam consanguineum vel affinem prosequatur.

8 *Quæritur VI.* Quænam sint causæ, ex quibus concedi soleat dispensatio in gradibus à jure positivo prohibitis. Decem tales causas refert Barb. *ad Trid. sess.* 24. *de reform. matrim. c.* 5. & DD. ibidem cit.

I. Est paupertas supplicantis propter quam suo statui parem maritum habere non potest, quam aliquem ex consanguineis, vel affinibus.

II. Est angustia locorum, si in vicinia (sicut plerumque in locis montanis fit) nullus sit paris conditionis, cum quo nuptiarum spes esse possit, & istæ duæ causæ humaniter suor considerandæ, ut procedant, licèt adsit aliquis, qui velit fœminam ducere, sed ei ob ætatem aut mores valde contraria.

III. Si per matrimonium graves inimicitiæ inter consanguineos vel affines componi possent.

IV. Evitatio magni alicujus scandali vel delicti. V. Si locus ob milites vel piratas non sit securus, atque ad eum extranei accedere non soleant, quæ causa ad angustiam loci referri potest. VI. Conservatio famæ mulieris v. g. quia jam passim dicitur à consanguineo corrupta, & ideò nunquam vel difficilius nuptura est. VII. Quia fœmina 24. annum excedens hactenus virum paris conditionis non invenit. VIII. Est conservatio divitiarum in familia. IX. Est excellentia meritorum in Ecclesiam. X. Proles vel copula habita cum consanguinea, & multò magis, si matrimonium jam defacto contractum sit. Sed circa hanc causam advertendum est, quòd debeat ab initio adfuisse ignorantia consanguinitatis, & in matrimonio debitæ solemnitates fuisse adhibitæ, aliàs qui mala fide, aut sub spe obtinendæ dispensationis peccavit, vel contraxit cum consanguinea, non obtinebit dispensationem juxta *Trid. d. c.* 5.

9 * *Quæritur VII.* An valida sit dispensatio, si quis eam impetrarit allegando causam falsam, vel tacendo veritatem. Hæc quæstio potissimum dependet *ex tit. de rescriptis*, ubi de valore rescriptorum & gratiarum papalium ex instituto tractatur. Interim ad nostram rem breviter dicendum est, falsitatem expressam aut veritatem occultam aliquando esse causam finalem dispensationis, aliquando tantùm impulsivam, causa finalis tunc est, quando ea non existente Papa non dispensasset, vel saltem non eo motivo, quo dispensavit, sed magis restrictè & clausulatè. Itaque si falsitas expressa, vel veritas occultata sit causa finalis dispensationis obtentæ, talis dispensatio nulla erit, nec impetrans tuta conscientia uti poterit, omnia enim rescripta habent hanc tacitam conditionem, si preces veritate nitantur. *c.* 2. *de rescriptis*. Secus autem est, si falsitas expressa vel veritas occultata fuerit tantùm causa impulsiva, tunc enim nihilominus valebit dispensatio.

Dices, hoc ipsum esse planè incertum, quandonam Pontifex dispensaret, si falsitatem ac veritatem cognosceret. ℟. Ex stylo Curiæ Romanæ, vel quando de eo non constat, ex arbitrio prudentis viri desumendum esse, & hodie ferè omnes casus, qui contingere possunt circa impetrationem dispensationis, complexus est Sanch. *de matrim. toto lib.* 8. *præsertim disput.* 21. *& seqq.* Cujus sententiæ licèt non sint infallibiles, nisi quatenus textu expresso nituntur, potest tamen vir prudens ex ejusdem rationibus & authoritatibus, quas allegat, suum judicium formare. † Ut autem ex innumeris tantùm aliquos magis 10
quotidiana referamus. I. Non erit valida dispensatio, si una tantum causa in rescripto allegata sit, & ea falsa fuerit, quia licèt Pontifex possit sine causa dispensare, id tamen in dubio non præsumitur facere, nisi ex causa expressa. II. Si non exprimitur, quòd copula intervenerit scienter cum consanguinea maximè spe dispensationis impetrandæ. III. Si impedimentum exprimitur sub dubio, quod erat certum, v. g. si dicat, se dubitare, an votum castitatis emiserit, & tantùm ad conscientiæ tranquillitatem petere dispensationem, quia qui dispensat in impedimento dubio, non statim dispensat in impedimento certo, vel saltem non eodem modo, nam dubium votum castitatis per dispensationem tollitur absolutè, certum autem regulariter tantum ad unum matrimonium, quo finito rursus obligat. IV. Si impedimentum affinitatis ponatur pro consanguinitate, vel è contra, dispensatio enim est strictæ interpretationis, & non extenditur ultra expressa. V. Si quis dicat, se in gradu remotiori e. g. in quarto, cùm sit in tertio. Aliud autem est, si quis, cùm sit in quarto, dicat se in tertio, quia tunc Pontifex dispensando in tertio censetur etiam dispensasse in quarto.

De eo olim inter DD. fuit magna controversia, an in linea collaterali inæquali sit necesse non tantum gradum remotiorem, sed etiam proximum exprimere, v. g. dicendo, quòd una persona sit stipiti in secundo, altera in tertio conjuncta, eo quòd major videatur conjunctio si alterutra ex consanguineis ita propiùs ad stipitem accedat. Sed Pius V. anno 1566. in motu proprio, qui incipit: *Sanctissimus*, decidit, valere dispensationem absque dicta expressione gradus propinquioris, ita tamen ut ex postfacto litteræ declaratoriæ desuper impetrentur, in quibus Pontifex declaret, priorem dispensationem valere, eas autem declaratorias tantum ad tollendum scandalum requisitas non desiderari, si nullum ex tali dispensatione scandalum oriretur. ut quia res ad forum externum delata non est, & homines ignorant, an supplicantes omnia expressarint, docet Sanch. *d. l. disp.* 24. *n.* 31.

Quæritur demum, an præter Pontificem in impedimentis nemo dispensare possit? ℟. Cum inferior in lege superioris nihil immutare possit, *Clement. Ne Romani in princip. de electione.* ideò regulariter & in ordine ad matrimonium contrahendum nec Episcopus nec etiam Legatus quivis Sedis Apostolicæ in impedimentis dirimentibus matrimonij dispensare potest, nisi speciale privilegium à summo Pontifice habeat. Dico autem regulariter & in ordine ad matrimonium contrahendum, nam communis & notabilis est exceptio, quòd Episcopus dispensare valeat istis concurrentibus. I. Quòd matrimonium jam publicè & præmissis denuntiationibus contractum sit. II. Quòd sit contractum bona fide, id est absque scientia impedimenti juxta Trid. *sess.* 24. *c.* 5. sufficit tamen si unus ex conjugibus in bona fide fuerit III. Quod propter paupertatem & incontinentiæ periculum difficilis ad summum Pontificem vel alium ex privilegio jus dispensandi habentem accessus detur. IV. Quod impedimentum sit tale, in quo soleat concedi dispensatio, adeòque non in primo aut secundo gradu

con-

consanguinitatis. In affinitate autem ex copula illicita (puta si quis ducit eam, cum cujus sorore vel consanguinea prius peccavit) ipse scit in primo & secundo gradu contracto jam matrimonio dispensationem ab Episcopo datam esse. V. Denique quòd impedimentum sit occultum; dicitur autem occultum, etsi unus vel alter sciat, non tamen in loco divulgatum sit. Videatur Sanch. *lib.* 2. *disp.* 40. Hoc insuper advertari potest, quòd si dubitetur an sit impedimentum inter contrahentes, possit Episcopus declarare nullum esse impedimentum, aut etiam ad cautelam dispensare, sicut docet Garcias *de beneficiis. p. 9. cap.* 2. *n.* 10. & Laym. *in Theol. moral. de legibus, c.* 22. *n.* 4.

§. VI.

De Sollennitate Matrimonii.

S U M M A R I A.

1 *Duplex solemnitas matrimonij.*
2 *Quotuplex solemnitas extrinseca?*
3 *Pœna Sacerdotis omittentis denuntiationes.*
4 *Quibus diebus possint fieri denuntiationes?*
5 *Quando omitti possint?*
6 *Causæ, cur omitti possint?*
7 *De benedictione secundarum nuptiarum.*
8 *Pœna Sacerdotis benedicentis secundas nuptias.*
9 *Intrinseca solennitas matrimonij.*
10 *Tridentinum per solennitatem intrinsecam invalidavit matrimonia clandestina.*
11 *Resolvitur hæreticorum argumentum pro matrimonio clandestino.*
12 *Quis sit proprius parochus contrahentium?*
13 *Quis Parochus vagorum?*
14 *Parochus non ut minister, sed ut testis excellens assistit.*
15 *An validè assistat alienus Parochus ex præsumpta licentia, vel ratihabitione.*
16 *Parochus non debet facilè credere dicenti se habere licentiam.*
17 *Insignis disputatio, an Parochus alienus validè adstiterit matrimonio ex præsumpta licentia, quæ revera quidem data est, assistenti tamen non innotuit.*
18 *In matrimonio quales, testes sufficiant.*
19 *Necessitas vel ignorantia non excusat ab observatione formæ.*
20 *Per plures conclusiones resolvitur quæstio de matrimonio contracto in loco, vel ab incolis non recepti Concilij.*

1 NE matrimonium esset clandestinum, Conc. Trid. duplicem ei solennitatem præscribit, unam *extrinsecam* & accidentalem, alteram *intrinsecam* & substantialem.

2 Solennitas *extrinseca* est, ut desponsati ante actualem contractum matrimonij à suo proprio Parocho tribus festivis diebus in Ecclesia publicè denuncientur, ut parochus mutuo desponsatorum consensu interrogato dicat, Ego vos conjungo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, ut ante sacerdotalem benedictionem in templo suscipiendam conjuges in eadem domo non cohabitent. hæc, inquam, solennitas extrinseca & accidentalis est, ejusque omissio non irritat matrimonium, omitti tamen sine peccato & pœna arbitraria non potest, quia in præcepto est

3 † imò parochum omittentem denuntiationes incurrere triennalem suspensionem tradit Barb. *ad Trid. sess.* 24. *de reform. matr. c.* 1. *n.* 31. *per text. in c.* 3. *§. sanè de clandest. desponf.* Quod tamen ego non credo, nec textus hoc dicit, sed tantum loquitur de illo casu, ubi parochus patitur aliquos in consanguinitate vel aliquo alio impedimento existentes contrahere. Et etiam illo casu non ipso jure suspensum parochum, sed primum per sententiam Judicis Ecclesiastici suspendendum esse non obscurè ex eod. text. colligitur, aliunde autem nota est regula, quòd nulla censura sine text. expresso ipso jure infligatur, *arg. c. is qui* 18. *de sentent. excomm. in* 6.

4 Cæterùm *denuntiationes* non ita præcisè in diebus festis fieri debere videntur, quin etiam alijs diebus, ubi v. g. propter litanias vel processionem magnus concursus est populi, fieri possint, sicut notavit Barb. *d. l. n.* 23. Si contrahentes sint ex diversis parochiis, tunc in utriusque parochia denuntiationes faciendæ erunt, atque idem, si quidem jam tempore sponsalium sint ejusdem parochiæ, sed ante modicum tempus fuerint diversarum, nam etiam tunc in parochia, ubi prius vel unus tantum, vel ambo habitaverunt denuntiandi erunt, quia ibi melior habetur personarum notitia, an aliquando impedimento affectæ sint.

Aliquando tamen denuntiationes vel prorsus omitti possunt, vel una tantum pro tribus fieri, vel post contractum matrimonium differri, si rationabilis causa accelerandi matrimonij subsit, & licentia Ordinarij vel Vicarij accedat. † 5
imò si necessitas valdè magna & urgens fuerit, & commodus accessus ad ipsummet Ordinarium haberi nequeat, etiam solus Parochus eam desponsatis gratiam facere poterit, ut vel unam tantùm, vel post contractum matrimonium ante consummationem (quam interim prohibere poterit ac debebit) denuntiationes faciat.

Plures autem sunt causæ ordinariè dispensandi circa denuntiationes, ut si contrahentes sint in conditione, fortunis, vel ætate admodùm inæquales, unde minus honorificè vel non sine irrisione aliorum denuntiarentur. Item si duo jam diu cohabitarint, & pro conjugibus habiti sint, si tempus quadragesimæ, vel repentinus discessus instet, & generaliter quoties notabilis utilitas contrahentium speretur, vel ex denuntiationibus demum aliquod notabile incommodum timeatur, *Barb. ubi supra n.* 62. Illis tamen casibus, quibus remittuntur, vel differuntur denuntiationes ob causam accelerandi matrimonium, vel suspicionem, rationabilem, ne quidam se malitiosè opposituri sint, aut similem aliam considerationem, usus obtinuit, ut juramentum à contrahentibus præstetur, quòd in nullius præjudicium, & sine omni impedimento canonico contracturi sint. Solennitas etiam *extrinseca* est, ne conjugati ante Sacerdotalem benedictionem in templo suscipiendam cohabitent, *Trid. sess.* 24. *de reform. matrim. c.* 1. 6

Circa secundas nuptias autem advertendum est, quòd benedictiones nuptiales, quæ à Sacerdote post copulationem in Ecclesiis Neoconjugibus impendantur, sint omittendæ in secundis nuptiis, nisi in primo conjugio neuter benedictionem accepisset, *c.* 1. & 3. *de secund. nuptiis.* ut enim major sit reverentia benedictionum, non solent ejusdem rei benedictiones solennes repeti sæpius, quod DD. etiam ad eum casum extendunt, quo unus tantùm è conjugibus jam in priori matrimonio suscepisset benedictionem, puta si viduus ducat virginem, tum quòd *d. c.* 3. loquatur sub disjunctione, si vir vel mulier ad secundas nuptias transierit, tum quòd benedictio non possit impendi uni parti, quin etiam impendatur alteri, consuetudinem tamen locorum in hoc casu observandam monet Barb *in eod. c.* 3. *n.* 3. 7

Pœna Sacerdotis benedicentis secundas nuptias traditur *in c.* 1. *de secund. nupt.* ut ab officio beneficioque suspensus Romam mittatur pro absolutione, sed quia hæc pœna videtur nimis austera, ideò imprimis sentiunt aliqui, quòd non incurratur ipso jure, seu per sententiam, & quòd missio Romam sit sublata per quandam extravagantem Joannis XXII. ut refert Barb. *in eod. c.* 1. *n.* 5. & 8. Imò valde probabile est, quod docet Sanch. *d. l.* 7. *disput.* 84. *n.* 30 pœnam esse arbitrariam, & illud *c.* 1. intelligi de presbytero benedicente secundas nuptias, quæ prioribus nondum dissolutis temerè contractæ sunt. 8

Intrinseca & substantialis solennitas est, ut matrimonium non aliter valeat, quàm *si contrahatur coram parocho, vel alio de ipsius aut Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus*, *Trid. Sess.* 24. *c.* 1. 9

Matrimonia quidem *clandestina* semper prohibuit Ecclesia, ut apparet *ex c.* 1. & *passim caus.* 30 *q.* 5. non tamen invalidavit, usque dum Trid. hanc solennitatem præscripsit; est quidem difficilis tex. in *d. c.* 1. *caus.* 30. *q.* 5. ubi matrimonium sine solennitatibus ibidem præscriptis contractum dicitur non esse *legitimum*, & quamvis iste terminus possit explicari de matrimonio *non licito*, tamen mox in *vers. ita peracta.* additur, *aliter verò præsumpta conjugia adulteria potius & fornicationes judicantur &c.* consequenter etiam *invalida*. Sed cùm ex aliis Canonibus appareat matrimonium olim solo consensu contrahi potuisse, existimo textum in *d. c.* 1. loqui *præsumptive*, quòd scil. præsumatur contra matrimonium clandestinum, usque dum verum matrimonium probetur, idque arguunt verba finalia *d. c.* 1. *nisi voluntas propria suffragaverit & vota succurrerint legitima.*

Hæc tamen solennitas non ad statuenda sponsalia de futuro requiritur, sed præcisè circa ipsum matrimonium, sponsalia autem de futuro adhuc hodie nullam aliam solenni-

tatem

tatem præter mutuum consensum desponsandorum requirunt.

11 Sed, inquiunt hæretici, Ecclesia non potuit facere ex Sacramento non Sacramentum, sed matrimonium clandestinum ante Conc. Trid. fuit Sacramentum, ergo &c. ℞. Ecclesia non potuit facere ex Sacramento non Sacramentum, directè, hoc est mutando vel tollendo materiam & formam determinatam à Christo conceditur: indirectè mutando aliquid sub directione & determinatione Ecclesiæ relictum negatur. Etenim Christus Dominus instituit quidem contractum pro materia Sacramenti matrimonij, sed non omnem & quemcunque, sed tantùm contractum *validum*, quis verò dicendus sit contractus validus pro Sacramento matrimonij, ipse Christus Dominus non determinavit, sed sicut aliàs principes & legislatores sæculares possunt leges contractibus præfigere, eisque certis casibus irritare, ut ex utroque Jure tam Canonico quàm Civili apertum est, ita pari modo summus Pontifex, qui contractum matrimonialem propter annexam rationem Sacramenti suæ jurisdictioni reservavit, potuit eidem certas leges statuere, & illis non observatis irritare, nihil autem propterea mutavit in ratione materiæ, quæ semper in contractu *valido* consistit, unde & contractus clandestinus olim fuit materia Sacramenti, non quatenus *clandestinus*, sed quatenus tunc temporis *validus*, in simili, sicut qui potest corrumpere species panis & vini, potest indirectè irritare Sacramentum Eucharistiæ, ita etiam Ecclesia potest indirectè irritare Sacramentum matrimonij ex justis causis contractum annullando.

12 Quoniam verò superius dictum est, *intrinsecam & substantialem* solennitatem esse ex constitutione Trid. ut matrimonium contrahatur coram *proprio* parocho, vel alio de ejus aut *Ordinarij* (quo nomine præter Episcopum etiam intelligitur Capitulum sede vacante, vicarius Episcopi generalis, Legatus *de Latere* in provincia suæ Legationis, Abbas habens proprium territorium, *Barb. ad d. c. 1. Trid. nu.* 98.) licentia; sciendum est, *proprium* parochum esse, in cujus parochia vel ambo contrahentes vel unus tantùm domicilium habitationis fixit, neque hic verum domicilium requiritur, ut scilicet habitatio sit *perpetua*, sed *quasi domicilium* sufficit, si nimirum desponsati per majorem anni partem actu in parochia habitarunt, vel animo habitandi advenerunt, licèt ibidem sint non ut parochiani, & domum propriam habitantes, sed ut conducentes & famuli, vel quovis alio modo.

13 Si omninò vagi sint contrahentes, qui nullibi constanter habitent, à quovis parocho copulari poterunt, Ordinarij tamen licentia, & examen accedere debet, quia tales homines nonnunquam plures uxores diversis in locis ducunt adeoque juramentum etiam ab eis exigendum est, quod nullo impedimento canonico vel alio matrimonio jam prius ligati sint. *Trid. s. 24. de matr. c. 7.*

14 Prætereà licèt Parochus non requiratur tanquam minister Sacramenti, sed ipsi contrahentes censeantur sibi ministrare Sacramentum matrimonij, ipse verò parochus personam excellentis alicujus testis exerceat, & proinde etiam invitus, prohibitus, vel excommunicatus, validè assistat, etiam extra parochiam suam, cùm sit actus voluntariæ jurisdictionis. *L. 2. ff. de offic. procons.* requiritur tamen ut ita sit præsens ut actum, qui agitur, percipere & intelligere possit.

Item ut alius, quàm proprius parochus, validè assistat, proprij parochi licentia accedere debet, & non sufficit ratihabitio sequens, quæ enim sunt de forma actus, non possunt per æquipollens impleri, §. *tutor autem. Inst. de author. tut. Barb. d. l. n.* 108. *& seq. Menoch. de arbit. Casu.* 453. *nu.* 13. nisi fuerit ratihabitio de præsenti præsumpta ex tolerantia parochi scientis & non contradicentis. *l. qui patitur. ff. mandati Sanch. lib. 3. disp.* 35. *n.* 10. & hæc sententia quòd non sufficiat licentia subsequens, ita passim inter DD. & in praxi recepta est, & per eam evitantur multæ malæ consequentiæ, quia plerumque, qui coram proprio parocho nolunt contrahere, impedimentis quibusdam affecti sunt.

16 Est quoque advertendum Parocho alieno, ut non facilè credat dicentibus se habere licentiam à proprio parocho, nisi ostendant aliqua saltem verisimilia indicia, aut essent personæ nullatenus suspectæ & fide dignæ, licèt enim in ijs, quæ præcise ad forum animæ spectant, credatur dicenti se habere licentiam, ut v. g. alieno Sacerdoti confiteatur, secus tamen est in matrimonio, & alijs (v. g. absolutione à censuris *c. fin. de sent. excom.*) quæ etiam ad rectam fori externi gubernationem pertinent, *Sanch. d. lib. 3. disp.* 37. *Barb. ad d. c. 1 Trid. s.* 24. *n* 119.

17 Sed quid, si Parochus vel Ordinarius alteri Sacerdoti vel Parocho licentiam dederit ad assistendum, is verò ante acceptam notitiam hujus licentiæ de facto adstiterit matrimonio, anne valebit? Communissima DD sententia distinguit, an data sit licentia ad instantiam alieni parochi, vel motu proprio; priori casu censent sufficere, quòd licentia fuerit data & insinuata nuncio pro ea misso, altero autem casu non habere effectum ante acceptam notitiam, idemque tamen si aliquis tertius (sine mandato tamen Parochi assistentis) licentiam impetrasset argumento eorum, quæ de Privilegijs tradi solent, quòd non prius habeant effectum quàm privilegiato innotuerint. Ita Sanch. *d. lib. 3. disp.* 36 Barb. *d. l. n.* 117. Hurtado *de matrim. disp. 5. difficul.* 13. & alij plerique, ut vix sit reperire dissentientem.

Verùm quia credo & fundamentum (ut fatentur CC.DD.) consistit in paritate ducta à Privilegio, ideò res ista theoricè examinata non est tam certa, quin omissa distinctione generaliter in hoc casu pro valore matrimonij magna probabilitas adferri possit.

Etenim quòd privilegia habeant effectum à tempore, quo data sunt, etiam ante acceptam notitiam ab eod. Sanch. *d. l. sub n.* 1. allegantur 12. magni nominis Doctores & præter rationes & argumenta ibi adducta, etiam non parùm stringit, quòd in litteris *gratiæ* (quibus accensentur Privilegia) non attendatur tempus *præsentatæ*, sed tempus *datæ*, ita ut statim tunc, cùm datæ sunt, parti jus quæratur, sicut communiter docet Rebuf. *in prax. benefic. in tit. differentia inter rescripta gratiæ & justitiæ n. 5. c. cum te. De Rescript. c. si tibi 9. Eod. in* 6. Accedit, quòd in proposito casu serventur *finis & verba* Concilij Trid. *Finis* quidem, quia matrimonium contrahitur publicè coram Parocho & testibus, & excluditur periculum abnegandi illud: *Verba* autem, quia data est *licentia* alieno Sacerdoti; utrum verò hæc licentia debuerit ipsi prius innotuisse, hoc in Concilio non est expressum, & quamvis DD. id asserant, tamen fundamentum eorum admodùm dubium & controversum est. Cùm igitur de jure veteri (de quo tale matrimonium indubiè valuerat) non censeatur plus correctum, quàm expressum, *L. præcipimus in fin. C. de appell.* & in dubio potius favendum matrimonio, *c. fin. de sent. & re jud.* cujus irritatio est odiosa, & plerumque scandalosa, ita ut vel ex unius Doctoris Classici singulari opinione sustineri possit. *Sanch. lib.* 1. *disp.* 18. *n.* 7. atque æquitas rigori Juris sit præferenda. *l placuit. c. de judic.* planè opinor, probabilem esse hujus matrimonij valorem.

Videamus quid argumentis à Sanch. *d. disp* 36 *n* 2. adductis reponi possit. I. *in c. 1. de Concess. preb. in* 6. dicitur, privilegium prodesse à tempore scientiæ. ℞. inprimis esse allegationem partis, deinde ibi non deciditur an non aliquando prosit, à tempore quo datum est, sed alia quæstio movetur, an nimirum si agatur in privilegio de jure tertij, requiratur ut privilegium illi tertio innotuerit? & ideò para dixit, sufficere quòd innotuerit privilegiato. II. in beneficio absenti collato non acquiritur jus ante acceptationem. *c. si tibi absenti. de preb. in* 6. Consularis dignitas acquiritur litteris prostitis, id est, præsentatis, *l. fin. junct. gl. C. de Consul.* servo absenti non quæritur libertas data ante certiorationem ejus. *L. qui absenti ff. de acquir. poss.* Donatio non confert jus donatario ante acceptationem *l absente. ff. de donat* Legitimatio libertorum per rescriptum Principis desiderat eorum ratihabitationem. *Auth. quib. mod. natur. §. illud tamen. Col.* 7. ℞. ex his omnibus non rectè necessariò inferri ad privilegia & multò minus ad licentiam datam alieno Parocho, quia in illis propterea requiritur alterius partis acceptatio, quòd trahant secum aliquam ejus reciprocam obligationem, ita beneficiatus tenetur ad onera beneficij, & subjectionem Episcopi: Consul ad onera consulatus, servus manumissus ad Ius Patronatus & operas libertorum. Donatarius ad antidora & evitandam ingratudinem, *juxt. l. fin. C. de revoc. don.* liberi legitimati ad jus Patriæ potestatis. In privilegijs autem, præsertim verò dispensationibus gratuitis vel licentia ad assistendum matrimonio (quam assistentiam parochus alienus per se paratus est facere) nulla talis reciproca obligatio est. Cæterùm *ex d. c. si tibi absenti.* non leve argumentum pro contrario desumi potest, hoc ipso, quod ante notitiam quæratur beneficiato saltem jus ad rem, ita ut Episcopus illud beneficium sine consensu ejus alteri nequeat conferre. Deinde in allegatis locis non deciditur, an secuta ratihabitione non quæratur beneficiato vel alijs jus in re à die primæ collationis, sicut in legatis, quæ etiam requirunt acceptationem & tamen cedunt à die mortis. Valorem autem matrimonij etiam quandoque posse esse in suspenso jam superius *dict. de Cond. appos.* notavimus.

3. Parochus non potest exercere jurisdictionem, quam ignorat se habere. ℞. cùm Parochus in matrimonio potius testis, quàm judex aut minister sit, ideò assistentiam matrimo-

crimonialem non esse propriè exercitium jurisdictionis, aliàs Parochus invitus vel excommunicatus validè non assisteret, quod tamen docet Sanch. *lib. 3. disp. 39. & eod. lib. 3. disp. 21. nu. 4.* & hoc ipsum est in quæstione, an actus, qui ab alterius licentia dependet, non possit exerceri ex rationabili illius licentiæ præsumptione, præsertim quando jam actu data est, licèt adhuc incognita, demum etiam illa opinio Sanch. *d. disp. 36. nu. 7. & 8.* qua in casu, quo per nuncium licentia petita est, requirit, ut saltem data licentia ipsi nuncio innotuerit juxta ea, quæ præmisit *lib. 1. disp. 6. nu. 20. & disp. 7. numero* 35. non est extra controversiam, quia multi & graves DD. apud eundem Sanch. CC, contrà sentiunt quibus etiam potest addi Laym. *lib. 1. tract. 4. cap* 23 *sub numero.* 10. ubi docet, & petita & rationabiliter præsumpta dispensatione (si actu data sit, quamvis necdum cognita) validè contrahi posse. Nam ex mente omnium DD. concessio quæcunque valet, quando concurrit consensus utriusque, sed quando unus petit, & alter dat, concurrit consensus dantis & accipientis, sicut in stipulatione per interrogationem unius, & responsionem alterius statim nascitur obligatio, nec requiritur, ut interrogans responsionem denuò acceptet. & *in clem. 1. de procurat.* procurator constituitur, si unus per litteras rogaverit, & rogatus litteras sine protestatione retinuerit.

28 *Testes* porrò, qui ad contractum matrimonij præsentes esse debent, non requiruntur omni exceptione majores, sed ne matrimonia frequenti periculo nullitatis exponantur (sicut testamenta in quibus tam exacti testes desiderantur) quoscunque testes rationis compotes, & intelligentes rem, de qua agitur, etiam domesticos, infames, fœminas, consanguineos, &c. sufficere tradit Barb. *d. l. n.* 121.

29 Nulla tamen necessitas vel ignorantia excusat ab observatione legis, quæ formam actui præscribit, quatenus ea forma non servata actus valere possit. Quare licèt ante repentinum discessum contracturus Parochum vel testes habere non posset, vel homo rudis invincibiliter ignoraret requiri, nihilominus sine eorum præsentia invalidè contraheret *Text. in Trid. s. 24. de Reform matrim. cap 2 in princ. Sanch. d. lib. 3. disp* 17.

30 Postremò breviter inquirendum, quid censendum de matrimonio contracto in loco, ubi Concilium Trid. in puncto reformationis Matrimonij receptum non est? R. & dico 1. si matrimonium contrahatur ab incolis talis loci, illud haud dubiè validum erit secundùm antiquos Canones ex quibus ad substantiam matrimonij solummodò mutuus consensus & absentia impedimenti dirimentis requirebatur, ubi enim lex nova promulgata vel recepta non est non obligat. *c. in istis. vers. leges dist. 4. Navar. in man. c. 23. n. 41. Chok. de jurisd. ord. in exemp p. 1. q. 50 n. 8.*

Dico 2. Si quidam ex loco recepti Concilij exierat ad locum non recepti Concilij & ibi contrahat cum incola illius loci, pariter valebit matrimonium, cùm enim contractus matrimonij sit individuus, regulatur secundùm locum uniuscujuslibet ex contrahentibus. Sicut superius dictum est, proprium Parochum sponsi esse etiam proprium sponsæ, si ex diversis parochijs sint desponsati.

Dico 3. Si uterque parati migraverint ad locum non recepti Concilij *sine fraude* & ex causa transferendo *verum* vel *quasi* domicilium aut etiam per modum transitus, valebit matrimonium juxta morem illius loci contractum. Tum quòd contractus reguletur secundùm leges loci ubi celebratur. *l. si fundus. ff. de evict. Gail. lib. 2. Obs.* 123. tum quòd peregrini ex probabiliori non obligentur legibus domesticis. Non obstat, quòd Trid. *inhabilitaverit personas* ad contrahendum sine præscripta solennitate, inhabilitatio autem personæ comitetur ipsam personam sicut umbra corpus. Nam hoc procedit, quando persona est in individuo per sententiam judicis inhabilitata secus si inhabilitatio sit generalis ex lege, tunc enim habet legis naturam, ut non obliget, ubi est recepta, *arg. c. 2. de constit. in 6. Sanch. de matrim. l. 3. disp.* 18. *Pont. de matrim. l. 5. c. 9. n. 2. Barb. de Offic. Episc. p. 2. alleg. 32. n.* 153 & *alij ib. magno &c.*

Dico 4. Si excursus ad locum non recepti Concilij fiat hac sola intentione contrahendi sine proprio Parocho, adeòque *in fraudem legis*, dubitant DD. an valeat matrimonium. Nam transiens ad talem locum & ibidem contrahens secundum leges illius, videtur uti jure suo, adeòque nemini fraudem aut injuriam facere. *l. nullus videtur. ff. de R. I. L. 3. §. 2. ff. de lib. hom. exhib.* Intentio quoque mala, quamvis aliquando actum faciat *illicitum*, non tamen statim *invalidum*, ut si quis Parochum corrumpat, ut se sine denuntiationibus in fraudem prioris sponsæ copulet. Si filiusfam. aut Clericus bona inter vivos alienent, eo quòd de his testari nequeant, &c.

Nihilominus à Sac. Cong. Card. decisum & ab Urbano VIII. confirmatum esse, quòd matrimonium ita contractum invalidum sit, refert Lugo *in Resp. mor. dub.* 36. Barb. *de Par. c. 21. n.* 26. Bossius *de contract. matr. c. 1. §.* 29. & pro hac decisione facit, quòd fraus & dolus non debeant patrocinari *c. sides de rescript. l. 1. de aqua pluvia*, quòd *contra legem* facere & *in fraudem legis* æquiparentur, *l. contra legem, cum L. seq. ff. de ll. L. ex facto 43. §. fin. de Vulg. subst. L. 3. §. is autem ff. ad S. C. Maced c. pen. de R. I. in 6.* ita in *l. hoc modo* 64. *de Condit. & demonstrat.* notanter constitutum est, ut si per fraudem præjudicetur Legi Reip. utili, ipso jure rescindi, quod fraudandæ legis gratia factum est. Quis verò non videat, Consilium Trid. cum tanta præstantissimorum virorum deliberatione conclusum, esse legem Reipub. utilissimam, & si id defraudari permittatur, januam aperiri raptibus & clandestinis desponsationibus cum ingenti nonnunquam præjudicio parentum, & priorum sponsalium aliorumque interesse habentium. Quare ad rationes contrarias responderi potest, negando, quòd jure suo utatur, qui legem defraudare cogitat. Deinde quòd mala intentio non *irritet* actum, si nihil mutet in substantialibus à lege requisitis.

Dico 5. Hæretici si permixti cum Catholicis apud quos Concilium receptum est, vivant & in minori numero sint, tenentur statuto Concilij. *arg. l. quod major. ff. ad municip. declaratio Card apud Cyp. lib. 4. De sponsal.* 16. *Bossius de Contr. matrim. c. 1. § 24. n. 65. & §.* 28. sunt enim hæretici per Baptismum intra januam Ecclesiæ recepti, & ejus subditi effecti, subditus autem quamvis rebellis utique ad leges sui Superioris tenetur. Inde etiam fit, quòd Ecclesia magis hæreticos ad fidem compellat, *tot. tit. X. de Haret.* quàm Judæos & Gentiles, qui non sunt propriè ejus subditi, dicente Apostolo: *quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare.*

Dico 6. Principes & Domini sæculares possunt punire adjuvandi juris Ecclesiastici causa tales excurrentes, vel alia illicita matrimonia contrahentes, *Sanch. lib. 3 disp. 46. n.* 13. laudabile est enim Principi Ecclesiam ejusque statuta defendere. *arg. c. excommunicamus. §. moneantur. de Haret. c. decernimus. de sent. excomm. in 6. clem. un. de jurejur. Extrav. unam sanctam de Major. & obed. inter com.*

Dico 7. Qui vice versa ex loco non recepti Concilij veniunt ad locum, in quo receptum est, tenentur secundùm formam Concilij contrahere. Quidquid enim sit, an & quando peregrinus teneatur ad leges loci, per quem transit, (quòd de legibus juris communis probabilius affirmatur cum Nav. *in man. c. 25. n.* 120. Laym. *de LL. c. 12. n.* 3.) recepta est doctrina, quòd circa solennitatem contractuum teneatur. *Sanch. d. disp. 18. n.* 26.

De dissolutione & Separatione Matrimonij.

S U M M A R I A.

1 *Matrimonium aliud propriè tale, aliud impropriè seu attentatum.*
2 *Magis interdum congruum est, impedimentum quovis modo tollere, quàm conjuges invitos ab invicem separare.*
3 *Qualiter matrimonium nullum ex defectu consensus in alterutro reconvalidari possit?*
4 *Qualiter matrimonium cessante impedimento dirimente occulto reconvalidari debeat.*
5 *An ad reconvalidationem matrimonij debeant etiam repeti solemnitates?*
6 *An Parochus vel confessarius teneatur monere habentes impedimentum, si id ignorent.*
7 *Matrimonium dupliciter dissolvi potest, vel quo ad vinculum, vel quo ad thorum.*
8 *Matrimonium ratum duobus tantùm casibus. Consummatum verò nunquam, exceptâ morte, quò ad vinculum dissolvi potest.*
9 *Occurritur objectioni hæreticorum contendentium saltem ob adulterium matrimonium consummatum etiam quò ad vinculum solubile esse.*
10 *Matrimonium consummatum 6. de causis quò ad thorum dissolvi potest.*
11 *Ex solo adulterio matrimonium consummatum quò ad thorum in perpetuum dissolvitur.*
12 *An sicut maritus uxorem, ita uxor maritum propter adulterium dimittere possit.*

13 *An*

13 *An etiam oscula, vel amplexus uxoris aut suspicio tantùm adulterij divortium causare possint.*
14 *Quales probationes requirantur, ut judex divortij sententiam ex causa adulterij proferre valeat?*
15 *Ob paritatem delicti denegatur divortium, etiamsi pars innocens primùm post latam sententiam adulterium committat.*
16 *Maritus uxori etiam indirectè tantùm dans causam adulterij, divortium petere non potest.*
17 *Bona fides, uti & violenta oppressio, vel etiam metus cadens in constantem mulierem excusat à divortio.*
18 *Tollitur divortium ex condonatione injuriæ, & quando hæc condonatio fieri possit?*
19 *Si conjux innocens nocenti injuriam condonet, tenetur nocentem acceptare, & ad cohabitationem redire.*
20 *Cur hæresis sit causa divortij?*
21 *An conjux catholicus teneatur recipere hæreticum post latam sententiam revertentem?*
22 *Meritò etiam ob periculum peccati divortium fieri debet.*
23 *Demùm ex sævitia conjugis rectè dissolutio matrimonij petitur.*

MAtrimonium aliquando dissolvitur, quia invalidè contractum cum impedimento dirimente, quod quidem, non est propriè matrimonium, sed matrimonium *attentatum*? aliquando verò validè ab initio contractum ex causa superveniente.

De Separatione Matrimonij ob Nullitatem.

1 MAtrimonium nulliter contractum propriè quidem & de jure matrimonium dici non potest; dicitur tamen matrimonium impropriè seu de facto attentatum. Porrò matrimonium tale attentatum ob quodcunque impedimentum non aliter separandum est, quàm accedente auctoritate Judicis Ecclesiastici. Est autem hic advertendum, quòd non semper invitis conjugibus matrimonium separandum sit, dummodò impedimentum vel causa nullitatis per dispensationem aut alium modum tolli possit. Imò si vir tantum fuerit in mala fide, & fœminam ignaram impedimenti deceperit, videtur planè ex naturali æquitate ad tollendum impedimentum & dispensationem impetrandam cogi posse.

2 *Quæritur* autem *primò*. An si nullitatis causa sit occulta, & uni tantùm parti cognita, aliquando convalidari possit matrimonium absque eo, ut alteri parti ignoranti id significetur, posset enim nonnunquam ex notificatione impedimenti oriri dissensio, perplexitas, infamia aut aliud scandalum.

3 Responsio affirmativa communiter est recepta. Quò ad modum autem convalidandi distinguendum est, an matrimonium sit nullum ex defectu consensus in alterutro, vel ob aliud impedimentum dirimens occultum. Primo casu convalescet matrimonium, si verè consentiat ille, qui fictè tantùm consensit: neque enim ad matrimonium necessarius est consensus viri & fœminæ formaliter simultaneus, sed sufficit, quòd is, qui priori tempore consensit, in sua voluntate perduret, usque dum etiam pars altera consentiat, aliàs matrimonium per procuratorem contrahi non posset, cùm principalis, qui procuratorem mittit, longo tempore priùs consentiat, quàm altera persona, ad quam procurator mittitur. Volunt tamen Doctores, ne iste novus consensus non sit merè internus, sed per signum aliquod externum, veluti per verba, quæ conjugalem effectum indicent, aut per copulam exprimantur, quia ad essentiam sacramenti requiritur signum visibile. Licèt verò in tali casu jam prius adfuerit signum scilicet contractus extrinsecus matrimonij & tantùm defuerit consensus; reputatur tamen hoc signum insufficiens, quia tunc temporis, quando positum erat, fuit solummodò putativum & falsum.

4 Altero casu, si occultum impedimentum cessarit, v. g. in affinitate occulta dispensatio clam obtenta sit, uxor legitima, de qua nihil sciebatur, mortua &c. requiritur quidem novus utriusque consensus, quia prior propter tale impedimentum erat invalidus, interim tamen non est necesse, ut uxor v. g. ignara nullitatis priùs de ea certioretur, & ita novus ipsius consensus petatur, sed satis erit, si dissimulata nullitate interrogationi de præsenti factæ consentiat, ut si maritus dicat, *si non esset mea uxor velles fieri? & de facto vis esse mea uxor &c.* qua de re videatur Sanchez. *de matrimonio l. 2 d.* 36.

5 *Quæritur II.* An ad reconvalidationem matrimonij debeant reiterari solemnitates Conc. Trid. ut scilicet denuò interveniat Parochus cum testibus? ℟. esse distinguendum, an impedimentum ita occultum sit, ut probari nequeat? vel utrum juridicè saltem per duos testes probari possit? priori casu sufficiet, quòd solemnitates ab initio adhibitæ sint, quia earum effectus etiam imposterum censetur durare, hoc ipso, quòd matrimonium tali casu negari facilè non possit, cùm constet de contractu publico & non constet de impedimento. At in posteriori casu propterea solemnitates reiterandæ sunt, quia sine his subesset periculum, ne quandoque matrimonium negaretur, si nullitas in primo contractu propter impedimentum probari possit, & consensus novus defectu solemnitatum esset omninò occultus. Verum ne passim divulgetur, quòd duo conjugati impedimento canonico laborent, notabilis est cautela, ut Parochus vel confessarius petens licentiam à Parocho in præsentia duorum testium, qui possunt esse de consanguineis aut alijs bonis amicis, partes coram se privatim conjungat.

Quæritur III. An si confessarius vel alius quiscunque ex privata scientia advertat, conjugatos habere ignorantiam impedimenti, teneatur eis impedimentum & nullitatem matrimonij indicare? 6

Resp. non teneri, imò plerumque non esse consultum admonere conjuges in bona fide existentes, si tamen ista concurrant. 1. ut impedimentum sit occultum, & non sit scandalum apud alios homines. 2. ut ignorantia non sit mortaliter culpabilis, sicut ordinariè ignorantia juris excusat homines plebeos, fœminas, milites & alios similes *L. cum de indeb 10. §. 2. ff. de probationibus*. & ignorantia facti excusat omnes. 3. ut pœnitens nullum omninò dubium habeat de valore matrimonij, quia confessarius vel alius vir doctus interrogatus de valore matrimonij tenetur veritatem dicere, ne causam erroris præbeat. 4. ut prudenter timeatur, ne ex admonitione cimeantur dissensiones, infamiæ, periculum incontinentiæ, & alia scandala vel gravia incommoda. Ratio autem, cur istis concurrentibus rectè omittitur admonitio, ista est, quia nemo obligatur ad actum inutilem & proximo nocivum; esset verò talis admonitio inutilis & nociva, tum propter incommoda subsequentia, tum quòd conjuges priùs in bona fide existentes, per usum matrimonij putativi non peccarint, jam autem post indicationem impedimenti periculo peccandi exponantur, ergò &c. Idque confirmatur ex *c. quia circa, de consanguinitate & affinitate. & c. si quis autem. de pænit. dist. 7.* non obstat difficilis textus in *c. 3 extra. de regulis juris*, ubi dicitur: quòd utilius scandalum nasci permittatur, quàm veritas relinquatur. Nam explicari potest de tali veritate, quæ sine peccato taceri non potest, & ad quam manifestandam aliquis tenetur; ut si partes sint in mala fide, vel dubio aut culpabili ignorantia. Item Concionator aut Professor Publicus tenetur veritatem dicere, licèt fructus alicujus privati non speretur, sed potiùs scandalum, quia talis doctrina ordinatur ad bonum publicum, ideò ob privatum alicujus malum non est intermittenda. Pluribus examinat hanc quæstionem Sanch. *d. l. disput.* 38.

De Separatione matrimonij validè contracti.

MAtrimonium validè contractum aliquando separatur vel quò ad *vinculum*, ita ut prorsus cesset esse matrimonium: vel tantum quo ad *thorum & mutuam cohabitationem*, manente vinculo conjugij. 7

Quò ad vinculum matrimonium ratum duobus casibus dissolvitur, scilicet per ingressum in religionem, & dispensationem S. Pontificis; quia matrimonium ratum, cùm tantùm significet conjunctionem Christi cum anima fideli (quæ & magis intendi, & per peccatum tolli potest) non est indissolubile. At verò matrimonium consummatum, cùm significet indissolubilem conjunctionem Christi cum unica sponsa Ecclesia, nullo casu, excepta morte naturali, quo ad vinculum dissolvi potest: ita enim illam legem Hebræorum *Deut. 24. c.* ex qua licebat dare libellum repudij uxoribus, aperte & iteratò sustulit Christus *Matth. c. 5. & c. 19.* his verbis: *Moyses ad duritiem cordis vestri* (intellige, ex dispositione Dei) *permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur.* 8

Sed Hæretici suo more semper proni ad carnis libertatem (quam prohibet Apostolus *ad Galat. 6. ad Rom. 8. c.*) †. & Evangelij jugum excutiendum, ergò, inquiunt, saltem ob fornicationem uxoris solvetur matrimonium consummatum, eaque dimissa licebit aliam ducere. hunc errorem, quem plerique hæretici nostri temporis amplectuntur, anathemate damnavit Conc. Tridentinum *sess. 24 de Sacramento Matrimonij. Can. 7* & pluribus demonstrat Bellarm. *lib. 1. de matrim. c. 15. & seqq.* etenim textus allegatus in hunc modum interpretandus est, ut illa exceptio de fornicatione uxoris referatur

gur tantùm ad verba *præcedentia*, ut scilicet non liceat dimittere uxorem *excepta causa fornicationis*: non autem ad verba *subsequentia*, quasi insuper ob causam fornicationis aliam ducere liceat, sicut cum S. Thoma *in 4. p. dist. 35. q. unica* communiter Scholastici explicant. Doctrinam autem hæreticorum ineptam esse Iprobatur ex interprete Christi Paulo Apostolo, qui 1. *ad Corinth.* 7. inquit: *iis, autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari* ubi in prioribus verbis: *præcipio, à viro non discedere*, loquitur Apostolus de discessu injusto, in posterioribus autem de discessu justo, scilicet ob causam fornicationis, quem discessum Christus dicto loco permisit; aliàs si etiam in posterioribus locutus fuisset Apostolus de discessu injusto, non potuisset dare optionem uxori, an vellet innupta manere, aut viro reconciliari, sed simpliciter debuisset jubere, ut ad virum reverteretur, deinde probatur ratione, quia si propter adulterium dissolveretur conjugium, aperiretur janua infinitis repudijs, & conjunx volens esse liber tantùm adulterium committeret, & ita ex suo delicto commodum reportaret, atque ad alias nuptias pro libitu transire valeret. Verùm matrimonium *consummatum*, licèt quoad vinculum dissolvi nequeat, quoad thorum tamen & mutuam cohabitationem 6. de causis dissolvitur. I. Propter adulterium. II. Propter hæresin. III. Propter incitationem ad peccatum. IV. Propter sævitiem. V. Propter ingressum in Religionem mutuo consensu factum. Et VI. Propter morbum contagiosum.

Instant autem hoc loco iterum hæretici dicentes, si juxta nostram explicationem is fuit sensus Christi, ut non liceat dimittere uxorem, excepta causa fornicationis, quomodo ergò hic ultra fornicationem plures separationis causæ conce-
11 duntur? † R. Nostram explicationem ulterius declarandam esse in hunc modum, ut ex solo adulterio liceat dimittere uxorem in perpetuum, & etiam nolentem ac invitam: aliæ verò causæ hic enumeratæ ex sua natura non sunt perpetuæ, vel certè non sunt contra voluntatem alterius partis, sicut ingressus in Religionem mutuo consensu factus. Unde cessante hæresi, periculo peccati, sævitia & morbo contagioso cohabitatio separata rursus restaurari debebit, non autem cessante adulterio, quia fides conjugalis semel violata semper manet violata, & sanè, si Apostolus 1. *ad Corinth.* 7. potuit concedere temporalem separationem conjugum ex consensu causa orationis; potuerunt utique etiam Pontifices ex alijs justis causis, scilicet propter periculum corporis vel animæ talem separationem indulgere: etenim Pontifices tanquam Christi in terris Vicarij Apostolica authoritate perfruuntur, iisque non minùs quàm Apostolis jus divinum interpretari ac declarare convenit.

De Separatione propter Adulterium.

12 **Q***Uæritur I.* Utrùm non tantùm maritus uxorem, sed etiam vice versa uxor maritum propter adulterium dimittere possit? Affirmativa sententia communis & vera est. Ratio enim hujus divortij consistit in violatione fidei conjugalis, quæ haud dubiè non tantùm per adulterium uxoris sed etiam mariti contingit, cùm conjuges non debeant ad imparia judicari. *c. gaudemus. de divortijs. c. ultimo, causa* 32. *q.* 5. *c. placuit. eadem causa.* ◦ 3.

Non obstat, quòd Christus Dominus *Matth.* 5. & 19. tantùm de dimissione uxoris meminerit, quia intelligitur locutus fuisse de eo, quòd frequentius accidit, prout etiam in *dicto c. ult.* ait Innocentius, quòd viri frequentius soleant mulieres de adulterio accusare, quàm è contra mulieres viros suos. Item dici potest, quòd ibi Christus tantùm de dimissione uxoris à Judæis interrogatus fuerit, & ideò juxta interrogata responderit.

13 *Quæritur II.* An etiam propter oscula, vel amplexus uxoris aut suspicionem tantùm adulterij possit cohabitatio dissolvi? Pro affirmativa facere videtur *lex. consensu.* 8. §. 3. *de repudijs*, ubi justa divortij causa esse dicitur, si mulier inviro marito aliena convivia appetat, aut extra domum pernoctet. Item textus *in lib.* 1 *feudorum tit.* 5. ubi statuitur, quòd vassallus feudum perdere debeat, non tantùm, si cum uxore Domini adulterium commiserit, sed etiam, si committere attentaverit, vel cum ea turpiter luserit. Negativa tamen sententia verior est; quidquid enim leges civiles statuerint & permiserint, ut ex alijs etiam pluribus causis, quàm ex solo adulterio matrimonium quoad ipsum vinculum misso libello repudij dissolvi posset, prout constat ex toto tit. *ff.* & *Cod. de divortijs* & *de repudijs*. Istæ tamen leges invalidæ reputantur, quia causa matrimonij secundum Canones & Evangelium tractanda est, ubi matrimonium consummatum quoad vinculum nunquam, quoad cohabitationem solùm propter adulterium in perpetuum separari conceditur, ut superiùs diximus. Deinde si ab adulterio ad oscula &c. argumentari vellemus, esset argumentum à *majori* ad *minus*, quod utique in pœnalibus & odiosis extra casus in jure expressos locum non habet, cùm in pœnalibus concepta doctrina ne quidem à simili argumentum procedat. Unde etiam allegata constitutio feudalis ad causam matrimonialem tanquam multò graviorem & majoris præjudicij trahenda non est. Hoc tamen rectè admittitur, quod nomine adulterij veniant etiam reliqui concubitus contra naturam, secundùm ea, quæ prolixè tradit Sanchez *de matrim. lib.* 10. *disp.* 4.

Quæritur III. Qualiter constare debeat de adulterio, & 14
quales probationes requirantur, ut Judex divortij sententiam proferre valeat? Resp. Cùm delicta carnis sint difficilis probationis, non requiri testes de visu ipsius peccati deponentes, sed sufficere conjecturas & præsumptiones violentas, ex quibus si non *physica*, saltem *moralis* certitudo inducatur, ut scilicet quilibet prudenter credere possit, adulterium commissum esse, quales autem sint tales præsumptiones violentæ, traditur per textum & Doctores *in cap. litteris de præsumpt.* & multis explicat Farinacius *in praxi criminali, de delictis carnis*, & Sanch. *dict. lib.* 10. *disp.* 12. desumuntur verò ex circumstantia loci temporis, & personarum, veluti si uxor aliàs malè diffamata aut suspecta, sola cum solo, tempore & loco ad peccandum apto deprehendatur, oscula etiam & tactus, quamvis ex se non constituant causam divortii, ut dictum, concurrentibus tamen alijs circumstantiis valdè aggravant præsumptionem adulterii.

Est verò advertendum, quòd tales conjecturæ, ex quibus peccatum præsumitur, plenè probandæ sint per testes aut confessionem propriam uxoris, proin non sufficiet, si ex. g. solus maritus dicat: se actus suspectos uxoris vidisse, quia in causa propria nemo testis idoneus reputatur, ex qua nimirum aliquod commodum sperat, sicut hic, ubi propter adulterium uxoris maritus non tantùm à jugo matrimonii liberatur, sed insuper uxoris dotem lucratur.

Quæritur IV. An sint aliqui casus, in quibus propter adul- 15
terium non conceditur divortium? Resp. Varios casus enumerari, qui facilioris memoriæ causa ad 3. capita reduci possunt. *Primum* est: paritas vel causa delicti in altero conjuge. *Secundum*: excusatio delicti à culpa. *Tertium* conciliatio seu condonatio injuriæ.

Ex primo capite denegatur divortium primò, si uterque conjux commiserit adulterium, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, *c. ult. de adulterijs*, & *c.* 3. *de divortijs*, idque probabilius extendunt Doctores, ut si ex gr. maritus etiam post latam divortii sententiam adulterium commiserit, adhuc ad recipiendam uxorem dimissam cogi possit, sicut enim uxor ex primo adulterio amisit jus quæsitum per contractum matrimonii, ita & multò magis maritus per subsequens adulterium amittet jus quæsitum per sententiam: est enim jus ex matrimonio quæsitum multò fortius, quàm quæsitum ex sententia judicis, & cohabitatio matrimonialis favorabilior quàm separatio, *Navarrus tit. de divort. cons.* 1.

II°. Maritus divortium petere non potest, si uxori cau- 16
sam adulterii dederit, ipsam prostituendo vel non prohibendo cùm potuisset, denegando debitum conjugale, *c. si tu abstines, caus.* 37. *n.* 2.

Sed quid si uxor ob nimiam mariti sævitiam fugerit ex domo, & extra eam adulterium commiserit? tum excusari uxorem à divortio, docet Sanch. *dicto l.* 10. *disp.* 5. *num.* 10. contra quosdam alios gravissimos Doctores, eo quod tibi sævitia non sit directa adulterij causa, *Argum. cap. significasti de divort.*

Nihilominus si mulier necessitate compulsa fugerit ad talem locum ubi fuit periculo incontinentiæ exposita, non video, quomodo tale adulterium marito imputari non possit, qui inhumanior tractando conjugem, ei in effectu cohabitationem denegavit, & a loco periculoso revocare debuisset. Ad *dictum cap. significasti* responderi potest, quod ibi mulier sine necessitate fuerit in loco periculoso; vel quod intelligatur, quando vir non tenebatur reddere debitum propter adulterium præcedens, sicut ex casu illius Capituli intelligitur. Interim licèt hoc casu denegetur divortium, alia tamen pœna adulterium uxoris rectè punietur.

Ex secundo Capite cessat divortium II. Si conjux probabili- 17
ter credens, alterum conjugem decessisse, vel matrimonium ex falsis probationibus consanguinitatis vel alterius impedimenti separatum sit, alteri nubat, si tamen jam

cer-

certiorata de vita prioris conjugis aut valore prioris matrimonij, perstiterit in secundo conjugio debitum reddens ac petens: tunc enim jam verè rea adulterij censetur, ut rectè docet Hostiensis *in summa tit. de divortijs n. 8.*

II. Si uxor per violentiam oppressa sit cui resistere non potuit, uti non improbabiliter tenet Sylv. *verbo adulterium n.* 10. quòd non tantùm violenta oppressio, sed etiam alius justus metus cadens in constantem mulierem excuset à divortio: licèt enim metus non soleat in foro interno excusare à transgressione legis divinæ, præceptivæ, & ita à peccato, excusat tamen quò ad pœnas legales & ab injuria marito illata, *arg. L. vim passa. & L. si uxor. §. si quis. ff. ad Legem Iuliam. de adulterijs.*

III. Si quis uxorem accesserit, simulans se esse maritum, cui uxor bona fide nihil mali cogitans credidit. *c. in lectum causa* 34. *q.* 2. nam sicut hoc casu bona fides tollit culpam adulterij, ita etiam pœnam divortij, ad probandam autem hanc conjugis bonam fidem sufficere ejus juramentum, habitu respectu ad ejus honestatem & alias probabiles conjecturas, tradit Hostiensis *dicto n. 8. casu 3.*

18 *Ex tertio Capite* tollitur divortium I. Si conjux innocens expressis verbis injuriam & adulterium alteri condonaverit, cum quilibet possit juri suo renuntiare. *L. penul. Cod. de pactis.*

II. Censetur tacita condonatio, si innocens conscius adulterij cum altera parte nocente sponte matrimonio usus sit petendo aut reddendo debitum. Notanter autem dicitur, debere id factum fuisse *scienter & sponte*: unde ex sola adulterij suspicione sine apertis indicijs, per usum matrimonij sibi non præjudicat innocens. Item si lite pendente super adulterio Judex jubeat uxorem reddere debitum marito accusato, ne pendente lite commodo possessionis privetur, *juxta c. 2. lite pendente nil innovetur.* vel si maritus gravi metu uxorem ad usum matrimonij cogat, nullum inde exurget divortio præjudicium.

III. Censetur facta reconciliatio & condonatio injuriæ, si innocens scienter & sponte nulla necessitate etiam honestatis compulsus, familiarem se exhibeat conjugi adulteranti cum eo ludendo, ridendo, comedendo, & multò magis amplexus & oscula dando: nam per tales actus aboleri injuriam, docent Glossa & Doctores communiter *in §. finale instit. de injurijs.* videatur Sanchez *dicto lib.* 10. *disp.* 14.

19 *Quæritur V.* An si conjux innocens velit ultrò reconciliari nocenti, teneatur nocens acceptare & ad cohabitationem redire? Ratio dubitandi est, quòd innocens dimittendo adulterum dimiserit jus suum, quod in ipsum habuit: remittentibus autem jura sua non sit dandus regressus. *L. quæritur 14. §. si venditor. ff. de adilitio edicto.* Affirmativa tamen sententia verior est, quia divortium ex causa adulterij solùm in gratiam innocentis concessum est, ergò non debet in ejus odium & incommodum retorqueri. *quod ob gratiam de regulis juris* in 6. & sententia non debet prodesse reo; contra quem lata est *L. evidenter. 16. ff. de exceptione rei judicatæ.*

Ad rationem dubitandi R. Quòd per actionem & sententiam divortij innocens non remittat suum jus, sed potius adulter jure suo, quod prius in innocentem ex matrimonio habuit, volente conjuge innocente privetur. Unde ulterius infertur, quòd adulter non possit ad Religionem transire invito conjuge innocente, nisi is monitus adulterum resipiscentem & pœnitentem nolit recipere per textum & interpretes *in c. gaudemus de conversione conjugatorum.*

De Separatione Matrimonij propter hæresin, periculum peccati, sævitiem & morbum.

20 HÆresim esse causam divortii, inter omnes convenit, in ratione autem assignanda discrepant. Quidam putant, hoc proptereà statutum, quòd hæresis sit spirituale adulterium. In qua sententia videtur fuisse Aug. *in c. idololatria. causa* 28. *q.* 1. Alij existimant, hæresin esse contra *bonum prolis*, eò quòd proles in vera Dei cultu non educetur. Alij ob periculum animæ id factum asserunt, ne hæreticus Catholicum pervertat. Alij demum in pœnam hæresis ab Ecclesia statutum sentiunt; quæ omnes rationes satis congruè & probabiliter assignari possunt.

Cæterùm hanc separationem propter hæresim, si fiat ante Judicis sententiam, qua conjugem hæreticum declaret, non esse perpetuam, sed eò usque durare, donec hæreticus ad Fidem revertatur, omnes etiam facilè admittunt. *Jux-*
21 *ta c. 6. de divortijs.* † Verùm non levis est controversia, an si hæreticus post sententiam latam revertatur, recipiendus sit ab altera parte catholica? Negativam probabiliorem credit Sanchez *lib.* 10. *disp.* 15. *n.* 19. propter textum *in dicto cap. 6. de divortijs.* Qui satis apertè pro hac sententia loquitur, & confirmatur ex *c. ult. de hæreticis in 6.* Ubi in pœnam hæresis omnes, qui aliqua obligatione hæretico adstricti fuerunt, absolvuntur. Hanc sententiam quamvis ipse putem, de rigore juris valde probabilem, attamen de æquitate illam censeo præferendam, quæ distinguit: An conjux catholicus velit ad religionem transire, aut in sæculo remanere, ut priori casu ex speciali privilegio Religionis non teneatur recipere conjugem ab hæresi reversum, sicut decisum est in *c. ult. de conversione conjugatorum.* Posteriori autem casu recipere omninò teneatur, tum quòd causa perpetui divortij solum adulterium carnale à Christo assignatum sit. Tum quòd separatio matrimonij propter periculum incontinentiæ & alia scandala ac damna non sit facilè concedenda, præsertim, si uterque in sæculo vivere velit. Tum denique, quod id satis colligatur ex *c. quanto in fine. de divortijs.* Ad contraria R. & imprimis *ad c. ult. de hæreticis in* 6. quòd id tanquàm pœnale non sit extendendum ad obligationem matrimonialem, quæ est ex jure divino 2. quod *c. 6. de divortijs* sit explicandum juxta dictum *c. ult. de conversione conjug.* atque hanc sententiam communem & probabilem agnoscit ipse Sanchez *dicto loco n.* 18. *Barbosa in dicto c. 6. num. 5.*

Ob periculum peccati meritò etiam separatur matrimonium: 22
Si enim hoc licet propter morbum contagiosum, scilicet lepram, aut similem, & ita ob periculum corporis, multò magis ob periculum animæ. Censetur autem tale periculum, si E. g. maritus velit uxorem prostituere, & lenocinium exercere, si homines impudicos in domum introducat, si ex usura & furtis velit uxorem alere, si ad patranda vel tegenda homicidia adhibere, &c. Propter alia autem delicta conjugis, quæ in periculum animæ vel corporis alterius conjugis non redundant, divortium minimè concedi notant Doctores communiter per textum *in cap. 2. de divortijs.*

Ex sævitia seu crudelitate conjugis ideò rectè petitur divor- 23
tium, quia nimis durum esset, obligationem matrimonij ad magnum corporis periculum extendere. Nec verisimile quòd contrahentes cum tanto suo damno se ad cohabitationem obligare voluerint. Porrò quanta sævitia conjugis esse debeat, ut alteri divertere liceat, Doctores non usquadeò conveniunt: Sunt enim, qui putent, tantum ob vitæ periculum divortium concedi, cum Barbosa *ad Rubric. ff. soluto matrimonio parte 2. n.* 31. verùm communius receptum, etiam ob atrocia verbera non tantùm actu illata, sed & quæ inferenda probabiliter timentur rectè posse separationem indulgeri, quia ratio superius allata non hic locum habet & facit *lex consensu. Cod. de repudijs.* hoc tamen intelligi non debet de levibus verberibus (habet enim maritus ex rationabili causa potestatem moderatè & leviter, non verò nimis excessivè castigandi uxorem, sicut docet Abbas *in c. quemadmodum. de jure jurando.* & Sylvester *verbo. uxor. n.* 3) neque de verberibus jam præteritis, quæ forsan ex aliquo extraordinario calore illata sunt, si impòsterum non sit magnum periculum ea ampliùs inferendi. Cæterum cùm in casu sævitiæ plerumque periculum in mora esse soleat, non vitio vertitur conjugi, si propria authoritate à sæviente recedat, nec restituitur, nisi à sæviente idonea cautio de non offendendo præstetur. Hæc cautio, quæ generaliter exigitur, quoties probabile periculum offensionis imminet, præstanda est regulariter per pignora aut fidejussores, ut mulier in eventum læsionis habeat, unde satisfactionem etiam pecuniariam propter injuriam exigere possit, quia *in c. litteras. de restit. spoliat.* requiritur sufficiens cautio, qualis est illa, quæ fit per pignora aut fidejussores. *L. si mandato. 59. §. ult. ff. mandati.* quòd si conjux sæviens ob inopiam pignora aut fidejussores habere nequeat, ejus juramentum pro cautione acceptabitur. *auth. generaliter. Cod. de Episcopis & Clericis.* Si verò sævitia conjugis cum tanto furore intentetur, ut alteri non possit sufficienter cautum esse, aut fortassis maritus parùm sit Religiosus, qui juramentum non multum timeat, cohabitatio uxori injungi non debebit. *dicto c. litteras in fine.* Demum hoc divortium, sicut alia, excepto eo, quod fit ob adulterium, temporale est, usque dum scilicet conjux mitescat & ad saniorem mentem redeat. unde in praxi usitatum est, ut judex Ecclesiasticus non proferat absolutam divortij sententiam, sed tantùm ad duos vel tres annos concedat tolerantiam ut vocant, ut interim probetur resipiscentia sævientis.

De ingressu in Religionem videantur text. & Interpp. ad tit. *de Convers. conjug.* & quæ tradidi, *de Privil. Monast. Privil.* 35.

Man. Presbyter. P. Ludov. Engl.

24 *Morbus contagiosus* scilicet lepra, morbus gallicus &c. ex magis communi DD. sententia etiam est causa separationis quoad cohabitationem, si judicio Medicorum probabile corporis periculum alteri conjugi immineat, quia naturalis æquitas dictat ne matrimonii obligatio eousque extendatur contra verisimilem intentionem contrahentium, videtur quidem adversari difficilis text. *in cap. 2. de conjug. lepros.* ubi Pontif. *Si virum*, inquit, *sive uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus a sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cujus præcepti nulla in hoc casu exceptio invenitur*. Verùm ut interpretatione legum & Canonum æquitas rigori præferatur, *l. placuit, C. de Judic.* potest hic textus intelligi, *cum Barb. in d. cap. 2.* quando judicio Medicorum non est valdè notabile periculum, sicut ordinariè in fœmina admittente virum morbosum contingere ajunt, vel de casu, quo morbus ante matrimonium non fuit ignoratus, & proinde eo non obstante conjuges se ad cohabitationem obligasse censeri possunt, nam leprosis non est interdictum matrimonium contrahere; & licèt nemo sit dominus membrorum suorum, *l. liber homo, ff. ad leg. Aquil.* ideòque ad actualem membri amissionem se nequeat obligare, ad periculum tamen corporale se obligare quandoque non est prohibitum, ut in militibus, nautis, aliisque similibus quotidianum est.

§. VIII.

De Judicio Causarum Matrimonialium.

SUMMARIA.

1 *Omnes causæ matrimoniales coram solo Judice Ecclesiastico tractari debent.*

2 *Causæ matrimoniales de jure tantùm ad Episcopos, eorumque Vicarios pertinent.*

3 *Conjunx propria authoritate comparem dimittens, tenetur iterum recipere, non obstante quocunque impedimento.*

4 *An post receptionem, non obstante impedimento, licitus sit conjugii usus.*

5 *Non tantùm conjuges, sed quicunque notitiam impedimenti habentes matrimonium accusare possunt.*

6 *Conjugibus impedimentum ultrò confitentibus, non statim credi debet.*

7 *Ad matrimonium contractum dissolvendum requiruntur plenæ probationes.*

8 *Consanguinei circa impedimentum consanguinitatis pro testibus accipiendi sunt.*

9 *In dubio pro favore matrimonii judicari debet.*

10 *Causæ matrimoniales brevissimè tractari debent.*

11 *Sententia lata in causa matrimoniali non transit in rem judicatam.*

12 *Accusatio matrimonii etiam post lapsum longissimi temporis institui potest.*

13 *Quando agitur de impedimento canonico, nunquam transactio locum habere potest.*

CОntingit non rarò, ut desponsatis vel conjugatis aliquod impedimentum canonicum objiciatur, atque contra eos ad impediendum matrimonium contrahendum, vel contractum dissolvendum agatur. Ideò in hoc §. tradenus, quid Judicibus in tali processu observandum sit.

1 Igitur *sciendum* primò, omnes causas matrimoniales pertinere ad judicium Ecclesiasticum, quam propositionem si quis contumaciter negaverit, anathemate damnatur à Concilio Tridentino *sess. 24 de Sacramento matrimonii can. 12.* unde Judices sæculares se immiscere non possunt, quia cùm matrimonium sit Sacramentum, causa illius censetur esse spiritualis, quam non convenit à sæcularibus judicibus tractari, *c. decernimus, de judiciis*. Imò tametsi causa principalis sit sæcularis, & quæstio tantùm incidat de valore matrimonii (exempli gratia si agatur de hæreditate, & filius, qui hæreditatem prætendit, negetur esse legitimus, & natus ex valido matrimonio) adhuc judices sæculares in causa principali supersedere, & illam quæstionem de valore matrimonii ad Judicem Ecclesiasticum decidendam remittere debent, licèt aliàs causa connexa dividendi non sit. *l. nulli, Cod. de judiciis*, excipitur tamen, si sit spiritualis, quæ à judice sæculari nequit cognosci, *cap. tuam, de ordine cognitionum, cap. later, & cap. causam, qui filii sint legitimi*. Minsing *cent. 1. observ. 100.* qui ita in Camera Imperiali practicari asserit, nisi quæstio de matrimonio esset *meri facti* & *non juris*. v. g. si diceretur filius merè ex concubinatu genitus, & negaretur inter parentes ejus aliquando matrimonium fuisse contractum; tunc enim de isto facto, an matrimonium contractum sit, abstrahendo à valore ejus, etiam Judex sæcularis rectè cognosceret.

2 *Sciendum II.* Causas matrimoniales non ad quosvis Judices Ecclesiasticos, sed tantùm ad Episcopos, eorumque Vicarios pertinere. Unde Decani & Archidiaconi hanc cognitionem causarum matrimonialium sibi de jure vindicare non possunt. *Trid. sess. 24. de reform. c. 20.* in amplis tamen diœcesibus, sicut in hac Salisburgensi, solent Episcopi Archidiaconis causas matrimoniales in certo aliquo districtu emergentes judicandas committere, & sibi tantùm appellationem reservare, ne partes cum magnis sumptibus & temporis dispendio cogantur semper Episcopale Consistorium adire. Abbates quoque nonnulli exempti, qui totum territorium, & in eo jurisdictionem quasi Episcopalem habent, quamvis ipsi de cætero Episcopi non sint, etiam de causis matrimonialibus cognoscere possunt: Nam ad decisionem istarum causarum non requiritur ordo Episcopalis, sed jurisdictio.

3 *Sciendum est III.* Neminem posse propria authoritate conjugem ob quodcunque impedimentum sine sententia Judicis dimittere, licèt fortassis notoria consanguinitas inter ipsos conjugatos post contractum matrimonium appareret. Imò si de facto v. g. maritus dimisisset uxorem, ad recipiendam eam & cogendus & insuper pœna arbitraria mulctandus esset. *c. 3. & 4. de divortiis* 4 † Utrum autem post talem receptionem licitus sit usus matrimonii. *Vid. sup. Sect. 9. num. 6.*

5 *Sciendum IV.* Quòd non tantùm ipsi conjuges, vel illi, quorum interest, possint matrimonium accusare, & impedimentum Judici notificare, sed si fama spargatur, quosdam conjugatos aliquo impedimento canonico laborare, Judex de veritate ex officio inquirere debeat: imò quilibet de populo, cui impedimentum notum est, id judici proponere, & matrimonium accusare permittatur, ne aliqui sub specie conjugii impunè adulteria vel incestus committant, dummodò non sit præsumptio, quòd ex odio aut malitia, vel ad extorquendam pecuniam accusator alienum matrimonium turbare velit. *c. 5. Qui matrimonium accusare possunt &c.*

Oritur autem præsumptio contra accusatorem, si eo tempore, quo denuntiationes ante matrimonium in Ecclesia factæ sunt, ipse in loco præsens fuerit, nec contradixerit, & primùm post matrimonium contractum accusationem instituat. Quare non erit facilè audiendus, nisi juramentum præstiterit, quòd primùm ex postfacto in veram notitiam impedimenti devenerit, & nulla malitia ad accusandum moveatur. *c. ult. ubi Panor. n. 9. x. Qui matrimonium accusare possunt &c.*

6 *Sciendum V.* Quamvis aliàs propria confessio dicatur optima probatio: si tamen conjugati ultrò fateantur impedimentum, v. g. consanguinitatis, impotentiæ, criminis, non propterea matrimonium statim separandum foret, nisi ex aliis conjecturis de veritate appareret, ne conjuges cohabitationis pertæsi colludere & impedimentum fingere possint, *cap. super eo 5. De eo, qui cognovit*. Si verò conjuges non petant separationem, sed tantùm dispensationem, & ulterius cohabitare velint, creditur simplici eorum assertioni, quia hic nulla causa est, cur de falsitate suspecti sint: nam confessio non est in eorum favorem, sed potius gravamen impetrandæ dispensationis.

7 *Sciendum VI.* Causam matrimonialem reputari in jure causam *arduam & magni præjudicii*, adeòque in ea non sufficere qualescunque probationes, sed requiri plenas & integras. Verùm hoc intelligendum est, si de matrimonio *jam contracto dissolvendo* agatur. Sin autem agatur de *impediendo matrimonio*, quod necdum contractum est, tunc etiam semiplenæ probationes admittuntur, ut dictum unius testis, fama communis, vel alia indicia & conjecturæ, *c. 2. de consanguinitate & affinitate*. Ratio est, quia ex tali imperfecta probatione res fit saltem dubia & periculosa: in dubio autem & periculo tutior via est tenenda, & expedit ab initio impedire matrimonium, quam cum periculo peccati admittere, ut fortassis ex postfacto cum scandalo dissolvi debeat.

8 *Sciendum VII.* Licèt regulariter consanguineus pro consanguineo non sit testis idoneus, si tamen agatur circa matrimonium de impedimento consanguinitatis, potiùs consanguinei quàm extranei pro testibus admittendi sunt, eò quòd censeantur, optimam habere suæ genealogiæ noti-

notitiam, & non facilè incestas nuptias in sua familia toleraturi sint. *cap. 3. qui matrimonium accusare &c. c. super. de testibus.*

Sciendum VIII. Si aliqui testes aliquid contra matrimonium deponant, vel res ipsa in puncto juris controversa sit, tunc potius pro matrimonio, quàm contra pronunciandum esse. *arg. c. finalis de sententia & re judicata.*

10 *Sciendum IX.* Causas matrimoniales tractandas esse *summariter*, & quantum fieri potest, brevissimè, ut longiores dilationes & frustratoriæ exceptiones ex officio Judicis amputentur, ne litigantes ob longiorem moram periculo incontinentiæ exponantur. *Clement. 2. de Judicijs & Clement. sæpè. de verborum signif.*

11 *Sciendum X.* Quòd sententia lata in causa matrimoniali non transeat in rem judicatam, etiamsi ab ea appellatum non fuerit, propterea si quandocunque novæ probationes impedimenti emerserint, nova accusatio institui poterit, vel è contra si matrimonium ex falsis probationibus separatum fuerit, & ex postfacto de veritate constat, rursus redintegrari debebit *c. lator. & ibi glossa de sententia & re judicata.*

12 *Sciendum XI.* Quamvis aliæ actiones regulariter extinguantur lapsu 30. vel 40. annorum. *L. sicut & L. omnes. C. de præscriptione 30 annorum* Accusationem tamen matrimonij post lapsum tanti temporis institui posse: neque enim matrimonium ab initio invalidum tractu temporis convalescit, aut impedimentum tollitur. Hoc tamen concedendum videtur, quòd post mortem conjugum 30. vel etiam 20 annis elapsis non possit disputari de valore matrimonij præteriti, v. g. ut filius vel nepos à successione hæreditaria excludatur; quia cum tali casu jam cessaverit peccatum conjugum, non apparet ratio, cur dispositio juris civilis, quæ post tantùm temporis omnem actionem tollit, locum non habeat. Facit etiam textus *in lege querela. ubi Barth. & D. C. ad legem Corneliam, de falsis.*

13 *Sciendum ultimò*, in alijs quidem causis dubijs consulendum esse partibus, ut transactione vel amicabili compositione liti finem imponant. At verò in matrimonio, quando agitur super impedimento canonico, non esse permissam transactionem, neque juramentum voluntarium, vel compromissum aut alia similia, quæ speciem transactionis continent. *c. ult. de transactionibus.* Quia super illis tantum admittitur transactio, quæ sunt in potestate partium litigantium. Non est autem in earum potestate cum impedimento canonico in matrimonio permanere, vel sine impedimento à matrimonio discedere, ergò. Super expensis autem in lite factis, item si contra filium agatur, de valore matrimonij parentum jam defunctorum, in ordine ad successionem hæreditariam, transactionem procedere, nemo facile dubitarit. Alia ad processum judicialem in causa matrimonij pertinentia ex lib. 2. Decret. desumenda sunt.

Casus matrimonialis perplexus & difficilis.

DUm hoc Manuale Parochorum compono, proponitur mihi casus admodùm rarus & intricatus, qui quidem longis abhinc annis, nimirum circa tempus Concilij Constantiensis & Basileensis contigit, potest tamen ejus decisio etiam nostris temporibus inservire, & cum præ cæteris involvat illam practicam quæstionem, *an & qualiter usus matrimonij invalidè contracti sit licitus, quando impedimentum est planè occultum, & uni tantùm parti cognitum*, nolui omittere, quin coronidis loco hic adstruerem.

Rem gestam oculatus, & in facto proprio testis omni exceptione major describit Joannes Nyder Ord. Præd. Theologus & Professor suo tempore præstantissimus *in formicario lib. 3. c. 3.* placuit ejus verba formalia ponere, quia in plerisque verbis & circumstantijs vis aliqua & consideratio est.

Sequuntur verba formalia:

„Me prædicante, inquit, in Diœcesi Basileensi consilii gratia ad me venit fœmina secundum seculum non infimi status. Cùmque fletu tanto inundaret, ut Magdalenam alteram credidisses, nisi quòd ad pedes peccatoris non procidit, & ego quid haberet tristitiæ ab ea quærerem, tandem subjunxit. Pater ego Peccatrix parata pœnitere omnibus modis mihi possibilibus, & satisfacere, quatuor viros habui, & quem nunc habeo non est meus, cum his omnibus per verba de præsenti contraxi, & ex his viventes tres hodie supersunt. Quibus auditis satis obstupui, sciens quod talibus perplexitatibus summam oportet dare operam, si enodare quis quempiam velit. Unde investigata diligenter causa, quam prius nesciveram, didici quòd de omnibus viventibus difficultas aderat, nam de mortuo, si quod fuit ligamentum, illud cum vitę termino solutum erat. Primum enim virum ex viventibus percepi anteà cum quadam contraxisse, licet clandestinè; & ita in foro conscientiæ ab eodem liberam esse. Cùm secundo clandestinè etiam contraxerat, & consummatum fuit matrimonium carnali opere, sed ipsa hoc perjurio negante coram Judice Ecclesiastico, divortiata est ab ipso viro secundo. Cum tertio verò postmodum contraxit in facie Ecclesiæ, cum quo jam domicilium habuit, & natos quosdam. Et quid inter hos duos consulerem, ut anima adulteræ salva fieret, anxius valdè fui. Erant enim ambo viri animosi ad arma nutriti, rebus ditati, amicis vallati, ad incontinentiam proni, & juxta communem existimationem in conscientiis valdè lati. Unde vidi quòd quamvis jure fori fœmina uxor esset tertii, non tamen jure poli, sed tantum secundi, à quo perjurio mediante ipsa divortiata extitit. Et quodcunque juberem, videlicet, manere cum tertio, vel redire ad secundum, aut ab utroque se secernere, in foribus semper aderat ex una parte aut verisimile homicidium, aut fœminæ adulterium, aut alterius mortalis criminis periculum. Nam si jubere volui reditum ad secundum sequebantur hæc inconvenientia verisimiliter, videlicet quod zelotypia motus tertius secundum via facti invaderet, & occideret. Secundò quòd fęmina cum secundo manere nequisset, quia divortii celebratio obstitit facta in judicio Ecclesiæ, quamobrem omni jure humano eam tertius à secundo obtinere poterat, imo excommunicare. Tertiò vita fęminæ sic fuisset in periculo utrinque, dum ille tanquam perjuram, vel iste velut adulteram trucidare valeret. Sileo de nota infamię super facto juramento, quod perjurium esse nemo nisi ipsa, & fortassis secundus sciebat, quod propter contractum clandestinum probare contra eam non potuit, nec fœminæ crederetur verba si seso in hoc infamaret. Si denique exadverso fœminam sinebam manere cum tertio, sequebantur mala animæ in ipsa deteriora, quia quotiens à viro tertio cognoscebatur, totiens adulterium commisit, non suo marito in hoc obediendo, quamquam ipse hoc exigere posset, quem perjurium potatæ uxoris latebat, non autem ipsa vice reciproca, quæ impedimentum non ignorabat. Et si suadere volebam, ut cum tertio velut soror ejus casta maneret hoc quidem ipsa paratissimo subiisset animo, sed ipse velut incontinens jure exigendi debitum nullatenus carere voluisset, prout ex multis conjecturis videre poteram. Porrò si medium viam fœminæ consulere volui, videlicet, recessum ab utroque, tam habitatione, quàm thoro, pericula multa intuebar oriture, quia si posita esset in monasterio, tunc nullæ prudentes eam ad professionem recipere debebant viro vivente invito, nec ipsa periculo fraudulentiæ se exponere debuit. Si verò extra monasterium latebram ei consulere volui, quod plus mihi placere cœpit, ut animam saltem salvare posset, terrebat me, quòd pulchrâ facie, & sexu fragilis vix tuta castitate maneret, vel quod tertius zelotypia motus fugientem lætaliter invaderet. Nescit enim ille fœmineus sexus fuga se, sicut masculinus, celare vel tueri. Quid igitur assertivè consulere ad præsens non habui, nisi quod pœnitenti respondi eam consolando, ut Deum sine intermissione pro sua liberatione invocaret eleemosynas pauperibus (quia lucrosa valdè fuit) pro se, & pro tertio viro erogaret, & quid sibi consulerem deliberatior factus, & similiter alii prudentes viri, parato animo omninò susciperet. Ad quæ verba consolata aliquantisper abscessit. Intereà libros consului, quibus me juvare non potui. Redii ad fœminam, & ultimum modum fugæ supratactum ipsi suasi. Ad quem cum se prepararet, de quo tamen mihi periculum non modicum corporis, & sibi majus, & fortè aliis imminere poterat, affuit divina gratia quæ quæstioni difficillimæ solutionem dedit facillimam. Sibi enim incidit, ut quotiescumque vir tertius debitum exigeret, ipsa se per hujusmodi obedientiam lethalem infirmitatem contrahere fingeret, & ne id mendacium esset, ad animæ infirmitatem hoc mente tenus apud se retorqueret, ex qua infirmitate animæ, scilicet per mortale crimen, certum est secundùm nostram fidem quemque needum animæ, sed etiam corporis perpetuam mortem subire. Ita fecit ut cogitavit, & divina arridente gratia, vir prius incontinens fœminæ compati cœpit, quàm in aliis veracem sæpè esse didicerat, & usque modo jam annis plurimis eam tantummodò ut sororem habet intactam, nec de adulterio viri quicquam aliundè malè audivi.

SAnè hunc casum maximis difficultatibus intricatum esse nemo non videt.

Assimilemque jugi loris, quæ Gordius olim
Nexuit, atque Jovis Phrygij suspendit ad aras.

Ut autem doctrina aliqua Canonica exinde capiatur, resolvam breviter in aliquot quæstiunculas.

I. Quo Jure polygamia prohibita, & an aliquo modo possit licere?

II. Matrimonium clandestinum quando fuerit validum, & quando, ac quare invalidatum?

III. An post Concilium Trid. ex matrimonio clandestino nascatur naturalis & conscientiæ obligatio?

IV. Utrum sententia Judicis in causa matrimoniali transeat in rem judicatam?

V. Si quis probare nequeat, aut manifestare sine gravi damno vel periculo nullitatem matrimonij non audeat, si tamen certus, an liceat exigere vel reddere debitum conjugale saltem ad evitandum damnum vitæ, vel famæ (quæ vitæ comparatur *arg. l. justa. ff. de manum. vind.*) vel aliud scandalum aut periculum?

VI. Quæ sit cautela ad evitandum usum matrimonij cognito impedimento.

VII. An medium, quod ista fœmina apprehendit, fuerit justum & licitum?

VIII. An liberi ex ultimo matrimonio invalido nati fuerint legitimi?

Ad I. Quæst.

Quo Jure polygamia prohibita, & an aliquo modo possit licere?

SUme responsionem ex hoc Libello *c. 5. §. 5. Sect. 9.* An verò Deus possit dispensare, ut una uxor pluribus viris matrimonio jungatur? negat Bellarm. *lib. 1. de matrim. c. 11.* Asserit Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 80. numer. 15.* Si propè sacrilegium est, Summi Principis potestatem in dubium vocare, *L. 3. C. de crim. sacril.* quomodo præsumat scintilla infirmissimi intellectus humani abyssum æternæ Sapientiæ intra certos limites coarctare? qua fronte dicat creatura Omnipotentissimo Creatori, figmentum fictori virtutis & potestatis infinitæ, *non potes amplius?*

Ad II. Quæst.

Matrimonium Clandestinum quando & quare invalidatum?

REspondetur, ante Concilium Trid. sessione 24. quæ fuit habita sub Pio IV. Pontif. die XI. Novemb. Anno M. D LXIII. ad substantiam Matrimonij solum consensum mutuum de præsenti absque alia solemnitate sufficisse, ut ex *c. 11 qui fidem. De sponsal. c. 1. & 2. De Cland. desp.* & pluribus alijs locis satis apparet. Sed quia experientia docuit, ut ex præsenti casu abundè patet plurimas polygamias fuisse commissas & matrimonia clandestina contra Jus fasque abnegata, ideò per Concilium Trid. *d. S. 24. de reform. matr. c. 1.* optimè constitutum est, ut nullum valeret matrimonium, cui *proprius Parochus & 2. vel 3. testes* non interfuissent. Dices, quomodo matrimonia clandestina ante Concilium Trident. valida fuisse pronunciantur, cùm tamen repugnet expressus text. in *c. 1. 30. q. 5.* ubi pridem Evaristus Papa statuisse legitur in hæc verba: *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus & propinquioribus sponsetur, & suo tempore sacerdotaliter benedicatur &c. Aliter verò præsumpta non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima.* Fateor, difficilis hic textus est, nec benè subsistere videtur communis interpretatio quòd *non legitimum*, idem sit quod *illicitum*, proinde matrimonium clandestinum ex hoc textu sit quidem *illicitum*, sed non *invalidum*, idque colligatur ex verbis finalibus, *nisi voluntas propria suffragaverit &c.* quomodo enim *validum* matrimonium est *potius adulterium, fornicatio &c.* quàm *legitimum conjugium*? Deinde per ipsa verba finalia non parum intricatur textus, nam vel adest *consensus mutuus*, vel non? si adest, tunc etiam sine enumeratis solennitatibus matrimonium erit *legitimum*: si abest, erit nullum, non ex defectu *solemnitatum*, sed *consensus*. R. posse sustineri communem interpretationem declarando textum in hunc sensum, ut illa verba: *Aliter verò præsumpta non conjugia, sed adulteria vel contubernia &c esse non dubitate.* non tam contineant *decisionem* invaliditatis matrimonij, quàm vehementem *præsumptionem juris* contra talia matrimonia. Hæc tamen *præsumptio* non est *juris & de jure* sed *juris tantùm*, cùm admittat probationem in contrarium *c. 1. & 2. De Cland. desp.* & licèt Pontifex dicat: *non dubitate*, attamen ista verba rectè etiam de gravi *præsumptione juris* accipiuntur; quamdiu enim stat *præsumptio juris*, non est *dubitandum*, usque dum contrarium probetur, veluti *non dubitatur*, decimas ad Parochum spectare, diœcesanum esse de jurisdictione Ordinarij, quamdiu contrarium non ostenditur. Præterea cùm Pontifex *d. l.* matrimonia clandestina etiam *contubernia* vocet, fortasse poterit adjungi alia explicatio desumpta ex *c. is qui & c. Christiano d. 34.* ubi Christiano loco uxoris *concubina* permittitur, ad quem textum ibidem subnotatur, quòd *concubina* etiam olim dicebatur uxor dicta quidem *validè*, sed *illicitè & clandestinè*.

In casu igitur nostro, qui contigit circa Annum Domini 1490. ideòque longè ante Concil. Trid. Indubitatum tenendum est, matrimonium clandestinum, quod mulier cum illo viro à quo ob perjurium suum libera pronunciata est, contraxit, tunc temporis valuisse, & fuisse verum matrimonium.

Ad III. Quæst.

An post Trid. ex Matrimonio clandestino saltem in conscientia nascatur obligatio?

REsp. cùm Concilium Trid. contrahentes sine parocho & testibus *ad sic contrahendum omninò inhabiles reddat, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernat*, per hanc *inhabilitationem & irritationem* censetur ita efficaciter resistere contractui, ut omnem ejus & *civilem & naturalem* obligationem tollat per ea, quæ superius *hac eadem p. 3. cap. 1.* dicta sunt. minimè etiam fuisset obtentus finis Concilij, nimirùm evitatio periculorum ex matrimonijs clandestinis oriundorum, & obligatio, vel valor talium matrimoniorum in conscientiæ foro relictus fuisset.

Utrum autem matrimonium clandestinum hodie saltem valeat in vim sponsalium *de futuro*, ut contrahens ab initio clandestinè, posteà publicas solennitates adhibere teneatur? videantur plurimi DD. in utramque partem relati à Barb. *in collect. ad d. c. 1. Trid S. 24. n.* 130. & diximus aliquid *in p. 3. c. 5. §. 2. n.* 10. si fœmina, quæ aliàs juris ignorantia facilius excusatur, *L. cùm de indebito ff. de probat.* per contractum clandestinum decepta & defloratа vel aliàs jam propè extra spem alterius conjugij ob clandestinum hoc matrimonium & cohabitationem posita fuisset, affirmativa sententia magis æquitati consentanea foret, *arg. c. 1. de adult. & sup.* & per ea quæ dicta sunt *d. c. 5. §. 1. sect. 2. n.* 13.

Ad IV. Quæst.

An sententia in Causa matrimoniali transeat in rem judicatam?

NOn transire, etiam in hoc libello *p. 3. c. 5. §. 7. nu. 11.* dictum est, cùm enim transitus sententiæ in *rem judicatam* fundetur potissimùm in tacito consensu, & approbatione ejus, qui contra sententiam potuisset appellare, & non appellavit, ideò propriè tantùm obtinet, quando agitur circa res patrimonij nostri, quas pro nostro arbitrio possumus alienare, aut vindicare, actionem pro iis competentem remittere &c. non verò in alijs rebus, quæ in nostra dispositione non sunt, ut matrimonium, ob impedimentum dirimens invalidum, reddere validum, aut viceversa matrimonium rescindere. Licèt ergò secundus maritus in proposito casu, à quo mulier mediante perjurio divortiata est, minimè appellarit, non tamen exinde mulier liberationem consecuta est.

Ad V. Quæst.

An cognita nullitate matrimonij non manifestabili, licitum sit exigere, vel reddere debitum?

QUo ad *petitionem* seu exactionem *debiti* difficultas non est, utique enim ex matrimonio nullo nullum jus petendi est, & activè accedere ad personam, quæ conjunx

non

non eſt, hinc dubiè contra ſextum Decalogi præceptum eſt, aliiſque legibus divinis, quæ omnem immunditiam, & carnalem commixtionem præter matrimonialem damnant, *1. ad Cor. 6. ad Gal. 5.*

Ardua autem quæſtio eſt, an ſaltem ad vitanda magna damna & pericula liceat reddere debitum: Pro negativa eſt textus valde clarus *in cap. litteras de reſtit. ſpoliat. & in cap. inquiſitioni 44. de ſentent. excomm.* ubi S. Pontifex reſcribit, quòd mulier conſcia nullitatis & impedimenti matrimonii ne quidem ad præceptum judicis ſub cenſuris eminatum poſſit abſque peccato mortali *reddere* debitum. Tales enim cenſuræ non ſtringunt animam & conſcientiam fœminæ, quia ſunt latæ ex falſa præſumptione, (quæ locum non habet in conſcientia, juxta dicta ſuperius *p. 5. c. 1. nu. 8.*) cum Judex fori externi, qui de occultis non judicat, præſumpſerit fœminam frivolè allegare impedimentum, cujus nullam probationem adferre poteſt. Ratio autem principalis eſt, quod conceſſa in ſimilibus circumſtantiis *debiti redditione*, ſequeretur, fornicationem, aut adulterium, quæ ſunt intrinſecè mala, ad vitandum vitæ aut famæ periculum licere, cùm tamen propter nullum metum liceat peccatum mortale admittere, *cap. ſacris, de his quæ vi metuſve &c.* Et hanc ſententiam cum Sanchez *lib. 2. de Matrim. diſp. 39. n. 5.* Guttier. *de Matrim c. 43. nu. 1.* Barb. *in d. c. inquiſitioni n. 3.* Gobat. *in Alphab. Matr. p. 2. nu. 637.* docent plerique Theologi & Canonum Interpretes, eſto, quamvis ſcandala & damna ex denegatione debiti ſequantur, ut dicit Barb. *d. n. 3.*

Verum teſte Gobat. *d. l.* multi graves viri olim pronuntiarunt à culpa immunem, *qui reddit debitum ob metum mortis*, *alii, ſi ob mandatum Magiſtratus Eccleſiaſtici ignorantis illud impedimentum, tunc enim Judicem Eccleſiaſticum diſpenſare ex commiſſa ſibi poteſtate, ſi ſit juris Eccleſiaſtici*, in ſpecie autem pro hac ſententia affirmativa citatur à Sanch. *d. l. n. 2.* Magiſter *4. diſt. 38. in fine.* Hugo de S. Victore *de Sacram. par. 11. cap. 6. & alii.* Rationes quoque ſunt 1. quòd juſtè poteſt alter *petere*, hoc poſſum imò aliquando teneor *reddere*, (licet juſtitia petitionis ſit tantùm putativa ex errore, & perſuaſione hominum cauſata, ut in exemplis ſeqq.) ſed conjunx alter in bona fide exiſtens juſtè poteſt *petere*, ut omnes fatentur, ergo &c. 2. Ex multorum ſententia judex poteſt occidere reum, & ipſe pati mortem, qui publicè habetur pro nocente, licet Judex privatim ſciat ejus innocentiam, Covar. *var. reſol. lib. 1. c. 1. n. 4.* cùm tamen occidere innocentem intrinſecè malum ſit. 3. Similiter quamvis dare SS. Euchariſtiam indigno ſacrilegium ſit, poteſt tamen Parochus, ſi privatim ſolum ſciat indignum, unde à fortiori, ſed Parochus habet jus dandi SS. Euchariſtiam iniquè petenti ad conſervandam famam ejus, cur non etiam mulier ad conſervandam vitam & famam propriam poteſt dare debitum marito non iniquè petenti? 4. Ratio prioris ſententiæ videtur niti falſo ſuppoſito, quod *redditio debiti* quæ fit in figura Matrimonii publica opinione valida ei qui *juſtè petit*, ſit formale adulterium, fornicatio aut peccatum, tunc enim dici non poteſt, mulierem reddendo cooperari peccato, quando *petendo* peccatum non committitur. 5. Confeſſarius qui novit aliquos habere impedimentum dirimens, quod ipſi invincibiliter ignorant, non tantum non tenetur eos impedimenti admonere, ſi exinde ſequeretur ſcandalum vel perplexitas, ſed inſuper ſi alteruter ex putativis conjugibus ex alia cauſa renuat *reddere debitum*, poteſt & debet poſitivè imperare, ut debitum reddatur, ſicut docet Sanch. *d. l. 2. diſp. 38. num. 8.* ſi ergo licet in uno caſu ſcienter permittere, imo & imperare copulam inter non legitimos conjuges, quare non in altero. Poteſt enim etiam Conjunx conſcia nullitatis matrimonii in bona fide eſſe in ordine ad reddendum debitum, credens ex rationibus, & authoritatibus hactenus adductis id ſibi licere, præſertim concurrentibus graviſſimis periculis, ni id fiat. 6. In ſententia contraria ſequuntur gravia pericula, & damna corporis, & animæ, offenſiones, iræ, homicidia, ſcandala, infamia, perplexitates, deſperationes, incontinentiæ (ſupponuntur enim tales circumſtantiæ concurrere) in iſta autem nihil: & quamvis omnia illa eſſent parvipendenda, ſi offenſa Dei eſſet manifeſta, aliud tamen videtur, ſi ſit dubia, & incerta. Et ſi ex duobus malis minus eligi poteſt, cur non præ malo certo malum incertum? 7. Contra textus allegatos opponi poteſt alius *in cap. Paſtoralis, §. quia verò, de offic. deleg.* Ubi Ordinarius jubetur ſententiam delegati Papalis executioni mandare, licèt ſciat eſſe injuſtam. Deinde textus cc. loquuntur de illo Caſu, quando impedimentum fuit deductum ad judicem fori externi, & mulier non timuit propalare, habuitque non tantum ſcientiam impedimenti, ſed etiam conſcientiam de non reddendo debito: neque præter excommunicationem alterius magni

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

damni ibidem mentio fit. Nos verò ſupponimus, mulierem ſine gravi periculo (ut in caſu enarrato) impedimentum dicere, vel debitum negare non poſſe. Deciſio autem S. Pontif. in uno caſu tollit quidem in eo omnem probabilitatem contrarii, ſed non in diverſo.

Quid igitur dicendum? Sanè niſi tam gravi cenſura hanc poſteriorem ſententiam perſtringeret Sanch. *d. diſp. 39. nu. 5.* ut aſſerat eſſe *falſiſſimam, & in fide periculoſam* (quod an verum ſit, aliorum judicio relinquo) ego non eam ſaltem probabilem adſtruerem. Verum ne traducar, velle patrocinari ſententiæ, quæ periculoſa in fide à quibuſdam habetur, nolo pro hic & nunc à priori diſcedere. Reſponſiones ad argumenta poſterioris ſententiæ ad 3. priora videantur apud Sanchez *d. diſp. 39. num. 12.* Ad reliqua reſponderi poteſt, ſufficere, quòd habeatur deciſio S. Pontificis *in c. litteras, & c. inquiſitioni*, reddere debitum cum ſcientia impedimenti eſſe peccatum mortale, quale peccatum ob nullum metum committere permittitur, *dict. cap. ſacris de his quæ vi, &c.* contra quam deciſionem argumentari non licet, *cap. in iſtis diſtin. 4. cap. ego ſolis, diſtin. 9.* Ad *paſtoralis, §. quia verò de offic. deleg.* quidquid alii exinde probare velint, tam in criminalibus quàm civilibus cauſis licere Judici condemnare reum contra propriam ſuam ſcientiam, ego tamen potius iis accedo, qui exiſtimant, id præſertim in cauſis criminalibus minimè licere, ſed referendam eſſe cauſam ad ſuperiorem, coram quo Judex teſtimonium ſuæ ſcientiæ deponat, *argum. cap. dilecte de teſtibus*, ſive deinde ſuperior credat, ſive non, judex inferior erit excuſatus. quòd ſi eſſet præſentis inſtituti, poſſem pluribus rationibus propugnare, ideòque puto textum *in d. §. quia verò*, locum habere dumtaxat in ſententia *iniqua*, quæ tranſivit in rem judicatam, & cujus iniquitas ex tacita approbatione (de qua etiam paulo ante in q. 4. dictum) purgata eſt, ſecus verò in cauſa criminali, matrimoniali, vel ipſo jure nulla, quæ in rem judicatam non tranſit.

Cæterum quid cenſendum, ſi non habeatur vera impedimenti ſcientia, ſed tantum credulitas vel dubium, ſuperius *in d. p. 3. c. 5.* traditum eſt, & declaratur, *in d. c. inquiſitioni de ſent. excom.* & apud Sanch. *d. l. 2. diſp. 41.*

Ad Quæſt. VI.

Quæ ſint media ad evitandam redditionem debiti?

VAria enumerat Sanch. *d. diſp. 39. à num. 13.* 1. Fugere in locum, ubi ſcandalum ceſſet. 2. Matrimonio nondum conſummato ingredi Religionem. 3. Petere divortium ex cauſa ſævitiæ vel adulterii, ſi hæ cauſæ ſubſint. 4. Cohabitare ſicut frater & ſoror, juxta *c. Laudabilem, de frigid. & malefic.* ſubjungit tamen, hoc medio moraliter nunquam uti licere propter periculum incontinentiæ. 5. Si impedimentum ſit juris Eccleſiaſtici tantùm, ut clam impetretur diſpenſatio, quam etiam Epiſcopus concedere poteſt, ut probat, *in diſp. 40. eod. lib. 2.*

Quid autem dixiſſet vir doctiſſimus in propoſita facti ſpecie, ubi juxta recenſitas circumſtantias nullum ex his mediis profuiſſet? Non *fuga*, quia corpori & animæ periculoſa; non *Religio*, quia matrimonium cum altero vero marito erat conſummatum, & cum tertio communiter habebatur pro legitimè conſummato. Non *divortium*, quia cauſa non fuit. Non *cohabitatio*, qua propter periculum incontinentiæ uti non licet. Non denique *diſpenſatio*, quia impedimentum *ligaminis* eſt indiſpenſabile, ut ſuo loco dictum.

Ad Quæſt. VII.

An medium quod fœmina apprehendit in noſtro caſu fuerit juſtum, & licitum.

MAllem ſane aliorum deſuper judicium audire, quàm meum tenue in re difficili, & perplexa educere, & vix nemirer aliquid nunc certi ſtatui poteſt, quia difficultas *in facto* eſt, juxta circumſtantias loci, temporis, & perſonarum, quæ modo præter narrationem ſupra poſitam incognitæ ſunt.

Conſidero quidem, ſicut ob damnum famæ, & multo magis vitæ, poteſt reſtitutio rei ad alium ſpectantis differri, *Laymann. in Theol. moral. lib. 3. tract. 2. c. 12.* Ita etiam reſtitutio corporis ex matrimonio alteri debiti. Prout id in ſpecie & ad noſtrum propoſitum, quando prius cum una clandeſtinè,

& posteà cum alia publicè contractum est, asserit Sylv. *verb. debitum conjugale in fine*. Item quòd *restrictiones mentales* ex justa causa à mendacio excusentur, *Nav. in c. humanæ aures, 22. q. 5. Sanch. l. 3. Mor. c. 6. Zoes. ad tit. de Decret. de jurejur. n. 85.* & denique quòd mulier piis operibus addicta, atque consilio Joan. Nyder à doctrina & pietate commendatissimi, & celeberrimi usa non facilè debeat præsumi in errorem inducta.

Interim tamen cùm fœmina juxta descriptionem Joan. Nyderi fuerit elegantia formæ, prona ad complexus virorum, quod toties iteratæ nuptiæ indicant, & ex parte altera viri superstites moribus militares, de incontinentia suspecti, conscientiæ laxæ, &c. Planè hoc medium in se spectatum (abstrahendo à speciali dictamine Spiritus Sancti, quod Legi non subjacet) ab initio quidem in defectu alterius medii tolerari, vix autem in plures annos practicari potuisset, juxta doctrinam Sanch. *d. disp. 39. num. 16.* quis enim non videat, omnes tres personas, scilicet mulierem, maritum verum, & putativum fuisse incontinentiæ periculo affectu & effectu perpetrandæ expositas? Maritum *verum* jure suo sine sua culpa privatum, & insuper potuisse instigante diabolo facilè cum alia illegitimum matrimonium attentare? Maritum *putativum* impeditum legitimas nuptias contrahere?

Sed quod remedium? Jam præmonui, hanc *facti* potius, quàm *Juris* quæstionem esse. Prima *juris* ratio postulavit, mulierem separari à viro *putativo*, & restitui *vero*; vel si hic ob causam adulterii nollet recipere, saltem à *putativo marito* manere separatam, ne in adulterio, aut periculo ejus, perseveret. Quomodo autem hoc executioni mandari potuit, absque eo quòd mulier proclamaretur, & graviter puniretur tanquam adultera, polygama & perjura?

Putassem maritum *putativum*, data bona opportunitate per Confessarium vel alios viros idoneos fuisse de nullitate matrimonii certiorandum, & disponendum (qui utique jam hoc usu matrimonii constitutus facilè consensisset) ut pareretur negotium ad Consistorium Ecclesiasticum tanquam casum occultum deferri à quo potuisset pronunciari divortii sententia: *ex causa impedimenti occulti sibi cogniti, & coram se legitimè probati*, & mulieri ob præcedens perjurium aliqua etiam occulta pœnitentia dictari, sicut apud nos sæpè deferuntur casus occulti matrimoniales ad Consistorium, qui ulterius non propalantur. quemadmodum enim SS. Canones, non tantùm ad forum *externum*, sed principaliter ad *internum* ordinantur, *c. novit. de judic. c. ut animarum de Constitut. in 6* ita etiam Judex Ecclesiasticus, in quantum fieri potest, *fori interni* considerationem habere debet.

Dices, quomodo potuisset mulier probare impedimentum *ligaminis*, cùm ipsi tanquam perjuræ, & propriam turpitudinem allegantí non fuisset habenda fides, *Arg. c. sicut nobis 9. x. de testibus?* & in ordine ad separationem matrimonii jam contracti plena probatio requiratur? Resp. Mihi videri, sufficientem esse potuisse probationem ex his concurrentibus. I. Ex depositione veri mariti, jam prius habita. II. Ex depositione nova ipsius fœminæ. III. Ex depositione Confessarii cum licentia revelandi sigilli sibi à pœnitente facta. IV. Ex circumstantiis & dispositione fœminæ, lacrymantis, pœnitentis, fugam periculosam meditantis, à conjugii usu cum maximo incommodo abstinentis &c. Quod autem ex vehementibus præsumptionibus (præsertim in causis non capitalibus & ubi non agitur de ablatione vitæ aut membri) sumi possit plena probatio, & exemplo Salomonis *3. Reg. cap. 3.* aliquando definitiva sententia ferri, notatur communiter *per text. & DD. in c. afferte de præsumpt.* Circa text. quidem *in d. c. sicut nobis*, intricata est disputatio, cui depositioni credendum sit, si testis juratus posteà dicat, se perjurium commisisse? Probabilius est, judicem id ex circumstantiis & præsumptionibus concurrentibus arbitrari debere. Fachin. *lib. 9. controv. cap.* 74 Rota apud Farin. *in decis. crim. & testium decis.* 19. & 163

Obtenta hac divortii sententia fuisset jam disponendus verus maritus, (cui jam anteà erat cognitum mulieris delictum) ut simulato quasi novo affectu & dissimulato priori clandestino contractu eam publicè in suam uxorem reciperet quòd si noluisset, mulier debuisset, in Monasterio, vel alio loco sibi non periculoso degere. An autem mulier adultera ante latam divortii sententiam invito marito possit ad professionem recipi? videatur Sanch. *de matrim. lib. 10. disp.* 10. *n.* 7. quod communiter apud eum negatur, quia innocens non tenetur invitus dimittere nocentem, & si semel dimiserit, potest denuò recipere.

Si casus de præsenti foret, & circumstantiæ loci, temporis, & personarum cognitæ, forsan melius consilium incideret, interim hoc discursus gratia libuit inserere.

Ad VIII. & ult. Quæst.

An separato Matrimonio putativo Filii inde nati sint legitimi?

Ex supposita narratione, quòd matrimonium publicè in facie Ecclesiæ præmissis denunciationibus, & sine contradictione contractum, & unus saltem ex conjugibus in bona fide fuerit, proles legitimè nata censebitur, text. planè ad propositum, *in c. ex tenore pen. Qui filii sint legitimi c. 2. eod. tit. cap. 3. §. si quis vero de clandestin. despons. Henr. Zoes. ad dict. tit. Qui filii sint legitimi n. 7.*

PARS IV.

De Juribus & Reditibus Parochorum.

CAPUT I.

De Decimis.

§. I.

Quid sint, cui, & quomodo solvantur Decimæ.

SUMMARIA.

1 *Quid & quotuplex sint Decimæ.*
2 *Decimæ quatenus sint juris divini.*
3 *Pro Decimis Parochus habet intentionem fundatam in Jure.*
4 *Declaratio c. 2. de restit. spol.*
5 *Monasterium circa Parochiam sibi incorporatam censetur loco Parochi.*
6 *Cui Parocho solvendæ sunt Decimæ.*
7 *Quid sint & cui debeantur Decimæ novalium.*
8 *Laici habentes Jus decimandi ex privilegio vel infeudatione non possunt exigere Decimas novalium.*
9 *Idem de Religiosis qui jus decimandi à Laicis acceperunt.*
10 *Resolvitur quæstio, an Ecclesiastici habentes Jus decimandi ex privilegio possint petere Decimas novalium.*
11 *Fallit in certis casibus.*
12 *Parochus potest prohibere, ne Decimæ separentur se vel suo nuncio absente.*
13 *An in solutione Decimarum admittenda sit impensarum deductio.*
14 *De jure decimæ sumptibus Parochianorum deferendæ sunt in horrea Parochorum, valet tamen consuetudo contraria.*
15 *Moram committenti nocet interitus Decimarum.*
16 *Decimæ non solutæ consequuntur possessorem prædii.*
17 *Qualis actio comp. tat contra tertium possessorem.*
18 *Respondetur ad contraria.*
19 *Exceptio circa Decimas competentes ex Laicis, vel ex privilegio.*

Decimæ sunt pars decima fructuum tam terræ, quàm 1
aliarum rerum Deo in recognitionem universalis dominii debita, & ipsius ministris persolvenda. Sunt autem decimæ aliæ *prædiales*, quæ ex fructibus prædiorum debentur, ut de vino, frumento, oleo, pomis, fœno, & similibus. Aliæ *personales*, quæ debentur ex lucro humana potissimùm industria quæsito, ut ex mercatura, militia, stipendiis, aliisque negotiationibus, & obventionibus. Tertium quoque genus decimarum nonnulli constituunt, quas *mixtas* appellant, eo quòd partim quantùm ad productionem naturæ de prædialibus, partim quantùm ad accedentem industriam de *personalibus* participent, & hujusmodi censent esse *decimas animalium*, seu ex fructu pecorum perceptas ut lanæ, lactis, ovium, &c. Sed magis placet, istas decimas animalium ad *prædiales* referre, tum quòd in jure tantum duo genera decimarum, scilicet *prædialium* & *personarum* exprimantur *c. ad Apostolica*, 20. *q.* 1. tum quòd plùs in illis natura, quàm industria operetur: etiam

in fru-

in frumento & vino magna hominum industria accedere debet, & tamen nemo dixerit, decimas frumenti & vini personales esse.

2 Originem habere decimas ex Jure divino nullus ambigit, (si *de prædialibus* loquamur, secùs *de personalibus*, ut infra in quæst. 7. dicetur) ut videre est *Levit.* 24. *Num.* 18. & *Deut.* 14. An verò etiamnum hodie in novo testamento Juris divini sint, sicut asseritur *in c. Parochianos.* 14. & *c. tua nobis.* 37. *h. t.* inter antiquiores præsertim DD. gravis fuit concertatio, à qua illa quæstio principaliter dependet, an decimæ per consuetudinem, privilegium, vel præscriptionem Parocho auferri possint. Sed omissis quæ fusè pro & contra passim adducuntur, hodie magis receptum est, decimas eatenus esse Juris divini, in quantum deserviunt pro necessaria sustentatione ministrorum Ecclesiæ, quia teste Scriptura, *dignus est operarius cibo suo*, Matth. 10. & Apostolus 1. *Cor.* 9. dicit: *Dominus ordinavit, ut qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivant, & qui Altari deserviunt de Altari vivant.* Unde hoc respectu nec privilegio, nec consuetudine tolli posse, infra dicetur. Cæterùm autem quòd præcisè decima & non major vel minor pars dari debeat, censent unam esse de legibus cæremonialibus & judicialibus, quæ per legislatorem hominem in novo Testamento acceptatæ obligant tantùm ex jure humano, *arg. c. un de Purif. post part. vid. Azor. Instit. mor. p. 1. lib. 7. c.* 23. *Hen. Canis. de Decim. cap.* 3. idque non parum confirmatur ex eo, quòd summi Pontifices pridem concesserint, & adhuc concedere soleant Religiosis aliisque Privilegia exemptiones & immunitates à solvendis decimis, *c. ex parte. cum seqq. h. t.* quod fieri non posset si decimæ simpliciter Juris divini forent.

3 Decimæ Parocho propter spirituale ministerium persolvendæ sunt, & ita quidem ad eum spectare censentur, ut si cum Monasterio, Clerico vel Laico seu quocunque qui Parochus non est, super decimis litiget, non cogatur Jus suum probare, quia fundatam intentionem habet in Jure, ex quo præsumitur, quòd decimæ ad ipsum pertineant, nisi Adversarii contrarium ostendant. *c. cùm contingat.* & *c. cùm in tua. h. t.* imò quamvis aliàs spoliatus ante omnia restituendus, spoliatus tamen à Parocho super decimis non restituitur, nisi plenè de jure suo docuerit, *c.* 2. *de restit. spol. in* 6.

4 Verùm hunc text. *c.* 2. *de restit. spol. in* 6. putarem procedere in circumstantiis casus *ibidem* propositi, si nimirum spoliatus *aliquamdiu*, id est, modico tempore fuerit in possessione, & ita non tantùm contra illius jus decimandi, sed etiam contra possessionem præsumatur. Aliàs enim daretur ansa Parochis aliorum jura liberè invadendi, litem movendi, pacem turbandi, scandala violentiarum excitandi &c. quod utique juri & æquitati consentaneum non est, cùm regulare sit, quòd etiam vero domino non liceat violenter possessionem rei suæ apud alium existentem invadere sub pœna amissionis dominii. *L. si quis in tantam.* 7. *C. unde vi §. sed ne J. de vi bon. rap.* & prædo etiam spoliatus restitui debeat. *c. in litteris.* 5. *de restit. spol. l.* 1. *§. qui à me. ff. de vi & vi arm.* à qua regula æquitate plena & paci Reip. consulente non ita facilè recedendum, quin potius jura juribus concordanda, *c. cùm expediat. de elect. in* 6. Sunt quidam, qui ex hoc textu statuunt generalem *exceptionem* à regula, *quòd spoliatus ante omnia restituendus sit*, quoties *jus resistit spoliato & assistit spoliatori. Hen. Can. d. L. c.* 16. Sed cùm *exceptio* potissimùm tantùm in hoc textu ambiguo fundetur, qui ad concordiam jurium & pro bono pacis publicæ aliter explicari potest, non video quare necesse sit hanc *exceptionem* generalem ex particulari textu statuere, cùm alii textus non obscurè pugnent in contrarium, videl. *c.* 3. *de caus. poss. & propr.* ubi circa jus eligendi præsumptio fuit contra extraneos, pro capitulo, ut proptereà Barb. *ad d. c.* 2. *de rest. spol. in* 6. *n.* 8. rectè differentiam ex modica possessione (de qua *in d. c.* 2.) assignaverit. Item *in c. licet.* 28. *de præb. in* 6 ubi detinens duas Parochias spoliatus ab Episcopo restituitur, cùm tamen contra spoliatum & pro spoliante faciat jus. *c. de multa. X. & Extrav. execrabilis, de præb.* urget, quod alibi tradit Barb. *de Offic. Episc. p.* 3. *alleg.* 127. *num.* 41. *Ricc. tom.* 4. *resol.* 303. *in fin. addit. ad Greg. XV. decis.* 312. quòd Episcopo circa jura Episcopalia in quibus habet juria assistentiam contra quemcunque, non detur manutentio, quando adversarius *est in possessione temporis considerabilis*, ergò nec in simili Parocho contra possessorem decimarum.

5 Quòd si Parochia sit Monasterio incorporata, tunc quantùm ad Decimas Monasterium censebitur loco Parochi, & tam contra Parochianos, quàm etiam contra Episcopum & Vicarium eorum exercentem fundatam intentionem habebit *decis. Rot. apud Tambur. de Jur. Abb.* 3. *Decis.* 302.
Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

Quæritur autem I. Cui Parocho solvendæ sint Decimæ si 6
quis in una parochia Sacramenta percipiat, in altera sua prædia sita habeat?

Hæc quæstio deciditur *in c. ad Apostolicæ.* 20. *h. t.* ubi Pont. respondet, Decimas personales solvendas esse Parocho Sacramenta ministranti, quoad prædiales verò attendendam esse locorum consuetudinem. Quid autem, si nulla constans consuetudo probari valeat, & proptereà ad terminos Juris communis recurratur? R. de Jure esse probabilius, quòd Decimæ prædiales illi Parocho, intra cujus parochiam prædia sita sunt, persolvi debeant, ne parochiæ limites confundantur, & plurimæ lites subnascantur. *c. cùm sint homines.* 18. *eod. tit.* Idem dicendum de decimis *animalium*, quas superius prædialibus annumeravimus, ut illi Ecclesiæ solvantur in cujus territorio aluntur. Si in duobus pascantur locis, pro diversitate temporum, decimæ inter illas parochias dividentur pro rata temporis, nisi consuetudo aliud habeat. Rebuf. *tract. de decim. q.* 8. *n.* 11.

Quæritur II. Cui debeantur Decimæ Novalium? Suppo- 7
nendum inprimis Novale aliquando sumi *propriè* aliquando *impropriè*: *propriè* dicitur locus prius omninò sterilis ad culturam redactus v. g. si ex sylva extirpata, vel palude siccata agri fiant, aut si fundus, qui ab hominum memoria fuit incultus denuo ad culturam redigatur, *c. quid per novale. de verb. sign.* *Impropriè* autem, si in locum ante cultum novi fructus inserantur v. g. si ex vinea aut prato fiat ager vel è contra. vel certè prout in Jure Civili Novale dicitur terra præcisa quæ anno inculta jacuit. *L. Sylva* 30. *§. novalis. ff. de V. S. d. c. quid per novale.* his præmissis R. si Novalia intra fines alicujus parochiæ exurgant, Decimæ eorum debentur illi parochiæ; si verò in loco nullius parochiæ fiant, v. g. si sylva, quæ inter duas Parochias jacens pro utriusque termino fuit assignata, ad culturam redigatur, Decimæ horum Novalium debentur Episcopo, quia ipse est Parochus loci qui proprium Parochum non habet, *c. quoniam.* 3. & *ibi Panorm. n.* 2. *h. t.* Sed

Quæritur III. An etiam Parocho debeantur Decimæ Novalium, si alius intra fines suæ parochiæ Jus decimandi habeat ex privilegio vel infeudatione? In hac quæstione duo quasi extra controversiam sunt. † I quòd privilegium vel 8
infeudatio aut emphyteosis de Decimis concessa *Laicis* non extendatur ad Novalia *propriè* dicta (benè autem ad *impropria*) quia talis concessio tum propter personam Laici non implentis spirituale ministerium, ob quod dantur Decimæ, tum propter præjudicium Parochialium Ecclesiarum, odiosum & restringendum est, *c. tua.* 25. *in fin. de decim.*
† II. quòd Religiosi, qui Decimas acquirunt cum con- 9
sensu Episcopi de manibus Laicorum justè detinentium, *jux. c. cum Apostolica.* 7. *de his quæ fiunt à Præl.* non possint ex translatione hujus Juris in se, Decimas Novalium petere, sicut nec ipsi Laici potuissent, secundùm vulgatas regulas, quòd nemo plus Juris in alium transferre possit, quàm ipse habeat, & surrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum surrogatur. *c.* 2. *in fine. h. t. in* 6.

At magna est dissensio, utrùm si *personis Ecclesiasticis*, pri- 10
vilegium decimandi à S. Pontif. concessum sit, per tale Privilegium etiam Decimæ Novalium comprehendantur? Affirmativam cum gloss. & Abbate, *in c. ex parte.* 27. *h. t. per tex. ibidem.* plerique veteres Canonistæ tenuerunt, ut refert Barb. *in eod. cap. ex parte* 27. *h. t.* ita enim sonat tex. *in d. c. ex parte. cùm tibi quod majus est, sit concessum, ut videlicet Decimas de laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de Novalibus eas exigere satis potes: quia ubi majus conceditur, minus concessum videtur.* Econtrà Recentiores existimant Privilegium decimandi etiam *Ecclesiasticis* concessum non comprehendere Decimas Novalium, fundantur partim in communibus Juris regulis, quòd Privilegia concernentia præjudicium tertii restringenda. *c. olim. de V. S.* item quòd Privilegia non extendantur ad futura tempore concessionis non extantia. *c. fin. de rescript.* partim verò in *cap.* 2. *de decim. in* 6. ubi satis clarè insinuatur, quòd Jus percipiendi Decimas Novalium debeat per speciale Privilegium concedi, & non contineatur in Jure percipiendi veteres Decimas. Textum autem *in d. c. ex parte* accipiunt de casu, de quo loquitur, videlicet quòd Prælatus possit petere Decimas Novalium de Parochiis suo Monasterio incorporatis, in quibus loco Parochi est. *Covar. var. res. lib.* 2. *c.* 17. *n.* 13. *Gutier. Canon. qq lib.* 2. *c.* 21. *n.* 8 10. *Barb. in d. c. ex parte n.* 6

Puto in hac difficultate inprimis inspicienda esse verba & mentem Privilegii; nam si habeat verba ampla & favorabilia, ex quibus colligi possit, mentem privilegiantis se extendere etiam ad Novalia v. g. *concedimus, ut omnes &*

quascunque Decimas, vel omnem Decimationem, talis territorii percipere possis, &c. dicendum erit, tale Privilegium etiam Novalia comprehendere, sicut id ipsum secundæ sententiæ authores admittunt. *Gutier. d. l. n.* 25. & fundamentum est in *d. c. ex parte* ibi: *ut Decimas cum integritate percipiat, &c.* Cæterùm si Privilegium sine hujusmodi verbis prægnantibus tantum in forma communi concessum fit, utraque sententia suis non destituitur argumentis & rationibus. Verùmcùm in causa & interpretatione novalium plurimum attendendum sit ad præjudicium Parochialium Ecclesiarum, *per text. in d. c. quod per Novale in fin. de V. S.* nec non in qualibet causa favor litigantis (si ille non sit privatus sed publicus & de Jure) considerari debeat, *c. fin. de sent. & re jud.* ideò putarem has dissentientes opiniones aliqualiter ita conciliari posse; Si nimirum Parochus in hac quæstione concurreret cum Monasterio, quod ipsum etiam Sacramenta fidelibus dispensare solet, & idcircò magnum favorem meretur, Jusque decimandi esset in parvo districtu concessum, ita ut Parocho sufficiens sustentatio relicta fuisset, existimarem primam sententiam pro Monasterio fore præferendam, eamque confirmo *ex c. quia circà* 22. *de Privil.* ubi remissio Decimarum Episcopalium Monasterio indefinitè facta extenditur etiam ad Decimas possessionum futuri temporis, quas scilicet Monachi primum ex postfacto acquirent; *cùm nihil*, inquit ibidem Pontifex, *exceperit & potuerit excepisse, ac in beneficiis sit plenissima interpretatio adhibenda, nec debeat una eademque substantia diverso Jure censeri.* Quæ decisio & rationes Pontificis optimè adduci possunt contra rationes pro secunda sententia adductas, neque *tex. in c.* 2. *h. t. in* 6 adeò clarus est, quin responderi possit, eum non loqui de Privilegiis à S. Pontif. concessis, sed si Religiosi Decimas à Laicis acceperint, sicut in fine declarari videtur, item si valdè grave præjudicium Parochorum verteretur. Interpretatio verò, quæ à Covar. & aliis adfertur ad *d. c. ex parte*, quòd nimirum loquatur de Jure communi & propriis Monasterii Parochiis, in quibus Abbas loco Parochi est, non omnimodè satisfacit, tum quod hoc modo non fuisset dubitandi ratio, quin Decimæ Novalium ad Abbatem pertinerent, utpotè nullo alio ibidem existente, qui Jura parochialia prætendere posset, tum quòd Pontifex non se fundet in Jure communi & proprietate parochiarum, sed in eo, quòd *ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur.* Quia tamen additur in textu, *de laboribus Parochiarum suarum &c.* Ideò hoc rectiùs accipitur de illis parochiis, non quæ *pleno Jure* pertinebant ad monasterium, (circà quas ut dictum, non fuisset dubitandi ratio) sed in quibus Monasterium habebat solum Jus præsentandi, & Decimas ex Privilegio, ut etiam advertit Henric. Canif. *de Decim. c.* 11 *n.* 9. Si verò Parochus concurreret cum singulari aliqua persona Ecclesiastica, vel cum Monasterio quidem, sed posset probare, per amplitudinem Privilegii se multum gravatum & vix habere congruam sustentationem, tali casu non dubitarem alteram sententiam in Parochi favorem amplecti.

Quæritur IV. Utrum is, qui ex *præscriptione* habet Jus decimandi in aliena parochia, possit Decimas Novalium exi-
11 gere? R. † esse distinguendum inter Novalia impropriè dicta, & Novalia propriè dicta. De Novalibus impropriè dictis, quando scilicet vinea ager fit, &c. præscribens Decimas de novis fructibus petere poterit: quia Jus decimandi in illo agro hactenus possedit, & præscripsit. *c. cum in tua.* 30. *h. t.* De Novalibus autem *propriè* dictis regulariter Decimas petere non poterit, sed ad Parochum pertinebunt: quia cùm in loco Novalium ex defectu culturæ & consequenter fructuum, nullam decimationem exercere potuerit, intrat regula, quòd non censeatur plus præscriptum quàm possessum. *c. cùm contingat* 29 *& ibi DD. h. t.*

Idem dicendum censerem, si ex prato, in quo præscribens nullas Decimas fœni percepit, ager fiat. *Arg. in d. c. cùm contingat.* Licèt enim hujusmodi Novale forsan in rigore sit *impropriè* tantum Novale, subest tamen respectu præscribentis ratio, quæ in Novalibus *propriè* dictis militat, quòd nimirum in tali loco nullum Jus decimandi exercitum, possessum, & præscriptum sit.

12 *Quæritur* autem *V.* Utrum præscribens nullo casu possit Decimas de Novalibus *propriè* dictis excipere? S. Pontifex *in d. c. cùm contingat.* generaliter excipit casum, quo præscribens potest aliquam *rationabilem causam* allegare, ex qua demonstret Decimas Novalium ad se pertinere. Porrò quænam sit talis *causa rationabilis* ibidem non exprimitur, sed DD. unam vel alteram enumerant. Nimirum 1. si Decimas præscriptæ sint intra limites certi prædii & ibi pars aliqua inculta ad culturam noviter redigatur, maximè si pars illa minor sit, quia una eademque res non debet diverso Jure censeri, & major pars ordinariè trahit ad se minorem. 2. si ex loco inculto præscribens Decimarum nomine aliquid saltem utilitatis prius perceperit. v. g. ex ligno, glandibus, arundinibus, &c. *vid. Gutierrez. l.* 2. *c.* 21. *nu.* 102. *Gilkes de præscript. p.* 1. *c.* 6. *n.* 181. 3. videtur planè *causa rationabilis* si præscribens præter ordinarium Jus decimandi insuper præscriptionem Juris percipiendi Decimas Novalium probare possit demonstrando videlicet, quòd hactenus de exurgentibus Novalibus semper solitus fuerit Decimas accipere, quæ tamen *præscriptio* si resultet ex diversis actibus respectu diversorum, videtur potiùs assumere naturam *consuetudinis*, neque rarum est, ut idem actus diverso respectu nunc *præscriptio* nunc *consuetudo* dicatur teste Panorm. *in c. fin. de consuetud.* veluti si Episcopus sine Consilio Capituli soleat visitare diœcesim, respectu Capituli & Episcopi erit *præscriptio*, respectu diœcesis & populi erit *consuetudo*; poterit fortassis etiam huc accommodari doctrina Panorm. *in c. cum in tua* 30. *de Decim.* & Harp. *ad tit. Instit. de usucap. n.* 253. quòd ex præscriptione specierum resultet præscriptio generis.

Quæritur VI. An Parochus possit inhibere parochianis, ne Decimas separent, nisi se vel suo nuntio præsente? R. † 13
Affirmativè *arg. l. si suspecta* 29. *de inoff. test. Spec. in tit. de Decim. ad fin. Covar. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 8. *v. octavo.* imò tametsi de consuetudine contraria in aliquo loco Decimatio absente Parocho vel in horreo fieri soleret, si tamen Parochus posset probare, se multoties exinde defraudatum esse, justè peteret ab Episcopo istam consuetudinem declarari invalidam, ex eo quòd sit damnosa Ecclesiæ & occasionem peccato præbeat, *c.* 1. *de consuet.*

Quæritur VII. An Decimæ de integris fructibus, vel de iis tantùm, qui supersunt deductis impensis necessariis sol- 14
vi debeant? R. differentiam esse faciendam inter Decimas *prædiales & personales.* In illis nulla fit expensarum deductio, secùs in istis, *c. pastoralis de Decim.* rationem hujus differentiæ communiter assignant, quòd Decimæ *prædiales* debeantur eo modo, quo fuerunt institutæ in veteri lege, in qua Deus non respexit ad Jus Civile futurum, quatenus ex illo verbum *fructus* interpretandum sit, sed in verbum *fructus* intelligat naturaliter, prout in fundo crescunt, & Dei beneficio percipiuntur. At verò cùm Decimæ *personales* debeantur ex sola lege Ecclesiæ, nec ullum de illis in lege veteri sit præceptum, meritò effectum est, ut in illis Jure humano inventis, & post Jus Civil. institutis, verbum *fructus* civiliter (id est, deductis impensis *l. fructus* 7. *ff. soluto Matrim.*) consideretur *Barb. de Offic. Par. p.* 1. *c.* 6. *num.* 181.

Quæritur VIII. Utrum parochiani teneantur propriis sum- 15
ptibus deferre Decimas in horrea Parochorum? R. principaliter attendendas esse consuetudines locorum, & diœcesium, volunt enim consuetudines, ut Decimæ vel à Parocho exportentur, vel ab ipsis parochianis deferantur. *Gutier. Canon. qq. lib.* 2. *c.* 21. *n.* 45. abstrahendo autem à consuetudine magis communiter sentiunt DD. de Jure obligari parochianos, ut in horrea Parochi Decimas deferant, suis etiam propriis sumptibus *per text. & gloss. in c. revertimini.* 65. 16. *q.* 1. *Gutier. d. l. n.* 43 *Riccius in Praxi aurea p.* 2. *resol.*
244. † Si rusticus fuerit in mora solvendi, quando tenebatur 16
solvere, & Parochus paratus erat accipere, interim Decimæ pereant, hic interitus ad rusticum spectat, secus si voluisset solvere & Parochus noluisset acceptare; mora enim sua cuilibet nocere debet. *c. mora. de R. J. in* 6. Si tamen Parochus posteà voluisset acceptare & rusticus non dederit, attenditur posterior mora, *l. illud. de peric. & commod. rei vend. Gloss. in c. cum homines* 7. *in v. fructibus collectis h. t. Pan. ibid. n.* 7.

Quæritur IX. An Decimæ non solutæ sequantur possesso- 17
rem prædii? pone, quòd venditor prædii longo tempore non solverit Decimas, nunquid Parochus possit illas Decimas non solutas ab emptore petere? R. Affirmativè; ita tamen, ut emptor suum regressum ad compensationem damni propter evictas Decimas contra venditorem habeat. Ratio desumitur ex *l. Imperatores.* 7. *de Publician. & L. prædiis.* 36. *ff. de jure fisci.* ubi ita de vectigalibus & tributis constitutum est, ut ad ea etiam *præteriti temporis* solvenda possessores prædiorum conveniri possint, eo quòd ipsa prædia potius, quàm personæ obligentur. Unde rectissimè argumentum ad Decimas deduci potest, tum quòd Decimæ (quæ etiam *tributa egentium animarum* dicuntur, *c. Decima* 66. 16. *q.* 1. & ante omnia *tributa* propter prærogativam dominii Generalis persolvendæ sunt. *c. cum non sit* 33. *h. t.*) magis à prædio, quàm persona debeantur, sicut ea de causa etiam Judæi Decimas *prædiales* solvere debent, *c. de terris.* 16. *ubi gl. in v. persolvendas. h. t.* & habens prædia in alia Parochia,

rochia, quàm ubi percipit Sacramenta, in illa ubi eadem prædia sita sunt, Decimas dare debet, ut supra q. 1. dictum: tum quòd Decimæ sint *onus reale*, quod in quemcunque possessorem transit, atque si extent utili vindicatoria (prævia
18 † actione *ad exhibendum* vel *communi dividundo*, si à reliquis fructibus separatæ non sint) aut si non extent, utili condictione *ex d. l. Imperatores.* junct. *c. 1. de novi. oper. nunc.* peti possint, *c. moderamine. 23. ubi gl. in V. vindicent. 19. q. 1. c. pastoralis. &c. cùm non sit 2. h. t.* atque hanc sententiam cum multis antiquis tradit Pan. *in c. cum homines 7. h. t. n. 6.* Riccius *p. 2. resol. 57.* Rebuf. *de Decim. q. 9. n. 9.* ubi & aliud notabile refefunt ex Fed. de Senis *Consil. 81. n. 2.* Si Parochus vel Ecclesia propter Decimas malit venditorem convenire, quàm novum emptorem, qui fortè propter potentiam suam est difficilis conventionis, hoc esse ei concedendum, ut id, quod in favorem Ecclesiæ est introductum, ut novum possessorem convenire possit, in ejus odium retorqueatur, dum enim venditor prædium possedit, & fructus integros percepit, nata est contra eum actio personalis, seu condictio ex Canone ad solvendas Decimas, quæ per venditionem prædii expirasse non videtur.

19 Verùm quæ hic hactenus dicta sunt non admittit Henr. Canis. *de decim. cap. 4.* & Henr. Zoesius *eodem tit. n. 52.* eamque inter *tributa* sive *vectigalia* & inter *decimas* differentiam constituunt, quod onere *tributorum* ipsa prædia, onere verò *decimarum* ipsi tantùm fructus afficiantur: qua ratione, inquiunt, si prædia elocata sint, non domini prædiorum, sed conductores seu fructuum perceptores ad solvendas decimas obligantur. *c. dilecti. 8. c. à nobis. 24. & c. tua nobis. de dec.*

Attamen hac contraria opinione Canisii & Zoesii non obstante, (cui suam relinquo probabilitatem) videtur mihi prior sententia Panorm. Riccii & aliorum *ex LL.* optimè ex jure defendi posse, pro favore omnium Ecclesiæ, quæ aliàs regulariter privilegia fisci & Reipub. participat, quoties casus est applicabilis. *Ever. in Top. à fisco ad Ecclesiam*, *Laurent. de Franch. de Centron. regul. p. 2. q. 96. & ibidem Pasqual. in addit.* Indubitatum autem est fisci privilegium, ut novos possessores ob non soluta tributa convenire possit. *d. L. prædiis. 36. de jure fisci. & L. Imperatores. de vectig. L. 2. C. sine censu. &c.* & tanto magis procedet argumentum *à fisco ad Ecclesiam*, cum Decimæ magis quàm tributa privilegiatæ sint & ante hæc persolvi debeant. *d. c. cum non sit h. t.* Parum verò convincit illa assignata inter & tributa & decimas differentia, quia hoc ipsum est in quæstione, an ob decimas præcisè tantùm ipsi fructus, vel potiùs prædia propter fructus quatenus decimales obligata sint, prout etiam *tributa fructuum impendia sunt*, ut ait I. C. *in L. neque stipendium. 13. ff. de imp. in reb. dotal.* & per *as & libram* imponuntur juxta proportionem redituum sive fructuum bonorum. *Roland. à valle. 1. Cons. 66. num. 15.*

Nec est bona illatio, conductores prædiorum tenentur ad solvendas decimas, ergò ipsa prædia non sunt obligata. Imò sedit hic rectum pulchrè argumentum à tributis ad decimas. Nam per tex. notab. cum expositione Gottofredi in *L. obsistere. 10. C. de annon. & tribut.* etiam tributa à colonis & emphyteutis solvuntur junct. *L. 2. C. de Jure Emphyteut.* & si isti revoluto anni spatio intra 6. menses non solverint tributa, domini prædiorum conveniuntur. Et non incongruè dici potest, dominum in effectu per colonum solvere decimas, utpote cui illud onus decimarum in sua pensione decedit, & tantò minus à colono accipit.

Si instes, tributa solvenda etiam data sterilitate, decimas verò non nisi enatis fructibus, ideò patere, quòd illa præcisè prædiis, ista fructibus adhærent. R. ex hac instantia non plus evinci, quàm quòd tributa simpliciter sint onus prædiorum, decimæ verò sub implicita conditione nasciturorum fructuum: præterquam quòd in magna sterilitate, ubertate priorum vel sequentium annorum aut aliorum bonorum seu prædiorum non compensabili, saltem de æquitate etiam tributorum remissio facienda sit, tanquam cessante causa, *arg. L. 1. C. de omni agro deserto.*

Deinde *Decimatio* valdè similis est exactioni *annonæ*, quæ de frugibus dabatur, teste *Gottofred. ad rubric. C. de annon.* & tamen hanc tributis comparari vix dubium esse potest ex *rubrica. & t. t. C. de annonis & tributis.* & quidem in specie ad propositum nostrum, quòd *annona* à defuncto debita non præstetur à coheredibus pro portione hereditaria, sed à possessore prædiorum frugiferorum, decisum est in *L. 2. C. jam d. t.* dicta, *à defuncto debita*, quod exinde satis apparet, quia ibi Imper. loquitur de *ære alieno* & iis, quæ heredes quatenus heredes adeoque *ex persona defuncti* solvere debent; de *futura* enim *annona*, ubi prædia hereditaria jam sunt facta proprium Patrimonium heredis, non fuisset dubitandi ratio.

Addo tamen, cùm hæc argumentatio à tributis ad Decimas præcipuè favore Ecclesiæ & ob administrationem Divinorum procedat, eidem locum haud fore, si Decimatio competat laico, vel Clerico ex titulo patrimoniali vel singularis privilegii. 20

§. II.

Quo Fundamento aliis præter Parochum Jus decimandi competere possit.

S U M M A R I A.

1 *Ecclesiastici acquirunt Decimas ex privilegio, incorporatione, præscriptione, & donatione laicorum.*
2 *Quid requiratur ad præscriptionem Decimarum.*
3 *Laici quamvis sint incapaces Decimarum, possunt tamen aliquot modis eas habere.*
4 *Præscriptione etiam immemoriali non potest Laicus Jus directum decimandi acquirere.*
5 *Neque etiam consuetudine generali alicujus loci.*
6 *Laici multi habeat Decimas cum periculo animarum suarum.*
7 *Ex temporis immemorialitate præsumitur omni meliori modo pro Decimis laicorum.*
8 *Quid intersit an Laicus præscripserit Decimas, vel an tantùm ex præsumptione relinquatur in possessione.*
9 *Præsumptiones præsumptionibus eliduntur.*
10 *Ex immemorialitate non oritur præsumptio Juris & de Jure.*
11 *Immemorialitas etiam tunc est, quando non constat de initio possessionis, licèt constet de contrario.*
12 *An tempus immemoriale debeat 100. annos excedere.*
13 *Negativa probatur.*
14 *Qualiter probetur immemorialitas.*
15 *Notabilis limitatio in causa Decimarum.*
16 *Prohibitio Concil. Lat. potest consuet. abrogari.*
17 *Illa prohibitio videtur tantùm procedere in infeudatione perpetua.*
18 *Ex consuetudine potest valere, ut unus laicus Jus utile in alium alienet.*
19 *Obligationi præstandi servitia feudalia, & canonem Emphyteuticum potest præscribi.*
20 *Jus utile potest quidem præscribi contra Laicos sed non contra Ecclesiam.*
21 *Præscriptio non procedit contra prohibitionem Juris publici.*
22 *Differentia, cur magis res Ecclesiæ immobiles præscribi possint, quàm Jus utile decimandi.*

QUamvis regulariter omnes Decimæ ad Parochum spectare censeantur, sunt tamen de Jure aliqui modi proditi, quibus jus decimandi ad alios non solùm Ecclesiasticos, sed etiam laicos transferri potest.

Enim verò *Ecclesiastici* ex privilegio Papali, per incorporationem Parochiarum Monasteriis aut Canonicatibus factam, & per præscriptionem Decimas acquirunt. Item Laici, qui justè habent Decimas, possunt eas alicui alteri Ecclesiæ, quàm suæ Parochiali, maximè verò cuidam Monasterio solius Episcopi accedente consensu donare. *c. cum Apostolica. 7. de his quæ fiunt à Præl.* 1

Dico, si Laici *justè* habeant decimas, aliàs enim donatio à laico ne quidem præscriptionis titulum parat, *c. dudum ibi Pan. h. t.* quod tamen limitat Rebuf. *tract. de decim. cap. 13. n. 93.* ut illi qui receperunt decimas à manibus laicorum, quamdiu vivunt, præscribere nequeant, secus verò eorum successores in bona fide existentes, saltem tempore immemoriali, neque successori in dignitate nocet mala fides antecessoris, quia non ab ipso, sed à superioris institutione causam habet. *gl. sing. in c. cura. in fin. De jure Patron.* quæ glossa generaliter loquitur de præscriptione, nec requirit immemorialitatem, & planè videtur, quod ipse titulus successionis in beneficio vel dignitate, ex quo Prælatus vel beneficiatus etiam plerumque sub juramento (quod in confirmatione seu investitura præstat) tenetur defendere & conservare jura suæ Ecclesiæ, sicut est justus titulus ad possessionem talium decimarum (supposito quòd aliunde nesciat vitiosam) *pro suo* adipiscendam vel retinendam. ita etiam ad præscriptionem ordinarii temporis 40. annorum *tex. not. in L. fin. ff. pro suo.*

Circà præscriptionem Decimarum notandum est, quòd allegans præscriptionem contra Parochum debeat vel tempus immemoriale, vel saltem 40. annorum cum titulo probare, propter præsumptionem Juris quæ militat pro Parocho & 2

contra

contra præscribentem, *cap. 1. de præscript. in 6. junct. c. 2. De restit. spol.* Idem dicendum circa Parochias Monasteriis pleno Jure incorporatas, ita ut Decimæ earum non nisi 40. annis cum titulo contra Monasterium præscribantur, quia per incorporationem, Monasterium habetur loco Parochi, *Decisio Rotæ apud Tamb. De Jure Abb. tom. 3. dec. 120 n. 13.* Quòd si autem præscriptio allegetur contra aliam Ecclesiam, cui tantùm ex privilegio vel etiam præscriptione Decimæ competebant, sufficiet posse probare possessionem bona fide per 40. annos continuatam *d. cap. 1.* imò contra Clericum privatum vel Laicum 10. anni inter præsentes & 20. inter absentes cum titulo, & sine titulo 30. sufficiunt, quia hic nec præsumptio Juris adest, nec favor Ecclesiæ, ob quem quadragenaria præscriptio requiritur. *Pet. Rebuf. de Decim. q. 13. n. 100.*

3 Laici quidem de Jure omnes sunt incapaces Juris decimandi, tanquam spiritualis & propter spirituale Ministerium competentis, *c. causam. 7. de præscript. & c. quamvis. 17. h. t.* Nihilominus I. ex privilegio Papali Jus decimandi acquirere possunt: quia non excedit vires Papæ, Laicum ad Jus spirituale habilitare & secundùm quid Clericis æquiparare, sicut de facto ad Jus patronatus, quod spirituale est, omnes Laici habilitati sunt.

II. Ante Concilium Lat. quod probabiliter fuit habitum Anno salutis 1179 *vid. Henri. Canis. de decim. cap. 13. num. 6.* Laici poterant Jus decimandi ab Ecclesia in feudum vel Emphyteusim accipere, quia tunc tantùm acquirebant Jus utile & temporale non directum & spirituale, per dictum verò Concilium Lat. id prohibitum est *c. 1. 16. q. 7.* Si tamen alicujus Majores ante Concilium Decimas in feudum accepissent, is etiam num hodie eas rectè retinere posset, *arg. cap. 2. §. fin. de Decim. in 6.*

III. Per contractum locationis aut ususfructus etiam Laici decimas habere possunt, quia tunc nihil de dominio Juris spiritualis in illos, sed tantùm commoditas quædam percipiendi Decimas, non tanquam sibi sed Parocho debitas transfertur.

IV. Quædam decimæ sunt merè profanæ & *Laicales* quas olim Domini suis prædiis deinde subditis in ususfructum feudum vel Emphyteusim datis tanquam loco tributi, pensionis annuæ vel Canonis imponebant. *Greg. Tholos. in Syntagm. Juris lib. 2. c. 20.* quo etiam referri posse videtur illa portio vini, quæ ex quibusdam vineis, præsertim in Austria exigitur, & vulgo *Bergrecht* appellatur.

V. Laici conversi seu religiosi de certo aliquo ordine, uti sunt Equites Melitenses, Teutonici &c. decimas quoque possidere possunt. *c. 3. De priv. Panorm. in c. quamvis. 17. h. t.*

4 *Præscriptione* autem etiam immemoriali ex communi DD. opinione laicus Decimas, quoad titulum dominii *directi* acquirere non potest, quia est incapax possessionis, sine qua non currit præscriptio. *cap. causam. 7. De præscript.* Undè non obstat, quod à quibusdam in contrarium opponitur: videl. Quidquid per privilegium acquiri potest, id etiam possit per præscriptionem immemorialem, quam constat habere vim privilegii, *per tex. & gl. in c. super quibusdam. De V. S.* atqui Jus decimandi Laicus per privilegium acquirere potest, ut dictum, ergò, &c. nam negandum est suppositum, quòd ex persona Laici detur immemorialis Decimarum præscriptio; datur quidem immemorialis *detentio*, quæ facti est, sed ex defectu possessionis & propter Juris resistentiam, non datur immemorialis *præscriptio*.

5 Similiter nec consuetudine generali alicujus Provinciæ introduci potest, ut Laici passim Decimas Jure Dominii directi sibi vindicent, quia imprimis hæc consuetudo foret irrationabilis, ut Laici sine omni causa id habeant, quod Deo & Ministris ejus in recognitionem universalis Dominii & propter spirituales labores debetur; deinde hæc consuetudo damnificaret Ecclesias, eas Decimis privando, meritò proinde invalida intelligeretur. *in c. 1. De consuetud.* Notanter autem hactenus loquor de Jure *directi* decimandi, nam quid dicendum sit de Jure utili, paulò inferiùs ad finem hujus §. exponam.

Grandis igitur est difficultas quomodo defendendi sint Laici, qui passim in nostris partibus Decimas non ex titulo ususfructus, vel locationis, sed Jure proprietatis sibi vendicant, nec Privilegium Papale, nec infeudationem ante Concilium Lat. factam ostendere possunt, nesciunt tamen quo Jure vel titulo primitus acceperint?

6 Vereor, ne multi Laici cum animarum suarum periculo Decimas detineant *jux. t. in cap. prohibemus. h. t.* quando experientia constat, à tempore, quo hæreses ordinem & tranquillitatem Ecclesiæ turbatunt, eò temeritatis perventum esse, quòd præsertim Patroni & Advocati Ecclesiarum Jura & reditus Ecclesiasticos, quasi liberè in suam utilitatem convertant, Parochos & Beneficiatos etiam non requisito Episcopo, & nescio quibuscum illicitis pactis instituant, destituantque. Quare optandum foret magnoperè, ut quidam Laici saltem opulentiores ad eligendam viam tutiorem & exonerandam suam, aut suorum Majorum conscientiam induci possent, ut Decimas aliaque Jura Ecclesiis Parochialibus restituerent. Verùm quia prædicti excessus non sunt de omnibus Laicis præsumendi, & satis colligitur ex Jure & DD. olim non fuisse infrequens, quòd Laicis vel ob merita sua in Ecclesiam, vel ob ipsius Ecclesiæ utilitatem Decimæ vel ex privilegio aut per contractum feudalem concederentur: idcirco in proposita quæstione duos casus principales distinguo.

I. An Laici habeant decimas à tanto tempore, ut nec de *initio* nec de *contrario* constet?

II. An habeant Decimas à tanto tempore, ut de *initio* possessionis quidem non constet, constet autem de *contrario* v. g. ex libris antiquis vel instrumentis authenticis, ex quibus ostenditur, quòd Decimæ ante annos 100. vel 200. adhuc pleno Jure penes Ecclesiam fuere.

Quod attinet ad primum casum, dico, quamvis Laicus Decimas præscribere etiam tempore immemoriali non possit, operatur tamen hæc immemorialitas temporis, quòd ex ea præsumatur, antecessores Laici omni meliori modo sive deinde per privilegium, sive per infeudationem ante Conc. Lat. decimas acquisivisse. *arg. c. super quibusdam. de V. S. c. 1. de præscript. in 6. l. hoc Jure. §. ductus aquæ. ff. de aq. quot. & æstiv.* Pulchrè ad propositum loquitur Gilken. de *præscript. p. 3. c. 8. num. 23.* Quamvis, inquit, 100. imò 1000. annorum possessio ubi de non justo primordio constat, non minuat possessionis causam, cùm in persona possessoris & Majorum & Authorum ipsius tale Jus coalescere non potuerit, *c. causam. de præscript.* Tamen ex quo de hujusmodi exordio non constat, & talia res sit, quæ ex causa Laico acquiri possit, existimandum est, quòd cum tot annorum intervallo nemo ipsi quæstionem moverit, justam quoque initii rationem fuisse. Cùm enim tam varii sint casus, ex quibus instrumenta intercidere, vel interverti possint, videl. incendium, furtum, injuria concertantium, vetustas ipsa omnia paulatim hauriens, infirmitas memoriæ ignorantium, quo loco quid positum aut conditum sit, fiducia sui Juris ex tam longa & inconcussa possessione, non debet Ecclesia in tot humanæ conditionis casibus occasionem quem ex inopinato casu suo Jure evertendi aucupari, cujus fortè Majores propter aprioris in Ecclesiam merita decimas quasi pro recompensatione acquisiverunt, quo etiam referri possunt quæ infra *n. 18.* dicentur. 7

Sed, inquies, quid interest an Laicus præscripserit Decimas, vel an in illarum possessione & perceptione relinquatur? R. Differentiam jam satis insinuatam esse, si enim ponatur Laicum præscripsisse Decimas, acquisivit Dominium Juris, & id retinebit, tametsi aliquando post completam præscriptionem emergat titulus & initium inhabile, quia imposterum non ampliùs possidet Decimas ex primo illo titulo, sed ex Jure præscriptionis. Sin autem Laicus tantùm ex præsumptione boni tituli quæ oritur ex immemorialitate temporis relinquatur in possessione, privabitur hac possessione, si per Parochum de vitioso initio convictus fuerit. *Felin. in c. accedentes. n. 6. & in c. cum ex officii. n. 13. de præscript.* Non obstat quòd dicit Vasquez *illust. Controv. p. 1. lib. 2. c. 81. n. 12. & 15.* licet constet de uno titulo inhabili, nihilominus ex diuturnitate temporis de alio meliori ex post facto superveniente præsumendum esse: eò quòd ex antiquitate temporis factum non tantùm unum, sed etiam plura, si necessaria sint, præsumantur. Non obstat, inquam, utut enim hoc fortè procedat in aliis causis, in quibus Successores saltem mediati in bona fide existentes per longissimum tempus præscribere possunt, tametsi Antecessores eorum fuerint in mala fide *Fachin. lib. 8. Controv. c. 27. vers. nec obstant. Cov. de præscript. p. 2. §. 9. n. 7.* secùs tamen est in causa decimarum, in qua nulla præscriptio Laicum juvare potest. Proptereà quando Parochus probat vitiosum initium possessionis, habet triplicem fortissimam præsumptionem pro se, unam ex incapacitate Laici, alteram ex Jure ipso, quo omnes decimæ ad Parochum spectare censentur. *c. 2. de restit. spol.* tertiam ex demonstratione vitiosi initii in possessione Laici: dum contra Laicus solam & unam præsumptionem ex immemorialitate temporis prætendere potest; notorium est autem, unam præsumptionem aliis præsumptionibus pluribus & fortioribus penitus elidi ac enervari *arg. c. in nostra 4. de procurat. L. divus 7. de in integ. restit.* † Neque verum est, quòd quidam contendunt, ex immemorialitate temporis 8 9

poris oriri præsumptionem Juris & de Jure, contra quam
10 non admittatur probatio in contrarium, † etenim nulla est præsumptio Juris & de Jure, nisi quæ expressè in aliquo Canone vel lege contineatur, quod de immemorialitate temporis non reperimus, eamque ob causam contra probantem immemorialitatem admittendas esse probationes de vitioso initio rectè docent Arnold. Rath. *tract. de usucap. c. 5. assert. 47. n. 2. & 3.* Henr. Canis. *de Decimis. cap. 9. in fin.* Fachin. *Contron. l. 8. c. 33.*

In *altero casu principali* potissima difficultas dependet ab eo, an dicatur tempus immemoriale, quando quidem non constat quo *initio* cœperit possessio, constat autem de *contrario*, quòd scil. ante tot & tot annos necdum apud antecessores moderni possessoris fuerit. Nam si dici debeat tempus immemoriale, de cujus initio non constat, habebit Laicus præsumptionem Juris ex immemorialitate temporis pro se, & relinquendus erit in possessione decimarum, usque dum Parochus vitiosum initium ostendat. Licèt enim non desint, qui cum Host. *in c. cùm Apostol. ca h. t. n. 10.* & Canisio *de decim. cap. 13. n. 9.* putent, non sufficere immemorialitatem temporis, contraria tamen sententia æquitati magis convenit, ne quis ob difficultatem probationis facilè suo jure privetur, & ne nihil antiquitati temporis tribuatur. *Butrius & Imola in d. c. cùm Apostolica. aliique apud Cov. lib. var. ref. c. 17. n. 5. citati.* Sanè hæc quæstio non tantùm vix apud aliquem authorem in terminis reperitur, sed à plerisque confunditur, & nulla inter *contrarium* & *initium* distinctio adhibetur. *ut per Gl. in c. 1. in v. memoria. de præscript. in 6. Mascard. de probat. vol. 2. Conclus.* 1042. Imò *in d. c.* 1. expressè dicitur illa immemorialis præ-
11 scriptio, *cujus contrarii memoria non existit.* † Verùm frequentius DD. supponunt rectè dici possessionem immemorialem, quamvis constet, quòd aliquando contrarium fuerit, dummodo de initio præsentis possessionis non constet. *Cravetta. de antiq. temp. p. 4. sect. absolutis differentiis* omnium clarissimè *Molina de J. & J. tract. 2. disp. 76. n. 3. facit tex. in c. super quibusdam. de V. S.* ibi *ex antiqua consuetudine à tempore cujus non extat memoria*, *& in L. 3. §. ductus aquæ ff. de aqua quot. cujus origo memoriam excessit, Jure constituti loco habetur.* Doctores autem & textus supra relati optimè cum hac opinione conciliari videntur, per illum modum loquendi quo utitur Menoch. *de arbitr. Jud. lib. 2. Cent. 1. casu 43. n. 2.* Nimirum quòd illud dicatur tempus immemoriale, *cujus initii memoria non est in contrarium*, bonus text. *in c. 1. de consuet. in 6.*

12 Nova est disputatio, an sit immemorialis possessio, quam constat infra 100. annos cœpisse, nescitur autem, quando? adeoque an tempus immemoriale necessariò debeat 100. annos excedere?

Affirmant Card. *in c. si diligenti. de præscript.* Molina. *d. disp.*
13 76. *n. 2.* Cov. *de præscrip. p. 2. §. 3. sub n. 9.* † Sed, si istorum DD. argumenta perpendo, parùm me persuadent. etenim quòd ita inferant: centenaria præscriptio requirit titulum. *c. si diligenti. in fin. de præscript.* ergò immemorialis, quæ titulum non requirit, debet esse major centenaria, rectè negari potest consequentia, quia quòd in centuria requiratur titulus, hoc ipsum in specialem favorem Ecclesiæ Romanæ constitutum est, ne tam facilè per præscriptionem damnificetur. Unde quod addit Molina, præscriptionem immemorialem esse magis privilegiatam quàm centenariam, verum est respectu præscribentis, non verò respectu ejus contra quem præscribitur.

14 Quare in hac difficultate ego breviter sic dicendum arbitror, quòd in illis causis, in quibus præscriptio 40. annorum cum titulo procedit, probabilius sit, ex nullo Jure evinci, quin etiam infrà 100. annos ad effectum quòd aliquis non teneatur probare titulum, detur immemorialis possessio, si testes saltem per 40. annos testentur de visu proprio, quòd semper viderint rem in hoc statu fuisse, & de cætero non audiverint de initio: quia tunc sufficienter probatum est, quòd *origo memoriam excesserit*, prout id solum ad immemorialem possessionem requiritur *in c. l. 3. §. ductus aquæ. de aqua quotid. & æst.* & quia de Jure civili in præscriptione 30. & 40. annorum absolutè non requiritur titulus, *l. sicut. & l. omnes. C. de præscrip. 30. annorum.* De Jure verò Canonico per quandam correctionem sit introductum, ut in præscriptione 40. annorum requiratur titulus, ubi jus resistit præscribenti, *c. 1. de præscript. in 6.* videtur omninò congruum, ut hæc correctio strictè accipiatur. *l. præcipimus. C. de appell.* & non extendatur ad eum casum, quo aliquis per famam & testes potest probare, possessionem 40. annos longius excessisse, & ita quidem, ut initii memoria non existat, quamvis forte 100. anni elapsi non sint, atque hujus opinionis (ex aliis tamen fundamentis) etiam est Cravetta *de antiq. temp. p. 4. sect. absolutis differentiis n. 2. cum Gl. in c. cùm nobis. v. centum. de præscript. & Alexandro apud eundem Crav. n. 4. citato.*

Interim tamen quia in causa Decimarum non est locus 15 præscriptioni sed solùm ex præscriptione proceditur, ut jam sæpiùs repetitum; ideò libenter concesserim, quando constat possessionem infrà 100. annos cœpisse, nescitur autem quando, posse tamen circumstantias & conjecturas concurrere, ex quibus præsumptio temporis antiqui elidatur & pro Parocho (qui aliunde jam præsumptionem Juris pro se obtinet) sufficienter probetur, Laicum malam possidendi causam habere, nisi de legitimo titulo docuerit. v. g. si constet possessionem multum infra 100. annos cœpisse, antecessores Laici fuisse potentes hæreticos; si testes super immemoriali producti varient, &c.

Postremò quæri potest, utrum saltem circa Jus utile de- 16
cimandi, cujus Laicus non est incapax, consuetudo vel præscriptio aliquid operari valeat?

℞. Cum Canon Lateran. Concilii, quo prohibetur, ne Laici de Decimis infeudentur, non sit juris naturalis aut divini, nihil putarem obstare, quin per contrariam consuetudinem abrogari possit. *arg. c. fin. de consuet. l. de quibus, cum seqq. ff. de LL.* haud enim videtur irrationabile, quòd Laicis Decimæ in feudum concedantur cum authoritate Episcopi, si id ipsorum merita, vel Ecclesiæ utilitas exposcat.

Deinde illam prohibitionem Concilii plurimi DD. tan- 17
tùm accipiunt de infeudatione *perpetua* & in heredes transitoria, unde cùm correctiones Jurium non sint extendendæ. *l. præcipimus. in fin. C. de appell.* existimant, etiamnum hodie posse per Episcopum aliumve Ecclesiæ Prælatum decimas alicui Laico ex justa causa & cum ordinaria Juris solennitate ad tempus vitæ, vel aliud longum tempus in feudum vel Emphyteusim concedi, *Gl. & Abb. in c. quamvis. de Decimis. Cov. var. ref. lib. 1. c. 17. n. 5.*

℞. II. Quamvis inter DD. controvertatur in *c. prohibemus.* 18
h. t. utrùm Jus *utile* per unum Laicum acquisitum in alium rectè alienetur: nihilominus per consuetudinem tales alienationes convalidari posse, quia in Jure dubio optima legum interpres est consuetudo *l. si de interpretatione. 37. de LL.* & hinc non dubito, quin multæ decimæ ante Concil. Lat. ab Ecclesiis per modum feudi vel Emphyteusis separatæ sint, quæ etiamnum hodie apud Laicos maneant non quidem semper Jure hereditario, sed per diversas venditiones & alienationes bonorum ad eos devolutæ. Licèt autem Laici, qui hujusmodi decimas possident, nulla pro iis servitia aut fidelitatem secundum naturam Feudorum Ecclesiæ præstent, non tamen statim evincitur, quòd tales Decimæ ab initio non fuerint per modum Juris utilis concessæ, nam præstatio servitiorum & fidelitatis juramentum non est substantiale, sed tantum naturale contractus feudalis, unde pacto & consequenter etiam præscriptione illa obligatio tolli potest, quemadmodum dari *feudum Francum*, in quo nulla servitia præstantur, & in feudo concesso Ecclesiæ non præstari fidelitatem, *c. un. Ecclesiam fidel. non fac.* nemo est, qui ignoret: †
Item quòd obligationi præstendi annuum canonem præscribi 19
possit per Emphyteutam, dicetur inferius *in §. 3. sub. n. 7.* Est tamen inter res feudales & Emphyteuticas *profanas* ac inter *decimas* differentia, quòd illæ per præscriptionem possint transire in *allodium*, non verò istæ, quia juris *directi* decimandi incapax est Laicus. Sed aia, quid valebit hoc jus *directum* apud Ecclesiam, si Laicus id non recognoscat, nulla pro eo servitia, fidelitatem, Canonem, aut laudemium præstet? ℞. Sicut in aliis rebus præscriptio contra Ecclesiam admittitur, ita etiam in his. Et unum saltem reperio hujus juris directi effectum, quod nimirum Ecclesia has Decimas à Laico possessas contra fiscum vindicare possit, si Laicus sine legitimo herede defunctus bona vacantia reliquerit, aut crimen confiscatione bonorum dignum commiserit, in feudis enim & Emphyteuticis domino directo præjudicari non potest. Utrum autem S. Pontif. pro plenitudine potestatis non posset Ecclesias adversus præscriptionem Laicorum eatenus restituere, ut Laici in recognitionem directi dominii tenerentur de Decimis possessis singulis annis certam aliquam portionem solvere, altioris indaginis est, & licet id foret æquitate plenum, ac Ecclesiis utile, vix tamen sine cooperatione Imperatoris & Principum terrarum posset in executionem deduci.

℞. III. Hodie stante prohibitione Concilii Later. posse 20
quidem Laicum contra alium Laicum ante Concilium infeudatum Jus utile præscribere, contra Ecclesiam autem post Concilium non posse, vel enim sciret post Concilium non licere habere Decimas in feudum ab Ecclesia, vel ignoraret: Si prius, foret in mala fide *vera*, si posterius esset in mala fide *ficta*, seu in ignorantia Juris, quæ non potest acqui-

acquirere volentibus. *L. Juris. 7. ff. de Juris & fact. ignor. L. numquam 32. in p. ff. de usucap.*

Sed ets, posse contingere, us eliquis sciat, non licere dare feudum Decimarum Laicis post Concilium, & tamen sit in bone fide, si nimirum ipse & ejus antecessores tempore immemoriali Decimas ex titulo feudi possederint. ℣. Si in hac immemoriali possessione non constet de initio, omni meliori modo præsumendum esse Laici majores forte ex privilegio & dispensatione speciali tale feudum accepisse, sin autem Parochus docere possit, quòd tantùm per privatas conventionae inter suos & Laici antecessores (quamvis Episcopi anthoritate accedente, feudum datum sit) quantocunque
21 etiam tempore non erit præscriptum, † sicus enim pactis privatorum Juri publico derogari non potest, ita nec contraveniri prohibitioni legis communis, publicam utilitatem concernentis per privatorum & particularium hominum præ-
22 scriptionem. † Cui non obstas, quòd res temporales Ecclesiæ immobiles vel mobiles pretiosæ alienari prohibitæ nihilominus præscribi possint. *Riccius in praxi aurea p. 1. res. 32.* nam diversitatis ratio est ista, quòd res Ecclesiæ temporales non prohibeantur absolutè devenire in manus Laicorum, sed tantùm sine solennitatibus, quas cursus temporis, & bonæ fidei possessio per 40. annos continuata supplere videtur. Sed circa decimas absoluta est prohibitio, ne per viam etiam Juris utilis ad Laicos quibusvis cum solennitatibus transferantur.

§. III.

Qualiter detur Immunitas à solvendis Decimis.

S U M M A R I A.

1 *An & qualiter detur immunitas à solvendis Decimis.*
2 *Religiosi qualiter de jure exempti à solutione Decimarum.*
3 *Quorundam specialia privilegia extra corpus juris, & qualiter intelligenda.*
4 *An habentes Communicationem Privilegiorum, communicent privilegium immunitatis à solvendis Decimis.*
5 *Consuetudine etiam datur immunitas, sed regulariter tantùm immemoriali.*
6 *Præscriptione etiam Laici immunitatem acquirere possunt.*
7 *An præstationibus annuis præscribi possit, & quis sit sensus L. cum notissimi §. fin. C. de præscript. 30. annorum.*
8 *Quanto tempore præscribatur immunitas.*
9 *A restitutione Decimarum ante completam præscriptionem non excusat consumptio bona fide facta, aut triennalis possessio.*
10 *Ecclesia habet dominium in decimis nondum solutis in sui favorem, non verò in sui præjudicium.*
11 *Pupillus mutuans aut solvens manet dominus pecuniæ, quamdiu dominium sibi est utile.*
12 *Clericus minorennis in beneficialibus habetur pro majorenne, ut possit agere in judicio, non verò ut careat auxilio restitutionis in integrum.*
13 *Immunitas per contractum potest acquiri gratis, vel pro alia re spirituali.*
14 *Conciliatio c. statuimus, & c. veniens de transact.*
15 *Abbates possunt dare consensum in alienatione rerum ad suas Parochias pertinentium.*
16 *Quo sensu pro re temporali possit acquiri immunitas.*
17 *Pauperes an sint immunes à solvendis Decimis.*
18 *Quis in causa Decimarum sit Judex competens?*

1 NOn defuerunt ex antiquioribus præsertim DD. existimantes neminem posse à solutione Decimarum eximi, eo moti argumento, quòd Decimæ sint Juris divini & consequenter per humanas inventiones non remissibiles. Verùm hanc sententiam cum communiori ita limitandam censeo, ut exemptio à solvendis Decimis dari non possit, si per eam congrua sustentatio Parochorum adimeretur, etenim decimas non aliter esse juris divini, quàm in quantum ad sustentationem Clericorum necessariæ sunt, jam supra in §. 1. explicavimus. Quare si Parochus aliunde sufficientes reditus habeat, vel si ex Decimis aliquorum tantùm Parochianorum congruè sustentetur, rectè dicitur, dari exemptionem seu immunitatem à solvendis decimis per *privilegium Pontificium, consuetudinem, præscriptionem aut contractum.*

2 Per *Privilegium* idque in Corpore Juris clausum Religiosi & alia pie loca diversimodè per Canones à solutione Decimarum eximuntur, quos diversos Canones ita in ordinem redigit Glossa *in c. ex p. 10. in v. laborum suorum. h. t.* quòd nimirum Monachi in primitiva Ecclesia Decimas dederint tanquam Laici. *arg. c. alia causa, & c. generaliter. 16. q. 1. c. duo. 12. q. 1.* posteà Paschalis II. statuerit, quòd nec Monachi nec Clerici communiter viventes decimas de suis laboribus solverent, *c. decimas. 16 q. 1.* tempore verò procedente Hadrianus Papa solis Cisterciensibus, Hospitalariis, Hierosolymitanis seu Templariis concesserit hoc privilegium, ut de laboribus suis, quos propriis manibus vel sumptibus excolunt, decimas solvere non teneantur, alios verò Monachos tantùm in decimis Novalium suis manibus aut sumptibus factorum item & in hortis & nutrimentis animalium suorum exemerit. *d. c. ex parte, cum seqq. h. t.* demùm Innocent. III. in Conc. Later. Privilegium Cisterc. & aliorum *in d. c. ex parte.* respectu possessionum post dictum Concilium acquirendorum sustulerit. Novalium autem nomine intelliguntur illæ terræ noviter per Religiosos ad culturam redactæ, de quarum cultura non extat memoria, & ex quibus prius Parochus nullas vel exiguas Decimas percipiebat. *c. fin. de Privil. & c. quid per Novale 21. de V. S.*

3 Cæterùm extra corpus Juris per speciales Bullas multi Ordines Religiosorum exempti sunt non tantùm in Novalibus, sed etiam quibuscunque terris, quas suis laboribus vel sumptibus colunt. Sicut de Religiosis Congreg. Cassinensis, Camaldulensibus, Prædicatoribus, Carthusianis, & pluribus aliis attestatur. Barb. *in d. c. ex parte. n. 5.* Sed hæc privilegia non extenduntur ad illas possessiones, quæ non sunt Religiosorum propriæ, sed ab aliis conductæ, *c. dilecti. 8. h. t.* Neque ad illas, quas Religiosi aliis vendiderunt, vel elocarunt, concernit enim privilegium tantùm personas Religiosorum non extraneas, *c. licet. 11. h. t.* sicut in simili licet fiscus de possessionibus, quas tenet, non solvat vectigal, emptores tamen & conductores solvere tenentur. *L. locatio. 9. §. ult. ff. de publican.* Cæterùm verò si in Privilegio conceditur exemptio à solvendis decimis *de laboribus*, hic terminus non debet restringi ad sola Novalia, sed universas proprias possessiones propriis laboribus vel sumptibus cultas. *c. ad audientiam. 12. h. t.*

4 *Quæritur* autem, an illi Religiosi, qui in specie quidem à solutione Decimarum exempti non sunt, attamen generalem communicationem privilegiorum cum exemptis habent, hoc ipso etiam quoad decimas privilegiati censeantur. Negativè aliquoties fuisse in Rota decisum refert Barb. *de offic. Par. p. 3. c. 28. §. 3. n. 41.* quia immunitas à solvendis decimis est difficilis concessionis propter præjudicium Parochorum *arg. cap. nuper. h. t.* ut proinde locum habeat regula, quòd in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus *c. qui ad agendum. de Procur. in 6.* & quia *d. cap. nuper.* in quo similia Privilegia abrogantur, est constitutio Conciliaris, cui non derogatur sine expressa mentione, nihilominus tamen notabiles limitationes ex aliis Rotæ decisionibus ponit Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franchis de controv. inter Ep. & Reg. p. 2. q. 72. n. 10. & seqq.* Quòd nimirum in generali communicatione Privilegiorum etiam veniet exemptio à Decimis, si communicatio sit talis, ut exprimat aliqua præjudicialia privilegia saltem in genere, vel adsit talis amplitudo verborum, ut significet mentem communicantis se extendere ad omnia. Item si in privilegio communicato, jam sit inserta clausula derogatoria dicti cap. *nuper.* quia privilegium communicans communicat privilegium cum suis qualitatibus. Præsertim si privilegium communicationis habeat annexam Clausulam: *quorum tenores &c.* quæ operatur ut privilegia communicata censeantur in litteris communicationis de verbo ad verbum inserta. Accedit quòd privilegia exemptionum à Decimis dentur Religiosis intuitu laborum, quos sustinent in Ecclesia prædicando, & Sacramenta ministrando, ut dicit Rota *decis. 795. num. 27.* ergò æquitas suadere videtur, ut ejusmodi privilegia ad Religiosos communicantes, qui similes labores subeunt, pariter extendantur.

5 Per *consuetudinem* quoque dari immunitatem à solvendis decimis verior est sententia, ita enim videmus Decimas *personales*, item Decimas minores passim abrogatas esse, sicut attestantur DD. qui in diversis Europæ partibus de Decimis scripsere. Sed hoc cum generali illa limitatione accipiendum est, si nimirum Parocho per talem consuetudinem congrua sustentatio non subtrahatur, prætereà rectè advertit Paulus Layın. *in Theol. moral. l. 4. tr. 7. c. 6. n. 11.* quamvis regulariter ad introducendam consuetudinem adversus legem Ecclesiasticam 40. anni sufficiant; quia tamen lex decimarum obligat sub gravi peccato, non posse ordinariè immunitatem per consuetudinem nisi tempore immemoriali introduci, ex quo scilicet successores bona fide credant suis majoribus

sibus per privilegium aut alium titulum obligationem Decimarum remissam esse, nam aliàs locum habebit text. in c. cùm haberet. de eo qui duxit &c. quòd diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet, & in c. fin. de consuet. quòd tantò sint graviora crimina, quantò diutiùs infelicem animam tenuerunt.

6 Quod de consuetudine magis de præscriptione sentiendum est: cùm enim præscriptio in eo differat à consuetudine, quòd consuetudo inducatur ab aliqua communitate, præscriptio verò à singularibus personis: Sanè minùs præjudicabit Parocho si unus vel alter per præscriptionem à solutione Decimarum se eximat, quàm si tota communitas. Imò quamvis Laici Jus decimandi tanquam spirituale & propter spirituale ministerium competens acquirere non possint per supradicta, immunitatem tamen eos præscribere posse magis inter DD. convenit, quia per hanc nullum jus spirituale sed tantùm potestatem fructus suos integros percipiendi con-
7 sequuntur. Cov. var. ref. l. 1. c. 17. n. 10 †. Neque verum est, quod quidam docent ex L. cùm notissimi §. fin. C. de præscript. 30 ann. obligationibus annuis absolutè præscribi non posse, nam contrarium evincitur ex c. de quarta. & c. ad audientiam de præscript. & l. cos 22. C. de usur. quòd verò Imperator in d. l. cum notissimi dicit in iis obligationibus quæ dationem per singulos annos continent, præscriptionis tempus non ab exordio obligationis, sed ab initio cujusque anni computandum esse, &c. ita intelligi debet, quòd circa obligationem annuam duæ quasi diversæ præscriptiones concurrant, una qua præscribitur ipsi principali & generali annuæ obligationi, quæ se habet respectu omnium præstationum annuarum, & altera, qua præscribitur obligationi speciali & secundariæ dandi res singulas annis singulis: in illa præscriptio computatur à die, quâ primitus in solutione cessatum est. l. pen. in fin. C. de præscript. 30. ann. in hac à singulis annis vel mensibus in quibus res illæ solvi debuissent. d. l. cùm notissimi §. fin. in pr. Unde qui v. g. per 50. annos decimas bona fide non solvit, non tenebitur quidem illas decimas restituere quas primo decennio percepit, quia etiam respectu illarum 40. anni elapsi sunt, neque illas, quas ultimo decennio percepit, quia illæ post præscriptionem jam completam perceptæ sunt, illas verò, quas intermedijs 30. annis percepit, restituere omninò tenebitur, cum respectu illarum (numerando præscriptionem à singulis annis quibus solvi debuissent) ex defectu 40. annorum, necdum completa sit præscriptio. Quam quidem interpretationem quondam docuit Reverendissimus Dominus Gregorius Kimpfler nunc Abbas Schyrensis, Professor & antecessor meus de hac Universitate nostra olim sua præclarissima doctrina, nunc suis gratiis meritissimus. Videtur quidem in contrarium facere, quod Imp. in d. l. cùm notissimi. §. fin. exemplum subjiciat de Emphyteuta (cujus etiam est obligatio annua) quòd nullo temporis curriculo rem Emphyteuticam tanquam propriam præscribere possit. Sed, nisi fallor, ex illo exemplo nostra sententia non parum confirmatur; nam Imperator vult dicere, quamvis Emphyteuta possit præscribere obligationi dandi annuum Canonem (aliàs enim frustrà præmisisset qualiter præscriptiones circa obligationes annuas computari debeant) non tamen propterea possit prætendere quòd res quoad dominium directum ad se pertineat, ex defectu scil. possessionis, quam non habuit ut dominus directus, sed tantùm ut Emphyteuta. quòd si interverteretur Domino possessio v. g. per alienationem in eum, qui rem tanquam liberam & propriam possideret, tunc etiam usucapio quoad dominium directum procederet, ut advertit Gloss. in d. §. fin. v. conducteri. & in l. 2. v. usurpet. C. eod. tit.

Sed Quær. I. Quanto tempore immunitas à solvendis deci-
8 mis præscribatur? Distinguitur, an præscriptio prætendatur contra Ecclesiam Parochialem, vel contra aliam Ecclesiam aut Monasterium, vel omninò contra privatum Clericum aut Laicum, in primo casu requiritur cum titulo 40. annorum spatium, & sine titulo tempus immemoriale c. 1. de præscript. in 6. † In secundo casu 40. anni etiam sine titulo suf-
9 ficiunt: & tertio, 10. cum titulo & sine titulo 30. juxta vulgata præscriptionis Jura. Anrenmin a tamen in hac immunitatis, sicut in quavis alia præscriptione bona fides requiritur, c. fin. de præscript. ut scil. immunitatem prætendens sine contumacia aut fraude justo errore ductus Decimas hactenus solvere recusarit, puta quia agrum tanquam immunem à Decimis emit, venditore privilegium vel compositionem cum Parocho factam allegante, vel quia putativum privilegium habet aut sui antecessores nunquam ab hominum memoria Decimas persolverint. text. in l. fin. ff. pro suo.

Quæritur II. An is, qui bona fide per 10. vel 20. annos
10 Decimas Ecclesiæ non solvit, si ex postfacto ad solutionem Decimarum condemnetur, teneatur non tantùm Decimas futuri, sed etiam præteriti temporis persolvere? videtur quidem negativè respondendum, cùm passim inter DD. conveniat, bonæ fidei possessorem, à quo res possessa per sententiam evincitur, non teneri ad restitutionem fructuum consumptorum, §. si quis à non Domino. 35. Inst. de rer. divis. neque extantium, quos bona fide per triennium possedit, & consequenter usucepit. Barth. in l. 4. §. fructus ff. de usucap. Reyger. in thesauro Jur. v. fructus num. 57. Quòd autem præscriptio triennalis & quælibet minor decennio etiam contra Ecclesiam procedat, communis est DD. in auth. quas actiones. C. de SS. Eccles.

Verùm hac ratione dubitandi non obstante, puto etiam Decimas præteriti temporis restituendas esse, nisi respectu singulorum annorum quadragenaria præscriptio intervenerit, etenim alia est ratio fructuum ex re aliena perceptorum & alia Decimarum, in fructibus præscribitur dominium verum & irrevocabile, cùm priùs fuerint reverà alieni & tantùm in quasi seu revocabili dominio possessoris, ad eum principaliter effectum, ut exclusa actione in factum possessor eos jure consumere potuerit, Harp in d. §. si quis à non Domino. n. 56. & seqq. In Decimis autem præscribitur obligationi, & actioni tanquam in quibus Ecclesia necdum in sui præjudicium dominium habuerit, sed actionem seu condictionem ex Canone gl. in c. tua nobis h. t. Constat verò, obligationes & actiones regulariter esse perpetuas & durare usque ad 30. & contra Ecclesias usque ad 40. annos. Princip. Inst. de perpet. & temp. act. junct. L. omnes & L. sicut C. de præscript. 30. annor. neque in Decimis rectè applicatur illa regula: quòd possessor bonæ fidei lucretur fructus, cùm Decimæ respectu Parochi non se habeant per modum accessorij & fructuum, sed ipsæ per se principaliter sint in obligatione. Sicut si heres frumentum defuncto mutuatum ignarus mutui tanquam proprium consumpserit, non ideò minus ex mutuo tenebitur.

Sed nunquid verius est, quod docet Pan. in c. commissum & in c. tua nobis h. t. num. 12. Decimas ante solutionem esse in dominio Ecclesiæ propter tex. in c. moderamine 16 q. 1. ubi vindicatio pro Decimis conceditur, quæ non nisi domino competere solet. L. in rem ff. de rei vind. & arg. l. ut inter. C. de SS. Eccl. in qua communiter notant Interpretes, quòd dominium in Ecclesiam etiam sine traditione transferatur. R. hanc sententiam Panormit. procedere in quantum est Ecclesiæ favorabilis, ut scil. possit Decimas à tertio possessore vindicare. C. cum non sit. & c. pastoralis h. t. ut bonis parochiani subhastatis in Decimis carantibus ante omnes privilegiatos creditores ponatur. L. si ventri §. in bonis ff. de Privil. Cred. Non autem si exinde aliquod præjudicium Ecclesiæ inferatur, si propterea breviori præscriptione damnificetur, ne quod in favorem Ecclesiæ est introductum, in ejus odium retorqueatur C. quod ob gratiam de R. I. in 6.

Quemadmodum in simili pupillus (à quo bonum est ar- 11
gumentum ad Ecclesiam, c. 1. de in integ. rest.) si absque tutoria authoritate mutuam det pecuniam, vel solvat debitum, manet quidem adhuc Dominus pecuniæ mutuatæ vel solutæ, & si extet, eam vindicare potest, l. non omnis 19. §. 1. ff. de reb. cred. l. quòd si 14. §. fin ff. de solut. Sin autem pecunia vnnsuotpra fuerit aut perierit penes accipientes, pupillus in sui præjudicium non censebitur habuisse dominium, sed mutuum vel solutio convalescet, & condictionem in mutuo, vel liberationem in soluto operabitur; ob eandem scilicet causam ne quidem in favorem, &c. † Pariter Cle- 12
ricus minorennis in beneficialibus causis habetur pro majorenne, unde & in ejus procuratorem constituere vel ipsemet agere poterit C. fin. de judic. in 6. Sed & hoc dum de favore ejus agitur, quid ergò si inconsulta facilitate ductus suum beneficium resignaverit, anne exemplo minorennium læsorum in integrum restituetur? Affirmativa magis recepta est, ex eodem iterum fundamento, ne quod in favorem. Covar. var. res. lib. 1. c. 5. nu. 3. Zoes. ad tit. Decret. de in integr. restit. n. 4.

Quæritur III. Qualiter immunitas à solvendis Decimis 13
per contractum acquiri possit? quòd per gratuitam & liberalem compositionem, item aliam pro re aut Jure aliquo spirituali (v. g. si Religiosi obligati ad solvendas Decimas pro immunitate se obligent ad faciendas conciones in Ecclesia parochiali) immunitas rectè acquiratur, satis colligitur ex c. statuimus & c. veniens de transact.
† ita tamen, ut nisi Superioris Authoritas interveniat, ta- 14
lis contractus minimè obliget Parochum successorem. d. c. veniens. quamvis enim successor hereditatis factum sui defuncti præstare debeat, ex cujus Persona lucrum sentit, & cùm in eum omnes regulariter actiones passivè, & activè trans-
feant

CAPUT III.

De Sepulturis.

SUMMARIA.

1 *Olim cadavera non licebat sepelire in Ecclesia.*
2 *Cur cadavera in locis sacris sepeliantur.*
3 *Jus funerandi computatur inter Jura Parochialia.*
4 *Quilibet debet sepeliri in Ecclesia Parochiali nisi habeat sepulturam electam, vel Majorum.*
5 *Uxor sepeliri debet cum marito.*
6 *Quid, si sepulchra Majorum sint in diversis Ecclesiis.*
7 *Ad electionem sepulturæ qualis solemnitas vel probatio requiratur.*
8 *Non licet Religiosis Parochiam alienam ingredi ad tollendum funus.*
9 *Videtur congruum, ut maritus post uxorem defunctus cum eadem sepeliatur.*
10 *Prælatus Regularis potest sibi eligere sepulturam.*
11 *Religiosus decedens in loco remoto extra Monasterium potest sibi eligere sepulturam.*
12 *Novitius in Monasterio sepeliri debet, licet ante mortem fuisset in proposito redeundi ad sæculum.*
13 *Cum Parochianus alibi eligit sepulturam, debetur Parocho portio Canonica, & quid veniat hoc nomine.*
14 *Qualiter prohibitum sit aliquem inducere ad eligendam sepulturam.*
15 *Tituli, ex quibus aliquid accipi potest in sepultura.*
16 *Non licet propter mortuaria non soluta corpus inhumatum relinquere.*
17 *Qui non gaudeant sepultura Ecclesiastica.*
18 *Gravis metus quando excuset à transgressione legis humanæ.*
19 *Excommunicati etiam non denunciati privantur sepultura, nisi excommunicatio sit occulta.*
20 *Se ipsos occidentes qualiter priventur.*
21 *Duellantes quando privandi sepultura.*
22 *Suscipientem duellum honoris defendendi causa aliqui saltem in conscientia excusant, quod non videtur practicè admittendum.*
23 *Etiam supposita sententia illa excusante occumbens, in ipso duello privatur sepultura.*
24 *Multa fiunt sine culpa vera, quæ non fiunt sine culpa præsumpta.*

1 Diversos apud diversarum gentium Nationes extitisse modos procedendi cum corporibus defunctorum heroico carmine narrat Silius Italicus, & post illum Cassaneus *in Catal. gloriæ mundi p. 2. consid. 5.* alibi saxis, alibi igni, aquis alibi aut aeri lenta tabe diffluentia committebantur, &c. Sed inter Christianos usitatus mos est defunctorum corpora in terram defodere, ut juxta illud *Gen. 3. cap. Homo de terra sumptus, & pulvis, rursus in terram, & pulverem revertatur.* In quem finem piè admodum Majores nostri cum ipsa nascente Ecclesia constituerunt cœmiteria, seu loca Deo consecrata, in quibus fidelium cadavera tumularentur, quamvis olim prohibitum fuerit, ne quispiam ipsa in Ecclesia (ubi Christus immolatur, cui mors ultra non dominabitur) sepeliretur, *cap. præcipiendum 13. quæst. 2.* posteà tamen partim Jure, partim consuetudine introductum est, ut Episcopis, Abbatibus, aliisque piis & honestioribus præsertim Laicis in ipsa Ecclesia locus sepulturæ concederetur, *cap. nullus 13. quæst. 2.*
2 Quòd verò cadavera potiùs in locis sacratis maximè propè templa constitutis, quàm in profanis sepeliantur, fit, ut minus à spiritibus immundis vexentur, ut animæ consequantur patrocinium Sanctorum, quibus Ecclesia cum cœmiterio dedicata est, ut vivi templum intrantes sæpiùs in suis precibus defunctorum & ibi sepultorum memores reddantur, *c. cùm gravius, & c. animæ d. q. 2.*
3 *Quæritur* autem; an omnes Ecclesiæ habeant Jus sepeliendi defunctos? Resp. Jus funerandi computandum esse inter Jura Parochialia, propterea cessante privilegio vel consuetudine ne quidem Monasteria quæ populum aut Parochiam non habent, extraneos defunctos sepelire posse, præter suos Religiosos Professos, & Hospites itidem Religiosos apud eos morientes, *cap. 1. 16. quæst. 1. cap. in nostra 10. de sepult.* dico, cessante consuetudine, nam hodie omnia Monasteria vel ex privilegio vel consuetudine Jus sepeliendi defunctos habere, saltem si ibi sepulturam elegerint refert Lancellotus, *in suis instit. de sepult. §. 1. in gl.* & si juxta textum *in cap. 2. in fine h. t. in 6.* valet electio sepulturæ etiam in loco minus Religioso, ergò multò magis hodie in quolibet loco Religioso sepultura eligi poterit. Cæterùm jus sepeliendi ac cœmiterium alicui Ecclesiæ per Episcopum rectè concedi, decisionem Rotæ adducit Barb. *de off. Par. par. 3. cap. 26. num. 14.*

Quæritur II. An ergò quilibet in sua Ecclesia Parochiali vel ejus cœmiterio sepeliendus sit. Resp. Imprimis attendendum esse, an defunctus certam aliquam sepulturam in alia, quàm sua Ecclesia Parochiali elegerit, quod cùm Jura omnibus permittant etiam filiisfam. sine consensu patris, etiam in quacunque Ecclesia vel cœmiterio ejus voluntatem implere modis omnibus oportet, *cap. 4. 13. quæst. 2. cap. 1. Ext. de sepult. cap. 4. & passim, eod. in 6.* Sin autem intestatus quis decesserit, cujus tamen Majores certam pro sua familia constituerint sepulturam in hac potiùs, quàm Ecclesia Parochiali tumulari debet, *cap. 2. & 3. h. t. in 6.* Quòd si denique nec defunctus ipse, nec Majores ejus certum sepulturæ locum sibi determinaverint, ad Ecclesiam suam Parochialem, quamvis extra eam mortuus fuerit, deferendus erit, dummodo ad illam commodè deferri possit, *d. cap. 3. h. t. in 6.* adeò ut si quis alienum parochianum contra jus proprii Parochi sepelierit, possit ad restitutionem cadaveris, cum omnibus, quæ occasione sepulturæ quomodolibet acceperit, conveniri, *cap. ex parte, & cap. cùm liberum, h. t. cap. 1. eod. in 6.* Porrò nomine Parochiæ non tantùm venit locus, ubi quis *verum domicilium* habitationis perpetuæ tanquam civis, & incola collocavit, sed etiam *quasi domicilium*, si nimirùm in loco per notabile tempus, ut per majorem anni partem, aut de facto habitavit, aut saltem animo habitandi advenerit, istud enim *quasi domicilium* ex receptâ DD. sententia fundat jurisdictionem fori pœnitentialis ad recipienda Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam, Sanch. *de Matrim. lib. 3. disp. 23. num. 12.* Tusc. *L. S. Concil.* 198. *num. 7.* decisum est tamen *in c. 3. h. t. in 6.* quòd habens domicilium in civitate vel castro quando se transfert in villam recreationis causa, vel ut ruralis exerceat in eadem, si non electa sepultura ibidem decedat, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali, vel sepultura Majorum debeat sepeliri. Si defunctus in duobus locis æqualiter domicilium habuit, v. g. in uno per æstatem, in altero per hyemem, & in duabus Ecclesiis Parochialibus Sacramenta frequentare soleat in illa sepelietur, in qua decessit, vel si extra utramque mortuus sit, ad quam arbitrio propinquorum facilius deportari poterit, ubi enim duo vel plures habent æquale jus & singuli in solidum ad rem, ordinariè melior solet esse præoccupantis conditio, *argum. cap. cùm plures, 8. de offic. deleg. in 6.*

Circa uxores speciale est, quòd sicut in vivis relicta familia propria secutæ sunt viros suos, ita post mortem non in sepulchro familiæ, sed maritorum tumulandæ sint, nisi propriam sibimet elegerint sepulturam, vel nisi divortium perpetuum ex causa adulterii vel hæresis (secus si temporale tantùm ex causa sævitiæ, vel morbi contagiosi) intervenerit, nec id ante mortem reconciliatum sit. Quòd si aliqua plures successivè maritos habuerit, cum ultimo, cujus nomen & statum retinuit, sepeliatur, *text. & DD. in cap. unaquæque, 13. quæst. 2. cap. 3. h. t. in 6.* 5

Quæritur III. Quid dicendum, si sepulcra Majorum sint in diversis Ecclesiis. Resp. In hac quæstione tres casus esse distinguendos. I. Si in una Ecclesia sepultus sit Abavus, Proavus; in alia verò Pater & Avus, filius propter majorem conjunctionem cum Patre & Avo sepelietur. II. Si Avus, Proavus, & Abavus in uno loco sepulti sint, Pater verò elegerit sepeliri in alio, filius non cum patre, sed potiùs cum Avo & Proavo sepelietur, *per text. in cap. fraternitatem, Ext. & cap. is qui h. t. in 6.* ubi dicitur, quemlibet in eo loco sepeliendum esse, in quo parentes, & majores *ab antiquo* soliti sunt tumulari. III. Si Pater, Avus, & Proavus in diversis locis tumulati sint, nonnulli censent, filium in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, quasi hoc casu cesset sepulchrum Majorum; alii contra volunt, Patrem sequi debere, *authoritate text. in cap. unaquæque 13. quæst. 4. §. item in novo, vid. Sylv. v. sepultura num. 8.* Mihi prior sententia videtur verior, pro conciliatione tamen alteram tunc amplector, si pater non simpliciter pro se tantùm, sed universim pro sua familia sepulturam elegerit: de quo casu non obscurè loquitur text. *in d. §. item in novo.* 6

Quæritur IV. Utrum ad electionem sepulturæ requiratur aliqua solemnitas? Resp. Quamvis electio sepulturæ sit species ultimarum voluntatum, *ut per gloss. addit. in cap. 1. h. tit. in 6. in verb. prædictos, argum. cap. ultimus, 13. quæst. 2.* Nihilominus tamen cùm sit dispositio ad *pias causas*, probabilius judico, nulla alia solemnitate muniri debere, nisi quòd 7

eligenda

eligens sit pubes. *c. pen. h. t. in 6.* compos mentis, & sufficienter constet de ejus voluntate. Nam quòd favore militiæ *in tit. de militari testamento.* & favore Patriæ potestatis *in L. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testam.* concessum est, ut testamentum militis, & patris inter liberos nullam solennitatem, sed tantum probationem requirat, idem etiam DD. communiter & rectè *ad pias causas*, favore earundem, & propter salutem animæ, pro qua defunctus tale testamentum ferit, extendunt, & ita ut ne quidem duo testes de quibus fit mentio *in c. relatum 11. de testam*, ad substantiam necessarij sint. *Cov. in cap. relatum. n. 12. Tyraquel. de privilegio piæ causæ, privilegio 2.* Quòd verò ad probationem electionis sepulturæ attinet, illa non minùs exacta requiritur, quia licet præjudicium Parochialis Ecclesiæ interveniat, id tamen non est valde notabile. Unde electionem sepulturæ probari posse per testes singulares, & unum etiam concurrentibus adminiculis, & quidem per solum Confessarium, cui tanquam interpreti voluntatis defuncti sit fides habenda, *arg. l. 1. in fin. & ibi DD. ff. de V. O.* tradit Pasqual *in addit.* ad Laurat de Franch. *in controv. inter Episc. & Regul p. 2. q. 64. n. 3 & seqq.* Solum tamen propositum eligendi sepulturam, antequam quis actu eligat, nihil operatur, Lauret de Franch. *d. q. 64.*

8 *Quær. V.* An Religiosi, quibus vel ob electam sepulturam vel sepulchrum Majorum Jus funerandi cadaver competit, possint propria authoritate illud de domo tollere, & per alienam Parochiam processionaliter ad suam Ecclesiam deferre? Resp. Omnium primò attendendam esse loci consuetudinem, vel specialia pacta cum Parocho inita, *argum. cap. 1. de pact. in 6.* Cæterùm abstrahendo à speciali consuetudine, pacto vel privilegio, Juri conformius censeo non licere ad tollendum funus alienam Parochiam sine licentia Parochi ingredi, *arg. c. un. 13. q. 1.* pro qua sententia etiam Bullam Leonis X. allegat Zypæus *in Annal. Jur. Pontif. tit. de sepult. n. 5. & seqq.* eo ferè modo, quo de Jure Civ. cuilibet quidem competit Jus venandi, alienum tamen fundum ingredi à domino prohiberi potest, *§. feræ 12. I. de rer. divis.* Notandum proinde est, quòd Parochi corpora defunctorum in Ecclesiis Religiosorum humanda usque ad Ecclesias præfatas associare possint, & ibi permanere, non tamen cum stola, neque ibidem decantantes aut aliam functionem facientes, *ita ex Declar.* Cardin. & Tamburino docet Petrus de Murga *in quæst. past. par. 3. quæst. 7. num. 6.*

9 *Quær. VI.* An si uxor specialem sepulturam sibi elegerit, & ante Maritum defungatur, debeat Maritus postea sine electione sepulturæ decedens cum illa sepeliri? Panormitan. quamvis prima fronte id affirmaverit, tamen mox in negativam magis propendere videtur, *in cap. de uxore hoc tit. num. 7.* eo quòd Jura tantum de Uxore loquantur, neque fœmineo vocabulo masculi contineantur, ut ait J. C. *in l. si ita scriptum de leg. 2.* & uxor quidem Virum, non autem Vir Uxorem sequatur.

Ego puto non improbabiliter hoc modo distingui posse; ut siquidem Maritus habuerit *sepulchrum Majorum* debeat potius exemplo Patriarcharum cum suis Patribus tumulari. Sin autem nec specialiter *electam* nec *sepulturam Majorum* habeat, & matrimonium in concordia transactum sit, existimo satis congruè dici posse maritum potiùs cum Uxore, quàm in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, etenim propter individuam vitæ societatem, affectionem & unionem conjugalem Jus disposuit, ut uxor sepeliretur cum marito; quæ ratio cum etiam ex parte mariti procedat, idem sanè, & circà hunc statuendum erit, *cap. inter corporalia, vers. sicut ergo De translat. Episc.* quæ extensio Juris satis ex præsumpta voluntate Mariti defuncti induci potest, si enim sciens uxoris electam sepulturam non facit contrariam dispositionem, videtur planè ob maritalem affectionem eandem tacitè saltem etiam elegisse, ut *quorum mens una fuit in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separaret*, sicut in simili dicitur, *in cap. unaquaque 13. qu. 2.*

10 *Quær. VII.* An Prælatus Regularis possit sibi eligere sepulturam? Affirmativa communis est apud Pasqual. *in addit.* ad Lauret de Franch. *p. 2. qu. 61. num. 3.* argum. à contrario sensu *cap. fin. hoc tit. in 6.* nam ibi decernitur Religiosos non posse sibi eligere sepulturam, qui cùm alterius potestati subjecti sint, velle *proprium* non habent: unde cum Prælati circà ea quæ pertinent ad Regimen Conventus & sui ipsorum habeant *suum velle*, poterunt eligere. Verùm advertendum esse ait Pasqual. *d. l.* quòd hujusmodi electio sicut quælibet potestas debeat esse rationabilis, unde nullam fore censet electionem Sepulturæ, si eligeret Prælatus in loco, quò deferri non posset sine notabilibus expensis: aut si ex tali electione læderetur honor & bona opinio Religionis, sicut læderetur, si non appareret specialis prærogativa loci electi, quæ esset præponderans motivum ad relinquendam rationabiliter Sepulturam in proprio Monasterio.

Quær. VIII. An Religiosi inferiores possint sibi eligere Sepulturam, si extra Monasteria decedant? etiam hic affirmativa communior, & probabilior est, dummodò Religiosus ita remotè à suo Monasterio decedat, ut ad id commodè deportari non possit. Nam in *c. fin. h. t. in 6.* ubi Religiosis interdicitur electio Sepulturæ, apertè additur hæc exceptio; *nisi tam remotè à Monasteriis moriantur, ut commodè ad ipsa deferri nequeant*, *Pasq. dict. par. 2. quæst. 60. num. 3. & plurimi apud eum cit. facit text. in cap. nimis iniqua 10. de excess. Prælator.* 11

Quær. IX. An Novitius qui sine electione sepulturæ decedit, sepeliendus sit in Monasterio vel Ecclesia sua Parochiali? Pro Ecclesia Parochiali respondet Pet. de Ubaldis *de Canon. Episc. n. 34.* Angelus *in 2. sepult. nu. 26* eo quòd Novitii non sint verè Religiosi seu de corpore Monasterij. Nihilominus dicendum est, Novitios in ipso Monasterio sepeliri debere, quia quoad plerosque effectus (extra votorum obligationem) Religiosis connumerantur; nimirum quoad Sacramentorum perceptionem, privilegium Canonis, *cap. Religioso de sentent. excom. in 6.* & fori, Navar. *Cons. 5. & 6. de foro comp.* Sed quid si Novitius ante mortem fuisse in proposito redeundi ad sæculum, numquid, quia tunc elegisset mori in sæculo, censendus foret etiam extra Monasterium elegisse sepulturam? Negativa verior est contra Sylv. *verb. sepultura, quæst. 8.* quia solum propositum non extrahit Novitium à statu Novitiorum, sicut nec voluntas mutandi Parochiam subtrahit à Jure Parochi, *arg. l. domicilium, ff ad municipalem, &c.* Sed requiritur factum solvens illum contractum, quo Novitius se tradidit experiendum Religioni, & ipse acceptavit Religionem experiendam, Lauret de Franch. *in controv. inter Episc. & Regul p. 2. q. 57.* 12

Quær. X. Quid Juris habeat Parochus, si Parochianus alibi elegerit sepulturam? Resp. Quod debeatur ipsi portio canonica de iis, quæ alteri Ecclesiæ, ubi sepultura electa est, occasione funeris obveniunt, ut qui Sacramenta administrando onus habuit cum vivente, post mortem ejus etiam de funere aliquod emolumentum participet. Si quis in duobus locis æqualiter habuerit domicilium in tertio elegerit sepulturam, portio Canonica inter utriusque Ecclesiæ domicilia dividenda erit, *cap. 2. hoc tit. in 6.* & quidem si de puncto Juris communis præsertim antiqui loquamur, hæc portio aliquando est dimidia, aliquando tertia. Et aliquando quarta pars pro cujusvis loci consuetudine, non tantùm de candelis, oblationibus, panno tumbæ, &c. sed etiam de omnibus quæ vel titulo institutionis vel legati defunctus pro anima sua Ecclesiæ electæ sepulturæ reliquerit, *cap. 4. cum super, cap. certificari, cap. in nostra de sepulturis.* Specialiter tamen excipitur *in cap. fin. de testament.* Quòd non sit solvenda portio Canonica de his quæ pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, Anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum Divinum leguntur, & quamvis *in Clem. dudum, de sepultura d. cap. fin.* videatur abrogatum, nihilominus gloss. *in dict. Clem. in §. verum*, & Covar. *in cap. officii de testam. in 6* censent, eandem Clementinam utpote correctoriam, & strictæ interpretationis non esse ultrà PP. Prædicatores & Minores, de quibus loquitur, extendendam; dixi porrò de puncto Juris communis hæc ita procedere: Nam per Bullas, & Privilegia specialia, item multorum locorum consuetudinem, Monasteria, & Religiosorum Ordines, vel nullam omninò portionem Canonicam, vel non nisi de funeralibus propriè dictis, quæ scilicet eodem die cum funere deferuntur, uti sunt candelæ, pannus, oblationes, &c. persolvere tenentur. Sicut etiam dict. Clement. *Dudum*, circa portionem Canonicam respectu Prædicatorum per Privilegium Sixti, & respectu Minorum per Privilegium Pii Quinti abrogatam esse refert, Sylv. *verb. portio Canonica in fin* & Meranda *in Manual. Prælat. tom. 2. quæst. 48. art. 8.* vide etiam Tambur. *de Jur. Abb. tom. 1. disp. 15. quæst. 17.* Molina *de I. & I. tract. 2. disp. 215.* 13

Quær. XI. An liceat Religiosis aut Clericis aliquem inducere vel persuadere, ut in suis Ecclesiis eligat sepulturam? Resp. Id sub pœna excommunicationis Sancti Pontifici reservatæ, & restitutionis cadaveris jam sepulti prohibitum esse *in cap 1. de sepult. in 6. & Clement. cupientes. De pœnis*, attamen rigor hujus constitutionis ita communiter temperatur, ut procedat in electione irrevocabili, quæ voto, juramento, aut alio pacto *perpetuo* concipitur, non verò in electione mutabili, quæ fit per testamentum, codicillum, aut 14

CAPUT III.

De Sepulturis.

SUMMARIA.

1 *Olim cadavera non licebat sepelire in Ecclesia.*
2 *Cur cadavera in locis sacris sepeliantur.*
3 *Jus funerandi computatur inter Jura Parochialia.*
4 *Quilibet debet sepeliri in Ecclesia Parochiali nisi habeat sepulturam electam, vel Majorum.*
5 *Uxor sepeliri debet cum marito.*
6 *Quid, si sepulchra Majorum sint in diversis Ecclesiis.*
7 *Ad electionem sepulturæ qualis solemnitas vel probatio requiratur.*
8 *Non licet Religiosis Parochiam alienam ingredi ad tollendum funus.*
9 *Videtur congruum, ut maritus post uxorem defunctus cum eadem sepeliatur.*
10 *Prælatus Regularis potest sibi eligere sepulturam.*
11 *Religiosus decedens in loco remoto extra Monasterium potest sibi eligere sepulturam.*
12 *Novitius in Monasterio sepeliri debet, licèt ante mortem fuisset in proposito redeundi ad sæculum.*
13 *Cùm Parochianus alibi eligit sepulturam, debetur Parocho portio Canonica, & quid veniat hoc nomine.*
14 *Qualiter prohibitum sit aliquem inducere ad eligendam sepulturam.*
15 *Tituli, ex quibus aliquid accipi potest in sepultura.*
16 *Non licet propter mortuaria non soluta corpus inhumatum relinquere.*
17 *Qui non gaudeant sepultura Ecclesiastica.*
18 *Gravis metus quando excuset à transgressione legis humanæ.*
19 *Excommunicati etiam non denunciati privantur sepultura, nisi excommunicatio sit occulta.*
20 *Se ipsos occidentes qualiter priventur.*
21 *Duellantes quando privandi sepultura.*
22 *Suscipientem duellum honoris defendendi causa aliqui saltem in conscientia excusant, quod non videtur practicè admittendum.*
23 *Etiam supposita sententia illa excusante occumbens, in ipso duello privatur sepultura.*
24 *Multa fiunt sine culpa vera, quæ non fiunt sine culpa præsumpta.*

1 Diversos apud diversarum gentium Nationes extitisse modos procedendi cum corporibus defunctorum heroico carmine narrat Silius Italicus, & post illum Cassaneus *in Catal. gloriæ mundi p.2. consid.5.* alibi feris, alibi igni, aquis alibi aut aeri lenta tabe diffluentia committebantur, &c. Sed inter Christianos ritus mos est defunctorum corpora in terram defodere, ut juxta illud *Gen. 3. cap. Homo de terra sumptus, & pulvis, rursus in terram, & pulverem revertatur.* In quem finem piè admodum Majores nostri cum ipsa nascente Ecclesia constituerunt cœmiteria seu loca Deo consecrata, in quibus fidelium cadavera tumolarentur, quamvis olim prohibitum fuerit, ne quispiam in ipsa Ecclesia (ubi Christus immolatur, cui mors ultra non dominabitur) sepeliretur, *cap. præcipiendum 13. quæst. 2.* posteà tamen partim Jura, partim consuetudine introductum est, ut Episcopis, Abbatibus, aliisque piis & honestioribus præsertim Laicis in ipsa Ecclesia locus sepulturæ concederetur, *cap. nullus 13. quæst. 2.*
2 Quòd verò cadavera potiùs in locis sacratis maximè propè templa constitutis, quàm in profanis sepeliantur, fit, ut minùs à spiritibus immundis vexentur, ut animæ consequantur patrocinium Sanctorum, quibus Ecclesia cum cœmiterio dedicata est, ut vivi templum intrantes sæpiùs in suis precibus defunctorum & & ibi sepultorum memores reddantur, *c. cùm gravius, & c. animæ d.q.2.*

3 *Quæritur* autem; an omnes Ecclesiæ habeant Jus sepeliendi defunctos? Resp. Jus funerandi computandum esse inter Jura Parochialia, propterea cessante privilegio vel consuetudine ne quidem Monasteria quæ populum aut Parochiam non habent, extraneos defunctos sepelire posse, præter suos Religiosos Professos, & Hospites itidem Religiosos apud eos morientes, *cap. 1. 16. quæst. 1. cap. in nostra 10. de sepult.* dico, cessante consuetudine; nam hodie omnia Monasteria vel ex privilegio vel consuetudine Jus sepeliendi defunctos habere, saltem si ibi sepulturam elegerint refert Lancellotus, *in suis instit. de sepult. §.1. in gl.* & si juxta textum *in cap. 2. in fine h. t. in 6.* valet electio sepulturæ etiam in loco minus Religioso, ergò multò magis hodie in quolibet loco Religioso sepultura eligi poterit. Cæterùm jus sepeliendi ac cœmiterium alicui Ecclesiæ per Episcopum rectè concedi, decisionem Rotæ adducit Barb. *de off. Par. par. 3. cap. 26. num. 14.*

Quæritur II. An ergò quilibet in sua Ecclesia Parochiali vel ejus cœmiterio sepeliendus sit. Resp. Imprimis attendendum esse, an defunctus certam aliquam sepulturam in alia, quàm sua Ecclesia Parochiali elegerit, quod cùm Jura omnibus permittant etiam filiisfam. sine consensu patris, etiam in quacunque Ecclesia vel cœmiterio ejus voluntatem implere modis omnibus oportet, *cap. 4. 13. quæst. 2. cap. 1. Ext. de sepult. cap. 4. & passim, eod. in 6.* Sin autem intestatus quis decesserit, cujus tamen Majores certam pro sua familia constituerint sepulturam in hac potiùs, quàm Ecclesia Parochiali tumolari debet, *cap. 2. & 3. h. t. in 6.* Quòd si denique nec defunctus ipse, nec Majores ejus certum sepulturæ locum sibi determinaverint, ad Ecclesiam suam Parochialem, quamvis extra eam mortuus fuerit, deferendus erit, dummodo ad illam commodè deferri possit, *d. cap. 3. h. t. in 6.* adeò ut si quis alienum parochianum contra jus proprii Parochi sepelierit, possit ad restitutionem cadaveris, cum omnibus, quæ occasione sepulturæ quomodolibet acceperit, conveniri, *cap. ex parte, & cap. cùm liberum, h. t. cap. 1. eod. in 6.* Porrò nomine Parochiæ non tantùm venit locus, ubi quis *verum domicilium* habitationis perpetuæ tanquam civis, & incola collocavit, sed etiam *quasi domicilium*, si nimirùm in loco per notabile tempus, ut per majorem anni partem, aut de facto habitarit, aut saltem animo habitandi advenerit, istud enim *quasi domicilium* ex recepta DD. sententia fundat jurisdictionem fori pœnitentialis ad recipienda Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam, Sanch. *de Matrim. lib. 3. disp. 23. num. 12.* Tusc. *L. S. Concil.* 198. *num. 7.* decisum est tamen *in c. 3. h. t. in 6.* quòd habens domicilium in civitate vel castro quando se transfert in villam recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura ibidem decedat, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali, vel sepultura Majorum debeat sepeliri. Si defunctus in duobus locis æqualiter domicilium habuit, v. g. in uno per æstatem, in altero per hyemem, & in duabus Ecclesiis Parochialibus Sacramenta frequentare soleat in illa sepelietur, in qua decessit, vel si extra utramque mortuus sit, ad quam arbitrio propinquorum facilius deportari poterit, ubi enim duo vel plures habent æquale jus & singuli in solidum ad rem, ordinariè melior solet esse præoccupantis conditio, *argum. cap. cùm plures, 8. de offic deleg. in 6.*

Circa uxores speciale est, quòd sicut in vivis relicta familia propria secutæ sunt viros suos, ita post mortem non in sepulchro familiæ, sed maritorum tumulandæ sint, nisi propriam sibimet elegerint sepulturam, vel nisi divortium perpetuum ex causa adulterii vel hæresis (secus si temporale tantùm ex causa sævitiæ, vel morbi contagiosi) intervenerit, nec id ante mortem reconciliatum sit. Quòd si aliqua plures successivè maritos habuerit, cum ultimo, cujus nomen & statum retinuit, sepeliatur, *text. & DD. in cap. unaquæque, 13. quæst. 2. cap. 3. h. t. in 6.* 5

Quæritur III. Quid dicendum, si sepulcra Majorum sint in diversis Ecclesiis. Resp. In hac quæstione tres casus esse distinguendos. I. Si in una Ecclesia sepultus sit Abavus, Proavus; in alia verò Pater & Avus, filius propter majorem conjunctionem cum Patre & Avo sepelietur. II. Si Avus, Proavus, & Abavus in uno loco sepulti sint, Pater verò elegerit sepeliri in alio, filius non cum patre, sed potiùs cum Avo & Proavo sepelietur, *per text. in cap. fraternitatem, Ext. & cap. is qui h. t. in 6.* ubi dicitur, quemlibet in eo loco sepeliendum esse, in quo parentes, & majores *ab antiquo* soliti sunt tumulari. III. Si Pater, Avus, & Proavus in diversis locis tumulati sint, nonnulli censent, filium in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, quasi hoc casu cesset sepulchrum Majorum; alii contra volunt, Patrem sequi debere, *authoritate text. in cap. unaquæque 13 quæst. 4. §. item in novo, vid. Sylv. v. sepultura num. 8.* Mihi prior sententia videtur verior, pro conciliatione tamen alteram tunc amplector, si pater non simpliciter pro se tantùm, sed universim pro sua familia sepulturam elegerit: de quo casu non obscurè loquitur text. *in d. §. item in novo.* 6

Quæritur IV. Utrum ad electionem sepulturæ requiratur aliqua solemnitas? Resp. Quamvis electio sepulturæ sit species ultimarum voluntatum, *ut per gloss. addit in cap. 1. h. tit. in 6. in verb. prædictos, argum. cap. ultimus, 13. quæst. 2.* Nihilominus tamen cùm sit dispositio ad *pias causas*, probabilius judico, nulla alia solemnitate muniri debere, nisi quòd 7
eligens

eligens sit pubes. *c. pen. h. t. in 6.* compos mentis, & sufficienter constet de ejus voluntate. Nam quòd favore militiæ *in tit. de militari testamento.* & favore Patriæ potestatis *in L. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testam.* concessum est, ut testamentum militis, & patris inter liberos nullam solennitatem, sed tantum probationem requirat, idem etiam DD. communiter & rectè *ad pias causas*, favore earundem, & propter salutem animæ, pro qua defunctus tale testamentum fecit, extendunt, & ita ut ne quidem duo testes de quibus fit mentio *in c. relatum 11. de testam*, ad substantiam necessarij sint. *Cov. in cap. relatum. n. 12. Tyraquel. de privilegio pia causa, privilegio 2.* Quòd verò ad probationem electionis sepulturæ attinet, illa non minùs exacta requiritur, quia licet præjudicium Parochialis Ecclesiæ interveniat, id tamen non est valde notabile. Unde electionem sepulturæ probari posse per testes singulares, & unum etiam concurrentibus adminiculis, & quidem per solum Confessarium, cui tanquam interpreti voluntatis defuncti sit fides habenda, *arg. l. 1. in fin. & ibi DD. ff. de V. O.* tradit Pasqual *in addit.* ad Lauret de Franch. *in controv. inter Episc. & Regul p. 2. q. 64. n. 3 & seqq.* Solum tamen propositum eligendi sepulturam, antequam quis actu eligat, nihil operatur, Lauret de Franch. *d. q. 64.*

8 *Quær. V.* An Religiosi, quibus vel ob electam sepulturam vel sepulchrum Majorum Jus funerandi cadaver competit, possint propria authoritate illud de domo tollere, & per alienam Parochiam processionaliter ad suam Ecclesiam deferre? Resp. Omnium primò attendendam esse loci consuetudinem, vel specialis pacta cum Parocho inita, *argum. cap. 1. de pact. in 6.* Cæterum abstrahendo à speciali consuetudine, pacto vel privilegio, Juri conformiùs censeo non licere ad tollendum funus alienam Parochiam sine licentia Parochi ingredi, *arg. c. un. 13. q. 1.* pro qua sententia etiam Bullam Leonis X. allegat Zypæus in *Annal. Jur. Pontif. tit. de sepult. n. 5. & seqq.* eo ferè modo, quo de Jure Civ. cuilibet quidem competit Jus venandi, alienum tamen fundum ingredi à domino prohiberi potest, *§ feræ 12 I. de rer. divis.* Notandum proinde est, quòd Parochi corpora defunctorum in Ecclesiis Religiosorum humanda usque ad Ecclesias præfatas associare possint, & ibi permanere, non tamen cum stola, neque ibidem decantantes aut aliam functionem facientes, *ita ex Declar.* Cardin. & Tamburino docet Petrus de Murga *in quæst. past. par. 3. quæst. 7. num. 6.*

9 *Quær. VI.* An si uxor specialem sepulturam sibi elegerit, & ante Maritum defungatur, debeat Maritus postea sine electione sepulturæ decedens cum illa sepeliri? Panormitan. quamvis prima fronte id affirmaverit, tamen mox in negativam magis propendere videtur, *in cap. de uxore hoc tit. num. 7.* eo quòd Jura tantùm de Uxore loquantur, neque fœmineo vocabulo masculi contineantur, ut ait J.C. *in l. si ita scriptum de leg. 2.* & uxor quidem Virum, non autem Vir Uxorem sequatur.

Ego puto non improbabiliter hoc modo distingui posse; ut siquidem Maritus habuerit *sepulchrum Majorum* debeat potius exemplo Patriarcharum cum suis Patribus tumulari. Sin autem nec specialiter *electam* nec *sepulturam Majorum* habeat, & matrimonium in concordia transactum sit, existimo satis congruè dici posse maritum potiùs cum Uxore, quàm in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, etenim propter individuam vitæ societatem, affectionem & unionem conjugalem Jus disposuit, ut uxor sepeliretur cum marito; quæ ratio cum etiam ex parte mariti procedat, idem sanè, & circà hunc statuendum erit, *cap. inter corporalia, vers. sicut ergo De translat. Episc.* quæ extensio Juris satis ex præsumpta voluntate Mariti defuncti induci potest, si enim sciens uxoris electam sepulturam non facit contrariam dispositionem, videtur planè ob maritalem affectionem eandem tacitè saltem etiam elegisse, ut *quorum mens una fuit in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separaret*, sicut in simili dicitur, *in cap. unaquæque 13. qu. 2.*

10 *Quær. VII.* An Prælatus Regularis possit sibi eligere sepulturam? Affirmativa communis est apud Pasqual. *in addit.* ad Lauret de Franch. *p. 2. qu. 61. num. 3.* argum. à contrario sensu *cap. fin. hoc tit. in 6.* nam ibi decernitur Religiosos non posse sibi eligere sepulturam, qui cùm alterius potestati subjecti sint, velle *proprium* non habent: unde cum Prælati circà ea quæ pertinent ad Regimen Conventus & sui ipsorum habeant *suum velle*, poterunt eligere. Verùm advertendum esse ait Pasqual. *d. l.* quòd hujusmodi electio sicut quælibet potestas debeat esse rationabilis, unde nullam fore censet electionem Sepulturæ, si eligeret Prælatus in loco, quò deferri non posset sine notabilibus expensis: aut si ex tali electione læderetur honor & bona opinio Religionis, sicut læderetur, si non appareret specialis prærogativa loci electi, quæ esset præponderans motivum ad relinquendam rationabiliter Sepulturam in proprio Monasterio.

Quær. VIII. An Religiosi inferiores possint sibi eligere Sepulturam, si extra Monasteria decedant? etiam hic affirmativa communior, & probabilior est, dummodo Religiosus ita remotè à suo Monasterio decedat, ut ad id commodè deportari non possit. Nam in *c. fin. h. t. in 6.* ubi Religiosis interdicitur electio Sepulturæ, apertè additur hæc exceptio; *nisi tam remotè à Monasteriis moriantur, ut commodè ad ipsa deferri nequeant*, *Pasq. dict. par. 2. quæst. 60. num. 3. & plurimi apud eum cit. facit text. in cap. nimis iniqua 10. de excess. Prælator.* 11

Quær. IX. An Novitius qui sine electione sepulturæ decedit, sepeliendus sit in Monasterio vel Ecclesia sua Parochiali? Pro Ecclesia Parochiali respondet Pet. de Ubaldis *de Canon. Episc. n. 34.* Angelus *in v. sepult. nu. 26* eo quòd Novitii non sint verè Religiosi seu de corpore Monasterij. Nihilominus dicendum est, Novitios in ipso Monasterio sepeliri debere, quia quoad plerosque effectus (extra votorum obligationem) Religiosis connumerantur; nimirum quoad Sacramentorum perceptionem, privilegium Canonis, *cap. Religioso de sentent. excom. in 6.* & fori, Navar. *Cons. 5. & 6. de foro comp.* Sed quid si Novitius ante mortem fuisse in proposito redeundi ad sæculum, nunquid, quia tunc elegisset mori in sæculo, censendus foret etiam extra Monasterium elegisse sepulturam? Negativa verior est contra Sylv. *verb. sepultura, quæst. 8.* quia solum propositum non extrahit Novitium à statu Novitiorum, sicut nec voluntas mutandi Parochiam subtrahit à Jure Parochi, *arg. l. domicilium, ff ad municipalem, &c.* Sed requiritur factum solvens illum contractum, quo Novitius se tradidit experiendum Religioni, & ipsa acceptavit Religionem experiendam, Laurat de Franch. *in controv. inter Episc. & Regul p. 2. q. 57.* 12

Quær. X. Quid Juris habeat Parochus, si Parochianus alibi elegerit sepulturam? Resp. Quod debeatur ipsi portio canonica de iis, quæ alteri Ecclesiæ, ubi sepultura electa est, occasione funeris obveniunt, ut qui Sacramenta administrando onus habuit eum vivente, post mortem ejus etiam de funere aliquod emolumentum participet. Si quis in duobus locis æqualiter habuerit domicilium in tertio elegerit sepulturam, portio Canonica inter utriusque Ecclesiæ domicilia dividenda erit, *cap. 2. hoc tit. in 6.* & quidem si de puncto Juris communis præsertim antiqui loquamur, hæc portio aliquando est dimidia, aliquando tertia. Et aliquando quarta pars pro cujusvis loci consuetudine, non tantùm de candelis, oblationibus, panno tumbæ, &c. sed etiam de omnibus quæ vel titulo institutionis vel legati defunctus pro anima sua Ecclesiæ electæ sepulturæ reliquerit, *cap. 4. cum super, cap. certificari, cap. in nostra de sepulturis.* Specialiter tamen excipitur *in cap. fin. de testament.* Quòd non sit solvenda portio Canonica de his quæ pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, Anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum Divinum leguntur, & quamvis *in Clem. dudum, de sepulturæ d. cap. fin.* videatur abrogatum, nihilominus gloss. *in dict. Clem. in §. verum*, & Covar. *in cap. officii de testam. in 6.* censent, eandem Clementinam utpotè correctoriam, & strictæ interpretationis non esse ultrà PP. Prædicatores & Minores, de quibus loquitur, extendendam; dixi porrò de puncto Juris communis hæc ita procedere: Nam per Bullas, & Privilegia specialia, item multorum locorum consuetudinem, Monasteria, & Religiosorum Ordines, vel nullam omninò portionem Canonicam, vel non nisi de funeralibus propriè dictis, quæ scilicet eodem die cum funere deferuntur, ut sunt candelæ, pannus, oblationes, &c. persolvere tenentur. Sicut etiam dict. Clement. *Dudam*, circa portionem Canonicam respectu Prædicatorum per Privilegium Sixti, & respectu Minorum per Privilegium Pii Quinti abrogatam esse refert, Sylv. *verb. portio Canonica in fin* & Meranda *in Manual. Prælat. tom. 2. quæst. 48. art. 8.* vide etiam Tambur. *de Jur. Abb. tom 1. disp. 15. quæst. 17.* Molina *de I. & I. tract. 2. disp. 215.* 13

Quær. XI. An liceat Religiosis aut Clericis aliquem inducere vel persuadere, ut in suis Ecclesiis eligat sepulturam? 14
Resp. Id sub pœna excommunicationis Sancti Pontifici reservatæ, & restitutionis cadaveris jam sepulti prohibitum esse *in cap. 1. de sepult. in 6. & Clement. cupientes. De pœnis*, attamen rigor hujus constitutionis ita communiter temperatur, ut procedat in electione irrevocabili, quæ voto, juramento, aut alio pacto *perpetuo* concipitur, non verò in electione mutabili, quæ fit per testamentum, codicillum, aut

CAPUT III.

De Sepulturis.

SUMMARIA.

1 *Olim cadavera non licebat sepelire in Ecclesia.*
2 *Cur cadavera in locis sacris sepeliantur.*
3 *Jus funerandi computatur inter Jura Parochialia.*
4 *Quilibet debet sepeliri in Ecclesia Parochiali nisi habeat sepulturam electam, vel Majorum.*
5 *Uxor sepeliri debet cum marito.*
6 *Quid, si sepulchra Majorum sint in diversis Ecclesiis.*
7 *Ad electionem sepulturæ qualis solemnitas vel probatio requiratur.*
8 *Non licet Religiosis Parochiam alienam ingredi ad tollendum funus.*
9 *Videtur congruum, ut maritus post uxorem defunctus cum eadem sepeliatur.*
10 *Prælatus Regularis potest sibi eligere sepulturam.*
11 *Religiosus decedens in loco remoto extra Monasterium potest sibi eligere sepulturam.*
12 *Novitius in Monasterio sepeliri debet, licèt ante mortem fuisset in proposito redeundi ad sæculum.*
13 *Cùm Parochianus alibi eligit sepulturam, debetur Parocho portio Canonica, & quid veniat hoc nomine.*
14 *Qualiter prohibitum sit aliquem inducere ad eligendam sepulturam.*
15 *Tituli, ex quibus aliquid accipi potest in sepultura.*
16 *Non licet propter mortuaria non soluta corpus inhumatum relinquere.*
17 *Qui non gaudeant sepultura Ecclesiastica.*
18 *Gravis metus quando excuset à transgressione legis humanæ.*
19 *Excommunicati etiam non denunciati privantur sepultura, nisi excommunicatio sit occulta.*
20 *Se ipsos occidentes qualiter preveniatur.*
21 *Duellantes quando privandi sepultura.*
22 *Suscipientem duellum honoris defendendi causa aliqui saltem in conscientia excusant, quod non videtur practicè admittendum.*
23 *Etiam supposita sententia illa excusante occumbens, in ipso duello privatur sepultura.*
24 *Multa fiunt sine culpa vera, quæ non fiunt sine culpa præsumpta.*

1 Diversos apud diversarum gentium Nationes extitisse modos procedendi cum corporibus defunctorum heroico carmine narrat Silius Italicus, & post illum Cassaneus *in Catal. gloria mundi p. 2. consid. 5.* alibi feris, alibi igni, aquis alibi aut aeri lenta tabe diffluentia committebantur, &c. Sed inter Christianos usitatus mos est defunctorum corpora in terram desodere, ut juxta illud *Gen. 3. cap. Homo de terra sumptus, & pulvis, rursus in terram, & pulverem revertatur.* In quem finem piè admodum Majores nostri cum ipsa nascente Ecclesia constituerunt cœmiteria seu loca Deo consecrata, in quibus fidelium cadavera tumularentur, quamvis olim prohibitum fuerit, ne quispiam ipsa in Ecclesia (ubi Christus immolatur, cui mors ultra non dominabitur) sepeliretur, *cap. præcipiendum 13. quæst. 2.* posteà tamen partim Jure, partim consuetudine introductum est, ut Episcopis, Abbatibus, aliisque piis & honestioribus præsertim Laicis in ipsa Ecclesia locus sepulturæ concederetur, *cap. nullus 13. quæst. 2.*
2 Quòd verò cadavera potiùs in locis sacratis maximè propè templa constitutis, quàm in profanis sepeliantur, fit, ut minùs à spiritibus immundis vexentur, ut animæ consequantur patrocinium Sanctorum, quibus Ecclesia cum cœmiterio dedicata est, ut vivi templum intrantes sæpiùs in suis precibus defunctorum & & ibi sepultorum memores reddantur, *c. cùm gravius, & c. animæ d. q. 2.*

3 *Quæritur* autem; an omnes Ecclesiæ habeant Jus sepeliendi defunctos? Resp. Jus funerandi computandum esse inter Jura Parochialia, proptereà cessante privilegio vel consuetudine ne quidem Monasteria quæ populum aut Parochiam non habent, extraneos defunctos sepelire posse, præter suos Religiosos Professos, & Hospites itidem Religiosos apud eos morientes, *cap. 1. 16. quæst. 1. cap. in nostra 10. de sepult.* dico, cessante consuetudine; nam hodie omnia Monasteria vel ex privilegio vel consuetudine Jus sepeliendi defunctos habere, saltem si ibi sepulturam elegerint asserit Lancellotus, *in suis instit. de sepult. §. 1. in gl.* & si juxta textum *in cap. 2. in fine h. t. in 6.* valet electio sepulturæ etiam in loco minus Religioso, ergò multò magis hodie in quolibet loco Religioso sepultura eligi poterit. Cæterùm jus sepeliendi ac cœmiterium alicui Ecclesiæ per Episcopum rectè concedi, decisionem Rotæ adducit Barb. *de off. Par. par. 3. cap. 26. num. 14.*

Quæritur II. An ergò quilibet in sua Ecclesia Parochiali vel ejus cœmiterio sepeliendus sit. Resp. Imprimis attendendum esse, an defunctus certam aliquam sepulturam in alia, quàm sua Ecclesia Parochiali elegerit, quod cùm Jura omnibus permittant etiam filiisfamilias, sine consensu patris, etiam in quacunque Ecclesia vel cœmiterio ejus voluntatem implere modis omnibus oportet, *cap. 4. 13. quæst. 2. cap. 1. Ext. de sepult. cap. 4. & passim, eod. in 6.* Sin autem intestatus quis decesserit, cujus tamen Majores certam pro sua familia constituerint sepulturam in hac potiùs, quàm Ecclesia Parochiali tumulari debet, *cap. 2. & 3. h. t. in 6.* Quòd si denique nec defunctus ipse, nec Majores ejus certum sepulturæ locum sibi determinaverint, ad Ecclesiam suam Parochialem, quamvis extra eam mortuus fuerit, deferendus erit, dummodò ad illam commodè deferri possit, *d. cap. 3. h. t. in 6.* adeò ut si quis alienum parochianum contra jus proprii Parochi sepelierit, possit ad restitutionem cadaveris, cum omnibus, quæ occasione sepulturæ quomodolibet acceperit, conveniri, *cap. ex parte, & cap. cùm liberum, h. t. cap. 1. eod. in 6.* Porrò nomine Parochiæ non tantùm venit locus, ubi quis *verum domicilium* habitationis perpetuæ tanquam civis, & incola collocavit, sed etiam *quasi domicilium*, si nimirùm in loco per notabile tempus, ut per majorem anni partem, aut de facto habitarit, aut saltem animo habitandi advenerit, illud enim *quasi domicilium* ex recepta DD. sententia fundat jurisdictionem fori pœnitentialis ad recipienda Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam, *Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 23. num. 12.* Tusc. *L. S. Concil. 198. num. 7.* decisum est tamen *in c. 3. h. t. in 6.* quòd habens domicilium in civitate vel castro quando se transfert in villam recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura ibidem decedat, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali, vel sepultura Majorum debeat sepeliri. Si defunctus in duobus locis æqualiter domicilium habuit, v. g. in uno per æstatem, in altero per hyemem, & in duabus Ecclesiis Parochialibus Sacramenta frequentare solear in illa sepelietur, in qua decessit, vel si extra utramque mortuus sit, ad quam arbitrio propinquorum facilius deportari poterit, ubi enim duo vel plures habent æquale jus & singuli in solidum ad rem, ordinariè melior solet esse præoccupantis conditio, *argum. cap. cùm plures, 8. de offic. deleg. in 6.* 4

Circa uxores speciale est, quòd sicut in vivis relicta familia propria secutæ sunt viros suos, ita post mortem non in sepulchro familiæ, sed maritorum tumulandæ sint, nisi propriam sibimet elegerint sepulturam, vel nisi divortium perpetuum ex causa adulterii vel hæresis (secus si temporale tantùm ex causa sævitiæ, vel morbi contagiosi) intervenerit, nec id ante mortem reconciliatum sit. Quòd si aliqua plures successivè maritos habuerit, cum ultimo, cujus nomen & statum retinuit, sepeliatur, *text. & DD. in cap. unaquæque, 13. quæst. 2. cap. 3. h. t. in 6.* 5

Quæritur III. Quid dicendum, si sepulcra Majorum sint in diversis Ecclesiis. Resp. In hac quæstione tres casus esse distinguendos. I. Si in una Ecclesia sepultus sit Abavus, Proavus; in alia verò Pater & Avus, filius propter majorem conjunctionem cum Patre & Avo sepelietur. II. Si Avus, Proavus, & Abavus in uno loco sepulti sint, Pater verò elegerit sepeliri in alio, filius non cum patre, sed potiùs cum Avo & Proavo sepelietur, *per text. in cap. fraternitatem, Ext. & cap. is qui h. t. in 6.* ubi dicitur, quemlibet in eo loco sepeliendum esse, in quo parentes, & majores *ab antiquo* soliti sunt tumulari. III. Si Pater, Avus, & Proavus in diversis locis tumulati sint, nonnulli censent, filium in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, quasi hoc casu cesset sepulchrum Majorum; alii contra volunt, Patrem sequi debere, *authoritate text. in cap. unaquæque 13. quæst. 4. §. item in novo, vid. Sylv. v. sepultura num. 8.* Mihi prior sententia videtur verior, pro conciliatione tamen alteram tunc amplector, si pater non simpliciter pro se tantùm, sed universim pro sua familia sepulturam elegerit: de quo casu non obscurè loquitur text. *in d. §. item in novo.* 6

Quæritur IV. Utrum ad electionem sepulturæ requiratur aliqua solemnitas? Resp. Quamvis electio sepulturæ sit species ultimarum voluntatum, *ut per gloss. addit. in cap. 1. h. tit. in 6. in verb. prædictos, argum. cap. ultimus, 13. quæst. 2.* Nihilominus tamen cùm sit dispositio ad *pias causas*, probabilius judico, nulla alia solemnitate muniri debere, nisi quòd 7

eligens

eligena sit pubes. *c. pen. h. t. in 6.* compos mentis, & sufficientet ennstet de ajus voluntata. Nam qoòd favore militiæ *in tit. de militari testamento.* & favora Patriæ potestasis *in L. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testam.* concessum est, ut restamenrum militis, & patris inter liberos nullam solenniratem, sed taatum probationem sequirat, idem etiam DD. communirer & rectè *ad piat causas*, favore earundem, & propter salutem animæ, pro qua defunctus rale testamentum fecit, axtendunt, & ita ut ne quidem duo testes de quibus fit nientio *in c. relatum 11. de testam*, ad substantiam necessarij sint. *Cov. in cap. relatum. n. 12. Tyraquel. de privilegio piæ causæ, privilegio 2.* Quòd verò ad probationem electionis sepulturæ attinet, illa non minùs axacta requiritur, quia licer præjudicium Parochialis Ecclasiæ ioterveniat, id tamen non est valde notabile. Unde electionem sepulturæ probari posse per testes singolares, & unum etiam concurrentibus adminiculis, & quidam per solum Coofessarium, cui tanquam interpreti voluntatis defuncti sit fides babenda, *arg. l. 1. in fin. & ibi DD. ff. de V. O.* tradit Pasqual *in addit.* ad Lauret da Franeh. *in controv. inter Episc. & Regul p. 2. q. 64. n. 3 & seqq.* Solum tamen propositum eligendi sepulturam, antequam quia actu eligat, nihil nperator, Lauret de Pranch. *d. q. 64.*

8 *Quær. V.* An Religiosi, quibus vel ob electam sepulturam vel sepulchrum Majorum Jus funerandi eadaver competit, possint propria anthoritata illod de domo tollere, & per alienam Parochiam processionaliter ad suam Ecclesiam deferra? Resp. Omnium primò attendendam essa loci consuetudinem, vel specialia pacta cum Parocho inita, *argum. cap. 1. de pact. in 6.* Cæterum abstrahendo à speciali consuetudioe, pacto vel privilegio, Juri conformius ceoseo non licere ad tollendum funus alienam Parochiam sine licentia Parochi ingredi, *arg. c. un. 13. q. 1.* pro qua sententia etiam Bullam Leonis X. allegat Zypæus *in Annal. Jur. Pontif. tit. de sepult. n. 5. & seqq.* eo ferè modo, quo de Jure Civ. cuilibet quidem competit Jus venandi, alienom tamen fundum ingredi à domino probiberi potest, *§ feræ 12 I. de rer. divis.* Notandum proinde est, quòd Parochi corpora defunctorum in Ecclesiis Religiosorum humanda usque ad Ecclesias præfatas associare possint, & ibi permaneta, non tamen cum stola, neque ibideoi decantantes aut aliam functionem facientes, *ita ex Declar.* Cardin. & Tamburino docet Petrus de Murga *in quæst. past. par. 3. quæst. 7. num. 6.*

9 *Quær. VI.* An si uxor specialem sepulturam sibi elegerit, & ante Maritum defungatur, debeat Maritus postea sina alectione sepulturæ decedens cum illa sepeliri? Panormitan. quamvis prima fronte id affirmaverit, tamen moa in negativam magis propendera videtur, *in cap. de uxore hoc tit. num. 7.* eo qoòd Jura tantùm de Uxore loquantur, neqoe fæminen vocabulo masculi continaantur, ut ait J.C. *in l. si ita scriptum de leg. 2.* & uxos quidem Virum, non autem Vir Uxorem sequatur.

Ego puto non improbabiliter hoc modo distingui posse; et siquidem Maritus habuerit *sepulchrum Majorum* debeat potius exemplo Patriarcharum cum suis Parribus tumulari. Sin autem nec specialiter *electam* nec *sepulturam Majorum* habeat, & matrimonium in concordia translactum sit, existimo satis congruè dici posse maritum potiùs cum Uxore, quàm in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, etenim proptar individuam vitæ societatam, affectionem & unionem conjugalem Jus disposuit, ut uxor sepeliretur cum marito; qoæ ratio cum etiam ex parte mariti procedat, idem sanè, & circà hunc statuendum erit, *cap. inter corporalia, vers. sicut ergo De translat. Episc.* qoæ extensio Juris satis ea præsumpta voluntata Mariti defuncti induci potest, si enim sciens uxoris alectam sepulturam non facit contrariam dispositionem, videtor planè ob maritalem affectionem eandem tacitè saltem etiam alegisse, ut *quorum mens una fuit in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separaret*, sicut in simili dicitur, *in cap. unaquæque 13. qu. 2.*

10 *Quær. VII.* An Prælatus Ragularis possit sibi eligere sepulturam? Affirmativa communis est apud Pasqual. *in addit.* ad Laoret da Franch. *p. 2. qu. 61. num. 3.* argum. à contrario sensu *cap. fin. hoc tit. in 6.* nam ibi decernitur Religiosos non posse sibi eligere sepulturam, qui cum alterius potestati subjecti sint, vel la *proprium* non habent: unde cum Prælati circà ea quæ pertinent ad Ragimen Conventus & sui ipsorum habeant *suum velle*, poterunt eligere. Varùm advertendum esse ait Pasqual. *d. l.* quòd hujusmodi electio sicut quælibet potestas debeat esse rationabilis, unde nullam fore censet electionem Sepulturæ, si aligeret Prælatus in loco, quò deferri non posset sina notabilibus expensis: aut si ex tali electione laderetur honor & bona opinio Religionis, sicut læderetur, si non appareret specialis prærogativa loci electi, qoæ esset præponderans motivum ad relinqoendam rationabiliter Sepulturam in proprio Monasterio.

Quær. VIII. An Religiosi Inferiores possint sibi eligere Sepulturam, si extra Monasteria decedant? etiam hic affirmativa communior, & probabilior est, dummodo Religiosus ita remotè à suo Monasterio decedat, ut ad id commodè deportari non possit. Nam in *c. fin. h. t. in 6.* ubi Religiosis interdicitur electio Sepulturæ, apertè additur hæc exceptio: *nisi tam remotè à Monasteriis moriantur, ut commodè ad ipsa deferri nequeant*, *Pasq. dict. par. 2. quæst. 60. num. 3. & plurimi apud eum cit. facit text. in cap. nimis iniqua 10. de excess. Prælator.* 11

Quær. IX. An Novitius qui sine electione sepulturæ decedit, sepeliendus sit in Monasterio vel Ecclesia sua Parochiali? Pro Ecclesia Parochiali respondet Pet. de Ubaldis *de Canon. Episc. n. 34.* Angelus *in v. sepult. nu. 26* eo quòd Novitii non sint verè Religiosi seu de corpore Monasterij. Nihilominus dicendum est, Novitius in ipso Monasterio sepeliri debere, quia quoad plerosque effectus (extra votorum obligationem) Religiosis connomerantur; nimirum quoad Sacramentorum perceptionem, privilegium Canonis, *cap. Religioso de sentent. excom. in 6.* & fori, Navar. *Cons. 5. & 6. de foro comp.* Sed quid si Novitius ante mortem fuisse in proposito redeundi ad sæculom, numquid, quia tunc elegisset mori in sæculo, censendus foret etiam extra Monasterium elegisse sepulturam? Negativa verior est contra Sylv. *verb. sepultura, quæst. 8.* quia solum propositum non extrahit Novitium à statu Noviriorum, sicut nec voluntas mutandi Parochiam subtrahit à Jure Parochi, *arg. l. domicilium, ff ad municipalem, &c.* Sed requiritur factom solvens illum contractum, quo Novitius se tradidit ad experiendum Religioni, & ipse acceptavit Religionem experiendam, Lauret de Franch. *in controv. inter Episc. & Regul p. 2. q. 57.* 12

Quær. X. Quid Juris habeat Parochus, si Parochianus alibi elegerit sepulturam? Resp. Quod debeatur ipsi portio canonica de iis, quæ alteri Ecclesiæ, obi sepoltura electa est, occasione funeris obveniunt, ut qoi Sacramenta administrando onus habuit eum viventa, post mortem ejus etiam de funere aliqood amolumentum participet. Si quis in duobus locis æqualiter habuerit domicilium in tertio elegerit sepulturam, portio Canonica inter utriusque Ecclesiæ domicilia dividenda erit, *cap. 2. hoc tit. in 6.* & quidem si de puncto Juris communis præsertim antiqui loquamur, hæc portio aliquando est dimidia, aliquando tertia. Et aliquando quarta para pro cujusvis loci consuetudine, non tantùm de candelis, oblationibus, panno tumbæ, &c. sed etiam de omnibus quæ vel titulo institutionis vel legati defunctus pro anima sua Ecclesiæ electæ sepulturæ reliquerit, *cap. 4. cum super, cap. certificari, cap. in nostra de sepulturis.* Specialiter tamen excipitur *in cap. fin. de testament.* Quòd non sit solvenda portio Canonica de his quæ pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, Anoiversario, septimo, vigesimo, trigasimo die, sive aliis ad perpetuum cultum Divinum legantur, & quamvis *in Clem. dudum, de sepultura d. cap. fin.* videatur abrogatum, nihilominus gloss. *in dict. Clem. in §. verum*, & Covar. *in cap. officii de testam. in 6* censent, eandem Clementinam utpotè correctoriam, & strictæ interpretationis non esse ultrà PP. Prædicatores & Minores, de quibus loquitur, extendendam; dixi porrò de puncto Juris communis hæc ita procedere: Nam per Bullas, & Privilegia specialia, item moltorum locorum consuetudinem, Monasteria, & Religiosorum Ordines, vel nullam omninò portionem Canonicam, vel non nisi de funeralibus propriè dictis, quæ scilicet eodem die cum funere deferuntur, uti sunt candelæ, pannus, oblationes, &c. persolvere tenentur. Sicut etiam dict. Clement. *Dudum*, circa portionem Canonicam respectu Prædicatorum per Privilegium Sixti, & respectu Minorum per Privilegium Pii Quinti abrogatam esse refert, Sylv. *verb. portio Canonica in fin* & Mitranda *in Manual. Prælat. tom. 2. quæst. 48. art. 8.* vide etiam Tambur. *de Jur. Abb. tom. 1. disp. 15. quæst. 17.* Molina *de I. & I. tract. 2. disp. 215.* 13

Quær. XI. An liceat Religiosis aut Clericis aliquem inducere vel persuadera, ut in suis Ecclesiis eligat sepulturam? 14 Resp. Id sub pœna excommunicationis Sancti Pontifici reservatæ, & restitutionis cadaveris jam sepulti prohibitum essa *in cap 1. de sepult. in 6. & Clement. cupientes. De pœnis*, attamen rigor hujus constitutionis ita communiter temperatur, ut procedat in electione irrevocabili, quæ voto, juramento, aut alio pacto *perpetuo* concipitur, non verò in electione mutabili, quæ fit per testamentum, codicillum, aut

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

F aliam

CAPUT III.

De Sepulturis.

SUMMARIA.

1 *Olim cadavera non licebat sepelire in Ecclesia.*
2 *Cur cadavera in locis sacris sepeliantur.*
3 *Jus funerandi computatur inter Jura Parochialia.*
4 *Quilibet debet sepeliri in Ecclesia Parochiali nisi habeat sepulturam electam, vel Majorum.*
5 *Uxor sepeliri debet cum marito.*
6 *Quid, si sepulchra Majorum sint in diversis Ecclesiis.*
7 *Ad electionem sepulturæ qualis solemnitas vel probatio requiratur.*
8 *Non licet Religiosis Parochiam alienam ingredi ad tollendum funus.*
9 *Videtur congruum, ut maritus post uxorem defunctus cum eadem sepeliatur.*
10 *Prælatus Regularis potest sibi eligere sepulturam.*
11 *Religiosus decedens in loco remoto extra Monasterium potest sibi eligere sepulturam.*
12 *Novitius in Monasterio sepeliri debet, licèt ante mortem fuisset in proposito redeundi ad seculum.*
13 *Cùm Parochianus alibi eligit sepulturam, debetur Parocho portio Canonica, & quid veniat hoc nomine.*
14 *Qualiter prohibitum sit aliquem inducere ad eligendam sepulturam.*
15 *Tituli, ex quibus aliquid accipi potest in sepultura.*
16 *Non licet propter mortuaria non soluta corpus inhumatum relinquere.*
17 *Qui non gaudeant sepultura Ecclesiastica.*
18 *Gravis metus quando excuset à transgressione legis humanæ.*
19 *Excommunicati etiam non denunciati privantur sepultura, nisi excommunicatio sit occulta.*
20 *Se ipsos occidentes qualiter priventur.*
21 *Duellantes quando privandi sepultura.*
22 *Suscipientem duellum honoris defendendi causa aliqui saltem in conscientia excusant, quod non videtur practicè admittendum.*
23 *Etiam supposita sententia illa excusante occumbens, in ipso duello privatur sepultura.*
24 *Multa fiunt sine culpa vera, quæ non fiunt sine culpa præsumpta.*

1 Diversos apud diversarum gentium Nationes extitisse modos procedendi cum corporibus defunctorum heroico carmine narrat Silius Italicus, & post illum Cassaneus *in Catal. gloriæ mundi p. 2. consid. 5.* alibi feris, alibi igni, aquis alibi aut seri lenta tabe diffluentis committebantur, &c. Sed inter Christianos usitatus mos est defunctorum corpora in terram defodere, ut juxta illud *Gen. 3. cap. Homo de terra sumptus, & pulvis, rursus in terram, & pulverem revertatur.* In quem finem piè admodum Majores nostri cum ipsa nascente Ecclesia constituerunt cœmiteria seu loca Deo consecrata, in quibus fidelium cadavera tumularentur, quamvis olim prohibitum fuerit, ne quisplam ipsa in Ecclesia (ubi Christus immolatur, cui mors ultra non dominabitur) sepeliretur, *cap. præcipiendum 13. quæst. 2.* posteà tamen partim Jure, partim consuetudine introductum est, ut Episcopis, Abbatibus, aliisque piis & honestioribus præsertim Laicis in ipsa Ecclesia locus sepulturæ concederetur, *cap. nullus 13. quæst. 2.*
2 Quòd verò cadavera potiùs in locis sacratis maximè propè templa constitutis, quàm in profanis sepeliantur, fit, ut minùs à spiritibus immundis vexentur, ut animæ consequantur patrocinium Sanctorum, quibus Ecclesia cum cœmiterio dedicata est, ut vivi templum intrantes sæpiùs in suis precibus defunctorum & ibi sepultorum memores reddantur, *c. cùm gravius, & c. anima d. q. 2.*
3 *Quæritur* autem; an omnes Ecclesiæ habeant Jus sepeliendi defunctos? Resp. Jus funerandi computandum esse inter Jura Parochialia, propterea cessante privilegio vel consuetudine ne quidem Monasteriis quæ populum aut Parochiam non habent, cæteros defunctos sepelire posse, præter suos Religiosos Professos, & Hospites itidem Religiosos apud eos morientes, *cap. 1. 16. quæst. 1. cap. in nostra 10. de sepult.* dico, cessante consuetudine; nam hodie omnia Monasteria vel ex privilegio vel consuetudine Jus sepeliendi defunctos habere, saltem si ibi sepulturam elegerint refert Lancellotus, *in suis instit. de sepult. §. 1. in gl.* & si juxta textum *in cap. 2. in fine h. t. in 6.* valet electio sepulturæ etiam in loco minus Religioso, ergò multò magis hodie in quolibet loco Religioso sepultura eligi poterit. Cæterùm jus sepeliendi ac cœmiterium alicui Ecclesiæ per Episcopum rectè concedi, decisionem Rotæ adducit Barb. *de off. Par. par. 3. cap. 26. num. 14.*

Quæritur II. An ergò quilibet in sua Ecclesia Parochiali vel ejus cœmiterio sepeliendus sit. Resp. Imprimis attendendum esse, an defunctus certam aliquam sepulturam in alia, quàm sua Ecclesia Parochiali elegerit, quod cùm Jura omnibus permittant etiam filiisfamilias, sine consensu patris, etiam in quacunque Ecclesia vel cœmiterio ejus voluntatem implere modis omnibus oportet, *cap. 4. 13. quæst. 2. cap. 1. Ext. de sepult. cap. 4. & passim, eod. in 6.* Sin autem intestatus quis decesserit, cujus tamen Majores certam pro sua familia constituerint sepulturam in hac potiùs, quàm Ecclesia Parochiali tumulari debet, *cap. 2. & 3. h. t. in 6.* Quòd si denique nec defunctus ipse, nec Majores ejus certum sepulturæ locum sibi determinaverint, ad Ecclesiam suam Parochialem, quamvis extra eam mortuus fuerit, deferendus erit, dummodò ad illam commodè deferri possit, *d. cap. 3. h. t. in 6.* adeò ut si quis alienum parochianum contra jus proprii Parochi sepelierit, possit ad restitutionem cadaveris, cum omnibus, quæ occasione sepulturæ quomodolibet acceperit, conveniri, *cap. ex parte, & cap. cùm liberum, h. t. cap. 1. eod. in 6.* Porrò nomine Parochiæ non tantùm venit locus, ubi quis *verum domicilium* habitationis perpetuæ tanquam civis, & incola collocavit, sed etiam *quasi domicilium*, si nimirùm in loco per notabile tempus, ut per majorem anni partem, aut de facto habitavit, aut saltem animo habitandi advenerit, istud enim *quasi domicilium* ex recepta DD. sententia fundat jurisdictionem fori pœnitentialis ad recipienda Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam, Sanch. *de Matrim. lib. 3. disp. 23. num. 12.* Tusc. *L. S. Concil. 198. num. 7.* decisum est tamen *in c. 3. h. t. in 6.* quòd habens domicilium in civitate vel castro quando se transfert in villam recreationis causa, vel ut curalia exerceat in eadem, si non electa sepultura ibidem decedat, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali, vel sepultura Majorum debeat sepeliri. Si defunctus in duobus locis æqualiter domicilium habuit, v. g. in uno per æstatem, in altero per hyemem, & in duabus Ecclesiis Parochialibus Sacramenta frequentare soleat in illa sepelietur, in qua decessit, vel si extra utramque mortuus sit, ad quam arbitrio propinquorum facilius deportari poterit, ubi enim duo vel plures habent æquale jus & singuli in solidum ad rem, ordinariè melior solet esse præoccupantis conditio, *argum. cap. cùm plures, 8. de offic. deleg. in 6.* 4

Circa uxores speciale est, quòd sicut in vivis relicta familia propria secutæ sunt viros suos, ita post mortem non in sepulchro familiæ, sed maritorum tumulandæ sint, nisi propriam sibimet elegerint sepulturam, vel nisi divortium perpetuum ex causa adulterii vel hæresis (secus si temporale tantùm ex causa sævitiæ, vel morbi contagiosi) intervenerit, nec id ante mortem reconciliatum sit. Quòd si aliqua plures successivè maritos habuerit, cum ultimo, cujus nomen & statum retinuit, sepeliatur, *text. & DD. in cap. unaquæque, 13. quæst. 2. cap. 3. h. t. in 6.* 5

Quæritur III. Quid dicendum, si sepulcra Majorum sint in diversis Ecclesiis. Resp. In hac quæstione tres casus esse distinguendos. I. Si in una Ecclesia sepultus sit Abavus, Proavus; in alia verò Pater & Avus, filius propter majorem conjunctionem cum Patre & Avo sepelietur. II. Si Avus, Proavus, & Abavus in uno loco sepulti sint, Pater verò elegerit sepeliri in alio, filius non cum patre, sed potiùs cum Avo & Proavo sepelietur, *per text. in cap. fraternitatem, Ext. & cap. si quis h. t. in 6.* ubi dicitur, quemlibet in eo loco sepeliendum esse, in quo parentes, & majores *ab antiquo* soliti sunt tumulari. III. Si Pater, Avus, & Proavus in diversis locis tumulati sint, nonnulli censent, filium in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, quasi hoc casu cesset sepulchrum Majorum; alii contra volunt, Patrem sequi debere, *authoritate text. in cap. unaquæque 13 quæst. 4. §. item in novo, vid. Sylv. v. sepultura num. 8.* Mihi prior sententia videtur verior, pro conciliatione tamen alteram tunc amplector, si pater non simpliciter pro se tantùm, sed universim pro sua familia sepulturam elegerit: de quo casu non obscurè loquitur text. *in d. §. item in novo.* 6

Quæritur IV. Utrùm ad electionem sepulturæ requiratur aliqua solemnitas? Resp. Quamvis electio sepulturæ sit species ultimarum voluntatum, *ut per gloss. addit. in cap. 1. h. tit. in 6. in verb. prædictos, argum. cap. ultimus, 13. quæst. 2.* Nihilominus tamen cùm sit dispositio ad *pias causas*, probabilius judico, nulla alia solemnitate muniri debere, nisi quòd 7

eligens

eligens sit pubes. *c. pen. h. t. in 6.* compos mentis, & sufficienter constet de ejus voluntate. Nam quòd favore militiæ *in tit. de militari testamento.* & favore Patriæ potestatis *in L. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testam.* concessum est, ut testamentum militis, & patris inter liberos nullam solennitatem, sed tantum probationem requirat, idem etiam DD. communiter & rectè *ad pias causas*, favore earundem, & propter salutem animæ, pro qua defunctus tale testamentum fecit, extendunt, & ita ut ne quidem duo testes de quibus fit mentio *in c. relatum 11. de testam*, ad substantiam necessarij sint. *Cov. in cap. relatum. n. 12. Tyraquel. de privilegio piæ causæ, privilegio 2.* Quòd verò ad probationem electionis sepulturæ attinet, illa non minùs exacta requiritur, quia licet præjudicium Parochialis Ecclesiæ interveniat, id tamen non est valde notabile. Unde electionem sepulturæ probari posse per testes singulares, & unum etiam concurrentibus adminiculis, & quidem per solum Confessarium, cui tanquam interpreti voluntatis defuncti sit fides habenda, *arg. l. 1. in fin. & ibi DD. ff. de V. O.* tradit Pasqual in *addit.* ad Lauret de Franch. *in controv. inter Episc. & Regul p. 2. q. 64. n. 3 & seqq.* Solum tamen propositum eligendi sepulturam, antequam quis actu eligat, nihil operatur, Lauret de Franch. *d. q. 64.*

8 *Quær. V.* An Religiosi, quibus vel ob electam sepulturam vel sepulchrum Majorum Jus funerandi cadaver competit, possint propria authoritate illud de domo tollere, & per alienam Parochiam processionaliter ad suam Ecclesiam deferre? Resp. Omnium primò attendendam esse loci consuetudinem, vel specialia pacta cum Parocho inita, *argum. cap. 1. de pact.* in 6. Cæterùm abstrahendo à speciali consuetudine, pacto vel privilegio, Juri conformius censeo non licere ad tollendum funus alienam Parochiam sine licentia Parochi ingredi, *arg. c. un. 1. 3. q. 1.* pro qua sententia etiam Bullam Leonis X. allegat Zypæus in *Annal. Jur. Pontif. tit. de sepult. n. 5. & seqq.* eo ferè modo, quo de Jure Civ. cuilibet quidem competit Jus venandi, alienum tamen fundum ingredi à domino prohiberi potest, *§ feræ 12 I. de rer. divis.* Notandum proinde est, quòd Parochi corpora defunctorum in Ecclesiis Religiosorum humanda usque ad Ecclesias præfatas associare possint, & ibi permanere, non tamen cum stola, neque ibidem decantantes aut aliam functionem facientes, *ita ex Declar.* Cardin. & Tamburino docet Petrus de Murgs *in quæst. past. par. 3. quæst. 7. num. 6.*

9 *Quær. VI.* An si uxor specialem sepulturam sibi elegerit, & ante Maritum defungatur, debeat Maritus postea sine electione sepulturæ decedens cum illa sepeliri? Panormitan. quamvis prima fronte id affirmaverit, tamen mox in negativam magis propendere videtur, *in cap. de uxore hoc tit. num. 7.* eo quòd Jura tantùm de Uxore loquantur, neque fœmineo vocabulo masculi contineantur, ut ait J.C. *in l. si ita scriptum de leg. 2.* & uxor quidem Virum, non autem Vir Uxorem sequatur.

Ego puto non improbabiliter hoc modo distingui posse; ut siquidem Maritus habuerit *sepulchrum Majorum* debeat potius exemplo Patriarcharum cum suis Patribus tumulari. Sin autem nec specialiter *electam* nec *sepulturam Majorum* habeat, & matrimonium in concordia transactum sit, existimo satis congruè dici posse maritum potius cum Uxore, quàm in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, etenim propter individuam vitæ societatem, affectionem & unionem conjugalem Jus disposuit, ut uxor sepeliretur cum marito; quæ ratio cum etiam ex parte mariti procedat, idem sanè, & circà hunc statuendum erit, *cap. inter corporalia, vers. sicut ergo De translat. Episc.* quæ extensio Juris satis ex præsumpta voluntate Mariti defuncti induci potest, si enim sciens uxoris electam sepulturam non facit contrariam dispositionem, videtur planè ob maritalem affectionem eandem tacitè saltem etiam elegisse, ut *quorum mens una fuit in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separaret*, sicut in simili dicitur, *in cap. unaquæque 13. qu. 2.*

10 *Quær. VII.* An Prælatus Regularis possit sibi eligere sepulturam? Affirmativa communis est apud Pasqual. *in addit.* ad Lauret de Franch. *p. 2. qu. 61. num. 3.* argum. à contrario sensu *cap fin. hoc tit. in 6.* nam ibi decernitur Religiosos non posse sibi eligere sepulturam, qui cùm alterius potestati subjecti sint, velle *proprium* non habent: unde cum Prælati circa ea quæ pertinent ad Regimen Conventus & sui ipsorum habeant *suum velle*, poterunt eligere. Verùm advertendum esse ait Pasqual. *d. l.* quòd hujusmodi electio sicut quælibet potestas debeat esse rationabilis, unde nullam fore censet electionem Sepulturæ, si eligeret Prælatus in loco, quò deferri non posset sine notabilibus expensis: aut si ex tali electione læderetur honor & bona opinio Religionis, sicut læderetur, si non appareret specialis prærogativa loci electi, quæ esset præponderans motivum ad relinquendam rationabiliter Sepulturam in proprio Monasterio.

Quær. VIII. An Religiosi inferiores possint sibi eligere Se- 11
pulturam, si extra Monasteria decedant? etiam hic affirmativa communior, & probabilior est, dummodo Religiosus ita remotè à suo Monasterio decedat, ut ad id commodè deportari non possit. Nam in *c. fin. h. t. in 6.* ubi Religiosis interdicitur electio Sepulturæ, apertè additur hæc exceptio; *nisi tam remotè à Monasteriis moriantur, ut commodè ad ipsa deferri nequeant*, *Pasq. dict. par. 2. quæst. 60. num. 3. & plurimi apud eum cit. facit text. in cap. nimis iniqua 10. de excess. Prælator.*

Quær. IX. An Novitius qui sine electione sepulturæ dece- 12
dit, sepeliendus sit in Monasterio vel Ecclesia sua Parochiali? Pro Ecclesia Parochiali respondet Pet. de Ubaldis *de Canon. Episc. n. 34.* Angelus *in v. sepult. nu. 26* eo quòd Novitii non sint verè Religiosi seu de corpore Monasterij. Nihilominus dicendum est, Novitios in ipso Monasterio sepeliri debere, quia quoad plerosque effectus (extra votorum obligationem) Religiosis connumerantur; nimirum quoad Sacramentorum perceptionem, privilegium Canonis, *cap. Religiosi de sentent. excom. in 6.* & fori, Navar. *Cons. 5. & 6. de foro comp.* Sed quid si Novitius ante mortem fuisset in proposito redeundi ad sæculum, nunquid, quia tunc elegisset mori in sæculo, censendus foret etiam extra Monasterium elegisse sepulturam? Negativa verior est contra Sylv. *verb. sepultura, quæst. 8.* quia solum propositum non extrahit Novitium à statu Novitiorum, sicut nec voluntas mutandi Parochiam subtrahit à Jure Parochi, *arg. l. domicilium, ff ad municipalem, &c.* Sed requiritur factum solvens illum contractum, quo Novitius se tradidit experiendum Religioni, & ipse acceptavit Religionem experiendam, Lauret de Franch. *in controv. inter Episc. & Regul p. 2. q. 57.*

Quær. X. Quid Juris habeat Parochus, si Parochianus ali- 13
bi elegerit sepulturam? Resp. Quod debeatur ipsi portio canonica de iis, quæ alteri Ecclesiæ, ubi sepultura electa est, occasione funeris obveniunt, ut qui Sacramenta administrando onus habuit eum vivente, post mortem ejus etiam de funere aliquod emolumentum participet. Si quis in duobus locis æqualiter habuerit domicilium in tertio elegerit sepulturam, portio Canonica inter utriusque Ecclesiæ domicilia dividenda erit, *cap. 2. hoc tit. in 6.* & quidem si de puncto Juris communis præsertim antiqui loquamur, hæc portio aliquando est dimidia, aliquando tertia. Et aliquando quarta pars pro cujusvis loci consuetudine, non tantùm de candelis, oblationibus, panno tumbæ, &c. sed etiam de omnibus quæ vel titulo institutionis vel legati defunctus pro anima sua Ecclesiæ electæ sepulturæ reliquerit, *cap. 4. cum super, cap. certificari, cap. in nostra de sepulturis.* Specialiter tamen excipitur *in cap. fin. de testament.* Quòd non sit solvenda portio Canonica de his quæ pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, Anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum Divinum legantur, & quamvis *in Clem. dudum, de sepulturæ d. cap. fin.* videatur abrogatum, nihilominus gloss. *in dict. Clem. in §. verum*, & Covar. *in cap. officii de testam. in 6* censent, eandem Clementinam utpotè correctoriam, & strictæ interpretationis non esse ultrà PP. Prædicatores & Minores, de quibus loquitur, extendendam; dixi potiù de puncto Juris communis hæc ita procedere: Nam per Bullas, & Privilegia specialia, item multorum locorum consuetudinem, Monasteria, & Religiosorum Ordines, vel nullam omninò portionem Canonicam, vel non nisi de funeralibus propriè dictis, quæ scilicet eodem die cum funere deferuntur, uti sunt candelæ, panni, oblationes, &c. persolvere tenentur. Sicut etiam dict. Clement. *Dudum*, circa portionem Canonicam respectu Prædicatorum per Privilegium Sixti, & respectu Minorum per Privilegium Pii Quinti abrogatam esse refert, Sylv. *verb. portio Canonica in fin* & Meranda *in Manual. Prælat. tom. 3. quæst. 48. art. 8.* vide etiam Tambur. *de Jur. Abb. tom 1. disp. 15. quæst. 17.* Molina *de I. & I. tract. 2. disp 215.*

Quær. XI. An liceat Religiosis aut Clericis aliquem indu-
cere vel persuadere, ut in suis Ecclesiis eligat sepulturam? 14
Resp. Id sub pœna excommunicationis Sancti Pontifici reservatæ, & restitutionis cadaveris jam sepulti prohibitum esse in *cap 1. de sepult. in 6. & Clement. cupientes. De pœnis*, attamen rigor hujus constitutionis ita communiter temperatur, ut procedat in electione irrevocabili, quæ voto, juramento, aut alio pacto *perpetuo* concipitur, non verò in electione mutabili, quæ fit per testamentum, codicillum, aut

acquirere volentibus. *L. Juris. 7. ff. de Juris & fact. ignor. L. numquam 31. in p. ff. de usucap.*

Sed nis, posse contingere, ut aliquis sciat, non licere data feudum Decimarum Laicis post Concilium, & tamen sit in bona fide, si nimirùm ipse & ejus antecessores tempora immemoriali Decimas ex titulo feudi possederint. *n.* Si in hac immemoriali possessione non constat de initio, omni meliori modo præsumendum esse Laici majores fortè ex privilegio & dispensatione speciali tale feudum accepisse, sin autem Parochus docere possit, quòd tantùm per privatas conventiones inter suos & Laici antecessores (quamvis Episcopi authoritate accedente, feudum datum sit) quantocunque
21 etiam tempore non erit præscriptum, † sicut enim pactis privatorum Juri publico derogari non potest, ita nec contraveniri prohibitioni legis communis, publicam utilitatem concernentis per privatorum & particularium hominum præ-
22 scriptionem. † Cui non obstat, quòd res temporales Ecclesiæ immobiles vel mobiles pretiosæ elienari prohibitæ ordinationibus præscribi possint. *Riccius in praxi aurea p. 1. res. 32.* nam diversitatis ratio est ista, quòd res Ecclesiæ temporales non prohibeantur absolutè devenire in manus Laicorum, sed tantùm sine solennitatibus, quas cursus temporis, & bonæ fidei possessio per 40. annos continuata supplere videtur. Sed circa decimas absoluta est prohibitio, ne per viam etiam Juris utilis ad Laicos quibusvis cum solennitatibus transferantur.

§. III.

Qualiter detur Immunitas à solvendis Decimis.

SUMMARIA.

1 *An & qualiter detur immunitas à solvendis Decimis.*
2 *Religiosi qualiter de jure exempti à solutione Decimarum.*
3 *Quorundam specialia privilegia extra corpus juris, & qualiter intelligenda.*
4 *An habentes Communicationem Privilegiorum, communicent privilegium immunitatis à solvendis Decimis.*
5 *Consuetudine etiam datur immunitas, sed regulariter tantùm immemoriali.*
6 *Præscriptione etiam Laici immunitatem acquirere possunt.*
7 *An præstationibus annuis præscribi possit, & quis sit sensus L. cum notissimi §. fin. C. de præscrip. 30. annorum.*
8 *Quanto tempore præscribatur immunitas.*
9 *A restitutione Decimarum ante completam præscriptionem non excusat consumptio bona fide facta, aut triennalis possessio.*
10 *Ecclesia habet dominium in decimis nondum solutis in sui favorem, non verò in sui præjudicium.*
11 *Pupillus mutuans aut solvens manet dominus pecuniæ, quamdiu dominium sibi est utile.*
12 *Clericus minorennis in beneficialibus habetur pro majorenne, ut possit agere in judicio, non verò ut careat auxilio restitutionis in integrum.*
13 *Immunitas per contractum potest acquiri gratis, vel pro alia re spirituali.*
14 *Conciliatio c. statuimus, & c. veniens de transact.*
15 *Abbates possunt dare consensum in alienatione rerum ad suas Parochias pertinentium.*
16 *Quo sensu pro re temporali possit acquiri immunitas.*
17 *Pauperes an sint immunes à solvendis Decimis.*
18 *Quis in causa Decimarum sit Judex competens?*

1 NOn defuerunt ex antiquioribus præsertim DD. existimantes neminem posse à solutione Decimarum eximi, eo moti argumento, quòd Decimæ sint Juris divini & consequenter per humanas inventiones non remissibiles. Verùm hanc sententiam cum communiori ita limitandam censeo, ut exemptio à solvendis Decimis dari non possit, si per eam congrua sustentatio Parochorum adimeretur, etenim decimas non aliter esse juris divini, quàm in quantum ad sustentationem Clericorum necessariæ sunt, jam supra in §. 1. explicavimus. Quare si Parochus aliunde sufficientes reditus habeat, vel si ex Decimis aliquorum tantùm Parochianorum congruè sustentetur, rectè dicitur, dari exemptionem seu immunitatem à solvendis decimis per *privilegium Pontificium, consuetudinem, præscriptionem aut contractum.*

2 Per *Privilegium* idque in Corpore Juris clausum Religiosi & alia pia loca diversimodè per Canones à solutione Decimarum eximuntur, quos diversos Canones ita in ordinem redigit Glossa in *c. ex p. 10. in v. laborum vestrorum. h. t.* quòd nimirum Monachi in primitiva Ecclesia Decimas dederint tanquam Laici. *arg. c. alia causa, & c. generaliter. 16. q. 1. c. duo. 12. q. 1.* posteà Paschalis II. statuerit, quòd nec Monachi nec Clerici communiter viventes decimas de suis laboribus solverent, *c. decimas. 16 q. 1.* tempora verò procedente Hadrianus Papa solis Cisterciensibus, Hospitalariis, Hierosolymitanis seu Templariis concesserit hoc privilegium, ut de laboribus suis, quos propriis manibus vel sumptibus excolunt, decimas solvere non teneantur, alios verò Monachos tantùm in decimis Novalium suis manibus aut sumptibus factorum item & in hortis & nutrimentis animalium suorum exemerit. *d. c. ex parte, cum seqq. h. t.* demùm Innocent. III. in Conc. Later. Privilegium Cisterc. & aliorum *in d. c. ex parte.* respectu possessionum post dictum Concilium acquirendorum sustulerit. Novalium autem nomine intelliguntur illæ terræ noviter per Religiosos ad culturam redactæ, de quarum cultura non extat memoria, & ex quibus prius Parochus nullas vel exiguas Decimas percipiebat. *c. fin. de Privil. & c. quid per Novale 21. de V. S.*

Cæterùm extra corpus Juris per speciales Bullas multi Ordines Religiosorum exempti sunt non tantùm in Novalibus, sed etiam quibuscunque terris, quas suis laboribus vel sumptibus colunt. Sicut de Religiosis Congreg. Cassinensis, Camaldulensibus, Prædicatoribus, Carthusianis, & pluribus aliis attestatur. Barb. *in d. c. ex parte. n. 5.* Sed hæc privilegia non extenduntur ad illas possessiones, quæ non sunt Religiosorum propriæ, sed ab aliis conductæ, *c. dilecti. 8. h. t.* Neque ad illas, quas Religiosi aliis vendiderunt, vel elocarunt, concernit enim privilegium tantùm personas Religiosorum non extraneas, *c. licet. 11. h. t.* sicut in simili licet fiscus de possessionibus, quas tenet, non solvat vectigal, emptores tamen & conductores solvere tenentur. *L. locatio. 9. §. ult. ff. de publican.* Cæterùm verò si in Privilegio concedatur exemptio à solvendis decimis *de laboribus*, hic terminus non debet restringi ad sola Novalia, sed universas proprias possessiones propriis laboribus vel sumptibus cultas. *c. ad audientiam. 12. h. t.* 3

Quæritur autem, an illi Religiosi, qui in specie quidem à solutione Decimarum exempti non sunt, attamen generalem communicationem privilegiorum cum exemptis habent, hoc ipso etiam quoad decimas privilegiati censeantur. Negativè aliquoties fuisse in Rota decisum refert Barb. *de offic. Par. p. 3. c. 28. §. 3. n. 41.* quia immunitas à solvendis decimis est difficilis concessionis propter præjudicium Parochorum *arg. cap. nuper. h. t.* ut proinde locum habeat regula, quòd in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus *c. qui ad agendum. de Procur. in 6.* & quia *d. cap. nuper.* in quo similia Privilegia abrogantur, est constitutio Conciliaris, cui non derogatur sine expressa mentione, nihilominus tamen notabiles limitationes ex aliis Rotæ decisionibus ponit Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franchis de controv. inter Ep. & Reg. p. 2. q. 72. n. 10. & seqq.* Quòd nimirum in generali communicatione Privilegiorum etiam veniat exemptio à Decimis, si communicatio sit talis, ut exprimat aliqua præjudicialia privilegia saltem in genere, vel adsit talis amplitudo verborum, ut significet mentem communicantis se extendere ad omnia. Item si in privilegio communicato, jam sit inserta clausula derogatoria dicti cap. *nuper.* quia privilegium communicans communicat privilegium cum suis qualitatibus. Præsertim si privilegium communicationis habeat annexam Clausulam: *quorum tenores &c.* quæ operatur ut privilegia communicata censeantur in litteris communicationis de verbo ad verbum inserta. Accedit quòd privilegia exemptionum à Decimis dentur Religiosis intuitu laborum, quos sustinent in Ecclesia prædicando, & Sacramenta ministrando, ut dicit Rota *decis. 795. num. 27.* ergò æquitas suadere videtur, ut ejusmodi privilegia ad Religiosos communicantes, qui similes labores subeunt, pariter extendantur. 4

Per *consuetudinem* quoque dari immunitatem à solvendis decimis verior est sententia, ita enim videmus Decimas *personales*, item Decimas minutas passim abrogatas esse, sicut attestantur DD. qui in diversis Europæ partibus de Decimis scripsere. Sed hoc cum generali illa limitatione accipiendum est, si nimirum Parocho per talem consuetudinem congrua sustentatio non subtrahatur, præterea rectè advertit Paulus Laym. *in Theol. moral. l. 4. tr. 7. c. 6. n. 11.* quamvis regulariter ad introducendam consuetudinem adversus legem Ecclesiasticam 40. anni sufficiant; quia tamen lex decimarum obligat sub gravi peccato, non posse ordinatiè immunitatem per consuetudinem nisi tempore immemoriali introduci, ex quo scilicet successores bona fide credant suis majoribus 5

sibus per privilegium aut alium titulum obligationem Decimarum remissam esse, nam aliàs locum habebit text. in c. cùm haberet. de eo qui duxit &c. quòd diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet, & in c. fin. de consuet. quòd tantò sint graviora crimina, quantò diutiùs infelicem animam tenuerunt.

6 Quod de consuetudine magis de *præscriptione* sentiendum est: cùm enim præscriptio in eo differat à consuetudine, quòd consuetudo inducatur ab aliqua communitate, præscriptio verò à singularibus personis: Sanè minùs præjudicabit Parocho si unus vel alter per præscriptionem à solutione Decimarum se eximit, quàm si tota communitas. Imò quamvis Laici Jus decimandi tanquam spirituale & propter spirituale ministerium competens acquirere non possint per supradicta, Immunitatem tamen eos præscribere posse magis inter DD. convenit, quia per hanc nullum jus spirituale sed tantùm potestatem fructus suos integros percipiendi con-
7 sequuntur. *Cov. var. ref. l. 1. c. 17. n. 10* †. Neque verum est, quod quidam docent ex *L. cùm notissimi §. fin. C. de præscript. 30. ann.* obligationibus annuis absolutè præscribi non posse, nam contrarium evincitur ex *c. de quarto. & c. ad audientiam de præscript. & l. cos 22. C. de usur.* quòd verò Imperator *in d. l. cum notissimi* dicit in iis obligationibus quæ dationem per singulos annos continent, præscriptionis tempus non ab exordio obligationis, sed ab initio cujusque anni computandum esse, &c. ita intelligi debet, quòd circa obligationem annuam duæ quasi diversæ præscriptiones concurrant, una qua præscribitur ipsi principali & generali annuæ obligationi, quæ se habet respectu omnium præstationum annuarum, & altera, qua præscribitur obligationi speciali & secundariæ dandi res singulas annis singulis: in illa præscriptio computatur à die, quâ primitus in solutione cessatum est. *l. pen. in fin. C. de præscript. 30. ann.* in hac à singulis annis vel mensibus in quibus res illæ solvi debuissent. *d. l. cùm notissimi §. fin. in pr.* Unde qui v. g. per 50. annos decimas bona fide non solvit, non tenebitur quidem illas decimas restituere quas primo decennio percepit, quia etiam respectu illarum 40. anni elapsi sunt, neque illas, quas ultimo decennio percepit, quia illæ post præscriptionem jam completam perceptæ sunt, illas verò, quas intermedijs 30. annis percepit, restituere omninò tenebitur, cùm respectu illarum (numerando præscriptionem à singulis annis quibus solvi debuissent) ex defectu 40. annorum, necdum completa sit præscriptio. Quam tandem interpretationem quondam docuit Reverendissimus Dominus Gregorius Kimpfler nunc Abbas Schyrensis, Professor & antecessor meus de hac Universitate nostra olim sua præclarissima doctrina, nunc suis gratiis meritissimus. Videtur quidem in contrarium facere, quod Imp. *in d. l. cùm notissimi. §. fin.* exemplum subjiciat de Emphyteuta (cujus etiam est obligatio annua) quòd nullo temporis curriculo rem Emphyteuticam tanquam propriam præscribere possit. Sed, mihi saltem, ex illo exemplo nostra sententia non parum confirmatur; nam Imperator vult dicere, quamvis Emphyteuta possit præscribere obligationi dandi annuum Canonem (aliàs enim frustrà præmisisset qualiter præscriptiones circa obligationes annuas computari debeant) non tamen propterea possit prætendere quòd res quoad dominium *directum* ad se pertineat, ex defectu scil. possessionis, quam non habuit ut dominus *directus*, sed tantùm ut Emphyteuta. quòd si intervertéretur Domino possessio v. g. per alienationem in eum, qui rem tanquam liberam & propriam possideret, tunc etiam usucapio quoad dominium directum procederet, ut advertit Gloss. *in d. §. fin. v. conducteri. & in l. 2. v. usurpet. C. eod. tit.*

Sed *Quær. I.* Quanto tempore immunitas à solvendis deci-
8 mis præscribatur? Distinguitur, an præscriptio prætendatur contra Ecclesiam Parochialem, vel contra aliam Ecclesiam aut Monasterium, vel omninò contra privatum Clericum aut Laicum, In primo casu requiritur cum titulo 40. annorum spatium, & sine titulo tempus immemoriale *c. 1. de præscript. in 6.* † In secundo casu 40. anni etiam sine titulo suf-
9 ficiunt: & tertio, 10. cum titulo & sine titulo 30. juxta vulgata præscriptionis Jura. Attamen tamen in hac immunitatis, sicut in quavis alia præscriptione *bona fides* requiritur, *c. fin. de præscript.* ut scil. immunitatem prætendens sine contumacia aut fraude justo errore ductus Decimas hactenus solvere recusarit, puta quia agrum tanquam immunem à Decimis emit, venditore privilegium vel compositionem cum Parocho factam allegante, vel quia putativum privilegium habet aut sui antecessores nunquam ab hominum memoria Decimas persolverint. *text. in l. fin. ff. pro suo.*

Quæritur II. An is, qui bona fide per 10. vel 20. annos
10 Decimas Ecclesiæ non solvit, si ex postfacto ad solutionem Decimarum condemnetur, teneatur non tantùm Decimas futuri, sed etiam præteriti temporis persolvere? videtur quidem negativè respondendum, cùm passim inter DD. conveniat, bonæ fidei possessorem, à quo res possessa per sententiam evincitur, non teneri ad restitutionem fructuum consumptorum, *§. si quis à non Domino. 35. Inst. de rer. divis.* neque extantium, quos bona fide per triennium possedit, & consequenter usucepit. *Barth. in l. 4. §. fructus ff. de usucap. Reyger. in thesauro Jur. v. fructus num. 57.* Quòd autem præscriptio triennalis & quælibet minor decennio etiam contra Ecclesiam procedat, communis est DD. *in auth. quas actiones. C. de SS. Eccles.*

Verùm hac ratione dubitandi non obstante, puto etiam Decimas præteriti temporis restituendas esse, nisi respectu singulorum annorum quadragenaria præscriptio intervenerit, etenim alia est ratio fructuum ex re aliena perceptorum & alia Decimarum, In fructibus præscribitur dominium verum & *irrevocabile*, cùm priùs fuerint reverà alieni & tantum in quasi seu *revocabili* dominio possessoris, ad eum principaliter effectum, ut exclusa actione *in factum* possessor eos jure consumere potuerit, *Harp in d. §. si quis à non Domino n. 56. & seqq.* In Decimis autem præscribitur obligationi, & actioni tanquam in quibus Ecclesia necdum *in sui præjudicium* dominium habuerit, sed actionem seu condictionem ex Canone *gl. in c. tua nobis h. t.* Constat verò, obligationes & actiones regulariter esse perpetuas & durare usque ad 30. & contra Ecclesias usque ad 40. annos. *Princip. Inst. de perpet. & temp. act. junct. L. omnes & L. sicut C. de præscript. 30. annor.* neque in Decimis rectè applicatur illa regula: quòd possessor bonæ fidei lucretur fructus, cùm Decimæ respectu Parochi non se habeant per modum accessorij & fructuum, sed ipsæ per se principaliter sint in obligatione. Sicut si heres frumentum defuncto mutuatum ignarus mutui tanquam proprium consumpserit, non ideò minus ex mutuo tenebitur.

Sed nunquid veriùs est, quod docet Pan. *in c. commissum & in c. tua nobis h. t. num. 22.* Decimas ante solutionem esse in dominio Ecclesiæ propter tex. *in c. moderamine 16. q. 1.* ubi *vindicatio* pro Decimis conceditur, quæ non nisi domino competere solet. *L. in rem ff. de rei vind.* & arg. *l. ut inter. C. de SS. Eccl s.* in qua communiter notant Interpretes, quòd dominium in Ecclesiam etiam sine traditione transfertur. R. hanc sententiam Panorm. procedere in quantum est Ecclesiæ favorabilis, ut scil. possit Decimas à tertio possessore vindicare. *C. cum non sit. & c. pastoralis h. t.* ut bonis parochiani subhastatis in Decimis extantibus ante omnes privilegiatos creditores ponatur. *L. si ventri §. in bonis ff. de Privil. Cred.* Non autem si exinde aliquod præjudicium Ecclesiæ inferatur, si propterea breviori præscriptione damnificetur, ne quod in favorem Ecclesiæ est introductum, in ejus odium retorqueatur *C. quod ob gratiam de R. I. in 6.*

Quemadmodum in simili pupillus (à quo bonum est ar- 11
gumentum ad Ecclesiam, *c. 1. de in integ. rest.*) si absque tutoris authoritate mutuam det pecuniam, vel solvat debitum, manet quidem adhuc Dominus pecuniæ mutuatæ vel solutæ, & si extet, eam vindicare potest, *l. non omnis 19. §. 1. ff. de reb. cred. l. quòd si 14. §. fin ff. de solut.* Sin autem pecunia consumpta fuerit aut perierit penes accipientes, pupillus in sui præjudicium non censebitur habuisse dominium, sed mutuum vel solutio convalescet, & condictionem in mutuo, vel liberationem in soluto operabitur; ob eandem scilicet causam *ne quidem in favorem, &c.* † Pariter Cle- 12
ricus minorennis in beneficialibus causis habetur pro majorenne, unde & in ejs procuratorem constituere vel ipsemet agere potest *C. fin. de judic. in 6.* Sed & hoc dum de favore ejus agitur, quid ergò si inconsulta facilitate ductus suum beneficium resignaverit, anne exemplo minorennium læsorum in integrum restituetur? Affirmativa magis accepta est, ex eodem iterum fundamento, *ne quod in favorem. Covar. var. res. lib. 1. c. 5. nu. 3. Zoes. ad tit. Decret. de in integr. restit. n. 4.*

Quæritur III. Qualiter immunitas à solvendis Decimis 13
per contractum acquiri possit? quòd per gratuitam & liberalem compositionem, item etiam pro re aut Jure aliquo spirituali (v. g. si Religiosi obligati ad solvendas Decimas pro immunitate se obligent ad faciendas conciones in Ecclesia parochiali) immunitas rectè acquiratur, satis colligitur ex *c. statuimus & c. veniens de transact.*
† ita tamen, ut nisi Superioris Authoritas interveniat, ta- 14
lis contractus minimè obliget Parochum successorem. *d. c. veniens.* quamvis enim successor hereditarius factum sui defuncti præstare debeat, ex cujus Persona lucrum sentit, & cùm in eum omnes regulariter actiones passivè, & activè transeant

feant, *L. cum a matre*, *C. de rei vind. l. ex qua persona*, 149. *& l. qui in Jus 7. ff. de reg. jur.* Successor tamen in dignitate vel officio, cùm omne suum Jus non à defuncto, sed ab electione, institutione vel confessione superioris habeat, regulariter non tenetur stare pacto sui antecessoris, si illud pactum non sit jam absolutum & expeditum (ut venditio, donatio &c. circa res sine solennitate alienabiles) sed habeat causam continuam, & etiam successorem obligare deberet ad aliquid de præsenti faciendum vel patiendum, ut in remissione Decimarum in futurum, in locatione rei Ecclesiasticæ & similibus, nisi tale pactum nomine Ecclesiæ scil. cum consensu superioris (vel in majoribus Ecclesiis cum consensu Capituli) factum sit, Covar. *var. res. lib. 2. c. 15. nu* 6. Gutier. *can qq. lib. 1. c* 36.

15 *Quæritur IV.* Quis in proposito veniat nomine superioris? dissonant inter se DD. in priori quæstione citati, in altero Episcopi, in altero Summi Pontificis authoritas desideratur. Libenter dicerem, Monachos, de quibus *in d. cap. veniens* agitur, fuisse exemptos, vel sub immediata Jurisdictione Papæ, sed quia non habeo hujus assertionis speciale fundamentum, ideò satis placet, quod pro concordatione dicit Panor. *in d. cap statuimus*. Nimirum distinguendum esse, an liberatio à Decimis per contractum quæratur in perpetuum vel tantùm ad tempus: in primo casu, quia relaxatur Jus commune & contractus induit speciem privilegii, requiretur consensus seu authoritas Papalis, in altero autem casu Episcopalis sufficiet. Item solam Episcopi Authoritatem sufficere censet Panor. *d. l.* si contractus fiat super Jure decimandi dubio & controverso. Licet autem *per d. c. veniens*, in transactione (quæ tantum fieri potest super re dubia. *l. 1. de transact.*) requiratur Consensus Papalis. Nihilominus alienum reor de transactione sine causæ cognitione, & evidenti utilitate Ecclesiæ Parochialis inita intelligit *gl. in dict. cap. statuimus*, Barb. *in eod. cap. veniens num.* 3. Porrò quod de Episcopo dicitur, de Abbatibus quoque sentiendum est circa Parochias suis monasteriis pleno Jure incorporatas, quia ex communi DD. sententia per talem incorporationem, Jurisdictionem quasi Episcopalem acquirunt, ut inter alia etiam authoritatem in alienatione rerum ad hujusmodi Parochias pertinentium interponere valeant, Pan. *in d. c. statuimus*, *de transact. n. 4. Innoc. in cap statuimus, in fine, gl. in Clem. 1. in v. proprii de reb. Eccles non alien. Kok. de Jurisd. in exempt pag. 1. q. 9. nu. 7. & pag. 4. q. 20.*

16 *Quæritur V.* An immunitas à solvendis Decimis pro pecunia vel alia re temporali acquiri possit? Negativè favet text. *in cap. fin de rerum permutat.* eamque multi DD. sequuntur cum Henr. Canis. *de Decimis cap.* 17. *num.* 18. Sed videtur mihi affirmativa satis probabiliter defendi posse hoc saltem sensu, quòd per contractum v. g. emptionis, qui initur super immunitate, censeantur Decimæ, quatenus considerantur ut fructus imposterùm nascituri, & decimationi obnoxii in proprio agro emi seu acquiri. Etenim valere emptionem fructuum, qui nascituri sunt, text. est *in l. nec emptio 8. De contrah. em. t.* Item quòd rem, quæ mea est, possim emere sub conditione, & in illum eventum, ubi mea esse desierit, apertè probatur *ex l. existimo*, 61. *ff. jam dicto tit.* unde rectè advertit Barb. *in d cap. fin. num. 2. Monet. de Decimis*, *cap. 5. num.* 130. quod in illo *cap. fin* pecunia data sit pro *decimationibus* id est Jure decimandi in alienis fundis, non verò pro immunitate, & fructibus in proprio agro percipiendis. Dices: saltem Parochus accipiendo pecuniam pro immunitate vender Jus decimandi, quod in agro habuit, vendere autem Jus decimandi quod spirituale est, simonia censetur *d. cap. fin.* Resp. non esse propriè venditionem Juris decimandi, sed fructuum nasciturorum, ut dictum. Si enim esset propria venditio Juris decimandi, deberet id emptori acquiri, emptor autem non percipit fructus tanquam decimator, sed tanquam Dominus, & ut jam ab onere Decimarum liberatos, sicut superius etiam de præscribente immunitatem traditum.

17 *Quæritur VI.* Utrum pauperes, qui non plus colligunt ex fructibus, nisi quantùm sibi & suæ familiæ sufficit ad alimentationem, sint immunes à solvendis Decimis? Pro affirmative, quam tenuit Melendus antiquus Canonista *apud Innoc. in c. licet de cens.* facit, quòd non videatur Eccles. velle obligare pauperes ad dandas Decimas, quæ jubet, ut Clerici pauperibus liberaliter subveniant, *C. aurum* 12. *q.* 2. E contra negativam communiter amplectuntur DD. *cum gl. fin. in cap. quia tuo* 12. *q.* 1. *Sylv. de Decim. num.* 13. *Rebuff. de Decim. q. 15 n.* 14. Eò quòd Decimæ solvendæ sint instar debiti, *C. Paroch. h. t.* in debito autem non habeatur paupertatis respectus, nisi postquam debitor *bonis cessit*, & propterea quòd ad solvendas Decimas non tantum personæ, sed agri & fundi ipsi obligati censeantur, *C. de terris, h. t.* debeanturque Decimæ Deo in recognitionem universalis dominii, quod non tantùm divites sed & pauperes oportet recognoscere. Utramque sententiam ita conciliandam esse puto, quòd pauperes à solvendis Decimis ipso Jure quidem liberati non sint, debeat tamen ipsis remissio per Parochos fieri, *Panorm. in c. cùm homines num. 5. h. t. Suar. de Relig. tom. 1. l. 1. cap. 16 sub num. 16*

Quæritur VII. Pro coronide hujus materiæ decimarum, 18 quis in causa decimarum sit Judex competent? Resp. Causam decimarum (*si petitorio* agatur) accenseri spiritualibus, *argum. d. c. fin. de rerum permut. cap. Parochianos*, *& cap. tua 25. h. t.* Ideoque regulariter ad Judicium Ecclesiasticum pertinere, *d. c. tua c. 2. de Judic.* dico, *si petitorio agatur*, nam si solùm agatur *possessorio judicio*, & v. g. Parochus vel alius Ecclesiasticus conveniat Laicum *interdicto adipiscendæ*, *retinendæ*, *vel recuperandæ possessionis*, quæretur, an Decimæ sine fraude & integræ solutæ sint, &c. plurimorum est opinio hanc cognitionem esse *mixti fori* & etiam ad Laicum Judicem pertinere, *argum. cap. 2. de Jurejur. in 6. junct. c. ult. de foro comp. in 6.* ubi executio Juramenti (quod utique spirituale est) ad utrumque Judicem pertinet, diversa enim est possessio à proprietate, *l. naturaliter*, 12. §. 1. *ff. de acquir. poss. Henr. Canis. de Decim. c. 18. n. 13.* Idem est, si ex contractu actio intentetur, quæ non tam Jus decimandi quam ipsos fructus concernat, v. g. pro mercede locationis vel pretio emptionis solvendo, &c. Si tamen contra Ecclesiam vel Ecclesiasticum agatur *possessorio*, vel alia actione, tantum Ecclesiasticus Judex erit, *c. si diligenti de foro comp.*

Quid, si Laicus contra Laicum agat petitorio Judicio super Decimis ante Concil. Later. vel per Privilegium acquisitis, & actor Decimas ab altero possessas titulo hæreditatis, legati, empti &c. ad se pertinere contendat? Resp. non videri improbabile, tales Decimas præsertim consuetudine accedente censeri inter alias res patrimoniales Laici, quæ Judicio sæculari subjacent, dummodò non simul involvatur quæstio tangens radicem Juris decimandi ex SS. Canonibus dependentem, veluti an Privilegium, infeudatio, vel alienatio Jure Canonico substiterit, articolus à Judice Ecclesiastico decidendus foret, *argument. cap. tuam de ordinat. cognit.*

CAPUT II.

De Primitiis, & Oblationibus.

SUMMARIA.

1 *Differentia inter Decimas, Primitias, & Oblationes.*
2 *Quid debeatur nomine Primitiarum.*
3 *Primitiæ possunt abrogari per consuetudinem.*
4 *Ex communi sententia non est præceptum faciendi oblationes.*
5 *In actibus meræ voluntatis non inducitur consuetudo.*
6 *Quo fundamento procedat consuetudo circa oblationes.*
7 *Etiam stante consuetudine non peccat, qui aliquando omittit facere oblationes.*
8 *Parochianis non facientibus oblationes non debet Parochus negare Sacramenta.*
9 *Regulariter oblationes intra fines Parochiæ factæ pertinent ad Parochum.*
10 *Oblationes factæ in Ecclesiis Regularium pertinent ad Regulares, de funeralibus tamen debetur Parocho portio Canonica.*

INter *Decimas*, *Primitias*, & *Oblationes* hanc constat esse 1 differentiam, quòd *Decimæ* singulis annis in recognitionem universalis Dominii de omnibus fructibus, *Primitiæ* tantùm semel de primis fructibus Novalium agrorum, & animalium in signum gratitudinis erga Deum, *Oblationes* sine determinatione temporis, qualitatis aut quantitatis ex causa devotionis persolvantur.

Discussa materia Decimarum circa Primitias, & Oblationes.

Quæritur I. An nomine Primitiarum omnes primi fructus 2 debeantur? Resp. Primitiarum nomine in fructibus agrorum tantùm portionem aliquam quæ quadragesimam partem

tem ipsorum fructuum non excedat, in animalibus verò non ipsum primogenitum in natura, sed de ejus æstimatione quadragesimam vel sexagesimam partem, juxta locorum consuetudinem persolvendam esse, *t. & gl. in cap. 1. de Decimis*.

3 *Quæritur II.* An Primitiæ per contrariam consuetudinem abrogari possint? Resp. Affirmativè, ita enim vix alicubi videmus Primitias exsolvi, & quamvis Primitiæ debeantur ex præcepto, tamen hoc præceptum in nova lege non esse Juris Divini probabilius existimo, quemadmodum supra de præcepto solvendi Decimas dictum est. Neque obstat, quòd primitiæ debeantur ex gratitudine erga Deum, gratitudo autem consuetudine tolli non possit, nam respondetur, quòd quidem gratitudo in genere (id est, ut aliquis non teneatur esse gratus erga Deum) utique nulla ratione tolli possit, in specie autem, ut ex causa gratitudinis præcisè hoc vel illud solvi debeat, non apparet, cur tolli nequeat, possunt enim homines per preces aut alia pietatis opera suam erga DEUM gratitudinem demonstrare.

4 *Quæritur III.* An sit præceptum aliquod, ex quo Parochiani cogantur certis temporibus Oblationes facere? Difficultatem movet, *cap. omnis Christianus 69. De Consecr. dist. 1.* ubi hæc verba leguntur: *Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo afferre, & ducere ad memoriam quod Deus per Moysen dixit, non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in collectis SS. Patrum liquidò apparet, ut omnes Christiani offerre aliquid DEO ex usu SS. Patrum debeant*, &c. Verùm communis est sententia, nullum esse præceptum de Oblationibus faciendis, imò de ratione Oblationis esse ut sit spontanea juxta illud *Exodi, Ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis eas*, textum verò *in d. cap. omnis Christianus*, cum Gloss. DD intelligunt procedere in casu, quo Parochus congruam sustentationem ex Decimis non haberet, *Pan. ad rub. de Parochis, n. 3. Gutierez Canon. qq. lib. 2. q. 21. n. 139. & seq.* Ego quid in hac quæstione sentiam, ex resolutione sequentis quæstionis apparebit.

5 *Quæritur IV.* Utrum per consuetudinem obligari possint Parochiani ad præstandas certas Oblationes? In affirmativam passim conveniunt DD. *argum. c. ad Apostolicam, 42. de Simonia*. Sed videtur non leviter obstare generalis doctrina, quam tradunt Interp. *in c. Abbate de V. S. & in l. 2. ff. de via pub.* quòd in actibus meræ voluntatis non introducatur consuetudo neque præscriptio. Respondet quidem Guttierez *Canon. qq. lib. 2. cap. 21. num. 144.* hanc doctrinam fallere quando de favore Ecclesiæ agitur; quæ tamen responsio non videtur in Jure aliquod solidum fundamentum habere, neque probatur in *c. veniens 10. de testib.* quod allegat Gutier. in quo licet dicatur, quòd Parochiani *consueverint* vinum beneficiato dare, non tamen ibi exprimitur, qualiter hæc consuetudo introducta sit, ex pacto, vel propter necessariam sustentationem Parochi, &c.

6 Quare puto hanc difficultatem aliter solvendam esse, & ut liberè dicam, quod sentio, ad summum concedo Oblationes quoad *quantitatem & qualitatem* esse *meræ facultatis*, in genere autem & quoad se existimo habere aliquod principium obligationis ex Jure divino *ex cap. 23 Exodi* receptum in nova lege per usum SS Patrum, ut ex *d. cap. omnis Christianus, distinct. de consec.* satis apparet. Enimverò mihi planè persuadeo authoritate text. nimis clari *in d. c. omnis Christian.* olim in Ecclesia fuisse generalem usum per illum Canonem confirmatum, ut fideles certis saltem anni festivitatibus inter Missarum solemnia Oblationes facerent: quare si in aliquo loco fideles id ipsum etiam hodie observent, videntur vel illum Canonem ab antiquo retinuisse, vel de novo in usum deduxisse. Quòd verò gl. citatum Canonem interpretetur procedere supposita necessitate Parochi; hanc interpretationem verbis textus generaliter loquentis non correspondere, & propterea *misericordem* esse notat aliqua glossella marginalis superaddita. Haud quidem diffiteor quin Parochiani compelli possint ad faciendas oblationes Parocho, si aliunde congruam sustentationem non habeat, id tamen non probatur nec dicitur in illo text. *c. omnis Christianus*, sed potius evincitur ex principio Juris Divini, & Naturalis ut is, qui servit Altari, vivat de Altari, &c.

Dices, si saltem quoad *quantitatem & qualitatem* oblationes sunt meræ voluntatis, quomodo ergo per consuetudinem introduci potest, ut Parochiani teneantur hoc, & non aliud offerre, v.g. certam quantitatem ceræ, certum numerum ovorum, &c. Resp. Si tales Oblationes sint valdè ab antiquo fieri solitæ, & Parochus cæteroquin nullas percipiat decimas *minutas*, planè credibile est, quòd ejusmodi oblationes nec quoad *quantitatem & qualitatem* sint *meræ voluntatis*, sed sint surrogatæ in locum Decimarum *minutarum* argumento eorum quæ infrà *de Sepulturis quæst. 16. vers. 4. cum Decimæ*, & oblationes successisse in locum *primitiarum* usu abrogatarum censet Rebuff. *de decim. quæst. 1. num. 25.* dicentur. Quòd si autem Parochus simul percipiat Decimas minutas, vel non percipiat quidem, prædictæ tamen Oblationes in certa specie primùm ante decennium v. gr. inceperint fieri, censeo puncto juris esse conformius, in iis non aliter induci præscriptionem vel consuetudinem, quàm si Parochianis aliquando ab illis Oblationibus cessare volentibus Parochus bona fide (ductus sententia Gutierez supra num. 5. relata) contradixerit, & ita Parochiani huic contradictioni acquiescentes in putativa obligatione, & se in possessione hujus Juris perpetuò percipiendi certas oblationes constituerit, per ea, quæ docet gloss. *in l. qua luminibus, ff. de servit. urb. prædior.* Arnold. Rath. *in tract. de usucap. cap. 4. ass. 5.* † Cæterum circà hanc quæstionem adhuc notari potest, quod dicit Sylv. *verb. Decima num. 4.* Oblationes ratione consuetudinis esse in præcepto, quomodo est ipsa consuetudo, scilicet quod offerat major pars populi, non autem semper singuli de populo, sed solùm pro majori parte solemnitatum, unde non erit alicui mortale si oblationem nonnunquam intermittat. 7

Quæritur V. An si Parochiani per consuetudinem obligati ad faciendas oblationes, aliquando recusent eas facere, liceat Parocho propria authoritate sine Judicio Episcopi à Divinis Officiis & Sacramentorum administratione cessare? Resp. Negativè, tum quòd sæpiùs ejusmodi consuetudines requirant causæ cognitionem, an legitimè introductæ sint, & Parochus non debeat esse Judex in propria causa: tum etiam & vel maximè quòd talis cessatio à Divinis videretur habere aliquam speciem simoniæ, quasi verò Parochus tantùm vellet Divina propter pecuniam, & oblationes administrare, *argum. cap. cum in Ecclesiæ 6. De Simon.* Gutier. *d. c. 21. nu. 152.* 8

Quæritur VI. Cujus sint Oblationes quæ non fiunt immediatè ipsi Parocho, sed vel alteri Sacerdoti celebranti, vel certæ alicui Imagini aut in speciali quadam Capella? Resp. Nisi offerentes aliud intenderint, aut consuetudine, & præscriptione aliud introductum sit, omnes oblationes intrà fines alicujus Parochiæ factæ censebuntur esse de Jure Parochiali, & pertinere ad Parochum, *cap. Pastoralis, & c. quoniam, de Decim.* Panor. *in rub. de Paroch. num. 4.* Zerola *in praxi Episc. p. 1. v. Parochia, verb. ad quintum, & communiter alii*. Notanter autem dixi, nisi offerentes aliud intenderint, nam si v. g. Capella vel Ecclesia, in qua fiunt ejusmodi Oblationes, indigeat ædificatione, reparatione, aut (propter modicam ejus dotem) necessaria conservatione, in dubio Oblationes in ea potius intuitu ipsius, quàm Parochi factæ censebuntur, & consequenter non Parocho sed Ecclesiæ seu Capellæ acquirentur, Ricc. *in praxi aur. p. 4. resol. 297.* Rebuf. *de decim. q. 1. n. 30.* 9

Quær. VII. An etiam Oblationes quæ fiunt in Ecclesiis Regularium in quibus ipsi Regulares non habent Jura Parochialia, pertineant ad Parochum? Affirmat Azor. *Institut. mor. par. lib. 7. cap. 27. quæst. 13.* nisi Regulares speciali Privilegio aut præscriptione contra Parochum muniti sint. Verùm quia hæc sententia nullo juris fundamento subnixa, est contrarium dicendum, cum Pasqual. *in addit. ad Laurent. de Franch. p. 2. q. 69. text. in cap. 1 de stat. Mon. & cap. nimis iniqua, De Excess. Prælat.* ubi disertis verbis statuitur, quòd nec Ordinarii locorum nec Parochi possint Regularibus circa Oblationes apud eos factas præjudicare. Quò faciunt etiam declarationes Cardin. quas refert Pasqual. *dict. leg. num. 3.* & Petrus de Murgs *in suis quæst. Pastor. par. 3. quæst. 8. num. 7. & 8.* Quòd nimirum Regulares possint in missa recipere Oblationes fidelium, dummodò à perambulationibus per Ecclesiam ac similibus Eleemosynarum extorsionibus abstineant. Quod autem dicendum sit de illis oblationibus, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium occasione sepulturæ, quam apud eos Parochianus aliquis eligit, inferius in cap. seq. dicetur nimirum quòd de Jure ex his Oblationibus debeatur Parocho *portio Canonica*, ut qui Sacramenta administrando onus habuit eum vivente, etiam de functo sentiat utilitatem. 10

CA-

CAPUT III.

De Sepulturis.

SUMMARIA.

1 *Olim cadavera non licebat sepelire in Ecclesia.*
2 *Cur cadavera in locis sacris sepeliantur.*
3 *Jus funerandi computatur inter Jura Parochialia.*
4 *Quilibet debet sepeliri in Ecclesia Parochiali nisi habeat sepulturam electam, vel Majorum.*
5 *Uxor sepeliri debet cum marito.*
6 *Quid, si sepulchra Majorum sint in diversis Ecclesiis.*
7 *Ad electionem sepulturæ qualis solemnitas vel probatio requiratur.*
8 *Non licet Religiosis Parochiam alienam ingredi ad tollendum funus.*
9 *Videtur congruum, ut maritus post uxorem defunctus cum eadem sepeliatur.*
10 *Prælatus Regularis potest sibi eligere sepulturam.*
11 *Religiosus decedens in loco remoto extra Monasterium potest sibi eligere sepulturam.*
12 *Novitius in Monasterio sepeliri debet, licet ante mortem fuisset in proposito redeundi ad sæculum.*
13 *Cùm Parochianus alibi eligit sepulturam, debetur Parocho portio Canonica, & quid veniat hoc nomine.*
14 *Qualiter prohibitum sit aliquem inducere ad eligendam sepulturam.*
15 *Tituli, ex quibus aliquid accipi potest in sepultura.*
16 *Non licet propter mortuaria non soluta corpus inhumatum relinquere.*
17 *Qui non gaudeant sepultura Ecclesiastica.*
18 *Gravis metus quando excuset à transgressione legis humana.*
19 *Excommunicati etiam non denunciati privantur sepultura, nisi excommunicatio sit occulta.*
20 *Se ipsos occidentes qualiter priventur.*
21 *Duellantes quando privandi sepultura.*
22 *Suscipientem duellum honoris defendendi causa aliqui saltem in conscientia excusant, quod non videtur practicè admittendum.*
23 *Etiam supposita sententia illa excusante occumbens, in tali duello privatur sepultura.*
24 *Multa fiunt sine culpa vera, quæ non fiunt sine culpa præsumpta.*

1 Diversos apud diversarum gentium Nationes extitisse modos procedendi cum corporibus defunctorum heroico carmine narrat Silius Italicus, & post illum Cassaneus *in Catal. gloriæ mundi p.2. consid.5.* alibi feris, alibi igni, aquis alibi aut aeri lenta tabe diffluentia committebantur, &c. Sed inter Christianos usitatus mos est defunctorum corpora in terram defodere, ut juxta illud *Gen 3. cap. Homo de terra sumptus, & pulvis, rursus in terram, & pulverem revertatur.* In quem finem piè admodum Majores nostri cum ipsa nascente Ecclesia constituerunt cœmiteria, seu loca Deo consecrata, in quibus fidelium cadavera tumularentur, quamvis olim prohibitum fuerit, ne quispiam ipsa in Ecclesia (ubi Christus immolatur, cui mors ultra non dominabitur) sepeliretur, *cap. præcipiendum 13. quæst. 2.* posteà tamen partim Jure, partim consuetudine introductum est, ut Episcopis, Abbatibus, aliisque piis & honestioribus præsertim Laicis in ipsa Ecclesia locus sepulturæ concederetur, *cap. nullus 13. quæst. 2.*
2 Quòd verò cadavera potiùs in locis sacratis maximè propè templa constitutis, quàm in profanis sepeliantur, fit, ut minus à spiritibus immundis vexentur, et animæ consequantur patrocinium Sanctorum, quibus Ecclesia cum cœmiterio dedicata est, ut vivi templum intrantes sæpiùs in suis precibus defunctorum & ibi sepultorum memores reddantur, *c. cùm gravius, & c. animæ d.q.2.*
3 *Quæritur* autem; an omnes Ecclesiæ habeant Jus sepeliendi defunctos? Resp. Jus funerandi computandum esse inter Jura Parochialia, propterea cessante privilegio vel consuetudine ne quidem Monasteria quæ populum aut Parochiam non habent, extraneos defunctos sepelire posse, præter suos Religiosos Professos, & Hospites itidem Religiosos apud eos morientes, *cap. 1. 16. quæst. 1. cap. in nostra 10. de sepult.* dico, cessante consuetudine; nam hodie omnia Monasteria vel ex privilegio vel consuetudine Jus sepeliendi defunctos habere, saltem si ibi sepulturam elegerint refert Lancellotus, *in suis instit. de sepult. §.1. in gl.* & si juxta textum *in cap. 2. in fine h.t. in 6.* valet electio sepulturæ etiam in loco minus Religioso, ergò multò magis hodie in quolibet loco Religioso sepultura eligi poterit. Cæterùm jus sepeliendi ac cœmiterium alicui Ecclesiæ per Episcopum rectè concedi, decisionem Rotæ adducit Barb. *de off. Par. par. 3. cap. 26. num. 14.*

Quæritur II. An ergò quilibet in sua Ecclesia Parochiali vel ejus cœmiterio sepeliendus sit. Resp. Imprimis attendendum esse, an defunctus certam aliquam sepulturam in alia, quàm sua Ecclesia Parochiali elegerit, quod cùm Jura omnibus permittant etiam filiisfamilias, sine consensu patris, etiam in quacunque Ecclesia vel cœmiterio ejus voluntatem implere modis omnibus oportet, *cap. 4. 13. quæst. 2. cap. 1. Ext. de sepult. cap. 4. & passim, eod. in 6.* Sin autem intestatus quis decesserit, cujus tamen Majores certam pro sua familia constituerint sepulturam in hac potiùs, quàm Ecclesia Parochiali tumulari debet, *cap. 2. & 3. h.t. in 6.* Quòd si denique nec defunctus ipse, nec Majores ejus certum sepulturæ locum sibi determinaverint, ad Ecclesiam suam Parochialem, quamvis extra eam mortuus fuerit, deferendus erit, dummodo ad illam commodè deferri possit, *d. cap. 3 h. t. in 6.* adeò ut si quis alienum parochianum contra jus proprii Parochi sepelierit, possit ad restitutionem cadaveris, cum omnibus, quæ occasione sepulturæ quomodolibet acceperit, conveniri, *cap. ex parte, & cap. cùm liberum, h.t. cap. 1. eod. in 6.* Porrò nomine Parochiæ non tantùm venit locus, ubi quis *verum domicilium* habitationis perpetuæ tanquam civis, & incola collocavit, sed etiam *quasi domicilium*, si nimirùm in loco per notabile tempus, ut per majorem anni partem, aut de facto habitarit, aut saltem animo habitandi advenerit, istud enim *quasi domicilium* ex recepta DD. sententia fundat jurisdictionem fori pœnitentialis ad recipienda Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam, *Sanch. de Matrim lib. 3. disp. 23. num. 12. Tusc. L. S. Concil. 198. num. 7.* decisum est tamen *in c. 3. h.t. in 6.* quòd habens domicilium in civitate vel castro quando se transfert in villam recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura ibidem decedat, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali, vel sepultura Majorum debeat sepeliri. Si defunctus in duobus locis æqualiter domicilium habuit, v.g. in uno per æstatem, in altero per hyemem, & in duabus Ecclesiis Parochialibus Sacramenta frequentare soleat in illa sepelitur, in qua decessit, vel si extra utramque mortuus sit, ad quam arbitrio propinquorum facilius deportari poterit, ubi enim duo vel plures habent æquale jus & singuli in solidum ad rem, ordinariè melior solet esse præoccupantis conditio, *argum. cap. cùm plures, 8. de offic deleg. in 6.*

Circa uxores speciale est, quòd sicut in vivis relicta familia propria secutæ sunt viros suos, ita post mortem non in sepulchro familiæ, sed maritorum tumulandæ sint, nisi propriam sibimet elegerint sepulturam, vel nisi divortium perpetuum ex causa adulterii vel hæresis (secus si temporale tantùm ex causa sævitiæ, vel morbi contagiosi) intervenerit, nec id ante mortem reconciliatum sit. Quòd si aliqua plures successivè maritos habuerit, cum ultimo, cujus nomen & statum retinuit, sepeliatur, *text. & DD. in cap. unaquæque, 13. quæst. 2. cap. 3. h.t. in 6.* 5

Quæritur III. Quid dicendum, si sepulcra Majorum sint in diversis Ecclesiis. Resp. In hac quæstione tres casus esse distinguendos. I. Si in una Ecclesia sepultus sit Abavus, Proavus; in alia verò Pater & Avus, filius propter majorem conjunctionem cum Patre & Avo sepelietur. II. Si Avus, Proavus, & Abavus in uno loco sepulti sint, Pater verò elegerit sepeliri in alio, filius non cum patre, sed potiùs cum Avo & Proavo sepelietur, *per text. in cap. fraternitatem, Ext. & cap. si quis h.t. in 6.* ubi dicitur, quemlibet in eo loco sepeliendum esse, in quo parentes, & majores *ab antiquo* soliti sunt tumulari. III. Si Pater, Avus, & Proavus in diversis locis tumulati sint, nonnulli censent, filium in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, quasi hoc casu cesset sepulchrum Majorum; alii contra volunt, Patrem sequi debere, *authoritate text. in cap. unaquæque 13 quæst. 4. §. item in novo, vid. Sylv. v. sepultura num. 8.* Mihi prior sententia videtur verior, pro conciliatione tamen alteram tunc amplector, si pater non simpliciter pro se tantùm, sed universim pro sua familia sepulturam elegerit; de quo casu non obscurè loquitur text. *in d. §. item in novo.* 6

Quæritur IV. Utrum ad electionem sepulturæ requiratur aliqua solemnitas? Resp. Quamvis electio sepulturæ sit species ultimarum voluntatum, *ut per gloss. addit in cap. 1. h. tit. in 6. in verb. prædictus, argum. cap. ultimus, 13. quæst. 2.* Nihilominus tamen cùm sit dispositio ad *pias causas*, probabilius judico, nulla alia solemnitate muniri debere, nisi quòd 7
eligens

eligens sit pubes. *c. pen. h. t. in* 6. compos mentis, & sufficienter censtet de ejus voluntate. Nam quòd favore militiæ *in tit. de militari testamento.* & favore Patriæ potestatis *in L. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testam.* concessum est, ut testamentum militis, & patris inter liberos nullam solennitatem, sed tantum probationem requirat, idem etiam DD. communiter & rectè *ad pias causas*, favore earundem, & propter salutem animæ, pro qua defunctus tale testamentum fecit, extendunt, & ita ut ne quidem duo testes de quibus fit mentio *in c. relatum 11. de testam*, ad substantiam necessarij sint. *Cov. in cap. relatum. n. 12. Tyraquel. de privilegio pia causa, privilegio 2.* Quòd verò ad probationem electionis sepulturæ attinet, illa non minùs exacta requiritur, quia licet præjudicium Parochialis Ecclesiæ interveniat, id tamen non est valde notabile. Unde electionem sepulturæ probari posse per testes singulares, & unum etiam concurrentibus adminiculis, & quidem per solum Confessarium, cui tanquam Interpreti voluntatis defuncti sit fides habenda, *arg l. 1. in fin. & ibi DD. ff. de V. O.* tradit Pasqual *in addit.* ad Lauret de Franch, *in controv. inter Episc. & Regul p. 2. q. 64. n. 3 & seqq.* Solum tamen propositum eligendi sepulturam, antequam quis actu eligat, nihil operatur, Lauret de Franch. *d. q. 64.*

8 *Quær. V.* An Religiosi, quibus vel ob electam sepulturam vel sepulchrum Majorum Jus funerandi cadaver competit, possint propria authoritate illud de domo tollere, & per alienam Parochiam processionaliter ad suam Ecclesiam deferre? Resp. Omnium primò attendendam esse loci consuetudinem, vel specialia pacta cum Parocho inita, *argum. cap. 2. de pact. in 6.* Cæterùm abstrahendo à speciali consuetudine, pacto vel privilegio, Juri conformius censeo non licere ad tollendum funus alienam Parochiam sine licentia Parochi ingredi, *arg. c. un. 13. q. 1.* pro qua sententia etiam Bullam Leonis X. allegat Zypæus *in Annal. Jur. Pontif. tit. de sepult. n. 5. & seqq.* eo ferè modo, quo de Jure Civ. cuilibet quidem competit Jus venandi, alienum tamen fundum ingredi à domino prohiberi potest, *§ feræ 12 I. de rer. divis.* Notandum proinde est, quòd Parochi corpora defunctorum in Ecclesiis Religiosorum humanda usque ad Ecclesias præfatas associare possint, & ibi permanere, non tamen cum stola, neque ibidem decantantes aut aliam functionem facientes, *ita ex Declar.* Cardin. & Tamburinu docet Petrus de Murga *in quæst. past. par. 3. quæst. 7. num. 6.*

9 *Quær. VI.* An si uxor specialem sepulturam sibi elegerit, & ante Maritum defungatur, debeat Maritus postea sine electione sepulturæ decedens cum illa sepeliri? Panormitan. quamvis prima fronte id affirmaverit, tamen mox in negativam magis propendere videtur, *in cap. de uxore hoc tit. num. 7.* eo quòd Jura tantùm de Uxore loquantur, neque fœmineo vocabulo masculi contineantur, ut ait J. C. *in l. si ita scriptum de leg. 2.* & uxor quidem Virum, non autem Vir Uxorem sequatur.

Ego puto non improbabiliter hoc modo distingui posse; ut siquidem Maritus habuerit *sepulchrum Majorum* debeat potius exemplo Patriarcharum cum suis Patribus tumulari. Sin autem nec specialiter *electam* nec *sepulturam Majorum* habeat, & matrimonium in concordia transactum sit, existimo satis congruè dici posse maritum potiùs cum Uxore, quàm in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, etenim propter individuam vitæ societatem, affectionem & unionem conjugalem Jus disposuit, ut uxor sepeliretur cum marito; quæ ratio cum etiam ex parte mariti procedat, idem sanè, & circà hunc statuendum erit, *cap. inter corporalia, vers. sicut ergo De translat. Episc.* quæ extensio Juris satis ex præsumpta voluntate Mariti defuncti induci potest, si enim sciens uxoris electam sepulturam non facit contrariam dispositionem, videtur planè ob maritalem affectionem eandem tacitè saltem etiam elegisse, ut *quorum mens una fuit in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separaret*, sicut in simili dicitur, *in cap. unaquæque 13. qu. 2.*

10 *Quær. VII.* An Prælatus Regularis possit sibi eligere sepulturam? Affirmativa communis est apud Pasqual. *in addit.* ad Lauret de Franch. *p. 2. qu. 61. num. 3.* argum. à contrario sensu *cap. fin. hoc tit. in 6.* nam ibi decernitur Religiosos non posse sibi eligere sepulturam, qui cùm alterius potestati subjecti sint, velle *proprium* non habent: unde cum Prælati circa ea quæ pertinent ad Regimen Conventus & sui ipsorum habeant *suum velle*, poterunt eligere. Verùm advertendum esse ait Pasqual. *d. l.* quòd hujusmodi electio sicut qualibet potestas debeat esse rationabilis, unde nullam sine censet electionem Sepulturæ, si eligeret Prælatus in loco, quò deferri non posset sine notabilibus expensis; aut si ex tali electione læderetur honor & bona opinio Religionis, sicut læderetur, si non appareret specialis prærogativa loci electi, quæ esset præponderans motivum ad relinquendam rationabiliter Sepulturam in proprio Monasterio.

Quær. VIII. An Religiosi inferiores possint sibi eligere Sepulturam, si extra Monasteria decedant? etiam hic affirmativa communior, & probabilior est, dummodo Religiosus ita remotè à suo Monasterio decedat, ut ad id commodè deportari non possit. Nam in *c. fin. h. t. in 6.* ubi Religiosis interdicitur electio Sepulturæ, apertè additur hæc exceptio; *nisi tam remotè à Monasteriis moriantur, ut commodè ad ipsa deferri nequeant*, *Pasq. dict. par. 2. quæst. 60. num. 3. & plurimi apud eum tit. facit text. in cap. nimis iniqua 10. de excess. Prælator.* 11

Quær. IX. An Novitius qui sine electione sepulturæ decedit, sepeliendus sit in Monasterio vel Ecclesia sua Parochiali? Pro Ecclesia Parochiali respondet Pet. de Ubaldis *de Canon. Episc. n. 34.* Angelus *in v. sepult. nu. 26* eo quòd Novitii non sint verè Religiosi seu de corpore Monasterij. Nihilominus dicendum est, Novitios in ipso Monasterio sepeliri debere, quia quoad plerosque effectus (extra votorum obligationem) Religiosis connumerantur; nimirùm quoad Sacramentorum perceptionem, privilegium Canonis, *cap. Religioso de sentent. excom. in 6.* & fori, Navar. *Cons. 5. & 6. de foro comp.* Sed quid si Novitius ante mortem fuisse in proposito redeundi ad sæculum, nunquid, quia tunc elegisset mori in sæculo, censendus foret etiam extra Monasterium elegisse sepulturam? Negativa verior est contra Sylv. *verb. sepultura, quæst. 8.* quia solum propositum non extrahit Novitium à statu Novitiorum, sicut nec voluntas mutandi Parochiam subtrahit à Jure Parochi, *arg. l. domicilium, ff ad municipalem, &c.* Sed requiritur factum solvens illum contractum, quo Novitius se tradidit experiendum Religioni, & ipse acceptavit Religionem experiendam, Lauret de Franch. *in controv. inter Episc. & Regul p. 2. q. 57.* 12

Quær. X. Quid Juris habeat Parochus, si Parochianus alibi elegerit sepulturam? Resp. Quod debeatur ipsi portio canonica de iis, quæ alteri Ecclesiæ, ubi sepultura electa est, occasione funeris obveniunt, ut qui Sacramenta administrando onus habuit eum vivente, post mortem ejus etiam de funere aliquod emolumentum participet. Si quis in duobus locis æqualiter habuerit domicilium in tertio elegerit sepulturam, portio Canonica inter utriusque Ecclesiæ domicilia dividenda erit, *cap. 2. hoc tit. in 6.* & quidem si de puncto Juris communis præsertim antiqui loquamur, hæc portio aliquando est dimidia, aliquando tertia. Et aliquando quarta pars pro cujusvis loci consuetudine, non tantùm de candelis, oblationibus, panno tumbæ, &c. sed etiam de omnibus quæ vel titulo institutionis vel legati defunctus pro anima sua Ecclesiæ electæ sepulturæ reliquerit, *cap. 4. cum super, cap. certificari, cap. in nostra de sepulturis.* Specialiter tamen excipitur *in cap. fin. de testament.* Quòd non sit solvenda portio Canonica de his quæ pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, Anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum Divinum legantur, & quamvis *in Clem. dudum, de sepultura d. cap. fin.* videatur abrogatum, nihilominus gloss. *in dict. Clem. in §. verum*, & Covar. *in cap. officii de testam. in 6* censent, eandem Clementinam utpotè correctoriam, & strictæ interpretationis non esse ultrà PP. Prædicatores & Minores, de quibus loquitur, extendendam; dixi porrò de puncto Juris communis hæc ita procedere: Nam per Bullas, & Privilegia specialia, item multorum locorum consuetudinem, Monasteria, & Religiosorum Ordines, vel nullam omninò portionem Canonicam, vel non nisi de funeralibus propriè dictis, quæ scilicet eodem die cum funere deferuntur, uti sunt candelæ, pannus, oblationes, &c. persolvere tenentur. Sicut etiam dict. Clement. *Dudum*, circa portionem Canonicam respectu Prædicatorum per Privilegium Sixti, & respectu Minorum per Privilegium Pii Quinti abrogatam esse refert, Sylv. *verb. portio Canonica in fin* & Meranda *in Manual. Prælat. tom. 3. quæst. 48. art. 8.* vide etiam Tambur. *de Jur. Abb. tom 1. disp. 15. quæst. 17.* Molina *de I. & I. tract. 2. disp. 215.* 13

Quær. XI. An liceat Religiosis aut Clericis aliquem inducere vel persuadere, ut in suis Ecclesiis eligat sepulturam? Resp. Id sub pœna excommunicationis Sancti Pontifici reservatæ, & restitutionis cadaveris jam sepulti prohibitum esse *in cap. 1. de sepult. in 6. & Clement. cupientes. De pœnis*, attamen rigor hujus constitutionis ita communiter temperatur, ut procedat in electione irrevocabili, quæ voto, juramento, aut alio pacto *perpetuo* concipitur, non verò in electione mutabili, quæ fit per testamentum, codicillum, aut 14

aliam promissionem revocabilem. Item cùm textus loquatur de inductione circa proprias Ecclesias, non incurretur censura, si Regulares inducant ad eligendam sepulturam in aliena Ecclesia, pœnalia enim sunt strictè interpretanda, Pasqual.ad Lauret de Franc.*d.p.2.q.63.n.2. & seqq.* Angelus *in v.sepultura n.35.* Nav. *in Man c.27. n.113.*

Quær.XII. Quomodo defendi possit consuetudo, quæ undequaque inolevit, quòd pro sepulturis pecunia accipiatur? In *c.cùm in Ecclesia, 9. Simonia*, dicitur horribile, quòd pro sepulturis de exequiis mortuorum aliquid exigatur, &c. Econtrà in *c.ad Apostolicam* 41 *de Sim.* damnantur Laici, qui id solvere recusant quod Clerici pro exequiis mortuorum juxta laudabilem consuetudinem petunt. Resp. Non posse pro ipsa sepultura, nec pro loco Deo consecrato unquam pro rebus spiritualibus aliquid temporale peti sine labe Simoniæ, *cap.quæst.13.quæst 2.cap abolenda. Ext. de sepult.* † Verùm
15 consuetudine præsertim accedente non est iniquum si aliquid petatur. 1. Pro conservatione cœmiterii vel loci specialis sepulturæ, aut sustentatione centorum. 2. Propter specialem laborem, ad quam sepeliens, qui Parochus non est, non tenetur: sicut in simili pro lectione Missarum stipendium accipi potest. 3 Pro sustentatione Parochi qui aliàs exiguos reditus habet. 4. Cum Decimæ *personales* passim in desuetudinem abiarint, & difficilè fuerit hominum substantias dum viverent perscrutari, ut sciretur quantum quot annis lucrati fuerint; ideò fas est credere, in locum Decimarum *personalium* mortuaria successisse, & Parochos contentos fuisse, quòd sibi post mortem cujuslibet summatim aliquid vice decimarum personalium exolveretur. 5. Quòd honor & præeminentia specialis sepulturæ (dummodo illa præeminentia sit propter respectum aliquem temporalem, ut quia est in loco sublimiori, & conspicatiori) itam obligatio Ecclesiæ, quòd nullum alium recipere ad locum electæ sepulturæ, quàm eligentis familiam, sit pretio æstimabilis, cum plurimis tam Theologis quàm Canonistis censet Barb *de Offic.*
16 *Par.p.3.c.26. & seqq.* † Sed admoneo in hac quæstione, nullo modo esse licitum, sed contra Christianæ pietatis officium & per Ordinarios castigandum, quòd propter exactionem pecuniariam seu mortuaria non soluta, defunctorum cadavera inhumata relinquantur, *c.abolenda, de sepult.Sac.Congreg. Epsc.quam ex Sylv refert Barb. in Collect. DD. ad Conc. Trid.sess. 25. de ref.c.13.n.36.*

§. UNICUS.

Quinam sint indigni Sepultura Ecclesiastica.

17 INdigni censentur, qui non sunt de Ecclesia, videlicet Judæi & Gentiles, *cap.Ecclesiam 27.de consecr.dist.1.* quibus etiam annumerantur infantes Christianorum, qui ante Baptismum decesserunt. Si tamen infans ab obstetrice, vel cum materia aut forma dubia, aut etiam dum de ejus vita dubium erat, baptizatus sit, sepultura Ecclesiastica privari non debet; item si in utero matris maneat una cum matre illa sepeliendus est, quia pars matris esse censetur, *l.1. §. ex hoc, ff de vent. inspic.* si verò propter spem vitæ à præmortua matre exsectus fuerit (quod fieri debet quando vita infantis servanda) nec tamen speratur quod vivus baptismû attigerit, extra locum consecratum humabitur. II. Indigni sunt hæretici, atque omnes qui ipsis in puncto hæresis (non in aliis negotiis) favorem, auxilium, aut receptaculum præbent
18 *cap.3.de hæret.in 6.* † Sed quia nonnunquam contingit, quòd familia alicujus potentis hæretici cum communicatione gravium malorum desiderat sepulturam Ecclesiasticam hæretici defuncti, ideò quæritur, an ad evitandum grave malum possit Parochus dictam sepulturam concedere? Difficultatem facit *cap. sacris 5. de his quæ vi metusve causa &c.* ubi S.Pontifex dicit, quòd propter metum nullatenus liceat communicare cum excommunicato, *quamvis enim*, inquit, *metus attenuet culpam, eam tamen prorsus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, &c.* ex quo textu nonnulli concludunt, quòd metus non tantùm non excuset à transgressione legis divinæ, aut naturalis, sed nec etiam à transgressione legis humanæ, siquidem prohibitio communicationis cum excommunicato (de quo *in dict.cap.sacris* mentio fit) tantùm Jure humano Pontificio, statuta sit; sicut etiam videtur nullatenus posse licere, ut propter metum liceat contrahere cum consanguinea intra 3. vel 4. gradum, licèt id impedimentum tantùm Juris positivi sit, neque debeat existimari insolitum, quòd lex humana etiam cum periculo mortis obliget, quemadmodum in legibus militaribus quotidianum. Verùm ego puto distinguendum, an sepultura hæretici, vel quævis alia transgressio legis Pontificiæ petatur, in contemptum Ecclesiæ, vel ex alia causa, v. g. ad splendorem familiæ conservandum, &c. Priori casu locum habebit tex. *d. c. sacris*. nam cooperari ad contemptum Ecclesiæ, non est tantùm lege humana, sed utique etiam divina prohibitum juxta illud *Matth. 18. qui Ecclesiam non audierit. sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus* Posteriori autem casu communior est sententia, quòd gravis metus excuset à transgressione legis humanæ, quia non est verisimile legislatorem voluisse obligare in casu tam extraordinario *l. nam ad ea. ff. de LL.* & cum magno alterius damno, unde qui justo metu adactus contraxerit cum consanguinea, non peccabit per contractum, peccabit autem per copulam; cùm enim tale matrimonium propter impedimentum consanguinitatis (quod metus tollere non potest, sed tantùm excusare à peccato) sit nullum, copula consequens non tantùm lege humana sed & divina prohibita erit. Verum quidem est, quòd dux belli possit imperata militibus, eosque etiam ad periculum vitæ obligare, sed id exigit salus publica & natura belli, atque ibi aperta constat de imperantis voluntate, & milites tam periculosarum legum non ignari, nihilominus se ultroneè Ducis potestati subdiderunt. *Syl.v. metus. n. 7. Azor. instit. Mor. lib. 1. c. 11. q. 1.* Quòd si igitur contingat cum tam periculosis minis peti sepulturam Ecclesiasticam, non in contemptum Ecclesiæ, sed pro honore familiæ, ut præmissum, Parochus non tenebitur cum gravi suo damno resistere, cessante tamen periculo tale cadaver, si ab alijs dignosci possit, iterum exhumare debet, ut clare constitutum est *in c. Sacris 12. de sepult.* III. Indigni sunt in excommunicatione aut interdicto degentes, si ante mortem saltem à simplici Sacerdote absoluti non sunt, quibus enim non communicamus vivis, etiam non communicare defunctis debemus. *d. c. Sacris & c.fin. h.t. c. is, cui. 20. de sent. excom.* in 6. si tamen ante mortem signa penitentiæ dederint, etiam post mortem absolvuntur, & sepulturæ Ecclesiasticæ mandantur. *c. à nobis 23. de sent.excom. & d. c. is, cui.* † Cùm autem hodie per Extrav. Mart. 19
V. *ad evitanda scandala &c.* nullus excommunicatus necessariò vitandus sit, nisi fuerit per Ordinarium tanquam excommunicatus *denunciatus*, vel sit notorius *percussor Clerici*, ideò controvertunt DD. utrum hodie excommunicati, qui vitandi non sunt, sepulturâ Ecclesiastica gaudeant? Affirmativam sustinent Nav. *de sepult. Cons 4.* & Paul. Laym. *in Theol. mor. lib. 5. tr. 5. c. 5. n. 8. circa finem & plures apud eum citati*, ex eo, quòd circa tales excommunicatos deficiat ratio *in d. c. Sacris*. assignata. Nihilominus probabilius judico, si de excommunicatione constat publice, non esse dandam Ecclesiasticam sepulturam, quia d. Extravag. non vult adjuvare excommunicatos, sed tantùm fideles innocentes, ne facile aliquam censuram incurrant. *Cov. in relect. c. Alma Mater de sent. excom. in 6. p. 1. §. 2. n. 11. Zoes. ad tit. decret. de sepult. nu. 9.* Notanter dico: si excommunicatio sit *publica*, nam si sit occulta & fortè soli Parocho cognita, non erit sepultura Ecclesiastica deneganda, quia privata scientia uti quidem licet aliquandoque in privato, non autem ad condemnationem in publico.

Quòd si quis notoriè excommunicatus de facto in loco consecrato sepultus esset, fortè posset tolerari propter authoritatem DD. qui primam sententiam docent, multa namque prohibentur, quæ tamen facta sustinentur. *c. ad Apostolicam. de Regul.* maximè quando irritatio facti multa incommoda secum trahit ut in nostro proposito exhumationem cadaveris, pollutionem & necessitatem reconciliandi Ecclesiam vel cœmiterium, præjudicium Parochianorum, qui interim propter pollutam Ecclesiam Sacrificijs & sepultura carere debent. Sicut in simili Cov. *in relect. Clem. si furiosus. in pr. n. 9.* circa irregularitatem expositi cujus parentes ignorantur, & censet ut diversæ opiniones expositum ad ordines non facile admittendum, admissum tamen tolerandum. IV. Sepultura Ecclesiastica privantur omnes in notorio peccato mortali decedentes, uti sunt in ipso crimine furti vel adulterij, &c. interempti. *c. fures 20. 13. q. 2.* † Item sibi mor- 20
tem inferentes ex desperatione vel iracundia. *c. placuit. 23. q. 5.* secus est, si ex fatuitate, vel si inflicto sibimet vulnere lethali ante mortem penituerint, imò in dubio non debet statim præsumi quòd peccaminosè sibi ipsi mortem aliquis intulerit, nisi ex aliis conjecturis appareat. *Nav. h. t. Conf. 7. Cov. var. res. lib. 2. c. 1. n. 11.* Interim tamen quia communi hominum existimatione creditur ex desperatione & in malo statu decessisse, qui v. g. in cubiculo suspensus, aut in puteum præcipitatus reperitur, ideò si ex adverso aliquæ conjecturæ adsint pro ipso defuncto, quòd ex corruptione mentis, aut ab alijs suspensus

fus &

ſus ſit, vel quòd caſu in puteum deciderit, &c. ad evitandam qualem qualem hominuut offenſionem fortè non inconſultò fiet, ſi tale cadaver de noctu ſine conſuetis ſolennitatibus in loco conſecrato ſepeliatur. Cæterùm ſubitanea morte eatincti, etiamſi conſtet, quòd in vita ſæpiùs peccaverint, nihilominus ſaltem privatim pœnituiſſe cenſebuntur. *c. & Pan. in c. ex parte b. r.* V. Eccleſiaſtica ſepultura non gaudent, qui omiſerunt Paſchalem Communionem niſi ante mortem pęnituerint. *c. omnis utriuſque. 12. de pen. & remiſſ.* an autem hac pęna affici poſſit, qui quidem tempore Paſchali omiſit communionem, ſed intra annum ſemel aut ſæpiùs eam peregit? non putarem. cùm enim privatio ſepulturæ ſit pęna valde gravis & infamis, videtur benigniori interpretatione temperanda, *L. pen. ff. de pœn. c. odia. de R. I. in 6.* ut in *d. c.* 12. ſlatuta referatur ad omnia verba præcedentia, ſi nimirum aliquis nec *ſemel ſaltem* in anno confeſſus fuerit, nec communionem *ad minus* in Paſcha ſuſceperit, quæ non verificantur de eo, qui oatra tempus Paſchale ſemel aut ſæpius confeſſus eſt. accedit, quòd committentem contra *d. c.* 12. ideò eam DD. graviter puniri eaiſtiment, quòd ſe ſuſpectum de hæreſi reddat, quaſi minùs curans *Pænitentia* Sacramentum, *Barb. in d. c.* 12. n. 11. id verò rationabiliter dici non poſſit, de eo, qui intra annum hoc Sacramentum titè ſuſcepit. VI. Uſurarii manifeſti mortui antequam reſtituerint vel de reſtituendo caverint, *c. 2. de uſuris in 6.* Sed cùm Materia uſurarum ſit altioris indaginis, & multi contractus ab uſura excuſari poſſint, ideò non erit facilè concedendum Parocho, ut propria authoritate ſine prævio judicio Eccleſiaſtico tam gravem pœnam eaequatur, & quia hæc uſurarum materia tum ratione peccati, tum ratione cautionis ab uſurariis quandoque curam Parocho præſtandæ *jux. d. c. 2. Deus in 6.* tum denique ratione ſepulturæ, propterea quæ circa uſuras potiora ſunt, inferius tractabo. VII. Religioſi proprietarii, *cap. 2. c. cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* VIII. Qui in Torneamentis non cauſa recreationis, & honeſtæ armorum exercitationis, ſed cum periculo vitæ inſtitutis decedunt, *cap. 1. de*
21 *Tornam.* † IX. denium eacluduntur à ſepultura Eccleſiaſtica, qui in duello etiam privato ſine patrinis, & ſociis cum ordinario tamen periculo vitæ, ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco convento inſtituto, occumbunt, *Trid. ſeſſ. 25. de refor. c. 19 juncta Bulla Greg. XIII. ad tollendum, & Clem. VIII. Illius vices, &c.* Quod ſi tamen aliquis in duello quidem lethaliter vulneretur, ſed extra illud receptis Sacramentis vel ſaltem datis pœnitentiæ ſignis moriatur, mihi videtur benignius, non eſſe privandum ſepultura Eccleſiaſtica quidquid alii contradicant, quia Concilium tantum loquitur de occumbentibus in duello, nec ex Bullis aliud evincitur: proinde locus eſt receptæ doctrinæ, quòd pęnæ potiùs interpretatione leniendæ quàm exaſperandæ, nec ad caſus etiam planè ſimiles expreſſis extendendæ ſint.

Præterea pęnæ duellantium non habent locum in illis, qui dum ſeſe invicem in platea offendunt, ſtatim ibidem dimicant, quia cum termini pęnales ſint ſtrictè accipiendi, talis dimicatio non eſt propriè duellum, quòd ſit ex condicto, & ſtatuto tempore, ſed potius repentina aggreſſio, & defenſio. Item volunt nonnulli, caloræ iracundiæ excuſare à pænis duelli, qui in continenti accederent ad locum aliquem, ibique dimicarent, *vid. cit. apud Barb. in collect. DD. ad Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 19. n. 13. & ſeqq.*

Sed quid ſi miles in exercitu, vir equeſtris in Aula Regia
22 officio, dignitate Ducis, aut Principis favore ob ignaviæ ſuſpicionem excidere debeat, niſi identidem provocanti ſe ſiſtat. Item ſi ad pugnandum laceſſens alterum crebra convitia, & contumelias adjiciat, qua iſte moleſtia ſe liberando, & ſubeundo dedecore aliter liberare non poſſit, niſi armis congrediatur, nunquid ſi talis provocatus in duello occumbat, ſepultura Eccleſiaſtica privari debebit? in ſimilibus circumſtantiis acceptantem duellum oblatum non animo occidendi provocantem ſed gratia meræ defenſionis, ſaltem in foro interno excuſari putant Lucas Floronus *de duello c. 6. §. 2.* Filliuo *to. 2 tr. 15. c. 5. n.* 107. & 113. Laym. *in Theol. mor. lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. a. 3.* Nav. *c. 15. nu. 3. & 4.* Pro eadem ſententia ſpeculativè plures rationes faciunt, quas adducit Leſſ. *de I & I. lib. 2. c. 9. dub. 12. nu.* 83. practicè tamen contrarium tenendum videtur propter malas conſequentias, & quòd plerumque aliud medium ſit conſervandi honorem, v. gr. dicendo ad provocantem, ſe paratum fore, ſi per Eccleſiam liceret, vel provocantem experturum, quocum negotium habeat, ſi palam, & non proditoriè aggreſſus fuerit, &c. Leſſ. *d. l. n.* 84. Peregrin. *de duello q.* 24.

23 Sed quidquid ſit de hac difficultate an eacuſetur qui merè defenſivè duellum honoris cauſa ſuſcipit, quæ non eſt de præſenti inſtituto latius eaaminanda, interim tametſi ſupponerem ſententiam affirmativam, dicerem tamen occumbentem in tali duello non eſſe Eccleſiaſticè ſepeliendum, id quod evincere videtur Bull. Clem. VIII. *illius vices, &c.* §. 5. ubi apertè ſtatuitur pœnas duellantium procedere ſi unus miles cum altero etiam ea hoſtili caſtro, etiam Ducum permiſſu privata tamen de cauſa duellum ineat: quale duellum profectò miles ſine ingenti apud totum exercitum diffamatione, & contemptu otique detrectare non poteſt. Ratio autem fundamentalis eſt, quòd ad execrationem, & extirpationem alicujus gravis criminis (in genere talis) aut abuſus multa fiant ſine culpa vera, quæ non fiunt ſine cauſa aut culpa præſumpta, & ſæpenumero aliquis ex præſumptione mali damnetur, qui tamen reverà eſt innocens, ita electus per ſimoniam alterius etiam ignoranter, dignitate privatur *cap. nobis fuit*, 27. *de Simonia*, ita filii hæreticorum, item filii eorum, qui crimen læſæ Majeſtatis perpetrarunt, graviter puniuntur, per privationem bonorum, ſucceſſionum, dignitatum, &c. ut ipſis *mors ſit ſolatium, & vita ſupplicium*, quamvis ex ſua perſona nihil commiſerint, *cap. vergentis*, 10. *de hæret. l. quiſquis, C. ad l. Jul. Majeſt.* ita multorum locorum ſunt ſtatuta, ut cum armis deprehenſus in carcerem impingatur, imò nonnunquam illicò ſuſpendatur, nulla admiſſa excuſatione, quòd fortaſſis ad defenſionem contra hoſtem arma geſtaverit.

CAPUT IV.

De Parochorum Poteſtate diſponendi circa ſua bona, & reditus.

SUMMARIA.

1 *Bona Clericorum quadruplicia.*
2 *Circa patrimonialia competit plena facultas diſponendi, & poſt Clericatum filiofam. advenientia cenſentur jure quaſi Caſtrenſis peculii.*
3 *Idem de induſtrialibus.*
4 *Idem de Parſimonialibus.*
5 *Etiam Parochus Religioſus bona Parſimonialia habere poteſt ad uſum.*
6 *Bona proſpectu Eccleſiæ acquiſita nonniſi in ſui ſuſtentationem, & ſuperflua ad pias cauſas expendere poſſunt Parochi, & ibi an Clerici iſtorum bonorum habeant dominium?*
7 *Suſtentatio poteſt deſumi ex Eccleſiaſticis, licet adſint Patrimonialia.*
8 *Quomodo accipienda ſit congrua ſuſtentatio.*
9 *Pulchrum monitum S. Bernardi.*
10 *Quid veniat nomine piarum cauſarum.*
11 *Parochus in officio diligentior, plus poteſt impendere in ſui ſuſtentationem.*
12 *Bona œconomia Parochi non debet tranſire in avaritiam.*
13 *Conſanguinei non ſunt ditandi ex bonis Eccleſiæ, poſſunt tamen juvari, ne egeant ſecundùm ſuum ſtatum.*
14 *Quænam dicatur notabilis quantitas redituum malè impenſorum.*
15 *Malè impendentes probabiliter excuſentur à reſtitutione, quamvis hæc illis pro tutiori conſulenda ſit.*
16 *Quæ ſunt comparata ex reditibus Eccleſiaſticis, aſſumunt naturam bonorum Eccleſiaſticorum.*
17 *Quis poſſit Parochis dare licentiam teſtandi de reditibus Eccleſiaſticis?*
18 *An teſtamentum ante impetratam licentiam factum, per eam confirmetur.*
19 *An teſtamentum Clerici in terris Imperii faciendum ſit ſecundùm Jus Civ. vel Canon.*
20 *Quales ſolemnitates de Jure Canon. requirantur ad teſtamentum, & ibi multa ad interpret.* cap. cùm eſſes de teſtament.
21 *Utrùm licentia teſtandi expiret re integra morte concedentis.*
22 *Qualiter Parochis ab inteſtato ſuccedatur.*
23 *Liberi illegitimi Parochorum an ſuccedant, & an hodie dentur propriè naturales.*
24 *Circa alimenta natis ex damnato coitu præſtanda non eſt inter utrumque Jus differentia.*
25 *De ſucceſſione in reditibus Eccleſiaſticis.*
26 *Quid de conſuetudine ex qua in reditibus Eccleſiaſticis ſuc-*

cedunt consanguinei & extranei hæredes, sive ex testamento sive ab intestato.

27 *Clericorum oberatorum privilegium.*

1 I. **B**Ona Parochorum, sicut generaliter omnium Clericorum, in quadruplici esse differentia passim inter DD. convenit, alia enim sunt *patrimonialia*, ex hæreditate, legato aut donatione acquisita: alia *Ecclesiastica*, seu prospectu & ex stabilibus reditibus Ecclesiæ obvenientia: alia *industrialia*, quæ Parochus non tantùm ea industria profana, ut professura liberalium artium, contractu, aut artificio honesto, sed etiam ex industria spirituali acquirit, ut ea lectione Missarum, exceptione confessionum, benedictione nubentium, sepultura, aliisque specialibus functionibus parochialibus, qui vulgo reditus *stolæ* appellari consueverunt: alia denique sunt bona *parsimonialia*, quę Parochus parciùs, quàm sibi licuisset, vivendo collegit.

2 Porrò circa bona *patrimonialia* Parocho plenaria tam inter vivos quàm in ultima voluntate dispositio competit, atque si ab intestato moriatur in illis bonis non Ecclesiæ (nisi in defectu legitimorum hæredum *auth. licentiam*, §. 1. *Cod. de Episc. & Cler.*) sed proximis consanguineis successio defertur, *C. fin. 12. qu. 4. cap. 1. de pecul. Cler. cap. relatum 12. de testam.* imò speciale privilegium Clericis indultum est in *leg. Sacrosancta 34. junct. auth. presbyteros, Cod. de Episc. & Cler.* ut quamvis in potestate patria constituti sint, in illis tamen bonis, quæ eis post Clericatum undecunque superveniunt, plenam tam inter vivos, quàm per testamentum ad instar *quasi castrensis peculiò*, habeant disponendi facultatem.

3 Quod de bonis patrimonialibus, etiam de *industrialibus* (quæ *quasi patrimonialia* vocant) communiter sentiunt Authores, sive deinde ex profana sive spirituali industria comparata sint, quia fideles hujusmodi bona largiuntur Clericis in præmium & mercedem laboris, nec intendunt illis ullum onus imponere, Lessius *de I. & I. lib. 2. cap. 4. dub. 6. num. 37.*

4 Item & bona *parsimonialia* patrimonialibus quoad ad effectum plerique annumerant, ut & in his plena dispositio Parochis concedatur, ut ex S. Thoma, Adriano, Soto & aliis probat Navar. *de redit. Eccles. qu. 1. nu. 16.* sequuntur Lessius *d. l. n. 39.* Lugo *de I & I. tom. 1. disp. 4. sect. 3. num. 35.* ratio est: quia in illa parte bonorum, quæ spectat congruam sustentationem, datur Clerico plenaria dispositio, nec imponitur illi necessitas ad pias causas erogandi, ergo si competenti sustentationi aliquid subtrahere velit, nihil obstat, quo minus id in quoslibet usus expendere valeat.

5 Sed quid de Parocho Religioso dicemus, num & is bona patrimonialia habere possit, quæ pro suo libitu (saltem honestè) expendat? Satis probabiliter affirmat Navar. *d. qu. 1. nu. 33.* non quòd Religiosus sibi quarundam rerum dominium acquirere rectè dicatur, sed quòd in illis bonis, quæ congruam ejus sustentationem respiciunt, liberam expendendi facultatem à Jure & Superioribus habeat.

6 Bona *prospectu Eccles. acquisita*, sunt, quæ in annuis, & stabilibus reditibus, ut in decimationibus, fondationibus, &c. consistunt, de his bonis præliminaris est quæstio. An Clerici in iis usum tantùm, aut verum dominium habeant? Duæ sunt diversæ DD. sententiæ: Una usum tantùm non dominium concedit, dominium verò penes Christum, aut Vicarium ejus Romanum Pontificem esse asserit. Probatur hæc sententia ex variis Juris Canon. textibus, in quibus Clerici non domini, sed tantùm procuratores bonorum Ecclesiasticorum appellantur, ita in *cap. quod autem, 23. qu. 7.* dicit D. August. *quæ possidemus, non sunt nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodò gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*. Similia habentur *in cap. 26. & seqq. 12 quæst. 1* Et in Concil Trid. *sess. 25. de refor. cap. 1.* interdicitur Episcopis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos suos ditare studeant: eò quòd Apostolorum Canones prohibeant, ne *res quæ Dei sunt*, consanguineis donent. Atque hanc partem cum Navar. *de redit. Eccles. quæst. 1.* & Panormit. *in cap. cùm esses de testam. num. 29.* multi veteres Theologi & Canonistæ tenuerunt. Verùm altera sententia, quæ affirmat Clericos habere dominium redituum Ecclesiasticorum hodie magis recepta est. Nam in primitiva quidem Ecclesia omnes Clerici in communi vivebant, & nullus suum aliquid proprium dicebat, *cap. duo sunt 12. quæst. 1.* posteà verò dilatata Ecclesia divisio beneficiorum, & redituum Ecclesiasticorum inter Clericos per Dionysium Papam facta est, *cap. nu. 13 quæst. 1. cap. quatuor 12. quæst. 2.* quæ sanè *divisio*, nihil aliud fuit, quàm reditus aliàs communes facere cujuslibet proprios, cùm divisionis titulus emptioni, & permutationi assimiletur *in l. 1. C. commun. utriusque jud.* idque confirmatur ex Trid. *sess. 23. de refor. cap. 1.* ubi Clerici non residentes in suis Ecclesiis, & beneficiis dicuntur fructus *non facere suos*: ergo à contrario sensu, si resederint, *fructus suos faciunt*, is autem dicitur *suum* facere, qui dominium acquirit, sicut mutuum (in quo dominium pecuniæ transfertur) dicitur, quod *ex meo tuum* fiat, *l. 2. §. 2. ff. de reb. cred.* Ad Canones in contrarium allatos breviter responderi potest, quòd vel loquantur de tempore primitivæ Ecclesiæ, qua omnia fuerunt inter Clericos communia, vel quod SS. PP. & Trid. *dict. leg.* dicant, reditus Ecclesiasticos esse *Dei & pauperum*, non in ratione dominii, sed obligationis ad honorem Dei, & sustentationem pauperum distribuendi, sicut quandoque res dicitur alicujus, non quam de facto habet, sed quæ ei restitui debet, *leg. is qui 15. digestis de reg. jur. Zoes. ad tit. decret. de peculio Cler. numer. 3. Less. de I. & I. lib. 2. cap. 4. numer. 43.* fateri tamen oportet, hoc dominium non esse prorsus liberum, sed certo modo limitatum, & restrictum, eique bene convenire ultima verba in definitione dominii apposita, quod sit potestas liberè disponendi de re sua, *nisi quatenus jure prohibetur*. Enim verò bona ista *prospectu Ecclesiæ acquisita* Clerici, & Parochi non aliter expendere possunt quàm in honestam sui sustentationem, & eorum superflua in pias causas, *cap. quòd autem, 23. quæst. 7. cap. 26. & seqq. 12. quæst. 1. Concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 1.* fatentur quoque DD. universi, gravis peccati mortalis reum esse, qui ea, quæ ex bonis Ecclesiasticis ultra congruam sustentationem supersunt, in profanas causas in notabili quantitate expendit. Ut præter Authores in hac materia hic allegatos novissimè per plura argumenta & contrariorum resolutiones doctissimè ostendit R. D. Georg Puttner S. I. SS. Theol. Græcij Professor in tract. de Just. & Jur. tit. 4. cap. 2. Verùm circa istam conclusionem aliqua notanda sunt.

I. Tametsi Parochus alia bona habeat, nihilominus illis reservatis poterit totam suam sustentationem ex bonis & reditibus Ecclesiæ desumere, quia dignus est operarius mercede sua, & nemo suis stipendiis militare cogitur, *Innoc. & Panor. in c. Episcopus. de præb.* Quòd si Parochus ex bonis patrimonialibus vixerit antequam reditus Ecclesiasticos percipere potuit, fas erit ei, posteà ex reditibus Ecclesiasticis tantundem inter bona patrimonialia computare, *Lessius d. dubio. 6. n. 38 Lugo d. disp. 4. Sect. 3. n. 44.* 7

II. Congrua sustentatio personæ non est quoad strictam vivendi rationem accipienda, sed etiam consideratio status, & dignitatis haberi debet, ita ut Parochus nobilis vel Graduatus plus in suam sustentationem impendere valeat, quàm alius minus literatus, & humilioris conditionis, *arg. c. de multa. de præb. & Extrav. execrabilis. Jo. XXII. de præb. Navar. d. q. 1. n. 36.* Præterea nomine congruæ sustentationis etiam intelligitur debita hospitalitas, non solùm illa, quæ fit erga pauperes & peregrinos, & maximè commendatur Clericis in Concil. Trid. *S. 25. c. 8.* sed etiam hospitalitas urbana cum moderatione debita juxta statum, & qualitatem beneficii. † Item in eandem sustentationem rectè imputantur moderatæ donationes remuneratoriæ, & aliæ, quibus boni amici fiunt aut conservantur, quia virtus liberalitatis pro qualitate, & conditione status plurimùm decet virum honestum, & ingenuum, Lugo *dict. disp. 4. sect. 4. num. 66. & num. 73.* generaliter pro regula tradit Molina *de I. & I. disp. 145. num. 13.* congruitatem sustentationis desumendam esse, ex usu & consuetudine virorum qui sunt ejusdem conditionis ac timoratæ conscientiæ. In omnibus verò modestiæ, honestatis & decentis frugalitatis ratio habenda est, & observandum quod S. Bern. in *Epist. ad Fulc.* scribit. *Conceditur tibi*, inquit, *Ut si benè deservis, de altario vivas: non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, &c.* & idem Bernard. *in epist. 42. ad Henr. Sen. Archiep. Clamant*, ait, *nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur, nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris, &c.* 8 9 10

III. Nomine *piarum causarum*, quibus superflua distribuenda sunt, non tantùm intelliguntur pauperes, non habentes necessaria ad usum, sed etiam ii, qui carent necessariis ad sustentandum statum juxta suam qualitatem & conditionē. Deinde rectè quoque dicuntur ad pias causas distribui, quæ expenduntur, in usum Religiosorum, in fundandas Capellanias aut Missas, alimentationem alicujus studiosi, quem sui parentes, vel nolunt, vel non possunt in studiis alere, in erectionem vel conservationem Seminarij pauperum Scholarium, & universim quæcunque ad cultum Divinum vel ad misericordiam, spiritualem vel corporalem alterius ordinantur, Lugo *d. disp. 4. sect. 3. n. 37. & sect. 4. n. 68.*

IV. Pa-

11 IV. Parochus, qui in administratione sui officii diligentior est, quàm de Jure teneretur, v. g. crebriùs per seipsum audiendo confessiones, concionando, Missas legendo, docendo rudimenta fidei, visitando & consolando infirmos, &c. talis, inquam, Parochus poterit etiam plus boni viri arbitratu in suam sustentationem impendere: & consequenter si voluerit aliquantò parciùs vivere, plus bonis parsimonialibus vel industrialibus accensere, juxta illud Apost. 1. *ad Timoth.* 5. *Presbyteri, qui benè præsunt, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina*, *Navar. d. q.* 1. *mon.* 29. *Molin. disp.* 144. *n.* 23.

12 V. In expendendis bonis ad pias causas potest se gerere Parochus, ut bonus Oeconomus, & ita aliqua pro futuris necessitatibus reservare, quæ verosimiliter timentur eventuræ. Non tamen debet hæc reservatio transire in speciem avaritiæ, ut Parochus velit nimia anxiè & Divinæ providentiæ parùm confidens, omnes casus qui quoquo modo eve-
13 nire possunt prævidere, † & interim nihil vel modicum in pias causas erogare, *Nav. d. q.* 1. *mon.* 25. *n.* 5. *Lugo d. disp.* 4. *Sect.* 3. *n.* 41. & *Sect.* 4. *n.* 74.

VI. Licet in Concil. Trid. *S.* 25. *de refor. cap.* 1. interdicatur quibuscunque beneficiatis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos augere studeant, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, &c. Nihilominus ex communi sententia non est damnandus Beneficiatus si aliquantò plus in suos consanguineos eroget, ne secundùm suum statum egeant, vel ut honestiores in domo ipsius conspici possint, quia status consanguineorum humilium,
14 nonnihil elevatur per promotionem Beneficiati. † Sed non esse dandum consanguineis ex quo superbi, otiosi aut malè vitiosi vivant, monet Nav. *d. q. mon.* 27. *n.* 4. & 5. *Lugo d. Sect.* 4. *n.* 20.

VII. *Notabilis quantitas*, quæ in malè expensis reditibus Ecclesiasticis peccatum mortale constituit, non est eadem, quæ in furto sufficit, sed multò major requiritur; quia cùm in mala applicatione bonorum Ecclesiasticorum non immediatè lædatur aliquis certus & proximus, sicut in furto, siquidem ejusmodi bona non magis debent distribui pauperibus, quàm applicari ad ornatum Ecclesiæ, vel alium pium usum, ideò videtur sufficere, quòd moraliter & à potiori bene distribuantur. Quare Joann. de Lugo *de* I. & I. *tom.* 1. *disp.* 4. *Sect.* 3. *n.* 4.. *vers. fateor.* putat imprimis attendendam esse quantitatem redituum beneficialium, ita ut qui v. g. in centum superstitis viginti malè impenderit, dicator peccasse; non verò ille, qui in mille superfluis tantùm 20. ad profanas causas exposuerit, generaliter autem existimat aliquem moraliter reditus Ecclesiasticos bene impendisse, & à gravi peccato excusatum esse, qui ex 100. 5. tantùm profanis rebus applicaverit.

15 VIII. Consulendum foret omnibus Parochis & Beneficiatis, ut si aliqua de reditibus Ecclesiasticis malè impenderint in profanos usus, de bonis suis patrimonialibus, vel parciùs imposterùm vivendo restitutionem faciant piis causis: quia non est paucorum DD. opinio, hanc restitutionem eis de necessitate incumbere, ut videre est apud Cov. *in c.* 7. *de testam. n.* 10. Laym. *in Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 3 *sub n.* 3. Interim omittentem hanc restitutionem non auderem facile damnare, propter authoritatem aliorum DD. qui contrarium docent cum eodem Cov. Lessio *de* I. & I. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *n.* 34. docet quoque Lugo *d. disp.* 4. *Sect.* 3. *n.* 48. accipientes à Clericis superflua non expensa in pios usus non peccare, si modò Clericos ad donandum vel alienandum non incitent & inducant, quæ sententia in rebus majoris momenti, & ubi accipiens non potest præsumere bono jure alienari, non caret scrupulo, & con-
16 trarium asserit Sanch. *lib.* 2. *Consl. c.* 2. *dub.* 38. † Illud tamen adnotandum est, quòd ea, quæ ex reditibus Ecclesiasticis comparata sunt, adhuc maneant sub ratione bonorum Ecclesiasticorum, & consequenter in vivis sint distributioni ad pias causas obnoxia, & post mortem ad Ecclesiam devolvantur, *c.* 2 *de peculio Cleric.* aliàs facilè eluderetur obligatio distribuendi superflua ad pias causas, quia si beneficiatus ex superfluis emeret fundos aut prædia, vel econtrà, si frumentum & Decimas venderet, jam illa prædia comparata, vel istud pretium ex Decimis acceptum liberè expendere posset.

Præterea circa bona Parochorum ulterius convenit inquirere, qualiter in illis *ex testamento vel ab intestato* succedatur? quod breviter aliquot quæstionibus expediam.

17 *Quæritur* igitur I. An cùm Parochi tantùm de bonis *patrimonialibus*, *parsimonialibus*, & *industrialibus*, non verò *de bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis* testari possint, ut præmissum, & patet *ex c.* 1. *cum in Officiis.* & *c. quia nos. de testam.* *Man. Parochor. P. Ludov. Engel.* An saltem id possint cum licentia Papæ vel Episcopi? De S. Pontif. non est magna difficultas, utpote qui plenam facultatem habet dispensandi in Canonibus. *c. proposuit. §. licet. de Concess. præb.* & disponendi circa beneficia Ecclesiastica, eorumque reditus, *c.* 2. *de præb. in* 6. Episcopus autem regulariter talem licentiam concedere non potest, nisi ex privilegio vel consuetudine id habeat, quia non potest relaxare Jus commune. *Clemen.* 2. *in princ. de elect. c. dilectus. de temp. Ord.*

Quæritur II. An testamentum valeat, si prius à Parocho 18
vel Clerico factum sit, quàm licentiam impetrarit? Negativa videtur puncto & subtilitati Juris civilis conformior, argumento ducto ex paritate rationis à testamento militis, prout *in l. tribunus.* 20. §. 1. *ff. de milit. testam.* expressè deciditur, quòd si quis ante militiam testamentum non solenne fecerit, & deinde militare inceperit, tale testamentum, cùm prius fuerit invalidum, non incipiat valere tempore militiæ, nisi tunc miles per novum actum aliquem v. g. signando, corrigendo, addendo &c. suam voluntatem priorem confirmarit. Verùm quia de Jure Canon. subtilitates Juris Civil. non æquè attenduntur, ideò non est improbabilis sententia Card. Tusci *litt. T. concl.* 145. tale testamentum valere, eo quòd privilegia sint interpretanda secundùm intentionem supplicationis & privilegiantis, hæc autem in proposito verisimiliter fuit utriusque intentio, ut liceret testatum decedere, sive deinde testamentum factum sit, sive faciendum. Ex quo potest etiam assignari differentia inter hunc & priorem casum, quòd privilegium & licentia Parochi intelligatur simpliciter de testamento, privilegium verò militis tantùm de testamento, quod tempore militiæ seu expeditionis factum est.

Quæritur III. An Clericus in terris Imperii existens te- 19
neatur testari secundùm Jus Civile vel Canonicum? Circa formam substantialem testamentorum plurimùm inter se differre Jus Civile & Canon. satis notorium est; nam de Jure Civil. requiri 7 testes masculos, puberes, specialiter rogatos, uno contextu subsignantes &c. constat ex *L. hac consultissima. C. de testam.* De Jure Canonico testamentum coram Parocho & 2. vel 3. testibus confectum valere deciditur *in c. cùm esset.* 10. X *de testam.* *Consuetudo*, inquit S. Pontif. *quòd testamenta penitùs rescindantur, nisi cum subscriptione 7. vel 5. testium fiant, secundùm quod Leges humanæ decernunt à divina lege, & SS. Patrum instituto noscitur esse aliena, cùm scriptum sit, in ore duorum vel trium stet omne verbum. Præscriptam consuetudinem improbamus, & testamenta quæ Parochiani coram presbytero suo & 3. vel 2. Personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere &c.* In qua utriusque Juris discordia communiter DD. putant, quodlibet Jus in suo foro obtinere, Jus Canon. in terris S. Pontifici, Jus Civile in terris Imperatori vel aliis Principibus subjectis, *gl. in d. c. cùm esset*, & *ibidem Barb. n.* 2. Quia porrò Barb. *c. l. cum aliis* addit, Jus Canon. universaliter in foro Canonico etiam extra territorium temporale Papæ in hoc puncto procedere, idque confirmatur ex textu juxta magis communem interpretationem *in c. quod Clericis. de foro comp.* Clerici autem eorumque bona, consequenter & testamenta sint de foro Canonico, qui & aliàs legibus Civilibus à Jure Canon. reprobatis non adstringuntur, rectè infertur & concluditur, testamenta Clericorum etiam in terris Imperii existentium valere, si secundùm ordinationem Juris Canon. confecta fuerint. Sed hinc

Quæritur IV. An præsentia Parochi & 2. vel 3. testium 20
secundùm Jus Canon. *in d. c. cùm esset.* sit de *substantia* testamenti, vel tantùm de *probatione*? si de *substantia*; Nullum erit testamentum aliter confectum: si de *probatione tantùm*: valebit quomodocunque factum, dummodò de voluntate testatoris constet. Communior opinio videtur præsentiam Parochi & testium pro forma substantiali assignare. *Pan. & Barb. in d. c. cum esset. Covar. ibidem num* 23. Sed, ut verum fatear, inter alias opiniones DD. quæ mihi semper displicuerunt, aut certè non bene percepi, etiam hæc est: quia nec *textui* nec *rationi* satis accommodare possum, idque ex sequentibus causis. I. quia S. Pontif. *in d. c. cùm esset.* reprobat solennitatem Juris Civilis quæ est ultra probationem necessariam, ergò non fuit ipsius intentio, ibi exigere solennitatem circa testamenta, sed tantùm probationem. Si enim ex sententia Panorm. & Cov. *cc. LL.* & in absentia Parochi pro forma substantiali requiruntur ad minùs 4. testes, quodnam fuisset tam grande motivum, ut S. Pontif. cum objectione legum divinarum, *duos tantùm testes* requirentium, tam graviter inveheretur in leges civiles, quæ 5. testes adeoque non tantùm plures statuunt,

cum, & ipsemet uno vel duobus plures testes requisivisset quàm Lex divina: ne proinde Pontifex sibi ipsi contradicat, nihil est verisimilius, quàm quòd ibi tantùm *probationem*, non verò *solemnitatem* desideravit, nam & ipse textus S. Script. ibidem allegatus, *ut in ore duorum vel trium stet omne verbum*, ad probationem solummodò pertinet. Nihil obstat quòd etiam Parochi mentio fiat, quia ut rectissimè advertit D. Antonin. apud Panorm. *in 2. repet. d. c. cùm esses*, *num.* 13. S. Pontifex tantùm narrat *accidentia facti*, loquitur enim de testamento, quòd fit *in extrema voluntate*, hoc est, ab ægrotis, & lethaliter decumbentibus teste Barbos. *in eodem c. cùm esses num.* 8. ubi plerumque Parochus solet ob animæ dispositionem advocari. Censet quidem Panorm. hoc esse divinatorium. Sed, salva reverentia tanti viri, magis mihi videtur divinatorium, quòd S. Pontif. voluerit Parochi præsentiam, vel loco Parochi duos alios testes ideòque ad minus 4. pro forma substantiali statuere, quod posterius scilicet suppletio 2. testium loco Parochi in textu nec verbo insinuatur, & si Parochi præsentia est de forma, non potest per æquipolleos suppleri, *text. & DD. in §. tutor autem*, *J. de de auth. tut.* sicut & in matrimonio manifestum est; Trident. *sess. 24. de matr. cap.* 1. quam difficultatem præsentiens Barbos. *d. l. num.* 7. respondet, Parochum non esse *de forma cum decreto irritanti*, sicut in matrimonio, sed tantum per modum excellentioris testis, anne hoc textus? minimè, mera ergò conjectura menti Canonis multum dissona, ut ex dictis & dicendis apparebit. Deinde vel Parochus est de forma substantiali vel tantùm de probatione necessarius? si prius, habet per se implicitum decretum irritans, ex recepta regula, *quòd non servata forma resultet nullitas actus*, si posterius, Pontifex sibi contradicit, & non servat Jus divinum, cùm præter 2. vel 3. testes insuper Parochum ad probationem requirat.

II. Si dubitetur, an lex vel Canon præscribat certam formam substantialem actui, debet id decidi ex stilo, & modo loquendi aliarum legum formas actibus præscribentium, sed si omnes similes leges percurramus, ut in matrimonio Trid. *sess. 24 de ref. matr. cap.* 1. in alienatione rerum Ecclesiasticarum *Extrav. ambitiosæ & tit. de reb. Eccles. non alien.* in alienatione rerum pupillarium *tit. C. de præd. minor.* in testamentis de jure Civ. *d. l. hac consultissima*, *C. de testam.* & pluribus aliis, constanter reperiemus, quòd leges non sint contentæ, si dicant actum ita factum valere *ut in d. cap. cùm esses*, sed positivè statuant & præcipiant, ita & non aliter debere fieri. Sanè non est bona consequentia; actus hoc modo factus firmus & validus est, ergo hoc & non alio modo debet fieri, veluti si dicam, emptio coram testibus sine scriptura valet, non propterea infertur, ergo emptio necessariò debet fieri coram testibus, item *in cap. relatum* 11. *de testam.* dicitur, quòd testamentum *ad pias causas* coram 2. testibus factum subsistat, & tamen ea communi & receptissima sententia testamentum ad pias causas neque testes neque aliam solemnitatem, sed tantùm probationem voluntatis desiderat, Tiraquel. *de privil. piæ caus.* 1. & 2. Barb. *in eod. cap. relatum num.* 4.

III. Non fuisset ratio præcipiendi ut in testamentis merè profanis Parochus interveniret; quid profanarum rerum dispositio ad Parochum? vel enim testamentum exhibendum foret Parocho, & testibus *Clausum* vel *apertum*; si *clausum*, cui necessaria qualitas Parochi, ad rem sibi incognitam? si *apertum*, nimis magna esset obligatio, ut testator ante mortem suam teneretur invitus (secus si sponte vellet *nuncupativè* testari) manifestare hæredem & legatarios, nec non bona, & substantiam suam, atque ita se periculo captandæ mortis, aliisque incommoditatibus exponere, quod nulla lege Juris Civilis vel Canon. est statutum, nec sine inconvenientissima divinatione asseri potest. Accedit, quòd hoc modo Parochis imponeretur nova obligatio suam præsentiam exhibendi testamentis profanis, quam utique tam parum gratis exhiberent, quàm aliàs ad infirmos Sacramentorum causa accedunt, vel in matrimonio assistunt indeque etiam difficultas testandi Laicis pareretur.

IV. Si præsentia Parochi, & testium statuitur de jure Can. pro forma testamenti, tunc casus, quo Parochus ipse de bonis suis Patrimonialibus vel aliis facit testamentum, est indecisus vel certè per meram conjecturam, & divinationem decidi debet, quia Parochus non est ex *parœcianis*, de quibus *cap. cùm esses*, loquitur, nec propriè alium Parochum habet, sed potest se subiicere cuilibet legitimè exposito sacerdoti. Si dicas, debere loco parochi accedere 2. alios testes, ubi hoc ex textu elicis? erubesce, sine textu expresso novam formam præscribere, *Auth. consideremus*, *de triente & semiss.* si per conjecturam ita laboriosè, & anxiè textum explicas, cur non facilius & longè convenientius dicis, Parochum *in sæpè d. c.* 10. non poni *ordinativè*, sed tantùm *narrativè*.

Instas, periculum evitandæ fraudis circa testamenta committi solitæ desiderare plures testes. Resp. Hoc periculum posse quidem esse causam, ut plures testes statuantur, sed non esse causam necessariam, ex qua simpliciter ista statui debeat, cùm veritas rei etiam sine superfluis solemnitatibus, per alias legitimas probationes detegi possit, *tex. in l. fin. C. de fideicom.* certè etiam in testamentis ad pias causas vel ex invidia erga hæredem ab intestato, vel alio modo, item in testamento militari, aut patris inter liberos posse fraudes committi, nemo rationabiliter dubitare potest, & tamen in his nulla solennitas sed probatio tantùm requiritur.

Concludo igitur, mihi videri probabilissimam mentem S. Pontificis fuisse, *in sæpe d. c. cùm esses de testam.* non tam *solemnitatem* aliquam statuere, quàm *probationem* ultimæ voluntatis exigere, sive ut ex Joan. Crot. refert, Cov. *in eod. cap.* 10. *nu.* 26. testamenta ad solemnitatem juris gentium reducere, quam sententiam illi præ cæteris amplecti deberent, qui cum eodem Panorm. *d. l. nu.* 10 & copiosè relatis à Cov. *d. l. 2. nu.* 10 docent, in conscientia esse debitum, quod testator sine omni solemnitate reliquit, dummodò de ejus voluntate constet (quod idem & nos fatemur, si agatur de testamento, quod vel in territorio S. Pontificis, vel à Persona Ecclesiastica, vel ad pias causas secundum jus Canon. fieri potuit) quia SS. Canones solent se ad forum conscientiæ præcipuè accommodare, *c. novit. de judic. c. ut animarum de constit.* qua tamen de re videantur tradita inferius *de constit.* §. 3. quid autem dicendum sit de casu, quo testamentum debuit fieri secundum jus civile, Inferius in tit. *de constitut.* §. 3. tradenius.

Quær. V. Utrum licentia testandi expiret morte concedentis? non desunt qui id existiment apud Navar. *de redit. Eccles. q. 3. n.* 8. quòd beneficiatus qui ex authoritate & commissione Papali de rebus Ecclesiasticis disponat, omne autem mandatum vel commissio papalis morte mandantis re integra expiret, *cap. gratum de offic. deleg.* contrarium tamen verius est, quia talis licentia non mandatum, sed simplex gratia censetur, quæ per mortem concedentis ne quidem re integra expirat, *c. si cui* 36. *de præb. in* 6 Fach. Controv. *c.* 100. 21

Quær. VI. Qualiter Parochis *ab intestato* succedetur in bonis *patrimonialibus*, & *industrialibus*? Resp. Successionem deferri proximis consanguineis jure & ordine in bonis Laicorum usitato *juxt. tit. Instit. & ibi Interp. de success. ab intest.* Neque in hac successione computatio graduum secundùm arborem Canonicam superius *in p. 3 cap.* 5. delineatam (utpote quæ tantùm ad matrimonium pertinet, quod sicut ex duabus personis consistit, ita in eo duæ personæ ad unum gradum trahuntur) sed secundùm arborem Civilem instituitur, in qua generalis regula est, quòd tot sint gradus, quot sunt personæ quæ à stipite descendunt ipso stipite non computato, vid. Card. Tusc. *lib.* 5. *concl.* 861. *num.* 91. unde ponamus quòd defunctus reliquerit ex una parte filium sui fratris, & ex altera parte suum patruelem, id est, filium Patrui: si jam ex arbore Canon. fieret computatio filius fratris, & filius patrui æqualiter succederent, quia ex computatione uterque est defuncto in secundo gradu conjunctus: et verò juxta computationem Civilem filius fratris excludit patruelem, quia patruelis est defuncto in quarto ille autem in tertio gradu conjunctus.

Quòd si nulli extent consanguinei ipsius Clerici defuncti, successio in bonis prædictis ad Ecclesiam (quasi spiritualem uxorem) cui Clericus præfuit, devolvitur, *c. fin.* 12. *q.* 5. *c.* 1. *de success. ab intest. auth. licentiam*, § 1. *C. de Episc.* In bonis Clericorum qui nec consanguineos nec beneficium habuerint fiscus Episcopalis succedet, Panorm. *in c. 2. de success. ab intest. nu.* 2. Non obstat hactenus dictis, *d. c.* 2. ubi bona Clerici defuncti jubentur distribui in quatuor partes, & una Episcopo, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus & quarta parentibus assignari, nam hunc textum tantùm loqui de servis, qui olim à dominis manumissi in presbyteros ordinati fuerunt, quibus Civiliter non est cognatio, quæ successionem prætendere possit, *§. quod autem* 6 *J. de Cap. dimin. junct. princ. de servili cognat.* communiter exponunt DD. cum Gl. Panorm. & Barb. ibid.

Quær. VII. An illegitimis filiis ex Concubinis Clericorum progenitis debeatur successio, quæ aliàs in jure filiis *naturalibus tantùm* seu *illegitimis* debetur, ut scil. non extantibus liberis legitimis patri una cum sua matre in duabus unciis (id est, in duabus partibus, si hæreditas in 12. partes dividatur) matri verò, & omnibus ascendentibus per lineam maternam una cum justis liberis plenè succedant, *§. novissimè*, *J. ad Sc. Orfic. auth. si qua illustris*, *C. ad. Nov.* 89. *cap.* 12. Videtur probabilior sententia Navarri *Cons.* 2. *de success. ab intest.* tales liberos à Sacerdote vel alio Clerico præ- 23

fcri-

fertim in sacris Ordinibus constituto esse progenitos *ex damnato coitu*, & consequenter illis nullam successionem competere. *arg. Nov. 89. c. 15.* ille enim *coitus* dicitur *damnatus*, quem lex reprobat & sub gravibus pœnis prohibet. *Harpprecht. ad princ. J. de success. ab intest. n. 346. & Pan. in c. tanta, qui filii legitim. n. 12.* atqui omnis coitus est Clericis sub gravibus pœnis prohibitus *t. t. de Cohab. Cleric. & mul. Trid. S. 25. de ref. c. 14.* ergò &c. Dices, ex hoc sequi, quod hodie omnes, qui olim *Naturales* appellabantur, censeri debeant ex *damnato coitu*, eò quòd hodie concubinatus in utroque foro prohibeatur & puniatur, hanc illationem quidam valde probabiliter veram putnor apud Harp. *d. l. n. 305.* & Panorm. *d. n. 15.* loterim si cum eodem Harp. & Pan. vellet quis tenere, adhuc hodie dari *naturales* in ordine ad successionem, poterit illam dare differentiam inter liberos Clericorum & Laicorum, quòd successio in bonis Clericorum dependeat à jure Canonico, ex quo semper fuit concubinatus graviter prohibitus: at verò successio in bonis laicorum dependeat à jure Civili, de quo jure concubinatus non fuit quidem approbatus, fuit tamen toleratus, & liberis inde natis certa successio adscripta; licèt autem hodie jus Canon. etiam in foro sæculari ratione peccati receptum sit, non tamen reperitur successio *naturalium* per aliquam legem sublata, correctiones verò & constitutiones pœnales recipiunt strictam interpretationem, *l. præcipimus. in fin. C. de appell. c. odia. de R. I. in 6.* habet tamen hæc responsio suam difficultatem, an non cessante causa toleratæ scil. concubinatus, hoc ipso cesset successionis effectus.

24 Cæterùm verò quod in *d. nov. 89. c. 15.* additur, filios *ex damnato coitu nec alendos esse à parentibus*, non censeo ita rigidè accipiendum, sicut solent communiter DD. accipere, quasi vera de Jure Civ. istis filiis nulla alimenta debeantur, sed tantùm de Jure Canon. *per c. cum haberet. de eo qui duxit.* Hoc enim fuisset indirectè parricidium talium liberorum concedere *l. necare. ff. de agnosc. lib.* quod à mente Christiani Imperatoris utique alienum fuit. Ideoque potius existimo, utrumque Jus hoc modo esse concordandum & declarandum, quòd præfatis liberis non debeantur alimenta secundùm statum parentum ut v. g. filius adulterinus, vel incestuosus aut alias damnatus comitis alatur ut comes, sed ut privatus juxta necessariam vitæ conservationem.

25 *Quær. VIII.* Quis *in bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis* Clerico succedat? ℞. Ecclesiam succedere exclusis consanguineis *tex. & DD. in c. 1. de success. ab inest.* nomine autem Ecclesiæ bona consignanda sunt successori qui illa cum aliis Ecclesiæ bonis in timore Dei dispensabit, in collegiis autem Clericorum & Canonicorum non successor in præbenda sed totum collegium succedit. *c. relatum. 12. de testam*, si defunctus plura habuerit beneficia in diversis Ecclesiis, inter ipsas Ecclesias juxta proportionem redituum perceptorum divisio facienda est. *d. c. relatum. vid. Joan. Han. in tit. de peculio clericorum. n. 14.* Consuetudine autem introduci posse, ut successio vel dispositio in bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis ad Episcopum vel alium Prælatum pertineat, probatur *ex c. fin. de off. ord. in 6.* In dubio præsumuntur bona *prospectu Ecclesiæ acquisita*, & heredibus extraneis incumbit onus probandi contrarium, *c. 1. de pecul. Cleric.*

26 *Quær. IX.* Quid sentiendum, de illa consuetudine, quòd reditus Ecclesiastici Parochorum sive ex testamento sive ab intestato ad consanguineos vel heredes extraneos passim & integrè transferantur? Non desunt pro & contra hanc consuetudinem multæ graves authoritates & rationes, quas refert Cov. *in d. c. 7. n. 23. & seqq.* Rem ita componunt Molina *de I. & I. disp. 147. n. 27.* & Azor. *inst. mor. p. 2. l. 7. c. 9. q. 1.* quòd per consuetudinem Clerici *validè* testari possint, sed non *licitè*.

Verùm ego considero substantiale requisitum consuetudinis (sine quo nullum effectum habet) esse, ut sit *rationabilis*, *c. fin. de consuet.* talem verò consuetudinem, qua sine peccato mortali ex sententia Azorii & Molinæ uti non licet, & per quam id quod ex sententia SS. Patrum & enixa constitutione Canonum pauperibus se Ecclesiæ debetur, ad profanas causas distribuatur, esse rationabilem, sanè mihi nemo persuaserit, & hinc non vana est vulgi opinio, vel experientia, quòd bona Clericorum apud Laicos heredes parum fructificent. Accedit, quòd experientia constet per talem consuetudinem non exiguum damnum inferri Ecclesiis, quando decedentibus Parochis omnia ad heredes devolvuntur, & interim Ecclesia vix sarta tecta, nedum debita ornamenta & novus parochus vix media se alendi habet; ut vel ex hoc capite prædicta consuetudo invalida videatur, *c. 1. de consuet. junct. c. cum in officiis.* ibi: *nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes. &c. de testam.* Quare illam valere

consuetudinem existimo, quæ approbatur in *c. relatum. 12. de testam.* ut Parochus possit aliqua de reditibus Ecclesiasticis in ultima voluntate relinquere piis locis, pauperibus, & qui sibi in vita aliquod servitii meritum exhibuerunt, sive deinde isti pauperes aut servientes sint consanguinei, sive extranei.

Sed quid ad præcipuum Adversariorum (defendentium ex consuetudine *validam* sed non *licitam* Clericorum dispositionem) argumentum respondebimus? Quòd nimirum Clerici sint *veri Domini* suorum redituum etiam superfluorum, ideoque sicut inter vivos saltem *validè* quamvis non *licitè* eos ad profanas causas alienare possunt sine restitutionis onere, ita etiam per testamentum; cùm ex multis instantiis appareat, plurima fieri *illicitè* non tamen *invalidè* &c.

Profectò si hoc argumentum accuratè expendatur, non est tam solidum, ut prima fronte videtur. Nam inprimis palam est, hic *incertum per incertum probari*. Si quidem hæc omnia apud DD. planè dubia & controversa sunt, an Clerici suorum redituum superfluorum ita habeant absolutum, simplex, & irrestrictum dominium, ut eos valeant validè & irrevocabiliter in alios profanos usus transferre, sine ullo restitutionis onere? Contrarium enim ab authoritate plurium Doctorum & rationibus gravibus pulchrè ostendit Paulus Laym. *in Theol. Mor. lib. 4. tr. 2. c. 3. n. 3. v. ad alteram quæstionem.* Nec est semper bona consequentia, hic est Dominus rei, ergo potest Dominium suum in alium transferre. Licet enim hoc procedat, ubi dominium est absolutum & liberum, non tamen ubi est certo modo restrictum modificatum & limitatum. v. g. si testator jubeat hæredem dare pauperibus 100. non assignata specie monetæ, heres erit debitor *generis*, & consequenter ante solutionem verissimus Dominus. Quid, si in alios quam pauperum usus omnes facultates hereditatis insumpserit, anne liberatus est ab obligatione solvendi pauperibus? Minimè: planè quod testator heredi, hoc Canones hoc Fundatores ex Canonum interpretatione beneficiatis injungunt. *c. quod autem. 23 q. 7. Trid. S. 25. d. ref. c. 1.* Similiter cui fideicommissum familiæ relictum est, in vita sua verus est Dominus, extra familiam tamen alienare non potest, &c. Unde rectè additur definitioni Dominii, quòd sit potestas liberè disponendi de re sua, *nisi jure prohibeatur*. Deinde etiam ex supposito Adversariorum non est difficile, inter actus inter vivos, & ultimas voluntates differentiam assignare. Nam dum Clericus superfluos reditus alienat inter vivos, ipse tunc & non alius habuit dominium: si verò disponat per testamentum, testamentum incipit valere post mortem, *ad Hebr. 9. l. 1. ff. qui testam. fac. l. 4. ff. de adim. Leg.* Post mortem autem non tantum Clericus non est amplius Dominus, sed *ipso Jure* bona ejus prospectu Ecclesiæ acquisita ad Ecclesiam devolvuntur, cui proinde per suam dispositionem præjudicare non potest, *Respondemus*, inquit Pontif. *in c. relatum. 12. de testam. quòd generaliter bona qualibet per Ecclesiam acquisita, ei debent juxta Later. Conc. post acquirentis obitum remanere.* Et infra: *Nec de jure in alios pro morientis arbitrio transferri* possint. Adde *c. cum in officiis. 7. de testam.* ibi in fine: *sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere.* Adde c. 1. & 3. *de peculio Cler.* Quo Jure ergo hæc bona ab Ecclesiis auferuntur & extraneis *validè* relinquuntur? Non sanè *Jure scripto*, quia universi Canones reclamant: anne *consuetudinario*? Ita, ajunt adversarii, *consuetudinario*. Sed doceant, quæso, me sic argumentantem: Consuetudo quæ non est *rationabilis* non valet contra Canones. *tex. clarus in c. fin. de consuet.* non enim consuetudo, sed *corruptela* est. At verò hæc consuetudo, ut Clerici ad profanas causas suo arbitrio testentur, non est *rationabilis*, ergo &c. minorem probo: consuetudo, quæ toties quoties exercetur invitat ad delinquendum, imo facit semper mortaliter peccare utentem illa, non est *rationabilis*, sed consuetudo, ut Clerici testentur ad profanas causas non potest exerceri *licitè* & sine peccato Clericorum, ergo est *irrationabilis* & *invalida*, ergo contra Canones nihil operatur. Major est lumine naturæ nota, quomodo enim potest esse *rationabile*, quod me conjicit in periculum, imò & damnum salutis æternæ. *tex. in d. c. fin.* ubi *ex periculo salutis* judicatur *corruptela. c. ex parte cum suo Summario de Consuet. c. fin. de præscript.* Minor est adversariorum Molinæ, Azorii, Lessii & aliorum, consequentia (salvo tamen meliori Judicio) est nostra. Ut nihil dicamus de damno Ecclesiarum, propter quod ipsum consuetudinem tanquam irrationabilem reprobantur *in c. 1. de Consuet.* quòd verò dicitur, multa in Jure esse *illicita*, sed non *invalida*, *c. ad Apostolicam. de Regular.* id verum est, si *illiciti* actus *valor* sustineatur à *Jure* aliquo *valido* omnium à justa Lege,

vel Canone, aut à justa, legitima & rationabili consuetudine, qualia in præsenti non est, ut ostensum.

Nihil quoque movere debet id, in quo contrariæ sententiæ DD. plurimùm se fundant, quòd nimirum S. Pontifex non contradicendo videatur tacitè approbare prædictum usum ad profanas causas testandi, quem vix potest ignorare, cùm in multis Orbis partibus practicetur. Præterquam enim quòd in novissimo Concil. Trid. *d. sess.* 25. *c.* 1. satis contradictum videatur, jam in ferè simili materia (videl. circa pluralitatem beneficiorum à multis sine legitimà dispensatione & scrupulo obtentam) declaravit Pont. quòd sua taciturnitas non approbet tales usus, qui non satis rationabiliter adversus SS. Canones inducuntur, *multa*, inquit, *per patientiam tolerantur, quæ cum in judicium deducta fuerint, exigente Justitia tolerari non debebunt. c. cum jam dudum.* 18. *ubi gl. in v. patientiam. De præb.* Demùm neque illud argumentum aliquid evincit, quòd S. Pontif. per privilegium concedat licentiam testandi Clericis ad profanas causas, quæ testatio si irrationabilis esset, non rectè per Pontificem concederetur. Multa namque in uno vel altero particulari casu rationabiliter conceduntur, quæ tamen universaliter concedi *rationabiliter* non possent, veluti si inter consanguineos in 2. vel 3. gradu ad Matrimonium, aut cum luscis, illegitimis, vel alio modo irregularibus ad SS. Ordines dispensetur. Unde illa etiam consuetudo præ cæteris tolerari potest, si Clerici antequam testentur, saltem licentiam Episcopi requirere debeant, ex cujus prudentia præsumitur necessitatibus communibus pauperum & Ecclesiarum satis provisum iri. Ita ut non aliter concedat testandi facultatem, quàm si viderit indemnitati Ecclesiæ satis consultum, eique aliqua saltem portio in tali testamento relinquatur. Videtur etiam pro hac nostra sententia Paul. Laym. *in Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 7.

Addo tamen finaliter, antequam hæc consuetudo authoritate superiorum declaretur invalida, posse heredes Clericorum in foro interno excusari ab authoritate extrinseca magni nominis Doctorum, qui hanc consuetudinem validam pronunciant.

Postremò dum de bonis Clericorum agimus non est omittendum singulare illud privilegium Clericorum, quòd propter debita incarcerari vel excommunicari nequeant, sed si de facto non habeant, unde solvant, satis est, quod caveant & promittant de solvendo, ubi ad pinguiorem fortunam devenerint, gaudentque beneficio *competentiæ*, ut nisque ad *sacrum & peram* executio contra eos fieri non possit, sed competat congrua sustentationis deductio, *tex. & Interpp. in c. Odoardus.* 3. *de solut.* Cui Privilegio, utpote toti Ordini Clericali concesso, ne quis in opprobrium ejus mendicare cogatur, Clericus renunciare non potest. *arg. c. si diligenti, de foro comp. Hen. Zoes. ad tit. Decret. de solut. n.* 5. Advertit autem Riccius *in praxi c. Odoardus. decis.* 268. *& seq.* quod Clericus negans debitum, & de eo per sententiam condemnatus, nec anteà illud agnoscens, vel qui dolo & sub spe *d. c. Odoardus.* debita & æs alienum contraxerit, non gaudeat prædicto privilegio, quod videtur admittendum saltem quoad illa media compulsoria, ne Clericus in tali casu contra incarcerationem vel censuram excipere non possit, quòd verò etiam propterea omnibus bonis exui possit, non est satis in Jure Canonico expressum, neque propter reverentiam Ordinis Clericalis facilè inducendum, cum factum & delictum cuique suum, non alteri, minus Ecclesiæ seu Ecclesiastico honori nocere debeat, *L. factum.* 155. *ff. de R. I. c. delictum. eod. tit. in* 6.

PARS V.

De Votis, Juramentis & Usuris tanquam materiis practicis Parochis scitu quoque utilissimis.

CAPUT I.

De Votis.

Votorum materia quotidie Parochis & Confessariis obvia est, angitque bonas animas, quare & hanc, utpote ad curam pastoralem plurimùm pertinentem inserere volui, opto ut ex voto sit.

§. I.

Quid sit Votum, quænam ejus requisita, & obligatio?

SUMMARIA.

1 *Votum quid, & quomodo differat a proposito.*
2 *Si dubitetur, fueritne votum vel propositum, præsumitur, non fuisse votum.*
3 *Votum aliud explicitum, aliud implicitum.*
4 *Voto obligatur, etiam qui non habuit animum servandi; secus, si se non obligandi.*
5 *Quanta deliberatio requiratur in voto; & quid, si dubitetur an fuerit sufficiens deliberatio.*
6 *Qualis error tollat obligationem Voti.*
7 *Difficultates novæ emergentes, vel non prævisæ cur potius tollant obligationem voti, quàm contractuum.*
8 *Votum debet fieri Deo, saltem mediatè, ut si fiat Sanctis.*
9 *Votum debet esse de meliori bono, & ibi an res indifferentes, vel res bona ob malum finem voveri possint?*
10 *An & quando valeat votum contrahendi matrimonium?*
11 *Voveri possunt etiam ea, quæ aliàs sunt de præcepto.*
12 *Quanta sit voti obligatio, & an detur parvitas materiæ.*
13 *Quamdiu executio voti differri possit, & an prævidens impedimentum teneatur prævenire.*
14 *Quid, si votum sit partim de re possibili, partim impossibili.*
15 *An votum possit per alium impleri.*
16 *Exponitur* tex. in c. quod super, de voto.
17 *Vota quatenus obligent successores. Alia Summaria invenies in §. seq.*

Votum communiter definitur quòd sit, *promissio deliberata Deo facta de meliori bono.* Dico primò: Votum esse *promissionem*, ut distinguatur a *proposito*, nam propositum concipitur sine actuali obligatione; unde qui propositum utcunque firmiter & efficaciter conceptum non servaverit, peccati propterea reus non erit, quia nulla se obligatione obstrinxit, *cap.* 3. *& ibi gloss. de voto, & voti red.* Contingit non rarò, ut homines dubii reddantur, anne *votum*, vel solum *propositum* conceperint? † In quo dubio poterit præsumi, non fuisse votum, quia *in dubio melior est conditio possidentis, cap. in pari de reg. jur. in* 6. fuit autem talis dubitans prius in possessione libertatis, qua eum non constat privatum esse. Item in dubio non est obligatio inducenda. *L. Arianus, de O. & A. Henr. Zoes. ad tit. Decret. de voto, num.* 50. *Suar. de voto lib.* 4. *cap.* 5. non obstat, quòd *in dubio tutior via sit tenenda*; quia hæc regula plerumque est tantùm de consilio, non de præcepto, nisi quis in dubio practico perseveraret, neque ad ejus depositionem se resolvere posset, tunc enim non liceret agere cum conscientia practicè dubia. Item in dubia irregularitate orta ex homicidio, quando factum scilicet homicidium, vel mutilatio, est certum, & tantum culpa incerta, ad quale scandalum & offensionem hominum evitandam jussit subinde Pontifex tutiorem viam, & abstinentiam ab Ordinibus eligi, *c. ad audientiam*, 3. *& cap. pen. de homicidio.* 1 2

Porrò hæc promissio aliquando est *implicita* & actui, quem quis agit *annexa*: ut si Clericus suscipiat SS. Ordines, quibus scit *votum castitatis* annexum esse, hoc ipso eandem promittere censetur, *cap. un. h. t. in* 6. quemadmodum de Jure Civili sunt *tacita pacta* juxta *L.* 2. *ff. de pactis*, & obligationes, quæ ipso facto contrahuntur, & ex *quasi contractu* appellantur, *toto tit. instit. de obligat. quæ ex quasi contractu.* 3

Sed quid, si aliquis promissionem quidem votivam faciat, non tamen animum habeat illud votum servandi? ex. gr. si habens domi concubinam, emittat votum castitatis, vel SS. Ordines Clericales suscipiat, anne tale votum valebit? Resp. affirmativè, quia obligatio voti est distincta ab executione voti, nec ab ea dependet, unde rectè obligatio sine executione consistere potest, prout sine dubio is, qui de facto votum non servat, nihilominus voto tenetur, Navar. *in man. c.* 12. *n.* 27. & in simili obligationem ad matrimonium B. Virg. cum S. Joseph fuisse sine intentione executionis superius *par.* 3. *c.* 5 *sect.* 2. *n.* 10. tradidimus.

Aliud verò dicendum, si quis non tantùm non habuerit animum non servandi votum, sed etiam non habuerit intentionem se obligandi, & verba merè extrinsecus protulerit, intrinsecè autem contrariam protestationem fecerit; talis enim voto non obligabitur, quia nulla est obligatio sine consensu tacito vel expresso, & si Clericus in 4

susce-

susceptione SS. Ordinum non habuerit intentionem vovendi castitatem, non obligabitur quidem ad cœlibatum ex voto, obligabitur tamen ex præcepto Ecclesiæ, interim graviter peccabit, quia decipit Ecclesiam, quæ non vult alicui sacrum Ordinem dari, nisi qui se castè victurum promiserit, *c. 1. dist. 7. & c. 1. dist. 28.*

Quòd si quis suscipiens SS. Ordines penitus ignoraverit obligationem voti esse annexam, non videtur voto adstrictus, quia ignorantia tollit voluntatem & consensum, nisi ut plerumque fit, habuerit generalem & implicitam intentionem se obligandi ad illa omnia, quæ conditio Ordinis requirit, quamvis in specie de voto castitatis nihil sciverit.

5 Dico secundò, votum esse *promissionem deliberatam*, ubi aliqui perfectam deliberationem & majorem, quàm ad peccatum mortale requirunt, ut Lessius *de voto*, *dubio* 1. *n.* 4. alij autem probabilius statuunt, eam deliberationem, quæ obligaret nos diabolo per peccatum mortale, sufficere ad obligandum nos Deo per votum, si scilicet plena advertentia accedat, ut vovens sibi præsens sit, & sine subitaneo motu vel animi passione judicium ac deliberationem perturbante advertat se vovere, *Gutierez Can. quæst. l. 2. c. 22. n. 7. arg. c. sunt qui opes 17. q. 4. & c. 2. h. t.*

Quid, si dubitetur, an adfuerit sufficiens deliberatio? Sunt, qui hoc & superiori casu *sub n.* 2. pari passu procedunt, censentque possessionem, & consequenter præsumptionem stare pro *libertate*. Tutius tamen videtur, ut hoc casu possessio & præsumptio pro voto asseratur. Nam quando certum cum incerto concurrit, possessio regulariter stat penes id, quod certum est, sicut in possessorio judicio, qui actus possessorios certos præsentes probat, præfertur illi, qui per petitorium disputat, tales actus non fuisse legitimos, usque dum reverà non legitimos fuisse demonstraverit. Atqui in ista hypothesi supponitur votum fuisse certò emissum, & tantùm dubitatur an cum sufficienti deliberatione, ergò possessio stat pro voto, in altero autem casu, constat, me prius fuisse liberum, & dubitatur de ipso voto, ergò possessio est penes libertatem. *Vid. Sanch. de matrim. l. 1. disp. 8. numer.* 10. *& Susan lib. 2. disput.* 41. *numer.* 31. *& seqq. Zoes. h. t. numer.* 29

Vota autem ex metu cadente in constantem virum emissa non obligant, cùm non sint promissio voluntaria & libera, dummodò metus sit injustus ab extrinseco, & ad finem eliciendi votum incussus, vel saltem votum pro medio evadendi concessum, veluti *in c. 1. De his quæ vi metusve.* dicitur, non valuisse professionem mulieris in Monasterio, quæ suspecta de adulterio à marito tradita fuit ministris occidenda, à quibus tamen dimissa erat sub conditione, ut Monasterium ingrederetur. Secus est, si metus tantùm proveniat ab intrinseco timore, vel ab extrinseco quidem, sed qui non sit ad eliciendum metum incussus. Unde non est dubitandum, quin valeant vota metu naufragij, latronum, vel infirmitatis emissa, *c. ex parte 9. de conversione conjug. Suar. 1. de voto cap. 7. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 29. num. 5.*

6 Circa errorem aut deceptionem, qui aliquando in votis intervenit, distinguitur inter vota *simplicia & solemnia*, simplicia enim cùm sola voluntate voventis sine actuali sui traditione constituantur, non tantùm expressas, sed etiam tacitas conditiones admittunt: ac proinde error in causa etiam merè impulsiva, aut circumstantijs solùm accidentalibus notabiliter tamen rei statum mutantibus obligationem voti tollere potest, si vovens ita constitutus sit, ut nonnisi in talibus circumstantijs se obligare intendat, v. g. si voveat peregrinationem, quam putat esse vicinam & facilem, aliàs non facturus tale votum, postea verò audiat esse remotam, difficilem & sumptuosam. Ita generalem regulam tradunt DD. Antonin. Ang. Sylv. Hostiens. Navar. & alij plures apud Sanch. *de Matrim. l. 10. disp. 9. n.* 25. quòd vovens non obligetur in eo eventu, quem excepisset, si tempore voti emissi cogitasset, tum quòd in talem eventum censeatur, se virtualiter noluisse obligare, tum quòd *in generali promissione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non promisisset, c. in generali de R. I. in 6. c. qui ad agendum de procur. in 6. clem. 2. eod. tit.* Quam quidem doctrinam tunc veram censet Sanch. *d. l. & n.* 26. si eventus ignoratus claudatur in virtute voluntatis vovendi, & non sub objecto promissionis, aut sit causa finalis, ut si quis voveat dare Paulo eleemosynam, quem ignorat locupletem: secùs verò, si includatur in virtute aliorum actuum vel habituum & claudatur sub objecto promissionis, aut sit causa merè impulsiva, v. g. non vovissem Paulo pauperi eleemosynam si scivissem fore, ebriosum &c. quia tamen pauper est, clauditur sub objecto promissionis scil. eleemosynæ, & ideò votum obligat. Verùm hæc limitatio, quæ ob nimiam subtilitatem, & plurimas difficultates ac scrupulos in singulis factis emersuros haud facilè poterit Confessarijs, nedum confitentibus ad clarum intellectum explicari, non videtur mihi necessaria, sed id potissimùm attendendum esse, an quis eventu ignorato præcognito vovisset, vel non; si non vovisset, deficit perfecta voluntas in talibus circumstantijs, sive jam ad objectum promissionis pertineant, sive non, & habet locum regula *d. c.* quòd *in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non fuisset concessurus, & verba accipienda sint secundùm verisimilem atque adeò etiam habitualem intentionem proferentis. c. 2. de appell.*

Non obstat quòd alij contractus non rescindantur ob difficultates posteà emergentes, quibus prævisis non fuissent initi, cùm aliàs nulla forent firma inter homines commercia, sicut argumentatur Sanch. *d. l. n.* 14. Lessius *de voto dub.* 1. *n.* 10. nam responderi potest, imprimis frequentissimas in jure esse rescissiones contractuum ob accidentia non prævisa, veluti si occultum rei emptæ vitium detegatur, si malus vicinus celatus fuerit &c. *h. t. de ædil. edict. & de act. empt.* si conductor ædium spectris vexetur, latrones timeat &c. *L. habitatores. ff. locat.* Deinde quidquid sit de contractibus, qui simpliciter acceptantur ab hominibus, atque ad firmanda commercia & minuendas lites non facilè solent leges concedere rescissionem, vel admittere exceptionem deficientis consensus, aliud tamen est in voto, quod cùm principaliter fiat Deo, qui voluntatem nostram & animi consensum perfectissimè cognoscit, non censetur acceptare, in illis circumstantijs, quas non prævidimus, & si prævidissemus consensum minimè daturi fuissemus. cessat etiam in votis minuendarum litium, & firmandorum commerciorum ratio, imò potiùs è contrario per nimium rigorosam, & scrupulosam simplicium votorum obligationem lites & anxietates in conscientijs generamus, & homines à meritorio movendi actu deterremus, *Laym. de voto, c. 3. n.* 4. nimis enim durum est dicere, quòd Deus me obliget ex mea voluntate (neque præceptum voti servandi aliter obligat, quàm ex voluntate humana præsupposita) in tali casu & circumstantia, ad quam ipse scit, quòd voluntas mea se non extenderit; huc referri potest, quod cum Joan. And. & Molina tradit Zoes. *h. t. nu.* 56. voventem abstinentiam vel jejunium diebus Veneris, non teneri, si Natalis Domini in diem Veneris incidat. 7

At verò *solemnia* vota cùm per actualem sui traditionem perficiantur, & regressio ex Monasterio post professionem emissam admodùm scandalosa sit, regulariter non irritantur ex errore vel deceptione; quia censetur professus se absolutè & simpliciter obligasse sine reservatione alicujus tacitæ conditionis, si hoc vel illud fuerit &c. prout exemplum ponitur *in c. ex parte. 14. de conversione conjugatorum.* ubi mulier post matrimonium ratum ingressa est Religionem, quia audivit maritum esse leprosum, respondet ibidem inter cætera summus Pontifex, quòd matrimonium fuerit dissolutum & valida professio, si qua facta sit, licèt fortassis causa, quæ ad ingressum movit, falsa extiterit. hinc est, quòd illa regula, *dolus dans causam contractui bonæ fidei facit contractum nullum*, desumpta *ex L. 7. ff. de dolo.* non procedit in illis contractibus, qui per actualem sui traditionem perficiuntur, ut in professione religiosa & matrimonio carnali, quorum annullatio propter scandalum non ita facilè admittenda est. nisi tamen error sit circa substantialia Religionis, v. g. si ideò aliquis certum Monasterium ingrediatur, quòd putet in eo licere habere proprium, aliàs nullo modo ingressurus. *vid. Sanch d. l. à n.* 18. *Laym. in Theol. moral. l. 4. tract. 4. c. 1. n.* 5.

Dico tertiò, votum esse *promissionem Deo factam*, si enim aliquis tantùm intendat se obligare homini non Deo, v. g. si quis promittat Confessario aut parentibus certum locum visitare, talis promissio votum non erit, nec per ejus transgressionem sacrilegium committetur. Non autem requiritur, ut votum immediatè Deo fiat, dummodò finaliter in Deum dirigatur, sic vota ad Sanctos, vel eorum imagines facta verum votum est, quia saltem mediatè Deo fieri censetur, quatenus id, quod petitur à Deo, per intercessionem Sanctorum impetrari speratur. *Syl. verbo votum. n.* 3. 8

Dico quartò, votum debere esse *de meliori bono*: quia si res *indifferens*, quæ moraliter nec bona nec mala sit, & multò magis si ex se vel leviter mala sit, voveatur, inutile votum erit: nisi tamen res indifferens bono aliquo fine cohonestetur onde licèt non obliget votum non jactandi certam domum, non gestandi gladium, valebit tamen, si propter evitationem forte periculi peccati fiat, vel si aliquis nimis affectus esset erga talem actum indifferentem, & ideò pro sui mortificatione voverit abstinentiam ab eo. 9

De il-

De illis votis difficultas est, an valeant, in quibus res bona quidem vovetur, sed ob finem malum v. g. si dux ad injustum bellum proficiscens votum faciat extruendi templum, si victor evaserit, vel usurarius voveat largam eleemosynam, si usuras integras à debitoribus perceperit. ℞. Talia vota ordinariè non valere, quia facere votum ad impetrandam à Deo rem illicitam, vel tanquam in gratiarum actionem, quòd res illicita quasi per Dei auxilium acquisita sit, est mala & blasphema operatio, quia Deo adscribit operationem peccati, quæ ipsi non congruit, nisi prædictæ conditiones quasi pro tempore exsolvendi voti simpliciter facti statuantur. v. g. quòd vovens velit templum ædificare, vel eleemosynam dare, postquam victoriam reportaverit, absque intentione mediante voto talem illicitum finem consequendi.

Alia est ratio, si quis rem bonam, jejunium v. g. aut eleemosynam voveri ad finem impetrandi à Deo rem temporalem licitam & honestam, vel in gratiarum actionem, quòd obtinuerit v. g. officium in aula, dives matrimonium &c. quia similia à Deo tanquam eorum authore petere, vel pro impetratis gratias agere, bonum & honestum est.

Præterea non sufficit, ut votum sit *de re bona* aliqua quæcunque, si per id præjudicetur *meliori bono*, unde regulariter
10 non valet votum contrahendi matrimonium, † quia per id impeditur continentia & ingressus in Religionem, bonum *melius*, & perfectius 1. *ad Cor.* 7. *Trid. f.* 24. *Can.* 10. propterea in definitione dictum est, votum esse *promissionem de meliori bono*. nam Deo non potest esse gratum & acceptum, quòd aliquis vovendo minus bonum, hoc ipso se obliget, quòd non velit amplecti majus bonum.

Dixi autem, votum matrimonij *regulariter* non valere, nam ab hac regula aliqui casus excipiuntur. Ut I. Si per matrimonium possit procurari bonum publicum, pax, Religio inter Magnates. II. Si fiat causa pietatis ad liberandam fœminam ex statu vel periculo peccati, quod liberanti proficiet in remissionem peccatorum, *c. inter opera* 20. *de sponf.* III. Si vovens ipse frequenti periculo peccati obnoxius sit, cui aliter quàm per matrimonium haud facilè mederi queat. Si tamen ex post speraret se cum Dei gratia continere, & v. g. Religionem ingredi posse, non obligaret votum in præjudicium status perfectioris. Sicut etiam in priori casu, volunt DD. votum non obligare cum exclusione Religionis, sed tantum conditionaliter, si aliquam ducturus est. *Zoes. h. t. nu.* 23. *Laym. d. l. c.* 2. *n.* 12. *Suar lib.* 2. *de vot. c.* 9. *n.* 23 Si quæras, cur potius juramentum de ineundo matrimonio alicui factum simpliciter obliget, *c. commissum* 16. *de sponf.* & non etiam votum? respondetur, votum fieri principaliter Deo, qui id non acceptat in præjudicium melioris boni, juramentum autem fieri homini cum divina solùm attestatione, qui id simpliciter acceptat, quatenus sibi inde jus & utilitas quæritur, interim etiam juramentum habere tacitam conditionem *nisi jurans maluerit Religionem ingredi*, communius sentiunt DD. ait tamen Pontif. *in d. c.* 16. tutius esse, priùs matrimonium contrahere, & posteà ingredi, sed id DD. explicant, si multum interesset sponsæ vel ob infamiam, vel lucrum antenuptialis donationis ex statuto &c. *vid. Sanch. de matrim. l.* 1. *disp.* 43. *n.* 6. *Zoes. ad tit. de sponsal. n.* 29.

11 Cæterum autem non tantùm ea, quæ *de Consilio Evangelico* sunt, voveri possunt, sed etiam ea, quæ sunt *de præcepto*. v. g. non blasphemare, non fornicari, &c. ut aliquis ex gravitate & duplicitate obligationis tantò magis à peccato absterreatur; nihil enim impedit aliquem circa eandem rem pluribus obligationibus teneri, veluti si rem alienam, quam ex jure divino & naturali restituere debeo, etiam per specialem promissionem me restituturum pollicear. Latiùs hæc prosequitur Less. *de voto. dubio* 7. *Laym. de voto. c.* 2. ulteriùs post explicatam voti definitionem circa ejus obligationem & executionem.

12 *Quær. I.* Quæ & quanta sit voti obligatio? ℞. De fide certum esse, quòd omne votum validè emissum ex virtute Religionis obliget ad præstandum id, quod voto promissum est, juxta illud *Deut.* 23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labijs tuis, observabis.* & illud Psal. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* estque transgressio voti peccatum ex genere suo mortale, quia violare fidem & promissionem Deo datam gravis culpa est; aliquando tamen ob parvitatem materiæ veniale esse potest, puta si ex materia voti aliqua pars subtrahatur, & votum pro majori parte impleatur. v. g. si vovens orare rosarium unum vel alterum *Ave Maria* omittat.

Quid, si tota materia voti sit parva v. g. si quis voverit singulis diebus orare unum *Ave Maria* & illud omittat? adhuc venialem tantùm culpam esse docet Lessius *de voto. dub.* 9. *n.* 58. & ita testatur *plerosque* sentire Recentiores. consulerent tamen pro tutiori, ne tale peccatum facilè in Confessione omittatur, quia aliqui graves DD. in diversa sunt opinione *Cajet. de jurament. q.* 49. *art.* 7. *Ang. v. votum. l.* 3. *q. ult.*

Deinde in foro etiam extrinseco Ecclesiastico ille, qui scitur votum fecisse, ad ejus observationem rectè compellitur, quia Ecclesia judicat de quovis peccato mortali, & præcavere debet, ne crimina committantur *c. novit de judicijs. c. quod super. in fine.* 7. *de fide instrum.* præsertim si Ecclesiæ vel alterius intersit, votum impleri, ut quia aliquis voto se obligavit Ecclesiam ædificare, pauperibus vel terræ sanctæ subvenire &c. *c. licèt.* 6. *h. t.*

Quær. II. Quamdiu executio voti differri possit? ℞. 13
Si certum tempus vovens ipse sibi determinaverit, illud sine peccato elabi non patietur: si præviderit impedimentum illo tempore futurum, tunc votum priùs exsolvere debet, neque elapso tempore, si votum non impleverit, hoc ipso liber erit, sed posteà implere debebit, nisi votum ob specialem Dei cultum ad hunc, & non alium diem determinatum sit. v. g. si quis in festo certi alicujus Sancti se jejunaturum promisit, & illo die non jejunavit, peccavit quidem, sed alio die jejunare non tenebitur. Imò tametsi præviderit impedimentum, non cogetur anticipare: quia tunc solùm anticipatio præviso impedimento est necessaria, quando obligatio est absoluta, & tempus tantùm dilatio executionis, secus verò si tempus sit quasi pars voti, & votum proprium diei unius. *Suar. de voto. lib.* 4. *c.* 14. *Zoes. h. t. n.* 54.

Quòd si nullum certum tempus vovens sibi prefixerit, debet votum exequi, quamprimùm commodè potest, juxta illud *Deut.* 23. *cùm votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*, quemadmodum etiam in alijs obligationibus ab eo, qui se sine certo tempore obligavit, res statim peti potest, quamprimùm debitor facultatem solvendi habuerit, *L. promissor.* §. 1. *ff. de constituta pecunia*, ita tamen ut juxta humanum modum & arbitrium boni viri hæc res accipiatur, neque enim qui fortassis peregrinationem vovit, cogetur diebus ac noctibus, vel omni tempestate & periculo & incommoditate contempta illam explere *arg. text. notab. in l. continuus.* 137. §. 2. *ff. de verb. obligat.*

Quær. III. Si Votum pro aliqua parte sit moraliter vel 14
physicè impossibile, utrum saltem obliget quo ad partem possibilem? ℞. Esse distinguendum, utrum materia voti sit *dividua*, vel *individua*, priori casu locum habebit *regula* 36. *Iuris. in* 6. quòd *utile non vitiatur per inutile*; adeòque si vovens votum implere secundum unam partem non possit, tenebitur secundùm eam, quam potest. Quare qui vovit se jejunaturum tota septimana, si singulis diebus id sine periculo facere non possit, tenebitur illis diebus, quibus potest. Item qui vovit, se Ecclesiæ donaturum 1000. florenos, si propter supervenientem paupertatem totam summam dare nequeat, tenebitur ad illam partem, quam dare potest salva congrua sua sustentatione. Illam tamen exceptionem hic addunt DD. nisi pars impossibilis sit *principalis*, & altera tantum *accessoria*, & non aliter quàm respectu illius principalia promissa. Unde qui vovit se peregrinaturum ad certam Ecclesiam, & ibidem oblationem facturum, si peregrinari non possit, non tenebitur oblationem eò mittere, juxta vulgatum, quòd *principale trahat ad se accessorium*, si tamen oblatio esset in magna quantitate promissa, tunc censeretur illa principaliter esse in obligatione, & peregrinatio tantùm accessoriè, ideòque peregrinatione impossibili illa oblatio transmittenda foret; nam pereunte accessorio non perit principale.

Altero autem casu, si materia voti sit *individua*, tunc una parte impossibili non tenebitur vovens possibilem implere. v. g. qui vovit templum ædificare, & propter supervenientem inopiam totum ædificare non potest, non tenebitur capellam ædificare. *Suarez de voto. lib.* 2. *c.* 2. Generaliter autem tota hæc quæstio potissimùm ex intentione voventis resolvenda est, an voluerit se ad omnes partes voti collectivè tantùm sumptas, vel etiam ad singulas divisim obligare. In dubio quando nec ex conjecturis constaret de intentione voventis, suaderem observationem partis possibilis, quia in dubio tutior via est tenenda saltem de consilio, sed multum renitenti non auderem imperare, quia in dubio non est facilè inducenda obligatio, *L. Arianus. de oblig. & act.* & votorum obligatio ex communi sententia non est amplianda, sed strictè accipienda, *arg. c. ex parte tua. Panorm. de censibus.* Item *in obscuris quod minimum est, sequamur regul.* 30. *juris in* 6. *Sanch. de matrim. lib.* 9. *Disp.* 35. *n.* 8.

Quær. III. An liceat votum per aliam personam implere, 15
vel an teneatur per aliam implere, qui per se ipsum non potest?

℞. I.

R. II. Votum *personale* vel etiam *mixtum*, (si nullum subsit impedimentum ex parte voventis, de quo infra) per ipsam personam voventem implendum est, nec per aliam impleri potest, quia illa tantùm & non alia obligata est: neque hic locum habet regula, quod *quis per alium facit, per se ipsum fecisse censetur*, prout eadem regula nec in aliis casibus obtinet, in quibus ipsius personæ obligatæ factum, ejusque industria maximè pro majori sui mortificatione promissa est. Votum autem *reale* aliquando per aliam personam impleri potest, ut si quis solvat pro me eleemosynam quam promisi dare pauperibus, quia tunc censetur mihi donasse pecuniam, & ita *brevi manu* illa eleemosyna de meo data esse, prout observat Sanchez, *lib. 4. moralium. c. 10. n. 10.*

R. III. Qui non potest votum *personale* v. g. jejunii aut orationis per se implere, non tenetur id implere per alium, quia actus non obligat ultra intentionem agentis, fuit enim intentio voventis, suam tantùm non alterius personam obligare, & quilibet vovet eo animo, ut velit se & non alium affligere. Illum tamen casum excipit Sanch. *d. lib. 4. c. 15. n. 9.* Si votum *personale* non tam intendatur pro sui afflictione, quàm pro utilitate alterius, v. g. si quis votum fecerit jejunii aut missæ dicendæ pro redemptione animarum in purgatorio, quæ sententia Sanch. videtur habere æquitatem, & propterea voventi consulenda, cùm finis voti tali casu etiam per alium obtineri possit, si tamen vovens non posset facilè habere alium per quem votum impleat, non foret cogendus, nisi fuisset ipsius intentio, implendi votum sive per se sive per alium, nam in dubio quilibet præsumitur se tantùm obligare voluisse.

16 Sed his opponi posset difficilis textus *c. quod super. 8. X. de voto.* ubi S. Pontif. decidit, quòd illi, qui fecerunt votum succurrendi terræ Sanctæ, si ob impedimentum perpetuum in propria persona ire, aut militare nequeant, teneantur expensas quas facturi fuissent transmittere, & votum per alios exequi. Hanc decisionem non esse ex natura hujus voti (utpote quod potius *personale* quàm reale sit) sed ex præsumpta mente voventis, qui in defectu suæ personæ ad expensas se obligasse censeatur, existimat Paul Leym. *d. L. c. 3. in fine. cum Palud. Nav. & aliis.* Verùm quia non est bene credibile, quòd S. Pontifex voluerit quæstionem voti, quæ immediatè conscientiam tangit, ex præsumptione, non habente locum in conscientia nisi veritas subsit, decidere, & verba in *d. c. 8.* ita simpliciter proferuntur, ut nulli suppositæ, vel præsumptioni inniti videantur: propterea magis puto, votum peregrinationis Hierosolymitanæ, quod non causa devotionis, sed in subsidium Terræ Sanctæ emissum est, accenseri votis *realibus* vel *mixtis* in quibus principale est id, quod est *reale*, idemque habere locum, quod dicetur in seqq. responsionibus. Nam tunc votum dicitur tale, quando in eo principaliter consideratur & intenditur utilitas Ecclesiæ vel piæ causæ, accessoriè autem devotio vel labor personæ, sed in promisso subsidio terræ sanctæ utique principaliter intenditur utilitas Ecclesiæ Catholicæ, accessoriè autem personæ labor, qui benè & forsan fructuosius poterit per substitutum impleri: ergo &c.

R. IV. Vota *realia* per alium implenda sunt, si per ipsum voventem impleri non possint, quia nihil interest, an ipse vovens an alius ejus nomine etiam de ipsius substantia eleemosynam expendat.

R. V. In votis *mixtis* quantum ad eorum realitatem quæstio dependet à præcedenti, an nimirum, si votum quo ad partem obligationis personalis sit impossibile, impleri debeat saltem quo ad obligationem rei, ubi proinde illa distinctio est adhibenda, quam ibidem tradidimus, an scilicet id, quod est reale voti v. g. peregrinatio, & in ea oblatio, fuerit accessoriè vel principaliter in obligatione, item an intentio voventis fuerit se ad singulas partes voti divisim obligare. *vid. Suar. de voto. lib. 2. c. 1. & 2. Laym. d. l. c. 2.*

17 *Quær. V.* An & quatenus vota defuncti obligent heredem? R. Rursus distinguendum esse inter vota, nam vota *realia* regulariter omnia ad heredem transeunt, & per eum expleri debent, quia sunt onus bonis defuncti annexum, quod consequenter in heredem transmittitur, *c. ex parte. de censibus.* Quamvis autem executio voti *realis*, quod defunctus fecit, ante omnia legata etiam pia fieri debeat, cum obliget animam defuncti, ante alia verò debita, quæ creditoribus defuncti ex justitia debentur, votum non est solvendum. Nam votum reale tantùm debetur ex *bonis* defuncti, non autem sunt *bona* nisi *deducto ære alieno*, quare si deductis debitis non remaneat tantum, ut eleemosyna vel donatio à defuncto per votum promissa possit ex toto impleri, sufficit si heres impleat & exequatur, in quantum vires hereditatis patiuntur, *Sanch. d. c. 15. n. 39.* Ita tamen ut nullam *Falcidiam* vel *Trebellianicam* detrahat, quia cum in legatis piis, ad quæ defunctus non fuit obligatus, non detur *Falcidiæ* detractio, *auth. similiter. C. ad L. Falcid. Cyriaq. De priv. pia causæ. priv. 26* multò minus dabitur sive ex Lege sive ex voluntate defuncti in voto, in quo defunctus propriam animam obligavit.

Vota *merè personalia*, ut jejunia, peregrinationes & similia heres regulariter implere non tenetur, quia jura & obligationes, quæ personæ defuncti in individuo cohærebant, non transeunt in heredem, nisi ultro se impleturum promisisset, vel sub hac conditione implendi votum heres institutus fuisset. *c. licet. 6. & ibi DD. h. t.*

Neque ea vota quæ nonnunquam faciunt communitates, oppida, vel civitates peregrinandi, jejunandi &c. in ratione voti & sub reatu sacrilegij obligant successores, sed potius ex pacto, consuetudine vel statuto, accedente approbatione expressa vel saltem tacita Episcopi, qui etiam ejusmodi leges vel consuetudines diœcesanorum ex causa abrogare potest. *vid. Sanch. d. c. 15. n. 19. Laym. d. c. 3. sub. n. 6. Suar. de voto. l. 4. c. 9. n. 10.*

In votis *mixtis* iterum attendendum est, an defunctus ita voverit, ut si id, quod fuit *personale* in voto non potuisset implere, saltem tenebatur implere id, quod fuit *reale*? vel an *personali* impossibili non teneebatur etiam ad *reale*? Priori casu heres tenebitur ad rem præstandam, non autem posteriori, *Suarez. d. l. 4. c. 11.*

§. II.

Qualiter Obligatio Voti tollatur.

SUMMARIA.

QUatuor modi sunt, quibus votum rectè & validè emissum tolli potest, ita ut amplius obligatorium non sit; primò si *materia voti deficiat*; Secundò *si à superiori irritetur*; Tertiò *si commutetur*; & Quartò *si voventi dispensatio concedatur*. 1

Materia voti deficit, quoties opus Deo promissum propter aliquas supervenientes circumstantias illicitum, aut etiam melioris boni impeditivum, vel omninò indifferens, adeòque non ampliùs Deo gratum, vel denique prorsus impossibile redditur, v. g. vovisti non intrare certam domum propter periculum peccandi evitandum, si ex postfacto periculum cesset, voto deobligaris; vovisti longiores peregrinationes, vel statum cœlibatus, aut Clericatus sæcularis, sed malles jam ingredi Religionem, non impedieris ab istis votis, quia omne votum potest mutari in votum Religionis, cum nullum votum obliget in præjudicium melioris & perfectioris boni. *c. 4. h. t.*

Potestas irritandi vota aliquando est *spiritualis*, aliquando *temporalis*, quatenus scilicet talia vota à voluntate superioris sive is spiritualis, sive temporalis sit, dependent. Est autem prænotandum, quòd ista dependentia à superioris voluntate sit in duplici differentia, una est per se & simpliciter dicta, in quantum voluntas voventis simpliciter & absolutè dependet à directione & voluntate superioris, qualis est voluntas Religiosi respectu sui Prælati, *c. si Religiosus. de electione. in 6.* Item filij impuberis respe-

ctu par-

cto patris, vel tutoris, *c. mulier* 32. q. 2. Altera dependentia est secundùm quid, & quasi per accidens, videlicet ratione materiæ, in qua alterius juri vel potestati præjudicatur, ut si servus, filiusfamilias, pubes, conjunx, Novitius aliquid voveat, quod sine præjudicio & damno domini, patris, mariti, aut Monasterij observari non possit.

4 Igitur in casu prioris dependentiæ datur superiori directa potestas votum subditi irritandi, & annullandi, licèt sibi aut potestati suæ damnosum non sit, quia voluntas inferioris effectum non habet, nec à Deo acceptatur, nisi in quantum confirmata vel tolerata est superioris authoritate, ut constat ex *lib. Num. c.* 30. licèt verò leges *judiciales* veteris testamenti post adventum Christi cessarint, ut sup. *c.* 1. *§.* 1. *nu.* 5. dictum, quatenus tamen sunt deobligatoriæ, & favorabiles conscientijs, rectè potest ex ijs divinæ voluntatis interpretatio, an votum acceptet vel non, desumi. & in *c.* 2. *causa* 20. *q.* 2. dicitur, *Monacho non licet votum vovere, & si voverit, frangendum erit.* Imò valebit talis irritatio, licèt sine justa causa fiat, quia etiam hoc casu deficit consensus superioris, sine quo votum durare non potest; peccabit tamen juxta probabiliorem opinionem superior saltem venialiter, si absque justa causa votum irritet, quia abutitur jure & potestate sua, impediendo promptitudinem subditi ad exhibendum Deo cultum per votum, *Lessius de voto. dub.* 10 *n.* 17.

Interim licèt Religiosus aliter quodcunque votum vovere non possit, nisi sub tacita conditione, si Abbas toleraverit, quoad licentiam tamen, seu consensum superioris petendum distinguendum est, an Religiosus votum fecerit in actione aliqua sibi licita & concessa, v. g. certas orationes privatim dicendi: vel an in actione quidem bona, Religioso tamen ex certa causa prohibita, v. g. peregrinandi extra Monasterium; priori casu non tenebitur petere licentiam Prælati, sed de facto obligabit votum, usque dum ab Abbate aliunde rescicente, vel per generalem prohibitionem in Capitulo irritetur. Altero autem casu obligabitur Religiosus ad petendam licentiam Abbatis, quia saltem ex voto tenetur facere quantum in se est.

Præterea communiter tradunt DD. quòd pater vel tutor possit irritare vota liberorum in impubertate facta etiam postquam illi ad pubertatem pervenerunt, nisi post pubertatem talia vota nova voluntate confirmarint. Ratio est, quòd parentibus atque tutoribus (quo nomine in defectu patris venit etiam avus paternus, vel in defectu ascendentium masculini generis etiam mater, cùm ad eam quoque jure naturali cura filij impuberis spectet) detur simpliciter potestas vota in impubertate facta irritandi, ac in similibus attendatur primordialis natura obligationis & qualitas agentis, dum actum fecit. Quemadmodum in *c. ult. de sententia excom.* percussio Clerici facta à puero impubere absolvi potest ab Episcopo etiam post ejus impubertatem, *Navar. man. c.* 12 *n.* 71. *Sanch. l.* 4. *Moral. c.* 30. *n.* 14. *Laym. d. l. c.* 7. *n.* 11 Tradit etiam Sanch. *de Matr. l.* 9. *disp.* 41. quòd vota uxoris, quæ tempore prioris matrimonij poterat vir, vel, si tunc erat impubes & innupta, pater aut tutor irritare, possit etiam succedens maritus, utpote qui etiam in locum patris & tutoris succedat idemque judicium sit de alio quovis superiore succedente in officio, ut possit irritare vota sub suo antecessore emissa, tametsi vota fuerint de licentia prioris mariti vel superioris emissa. quia per hunc non potuit præjudicari successori pari potestate functum *c. innotuit. de elect.* ita tamen ut hoc casu fiat irritatio ex justa causa. & hæc quoad casum primæ dependentiæ voventis ab ipso superiore

In altero autem casu, quando tantùm per accidens, & ratione materiæ voventis voluntas dependet à superiore, votum aliter superior irritare non potest sui inferioris, quàm quatenus id sibi, vel rei suæ damnosum est. † Unde si v. g. uxor longam peregrinationem, jejunium, aut eleemosynam de bonis dotalibus voveat, non valebit votum, nisi sub tacita conditione, si vir permiserit, Imò licèt maritus semel assensum dederit, & uxori executionem voti sui aliquamdiu permiserit, nihilominus ex post facto sententiam mutare & votum irritare potest *c. manifestum.* 33. *q.* 5. eadem est ratio de filiosfamilias, si post pubertatem aliquid voveat, quod in detrimentum vel incommodum patris cedat, v. g. sumptuosam peregrinationem, abstinentiam à carnibus, eleemosynas ex bonis patris &c. secus autem est, si uxor voverit se donationem facturam Ecclesiæ de bonis suis *receptitiis*, aut filiosfamilias de *bonis Castrensibus*, in talibus enim bonis non fit præjudicium marito, vel patri, cùm pleno jure spectent ad voventem, & consequenter votum circa ea irritari non potest *DD. mox citati*, & hæc sententia quoad uxorem tanquam tutior suaderi potest.

Interim valde probabile est, quod docet Sanch. *De matrim. lib.* 9. *disp.* 39. *num.* 4. *& seqq.* uxorem subdi marito non tantum quoad Materiam voti, sed etiam quoad voluntatem, vir enim Caput est mulieris, ad Ephes. 5. & Mulier est sub viri potestate. Can. 3. videturque Deus ea de causa mulieris voluntatem subdidisse viro, quia Mulier est levis, imprudens, & facilis in emittendis votis, ideòque posse maritum omnia vota uxoris etiam continentiæ, non petendi debitum, &c. sicut pater filii impuberis irritare, ita enim hæc potestas Marito num. 30. simpliciter conceditur, & confirmant dicta SS. PP. *in cap. noluit*, *& cap. fin.* 33. *quæst.* 5. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art* 8. *ad* 3. ibi: *nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu prælati; nec uxoris, nisi sit de consensu viri.* Imò ulterius petat Sanch *dict. leg. num.* 16. quod maritus possit irritare vota uxoris constante matrimonio emissa, sed collata in tempus dissoluti matrimonii: Quia tempore emissi voti voluntas voventis subdita est marito. *Et eodem lib.* 9. *disp.* 40. *num.* 4. *& seqq.* quòd Maritus possit irritare vota uxoris, etiam de sua licentia emissa, quamvis peccat irritando sine causa. Divortio tamen facto ex causa adulterii nulla potestas irritandi est. *d. disp.* 39. *num.* 8.

Sed an etiam contra uxor aliquos vota mariti irritare valebit? Resp. Affirmativè, in quantum ea uxori in jure suo conjugali, quod habet in corpus mariti, vel in bonis suis præjudicant, ut si maritus voveat longam peregrinationem, & diuturnam absentiam, donationem ex bonis dotalibus, & similia, *Sanch. d. l.* 9. *disp.* 42. 7

Uno tamen casu jura propter publicam necessitatem Christiani populi derogarunt potestati uxoris, quatenus scilicet maritus præter uxoris assensum possit liberè vovere peregrinationem Hierosolymitanam pro terræ sanctæ redemptione, si nimirum in ea qualitate sit, ut vel ipse militare, vel milites secum ducere, aut suo consilio militantibus adesse possit, *cap. ex multa* 9. *§. penultimo h. t.* similiter juri mariti vel uxoris derogatum est in voto religionis ante matrimonium consummatum, *t. de convers. Conjug.* Item prælato in voto religiosi ad strictiorem ordinem transituri, *cap. licet de regular. Sanch. d. disp.* 39. *n.* 19.

Demùm hic quæritur, an reviviscat votum semel irritatum, postquam per mortem mariti, vel patris subjectio cessavit? In hac quæstione satis conveniunt DD. primò, quod votum Religiosi, vel impuberis a Prælato vel patre irritatum semper irritatum maneat, quia isti habent simplicem, & directam irritandi potestatem. Secundò, quòd votum à muliere factum, antequam in matrimonium transivit, vel a servo antequam in potestatem Domini venit, possit quidem à marito vel domino interim irritari, quatenus sibi præjudicat, postquam verò conjugium vel potestas dominica cessavit, votum incipiat, ut prius obligare, quia non fuit simpliciter irritatum, sed tantùm respectu dictæ potestatis, cui præjudicavit. Sed in tertio dissentiunt, an scilicet votum, quod uxor constante matrimonio, vel filius jam pubes, dum adhuc in potestate patris erat, emisit, atque irritatum fuit, obliget iterum, postquam matrimonium aut patria potestas soluta est. Affirmativa sententia tutior est, dummodo votum fuerit in omne vitæ tempus conceptum, & non præcisè ad statum conjugii, vel certos annos, qui jam elapsi sunt, restrictum, ut si uxor voverit se tota vita aliquot diebus in hebdomade jejunaturam &c. Ratio est eadem, quæ in præcedenti articulo, quòd scilicet irritatio voti constante matrimonio facta non fuerit simplex, & totaliter tollens obligationem voti, sed solum in quantum præjudicavit, Innocent. *in Scripturæ h. t.* Lessius *de voto dubio* 10. *n.* 86. 8

Quia tamen etiam pro contrario sunt non pauci DD. cum Panorm. *in d. c. Scripturæ*, *& c. quidam de convers. conjug.* Sanch. *d. l.* 9. *disp.* 39. *n.* 36. ideò fortassis Episcopus in tali voto ad cautelam dispensare poterit, nam quando est dubium, an res egeat dispensatione, posse Episcopum dispensare, vel declarare, quòd non sit opus dispensatione, tradit Garc. *de benef. par.* 7. *c.* 2. *n* 10.

Per *commutationem* tollitur obligatio voti, si id, quod ante erat promissum in aliud opus bonum, & Deo gratum commutetur, ad hanc *commutationem* duo principaliter requiruntur, scilicet *causa*, *& superioris authoritas:* causa est vel difficultatis, vel utilitatis; *difficultatis*, si propter paupertatem, debilitatem corporis, periculum frequentis omissionis, aliasve circumstantias difficilis sit voti executio, imò levior etiam difficultas sufficit, si votum in pue- 9

sili

vili ætate ex facilitate potiùs quàm arbitrio discretionis emissum sit, *cap. 2. h. t.* Causa verò *utilitatis* est, si vovens pro opere Deo promisso, aliud Ecclesiæ utilius, & Deo gratius præstare paratus sit, quamvis autem authoritas superioris non requiratur, si opus in quod votum commutatur, manifestè Deo gratius sit, ut si vovens vellet Religionem ingredi *c. 4. h. t.* vel si voverit, se daturum Ecclesiæ certæ, & deinde velit dare pauperiori, & magis indigenti; quia in similibus casibus non tam violatur votum, quàm auctius, & plenius redditur; si tamen dubium sit, quodnam opus omnibus consideratis melius & Deo acceptius habendum, tunc authorites & arbitrium superioris omnino intervenire debet, *c. t. & ibi DD. h. t.*

Porrò nomine superioris non solùm venit Sanctus Pontifex, sed etiam inferiores Prælati jurisdictionem Episcopalem habentes. Ipsi quoque aliquando Confessarii, vel ex Jubilæo, vel aliunde privilegium commutandi vota obtinent.

Est tamen in *commutatione* observandum ut opus illud, in quod fit commutatio, moraliter, & arbitrio prudentis viri aliquo modo æquivaleat rei per votum promissæ. Interim nihil obstabit, quin votum reale commutari possit in personale, vel è contrà, licèt plerumque convenientius sit, ut reale, vel etiam personale in reale commutetur, quia ordinariè onera realia etiam charitatem erga proximum, vel utilitatem Ecclesiæ concomitantem habent, nisi personale fuerit corporis afflictivum, & certis peccatis resistens, quod proinde expedit, ut in aliud simile quod vovens perficere possit, convertatur, v. g. jejunium in orationes quotidianas &c. In specie autem de commutatione votorum, quæ à Confessarijs fit tempore Jubilei & qualiter singula vota commutanda sint, valde utiliter legi poterit R. P. Gobat, *de duplici Jubilæo.*

Denique per *dispensationem* extinguitur votum, si subexistente causa ejus obligationem Pontifex vel alius Prælatus etiam inferior Jurisdictionem Episcopalem, aut speciale privilegium habens remittat, causæ autem dispensandi censentur, si votum ex minori deliberatione, ut in ira, metu, ætate puerili, vel aliqua animi perturbatione non tamen auferente prorsus mentis Judicium emissum sit, ut deinde difficulter observari possit; aut si aliqua magna, & publica utilitas per dispensationem obtinenda speretur, veluti si unicus heres alicujus Principatus vel insignis familiæ votum castitatis fecerit &c. & hæc dispensatio plerumque necessaria est in votis majoribus, quæ propter dignitatem materiæ non recipiunt aliquam æquivalentem commutationem; in minoribus autem magis commutatio, quàm dispensatio locum habet, quia obligatio Deo facta debet omni meliori, quo potest, modo impleri, unde & in ipsa dispensatione circa vota minora aliquod saltem opus bonum voventi loco voti peragendum injungitur.

Porrò in votis dispensare non tantùm potest S. Pontifex, sed etiam inferiores Prælati Jurisdictionem Episcopalem habentes, videlicet Legatus Pontificis in Provincia suæ Legationis; Episcopus in sua Diœcesi; Capitulum sede vacante, Prælatus exemptus cum suis subditis, Archiepiscopus cum subditis suorum suffraganeorum, non quidem semper, & ubique, sed si quis per appellationem adeatur denegata dispensatione à suffraganeo, vel dum actu Provinciam visitat, quia extra appellationem & visitationem Archiepiscopus in subditos suffraganeorum regulariter Jurisdictionem non habet, *Venerabilibus. 7. de sententia excom. in 6. c. fin. de censibus in 6.*

11 Sunt autem *quinque vota* specialiter *reservata*, in quibus nemo præter S. Pontificem, vel cui is ex singulari privilegio concessit, dispensare potest nimirum 1. votum *perpetuæ castitatis*. 2. votum *ingrediendæ religionis*. 3. votum *peregrinandi Romam*, seu ad limina Apostolorum. 4. *peregrinandi Hierosolymam*, & 5. *peregrinandi ad S. Jacobum Compostellam Extrav. etsi dominici. fin. de pœnit. & remiss. inter com.*

Verum cum hujusmodi reservatio à communi jure exorbitet, & Episcoporum potestati deroget, odiosæ & strictè interpretationis censetur, ac propterea non extenditur ad alia vota, quæ licèt habeant cum istis aliquam similitudinem, non tamen sunt omninò, ac in specie eadem. Quare non erit reservatum votum *castitatem* servandi non perpetuò, sed tantùm ad certos annos, nec votum non petendi debitum conjugale, vel non nubendi, aut non fornicandi, nec votum suscipiendi Ordines Clericales, nec votum conditionatum (puta, si convaluero ex morbo ingrediar Religionem) ante conditionis eventum. Votum ingrediendi Religionem strictiorem, ut liceat ingredi minus strictam, vel permanere in minus stricte. Votum pœnale v. g. si fornicatus fuero, voveo me iturum Romam, etiam post pœnam commissam DD. mox citandi probabiliter non reservatum ajunt, quòd non habeat naturam aliorum votorum, quæ simpliciter & directè fiunt ex affectu erga rem promissam & ob cultum divinum, sed hoc fiat directè ob aversionem & detestationem peccati.

Votum quoque peregrinationis Hierosolymitanæ nonnulli tantùm eo casu reservatum putant, quo factum est intentione subveniendi terræ sanctæ contra hostes Christiani nominis, *arg. text. & Gloss. in c. ex multa. h. t.*

Denique in votis reservatis dispensare potest Episcopus, quando est impedimentum adeundi S. Pontificem, & est necessitas accelerandi dispensationem, id, quod plerumque in voto castitatis contingit, postquam matrimonium jam contra votum contractum est, propter periculum quotidianæ incontinentiæ. In votis autem peregrinationum impedimentum frequentius solet esse tantum temporale, ut propterea potiùs dilationem quàm dispensationem requirant.

Sed & tunc Episcopo dispensationem concedunt, si subsit dubium juris aut facti, an votum in talibus circumstantiis obligatorium sit. Item si votum reservatum priùs S. Pontifex in aliud opus commutarit, tunc Episcopus ex nova causa denuò aliam commutationem facere poterit, neque enim aliud opus in quod commutatio facta est censebitur reservatum ex regula juris, quòd *surrogatum sapiat naturam ejus in cujus locum surrogatur*, quia procedit circa substantialia surrogati, ut circa obligationem, non autem circa accidentalia, si ea sint strictæ interpretationis & non extendenda, sicuti est reservatio, *vid. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 9. & seq. Less. lib. 2. c. 40. dub. 13. Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 8. & seqq. Suar. d. L. 6. c. 20.*

Sed inquies, quomodo Pontifex vel Episcopus potest dispensare in voto, cùm tamen votum obliget ex Jure divino, 12
in quo dispensatio non conceditur. ℟. Jus divinum aliquando obligare omnes per se sine omni præsupposita voluntate humana, ut in præceptis Decalogi & similibus, ac in his verum est dicere, quòd dispensare non liceat; aliquando autem obligat Jus divinum ex præsupposita obligatione humanæ voluntatis, & quàm diu ista durat, ut in votis & juramentis; igitur si ista obligatio humana per irritationem, commutationem, aut dispensationem tollatur, cessabit etiam obligatio Juris divini, quæ obligationi humanæ voluntatis tanquam fundamento innititur, quia non aliter obligat votum ex Jure divino, quàm quatenus valet & durat, *vid. Sanch. de matr. lib. 8. d. 6.*

Demùm vulgaris est controversia, an summus Pontifex 13
possit in votis solemnibus dispensare, adeoque efficere, ut Religiosus professus possit rursus ad sæculum redire? Rationem dubitandi facit tex. *in c. cum ad Monasterium. in fine de statu Monachorum* ubi dicitur, quòd *abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis ita sint regulæ Monachali annexæ, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Nihilominus apud Recentiores & DD. cc. communius receptum est, posse summum Pontificem etiam in votis solemnibus dispensare, quia solemnitas votorum est tantùm Juris positivi, *tex. in c. unic. h. t. in 6.* ergò si Pontifex tollat solemnitatem, quæ est juris positivi consentiente maximè Religione, & remittente Jus suum, quod habet in Religiosum, manet tantùm votum *simplex*, in voto autem *simplici*, quin Pontifex dispensare possit, nemo facilè dubitaverit, ad text. *in d. c. cum ad Monasterium*, communis, & vera est responsio, quod loquatur in *sensu composito*, quòd scilicet non possit dispensari in votis solemnibus cum Religioso, ut maneat Religiosus, quia per talem dispensationem cessarent substantialia Religionis, non autem loquatur ibidem Pontifex *in sensu diviso*, & quòd status Religionis totaliter ab aliquo tolli non possit.

CAPUT II.

De Juramentis.

Votis affinia sunt *Juramenta*, placuit proptereà etiam de his breviter aliqua annectere, omissis tamen illis juramentis, quæ in judiciali processu usitata sunt, & parum ad præsens institutum faciunt.

SUMMARIA.

1 *Juramentum quid, & quibus modis aut verbis fiat.*
2 *An licitum sit jurare.*

3 At-

3 *Attestatio sub fide sacerdotali, nobili &c. an sit juramentum.*
4 *Juramentum debet habere 3. Comites, nimirum*
5 *Veritatem.*
6 *Judicium.*
7 *Justitiam.*
8 *Juramentum contra jus quando validum.*
9 *Juramentum assertorium non est necessariò de re honesta, & quando in eo committatur injustitia.*
10 *Juramentum rei indifferentis non obligat.*
11 *Pacta invalida an, & quando juramento confirmentur.*
12 *Juramenti obligatio qualiter relaxetur.*
13 *Juramentum regulatur secundùm naturam actus, cui adjicitur, idque pluribus explicatur.*
14 *Actus aliàs validus, non invalidatur, si fiat contra juramentum.*
15 *Qui juravit se soluturum, an possit compensare.*
16 *De restrictione mentis, remissivè.*

1 JUramentum rectè definitur, quòd sit *invocatio divini testimonii ad fidem dictis faciendam, vel promissionem firmandam.* Fit autem hæc invocatio non tantùm per verba *contestatoria*, seu simpliciter *invocatoria*, ut *testis est mihi Deus; quàm verè Deus vivit!* sed etiam per verba *exetratoria*, v. g. *Deus me puniat; sic me Deus adjuvet:* & similia, nam parùm interest, quomodo petatur, ut Deus testimonium suum declaret, *Suarez de Religione. cap. 12. n. 8.* Neque tamen requiritur, quòd aliquis explicitè Deum in testem adducat, sed ad valorem juramenti sufficiet, si etiam implicitè id fiat, ut si quis juret *per animam suam*, quia continet implicitam execrationem, ut Deus animam puniat, nisi verum sit, quod dicitur. Similiter si aliquis simpliciter dicat, *juro*, vel *per meum juramentum* affirmo, tacitè Deum in testem vocare videtur. Quia hoc ipsum nomen & natura juramenti importat. Ubi tamen bene monet Suarez *cit. lib. 1. c. 13. n. 4.* cùm hoc verbum *juro* in morali acceptione sit indifferens ad verum vel fictum juramentum, & plerumque qui talia verba profert, necdum intentionem habeat actu jurandi, sed tantum paratum se esse demonstret ad jurandum, ideò attendendas esse circumstantias, ex quibus desumi possit, quo sensu illa verba prolata sint, & sufficienter censeantur actu juratoria, si per antecedentem sermonem juramentum petitum sit, vel si negotium, quod tractatur, juramentum postulet.

Item non solùm *verbis* sed & *signis* juramentum præstatur; quod quidem satis certum est circa eos, qui loqui non possunt, verùm etiam probabilius affirmatur circa eos, qui loqui possunt cum Cov. *de pactis in princ. n. 6.* dummodò talia signa sint, quæ in communi acceptione declarent animum jurandi, ut si ab aliquo petatur juramentum, & is secundùm consuetudinem loci capite annuat, digitos erigat vel librum Evangeliorum tangat. Ita quoque si à subditis homagium seu juramentum fidelitatis & obedientiæ exigatur, usu receptum est, ut singuli per manus porrectionem se id præstare ostendant.

2 Quærunt DD. an licitum sit jurare? cùm Christus *Matth. 5.* expressè dixerit: *Nolite jurare, sed sit sermo vester, est est, non non, quod autem his abundantius est, à malo est.* Declarat tamen S. Pontif. *in c. etsi Christus de jurejur.* jurare ex se non esse rem illicitam, cùm & apud Sanctos verba juratoria reperiantur, ut *2. ad Cor. 1.* dicit Paulus; *Testem Deum invoco in animam meam*, ad Rom. 1. *Testis mihi est Deus &c.* dictum autem Christi intelligitur de juramento sine necessitate, aut rationabili causa præstito.

3 Quærunt præterea, an juramentum censeri debeat, si quis *per fidem suam*, aut *honorem sacerdotalem*, aut *nobilitatis* aliquid affirmet, vel promittat? Hujusmodi *interpositam fidem* habere vim juramenti tenuerunt Felinus & Abbas in *c. querelam X. de jurejur. arg. c. ad aures. de his, quæ vi metuve causa fiunt.* Ubi habetur, quòd renunciatio electionis ob Laicorum terrorem facta irrita censeri debeat, nisi *juramento vel fide interposita* confirmata sit, & in *c. pervenit. de fidejussoribus*, æquè puniuntur Clerici, qui promissionem sub Religione *fidei*, quàm *juramenti*, violarunt. Sed dicendum est, cum Lessio *de Justitia & Jure. lib. 2. c. 42 n. 4.* Cov. *de pactis. parte 1. §. 2. n. 2.* prædicta verba non continere juramentum propriè dictum, quia per illa Deus non vocatur in testimonium, sed proferens tantum indicat, se omninò deliberatum, ac memorem *fidei*, conscientiæ, & status sui loqui.

Quòd si tamen aliquis *per fidem Christianam vel Catholicam*, aut *per Evangelium* rem promitteret, vel affirmaret, pro jurante haberi deberet, quia conferetur *auctorem fidei* in testem statuere, *Lessius. & Covar. cit. locis.* Interim, sicut ex DD. pro contraria sententia *citatis* satis apparet, talis *interpositio fidei*, quam faciunt Ecclesiastici sub suo honore sacerdotali, aut Religionis, item personæ illustres sub honore suæ dignitatis in foro externo juramenti loco acceptatur, maximè in causis minoribus, in quibus non decet Ecclesiasticos facilè jurare, *c. si quis presbyter. 2. q. 4. videatur Gail. lib. 2. Obser. 59. Mynsing. cent. 1. Obser. 17.*

Porrò juramentum ut sit licitum & obligatorium debet habere *tres comites*, nimirum *Veritatem*, *Judicium*, atque *Justitiam*, *c. animadvertendum. 22. q. 2.* † Quod ad *Veritatem* attinet, illa utique in omni juramento subesse debet, ne Deus in falsitatis testem invocetur, & quidem in juramento *promissorio* duplex veritas interveniat, necesse est, una intentionis seu *veritas dicti*, & altera executionis, seu *veritas facti*, etenim perjurium committitur non tantùm, si non serves, quod promittis, sed etiam, si ab initio servandi intentionem non habueris, quamvis ex postfacto serves; quia ejus rei, quæ secundùm tuam intentionem falsa fuit, Deum testem adduxisti. † *Judicium* quoque in jurando requiritur, id est, debita advertentia & deliberatio. Unde fortassis nonnunquam à perjurio excusantur qui malam consuetudinem jurandi habent, & quandoque præcipitanter aliquid falsum sub juramento affirmant. Pueri etiam ante annos discretionis ex defectu judicii validum præstare juramentum nequeunt, post annos autem discretionis validum quidem juramentum præstare possunt, *arg. c. 1. de delict. puer.* in judicio tamen propter solennitatem judiciorum ante annos pubertatis ad juramentum adigendi non sunt, *c. pueri. 22 q. 5.* 4 5 6

Justitia denique juramentum comitari debet, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, *cap. quanto. 18. de jurejur.* Unde inprimis quotiescunque aliquid sub juramento promittitur, quod intrinsecè malum est, & sine peccato fieri nequit, non obligat juramentum, v. g. si quis juret ulcisci injuriam, vel occidere hominem. Idem est, si abjuretur aliquod bonum vel virtuosum, sicut exemplum ponitur *in c. cum quidam. 12. §. illi verò. de jurejur.* de illis qui jurarunt non loqui parentibus, fratribus vel sororibus, aut eis humanitatis subsidium exhibere, qua de causa etiam juramentum de non mutando vel fide jubendo tanquam repugnans charitati proximo debitæ non esse obligatorium, docet Abbas *in c. si verò. n. 5. jam d. t.* 7

Imò si juramentum ab initio fuerit injustum, non convalescet, tametsi ex postfacto causa iniquitatis cesset, v. g. si quis stantibus primis sponsalibus juraverit aliam ducere, non tenebitur hoc juramento, licèt prior sponsa moriatur, juxta *Reg. 18. jur. in 6. non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, *Sanch. de matrim l. 1. disp. 50. n. 6.*

Præterea ex defectu justitiæ non obligat juramentum factum contra Jus publicum, quod ad publicam utilitatem principaliter introductum est, v. g. si judex juret, crimen etiam manifestum sine accusatore non punire, *c. ad nostram. 21. d. 1.* vel Clericus juret, quòd coram Judice laico litigare velit, *c. si diligenti. 14. de foro compet.* si enim non obligat juramentum in præjudicium tertii privati, ut mox dicemus, multò minus obligabit in præjudicium Reipublicæ. Notanter autem dico si Jus publicum directè tendat ad utilitatem publicam; si enim directè respiciat utilitatem privatorum, & tantùm in consequentiam publicam, valebit juramentum in contrarium præstitum, sic pro utilitate mulierum constitutum est, dotes suas alienari non posse, etiamsi ipsæ consentiant, servandum tamen erit juramentum, si mulieres juraverint, non revocare alienationem rei dotalis, *c. cum contingat. 28. de jurejur.* Item quamvis futuræ hereditati renuntiari non possit, valebit tamen renunciatio, quia filia accepta dote hereditati paternæ sub juramento renunciat, *c. … de pactis. in 6.* quia regulariter omne juramentum, quod sine dispendio salutis servari potest, servandum est, *d. c. cùm contingat.* Hinc etiam, qui juramento promisit usuras solvere, debet servare suum juramentum, quia verò alter sine peccato accipere non potest, ideò solvens post impletum juramentum eas denuò repetere valebit, *c. debitores. 6. d. t. videatur Zoes. eod. tit. n. 53.* 8

Tandem ad *Justitiam* juramenti requiritur, ne sit in præjudicium tertii, nam res inter alios acta aliis obesse non debet, ita invalidè jurat Prælatus, quòd non velit repetere bona Ecclesiæ ablata, vel quodcunque aliud contra utilitatem Ecclesiæ facere. *c. 2. & c. sicut d. t.* Sed hæc, quæ de *Justitia* juramenti dicuntur, in juramento *promissorio* locum habent; in juramento autem *assertorio* non est necessarium, ut materia sit honesta & justa, neque per se indecens est, adferre Deum in testem facti turpis, si ita publica utilitas vel 9

magna

magna causa requirat, sicut testes super adulterio aut homicidio producti licitè jurant, quamvis de re turpi testimonium præbeant. Observat tamen Suar. *de Religione tom. 2. tract. de juramento lib. 2. c. 3. n. 6.* etiam in juramento *assertorio* posse *injustitiam* committi, illudque fieri illicitum, si nimirùm aliquis secretum proximi, ad quod celandum tenebatur, sub juramento injustè prodat. † Rei quoque indifferentis, quæ in se moraliter nec bona, nec mala sit, non esse juramentum obligatorium, adinstar voti de tali re concepti, nisi bono aliquo fine v. g. ad sui mortificationem, vel peccati evitationem &c. intendatur, docent communiter DD. apud Laym. *in Theol. mor. lib. 4. tr. 3. c. 6. n. 3. Suar. d. l. 2. c. 16. n. 4.*

10

11 Quæstio est non levis momenti, utrum pactum vel *contractus* de jure nullus *confirmetur* per juramentum, vel utrum ipsum tantum *juramentum servandum* sit? Si enim dicatur, solum *juramentum servandum* esse absque eo, quòd *contractus confirmetur*, tunc si is, qui juravit, juramentum in vita non impleverit, heres ejus ad implendum non tenebitur; quia ut rectè docet Suarez *dict. lib. 2. cap. 31. n. 16.* juramentum quidem obligat etiam heredes, & successores ejus, cui juratur, sed non obligat heredem ejus, qui jurat; nam juramentum est personale, & animam jurantis non egreditur. R. In hac quæstione esse distinguendum, an contractus sit invalidus in odium creditoris, ita ut is sine peccato etiam veniali ex tali contractu aliquid acquirere non possit, prout fit in contractu usurario, aut metu vel dolo initu; vel an contractus tantùm invalidetur in favorem debitoris, sicut invalidatur alienatio rei dotalis, ad minorennem pertinentis & similes: priori casu non *confirmabitur contractus*, sed ipsum tantummodò *juramentum servandum* erit, vel ejus relaxatio petenda, ne Deus vanè & temerè in testem vocatus sit; imò post impletum juramentum repetitio ejus, quod ex tali juramento præstitum est, conceditur, *dicto c. debitores. de jurejur. & c. ad audientiam 4. de his, quæ vi metusve causa fiunt.* Ad hunc primum casum etiam referunt, si contractus ob publicam utilitatem irritatus sit, & exempla ponunt *de pacto non revocandi testamentum, pacto successionis super viventis hereditate, de donatione omnium bonorum, pœna sponsalibus adjecta &c. Cov. in relect. c. quamvis. de pact. in 6 p. 2. in pr. §. 1. n. 8. Laym d. l. c. 8 n. 4.* Verum si evidenter constet, juramentum cedere in præjudicium Reipublicæ, jam superius diximus, id obligatorium non esse, at in exemplis propositis DD. non sunt concordes, teste ipso Laym. *d. l. vers. quæ doctrina*, utique quia non satis constat, an dicti actus principaliter ob favorem publicum, vel potius ob favorem privatorum, & ex consequenti tantùm publicum à legibus irritati sint.

Altero casu videtur mihi probabilius ipsum contractum juramento *confirmari*, ut ex tex. *c. quamvis. de pactis. in 6.* satis apparet, ubi pactum, quo filia hereditati paternæ renuntiavit, dicitur *juramento firmatum*, & ipsum *pactum servari* debere, & in *L. 1. Cod. si adversus venditionem.* dicit Imperator, minorem, qui adversus venditionem rei suæ *juratam* venit, non tantùm *perjurium*, sed etiam *perfidiam* committere; si *perfidiam*, ergò supponitur, non tantùm *juramentum*, sed etiam pactum valere. Videtur mihi addi posse alia multùm efficax ratio, quòd lex Civilis irritans pacta vel contractus jure naturæ & gentium validos non comprehendit, nec potuerit comprehendere contractus *juratos quatenus tales*, hi enim propter religionem juramenti non cadunt sub jurisdictionem Civilem & sæcularem, sed Ecclesiasticam. Sicut in simili, quamvis lex Civilis pœnalis comprehendat omnes Cives Romanos, non tamen illos, qui etiam post talem legem Ordines Clericales assumpserunt, tales enim *quatenus nunc tales* ab initio non censebantur comprehensi, vel saltem posteà exempti. hinc etiam est, quòd contractus vel actus jurati, quamvis quoad executionem sint mixti fori, quoad cognitionem tamen de viribus & valore juramenti ad judicium Ecclesiasticum spectent, *c. licet mulieres. de jurejur in 6. c. ult. de foro comp. in 6.*

Quod attinet ad divisionem juramenti, frequenter hactenus insinuatum est, juramentum dividi in *promissorium & assertorium*. *Promissorium* dicitur, quod ad confirmationem promissionis, pollicitationis, seu quorumcunque contractuum & pactorum adjicitur. *Assertorium* verò quo simpliciter sine promissione aliquid affirmamus, vel negamus, & de hoc juramento *assertorio* in processu judiciario potissimum negotium est.

12 Circa *relaxationem* juramenti notandum est, quòd si juramentum sit *apertè nullum*, ut quia ex parte jurantis sine peccato quamvis veniali tantùm observari non potest, vel quia directè spectat præjudicium tertii, non indigebit absolutione, sed jurans propria authoritate contravenire poterit, quia quod nullum inducit vinculum, nullam absolutionem requirit, *Gloss. in c. 2. in verbo absolvimus. & in c. cum quidam. §. ultimo. ubi Innoc. & Panorm. de jurejur.* facit textus in *c. quanto. & c. si verò eodem t.* licet autem *in d. c. 2. & c. cum quidam.* jurantes etiam in similibus juramentis jussi fuerint absolvi, illam tamen absolutionem non fuisse propriè dictam, sed tantùm declaratoriam nullitatis, cum Glos. *in eod. c. 2. n.* tradit Zoes. *d. t. n. 47.*

Cæterùm si juramentum ex parte jurantis sine peccato observari possit, sed tantùm illicitum sit ex parte creditoris; vel sit dubium, utrum propter certas circumstantias, vel supervenientes causas aliquis ad jurandum tenestur? his casibus absolutio saltem ad cautelam peti debet, eamque superiores Ecclesiastici suis subditis, in quos Jurisdictionem Episcopalem vel quasi Episcopalem habent, concedere possunt.

Juramentum autem in gratiam alicujus factum, ab eoque acceptatum validum & obligatorium ille solus remittere potest, in cujus favorem factum, & cui ex eo Jus quæsitum est; & quamvis aliàs juramentum à solo jurante & soli Deo factum sicut votum, in rem evidenter meliorem propria authoritate commutari possit, v. g. qui vovit aut juravit peregrinari certo die, potest illo die assistere ægroto, ob ejus charitatem & commoditatem: Secus verò est, si juramentum alteri factum sit, in cujus præjudicium commutatio cederet, v. g. qui juravit Titio donare 10. non potest donare pauperi, ut etiam præcd. Cap. dictum.

Censent tamen DD. aliquando etiam juramentum validum per potestates Ecclesiasticas & temporales remitti posse saltem indirectè subtrahendo scilicet materiam; idque tunc quando alicui ex causa Jus suum auferre possunt, sicut ita *in c. excommunicamus. §. moneantur. de hæreticis.* Princeps per censuras cogi potest, ut expellat hæreticos de suo territorio, & si propter negligentiam in expellendo excommunicatus fuerit, nec intra annum satisfecerit, Vasalli & subditi ejus per Papam à juramento fidelitatis absolvuntur, & terra ejus Catholicis exponitur occupanda.

Idem est, si ex qualibet alia causa dignitate amoveatur is, cui subditi ratione officii adstricti erant. Pariter quidquid sit, an juramentum metu extortum valeat, quod plerique affirmant propter tex. *in c si verò. 8. de Jurejur.* & quòd metus, sicut non tollit simpliciter consensum, *l. si mulier. §. 5. ff. quod metus causa.* ita nec tollat ipso Jure, saltem regulariter, obligationem, Magistratus tamen qui contractum ex causa metus rescindere, etiam partem ad relaxandum juramentum adigere potest, vel eo nolente etiam ipse Magistratus relaxate, & tali casu factum judicis habebitur pro facto partis, *arg. L. si ob causam. C. de evict.*

Denium perquam notabile est, quòd *juramentum soleat regulari secundùm naturam actus cui adjicitur, & assumat illas conditiones, quæ sua natura insunt illi actui.* e. g. juravi ducere Titiam, non teneor, si notabilis mutatio accidat, ut quia deformatio, fornicatio, depauperatio supervenit. *c. quemadmodum. de Jurejur.* Item ex communi sententia, qui juravit aliquam ducere, potest ingredi Religionem ut præcedenti cap. ex Sanch. *lib. 1. disp. 43. q. 1.* retulimus. cui non obstat, quod docet Nav. *Consil. 4. de Regular.* Alumnum jurantem servitia Ecclesiæ, non posse sine licentia Ordinarii, qui jura Ecclesiæ administrat, ingredi Religionem, eo quòd jus alteri quæsitum ex juramento non possit in opus magis pium commutari, ut paulò ante dictum: Nam diversitatis ratio inde elucet, quòd sit de natura sponsalium, & matrimonii, ut per ingressum in Religionem dissolvantur. *t. t. de Convers. conjug.* non autem idem sit de natura alumnatus. Similiter, qui fecit alicui promissionem, aut donationem juratam, non prohibetur eam revocare ex illis causis, quibus donatio revocatur, nimirùm ob ingratitudinem donatarii, vel supervenientiam liberorum ex parte donatoris. *t. t. C. de revoc. don.* Ratio est, quia juramentum non *extendit*, sed tantum *intendit* obligationem, hoc est, non facit, ut obliget *in plus* sed ut *firmiùs*. quæ quidam ratio optimè procedit in actibus etiam sine juramento validis; at verò difficile videtur, quomodò in actibus ipso jure invalidis, & tantùm juramento confirmatis jurans non obligetur *in plus*, cùm sine juramento *ad nihil* obligaretur? huc commodissimè servit nostra ratio supra posita, quòd jurans quidem sine juramento, fuisset *ad nihil* obligatus, & cum juramento *in plus*, si solùm Jus Civile spectemus, non verò si jus naturale aut gentium juxta quod regulatur actus juratus, cui *quatenus jurat.* non obstat Juris Civ. irritatio. 13

Ex eodem principio, quòd juramentum non immutet naturam actus, inferunt, quòd actus, qui fuisset cessante 14

juta-

juramento validus, valeat tametsi factus sit contra juramentum de eo non faciendo præstitum, ita valet matrimonium contractum contra sponsalia jurata priùs cum alia contracta. *c. sicut. 22. x. de spons.* venditio cum traditione tertio facta, contra venditionem juratam sine traditione priùs alteri factam. *Gl. in l. quoties. C. de rei vind. Cov. in c. quamvis. p. 1. §. 4. n. 5. de pact. in 6.* quamvis interim talis haud dubiè peccet, & perjurus sit. *Panorm. in c. dilecto. de prab. n. 17. & in c. intellecto. de jurejur. n. 8. Suar. de Juram. lib. 2. c. 19. n. 6.*

15 Tractat etiam Fachin. *lib. 1. Controv. c. 7.* an, qui juravit se soluturum, possit opponere compensationem, si ex alia causa sibi à creditore aliquid debeatur? & affirmativè concludit, quia ea natura solutionis est, ut censeatur quoque per compensationem fieri, *l. si debitor. ff. qui pot. in pign. l. dediss. de V. S.* mihi videtur illa sententia multum rationabilis, quæ distinguit cum Pan. *in c. ad nostram. 7. de jurejur. n. 3.* an obligatio, quæ sit materia compensationis, contracta fuerit ante juratam solutionem, vel an postcà; priori casu non habebit locum compensatio, quia juramentum recipit interpretationem ex mente paciscentium, & præcipuè ejus, qui illud sibi curat præstari. *c. quacunque arte 22. q. 5. Quacunque arte verborum quisque juret*, ait D. Greg. *Deus tamen ita hoc accipit, sicut ille cui juratur.* Sed si obligatio sit priùs contracta, & ab altero non ignorata, utique mens fuit ejus qui juramentum procuravit, non fictam, sed veram realem solutionem sibi fieri: nam aliàs plerumque frustrà exegisset juramentum *de solvendo*, cùm solutio compensatoria per viam retentionis fuerit in sua propria potestate, ut vel parùm consideranti patebit. Altero autem casu procedit compensatio tanquam non prævisa, & ideò juramento non exclusa, sed in natura solutionis comprehensa, nisi fuerit talis obligatio, quæ potuit tempore juramenti prævideri, sicut est casus *in d. c. ad nostram.* Esset hic ansa *de restrictionibus mentalibus.* ali-
16 quid dicendi, † an & quando licitæ sint, ac à perjurio excusent, sed in aliam occasionem differimus, videatur Nav. *in Can. humana aures. 22. q. 5.* Sanch. *lib. 3. mor. cap. 6.* Layn. *in Theol. lib 4. tr. 3 c. 13. & c. 14. n. 7.* Zoes. *ad tit. decret. de jurejur. n. 85.* ubi ex magna causa amphibologicum sermonem à mendacio & perjurio excusant.

C A P U T III.

De Usuris.

MAteriam Usurarum ad cognitionem Parochi spectare tum ratione peccati, tum ratione Ecclesiasticæ sepulturæ, & cautionis ab usurariis de restituendis usuris in articulo mortis per Parochum exigendæ, *juxt. c. 2. de usur. in 6.* superius *in p. 4. c. 3. sub n. 20.* insinuatum est, placuit proinde etiam hanc Manuali Parochorum superaddere.

§. I.

Quid sit Usura, ac quo Jure prohibita?

S U M M A R I A.

1 *Usura quid?*
2 *Usura propriè tantùm in mutuo committitur, si pro eo aliquid temporale pretio æstimabile exigatur.*
3 *Usura quidem requirit pactum, sed id aliquando est implicitum.*
4 *Usuræ quædam licitæ, seu compensatoriæ lucri cessantis, aut damni emergentis.*
5 *Usura jure divino, naturali, & humano prohibita.*
6 *Qua ratione Deus concesserit Judæis fœnus cum gentibus exercere.*
7 *Explicantur alii textus Scripturæ.*
8 *Cur Usura etiam jure naturali prohibita.*
9 *Sub nomine mutui potest aliquando latere alius contractus licitus.*
10 *Usuræ non possunt aliqua lege permitti.*
11 *Peccant graviter contra Justitiam, qui Judæis vel aliis exercitium usurarum concedunt.*
12 *An peccet debitor solvendo usuras?*

1 USura apud Latinos *usum* vel potiùs & magis accommodè ad sensum hujus loci *fructum* & utilitatem *ex usu rei* provenientem significat, veluti Cicero in *Verrem: Cur piratis*, ait, *lucis usuram dedistis?* Et eidem *de senectute: Terra* inquit, *nunquid sine usura reddit, quod accepit.* Verùm ad præsentem materiam varias *usuræ* descriptiones, & definitiones afferunt interpretes, ex quibus omnibus sequentem colligo & definio, *usuram esse, quidquid ex mutuo temporale, & pretio æstimabile per pactum lucri causa sorti seu debito principali accedit.* consideremus singulas hujus definitionis particulas.

Dico I. *Ex mutuo:* nam usura propriè tantùm in contra- 2
ctu mutui committitur *per textum & DD. communiter in c. 1. 14. q. 3.* sicuti & sententia Christi paulò post citanda de solo mutuo loquitur. Est enim mutuum ex sua natura contractus gratuitus, ubi regulariter sufficit, pecuniam mutuò acceptam sine alio additamento mutuanti reddere. In aliis verè contractibus, ut in emptione, venditione, permutatione, locatione & similibus, potest quidem committi dolus vel iniquitas habens annexam obligationem restitutionis, ut si res carius justo pretio, aut vitiosa vendatur &c. sed non usura propriè dicta, adeoque nec ibi pœnæ specialiter contra usurarios latæ locum habent, nisi quatenus aliquando *palliatum mutuum* continent, prout ista omnia in hoc, & sequenti §. magis declarabimus.

Dico II. *Temporale;* si enim paciscaris cum mutuatario, ut præter restitutionem pecuniæ mutuatæ teneatur tibi conferre beneficium Ecclesiasticum, vel dare rem aliam spiritualem aut sacram, potiùs *simonia* quàm *usura* commissa dicetur.

Dico III. *Pretio æstimabile*, unde quamvis de Jure Civili usura propriè in pecunia numerata consistere videatur. *l. eos. 26. §. 1. & passim C. de usuris. Panorm. ad rub. hujus tituli n. 4.* de Jure tamen Canonico (quod circa usuras tanquam in materia peccati & conscientiæ prævalet juri Civili) usura censetur, licèt res aliæ, quàm pecunia ultra sortem à mutuatario exigantur, ut v. g. certam quantitatem frumenti solvat, & certas operas præstet, ut actionem quam contra mutuantem habet, remittat &c. *cap. 2. & 3. causa 14. q. 3.*

Notanter autem loquor, si talia ultra capitale mutuatum exigantur, nam si, quod aliquando fieri solet operario vel opifici volenti à te mutuare pecuniam, eandem tribuas cum pacto, ut is nullam quidem pecuniam restituat, sed pro ea operas præstet, vel opus aliquod conficiat, non erit usura, sed contractus licitus, atque idem, acsi operario mercedem anticipatò dedisses, dummodò operæ præstitæ non pluris æstimentur, quàm pecunia numerata.

Dico IV. *Per pactum:* id est, ut mutuatarius ex obliga- 3
tione contracta teneatur aliquid ultra sortem principalem mutuanti solvere, quare secus est, si mutuatarius propria sponte ex mera liberalitate vel gratitudine mutuanti aliquid tribuat, prout in simili de simonia dicitur, non esse simoniam, si pro re spirituali absque præcedenti pacto aliquid liberaliter oblatum accipiatur, si enim mutuatarius posset cuicunque alteri res suas donare, cùm quilibet rei suæ moderator sit & arbiter, *l. in re mandata. C. mandati.* sanè mutuans qui ei mutuando beneficium præstat, non debet esse deterioris conditionis, ut minùs pro beneficio liberè oblatum accipere nequeat, cùm naturalis ratio hominibus obligationem *antidoralem*, seu reciprocæ gratitudinis erga benefactores imponat.

Interim tamen quia *antidoralis* obligatio ordinariè tantùm moralem honestatem, non juris vinculum, aut actionem vel exactionem inducit, neque obligat ad certum & determinatum gratitudinis actum in specie, sed ad aliquam gratitudinem in genere, ideò non auderem à peccato usuræ, saltem *mentalis* excusare illos, qui liberalitatem & gratitudinem non tam exspectant, quàm extorquent, & indigentibus hominibus non aliter mutuant pecunias, quàm sub spe promissionis, & etiam exactione largæ remunerationis. Id quod satis probat textus *in c. consuluit. 10. X. de usuris.* ubi Pontifex usurarium judicat illum, qui (utimur verbis ejusdem cap.) *non aliàs mutuo traditurus è proposito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventione cessante plus tamen sorte recipiat.* Sunt tamen nonnulli qui cum Less. *de justitia & jure l. 2. c. 20. n. 34. & 56.* hunc textum exponant de eo casu, quando non sub ratione gratitudinis, sed sub ratione justitiæ & obligationis civilis aliquid ultra sortem exigitur: hæc tamen interpretatio non videtur textui generaliter & sine tali distinctione loquenti satis convenire, nam obligatio civilis & justitiæ, cum ex ipso contractu mutui, utpote gratuiti, esse nequeat, necessariò ex conventione & pacto accedente esse deberet, Pontifex autem supponit omnem conventionem, quæ obligationem civilem inducat, abesse, & in eo magis se fundat, quòd mutuans non velit aliter mutuare, quàm ut aliquid ultra mutuatam pecuniam quocunque deinde titulo vel colore

sive

five justitiæ, sive gratitudinis, à mutuatario recipiat. Idque confirmatur ex c. 2. *vers. alii* & c. 3. *vers. si quis causa* 14. q. 3. ubi SS. PP. *donativa* & *munuscula* (intellige, non liberè sponte oblata, sed exacta) à debitoribus recipientes usurarios reputant; *munuscula* autem & *donativa* utique rationem justitiæ non habent, sed remunerationis.

Ratio autem fundamentalis mihi videtur, quòd usura principaliter prohibita sit, ob gravamen indigentium, qui spe recipiendæ pecuniæ cum suo detrimento quælibet pacta etiam facilè ineunt. Est verò etiam gravamen indigentium, si sciant, se pecunias aliter obtinere non posse, quàm si liberaliter donent mutuanti non sine damno suarum facultatum, talia proinde donationes in effectu parùm differunt à pactis propriè usurariis, quia utrinque lucrum ex mutuo est, non voluntate libera datum, sed necessitate recipiendæ pecuniæ extortum. Quare cùm dicimus usuram tantùm *ex pacto* esse, ita explicari debet, ut sit *ex pacto* vel etiam ex *tali actu*, qui pacto saltem tacito *æquivaleat*. atque hanc nostram sententiam docet Syll. *verbo usura*. 6. t. *n.* 1. & 2. Cov. *variarum resolut. libro* 1. *c. ult. num.* 4. & Navar. *in commentario de usuris notabili.* 10.

Dico denique, *lucri causa*: & quidem hoc lucrum debet esse ex mutuo tanquam fructus pecuniæ mutuatæ, non verò ex alia causa prorsus à mutuo separata.

Ideo non erit usurarius censendus Dominus vel Parochus, qui colono vel parochiano mutuo dat frumentum pro semine, aut pecunias pro emendis rebus ad culturam agri necessariis ea conditione, ut tanto diligentius, & sine diminutione pensionem annuam pro locato prædio rustico, aut decimas persolvat; quia istæ pensiones & decimæ debentur ex alia causa quàm ex mutuo, scilicet ex contractu locationis & jure parochiali.

Item neque ille lucrum capit, sed suum consequitur, adeoque & ab usura immunis est, qui debitori novum mutuum præstat, eo pacto, ut id una cum vetere debito tantò citius sibi restituatur, *Henric. Canis. de usuris. c.* 1. *n.* 6. *arg. c.* 1. *in fine de usur.*

4 Præterea aliquando à mutuatario aliquid exigi potest ultra sortem per modum *interesse*, & *compensationis*, quando scilicet sua interest, pecuniam non dari mutuo. Unde DD. communiter & rectè usuras dividunt, quòd aliæ sint *merè lucratoriæ*, & propterea illicitæ; aliæ verò *compensatoriæ*, & licitæ. Atque hoc interesse creditoris ob quod fit compensatio, rursus duplex constituunt: Unum quod vocant *interesse lucri cessantis*, & alterum, *interesse damni emergentis*. Interesse *lucri cessantis* dicitur, quando creditor ex pecunia potuisset alibi honestum lucrum sperare, ut si eandem mercaturæ, emendi prædiis, aut redditibus annuis applicasset &c. & nihilominus neglecto illo lucro in gratiam amici mutuam dederit, quo casu non iniquè aliquid ultra sortem petit creditor, ne officium suum, & beneficium alteri præstitum sibi damnosum sit. *L. sed si quis.* 7. *ff. quemadmodum testam. aper.* Quamvis autem And. Gail. *lib.* 2. *observ.* 6. n. 2. ex praxi Cameræ Imperialis non videatur admittere *interesse lucri cessantis*, nisi in mercatore solito negotiari: communis tamen opinio est in contrarium, teste Canisio dicto *c.* 1. *n.* 8. *Navar. in Man. Confess. c.* 18. *n.* 211. nam eadem æquitatis ratio; quæ facit, ut mercator æstimare possit carentiam lucri, etiam in aliis hominibus militat, dummodo quantitas *interesse* hujus arbitrio boni viri æstimetur, & consideretur, lucrum speratum potuisse variis ex causis & accidentibus incertum fuisse.

Interesse *damni emergentis* appellatur, quando creditor propterea aliquid exigit à debitore, quòd ob mutuatam pecuniam ipse non tantùm lucro caruerit, sed insuper damnum aliquod in rebus suis passus sit, ut quia ob defectum pecuniæ domus non restaurata corruit; vel quia mutuavit frumentum, & cùm id suo tempore non redderetur, creditor interea coactus fuit alibi cariori pretio frumentum emere &c. Ubi sanè debitor gravari non debet, ut creditorem indemnem servet, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur. *l. non debet. ff. de R. I.* & beneficium creditoris sibi ipsi damnosum sit. De utroque hoc interesse *lucri cessantis* & *damni emergentis*, textus est expressus in *l.* 3. *§. ultimo De eo, quod certo loco. l. unica C. de sententiis, quæ pro eo quod interest &c.* Utrum autem interesse *lucri cessantis*, & *damni emergentis* in pactum deduci possit, aut peti, etiamsi debitor in mora non fuerit, & nunquam pro solutione interpellatus, in §. sequenti dicemus, ubi sæpius de hac materia mentio incidet.

Post explicatam usuræ definitionem restat, ut videamus quo jure usuræ prohibitæ sint. Et in primis contra Carol. Molinæum *in tractatu de commerciis n.* 7. & 11. pro certo

Man. Parochor. P. Ludov. Engel

tenendum est, usuras etiam juxta moderationem Juris Civilis exercere, esse peccatum, ita ut qui contrarium pertinaciter asserere ausus fuerit, in eum, tanquam hæreticum, animadverti debeat, juxta constitutionem Concilii Viennen. *in clementina unica §. sanè h. tit.*

Etenim ex communi DD. sententia usuræ non tantùm jure humano ecclesiastico, sed etiam divino & naturali prohibitæ sunt; prout id expressè affirmat Pontifex *in c.* 4. *h. t.* ubi dicit: quod *usuras utriusque testamenti pagina detestetur &c.* 5

Quod igitur attinet ad Testamentum Vetus, habetur, *Deuter.* 23. *c. non fœnerabéris fratri tuo* (id est, qui ejusdem fidei est, sicut Apostoli omnes Christianos appellarunt fratres, *Actorum* 1. & 6. *c.* & sæpius alibi) *ad usuram pecuniam nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Item *Ezechielis c.* 18. dicitur, *qui ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit, hic justus est, & vita vivet.* Denique *in Psal.* 14. legitur, cum *habitaturum in tabernaculo Domini, qui ingreditur sine macula, operatur justitiam, loquitur veritatem, & pecuniam suam non dedit ad usuram.* In Novo Testamento *Lucæ* 6. *c.* ait Christus; *benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes*, hoc est, nihil ultra, quàm dedistis, lucri causa recipientes.

Verùm contra istos Scripturæ textus aliqua argumenta opponuntur, quæ breviter referemus & resolvemus. Primò in illo loco *Deuter.* 23. dictum est, *non fœnerabéris fratri tuo, sed alieno*, ergo videtur consequens, usuras non esse malum intrinsecè, & jure naturæ prohibitum, aliàs Judæis à Deo non fuisset concessum usuras erga alienos sive gentiles exercere. Sicut extra bellum, & sine causa non licet occidere gentilem & infidelem, cùm occisio innocentis intrinsecè & jure naturæ mala sit. ℞. Duplicem adferri hujus objectionis solutionem, prima est, quòd Judæis olim concessum fuerit usuras exercere cum gentibus ad vitandum majus malum, ne scilicet cum suis fratribus & Judæis id facerent: Sicut ex D. Tho. refert Canis. *dicto c.* 1. *n.* 22. Aliquando enim inter duo mala, quorum utrumque evitari nequit, tolerari potest minus malum ad evitandum majus. Non quidem approbando, sed dissimulando minus. Altera solutio, quæ magis mihi placet, est, quòd Deus Dominus universi omnes gentilium facultates, & terras tradiderit in potestatem Judæorum, proinde cùm illas facultates potuissent gentibus per arma & bellum auferre, potuerunt etiam per usuras, sicut *Exod.* 12. *c.* iisdem Judæis concessum fuit, ut Ægyptios spoliarent vasis argenteis & aureis ac vestibus sibi commodatis. Quam interpretationem etiam probat D. Ambros. relatus *in c. ultimo. causa* 14. *q.* 4. *Cui jure inquit, inferuntur arma, huic jure indicuntur usuræ, sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici.* Est tamen advertendum, quòd hoc sensu & casu *usura* sumatur in generaliori significatione pro quolibet usu vel lucro, non in specie quatenus est pactum illicitum & malum intrinsecè; nam tunc *usura* peccatum est, quando ex sola causa mutui aliquid ultra sortem accipitur; secus verò, si ex alia causa à mutuo separata, ut *jure belli* teste D. Amb. *in d. c. ult.* & multò magis jure dominii jam priùs sibi à Deo addicti. Quemadmodum etiam diximus, esse *usuras compensatorias*, in quibus ex causa *lucri cessantis vel damni emergentis* aliquid ultra sortem exigitur, quæ *usuræ* quidem dicuntur, sed *peccaminosæ* non intelliguntur. 6

II. Opponitur alius locus apud Lucam 19. c. ubi Dominus reprehendit servum, quòd pecuniam suam *non dederit ad usuram*. ℞. Per hanc parabolam Christum non approbare usuras, sed tantùm referre factum hominum, eosque commonere, ut cùm in istis lucris terrenis & perituris solliciti sint, multò magis debeant esse solliciti in fructu bonorum operum, & lucro vitæ æternæ. Sicut etiam de villico defraudante Dominum suum similis parabola apud eundem *Luc.* 16. *c.* habetur. 7

III. Videtur, quòd ille textus *Lucæ* 6. *c. mutuum date, nihil inde sperantes*; sit accipiendus tantùm de *consilio*, non autem de *præcepto* Evangelico. Quia date mutuum non est de præcepto, sed de consilio & charitate. ℞. Priorem partem hujus textus videlicet *mutuum date* non esse quidem de præcepto, esse tamen partem alteram: *nihil inde sperantes.* Quod debet colligi ex textibus veteris Testamenti prohibentibus usuras, quos supra allegavimus. Nam Christus non venit *solvere legem, sed adimplere*, *Matth.* 5. *c.* Similis textus habetur *Psal.* 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*, ubi prius verbum *vovete*, non est præcepti, sed posterius *reddite* juxta illud *Deuter.* 23. *Si nolueris vovere, absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labiis tuis observabis, & facies; sicut promisisti Domino Deo tuo &c.*

8 Quòd autem Jure naturæ, sive naturali ratione usura illicita sit, probat Covar. *resol. l. 3. cap.* 1. & cum eo communiter DD. hoc argumento, vel enim creditor capit lucrum ex mutuo pro *ipsa sorte*, vel pro *usu* ejus? sed neutro modo citra iniquitatem potest lucrum capere. Non enim pro ipsa *sorte*, quia justitia commutativa, quæ in contractibus observatur, desiderat æqualitatem, & non permittit, ut pars contrahens plus reddere teneatur, quàm accepit. Ita in permutatione vel emptione pro equo valente in summo pretio centum florenos non potest accipi alius equus, vel quantitas pecuniaria centum imperialium. Similiter ergò, & in mutuo pro centum florenis mutuo datis non licet accipere plus quàm centum florenos. Sed neque pro *usu* sortis lucrum peti potest, quia usus vel utilitas cujuslibet res pertinet ad dominum, mutuatarius autem efficitur dominus res mutuatæ (mutuum enim inde nomen accepit, quod *ex meo tuum fiat*, *l. 2. ff. si certum petatur*,) ergò ad mutuatarium & non ad mutuantem *usus* pertinet. Et cùm mutuum tantùm in pecunia, vino, frumento & similibus rebus usu consumptibilibus consistat, usus ejus a dominio separari non potest, *L. hoc Senatusconsulto, in fine, ff. de usufructu earum rer. quæ usu consum.* Hinc est, quòd in contractu locationis si verbi gratia alteri per annum locem ædes meas, vel agrum meum magis quàm in mutuo aliquid peti possit ultra restitutionem domus vel agri, quia in hoc contractu locator manet dominus, & consequenter utilitas ex re sua à conductore percepta ad ipsum respicere debet. Præterea locatio est rerum talium, quæ permanentes usum, & utilitatem adferunt, pecunia autem ex sua natura sterilis est, ejusque usus in exponendo seu abusu consistit. Quod & Aristoteles divina lege destitutus solo lumine naturæ agnovit, dum 1. *polit. cap.* 7. ait: *Maximè præter naturam esse hunc acquirendi modum, ut in fœnore nummus nummum pariat.*

Si verò alicui istæ rationes nimis subtiles videantur, is apprehendat aliam, quam tradit Gorasius *lib. 3. Miscell. cap* 21. *num.* 7. quòd usuræ ideò naturali æquitate inspecta illicitæ sint, cùm absorbeant egentium fortunas, dum hi in necessitate constituti pecuniis à fœneratoribus sub quacunque lege acceptis tandem ad summam inopiam redigantur, nova semper debita contrahentes. Item quòd iniquum sit, actum charitatis, & societatis humanæ, qui in mutui datione consistit, ad proprium lucrum, & alterius damnum convertere. Unde si quis objecerit contra priores rationes, creditorem saltem aliqua ratione comparari posse dominium retinenti, sicut *qui actionem ad rem repetendam habet, rem in suis bonis habere videtur*, *leg. qui actionem.* 15. *ff. de R. I. l. id apud se.* 143. *ff. de V. S. l. rem in bonis.* 52. *de acquir. rer. dom.* Item quòd contractus ex conventione partium etiam contra vel præter ordinariam suam naturam legem accipiant, *c. contractus de R. I. in 6. l. contractus.* 23. *ff. eod. tit.* sanè difficilis erit responsio, nisi juxta hanc posteriorem rationem dicamus, allegatas Juris regulas non procedere, si exinde proximus contra æquitatem & Christianam charitatem damnificetur; ita enim leges ex bono & æquo interpretari oportet, ut sint conformes illi generali Juris præcepto, *alterum non lædere.* §. 3. *I. de I & I. L. placuit. C. de judic.*

Non relevat creditorem si dicat, se debere interim carere pecunia cum periculo, ne fortassis debitor planè depauperetur, & nunquam restituat, atque ideò se non iniquè aliquid ultra sortem petere. Nam cùm sit in arbitrio creditoris, an velit mutuare, nec ne, sola carentia pecuniæ quæ ex ipsius voluntate processit, non est justus titulus ad aliquid amplius exigendum, nisi sit conjuncta cum interesse *lucri cessantis vel damni emergentis*. Periculum verò amittendæ sortis aliquando quidem facit jus, ut rectè aliquid præter sortem petatur, sicut in §. sequenti dicemus, sed id tunc demùm: si per pignora aut fidejussores non possit creditori satis cautum esse: debet quoque cogitare, etiam retentam domi pecuniam non fuisse extra omne interitus periculum.

9 Deinde etiam hic obiter notari potest, si quis à te rogет mutuum non causa necessitatis suæ, sed utilitatis quærendæ, volens honestam negotiationem instituere, prædia emere, & lucrum ac fructus ex hac pecunia quærere, potes is cum eo tale pactum facere, ut is præter pecuniam acceptam teneatur tibi aliquam partem lucri restituere & communicare, talis namque contractus in effectu est species *societatis*, contractus de Jure gentium liciti, in qua alter pecuniam, alter operam confert, § 2. *Instit. de societate.* Imo sicut in multis contractibus *mutui* nomen non habentibus, cum gravamine tamen proximi initis, potest latere implicitum mutuum & usura, per ea, quæ traduntur in §. seq. Ita, cùm contrariorum eadem sit ratio, sub nomine *mutui*, præsertim à plebeis, & Juris ignaris prolato, ubi proximi potiùs augmentum, quàm damnum quæritur, potest subesse implicitus alius contractus societatis, emptionis, census &c. ut inferius ad fin. cap. dicemus.

Cæterùm cùm usura Jure divino & naturali prohibita sit, non potest ullo modo fieri licita, nec dispensatione Pontificis, qui non dispensat contra Jus divinum & naturale, *c. super eo. h. tit.* nec consuetudine, quia Jus divinum & naturale sunt immutabilia, *§. sed naturalia. Inst. de I. N. G. & C.* & diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed augmentat: ac multitudo peccantium non parit peccato patrocinium. *cap. ult. de consuetudine*; nec favore piarum causarum, videlicet ob utilitatem Ecclesiæ, pauperum, vel redemptionem captivorum, *dicto c.* 4. *h. t. c.* 1. *& seq. causa.* 14. *q.* 5. *Immolantis enim ex iniquo oblatio est maculata, & dona iniquorum non probat Altissimus. Eccles.* 34. nec denique ex legibus & statutis Principum ac Dominorum sæcularium, quia nec ipsi in materia peccati aliquid contra Jus divinum statuere possunt, *Clementina unica. h. t.* 10

Unde quamvis leges Civiles permiserint usuras personis illustribus, & negotiatoribus cum quadam moderatione, ut scilicet maximæ usuræ essent *duodecim pro centum*, idque solùm in *fœnore nautico*, ubi periculum erat mutuantis; communes verò usuræ *octo*, *sex* vel etiam *quatuor pro centum*, sicut ex *l. eos. C. de usuris.* interpretatur Less. *l.* 2 *c.* 20 *n.* 33. has tamen leges non excusare à peccato (nisi quatenus interesse *lucri cessantis, vel damni emergentis*, aut justa ratio *periculi* concurrit) contra Carolum Molinæum loco supra citato communiter sentiunt Catholici DD.

Sed iidem DD. concedunt, ad vitandum majus malum valere legem, quæ certum modum usuris statuat, non quòd exinde usuræ licitæ reddantur, sed ne usurarii sub alio prætextu *lucri cessantis*, *damni emergentis*, *aut periculi*, nimium à debitoribus extorqueant. Prout hodie in Imperio passim usitatum est, *ut* 5. *pro* 100. exigantur, quare qui secundùm talem moderationem usuras exegerit, in foro externo, quantùm ad pœnas non censebitur usurarius, eo quòd præsumatur, has usuras non esse merè *lucratorias*, sed *compensatorias* lucri cessantis vel damni emergentis, cùm quilibet ex 100. facilè annuatim possit 5. lucrari, si pecuniam emendis prædiis aut alteri honesto negotio applicet.

Interim tamen, si pecunia reverà apud mutuantem fuisset otiosa, & *nihil sua interfit*, eam mutuo dari, volunt plerique, talem in foro interno seu conscientia (ubi non ex præsumptione, sed ex veritate proceditur) haud esse immunem ab usura, præsertim si debitor necessitatis causa non lucri & utilitatis, sicut paulò superiùs diximus, pecuniam mutuam acceperit, videatur Henr. Canis. *de usuris. c.* 1. *n.* 9. ubi ex verbis Recessus Deputatorum Imperii Spiræ celebrati Anno 1600. & à Rudolpho II confirmati, demonstrat, Jure Imperii 5. *pro* 100 tantùm ex præsumptione *lucri cessantis* vel *damni emergentis* permitti.

Præterea *in c.* 1. *h. t. in* 6. graviter, & sub censuris prohibet Pontifex, ne Christiani, præsertim Ecclesiastici, in suis terris alienigenas exercentes usuras habitare permittant: & mortaliter adversus Justitiæ legem peccare Magistratus, ait Paul. Laym. *in Theol. morali. lib.* 3. *tractat.* 4. *c.* 6. *sub n.* 4. qui Judæis aut aliis, usurarum licentiam dant cum obligatione seu pacto magni tributi solvendi, ex hoc enim cooperantur peccato usurarum, & inde fit, ut ad solvendum illud tributum Judæi vel alii usurarii usuras augere & pauperes magis opprimere cogantur. 11

Denique pro coronide hujus §. etiam inquirendum est, an non tantùm creditor peccet exigendo usuras, sed etiam debitor eas promittendo? Negativa satis evincitur *ex c. debitores.* 6. *X. de Jurejurando.* ubi dicitur, quòd debitor, qui sub juramento promisit, solvere usuras, teneatur hoc juramentum servare, quamvis posteà authoritate Magistratus creditor compelli debeat, ut usuras restituat. Unde subsumitur, obligatio, cui accedens juramentum validum est, & servandum, non est peccaminosa, quia juramentum cum peccato & contra bonos mores non est obligatorium juxta regulam 48. *juris. in* 6. sed huic obligationi, qua debitor promittit solvere usuras, potest accedere juramentum validum, & servandum, ergò &c. Et quidem quòd debitor non peccet peccato usuræ, res per se clara est, neque enim ipse lucrum ex mutuo quærit cum alterius gravamine, sed ipsemet gravatur, & alteri in re sua lucrum concedit. Tota verò difficultas est, an non peccet debitor tanquam complex & consentiens peccato creditoris? 12

toris?

toris? Nam si debitor usuras non promitteret, creditor exigere non posset, Apostolus verò *ad Rom. 1. c. in fine* consentientes peccato æquiparat peccatum facientibus. Nihilominus dici potest, illum consensum esse peccatum, qui non tam ex necessitate, quàm ex complacentia peccati procedit, vel qui est causa peccati in altero. At debitor promittens usuras nec habet complacentiam in peccato usurarum, vellet enim mutuum gratis accipere; nec movet creditorem ad usuras exercendas, cùm is aliàs ita constitutus supponatur, ut sine usuris credere pecuniam nolit, sed necessitate magis accipiendæ pecuniæ consentit, veluti si latroni exigenti pecuniam promittat, utique per hoc non dicetur peccaminosè in peccatum latrocinii consentire.

§. II.

De specialibus quibusdam Pactis an sint usuraria?

SUMMARIA.

1 *An oporteat interesse in pactum deducere?*
2 *Propter periculum aliquando potest aliquid exigi ultra sortem.*
3 *Explicatur c.* naviganti de usuris.
4 Montes pietatis *an usurarii?*
5 *Disputatio de pacto antichryseos.*
6 *Pactum de retrovendendo an licitum.*
7 *Olla fortunæ excusatur ab usura & ab iniquitate, non tamen expedit Reipub.*
8 *Venditor ob dilatam solutionem an possit pretium augere.*
9 *Sitne licitum emere chirographa debitorum pro minori pecunia.*
10 *Examinatur prolixè contractus* censualis.
11 *In specie de censu personali, & qualiter differat à mutuo.*
12 *De Cambio, & ejus lucro.*

1 Q*Uæritur primò*, an interesse lucri cessantis, vel damni emergentis possit à creditore statim tempore dati mutui in pactum deduci? Respondeo affirmativè, nam quod justè possum exigere, possum etiam in pactum & obligationem expressam deducere. Imò si creditor ab initio hoc interesse in pactum non deduxerit, ex post facto non poterit id ullrei ab invito debitore petere, quàm si debitor *in mora* fuerit, hoc est, si interpellatus à creditore (qui voluit alibi honestum lucrum quærere, vel damnum emergens præcavere) non solverit, aliàs enim debitor rectè excipiet, si scivisset, tanti creditoris ob mutuatam pecuniam interesse, se vel pecuniam ab ipso non fuisse mutuam accepturum, vel certè interpellatum fuisse illicò soluturum, si tamen mutuum ad certum tempus contractum sit, tunc elapso illo tempore si debitor non solverit hoc ipso & sine alia interpellatione constituitur in mora, nam dies interpellat pro homine, *Laym. dicto loco. num. 10. Nav. in manuali, c. 17. sub n. 211.*

2 *Quær. II.* An, & quando ratione *periculi mittendæ sortis*, seu summæ capitalis mutuatæ possit aliquid exigi? Plurimi DD. tam Recentiores, quam Veteres sentiant, res suas exponere periculo ob gratiam alterius esse pretio æstimabile, cùm nemo teneatur gratis pro altero curas suscipere, & res suas jactare, proinde creditorem citra iniquitatem posse aliquid pro hoc periculo exigere, si illud subeat mutuando debitori, & debitor vel non velit, vel non possit dare pignora, aut fidejussores in securitatem debiti, *Less. lib. 2. c. 20. dubio 13. Cajet. Arrag. Major. & alii apud Salas tract. de usur. c. 22. n. 33.* ejusdemque sententiæ dicitur esse *D. Thom. opusc. de usur. c. 10.* Qua ratione etiam sustineri posset talis contractus, si quis alicui det centum florenos eo pacto, ut si sacerdos factus fuerit, & beneficium obtinuerit, restituat centum & decem florenos, sin minus, nihil teneatur restituere. Item si quis mercatori trans mare eunti mutuet centum ea lege, ut si salvus redierit, reddat 120. si verò navis perierit, ipse vel ejus heredes nihil reddere obligati sint. Dummodo in his & similibus casibus verum & probabile periculum sit amittendæ sortis mutuatæ, quodque periculum sit judicio prudentum virorum tanti valeat, quanti id æstimat mutuator, & pro eo ultra sortem petit.

3 Verùm contra hanc doctrinam pugnat expressus textus *in c. naviganti b. t.* ubi dicit Pontifex. *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem; pro eo, quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Diversi diversas excogitarunt hujus cap. interpretationes, ex quibus duæ mihi videntur præferendæ. Prima est, quòd in hoc textu omissa sit particula, *non* & legendum: *usurarius non est censendus.* quod valdè arguunt verba sequentia, dum ibidem statim subjungitur; *ille quoque, qui dat. 10. solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore sint valitura, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari.* Ecce hic inprimis Pontifex per illam particulam collectivam, *ille quoque*, videtur inter hunc & priorem casum paritatem facere, aliàs enim posuisset particulam aliquam adversativam, v. g. *ille verò* aut *ille è contra.* deinde in posteriori casu propter periculum minuendi valoris earum rerum quas mutuator loco pecuniæ stipulatus est sibi dari, excusatur ab usura, ergo etiam & multò magis periculum amittendi totius capitalis ab usura excusabit, ubi enim eadem est ratio, eadem est juris dispositio.

Si verò alicui magis placeat servare verba pro ut vulgariter in Corpore Juris ponuntur, is dicere potest, secundo, textum *in dicto c. naviganti*, accipiendum esse de eo, qui ne possit aliquid ultra sortem lucrari, non vult aliter mutuare quam sub tali pacto recepti in se periculi, hic propterea usurarius saltem mentalis est, quòd cogat mutuatarium pecuniæ indigum tale pactum secum inire, qui fortassis mallet ipse periculum (quod sperat non adeò magnum futurum) subire, ne teneatur aliquid ultra sortem solvere. Ita hanc interpretationem ex Syl. Medina & aliis adfert Les. *dicto c. 20. num. 116.*

Quær. III. Quid sint *Montes pietatis*, & qua ratione ab usura defendantur? R. *Montes pietatis* in Italia & aliis etiam locis esse usitatos, & dici æraria publicè constituta, ut ad ea indigentes quasi ad montem refugium habeant, ne magis ab aliis usurariis opprimantur. Nam ex his ærariis sive *montibus* datur mutuum indigentibus ea lege, ut pro mutuo pignus relinquere cogantur, & intra certum tempus recepto pignore pecuniam mutuatam restituere, ac insuper exiguum aliquid adjicere: sin autem inter tempus præfinitum debitum solutum non sit, pignus vendi possit, ut detracta sorte, exiguoque illo adjecto residuum de æstimatione pignoris debitori restituatur. 4

Porrò quia ut dictum debitor ex his *montibus* accipiens mutuum tenetur præter sortem etiam aliquid saltem modicum adjicere, olim valde dubitabatur, an hoc institutum *montium* non esset usurarium censendum? sed Leo in Concilio Lateran: *sess. 10.* una cum ipso Concilio hos *montes* tanquam pium institutum approbavit concedens Indulgentias adjuvantibus & erigentibus, pro ut in *Tom. 4. Concil.* habetur. Item Concilium Trid. *sess. 22. de reformatione c. 8. 9. & 11.* inter *pia loca* etiam *montes pietatis* numerat. Ratio verò, quòd isti montes usurarii non sint, ea redditur, quod in iis ultra sortem aliquod detur non tanquam lucrum ex mutuo, sed pro sumptibus necessariis ad montis conservationem pro stipendio ministrorum, qui montem administrant, & semper parati esse debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, custodienda, pro libris rationum cæterisque necessariis.

Quær. IV. Quid sit pactum *antichryseos*, & an citra usuram fieri possit? R. Antichrysim esse pactum inter creditorem & debitorem, ut creditor tam diu pignore uti, & fructus ejus lucrari possit, usque dum sibi pecunia mutuo data à debitore restituatur. *Antichrys.* enim græcè significat *contrarium* sive *mutuum usum* rei scilicet in pignus concessæ pro usu pecuniæ mutuo datæ, *textus & DD. in l. si pecuniam. 33. ff. de pigneratitia act. & l. si is qui. 11. §. 1. ff. de pignoribus.* de hoc igitur pacto magna est controversia, an sit usurarium censendum? Enim verò pro negativa (quam sustinet Alciatus *libro 2. d. c. 3.* & alii apud Minsyngerum *Cent. 6. observ. 71.* & And. Gail. *lib. 2. observ. 3*) militant aliquot argumenta, primò, quòd pactum *antichryseos* disertè approbetur *in dicta l. si pecuniam.* & *l. si is qui.* item *in l. si sæ 17. C. de usuris.* secundò *in c. 1. X. de feudis* dicitur, dominum lucrari fructus ex re feudali sibi à vasallo oppignorata. Tertiò *in c. salubriter. 16. b. t.* decidit Pontifex, quòd maritus pro dote uxoris sibi debita accipiens à socero pignus lucretur fructus hujus pignoris, & non teneatur, ob fructus interim ex pignore perceptos minorem dotem acceptare. Quartò nihil videtur continere iniquitatis, si creditor ex fructibus pignoris lucrum faciat propter culturam & curam, quam in illis serendis & colligendis impendit, *arg. §. si quis à non domino. 35. Inst. de rerum divisione.* ubi dicitur, bonæ fidei possessorem ex re aliena lucrari fru-

ctus saltem consumptus propter culturam & curam, quam rei alienæ adhibuit. Quintò denique, si creditor emeret pignus pro ea summa, quam mutuare vult, cum pacto, ut pro eodem pretio liceret debitori quandocunque placuerit redimere, validum esset pactum, & creditor haberet rem, ex eaqua fructus perciperet, usque dum sibi à debitore pretium redderetur. *l. 2. C. de pactis inter empt. & vendit.* ergò si hoc liceat creditori per pactum emptionis, licebit etiam per pactum *antichryseos*; vel enim utrumque est justum, vel neutrum, cùm utriusque idem sit effectus, neque una via debeat permitti, quod alia prohibetur juxta regulam 84. *juris in 6.*

Verùm contraria sententia & quòd pactum *antichryseos* regulariter usurarium reputetur, apud Theol. cum D. Thom. Cajet. Soto, & aliis, ac Juris Canonici interpretes hactenus prævaluit teste Hen. Canis. *de usuris. c. 5. num. 15.* Paulo Lay. *dicto c. 16. n. 17.* quibus adstipulatur Panur. *in c. 1. n. 2. h. t.* & *Covar var. resolut. l. 3. c. 1. n. 3.* fundamentum est in c. 1. & 2. h. t. ubi apertè deciditur, fructus pignoris sine usura non cedere lucro creditoris, sed imputandos esse in exonerationem sortis, quatenus deinde minor sors, seu minus capitale restituatur, quo plures fructus ex pignora percepti sunt. Etenim ut præcedenti §. dictum usura est, quidquid ex mutuo pretio æstimabile per pactum creditor lucratur, sed hic per pactum *antichryseos* mutuo accedens lucratur fructus pignoris, ergo &c. Huc etiam facit *lex. 1. 2. & 3. C. de pigneratitia actione*, ubi clarè constituunt Imperatores, *ut fructus pignoris in sortem imputentur*. Ita tamen hæc sententia declaranda est, ut fructus non possint cedere mero lucro creditoris. Secus autem si quosdam fructus velit retinere jure compensationis, scilicet ratione *lucri cessantis*, *damni emergentis*, *suscepti periculi*, *vel expensarum in custodiendum pignus*, *vel colligendos fructus factarum*, non enim dicuntur fructus nisi deductis expensis. *l. fructus. 7. ff. soluto matrimonio.*

Ad argumenta superius in contrarium allata responderi potest, & quidem ad primum, *l. si pecuniam. cum aliis citatis*, nihil relevare, eo quòd leges Civiles permittentes usuras, ac usurarios contractus abrogentur per SS. Canones, *Clem. unica h. t.*

Ad *secundum* dicitur, speciale esse in feudo, ut Dominus ea eo sibi à vasallo oppignorato fructus lucretur *per d. c. 1. X. de feudis. & c. conquestus h. t.* quod & idem de emphyteusi asserunt DD. dummodò intereà vasallo servitia, si quæ ex feudo præstare debeat, & emphyteuta canon remittatur. Rationem verò specialitatis assignat Hostiensis & Panorm. *in d. c. 1.* quòd hæc sit natura feudi, & emphyteusis, quam habet ex prima sui institutione, conventione, vel consuetudine, cùm enim in feudo & emphyteusi *directum* dominium maneat penes dominum, & tantum *utile* transeat in vasallum, & emphyteutam, per oppignorationem verò res tota revertatur ad dominum, videtur conveniention, ut ea potiùs ipsi domino, quàm alteri fructificet.

Tertium similiter singulare est, quòd maritus ex re pro dote uxoris oppignorata fructus lucretur, idque ob compensationem *lucri cessantis*; nam si dotem ipsam haberet, ex ea fructus omnes lucraretur propter onera matrimonii, quæ subire debet, *l. dotis fructum. 7. ff. de jure dotium.* ergò cùm istud justum lucrum fructuum dotalium ob dotem non solutam marito absit, meritò compensationem facit ex fructibus rei pro dote debita oppignoratæ, prout idem facere posset creditor quilibet in pignora, si sua interesset ratione *lucri cessantis* vel *damni emergentis*, ut dictum.

Ad *quartum* respondet Henr. Canis. *de usuris. c. 5. n. 25.* quod sibi imputare debeat creditor, qui *culturam & curam* ex contractu illicito in rem alienam impendit, ut proptereà idem creditor non *bonæ fidei*, sed *malæ fidei*, possessori sit potius comparandus, qui ob culturam & curam nullos prorsus fructus lucratur, sed universos restituere tenetur. *l. certum 22 C. de rei vindicatione*, & licet fortè creditor fuerit in errore juris putans, fructus pignoris posse ex pacto suo lucro acquiri, nihilominus sciendum est, errorem juris non prodesse, acquirere & lucrari volentibus, *l. Juris. 7. ff. de juris & facti ignorantia.*

6 Ad *quintum* dicendum, inter emptionem pignoris cum pacto redimendi, & inter pactum *antichryseos* magnam esse differentiam. Nam si creditor pignus emerit, deponitur qualitas *creditoris mutui*, *& pignoris*, & emptor efficitur *Dominus*, & fructus lucratur jure *dominii* ex re sua. Et deinde re empta casu fortuito v. g. incendio pereunte non potest ampliùs repetere pretium, quia res perit suo domino, *toto t. ff. de periculo & commodo rei venditæ.* quæ omnia se aliter habent in pacto *antichryseos*, ubi creditor non efficitur dominus pignoris, & consequenter fructus percipit ex re aliena, atque pignore sine sua culpa pereunte nihilominus pecuniam mutuatam repetere potest. Interim licèt emptio cum pacto redimendi ordinariè jure permissa sit, *d. l. 2. C. de pact. inter empt. & venditor.* & etiam *antichrysis* hoc pacto, sicut & aliis titulis, ex quibus justè aliquid ultra sortem exigitur, cohonestari possit, teste Laym. *in Theol. moral. lib. 3. tr. 4. c. 16. n. 17.* id tamen procedit, si omnia bona fide agantur, si nimirùm res justo pretio vendatur, & creditor non sit solitus usuras exercere cogens debitorem pecuniæ indigum ad talem contractum aliàs non mutuaturus: nam ex modicitate pretii, consuetudine fœnerandi, & si rem intra certos annos non licuerit venditori redimere, aliquando emptionem cum pacto redimendi censeri contractum *usurarium*, & præsumi tantùm fictam emptionem, in effectu autem esse mutuum cum lucro ex pignore, textus sunt *in c. ad nostram de emp. & vendit. c. 4. de pignoribus. l. 3. C. plùs valere quod agitur &c.* & videri poterit Fachio. *l. 2. Controv. c. 12.*

Similiter, si quis contenderet, antichrysin posse reduci ad aliquem contractum *innominatum*, *do ut des*, *facio ut facias &c.* concedo tibi usum mei prædii, ut mihi concedas usum tuæ pecuniæ &c. id fortassis transiret, si nihil in fraudem usurarum attentaretur, & contractus *innominatus* (qui certam legem non habet, sed totus ex conventione & *præscriptis* partium *verbis* dependet & regulatur. *L. 3. & seqq. ff. de præscript. verb.*) ita clausuletur, ut neutri parti gravis sit, & notabiliter, præsertim ratione periculi interitus, à mutuo differat, possunt enim contractus innominati naturam nominatorum assumere, *L. 5. ff. de præscript. verb.*

Quæritur V. Utrùm *Olla fortunæ* passim in Germania usitata contineat usuram vel iniquitatem, si exempli gr. aliquis pro sex cruciferis extrahat schedam signatam, & is qui præest ollæ, debeat ipsi dare rem valentem centum flor. econtra, si alius imponat 30. flor. & pro illis meras schedas vacuas recipiat? 7

Respondeo, Ollam fortunæ satis probabiliter *ab usura*, & *iniquitate* defendi posse; ab *usura* quidem, quia non intervenit contractus *mutui*, in quo solo propriè committi usuram superius in §. 1. diximus. etenim hæc olla fortunæ non immeritò ad contractum emptionis & venditionis revocari potest, in quo pecunia pro pretio, & spes rei accipiendæ pro merce sit, prout *in l. nec emptio. 8. §. aliquando. ff. de contrahenda emptione. Aliquando*, inquit jurisconsultus, *sine re emptio intelligitur, veluti cùm quasi alea* (id est casus, fortuna, vel eventus dubius) *emitur*, *cùm captus piscium*, *avium vel missilium emitur*, *etenim emptio contrahitur: etsi nihil inciderit*, *quia spei emptio est*, & hinc qui v. g. à piscatore vel aucupe pro imperiali emerit, quòd media die capturus est, tenetur solvere pretium, etsi nihil captum sit; & è converso piscator & auceps tenetur tradere, quod cepit, etsi longè pluris æstimetur. *Ab iniquitate* quoque defendi potest *olla fortunæ.* dummodò de cætero fraudes in signatione, impositione vel extractione schedarum non committantur: quia in ea pretium non metimur secundùm valorem rei extractæ, sed juxta spem & incertitudinem lucri vel damni. Verùm licèt *olla fortunæ* in se & cæteris paribus nec *usuraria* nec *iniqua* sit, quia tamen non longè abest *à lusu alearum*, qui prohibetur *in toto tit. de aleatoribus.* & multæ circa eam fraudes committi possunt, atque curiosi pecunias prodigunt. illi verò, qui circumferunt ollam, pecunias extra civitatem & Provinciam avehunt, ideò à prudentibus Magistratibus non semper tales ollæ tolerantur.

Quæritur VI. Utrùm usuram committat, qui rem cariùs vendit propterea, quòd pretium non statim numeretur, sed ejus solutio in aliud longius tempus differatur? ℞. cum Panorm. & aliis *in cap. in civitate 6. h. t.* talem contractum in foro quidem externo tutiùs censeri nomine *usurarum*, cùm non sit formula mutuum, in quo solo propriè usura committitur, in foro tamen interno sæpiùs esse *usuram*, eò, quòd hæc venditio saltem in effectu & implicitè contineat in se mutuum, & venditor censeatur *brevi manu* pretium emptori usque in tempus solutioni destinatum sub usuris credidisse & mutuasse. sicut tamen aliàs in mutuo propter *lucrum cessans* vel *damnum emergens* potest aliquid ultra sortem accipi, ita etiam in hoc venditionis contractu poterit venditor rem pluris æstimare, si sua interesit pretium non statim persolvi. Et prætereà si dubium sit, an res vendita tempore solutionis sit plus vel minùs valitura, & venditor non fuisset eam priùs venditurus nisi in singularem gratiam emptori, propter istud dubium etiam venditor ab usura excusatur in *dict. cap. 6. & cap. ult. vers. ille quoque. h. t.* 8

Quæ-

Quæritur VII. An usurarius, vel illicitus sit contractus, si quis alienum debitum, nomen, seu Chirographum emat, aut sibi cedi faciat pro minore quantitate, quàm in se contineat, verbi gratia si pro debito 1000. floren. numeret 600.

Resp. Inprimis satis tum jure, tum usu receptum esse, credita seu (ut jurisperiti appellant) *Nomina* & Chirographa tanquam mercem idoneam posse in contractum emptionis deduci etiam invito debitore, *l. nominis, C. de hereditate vel actione vendita, l. 1. C. de novat.* dummodo sint debita *liquida*, nam alienas lites, & debita illiquida seu controversa, & litigiosa emere severè in jure prohibitum est, *text. & interp. in l. diversas, & l. ab Anastasio, C. mandati, t. t. C. de litigiosis, Pan. ad cap. fin. X. de alien. judic. mut. caus. facta VVesemb. ad tit. ff. de hered. vel act. ven.* Et quidem si in ejusmodi debitis ambigue (de facto, non de jure) aut difficilis sit executio solutionis, ita ut pecunia sine molestiis, vel sumptibus à debitore acquiri non possit, vel in favorem venditoris expositum pretium potuisset emptor aliorsum cum majori lucro applicare, & sic *lucrum cessans*, vel *damnum emergens* cum tali emptione concurrat, omnes consentiunt, quòd debitum arbitrio boni viri consideratis omnibus circumstantiis possit etiam longè minoris emi, quàm in se contineat.

Verùm si debitum facilè obtineri possit, nec propter pretium aliquid *intersit* emptoris, non est una omnium sententia, an tale debitum minoris emere liceat? Resp. Esse distinguendum, an facilitas solutionis proveniat ex qualitate ipsius debiti, ut quia debitor semper paratus est illud solvere; vel an tantùm ex qualitate emptoris, ut quia is ex speciali Principis gratia, vel alio singulari medio solutionem obtinere potest, quæ aliàs ægrè obtineretur.

Primum casum magis speculativum, quàm practicum censet Card. Lugo *de I. & I. tom. 2. disp. 36. sect. 7. §. 1. nu. 96.* quòd vix contingat debitum emi sine omni difficultate exactionis, periculo, vel interesse; si tamen contingeret, ut v. g. creditor pecuniæ indigus ob repentinum discessum, vel aliud repentinum accidens non à debitore habere non posset, ideòque alteri pro parata pecunia suum creditum liquidissimum venderet, ipse putarem tutius fore in conscientia, non licere tale debitum minoris emere, sicut cum Medina, Sylv. & aliis docet Lessius *de I. & I. lib. 2. cap. 21. nu. 71.* nam inter mercem & pretium debet esse æqualitas, non est autem æqualitas si v. g. pro 100. dentur 90. & aliàs multæ usuræ palliari possent, si usurarius diceret, se nolle mutuare, velle autem ab illo, qui mutuum petit, emere chirographum 100. flor. pro 90 & sic in effectu nihilominus 10. pro 100. lucraretur. Non est tamen omninò erroris damnanda altera sententia, quæ concedit aliquanto modicè minùs pretium dari: quòd communi hominum æstimatione minùs valere censeatur pecunia futura, quàm præsens, sicut minùs est, actionem habere, quàm rem, *l. minus 250. ff. de reg. jur.* neque emptio sine omni prorsus commodo celebrari soleat, Innoc. & Pan. *in c. in civitate de usur.* Nav. *in Man. c. 17. n. 230.*

In secundo casu, quando facilitas solutionis per accidens provenit ex persona emptoris, existimat Less. *d. l. num. 76.* & Molin. *de I. & I. tract. 2. disp. 361.* posse debitum emi citra injustitiam secundum illam æstimationem, quam considerata difficultate solutionis communiter apud alios, & in foro habet, illud enim justum rei pretium censetur, quo communiter apud homines æstimatur, sicut in simili, qui gemmam sine omni suo labore, & sumpto inventam aut donatam accepit, potest absque injustitia eam tanti vendere, quanti communiter solet vendi ab iis, qui similes gemmas magnis sumptibus conquirunt, fatetur tamen Lessius sæpè peccare tales emptores saltem contra charitatem (quod etiam grave peccatum est, quamvis ordinariò ad restitutionem non obliget) si miseris, & indigentibus hominibus non majus pretium persolvant, cùm ipsi nonnunquam ingens lucrum reportent. Item Officiales Principum, qui se in solutionibus debitorum difficiles exhibent, & ita indirectè cogunt creditores ad sua debita vili pretio vendenda, quæ ipsi coemunt, haud dubiè graviter contra justitiam peccant, & ad restitutionem obligantur, Less. *d. l.* si enim possunt sibi solvere, poterunt utique & aliis, quibus ex justitia debetur, & si creditores velint ultrò propter publicam necessitatem aliquid remittere, profectò justius est, ut illa portio remissa accrescat ærario Principis pro publico bono, ne subditi gravioribus contributionibus onerentur.

Quid ergò, si creditor velit suum creditum minoris vendere, poteritne ab ipso debitore, sive is Princeps sit, sive alius, minori pretio emi? Resp. Si debitor ipse sit causa difficilis solutionis, utique sine iniquitate & onere restitutionis emere minoris non poterit, secùs verò, si propter inopiam aut alium casum totum solvere nequeat, tunc enim non apparet, cur debeat esse deterioris conditionis, quàm quilibet alius extraneus, Nav. *d. l.* Less. *d. l. n. 70.*

Advertendum tamen, si in præmissis casibus, & juxta dicta aliquid contra charitatem vel justitiam peccetur, hoc peccatum non statim esse reducendum ad usuras, & usurarum pœnas, quia in *emptione*, & non in *mutuo* committitur per tradita superius §. 1. *nu. 2.* nisi in fraudem usurarum mutuum tali aliquo contractu pallietur.

Quæritur VIII. Quid sit *contractus censualis*, an & quando *usurarius* judicandus? *Census* veteri jure Romano a *censendo* seu æstimando dicebatur æstimatio patrimonii subditorum, unde tributum Cæsari vel Magistratui solvere tenebantur, *l. forma, ff. de cens. l. 2. & 3. C. eodem* sed & ipsum quoque tributum *census* vocabatur juxta illud *Matth. 22. licetne censum dare Cæsari, &c.* de jure verò Canonico & ad propositum *census* vel *contractus censualis* est jus per emptionem aut similem contractum acquisitum reditus annuos ex re, vel industria aliena provenientes percipiendi. Dico, ex *re* vel *industria*. Nam *census* dividitur in *realem* & *personalem*. *Realis census* est, qui fundatur super certa re una vel pluribus, e. gr. si à Titio emam jus percipiendi illos reditus, quos ipse annuatim ex domo vel prædiis suis percipit, quare hic census cùm realis sit, & rei inhærens comitatur rem ad quemcunque possessorem deveniat, sicut servitus ad aliud onus reale.

Personalis census est, qui fundatur super certa persona, quæ se obligat ad annuam pensionem, non tam respectu certæ rei, quàm potiùs respectu lucri acquisiti ex propria industria, puta si illa persona exerceat negotiationem, opificium aut artificium; nisi quod subinde ad debiti securitatem certus fundus hypothecæ subjiciatur, non tamen cum jure, ex illo fundo fructus percipiendi.

Uterque census tam *realis* quàm *personalis* plerumque solet habere pactum *redimendi*, ut scilicet ille, qui censum ex re vel industria sua vendidit, possit hunc censum rursus redimere, si emptori pretium pro venditione census acceptum denuò restituat. Imò frequenter census ex *utraque parte redimibilis* constituitur, ita ut non tantùm venditor possit restituto pretio censum redimere, & se vel res suas ab hoc onere liberare, sed etiam ipse emptor possit venditori rursus jus suum cedere, ab eoque pretium pro censibus datum repetere.

Verum quia talis contractus censualis prima fronte nihil videtur differre à mutuo sub usuris contracto, quia & in mutuo debitor mutuum acceptum pro libitu restituere, & creditor illud repetere potest, interim usuræ annuæ & pensiones ex mutuo præstandæ sunt; ideò inspiciendum est, utrum tales contractus censuales sine peccato usuræ sustineri valeant? Resp. itaque *primò* censum *realem* ex parte solius venditoris redimibilem esse contractum licitum & non usurarium, per expressam declarationem Pontificium *in extravag. 1. & 2. de empt. & vend. inter com.* dummodo census eo pretio ematur, quod consuetudo loci vel Magistratus justum decrevit, prout consuetudine Germaniæ receptum, ut 5. floreni annui reditus emantur pro centum florenis.

Est etiam inter hunc *contractum censualem*, & inter *mutuum* notabilis differentia, quæ ex communi DD. sententia apertè colligitur in citatis extravagantibus, nam in *mutuo* bonis, & facultatibus debitoris casu aliquo pereuntibus nihilominus pecunia mutuata cum usuris repetitur, at verò in *contractu censuali* seu emptione census *realis* si res, ex qua reditus annuus sive census emptus est, intereat, census quoque, & facultas repetendi pretium interit.

Similiter si propter sterilitatem aut aliam causam res censualis non tantos fructus proferat, ut integræ pensioni sufficiant, non tenetur debitor seu venditor census totum censum solvere, nisi antecedentium aut subsequentium annorum fertilitas talem sterilitatem compenset. Cujus ratio est, quòd hic contractus emptionis sit, emptione autem perfecta periculum in re empta contingens ad emptorem pertineat, *toto tit. ff. de periculo & commodo rei vendita*.

Non etiam obstat, quod contra hunc contractum censualem objici solet, nimirùm esse contra naturam pecuniæ & emptionis, ut una pecunia alia pecunia ematur, cùm pecunia sit tantùm pretium ad alias res comparandas; item emptionem esse tantùm de præsenti, in contractu autem censuali hic & nunc nulla res præsens sit, quæ ematur. Nam dicendum est, in contractu censuali non emi pecuniam tanquam mercem, sed jus percipiendi pecuniam, prout etiam alia jura incorporalia rectè emuntur, & venduntur. Unde quia istud jus futuris temporibus percipiendi pecuniam statim tempore emptionis à venditore census conceditur emptori, ideò hoc respectu satis res empta præsens dici potest. Veluti & fructus in agris, partus ex animalibus in futurum

nasci-

nascituros jure vendi probatur *ex l. nec emptio 8. ff. de contrahenda empt.*

Quòd si census *realis* non tantùm ex parte venditoris, sed etiam emptoris, & sic *utrinque redimibilis* constituatur, adhuc tamen non improbabiliter ab usura defendi potest, contractus enim ex conventione legem accipiunt, *c. contractus 85. de reg. jur. in 6.* & illæ differentiæ inter mutuum, & talem contractum paulò ante enunciatæ adhuc permanent.

Verum quidem est, quòd ex constitutione Caroli V. in Comitiis Augostanis facta sub tit. *de usurar. contract.* ad censum licitum requiratur, ut ejus redemptio non sit in arbitrio emptoris, sed solùm venditoris, nihilominus id intelligi potest, quod in foro externo nonnunquam ex tali pacto usura, & *palliatum mutuum* præsumatur, quæ præsumptio non habet locum in foro interno, si omnia bona fide agantur, & periculum intereuntis rei censualis penes emptorem maneat præterea similes conditiones quatenus ea probibent, quæ juri naturali non adversantur, non ubique esse receptas, asserit Paul. Laym *in Theol. Mor. lib. 3. tract. 4. c. 18. sub nu. 6.* Attamen in loco ubi non esset consuetudo censum utrinque redimibilem constituere, tutius foret à tali contractu abstinere propter illam fori externi præsumptionem, & scandalum aliorum, ac periculum usurariæ intentionis.

11 Resp. II. Censum quoque *personalem* præsertim à solo venditore redimibilem (probabiliter etiam utrinque redimibilem per ea quæ mox de censu reali diximus) ab usura plurimi DD. defendunt. Si enim aliæ præstationes super sola personæ industria constitui possunt, prout fit in tributo Magistratui solvendo, in decimis personalibus, in contractu societatis, &c. non apparet ratio, cur idem in censu *personali* fieri nequeat, cùm de æquivalentibus idem sit judicium, *L. ultimo ff. mandati*. Differt autem hic contractus à mutuo. I. Quòd constitui non possit, nisi cum tali persona, quæ ex sua industria lucrum facit. II. Si ex causa persona censualis lucrum facere amplius non valeat, pensiones quoque annuæ amplius non solvantur. III. Si census ex parte solius vendentis redimibilis sit, iterum differt à mutuo, quia mutuum non tantùm debitor sponte solvere, sed etiam creditor ab invito debitore petere potest.

Imò non desunt magni nominis DD. qui censum *personalem & realem* constitui posse affirmant cum *pacto assecurationis*, ut nimirùm venditor suscipiat in se periculum interitus, & re censuali pereunte, vel lucro ex industria personæ sine culpa ejus cessante venditor non quidem annuos census persolvere, sed tamen capitale seu pretium census restituere teneatur, dummodò hæc obligatio venditoris ipsi aliquo modo compensetur scilicet pretium census augendo, vel, quod in effectu idem est, minorem censum exigendo. Ita namque in aliis contractibus aperto jure concessum est, ut contra naturam contractus periculum ex speciali pacto ad alterum pertinere possit, puta in commodato ad commodatarium, in deposito ad depositarium, *c. unico. de commodato. l. 1. ff. depositi* Verùm contra hunc *censum personalem*, & pactum *assecurationis* adducitur Bulla Pij V. quæ incipit; *Cùm onus Apostolicæ servitutis*. cui tamen similis responsio aptari potest, quæ superius circa constitutionem Carolinam data est. Prolixius hanc materiam *de censibus* tractat Laym. *d. l. c.* 18. & Cov. *variarum resolut. lib.* 3. *c.* 7. Hein. Canis. *de usur. c.* 11. Lessius *de J. & J. lib. 2. c. 22.* aliique apud eos citati.

Quæritur VIII. & ultimò, quid sit *Cambium*, & quo titulo ex eo lucrum acquiri possit? Negotiatio ista pecuniaria, quæ *cambium* dicitur passim nota & usitata nihil est aliud, quàm permutatio pecuniæ pro pecunia, in qua ille qui rogatur, ut pecuniam commutet, campsor, ille verò qui rogat & cujus gratiam pecunia commutatur *Campsarius* appellari solet, prisco enim vocabulo *cambire* vel *campsare* idem quod *permutare* significabat, sicut ex Prisciano refert Cov. *de collatione veterum numismatum c. 7. n. 4.* Licèt verò etiam in *mutuo* pecunia pro pecunia detur, id tamen non fit causa permutationis, neque statim tempore contractus in mutuo, sicut in cambio pecunia unius datur pro pecunia alterius, sed solus creditor numerat pecuniam, ut in futurum vel eandem, vel aliam ejusdem generis, & bonitatis recipiat, cum ergo *cambium* à *mutuo* differat, consequens est, quòd lucrum ex cambio quæsitum nomine *usurarum* censeri non debeat, nec usurarum pœnis subjaceat videamus tamen breviter, ex quibus causis aliquod lucrum citra iniquitatem ex *cambio* percipiatur.

Est autem præsciendum, *cambium* dividi in *manuale* sive *minutum*, & in *cambium locale*. Cambium *minutum* seu manuale dicitur, quando pecunia unius formæ aut materiæ permutatur cum pecunia alterius formæ aut materiæ v. g. crucigeri aut sestertia pro taleris, vel aureis, moneta Germanica pro Italica, Hispanica &c. dicitur *minutum*, quia plerumque minor moneta commutatur pro majore, & *manuale*, quia statim in eodem loco & tempore de manu ad manum vicissim pecunia numeratur.

Locale cambium est, quando pecunia præsens commutatur cum pecunia stante in alio loco, quod cùm ordinariè per litteras fieri soleat, per quas campsor mandat suo correspondenti, ut campsario certam pecuniæ quantitatem, quam ipse campsor jam hic verbi gratia Salisb. accepit, numeret Romæ, ideo etiam *cambium per litteras* appellatur. Idque præcipuè ob utilitatem itinerantium inventum est, ne cogantur pecunias cum magno periculo, & incommodo secum continuò deferre.

Porrò in *cambio minuto* si v. gr. aurei pro crucigeris commutandi sint, solent campsores aliquid auctarii loco exigere, & frequenter pro quolibet aureo sestertium vel grossum, causas hujus exactionis DD. aliquot allegant, prima est locatio operæ & obsequii, siquidem campsor debeat semper paratas habere diversi generis pecunias, quemlibet ad cambium in suam domum intromittere, inde se & famulos hujus negotii expertos alere, quod maximè procedit circa campsores, quibus obligatio tale cambium exercendi pro publica hominum utilitate à Magistratu imposita est, secunda causa, est *lucrum cessans*, vel *damnum emergens*, ut si campsor proposuerat nummos aureos alio deferre ubi plures valent, & alibi merces emere, ubi alia moneta longè carius emuntur, &c. Tertia, puritas materiæ, quæ communi hominum judicio Imperialis vel ducatus purus nihil habens de cupro admixtum pluris æstimatur, quàm moneta impura. Nec obstat, quod quidam opponunt, æstimationem materiæ non esse in potestate subditorum, sed Principis monetam cudentis. Nam respondetur nummus alio modo æstimari à Principe, & alio à subditis: à Principe quidem nummi *formaliter* considerantur, ut nummi sunt, & quatenus mensura rerum venalium, & solutionis debitorum: à subditis verò in cambio, & commutatione *materialiter*, & ut res sui patrimonii, quæ in se meliores vel deteriores sunt. Hinc etiam pro quarta causa assignant antiquitatem, raritatem, commoditatem conservandi, numerandi, vel deferendi monetam. Quinta denique esse potest, usus seu expendibilitas, ut si in aliquo loco commutentur nummi, qui possunt ibi expendi cum iis, qui expendi non possunt, isti enim cùm non habeant ibi pretium vel valorem, minoris æstimantur.

Sed & *in cambio locali* campsores aliquod lucrum facere consueverunt, ita ut si in exemplo campsarius hic Salisburgi numeraverit campsori centum imperiales, Romæ tantùm accipiat nonaginta quinque, & quinque cedant lucro campsoris.

Hoc verò lucrum dummodò usitatum in aliquo loco cambii modum, qui communi hominum æstimatione non reputetur iniquus, non excedat, communiter defendunt DD. Inprimis enim campsores pro itinerantium utilitate solent ad hoc operas suas locare, famulos & scribas alere, libros rationum tenere, aliosque sumptus facere. Deinde campsor virtualiter saltem transfert pecuniam de loco ad locum, & liberat campsarium ab onere, sumptibus, ac periculis, quæ ipse in transferenda pecunia subire deberet, quod obsequium merito pretio æstimabile censetur. Plura de cambiis videri poterunt apud Less. *de J. & J. lib. 2. c. 23.* ubi difficultates plerasque circa cambia satis exactè pertractat.

§. III.

De Restitutione & Pœnis Usurarum.

S U M M A R I A.

1 *Obligatio restitutionis incumbit usurariis etiam mentalibus.*
2 *Cur & an non idem in Simonia mentali.*
3 *Jure Can. etiam hæredes tenentur restituere.*
4 *Excusatio à restitutione.*
5 *Res empta ex pecunia usuraria, non est restitutioni obnoxia nisi deficientibus aliis mediis.*
6 *Contra tertium possessorem non datur actio.*
7 *Aliæ pœnæ usurariorum.*
8 *Parochi sine judicio ordinarii non debent aliquem usurarium condemnare.*
9 *Oblationes quando recipiendæ ab usurariis.*

10 *Ad sepulturam non recipiuntur nisi præstita satisfactione, vel cautione.*

11 *Nec testamenta eorum valent.*

12 *Jurium imperiti, qui juxta communem modum sub nomine mutui accipiunt aliquid ultra sortem, qualiter frequenter ab usura excusari possint.*

1 Sicut quilibet iniquus rei alienæ detentor ad restitutionem tenetur, nec absolvitur peccatum, nisi restituatur ablatum, *cap. peccatum de reg. jur. in* 6. ita etiam usurarii ante omnia cogendi sunt ad restitutionem eorum, quæ per usuras contra jus naturale, divinum & humanum acquisivarunt. Et cum usura rapinæ instar sit, *c. si quis usuram* 14. *qu.* 4. ideò usurarii in utroque foro tam interno quàm externo ad restitutionem adigi debent. In foro tamen externo non aliter quis ad restitutionem cæterasque usurariorum pœnas condemnandus est, quam si fuerit usurarius manifestus, scilicet per rei evidentiam, confessionem judicialem aliasve legitimas probationes convictus; Ecclesia enim & alii judices exteroi non judicant de occultis, ne quandoque innocentes pro nocentibus puniantur, *c. cùm tu*, 5. *h. t. l. ultima*, *Cod. de probat.* In foro autem interno nulla opus est probatione, sed sua quemque conscientia arguit. Hinc etiam non tantùm realis usura, quæ aperto usurario pacto commissa est, sed & sola *mentalis* in conscientiæ foro ad restitutionem obligat, per textum & DD. in *cap. consuluit* 10. *h. t.* dicitur autem *mentalis* usura, quando creditor non fuisset aliter pecuniam daturus indigo debitori, nisi ipse debitor vicissim vel sine omni pacto externo, vel ex pacto aliquo simulato, & quoad externam speciem non usurario, lucrum creditori concessisset. Exempla desumi possunt ex §. 1. versiculo Dico quarto, & ex §. 2. qu. 2. & secunda interpretatione, *cap. naviganti*, & ex eodem §. 2. qu. 4. in responso ad quintum argumentum.

2 Verum hic non levis est difficultas, quare in *simonia mentali* sufficit sola pœnitentia & dolor erga Deum illud peccatum expiare sine restitutionis obligatione, ut communiter tradunt Interpretes in *c. ultimo de simonia*. & non similiter in *usura mentali*? Inter varias explicationes quas adferunt DD. illa videtur captu facilior, quam refert Barb. in *dicto cap. consuluit. n.* 4. quòd in *usura mentali* injuria fiat debitori qui invitus, & necessitate coactus solvit, in *simonia* verò *mentali* quæ sine expresso pacto fit, plerumque ille, qui pro spiritualibus aliquid temporale offert, non fit necessitate constrictus. Imò si ponatur casus, ut v. g. Clericus in necessitate constitutus non possit aliter impetrare beneficium ad sui sustentationem, quàm si liberalem oblationem faciat Episcopo, vel Patrono aliàs sibi non collaturo, tunc æquè restitutionem faciendam esse in *simonia* hac *mentali*, quam in *usura mentali* non improbabiliter docet Dominicus Sotus *de justitia & jure lib.* 9. *q.* 8. *artic.* 1. neque etiam ex textu *d. c. ult. de simonia*. qui obscurior est, & diversas interpretationes admittit, contrarium evincitur.

3 Cæterum restitutio usurarum vel debitoribus per usuras læsis, vel heredibus eorum, aut in istorum omnium defectu pauperibus facienda est, *d. c. cùm tu.* 5. *h. t.* Ex adverso quoque non tantum ipsi usurarij, sed etiam heredes eorum, usuras restituere tenentur. Quamvis enim de Jure Civili heres non teneatur ex delicto defuncti, nisi quatenus ex illo delicto ad heredem pervenit, & inde locupletior factus est, vel si lis cum defuncto contestata fuerit. ut tunc non tam ex delicto, quàm ex quasi contractu litis contestatæ conveniatur, *L. unica. C. ex delicto defuncti, quemadmodum heres teneatur, &c.* De Jure tamen Canonico heres ad exonerationem conscientiæ defuncti tenetur pro viribus hereditarijs omnibus illis satisfacere, quibus defunctus damnum intulit, licèt ex illo damno hereditas aucta non sit, *c. ult. de sepulturis c. in litteris. de raptoribus*. Et cùm hæc res salutem animæ concernat, & naturalis ratio suadeat, ut contra justitiam læsis damnum ex bonis ipsius lædentis compensetur, ideò hanc constitutionem Juris Pontificij etiam in terris Imperij observandam esse non attentata lege Civili, rectè docet Henr. Canis. *de usuris. c.* 7. *sub n* 4.

4 Ab hac tamen restitutione excusat notoria paupertas usurarij, vel heredum ejus, usque dum ad pinguiorem fortunam deveniant, *l. nam in nullam ff. de dolo.* & *d. c.* 5. *h. t.* Item si debitor ipsemet solitus sit usuras exercere, non audietur contra suum creditorem restitutionem usurarum petens, nisi & ipse prius alijs cum quibus usuras exercuit, restitutionem fecerit, nam frustra legis auxilium invocat, qui in legem peccavit, *c. q.* 1. *frustra. h. t.*

5 Sed quid si creditor ex pecunia usuraria domos vel prædia emerit, anne hæc tanquam suus debitor vel heres ejus petere poterit sicut potuisset ipsam pecuniam usurariam? R. de Jure rem non succedere in locum pecuniæ, propterea qui ex aliena pecunia etiam inscio vel invito Domino rem aliquam emit, sibi acquirit hujus rei dominium, non alteri, cujus pecuniæ fuerunt, nisi quòd ei aliam pecuniam reddere teneatur; per textum expressum *in l. qui aliena.* 8. *C. si quis alteri vel sibi &c.* & *lege si ex ea* 6. *C. de rei vendicatione*. Si tamen creditor non habeat alia media satisfaciendi debitori propter usuras, tunc cogetur talia bona vel in solutum dare, vel vendere, & de pretio usuras malè acceptas compensare, *d. c.* 5. *h. t.*

Quòd si talia bona jam in tertium alienata sint, contra hunc tertium possessorem probabilius debitori nulla actio competit, non *personalis*, quia cum eo nihil contractum fuit: Nec etiam *realis hypothecaria* quia non habemus legem, quæ hypothecam in tali casu concedat, nisi fortassis debitor cum quo usura exercita, pupillus aut minorennis fuerit, qui aliàs in re ex pecunia sua comparata tacitam hypothecam habet, *l. idemque.* 7. *ff. qui potiores in pignore*. vel Ecclesia, quæ Jure minoris utitur, *c.* 1. *de in integrum restit.* vel nisi alienatio in tertium facta sit in fraudem debitoris, cùm creditor usurarius sciret se aliunde debitori per usuras læso satisfacere non posse, tunc enim res alienata revocabitur secundum ea, quæ traduntur in tit. *ff. quæ in fraudem creditorum. Cov. variarum resolut. lib.* 3. *c.* 3. *sub n.* 6. 6

Præter obligationem restitutionis aliæ quoque pœnæ in usurarios constitutæ sunt, ut primò infamia Juris. *l. improbum fœnus. C. ex quibus caus. infam. irrogatur.* 7

Secundò privatio officij, & depositio in Clerico usurario, *c.* 1. & *seq.* 14. *q.* 4. poterit tamen Episcopus post restitutionem & peractam pœnitentiam cum tali Clerico dispensare, *c. at si Clerici. §. de adulterijs. de judiciis. Gl. in c. præterea. v. suspendas. h. t.*

Tertiò Laicos usurarios Episcopus excommunicare potest, & prohibere, ne eorum oblationes tanquam malè quæsitæ in Ecclesiis recipiantur, sub pœna ut Ecclesiastici tales oblationes recipientes ab officio suspendantur, & ad restitutionem acceptorum teneantur, *c.* 3. & *c. præterea h. t.* quod tamen intelligendum est, si aliquis usurarius manifestus sit, aut tanquam usurarius in judicio convincatur, & si appareant illi, quibus per usuras damnum datum est, aliàs in dubio absque declaratione Episcopi à privatis Parochis nemo tanquam usurarius facilè proclamandus est, criminalia enim, quæ altioris indaginis sunt, & magnum præjudicium, ac pœnas juris secum trahunt, nec Parochus, nec Decanus ruralis judicare, sed ad Episcopum referre debet, *Trid. sess.* 24. *de refor. c.* 20. 8

Quòd si etiam nulli amplius existant debitores, vel heredes eorum, à quibus usuræ extortæ sunt, tunc in horum defectu oblationes, maximè quæ in sustentationem pauperum cedunt, faciendas & recipiendas esse habetur in sæpè dicto *c.* 5. *h. t.* & insinuatur, Luc. 16. *c.* ubi Christus dicit: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Quartò usurarii manifesti ad Ecclesiasticam sepulturam non admittuntur, antequam usuras pro modo & possibilitate facultatum suarum restituerint, aut saltem cautionem de restituendo præstiterint præsentibus illis, quibus usuræ debentur, aut in istorum absentia coram suo Ordinario, proprio Parocho, vel Notario, *cap.* 2. *h. tit. in* 6. imò in articulo mortis, & casu necessitatis, quando Ordinarius loci, Parochus vel Notarius haberi non potest, quemlibet Sacerdotem, qui tunc temporis à peccatis absolvere potest, etiam idoneum esse ad recipiendum talem cautionem, ut eam posteà referat Episcopo, docet Syl. *in verbo restitutio*, § 6. *q.* 1. & Nav. *in M. n. c.* 13. *n.* 218. 10

Quintò testamenta, & ultimæ voluntates usurariorum non valent, nisi ante mortem usuras restituerint, vel de restituendo idoneam cautionem dederint, *dict. cap.* 2. *h. tit. in* 6 11

Demùm hoc loco notandum est, quòd homines rudes & indocti, qui ex sua pecunia lucrum, & pensiones annuas accipiunt juxta eum modum, quo alii viri honesti, & probi facere consueverunt, non sint facilè de usura condemnandi, quamvis ipsi non intelligant, quo Jure vel titulo tale lucrum sibi habere liceat, cum enim lucrum ex pecunia variis ex causis cohonestari valeat, ut propter lucrum cessans damnum emergens, implicitum pactum societatis, emptionem census &c. satis censeri possunt in bona fide, qui proborum virorum imitatores exemplum sibi proponunt, non aliter quàm justo, quo fieri potest, titulo lucrum ex pecunia quærere. 12

Imò licet indocti contrahendo utantur verbo mutui, vel ger-

germanicè *ablöichen* nihilominùs cùm non intentio verbis, sed verba intentioni deservire debeant, *e. g. requirit, de appellat*, ideò ex mente illorum, qui omni meliori modo, quo de jure fieri potest, contrahere intendunt, similes contractus in effectu non tam mutuum, quàm societas implicita cum pacto assecurationis (quod fieri potest si pro tali periculo assecurationis socio relinquatur majus lucrum, cum contractus ex conventione legem accipiant) vel emptio census realis aut personalis judicari debent, præsertim quia apud Germanos iste terminus valdè generalis est, & omnem ferme concessionem significat, ita docet Laym. *lib. 3. tract. 4. cap. 18. num. 11. & 13.* cum Less. Valen. & Majore *ibid. cit.* aliàs enim innumeri condemnandi forent, non tantùm Laici, sed & Ecclesiastici, qui sub nomine & titulo *ablöichen* ultra sortem seu capitale annuatim 5. vel 6. pro 100. exigunt, nec lucrum cessans, nec damnum emergens, nec morale periculum interituri capitalis propter assecurationem pignoris & fide jussorum habent, & solum lucrum quærunt, *ne pecunia otiosa sit*, & sanè si iniquitatem non à verbis, & ab effectu metimur, haud esset rationabile, indoctum qui sub nomine *mutui* vel *ablöichen* accipit 5. pro 100. usurarium asserere, & doctum qui sub nomine *census* idem facit, absolvere. Meminisse tamen oportet, quod semper hactenus monui, multos contractus excusari posse, in quibus aliquid ultra sortem accipitur, si fiant cum eo, qui ex mea pecunia negotiatur, & honestum lucrum quærit, ut mihi hujus lucri partem tribuat, veluti in contractu societatis expressæ vel implicito, in qua alter pecuniam, alter industriam confert, contingit, aut si verè reditus annuos ex re vel industria habeat, quos sine damno suo vendere possit. Secùs autem, si contrahatur cum debitore indigente, qui tantùm ad sublevandas necessitates suas mutuam pecuniam accipit, & si reditus ex rebus vel laboribus suis provenientes vendere non possit, debeat defectum necessariæ sustentationis pati, & paulatim prorsus ad inopiam delabi cogatur, cum tali enim non est materia, vel merces, scil. lucrum aut reditus, super quibus possit fundari emptio census, vel societas. Quod si ab initio contractus habuerit ex re vel industria reditus, & hi sine culpa sua defecerint, hic defectus vel interitus ad emptorem census spectat, ut is censum exigere non possit, sicut etiam superius dictum. Caveant igitur divites, ne pro transitoriis, & plerumque ingratis hæredibus relinquendo lucro animæ detrimentum patiantur, thesaurizent sibi potiùs thesaurum in cælo, faciant Christianæ Charitatis erga indigentes officium, & adimplere studeant illam Christi sententiam Luc. 6. *Benefacite, mutuum date, nihil inde sperantes.*

Hæc demùm omnia ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Deiparæ Virginis, S. Josephi, S. Caroli, S. Benedicti, atque S. Ivonis, omniumque Cœlituum honorem dicta, S. Matris Ecclesiæ, & cujusque meliori Judicio lubens submitto.

FINIS.

6 – 65

